5672/D

POMPEJI
SACCI
OPERA MEDICA
Duobus Tomis comprehenſa.

47372

POMPEJI
SACCI
PATRICII PARMENSIS,

THEORICÆ OLIM IN PATAVINA UNIVERSITATE primo loco PROFESSORIS, deinde in Patria LECTORIS PRÆSTANTISSIMI.

OPERUM MEDICORUM
Tomus Primus,

IN QUO CONTINENTUR

I. Nova Methodus Febres curandi.
II. Iris Febrilis Fœdus inter Antiquorum & Recentiorum Opiniones de Febribus promittens.
III. Medicina Theorico-Practica, ad ſaniorem ſæculi mentem Centenis & ultra Conſultationibus digeſta.
IV. Novum Syſtema Medicum.

EDITIO NOVISSIMA A MENDIS quæ in præcedentibus irrepſerant, diligenter expurgata.



VENETIIS, MDCCXXX.
Ex Typographia Balleoniana.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

IN
POMPEJUM SACCUM
HIPPOCRATICÆ MEDICINÆ
RESTITUTOREM.

FAtorum eſt quodcumque paras: annoſa vetuſtas
Regnorum cineres tractat, & oſſa Virum.

Fata tamen ſuper, ignavique oblivia Vulgi
Excelſæ jubar ſurgere mentis opus:

Scilicet inſervit Numen mortalibus annis
Mentem, animumque, hominem ne premat urna ſilent.

Spes mendax! & fama perit, nomenque ſeneſcit:
Nec ſonitu vivit vaſta ruina ſuo.

Hippocratis teſtor cineres, maneſque colendos,
Sub cujus titulis mors ſine falce jaces;

Quid ſacras coluiſſe artes? quid Numen Apollo
Profuit? ingenii quid monumenta ſui?

Cum Vulgo ſilet: eſt vitium deſerta vetuſtas,
Nunc error, pecces dum novitate, placet.

Nec tamen Hippocratis terris errabis inulta
Umbra diù; major fama repreſſa redit:

Vivis adhuc SACCO, cui ceſſit Numen Apollo
Et ſacras artes, ingeniumque ſuum:

Arte ſua, ut ſerpens vitis, quæ nectitur ulmo,
Perque axes ingens ibis, & ora Virum.

En SACCUS mentem Hippocratis, doctoſque receſſus
Volvit, & oblivi pulvere tergit iter.

Tergit

Tergit iter, quod fama recens, & turba Sophorum;
Et mors illiſa cuſpide inermis eat.

Hippocratem nunc longa juvant oblivia: SACCE
Ut calamo laudes, ars latuiſſe fuit.

Sic te Troja juvat quondam cecidiſſe: ſilenti
Nam cineri Vates arma, decuſque dedit.

Ecce ſuper feſſum volitat nova gloria nomen
Solis perque vias, & ſuper aſtra vehit.

Proximus Hippocrati tu curru SACCE recumbis;
Eſtque idem famæ nomen utrumque labor.

Poſt currum morbi veniunt imbellibus armis,
Et ſurdum fatum ſpicula lenta ferens.

Tempus edax ſequitur manibus poſt terga revinctis,
Livorque, & vitæ quidquid honoris obeſt.

Mirantur Populi, nec tu ſecerneris illo:
Vulgus Jo magna voce Triumphe canit.

Sed procul ò Vulgus! Solio FARNESIUS HEROS
Plaudit, & in currum Lilia multa jacit.

Necte comam ſerto? dant aurea Lilia ſertum;
Nec pretium ingenii majus Apollo dabit.

EXIMIO VIRO

POMPEJO SACCO
NOBILI PARMENSI,

Ac in Patria Medicinæ Lectore Eminenti.

CARMEN.

ALme Pater, venerande Senex, Tu gloria Mundi
SACCE, machaonii Tu decus imperii.

Audio dicentes Medicos ſuper æthera notos,
POMPEJUS noſtrum, ſuſtinet imperium.

Suſtinet imperium dilapſæ Hippocratis Artis,
Conſiliumque ſuum, tollit ab Orbe necem.

Pallida jam quondam ſqualleban t corpora morbis
Famaque crudelis, nuntia mortis erat.

Gaudebat Fatum, ſunt nunc ſua gaudia fletus
Gaudeat à docto ſplendida Fama Viro.

O felix ſtudium SACCI, quot damna repellis?
Non eſt inventum majus in Orbe Tuo.

Nunc date felices Muſæ, date laudis honores
Hæc duo verba viro dicite, & hoc ſatis eſt:

Vir doctus, Pollens, inſignis, Cœlſus, abundans
Moribus, ingenio, ſanguine, corde, Fide.

Joannis Baptiſtæ Mori Phyſici Collegiati, ac Nobilis Parmenſis, ejuſdemque tanti Præceptoris Diſcipuli.

NOI RIFORMATORI
Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per la Fede di reviſione, ed approvazione del P. Fr. Tommaſo Maria Gennari Inquiſitore nel Libro intitolato: *Pompeji Sacci Medicina Practica Rationalis Hippocratis, Medicina Theorico-Practica, Nova Methodus Febres curandi &c.* non eſſervi cos' alcuna contra la Santa Fede Cattolica; e parimente per atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concediamo licenza che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gli Ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Publiche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 13. Decembre 1729.

(
(Andrea Soranzo Proc. Riſ.
(Pietro Grimani Kav. Proc. Riſ.

Agoſtino Gadaldini Segr.

AD

AD
LECTOREM.

MIraberis forſan, poſt aſſumptam Concionem Veterum & Recentiorum opinionem de Febribus, ſtatim hunc Tractatum in eadem Materia, huic fundamento Alkali, & Acido ſuperſtructum prælo commiſerim, quaſi ab intento in alio opere deviaverim: ſcias tamen hanc opinionem in præmiſſo tractatu non eſſe excluſam, cum ſententia Sylvii de le Boe, ibi ponderata, hoc fulciatur fundamento, Et ſi ſcire cupis cur potiùs in hoc tractatu exarando uſus ſim recentiorum terminis, quam antiquorum, ſi ambo in unum finem conveniunt, dico id feciſſe, quia mihi videntur per hos terminos magis diſtinctè, clarè & ſenſibiliter, Febrium natura, eſſentia & cauſæ dilucidari, cum effectus à mixtione Alkali, & Acidi prodeuntes, continuò noſtris ſenſibus exponantur, unde facilè etiam modum operandi illorum percipimus, & inveſtigamus, & ex hoc clariùs cognoſcimus quomodo Febris unà cum ſuis accidentibus excitetur, & in hoc conſilium Hippocratis ſecutus ſum, qui in Lib. de priſca Medicina monet Medicum ut ægro ſui morbi naturam, & cauſam per ſenſibiles rationes explicet: è contra verò cùm termini antiquorum ſint Metaphyſici & Speculativi, talem claritatem, & diſtinctionem non pariunt: qua propter priorum veſtigiis inhærere decrevi, tuæ potiùs utilitati quàm meæ gloriæ reſpiciendo, quam ſi ſuſceperis, gratias Patri Luminum, à quo omne bonum derivat, redde & Vale.

NOVA

NOVA METHODUS FEBRES CURANDI. FUNDAMENTIS ALKALI & ACIDI ſuperſtructa.

SECTIO PRIMA.

De Febribus Continuis.

DE Febribus continuis hìc loquor, à nullis ſenſibilibus diſtinctis exacerbationibus, ſed ab ortu uſque ad finem ſibi æqualibus, & quæ *Continentes*, vel *Synoche*, à Medicis vocantur, non excludendò Febres *malignas*, & *ardentes*, & eas, quas *Platerus Comitatas* appellat, eo quod comitem habeant alium morbum, qui ipſas vel excitavit, vel ab illis prodiit, & ſi morbum præcedant, *primariæ*, ſi ſequantur, *ſymptomaticæ* dicuntur.

Et quia communiter cenſetur, & alibi demonſtratur efferveſcentiam ſanguinis præternaturalem, motumque ejus perturbatum, Febris eſſentiam fundare, cùm nulla detur Febris ſine motu inordinato, & præternaturali pulſu, ab inordinato & præternaturali motu ſanguinis pendente, idcircò Febrium continuarum naturam in hac radicari negare non poſſumus, unde correſpondentem deducimus indicationem, præternaturalem efferveſcentiam ſedandi, quod à remotione cauſæ illius habetur. Hæc verò conſiſtit in aliquo principio ſanguineæ maſſæ conſtitutivo, naturæ leges excedente, vel qualitate, vel quantitate, vel motu, amicabilemque mixtionem cum aliis renuente, ex quo nobis ſe offert indicatio hujuſmodi principium ad naturæ normam regulandi, & aliorum conſortio amico mixtionis vinculo conſociandi. Et ſi hujuſmodi principium taliter affectum ſit à cauſa aliqua externa, vel interna fermentativa, his etiam providendum remotione illarum, vel fermenti extranei præcipitatione, & correctione.

Ut autem fidelis ad prædictos fines via ſternatur, attentè ſunt examinanda ſanguinis principia, eorumque vitia, Febrilis actus radices, per ſigna minutim diſtinguenda, ut contrariis remediorum virtutibus emendata, ad ſalutis terminos aditus ſuccedat, non omiſſa modi efferveſcentiæ ponderatione, quæ pro ſui exceſſu principiorum ſolutionem promovet, & auget in ſanguine, & Febris ſolutionem vel retardat, vel accelerat, vel mortem infert, Unde ſit.

CAP. I.

De Principiis ſanguinis, unde de Alkali, & Acido.

I. OMnia ſanguinis principia, integra ejus anatomè facta, hìc declarare non eſt in animo, ſed ſolùm ea attingere breviter, quæ efferveſcantiæ præter naturalis ſunt cauſæ, hæc autem tribuitur non primis, & ſimplicibus principiis maſſæ ſanguineæ, ſed ſecundis, & compoſitis, omnibus mixtis perfectis communibus, ab Acido, & Alkali emergentibus.

II. *Acidum eſt ignis elementaris*, ſeu cœleſtis, ſecundum ſuarum particularum magnitudinem, numerum, figuram, ſitum, motum, & quietem, ita modificatum ut rationem principii ſeminalis induat; itaut ſemen cujuſcumque determinatæ ſpeciei nil aliud ſit, quàm ignis elementaris, ſecundùm prędictos modos variè diſpoſitos, quibus materiam, cui applicatur, ducit ad eum ſtatum, & configurationem, quam exigit individuum in tali ſpeci, quod apertè demonſtravit *Ariſtoteles*, quando de ſemine loquendo dixit, *Ineſt in ſemine omnium, quod facit ut fœcunda ſint ſemina, videlicet, quod calor vocatur, idque non ignis, nec talis aliqua facultas eſt, ſed ſpiritus qui in ſemine ſpumoſoq; corpore continetur, & natura, quæ in eo ſpiritu eſt, proportione reſpondens elemento ſtellarum, nempè illud cui anima, & virtus plaſtica proximè inſunt, neque hic ſenſu deprehenditur, neque ejuſmodi humor eſt, qui in coitu prodire cernitur, verùm quid ſpirituòſum, & cœleſtis naturæ in eo latens.* Clariùs non poterat exprimere *Ariſtoteles* virtutem ſeminalem, *plaſticam* dictam, per quam fœcunda ſunt ſemina, conſiſtere in ſolo ſpiritu elemento ſtellarum correſpondente, & cæleſtis naturæ, qui ignis elementaris ab omnibus habetur: & quando dixi *acidum* eſſe ignem elementarem, de cœleſti illo ſpiritu intellexi, cujus principium eſt Sol, ex quo ſyderum agmen quidquid hujus habet mutuatur. Talis aſſerti fundamentum deducebam ex eo, quòd exiſtimandum ſit, illum eſſe ignem elementarem, ex quo mixta intrinſecè componuntur, per quem etiam conſervantur, & eorum ſemina actuantur. Et quis non videt à calore Solis cæleſti mixta conſervari, dum in hyeme vegetabilia à ſuis functionibus ceſſant, flores, & frondes vitali ſucco oriante, pro fracta hujus ignis actione deficiunt, ſemina terræ conſignata torpent, animalia tarda ſunt in operationibus, & eorum ſanguis condenſatus, ſpirituum copiam denegans, inertes reddit facultates, ubi in vere Solis approximatione, liquefacto ſanguine, quando ſpirituum proven-

proventu dicentur corpora, animalia tunc temporis venereo æſtu turgentia erudiunt, ſemina geminare incipiunt; hyberno pertæſi otio, & veterno excuſſo, ad motum ſe accingunt, vegetabilia foliis, & floribus coronata, tamquam de ſuperato frigoris hoſte triumphant, & terra hyemali ſenio aggravata, jucunda metamorphoſi delitioſæ reſtituitur juventuti. Si ergo ab igne Solis omnia conſervantur, omnia etiam componuntur: debet autem hujuſmodi ignis Solis, ut elementi componentis rationem mereatur, eſſe rarus mollis, & in motu moderatus, & placidus, nam denſus, rigidus, & in motu violentus, potiùs deſtruit quàm componat; ſic quælibet mixta à Sole diſtantia, ſuo calore conſervantur, quæ ſi approximarentur ſuæ ſphæræ, in cineres reducerentur, quia unita ejus corpuſcula, & citatiori motu vibrata, activitatem deſtructivam inferunt, in diſtantia verò diſgregata, & in motu remiſſa, conſervationi conducunt. Idcircò ignis culinaris non dicitur elementaris, quia plurium particularum agglomeratione violentam, cum pari motu, in objecta exercet actionem diſſolventem; hac ratione *Ariſtoteles* in citata definitione appoſuit illa verba, *idque non ignis*: Ignem eſſe acidum probat experimentis *Tachenius* in ſua clavi *Hippocratica cap. 8.* & *David Vanderbeche* in ſuis experimentis circa rerum naturalium principia *fol.* 36. & ſequentibus; nec ſolùm de igne culinari loquuntur, ſed de mixtis intrinſeco, etſi de illo aciditas verificatur, iſti non eſt deneganda, cùm & ignis culinaris ſicuti ille mixtorum intrinſecus conſtet particulis, quæ priùs in Sole fuerunt, ſunt enim particulæ à mixtis ſolutæ eædem quas à Sole in eorum ſemine, & nutritione receperunt.

III. Et ſi multa intensè acida non calefaciunt, hoc provenit à pauca ignis quantitate, ſed multùm coadjuvata à partium aquearum, & terreſtrium inflexilium acutie, & ſubtilitate, quibus talem motum in organo guſtus excitavit, per quem acidum comprehenditur, itaut non ſit improbabile acidum, aliud eſſe ſalinum, aliud ſulphureum, hoc calefacit, illud potius refrigerat, hujus generis ſunt acidum limonum, berberis granatorum, tamarindorum, &c. quæ nullum calorem imprimere experimur. Aliquando verò poteſt corpus multo acido, & igne abundare, quod arctè partibus unitum ſit, & in actione illius facta ad guſtandum, vel ſolutione à ſaliva, aliquæ tantùm particulæ moventur, vel ſi omnes, tam debili motu, ut aciditatem non calorem in rapidiſſimo, & citiſſimo motu particularum ignearum conſiſtentem exprimant: quod ſi per effervescentiam, vel alio inſtrumento hujuſmodi motum ſuſceperint, tam ſenſibilis ſit calor, ut manu tolerari non poſſit, hoc patet in oleo tartari, & ſpiritu vitrioli, quæ ambo actuali calore orbata, attamen commixta, valido excitato fervore, tantus accenditur calor, ut vas manibus ſuſtineri non poſſit, nec alia ratione; niſi quia ſpiritus ignei in acido vitrioli latentes, omnes ſolvuntur à concepto fervoris motu, & citiſſimo rapidiſſimoque impetu moventur. Muſtum non calefacit ſicut vinum, quia in hoc per fermentationem ſolutæ fuerunt partes calidiores, quæ calore ventriculi à cæteris diſſociatæ, ad citiſſimum motum liberè exponuntur, unde calor: in muſto verò, cùm ſint arctè craſſioribus partibus involutæ, ſegregatio earum impeditur, & motus citiſſimus cohibetur, itaut per deſtillationem muſti ſpiritus vini non eliciatur. Ex quo deduci poſſe puto acidum, quod in uvis immaturis guſtatur, eſſe idem, quod in vino fermentato ſpiritum ardentem reddit, cum hac ſolùm differentia, quòd in uvis immaturis, rigidis & inflexibilibus particulis colligatur, per quod aciditatis ſenſus augetur, unà cum refrigerio, facta à prædictis partibus, compreſſione cum imbecilli motu, à quo frigiditas, ideò grana uvæ tunc ſunt dura & denſa. Ubi verò ab humido emolliuntur dictæ partes rigidæ, pereunte aciditate, dulcedo ſubſequitur, & facta fermentatione ſucci expreſſi deſtilatione, ſpiritum ardentem exhibet calidiſſimum, cum partes illæ igneæ citatiſſimo, & rapidiſſimo motu agitentur. Et in ſchola Carteſiana talis doctrina veritatem habet, cùm ſit illius principium, eamdem materiam, & calefacere, & refrigerare ſola motus diverſitate.

IV. Acidum mixtorum eſſe eorumdem ſeminale principium, plurimis experimentis, docet *Tachenius libr. citato cap. 6.* ubi habet à ſpiritu acido, quod idem eſt, ac à ſulphure, granorum kermes, infuſo oleo tartari fieri tartarum granorum kermes hoc eſt ſal kermes: & ſpiritus ſalis, affuſus ſupra ſal, vel liquorem tartari, fit ſal commune, eidem liquori ſi addas ſpiritum nitri, fit nitrum, &c. & ſal tartari ab additione dictorum ſpirituum, ſeu acidorum configuratur eodem modo quo configurata erant mixta à quibus dicti ſpiritus eliciti fuerunt, continens omnes virtutes eis proprias, itaut ſpiritus prædicti tamquam ſemen tartari materiam duxerint ad eas conditiones, proprias ſuæ ſpeciei, ex quibus manifeſtè apparet in acido eſſe ſeminalem virtutem, quæ nil aliud eſt quam potentia diſponendi materiam ad configurationem naturalem rei, cujus eſt ſemen.

Probabile tamen eſt terram, aquam, & aerem, igni eſſe mixta in conſtitutione ſeminis, cùm ſit compoſitùm, & non ſimplex, & ſpiritus in eo exiſtens, cum aliis colligari indigeat ne evolet.

V. Proprietates huic acido ſeminali inſunt multæ, & prima eſt, quod ſit diviſum in minutiſſimas particulas, tantæ tenuitatis, ut quælibet à ſenſibus comprehendi non poſſit, & imperceptibilis; acido verò non modificato ignis tanta ineſt tenuitas, ut vitri poros penetret, prout pluribus experimentis inſignis *Robertus Boyle*, noſtri ſæculi honor, & rei litterariæ amplior, docuit in ſuo opere *Detecta vitri viri penetrabilitas à ponderabilibus partibus flammæ*. Secunda eſt motus; qui in acido ſeminali eſt moderatus, nec perturbatus, ſed ad certam regulam directus, in acido verò ſimplici, quale eſt illud ignis, non modificatus, eſt velociſſimus, & perturbatus, ut exprimit flamma, & radius ſolis, cujus valor in tanta diſtantia ad nos tam citò pervenit ut eo viſo calorem etiam percipiamus. Tertia eſt figura, quæ ei competit ratione corporis, & talis quanti determinati ad delineandas partes corporis ſecundùm talem figuram.

VI. Demonſtrata Acidi origine à Sole, & eſſe ignem elementarem in eoque ſeminalem virtutem radicari dependenter ab ejus modificatione, videndum eſt in quo conſiſtat talis modificatio, & ejus cauſa.

VII. Modificatio Acidi non una exiſtit, ſed diverſa, pro multitudine rerum quarum procreationi pro ſemine inſervire debet. Quælibet verò modificatio quinque abſolvitur reſpectu materiæ acidæ, nempè à quantitate particularum, ab earum figura, ſitu, motu, & quiete: his omnibus materia modificatur, ut operetur totum, quod à principio ſeminali exigitur. Ratione propriæ ſubſtantiæ, à quantitate determinata habetur temperies in determinato gradu, qui ſeminibus, & mixtis ab eis ortis eſt neceſſarius leges, quæ ſeminibus, & mixtis ab eis ortis eſt neceſſaria, hinc temperies dicitur acidum, vel fermentum. Ratione ſitus accipit ſe dilatare, reſtringere, explicare, & concentrare; ratione figuræ ad quemlibet dimenſionem ſe habilitat, & ratione motus, non ſolùm ſeipſum, ſed materiam, cui applicatur, ducit ad eam determinationem extenſionis, ad quam pendet motus ſufficiens ad delineandum quolibet corpus, ſecundùm omnem organizationem excogitabilem, quod eſt præcipuum ſeminis requiſitum, cùm in tali motu conſiſtat ratio virtutis formatricis, ſemina fœcunda reddentis. Per motum fit principium omnium operationum mixti. Ratione quietis ſtabilitate firmat, quæ motu carere debent, & ita Acidum ignis, prædictis conditionibus qualificatum, omnia requiſita ſeminis reſtringit, & hanc modificationem aliorum elementorum concurſus ſua interpoſitione coadjuvat.

VIII. Ad hunc ſpiritum, ſeu acidum ita modificatum, reſpexit forſan Ariſtoteles, quando definivit naturam eſſe principium motus, & quietis in eo, in quo eſt, & verè hoc Acidum modificatum eſt natura illa, cujus operationes tam in ſanitate, quàm morbo tamquam prodigia admiramur, hoc eſt forma perficiens materiam cui ſubjectatur, & determinans eam pro ſua virtute in tali ſpecie. Nec aliud eſt formam educi de potentia materiæ, quam materiam modificatam operatricem fieri, qui modi cum eſſent in potentia materiæ ad eos per ducta cum acquiſitione virtutis operativæ, verè dicitur forma activa de potentia materiæ educi. Explicatur etiam

formam

formam non poſſe ſine materia exiſtere, cùm tales modi per quos materia fit operativa, & forma dicitur, non vacant ſine materia exiſtere. Medici in hoc ſpiritu calidum innatum cognoverunt, pro diverſitate partium corporis modificatum, non ſolùm generationi aſſiſtens, ſed organizato corpore omnia perficiens. In hoc conſiſtit illa temperies, quam Galenus animam vocavit, quę pro ſua diverſa modificatione in ſingulis partibus diverſa etiam operatur, à quibusdam nomine qualitatis inſignita, quia operando aliquod ſubjectum qualificat, ex quo dicitur qualitas, licèt in ſe ſit ſubſtantia.

IX. Pro horum modorum acquiſitione unio plurium particularum requiritur, quarum tenuitas facit, ut innumerabiles anguiſtis reſtringatur terminis, relictis tamen ſpaciolis anguſtiſſimis, materiæ continuationem hinc inde interrumpentibus, tam dependenter à propria figura, quàm ab acquiſita per unionem, quę non ſufficiunt ad impedienda ſpatia, & vacuitates, maximè neceſſarias ad conſtituendam diverſitatem texturæ in diverſis ſeminibus obſervatæ. Non ſunt tamen cenſendæ iſtę poroſitates omninò vacuæ ſed ſubtiliſſimo æthere repletæ, quod motum acidi adjuvat, quandoque etiam pervertit, & quia iſta unio à ſolis particulis acidos obtineri non poteſt, hinc apparet neceſſitas eas colligandi cum terreis & rigidis flexuoſiſque particulis, ad olei conſiſtentiam excoctis, quapropter acidum hoc nobis modo ſe manifeſtat, vel ſub formâ ſalis, vel olei. Et aliquando tam arctè additis partibus conjungitur, ut parvum motum efficere poſſit, aliquando verò unio debilis, & laxa motum liberum, & magnum permittit. Hinc diverſitas etiam acidorum provenit; nam quo plus aqueæ ſubſtantiæ habent, eo minus ſunt activa, quo plus terræ magis ſunt acria, ex quo etiam deducitur fundamentum aſſerentium ſal, & ſulphur eſſe principia cujuslibet generationis, ſicuti terram, & aquam, & aerem ſupradictis ſpaciolis immixtum, inter principia elementaria connumeranda eſſe.

X. Cauſa hujus modificationis eſt Auctor Naturæ, qui in ipſa creatione, & in illa imperativa benedictione, creſcite, & multiplicamini, qua vegetabilia, & animlia aſperſit, indidit potentiam igni, vel acido eis implantato, ſe diſponendi ſecundùm prædictos modos ſuæ ſpeciei convenientes, & juxta ideas in ſua mente exiſtentes, expreſſivas eſſentiæ rerum, unà cum virtute ſe ſegregandi à cæteris partibus, & colligendi in determinata parte pro acquiſitione ultimæ perfectionis, ſi deeſſet imprimento dictæ partis talem potentiam perfectivam ſupradictæ materiæ ſegregatæ, unà cum determinatione temporis illius eruptionis. Idcircò particulæ acidi, nulla prævia cognitione naturali, ſed dependenter ab obedientia Deo debita, determinatis temporibus, & in debitis circumſtantiis ad prædictos modos ſe diſponunt.

XI. Tale eſt Acidum Philoſophis recentioribus excogitatum, mediis experimentis, & obſervationibus, per quod multa naturæ phænomena explicantur, quod poſtea nomen applicatum fuit omnibus, accidis, virtute etiam ſeminali deſtitutis, & quæ ad guſtum talia apparent.

XII. Alkali eſt materia, quæ ſequitur virtutem acidi, ab eo motus, & configurationis legem ſuſcipiens, & velut per manus ducta, omni ſe accommodat figuræ. Hujus Alkali fundamentum eſt aqua, quæ in omnibus fit omnia, cùm per hanc nutriantur, & augeantur non ſolum vegetabilia, & mineralia, ut probat Helmontius tractatu complexionum, & mixt. elemen. figm. parag. 30. in augmento rami ſalicis ſola aqua nutriti, idem confirmat in aliquibus vegetabilibus incomparabilis, Boyle in chymico ſceptico fol. 52. *David Vanderbede* lib. citato fol. 212. *Tachenius* in *Hippocratis* chymici clavi cap. 3. quod ulterius confirmatur ex eo, quod omnia in aquam reſolvantur, ut docet *Helmontius* tract. de elementis parag. 11. citatus *David* fol. 282.

XIII. Ad hoc verò ut evadat nutrimentum, & ſit verum alchali, debet eſſe impregnatum aliqua portione acidi ſeu ignis elementaris, ad hoc ut per illud acidum in mixto exiſtens augeatur, & creſcat ad proportionem partium per ſuſceptum alimentum ad majus ſpatium ſe extendentim, & coagulatum cum partibus auctis ſit ſeminale principium, ab acido præexiſtente ad ſui normam modificatum, & in quantitate, ſitu, figura, motu, & quiete, multiores partes rigidæ terræ, & inflexibles aquæ miſcentur, à quibus in ſal coagulatur, unà cum virtute acidi interni, ſeminalis, Principii miniſterio fungentis, ſal illud variè configurando, ad alterius verò generationem non ſe extendit, ſed ſuæ virtutis terminus eſt ſolas ſalis configuratio, quæ virtuti acidi ſeminalis non reſiſtit; ſed obediens illud ſequitur, etiam cum propriæ configurationis alienatione. Hine eſt quod ſalia quo plus hujus acidi ſortita ſunt, difficiliùs in aquam reſolvantur, & quo minus, de eo participant, majori facilitate liqueſcunt, quod obtinent calcinata, ab igne accidi portione diſſipata, & in auras ſecum repat: in quacumque verò portione remanente ſemper inalterabilis conſervatur illa ſeminalis potentia tali modo ſe configurandi, juxta divinum decretum ſuæ ideſt correſpondens; hinc eſt quod quamcumque diſſolutionem, vel fuſionem patiatur ſal evaporato ſuperfluo humido, in concretione ad naturalem figuram redit. Ab hoc acido diverſimodè modificato eveniunt plures differentiæ ſalium, & diverſæ eorum actiones coadjuvatæ à terrarum partium quantitate, & configuratione, à quibus acrimoniam cum ſolvendi faculate ſuſcipiunr. Hac ratione alkali apud omnes hujus ſententiæ ſectatores pro ſale intelligitur, & quod de aqua ſolum ſupra dicto modo diſpoſita primario dicitur, ad ſalia omnia acidi virtuti obtemperantia non ſine ratione translatum fuit.

XIV. Alcali ſive conſideretur in aqua, ſive in ſale, amplas habet poroſitates, ut vacuum à *Tachenio* appelletur in *Hippocrat.* chymico *cap.* 10. & hoc ut valeat ſuſcipere figuratas particulas acidorum, & eis obedire. Hæ à partium ordine, & ſitu oriuntur. In qua anguſtiores ſunt, quæ tamen à modificatis corpuſculis acidæ materiæ dilatantur, ad ſui exigentiam. Et dum poroſitates iſtæ alcali non correſpondent figuræ particularum acidi, nituntur iſtæ in illas ingredi, quod cùm non poſſit fieri niſi partium diſtractione, & ſeparatione, ac ſitus mutatione, oritur tumultus, ille obſervatus in conjunctione acidi, & alcali.

XV. Hinc habemus alkali, quod eſt minus compoſitum, & eſt aqua elemento ignis aſperſa, & magis compoſitum, quod eſt ſal ex particulis aqueæ, & terræ, & ignis conſtans, quibus omnibus ineſt tamquàm proprietas ſua magnitudo figura, & motus. Magnitudo in particuli alkali eſt major, quàm in acidi, figura ratione aquæ eſt oblonga anguillarum more, & in aliquibus flexilis eſt, in aliis particulis inflexilia, in ſalibus varia eſt, de quibus vide *Robertum Kooch* ſuus ineſt motus, quo ad ſuam naturalem figuram tendunt, & quo acidum præcedens ſequuntur ad mixti compoſitionem.

XVI. Conveniunt ergo alcali & acidum, quod ſint materiæ modificatæ ratione magnitudinis, figuræ, & pororum. Differunt verò textura, quæ in acidi eſt denſa, in alcali raru, Motus in alcali tardior, quàm in acido. In hoc virtus magis activa, quod eſt primum dominans, in altero minor, & naturaliter ſubordinata priori, cujus virtus eſt perfectior, cùm ea mixtionem dirigat, & in qua paſſivè tantùm videtur ſe habere Alcali Salinum quamvis in diſſolvendo corpora videatur hoc eſſe acido efficatior, quo fuerit magis compoſitum, & igneis particulis non modificatis imbutum, ut mox videbimus, cùm accidi ſit proprium officium coagulare. Ambo ſunt inter ſe contraria, ratione ſolùm texturæ, ideò unita efferveſcunt, & poſt efferveſcentiam depoſita contrarietate amicè conveniunt & in unum mixtura coaleſcunt, conciliata per efferveſcentiam rextura ad unionem accommodata. Unde in explicanda efferveſcentia, & ebullitione, in quorundam corporum mixtione excitata maximè conducunt hæc duo principia, ſicuti etiam pro cauſa coagulationum determinanda, nec alia magis adæquata à Phyſica, ut poſſunt peti principia ad hos effectus explicandos, itaut alcali, & acidi natura tunc ſe manifeſtet quando corpora duo mixta tumultuant, efferveſcunt, vel fermentantur, quamvis ad omnia corpora, & naturæ phænomena dilucidanda non ſufficiant.

XVII. Munus acidi eſt coagulare, quod principio ſeminali conceſſit etiam Ariſtoteles, quando adſtruit ſemen hominis eſt tamquam coagulum in ſanguine mulieris, pro formatione fœtus; coagulatio huic debita non eſt ſimplex, ſed architectonica primo, & per ſe, coagula-

gulatam materiam cum ſymetria figura, organizatione diſtendendo; non poteſt verò hoc exequi, niſi materiam à propria figura removeat, in quo opere tumultus & pugna oritur, reſiſtente materia pro conſervatione ſuæ modificationis. In hoc tumultu ſe explicat acidum, & quod parvo concludebatur in grano, materiam ſe millies majorem actuat, & organizat, eo modo quo granum thuris ſuper carbones injectum, cubiculum valdè magnum fumo implet, & eo modo quo ajunt lapidem philoſophicum ad unum granum figere ſex millia grana mercurii; & acidum ſolum coagulare, non alcali, etiam ex hoc patet, quòd in acido eſt virtus ſeminalis cujus proprium eſt dirigere materiam ad exigentium virtutis formatricis contentæ in ſemine, quod non poteſt operari, niſi coagulando præcedente motu particularum utriuſque, & cùm Alcali ſit materia tantùm, non debetur ei coagulatio actionem primariam in ſemine exprimentem.

XVIII. Iſtius coagulationis ratio fundatur in hoc quod alcali, & Acido minimis particulis in effervefcentia redactis, acidæ plures alcalicas aſſumunt ſocias, & ſibi uniunt, eas dirigendo ſecundùm virtutem ſeminalis principiis, & per hanc unionem dicuntur coagulatæ, & concurrentes in unius compoſitionem. Et hoc non eſt aliud quam illud antiquorum peripateticorum, dicentium calorem perficere mixtionem, & continere elementa in unione, ex quo poſteà deducitur ratio explicans, quare acidum, quod non eſt niſi ignis, coagulet, & ignis culinaris diſſolvat, quia ille eſt modificatus, & pro tali modificatione alcalicas particulas ad unionem dirigit uniendo eas ſibi, & cum aliis particulis mediante humido oleaginoſo, ubi ignis culinaris ſine modificatione mixta diſſolvit ratione ſui motus velociſſimis, perturbati, & violenti, quo in partes ei appoſitas ſe inſinuat, loco movet, & lacerat. Si verò modificentur ignis particulæ dicto multoties modo, & ipſæ coagulabunt. Id circo natura omnibus animantibus moderatum dedit calorem, ignem alternum modificando, ſine quo deſtruerentur facta partium diſſolutione ab igne, ſi in ſuo velociſſimo, & violento motu relinqueretur. Modificatus verò partes ſolidas in ſua coagulatione conſervat, & fluidas apponendas coagulat, & ita conſtat acidum modificatum coagulare, non modificatum diſſolvere, ex qua diſtinctione multæ difficultates in hac doctrina enodantur, præcipuè circa ſalia alcalica, ſua ignitate corpora diſſolventia, cùm illa viderentur potius ab eis coagulanda, ob igneitatem aciditatem impertinentiam, quia licèt hac donetur ratione ignis in ſe contenti, non eſt tamen modificatus, ſed ſuo velociſſimo, & perturbato motu inſtructus, quo quæcumque occurrunt diſſolvit. Hac ratione bilis flava, vitellina, & atra, quamvis ignea, maſſam ſanguinis corrumpunt, & maximum calorem acendunt, quia ignis contentus in eis modificatione caret. Et ſi hujuſmodi ignis cum particulis rigidis, & inflexibilibus uniatur, magis diſſolvit, quod contingit in ſalibus alcalicis ex incineratione, & aliis prædictis particulis conſtantibus. Adnotare etiam hic licet, ſolùm de igne culinari intelligendum eſſe congregare homogenea, & diſgregare heterogenea, quia diſſolvit, non de elementari, qui ſui modificatione coagulando homogenea, & heterogenea congregat.

XIX. Acidum coagulare multis experimentis demonſtrat citatus David lib. citato à fol. 327. uſque ad finem, quæ lectori conſideranda relinquo ad hujus confirmationem. Hoc ſolùm animadverſo, quòd omnia acida modificata, ſi non valent materiam coagulare aliqua organizatione, informem ſemper præſtare coagulationem.

XX. Officium alcali eſt inſervire pro materia principio ſeminali in acido contento, per quod ſe habet tamquàm materia prima Ariſtotelica ad omnes formas diſpoſita, & ſi aliquid acidi in ſe continet, eſt tamen adeo debile, ut facilè cedat illis in virtute ſuperiori, cùm & hoc obſervetur in acidis ſeminalis virtutis mixtorum perfectorum principiis; nam caro in ventriculo habet ſeminale principium carnis acidum, quod ab acido ventriculis hominis deſtruitur, hoc eſt tollitur ejus modificatio impura illa maſſa principio ſeminali alimenti humani. Concurrit etiam hoc alcali ad effervefcentiam mixtionem præcedentem, & diſſolutionem operatur, ut ſuperiùs dixi.

XXI. Variæ ſunt differentiæ acidi, primò dantur, quæ triplici regno animali, vegetabili, & minerali correſpondent, ſecundò aliud eſt fixum aliud volatile, hoc eſt proprium animalium & vegetabilium, illud mineralium, tertiò aliud eſt manifeſtum, aliud occultum, differentiæ ſumuntur etiam à gradibus. Alcali & ipſum ſecundùm has differentias dividitur.

XXII. Inter hæc mediant aliqua corpora, quæ nec ſunt alcalica, nec acida ſed neutra appellantur, ex eo quod ex utriuſque anatica ferè proportione conſtent, ideoque nec coagulantur, ſed in corporibus diſſolvendis ſunt maximè idonea.

XXIII. Sanguini hæc duo principia ineſſe comprehenditur ab igneo ſpiritu vitali in eo reſidente, qui ſuam ineſſe modificationem pro certo credendum eſt, cùm tota maſſa ſanguinea plutibus & heterogeneis partibus conflata, in unum velut homogeneum integrè conſervetur. Lege Alchali ſanguinis demonſtratur in ejuſdem deſtillatione, dum utrumque ſal armoniacum, & tartarum exhibet. Materia etiam in nutrimentum partium abiens à ſanguine ſubminiſtrata ejus alcali dicitur; cùm ſequatur naturam acidi, & ad eo configuretur juxta exigentiam partis cui hoc ineſt. Ex horum concurſu effervefcentia illa pugnando excitatur, qua motus fermentationis ſanguini perpetuatur, calor perennatur, & excrementa ſegregatur. Poſt pugnam ſequitur perfecta mixtio decertantium, quæ eſt coagulatio, & inutilium præcipitatio, acida enim, & alcalia humanæ naturæ non convenientia, vel perfectioni ſanguinis contraria, poſt pugnam ſimul coagulata, in ſalinam ſubſtantiam præcipitantur, quæ à ſero abſorpta per urinam excernuntur, portio altera in lixivioſum ſalem fixata in hæpate ſecernitur, aliæ in ſalem acidum coagulatæ in liene de novo exaltantur, pro totius maſſæ ſanguineæ beneficio. Dum horum coagulatio perfectiva, & depurativa exercetur, aliæ adveniunt partes acidæ, & alcalicæ ſanguini ab alimentis, aliæ per effervefcentiam ab eo ſeparantur, quibus pugna ſuſtentatur, & fermentatio hoc modo continuò protrahitur, & vitalis illa flamma, ſanguinem accenſum conſervans, ab hoc fonte derivatur, quo modo etiam fit prima illa ſanguinis accenſio in puncto ſaliente in prima organizatione animalis, ex qua motus ille continuatus diaſtolis, & ſyſtolis. Alcalicum, & acidum principium demonſtrans, quia accenſio illa ſanguinis in puncto ſaliente non habetur à motu cordis, quod nondum eſt organizatum, non à nerveo ſucco, motus ejuſdem cordis moderante, cùm adhuc non ſint cerebri, nec nervorum rudimenta, ergo à ſolo concurſu aliquorum corporum in ſanguine latentium, quo mediante ſimul effervefcunt, & flammulam quandam in ſanguine accendunt, hæc verò corpora non poſſunt eſſe, niſi acida, & Alcalia, cùm videamus horum mixtione effervefcentiam excitari, & quandoque flammam accendi, etſi in principio generationis ſanguinis accenſio ab his principiis derivatur ſemper ab eiſdem pendere credendum eſt: hujus alcali, & acidi portio effervefcens cum reliquiis ſanguinis in corde ſemper remanet, à qua vitalis illa flamma, cordi à pluribus donata, originem habet, inſerviens poſtea pro rarefaciendo ſanguine de novo adveniente, quo rarefacto novas relinquit reliquias ſanguinis & ita flamma illa cordis perennatur, & prout iſtæ reliquiæ ſanguinis pro majori, vel minori abundantia alcali, & acidi magis, vel minus effervefcunt, calorem vel majorem, vel minorem efficiunt: rarefactio ſanguinis in corde ad horum principiorum excitationem facit, ſicut & motus circulationis, quibus continua acidi, & alcali ſuſcitatio debetur.

XXIV. Et quia hæc effervefcentia naturalis ſuos habet limites, ita etiam inſunt alcali, & acido ſanguinis ſui modi à quantitate, ſitu, figura, motu, & quiete particularum componentium pendentes, quibus non ſolùm multitudo, & portio ſubſtantiæ determinatur, ſed eorum virtus limitatur, à quibus ſi exceſſerint, fit effervefcentia præternaturalis, in qua ut dixi conſiſtit eſſentia Febris, qua propter ejus particularis cognitio eſt neceſſaria, unde de ea aliqua delibanda ſunt.

CAP.

C A P. II.

De Effervescentia præternaturali sanguinis.

Est præternaturalis effervescentia ſanguinis, inordinatus ejus motus, naturalem pulſus rythmum, & circulationem pervertens, cum ſenſibili læſione operationum, & partium quæ ſanguine indigent.

II. Hujuſmodi effervescentia, alia eſt immoderata, alia debilis, alia mediocris; Immoderata eſt illa in qua ſpiritus in copia, & inordinato motu moventur, unà cum raritate, & laxitate unionis partium componentium ſanguinem, à qua pendet copioſa exaltatio alcali, & acidi, quæ ſimul coeuntia ſummè effervescunt, & turbulentam in maſſa ſanguinea tempeſtatem excitant, aucta à concepta in effervescentia unione magis laxante, unde reliquiæ ſanguinis in eo remanentes magna ebullitione agitatæ calorem magnum in corde accendunt, à quo ſemper rarefactio ſanguinis fit major, cum magno totius calore, ſolutis igneis particulis in copia per dictam effervescentiam, & inordinato motu à ſua modificatione diſtractis, unde igneum calorem corpori imprimunt, membra colliquant, & perſeverante dicta effervescentia magis ſanguinis conſtitutio laxatur, ad integram diſſolutionem tendens. Hinc eſt quod calido præditi temperamento, & ſpirituum copia divites, acutis facilè corripiantur Febribus, cum maximo fervore & æſtu, & vitæ periculo. Ex his etiam deducitur quomodo Febres cum intenſa effervescentia, pulſu magno elevato, in malignas tranſeant, cum pulſu parvo, debili, & raro ſine caloris ſenſu, quia à magna effervescentia præcedenti rarefactus nimis ſanguis, & ejus meatus ſummè aperti, in copia exhalat ſpiritus, calor interit, & putredo in iſtius interitu fundata ſupervenit, à qua Febris maligna. Cauſa laxitatem ſanguini concilians, & libertatem copioſo acido, & alcali concedens, non eſt alia niſi humor Alcalicus acris à ſanguine ſegregatus, vel aliundè tranſmiſſus, ſua acrimonia partes conjunctas ſanguinis dividendo, & ſeparando, valdè laxatas & omnium partium componentium diſgregatio. Humor ad hoc opus efficax eſt bilis ſecundùm omnes ſuas differentias, pituita ſalſa, & ſal illud urinoſum, ſed armoniacum quod per urinam ſolet expelli, ſi intra ſanguinem detineatur, impedita ejus expulſione. Quantæ enim ſit activitatis ad inordinatas effervescentias excitandas, ejuſdem uſus intra corpus aſſumpti oſtentant. Et hujuſmodi humores à recentioribus non immeritò fermenti nomine appellantur, à modo operandi quo cruoris maſſam ad inordinatam fermentationem impellunt: continuò etiam augetur ſupradicta laxitas ab effervescentia in corde concepta, à qua major copia Alcali, & acidi ſemper ſegregatur.

III. Tarda effervescentia præternaturalis eſt illa, quæ naturalem regulam, & normam excedit, minus tamen ab hac diſtat quam inordinata de qua ſuperius, cujus cauſa eſt eadem excitatio acidi, & alcali in majori copia quam conveniat ſtatui naturali, in minori tamen quantitate excitantur quàm in inordinata, unde iſta duo contraria in occurſu majorem excitant effervescentiam, quàm in ſtatu naturali, quia ſunt abundantiora quàm in illo, minorem verò ſuſcitant ea, quæ immoderata dicitur, quia ſunt in minori quantitate, idcircò diu etiam protrahitur iſta effervescentia, ſive ei ſuccedat concoctio ſive diſſolutio maſſæ ſanguineæ, utraque enim à motu partium ſanguinis pendet, conſequenter ſi motus ad has erit tardus, tardus aderit earum eventus. Sic & in mechanicis, quæ lentè effervescunt lentè coquuntur, vel lentè diſſolvuntur. Muſti ebullitio torpens ejus claritatem, & puritatem retardat.

IV. Hujus tarditatis natura habetur à copia humorum, effervescentiæ Alcali, & acidi reſiſtentium, cùm non valeant ſe dilatare ad illud ſpatium ad quod ab illa impelluntur, cùm non ſit tanta capacitas in vaſis à multitudine humorum omnia ſpatio, ad integram dilatationem vaſorum ferè occupato, multitudo partium craſſarum tarditatem hanc efficere poteſt, dum ab iſtis tam arctè ſanguinis partes conſtringuntur, ut nata effervescentia non poſſit eas ad magnam diſtantiam removere, ex quo neceſſitas debilis, & tardæ effervescentiæ oritur, hujus exemplum habemus in compoſitione cerevifiæ, ſi farina hordei diutius quam par ſit aqua maceretur, quia tunc liquor evadit mucilaginoſus & craſſus, fermentationi omninò ineptus. Et vina in principio lentè effervescunt, ſubtiliſſimis particulis intra craſſarum clauſtra otiantibus, & praxis nos docet lentas has, & tardas ſanguinis effervescentias, Febres in longum protrahentes, contingere corporibus craſſis humoribus refertis, ſpiritus iretientibus, & eorum motui impedimenta formantibus, vel poroſitates ſanguini innatas, & neceſſarias implentibus, ut dilatare ſe nequeant ad effervescentiæ excitatæ exigentiam. Adeſſe in liquidis meatus probat aqua, & vinum conglaciatum ſcatens bullis aereo ſpiritu repletis, quibus earum partes hinc inde diſſotiatæ manent, & eſſe in ſanguine neceſſarias confirmat neceſſitas motus, & partium ejuſdem; indiget enim ſanguis pro uſu corporis, & ſui vitalitate continua effervescentia, & ſi non eſſent in ſanguine meatus, nec ſpiritus, nec ejus partes moverentur, deficiente ſpatio in quo talia corpora per motum deberent transferri. Horum ope admiſſo in penetralibus cruoris ſpiritus, inſito motu per illa diſcurrit, & hoſtem mixtioni cruoris non aptum vel illi adverſantem expellit, per patentem dictorum meatum viam. Altera debilis effervescentiæ cauſa eſt alcali, & acidi enervata potentia, ab aliis particulis maximè aqueis, unà cum illis unitim ſeparatis, quantum enim poſſit aqua ad impediendam effervescentiam experientia docet in aqua ebuliente, cujus addita frigida ebullitio impeditur. Accidit etiam pro cauſanda tarda effervescentia Acidum, vel abundans in majori quantitate quàm Alcali, à quo iſtud facillimè coagulatur unà cum partibus quibus adhæret, ut rarefactioni reſiſtat, cujus defectu effervescentia magna fieri non poteſt, ſed ſolùm debilis & tarda, & quamvis videatur data hac coagulatione non debere fieri effervescentiam præternaturalem, cùm ſit coagulatum unum ex principiis illius, conſiderandum tamen eſt in coagulatione craſſas partes uniri, aqueas, & ſeroſas cum tenujori ſanguine exprimi, eo modo quo contingit in coagulatione lactis, in illa parte ſubtiliori adſunt Alcali, & acidum diſgregata, & conſequenter apta præternaturalem effervescentiam efficere, ſed lentam, quia materia in qua reſident, ob ſui tenuitatem, & craſſitiem deficientem, non eſt apta rarefieri, & neque immoderatè effervescere, qua de cauſa etiam fit pulſus parvus, quia in ſiniſtro cordis ventriculo materia craſſa non rareſit, reſiſtente compactione nimia à craſſitie communicata: aquea ſeroſa, & tenuis, & ipſa validæ rarefactionis eſt incapax, cùm ſolùm eis contingat ſubjectis aliqua craſſitie donatis, hinc ablata rarefactione non exigit materia multum ſpatii; & in egreſſu arteriam parum elevat, & cum parvo impetu, ideò pulſus evadit debilis, & parvus: Et omnes iſtæ cauſæ ita valent tantam effervescentiam conſervare, ut reſſiſtant effervescentiæ, cui continuo per cor circulando ſubjacent.

V. Effervescentia mediocris eſt media inter violentam, & lentam, à mediocri concurſu Acidi, & Alcali dependens, mediocritatem in cauſa excitante cognoſcens. Hæc effervescentia quamvis præternaturalis, & morboſa, inſervit tamen naturæ pro inſtrumento ad expellenda à maſſa ſanguinea excrementa Alcalica, vel acida, quibus nimis diſſolvitur, vel coagulatur, & ſi non evenit, ut expellat, tali effervescentiæ motu ea ſubigit, attenuat, dividit, aliis miſcet, & integrè unit, ut amplius non noceant. Et hujus morboſæ effervescentiæ utilitas ex hoc cognoſcitur, quòd immoderata effervescentia, & lenta non poteſt tolli, niſi ad hanc mediocrem redigantur, quod certiſſimum eſt de immoderata tendente ad diſſolutionem ſanguinis, & conſequenter ad ejus corruptionem, cui ſubſequitur vitæ extinctio, & hic eſt communis modus quo Febres enecant, maſſam nempe ſanguinis in ſuas partes, & principia motu violento vel continuato diſſolvendo: demonſtratur de lenta, quia hæc non obtinet excrementorum expulſionem, niſi augeatur, nec ceſſat niſi craſſities vel aciditas humorum, maſſam ſanguinis condenſantium tollatur, hac ablata ſanguis ad mediocritatem effervescentiæ reidigitur, donec per iſtam perfecta mixtio in maſſa ſanguinis obtineatur.

VI. Nec mirandum eſt effervescentiam præter naturalem ſanguinis, quæ eſt eſſentialiter morbus, ad Fe-

brilis incendii ſedationem auxiliares præſtare manus, cum eadem effervefcentia actiones lædens mixtionem perfectam principiorum ſanguinis promoveat, intra mediocritatis limites moderata. Nulla enim fit mixtio niſi in miſſibilibus adſit motus, quo tamquam ad unitatem rediguntur, etiam quæ innata contrarietate fœderis vinculum recuſant, ſic partes in muſto exiſtentes diverſæ naturæ ſola effervefcientia in unam vini ſubſtantiam colligantur, tot ſimplicia ad theriacam requiſita effervefcentiæ, motus in unum unit compoſitum, oleum tartari, & ſpiritus vitrioli, prævia ebulitionis agitatione in tartarum vitriolatum coagulantur, ſic ſanguis præter naturam effervefcens ad meliorem redigi poteſt unionem duce motu, quo craſſa attenuantur, & ſubtiliora apprehendunt corpora, & fixa volatilizantur volatilium mixtione, & volatilia fixantur fixorum adjunctione, inutilibus, & renitentibus partibus præcipitatis, ſi craſſæ extiterint, vel in auras reſolutis, ſi tenues, nec alio modo poteſt fieri mixto eorum, quæ ſunt diverſæ naturæ, homogeneis enim ſimul unitis nunquam ſuccedet perfecta mixtio, ſicuti mixtum non coaleſcet ſi minima ignis ſimul accedant, remanentibus cæteris elementis ſine illius ſocietate, ſed omnia miſcibilia ad minima debent uniri, itaut minimum unius miſcibilis accedat minimo alterius, tali modo ut unita non ſint inter ſe diſtinguibilia, nec alia ratione poteſt obtineri hæc mixtio, quàm motu, tam diu continuato, quamdiu iſta miſcibilium unio ſuccedat ad normam naturæ dirigentis.

VII. Cum autem excitati Alcali, & Acidi ſanguinis præternaturalem effervefcentiam ſupponat, laxitatem unionis in partibus ſanguinis, unà cum earundem diſgregatione, ſuo motu libertatem molientibus, majorem ſemper laxitatem, & ſegregationem introducunt, ad quam tollendam eſt neceſſaria introductio majoris unionis in maſſa ſanguinea, quod operatur effervefcentia mediocris, etiam præternaturalis, dum partes ab iſta commotæ, & excitatæ alias particulas diſgregatas apprehendunt, ad unionem cum cæteris cogendo, & ſic partes diſgregatæ dum libertatem motu quærunt, compedes ſibi fabricant, & ut dixi in hujuſmodi agitatione, inutiliores partes perfectioni ſanguinis adverſæ omninò ſegregantur, eo pacto quo lolium, & avena ventilabri motu à tritico ſeparantur, unde ſanguis reparata partium unione, nobiliorem acquirit puritatem, & inteſtino bello pacem ſibi parat, cum felici perfectione, per talem unionem prohibita extractione copioſi Acidi, & AlKali, præternaturalis effervefcentia ſanguinis ceſſat, & in hac principiorum ſanguinis unione conſiſtit concoctio, quæ Febres ſolvit, & ſanitatem reſtituit, prout ſancivit Hippocrates lib. de veteri medicina, ſcribendo, *concoquitur verò, ubi mutua fit permixtio*, & cum aliis unio, & ſi præcipit Hippocrates primo aph. 22. concocta medicari, ubi inuit purgationem humorum concoctione paratorum ad expulſionem, id non præcipit pro formali concoctionis, quod in mixtione, & unione perfecta conſiſtit, ſed pro conſequenti, nempe pro excrementis quæ in qualibet concoctione, hoc eſt partium ſanguinis unione ſeparantur, & niſi ſecuta iſtorum expulſione, periculum eſt, ne denuo cruori miſceantur, ad excitandas novas in ſanguine tempeſtates. Et per iſtam ſegregationem excrementa dicuntur concocta, quia apta ad purgationem, nullo mixtionis vinculo cum aliis colligata, ut expulſio, vel attractio per purgantia prohibeatur, ideoque ſtatim purganda veniunt. Tanta eſt utilitas à morboſa, ſed mediocri effervefcentia ſuppeditata, cujus indicium habemus ab eis, qui convaleſcunt à Febribus vehementibus, & magnis vel mediocribus ſine ullo medicinæ auxilio, in quibus unio partium diſgregatarum ſanguinis, & excrementorum ſegregatio non poteſt haberi, niſi ab iſta effervefcentia ad mediocritatem redacta, cum ex dictis immoderata, & lenta ad hoc ſit inſufficiens.

VIII. Ab his differentiis effervefcentiæ, ab occurſu Acidi, & AlKali ſanguinis accenſæ, regulam deſumit effervefcentia ſanguinis in ventriculis cordis à pulſu connotata: nam ſanguis immoderatè effervefcens à rarefactione in corde accepta magis attenuatus cum ſegregatione majoris quantitatis Acidi, & AlKali violentius effervefcit, & in arteriam expulſus cum impetu, & indigentia magni ſpatii ob raritatem, arteriam ſummè elevat, & dilatat cum magno conatu, unde pulſus magnus & vehemens, in lenta effervefcentia, cùm ſanguis ſit incapax magnæ rarefactionis, parum dilatatur in corde, & parva copia Alcali, & Acidi ſegregata parum etiam in effervefcentia augmenti ſuſcipit, hinc minori indigens ſpatio ad hoc ut in arteriam recipiatur, & à patria effervefcentia minus virtutis, & impetus acquirens, arteriam parum, & ſine impetu dilatat, unde pulſus parvus, & debilis, mediocris, inter utramque medium locum habet pulſum medium inter vehementem, e magnum parvum, & debilem cauſando ob effervefcentiam mediam inter immoderatam, & lentam, & excitationem Acidi, & AlKali mediam pariter inter magnam, & parvam.

CAP. III.

De modo curandi Febres continuas cum immoderata Effervefcentia.

I. SI Febris erit cum pulſu magno frequenti, & æſtu intenſo, cum urina rubea, bilem Alcalicam turbas ardentis Febris proprias in ſanguine promovere oſtentant, tam ratione ſuæ volatilitatis, & igneitatis, quàm acrimoniæ AlKalicæ, conditiones nomine putredinis ab antiquis expreſſæ, quibus ſanguineam maſſam attenuat agitat, magiſq; raram reddit, ut citiùs, & vehementiùs ebuliat, aditum reſerando copioſæ quantitati AlKali, & Acidi, & magis diſponendo ad immoderatam effervefcentiam accipiendam in corde, à qua cum ſegregentur partes calidæ, in abundantia calor intenſus, & inquietudo toti communicatur, & ſanguis ſummam rarefactionem, & impetum ſuſcipiendo, in exitu à corde arteriam ſummè dilatat, cum impetu, & pulſum magnum vehementem, & frequentem efficit. Nec obſtat ratione igneitatis bilem aciditatem acquirere, & conſequenter aptitudinem ad coagulandum magis quàm diſſolvendum, quia bilis igneitas non eſt modificata, & eſt ſali lixivioſo conjuncta, ideoque diſſolutioni magis accommodata, juxta dicta ſuperius de AlKali, & Acidi proprietatibus *cap.* 1. *num.* 18. ſic bilis in copia abundans cum acido ſanguinis effervefcens in copia coagulatur, & præcipitatur, poſtea cum ſero per urinam expellitur, croceum colorem illi communicando. Hæc bilis quantitas aggregata fuit in corpore per alimenta generationi hujus opportuna, quæ ſunt calida, ut aromata, & vinum generoſum, anni tempeſtas æſtiva, congregatur etiam in ſanguine ob vitium inſtrumentorum in hepate reſidentium, per quod non ſecernitur nec ſeparatur, juxta officium à natura ejus conſignatum, unde cogitur in maſſa ſanguinea domicilium contrahere, cum maximo iſtius detrimento. Aliquando ſegregata, & in veſicula congregata volatilitatem acquirit, & egreſſa per proprium ductum in inteſtina, per lacteas, & ductum thoracicum de novo ſanguini confunditur, ſupradictas turbationes efficiendo.

II. Pro cujus curatione, cùm effervefcentia in hujuſmodi Febre ſit immoderata cruoris diſſolutionem tentando, quis non videt effervefcentiam moderandam eſſe? Hinc venæ ſectio proficua inter cætera remedia evadit, quia aperta vena AlKalicus ſpiritus, ſolutus à conſortio reliquarum partium exit, quietem majorem toti cruori relinquendo, deficiente dicto ſpiritu in violentia ob quantitatem diminutam. Pari pacto vina plus juſto ebullientia ſedantur aperto dolii orificio, vel extracta vini portione, quod ſi à ſanguine miſſo immoderata adhuc perſeveret effervefcentia, à dicta pulſus magnitudine, & vehementia demonſtrata, reiteranda eſt ſine metu in virium conſtantia, etiam pluries, donec decreſcentem ex minorato pulſu ſanguinis motum deprehendamus. Exceſſus verò in hujuſmodi evacuatione vitandus, tam ratione virium in hac periclitantium, quàm ratione concoctionis, qua ſanguis præter naturam effervefcens indiget, ob conceptam partium diſgregationem, & ſolutionem, cum mixtionis vitio, quæ in priſtinum redigi non poſſunt niſi coctione, in mutua, & ordinata partium unione conſiſtente, & ad quem pervenire non licet, niſi particularum motu à ſpiritu proveniente, quapropter ſi hic deficiat, talis motus ceſſat, & partes quæ ſub illo in perfecta mixtione continebantur amiſſo mo-

derato-

deratore ad priſtinam libertatem revertuntur, cum totali ſolutione mixti ſanguinei, & ſolutæ non habentes quem ſequantur ad unionem recuperandam, efferatiores factæ in totum deſæviunt. Et ſi non deficiat ſpiritus, debilis tamen à ſanguine miſſo remaneat, tarda ſequitur concoctio, cùm tardus ſit motus ſanguinis eam promovens. His adjungitur, quòd à ſanguinis effuſione Febrilia pullulant incrementa, cùm videamus in praxi poſt immoderatam hæmorragiam, vel menſium profluvium Febrem accendi, non aliam ob rationem, niſi quia omnes partes ſanguinis à ſpiritu in unione, & mixtione continentur, hinc iſto profuſo & proſtrato, partes ſine imperante ſolvuntur & ſegregantur; in cujus executione motus excitatur naturali frequentior, & Febris accenditur. Pari modo diſcurrendum eſt in nimia ſanguinis evacuatione facta per artem. Niſi magis placeret aſſerere per miſſionem ſanguinis reliquum in venis remanentem magis attenuari, & perdurante actione cauſæ Febrilis, & ſanguinem ad majorem effervescentiam evehi, ob diſpoſitionem ad citatiorem motum à majori raritate conciliata. Quo in loco ſunt etiam conſideranda circa hanc materiam, quæ habet *Uvilisius* cap. 9. de Febribus, cautè ergo procedendum in copioſa ſanguinis miſſione, dum majora damna excitare poſſumus, & integræ corruptionis maſſæ ſanguineæ, & retardatæ concoctionis, hoc verò non tantum nos terrere debet, quàm periculum corruptionis, quia ſi neceſſitas urget, copioſè evacuandum eſt, cùm ſit melius morbi finem prolongari, quàm mori. Regula ad evitanda iſta pericula nobis erit pulſus, tantum enim ſanguinis detrahere poſſumus ſine periculo, quantum ſufficit ad reducendum pulſum ad mediocritatem frequentiæ, magnitudinis, & vehementiæ, tunc enim ſignum eſt effervescentiam ab immoderata ad mediocrem tranſiiſſe, per quam concoctio poteſt perfici, ideòque tunc à nova ſanguinis miſſione ſuperſedendum, & cavendum ſemper, ne in ſanguinis miſſione pulſum ad parvitatem deducamus, quia tunc memorata iminent pericula. Si verò vires ſint debiles, & effervescentia magna, parum ſanguinis eſt mittendum, quia in parva etiam miſſione alcalici ſpiritus copioſi effluunt, ut inſignis effervescentia remitti valeat; & quandoque ex ſanguine miſſo talis ſanguineæ maſſæ motus conciliatur, aptus ad unionem partium, & concoctionem præſtandam, & à levi evacuatione fermenta illa Alcalica, ſanguinem commoventia, extra evolare poſſunt, cùm ſint volatilia, & pateat via in ſecta vena, cum Febris diminutione.

III. Tempus huic remedio opportunum, eſt principium morbi, & ſi reiterandum ſit, non eſt multum differendum præcipuè in eis qui debilem ſortiti ſunt ſanguinis conſtitutionem, cum violenta unius diei effervescentia hujuſmodi ſanguinem ad violentam diſſolutionem cogere valeat, in quo caſu plus damni, quàm utilitatis allatura eſt poſteà ſanguinis miſſio: debilem habent ſanguinis conſtitutionem, qui raram corporis texturam ſortiti ſunt, & in operationibus cito debilantur, nec magnam ad eas promptitudinem habent, & cum timore actiones ſuas agrediuntur, & proſequuntur.

IV. Effervescentia immoderata in ſtatu Febris exurgens evacuationem ſanguinis prohibet, ſi ſigna concoctionis appareant in urinis, demonſtrantia talem motum pendere à conatu naturæ molientis evacuationem partium inutilium, & fermenti extranei, ſine quo unionem partium obtinere non poteſt, unde tunc evacuato ſanguine motus naturæ criticus impediretur, excrementa & fermenta de novo miſcerentur ſanguini cum maximo ægrotantis periculo, interrupto per talem evacuationem motu, ad humoris ſegregationem apto, ſi verò concoctionis ſigna non appareant, credendum potiùs excitatam effervescentiam à fermenti augmento, vel à majori ſanguinis raritate extremæ diſſolutionis nuntia provenire, quàm à motu ſpirituum critico: idcircò in tali caſu ſanguinem mittendum judico, cùm ſit eadem indicatio effervescentiam ſedandi, & ſanguinis diſſolutionem impediendi. Ex quo colligitur, ſi in Febre benigna ad augmentum, vel ſtatum properante, ſuperveniat prædicta effervescentia, continentis, vel ardentis Febris æmula, venæ ſectione utendum eſſe, ac ſi tunc inciperet Febris, quia tunc ſit tranſitus de Febri unius naturæ ad aliam alterius naturæ, quæ eodem modo curanda eſt ac ſi tunc inciperet, ſine alia Febre antecedente, & ſicuti tunc venæ ſectionem indicaret, etiam & nunc, cum ſit in principio reſpectu ſui, quamvis adſit augmentum reſpectu alterius. Menſuranda tamen eſt hæc evacuatio cum præcedentibus factis cum virium robore; & ægrotantis natura.

V. Aliquando in ſtato Febrium effervescentia immoderata minuitur, quod ex pulſu minus turgido, & minus vehementi cognoſcitur, & ſi tunc nulla ſuccedat evacuatio, & poſt aliquos dies Febris augeatur, & ad priſtinam revertatur vehementiam, vel alia ſuperveniant timenda ſymptomata, dubitandum eſt materiam ſegregatam fuiſſe à natura, quando pulſus à priſtina remiſit vehementia, & magnitudine, eamque in expulſione detentam fuiſſe in aliqua parte, ibique fixatam inflammationis initia præparaſſe, quod ex Febris vehementia renovata, & ex ſupervenientibus aliis ſymptomatibus colligere poſſumus, idcircò in tali caſu ſanguinis miſſio reiteranda eſt in incipientis inflammationis remedium derivativum. Et ex hoc deducitur ratio, quare multi in vigore morbi melius ſe habere incipiant, & tranſactis duobus, vel tribus diebus in pejus decidunt, & ad interitum præcipitant.

VI. Locus ſectionis venæ ſint vaſa magna cum ab his ſpiritus in majori copia evacuentur. Non rejicio ſectionem ſalvatelæ, quæ ſanguinem immediatè ab arteriis ſuſcipiendo, extractionem ſpiritus Alcalici in copia poteſt coadjuvare, quamvis communiter, ſed falsò paucos ſpiritus exhauriri in ſectione talis venæ credatur. Attendenda eſt etiam anni temporis conditio; in vere largiorem ſanguinis miſſionem permittere poſſumus, ſanguine ſpiritu pleno, & in equitate abundante; autumno verò depopulato ſpiritu in cruore, à præcedenti calore æſtatis illum inertem relinquit, unde etiam minorem exigit evacuationem; æſtas etiam ob copioſam tranſpirationem, & magnam ſanguinis raritatem, copioſam evacuationem prohibet, ſicut puerilis, & ſenilis ætas ob virium debilitatem.

VII. Neque in hoc audiendus Helmontius miſſionem ſanguinis in qualibet Febre damnans, niſi à ſuorum arcanorum poſſeſſoribus, unica exhibitione Febrem cujuſcumque generis, & hecticam in uno menſis ſpatio ſedantium effervescentiam extinguendo, & humores in perfecta mixtione congregando, extraneis fermentis diſſipatis, vel præcipitatis. Qui verò ad hæc non pervenerunt Helmontii verbis, & jurgiis ſe non permittant ſeduci à miſſione ſanguinis, quæ arcanorum defectu extranei fermenti particulas cum ſanguine educit, ſpiritum impetum facientem evacuando, effervescentiam, vel extinguit, vel moderat, humore ſuper alios ſuperbiente educto unionem, & pacem cum aliis perficit. Et ſpreta ſectione venæ in arcanorum defficientia, à nimia ſanguinis ebullitione plenitudinem venarum conſtituente, vel illius circulatio impeditur, cum caloris innati, & cordis ſuffocatione, vel inflammationes partium oriuntur, dum eructatus ab arteriis ſanguis in partes à venis non exſugitur ob loci defectum, & extra eas collectus fixatus & putreſcens inflammationem facit. Hinc injuſtè nimis contra medicos ſuis arcanis deficientes inſurgit Helmontius, quia mittunt ſanguinem, & ei magis convenire videtur, cum contra charitatis præceptum, modum ea componendi reticuerit, ſola forſan ſuperbiæ elatione, ut inter alios gloria, & virtute ſupereminεat, injuſtè inquam redarguit, cùm omnibus etiam ſtudioſis non datum ſit iræ Corinthum, & quia naturam imitantur multas Febres ſpontaneo ſanguinis flux curantem.

VIII. Purgantia medicamenta in principio Febris ab immoderata effervescentia pendentis, nullo modo ſunt propria imò particulis quibus pollent fermentativis, ad majorem gradum illam evehere valent. Lenientia ex ſui natura non ſunt omittenda, ad expiationem primarum viarum, ne excrementa ibi collecta, vel à prava victus ratione, vel ab indiſpoſitione alicujus partis in venas rapiantur, majores tumultus excitatura: dixi ex ſui natura, ut excluderem medicamenta verè purgantia, in minori doſi propinata, in qua à multis pro lenientibus uſurpantur, quia eorum virtus ſemper eſt valdè fermentativa, & valdè penetrativa in remotiores, & longinquiores corporis partes ſe extendit, licèt in minori

quantitate non ſit adeo activa, attamen venas majores, & arterias ingrediens, ob ſanguinis diſpoſitionem ad majorem efferveſcentiam, ſtimulos addunt, quibus ad diſſolutionem præcipitatur. Lenientia debent ergo eſſe ex ſui natura talia dicta de alimenti qualitate participantia, ut ſunt manna, caſſia, & infuſio roſarum, & cremor tartari, iſta enim irritando partes ductus cholidochi, veſiculam fellis eis correſpondentem determinant ad expulſionem bilis contentæ, qua expulſa non eſt timendus ejus raptus ad arterias, & venas per viam lactearum ſupra demonſtratam. Eadem medicamenta ſunt in uſum reducenda etiam in ſtatu morbi, ſi appareant ſigna concoctionis, ejuſque integram abſolutionem in longum differendam eſſe prævideamus, ut portio materiæ excrementitiæ per efferveſcentiam ſanguinis ſegregatæ expurgetur, & ingreſſus de novo in venas impediatur ſi extra eas depoſitata fuerit, vel ab eis trahatur ſi ſuo ſinu adhuc foveţur, ne à motu maſſæ ſanguineæ exaltata, fermenti naturam induens ferociores in ea excitet turbulentias & ſi minus activa pro hoc habeantur lenientia iſtorum doſis augenda, vel mitiora purgantia adjungenda, ut Rheubarbarum. Et quia contingit aliquando circa vigoris medium Febrem augeri, non tam à naturæ ſeu ſpirituum motu, quam à particulis pravis humorum in quantitate ſegregatis, quæ ob languorem ſpirituum, vel craſſitiem ſanguinis, ex toto ſeparari non poſſunt, & ſua mora magis ſanguinem fermentant, idcircò electivè purgantia non diſconveniunt, quæ impetum faciendo in maſſa ſanguinea integram ſeparationem eorum exequuntur, unà cum evacuatione. Hujus rei ſtatum cognoſcemus ex ſignis concoctionis in urinis per ſedimenta craſſa; & magis id arguere licebit ex eo, quòd medicamenta diaphoretica, & diuretica exhibita, nec ſudorem, nec urinam excitaverint, ob materiæ craſſitiem ineptos humores ad tales vias ſubeundas reddentes, & ex hoc ſigno audaces facti medicamentum purgans, exhibebimus felicem expectantes exitura à ratione. Verum quidem eſt quod prius debemus eſſe certi de impedita diaphoreſi, & diureſi.

IX. In declinatione morbi, vel eo extincto, eradicativa purgatio celebretur medicamento purgante electivè, & præcipuè ſi nullam antecedentem natura, vel ars molita fuerit evacuationem per ſudorem, vel urinam, vel ſeceſſum, quia ſi aliqua ex his contigerit, vel intermittenda purgatio, vel debiliori medicamento humorum reliquiis ſatisfaciendum. Hujus purgantis medicamenti neceſſitatem colligo primo à modo operandi naturæ, ſolutionem multarum febrium per diarrhœam cum felici ſucceſſu molientii; ſecundo ex efferveſcentiæ, vel fermentationis natura, in qua partes fæculentæ tam ſubtiles, quàm terreſtres ab efferveſcente mixto ſeparantur, ut patet in vino, & aliis liquoribus fermentantibus, unde niſi extrudantur, timenda ſunt damna novæ recrudeſcentiæ; tertio à Febrili incendio à quo particulæ ſanguinis in copia aduruntur, cùm à naturali accenſione ſanguinis multæ cumulentur, ut docent Recentiores de bile, quapropter iſta relicta, intermiſſa purgatione, expectanda ſunt mala quæ bilis calor, ejus fermentativa virtus, & acrimonia, ex omnium conſenſu parere ſolent; quarto ex acidi, & alcali pugna, à qua præter naturalem efferveſcentiam oriri demonſtravimus, horum enim natura eſt, ut pro unione pugnent, qua obtenta coagulantur, & in coagulatione portio inutilis à reliquis præcipitatione ſeparatur, maximè cùm alcali, & acidum ſint morboſa, quanta autem hujus coagulatæ, & præcipitatæ materiæ copia aderit in efferveſcentia immoderata plurium dierum, & aliquando multarum hebdomadarum? nec aliter ſano judicio decernere poſſimus, quam hanc materiam purgantium ope extra corpus educere; nam eam intactam reſervare periculoſum eſſe nos admonent vini fæces, & tartarum, quæ ob prædictam rationem in fundum dolii præcipitata aliquando exaltantur, vinum turbando, & nova efferveſcentia agitando, qua in acetum vel vappam degenerat, ita evenire poſſe ſanguini à materia illa in corpore relicta credendum eſt.

X. Et ſi aliquando experientia manifeſtavit à purgantibus medicamentis Febres extinctas revixiſſe, non debet hoc legem univerſalem firmare, omnem purgationem in fine Febrium interdicentem, quia potuit ab alia cauſa nobis ignota nova Febris accendi. Vel ſanguinis debilitas, & ad efferveſcentiam facilitas illi dedit occaſionem, vel materia attracta, vel expulſa detenta fuit in via ab obſtructionibus, unde ibi firmata, & in fermenti naturam exaltata, maſſæque ſanguineæ communicata efferveſcentiam Febrilem novam excitavit, vel in inflammationem eripuit putredine, & fervore concepto, ab interdicta circulatione, vel tranſitu ad vias purgationis, ad quas vocabatur à medicamento purgante. Quæ omnia limitant, non interdicunt purgationem. In nimia enim ſanguinis laxitate, & raritate, & debilitate, valida non ſunt exhibenda medicamenta, vel in virtute, vel in quantitate, quia à facultate fermentativa purgantis perturbatur valdè ſanguis ob ſui laxitatem: in hoc motu explicantur unà cum acidis particulis Alcalicæ novum ſubeunt es certamen excitando novam efferveſcentiam, idcircò ubi hujus ſanguineæ indiſpoſitionis indicia habemus, à magnitudine morbi prægreſſa, à pulſu languore, & facultatum debilitate, parcendum eſt medicamento valido, & mediocri, atque lenitivo contenti eſſe debemus, & pluribus vicibus tentanda eſt reliquæ Febrilis evacuatio. Sicubi adſunt inſignes obſtructiones in partibus, Febris antecedentis producta, cautè agendum in purgatione ob allatam ſuperius rationem, & paulatim leni medicamento ſed ſæpè reiterato purgandum, obſtructionibuſque providendum incidentibus, & de obſtruentibus alio loco dicendis. Si verò nullum ex his intervenerit, nulla eſt ratio purgationem intermittendi. Peracta purgatione optimi ſunt uſus medicamenti ſanguini quietem conciliantia, & motum à medicamento impreſſum ſedantia, hujuſmodi ſunt aqua pauperis erratici, nenupharis, plantaginis cum ſyrupo dictarum herbarum, nepenthes, & diaſcordio.

XI. Omnem purgationem moderare debemus juxta exigentiam temporis, anni, ætatis, & virium roboris.

XII. Vomitum quandoque in magna efferveſcentia promovere licet, ſi natura in acceſſionis Febrilis initio inclinationem ad illum demonſtraverit, cùm medici officium ſit naturam evacuationem per loca conferentia molientem imitari, & hæc evacuatio expiationi primam viarum correſpondebit, ad abſolvendam indicationem propoſitam ſuperiùs de medicamento leniente. Imò per aliquos videtur neceſſaria talis evacuatio per vomitum, ſi natura ad eam propenderit, cùm obſervatum ſit ſpreta hac naturæ inclinatione diahoreas difficile ſuperabiles ſuperveniſſe.

XIII. Clyſteres ad moderandam efferveſcentiam ſunt idonei, dum in eorum reſtitutione tranſpirat calor, & ſpiritus fervens exhalat, cum refrigerio maſſæ ſanguineæ, prout animadvertit ſydenham in ſuo methodo curandi Febres, ubi animadvertit etiam in vigore morbi, in quo adeſt ultimus coctionis conatus, frequenter non eſſe uſurpandos, ne continua refrigeratione retardentur, ubi in aliis temporibus quotidie reiterari poſſunt.

XIV. Medicamenta alterantia alia reſpiciunt efferveſcentiam immoderatam, alia cauſam hujus, quam bilem eſſe diximus, hæc ex antiquiorum etiam placito acidis medicamentis corrigenda, ut ſuccus citri, granatorum, ribes; acetum ſtillatum, ſpiritus ſalis, vitrioli, nitri, oleum ſulphuris, & præcipuè ſi dulcificati fuerint, cùm bilis flava per acida in atram degeneret, quæ aciditatem habere in ſe experientia probat, *Sylvius Leboe* in ſua methodo medendi vomitu bilis atræ, acidum redolentis, & terram in quam incidit fermentantis, & ratio perſuadet, cum ratione ſalis lixivi, bilis ſit acris, & acida acrimoniam habeat talem ut præexiſtentem acrimoniam augere poſſit. Sic condimenta acria pro cibis ab aceto majorem vigorem concipiunt, quapropter acida nimis bile peccante, quamvis coagulativa, non ſunt adeò opportuna, ideò dulcificanda, quod fit ſpiritu vini, in æquali portione cum dictis ſpiritibus commixtio, & ter ſuper eos cohobato in retorta vitrea benè clauſa. Nec acida damnanda, quia ignea, ideoque bilis igneitatem, & acrimoniam augere valentia potiùs quàm frænare, cùm ignis in acido ſit modificatus, & coagulativus igneitatis bilis non modificatæ, qua coagulata agendi, & calefaciendi potentiam amittit, & hoc modo acida dicuntur refrigerare, non poſitivè, ſed privativè, igneorum corpuſculorum ef-

freni

freni motu coercito, vel modificato, quapropter ceſſante cauſa calefaciente dicitur rifrigeratum corpus. Bolus armena, terra lemnia, coralia, margaritæ bilis potentiam frangunt, & volatilitatem figunt auſteritate blanda in eis latitate, ut adnotat *Sylvius de le Boe* unde terræ illæ tamquam hermaphroditæ de AlKali, & Acido participant, & hoc alienum acidum mortificant, & auſtero blando alKali ferociam reprimunt, nec timendum eſt ſuo AlKali illud ferocientis bilis acuere, cum igneitate, & acrimonia careant, nec acido auſtero accidi peccantis vim ducere poſſunt, cùm virtus AlKalica prædominans acido occurrens imbibendo enervet. Inter omnia verò medicamenta bilem volatilem figentia, & ejus acrimoniam temperantia, ſunt ſulphura mineralium, ut ſulphur vitrioli, quod ſic paratur Rec. colcotar vitrioli lib. ij. ſalis armoniaci ſubtiliter pulverizati lib. j. ſublimentur ſ. a. Flores ſublimatos miſce cum capite mortuo remanente in fundo vaſis, & iterum ſublima, & tertiam ſublimationem repete, & habebis Flores armoniaci aurea tinctura coloratos, quam extrahes ſpiritu vini, quo per deſtillationem abſtracto ſulphur vitrioli in fundo remanebit, de hoc grana octo ſufficiunt pro una doſi, ſulphur antimonii fixum, & ab omni parte arſenicali purgatum, & præparatum modo quo docet Techenius ad eamdem quantitatem. Acrimonias bilis emendatur etiam oleoſis, ut ſunt emulſiones ſeminum melonum, & opium, quod oleoſum & pingue eſt, ideoque ſpiritus animales ſua pinguedine vincendo ſomnum conciliat cremor hordei, & ſimilia, quæ medicamenta aquis eadem facultate pollentibus ſunt miſcenda, ut ſunt ſemper vinum, plantago, portulaca, & acetoſa, & tinctura roſar. vel miſcenda pro bolo cum diaſcordio, & confectione ex hyacintho ſine odore, hæc enim medicamenta ratione terrarum, & lapidum, auſterum blandum ocultantium bilem frangunt.

XV. Alterantia effervescentiæ violentiam opprimentia, ſunt refrigerantia communiter ad calorem mitigandum præſcripta, effervescentia accenſum. Vini enim renovatam, & validam effervescentiam lacte ſedamus, & liquorum ebullitionem prohibemus ſi frigido loco reponimus. Quapropter aquæ cichorii, refrigerantes, Acetoſæ, endiviæ, boraginis, violar. nenupharis, & earum ſucci conveniunt, ſerum caprinum deſtillatum, vel depuratum, & aqua noceræ. In horum uſu cautè procedendum, maximè circa quantitatem, quæ in principio, & augmento univerſali largè poteſt concedi, ſi ſudoris, vel urinæ major quantitas correſpondeat, alioquin ſuſpectam habere debemus ſumam quantitatem aquæ, ex eo, quod à remanente in venis aqua maximè diluitur maſſa ſanguinea, ejuſque compages à maxima effervescentia laxata magis depravatur, ideoque effervescentia non moderata diſſolutioni proximè ſubjicitur, & hoc obſervare licet in vinis, & cæteris liquoribus aquæ multitudine dilutis, quæ à calore aeris facilè corrumpuntur, & impotentiam ad reſiſtendum cauſis alterantibus à nimia humiditate acquirunt, & quia non eſt permittendum, ſanguinem à nimia effervescentia torreri, & ſitis intenſa, utpotè ſymptoma, ventriculi tonum divolvens, curationem exigit, puto his ſatisfieri poſſe partita ſumma quantitate in plures vices cùm minor portio aquæ una vice ſumpta ſanguinem diluere non valeat, & ſecundo, neq;dum in tempore intermedio major pars præcedentis conſumpta eſt à calore Febrili, vel urinæ vias jam eſt ingreſſa, & ita ſiti, calori, effervescentiæ occurrimus ſine periculo læſionis maſſæ ſanguineæ. In vigore verò minoranda refrigerātia ne concotioni humorum, mixtioni, & excrementorum ſegregationi officiant, & hoc in principio, augmento, & ſtatu hujus temporis univerſalis, declinatione verò imminente largiori potu indulgere licitum eſt, quia ſanguis dilutus excrementorum ſegregatorum ſolutionem integram faciliorem reddit, & calor unà cum effervescentia diminutus diſſolutionem ſanguinis non minatur, & quod dictum eſt de tempore univerſali Febrium, obſervandum in quolibet tempore particulari.

XVI. Quod ſi à violentiori effervescentia ſeparationem ſanguinis in ſua principia timemus, refrigerantibus adſtringentia, & motum ſanguinis reprimentia miſcenda, ut principiorum unionem conſervemus, inter quæ numerantur Burſa paſtoris, Equiferum, plantago ſpir. aluminis, vitr. tinct. corall. & terracea ſupradicta, & inter compoſita Diaſcordium Nepenthes, & Philonium unà cum ſulphuræ mineralium ſupradictis, quæ omnem pag in his Febribus adimplent; ex quibus parari poſſunt remedia omnibus indicationibus ſatisfacientia ut.

Rec. aq. acetoſæ, endiviæ, an. lib. ſs. ſpir. vitr. dulc. gut. x. ſucci acetoſæ on. ſs. m. pro ſyr. à dulcibus enim abſtinendum, quia fermentationem inducunt, vel Rec. Aquæ boreginis viol. portulacæ, an. on. iij. ſucci endiviæ on. m. ſpir. ſal. dulc. gutt. xiv. ſpir. nitri gut. vj. m. pro ſyr. vel Rec. Aquæ nenupharis, endiviæ, viol. an. on. iij. ſpir. vitri. gutt. vj. m. præmittendo ſequentem bolum Rec. diaſcordij dr. j. ſulph. virg. gr. viij. vel Rec. confect. ex hyacint. ſine odor. d. j. ſulph. antim. gr. vj. magiſt. coral. ſcim. poſſunt etiam ante præmitti ſequentes pulveres Rec. terræ ſigillatæ margar. præp. coral. præp. an. ſcr. j. m. Rec. margar. præp. ocul. cancri an. dr. m. ſulph. citr. gr. vj. m.

XVII. Electuaria etiam poſſunt confici, ante ſyruptum, & potiones exhibenda ut Rec. conf. ex hyacint. ſ. odor. Diaſcoridi an. dr. j. terræ ſigillatæ coral. præp. margar. præp. an. ſcr. ij. ſulphur. vitr. gr. xx. cum conſerva viol. & ſyr. de ſuc. limonum f. Elect.

XVIII. Hoc, & pulveres ſupraſcripti, ante cibum per horam poſſunt, imò debent exhiberi, ad coercendum bilis furorem in inteſtino duodeno ad meliorem cibi concoctionem, cum illa nimis cum ſucco, pancreatico effervescente, vel iſtius efficaciam enervante, cibus corrumpat, & in excrementorum ſubſtantiam degeneret. Potiones in majore æſtu ſint ſerum caprinum, emulſiones ſeme melonum cum dictis ſpiritibus, pulveribus, & electuariis, intermediis temporibus aqua Noceræ paulatim, ſed ſæpè ſumpta, quæ in magnis effervescentiis videtur optima ratione minerræ terræ lemniæ, quam in ſe habet; lambitiva etiam poſſunt ad uſum revocari, ut Rec. aquæ viol. nenupharis an. on. iij. ſulph. antim. ſcr. ſs. tinct. coral. ſacr. 1. ſpir. vitrioli dulci f. ſcr. ſs. Vini granat. on. j. ſucci ribes. on. ſs. m.

XIX. Cardiaca calida in his Febribus potius veneni, quàm antidoti naturam induunt, calorem ſanguini, & partibus addendo, quo effervescentiæ incrementa conciliantur, ad faciliorem ſolutionem ſanguinem trahendo, materia autem morbifica concreta, & ad ſecretionem urgente, horum uſus non eſt contemnendus prò ſpirituum auxilio, quo coroborata natura majori conatu materiæ evacuationem agreditur. Hac ratione vini uſus moderatus videtur proficuus.

XX. Idem dicendum de Diaphoreticis, quæ, ut ait *Uvilliſius* cap. xi. de Febribus, ſanguinem exagitando ſunt tamquàm ventorum flamina domus incendium accelerantia, ſi conctione non peracta exhibeantur, hac autem terminata, ſi natura ad ſudorem propenſionem demonſtraverit, tutò ſunt adminiſtranda, & horum normam in ſequentibus habebis. Quòd de diureticis etiam tenendum. Quamvis non diſplicet apparentibus optimis ſignis concoctionis præcipitantibus, uti ex antimonio, tartaro, & vitriolo paratis, & ſpiritu hujus, & tinctura piorum, quæ poſſunt addi ſupradictis remediorum formulis, præcipitata enim materia ſanguinis partes optimè uniuntur, & evacuationis tempus anticipatur.

XXI. Victus ratio ſit omnino refrigerans, & tenuis, ideò vitanda ſummo ſtudio ova multum ſpirituum, & bilis ſubminiſtrantia, & pulmentum ex herbis, hordeo, & ſolùm pane ſufficiat, ad quotidianum alimentum, & in pauca etiam quantitate maximè in vigore morbi, quia tunc maximè diſtrahitur natura per cibum à concoctione, & à materiæ peccantis ſegregatione. Ratio hujus diſtractionis petitur ab ipſa ſanguificatione, in qua ultra cæteras præparationes à corde chylo evenientes, à ſanguine multas recipit, & ei debet miſceri, quod cùm non poſſit fieri ſine pororum ejus dilatatione, hac impeditur unio humorum, quæ concoctio perficitur, & dum miſcetur unà cum eo materia excrementitia ſeparationi vicina, intra maſſam revocatur, unde verè diſtrahitur natura ub opere concoctionis per alimenti præparationem.

XXII. Urina crocea, & turbida cum magna effervescentia, & pulſus elevatione, & frequentia, oſtendit ſanguineam maſſam diſſolutionis fatum jam ſubire ratione auctæ acrimoniæ bilis, & inordinatæ effervescentiæ, à qua ſeparatæ partes etiam craſſæ præcipitantur cum ſero, &

poſtea

poſtea à valida efferveſcentia agitatæ turbationem illam in urina efficiunt, eo modo, quo terra cum aqua agitata turbatur, & ſi in agitatione cum reliquis partibus iſtæ particulæ craſſæ uniantur perfectè, urina turbata redditur, & conſervatur, non ſubſidentibus particulis craſſis à perfecta mixtione in unione conſervatis; è contra ſi mixtio non fuerit perfecta, urina turbida emanat, ſed poſteà clareſcit, ſubſidente materia craſſa ſedimenti, quæ poros aqueæ ſeroſitatis implendo, radiis lucis rejectis turbidam, & pacam reddebat urinam, & à ſubſidentia clara remanet, quia ejus poroſitates liberæ radios lucis admittunt. Patet indicationes in hac Febre eſſe eaſdem cum præcedentibus dictis, ſolùm quod in hoc caſſu diſſolutio maſſæ ſanguineæ non imminet, ſicut in præcedenti, ſed jam adeſt, non in tota maſſa, ſed in aliquibus partibus, cùm inordinatà efferveſcentia, cum pulſu elevato initia ſolum diſſolutionis indicet factæ ſecundus verò pulſus parvus, utpotè ſupponens ſpiritus, & caloris interitum in ſanguine unà cum fluore rarefactionem impediente, à quibus arteriæ elevatio magna arcetur, & parva ſolùm permittitur, unde pulſus parvus. Idcircò huic occurrendum, & totis viribus nitendum ad conſervationem integritatis maſſæ ſanguineæ, quod obtinebitur admixtis adſtringentibus remediis, qualia ſunt corallia, margaritæ, & eorum tinctura bolus armena, terra ſigillata, os de corde cervi uſtum ſpodium, cum eis, quæ volatilitatem, & acrimoniam bilis temperant. Optimum etiam eſſe cenſeo præcipitantia hic ad uſum revocari, quibus præcipitata bilis ſanguis emendetur cum præſervatione ſuæ integritatis. Inter præcipitantia, ſunt medicamenta è tartaro, & antimonio confecta, unde tincturæ ex his extractæ ſunt multum pro iſta indicatione efficaces, & idcircò miſcendæ cum ſupradictis remediis, in reliquis ſervanda omnia dicta ſuperius de inordinata efferveſcentia cum urina rubea.

XXIII. Urina aquea cum pulſu elevato, molli, & reſiſtenti, & multum frequenti, ſanguinis craſſitiem denotat, vel à pituita craſſa, ei commixtà, vel à pororum parvitate, & ſubtilitate. Hujus craſſitiei ope magnam ſanguis ſuſtinet rarefactionem, à qua pulſus magnus, & reſiſtens, qua ſpiritus in ſuo motu conſervatur, & Acidum, & AlKali ab eadem in copia ſolutum, cum magna accenſione ſanguinis immoderatam efferveſcentiam ſuſtinet. A ſanguinis craſſitie impeditur ſalinæ, & ſulphureæ partis evacuatio, eò quòd à viſcoſitate ſanguinis in vinculis adhuc detineantur, quamvis coagulatæ, unde urina ſuo colore tingi non poteſt, & hæc particulæ detentæ, motuque ſanguinis de novo ſolutæ, & exaltatæ, AlKali, & Acido materiam præbent, ad continuandam immoderatam efferveſcentiam, ex quo reſultat indicatio ſanguinis craſſitiam attenuandi, ut ſoluto viſciditatis compede cumulata ſeparentur excrementa, quibus repurgatus ſanguis ſuæ reſtituatur indoli naturali. Ad quod obtinendum, præter acida dicta ſuperius, aromatica etiam conveniunt, ut radix ariſtolochiæ, valerianæ, rubiæ, imperatoriæ, angelicæ, gentianæ, apii, fœniculi, ſcordii, folia pulegii, majoranæ, roſmarini, lavendulæ, abſinthii, cardui benedicti, ſcordii, centaureæ, eupatorii, ex quibus aquæ ſtillatitiæ, vel decocta parari poſſunt, item omnia ſalia volatilia, & fixa, acidorum tamen, & aromaticorum uſum magis laudo, quia acida craſſitiem incidunt, & AlKari in magna efferveſcentia excitatum corrigunt, aromatica verò præter virtutem attenuandi acidum peccans emendant, quod ad magnam efferveſcentiam concurrit. Et ſi videatur difficile concipere acida, quæ ſunt ignea, corrigi ab aromaticis calidis, re tamen attentè conſiderata ceſſat difficultas, qua aromatica præter oleoſitatem acidum demulcentem AlKali abundant expreſſo in punctione, & veluti quadam corroſione qua ſenſum guſtus maſticata afficiunt, in hoc genere reponuntur ſalia ex herbis cephalicis parata, nempè ex roſmarino, pulegio, majorana, & ſimilibus, quæ AlKalica eſſe non eſt dubitandum, & de aromate etiam participant, ex quibus remediis ſimul unitis, cum præcedentibus dictis de immoderata efferveſcentia cum urina rubea, poſſunt parari ſequentes formulæ medicamentorum Rec. aquæ acetoſæ, endiviæ, eupatorii an. on. iij. ſalis majoranæ ſcrup. j. ſpiritus vitrioli dulcificati guttas ſex. m. vel Rec. aquæ ſcordii, boraginis, capillorum veneris an. on. iij. ſalis prunellæ drac. j. ſpiritus ſalis dulcificati gutt. v. m. advertendum enim ſal prunellæ, & tartarum vitriolatum eſſe ſalia neutra ex acido, & AlKali participantia, ad corporum diſſolutionem maximè idonea vel Rec. aquæ violarum agrimonii an. unc. iij. & ſem. tartari vitriolati dragm. ſem. tincturæ antimonii ſcrupulum unum. m. Rec. Aquæ Fœniculi, boraginis, agrimoniæ an. dr. ij. tinct. tart. Rec. ſ. ſalis gentianæ ſc. j. de duab. rad. on. j. m. Rec. aquæ capil. ven. pulegii, endiviæ an. on. ij. ſalis tart. vitriol. ſcr. j. ſyr. de cap. ven. on. j. m. huc etiam referenda ſunt omnia medicamenta ab antiquis incidentia denominata, cum refrigerantibus, & acidis mixta. Volatilia ſalia ſolvunt quidem partes craſſas, ſed agitatione magna efferveſcentiam augent, quæ in hoc caſu ſedationem poſtulat, ideò prætermittenda. In reliquis obſervanda ſunt omnia dicta ſuperius de purgatione, ſanguinis miſſione, & diæta, aquæ potus etiam in magna quantitate non eſt interdicendus, cùm obſervemus omnia craſſa ab aqueis dilui, & fluidiora evadere.

CAP. IV.

De modo curandi Febres cum lenta Efferveſcentia præternaturali.

I. SI urina aquæ ſimilis exierit, nullo, vel parvo tinctæ colore, ſalinarum partium impeditam evacuationem oſtendit, cum ab illis colorem, & conſiſtentiam mediocrem mutuetur, & pulſus cum ea parvus, depreſſus, & celer extiterit, cum efferveſcentia debili præternaturali, acida coagulatione denſam reddi ſanguinis maſſam præſagit, quia pulſus elevatio impeditur, impedita à coagulatione AlKali, & Acidi ſanguinis ſegregatione in ea quantitate, in qua ſufficit pro immoderata, vel mediocri efferveſcentia, & cum hoc ejuſdem rarefactione, per coagulationem denſitate conciliata, ſeparationem ſalinæ ſubſtantiæ non permittentem, imò eam magis figentem; acida enim ſalia fluere non ſinunt, ut patet in ſale, quod facilè deliquium patitur, & ſi cum ſulphure calcinatum, vel reverberatum fuerit, non ampliùs liqueſcit in humido aeris, ab Acido ſulphuris ita fixato, ut aeris ingreſſum non admittat, & acida ſanguinem coagulare evincitur ex hoc, quòd acetum, vel aqua cum ſpiritu vitrioli, vel ſulphuris infuſa in venam ſectam animalium ſanguinem in ſuis vaſibus coagulant, etſi ad cor pervenerit virtus liquoris infuſi, coagulato in hujus ventriculis ſanguine, deficit animal. Subjectum aciditatis ſanguinem coagulantis poteſt eſſe, tàm acidum naturale ſuperabundans, quàm pituita acida, vel melancholia, ſeu ſuccus Pancreaticus, excedentia in aciditate, ab errore externo, & præcipuè à calore, cujus proprium eſt aciditatem ſalinam conciliare, ut patet in vino à calore in acetum mutato, ob exaltationem ſalis Acidi in ejus tartaro latentis. Cognoſcitur autem peccatum primi, ex eo, quod efferveſcentia incipit primò magna, poſteà evadit tarda, coagulato in efferveſcentia AlKali ad Acido in magna copia per efferveſcentiam excitato, & unà cum iſtis tota maſſa ſanguinea: ceteri ſecundo humores coagulationem efficientes cognoſcuntur ex eo, quòd in initio efferveſcentia eſt tarda, & hoc exprimunt antiqui aſſerendo has Febres lentas, & tardi motus, ab humoribus maſſam ſanguineam incraſſantibus provenire, à quacumque cauſa efficiatur hujumodi efferveſcentia tarda, ſanguis ſolvendus tam AlKalicis fixis, quibus talem ineſſe virtutem ex eorum nativa facultate diſſolvendi colligitur, & experientia qua ſanguis è vena emiſſus ſolutione tartari ſalis fluidus conſervatur, quamvis ex ſui natura coagulationem in tali ſtatu expediri ſit ſolitus. Sunt autem ſalia AlKalica ſal tartari fixum, centauriæ, cardui benedicti, abſinthii, gentianæ, & ſimilium ex incineratione mixtorum paratorum, nec in horum electione errare poſſumus, cùm ſit proprium cujuſque ſalis fixi ſolvere ſanguinem. Et hujuſmodi ſalia alia etiam ratione coagulato ſanguini conferunt, dum eo ſoluto acidum ſuperfluum imbibunt, cum quo coagulati fixantur magis, & præcipitantur reſtituta ſanguini naturali dulcedine, & fluxibilitate. Sanguinem etiam ſolvunt ſalia neutra ex Acido, & AlKali juncto parata, ut ſal armonia-

moniacum, quod, ex ſale communi, & urinæ conflatur, ſal tartar. cum ſpiritu vini volatilizatum, cujus præparationem ſic inſtitui poſſe exiſtimo. Fundatur ſal tartari, poſtea coagulatum aeri in loco humido exponatur, donec liqueſcat, facta evaporatione humidi de novo coaguletur, & fundatur in crucibulo, poſtquam fuerit coagulatum iterum aeri committatur, & evaporatione de novo condenſetur, & tantum reiteretur hoc opus, donec nullas fœces terreas poſt ſe relinquat, poſtea exſiccato ſale ſupra illud cohobetur ſpiritus vini, donec exeat uti ſuperaffuſus fuit, & habebis nobiliſſimum ſal tartari neutrum, omnes ſanguinis coagulationes ſolvens. Idem præſtant ſalia volatilia cornu cervi, fuliginis, urinæ, ſuccini, ſanguinis humani, tam quoad attenuationem incraſſati ſanguinis, quàm quoad Acidi deſtructionem, cui ſummè opitulantur, & hæc acidi deſtructio eſt altera indicatio deſumpta à ſanguine coagulato, debilem, vel tardam nimis efferveſcentiam efficiente, cui præter dicta, ſatisfaciunt oculi cancri, ſperma ceti, mumia; os de corde cervi, mandibulæ lucii, margaritæ præparatæ; corallia, & teſtacea omnia præcedenti cap. deſcripta, & ſalia AlKalica à cephalicis extracta ſecundùm regulam Rolfincii expreſſam in ſua chymia ad artis formam reddacta lib. v. ſec. prima Art. primo cap. v. & Citati David lib. cit. fol. 101. Horum remediorum uſus erit cum aquis appropriatis, quales ſunt aqua raphani ſylveſtris, ſcorzoneræ, eupatorii, foliorum geniſtæ, naſturtii aquatici, lumbricorum, corticis fraxini, & aliorum ſimplicium vulgo incidentium appellatorum, inter compoſita ſunt ſyrupus de duabus, & de quinque radicibus, de Stæchade acetoſi, diarrhodon, trochiſci de eupatorio, de abſynthio, rhabarbaro, elixir. proprietatis, aqua theriachalis Mathioli, ex quibus boli, potiones, lumbitiva conci poſſunt, magis, vel minus efficaciæ pro magnitudine morbi. Si efferveſcentia præternaturalis erit valdè tarda, & debilis, ſalia volatilia Alcalica ſunt magis propria, quæ magis penetrant, & ſanguinem cum impetu agitant ſufficienti ad ejus diſſolutionem, & maximè facta imbibitione acidi coagulantis, idcircò Rec. aquæ cardui bend. Fœniculi Pulegii an. on. iij. ſpir. cornu. cervi gutt. viij. ſyr. de quinque rad. on. i. ſs. m. vel Rec. Aquæ ſcordii Abſynthii ſalviæ an. on. iij. ſpir. fulig. gut. vii. Elixit. prop. gutt. v. ſyr. Acet. Diarhod. an. on. i. m. vel Rec. Aquæ ſcorzoneræ Eupatorii, Aſparag. an. on. iij. ſpir. cornu cervi ſalis armoniac. an. gutt. v. Aquæ theriac. Matth. dr. i. tincturæ Antim. ſcr. i. ſyr. de acid. citri on. i. m. ſi minor fuerit coagulatio prædictis aquis adde ſalia fixa, relictis ſpiritibus volatilibus, nempe ſal. centaureæ, vel cephalicorum ad ſcr. i. vel duos, & in utroque caſu præmitte ante potionem Antim. Diaphor. ad gr. xvi. vel cornu cervi Philoſoph. ad. dr. i. & ſalis tart. vol. ſcr. i. Potiones ex decoctis herbarum poſſunt in locum dictarum herbarum ſubſtitui, ut Rec. Dec. Gentianæ. Centaureæ min. ſcordit. angelicæ on. viij. ſyr. de duab. rad. on. i. addendo ſpir. volatiles, & Aromaticos juxta doſin præſcriptam cum tinctura tartari, vel antimonii. ad. dr. ſs. vel ſalia fixa ad. dr. ſs. prout major, vel minor eſt horum indigentia oſtreacea, & margaritæ ante cibum ſemper exhibenda, ob rationem ſuperiori cap. dictam. Redacta efferveſcentia ad mediocritatem, revertente pulſu cum urinis tinctis, ſuperſedendum à ſalibus volatilibus ne eorum efficacia in immoderatam incidamus efferveſcentiam, ſed eam in moderatione dicta manu tenere curandum eſt AlKalicis fixis, & ſi inclinatio naturæ interim appareat ad ſudorem, vel urinam, tentandum hujuſmodi evacuationes medicamentis præſcribendis inferiùs, vel purganda materia modo mox dicendo.

II. Quoad venæ ſectionem, & purgationem, in hac Febre locum habent, & quoad primam, ſi adſit plethora ſanguis eſt mittendus, habita ſemper conſideratione permittentium in ſuperiore capite deſcriptorum, & quantitas ſanguinis plethoræ debet corriſpondere; ſi verò hujus non adſint ſigna, parum de ſanguine detrahendum eſt, ne evacuato in copia ſpiritu, refrigerataque nimis maſſa ſanguinea, craſſiores reddantur humores, tum etiam ne emiſſa parte fluidiori, & tenujori, quæ ad egreſſum majorem habent facilitatem, & cujus beneficio craſſities paulìſper diluebatur, ad majorem gradum hæc excreſcat. Et eò magis cauti eſſe debemus in hujus remedii adminiſtratione ſi craſſitiei vitium ab excrementitiis humoribus univerſalem cacochymiam fundantibus emanaverit, cum hujuſmodi vitium venæ ſectionem non exigat, qua plenitudo ſolùm exinanitur, niſi cacochyma plenitudo adſit, in quo caſu ſentio cum illis, qui venæ ſectionem in tali ſtatu maſſæ ſanguineæ non reformidant, in præſentia ſuorum permittentium, cùm nullum ſit remedium cuilibet plenitudini magis opportunum quam venæ ſectio, nulla verò extante plenitudine ſuſpectum debet eſſe tale remedium, quia peccanti humori improprium, & vanam puto eſſe illam rationem allatam in favorem exercitii hujus remedii, nempè per venæ ſectionem locum majorem aeri parari, cujus officium eſt corpora fixa volatilizare, & ſuis nitroſis partibus majorem in ſanguine accenſionem excitare, tenuitatem, & ſubtilitatem conciliantem, ex eo quòd non continuò eadem quantitas aeris, ſed unica tantùm vice intra venas recipitur, in defectum ſanguinis emiſſi, unde accenſio major non poteſt eſſe permanens, & continua prout exigitur ad volatilizanda corpora, & ad excitandam attenuantem efferveſcentiam.

III. Aliquando à nimia ſanguinis copia calorem ſuffocante, tarda hæc efferveſcentia provenit, & tunc hujus remedium in ſola ſanguiuis miſſione conſiſtit, quæ in magna quantitate eſt exercenda, & etiam reiteranda ſi pulſus non ſublevetur à prima miſſione. Cognoſcemus ſanguinis redondantiam à temperamento ſi ſit plethoricum, à victus ratione antecedenti ad conſtituendam plenitudinem idonea.

IV. Lenientia medicamenta in hac efferveſcentia conveniunt, ad evacuationem humorum craſſorum in primis viis ſtabulantium, ne cum alimentis per lactearum ductus in majores venas rapiantur, & in hoc exequendo præſtant mel roſatum ſolutivum, cremor tartari, pilulæ de agarico vel ejus infuſio, & ſi lympha, vel humor pancreaticus fuerit in vitio, prout à tempore craſſis vel ſeroſis humoribus cummulandis idoneo colligere poſſumus, Hydragoga ut manna, mechoacan, & Jalappa pro lenientibus uſurpentur, & quia materia craſſa ſanguinem conſtringens non poteſt tota ſimul præparari, ad unicam evacuationem reſervata, paulatim etiam apparentibus ſignis concoctionis in urinis, & ab elevatione pulſus, eſt evacuanda prædictis medicamentis, quibus addi poteſt mercurius vitæ dulcificatus, in craſſorum humorum eradicatione primas vices tenens, vel pilulis à *Silvio* deſcriptis lib. primo praxis cap. 14. num. 50. lib. 2. cap. 7. num. 9. quæ remedia ceſſata Febre, vel in ultima declinationis parte, exiſtente in majori doſi ſunt replicanda, ut materia tot peccans, & diſgregata è corpore extrudatur. Si ſeroſi humores acidi hujus Febris cauſa extiterint Hydragogis ſupradictis expellendi, & unica vice horum evacuatio eſt tentanda cùm ſua ſubtilitate poſſint Medicamentum purgans eludere.

V. Clyſteres nullius videntur eſſe uſus in hoc caſu, imò præjudicari, cum calorem eventando refrigerent & ex refrigerio craſſities augeatur; tamen inſtante alvi duritie non ſunt prætermittendi ad pituitæ abſterſionem.

VI. Victus ratio debet eſſe attenuans & pauca; ubi ſanguis humorum viſcoſitate condenſatur aquæ potus confert fluiditatem ſui admixtione impartiendo.

VII. Si cum urina turbida, & crocea pulſus parvus & celer cum frequentia conjungatur, ab acrimonia bilioſi ſalis, vel atrabiliaris ſolutum ſanguinem oſtendit, qui amiſſo omni lentore, & fibroſitate rarefactioni ineptus evadit, & ſpiritu impetum faciente depauperatur, unde nec dilatare, nec impulſum inferre ei datum eſt, conſequenter, nec vi arteriam in ſuo ingreſſu per cordis expulſionem elevare ad ſummum potens eſt, ſed parum ſolum, & cum languore, ex quo pulſus parvus, & debilis, & quia adſit efferveſcentia AlKali, & Acidi faciens pulſum frequentem ex actuatione caloris cordis, defectu tamen craſſitici & ſpiritus, turgentiam non concipit, & quia in iſta ſanguinis ſolutione multæ partes craſſæ ſulphureæ, & ſalinæ ſero commiſcentur, idcircò urina crocea, & turbida evadit, & hoc eſt ſanguinem putreſcere, per antiquos, interitu caloris in eo facto, unde habemus indicationem acrimoniam attemperandi, ſanguinem natura-

naturali coagulationi reſtituendi, & prædictæ acrimoniæ ſubjectum quam primum expellendi per diaphoretica, ad imitationem naturæ ſolitæ hujuſmodi Febres cum prædictis ſymptomatibus ſudore extinguere, primam indicationem adimplent omnia ab antiquis epiceraſtica dicta, qualia ſunt liquiritia, altea, malva, bugloſſa, nymphæa, papaver erraticum, ſemina frigida, & aquæ ex iſtis paratæ, emulſiones ſeminum melonum. ſuccus hordei, ſpecies diamargaritonis frigidi, & diatraganti frigidi, inter chymica, præcipuum locum tenent mineralium ſulphura fixa, & præcipuè antimonii, & vitrioli ſuperiori cap. deſcripta, idem præſtant etiam flores antimonii alibi reverberati in fornace vitraria donec rubeſcant. Vel abſtrahe tincturam antimonii cum nitro fixo & ſoluto, prout docet. Pater Lana in ſuo Prodromo, ſpiritu vini deme tincturam, à nitro abſtrahatur ſpiritus, tinctura in fundo remanebit in forma ſolida, quam ad ignem fixabis magis. Valet etiam cinabaris antimonii deſcripta ab Helmontio in Tract. in herbis, verb. & lapid. Oleoſa volatilia video ab aliquibus laudari ad auferendam acrinoniam, mihi tamen ſunt ſuſpecta in hoc caſu diſſolutionis maſſæ ſanguineæ, cum valido impetu ſanguinem exagitando dictam ſolutionem in toto introducere, vel introductam augere poſſunt, niſi ab iſtis ſudor proliciatur, & potiùs olea aromatica, ut ſunt roſmarini, ſalviæ, menthæ, elixir proprietatis elicitum eo modo quo docet Helmontius, primas partes habet in demulcendis humoribus; præter ſulphura dicta mineralium margalitæ, coralla, oculi cancri, correctioni hujus acrimoniæ conducunt, cerracea verò ſunt ſuſpecta, quia acrimonia corrodens eſt auſtera, & auſteritate intrinſeca illis quamvis blanda poſſunt morboſa augere, ex quibus parari poſſunt ſequentes formulæ Rec. aquæ papaveris erratici, nimpheæ, portulacæ an. onc. ii. ſyrupi de altea on. i. m. Rec. decocti malvæ, boraginis, papaveris eratici, portulacæ, liquiritiæ, on. viij. ſyrupi violati on. i. ſ. m. exhibendo prius dr. i. diamalgaritonis frigidi cum dr. *ſs.* diatraganti frigidi, vel Rec. aquæ papaveris erratici, portulacæ, boraginis an. on. ij. tincturæ antimonii ſcr. *ſs.* elixir proprietatis dr. ij. ſyrupi de altea on. i. m. vel Rec. aquæ nympheæ, violatum, tuſſilaginis an. on. ii. *ſs.* olei roſmarini gutt. vi. aquæ cinnamomi dr. iij. m. & ſi adſint ſulphura dicta mineralium, eis miſceantur ſemper ad ſcr. i. & in horum defectu tincturæ antimonii, quæ eſt facilioris parationis ad ſcr. i. vel ij. ſemper m. Emulſiones ſeminum melonum, vel ſuccum hordei prædictis aquis ſolutum in intermedio tempore inter prandium, & cænam exhibeantur cum aquis ſupradictis paratæ, & cum aliquibus ex dictis remediis mixtis. Diaphoretica ſubjectum auſteritatis auſteræ coroſivæ per ſudorem expellentia, ſunt diaphoreticum minerale, cornu cervi philoſophicè præparatum, antimonium diaphoreticum, bezoar, ſemina aquilegiæ, aquæ cardui benedicti, galangæ, ſcorzoneræ, theriacalis, pulegii, veronicæ, unà cum ſpiritibus volatilibus oleoſis ex fuligine cornu cervi, ſanguinis humani, & cinnabaris antimonii, reſiduus à deſtillatione mercurii vitæ, quæ in ſublimatorio ſublimanda eſt, adjungendo partem ſublimatam reſiduo in fundo remanenti, donec totum fuerit ſublimatum, remanentibus ſolùm paucis fæcibus terreis niglicantibus in fundo vaſis, cujus exhibetur dr. i. ex quibus parari poſſunt plures formulæ medicamentorum, ut Rec. aquæ ſcorzoneræ, cardui benedicti an. dr. iij. theriacalis dr. I. ſpiritus cornu cervi gutt. vij. m. exhibendo prius dr. unam cornu cervi philoſophicè præparati, vel cinnabaris antimonii ſupradictæ, vel lapidem Bezoar ad ſcrupulum unum. Hæc remedia in principio morbi ſunt exhibenda, tam ob imminens periculum integræ diſſolutionis ſanguinis ſi corrodens internum in eo relinquatur, quàm ob volatilitatem ipſius diſſolventis per quam ad expulſionem eſt diſpoſitum. Si tamen non ſuccedat effectus ſudoris in prima, & ſecunda vice, vel ſalutem non appareat diſpoſitio ad ſudorem, non eſt in iſtis inſiſtendum, ob rationem ſuperiùs dictam de ſpiritibus volatilibus, quos ad excitandum ſudorem propoſui, quia ad talem evacuationem maximè conferunt, & hac obtenta ſperandum eſt de ſalute, unde licèt exagitent maſſam ſanguinis, expulſo hoſte ad ejus integram reſtitutionem concurrunt; ſudore verò non apparente, currit ſupradicta ratio; ſi ſudor non accedat, excogitandum per diuretica, corroſiva ſalia expellere, ut ſunt tinctura tartari, cryſtallum tartari, ſpir. nitri, tinctura ſuccini, ſal Ononidis, Aquæ Aſparag. Capil. Ven. Petroſel Ononidis, ſicut rad. apij, Dauci, ſaxifragiæ, Ruſci, Ononidis, Raphani, fæniculi; ſanguis reſtituitur naturali coagulationi acidi ſuperiùs memorati, & ſuccis acetoſæ, portulacæ, & ſempervivi, vel aquis ab eiſdem diſtillatis, & cum ſulphuribus mineralium, quibus inhærens acidum coagulare valet ex quibus portiones, & lambitiva ſæpè & parum ſummenda in die facillimè poſſunt ſanguinem ad priſtinam coagulationem reducere. Antiqui incraſſantibus, & adſtringentibus, quæ cum dictis remediis concurrunt, utuntur.

VIII. Modus diſtinguendi has Febres cum pulſu parvo, factus à ſanguinis coagulatione, & ab ejus diſſolutione, conſiſtit in hoc, quod ubi corrodens, & diſſolvens ſanguinem eſt in cauſa dicti pulſus, hic nullam vel parvam habet reſidentiam, ubi verò acidum coagulando pulſus parvos reddit reſiſtentiam, & firmitatem oſtentat, denſitatem, & craſſitiem ſanguini relinquendo, à qua robur accipit. Loquor autem ibi de coagulatione, quæ partium fixationem, & adhæſionem importat, vel de eo ſtatu in quo partes coagulatæ hujuſmodi conditiones habent; nam permanente coagulatione ſuccedit totalis diſſolutio partium, ab AlKali cum Acido coagulato, in ſalſum degenerante, corroſivæ, & diſſolventis naturæ, per quod ſolutio partium ſequitur, ſed tarda, cum AlKali, & Acidum unitum, & fixum ſint minoris activitatis in operando, quàm volatile, in primo caſu coagulationis habetur pulſus conſiſtentia, & reſiſtentia, quamvis parvus in ſecundo caſu pulſus adeſt parvus ſine reſiſtentia, quia eſt eadem ſanguinis diſſolutio cum illa à ſale volatili corroſivo facta, hac ſolùm intercedente differentia, quòd illa à corroſione patrata breviora habet tempora, ad ſalutem vel mortem ob activitatem ſalis volatilis, ſolatio verò ſequens coagulationem longiora. Ex quo deducimus rationem cur Febris aliæ ad multos dies protrahantur, aliæ paucis circumſcribantur; nam illæ à ſale fixo corrodente, hæ à ſale volatili. Habemus etiam rationem cur Febres malignæ aliquando appareant cum pulſu non multum frequenti, parvo tamen, & cum urina ſanis ſimillima, quia ſanguis coagulatus parum effervеſcit, parum rareſit, unde arteria parum dilatatur, ideò etiam parvus nec multum frequens, & quia ſenſim, & ſine turbatione à coagulato Acido, & AlKali ſanguis diſſolvitur, urina non mutatur ab indole ſanorum, non mutato tono partium in hac coagulatione, quo alimentum & præparant, & ſibi apponunt, eo ferè modo quo in ſanitate, unde reſiduum alimenti alteratum ab adveniente ſero dilutum ad renes transfertur, & cum urina in ſedimenti formam excernitur.

IX. Pulſus aliquando parvus, & frequens cum externarum partium frigore, & internarum incendio conjungitur, & tunc ſignum eſt inflammationis alicujus partis circa aliquod vas magnum, curſum ſanguinis liberum prohibentis ad partes exteriores, unde frigent, & in interioribus ſtagnans ſanguis eas adurit, & quantitate ad cor revertens liberam, & magnam oppreſſione prohibet effervеſcentiam. Huic inflammationi principia jecit ſanguis craſſus, vel multus, impedimenta illius motui objiciens obſtructione, craſſitiem verò, & denſitatem ab acido coagulante ſuſcepit, unde apparet indicatio ſanguinem minorandi ſi ab ejus multitudine impedimentum eveniet, & tenuandi ſi ab obſtructione liberus ejus motus impediatur, correcto acido humorem incraſſante, ut eo attenuato libera ſanguini circulanti pateat via, quæ ab humore obſtruente impediebatur cogendo ſanguinem ſtagnare in obſtructa parte cum tumore iſtius à novo ſanguine ſemper adveniente, & inflammatione; acidium diſſipant omnia ſalia volatilia alcalica, & ſpiritus, ut ſal cornu cervi, fuliginis, carabis, armoniaci, & ſpiritus eorundem, terracea multoties memorata, & etiam diaphoretica ſulphura mineralium principaliter ad hoc conducunt quamvis ſint acida, nam cùm hoc ſit valdè efficax, prævalendo virtuti acidi humorem coagulantis in parte inflammata, hoc deſtruit remanente acido ſulphuris cum AlKali ſoluto humoris priùs coagulati, cum quo renovata effervеſcentia fluit li-

beram

beram relinquens partem. Obenta acidi correctione inflammationi opportuna remedia ſunt applicanda, refrigerando, ſuppurando, & materiam ſuppuratam educendo.

CAP. V.

De efferveſcentia mediocri, ſed præter naturali, curanda.

I. Efferveſcentia mediocritatem ſervans in moderatione cum urina ſimili ſanis, cum pulſu mediocri inter magnum, & vehementem, & parvum, & debilem, ut obſervarem contingit multoties in Febre ſynocha non putrida, & quandoque etiam in dicta putrida, eaſdem habet cauſas dictas de efferveſcenti immoderata, differentes ſola remiſſione activitatis, qua non ſolvunt tantam copiam AlKali, & acidi à ſanguine, quantam in efferveſcentia immoderata, vel ex ſanguinis diſpoſitione, qua reſiſtendo magis cauſæ Febrili, non permitti, ſolutionem dictorum principiorum in excedenti quantitate.

II. Hæc effereveſcentia cùm mixtionem partium ſanguinis, & ſegregatione coagulatæ, in effereveſcentia materię & præcipitatæ conducat, debet in ſua mediocritate conſervari donec ſit facta mixtio, vel ſegregatio, idcircò largam ſanguinis miſſionem non permittit ſufficientem efferveſcentiam à mediocritate ad tarditatem transferre, ideò tantum ſanguinis mittendum, quantum ſufficit ad demendam plenitudinem præexiſtentem vel factam ab iſta effereveſcentia, etiam per moderatam ſanguinis rarefactionem, qua ad tantum extenditur ſpatium, ut vaſa diſtendat implendo.

III. Purgantia ſint eadem dicta immoderata efferveſcentia, pro purgantibus lenientia etiam comprehendendo, in quorum uſu, & adminiſtratione ibi dicta ſunt ſervanda.

IV. Quoad alterantia, debemus refrigerantibus in moderata quantitate fervorem temperare ne excreſcat, non ita diminuere ut tarditas in efferveſcentia introducatur acida coagulativa refrigerantibus uniantur, ſed magis blanda, nec in magna doſi, nec frequenter, ſed moderatè, ut major ſolutio ſanguinis impediatur, ſine periculo coagulationis præternaturalis, & ſi obſervetur efferveſcentiam ad immoderatam tendere, acidis ſuperiori capite deſcriptis occurrendum, ſi verò ad tardam, ſolventibus pariter impediendus talis tranſitus.

V. Si moderata efferveſcentia cum urina valde rubea conjuncta ſit, bilis abundantiam in maſſa ſanguinea ſignificat, quæ timorem inducere valet poſſe hanc efferveſcentiam ad immoderatam transferri, ſoluto magis ſanguine ab alcalica bile, in quo caſu acida in majori doſi, & magis frequenter exhibenda ad modificationem bilis, & unienda ſunt cum eis, quæ acrimoniam ſolventem demulcere diximus, additis etiam præcipitantibus, ex antimonio, & vitriolo, & tartaro paratis, ut faciliùs, & citiùs diſgregata bilis ſeparetur.

VI. Si urinæ albæ, & tenues huic efferveſcentię conjungantur, craſſitiem in ſanguine indicant non permittentem bilis ſeparationem, & excrementorum ſalinorum, & ſulphureorum in efferveſcentia coagulatorum, unde refrigerantibus incidentia ſuperius enumerata ſunt miſcenda, & apparentibus urinis coloratis eo modo procedendum ſicuti mox dicebam ſuperioribus duobus paragrafis.

VII. Victus ratio ſit tenuis, & refrigerans, eo modo quo dictum fuit de efferveſcentia immoderata.

VIII. Ad moderatam efferveſcentiam reducitur illa à qua Febris hectica pendet, nec adeo in longum protraheretur niſi mediocritatem ſervaret. Hujus cauſa eſt vitium ſanguinis inſigne, cum nutrioni ineptus evadat, unde omnium partium exſiccatio, & totius maraſmus, & ſi ſanguis quantitate non deficiat, cum diſpoſitione ad Febrilem efferveſcentiam.

IX. Quodnam ſi hoc vitium facile eſt determinare primo à medicamentis juvantibus, ut à lacte, quod unicum in hujuſmodi Febre cenſetur remedium, & cùm ſanguinem demulceat, & ad dulcedinem manifeſtam conducat, & fluxibilem ſua ſeroſitate reddat, aciditate, & craſſitie peccare in hac Febre inditio eſt: ſecundo à Febrilis efferveſcentiæ augmento poſt aſſumptum alimentum, ſanguinis aciditatem connotate, cùm alimentum magis AlKalicis, abundet partibus, quæ inſervire debent pro nuturimento ſingularum partium corporis, ſequendo motum acidi, vel fermenti, vel temperamenti illarum, quod eſt proprium AlKali, quapropter ſi efferveſcentia in Febre hectica augetur alimento in ventriculo præparato, intra venas rranslato, & eſt alcalicum, neceſſe eſt quod in ſanguine acidum, quoddam inveniat, cum quo congrediens efferveſcentiam majorem renovet. Febris longitudo craſſitiem aperit, niſi enim hac muniretur à continuata efferveſcentia citius diſſolveretur.

X. Aciditas ſanguinis in hac Fabre non eſt tanta, ut coagularionem alio loco deſcriptam efficere valeat, ſed ſolùm ut craſſitiem aliquam ſanguini conciliet, non impedientem excitationem AlKali, & Acidi ab ejus maſſa, à quibus continuatur efferveſcentia.

XI. Unde certam habemus indicationem ſanguinem depurandi aciditate correcta, & viſciditate attenuata, quod præter hæc efficiunt ſulphura mineralia fixa antimonii, ex deſcriptione Techenii, quæ igne debent fixari, & ex deſcriptione *Uviliſii* in Pharmaceutica rationali lect. 2. cap. 1. de vomitione, ubi rincturam antimonii ejus ſulphure ope ſpiritus vini elicit, à qua abſtructus idem ſpiritus ad ſiccitatem, remanet ſulphur verum, & confortativum antimonii, ſulphuris vitrioli extractionis modus ſuperiori cap. 3. deſcriptus fuit. Hæc remedia cum lacte poſſunt propinari, vel cum emulſione ſeminum melonum, vel ſucco hordei, nec opinandum eſt ratione aciditatis in ſulphure latentis illam ſanguinis extraneam augeri ob rationem dictam cap. ſuperiori.

XII. Omnes etiam aquæ à practicis deſcriptæ ad demulcendum ſanguine in hac Febre bonæ ſunt, & attenuantia poſſunt eis miſceri, ut tartarum volatile, oleum cornu cervi, & carabes, in tali tamen doſi nec in tanta frequentia, ut diſſolutionem ſanguinis agitationis violentia efficere valeat.

XIII. Febres comitatæ continuæ ſunt, quæ alios morbos comites habent, vel ab iſtis accenſæ fuerunt, & dicuntur ſymptomaticæ, vel quia illæ originem morbo dederint, & primariæ appellantur. Primæ non curantur, niſi eradicetur morbus à quo dependent habita temporis in his conſideratione, ſanguinem in debito efferveſcentiæ gradu continendo iſtius violentiam moderando. Secundæ eam indicationem exhibent quæ communis eſt Febri, & ejus proprietatibus, itaut comites morbi pro ſymptomatibus habeantur ex oppreſſione tamen naturæ ab his facta curationem ad ſe trahunt, ideò & de iſtis in fine hujus tractatus aliqua dicemus.

SECTIO SECUNDA.

De Febribus intermittendis.

I. ABſoluto tractatu curationis Febrium Continuarum, ſeu continentium, ut perfecta omnes Febres curandi methodus habeatur requiritur illas Febres intermittentes curandi. Per Intermittentes intelligo non ſolùm Febres illas, quæ per circuitus invadendo liberum à Febrili æſtu ægrum relinquunt, ſed etiam illas quæ nulla intermiſſione gaudent, ſed determinatis acceſſionibus circumſcribuntur. Et quia efferveſcentia ſanguini contingens in his dependet à materia in aliqua parte præter naturaliter alterata, & ſanguini communicata ſuis pravis qualitatibus cum Febriliter æſtuare faciente. Materia alterationem ſuſcipit dum in parte media obſtructione detinetur, ibique nova fermentatione ejus naturalis indoles pervertitur, & extranei fermenti naturam ſuſcipit. Sanguini communicatur dum ſuo impetu obſtructionis impedimenta reſerat, & ſuſcepta iterum circulatione ſanguinis curſum reaſſumit. Vitium hujus materiæ non poſſumus colligere niſi ab eis, quæ contingunt in ipſius acceſſionis extenſione, con-

conſequenter curatio ab hujus materiæ ponderatione unà cum ejus effectibus dependere debet, unde ad hujus ponderationem accedo.

CAP. I.

De Febrilis acceſſione cum frigore, rigore, cui ſuccedit calor intenſus.

I. Acceſſio à frigore, & horrore incipiens, conjunctam habent contractionem pulſus parvitati, & frequentiæ conjunctam, per quod demonſtratur materiam febrilem in aceſſione primò erumpentem aciditate peccare, qua membrans vallicandò frigoris ſenſum inducit, magis ſenſibilis factus à coagulatione, & fixatione ſpiritus calidi in ſanguine prius ſoluti cujus quiete univerſæ partes frigent, & quandoque portiones dictæ materiæ acidæ, ultra modum pungentes partes ſentientes ad concuſſionem, & vibrationem impellunt, ex quo rigor. Pulſus contrahitur impedita à coagulante acido ſanguinis rarefactione, qualis ad arteriæ dilatationem exigitur, & quia coagulatio ad ſpiritus animales ſe extendit, ita ut parum de illis, & in motu valdè tardo ad nervos cordis impellantur, ex quo motus ejus & minutus, & debilis, licèt frequens ob neceſſitatem liberandi cor ab oppreſſione facta per ſanguinem coagulatum. Nec mirum eſt acidum frigoris eſſe cauſam ſi ignem in ſe continet, dum pro partium ſuarum motu acida, & caloris, & frigoris effectus edunt. Multæ enim partes minutiſſimæ alicujus acidi ad invicem ſolutæ, motuque rapidiſſimo, & perturbato organum proportionatum ſenſus petentes caloris ſenſationem efficiunt, ubi partes ejuſdem acidi craſſæ prædicto motu carentes, contrariam frigoris ſenſationem efficiunt, ſenſus enim omnes ad actum ſecundum ſenſationis deveniunt, non ſolùm ratione materiæ ad eorum organa deductæ, ſed magis ratione motus ejuſdem materiæ, à quo determinatur ad talem, vel talem ſenſationem, pro diverſitate ejuſdem motus, ex quo optimè colligitur eandem materiam, ſed diverſo motu agitatam, diverſas ſenſationes in organo poſſe efficere, diverſa paſſione introducta, ſi potus ſpiritus vini depuratus ventriculi tunicas, vellicando concuſſiones in ejus membranis excitat, quæ totum corpus in conſenſum trahunt, cum aliquali ſenſatione frigoris, quamvis ſpiritus dictus ſit totus igneus, quod præſtant etiam multa acria, & acida in ventriculis delicatioris indolis.

II. Hujus additatis ſubjectum ſunt melancholia, & pituita acida, lympha, & ſuccus pancreaticus, qui naturalem aciditatem conſervantes, ſi augmentum ſecundum hanc ſenſerint, ob moram in aliqua parte obſtructa contractam, prædictos effectus Febriles dare valent. Sanguis etiam coactus ſtagnare hoc aciditatis vitio coinquinatur, ut dici poſſet in melancholiam, vel pituitam acidam degeneraſſe. Poteſt etiam dici hoc acidum ſenſum frigoris inducens eſſe acidum ſalinum juxta dicta c. 2.

III. Hoc acidum ſanguini, & ſpiritui communicatur in principio acceſſionis, quia primò erumpit ſuperato impedimento obſtructionis, ab humore cujus pars eſt tale acidum, & prædicti effectus libertatis acquiſitæ, & vitioſæ alterationis ſunt nuntii. Exit autem primò acidum, quia magis volatile, & experientia conſtat in omni deſtillatione chymica acidos ſpiritus, quia magis volatiles, aſcendere ut plurimum in principio, ſola laxatione partium mixti facta à ſubjecto calore. Ita cùm humor in obſtructa parte retentus à fermentatione ibi reſtricta præter naturam agitatus, partium ſolutionem ſit paſſus in egreſſu à parte obſtructa, acidæ particulæ in vaporem elevatæ præmittuntur, ſanguiniſque, & ſpiritus penetralia ingrediendo utriuſque texturam coagulatione vitiant, ſuccedente poſtea parte ſalina Alkalica ejuſdem humoris depravati, acidum primum ſupradictis ſubſtantiis communicatum diſſolvitur, & unà cum eo ſanguinis à virtute Alkalica corroſiva diſgregatur, ut latens Alkali, & acidum ad ſui explicationem in majori copia invitetur, unde facta majori effervescentia in maſſa cruoris, calidæ partes in majori copia excitantur, remittente frigore, & calore magis aucto, ex toto abit, incaleſcente toto corpore præternaturam, igneo & excedenti calore, ob copiam ſoluti Alkali, & acidi in ſanguine commorantis, horum excedens effervescentia a rarefactione iſtius in corde magis aucta ad majorem gradum calorem evehit ſolutis in majori quantitate particulis, ſanguis à coagulatione liber valdè effervescens, & in corde rarefactus, arteriam cum impetu ad multum ſpatium elevando pulſum magnum efficit, & quia ob excedentem effervescentiam acidi, & Alkali citiſſimè in corde rareficit, citiſſimè etiam expellitur, magnitudini pulſui frequentiam adjungendo. Ad hoc concurrit ſpiritus animalis à ſupradicta coagulatione liberatio, & à commixtione Alkalici ſalis acrimonia, qua turbatus, & inordinatè commotus, cum impetu ad cordis nervos fluit, & inordinatè illud movendo, pulſus, & ſanguis immoderatè, & frequenter moventur, à prædicto motu flamma cordis ventilatione aucta, quæ magis etiam excreſcit à ſpiritu calido in eo relicto à ſanguine ibidem præter naturam effervescente, qua propter ſanguinis ſemper magis, atque magis incaleſcit, & cum eo totum corpus, hæc eſt cauſa intenſi caloris ſuccedentis frigori, & rigori. Finita communicatione hujus Alkali ſpiritui, & ſanguini à minera Febrili ſequente effervescentia in Alkali, & Acido, ab illius acrimonia excitato, hæc per continuam effervescentiam coagulata partim præcipitantur, partim de novo ſanguini miſcentur ad novas tempeſtates reſervata, & ita mitigata pugna horum contrariorum, effervescentia in ſanguine deficit inordinata, & cum ea calor cordis, & conſequenter rarefactio ſanguinis in eo minuitur, & ita his omnibus ſemper decreſcentibus Febris cum effervescentia ex toto ceſſant, vel ad declinationem magnam pervenit, donec ſuperveniat novus humor in prædicta parte obſtructa alteratus, à quo nova acceſſio reducitur, & in hoc ſtatu ſanguinis materia ſeparata, & diſgregata, præcipitatione ſero conjuncta, per urinam expellitur, unde in colore, & ſubſtantia, & ſedamentis alterantur, vel ſudore ſuccedente foras demandatur.

IV. Ex quibus patet aliam eſſe materiam humoralem frigoris cauſam, aliam caloris, utramque tamen in eadem ſubſtantia contineri, & hoc evidenter colligitur à diverſis ſymptomatibus frigoris, & caloris ab unica acceſſione comprehenſis, quæ homogeneitatem materiæ reſpuunt, ſed heterogeneitatem arguunt maſſam ſanguineam diverſo modo afficientem. Præterquam quod ſi eadem eſſet materia, cum à principio acceſſionis ſit ſanguini, & ſpiritus coagulativa, ea invariata manente coagulatio deberet conſervari per totum acceſſionis decurſum, quod cum non contingat, à diverſo agente actuari evidenter oſtendit, & ſi in principio pulſus parvitas ſanguinis nimis arctam compagem denunciat, & paulò poſt pulſus elevatus magnus, & frequens nimis ſolutum cruoris maſſam deſignat, utique in utroque ſtatu agentis diverſitatem agnoſcere debemus, & quia manifeſtum eſt compaginis denſitatem ab acido coagulante emanare, & ſolutam texturam Alkali ſolventis eſſe effectum, idcircò probabili judicio aſſerimus has Febres à materia de acido volatili, & Alkali participare.

V. Hinc ſe offert indicatio aciditatem hanc in principio accenſionis infringendi, & contemperandi per medicamenta aromatica, ſive in forma liquida ſive forma ſalis, vel olei, hujuſmodi enim medicamenta mirificè acidum peccans emendant, & attenuandi qua polent virtute coagulationem ſolvunt: quod ſi videtur difficile acida, quæ ſunt ignea, ab aromaticis calore prædictis temperavi & corrigi, re tamen attenta ceſſabit difficultas, conſiderando aromatica præter oleoſitatem, Alkali abundare quo acidum deprimunt, & extinguunt, ſunt autem hujuſmodi aromatica ſuppeditata à cinnamomo, nuce moſcata, maci, caryopholis, roſmarino, ſalvia, menta, baccis juniperi, à quibus extracta ſint olea, quæ ſpiritu vini per digeſtionem, vel circulationem conjuncta in nobiliſſimum balſamum, acidi frenum, exaltantur quo extincto effervescentia ſanguinis ceſſat, vel depreſſo minuitur, dum illa pro ſua origine in ſtatu tam naturali, quàm præternaturali habet congreſſum acidi, & Alkali, unde iſto depreſſo

ſemper

ſemper minor erit effervelcentia; eadem aromatica ſi non poſſunt haberi prædicto modo præparata, decoctione eorum virtus elicienda. Secundum locum tenent Alkalica ex Febrifugis ſimplicibus extracta, ut ſunt ſal gentianæ, centaureæ minoris, cardui benedicti, ſcordii, abſinthii, camomillæ, ſerpentariæ, corticis fraxini, contrayervæ, ex quibus aquæ diſtillatæ poſſunt etiam parari, & ſi hic ſalia Febrifuga Alkalica aliis præfero, cum alibi dixerunt ſalia Alkalica convenire in una virtute ſolvente, ratio preæminentiæ, Alkalicis hoc in loco conceſſæ, non pendet à virtute ſolùm ſolvente, quæ quidem univerſalis eſt in omnibus Alkalicis, ſed in ratione virtutis Febrifugæ, potiùs Alkali hujus ſimplicis ingerenti, quàm in alio, cùm hanc virtutem determinatam Alkali deſumat à virtute ipſius ſimplici individuali, conſiſtente in determinata textura partium illius conſtitutioni concurrentium, harum particularum copia dum illud mixtum incineratur, cum ejus ſale fixatur retenta textura in mixto integro poſſeſſa, qua propter ſal extractum ea virtute individuali propria illius mixti integri pollet.

VI. Ex his omnibus parari poſſunt formulæ multorum medicamentorum, ut Rec. aquæ abſynthii, cardui benedicti an. on. iij. ſalis centaureæ min. ſcr. ij. olei caryophylorum gut. v. vel Rec. aquæ ſcordii, camomillæ an. on. iij. aquæ cinnamom. on. ſs. ſalis cardui benedicti, gentianæ, an. ſcr. i. m. vel Rec. aquæ cardui benedicti, ſcordii an. on. ij. ſ. aq. theriacalis on. i. ſalis gentianæ ſcr. ij. olei nucis moſcatæ gr. vij. m.

VII. Quæ medicamenta ſunt propinanda ante acceſſionem per duas, vel tres horas, vel addito eis ſyrupo aliquo aromatico, ut de corticibus citri, vel deſtæcade, vel de quinque radicibus, ad unciam unam, pro lambitivis uſurpari poſſunt, parum & ſæpè lambendo, per coclearia ante dictum tempus acceſſionis, & in ipſo ſtatu frigoris poſſunt etiam hoc modo uſurpari ad ejus moderationem.

VIII. Tranſacto frigore, & calore expanſo, alia via incedendum, & quia intenſus calor immoderatam ſupponit effervefcentiam magnam copiam acidi, & Alkali ad explicationem accelerantem, idcircò in hoc ſtatu effervefcentiæ incumbendum, ejuſque immoderationi occurrendum, per medicamenta ſuperius tradita in capite tertio de immoderata effervefcentia, omni enim ſtudio ad mediocritatem redigenda eſt, ut ſolutionem ſanguinis ab immoderato exceſſu illius præcaveamus, & ut faciliùs partes per effervefcentiæ motum diſtractæ ad unionem integram redeant, cum ſegregatione excrementitii aliunde ſuſcepti, & à maſſa ſanguinis in ebulitione ſuppeditati, quæ excrementa ut plurimum ſolent in fine cujuslibet acceſſionis per ſudorem, vel per urinam expelli.

IX. Et quia partis alicujus vitio hujuſmodi præternaturalis aciditas, & Alkali acrimonia contingit, ad horum emendationem conatus dirigendi, & quia hæc omnia in obſtructione partis conſiſtunt, ut cum Sylvio alibi oſtenſum fuit, hæc tollenda medicamentis obſtructioni propriis, incidentibus, attenuantibus, & de obſtruentibus, in cujus genere ſunt omnia ſalia Alkalica, tam fixa, ut tartari, abſinthii, agrimonii, ceterach, tamariſci, quàm volativia, ſuccini, urinæ, cornu cervi, fuliginis, armoniaci, ad quæ reducuntur etiam ſalia mediæ naturæ, valdè efficacia ad deobſtruendum, ut ſunt ſal prunellæ, tartarum vitriolatum, ſal tartari volatile, cujus compoſitio in ſuperioribus tradita fuit, ſalia etiam Alkalia mox enumerata poſſunt reduci ad hanc naturam neutram cum maxima ægrotantis utilitate, ſi igne in crucibulo ſolvantur, & coagulata in humido fluant, & liquor per chartam percoletur, ab igne enim abſumitur acidum, & in percolatione terreæ particulæ ſeparantur, in quibus duobus fixitatis cauſa fundatur, poſtea ſpiritu vini impregnatum multiplici cohobatione in ſalia mediæ naturæ abibunt: idem præſtant herbæ ſale volatili præditæ, quales ſunt cephalicæ, majorana, menta, ſalvia, roſmarinum, ruta hortenſis, & aromaticæ, ut naſturtium aquaticum, & hortenſe, raphanum ſylveſtre, taraxacum, ex quibus parari poſſunt decocta cum additione dictorum ſalium Alkalicorum ad Drac. unam, neutrorum ad Scrupul. unum, volatilium ad gran. vij. vel viij. & ſpirituum eorumdem ad guttas in dicta quantitate, vice decocti poſſunt etiam ſumi aquæ deſtillatæ aperientes, agrimonii, capillorum veneris, pulegii, fœniculi, & herbarum communiter dictarum aperientium, cum additione ſalium in dicta doſi, addendo pariter & decoctis, & aquis aperientes ſyrupos de duabus, de quinque radicibus, de capillo veneris, bizantino, oximele compoſito, & ſimilibus. Diaphotetica omnia apparenribus ſignis coctionis cum fructu poſſunt exhiberi, cùm ſua ſolvente virtute obſtructiones aperiant, ſicut & diuretica quocumque tempore morbi addita deobſtruentibus.

X. Advertendum tamen eſt, quod ſi conſtitutio ſanguinis Febricitantis ſit facile ſolubilis, quod cognoſcitur ex rara textura ejuſdem alibi per ſigna demonſtrata, cautè procedendum in uſu horum Alkalicorum, & in minori doſi ſunt exhibenda, vel potiùs ab acidis deobſtruentia ſunt mutanda. Nec mirum acida coagulare, & diſſolvere, ſi enim Alkali occurrit acidum, hoc illud coagulat, ſi verò ei exponatur aliquod corpus denſum, quia in eo Alkali, & acidum coagulata fuerint, tunc illud diſſolvit, & quia materia obſtruens, & circulanti ſanguini, vel alio humori impedimentum ponens, eſt corpus concretum ex coagulatione Acidi, & Alkali, acidum ſimplex ad hujus ſedem translatum illud diſſolvit.

XI. Tempus exhibendi hæc medicamenta, cauſam obſtruentem reſpicientia, ſunt tempus intermiſſionis vel declinationis.

XII. In his Febribus china chinæ valde ſaltutaris ab experientia probatur, cujus virtutis fundamentum eſt ſui Alkali efficacia ab amaritie manifeſtatum, hoc Alkali acido humorali correſpondens, ob pororum ſtructuram facilè ab hoc imbibitur, quapropter effervefcentia cum alio humore contrario impeditur, & prohibito ejuſdem tranſitu ad venas paroxyſmus Febrilis ſupprimitur. Eadem virtute Alkalica, quæ eſt maximè diſſolvens, obſtruens materia attenuatur, & cauſa paroxyſmi radicitùs extirpatur. Et quia rigidis inflexibilibuſque particulis conſtat, quibus guſtata linguam velut ligare videtur his ſanguini conſiſtentiam conciliat perfectioremque contribuit unionem, unde difficilius effervefcit, & ſic mortificato Acido, à materia Febrili elevato, tollitur frigus acceſſionis, & munito ſanguine contra erumpens Alkali, ne ab eo effervefcentia introducatur, omninò eſt ſuppreſſus paroxyſmus, qui ſi revertatur, nova exhibitione chinæ ſupprimitur. Sunt etiam conſulendi ægrotantes poſt ſuppreſſum paroxyſmum Febrilem, purgante medicamento excrementorum ſarcinam deponere, ne iſtis retentis cum majori impetu ſe explicent, periculoſiorem morbum efficiendo.

XIII. Ad hujus pulveris exemplar poſſunt parari extracta ex herbis amaris, utpotè abſcyntio, centaurea, gentiana, ſcordio, cortice fraxini, & ex eiſdem elicita ſalia ſimul unire, quod mixtum corticis virtutem adæquate aliqua in parte potens erit, conveniunt etiam explaſtra in regione pulſus circa carpum, ex ſalvia, ruta, urtica inter duos ſilices vivos æqua portione contuſis, addito ſale marino ſubtiliter pulverizato, & factis globulis qui involvantur telis araneorum, & applicentur loco prædicto per duas horas ante acceſſionem. Burſa paſtoris eodem modo contuſa cum ſale, & telis araneorum, eodem loco applicata, contra has Febres, & præcipuè quartanas valet. Modus operandi horum remediorum eſt alterando ſanguinem per arteriam cui applicantur circulantem, & inducta adſtrictione illum corroborare contra effervefcentiæ Febrilis impetus, vel ſanguini deobſtruentem communicant virtutem, qua ad partem obſtructam delatus obſtruentem humorem incidendo, atrenuando impedimentum obſtructionis tollunt.

XIV. Quocumque modo ſolvatur paroxyſmus, ſemper purgantia ſunt exhibenda, tam ad obſtruentis humoris expulſionem, quàm ad excrementorum reliquias per effervefcentiam ſegregatorum evacuandas.

XV. Lenientia in principio ſunt adminiſtranda, ſicuti dictum fuit de curatione continentium.

XVI. Nec ſanguinis miſſio eſt prætermittenda, licèt non peccet ſanguis, ſed ad plenitudinem minorandam, ne immoderatè effervefcat relicta plenitudine, tum

ne, tum etiam quia motu ſanguinis in ſectione venæ magis accelerato poteſt ſuperari renitentia obſtruentis humoris.

Victus ratio ſit tenuis, & refrigerans.

CAP. II.

In quo proponitur curatio Febrium cum frigore, & rigore invadentium, cui moderatus calor ſuccedit.

I. HÆc Febris dictis in initio ſtipata ſymptomatibus, conjunctum habet pulſum concentratum parvum, & frequentem, quorum ſymptomatum cauſæ ſunt eodem ſuperiori capite deſcriptæ etiam ratione frigoris, & rigoris, ceſſato hoc pulſu non multum elevatur; nec multum frequens exiſtit, & calor eſt parvus, quia Alkalia ab humore alterato exhalans ſolventi acrimonia deſtituitur, itaut ſanguis eam non patiatur ſolutionem, quæ copioſæ evaporationi Acidi, & Alkali ſanguini viam parat, ſed hac moderatione regulata parvam excitat effervefcentiam, non ſuſcipiens multum incrementum à rarefactione in corde, cum & hæc exceſſu careat, tam deficiente copioſo ſpiritu calido in ſanguine non multòm rarefacto, à quo tanquam pabulo ejus inſita flamma excreſcit, quàm ob acrimoniam Alkali mitigatam, ſpiritus animales non irritantem ad motum cordis perturbatur, & inordinatum, quo flamma ventriculos vivficans maximè dilatatur, qua propter in motu moderato, & regulari exceſſum non experitur.

Unde quoad curationem proponitur indicatio Acidum infringendi remediis ſuperiori capite ad hujus indicationis ſatisfactionem deſcriptis.

II. Calor quia mitis cum moderata effervefcentia, eodem modo tractandus deſcripto in capite de curatione Febris continentis à moderata effervefcentia.

III. Et quia eamdem habet cauſam, nempe obſtructionem alicujus determinatæ partis, indicantem ſui ablationem, idcircò remediis deobſtruentibus à ſuperiori capite petendis utendum, purgantia in hac conveniunt ſicut in præcedenti, nec non & lenientia.

IV. Sanguinis miſſio etiam hìc locum habet, ob rationes præcedenti capite dictas, minori tamen quantitate eſt adminiſtranda, ſtante moderatione effervefcentiæ præſcripta, victus ratione ſimili.

CAP. III.

In quo proponitur curatio Febris invadentis cum levi extremorum refrigeratione, & miti calore.

I. HÆc ſymptomata, unà cum prava pulſus contractione unita, materiam ſangini demandatam in Febrili acceſſione parva aciditate perfundi oſtendit, quare ſanguinem levi coagulatione afficit, ut magis effervefcat, quam in coagulatione magna, quapropter pulſus contractio minor. Eſt tamen talis, ut deffendat exitum particularum calidarum ſufficientium ad conſervationem caloris in toto, & ſanguinem non permittat per venas capillares liberè fluere, ob condenſationem à parva coagulatione accepta, factus ſanguis condenſatus major, quàm ſit ſpatium venarum capillarium, arteriarum, iſtarum cavitatem non ingreditur, idcircò partes extremæ, venas, & arterias capillares magna ex parte colligentes ſanguinis beneficio deſtitutæ refrigerantur. Parvæ huic coagulationi concurrit ſpiritus animalis, à participatione materiæ acidæ coagulatus, ad nervos cordis ſe movens cum tali ordine, & agitatione ſufficienti ad pulſum cum parva contractione edendum. Vaporibus acidiuſculis diſſipatis ſuccedens in corde, & ſanguine humor Alkalicus libertate donatus, ſuperato obſtructionis obſtaculo acrimonia acri inſigni carens, eo quod aqueis particulis & mollibus abundet, cum acido ſanguinis congrediens naturalem depravat effervefcentiam, hanc augendo, ſed non multùm, cum miti acrimonia ſanguinis compagem ſolum ſervat, ut paucis ſupra quantitatem naturalem particulis Acidi, & Alkali ſanguinei clauſtra aperiat, dicircò effervefcentia parum ſupra naturalem creſcit una cum calore, ab iſta non excitatis in magna quantitate particulis calidis.

II. His ſtantibus apparet indicatio infringendi acidum, ſed mitioribus medicamentis, cùm ſit parvum, ut ſunt terracea, margaritæ, mandibulæ lucii, ſperma-cet, mumia, quæ medicamenta poſſunt uniri cum ſalibus fixis Febrifugis ſuperioribus capitulis deſcriptis, unà cum aquis, vel decoctis ibidem enumeratis, ſervata conditione temporis iſta exhibendi ante acceſſionem.

III. Effervefcentiæ auctæ poſt frigoris ceſſationem ocurrendum eſt juxta gradus intenſionis, & remiſſionis illius, & ita ſuſtinenda eſt ut motu excrementitii humoris communicati ſeparatio, & unio partium ſanguinis ab effervefcentia diſgregatarum obtineri poſſit, quapropter à frigidorum uſu in copia abſtinendum eſt, & præcipuè quia humor morboſus in hac Febre, ut plurimum eſt pituita, cujus portio in primis viis magna colligi ſolet, & à quantitate aquæ fluida facta ad venarum lactearum cavitatem facilè ſubeundam diſponitur, & arterias, & venas majores ingreſſa ad partem obſtructam ducta obſtructionem augere poteſt, vel alias efficere.

IV. Et quia communem cum præcedentibus habet obſtructionis cauſam, iiſdem etiam deobſtruentibus hanc expugnare contendendum eſt, non relictis diaphoreticis, & diureticis, quibus ſumma ineſt ſolvendi poteſtas, & ſalia volatilia, & ſpiritus hujuſmodi magis tuto in hac Febre, quàm in aliis poſſunt exhiberi in hora intermiſſionis, vel majoris declinationis.

V. Purgantia ſint ea, quæ pituitam reſpiciunt, & humores craſſos educunt.

VI. Sanguis pariter mittendus eſt, ſed in minori quantitate, cùm minori indigeat refrigerio.

VII. Si in longum hujuſmodi Febres protrahantur, per epicraſim purgandum eſt, addito ſemper mercurio dulci, vel vitæ, cum mercurialibus inſita ſit efficacia pituitam incidendi, & ſecernendi, & Febre terminata purgantibus erit locus.

VIII. Aliquando poſt leve frigus, calor intenſus, & effervefcentia magna ſuccedit, quia humor depravatus ſanguineæ maſſæ communicatus particulis Acidis, & mitigatis in parva quantitate ſcatet. Alkalicæ verò ſubſequentes ſunt copioſæ, idcircò ſanguinem ſolutione nimis rarefaciendo Acidas, & Alkalicas particulas in copia ab ejus penetralibus excludunt, quæ ſimul congredientes magnam effervefcentiam inducunt, auctam poſtea in corde modo multoties deſcripto.

IX. Indicationes ab hac Febre emanantes ſatis patent, unde Acidum in principio blandis extinguendum Alkalicis, quia mitigatum, effervefcentia magna refrigerantibus & Acidis, & aſtringentibus cap. primo deſcriptis, eſt reprimenda.

X. Sanguis multo refrigerio indigens, & magna effervefcentia plenitudinem conſtituere potens, copioſè eſt mittendus.

XI. Et quia humor Alkalicus, qualis eſt bilis, vel ei ſimilis, in corpore abundare videtur, purgantibus bilem eſt utendum poſt ſupperatam obſtructionis cauſam jam recenſitis remediis non intermiſſis lenientibus bilioſo humori adequatis in principio.

XII. In harum Febrium numero adſcribenda eſt illa, quæ lenta dicitur ex eo, quod ſimptomatum violentia ægros non affligat, ſed lenta oppreſſione naturam oppugnat, cum inſenſibili acceſſionum inſultu, incaleſcente ſolùm ægro poſt cibum cum arteriarum pulſatione magna cum urinis maxima arenularum quantitate ſcatentibus; tam in fundo, quàm in ſuperficie cujus Febris ſedem meſenterii glandulas materia argillacea impletas in enecatis ab hac Febre, & diſſectis cadaveribus anotomica detexit experientia.

XIII. Cauſa hujus Febris eſt materia tartarea, & ſalina in ſanguine abundans, & præcipuè in ſeroſiori ejus parte reſidens, & obſtructio glandularum meſenterii in ſuis excretoriis vaſis à qua fermentum innatum glandularum pervertitur, vel prohibita tranſpiratione fuliginum à ſua ſubſtantia emanantium, vel facta caloris intenſione pervertente texturam innati fermenti auxilio retentarum fuliginum, quæ, fermenti etiam indolem referen-

referentes motu parti indebito, fermenti ſui motum alterare valent, ad quod pervenire etiam poteſt ab humoribus coactis in glandularum ſubſtantia ſtagnare, per obſtructionem, per moram enim nimis exaltantur, & ſalinas ſulphureaſque diverſi generis particulas volatiles parti imprimunt, & ſuis corpuſculis fermentativis commixtæ à naturali ſtatu totum fermentum dejiciunt, & ad præternaturalem ducunt. Hinc eſt, quod ſanguis ſeroſior tartareis, & ſalinis particulis imprægnatus, per arterias glandulis conſignatus, ſuo fermento depravato depravatæ etiam ſanguinem alterant, & materiam tartaream, & ſalinam ſeparando, caloreque excedenti actuando in arenulas, & argillaceam materiam condepſant, reliquumque ſanguinis, & ſeri longiorem ſtationem in parte morboſa trahentis præter naturæ legem nimis volatilizant, acquiſitione pravarum qualitatum in aucta acrimonia Alkalica, vel Acida, qua tandem unà cum impetu ab exaltatione concepto obſtruentem materiam perterebrando exit, & per venas circulationis curſum renovando tandem arteriis ducentibus ad renes pervenit, ubi ſerum deponit cum arenulis in ſuo exitu à glandulis abraſis, relicta in iſtarum ſubſtantia parte magis viſcoſa ejuſdem parietibus tenaciter adherente, quæ in materiam argillæ ſimilem tranſit. Sic continuata iſta glandularum operatione ſanguis extraneo coinquinatur fermento continuam effervefcentiam præternaturalem in eo fovente, ex quo continua Febris, & quia ex continua effervefcentia acide partes ſanguinis continuò ſolvuntur, & ſalinæ fixæ volatilizantur, aciditatem aliquam ſanguini communicantes, ſuccus pancreaticus à ſanguinis partibus elaboratus in pancreate, magis acidum evadit, quàm par ſit ſuæ naturæ, idcircò alimento in chylum tranſmutato duodeni viam ingreſſo huic occurrendo, utpotè Alkalicum cum hoc acido inſigniter effervefcit, & ad venas tranſiens acido etiam ibi invento effervefcentiæ motum auget, in quo fundatur ratio explicans Febris incrementum poſt cibum.

XIV. Pro hujus Febris curatione patet deputandum eſſe ſanguinem ab excrementis tartareis, & ſalinis quibus conquinatur, & quia iſtorum retentio in ſanguine non poteſt eſſe niſi craſſities ipſius, incidentia, & attenuantia à Medicis dicta conveniunt, quæ in ſectione prima cap. 4. enumerata fuerunt, in quo caſu locum habent etiam deobſtruentia in cap. primo hujus ſectionis deſcripta, à volatilibus oleoſis, & ſpirituoſis abſtinendo, ne immoderatior effervefcentia ſuſcitetur, etiam ſi hæc conducent ad tollendam obſtructionem in glandulis. Attenuata ſanguinis craſſitie excrementorum purgationi inſiſtendum, & maximè per urinam diureticis, cùm ſint tartarea & ſalina, quorum expurgationi urinæ viæ ſunt maximæ proportionatæ. Inter diuretica valent tinctura tartari, ſpiritus nitri, & ſalis, ſal ononidis ſtipitum fabarum, magiſterium oculi cancrorum, aquæ aſparagorum, fœniculi, petro. lini, & inter ſimplicia radix apii, dauci, fœniculi cortex tamar, florum geniſtæ, ex quibus decocta, & potiones parari poſſunt. Aquæ potus continuus eſt maximè ſalutaris, fluiditatem ſanguini conciliando, qua facillimè excrementa deponit. Purgantibus etiam eſt utendum ad expulſionem excrementorum craſſorum, exitur per urinam non habentium, & quia ſeroſa pars ſanguinis eſt illa quæ excrementa tartarea, & ſalina involvit, hydragoga convenire videntur, admixta eis quæ craſſos humores reſpiciunt à ſanguinis miſſione quia in omni Febre ratione effervefcentiæ convenit, in hac non eſt abſtinendum.

XV. Et quia Febris talis conditionis ſemper eſt longa, per epichraſin etiam purgatio inſtituenda.

C A P. IV.

In quo exponitur Febris invadens cum horrore, & tremore, cum ſenſu caloris.

I. Bilem Alkalicam in hac Febre peccare ejus ſymptomata oſtendunt, hæc enim ſuo ſale corroſivo partes membranoſas vellicando in tremores totum corpus cogit, & quia aliquæ particulæ, vel iſtius ſalis, vel igneæ non modificatæ cum eo commixtæ citatiſſimo perturbatoque motu, in prædictas partes ſentientes impinguunt, caloris ſenſationem efficiunt. A calefacientibus horrores, & tremores poſſe fieri, exemplo ignis, & aquæ calidæ docuit *Galenus* ſecundo de ſymptomatum cauſis cap. v. ut alibi oſtendi, quod de ſummè corroſivis etiam poteſt dici, cùm per antiquos ſint ſummè calefacientia, quapropter bilis corroſione prædita, & igneis imbuta particulis, exaltationem in aliqua parte paſſa, qua particulæ igneæ modificatione ſua exutæ fuerint, ſentientibus partibus adhærens, vel per vapores, vel ſolida ſua ſubſtantia, vellicatione, & corroſione ignei tremorem, & horrorem excitabit. Et quia ad hoc præſtandum neceſſaria eſt bilis exaltatio, & volatilizatio, requiritur, ut iſta in aliqua parte, vel in ſui folliculo præter naturam morari cogatur, ubi inteſtino ſuarum partium motu ad ſummam evehitur exaltationem, & volatilitatem, qua mediante ruptione facta à parte continente ad partes fertur, & primo ſecundùm particulas ſalinas, Acidas, corroſivis Alkalicis mixtas, quarum aciditate pulſus contractio, coagulato ſanguine & ſpiritu animali, aliqualis contingit, magna impedita ab Alkali corroſivo diſcoagulante cum Acido conjuncto, ſupponendum enim ex Uvilliſio in tract. de Febr. bilem conſtare ex ſale, ſulphure aqua, & terra: prima duo à mora volatilia evadunt, & quia in ſale ſemper acidi ſalini aliquid latet, hoc pariter ſit volatile, aqua vaporis inſtar attenuatur bile ab obſtructa parte exeunte aqueos vapores mixtos acido volatili, maximè corroſivo & ſulphureo, præmittit, à quibus vellicatæ partes corroſiva mordacitate in tremores cum horrore exurgunt. Expirantibus tandem cum tota bile exaltata particulis Alkalicis, minùs volatilibus, ſanguinique implantatis, factaque toties decantata ſolutione cum excitatione magnæ quantitatis Alkali, & Acidi correſpondentis, ſolventi corroſivo valido in bile exiſtente, effervefcentia immoderata conſurgit, quæ ſemper magis augetur à rarefactione contingente ſanguini in cordis ventriculis, per quod ſatis ampla ſternitur via particulis calidis in ſanguine commorantibus maximum æſtum univerſo corpori impartientibus, nec partes iſtæ Alkalicæ, & calidæ excitatæ in partes nervoſas, & ſentientes impingentes horrorem, & tremorem inferunt, quia citatiſſimo perturbatoque motu in illas irruunt, unde caloris ſenſus moleſtus quidem, ut vellicando inquietudine magna ex cruciat ægrum, ut in uno loco, niſi breviſſimo ſpatio morari poſſit, ab eodem Alkali ſpiritui animali impartito maxima turbatio ei contingit, unde inordinato motu & magno cordis, nervos movendo, inordinatum, & magnum pulſum præbet, cum effervefcentiæ ſanguinis incremento ob rationes priùs dictas.

II. Ex quibus patet bilem peccare volatilitate, & acrimonia, quæ medicamentis in prima ſectione deſcriptis c. 30. emendabitur, addendo refrigerantia, & terracea ad compeſcendum effrenem motum partium calidarum, & hæc ante principium Febrilis acceſſionis erunt exhibenda.

III. Effervefcentia, quæ ad immoderatam accedit, acidis, & mineralium ſulphuribus eſt moderanda, ſuppreſſo Alkali corroſivo cauſa illius. Adſtringentia etiam conveniunt, auſteris & ſummè acidis prætermiſſis, eo quod acrimoniam augeant, ut alibi adnotavi.

IV. Ratione cauſæ bilem prædictis modis alterantis, & quæ cenſetur obſtructio, repetita ſæpiùs deobſtruentia ſeligantur, Alkalicis derelictis, ne activitati bilis pro fomento, & augmento inſerviant, ſed acida ſunt ſeligenda.

V. Lenientia in principio conveniunt ad minorandam bilis quantitatem, purgantia bilem reſpicientia in fine ſunt neceſſaria.

VI. Sanguis miſſio non eſt prætereunda ob rationes toties dictas.

VII. Cavendum totis viribus in hac Febre à volatilibus, quæ bilis efficaciam additis ſtimulis augere poſſunt, & ſanguinem maxima agitatione turbatum, addita majori commotione integræ ſolutioni ſubmittere poſſunt, hinc diaphoretica per integrum Febris rigorem ſunt fugienda, & inſtante declinatione, cum inclinatione naturæ ad ſudorem, eis tunc poſſumus uti, cùm bilis fixata fuerit, & ſanguinis partes majori unione colligatæ medicamenti impetum ſine periculo ſuſtinere poſſint.

VIII. Aliquando Febris à calore ſua deducit principia, qui paulatim creſcit donec mordacitate, & exceſſu ægrum affligat, cujus cauſa eſt bilis, quæ horrorem, atque tremorem non inducendo oſtendit partes ſentientes non vellicari, & corroſiva acrimonia privari, ſaltem ad eum terminum ſub quo prædicti effectus non eveniunt. Et hoc habetur ab oleoſitate in bile prædominante, qua ita molleſcunt particulæ ſalinæ, ut mordicare, nec vellicare valeant: hanc mollitiem ſuſcepit bilis à copia aqueæ ſubſtantiæ cum cæteris partibus mixta, & quæ coctione, & fermentatione ita cæteris ſe immiſcuerit, ut proportione partium ſalinarum rigidarum & inflexilium, cum ſufficienti portione aquearum, mollium, & flexilium, quantum ſatis eſt ad tollendam rigiditatem, & inflexibilitatem ſalinarum, in unum corpus molle coaluerit. Calorem verò excitat, quia particulæ igneæ non modificatæ in prima eruptione exeunt, & ad partes ſentientes delatæ motu citatiſſimo, & perturbato caloris ſenſum in eis imprimunt. Calor eſt parvus, vel quia particulæ iſtæ igneæ in exitu valdè diſperguntur, vel quia cum portione humidi in vaporem attenuati ad partes feruntur, cum motu valdè retardato, ſufficienti tamen ad calorem parvum imprimendum, non verò ad excedentem. Poteſt etiam calor hic parvus fieri ab Alkali bilis ſanguini communicato ſuo motu, ſi non acrimonia fermentationem naturalem ſanguinis majorem reddente, cum majori ſolutione Acidi, & Alkali, à quibus aucta effervescentia augetur etiam calor præternaturalis cum parvo exceſſu, motu prædicti Alkali ab humido vaporoſo illi conjuncto moderato. Ubi verò humidum hoc ceſſaverit, & ſimplex Alkali ſanguinem ingreſſum fuerit, ſuo motu, & volatilitate accepta per reſſolutionem humidi in craſſiores partes colligantis, ſanguinis maſſam invadendo eamque ferociter violento motu agitando diſgregat, & copioſam Alkali, & Acidi quantitatem excitat cum magnæ effervescentiæ accenſione, & ſpirituum calidorum eruptione, quibus omnibus in corde auctis incendium in maſſa ſanguinea explicatur, à quo ingens ille calor.

IX. Ex his deducitur bilis oleoſitatem eſſe corrigendam, quod habetur ab Acidis dulcibus, qualia ſunt ſpiritus ſalis vitrioli dulcificati cum aqueis refrigerantibus ſuperiùs demonſtratis, poſtea Alkali copioſum ipſius bilis moderandum unà cum effervescentia immoderata ab eo excitata, quod præſtant acida prædicta terracea, & ſulphura mineralium, & omnia recenſita ſuperiori capite tertio ſectionis primæ, & quia bilis, vel humor ad ejus naturam alteratus per obſtructionem in aliqua parte reſiſtentem his qualitatibus depravatus fuit, obſtructio tollenda medicamentis alio loco dictis.

X. Quoad purgationem, ſanguinis miſſionem, & victus rationem, eodem modo procedendum, ac in ſuperioribus dictum eſt.

XI. Aliquando Febris invadit cum calore cujus incrementa ſunt parva, quod habetur à bile craſſa, & pingui, ob admixtionem pituitæ, calidarum, & Alkalicarum particularum motum frenantis ex quo minus caloris ab ea provenit, & moderatior effervescentia.

XII. In hoc caſu bili nulla applicarem remedia, quia ſi auferatur, pituita, vel ejus craſſities, bili volatilitas, & acrimonia conciliabitur cum periculo majoris damni, idcircò ſoli cauſæ remedia applicarem, obſtructionem auferendo. Effervescentia in hac Febre cùm non ſit immoderata, nec mediocris ſed potiùs lenta, interdicit refrigerantia in quantitate magna, ſed non parva, quibus admiſcenda ſunt etiam incidentia temperata, ut ſunt aq. capil. veneris, agrimonii, graminis, &c.

SECTIO TERTIA.

De Symptomatibus Febrium Curandis.

I. SYmptomata, quibus ſtipantur Febres, aliquando tali impetu naturam oppugnant, ut indicationes curativas præbeant non minùs quàm Febris. Hinc complicatæ indicationes difficilem reddunt curationem, ni methodo dirigantur, ad has difficultates demoliendas hæc addere opportunum cenſeo, ab eis ſymptomatibus incipiendo, quæ caput primariam animæ ſedem corripiunt, inter quæ primò Delirium occurrit.

CAP. I.

De Delirio.

I. EST autem Delirium depravatio facultatis animalis rationalis, per quam Febrientes abſurda cogitant, loquuntur, vel agunt, dependenter à læſione inſtrumentorum facultatis ejuſdem.

II. Et quia non poteſt intelligi iſta læſio facultatis animalis, niſi percipiatur motus ejus rectè operandi, ideò in hac indaganda parum immorandum.

III. Duplex eſt operatio rationalis animæ, imaginatio, & intellectus: illa tota à phantaſmatibus dependet, hic multa ab his colligit, extra hæc tamen intelligendi materiam invenit. Phantaſma eſt aliquid in cerebri ſubſtantia deliteſcens, ad cujus motum, vel excitationem, vel præſentiam ſenſui communi objectum, cujus eſt imago, repræſentat, hoc verò recipit cerebrum à ſenſibus, communionem ſervantibus cum ſenſu communi, per quam hic conſors redditur ejus affectionis ab objecto externo ſenſui impræſſæ. Conſiſtit verò iſta communicatio ſenſus externi cum interno in communione organi ſenſus externi, cum organo ſenſus communis continuata per Fibras nerveas, quæ ſunt inſtrumenta ſenſus externi, vel per Fibras cerebri nerveis connexas, uſque ad ſedem ſenſus communis. Hinc actio objecti non conſiſtit ſolo organo ſenſus, ſed per connexionem Fibrarum traducitur ad organum ſenſus communis, & ſicuti per eam actionem objecti ſenſus externus dicitur ſentire illud per eamdem continuatam uſque ad ſenſum communem, dicitur objectum percipere, & cognoſcere. Ex quo judicio concludendum eſſe cum P. Honorato Fabri in tract. de homine lib. 3. ſenſum communem in parte ſenſitiva reſidere; nam ſicuti ſenſus externi actionem objecti ſentiunt, quia in parte ſenſitiva conſtituuntur, cùm eamdem percipiat ſenſus communis, ſimilem cum eis ſedem debet habere, cùm verò nulla alia pars ſentiens poſſit aſſignari ad organum ſenſus communis magis accommodata, quàm plexus Choroeides; ob rationes deſcriptas à Fabro, ideò hunc organum prædicti ſenſus ſtatuimus. Et quia ſi actio objecti continuò permaneret in organo ſenſus communis, ſemper in perceptione ejus detineretur, cùm ſit potentia neceſſaria, & determinationem ad perceptionem reciperet ab actione objecti ei conjuncta, & concludendum & actionem objecti non conſervari in organo ſenſus communis, ſed ad aliam partem tranſmitti ei vicinam, quæ ſit incapax ſenſus, ut in ea conſervari poſſit, abſque continua repræſentatione ejus, nulla autem eſt magis apta quàm cerebri ſubſtantia ſecundùm ejus Fibras dicto plexui incumbentes, actione objecti traducta ab organo ſenſus communis, ad Fibras cerebri directas ei parti organi in qua recepta fuit actio objecti quibus ita diſponuntur per eam tenſione, preſſione, incriſpatione, diviſione, adductione, rarefactione, condenſatione, ut ſi motæ, vel ab imperio voluntatis, vel ab alio organum ſenſus communis attingant, illud eodem motu, & eiſdem conditionibus moveant & efficiant, quomodo motum, & affectum fuit ab actione objecti, quæ primo ei impreſſa fuit, deinde ad Fibras cerebri tranſivit, eas prædicta diſpoſitione actuando, & ſic ſenſus communis objectum percipit, & cognoſcit de novo ſine ſenſuum externorum ope.

IV. His ſtantibus colligo primò affectionem ſenſuum externorum, qua objecta ſentiunt, & qua ſenſus communis eadem percipit, conſiſtere in motu ab objecto ſenſus externi organo impreſſo, & continuato uſque ad organum ſenſus communis, per connexionem cum organo ſenſus externi, mediis Fibris nerveis vel ſubſtantiæ cerebri; ſentire verò eſt hanc affectionem, ſeu motum in organo, percipere modo ſenſibili. Affectio conſiſtit in motu, & eſt paſſio organi ab objecto, ſentire eſt actio ab anima ſenſitiva expreſſa attingendo affectionem organi.

V. Colligo ſecundò Phantaſmata nil aliud eſſe quàm talem

talem diſpoſitionem Fibrarum cerebri, per quam ita diſponuntur, ut motæ & organum ſenſus communis attingentes eumdem motum, & affectionem in eo imprimunt, æqualem illi impreſſam immediatè ab objecto; phantaſma enim non eſt niſi imago objecti, quod cùm afficiat organum ſenſus communis ſolo motu, cujus modificatione hic percipit diſtinctè omnes ſuas qualitates & conditiones, & ita phantaſma per ſolum motum erit repræſentativum objecti, idcircò hoc habet conſtitui in re ita diſpoſita, quæ valeat exprimere motum objecti. Hinc facilis eſt ſolutio, cur multarum rerum memoriam amittimus, quia diſpoſitio Fibrarum introducta à motu objecti diſſolvitur, & cum ea impotentia traducendi motum objecti ſimilem in organo ſenſus communis abſente objecto. Secundò cur difficile conſervetur in aliquibus memoria rerum, quia ob duritiem Fibrarum prædicta diſpoſitio in illis difficillimè imprimitur. Tertiò cur in ſenibus recentiorum rerum memoria ſit labilis, antiquarum firma & conſtans quia exſiccato cerebro, & induratis Fibris occurrentium rerum motus diſpoſitionem in illis neceſſarium non valet introducere; è contra per exſiccationem introductæ magis confirmatur. Quartò cur phantaſmata facilimè imprimantur, & eadem facilitate evaneſcant, quia humidæ nimis Fibræ impreſſionem facillimè ſuſcipiunt, & humiditate laxata diſpoſitione facillimè decidunt. Quintò cur ab vulnere capitis, vel caſu, & ſuccuſſione cerebri memoria rerum evaneſcat, quia Fibrarum diſpoſitiones præexiſtentes à violentia motus diſſolvuntur. Sextò cur cum ordine phantaſmata reſervantur, v. g. in oratione excitanda, quia cum ordine diſpoſitiones Fibrarum ſunt fabrefactæ, ita ut prior fibra, vel ejus pars mota ſecundam vel ſubſequentem moveat, & hæc aliam, & ſic ordine excitantur phantaſmata, quia cum ordine fuerunt impreſſæ diſpoſitiones in Fibris.

V. Colligo tertiò phantaſmata excitari, & ſenſui communi repræſentari per ſolum motum determinatum à ſpiritibus, vel vaporibus, vel ab externo motu cerebrum quatiente, vel ab imperio animæ, quod ſemper cum motu ſpirituum conjungitur, cujus ſunt inſtrumenta. Ratio hujus motus in hoc conſiſtit, quòd cerebrum totum eſt porroſum, & ſpiritus ubique diſcurrunt per eos, & ab anima hùc, illùc impelluntur pro ſuo arbitrio, & pro neceſſitate ſuarum operationum ſi ſpiritus, dum per dictas porroſitates moventur, Fibras agitent, in quibus exiſtat aliqua diſpoſitio à motu objecti externi introducta, & tali vi ut organum ſenſus percutiat, tunc exitatur perceptio talis objecti; ſic anima intendens aliquod objectum à ſenſu externo diſtans contemplari, movet ſpiritus ad eas porroſitates incumbentes Fibræ, in qua manet diſpoſitio introducta aliàs à tali objecto per ſenſus externos, quæ motu ſpirituum ſuccuſſa organum ſenſus pulſando motu, quo objectum pulſaret, ſi eſſet præſens, percipit illud, & in ejus contemplationem detinetur. Ex hoc ſomniorum ratio deducitur: ſpiritus animales per porroſitates cerebri oberrantes Fibras hùc illùc movent, ad organum ſenſus communis impellunt, & variorum diſparatorum objectorum perceptionem cauſat.

VI. Colligo quartò, quò motus Fibrarum ab objecto procedens erit vegetior, & ſenſibilior in organo ſenſus communis, perceptio objecti erit magis diſtincta. Et hinc redditur ratio, cur aliqui diſtinctè, aliqui confusè eamdem rem percipiant, quia motus in illis ſit ſenſibilis magis, quàm in iſtis, talis autem evadit ratione organi, quod vegetiori ſenſu polleat, vel ratione viæ per quam tranſit motus objecti, ſi corpora illam conſtituentia ſint dura, ut motum objecti infringant: ratione Fibrarum, ſi à pauca vi moveantur, vel magnæ ob ſui duritiem reſiſtant, hinc eſt quod ſpirituum paucitati affecti ſint ad perceptiones tardi, & ſimiliter duro cerebro donati; ad hoc etiam facit rudis diſpoſitio Fibrarum, per quam non afficitur organum ſenſus tali motu quali afficeretur ab objecto, quapropter obſervatur quod reiterata repreſentatione objecti ejus diſtincta perceptio oboritur, quia perficitur illa diſpoſitio Fibrarum.

VII. Præter motum objecti ſenſus organo impreſſum, & ad illud ſenſus communis traductum, & Fibris cum prædicta diſpoſitione communicatum, alius eſt motus organi ſenſus communis verſus principia nervorum, cui ſupereminet, copia ſpirituum animalium illuc confluentium undique ſtipatum, quo iſti ad determinatum nervum impelluntur ad movendam partem ei correſpondentem, cujus actio eſt neceſſaria, vel ad fugiendum à tali objecto, vel ad aliud proſequendum. Anima verò, in qua hujuſmodi cognitio latet, hujuſmodi motus eſt diretrix. Hinc deducitur ratio explicans cauſam moti appetitus ad præſentiam objecti: etſi admittatur organum ſenſus eſſe plexum choroidem, à motu objecti in eum, deſumimus rationem diverſarum ſanguinis affectionum, perceptiones objecti ſequentium; nam cum in eo venæ, & arteriæ reperiantur, ſanguis in eis exiſtens à motu objecti alteratur in ſuo naturali motu, communicata reliquo ſanguini prædicta alteratione.

VIII. Intellectus conſiderationi phantaſmatum applicatus omnes objecti proprietates, cujus illa ſunt imago elicit & percipit, & ad alias, quæ per phantaſma non repræſentatur, ſe extendit, ut cum ratione & diſcurſu colligit Solem eſſe centies ſexagies majorem terra, qui per phantaſma bipalmarium ſolum repræſentatur; & cum ab uno ſingulari univerſales proprietates colligit, in cujus operatione nullo utitur inſtrumento, quia intellectus non minus eſt facultas à corpore dependens quàm voluntas, quæ ſicuti nullo indiget organo ad volendum, ita nec intellectus ad intelligendum, quæ ad imaginationem non ſpectant. In hac intelligendi operatione ſuas efformat ideas intellectus, quæ ſunt conceptus, seu potiùs res ipſæ conceptæ mente & intellectæ: per quam intellectionem res dicuntur eſſe objectivè in intellectu, quare aliæ ſunt claræ, & diſtinctæ, aliæ confuſæ, claræ dicuntur, quæ menti attendenti evidentes, & manifeſtæ ſunt, & diſtinctæ ſunt, quæ ita præcisè, & ab omnibus aliis diverſæ ſunt, ut nihil in ſe contineant, quod manifeſtè non appareat ei, qui ad eas ut oportet, attendit, nec ad aliena repræſentanda valent debita adhibita, attentione confuſæ ſunt, quæ res ſive objecta non niſi confusè repræſentant, ſuppreſſa aliqua qualitate, vel ita obvelata, ut non poſſit explicari. Intellectus quando ſiſtit in ſola contemplatione, non errat, quia ſi idea, quam habet de illis rebus, quas ſibi repræſentat, illis conformis eſt, vera eſt repræſentatio, ſi idea ab eis rebus diſſentit, non illarum repræſentatio eſt dicenda. Error ſolum ſe tenet ex parte aſſenſus, vel diſſenſus, cùm rei non clarè perceptæ aſſentimur, vel diſſentimur. Ex quo patet, errorem in intelligendo per aſſenſum, & diſſenſum ab ideis confuſis pendere, in diſtinctis, & claris errorem non naſci poſſe.

IX. Ex hinc uſque dictis non erit difficile veram delirii cauſam tàm ex parte imaginationis, quàm intellectus eruere, quandoquidem ſi ſpiritus animales impetu acceptò irregulariter, & motu violento per cerebri repagula diſcurrant, Fibras cerebri, in quibus impreſſa ab objecto diſpoſitio ante dicta figitur, poſſunt alterare, & in eis ſuo motu portionem diſpoſitionis obliterando, aliam in ſui locum inducere ita ut mota Fibra verſus organum ſenſus, motum objecti, cujus eſt imago in multis emuletur, deficiente verò in aliqua portione proprietas illi correſpondens non exprimitur cum imaginationis delirio, percipientis objectum in ſuis proprietatibus diminutum, & talem credendo aliis prædicat, vel cum proprietate non propria percipit, expreſſa per illam diſpoſitionem à ſpiritu de novò additam. Aliquando ab impetu ſpirituum plures Fibræ eodem tempore ad organum ſenſus communis impelluntur, ut eodem tempore diverſa objecta percipiat, quæ ſimultaneo impulſu conjuncta apprehendit, etſi unio ex eorum natura repugnet, & ſi continuo per poroſitates his Fibris ſuppoſitas, ſpiritus animalis diſcurrat, continuò impellit has Fibras ad organum ſenſus, continuò æger in eadem imaginatione perſiſtit, ſi modo in unam, modo in aliam partem penetret ſpiritus, imaginationes diverſæ reſultant pro diverſitate diſpoſitionum Fibrarum motarum, itaut modo de una re in aliam tranſeat, cum claritate, & evidentia falſo credita: ſi impulſus ſpirituum erit vegetus, & valdè ſenſibilis, cum confuſione, verò & hæſitantia ſi erit debilis, & parum ſenſibilis.

X. Spirituum perturbatio, & motus violentus dependet ab eorum acceſione, & inflammatione facta à partibus igneis ſanguinis effervescentis ſeparatis, & eis con-

conjunctis; hinc in bilioſis Febribus ſæpiùs deliria contingunt, quia bilis valet ſpiritus inflammare, non aliter ac à vini, & ejus ſpiritus quantitate perturbantur, & inflammantur: in delirio ſpirituum paucitas eamdem efficit perturbationem, ab hac eorum ſerie abrupta, tumultuariè conglobantur, & ſine moderatione irregulares apprehendunt motus; quapropter in ſanguinis profluvio, vigiliis, & inedia longa, deliria eveniunt: & ob hanc cauſam cenſeo contingere in Febre maligna, quæ non minus ſanguinis profluvio ſpiritus exhaurit. Materia etiam venenata valet hos perturbare, vel quia à valdè infeſto hoſte citiſſima fuga ſe arripere conentur, vel quia illius corpuſcula motu effreni donentur, quo illos valent immoderatè agitare. Vapores etiam ab univerſa ſanguinis maſſa, vel à minera Febris elati, ſi in hujuſmodi motu peccent, ſpiritibus perturbationem inducunt. A motu vel partium calidarum ſanguinis, vel vaporum, vel materiæ venenatæ motus objecti in organis ſenſuum externorum, & qui ab iſtis ad organum ſenſus communis traducitur, ita poteſt alienari, ut ſenſus communis aliter percipiat objecta ac in ſe ſunt, cum maximo errore & deriſu, & diſpoſitio in Fibris cerebri introducta juxta normam motus percepti à ſenſu communi, deviando à motu proprio objecti, quotieſcumque movebitur verſus organum ſenſus communis, objectum prout percepti repreſentabit, non prout eſt in ſe. Hinc eſt quod aliquando ſentiunt, & vident, quæ non ſunt. Alterari motum ab objecto emanatum per motus vaporum, & humorum, patet in ebriis, qui objecta circumagi, & duplicata vident: motus ſanguinis, vel alterius humoris in copia ad caput, delirium movet, dum arterias implendo, & diſtendendo cerebri ſubſtantiam comprimit, ex compreſſione ſpiritus cum inpetu huc illucque impellitur ſubſiſtens etiam, & non circulans per vaſa cerebri ſanguis ea celeritate, quæ ei naturaliter eſt debita, venarum, & arteriarum repletionem efficit cum compreſſione ſubſtantiæ cerebri, ac conſequenter delirium, & ab hoc dependet imaginationis alienatio in Febribus intermitrentibus, in quibus ſummè contrahitur pulſus, dum coagulatus ſanguis tardus in circulatione vaporum plenitudinem conſtituit. Cerebri diſpoſitio etiam ad delirium coadjuvat, qui enim cerebro laxo donantur, & amplitudine porrorum pervia, in illud facilè incidunt, qui denſo cum pororum anguſtia & paucitate, difficilè.

XI. Ex phantaſmatum perverſione intellectus ea contemplando decipitur, ideaſque ſeu conceptus à rebus difformis figurat, à quibus dependens potentia judicativa in affirmatione, vel negatione, in maximos impingit errores, qui delirium conſtituunt: poſſet intellectus fallaces, & depravatas phantaſmatum repræſentationes, ex multis & notiſſimis principiis ei inſitis & acquiſitis corrigere, ideaſque perfectas ſibi elaborare, ſed ex inadvertentia, depravationi phantaſmatum, & implicantiæ eorum quæ repræſentant, præcipitando in idearum efformationem ad illarum regulam, decipitur: non advertit autem intellectus, vel ex habitu facto, vel quia tam clarè, & diſtinctè errores phantaſmatum ei repræſentantur, ut in eis latere errores non putet, & ex credulitate fit inadvertens, ex inadvertentia præceps.

XII. Cùm in ſpirituum perturbatione delirium conſiſtat, horum ſedationi inſiſtendum, & removenda cauſa perturbationis: ſi ab accenſione, & inflammatione ſpirituum proveniat, ut Febris ardens, & furor conjunctus oſtendunt cum agitatione totius, refrigerandum totum miſſione ſanguinis, & præcipuè ſi manifeſta ſigna concoctionis non appareant; nam in hotum concurſu ſuſpicandum de criſi imminenti, ideòque cum cautela procedendum: & cum à bile attenuata, & volatilizata in ſpiritus ſubtilitatem, maximè iſtos valeat inflammare, & perturbare, purgantia bilem non diſconveniunt, præcipuè ſi urina tenuis & aquea appareat, blandiora tamen eligenda, quæ ductus cholidochos irritando bilem ad exitum promoveant, refrigerantia adjungenda tàm externa, quàm interna. Prima ſunt aq. viol. lactucæ, Papaver. errat. ſer. cap. diſſol. cum ſuccis earundem, & quæ bilem mortificant ſuperius adducta; quibus admiſcenda quæ corroborant, & mediocriter adſtringunt ad porroſitates cerebri dilatatas obſtringendas, ut aq. ceraſ. nigr. flor. paralyſeos, pulveres margarit. coral. pp. ſpod. ebor. corn. cer. uſti, unà cum jis, quæ ſpiritus ſedant, ut diacod. diaſcord. ſem. papav. albi, Nepentes, ut.

℞. *Aq. Nenuphar.*
Pap. errat. an. ℥. iv.
Ceraſ. nigr. ℥. ij.
Syr. de Papav. ℥. ß.
Tinct. antim. ℈. i.

℞. *Ser. capr. ſtillat. ℥. viij.*
Suc. lactuc. ℥. ij.
Diacodion. ℥. ß.
Spir. vitriol. dulc. gutt. viij. m.

℞. *Sem. Melon.*
Cucurbit. an. ℥. vi.
Papav. alb. ʒ. iij.
Aq. flor. Papav. errat. Violar. an. ℥. iv.
F. emulſ. addendo
Diacod. ſ. p. ℥. ß.

Cum Aquis, & potionibus miſceantur hujuſmodi pulver

℞. *Magiſter. coral.*
Perlar. an. ℈. i.
Cor. Cerv. uſt. ℈. ij. m.

Vel Bollus præmitratur ut

℞. *Diaſcord. ʒ. i.*
Magiſter. Coral. ℈. i. vel
Nepentes gr. iij.
Magiſter. Perlar. ℈. i.

Ex his lambitiva etiam parentur interpolatim per cochlearia exhibenda. Externè fomenta capiti adhibeantur cum decoct. Fol. ſalicis, lactucæ, nenupharis, Portulacæ, Plantaginis, Roſar. vel cum aquis, & ſuccis prædictis cum aceto. Animadverte quòd hujuſmodi remedia debent præparari antequam delirium incipiat, ſi ſit intermittens, & cum paroxyſmo revertatur.

Si à ſpirituum paucitate, quam oſtendit pulſus debilitas, & languor, præcedens copioſa evacuatio, & morbi magnitudo diu perſiſtens. Hi refocillandi optimis cibis & pauco vino, & medicamentis aromaticis unà cum ſalibus volatilibus oleoſis, ut

℞. *Aq. Majoranæ Puleg.*
Lilior. Conval. an. ℥. i
Violar. ℥. iij.
Theriacal. ℥. ß.
Spir. Fulig. gutt. vi. m.

℞. *Aq. tot. citri.*
Meliſsæ an. ℥. ij.
Betonic. ʒ. i. ß.
Aq. cinnam. ʒ. ß.
Ol. Macis. gutt. iij. m.

His præmitti poteſt Bol. ex confect. ex Hyacinth. ʒ. ß. ſal. ex cor. cer. gutt. vj m.

℞. *Theriac. recent. ℈. i.*
Sal. Fulig.
Ol. Cor. ce. an. g. iv. m.

Materia venenata cardiacis oppugnanda, & præcipuè ſudoriferis, quibus ſi ſudor non ſuccedat, ſolet delirium augeri à perturbatione facta majori per agitationem talis medicamenti, idcircò non ſuccedente ſudore, ſedantibus ſpiritus ſuperiùs propoſitis prohibendum hujus ſymptomatis augmentum. Veſicantia ſunt opportuna, animalia viva exanterata, & fomenta plantis pedum applicanda. Capiti verò non niſi declinante ſymptomate, ad citiorem materiæ reſolutionem, dum in principio attrahendo materiæ majorem concurſum promovere valent. In reliquis ſpiritus ſedantia in uſum deducenda, cardiacis & cordialibus mixta.

XIII. A venarum, & arteriarum plenitudine, per externorum vaſorum tumorem manifeſtata propenſione ad ſomnum, & ſine furore, particularem plenitudinem capitis demendam indicat per ſectionem venæ in fronte, & cucurbitulas in ſcapulis, & occipite ſcarificatas, & retrahendus ſanguis ad inferiora per veſicantia, & fomenta partibus inferis applicata, poſtque refrigerantia, & corroborantia ſuperiùs deſcripta unà cum ſedantibus propinanda; externa miſſo ſanguine tutò poſſunt uſurpari, ubi ante ſunt ſuſpecta; nam ſi refrigerant, magis ſanguinem in vaſis fixant, ſi calefaciunt ſanguinem rarefaciendo majorem faciunt plenitudinem.

CAP.

C A P. II.

De Vigiliis.

I. **V**Igiliæ non minùs ſunt timendæ ipſo delirio, quia ad hoc ſunt via, & quia vires facillimè, & citò diſſolvunt. Quibus ut provideatur advertendum eſt vigilias in expanſione ſpirituum conſiſtere, qua organa ſenſuum externorum ſint in continua, & actuali diſpoſitione ad percipienda objecta occurrentia, & cum iſtis organum ſenſus communis; ab expanſione enim ſpirituum nervi, & membranæ tenduntur, & cum iſtis Fibræ cerebri illis correſpondentes, itaut ad quemlibet appulſum objecti externi moveantur, & cum motu ſentiat, ſenſione iſta multùm conferente ad ſenſuum exercitium: etenim ſicuti in chorda manu apprehenſa, & valdè extenſa, percuſſa ſentio manu motum percuſſionis, quem non percipio ſi laxata concidat; ita Fibræ nervorum tenſe non concidentes ad motus objectorum perceptionem valent. Iſta expanſio ſpirituum rectè explicatur, ſi eos concipiamus adinſtar elateris hnrologii circumvolutos cum tali partium diſpoſitione; ut dilatationem ſuam affectent, & preſſi ad ſuum ſtatum regredi conentur tamquam fila lanæ, quæ à gravi corpore oppreſſa in anguſtam molem contrahuntur, quo abrepto ſeſe explicant in maximum ſpatium. Hæc diſpoſitio habetur à partibus flexibilibus cum aliquali rigiditate, & duritie, cùm obſervemus ſolùm corpora flexibilia ac dura elaſtica vi donari. Talis conſtitutionis ſpirituum fundamentum deſumimus à violentia motus voluntarii, ab eorum magna expanſione dependente, quæ explicari non poteſt niſi ad hanc formam ſint elaborati, eo modo quo aeris dilatatio, & expanſio non poteſt rectè concipi, niſi poſito aerem ex pluribxs filamentis in ſe convolutis adinſtar elaterii componi.

II. Fit iſta expanſio ſpirituum, quando corpus premens abeſt, à preſſione enim conſtringuntur, & velut condenſantur, idcircò ſomnus irrepit, dum ſpiritus vel ab humore ſeroſo, vel vapore premitur, & ſi ſuccus nerveus, qui eſt eorum vehiculum deficiat, à preſſione liberi multum, & quantum poſſunt expanduntur, ſic aer in ligata veſica non inflata incluſus in vacuo veſicam ſummè attollit, & diſtendit deficiente aere externo & premente. A particulis igneis, ſpiritibus commixtis expanſio ſpirituum fit, dum iſte motu ſuo celerrimo, & cum impetu omnes circumvolutiones diſtendunt, ut evenit in pulvere Pyrio, in quo accenſus ignis aeris ſpiras evolvit, ut ad manus ſpatium extendi poſſit, & cum tanta violentia, ut quodcumque obſtaculum diſrumpat, & proſternat, ſic lignum & ferrum curvatum ſi ſecundum concavam partem incaleſcat dirigitur, dum à corpuſculis igneis pori hujus partis per curvitatem coarctatis dilatantur.

III. Omnes has cauſas in vigilia à Febre habemus, dum pars ſulphurea ſanguinis ſummè inflammabilis, & calida attenuata & volatilizata per efferveſcentiam ſubtiliſſimos cerebri poros penetrando, ſpiritibus animalibns permiſcetur, ſuo calore, & motu eos expandit non ſolùm in nervorum ductibus diſcurrentes, ſed etiam in ſubſtantia cerebri commorantes. Hi ſua expanſione cerebrum inflant, poros coarctant, & ſua reſiſtentia cuique ingreſſum defendunt aliquali craſſitie donato; quaptopter humor ſeroſus, & ſuccus nerveus per eos viam non invenit in ea copia, qua premere poſſit ſpiritus, hinc deficiente preſſore magis expanduntur, & continuò organa ſenſus externi, & interni actuant cum continua vigilia. Ab aſſiduo exercitio diſſoluta ſpirituum multitudine alii à ſanguine ſuppeditantur, unde brevi ſpirituoſis depauperatur particulis, in quarum deficientia ſpiritus animales minores facti, cerebrum antea inflatum concidit, & defatigati ſpiritus pororum oſtia deſerentes, ſeroſi humoris vi cedunt, qui ſubiens dictas poroſitates ſpiritus premendo coarctat, & ſtringit, unde à vigilia ad lethargum fit tranſitus, quod agit materia ſulphurea, poteſt etiam exigi à qualibet alia in motu concitata.

IV. Curatio Vigiliarum ex præmiſſis obtinebitur, primò ſulphuream materiam, & calidam temperando refrigerantibus in curatione delirii recenſitis, & ſanguinis miſſione, qua ſulphureæ & ſpirituoſæ materiæ copioſa evacuatione totum refrigeratur. Et ſi à capite emittatur, exhauſtis ibi ſpiritibus, ſeroſo humori patet via, victa eorùm reſiſtentia à ſociorum evacuatione manifeſta ab introducto in poros cerebri ſero: expanſi ſpiritus preſſi recolliguntur in anguſtius ſpatium, cum quietem ſomnum conciliante; poſt ſectam venam exhibenda quæ refrigerant ſuperiùs dicta; De veſicantibus non audeo determinare, video omnes Practicos in hoc concurrere, dubito tamen ne evacuando laticem nervoſum ſpiritus comprimentem, eorum expanſio ſuccedat, concurrente dolore hanc promovente: ſecundò fixantibus & motum materiæ ſulphureæ reprimentibus, quibus ſpiritus preſſi ab expanſione attrahuntur. Ad hoc valent omnia narcotica ſuperiùs propoſita, ſulphur. vitrioli, tinctura Antimon. ſal prunellæ, ſpiritus ſalis, & vitrioli dulcis, quæ cum refrigerantibus miſceri poſſunt e. g.

℞. *Aq. Lactuc.*
Flor. Papaver. errat. an. ℥. *iij.*
Ser. Caprin. ℥. *iv.*
Syrup. de Papaver. ℥. *i.*
Diacodion. ʒ. *vj. m.*

℞. *Aq. Plantaginis.*
Portulac.
Viol. an. ℥. *iv.*
Syrup. de Nymphææ ℥. *i.*
Diaſcord. ʒ. *i. m.*

Vel hoc in bolo præmittatur. Emulſiones cum hordeo, ſucco, & ſeminum melonum, & papaveris cum aquis prædictis extremæ conducunt. Præmiſſis Nepentes gr. iij. ex eis addito ſpiritu Vitrioli dulci ad ℈. ß. Pulvis ſequens laudatur.

℞. *Smaragdi.*
Hyacint.
Margarit.
Coral. pp.
Bol. Armen.
Scob. ebor. ãã. i. ℈. *m.*

Exhibenda cum aquis deſcriptis. Ex his parantur etiam lambitiva, ſæpiùs in die ſummenda per cochlearia. Externa conveniunt tum capiti, ut decocta ex herbis refrigerantibus, & narcoticis, & etiam pedibus.

V. Si materia nervis cerebri communicata ac ſpiritibus mixta ſolo motu peccaverit, fixantia dicta ſupplent, ſi maligna, vel alia qualitate acri prædita fuerit, quod ex Febris malignitate ſuſpicandum, ſupra ſcriptus pulvis utilis cum potione refrigerante & cordiali, admixtis quæ ſanguinem dulcificant, ut ſulphure fixo Antimonii, oculis Cancrorum, ſale Tartari fixo, & volatili, Tinctura Antimonii.

C A P. III.

De ſomno profundo.

I. **S**Omnus aliquando in expugnabilis Febricitantes corripit, cujus cauſa alia non eſt exiſtimanda quam ea, quæ naturalem ſomnum efficit, ſed præternaturam magis durans, & contumax Cauſa naturalis ſomni eſt obſtructio nervorum ſenſuum externorum, & pro majori parte eorum qui motui ſpontaneo inſerviunt. In ſomno enim ſenſus feriantur, & motus membrorum pro majori parte intermittit; & ſicuti ſenſus & motus vigent per ſpiritus nervorum ductus implentes, ita hi non poſſunt intermittere, niſi impedito influxu ſpirituum in nervos, & hoc impedimentum niſi in obſtructione nervorum inveniri poteſt; quod videtur maximè confirmatum ab eo, quod in ſomno nervi fatiſcunt, & concidunt; nam qui ſedentes dormiunt, capite nutant, manus concidunt, genua labunt, nervorum impotentiam, & imbecillitatem ad regenda membra præſeferentia. Dependenter ab impedito per obſtructionem tranſitu ſpiritum in organa motus, ita invincibilis ſomnus pendebit à contumaciori obſtructione nervorum cogente motum, & ſenſum longiori tempore præter naturæ leges intermittere.

II. Fit hæc obſtructio in Febribus, quando materia ſegregata naturæ errore in cerebri ſubſtantiam depravata

tà criſi deponitur, forſan quia pori nimis aperti cerebri materiam prædictam abſorbent, non aliter ac ſerum per renum ſubſtantiam poris perviam tranſcolatur; & lethargus ab hac cauſa in morbi progreſſu aliquibus ſignis coctionis apparentibus inſurgit. Aliquando ſanguis per ſummam efferveſcentiam rapidè circulans per arterias ab his in ſubſtantiam cerebri tantum ſanguinis diffunditur, ut à venis non poſſit totus abſorberi, unde à reſiduo pori cerebri obſtruuntur, ut in nervorum principia ſpiritus delabi non poſſit, impedita quandoque etiam ejus generatione, & hoc modo in acutis, & ardentibus Febribus fit lethargus, aliquando ſanguis à venis abſorptus, deficiente in eo calore coagulatur, & incraſſatur, unde tardè per eas movetur, ut ſit obſtaculo advenienti ab arteriis ſanguini, unguini, unde regurgitando per ſubſtantiam cerebri diffunditur, ſpirituum tranſitum prohibendo, & hoc ut plurimum evenit ubi pulſus ſunt parvi, anguſti, & oppreſſi, ob ſanguinem coagulatum difficillimæ rarefactionis, & ob ſtagnationem in corde ſpirituum defectus lethargum parit, quia ad hunc ſequitur diſſolutio ſanguinis, qui ab arteriis expreſſus ſua fluiditate ita ſpargitur per cerebrum, & penetralia ejus pervadit, venarum ingreſſum recuſando, unde ſua mora obſtructionem lethargi cauſam efficit, & hoc modo in malignis Febribus producitur lethargus; & in peſte multoties ab acido maſſam ſanguinis perfundente coagulatur in cerebro ſanguis, à quo pendet obſtructio, & hoc modo in principiis Febrium cum rigore invadentium ſomnus profundus irrepit coagulato ſanguine.

III. Adverte per obſtructionem non intelligendam eſſe omnimodam, qualis in Apoplexia, & Paralyſi, ſed talem quæ aliqualem ſpirituum numerum recipiat, non tamen ſufficientem ad munia vigilantium obeunda, vocati enim ſentiunt, & puncti ſe contrahunt, ſignum ſpiritus fluere ad ſenſus in aliqua copia, diminuta tamen, & quamvis poſſemus concipere cauſam ſomni per ſolam detentionem ſpirituum in materia cerebri ſubſtantiam innudante, à qua cùm non valeant ſe liberare, nervi & ſenſus organa deſtituta neceſſario inſtrumento pro ſuis operationibus ferientur, non poteſt tamen in tali materiæ innundatione non ſequi obſtructio pororum cerebri, quæ & impediti tranſitum eorum ſpirituum à vinculis prædictæ materiæ ſuo motu libertatem vindicantium, unde iſti reflexi in eadem materia de novo concentrantur.

IV. Curatio hujus ſymptomatis, lethalis in primo caſu, quærenda eſt in materiæ evacuatione, tàm per purgantia, cùm materia jam ſit aliquo modo diſgregata, quàm per venæ ſectionem in fronte, qua cerebri vaſa exinanita valeant exundantem materiam abſorbere. Conveniunt etiam veſicantia & brachiis, & cruribus, & capite. Poſt hæc liberandæ proroſitates, & nervorum principia à materia obſtruente, quod præſtant ſpiritus Cornu. C. Fulig. ſalis Armoniaci, ſuccin. ſal. Crani human. herbarum cephalicarum, Roſmarini, Salviæ, Lavendulæ, Caſtorem, ejus tinctura, & Aromatica, ut Elixir vitæ, aqua Cinnamomi, Thericalis, Mitridathum cum aquis cæphalicis, & antipopleticis, ut

℞. *Aqu. Lavendulæ, Rutæ an. ℥. i. ß.*
Cinnamom. ℥. i.
Tinct. Caſtor. ʒ. i.
Sal. Cran. human.
Roſmarini, Fuligin. an. ℈. ß.
Syrup. de ſtœcadæ ℥. i. m.

℞. *Aq. Puleg.*
Betonic. an. ℥. ij.
Theriacal. ℥. i.
Elixir. vitæ ℈. i.
Ol. Cor. C. gutt. vi.
Spir. ſal. Armon. gutt. viij.
Ambræ gutt. iij.
Syrup. de ſtœcadæ ℥. i. m.

Quæ per intervalla ſæpè propinetur, natibus admoveatur vas ſale urinæ, aut ſpiritus ſalis armoniaci, impletum decoctione nigellæ, & rutæ, ſæpiùs odorandum proponamus.

V. In ſecundo caſu venæ ſectio replicanda ex brachio, & ſi non cedat affectus, ex fronte, & alternatim præſcripta remedia propinanda, & quæ ſanguinis efferveſcentiam ſedant, de quibus alibi dictum. In hoc caſu poſt evacuationem ſanguinis oxyrodina repellentia in uſu erunt.

VI. In tertio caſu eadem remedia, quæ in primo conveniunt.

VII. Spirituum defectus reſarciendus per cardiaca aromatica, ut ſunt elixir vitæ proprietatis, Confectio ex hyacinto, ambra, ſpiritus vini, additis maci, nuce muſcata, granis juniperi, & poſtea temperando cum Julapio, & aqua roſarum, miſcendo alia quæ malignitati Febrili reſiſtunt.

VIII. Ab aciditate coagulante proveniens ſomnolentia; erit tollenda, iis quæ valent acidum imbibere, de quibus ſuperius dictum. Hoc ſolum monendum, quod in hoc caſu ſuperflua videntur veſicantia, dum acidum non temperant, nec cum à capite revellere valent, cum tota maſſa ſanguinis eo perfundatur.

CAP. IV.

De motibus convulſivis.

I. MOtus Convulſivi ferè ſemper lethargum, & delirium comitantur, & quandoque etiam ſine iſtis apparent, imminentis periculi mortis inditia. De ſubjecto ſymptomatis, non eſt dubitandum eſſe partes motui deſtinatas, nempè nervos & Fibras, ex quibus muſculi componuntur. Cauſa communiter irritans cenſetur, quæ aculeis partem ſentientem pungens ad motum determinat ſui contractione pro nocentis expulſione quod unà cum ſpiritu animali ad partes dictas deferri, eique conjungi non videtur controvertendum; nam ſive acris materia cum ſucco nervoſo per nervos vehatur, ſive cum ſpiritu vitali continuo, in animalium ſubſidium ab arteriis univerſis partibus ſubminiſtrato in eoſdem intrudatur, ſemper cum ſpiritibus erit unita; attamen Lectorem animadvertere vellem, quod in his motibus convulſivis ægri de nullo dolore conqueruntur, & ſi motus prædicti ſint univerſales & frequentes, & illi mente conſtent, & à qualibet etiam punctura levi in parte externa paſſionem percipiant, quare multo magis deberent percipere à materia copioſa aſſiduo irritamento partem ſentientem pungente, quod dubium poteſt proponere, an motus convulſivi à materia irritante & acri proveniant, & motivum ſuppeditare aliam inveſtigandi cauſam, quam proponere audeo ſolo fine veritatis indagandæ. Et eſt, ſi cum ſucco nerveo ſuperflua ſeroſitas Febrili fermento imbuta adjungatur, hæc à calore, Febrili efferveſcens in bullas attollitur plenas æthere illo, qui omnia liquida permeat, & movet, quibus diſruptis cum impetu, etherea illa ſubtilis materia exit, ut continentem nervum attolere valeat cum tremore, & contractione, non aliter ac in fructu ſuper prunas cocto materia illa ætherea igne ſoluta, corticem exteriorem dilatat, & diſrumpit, & cum ſibilo impetum demonſtrans exit. Hujus indicium colligo ex eo quod ſudore, vel urinæ profluvio ſuperveniente motus convulſivi ſolvantur. Æthercam ſubſtantiam in humidis contineri probat D. Mariote in tentamine de Aere, & ejus agendi modum violentum, & fulminantem patefacit Philoſ. Barg. Tom. 4. tract. 2. cap. 10. Poſſunt etiam hi motus edi à particulis ſalis non ſolutis, & ſpiritibus animalibus commixtis, dum à calore diſgregatæ, & aperti eorum pori ſubtiliſſimus æther in eis contentus cum magno impetu ejaculatur: eo modo quo à granis ſalis ſuper carbones accenſos injectis, cum crepitu exit, qui impetum materiæ moventis ſupponit: materiam æthercam in motu violentam, & fulminantem ſalina corpora pervadere, ſalnitrum oſtendit, cum ſulphure mixtum omnia obſtacula circumpoſita, etiam fortiſſima diruendo, & ſal Tartari, cujus primi ſpiritus in deſtillatione, qui ſunt mixti cum materia ætherea illa, tanto impetu moventur, ut capaciſſima diſrumpat receptacula. Hæc eadem materia ſalina non ſoluta, & conglomerata in arteriis quæ nervis adhærent, & in muſculo inſeruntur contenta, ſeparationem patiens, impetu ſuo nervos connexos ita irregulariter poteſt movere, ſunt verò mortis indicia, quia cerebri, & nervorum ſyſtema perturbatum oſtendunt; materiam heterogeneam, & eorum uſui impropriam admittentes, qua perturbationes durante ſpirituum generatio omnimoda pervertitur, vel generati depra-

depravantur cum vitæ neceſſaria deficientia; vel ſuppo-nunt ſanguinem ad diſſolutionem ultimam adductum, cum ſalinæ partes integræ ab aliis ſequeſtrantur, quod vitæ confinia imponit.

II. Qualiſcumque ſit horum motuum cauſa curationem non variat, cùm pro certo experientia conſtet nervos inquinamenta ſuo ſinu collecta, per urinam vel ſudores deponere, remediis his evacuationibus oportunis materia convulſiva evacuanda, propoſitis ſuperioribus Diaphoreticis, & præcipuè Corn. Cerv. Phil. & Cinnabari Antimonii, & Diureticis pariter deſcriptis, quæ continuò per cochlearia ſunt exhibenda; aquæ etiam potus largior bis in die concedendus, ut aucta ſeroſitate facilius ſudor vel urina proliciatur, quibus acida dulcificata addenda, quæ vim æthereæ ſubſtantiæ adimunt, ut patet in pulvere pyrio, & auro fulminante, quæ acido irrorata ignem non concipiunt.

C A P. V.

De Tuſſi.

I. CUm Tuſſim antè initia Febrilis paroxyſmi cum rigere invadentis, & uſque ad ejus augmentum affligere obſervemus, cum aliqua reſpirandi difficultate ab acido ſanguinem coagulante (prout pulſus parvitas & concentratio) provenire credendum eſt, quapropter tardè per pulmonum ſubſtantiam movetur, ejus vaſa implendo, & ſubſtantiam comprimendo, ut cum difficultate motui neceſſario ſupplere valeat, unde reſpirandi difficultas, à coagulato ſanguine ſeparata ſeroſi humoris portio, à diluto ſale, vel ſulphure ſuperfluo acris, inter inavia pulmonum ſpatia tranſudans, vel à circulatione ibi morans, continuo irritamento vellicando, expultricem ad expulſionem cum tuſſi determinat. Et ſi materia valdè ſubtilis fuerit, ſicca evadit, naturæ conatum ſua tenuitate eluendo, donec à calore, vel partis, vel Febris condenſata obediens reddatur. In quo caſu omni ſtudio corrigenda aciditas morboſa, & præter multa ſuperiùs dicta, ſequentia propono.

℞. *Piper. gr. vi.*
Lig. Aloes gr. viij.
Cardamomi gr. vi.
Spec. Aromat. roſat. ℈. ß.
Sal. Tartar. ʒ. ß.
Cum ſyrup. de quinq. rad. F. B.

Quibus ſuperbibatur ſequens hauſtus.

℞. *Aq. Puleg.*
Centaureæ ſcordii an. ℥. *ij.*
Theriacal. ℥. *i. m.*

℞. *Macis.*
Cinnam.
Cariophyl.
Piper. an. ℈. ß.
Muſchi.
Ambr. gr. iij.
Sal. Centaur.
Gentianæ an. ʒ. ß. *ſubtil. pul.*

Et cum vino generoſo ſumatur. quatuor horis antè acceſſionem. Nec formidanda horum medicamentorum acrimonia, tamquàm augmentativa acredinis ſeroſæ ſubſtantiæ pulmones irritantis, quia coagulationem ſanguinis prohibendo, illius ſeparationem defendit in tali tempore, eam reſervando in magis opportunum tempus, & in loco aptiori. In tuſſis actu moderanda materiei acrimonia, & tenuitas incraſſanda, quod præſtat oleum amygdalarum dulcium recens, cui miſceatur ſaccharum candidum, violatum pulverizatum in formam linimenti, vel ſaponea magiſtralis, vel ſyrup. Viol. de ibiſco, ſoluti cum Aq. Tuſſilag. & viol. addito ſpir. ſal. Armoniac. ad ſolutionem ſanguinis accelerandam.

II. Aliquando evenit tuſſis in Febrium initio, quæ ſine rigore, & frigore invadunt, nulla ſanguinis coagulatione prævia, ex eo quòd ſanguis multa materia ſeroſa, vel pituitoſa abundet ſine intima mixtione, ſed à quolibet motu ſanguinis aucto fermentatione ſeparatur, & in pulmones deponitur. Curatio hujus ſymptomatis in ſanguinis depuratione conſiſtet per purgantia, quæ ſi ab inſigni partium, inteſtinis vicinarum, obſtructione prohibeatur, reſpectu illarum augmenti, vel inflammationis, quæ ex majori humorum concurſu poſſint oriri, tentetur per diaphoretica, vel diuretica ſæpius propoſita. Materia jam fluxa per tuſſim eſt expurganda communibus expectorantibus.

C A P. VI.

De Cardialgia.

I. CArdialgia febricitantes etiam ex intermittente Febre ad extremum vitæ ducit, & multoties perimit, bile morſu oris ventriculi cum ſummo dolore vires reſolvente, cum perverſione cerebri, & cordis, cum quibus prædictum orificium ſummam habet connexionem. Bilis ab inteſtino Duodeno ad ſuperiora Ventriculi aſſurgit primò ſua volatilitate & copia, ſecundò ob motum periſtalticum inteſtini nimis violentum ſuperiora verſus, excitatum ab acrimonia bilis, quæ ad ventriculum delata ejus os corrodit cum dicto dolore & paſſione opprimente. Hinc minoranda bilis copia lenientibus, & minorantibus, quorum uſus ſi per quatuor, vel quinque horas paroxyſmum antecedat, multum præſtabit ad debellandam hujus ſymptomatis ferociam, ducta ad inferiora bile, quæ ſurſum ferri erat ſolita; inter cætera verò Tamarindi primum obtinent locum, quia bilem purgant, & aciditate fixant, quibus addi poſſunt Rhabarbarum cum aliquibus cordialibus; ſecundo corrigenda ejus volatilitas cum acidis omnibus & refrigerantibus, ut.

℞. *Seri Cap. depurat.* ℥. *iij.*
Vini Granat. ℥. *ij. m.*

℞. *Aq. Endiv.*
Cichor. an. ℥. *iij.*
Suc. Acetoſ. ℥. *ij.*
Limon. ℥. *i. m.*

℞. *Dec. Tamarind.* ℔. ß.
Aq. Hord. ℥. *iij. m.*

℞. *Aq. Cichor.*
Acetoſ. an. ℔. ß.
Spir. Vitriol. gutt. v. m.

Quæ in principio ſymptomatis propinanda, quibus ſi non mortificata maneat bilis, propinanda lambitiva ex refrigerantibus acidis, & cordialibus compoſita, ut.

℞. *Aq. Acetoſ.*
Malv. an. ℥. *ij.*
Vin. Granat. ℥. *ij.*
Confect. Alcherm.
Ex hyacint. an. ʒ. ß.
Spirit. Vitriol. gutt. viij. m.

℞. *Decoct. Tamarind.*
Aq. hord. an. ℥. *iij.*
Succ. Ribes. ℥. *ij.*
Spec. Diamarg. Frig. ʒ. *ij.*
Julap. gem. ʒ. *i. m.*

His intermiſcenda alternatim anodyna per cochlearia, inter quæ nullum eſt magis efficax oleo amigdalarum dulcium, quod cum ſucco granatorum poteſt miſceri. Motus inteſtini duodeni narcoticis moderabimur ante acceſſionem exhibitis, & etiam clyſteribus ex lacte cum eiſdem narcoticis, quibus materia bilioſa revellitur, & motus perverſus ſedabitur. Exterius convenit etiam regioni ventriculi veſica lacte tepido plena, & linimentum ex mucilagine ſeminum cidoniorum, & malvæ cum pinguedine gallinæ. Vomitum provocare in Cardialgia non laudo, ne major bilis concurſus fiat ad ſuperius os ventriculi, & acrimonia ſua, vel corrodat illud, vel diſſolvat, ſi natura excitat, & anguſtiæ ab hoc ægro proveniant, adjuvandus eis quæ acrimoniam moderantur, vel oleo amig. dul. cum aqua malvarum tepida, vel jure pingui, cum aqua hordei tepida. Sanguinis miſſionem convenire in hoc affectu non video, quia humor eſt extra vaſa, & alienus à ſanguine, unde nec evacuare, nec revellere valet; ſolum virium diſſolutionem poteſt facilitare cum ſummo detrimento, & earum extinctionis periculo.

CAP. VII.

De Vomitu.

I. Vomitus non minoris moleſtiæ quandoque eſt in Febribus, originem trahens à materia Fibras carneas ventriculi in ſiniſtra parte conſtitutas vehementi irritatione laceſſente, itaut hæ contractæ orificium inferius ad ſe trahant, & fundum verſus orificium ſuperiùs elevent, materiam in eo contentam per oſophagum in eo deponendo. Materia in Febre intermittente à vaſe bilario, & pancreatico ſuppeditatur, quapropter ejus qualitas indaganda, an acida, an amara, ſi prima, ſuccum Pancreaticum in quantitate, & qualitate peccare oſtendit. Sic ejus copia ſit in ventriculo, vomitivis levibus expurganda & minuenda, poſtea emendandus hic per ea, quæ acidum mortificare ſuperiùs diximus, additis quæ corroborant adſtringendo ventriculum, & acido ſint inimica, ut raſura eboris, Corallia, Perlæ, Bolus Armena, & Cornu Cervi uſtum, & omnia tartarea, & teſtacea; & poſt evacuandus per hydragoga, etiam ſi ſtatus Febris non permittat, cum ſymptoma in tali caſu rationem magis urgentis induat, & materia in cavitate ventriculi contenta ſit præparata ad exitum. Advertendum an hoc acidum quod excernitur ſit craſſum, vel quia tale in Pancreate elaboretur, vel quia pituitæ miſceatur. Eis quæ ad acidi curationem exhibentur admiſcenda quæ incidant, ut ſalia fixa febrifuga, & volatilia ſuperiùs memorata, & purgantibus miſcenda quæ pituitam educant; ſi verò materia ſit amara, bilem peccare denotat, in quo caſu eſt minoranda per vomitiva blanda, poſtea per cholagoga, deinde mortificanda per ea, quæ mox de cardialgia diximus, & alibi de Febre à bile inculcavimus. Corroborantia etiam in hoc unienda, quæ bilem corrigant, ut ſunt ſuccus vel miva cidoniorum, berberis, vinum granatorum, ſyruptus vel ſuccus ribes, ſyr. de agreſta, &c. Quomodo omnes bilis ſpecies ſunt corrigendæ, cùm non niſi colore, & raritate vel craſſitie differant, quæ a calore, vel corruptione acquirunt retenta acrimonia, à qua ſymptomatis origo, & remediorum invariatio. Excipere tamen licet bilem æruginoſam, quæ multum acidi in ſe continet, quod colligitur ab efferveſcentia quam excitat, ſi in terram effundatur, & hanc mutuatur à ſucco Pancreatico, à quo primo per efferveſcentiam bilis acrimonia debilitatur, & quando in magna copia effunditur, & intenſe acidus fuerit, corrumpitur bilis, cui novus humor acidus inſtillatus, adveniente calore intenſo, qui ſalis acris bilis acrimoniam, & pancreatis ſuccum ſubtiliando, ejus aciditatem efficaciorem reddit, unde ex horum miſcella fit humor maximè acris & corroſivus. Sed in acido prædominans, eadem exigentur remedia ſuperiùs ad acidi correctionem indicata, oleoſa tamen Alkalica, ut ſpiritus ſeu oleum cornu cervi, fuliginis, urinæ, & olea aromatica.

II. Si in Febre continua, & ſanguinis maſſam primari ò infeſtante vomitus ſuccedat, contingere certum eſt à materia ſeroſa in ejus cavitatem ab Arteriis eructata, irritativa, & mordicante qualitate donata, à cujus ſapore deſumenda hujus humoris correctionis regula; nam vel eſt amara, vel acida, vel corroſiva, & acris, & ita habent communia remedia cum ſupradictis humoribus. Ad aliundè verò vertendam hanc materiam conveniunt diaphoretica, diuretica, quinimò purgantia, & venæ ſectio, præcipuè ſi in initio Febris adveniat ſymptoma, & etiam in progreſſu, ſi vires conſtent. Si cum Febre maligna conjungatur hoc ſymptoma, unienda alexipharmaca cum eis, quæ qualitatem manifeſtam humorum corrigunt. Aliquando materia nulla per vomitum excernitur ceſſante hujus affluxu ad ventriculum, attamen cibus evomitur, quod duplici ratione contingere puto. Primò quia aliqua tinctura humoris depravati in tunica ventriculi interna remanet, intra illius plicas coercitas, quæ à cibo diluta à tenuioribus iſtius particulis ad membranam nerveam, & illam carnoſis Fibris intextam defertur, quas irritando ad expulſionem premover, quod nobis indicabitur ab aliqua mora cibi in ventriculo; ſubitò enim non poteſt tincturam in ſe accipere, & ad interiores partes deferre, in quo caſu abſtergentibus aquis utendum ad abluendam tincturam, ut aqua hordei cum ſpiritu vitrioli cum ſale tartari, ſerum caprinum depuratum cum cremore tartari, vel ſale prunellæ, vel ejus in quo bullierit hordeum integrum, & malva cum ſucco limonum; ſecundò quia ſpiritus animales in Fibris nerveis & carnoſis contenti, à quolibet motu ad eaſdem inordinationes à materia irritante excitatas redeunt, ex eo quod ob motum violentum contractionis defatigatæ Fibræ ab appulſu cujuslibet materiæ dolent, non aliter ac pars dolore defatigata, ac ceſſato ſi leviter tangatur etiam dolet, ab hoc dolore in prædictas inordinationes redeunt, hujuſque inditium deſumere poſſumus ab eo quod ſtatim à cibo ſequitur vomitus, cùm à motu per cibum Fibris impreſſo inordinationes illæ Fibrarum revocantur, pro quo refocillandi ſunt ſpirtus cardiacis, nempè confect. ex Hyacint. alkerm. Elix. propriet. julap. gem. theriac. mitrid. aq. tot. citr. ſcorzon. & eorum propenſio ad motus inordinatos moderanda cum eis, quæ figunt ſine acrimonia, ut aq. Papav. errat. Nenuph. Viol. Diacod. Diaſcord. Theriac. recent. Fibrarumque paſſio demulcenda dulcibus corroborantibus, ut ſyrup. de abſynth. de cort. Citri. Aq. cinnam. ut

℞. *Aq. flor. Papav. Errat.* ℥. *ij.*
Cinnam. ℥. ß.
Confect. Alkerm. ℈. *i.*
Syr. de Cort. citri ʒ. *i.* ß.

Hæc potio calida per cochlearia propinatur. Ex aliis innumera poſſunt parari, cum hac animadverſione quod calida, niſi Febris ſit in declinatione, non propinanda, vel pauca admiſcenda ex iſtis cum eis, quæ pro Febre exhibentur, exterius fomenta ex decoct. Abſynt. Menthæ, Aromata in vino conveniunt ad partis tonum conſervandum. Adſtringentia omninò vitanda ſuperſtite materia in ventriculo quia hoc magis concentrant, & firmant.

CAP. VIII.

De ſingultu.

I. Singultus ex ſui natura ſemper periculoſus, in Febri verò lethalis. Hoc ſymptoma ſi conjunctum eſt cum dolore oris ventriculi, materiam ſuo irritamento dolorem huic pati imprimentem, ſtimulos diaphragmati, cui alligatur, ad ſui contractionem violentam interruptam addere denotat, à qua ſonitus ille, qui in ſingultu percipitur provenit, & reſpiratio aliquo modo impedita pendet: ſi in principio morbi appareat, materiam in ventriculo congeſtam ſupponit, quæ vomitu, vel purgatione tollenda, cautellis de cardialgia propoſitis. Reliquum quod ſupererit attemperatione, & reſolutione indiget, quod præſtare poteſt ſequens Apozema per cochlearia exhibitum.

℞. *Hord. mund. m. i. ſem. Papav. alb.*
Sem. quatuor. frigid. major. an. ℥. *i.*
Sem. Portul. lactuc. an. ʒ. ß.
Sem. Aniſi Anet. fœnicul. an. ʒ. *i.*
Flor. cordial liquirit. raſæ. ʒ. *iij.*

coquantur in. ſ. q. aquæ ſia. De hoc cap. lib. I. Aromatiz. cum ſpec. Diatragan. Frig. Diathod. abbatis, trium ſantal. an. ℈. i. Adde

Syrup. violar. Roſar. ſimp. an. ℥. *i.* ß.

Idem poteſt præſtare oleum amyg. dulc. recens, eodem modo exhibitum per cochlearia, addendo ſalis theriac. gr. i. vel ij. Idem præſtabit emulſio quatuor ſem. frigid. & amigd. dul. excort. extracta cum aq. Papav. errat. ℥. viij. cui adde Aquæ menthæ ℥. i. theriac. ʒ. ß. m. quod ſi non ſuperetur ſymptoma, utendum phlegmate vitrioli per novem vices ſupra ſuum caput mortuorum cohobatum ad ℈. ij. in qua ceraſorum nigrorum, lumbicorum, menthæ, vel Papav. errat. ʒ. iv. per cochlearia exhibita. Si verò in progreſſu morbi adveniat ſingultus, materiam circa dictas partes tranſmiſſam ab arteriis credendum eſt, & de inflammatione earum partium ſuſpicandum, ideò in tali caſu cùm materia acris, & qualitate peccans ſit in motu leni purgante educendam eſſe judicarem, nempè cum caſſia, vel manna, addito aliquo cordiali, & ſi vires non prohiberent; aliqualem miſſionem ſanguinis inſtituendam judicarem, ad evitandam inflammationem,

poſt

poſt quæ materia ſegregata ad alias vias per diaphoreſim, vel diureſim eſt ducenda. Et quæ remanet in parte demulcenda, & diſſolvenda, & ſedandi ſpiritus jam propoſitis medicamentis.

II. Si ſine dolore oris ventriculi ſingultus affligat, exiſtimandum eam provenire à diſtenſione nerveæ tunicæ ventriculi, per quam hic ad modum veſicæ inflatæ ita attollitur, ut diaphragma ſuperiùs incumbens in ſua depreſſione in illum impingens retrocedere cogatur, cum eodem impulſu ſecundùm quem illum impingit, & ita impeditur libera reſpiratio, & in reditu violento ſonum erit. Diſtenſio verò prædictæ tunicæ habetur, vel à copia flatuum, qui mineram ſui habent in civitate ventriculi, vel à materia ſpiritus ejuſdem tunicæ incolas in furorem comitante, quia eis maximè diſſimilis, nec aſſociabilis, ideoque eorum irritativa ad aſſumendos conatus pro ea ſubigenda vel expellenda. Pro ſedatione hujus ſymptomatis patet mineram materiæ irritantis, & diſtendentis eſſe evacuandam, vel vomitu, vel purgatione, eaque eſt ſecundùm qualitates moderanda prædictis demulcentibus, addendo ſpiritum nitri, quo flatus tuto diſcutiuntur, & ſalia oleoſa volatilia, & ſpirit. fulig. corn. cerv. ſal. armoniac. ſpiritus eodem tempore ſedandi dictis ſedativis cum tinctura Gaſtorei, ſuccini, facta cum ſuccino flavò in pulverem redacto, & in ſpiritu vini optimè rectificato, leni calore diſſoluto, oleis aromaticis, macis, cinam. cariophil. cum decoct. vel aq. Pæoniæ, Angelicæ, Valerianæ, Bardanæ, Tamariſci, Chamedrios, Contrayervæ, Serpentariæ, quibus ſedantur ſpiritus, & heteroganea materia diſſipatur; non enim in hoc caſu tam cautè procedendum in calidiorum aſſumptione, ſicuti quando oris ventriculi dolor infeſtat; iſtis verò vel abſtinendum, vel temperanda ſunt, quando hujuſmodi ſingultus in ſtatu morbi provenit cum ſuſpicione inflammationis, in quo caſu non recedendum à ſedativis in primo caſu propoſitis. Exterius valet ægrum faſcia ſtringere in regione ventriculi, andina & reſolventia ibidem applicarem, ut omentum in oleo Abſynthii, & maſticis excalefactum, ſpongia aceto imbuta, in quo bullierit Piper. Gaſtor. ſinapi, Mentha, pulegium, Acorum.

III. Animadvertendo quòd calidorum uſus non ſit in Febris vigore, cùm vel iſta Frigidis temperentur, ſed dulcificantibus materiam acrem. Sicuti ſi in maligna Febre inciderit ſingultus, remedia huic proportionata alexipharmacis unienda, vel eis utendum quæ utrinſque cauſam reſpiciunt, ut ſunt radices Imperator. Angelicæ, ſordii, valerianæ, ſcorzoneræ, &c. & reſolventia materiam, & ſpiritus animales in ordine detinent, & eo magis ſi unà cum materia modificantibus adhibeantur.

CAP. IX.

De Alui fluxu.

I. ALui fluxus in Febribus, & ægro & Medico importunus nullum enim ſymptoma in his tantam trahit difficultatem quantum hoc pro cujus curatione; ſupponendum alui fluxum poſſe pendere à motu ſanguinis ad ſui depurationem tendente, ex eo quòd cum multis impuritatibus depravatur, motu ſuo à puriotibus particulis impuras ſecernit, & ſeparat, atque ad vaſa excretioni dicata tranſmittit, vel circulando ibi relinquit, & in hoc caſu nihil operandum eſt, quòd hujuſmodi fluxum interrumpere valeat, etiamſi in principio Febris apparuerit, quapropter etiam à miſſione ſanguinis ſuperſedendum, cùm per hanc talis motus impediri poſſit, & remanente humore pravo in venis, niſi Febris incrementum expectandum eſt, lenientia tamen non prohibentur, cùm talem motum adjuvent, & clyſteres omni die iniciendi ad addenda naturæ ſtimula, ne inceptam intermittat viam: corroborantia in pauca quantitate cum Febrilibus miſceantur, ut coral. margar. terr. ſigil. ocul. cancr. ad conſervandam ſanguinis compagem, ne à motu tali diſſolvatur. Percipimus verò motum ſanguinis eſſe depurativum ex habitu cacochymo, ex prægteſſis erroribus, quibus humorum excrementitiorum copia colligi poſſit, ſi abſit ab excretis fœtor, ſi urinæ ſint bonæ, non turbatæ, ſi vires firmæ, ſi pulſus elevatus, magnus, robuſtus, & Febris vel intermiſerit, & ad magnam, & ſenſibilem declinationem pervenerit. Si motus ſanguinis, quo fluxus excitatur, ad ejus corruptionem, & diſſolutionem tendat, & humores excreti actu in ſanguine non præexiſtant, ſed continuò generentur ex corruptis, & diſſolutis ſanguinis particulis

II. Quando enim iſte ob ſanguinis laxitatem, non ſuo vitio, à tota maſſa ſegregantur, texturam ſanguineæ maſſæ amittunt, & aliam inordinatam excrementis adæquatam aſſumunt.

III. In hoc caſu alui fluxus eſt comprimendus, quia ſervanda eſt maſſa ſanguinis à corruptione, in qua vitæ inſtrumenta, ſeu potiùs ipſa vita vegetativa, & ſenſitiva latet. Nec timenda ſunt damna, quæ in præcedenti caſu poſſunt contingere ex ſuppreſſione talis motus, quia humores excrementitii, qui ſecernuntur per alvum, non ſunt actu in venis, ſed ſolùm potentia, ideoque ſuppreſſo hoc motu nullum iminet periculum, idcircò in hoc caſu non eſt abſtinendum à venæ ſectione, qua motus prædictus poteſt cohiberi, vel alius introduci contrarius. Nec exiſtimandum eſt Galenum, quando præcipit non eſſe minorandum ſanguinem in alui fluxu, locutum eſſe de eo, qui à motu ſanguinis corruptivo pendet; nam ad arcendam à ſanguine putredinem adeò ſollicitus fuit, ut prodiderit univerſale axioma eſſe omnibus Febribus putridis mittendum eſſe ſanguinem, inſinuando ſanguinis miſſione putredinem poſſe cohiberi; ſi ſecta vena non tollatur hic motus, conſiderandum eſt iſtum ſanguinem determinari ab aliqua materia etherogenea ei mixta, ut ad iſtius expulſionem incumbendum, quam præſtare poſſunt diaphoretica, diuretica, quæ ſi ſuum non ſortiantur effectum, adſtringentia compagem ſanguinis reſtaurantia uſurpanda, inter quæ valent coral. margaritæ, croc. mart. adſtring. Acacia. Et ſi Febris hæc non admittat, curam coactam ſymptomatis magis urgentis conſulit, alternatim tamen Febrilibus medicamentis utendum, à ſalibus alkalicis fixis volatilibuſque abſtinendum, cum adjuvent diſſolutionem. Et hæc ultima pro ſudore vel urina excitanda pauca doſi uſurpanda cùm aliis mixta, idcircò meliùs eſt uti Cinabrio Antimonio, Bezoar. corn. cer. philoſ. antim. diaph. niſi ſudorem natura moveat; nam tunc certis erimus de operatione medicamenti, & ſi agitationem promovebit, extraneum ſudorem proliciet, & cum hoc motus corruptivus in ſanguine ceſſabit. Hic indicabitur à febre, quæ nullam habet declinationem, à pulſu parvo, debili, compreſſo, à virium reſolutione ſubita, ab urina turbata, à fœtore excrementorum. Hæc ſigna ſi appareant in priori caſu motus depurativi poſt aliquot dies, indicabunt tranſitum à motu depurativo ad corruptionem, ideoque eadem inſtituenda curatio ac in hoc caſu, non derelicta tamen ſauguinis miſſione, dummodò vires conſtant, ob rationes pro hac ſuprà dictas.

CAP. X.

De Parotidibus.

I. SUnt Parotides glandularum circa aures inflammationes in Febribus, genitæ à tranſmiſſione alicujus humoris peccantis ad prædictas glandulas. Talis tranſmiſſio fit per arterias, & nervos his partibus inſertos, & materia tranſmiſſa exitum non inveniens per venas, & vaſa lymphatica, ſecundùm quantitatem fluxam cogitur in partibus prædictis ſtagnare, eas in tumorem attollendo.

II. Hinc patet Parotides in Febribus à motu naturæ pendere, quo materiam morbificam à maſſa ſanguinea expellere contendit.

III. Idcircò adjuvandus eſt talis motus primò laxantibus partem, ut majus ſpatium advenienti materiæ paretur, quod efficiunt oleum Amig. dul. lib. alb. Pinguedines Anatis, & Gallinæ. Fomenta tepida ex decocto malvæ, althææ, fenugræci, & ſimilium, & ab iſtis tumorem excreſcere non videmus, vel quia materia locum non inveniat in parte, vel quia natura à motu incepto ceſſaverit, manus ſunt huic exhibendæ ad perficiendum incœptum motum, applicando cucurbitulas, à

quibus ſi tumor incrementum ſuſcipit, collecta materia communibus ſupurantibus eſt præparanda, & ad maturitatem ducta, aperto tumore, ſi ſpontè non rumpatur, evacuanda. Et quotieſcumque concoctæ materiæ ſigna appareant, aperiendus eſt tumor, cùm experientia conſtet, ex retentione materiæ multa damna contigiſſe, prout obſervavit Gulielmus Fabricius cent. 1. obſer. 39.

IV. Parotides in Febre maligna ſi contingant, tumor ſuppurationi reſiſtens, nec incrementum ſuſcipiens ſcarificandus, ut malignæ materiæ venenum tranſpiret. Poſtea ſupradictis emollientibus, & ſuppurantibus utendum.

V. Materia nec attrahentibus nec emollientibus obediente, aliò derivanda, ne intra venas detenta naturæ præcipitia inferat, & purgantia in hoc caſu maximè conducunt, ſi vires iſtam ferre poſſint, quandoque enim in malignis Febribus Parotides apparent maximæ virium proſtrationi conjunctæ & tunc clyſteribus ſolùm utendum, & veſicantia ſupra parotides ad derivandam à capite materiam, & ad maligni effluvii tranſpirationem non improbanda judicarem.

CAP. XI.

De Peticulis.

I. Efloreſcentiæ ſanguinis in aliquibus Febribus, & præcipuè mali moris, per cutem apparentes ſimiles maculis a morſu publicum relictis, Peticulæ dicuntur, ſymptoma valdè timendum non ratione ſui, ſed ratione ſigni.

II. Hujus origo eſt ſanguinis ſecundùm aliquas ſui partes coagulatio, quæ per ambitum corporis circulantes per remotionem à fonte caloris, & approximationem extrinſeco ambienti magis condenſatæ circularem motum cum aliis continuare non poſſunt, unde in eodem ambitu corporis fixæ manentes, prædictas maculas præſentant.

III. Hinc patet, ſignum eſſe malum, quia dictam coagulationem præmonſtrat, & eò deteriùs evadit, ſi maculæ lividi vel nigri ſint coloris, prædicendo ſanguinem ſecundùm dictas ſui partes prævia coagulatione ad integram putredinem tranſiſſe.

IV. Hoc ſymptoma vel apparet in principio Febris, vel apparentibus ſignis concoctionis. Si primùm mali eſt præſagii, indicando Febrem à coagulatione ſanguinis ſua recepiſſe principia, idcirco diſcoagulantibus ſtatim nullo habito reſpectu temporis Febrilis utendum, quia imminet periculum putredinis ſecundùm totum, ad quod declinandum cæteræ indicationes cadere debent, & quia diaphoretica multoties memorata ſummam activitatem habent ad diſcoagulandum, his etiam Febre in initio univerſali exiſtente ægris ſalus eſt tentanda, ad quem finem conducunt etiam omnia ſalia fixa ſimplicium cephalicorum, & Febrifugorum, ſal tartari volatile, & ſulphura mineralium, pluribus in locis ſect. 2. deſcriptorum. Sanguinis miſſio in hoc caſu regulanda eſt dependenter à dictis in capite ſec. pr. ſec. de tarda efferveſcentia coagulationi ſanguinis ſemper conjuncta, & hæc obſervanda in quocumque tempore Febris, deficientibus ſignis concoctionis. Cucurbitulæ communiter à Practicis ad uſum audacter in eum finem quoque exercentur, & commendantur, videntur ſuperfluæ; ajunt enim per has adjuvari motum naturæ, medium denominatum inter ſymptomaticum & criticum; cum verò ex dictis pateat à ſola impotentia ſanguinis coagulati ad motum, non à conatu naturæ has maculas oriri, patet ſuperfluas eſſe ad hunc adjuvandum, quando non adeſt. Nihilominus quia valent ſanguineas particulas coagulatas in majori copia ſegregare, non ſunt negligendæ. Quod dicendum eſt etiam de Frictionibus, quæ alterum etiam commodum exhibent, nempè ſanguinem attenuando, circulantem per corporis ambitum in confricatis partibus, quo medio ab ulteriori coagulatione poteſt vindicari, & introducta minui.

V. Peticulæ apparentes cùm evidentibus ſignis concoctionis, etiam coagulationem pro cauſa habent, ſed illius materiæ efferveſcentiam Febrilem operantis, ideoque morboſæ, vel præternaturali conditione inſignitæ. Hæc materia vel eſt Acidum, & Alkali ſanguinis in majori copia quam ſtatui naturalis efferveſcentiæ conveniat excitatum, præternaturalemque efferveſcentiam inducens, & utrumque ex ſui natura habet poſt efferveſcentiam ſimul in unum coagulari, vel materia morboſa, eſt ſolùm excitativa majoris acidi, & alkali, & hæc his contrariis unita in horum coagulatione fixatur, utroque modo ſuccedente data coagulatione ſanguineas particulas ſecum unit, & continuo efferveſcentiæ motu à ſanguine diſgregata, dum hic per ambitum corporis circulatur eas ibi relinquit, totam ſui maſſam hoc medio à morboſa, & fermentativa materia liberando; Et hic eſt motus naturæ Criticus, auxiliares Medici manus expoſcens, cùm difficile ſit hoc modo à coagulata materia totum ſanguinem liberare. Idcircò diaphoretica ad ambitum corporis materiam expellentia conveniunt. Nec aliis remediis opus habemus, cùm ab iiſdem talis introducatur efferveſcentia apta ad integram diſgregationem coagulatæ materiæ à reliquis partibus ſanguinis. Scio multos ſanguinis miſſionem laudare, ſuſpectam tamen hanc ſemper habui, quia efferveſcentiam moderando ſeparationem morboſæ materiæ impedit, & motum ſanguinis depurativum alterando, alium poteſt introducere, quo excrementa præcipitata poſt coagulationem de novo ſanguini miſceantur, cum renovata ſanguineæ maſſæ defœdatione. Poteſt tamen contingere, quòd ſpiritus impetum faciens pro ſegregatione prædictæ materiæ adeò excandeſcat, immoderatam efferveſcentiam in cruoris maſſa accendendo, ut plenitudinem venarum à nimia rarefactione conſtituat, impedientem excrementitii coinquinamenti expulſionem; vel mixtionis vinculum in ſanguine laxando diſpoſitionem ad citam putredinem introducat, & tunc non eſt dubitandum de utilitate phlebotomiæ, quia plenitudo minoratur, & inordinatus efferveſcentiæ motus ordinatur. Cùm tali tamen moderamine eſt exercenda, ut evacuato ſanguine mediocris efferveſcentia remaneat, apta ad ſui depurationem. Cucurbitulæ & frictiones ſunt adminiſtrandæ ob rationes ſuperiùs dictas.

VI. Pro concluſione hujus operis unum ſolum animadverto, me non improbare Antiquorum remedia in Febribus, imò ea laudare, & ſi ferè ſolùm chymica propoſui, id feci quia majoris ſunt activitatis ad propoſitas indicationes explendas, & etiam quia principiis Alkali, & Acidi hujus operis fundamenta magis correſpondent, ſi tamen in deſpectu eſſent hujuſmodi remedia, vel Artifices ad ea paranda deficerent, antiquorum remediis quilibet inſiſtat, cùm hac animadverſione, quòd omnia quæ incidentia, deobſtruentia, & attenuantia ab Antiquis dicuntur, in claſſe Alkalicorum recentiores reponere. Quæ verò condenſant, adſtringunt, acido oculto, vel manifeſto ſapore refecta, in Acidorùm numero Neoterici deſcribunt. Omnia frigida in ſcholis veterum decantata ſunt Alkalica, prout patet ex dictis de alkali in ſect. prima, non tamen ſolventia, quia non habent in ſe Alkali corroſivum, ſed ſolum naturale, quod valet imbibere acidum illi occurrens, non compagem corporis in quod incidunt ſolvere, idcircò immoderatas ſedant efferveſcentias Acidi efferveſcentis imbibitione, non augent ſolvente corroſivo deſtituta, quod faciunt ſalina Alkalica à natura producta, vel per incinerationem ab arte comperata.

FINIS.

ELEN-

ELENCHUS CAPITUM.

SECTIO I.

De Febribus Continuis.

CAP. I. Pag. 1.

De Principiis ſanguinis, unde de Alkali, & Acido.

Sanguinis principia ex Alkali, & Acidis §. 1. Acidum eſt Ignis Elementaris §. 2. cur multa intenſæ Acida non calefaciunt §. 3. Acidum mixtorum eſt eorundem ſeminale principium §. 4. Proprietates hujus Acidi ſeminalis §. 5. modificatio Acidi §. 6. Acidum hoc modificatum agnovit Ariſtoteles §. 8. modificatio hæc quomodo contingat §. 9. Auctor Naturæ cauſa hujus modificationis §. 10. Acidum Neotericorum huic analogum §. 11. Alkali quid §. 12. Verum Alkali quæ conſtituant §. 13. Plurimis poroſitatibus gaudet ubicumque ſit §. 14. Aliud alio magis compoſitum §. 15. Alkali, & Acidum quomodo conveniunt §. 16. Acidi munus eſt coagulare §. 17. Coagulationis ratio in quo fundatur §. 18. Acidum coagulare demonſtratur per experimenta §. 19. Alkali officium §. 20. Acidi variæ differentia §. 21. Corpora quædam nec Alkalica ſunt nec Acida §. 22. Sanguini hæc duo principia inſunt §. 23. Acido, & Alkali ſanguinis ſui ſunt modi §. 24.

CAP. II. pag. 5.

De Effervescentia præternaturali ſanguinis.

Definitio §. 1. Differentiæ §. 2. Tarda §. 3. hujus cauſa §. 4. Mediocris §. 5. Effervescentia p. n. ad Febrilis incendii ſedationem confert §. 6. Utilitas effervescentiæ mediocris §. 7. Pulſus effervescentiæ differentias præbet §. 8.

CAP. III. pag. 6.

De modo curandi Febres continuas cum immoderata Effervescentia.

Febris Alkalicæ cauſæ ſigna curatio §. 1. 2. 3. Venæ ſectioni quando locus §. 4. Effervescentiæ in ſtatu Febrium imminutio §. 4. Quæ venæ ſecundæ §. 5. Helmontius in quævis Febre V. s. reprobat §. 6. Purgantibus quando locus §. 7. Eradicativa purgatio §. 8. In cujuſvis Febris declinatione an purgandum §. 9. Conditiones obſervandæ in purg. §. 10. Vomitui quando locus §. 11. Clyſterium utilitas §. 12. Medicamentorum alterantium uſus §. 13. Qualia §. 14. Adſtringentia quando refrigerantibus miſcenda §. 15. Horum materia §. 16. 17. 18. Cardiacorum calidorum noxa §. 19. Diaphoretica noxia §. 20. Diæta qualis §. 21. Sanguineæ maſſæ diſſolutionis ſigna ex urina, & pulſu §. 22. Sanguinis craſſitiei, notæ ex iiſdem fontibus, & curatio Febris unde ortæ §. 23.

CAP. IV. pag. 10.

De modo curandi Febres cum lenta Effervescentia præternaturali.

Urina aquæ ſimilis unde, & quid ſignificet, Et Febris ab hac cauſa excitatæ curatio §. 1. Venæ ſectio, & Purgatio hic conveniunt §. 2. Nimia ſanguinis copia aliquando lentam effervescentiam efficit §. 3. Lenientia medicamenta conveniunt §. 4. Enemata inutilia §. 5. Victus ratio §. 6. Febris à ſanguinis putredine ſigna, & curatio §. 7. Febres factæ à ſanguinis coagulatione quomodo diſtinguantur ab iis, quas facit diſſolutio §. 8. Febris inflammatione alicujus partis ſigna §. 9.

CAP. V. pag. 13.

De Effervescentia mediocri ſed præter naturali curanda.

Effervescentiæ mediocris ſigna §. 1. Larga ſ.m. in ea noxia §. 2. Purgantia qualia §. 3. Alterantia §. 4. In effervescentia modica cum urina valdè rubra quid agendum §. 5. Si urina alba, & tenuæ quid §. 6. victus ratio qualis §. 7. Hecticæ Febris effervescentia §. 8. Quodnam vitium ſanguinis in hectica §. 9. Aciditas ſanguinis in ea eſt modica §. 10. Indicationes curativæ §. 11. Aquæ à practicis præſcriptæ utiles §. 12. Febres Comitatæ quales §. 13.

SECTIO II. pag. 13.

De Febribus Intermittentibus.

Intermittentes Febres quæ §. 1.

CAP. I. pag. 14.

De Febrili acceſſione cum frigore, rigore. cui ſuccedit calor intenſus.

Acidum in iis peccat §. 1. Hujus aciditatis ſubjectum §. 2. Sanguinis, & ſpiritui quando communicatur §. 3. Materia humoralis eſt rigoris cauſa, alia ab ea quæ calorem facit §. 4. Indicationes curativæ §. 5. Medicamentorum formulæ §. 6. Quando propinanda §. 7. Calore expanſo quid agendum, §. 8. Obſtructionum ratio præcipuè habenda §. 9. Cautio in uſu Alkalicorum §. 10. Tempus exhibendi deobſtruentia §. 11. China Chinæ vis unde pendet §. 2. Hujus antiballomena §. 13. Purgantia ſemper neceſſaria §. 14. Lenientibus quando locus §. 15. Quando venæ ſectioni §. 16. Victus ratio ibid.

CAP. II. pag. 16.

In quo proponitur curatio Febrium cum frigore rigore, invadentium, cui moderatus calor ſuccedit.

Earum ſigna §. 1. Curatio §. 2. 3. Deobſtruentia §. 4. Sanguinis miſſio. §. 5.

CAP. III. pag. 16.

In qno proponitur curatio Febris invadentis cum levi extremorum refrigeratione, & miti calore.

Quæ cauſa §. 1. Indicationes curatoriæ §. 2. caloris ſedatio §. 3. Deobſtruentia valent §. 4. Purgantia quæ §. 5. ſanguinis emiſſio §. 6. In producta purgatio per epicraſin §. 7. Febris à levi frigore incipientis ſuccedente magno calore cauſa §. 8. Scopi curativi §. 9. Sanguinis miſſio §. 10. Purgatio §. 11. Febris Lentæ Signa §. 12. Cauſæ §. 13. Indicationes curativæ §. 14. Purgatio §. 15.

CAP. IV. pag. 17.

In quo exponitur Febris invadens cum horrore, & tremore, cum ſenſu caloris.

Cauſa hujus eſt bilis Alkalica §. 1. Bilis hujus vitium quale §. 2. Effervescentia quomodo compeſcenda §. 3. Deobſtruentia valent §. 4. Lenientia quando . 5. Sanguinis miſſio §. 5. Volatilia ſummè noxia §. 6. Febris à calore invadentis cauſa §. 7. Indicationes §. 8. Purgatio §. 9. Febris invadentis cum calore, & tardo incremento cauſa §. 10. Curatio §. 10

SE-

SECTIO TERTIA. pag. 18.

De ſymptomatibus Febrium curandis illis occurrendum §.1.

CAP. I. Ibid.

De Delirio.

Delirium quid §.1. operatio Animæ rationalis duplex §. 2.3. Affectio ſenſuum externorum quomodo perficitur §.4. Phantaſma quid §.5. Quomodo excitatur §.5. Perceptio objecti diſtincta à ſenſu communi unde §.6. Senſus communis movetur verſus principia nervorum §.7. Intellectus officium §.8. Delirii cauſa §.9. Spirituum perturbatio unde §.10. Intellectus depravatio unde §.11. Quomodo delirium ſedandum §.12. vena quando ſecanda §.13.

CAP. II. pag. 21.

De Vigiliis.

Vigiliarum cauſa §.1.2. In Febribus unde pendent §.3. Curatio §.4.5.

CAP. III. pag. 21.

De Somno Profundo.

Cauſa §.1. In Febribus §.2.3. Obſtructio qualis §.3. Curatio §.4. vena quando ſecanda §.5. Spirituum defectus quomodo reſarciendus §.7. Somnolentiæ ab aciditate coagulativa provenientis curatio §.8.

CAP. IV. pag. 22.

De motibus convulſivis.

Eorum ſubjectum, cauſa §.1. Curatio §.2.

CAP. V. pag. 23.

De Tuſſi.

Cauſa §.1. Initii Febris invadentis cauſa §.2.

CAP. VI. pag. 23.

De Cardiaglia.

Cauſa, & curatio §.1.

CAP. VII. pag. 24.

De Vomitu.

Cauſa §.1. In Febre continua §.2.

CAP. VIII. pag. 24.

De Singultu.

Prognoſis, cauſa, curatio §.1. Sine dolore oris ventriculi contingens §.2. Calidorum uſus §.3.

CAP. IX. pag. 25.

De Alui fluxu.

Cauſa, curatio §.1.2.3.

CAP. X. pag. 25.

De Parotidi bus.

Quid Parotides §.1. in Febribus quomodo generantur §.2. Curare §.3. Parotides in malignis §.4. Curatio §.5.

CAP. XI. pag. 26.

De Peticulis.

Quid Peticula §.1. Origo §.2. Prognoſis §.3. Indicationes curativæ §.4. Prognoſis §.5.

FINIS.

IRIS FEBRILIS

FŒDUS INTER ANTIQUORUM,
& Recentiorum Opiniones

DE FEBRIBUS

promittens.

IRIDIS FEBRILIS
POMPEJI SACCI
PATRICII PARMENSIS
PRÆFATIO.

OMnia nova civilem ſocietatem lætitia aſpergere vetus confirmat adagium, in ſcientiis verò introducta odium parere docet experientia: In ſententiis noviter introductis, pro aſſignandis Febrium cauſis, earum natura determinanda, & in curatione dirigenda à pleriſque damnatis, & ſolo novitatis charactere conantibus communi odio exponere. Quod utique expoſcerent ſi à tot ſæculis probata antiquorum dogmata evertere ſtuderent. Sed quandoque noſtræ mentis concepta prejudicia, & deſpecta inventorum ponderatio, ad injuſtam nos tradit damnationem, dum inventa ad ſcientiam expoliandam, & ad faciliorem viam pro ſui finis conſecutione præparantia, & introductos ſenſuum errores, infirma dogmata ex inadvertentia transmutatos extirpantia, pro machinis hoſtilibus ſcientiæ ſtabilitæ moli præcipitia minantibus concipimus, & lucem quam præcepta incendium ad eam in cinerem redigendam conclamamus; Tale quid evenire in recentiorum ſententiis de Febribus demonſtrare conabor in hoc opere, ut conciliatis iſtorum opinionibus cum antiquis, nullus retrahatur ad eandem utilitatem colligendam, latentem in noviter demonſtratis, pro clariori enodatione Febrilis naturæ, earundem tutiori, citiori, & jucundiori curatione.

CAPUT PRIMUM.

Quid ſit Febris ſecundùm Antiquos, & in quo eſſentialiter conſiſtat.

Rerum eſſentiæ non meliùs manifeſtantur quàm ab earum definitione, idcircò Philoſophi omnes rerum, naturam ſpeculantes, tunc illius cognitionem poſſidere gloriantur, quando germanam earundem definitionem ſunt aſſecuti.

I. SIc Medici antiqui Febrium naturam, eſſentiam, & proprietates certo indagaſſe ſcrutinio crediderunt, per antiquioris *Avicennæ definitionem pag.* 4. *tract.* 1. *cap.* 1. cui omnes concordi ſuffragio conſenſerunt.

II. Definitur autem citato loco Febris, quod ſit Calor extraneus accenſus in corde, & procedens ab eo mediante ſpiritu, & ſanguine, per arterias, & venas in totum corpus effuſus, ſic in illo ipſo corpore porrò accenditur, ut functiones naturales lædat, non ſicut caliditas laboris, & iræ.

Hanc definitionem deſumpſiſſe à *Galeno 6. epid. com.* 1. *text.* 29. *&* 1. *de differ. Febr. cap.* 5. *&* ab Hippocrate 4. *de fract. text.* omnes concludunt, & convenire cum definitione *Zenonis*, & *Empedoclæ* teſtatur *Alexander Aphrodiſeus*.

III. Febrem eſſe calorem probant auctoritate *Hipp. lib.* 1. *epid. part.* 3. *text.* 16. *in hiſt. Sileni*, *&* *tex.* 21. *in hiſt. uxoris Philini*, *&* *text.* 23. *hiſt. Cleanactidis*, *& text.* 25. *in hiſt. Metonis*, *& text.* 25. *in hiſt. Eraſini* huic adjungitur *Ariſt.* auctoritas *ſect.* 1. *prob.* 3. *Gal. lib.* 6. *epid. par.* 1. *Com.* 29. *lib.* 1. *Aphor. tom.* 14. *lib. de cauſ. morb. cap.* 2. *lib. de cauſis pulſ. cap.* 7. *lib.* 2. *met. cap.* 7. *lib.* 4. *met. capit.* 1. *lib.* 9. *met. cap.* 14.

IV. Pro auctoritate horum ſtant rationes, & primò quia ex communi hominum exiſtimatione igneo acrique calore æſtuantes Febre laborare cenſentur, unde deducitur Febrem in calore eſſentialiter fundari cum communis hominum exiſtimatio veritati æqui ponderare videatur.

V. *Secundò*, in eo videtur reſidere eſſentia Febris, quod eſt radix omnium accidentium ab ea emanantium, hæc verò à calore proveniunt, conſequenter hoc erit eſſentiale Febris fundamentum. Sitis enim æſtus, inquietudo, vigiliæ, dolor capitis, pulſus frequentia & inæqualitas, inſeparabile febrium comites, non ab alio dependent principio, quàm à calore.

VI. *Tertiò*, quia refrigerantibus curatur, ergo in calore conſiſtit, contraria enim contrariis curantur.

VII. *Quartò*. Illud dicitur eſſentiale alicui, quo poſito illud ponitur, & ablato aufertur, ſed poſito calore igneo in corpore adeſt febris, & ablato, illa ceſſat; in intermiſſione enim Febrili à patiente non perſentitur calor, nec à Medico diſtinguitur, ergo Febris in calore igneo conſiſtit.

VIII. Hunc calorem eſſe qualitatem ferè omnes Medici ſuſtinet. *Codericus* tamen *Caſtrenſis in lit. de Meteor. Microcos. lib* 3. *cap.* 8. in ſubſtantia calida Febrem radicari opinatur. Hanc ſententiam fuiſſe antiquorum, & diu in oblivione ſepultam confirmat *Emanuel Joſ. Reyſ. contr. pag. contr. & certè Victor Trincavel.* antè *Roder.* in hac fuit ſententia.

IX. Hanc opinionem probat citatus *Doctor* auctor. *Hip.* qui in *Epid.* Febrem Pyreton vocat, vel pyrexiam, hoc

hoc eſt ignem, aut ignitum halitum, quæ ſunt ſubſtantiæ, huic *Galenum* addit, qui 1. elem. cap. 6. corpora calefieri, non à qualitate, ſed per ſubſtantiæ calidæ receptionem expreſsè docuit his verbis. Eum qui gelu ab igne calefit, dico ignem in corpus aſſumere, nec deſunt rationes, &c.

X. *Primò*. Quia calor præter naturam, eſt calido innato contrarius, ſed calidum innatum eſt ſubſtantia, ergo etiam calor præter naturam, qui eſt Febrilis erit ſubſtantia, cùm contraria in eodem prædicamento ponantur.

XI. *Secundò*. Quia omnes Medici modum generationis Febrium exponentes, docent ex putredinis minera fuligines, & evaporationes ad cor elevari per quas incaleſcit, & hoc eſt cor per ſubſtantiam calidam præter naturam calefieri, at calor præter naturam in corde eſt Febrilis *ergo calor Febrilis*, erit ſubſtantia calida in corde exiſtens.

XII. *Tertiò*. Quia præcipua Febrium remedia ſunt purgatio, & ſanguinis miſſio, quæ ambo materiam ſanguinis ſuperfluam, vel excrementitiam qualitate vitioſam educendo, calorem Febrilem in ſubſtantia conſiſtere manifeſtant.

XIII. Paucos tamen habuit ſequaces hæc opinio, major enim pars Medicorum huic eſt contraria, quia Febris lædit operationes cùm ſit morbus; lædere eſt agere; ſubſtantia per ſe non eſt activa, ſed ſolùm per qualitatem, ergo calor, qui eſt qualitas, Febrem conſtituet, non ſubſtantia calida.

XIV. Hæc ſententia firmans Febrem in ſua eſſentia calorem comprehendere, ab impugnatione non libera evaſit; nam Jacob. de Part. & Concil. Febres frigidas ſtatuerunt, Avicennæ ſuffulti patrocinio, qui Fen. 1. p. 4. ſect. 1. cap. 1. aliquas Febres frigidas vocat, & in praxi obſervantur Febres, quæ nec internas partes, nec externas calore cruciant; ex Febre morientes frigent in exterioribus partibus, & tactu comprehenditur, frigent etiam interiùs, ut expiratio frigida oſtentat, & tamen ex pulſu certum eſt eos febricitare. Febres rigore, & frigore invadentes in tali ſtatu ſunt veræ Febres, & tamen tunc non eſt calor, ergo dantur Febres ſine calore, ergo calor non eſt eſſentialis Febri, cum aliqua ſine calore habeatur, & aliqua pars illius aliquando à calore ſit omninò immunis.

XV. Quomodò verò calor Febris evadat, communiter reſpondent per intenſionem; nam calor Febrilis quia præter naturam excedit naturæ limites, exceſſus per ſolam additionem majoris caloris habetur, conſequenter Febris in additione caloris, per quem caloris naturalis intenſio fiat, conſiſtet: ablato enim caloris exceſſu, aufertur etiam Febris, ex quo benè arguitur calorem Febrilem per intenſionem talem evadere, & hæc eſt ſententia *Gal.* 8. *& 9. met. quem allegat Argent. lib.* 1. *de morb. gener. cap.* 2. & confirmatur ex eo, quòd Febris per intemperiem calidam definitur, quæ in ſuo formali caloris exceſſum, & intenſionem involvit, conſequenter calor naturalis Febrilis ſit per caloris intenſionem.

XVI. Controvertunt tamen auctores, & patroni hujus ſententiæ, an Febris in unione caloris naturalis, & additi, vel in ſolo calore addito conſiſtat, *Averroes lib.* 3. *collig. cap. Concil. differ.* 87. *Vega*, 1. *de differ. Febrium cap.* 1. *Mercat. lib.* 3. *de Feb. eſſent. Ugo ſenen. in Fen.* 1. *p.* 4. *tract.* 1. *cap.* 2. *Ercul. in com. ejuſdem loci, Vega lib.* 1. *de differ. Feb. cum aliis*, volunt calorem Febrilem talem evadere, per unionem caloris naturalis præexiſtentis, & additi à cauſa calefaciente.

XVII. Quod probant primò, quia ſi ſolus additus eſſet Febri, in eadem parte eſſet morbus, & ſanitas eodem tempore, quia in corde eſſet calor additus, qui eſt Febris, eſſet calor naturalis, qui eſt ſanitas, & ideò hic operationes ſecundùm naturam exerceret, in quo ſtat ſanitas, ille læderet, quia morbus, ergo in eodem ſubjecto eodem tempore eſſet ſanitas, & morbus.

XVIII. *Secundò*. Ex præexiſtenti, & addito calore fit unus numero calor, additus, per omnes eſt Febrilis, ergo & præexiſtens, quod ex illis duobus fiat unus calor; patet; quia quotieſcumque duo accidentia ejuſdem ſpeciei ſolo numero diverſa ſimul concurrunt uniuntur, ut unum numerum conſtituant, ſic lux lucernæ cum luce Solis in unum uniturl umen in aere, ut non ſit diſtinguibile lumen lucernæ à lumine Solis, ita illi duo calores debent in unum coaleſcere, itaut unus ab alio non diſtinguatur, & à prævalente calore illud accidentale compoſitum denominari, quia verò in læſione operationum præter-naturalis prævalet, ideò ab hoc unio caloris naturalis, & additis præter naturalis denominatur.

XIX. Huic opinioni contradicunt *Gentilis Garcia. in ſen.* 1. 4. *quæſt.* 7. *Matamoros libr.* 1. *de Febr. diſp.* 11. aſſerentes Febrem conſiſtere in calore addito, &c.

XX. *Primò*, hoc probat, quia ita ſe habet morbus in intemperie ſicuti morbus in numero adaucto, ut in ſexto digito, ſed ſolus digitus eſt morbus, ergo & ſolus calor additus erit febris.

XXI. *Secundò*. Morbus dicitur ille qui primò indicat ſui remotionem, ſed ſolus calor additus indicat ſui remotionem, cùm eo remoto ceſſet febris, ergo ſolus calor additus eſt febris.

XXII. *Tertiò*. Si febris ex utroque calore conſtare, nulla à materia ſuperareretur ſine medicamenti auxilio: probatur ſequela, quia febris à natura ſola non poteſt vinci niſi caloris naturalis opera, at in prædicto caſu non eſſet calor naturalis, quia ex naturali, & addito unito fit febrilis, quia eſt præter naturam, ergo curatione careret febris, quæ Medico careret, quod eſt contra: experientiam.

XXIII. *Quartò*. Solus calor, qui lædit operationes, habet rationem Febris, ſed ſolus additus lædit operationes, ergo ſolus additus eſt Febris: minor probatur, læſio actionum non poteſt fieri niſi à re præter & naturali, & violenta, ſed calor præexiſtens non eſt præter naturalis, nec violentus, ergo ab eo non poſſunt lædi operationes, ergo læduntur ab addito.

XXIV. An verò ſemper à tali intenſione calor Febrilis proveniat, vel ſine ea valeat eſſe talis, agitant Doctores, & partem affirmativam ſuſtinent *Valeſ.* 1. *de differ. feb. cap.* 1. *Vega Merc. lib.* 1. *de eſſentia feb. Carrerius in ſen. pag.* 4. *tract.* 1. *Quæſt.* 6. *Metamoros lib.* 1. *de Feb. tract.* 1. *Diſp.* 9.

XXV. Et probant primò ex *Galeno* 1. aphoriſm. 16. & lib. 6. Epid. ſec. 1. Tex. 19. ubi talem intenſionem Febri eſſentialem recipit, & clariùs loquitur 8. met. cap. 1. dicens tunc Febrem dari, dum immodicus eſt calor, ut hominem offendat, & de cauſ. morb. cap. 5. aſſerit Febrem fieri ſuperante caliditate.

XXVI. *Secundò*. Morbus calidus non generatur, niſi per caloris intenſionem, ſicuti frigidus niſi per intenſionem frigoris, ergo cùm Febris ſit morbus calidus non poteſt recipere eſſe niſi per caloris intenſionem nec valet dicere, poſſe acquirere dictam intenſionem per malignitatem, quia hæc ſine caloris intenſione reperitur, ut in peſte ſine febre, conſequenter qualitas maligna ex ſe non eſt productiva caloris intenſionis.

XXVII. *Tertiò*. Nemo dat, quod non habet, qualitates omnes, quæ in corpore noſtro concurrunt, non habent calorem dempta qualitate calida, ergo neque poſſunt illæ intendere calorem, ſed à ſola caliditate intenſio caloris expectanda eſt.

XXVIII. *Gentilis* in quæſtio. extravag. quæſtio. 4. & Ugo Senen. contrarium tuentur his rationibus.

XXIX. *Primò*. Calor naturalis cordis dum cum aliis qualitatibus commenſuratus exiſtit, eſt inſtrumentum naturæ, & ab hac coercetur ne exorbitet à propria temperie, degita ejus naturali ſtatui, per adventum verò qualitatis malignæ, quæ illi conjungatur, non eſt ampliùs inſtrumentum naturæ, quia à qualitate maligna depravatus à naturali conditione deviat, & ſui juris factus, excuſſo naturæ jugo, operatur ſecundùm omnes ſui vires, ideſt, non ut naturalis, ſed ut elementaris & igneus, quia in ſe eſt talis, unde concluditur actionem immoderatam caloris non originari ab ejuſdem intenſione, ſed ab eodem calore à natura non recto, & ſecundùm omnes ſuas vires agente. Hoc confirmare videtur *Gal.* de præſag. ex pulſ. cap. 3. ſcribendo aliquos eſſe Febre peſtilenti correptos, qui per totum Febris decurſum bonum pul-

pulſum, & parum differentem à naturali haberent, qui tamen ut reliqui obiere, & certè mors ex prava, & maligna qualitate evenit, ergo non per intenſionem caloris, ſed per pravam qualitatem lethaliter Febricitabant.

XXX. *Secundò*. Febris eſt converſio nativæ caliditatis in igneam, ſed nativa caliditas non tantùm per intenſionem ad igneam naturam tendit, quàm propter ſiccitatem à qua invariato caliditatis gradu, hæc in agendo fit violentior, ergo non ſemper ab intenſione calor naturalis fit major, & igneus.

XXXI. Alii opinantur calorem Febrilem per intenſionem excitari, quæ non debetur alicui extrinſeco, ſed ab intrinſeco principio emanat, nempè à calore cordi implantato, qui ſeipſum intendit: In horum numero ſunt *Garcia* ſuper pag. 4. *Avic. quæſt.* 4. *vaſc. de febribus tract.* 1. *diſtinct.* 7. Pro confirmatione hujus ſententiæ ſupponunt cor in ſtatu naturali non qualificari tanta caliditate, quanta ejus forma eminenter donatur, & quantam produceret niſi ab extrinſeco impediretur; pro impedimento aſſignant frigus aeris, quod ventilatione, & refrigerio prohibet integram caloris cordis actionem, & ſi contingat aeris ingreſſum impediri, vel ab aliquo agente illius frigiditatem minui, tunc calor cordis totam virtutem ſuo ſinu latentem explicar, itaut qui à contrario remiſſus naturalis erat, amiſſo eo fit Febrilis, ſecundùm igneam activitatem ſibi naturalem agendo, ſicque calor cordis igneus evadit à principio intrinſeco. Et omnes cauſas Febriles à Medicis aſſignatas vel aerem calefacere, vel ingreſſum impedire ſentiunt.

XXXII. Hoc ſuppoſito probant ſuam ſententiam 1. quia ſi Febris non poſſet excitari ab interno principio, maximè quia cùm ſit morbus, & præter naturam, ab extrinſeco debet procedere. Sed hæc ratio nulla eſt, quia plures morbi proveniunt à principio intrinſeco, ſic caro præter naturam excreſcens, per potentiam nutritivam luxuriat, pupillæ dilatatio à principio generationis eſt facultatis formatricis error, hæc verò & potentia nutritiva ſunt principia intrinſeca, ergo non repugnant morbi à principio intrinſeco, conſequenter nec Febris, & magis confirmatur ex eo, quòd impedito influxui caloris ad cerebrum, hoc corripitur morbo frigido & humido, & tunc non eſt aſſignabilis cauſa poſitiva, extrinſeca, hujus intemperiei, ergo erit intrinſeca, nempè naturalis ipſius cerebri temperies frigida, & humida.

XXXIII. *Secundò*. Ex *Galeno* variis in locis habetur nullibi in nobis aliquid corde calidius generari poſſe, neque putredine, neque uſtione, & licèt per putredinem res calidior fiat; attamen antequam tantum caloris adipiſcatur, ut calor incendere poſſit, corrumpetur, & acquiret aliam formam cui naturalis ſit frigiditas, ut apparet in vino in acetum mutato, ergo nihil calorem cordis poteſt intendere, quòd in noſtro corpore permaneat.

XXXIV. In hanc ſententiam tendit *Gomes Percyra*, ſed diverſa via, vult enim ab eis quæ in corpore præternaturaliter contingunt ſi cor offendatur, vel irritetur, ad illorum expulſionem motu velociſſimo inſurgere, à quo incaleſcit, & mediis ſpiritibus ſimiliter motis calefactiſque totum corpus calefit, & Febris accenditur.

XXXV. Hujus veſtigiis inhæret opinio *Zacuti de Medic. Hiſt. Princ. lib.* 2. *queſt.* 1. per quam ſuſtinet Febrem ab unione caloris naturalis oriri, & ejus rationes ſunt.

XXXVI. *Primò*. Quando tumor ſupporatur fit Febris, ex *Gal. lib. de loc. aff. cap.* 5. *&* 2. *aphor.* 47. & quando coquitur humor vaſorum in pleuritico, Febris pariter adeſt major, quàm priùs, ex eodem 1. de Criſ. cap. 18. non alia ratione niſi quando tumor ſuppuratur, & coquitur materia pleuritidis calor unitur tam ad opus concoctionis, & ſuppurationis, quàm ad illud expulſionis materiæ concoctæ, & ſuppuratæ: & in hac unione intenditur calor ad igneum exceſſum, unde Febris. Et ſi in Febribus tale accidit, quale in his quæ ſuppurantur inflammationibus ex *Gal. lib.* 1. *de differ. Febrium cap.* 6. & in his Febribus oritur ex unione nativi caloris pro concoctione materiæ, & ex conatu naturæ pro ejuſdem expulſione, eodem modo etiam in venis ob unionem caloris ad corrigendam materiam depravatam, in eis ſtabulantem, & à vi naturæ concepta pro ejuſdem expulſione excitabitur Febris.

XXXVII. *Secundò*. Quia humor noxius latens in corpore inducit Febrem, quæ antea non aderat; & hoc fieri à natura movente, & à calore nativo unito conante expellere pravum humorem nemo dubitat.

XXXVIII. *Tertiò*. In ſtatu Febris eſt multo major, & tamen humor, qui eſt illius cauſa in diſpoſitis ad ſalutem, eſt magis benignus, ex *Gal.* 1. *Aphor.* 26. quia magis coctus, minus putridus quàm in augmento, ergo ea Febris magnitudo non pendet ab aucta putredine, ſed ab aucto innato calore coquente, & pugnante.

XXXIX. *Quartò*. In multis morbis, & Febribus ægri morti proximi, omnia ſanis ſimillima habere videntur, & hujus rationem *Gentilis*, *&* *Dinus in com. cap.* 4. pag. 4. *Tract.* 1. *& Valeſius in com. ægr.* 2. *ſect. primæ lib.* 3. *Epid.* reddunt, quoniam natura fatigata, & debilis ceſſat à conatu & pugua, Ergo per hæc Febris antea erat magna.

XL. *Quintò*. In Criſi Febris invaleſcit magis, & tamen humor eſt benignior, ergo per ſolum conatum, & unionem caloris, expulſionem humoris concocti molientis, magnitudo Febris habebitur.

XLI. Admiſſa intenſione caloris naturalis, quà igneam adipiſcitur naturam, controvertunt auctores, An hic calor igneus, & Febrilis ſit ejuſdem conditionis cum naturali. *Gentilis in* extr. quæſt. 4. contendit probare calorem Febrilem ſpecie diſtare à natulari.

XLII. *Primò*. Quia diverſæ operationes non poſſunt ab una cauſa proficiſci, at operationes à calore naturali, & Febrili emanantes diverſæ penitùs exiſtunt, illo operationes naturales perficiente, hoc depravante, vel ab imminuente, ergo ſpecie debent differre, cùm ſpecies differentes edant operationes.

XLIII. *Secundò*. Calor naturalis, & Febrilis à diverſis pendent principiis, primus in ſanguine, & ſpiritu à principio generationis accenditur, ſecundus à materia putrida, & corrupta ſuſcitatur, ergo debent eſſe inter ſe diverſi.

XLIV. *Tertiò*. Multæ Febres ſanantur ab intrinſeco, ſine ullo auxilio Medico, quòd non poteſt fieri niſi pugnante calore naturali contra Febrilem, & ſi adeſt pugna, adeſt contrarietas, ergo calores prædicti ſunt contrarii.

XLV. *Gentii* adverſatur *Zacutus lib.* 4. *de Medic. Princ. hiſt. qu.* 4. *& Emanuel Dos Reys contr.* 8. & communiter cum iſtis Medicorum ſchola.

XLVI. *Primò*. Quia ea ſpecie conveniunt quibus una eſt differentia eſſentialis, ſed hoc modo ſe habent calor naturalis & præternaturam, quia uterque haber congregare homogenea, & diſgregare heterogenea, ut patet in ligno, quando aduritur, & in re putreſcente, quæ à calore præter naturam & igneo efficiuntur, & in generatione humorum: ope caloris naturalis perfecta, in qua heterogenea diſgregantur excrementa, & homogeneæ partes alimentales in ſanguineam maſſam congregantur, ergo calor naturalis, & præter naturam conveniunt ſpecie.

XLVII. *Secundò*. Febris oritur ex prohibita tranſpiratione, & ira, quia ab his intenditur calor, ſed per intenſionem non reſultat nova ſpecies caloris, ergo calor naturalis & Febrilis non differunt ſpecie, ſed per intenſionem ſolum conſiſtentem in additione gradus calolis ſimilis.

XLVIII. Hanc ſententiarum varietatem circa caloris Febrilis naturam, & modum operandi, varia ingeniorum temperamenta introduxerunt *Gal. & Hipp.* & aliorum Medicinæ benemeritorum patrocinio ſufulta, diſcordias Principum authoritate ſoventium.

XLIX. Pari diſcordia in varias ſcinduntur opiniones pro ſtatuendo caloris Febrilis ſubjecto, quòd ad Avic. cor determinatur, per illa definitionis verba, in corde accenſus, hunc ſequuntur *Fernel. lib.* 4. *Pathol. cap.* 1. *Thomas A. Vega. lib.* 1. *de differ. in com. cap.*

4. *Donatus ab Altom.* de Med. Febribus cap. 6. *Vales. libr.* 4. *contro.* 18. *Concil.* differ. 87. *Thomas à Garb.* 4. de differ. Febrium cap. 1. Ugo Senen. Arcul. Gentil. in com. definitionis *Avic. Avero.* lib. 3. collig. cap. 3. quibus favet Hal. lib. 1. Febrium cap. 1. & 3. ubi Febris radicem in aliqua cordis ſubſtantia præter naturam excalefactam ponit, & probat idem lib. de inæquali intemperie cap. 4. & lib. 10. met. cap. 8. & 7. met. cap. 8.

L. Nec deſunt rationes, & pro 1. afferunt quòd Febris ſit converſio caloris naturalis in præter naturam per totum corpus diffuſi, ſe calor naturalis à corde in totum corpus diffunditur, ergo & præter naturam, & ſicuti cor eſt illius ſubjectum, ita & iſtius concedi debet.

LI. *Secundò*. Quia Febris, eſt morbus communis, & ab ea omnes ferè actiones totius corporis læduntur, ergo ejus ſubjectum debet eſſe aliquid commune, ſed hujuſmodi non datur præter cor, ergo hoc erit ſubjectum Febris.

LII. In hac ſententia animadvertit *Carer. in Com. 1. fen. lib. 4. Trac. 1. cap. 1. diſp. 2. quæſt.* 1. non eſſe opus ad Febrem cor. 1. calefieri, ſed ſufficere quòd aliqua pars antecedenter intenſo calore excalefacta cor præter naturam calefaciat, ex quo Febris poſtea contingit, ut patet in bubone & inflammatione, ex quibus Febris oritur, pars enim quæ 1. intensè calefit eſt illa in qua humor putreſcens inflammationem parit; Febris verò non accenditur niſi à calore putreſcentis humoris, & partis affectæ cor præter naturam incaleſcat, unde cor eſt ſemper ſubjectum Febris, cùm niſi hoc calefacto generetur.

LIII. Contrariam ſententiam alii ſuſtinuerunt ex relatione Carer. *loc. cit.* quorum rationes ſunt.

LIV. *Primò*. Ratio formalis per quam cor conſtituitur in eſſe ſpecifico Febricitantis, non eſt alia quàm calor præter naturam, cùm independentia in aliquo, dummodò habeat rationem communem morbi, quæ eſt lædere actiones 1. & ſenſibiliter, ergo in quacumque parte corporis indicatur hujuſmodi calor, erit Febris; antecedens patet, conſequentia probatur, quælibet pars noſtri corporis poteſt alterari à qualibet prima qualitate, independenter ab alia parte in qua priùs exiſtat, & calor in tali parte inductus reliquas poteſt calefacere, abſque eo quòd talem calorem à corde recognoſcant, ergo hujuſmodi calor erit Febris, quia præter naturam, & in totum diffuſus, & tamen in corde non ſubjectabitur.

LV. *Secundò*. Morbi per conſenſum ſunt in eadem ſpecie, ac morbi per eſſentiam, ut patet in Phrenitide, & paraphrenitide, quæ ſunt in eadem ſpecie delirii, ſed vera intemperies calida exiſtens in brachio, vel cruore, ſine dependentia ab alio, eſt ſicut hæc eſt Febris, ita & illa.

LVI. *Tertiò*. A jecore præter naturam excalefacto poteſt calor igneus toti corpori communicari, ut dicatur Febrire, ergo tunc ſubjectum caloris Febrilis erit Hepar, non Cor. antecedens probatur ex *Galen. lib.* 2. art. Medic. cap. 31. ubi agens de ſicco corde ait, magna ex parte univerſum ſiccius exiſtit, niſi hepar obſtiterit. Ex quo ſequitur poſſe jecur totum immutare, vel in totum influere contra actionem cordis, & ſic ſuo calore immoderato totum calefacere, & tunc erit Febris, juxta dictum *Hipp.* 1. prorret. tex. 7. quo aſſerit eum Febrire, qui in cute, & ſuperficie exteriori igneam habet caliditatem, ſimul ac intimis viſceribus. Ergo cum calore hepatis interiora, & exteriora incaleſcant, Febrem tunc adeſſe judicandum eſt, abſque eo quòd calor radicetur in corde tamquam in ſubjecto.

LVII. Cum verò in Corde ſint plures ſubſtantiæ diſtinguibiles, nempè ſpirituoſa, humoralis, & ſolida, in quanam calor Febrilis ſubjectetur quærunt Auctores. In humoralibus Febribus, humores cordis eſſe caloris præter naturam ſubjectum determinant Cæſalp. 1. quæſt. Medic. 6. Mercur. de morbo Gallico *Thomas de Garb. Andreas Planer. de morb. & ſymp. cap.* 2. quibus videtur adhærere Altim. de med. Feb. lib. 1. cap. 12. & horum fundamentalis ratio exiſtit, quia cùm Febris ſit converſio nativæ caliditatis in igneam naturam, ſequitur quòd omnia, quorum calor ad ſimilem naturam redigi poteſt, poſſe eſſe ſubjectum Febris, cùm verò humores, & ſpiritus poſſint devenire ad talem intenſionem proprii caloris, ut in igneum mutetur, eo quòd calor humorum, & ſpiritus ſit capax intenſionis remiſſionis. Sequitur humores, & ſpiritus eſſe ſubjectum Febris, & eò magis, perſuadetur, quia calor in his ſubjectis facillimè per ſingula corporis membra poteſt diffundi.

LVIII. Contra ſentiunt, qui tuentur morbi ſubjectum non eſſe, niſi partem viventem, à qua cùm excludantur ſanguis, & humores, & ſpiritus, excluduntur etiam ab aptitudine ſubjecti caloris Febrilis, & ſunt *Capivac.* in praxi Rud. 3. Prax. cap. 1. *Sennertus* 2. inſtit. cap. 1. *Santorel.* 2. Antipra. cap. 3. Merc. 2. de Feb. *Valeſ.* 5. Contr. cap. 18. *Sancta Crux* de Morb. & ſymp. cap. 1.

LIX. Hic adnotare licèt ex calore accenſo in corde neceſſariò ſequi efferveſcentiam, & ebullitionem ſanguinis, qui continuò per illud circulatur. Sanguinem eſſe efferveſcentiæ capacem docuit Ariſt. lib. 1. animæ in Proœmio, & ſec. 2. prob. 9. 26. definiendo iram eſſe ſanguinis ebullitionem, quam *Gal.* in humoribus etiam agnovit, lib. 2. de differ. Feb. cap. 9. dicendo, & cùm jam ad ſummum fervoris pervenerint humores accenſi, id acceſſionis tempus conſiſtentia appellatur, & eodem capite ait ferventibus ex putredine humoribus, & omnes Medici eam concedunt, & admittunt in Febre diaria ſynocho imputri, variolis, morbillis, & multis ſanguinis fluxibus, & optimè eam explicavit *Roſel.* in com. lib. *Gal.* de morbornm cauſis cap. 2. quæſt. 4. & multis rationibus capite ſequenti demonſtrabitur, omnia autem quæ ſunt ebullitionis capacia per calorem facillimè efferveſcunt, & ebulliunt, ut videre eſt in lacte, melle, & vino, quæ ſunt corpora efferveſcentiæ adaptata, ideoque igni expoſita fervent & æſtuant, & in tumorem elata extra vas cùm impetu diffunduntur, ex quibus arguere licèt ſanguinem ebullitioni aptum, à calore facillimè ad eam duci, unde cùm in Febre calor igneus ſit accenſus in corde, & ſanguis continuò per illud circuletur (univerſa Medicorum ſchola conſentiente, experimentorum evidentia edocta) ſequitur neceſſariò ſanguinem ebullire, efferveſcere in corde, & per arterias fervore turgentem difluere, quamvis ab ebullitionis principio recedat, non aliter ac liquida, ignis calefactione efferveſcentia, ab eo ſeparata fervorem per aliquod tempus conſervant, & calorem impertitum vel excitatum diù fovent: ita ſanguinem calorem igneum cordis ei communicatum conſervare per aliquod tempus credere fas eſt, & proprium excitatum à partibus ejuſdem calidis ad motum concitatis, media rarefactione à calore cordis operata: non aliter ac manus frigida per confricationem cum altera proprio calore incaleſcit, conſiſtente in partibus calidis in manu exiſtentibus, à confricatione ad motum excitatis, & ad actum ſecundum deductis, ubi priùs per frigus in quiete torpeſcentibus, in actu primo ſolùm calidæ dicebantur, & hoc deducitur ex verbis deff. Avic. mediante ſpiritu, & ſanguine per venas, & arterias in totum corpus diffuſus, niſi enim ſanguinis in corde calefieret ad efferveſcentiam, & eam conſervaret, non poſſet toti corpori poſtea calorem Febrilem impertiri, itaque ſanguinem per cordis calorem igneam efferveſcentiam pati aſſerendum eſt, hancque conſervare, ut calorem partibus communicet, eo modo quo naturalem impertiri ſolet, conſequenter efferveſcentia in ſanguine inordinata, erit per Antiquos quid conſequens calorem Febrilem.

LX. Quamvis obſervem aliquos, qui in determinatis & particularibus Febribus efferveſcentiam ſanguinis febrem præcedere determinant, ut *Semertus*, *Mercurialis*, *Heurnius*, *Zacutus*, in explicanda Febre ephemera, & ſynocho imputri. Et omnes ferè Gal. ſequaces in dilucidanda prædictarum Febrium natura, & in variolarum, & morbillorum eſſentia indaganda, unà cum conditione Febris horum morborum comitis, ad ſanguinis ebullitionem, & fervorem recurrunt, quibus poſtea univerſum corpus præter naturam incaleſcit, unà cum corde, per quod Febris accendi dicitur. Ex qua aſſertione videtur præter ef-

ferve-

ferveſcentiam ſanguinis deduci per hanc ſanguinem incaleſcere ultra ſuæ nativæ caliditatis conditionem, & ita calefacere poſſe cor uſque ad converſionem ſuæ nativæ caliditatis igneam, & ab eodem calore cordi communicato, ſequitur ſanguinem advenientem, & ſuis finibus receptum, ad majorem evehi ebullitionem, itaut uſtionem potiùs quàm efferveſcentiam pati videatur. Et in hoc caſu admittendum erit à ſanguine efferveſcente calorem cordis intendi, & ab hoc efferveſcentiam augeri, & ita efferveſcentiam ſanguinis, & calorem cordis mutuò ſe intendere, & conjungi, ut unum ſine alio reperiri non poſſit abſque ullo præcedentiæ privilegio: ſed quandoque calorem cordis præcedere efferveſcentiam ſanguinis, & quandoque hanc illum anteire, ut ex dictis ſecundùm Antiquorum documenta apertè manifeſtatur. Inconcuſſo ſemper manente eſſentiam Febris in calore cordis ad igneam naturam converſo fundari, & efferveſcentiam ſanguinis præcedentem, iſtius cauſam eſſe, conſequentem verò ſymptoma dici.

Reliqua definitionis Avic. verba nullam contradictionem patiuntur, nec ſuper ea alicujus momenti quæſtio agitatur, cùm eorum ſenſus ſit valdè clarus, & manifeſtus. Ideò poſito termino explicationis definitionis Febrilis Antiquorum, ad ea quæ circa eſſentiam Febris à recentioribus docentur explicanda deſcendo.

CAP. II.

De Febris eſſentia ſecundùm Recentiores.

RΕcentiores inhærentes etimologiæ verbi Febris, deductæ per Latinos à verbo ferbeo, quod efferveſcentiam ſignificat, definierunt Febrem.

I. Efferveſcentiam nimiam ſanguini, & humoribus inductam, cum calore, & ſiti aliiſque ſymptomatis, quibus œconomia naturalis variæ perturbatur.

II. Dicitur 1. Efferveſcentia, quæ idem eſt ac fermentatio, & eſſentialiter conſiſtit in motu inteſtino particularum, ſeu principiorum cujuslibet corporis, cum tendentia ad aliquam mutationem ejuſdem, perfectivam vel corruptivam, ita *Billichius*, *Zieglerus*, *& Tomas Vvillis*. hujuſmodi Efferveſcentiam, ſeu fermentationem ſanguineo liquori naturaliter deberi probant moderni auctores.

III. *Primò*. Quia ratione ſuæ conſtitutionis ex hæterogeneis partibus, fermentationis principia includit, quodcumque n. heterogeneum illam facilè imò neceſſariò ſubit, & maximè ſi fluxibilitate gaudeat: Ubi enim ſunt principia diſſimilia, pro dominio ſtatim inter ea lis oritur, & unum alterum in motum provocat, ut ex victoria, & contrarii ſubjectione, imperium in mixto ſibi firmet, reſiſtente aggreſſo, oppugnantis, vim motu contrario repellando, & in hoc motu fermentationis ratio fundatur, quæ conſpicua magis redditur, quando partes heterogeneum corpus componentes erunt laxæ, ut in fluidis, & valdè humidis, tunc enim particulæ talis corporis facillimè expandi poſſunt ob laxitatem, & disjunctionem inter ſe, & à loco in locum commigrare, aliaſque quieſcentes particulas movere, & exagitare, cum univerſali tumultu, & ſeditione omnium partium mixti, ſi modum in motu exceſſerint, vel concordi conſequente harmonia placido, & naturali motu; amicè temperatis partibus, cum perfecto partium utilium unionis vinculo, & inutilium particularum ſegregatione, ad integram mixti perfectionem, & conſervationem conſpirant: hoc obſervamus in vino, cereviſia, fructuum herbarumque ſuccis, quæ facilè & citò turgeſcunt ex heterogeneitate, & laxitate partium quibus componuntur, è contra verò aquæ optimè deſtillatæ, olea chymica, ſpiritus vini, ob defectum copiæ partium diſſimilarium fermentatione non commoventur, ſicuti neque corpora compacta, ob ſtrictam nimis partium unionem ſanguinem partibus heterogeneis conſtare docent, & antiqui cùm *Hip. & Gal.* bilem, pituitam & melancholiam maſſæ ſanguineæ principia admittentes, & Chymici ignis cultro ſanguinem in ſulphur, ſal, & Mercurium diligenti anatome reſolventes. Fluxibilitatem verò, & partium laxitatem retinere fatebuntur, qui per arterias, & venas ad univerſas corporis partes fluere cognoſcunt, vel ex ſecta vena decurrentem obſervarunt, conſequenter ſanguinem fermentationis ſubjectum ex ſuis principiis intrinſecis concedere debemus. Quod ulterius manifeſtatur ex ſubtilitate, & agilitate ſpirituum, & ſalis volatilitate quibus abundanter ditatur, cùm prædictæ particulæ, ſuarum qualitatum beneficio à maſſa ſanguinea carceris faſtidio avolare nituntur, priſtinam libertatem affectante, ideoque cæteras partes exagitant, diſcutiunt, & ſubtiliant, ſuique motus ſequaces faciunt, itaut omnes ſanguinis particulas, & principia continua agitatione exerceant, in quo fermentationis eſſentia fundatur.

IV. *Secundò*. Ex perpetuo ſanguinis motu per circulum in corpore exacto, illius fermentatio colligitur, ab iſto enim partes ſanguinis etiam craſſæ attenuantur, earum compages, & unio laxatur, ſpiritus excitantur, quæ omnia motum ſanguineis particulis imprimere apta ſunt: eo modo quo motus in corporibus ſolidis inflammabilibus ita particulas earum exagitat, ad motum provocat, ſegragat, ut unitæ poſtea flamma concepta corpus in cinerem reducant, vel ad minùs vehementer incaleſcere faciant, hæc majori facilitate in ſanguine præſtare debet motus, cùm ſpirituum multitudine ſit ferax, & partium laxitate facilè ſolubilis; & ſicuti in motu corporis violento, magnam ſanguini efferveſcentiam conciliari obſervamus, ita circulari placidam fermentationem impertiri negare non poſſumus.

V. *Tertiò*. Ex tranſitu ſanguinis per loca calida, ut cor, ejuſdem fermentatio comprobatur, ibi enim ope inſiti, & innati caloris hujus principis viſceris inſigniter efferveſcit, ſpumam oſtentans, æſtus, ſi agitationis argumentum & ita rareſcit, ut paucæ ſanguinis guttæ ab auricula ſiniſtra correſpondenti ventriculo inſtillatæ, totam ejuſdem capacitatem impleant, cùm violenta etiàm dilatatione, quà, ex aliquorum ſententia, ob conſtrictionem cogitur pro ſanguinis rarefacti expulſione, ut diſruptionis periculum avertat. Adde tranſitum per cæteras corporis partes, ſuo calore efferveſcentiam in corde conceptam foventes, non abſimili ratione quà liquores violento igne ebullientes, ſub moderato fervorem continuant. Hunc tendunt fermenta quæ à partibus principalibus, *hepate*, *line*, *utero*, *cerebro*, *renibus* ſanguini inſpirantur, dum per eas tranſit, quibus cordis fermentatio ſanguini conciliata, vel conſervatur, vel renovatur, prout ingenioſè explicat *Vvillis lib. de Ferment. cap.* 5.

VI. *Quartò*. Ex neceſſitate quam habet ſanguis talis fermentationis, & 1. ut partium heterogenearum perfecta ſequatur mixtio, ad hoc enim ut craſſiores, & terreæ cum ſubtilioribus, & ſpirituoſis uniantur, debent illæ attenuari, & quadammodò volatilizari, quod præſtat efferveſcentia motu, & impulſu aliarum particularum, craſſiores particulas in minutiores partes comminuendo, unde ſubtilitas, & agilitas terreo, & fixo impertitur, & facillimè omnium partium perfecta obtinetur unio, 2. altera neceſſitas eſt depuratio ab excrementis, quæ melius attingi non poteſt, quàm efferveſcentia, partes à ſanguinis perfectione recedentes ſegregante, unde purior, & magis defæcata maſſa ſanguinis reſultat, eo modo quo vinum fermentando ſua deponit excrementa, & ab omni inquinamento ſe liberando, perfectionem adipiſcitur, ut quotidiana docet experientia, de qua diſertè agit *Uvil. de Febribus cap.* 1. *& Kergerius lib. de fermentatione ſex.*2. *cap.* 6.

VII. Pro diverſitate conſtitutionis ſanguinis hujus fermentationem variari dicunt, ſi enim partibus craſſis ſit compactus tarda & minor procedit, ſi ſubtiliores, & calidiores exuberent, celerior, & vehementior habetur.

VIII. Sanguine in ſua naturali craſi permanente, cum temperato fermentationis motu, ſanitas integra ſervatur (pro ea portione quæ ab humoribus dependet) nam per eam ſpiritus excitantur in tali quantitate, quæ ſufficit calorem ſanguinis, & partium fovere, & excrementa ſecernuntur ab univerſa maſſa ſanguinis,

guinis, unde purum toti paratur alimentum, & perfectum in ſpirituum excellentia facultatibus ſubminiſtratur inſtrumentum, ad exercendas operationes cum ſumma perfectione.

IX. Fermentationem ſanguinis Gallenicos abhorrere non puto, dum hæc manifeſta ſit ſenſibus in vino, cereviſia, omnibus ſuccis, fructuum, & herbarum, quòd in ſanguine eandem contingere perſuadet, cùm nihil aliud ſit, quàm ſuccus alimentorum diverſorum à partibus præparatus. Et ſi ab Antiquis conceditur per iram ſanguinem continuò efferveſcere, & fermentari, exiſtente in calore activitate ad operandam, & in ſanguine capacitate ad recipiendam effervеſcentiam. Ideò hanc attentè rimantur, & conſiderantur in ſputo ſanguinis, dum an cum ſpuma, vel ſine, exeat magna attentione inſpiciunt, & indagant; exſpumeſcente enim partis ſpiritualis offenſam deducunt, cujus rationem ſi reddere volunt, aliam aſſignare non poſſunt, niſi quòd à calore partium ſpiritalium ſanguinis ita effervеſcat, ut in ſpumam attollatur, cùm ab aliarum partium calore hoc non poſſit fieri, quia non eſt adeò excedens, ut valeat ita ſanguinem agitare ut ſpumeſcat, quòd facile à partibus ſpiritalibus efficitur, ob inſignem & validum calorem in eis radicatum. Dato verò quòd ſanguis effervеſcat, & fermentetur à calore, partium ſpiritalium, debent etiam condere à calore aliorum membrorum proportionaliter hoc pati, unde non eſt cenſendum recentiores in hoc ab Antiquis diſcordare.

X. Dicitur 2. *nimia*, ut aſſignetur differentia per quam effervеſcentia Febrilis diſtat à naturali, hæc enim moderata, illa verò immoderata, quia conſiſtit in inordinato, & præter naturam aucto motu particularum ſanguinem conſtituentium, per quem ſanguis turget, æſtuat, & torrentis inſtar cum impetu per venas, & arterias diſcurrit, illius particulæ hoc ſeditioſo tumultu frementes inteſtinum in eo bellum exercenti, ſui extremo paratum excidio, niſi citò ſupprimatur, quia à prædicto motu laxata ſanguinis compage, primogeneis iſtius particulis ad libertatem vindicandam aperitur additus, & ad diſſolutionem integram ſuarum partium, ſimulque ad putredinem, quæ in ſola partium ſegregatione fundatur ampla dilatatur via; huic inordinato motui calor præter naturam adjungitur, laxatis in maſſa ſanguinea partibus ſulphureis, in majori copia, quam conveniat naturali ſtatui corporis, & ad motum provocatis, tàm ratione effervеſcentiæ, quàm ratione ſuæ agilitatis, & activitatis, & ab aliis ſeparatis, ſimulque unitis, ratione ſimilitudinis, & homogeneitatis faciunt intenſum in ſanguine calorem, dum unitæ turmatim particulæ ſuam activitatem intendunt, ſimile enim in qualitate, aliorum ſimili in eadem qualitate, hanc auget, & ab eadem unione vires colligendo majores mixtionis vinculum ex toto diſrumpere conantur, impetu facto in alias partes ſibi vicinas, quo eas inordinatè movent, ex quo totius immoderata effervеſcentia conſurgit.

XI. Calorem à fermentatione ſuſcitari docet experientia, Cereviſia enim additis cereviſiæ fœlicibus, majori concepta fermentatione ad manifeſtam deducitur caliditatem; ſpiritus vitrioli cum oleo Tartari commixtus violenter ebullit, & incaleſcit, ut lignum immiſſum accendat: butyrum antimonii affuſo ſpiritu nitri in vaſe amplo effervеſcendo flammas edit: ſi ſpiritum vini à phlegmate purgatiſſimum ſpiritui minerali acido rectificatiſſimo, ſive fuerit ſpiritus nitri, ſive vitrioli, vel ſalis, ſive aquam fortem infundas, effreni concepta ebulitione in flammam erumpunt, quia particulæ igneæ in fermentatis corporibus deliteſcentes, per fermentationem motæ, & unitæ, majorem præbent calorem, & turmatim excutens flammam exhibent. Quod in hiſce corporibus à fermentatione operari obſervamus, ſanguini denegare non debemus, immò per fermentationem incaleſcere ſtatuendum eſt, cùm particulis calidis turgeat, quæ motæ, & inter ſe unitæ, calorem intenſum præbere valent.

XII. Etſi *Vvillis in Tract. de accenſione ſanguinis pag.* 31. neget ſanguinem per fermentationem non incaleſcere, ex eo quòd è corpore eductus, ac in vittis idoneis quovis modo ad fermentandum, aut putreſcendum diſpoſitus, calorem actualem non omninò adipiſcatur, ſic licèt in corpore fermentetur, tamen per hoc calorem non acquirit, quia licèt in ſubjectis craſſioribus particulæ ſulphureæ exſuſcitatæ mutuo ſe præhendentes, & denſius agglomeratæ calorem reddant, attamen in liquidis ejuſmodi particulæ ſulphureæ, quamvis concitæ, aut agitatæ, ab aquoſis ſemper intervenientibus prorſus disjunguntur, ac à mutuo complexu & combinatione prohibentur, adeo ut calorem actualem producere nequeant, non negat temen *Vvillius*; accenſo ſanguini ſubminiſtrata ſulphurea corpuſcula accendi, illiuſque calorem augere, pag. enim 35. ejuſdem Tract. ait ſanguinis vitam, ſive flammam, alimento continuo egere; nam ſi aliquandiu illud denegatur, ſanguinis minuitur vigor, quin & partes ſolidas atterrens eorum ramenta alioſque corporis humores quibus paſcatur in ſinum ſuum rapit, ſi nutrimentum ab aſſumptis quotidie ſuggeſtum tenue nimis, & aquoſum fuerit, ſanguinis fervor inſtar flammæ jejunæ remitti ſolet, ſi pabulum valdè ſulphureum, ac ſpiritu vinoſo turgidum copioſè iungetur, cruor ſtatim inflammatur, & non raro in febrem quaſi apertius incendium erumpit: à ſulphureo pabulo ſanguis inflammatur, quia à ſanguine accenſo accenditur, eo modo quo oleum in lampade à flamma ignitur, & particulæ ſulphureæ accenſæ additæ ſanguini, ejus accenſionem, & calorem intendunt pari pacto partes ſulphureæ ſanguinis per fermentationem excitatæ, ſi accendantur calorem intendent, & ſic fermentatio calorem efficiet: & verum poteſt eſſe, quòd fermentato in aliquo caſu non calefaciat, ubi verò corpus fermentatum accenſum eſt, partes ſulphureæ, quæ per fermentationem in eodem ſeparatæ debent neceſſariò accendi, & calorem augere, ſi in magna copia ſubleventur, & quia naturaliter ſanguis eſt quòd partes ſulphureæ, per fermentationem inordinatam in eo excitatæ accenduntur, & pro earum copia calorem vel majorem, vel minorem in eo faciunt.

XIII. *In nimia hac effervеſcentia ſanguinis conſtituunt recentiores eſſentialem differentiam febris, eſſentiale conſtitutivum determinans. Effervеſcentia ſtat loco generes*, per quam convenit cum omni effervеſcentia naturali: nimia *differentiam* determinat per quam ab effervеſcentia naturali differt, quæ ſemper moderata exiſtit. Hujus aſſertionis veritatem, & demonſtrationem oſtendunt, ex hac veriſſima cognitione. nempè *pulſus alterationem præter naturam eſſe eſſentialiter connexam Febri*, cùm ab illa Febris naturam, illius tempora, benignitatem, & malitiam, declinationem, & remiſſionem agnoſcamus, & diſtinguamus, & ita accuratè, ut qui rectè pulſus naturam novit diſcernere, ſciat etiam predicta ſine errore à pulſu deducere: ad hanc verò cognitionem pervenire non poſſumus, niſi pulſus alteratio Febrem ſequitur, & illa eſt poſterior, ideò illam tamquam quid dependens ab iſta cognoſcere debemus: & eam connexionem habere, quam ſervat effectus cum ſua cauſa: unde erraturum non putant, aſſerentem Febris eſſentiam conſiſtere in immediata cauſa alterationis pulſus præter naturam: quæ eſt inordinata; & præternaturalis effervеſcentia ſanguinis, conſequenter eſſentia Febris erit inordinata ſanguinis effervеſcentia. Inordinatam effervеſcentiam eſſe cauſam immediatam alterationis pulſus, deducitur ex hoc, quòd illa cauſa pulſum, præternaturalem efficit à qua pulſus naturalis oritur, cum ab eodem principio prodeant operationes ægræ à quo ſanæ, ſed cauſa pulſus naturalis eſt moderata, & naturalis effervеſcentia ſanguinis, ergo cauſa præternaturalis alterationis illius erit inordinata, & nimia ſanguinis effervеſcentia: minor probatur; nam in qualibet conſtrictione ſiniſtri ventriculi cordis, ſanguis in arteriam magnam expellitur, ut cum *Harveo in lib. de motu cordis, arteriarum*, omnes in circulationis doctrina eruditi fatentur, à ſanguine expulſo repletur arteria, repleta dilatatur, dilatata movetur, mota pulſat, itaut ſanguis expulſus à ſiniſtro cordis ventriculo in arteriam, unà cum motu ipſius arteriæ, rationem formalem pulſus conſtituat, cauſa verò expulſionis, & conſequenter pulſus, eſt effervеſcentia ſanguinis in eodem ventriculo

cor-

cordis, qua rarefactus ſanguis, anguſtiæ loci impatiens, impetu concepto exitum à corde in arteriam ſibi parat, à motu nervorum cordis adjutus, & arteria movetur ad impetus proportionem, ſanguini in rarefactione communicati, eo modo quo illum concipiunt vina in vaſis clauſis effervefcentia, quæ ob ſubtilium partium exaltationem, in magna quantitate, & craſſarum dilatationem majus exigentia ſpatium, à clauſo vaſe impeditum, impetu ſubtilium partium vas confringunt & vina conveniens acquiritur ſpatium: ſic ſanguis à ſpirituum copia à rarefactione ſuppeditata impetum acquirit, quo à ventriculo cordis in arteriam ſe præcipitat. Ex quibus ſatis patet, effervefcentiam ſanguinis naturalem eſſe cauſam pulſus naturalis, & conſequenter cauſam pulſus præter naturalis eſſe effervefcentiam præter naturalem, & hæc fuit ſententia *Ariſtot. libr. de Reſpir.* quam dilucidat *Hoffmannus in l. de Thorac. lib. 2. cap. 16. & Gal.* in talem conveniſſe ſententiam oſtendit *cap. 17.* & hanc deffendit *Turis in Com. Art. Medic. Com.* 350. & in hanc videntur deſcendere quotquot ex Antiquis cenſuerunt ideò arterias dilatari, & pulſare, quia replentur, inter quos numerantur *Concil. differ* 80. *Thomas à Garbo in ſum. lib.* 4. *Tract. 4. quæſt.* 55. *Iacob. Forc. in Art. Medic. quæſt.* 72. *Gentil. p. 4. Doct. 6. c.* 41. & ſi Febris eſſentia eſt conſtituenda in immediata cauſa pulſus præternaturalis, cùm hæc ſit inordinata effervefcentia ſanguinis eſſentia Febris erit ſola effervefcentia ſanguinis præter naturam: Et hanc fuiſſe *Hipp.* ſententiam colligi poteſt. *Quarto de morb. num.* 20. *ubi ait conturbatur equidem homo cùm Febricitat*, cujus rei ſignum eſt, quòd horror aliàs atque aliàs per corpus tranſcurrit, hoc ſanè non contingeret ſi non conturbaretur humor, quid aliud eſt humoris conturbatio quàm effervefcentia, & *eodem lib. n.* 25. ait, ſi fuerit aliquid morboſi, quale in priori dixi, & ea quæ è cœlo proveniunt incommoda fuerint, & caleſcat homo, turbatur omnis humor in corpore caleſcens, & *lib. de Flatibus num.* 12. *ſcribit propter malam diætam, fit cùm corpus cibis repletum eſt, & ſpiritus multitudo vehementer excedit*, per ſpirituum multitudinem effervefcentia optimè explicatur, dum ab illis efficitur, vel effecta ſpiritus in magna copia è corpore effervefcente diſgregat.

XIV. *Nimiam ſanguinis effervefcentiam in Febre admittunt Antiquæ Medicinæ ſectatores*, ut c. 1. *Collegi n.* 59. in hoc diſcordes à recentioribus, quòd illi nimiam effervefcentiam ſanguinis, tamquam quid conſequutivum Febris agnoſcunt: Iſti verò effervefcentiam prædictam primum eſſentiale conſtitutivum Febris volunt, ex quo habemus effervefcentiam ab utriuſque in Febribus admitti, ſed diverſo modo, non variante nec rationem curationis, nec naturam febrium, quia ex una parte admittitur tamquam radix, & centrum eſſentiæ, ab altera tamquam ramus, & proprietas inſeparabiliter febrem conſequens. Poſito enim febrem eſſentialiter fundari in calore cordis neceſſariò, & inſeparabiliter illi nectitur *effervefcentia inordinata ſanguinis per cor circulantis*, propterea ex utraque parte effervefcentia inordinata ſanguinis, inter febris eſſentialia reponitur, vel tamquam proprietas radix, quòd non variat natum febris, quia ſi febrem per calorem definio, implicitè effervefcentiam comprehendo, ſi per effervefcentiam calorem implicitè explico, invariata manente natura febris, & cum hac curatione.

XV. Dicitur 3. *ſanguini, & humoribus inducta*: perque determinatur *ſubjectum* nimiæ fermentationis eſſe ſanguinem, & humores, ſumendo ſanguinem pro tota illa maſſa fluida per arterias, & venas fluente, ex bile, pituita, & melancholia conflata & hoc modo ſumit *Vvillis. in libr. de Febr. cap.* 1. ubi ſanguinis anatomen inſtituit.

XVI. Quo ad hujuſmodi ſubjectum concordant cum antiquis, juxtà tradita *ſuperiori capite num.* 5. ubi celeberrimorum Doctorum auctoritate concluditur, febres humorales in ſanguine ſubjectari, non excluſis ephemeris à ſpiritu fervente, qui eſt pars ſanguinis, orbis & de omne etiam febre videtur concludi debere, ad mentem Avic. per illa verba definitionis Febris accenſus in corde, & mediante ſpiritu, & ſanguine per arterias, & venas in totum corpus diffuſus; non poteſt autem calor Febrilis per ſanguinem in corpus diffundi, niſi fiat illius ſubjectum.

XVII. Per humores verò, demonſtratur quid à ſanguine diſtinctum, & ſunt ex *Vvillius cit. loco liquor nervoſus*, qui è ſanguine à facultate cerebri præparatus, in tenuiſſimam, & ſubtiliſſimam ſubſtantiam ſpiritus feracem, nervos ingreditur, ab iſtis ad vaſa lymphatica tranſit, quæ eidem ſanguini in venis iterum conſignant. Secundus eſt ſerum, pars ejus veteraſcens, & à ſanguine ab leganda tamquam inutile excrementum, tertius eſt chylus in ſanguinem aſſimilandus, & per ductum thoracicum pro tali opere ad cor adductus: Hos humores unà cum ſanguine nimia effervefcentia exagitari in Febrili incendio, earum conſtitutio ex heterogeneis partibus, ſubſtantiæ fluiditas, motus circularis, & cum ſanguine ſimilitudo, & convenientia naturæ perſuadent. Et de liquore nervoſo confirmant laſſitudines, rigores, & convulſiones, ſui liquoris vitium manifeſtantes, quòd effervefcentiam ultra cætera damna, inordinatam potens eſt efficere. Nec de ſero eſt dubitandum: cum particulis valdè fermentatitivis abundat, quæ à calore Febtili excitat, & in actum ſecundum adductæ, non poſſunt non promere præter naturalis effervefcentiæ effectus in ſuo ſubjecto. Pro chylo omnem tollit difficultatem, ejus commixtio cum ſanguine, & pro omnibus facit excedens totius calor, omnia liquida prout ſunt prædictæ ſubſtantiæ ad inordinatam effervefcentiam ducere idoneæ. *His addit Sylvius ſalivam, bilem, & ſuccum pancreaticum.* Quæ concreta ſub humoris alimentalis, vel excrementitii definitione comprehendi nemo dubitare poteſt, & quamvis lympha, & ſuccus pancreaticus ſint nomina nova, *Hipp. & Gal.* ignota experientia, tamen omni auctoritate validior, docet anatome, certiſſimam eſſe humorum exiſtentiam nominibus illis correſpondentium; ſedes diſtinctas in quibus præparantur, & canales in aliarum partium tranſitus ſervientes oculis exhibendo. Sicut nec de eorum effervefcentia ambigendum, ob rationes ſuperiùs dictas, ni potiùs fermentationis, & effervefcentiæ cauſas eſſe dicere velimus, cùm iſti alterati in fermenti morboſi naturam abeant ad maſſæ ſanguineæ perverſionem apti. Major difficultas *in humore nervoſo Vvilliſii* videtur fundari, Antiquis omninò ignoto, & à recentioribus quibuſdam contradicto: rationes tamen quibus utitur ad hujus humoris exiſtentiam probandam, cùm aliquam obtineant probabilitatem, efficiunt ne tanti viri opinio deriſione condemnetur; & ſi novitate talis ſententia inſignitur, Veterum tamen doctrinam nec impugnat, nec evertit, dum ſpiritus animales, quos illi per nervos decurrere ſine alicujus corporis liquidi ad mixtione docebant. *Vvilliſius* lymphaticæ humiditati aſſociat, ad conciliandam ſpiritibus unitatem, ad operationum exercitium maximè neceſſariam. Quicquid autem ſit de hac ſententia, certum eſt in febribus nervorum ſubſtantiam cum ſuis contentis, quæ ſunt ſpiritus ſæpiſſimè lædi, & fermentationis, ſeu effervefcentiæ motus ſubire, prout unicuique patere poteſt, & ſuperiùs oſtenſum fuit quod ſufficit ad oſtendendam unionem cum Antiquis, pro ſpirituum animalium effervefcentia, de qua non eſt dubitandum, cùm in ſpiritibus vitalibus à calore eam concedant, unde multò magis à febrili incendio animales ſpiritus à ſuo naturali motu, per effervefcentiam exorbitare, concedere debent.

XVIII. Ubi verò ſuccedat fermentatio ſanguinis, & humorum febrili effectus principium & radix, demonſtrat *Vvilliſius*, & in corde peragi determinet. *lib. de Febribus Cap.* 2. propè finem, dum ait. *Utroque modo ſive cruor ob rei non miſcibilis confuſionem, ſive ob ſpiritus, aut etiam ſulphuris evecti efferationem, in vaſis efferbuerit, quoniam hinc compages ejus laxatur, plus ideò magis in corde accenditur, & particulæ illius activæ prius ſolutæ à fermento illic cenſito plurimum excandeſcunt, à mixtione exiliunt, & motu ſuo calorem inſitum, ac velut igneum quaqua verſus diſpergunt*, & clariùs locutus eſt eodem capite ſcribendo, *quo ritu hoc fit licèt Mechanicè explicare in promptu non ſit, a doctiſſimis tamen viris Ento. Carteſio, aliiſque rei hujuſmodi rationes quædam*

non improbabiles traduntur, ſupponunt nimirum, vel ut ignem in cordis oco continuo ſtabulari, qui ſanguinem per venas infuſum protinùs accendat (quemadmodum cum vinum flamma ad mota exardeſcit) qui dein accenſus deslargatione ſua fulguris inſtar arterias citiſſimè trajiciat itaut calor motus rapidiſſimus, & effluvia per dapnoin emiſſa a ſanguinis in corde accenſione ſolummodo procedant. Statuit Hogelandus fermentum in cordis ſinibus recondi, quòd ſanguinis liquorem cum calore, & copioſa fuliginum emiſſione ebullire, & effervеſcere cogit, non ſecus ac cum ſpiritu nitri butyro antimonii confunditur. Adeout ſanguis leniter per venas influens à fermento cordis, illico in ſpumam, & vaporem rarefactus, impetuosè admodum arteriarum ductus pervadit, & ſi in corde naturalis ſanguinis effervеſcentia operatur, præter naturalis etiam ibidem confici neceſſe eſt. Nec obſtat Uvillis, in Tract. de Acc. ſang. velle merum muſculum eſſe, nec in ſe fomitem ullum pro flammula aut calido (neſcio quo) implantato perennandis idoneum continere; nam inquit, *calorem cor à ſanguine, & ſanguis à corde mutuatur*. Non obſtat inquam, quia ſufficit nobis cordi ineſſe calorem, quo ſanguis effervеſcat ſive hic poſteà ſit inſitus, vel innatus cum parte, ſive communidatus à ſanguine, ad noſtrum inſtitutum parum refert. Ex quibus patet *Vvilliſium* velle effervеſcentiam febrilem in corde peragi, prout paſſim docet *in Trac. de Febrib.* Nec aliter ſe habet *Sylvius* prædictam effervеſcentiam in corde concedens, *dum lib.* I. *Prax. Medic. cap.* 27. *num.* 24. ait *ut proinde miſſis aliorum de hac re opinionibus, quod mihi etiam nunc verum videtur, paucis proferam Exiſtimo I. febrium continuarum omnium cauſa eſſe bilem, aut Lympham (ſub qua ſuccum pancreaticum, ipſamque adeo ſalivam comprehendo quatenus cum ipſa deferuntur ad cor) aut utramque vitioſam, & in dextero cordis ventriculo effervеſcentiam talem excitantem, unde continuò pulſus producatur frequentior*; & idem confirmat de cauſa febrium intermittentium citato loco *num.* 30. *ubi habet, unde citiùs tardiùſque mixtura ex utraque, ac pituita exurgens, & ad dexterum cordis ventriculum delata ſubſequentis caloris, aliquando majoris, aliquando minoris, aliquando nullius cauſa exiſtit*: itaut apertè pateat. *Sylvium*, cor effervеſcentiæ, & caloris præternaturalis ſedem determinare, & cum Antiquis convenire, pro febris ſubjecto, ut patebit ſequenti §. quod clariſſimè exponit *libr.* 2. *prax. Cap.* 27. *& in Prax. medic. Appendic. tract.* 10. *de Affec. Epidemio num.* 654. *& citat. libr. prax. Medic. Append. tract.* 8. *de Arthrit. num.* 70.

XIX. Dicitur 4. inducta, ut oſtendatur cauſa efficiens nimiæ, & inordinatæ effervеſcentiæ ſanguinis, & humorum non enim ſponte huic ſe ſubiciunt, ſed ex vi alicujus cauſæ efficientis: In qua non recedunt ab antiquorum determinatione, ut patebit capit. ſequenti.

XX. *Dicitur* 5. *cum calore*, ab inordinata enim, & nimia effervеſcentia igneum calorem reſultare in univerſa ſanguinis maſſa, & in toto corpore volunt: ſanguis enim effervеſcens, tumorem, & æſtum concipit, quo particulæ ejus ſeditioſo tumultu, agitatæ fremunt, & ineſtinum in eodem bellum exercent, & calidæ, atque ſpirituoſæ in hujuſmodi ſegregatæ tumultu, atque accenſæ ab igne vitali ſanguinis, per ejus ſuperficiem ſerpentes intenſum calorem in eo efficiunt, juxta quantitatem particularum ſegregatarum, ita cum ſanguine totum corpus æſtuat. Et hoc habemus ex *Vvilliſio* loco citato. Cui conſentit. *Sylvius libr.* I. *prax. medic. Cap.* 29. cauſam caloris in ſynochis indagando, ſcribit, *exiſtimo* I. *Calorem febrilem produci propriè ac per ſe à bile, tum acriore, tum pinguiore, quatenus illa, & in tenui inteſtino, cum ſucco pancreatico, & in cordis ventriculo dextero, cum affluente undique lympha effervеſcens, non tantùm plures ignis particulas, quibus tunc abundat de ſe promit, verùm maximam tunc erumpentium partem utrobique partibus ſuis oleoſis denuò excipit, atque in corde quidem ſanguini penitus admiſcet, unde idem ſolito magis rareſcit, caloremque itidem majorem ubique communicat, cum pulſu majore, ac fruequentiore*: Ubi adnotanda ſunt illa verba, *magis rareſcit caloremque*, quia per hæc inſinuat calorem etiam ſanguini advenire ex ejus raritate, nec alia de cauſa, niſi quia dum rareſcit ſubtiliores, & calidiores particulæ à cæteris partibus diſgregantur, laxata per raritatem earum compage, & accenſæ poſtea modo ſuperiùs explicato, ſanguinem, & corpus præter naturam calefaciunt, & ab effervеſcentia atque raritate per calidarum partium diſgregationem, calorem augeri docet *lib. cit. cap.* 19. ſcribendo, *ex ſalis namque volatilis oleoſi in felle dominantis, & ſpiritus acidi dulcis, potiſſimam lymphæ partem conſtituentis ſub contrariorum confluxu blanda, & naturæ amica excitatur pugna* (quæ à *Vvillis* dicitur *effervеſcentia*) *in qua, & ob quam latentes concluſæque in utroque partes igneæ compedibus ſuis ſolvuntur, atque in libertatem vindicate, in oleoſas pinguiſque tum ſanguinis, tum chyli partes obvias: proprium nempe actionis ſuæ ſubjectum, inſinuat eaſdemque rarefaciunt, & cæteras quoque ipſius plus minùs admixtas, ita mutant, & alterant, ut tum vita perpetuari, &c.* & clariùs locutus eſt citato *libr. Cap.* 26. *num.* 22. dicendo *ſanguis multum rareſit, quando is laudabilis exiſtit, excitaturque in corde, dum effervеſcit ignis potens, qui tamen quando nimius exiſtit*; *plus ſatis adeoque malè rareſit ſanguis, ubi ſolet in ardentibus evenire febribus, ſi ergo ex* ſanguine effervеſcente excitatur ignis in corde neceſſe eſt, ut priùs excitetur in ſanguine per calidarum partium ſeparationem, quod colligitur ex illius verbis *in cap.* 27. *num.* 3. *nimia ſanguinis rarefactio ab igne potentiore ex utriuſque ſanguinis effervеſcentia erumpente facta*, itaut concludendum veniat, ab effervеſcentia immoderata ſanguinis, intenſum, & igneum calorem provenire.

XXI. Ex quo rationabiliter videntur concludere, calorem eſſe proprietatem, vel effectum, vel ſymptoma præternaturalis effervеſcentiæ. An verò talis calor ſit inſeparabilis, nec non, controvertitur apud aliquos. Partem negativam ſuſtinet. *Helmontius libr. de febribus cap.* I. *num.* 5. ex obſervatione febrium (quas *caſtrenſes* vocat) ſine ſenſibili, & manifeſto calore invadentium. *Sylvius lib. cit. cap. de febre maligna n.* 6. *ait ipſumque calor mox ſubſequi, raro quidem magnus, ſæpius mitior, adeout de ipſo vix conqueri ſoleant ægri, & cap.* 27. *num.* 21. calorem à Febre ſeparabilem oſtendit; Et in Febribus verè malignis, omnes: practici calorem debilem, & à naturali non recedentem obſervant, itaut quandoque decipiantur, morte inopinata ſupervenіente, ubi ſalutis certiſſima ſpes promittebatur. Et in ſenibus ſæpiſſimè Febres continuæ accidunt ſine calore, & obſervavit *Helmontius lib. citato cap.* 12. & videtur magis poſſe confirmari ex eo, quòd datur aliqua pars Febrilis paroxiſmi ſine calore manifeſto, imò, cum evidenti, & moleſto frigore, ut patet in Febribus, quæ cum rigore, & horrore, & frigore ſuas inchoant acceſſiones: In tali enim tempore, verè adeſt Febris, & tamen non eſt calor, conſequenter calor non eſt à Febre inſeparabilis: nec valet aſſerere, cor in prædictis caceſſionibus æſtuare, licèt partes externæ frigeant, & contremiſcant; quia ſi cor æſtuat, unde illa profunditas, & pavitas pulſus, inſtante frigore obſervata? æſtus enim cordis, pulſus elevatos, & turgidos efficit, præter quam quòd, talem æſtum à corde abeſſe frigefacto corpore? docuit *Hipp. lib. de flat.* dicendo, *quando igitur corpus cibis expletum fuerit, tùm ſpiritus quoque magna copia accedit, diutiùs immorantibus cibis, qui quidem cùm præ multitudine exire nequeant, diutiùs immorantur: obſtructo autem inferiore ventre, in univerſum corpus flatus percurrunt, & ad ſanguinem refertas corporis partes illapſi, eas refrigerant, at refrigeratis his locis in quibus fontes, & radices ſanguinis continentur per univerſum corpus horror penetrat: univerſo autem ſanguine perfrigerato, totum quoque corpus horror ocupat, hanc igitur ob cauſam primum horrores ante Febres oriuntur, & quo majore copia, & frigiditate flatus irruperint, talis quoque rigor conſequitur.* Ex hac ſententia manifeſtum evadit, frigus in acceſſionibus Febrium, dependere à radice, & fonte ſanguinis (ſcilicet à corde) refrigerato, conſequenter non poteſt aſſeri in acceſſionibus Febrium, inſtante frigore cor æſtuare. Etſi dicatur eo tempore acceſſionis in quo adeſt frigus, non Febrire, contra opponetur *Gal. lib.* 2. *de differ. feb. cap.* 3. *Avic. lib.* 4. *fen.* I. *Tract.* 2. *cap* 36. Aetius *tetrab.* 2. *ſerm.* I. *cap.* 79. Celſus *lib.* 3. *cap.* 3. aſſe-

afferentes Febres tertianas incipere cum rigore, & ſi tunc incipiunt, indubitatum eſt etiam tunc Febrem adeſſe. Ex quibus concludendum videtur, calorem non eſſe à Febre inſeparabilem.

XXII. Qui ſi admittantur, prout admitti debent, cùm ratione, experientia, & auctoritate fulciantur, deducitur impoſſibilitas Antiquiorum, & Recentiorum opiniones concordandi, cùm calor in Febre, non ſit ei eſſentialis, ut antiqui voluerunt, nec ſymptomata, vel effectus inſeparabilis ab effervescentia, ut mox ex recentiorum mente dictum fuit.

XXIII. His tamen non obſtantibus, aſſerendum eſt calorem ſemper cum Febre conjungi, & ſi in aliquibus febribus, prout ait *Helmon.* & experientia oſtendit, non reperiatur inſignis, & excedens calor, eſt tamen naturali major, prout mordacitas & acuties caloris manifeſtat, & inquietudo illa, qua ægri tali Febre laborantes neſciunt loco ſtare, caloris exceſſus certos non reddit, ad calorem enim Febrilem ſalvandum ſufficit, quòd ſit major naturali, cum læſione operationum, prout eſt calor ab intenſione mordacitatem, & acutiem acquirens, cum operationum læſione conjunctus, vitalium nempè, & naturalium, quæ in omni Febre, etiam parva depravantur.

XXIV. Quòd ſi adhuc huic reſponſioni non acquieſcant, & in medium adducant, Febres ſine caloris acutie, & mordacitate, Dico quòd etſi in iſtis Febribus non ſit ſenſibilis exceſſus caloris in partibus exterioribus, eſſe tamen cognoſcibilem in cavitate cordis, quod ſufficit ad ſalvandum calorem eſſe inſeparabiliter conjunctum cum Febre. Nam ex eo quòd partes exteriores non incaleſcant, non valet deducere partes interiores non eſſe calidas etiam intensè, cùm non ſit novum, nec in ſchola Medica, nec in praxi, partes exteriores frigore contremiſcere, & internas calore æſtuare; internus autem calor in ſupra citatis febribus, deducitur à ſumma virium debilitate, has Febres concomitantes à ſpiritibus reſolutis à malignitate: cujus inſeparabile ſymptoma eſt ſubita, & extrema virium reſolutio, cùm non poſſint diſſipari niſi ab aliarum partium conſortio ſeparentur, nec ſeparari, niſi priùs diſgregentur, & diſgregati in magna quantitate, debent etiam intensè ſanguinem calefacere, cùm omnia proprio calore incaleſcentia, qualia ſunt potentia calida, à ſola partium calidarum diſgregatione calorem accipiant. Etſi diſgregatio ſanguinis ſit præcipuè in corde, ab illius fermento, vel calore, idcircò calor per ſpiritus, & partes ſulphureas adauctus, debet in corde eſſe maximè ſenſibilis; non redditur verò ſenſibilis calor in corde conceptus pulſui in brachio, & exterioribus partibus, ob ſpirituum ſegregationem, paulò poſt ſeparationem, & diſſipationem eveniente hac celeri ſeparatione ob pravam ſanguinis diſpoſitionem, quæ conſiſtit in ſumma ſanguinis laxitate cóntracta à calore cordis, & à fermento extraneo illi commixto, vel à cauſa præternaturali, extrinſeca ob quam ſpiritus irretire, & detinere non eſt potens, hinc eis evolatis poſtquam in corde ſeparati fuerint exteriores partes calore privantur, & ita habemus in corde neceſſariò, ut in ſanguine, calorem intenſum reperiri, licèt non conſervetur extra illud, quòd ſatis eſt ad ſalvandum calorem violentæ fermentationis in corde peractæ opera, accenſum præter naturam, eſſe ſymptoma illius inſeparabile, & ad partes exteriores calorem non dimanare per accidens eſſe, & hæc reſponſio non ſolùm convenit doctrinæ de fermentatione, ſed etiam antiquorum, eſſentiam Febris in calore cordis præter naturam ponentium; quia à calore cordis accenditur ſanguis, cujus calor evaporando ob malam ſanguinis diſpoſitionem, vel à maligna qualitate cum ſpiritu vitali extinctus exteriora membra non attingit, & pravam illam maſſæ ſanguineæ conſtitutionem obſervare licèt in ſanguine per ſectam venam emiſſo, in prædictarum Febrium curatione, qui ut plurimum coagulationem non ſubit, & deficientibus, Fibris conſiſtentiam illi tribuentibus in vaſe etiam fluidus remanet, vel coagulata aliqua portione, nigrum liquamen in fundo vaſis relinquit. Ad rationem verò de acceſſionibus Febrium poſſent reſpondere antiqui cum Fernelio *lib.* 4. *Patol. cap.* 1. quòd acceſſiones propriè non debent dici Febris, & opponere illa verba ſententiæ *Hippoc.* ſuperiùs allatæ, primùm horrores ante Febris oriuntur, quæ denotant illam partem acceſſionis ab horrore deſignatam non eſſe Febrem, cùm horrores accidant antè Febrem, attamen admiſſo talem partem acceſſionis eſſe unum ex temporibus paroxyſmi Febrilis, & tunc nullum adeſſe calorem, ſed poſt tale tempus ſequi, hic rationem ſymptomati, vel effectus conſervat, debet enim eſſe prior illud à quo pendet, nempe effervescentia quam eo tempore eſſe nimiam, & inordinatam, pulſus frequentia, & inæqualitas comprobant, & ſi calor cum effervescentia non explicatur id evenit, quia actio effervescentiæ attingens ſeparationem parium calidarum impeditur à cauſa frigoris ſanguinem coagulante; qua ſuperata calor ſuſcitatur. Unde confirmatur calorem eſſe effectum inſeparabilem ab effervescentia, niſi hic impediatur à cauſa potentiori.

XXV. Concludendum igitur calorem ex recentiorum mente eſſe quid conſequens inordinatam effervescentiam ſanguinis, quæ eſt primum eſſentiale Febris, calor verò illi ita conjungitur, ut non poſſit ſeparari, nec poſſit reperiri inordinata effervescentia ſanguinis ſine calore naturali majore.

XXVI. Antiqui verò eſſentiam Febris in calore volunt, quem inſeparabiliter inordinata effervescentia concomitatur, in quo diſconvenientia apparens non eſt tanti facienda, prout à multis exaltatur: re enim attente ponderata, inveniemus, parum inter ſe differe antiqui in Febre calorem, & effervescentiam conſiderant, illum tamquam principium, & radicem Febrilis eſſentiæ, hanc tamquam effectum, & velut proprietatem, vel ramum ab eo neceſſariò pullulantem recentiores pariter in Febre agnoſcunt effervescentiam, & calorem, primæ eſſentiæ Febrilis privilegium concedunt: alteri famuli, & ſocii characterem tribuunt, ita tamen, ut ab illa numquam diſcedat, ſed inſeparabili familiaritatis vinculo conjunctus maneat: hinc patet in Febrili eſſentia admitti à recentioribus quicquid ab antiquis conceditur, & ſolùm in eorum ordine differre: non verò re. in qua convenire poteſt, demonſtrari ex eo quòd poſito per Antiquos effervescentiam eſſe inſeparabiliter conjunctam cum præternaturali calore non poſſunt illum explicitè concipere, quin hanc implicitè non exprimant, ſicuti dato per recentiores calorem eſſe inſeparabilem ab effervescentia, quotieſcumque hanc concepto explicitè, illum implicitè includant, & ſic quocumque modo definiatur Febris, ſive per calorem præter naturam cum antiquis, ſive per effervescentiam inordinatam ſanguinis cum recentioribus, ſemper utrumque exprimitur, unum quidem explicitè, alterum implicitè, quòd eſt in re convenire variato tantùm ordine, & forſan ſi iſtis temporibus, in quibus fermentationis doctrina tantùm luminis accepit, ut plus deſiderare illi non relinquatur, fœliciſſima illa antiquorum viverent ingenia, recentiorum definitionem libenter amplecterentur: At cum eorum ætate in tenebris fermentatio lateret (non eorum culpa ſed providentiæ decreto, quæ etiam ſcientiis dominatur) ſi Febrem per effervescentiam definiviſſent notum, quòd erat febris, per ignotum, quod erat fermentatio explicaſſent, unde cùm notus eſſet, & valdè conſpicuus ſenſibus calor, effervescentiæ effectus, rectè egiſſe videntur, per calorem, unicuique manifeſtum, febrem definiendo. Ad concordandas verò Antiquorum, & Recentiorum mentes, conſiderandum eſt etiam ex eorum dictis quid neceſſariò determinarent, ſi eorum notitiam habuiſſent, quam nobis ſors, & ſtudioſa hominum induſtria tulit.

XXVII. Calorem, quem recentiores ab effervescentia inſeparabilem dicunt, in ſubſtantiæ prædicamento collocant, illum explicando per particulas igneas, ſeu ſulphureas in ſanguine exiſtentes, & motu fermentationis ab otio ad actionem revocatas, & à potentia ad actum deductas, particulis in tali ſtatu conſtitutis atque à calore cordis, vel ſanguinis accenſi, totam humoralem maſſam, & cum ea univerſum corpus calefieri & inflammari contendunt. Per quod diſſentiunt ab eis, qui calorem Febrilem ſimplicem qua-

C 4 lita-

litatem denominant, & fuerunt recenſiti *ſuperiori capite num.* 8. conveniunt tamen cum deſcriptis citato loco, & cum Averr. *qui lib.* 4. *Meteor. capite* 8. *ſcripſit eſſe conbuſtibilia, quæ habent meatus ſuſceptivos ignis,* & cum Averr. *libr.* 2. *de anima text.* 215. *ſcribente, opinandum non eſſe, quòd aqua calefiat, dum aqua pura fuerit aut aerem infrigidari, dum eſt aer purus, ſed hoc accidere propter corpora calida, vel frigida.* Et omninò conveniunt cum admittentibus elementa formaliter in mixto, prout recentiores admittunt: hæc enim ſtabilita ſententia, calorem alicui corpori de novo advenientem debemus explicare, vel per receptionem corpuſculorum calidorum, ſeu igneorum ab aliena ſubſtantia provenientium, vel à propria reparatorum. Elementa verò manere in mixto non eſt novum in philoſophia, & medicina Avic. temperamentum deffiniendo elementa in mixto actu agnoſcit, & cum eo *Jacob. de part. Jacob. de Forl. & Ugo ſenen.* ejus interpretes idem ſentiunt Hipp. *lib. de natura humana Tex.* 24. *Gal.* 1. *de Elemen. cap.* 5. *& lib. de cur. per ſang. miſſ.* & Fernel. *libr.* 3. *Pathologiæ*, Argent. *in artic. medic.* Verga. *lib.* 1. *met. cap.* 1. Aver. *lib.* 3. *cœli Tex.* 67. Ariſt. *lib. de generatione cap.* 10. *&* 5. *Metaph. cap.* 5. 3. *Cœli cap.* 3. *&* 1. *Cœli cap.* 7. *& lib.* 2. *de partibus animalium cap.* 1. & cum eo Nimph. 1. *de generatione Tex.* 118. Zimar. *Theor.* 48. Thomas de Gargo *in ſum. Medic. lib.* 1. *Tract.* 1. *quæſt.* 1. recentiores ergo admittendo elementa actu in mixtis, monſtra non introducunt in Medicina, nec aliquid novitatem ſapientis dicunt; & conſequenter neque novum erit calorem propagari per ſubſtantiam calidam.

XXVIII. Hujus caloris conditiones dependenter ab antiquis explicant recentiores, illi enim febrilem, præter naturam evadere, per intenſionem ſtatuunt, prout retulimus, *præcedenti capite num.* 15. quod fatentur etiam moderni, ut deducitur *ex dictis ſuperiùs num.* 11. *&* 20. *nempè per majorem extractionem partium calidarum è ſubſtantia ſanguinis, illius, & totius corporis calorem augeri:* quod non differt ab intenſione, quia ſicuti illa fit per additionem qualitatis calidæ ad qualitatem calidam, ita hæc fit per additionem ſubſtantiæ calidæ ad ſubſtantiam calidam per quam calor intenditur, & ad igneam exaltatur naturam.

XXIX. Hinc reſolvitur etiam quæſtio, *an febris à tali intenſione ſemper proveniat, vel aliquando ſine ea habeatur?* adhærendo parti determinantis febrem ſemper ab intenſione caloris dependere, cum eis quos citavimus *cap. præcedenti num.* 24. & reſolutio habetur ex Uvillis *cit. lib. cap.* 14. ubi loquendo de febre maligna, pro qua videtur ſolùm facere quæſtio, ait *effervefcentia ad eumdem modum peragitur, ac ſuperiùs de putridis dictum eſt*, cùm verò has intenſum calorem habere concludat, reſpectu caloris naturalis, caloris etiam intenſionem in malignis admittet, & Sylvius *citat. lib. cap.* 23. idem aſſerit loquendo de febre maligna *num.* 6. dum ait, *ipſamque calor mox ſubſequi, rarò quidem magnus ſæpius mitior* (*intelligendus eſt mitior reſpectu magni, non reſpectu naturalis*) *magnus autem calor, & mitior reſpectu magni, qui ſit major naturali, involvit intenſionem*, proptereà ex *Sylvio*, habemus febrem malignam per intenſionem caloris, quomodo etiam aliæ Febres ab eadem generantur, ut videre eſt apud eum *in ſuo tractat. de Feb.*

XXX. Vera etiam determinantur ſententia relata *cap.* 1. *num.* 31. affirmans intenſionem dependere à principio intrinſeco, quia recentiores caloris intenſionem petunt à motu fermentationis, qui producitur à principio intrinſeco ſanguinis, ut in initio hujus capitis oſtenſum fuit; conſequenter talis intenſio effectivè habetur à principio intrinſeco, quamvis extrinſecè ab aliqua cauſa promoveatur, vel augeatur.

XXXI. Admittitur etiam Zacuti ſententiam *deſcripta cap.* 1. *num.* 35. ſecundùm quam ſuſtinet intenſionem caloris fieri ab unione ejuſdem, & hanc perfici à natura conante expellere noxium, quia talem unionem ab effervefcentia, & fermentatione ſanguinis, qua quod ſanguinem coinquinat, ſegregatur, & expellitur, habemus.

XXXII. Concludunt etiam cum relatis *citat. cap. num.* 41. calorem additum eſſe calorem ejuſdem ſpeciei cum præexiſtenti, & Febrilem eſſe ejuſdem conditionis cùm naturali, quia calor intendens calorem naturalem, ex quo Febrilis evadit, nil aliud eſt, niſi particulæ Calidæ ſanguini inexiſtentes, ſeparatæ à reliquis partibus, & unitæ particulis calidis, quæ calorem ſanguinis naturalem reddebant, ſed omnes particulæ calidæ quibus ſanguis ditatur ſunt ejuſdem ſpeciei, ergo calor qui dicitur Febrilis, eſt ejuſdem ſpeciei cum naturali.

XXXIII. *Dicitur* 5. *ſiti & aliis ſymptomatibus*, innumera ſunt ſymptomata quæ Febrem ſequuntur, & cruciant ægrotantes, inter quæ præcipuè tamen numeratur ſitis: quia nullum eſt forſan ſymptoma quod magis ſit frequens in Febre, quàm ſitis, quia eſt immediata caloris ſoboles cum Febre inſeparabiliter conjuncti, conſumpto enim humido quo ventriculi os irroratur, & fauces gutturve madent, ſitis oritur, quæ eſt appetitus humidi, à calore verò humidum illum conſumitur, qui cùm in Febre ſemper reperiatur, ſitim etiam frequentiſſimum Febris ſymptoma efficit: Et ſi videamus dari Febres ſine ſiti, hoc provenit vel à nimia humiditate, qua prædictæ partes perfunduntur, vel à calore debili licèt Febrili, non valente moderatam humiditatem conſumere.

XXXIV. *Dicitur* 6. *quibus æconomia naturalis pervertitur;* per quæ advertendum eſt, naturalis œconomiæ perverſionem non ſolis ſymptomatibus convenire, ſed inordinatæ effervefcentiæ eſſe communem, œconomia enim naturalis non ſolùm pervertitur per actiones læſas, excrementa, & retenta mutata, vel per qualitates corporis alteratas; ſed etiam pervertitur per ea à quibus hujuſmodi ſymptomata originantur; quantùm autem valeat inordinata ſanguinis effervefcentia, ad evertendam naturalem œconomiam, poterit unuſquiſque colligere ex hac conſideratione, quòd omnia corporis officia, omnes actiones, quaslibet operationes ſanguinis concurſu, & auxilio natura perficit, unde illo præter naturam affecto, omnes facultates, & cum his totius œconomiam labefactari neceſſe eſt, non ſolùm mediantibus ſymptomatibus, ſed etiam prævia inordinata ſanguinis effervefcentia, eum in præternaturali ſtatu conſtituente, per hæc verba, etiam concordant cum *Avic.* qui in ſua definitione poſuit illa verba, ut functiones naturales lædat, in quibus œconomia naturalis fundatur, & eis male habentibus iſta evertitur. Concordia etiam magis elucet ab eiſdem verbis, œconomia naturalis perturbatur, quæ addita fuerunt ad diſtinguendam effervefcentiam Febrilem, ab ea quæ inducitur ſanguini ex ira, motu, & cibo, & æconomiam naturalem non perturbat, ad imitationem *Avic.* qui in ſua definitione ait, non ſicut caliditas laboris, & iræ; quia licèt hæc ſit quandoque ignea, & in corde accenſa, non eſt tamen Febrilis, nec præter naturam operationum naturalium exercitium interum relinquens.

XXXV. Contra hanc definitionem, & modum concordandi recentiores cum antiquis, video plures occurrere difficultates, quæ ad majorem claritatem, & tutellam eorum, quæ dicta ſunt enodare determino.

XXXVI. Dices 1. fermentatio ordinaria, & ordinata indiget calore externo ut promoveatur, & perficiatur, ut experientia docet; nam ad hoc ut cereviſia conficiatur, debet calorem à coctura receptum retinere, quòd ſi illius plùs juſto evanuerit; recoquendum aliquid cereviſiæ illique affundendum, ut tota recaleſcat. Ad fermentationis neceſſitatem, arcendum eſt etiam frigus externum, donec fermentatio ad fervorem adſpiraverit, quòd curant compoſitores cereviſiæ cultricis, & plumeis ſtratis vaſa cereviſiam continentia cooperiendo, ne calor à coctura impreſſus, ab ambiente frigido diſſolvatur. Maſſam farinæ fermentatam calore fovemus, ut fermentatio ad ſuam perfectionem extollatur. Qui mulſam concoquunt, cellas ardentibus prunis calefaciunt, ne frigore loci fermentatio minuatur, vel ceſſet. Ad citò & bene fermentandam theriacam, calida regionis conſtitutio eſt neceſſaria, ergo inordinata fermentatio inordinati caloris erit effectus, & caloris exceſſus illam præire debet, non ſubſequi, & ita in Febre, calor in exceſſu erit prior inordinata effervefcentia, non poſterior, ut malè ſtatutum fuit.

XXXVII.

XXXVII. *Reſpondeo* concludendo ad fermentationem eſſe neceſſarium calorem tamquam promovens, & tamquam inſtrumentum, vel conditionem, non verò tamquam principium, fundatum ſolùm in principiis hæterogeneis, ex quibus res fermentata conſtituitur, ut innui in principio hujus capitis num. 3. Cuilibet componenti aliquod mixtum duo ſunt proprii, & naturales motus, unus quo fertur ad compoſitionem mixti, alter quo tendit ad ſuam ſphæram, & unionem cum ſuo ſimili. Et ſi duo motus ſunt illi naturales independenter ab alio, hoſque propria virtute, & ſua natura exercet. Elementis quæ ſunt mixtorum principia, hos motus competere nullus ex Peripateticis controvertit, & omnes atomorum profeſſores concedunt. Fermentatio mixti generationem, vel diſſolutionem præcedens, ab hiſce motibus principiorum mixti dependet, dum in generatione moventur, ut in unum coaleſcant, cum unione diſſimilium: ante diſſolutionem moventur, ut à diſſimilibus recedant, & ſimilibus accedant, pro tendentia ad ſuam ſphæram: Cùm autem fermentatio non ſit niſi motus principiorum quibus mixta ſubſtantia conflatur, & ſi tales motus ſunt intrinſeci dictis principiis, neceſſariò concludendum eſt, fermentationis originem, & immediatam cauſam, eſſe principia heterogenea motuum diverſitate donata, unde à fermentationis principio, & cauſa proximiori excluditur calor extrinſecus, ſuo concurſu ſolùm promovens, & conditionis officio fungens, ut prædicti motus excitentur, & determinentur. Hinc negatur abſolutè conſequentia deducta; quia à moderato, & calore naturali, poteſt in ordinata effici effervefcentia, ob diſpoſitionem principiorum, conſideratam in laxitate unionis eorundem, & diſgregationem à cæteris, à qua habetur facilitas ad motum inordinatum: idcircò ſi eveniat ſanguinem attenuari, & ejus unionem qua partes ſuæ in unum continentur, laxari ab aliqua cauſa, vel interna, vel externa, tunc ſanguis circulando, à caloris uaturali ita rarefit, ut particulæ calidæ in magna quantitate ſegregentur à rarefactione cordis, facta ampliori via, ob unionem magis laxatam: Ex hac partium ſegregatarum multitudine, in toto ſanguine tumultus, & incendium exurgit, non ab alia cauſa niſi à moderato calore cordis, & à mala diſpoſitione ſanguinis, conſequenter falſum eſt, inordinatam effervefcentiam ſanguinis præcedentem caloris exceſſum ſupponere. In multis etiam corporibus fermentatio contingit ſine præſentia caloris, ita fructus ab arbore immaturi excerpti maturitatem in hyeme, ab igne, vel calore remoti maturitatem conſequuntur, fermentatione peracta à virtute intrinſeca ſuorum principiorum. Vinum in dolio ſine calore fermentatur, & effervefcit, ex quo majorem adipiſcitur perfectionem, ſolo motu partium ex quibus conflatur.

XXXVIII. *Dices* 2. *ſanguis ex ſuis principiis extrinſecis non habet fermentum*, quia è vena emiſſus concreſcit, nec in eo aliquem motum obſervare licet, quod utique accideret, ſi à natura ei competeret fermentatio, ergo ſi eam habet, à ſolo calore habet, & confirmatur, ex eo quòd à calore interno liqueſcit, & eo expirato concreſcit, ergo etiam fermentatio illius à calore provenit, cùm calefacere nil aliud ſit, quàm partes fixas ad motum promovere, quod cum fermentatione coincidit, & ita fermentatio erit in ſanguine, non ab intrinſeco motu, ſed ab extrinſeco calore.

XXXIX. *Reſpondeo* negando antecedens, ad ejus rationem dico, malè ex ſanguinis concretione deduci, ex ſuis principiis intrinſecis non fermentari, cùm non ſolùm fermentatio ſit privilegium; liquidorum, ſolida quæcumque huic motui ſubjiciuntur, caro eſt ſolida, & fermentari nemo negabit, qui recenter carnium mactatarum, & ſtatim coctarum tenacitatem comparabit cum mollitie carnium ad aliquot dies ſervatarum, & tranſitus à tenacitate ad mollitiem, operatur à ſola fermentatione, & interno partium componentium motu, ſenſibili ſolùm per effectum: omnia corpora ſolida quæ putreſcunt per fermentationem in ſua principia diſſolvuntur, licèt talis motus fermentationis, noſtris ſenſibus ſit incognitus: pari pacto in concreto ſanguine, motus fermentationis ſenſibilis non obſervatur, deducitur tamen inſenſibilis, ex tranſitu concretionis, ad putredinem, per quam ſit partium diſſolutio, & ſeparatio in ſolo motu conſiſtens, fermentationis proprio, & quo poſito neceſſe eſt etiam fermentationem ſequi. Ad confirmationem, concedo ſanguinem à calore liquefieri, falſum tamen à calore tamquam à principio, vel à cauſa primaria illius fermentationem peragi: rationem deſumo ex ſupradictis in reſponſione ad primam objectionem, & in principio hujus capitis, de cauſis fermentationis.

XL. *Dices* 3. *Avic.* in ſua definitione vult calorem accendi in corde, hoc eſt calorem cordi implantatum à natura, per cauſas febriles ad igneam conditionem pervenire: Qui ſicuti in ſtatu naturali vivendi inſtrumenta ſingulis partibus impertitur, vel ſui communicatione eſt omnibus partibus inſtrumentum ad vitam, & omnes operationes ad eam neceſſarias perennandas, ita accenſus, & igneus factus, calorem præternaturalem, omnium actionum deſtructivum, univerſo corpori contribuit, recentiores verò talem calorem in ſanguine, non in corde accendi volunt, ergo non concordant.

XLI. *Reſpondeo* 1. ad ſalvandum Avic. dictum, nempè quòd febris ſit calor accenſus in corde, ſufficit quod intra illud accendatur, etenim ſive calor accendatur in propria ſubſtantia, ſive in cavitate cordis, ſemper verificatur quod ſit accenſus in corde, & ita dum calor ſanguini in cavitate cordis exiſtenti imprimitur, talis calor dicitur accenſus in corde, nec ex vi verborum Avic. deduci poteſt, eum potiùs loqui de calore cordis ſubſtantiæ implantato, quàm de calore ſanguinis in ejus cavitate permanente, qui influens denominatur, cùm de utroque verificetur in corde exiſtere: ſi verò inſtaret aliquis, deberi Avic. explicari de calore cordi inhærente, qualis eſt implantatus, non verò de calore ſanguinis, cordi denominativè tantùm convenienti, quia calor febrilis, cùm ſit morbus, debet eſſe in ſubjecto vivente, cùm verò ſanguis non vivat, non poteſt ejus calor febrem fundare, ſed ſolùm calor implantatus ſubſtantiæ cordis verè viventis.

XLII. Simili inſtantiæ reſpondere poſſem, non eſſe indubitatum morbum pro ſubjecto partem viventem ſemper habere, ex eo quòd alicui opinati ſunt ſubjectum morbi poſſe eſſe illa, quæ partibus viventibus uſum præſtant, quamvis vita careant, & in hac ſententia ſunt auctores citati. *Cap.* 1. *num.* 57. cùm verò ſanguis univerſo corpori viventi, & ſingulis partibus vitæ beneficio gaudentibus uſum præſtet, materiam pro earum conſervatione, & operationum exercitio ſubminiſtrando, poterit eſſe ſubjectum morbi. Pro quo determinando, non defuerunt exiſtimantes, ſufficere partem viventem aſſignare de qua denominativè ſolùm dicatur morbus, licèt incluſivè ſit in parte non vivente, contenta tamen à parte vivente. In horum numero ſunt Trincavel. *Epiſt.* 20. Jacob. Forl. *quæſt.* 3. *&* 4. *ſuper primam partem Avic.* Garb. *ſum.* 1. *tractatu* 5. *quæſt.* 80. unde ſequitur calorem igneum ſanguinis exiſtentis in cavitate cordis, poſſe dici morbum cordis denominativè, licèt calor inhæſivè ſit in ſanguine. Recentiores verò, & forſan meliùs reſponderent, negando ſanguinem non eſſe animatum: nec hoc eſt novum, fuit enim ſententia Ariſtotelis 3. *de hiſtoria animalium cap.* 19. dum dixit ſanguinem ſolùm animari, & citato lib. cap. 2. inter partes ſimilares, ſanguinem enumerat, & earum partem potiſſimam vocat, omnes autem ſimilares ſunt animatæ, & colligitur etiam ex definitione partis 1. *met. Cap.* 5. *Gal.* *&* 1. *de Elem. cap.* 6. quæ eſt, *pars dicitur quicquid totum complet*, *& integrat*, *aut ad humani corporis conſtitutionem facit*, ſanguini verò quis non videt hanc definitionem competere, conſequenter erit, pars: & etiam principalis, ſi attendimus definitioni Galeni *lib. de Uſu partium cap.* 6. ubi definit eſſe partem principalem illam, quæ ad individui conſervationem eſt maximè neceſſaria, ſanguinis tanta eſt neceſſitas in corpore, ut cum ejus fluxu fluat vita, nec per minimum ſine ſanguine poteſt illa prorogari, conſequenter ſanguis erit pars principalis, & animata, & videtur etiam fuiſſe ſententia Divi Thomæ qui *tertia parte quæſt.* 54. *Articul.* 1. *habet*, ſanguis erat unitus verbo, & ut pars humani corporis, & ut ſpectans ad unitatem naturæ humanæ, & Concilium Tridentinum *ſect.* 13. *de Eucharist. cap.* 3. ſanguinem Chriſti inter partes ejus numerat,

merat, & ex vi connexionis naturalis partium, & concomitantiæ, ſub ſpeciebus panis, non ſolùm corpus, ſed ſanguinem ait animam continere Chriſti, quia partes Chriſti inter ſe copulantur, & ex profeſſo hanc ſententiam defenderunt Conradus 1. 2. *quæſt.* 54. Hiſpalenſis 2. *diſt. p.* 15. *quæſt.* 1. Med. *diſp.* 6. *quæſt.* 1. Arriaga *Diſp.* 1. *num.* 280. Hurtadus *de anima Diſp.* 1. *num.* 22. Ovied. *Controverſia* 1. *Punct.* 4. *num.* 2. & ſic recentiores ſanguinem animatum ſuſtinentes, antiquitatem ſequuntur, neque nihil novi docent.

XLIII. *Reſp.* 2. admiſſo implantatum eſſe à natura in cavitate ventriculi cordis calorem, & hunc in febre accendi, negando juxta recentiorum placita, febrem primariò in hujus caloris accenſione conſiſtere, quia accenſio eſt quid conſequens ad eſſentiam febris, dum hanc præcedit ſanguinis effervеſcentia, in qua eſſentia febris conſiſtit. Pro veritate hujus aſſertionis conſiderandum eſt, calorem cordis ſicuti fovetur, & conſervatur à calore ſanguinis, & per ſpiritus à ſanguinea maſſa extractos, ita augetur etiam, ſi calor ſanguinis fuerit intenſus, & ſpiritus abundanti quantitate adjuncti fuerint calori cordis, ſed calorem intenſum ſanguinis, & diu in eo perſeverantem, præcedit effervеſcentia inordinata, ut ſuperius oſtenſum fuit, & per hanc calor in ſanguine augetur, & ſpiritus in copia ſeparantur, conſequenter calorem ab iſtis auctum, effervеſcentia præcedit, etſi calor cordis augetur à calore ſanguinis per ſpiritus, cùm hic ſit poſterior effervеſcentia, multò magis ille cordis auctus, & ita verum eſt in febre calorem cordis augeri, in eo tamen non conſiſtere eſſentiam febris, ſed eſſe quid conſequens, ad effervеſcentiam inordinatam ſanguinis, quæ eſt eſſentia Febris, cùm ſit prior calor cordis.

XLIV. Nec differre puto ab antiquis *Helmontii* ſententiam intimè ponderatam: In ſuo enim *Tract. de Febribus* pluribus in locis concludit Febris formale, eſſe Archei indignationem, perturbationem, vel æſtum, calorem verò eſſe quid conſequens Febrem, & ſic tamquam ſignum demonſtrativum exiſtentiæ Febris, non verò tamquam conſtitutionem, in Medicina eſſe recipiendum. Archeus, ex ejus doctrina, eſt aura vitalis vitæ directrix, quam antiqui ſpiritum vitalem dicerent, nec ille auderet negare, ſuum Archeum explicans, per illud faciens impetum Hipp. ut *Tract. de Morb. Archeal. num.* 4. *&* *Tract. de lithiaſi num.* 16. *de febrib. cap.* 16. *num.* 11. impetum verò faciens Hipp. eſt ſolus ſpiritus vitalis, conſequenter Archeus erit ſolùm ſpiritus vitalis, quem ex ſanguine gigni, & in eodem arteriis detento inhabitare docet, *in Tract. auræ vitalis*, & idem confirmat *Tract. de Vulner. Curat. num.* 95. antiquos imitatus, ſpiritum vitalem à ſanguine genitum, & in arteriis reſidentem profitentes. Archeum verò indignari, perturbari, æſtuare, quid aliud eſt, quàm inordinatè moveri, & conſequenter inordinatè effervеſcere, & fermentare, prout moderni clariùs explicant *Helmontio* tamen facem præferente, & ſpiritu unum cum ſanguine faciente, illo inordinatè effervеſcente, hunc effræni motu perturbari, negari non poteſt, hinc rectè deducitur ex *Helmontio* ab inordinata ſanguinis effervеſcentia in Febre ab Archeo indignato, perturbato, & æſtuante, calorem igneum proficiſci; colligitur ex ejus doctrina: quia ſpiritus vitalis, qui eſt archeus, habet conjunctum calorem, dum ſpiritus ille eſt lumen vitale, in quo vita inhabitat, ut aſſerit in tract. *auræ vitalis*, vita verò in ſolo calore fundatur, & hoc recepiſſe videtur quando *in tract. in herbis, verbis, lapidibus, &c.* calorem noſtrum non eſſe niſi lumen aſſerit, & quando *in tract. Blas humanum* faſſus eſt calorem noſtrum, eſſe ex natura lucis ſolaris, & ita dum ſpiritum vitalem vult eſſe lumen, & calorem naturalem per lumen explicat, debet admittere ſpiritum vitalem, & calorem naturalem vel eſſe idem, vel ſimul conjunctos exiſtere, quod apertis verbis declaravit in tract. auræ vitalis, dicendo, lumen in nobis eſt calidum, & loquitur de ſpiritu ſub forma luminis, dum verò archeus eſt indignatus, perturbatus, & æſtuans, debet etiam intenſè, & præter naturam calefacere, cùm non ſit niſi ſpiritus vitalis calidus, & hoc apertè determinavit *l. de febribus cap.* 1. *num.* 27. docendo *ſpiritum qui hominem naturaliter in ſanitate calefacit, in febre æſtuare, quod eſt proprium caloris ignei, & præter naturam accenſi*: alia enim differentia non poteſt aſſignari inter calorem, qui naturaliter calefacit, & eum qui æſtuat, niſi quòd ille eſt mitis, hic intenſus, igneus & ardens, & ſi ille calor qui in ſanitate naturaliter calefacit, eſt idem cum eo qui in Febre æſtuat, ut jam conceſſit Helmon. neceſse eſt, ut concedat illum fieri igneum, & urentem: quod conceſſit *citato lib. cap.* 1. *num.* 16. quando dixit *Archeus iratus ſeipſum accendit propria thymoſi*, ergo in Febre per *Helmon.* reperitur calor accenſus, & igneus, ſpiritus, & ſanguinis inordinatam effervеſcentiam concomitans. Spiritum vitalem poſse igneum fieri, probat *in citato tract. auræ vitalis*, in fine, ſcribendo *errores enim alienigenorum ſeminum violentiis adſcribendi ſub quibus vitale lumen degenerat, non ſecus atque compreſſio fœni ignem excitat*: concludendum ergo eſt *Helmontium* cum aliis recentioribus convenire Effervеſcentiam inordinatam ſanguinis, & calorem igneum in Febre admittendo, & etiam cum antiquis, ob dicta ſuperiùs ad concordiam iſtorum cum aliis recentioribus: nec in ſubjecto Febris ab aliis diſcrepat *Helmontius*, dùm ſedem vitalis ſpiritus in corde ponit, *Tract. de Magnet. Vulner. curat. num.* 109. unde ſi ſpiritus Effervеſcit in corde hoc contingit, & ita habemus inordinatam ſanguinis effervеſcentiam in corde, juxta mentem recentiorum aliorum, & Antiquorum.

CAP. III.

De Cauſis Febrium ſecundùm Antiquos.

I. Quamvis cauſarum genera quadrupliciter diſtinguantur à philoſophis, nempè in cauſam efficientem, formalem, materialem, & finalem, Medici tamen in determinandis Febrium cauſis de ſola efficiente loquuntur, ex eo quòd materiam, & formam ſolius compoſitæ ſubſtantiæ intrinſecas cauſas agnoſcant, ita Vales *lib.* 4. *Controver.* 3. Merc. *Tom.* 1. *lib.* 3. *par.* 1. *Claſ.* 2. *num.* 1. Simon A camp. *in Com. libri Gal. de differentiis Febrium Tex.* 14. cùm verò Febris ſit accidens, quia morbus, ex Gal. *lib. de morbi temporibus cap.* 1. *aphor. Coment.* 14. ſequitur non eſse quid compoſitum ex materia, & forma, & ideò inter ejus cauſas iſtæ non conſiderantur: & ſi accidens ex ſui natura exigit materiam, ut exiſtat, hanc non tamquam illud componentem, ſe ſuſtentantem agnoſcit: Finalem omnes Medici à morbo excludunt cum Valeſ. & Merc. *loco citat.* Santorel. *in anteprax. lib.* 2. *cap.* 2. eo quia morbus eſt defectus, & imperfectio, ob quam nullum agens per ſe operatur, unde Dionyſ. *lib. de Divin. Nomin.* enunciavit malum carere fine, natura, & efficiente, cùm à nullo optetur, unde cùm Febris ſit morbus, fine etiam caret, ut docet Mercur. *lib.* 5. *de Febribus cap.* 3. hinc ſolam cauſam efficientem ſibi conſiderandam propoſuerunt Medici, & ratione utilitatis, & neceſſitatis ex ea provenientis, quia ex ejus cognitione natura Febris, & rectus curandi modus illuſtratur.

II. Ideo cum Gal. 1. *de differentiis Febrium cap.* 4. *de cauſ. Morb. cap.* 2. quinque efficientes Febrium cauſas numerant.

III. *Primò*, Motum, non ſolum localem corporis, ſed animi, in quo paſſiones conſiſtunt. 2. Viciniam rei calidæ. 3. Admixtionem rei calidæ. 4. Obſtructionem 5. Putredinem: quatenus iſtæ omnes valent calorem præter naturalem in corpore inducere, in quo Febrium eſſentiam ſtabiliunt.

IV. Motum eſse caloris cauſam ita notum eſt, ut in adagium tranſierit, & plurimis experimentis probavit Ariſtot. *lib.* 5. *Problem.* 13. *&* 14. *Probl. & lib.* 2. *de Cœlo cap.* 1. *Text.* 42. *& lib.* 1. *Meteor. cap.* 3. motum non ſolùm calefacere, ſed ligna, lapides, & ferrum ignire, itaut plumbeus ſagittæ mucro, motu qua ab arcu emiſsa fertur ſagitta per aerem, ita calefit, ut liquefiat. Quomodo id contingat ſub altercationibus indeciſum manet: omnes Medici in hoc concurrere videntur, quòd motus per ſe id non agat: ita Valleſ. *lib.* 4. *Contr.* 3. Senner. *lib.* 1. *de Febr. cap.* 2. Zacut. *de Medic. Princ. Hiſt. lib.* 4. *Hiſt.* 5. Santorel. *in anteprax. lib.* 2. *cap.* 11. experientia edocti, fer-

rum

rum ignitum, in manu hominis velociſſimè currentis, vel ſupra volantem rotam infixum præcipiti curſu circumactam, citiùs refrigerari quàm ferrum ignitum non motum, quod non contigeret, ſi motus ex ſui natura calorem excitaret, obſervantes etiam velociſſimè mota minùs incaleſcere, quàm quæ lentè moventur, ut patet in rota in qua partes magis diſtantes etiam velociſſimè mota minùs incaleſcere, quàm quæ lentè moventur, & tardiùs illæ, quæ centro ſunt proximiores nihilominus in motu primæ non incaleſcunt, ſecundæ verò maximè, itaut quandoque ignem concipiant, conſequenter motus per ſe non eſt cauſa caloris, quia quæ velociùs moventur, deberent incaleſcere magis, quàm ea quæ tardiùs moventur. Plura alia poſſunt videri experimenta hanc veritatem comprobantia apud ingenioſiſſimum Chabeum *in ſuis meteoris lib. 2. in expoſitione Text. 16. quæſt.* 1. & apud Valeſ. *citato loco.*

IV. Caloris à motu provenientis cauſam facillimè reddunt, qui elementa actu in mixto ponunt, afferendo partes igneas in mixto deliteſcentes per motum excitari, & à reliquis ſeparari, quæ ſimul unitæ lignum calefaciunt, ſi adhuc in ejus ſubſtantiam permanent, ubi verò in unum conglomeratæ, ab ea exierint, flammam exhibent cum totali ligneæ ſubſtantiæ diſſolutione: partium calidarum ſeparatio habetur à confricatione, qua unio earum laxatur, & diſtractæ particulæ ſeparantur, naturalem motum à ſoluto compede exercentes, & exitum ab aperta in laxitate unionis via adinvenientes.

V. Alii docuerunt, motum localem eſſe omnium motuum principaliſſimum, ideoque habere primam qualitatem, quæ eſt calorem ex ſe producere. Cujus falſitas ex ſupradictis experientiis convincitur. Alii cenſuerunt à confricatione partium, quæ in motu ſemper conjungitur, aerem inter medium ita attenuari, & rarefieri, ut acquirat diſpoſitiones igni neceſſarias, ideò ſtatim ex aere ignem produci, quæ ſententia omninò improbatur ex eo, quòd ad generationem ignis ex aere, non ſolùm requiritur introductio majoris tenuitatis in eo, ſed intenſio majoris caliditatis, & productio ſic citatis correſpondentis naturæ ignis, cum verò in motu nullum appareat agens potens producere prædictas qualitates, patet non poſſe ſequi aeris mutationem in ignem. Sennertus *loco citat.* cenſet calorem in corpore vivente per motum excitari ob ſpiritum, & ſanguinem, natura ſua calidos ad partem motam in magna copia fluentes, quæ ſententia videtur concurrere, cum 1. cùm admittat calorem fieri à re calida, in corpore moto exiſtente, & ſummè valet in reddenda cauſa quomodo ab aliquibus paſſionibus animi, ut ab ira, & gaudio corpus intensè calefiat, moto nempè ſanguine; ut ſpiritus ab eo in majori copia quam antea extrahantur, inſito calore ſanguinem, & corpus excalefacientes. Ex his patet motum, non primò & immediatè calorem excitare, cuilibet ſententiæ adhæreas; ſed mediatè ſolùm, nempè vel aerem attenuando, & rarefaciendo, vel ignem ſeparando, vel ſpiritus & partes calidas ad motum provocando.

VI. *Per viciniam rei calidæ* intelligunt Medici approximationem corporis calidi, quod valeat corpus calefacere ad cordis uſque ſubſtantiam progrediendo, ſui caloris intenſionem operando, ex quo poſtea febris, quæ ideò excitatur, ex mora longa in balneis calidis, & ad ignem vel Solem: aut ab applicatione externi medicamenti calidi: hujuſmodi calorem ajunt communicari, medio qualitatis, quæ ab agente calido in proximo corpore producitur, & hæc aliam producit, donec in corpore calefaciendo introducatur, itaut hæc duo ſimul jungantur, corpus calidum, & approximatio paſſi, quia ſine hac, quæ reddit corpus agens immediatum paſſo, vel immediatione ſuppoſiti, vel virtutis, non poteſt fieri actio calefactionis ab agente extrinſeco, non ſufficiente ſola vicinia, quæ non eſt activa, nec ſolo agente, quod ad calefactionem exiſtentiam paſſi intra ſphæram ſuæ activitatis exigit, idcircò agens requiritur tamquam principale calefactivum, vicinia verò tamquam conditio ſine qua non.

VII. *Admixtio rei calidæ* comprehendit alimenta, cibum nempè, & potum calidum, medicamenta calida, quæ intus aſſumpta, varias ſubeundo concoctiones, iſtarum ſedes proprio influxu calefaciunt, & in ſanguinem tranſmutata, nativam caliditatem eis homogeneam retinentes, illum ſummæ caliditatis principem faciunt hac ſingula partes, per quas circulatur intensè calefaciendo. Aer etiam in admixtione rei calidæ includitur, cum per inſpirationem intùs trahitur, & per carnis porroſitates penetrando, omnibus partibus tàm liquidis, quàm ſolidis miſcetur, unde ſi in caliditate exceſſerit totum calefacere potens eſt. Ab hac admixtione non excluduntur humores excrementitii, in caliditate exceſſum patientes, qui ſi maſſæ ſanguineæ admiſceantur, illius calorem augebunt, tales humores excrementitios in corpore gigni ex uſu calidorum nemini eſt dubium, ſanguini miſceri probant tot affectus præternaturam ſanguini contingentes, ex admiſſa in ſuo ſinu horum excrementorum colluvie.

VIII. *Oſtructio* importat impedimentum in venis, vel arteriis exiſtens, quo ſanguis ſtagnare cogitur, prohibita illius ventilatione putredinis initium, & præternaturalis caloris cauſa, retentis in ſtagnante ſanguine exhalationibus calidis, quæ in ſuo curſu exhalarent, cum ſui, & adjacentium partium refrigerio: Ex quo patet, in febre obſtructionem non conſiderari tamquam indiſpoſitio morboſa vaſorum, ſed tamquam cauſa intenſioris, & putredinalis caloris: ſub obſtructione venit adſtrictio, vel impedimentum claudens porroſitates cutis, & cogens fuligines ab humoribus, & partibus vi caloris interni, & in exercitio nutritionis, & aliorum functionum elevatas retrocedere, quæ poſteà ſuo calore illum internarum partium augent, quod amplificavit Gal. *lib. de loc. affect. cap.* 4. de Cubiculo in quo ſint accenſi carbones, major enim calor eo clauſo perſentitur, quia prohibetur calidarum exhalationum expulſio. Ex quo colligi poteſt, obſtructionem non calefacere, neque formaliter neque virtualiter, ſed per accidens efluxum calidæ ſubſtantiæ impediendo.

IX. *Putredo eſt cauſa caloris*, ut docuit Ariſt. *ſectione* 25. *prob.* 20. & confirmavit *Hipp. ſect.* 2. *Aphor.* 47. dicendo, *dum plus conficitur dolores, & febres fiunt magis, quàm quando confectum eſt*, & Gal. idem ſenſit *lib.* 1. *de Cauſ. Morb. cap.* 2. & 7. *Aphor.* 42. & 4. *Aphor.* 57. & experientia docet omnia putrida calorem expirare, & vicina corpora calefacere.

Et quia per Antiquos putredo eſt baſis totam Febrium molem ſuſtinens, & à qua lumina mutuantur ad illuſtrandam de eis doctrinam, ideò particulari capite iſtius naturam indagare decrevi.

C A P. IV.

De Putredinis Eſſentia, & Diviſione ſecundùm Antiquos, & Recentiores.

I. DEfinitur ab Ariſt. 4. *Meteor. cap.* 2. *putredo, Interitus ejus qui in uno quoque humido prius eſt, & naturalis calor, ab alieno calore, hic autem* eſt ambientis.

II. *Dicitur* 1. *interitus*; quia putredo eſt contraria generationi, quæcumque enim fiunt oppoſito ordine, ſunt inter ſe oppoſita; generatio mixtorum, & putredo fiunt oppoſito ordine, quia in generatione dominante calore, ſiccitas humore terminatur, in putredine mixti calore devicto, conſequenter putredo generationi opponitur, idcircò ſicuti in generatione calor naturalis viget, ita in putredine, oppoſitionis lege, debet interire, & ſicuti in generatione caloris debita proportio, eſt ad formæ acquiſitionem neceſſaria diſpoſitio; ita putredo quæ eſt via ad corruptionem in qua forma deperditur, debet conſiſtere in caloris interitu, qui habetur vel per reſolutionem, vel ſeparationem à cæteris qualitatibus, vel ſubſtantiis in quibus ſubjectatus unum componebat.

III. Dicitur 2. *ejus qui proprius eſt*, & *naturalis calor*, quatenus enim calor conſtituit mixtum, & illius compoſitionem eſsentialiter iugreditur: dicitur proprius mixti, quia nullum eſt magis proprium quàm illud, quod dat eſse. Quatenus verò calor perficit operationes mixti, dicitur naturalis, cùm natura ſit principium

pium operationis, & motus, hinc videtur Ariſt. conſiderare calorem naturalem tamquam inſtrumentum formæ mixti, & iſti unitum. Nam eſt naturalis, quia perficit operationes naturales determinatas à forma principali, cujus eſt inſtrumentum, quod ex ſua natura exigit eſſe unitum agenti principali, conſequenter calor naturalis, ut naturalis, unionem cum forma à qua tamquam ejus inſtrumentum dirigatur, præſupponit, colligitur ad interitum caloris mixti, formæ illius deſtructionem ſubſequi, ſive conſideretur ut proprius, ſive ut naturalis; nam conſideratus ut proprius cum aliis qualitatibus unitus, eiſque dominans mixtionem abſolvit, ideò intereunte, diſſolutionis mixti neceſſitas provenit, cum formæ deſtructione, cujus permanentia ab unione qualitatum mixti determinatur. Si verò conſideretur ut naturalis, cum tali modo ſit inſtrumentum principale, & neceſſarium formæ, non ſolùm quoad actiones, ſed etiam quoad illius exiſtentiam, itaut ab ejus integritate dependeat, tam quoad eſſe quàm quoad agere, patet ſi intereat, non poſſe formam permanere, & ſi calor conſideretur tamquam inſtrumentum formæ ad actiones, eo pereunte amittet formam ratione actus, & reſpectu hujus interiiſſe dicetur, quamvis ſecundùm entitatem in materia permaneat, quia omnis actio ejus erit abolita ex defectu inſtrumenti, & permanentia in materia, erit in ea tamquam in vaſe ad ſolam conſervationem ejus entitatis, non ad actuationem materiæ, loquendo de formis materialibus, quapropter ad iteritum caloris conſiderati ſub formalitate proprii, vel naturalis, ſequitur formæ corruptio, vel quoad entitatem, vel quoad rationem actus.

IV. Dicitur 3. *in uno quoque humido*, & deſignatur cauſa materialis putredinis, quia calor cujus interitus eſt cauſa formalis putredinis, 1. & principaliter ſubjectatur in humido, idcircò hoc dicitur ſubjectum putredinis: eſt autem humidum primum, & principale ſubjectum caloris, quia hic reſpectu humidi habet rationem formantis, & terminantis, illud incraſſando, ut omnes mixti partes in unum, acquiſita craſſitie, tamquam vinculo colligare valeat; calori verò impoſſibile eſſet humidum terminare, & incraſſare, niſi in eo ſubjectaretur, ideò dicitur humidum eſſe caloris ſubjectum, quod non dicetur de ſucco, quamvis & calor illi dominetur, cùm illud termino proprio non actione caloris ſit terminatum, hinc rectè dicitur, putredinem eſſe interitum caloris in humido. Niſi magis placeret dicere calorem interire per humidum, quia in putredine primum quod patitur, eſt humidum, quod attenuatur, expirationi caloris viam ſternens.

V. Dicitur 4. *ab ambiente extrinſeco*. Et. cauſa efficiens deſignatur, animadvertendum tamen eſt, per calorem ambientem non intelligi ſolum calorem aeris, ſed quemlibet calorem illi mixto extrinſecum, & alienum, à conditionibus inſiti caloris. Dum enim per antipariſtaſim calor ad internas illius partes unitur, putredinis rudimenta concipit, ex toto poſtea ſubſequente niſi calor tranſpiret, quod certè non contingit vi caloris aeris ambientis, ſed ab intenſione innati caloris, anteperiſtaſis effectus, & tunc calor innatus dicitur calor extrinſecus, quia alienus à conditionibus requiſitis ad integritatem mixti, & aptus potiùs illud putredine condemnare, quàm conſervare: quomodò verò calor ambiens ſit cauſa caloris inſiti interitus, explicandum eſt, non per hoc quòd calor extrinſecus, vel alienus inſitum deſtruat, cùm calor in ratione caloris, non ſit contrarius alteri calori, conſequenter neque deſtructilis alterius caloris, ſed per hoc quòd à calore ambiente mixtum ita alteretur, ut calor ab eo expiret, qui tunc dicitur interire, quia non eſt in mixto, & reſpectu ejus ita ſe habet, ac ſi interiiſſet, & ad nihilum redactus fuiſſet. Alteratio quæ inſervit expirationi caloris, fundatur in tenuitate, & raritate humidi à calore ambientis effecta, qua omnes mixti partes laxantur, & à perfecta unione deficientes dilatatis porroſitatibus, apertam calori ad exitum viam relinquunt. Ad diminutionem, & interitum caloris mixti, interna frigiditas contrario libera prævalet, & ſuſcepto mixti dominio caloris reliquias ſubmittit, & diſſipat, & ita frigiditas innata ad caloris interitum concurrit, quod expreſſit Ariſtot. *citato loco* ſubjungendo, *putredo erit communis affectio, tùm proprii frigoris, tùm alieni caloris, ita tamen ut calor alienus principaliter concurrat ad interitum caloris mixti; frigiditas verò propria ſecundario, niſi enim à calore alieno evocaretur calor inſitus, frigiditas interna illi non prævaleret, & conſequenter non poſſet agere in illum actione deſtructiva.*

VI. Hinc patet ratio, *cur ea quæ putreſcunt fiant calidiora*, quia à calore alieno, & externo incaleſcunt, & caliditas interna, & inſita mixti dum evocatur, redditur magis activa, ideò corpus putreſcens à duplici calore actuatus, magis incaleſcit.

VII. Secundò, *Cur res putreſcens fiat humidior*, quia humidum à calore tàm ambiente, quàm interno liquefiat, & diſſolvitur, unde quod conſtans, & craſſum erat, fluidum, & liquidum evadit, quo magis humectat, & etiam quia humidum à calore evaporato, derelictum non regitur, nec determinatur, unde diffluit in alieno corpore ſuum quærens terminum, ideò totum corpus putreſcens humido fluido tamquam liquamine perfunditur.

VIII. Tertiò, *cur terminata putredine, res putreſcens fiat ſicca, & ad cineres reducatur?* quia tractu temporis evaporat etiam humidum, cujus pars major ab evolante calore rapitur, & ita nihi terra, & cinis partes mixti fixiores, & evaporationi ineptæ remanent.

IX. Quartò, *Cur frigore vigente, putredo difficiliùs ſuccedat?* Quia calor inſitus non evocatur ad partes exteriores ab eo, ſed magis corroboratur, per unionem caloris à contrario extrinſeco operatam. Humidum etiam à frigore non rarefit, idcircò mixtionis vinculum non tollitur, ut calor non poſſit abire, ſed per frigus humidum tenacius condenſatum, corpora putredini obſiſtentia reddit, arctiùs calorem cæteris partibus unitum conſervando.

X. Quintò, *Cur ea quæ ſunt conglaciata non putreſcunt?* Quia ſi putredo fit à calore externo, & in re conglaciata intenſum frigus dominatur, patet hoc calorem externum in activitate excedente, & non valere illud ſuperare, quapropter externus calor rem conglaciatam non valet ita calefacere; ut ejus humidum in halitus diſſolvat, & cum eo calorem evaporare faciat.

XI. Sexto, *Cur calidiſſima, ut aromata, non putreſcunt?* quia quæ dominantur in mixto ſunt, quæ mutationem in eo efficiunt, & quæ non dominantur, non poſſunt mutationem facere; calor rerum intensè calidarum non determinatur à calore ambientis, qui eſt illo debilior, quapropter calor ambientis, vel extrinſecus in his nullam poteſt operari putredinem, quæ mutationem ſaltem in qualitatibus involvit, præterquamquod quæ ſunt calidiſſima, ſunt etiam ſicciſſima, & conſequenter mixtionis vinculum in eis eſt adeò tenax, & validum, ut nec à calore externo, nec interno poſſit laxari, ſed integro & inviolato, ſemper manente, earum calor inſitus ſemper conſervatur, & cum eo ab omni putredinis labe res ipſæ.

XII. Septimò, *Cur quæ moventur, difficilius putreſcunt*, quia minùs ſubjacent actioni caloris ambientis, ſuo motu illius impreſſionem evitantia, & ab aere ventilitata, & refrigerata, dum moventur, majorem reſiſtentiam ad putreſcendum acquirunt; quia calori extrinſeco magis reſiſtunt.

XIII. Octavò, *Cur ſale condita à putredine conſervantur*, quia à ſale humidum ſuperfluum, & aqueum attrahitur, ideò remanens magis craſſum, & reſiſtens actioni caloris redditur, unde putredinis difficultas.

XIV. *Ex his etiam explicatur modus quo putredo ſuccedit.* Calor ambientis, ſeu alienus, debet eſſe mixto conjunctus, alioquin in illud non poſſet agere, primus hujus agentis impetus in humidum mixti dirigitur, utpotè magis idoneum ad hoſtiles impreſſiones excipiendas, quia ſtatim à virtute caloris attenuatur, & rarefit, cum tali intenſione, & ſubtilitate, ut levior factus aliarum partium mixti Inferiorem iſtius ſphæram dedignans, ſublimiorem ſuæ levitati adæquatam affectat, & ab aliis particulis diviſus ad illam citatiſſimo motu tendat,

dat, & quia in humido calor ſubjectabatur, vel ejus medio reliquis partibus copulabatur, deficiente cum humido caloris ſubjecto, & unione, deficit etiam ille in mixto, & quia humidum quod non evolavit, ita laxatur, ut cæteræ particulæ componentes inſito motu pertranſire terebrare, & lacerare valeant, hinc eſt quòd calidæ ad motum magis agiles, & in impetu potentes, humidi clauſtra, quibus cœrcebantur, diſrumpunt ad ſuperiora evolantes, mixtum ſine calore derelinquendo: ad hanc humidi diviſionem, & caloris ſeparationem omnium partium diſsolutio ſequitur, quia vinculum humidi quo in unum nectebantur eſt diſruptum, & calor qui eas in unione continebat, abiit, unde ſuæ libertati reſtitutæ ſine fræno, ſine vinculo, ſine rectore inſiti motus inclinationem ſequentes homogeneis ſe aſſociant, heterogeneas derelinquendo, cum omnimoda mixti diſsolutione.

XV. Ab Ariſt. *definitione* non diſcedit Gal. qui *lib.* 11. *met. cap.* 8. *definit putredinem eſſe mutationem totius ſubſtantiæ corporis putreſcentis, ad corruptionem à calore extraneo.*

XVI. *Per mutationem totius ſubſtantiæ*, intelligit alterationem qualitatum temperamentum conſtituentium, non mutationem ſubſtantialem, quæ reſpicit formam, & colligitur ex propoſitione, ad, cui mutatio refertur, tamquam via ad terminum deſignatum à prædicta præpoſitione, ad, qui eſt corruptio, dum dicitur in definitione, ad corruptionem, itaut hæc ſit terminus, mutatio verò via ad illam, unde ad hoc ut ſequatur corruptio mixti, debet præcedere illius mutatio, ſed corruptionem non poteſt præcedere mutatio ſecundùm formam, quia hæc eſt ipſa corruptio, & ſic ſenſus eſset, quòd corruptio ſubſtantiæ tenderet ad corruptionem ejuſdem ſubſtantiæ, quod eſt ridiculum. Neceſse eſt ergo, ut mutatio quæ præcedit corruptionem, ſit mutatio ſecundùm qualitates, temperamentum conſtituentes, quod *pluribus in locis* à Gal. *ſubſtantiæ nomine deſignatur*. Mutatio verò ſecundùm qualitates temperamenti faciliùs contingit in eis, quæ prævalent in temperamento, hujuſmodi autem ſunt calor, & humiditas, propterea mutatio circa has qualitates principaliter debet attendi, & ita Gal. *coincidit* cum Ariſt. qui talem mutationem in calido, & humido mixti putreſcentis alterato, vel conſumpto, expreſſit.

XVII. Subjungit *ad corruptelam*, ut oſtendat definire putredinem in ordine ad ſuum ultimum terminum, qui eſt corruptio. *Ariſt.* verò in ſua definitione putredinem ſolùm, tamquam viam ad terminum, ſeu corruptionem conſideravit, dum per ſimplicem alterationem definivit, quæ ex conſequenti formæ corruptionem includit, ut oſtenſum fuit in ponderatione verborum definitionis *Ariſt. ſub num. præcedenti* 3. unde in hoc videtur *Galenus ab Ariſt.* differrere, quod terminum putredinis, qui eſt corruptio explicitè deſignavit, ubi *Ariſt.* implicitè tantùm innuit hic omnes putredinis differentias comprehendendo, ille ut abſolutam tantummodò definiret.

XVIII. Cauſam efficientem mutationis, calorem externum aſſignat cum eodem *Ariſtotele* unde colligitur utriuſque conſenſus in definienda putredine, quam cum partium diſſolutione evenire non poteſt negare *Gal.* cum inſeparabiliter mutationi ſubſtantiæ ſit annexa, & à formæ corruptione dependens.

XIX. Ab iſtis non diſſentiunt recentiores, qui putredinem diſſolutionem partium mixtum componentium dicunt, ita Uvillis *lib. de Ferment. cap.* 8. definit *principiorum prius mutuo combinatorum* (*ſoluto mixtionis*, *vinculo*) *à ſe invicem ſeparato*, & *in partes ſucceſsus qui motus pro varia erumpentium diatheſi cum, vel ſine fœtore in putredinem vel marcorem deſinit*. Et quis in illis verbis, principiorum prius mutuo combinatorum, temperamentum non agnoſcit? reſultans in perfecta principiorum componentium mixtione prout docuit etiam *Avic.* in definitione temperamenti ſubjungit *à ſe invicem ſeparatio*, & mutationem ſubſtanriæ exprimit, quæ tunc verè mutatur, quando in principia componentia reſolvitur, formæ corruptionem ultimo oſtendens, quando dixit in putredinem deſinit, vel marcorem in 1. violentam formæ deperditionem oſtendens, in 2. naturalem. Quod ſi objiciatur convenire in cauſa putredinis, quam *in lib. citato cap. citat.* refundit in motum principiorum mixti, non verò in aliquod extrinſecum, *ut Ariſt.* & *Gal.* dico ibi principaliter agere de putredine naturali, quæ à principiorum contrarietate, & motu, omnium philoſophorum conſenſu habetur, agens verò de putredine, & diſſolutione mixti violenta in ſubſequenti *cap.* 9. ait *duo eſse magna ſolventia, aqua & ignis*; ignis ſi proximè & immediatè adhibeatur, corpora pleraque deſtruit, principia ad invicem abigit, & velut in auras diſſipat, quæ ſi intelligantur lentè fieri, & à moderata actione caloris, putredinem exprimunt, ubi citò & à violenta ignis activitate operantur, combuſtionem deſignant, & ſi plures cauſas diſſolutionis numerat, Fernel. ſecutus eſt *lib.* 2. *de abditis rerum cauſis*, qui calorem, frigiditatem, & alias putredinis cauſas numerat.

XX. Kyperus *lib.* 2. *Inſtit. Medic. cap.* 13. §. 14. dicit *putredinem eſse ſeparationem humidi à ſicco, in mixto facta, à proprii, & naturalis caloris debilitate*, ubi in ſeparatione humidi à ſicco diſſolutio partium habetur, unà cum caloris interitu, quia videtur neceſſarium humido ſeparato calorem perire, ſi in hoc ſubjectatur, & ejus medio cum cæteris partibus colligatur, & ſuperfluum exiſtimo fuiſſe hic addere ſeparationem caloris, quia eo ipſo quòd dicitur humidum ſeparatum à ſicco, includitur ſeparatio caloris, quæ faciliùs obtinetur, quàm illa humidi à ſicco, idcircò hac poſita debet neceſſariò illa præcedere; dicit, *facta à proprii*, & *naturalis caloris debilitate*, ibi interitum caloris naturalis cum *Ariſt.* exprimit, unà cum frigiditate, quæ calori debilitato prævalet, juxta dicta ſuperiori *num.* 50. & ſi videtur cauſam putredinis ponere in caloris naturalis debilitate, contra *Ariſt.* & *Gal.* qui in calorem externum refundunt, intelligendus eſt de cauſa formali, quæ per ipſum *Ariſtot.* eſt interitus caloris efficientem cauſam implicitè comprehendendo, cùm calor non fiat debilis ſine cauſa, quæ communniter eſt externus calor, internum naturalem extra evocans, vel frigiditas interna, quæ ſunt duæ cauſæ ab *Ariſt.* traditæ.

XXI. Kergerus *libr. de fermentatione ſec.* 2. *cap.* 9. definit *putredinem eſſe reſſolutionem mixti factam à vi externa, qua forma ſpecifica infirmior plurimas ſui corporis partes deperdit, quæ & ipſæ in putrilaginem fatiſcunt*, ubi per reſolutionem mixti cum *Gal.* & *Ariſt.* qui hanc admittunt ex dictis, in hoc ſolùm diverſus, quod iſte Auctor reſolutionem mixti pro formali ſtatuit, quod prædicti non faciunt, in hac tamen comprehenditur illorum formale putredinis quod ex *Ariſt.* eſt *internus caloris naturalis*, & ex Gal. *mutatio ſubſtantiæ*, impoſſibile eſt mixtum reſolvi, & ejus calorem internum non perire, neque ejus ſubſtantiam non mutari, dicit *à vi externa*, & extrinſecam cauſam putredinis admittit, nec ullam determinat, multiplicem judicando cum Fernel. *loco citato*, & Iouberto *p.* 131. formæ ſpecificæ deperditionem *ſecundum* partes vult, quia ex toto formas interire non permittit, & diviſibiles facit, putredinique obnoxias formam verò ex toto non interire probat *citato lib. ſec.* 1. *cap.* 4. multis rationibus, & Antiquorum auctoritatibus, ex quo novitas in tali ſententia videtur excludi.

XXII. Dividitur ab *Ariſt.* putredo *in putredinem ſecundùm totum*, quæ & putredo abſolutè dicitur, & *in putredinem ſecundum partem* 1. eſt putredo, quæ opponitur generationi immediatè, & eſt cum reſolutione mixti in ſua principia, unà cum deperditione formæ principalis, eo modo quo ſuperiùs dictum fuit, & huic adaptatur definitio ſupra explicata.

XXIII. *Putredo ſecundùm partem* ſubdividitur, in eam, *quæ competit elementis in principio eorum mixtionis*, *quando ſunt in proxima diſpoſitione ad generationem*, tunc ſi recedant à ſua natura ſecundùm gradus qualitatum in exceſſu, vel defectu dicitur putredo elementorum ſecundùm partem, ad quam conſtituendam quilibet receſsus elementorum à ſua natura non eſt ſufficiens, ſed requiritur, ut cum præternaturali elementorum alteratione, calor in inchoata mixtione dominans ita depravetur, ut humorem non regat, & hic congruenter non terminetur, quia per talem depravationem calor ab inchoata mixtione evocatur, & frigidum

dum ob caloris defectum prævalens illius reliquias extinguit, humido fluente, & non terminato, per quod mixtio impeditur, & inchoata diſſolvitur: Hinc eſt quod hujuſmodi putredo generationi inchoatæ dicitur oppoſita, & ſub definitione putredinis allatæ includitur, quia in utraque eſt interitus caloris innati in humido à calore externo, cùm hac ſolùm differentia, quòd illa mixtio advenit perfecto, hæc inchoato.

XXIV. *Alia putredo ſecundùm partem* competit mixtis perfectis, & fit quando iſtorum qualitates à natura mixto debita ſenſibiliter recedunt, ut ſenſibiliter vitiatum remaneat, & præternaturali affectione contaminatum, naturalem bonitatem, & perfectionem amittendo, ita tamen, ut integritas formæ ſervetur, & mixtum alteratum non mutatum dicatur; Ex quo colligitur differentia hujus putredinis ab ea, quæ ſecundùm totum dicitur in mutatione temperamenti, & formæ corruptione conſiſtens, ad quam perveniret, ſi ulteriùs qualitatum alteratio progrediatur, unde videtur rectè poſſe definiri putredo ſecundùm partem, *alteratio mixti ſecundùm qualitates primas, vel ſecundas per quam diſponitur ad putredinem ſecundùm totum*, ad quam videtur ſe habere velut via ad terminum, quapropter per alterationem contrariam poteſt corrigi, & ad ſuum naturalem ſtatum redigi.

XXV. Hanc diviſionem *Gal.* recepiſſe videtur quando *lib.* 1. *de differentiis feb. capite* 6. humorum putredinem diviſit in eam in qua natura ex toto ſuperatur, & humor ea putredine correptus ad priſtinum ſtatum reduci non poteſt, eo quia propriam amiſerit formam, & cùm hac propriam naturam, ad quam accedere nullo artis miniſterio conceditur, & partium ſeparatione in ſordidam abeunte putrilaginem, ad primævum ſtatum reductio prohibetur, renitentibus partibus eodem mixtionis modo, & eadem unione colligari, deficientibus diſpoſitionibus in deficientia, ut ita dicam, ſeminalis principii, quo partes ad mixtionis unionem determinabantur, & in carentia particularum in putredine longè abeuntium, quæ cùm non poſſint recuperari, nec in numero, qualitate, & quantitate impoſſibilem humoris putridi ad primum ſtatum reductionem faciunt ſub eadem forma. Videtur tamen ad benigniorem ſtatum poſſe transferri, diſſolutas partes in putredine remanentes uniendo in diverſæ conditionis mixtum, ut manifeſtum fit in pure, quod eſt quid diverſum ab humore putrefacto, ex cujus partibus reſiduis opera naturæ coaluit. Ex quo patet hujuſmodi putredinem ſub ultimo illius gradu contineri, ultra quem alius ſuperior non invenitur, cùm ad totalem partium diſſolutionem, & formæ corruptionem terminetur, ad quam impoſſibilis eſt regreſſus, & conſequenter hæc putredo eſt eadem cum putredine abſoluta, & ſecundum totum *Ariſt.*

XXVI. Secunda *Differentia eſt ea*, quando natura in humore eſt ſuperior diſpoſitionibus putridis in eodem introductis, & dicitur *putredo ſecundum quid*, & attenditur ſolùm penès qualitates alteratas, & temperamentum vitiatum humoris, manente forma ſubſtantiali, à qua habet eſſe in tali determinata categoria; quod colligitur ex dictis ipſius *Gal.* nempe *hanc putredinem contingere, & fieri natura ſuperante;* ſupponendo formæ putreſcentis humoris integritatem, quia natura in humore non eſt niſi forma illius, nec humor valet ſuperare vitia quibus contaminatur, niſi propriæ formæ actione, quod docuit idem *Gal. lib.* 2. *aphoriſm.* 17. exemplo vini aceſcentis, quod dum incipit putrefieri adhuc ſervat formam, quando verò putrefactum eſt, per totalem acquiſitionem conditionum aceti, amiſit formam. Et magis dilucidatur ex eodem *Gal.* conſiderando rationem concoctionis quam admiſit in ſupradicta putredine; ait enim *per concoctionem, humorem hac putredine affectum evadere bonum ſicut prius erat, itaut alere poſſit, & partes reſtaurare, augere, ſi priùs fuit talis conditionis, & ſi hanc bonitatem nequit recipere, remotis tamen omnibus pravis qualitatibus, aut ſaltem repreſſis, & mitigatis amittit, quod naturæ, & corpori moleſtiam inferebat.* Idem adnotavit *Augenius Tom.* 3. *Epiſt. Medic. lib.* 4. *Epiſt.* 1. talis verò concoctio non poteſt perfici, niſi integra manente forma humoris, tam quoad exiſtentiam, quàm quoad actionem, nullo mixto à naturali conditione devìante, ad eam ſe reſtituere valente, niſi intrinſecè formæ opera, quod de humore vitiato ſancivit *Bravus reſol. medic. par.* 3. *Diſp.* 4. *ſect.* 2. *reſol.* 2. §. 3. dicendo *concoctio facit ceſſare putredinem manente forma.* Cui correſpondent *Claudinus lib. reſpon. Medic. reſp.* 1. & deducitur à definitione *Gal.* concoctionis, quæ eſt, *concoctionem eſſe illam, quæ facit ceſsare putredinem;* unde hujuſmodi concoctio advenit putredini in qua natura eſt ſuperior, alioquin non ceſſaret putredo, & ſi putredo eſſet cum forma deperditione, non poſſet ſeparari, quia à privatione ad habitum non datur regreſſus, conſequenter putredo, quæ admittit concoctionem, ſupponit in putrido humore permanentiam formæ. Ex quibus verificatur *hanc putredinem* eſſe illam ab *Ariſt. ſecundùm partem* appellatam, & conſiſtere in ſola qualitatum, & temperamenti alteratione.

XXVII. Non omnis gradus alterationis eſt ſufficiens ad inducendam hanc putredinem in humoribus, ſed ſolùm ille per quem ſenſibiliter à ſuo ſtatu naturali recedunt, & naturæ moleſtæ evadunt, & corporis actiones ſenſibiliter lædendo cauſæ morborum fiunt.

XXVIII. Conſideratur hic *receſſus in primis qualitatibus humorum*, quia per alterationem cujuslibet, poteſt humor à ſua natura ſenſibiliter recedere, moleſtiam, & corpori damnum inferendo, & putredini abſolutè, & ſecundùm totum accedendo. Nam qualibet qualitate in humore extincta, vel ad gradum illum redacta, ſub quo non eſt ampliùs qualitas conveniens tali humori, neceſſaria eſt hujus corruptio, quia forma alligatur humori per unionem qualitatum in tali gradu, qua deficiente, conditio neceſſaria ad exiſtentiam formæ deficit, conſequenter neceſſe eſt, ut forma recedat à tali ſubjecto, cum abſoluta putredine humoris.

XXIX. Conſideratur etiam talis receſſus in ſecundis qualitatibus, & tàm in eis quæ dicuntur *tangibiles*, ut *raritas, denſitas, craſſities, & tenuitas, mollities, & duritates*, quàm in eis quæ *ſapidæ* dicuntur, ut *amarities, ſalſedo, auſteritas, & aciditas*, his enim mores naturæ bellum inferunt, eamque tyrannicè agitant. Hinc antiqui tot morbum cauſas in humorum *tenuitate, craſſitie, raritate, & denſitate quærunt*, ſicut amaritiem, quam principaliter in bile, ſalſedinem, aciditatem, quam in ſpeciebus pituitæ, auſteritatem, & corroſionem, quam in melancholia, & attrabile conſiderant morborum cauſas agnoſcunt, *& hæ qualitates putredinem ſecundùm quid; vel ſecundùm partem conſtituunt* quæ concoctionem admittit, vincente natura pravarum qualitatum efficaciam, quamvis illarum vitio ad abſolutam putredinem poſſit pervenire, ut patet in vino, quod amariorem priùs contrahit, poſtea marceſcit, & in aceto, quòd ſecundùm *Gal.* per putredinem fit, & ab aciditatis primordiis incipit. Humores ſecundùm has qualitates eſſe naturæ moleſtos, corporiſque œconomiam perturbare docuit *Hippocrates lib. de veteri medic.* ſcribendo, *quod in unoquoque potentius eſt, & ſupra naturam humanam, adeout ab eo ſuperari non poſſit, id lædere conſuevit, & tollere conati ſunt. Eſt autem valentiſſimum inter dulcia dulciſſimum, inter amara amariſſimum, inter acida acidiſſimum, & quod in re una quaque ſummum eſt, hæc enim homine ineſse eique nocere videbant. In homine namque ineſt amarum, & ſalſum, & dulce, & acidum, & acerbum, & inſipidum aliaque ſexcenta, quæ pro copia, & viribus varias habent facultates, & hæc quidem mixtione, & mutua inter ſe contemperatione, neque cernuntur; neque quemquam moleſtia afficiunt, at ubi quidpiam horum ſecretum fuerit, & per ſe extiterit tunc conſpicuum fit, & hominem moleſtia afficit*, & majorem potentiam ineſſe hiſce ſecundis qualitatibus ad corpus alterandum docuit *citato lib.* quando dixit, *neque enim calidum eſt, quod magnam vim habet, verùm acerbum, & inſipidum, cæteraque de quibus dixi*, & clariùs idem expreſſit inferiùs loquendo de materia Febrili his verbis, *illud verò mihi magno argumento eſſe videtur, quod neque calidum ſimpliciter Febricitantium, neque ipſum ſolum affectionis cauſa ſit, ſed eſt & amarum, & calidum idem, & calidum, & acutum, & ſalſum, & calidum aliaque innumera, & rurſus frigidum aliis facultatibus conjunctum.*

XXX.

XXX. In his qualitatibus putredinem ſecundùm quid fundari fit manifeſtum, ex eo, quòd concoctione emendantur, ut pronunciavit *Hipp. lib. cit.* ſcribendo, *at verò ardor narium tum ſedatur, non cùm fluxio ſit, & inflammatio adeſt, ſed cùm humor craſſior, & minùs acris extiterit, ac concoctus, eique qui aderat magis permixtus*, & inferiùs ſubjungit. *Reliqua autem omnia, quæ ex humorum acrimonia, & incommoderatione oriri aſſero, eo modo ſedantur commoderata, & concocta*, & inferiùs addit, *quin etiam quæ in fauces feruntur, ex quibus raucedines oriuntur, angini, cryſipelata, & pulmonum inflammationes, hæc omnia primum quidem ſalſa, humida, & acria demittunt, & in his morbi confirmantur, at ubi craſſiora, & magis cocta fuerint, omnemque depoſuerint acrimoniam, tum jam, & Febris, & quæ moleſtia afficiebant deſinunt*. Quæ omnia comprobant humores per primas, vel ſecundas qualitates depravatos corrigi, & per has putredinem ſecundùm quid, vel ſecundùm partem conſtitui, quæ concoctione emendatur. Et quoad primas qualitates humorum naturam contaminante, & concoctione correctas, clariorem habemus ſententiam *eodem lib.* ubi habet, *ab ipſa pauca caliditate, & frigiditate nulliuſque alterius facultatis participet, ſi hæc contingerit hac ratione ceſſabunt, ſi ex frigido, in calidum, & calido in frigidum commutatæ fuerint*.

XXXI. Hujus putredinis naturam, & eſſentiam expreſſerunt recentiores, cùm ad *Hipp.* normam multorum morborum cauſas in primarum, & ſecundarum qualitatum alteratione humoribus ſuperveniente invenerunt. *Vvillis, lib. de Febribus cap.* 1. ait, *ſi verò aut ſucci, alibilis ſupplementum cum reliquo cruore non ſit congener, nec cum ipſo aſſimilatur, quin vel ob concoctionis defectum in humore in prorſus crudum diluatur, vel propter ejus exceſſum in materiam retorridam aſſetur, aut ſi ſanguis veteraſcens ſuas non deponit exuvias, & novo cedit humori, nutritio propter hujuſmodi, inquam, circa hæmatoſim vitia, cruor à debita craſi, & motu æquabili variè pervertitur, evaditque modo aquoſus, & frigidus, modò acris, aut ſalſus, modò acidus, auſterus, aut alia ſaltem ratione degener*, & *eodem lib. cap.* 4. *de Febre tertiana intermittente* ait *Eſſentia ergo Febris tertianæ in eo conſiſtit, quòd ſanguis inſtar cereviſiæ è braſio nimis toſto baratæ, plus ſatis acris, ac retorridus ſuccum alibilem, qui è comeſtis crudus infertur, non citò ſubigit, & maturat, ſed plurimum ejus in materiam nitro ſulphuream pervertit*, & *de quartana loquens citat. lib. cap.* 6. ſcribit, *vice hujus aſſerimus, quod in hoc morbo ſanguinis liquor, à* natura dulci ſpiritoſa, & balſamica, *in acidam, & non nihil auſteram inſtar vini aceſcentis tranſierit*. Quæ omnia paſſim confirmat in *dicto lib. dc Febribus*, & *in lib. de morbis convulſivis, præcipuè cap. de Scorbuto*, ubi ſymptomatum Iliadem, hunc morbum concomitantium, per qualitates ſecundas humores contaminantes, dilucidat.

XXXII. *Silvius* hanc humorum depravationem admittit *lib.* 1. *prax. cap.* 11. *à num.* 6. *uſque ad* 22. uti enumerat mala, quæ à bile, pituita, ſucco pancreatico vitioſo proveniunt, & *loquendo de Febribus citato lib. cap.* 29. ait *num.* 9. *bilis tunc temporis, vel acrimonia ſalina lixiva ſola, aut inſuper inflammabilitate oleoſa peccare ſolet*, & *num.* 10. dicit, *lympha conglobatarum glandularum omnium, aut plerarumque ſaltem acrior, & acidior*, & *num.* 13. ſcribit, *ſuccus pancreaticus ſecundùm ſe totum diverſimodò vitiatus, & acrior factus*, &c. Ab hoc vitio ſecundarum qualitatum humorum, non ſolùm Febrium, ſed omnium morborum cauſas emanare per *Sylvium* colliget, qui ipſum attentè legerit.

XXXIII. *Helmontius* huic opinioni ſubſcripſit *in tract. Blas humanum num.* 52. dicendo, *rectiùs ergo quàm* Gal. Hipp. *dixit, non calidum, aut frigidum ſunt morbi, ſed acidum, acre, amarum, & ponticum*, per quæ *Hipp.* ſequacem, & fautorem ſe facit morborum, origines in qualitatum ſecundarum alteratione, quæ putredinem ſecundùm quid conſtituunt, indagando.

XXXIV. Hæc quæ unanimiter Antiqui, & recentiores afferunt, de putredinis natura, & eſſentia, & differentia, ultra quòd unitatem ſententiæ oſtendunt, conducunt etiam ad oſtendendam in Febrium cauſis determinandis concordias, & quia combuſtio videtur putredini ſimilis, & Febris etiam cauſam eſſe, ideò de ea aliquid dicere neceſſe judicavi.

XXXV. *Definitur ab Ariſt. combuſtio* 4. *Meteor. cap.* 3. *mutatio in ſubſtantiam, ſeparatis partibus humidis, & tenuibus à ſiccis, craſſis, à calore externo, & igneo*.

XXXVI. *Dicit* 1. *mutatio in ſubſtantiam*, & mutationem ſubſtantialem deſignat, quæ in formæ deperditione conſiſtit, per uſtionem enim corrumpitur forma mixti, quia lignum dum comburendo fit ignis, definit eſſe lignum, per formæ corruptionem.

XXXVII. *Dicit* 2. *ſeparatis partibus humidis, & tenuibus, & craſſis*, ut aſſignentur cauſæ prædictæ mutationis. Etenim per ſolam partium diſſolutionem perit forma mixti combuſti, & ut comprehendantur non ſumi combuſtionem quatenus importat mutationem in ſubjecto, cum de perditione unius formæ, & acquiſitione alterius, ſed ut innoteſcat combuſtionem accipi, quatenus importat diſſolutionem partium quibus mixtum componitur, cum formæ deperditione, quæ ſunt de formali combuſtionis; videmus enim in omnibus quæ comburuntur illa omnia ſuccedere, ſubtilibus, & calidis in flammam aſcendentibus, craſſis & ſiccis in combuſtionis area cum cineribus remanentibus, nullo primævæ formæ argumento relicto. Et ſi poſt hæc adveniat altera forma, hoc non eſt de formali combuſtionis, ſed de conſequenti. Per hanc partium ſeparationem, & formæ deperditionem, convenit combuſtio cum putredine ſimpliciter ſic dicta, quæ illa duo in ſuo eſſe involvit.

XXXVIII. *Dicit* 3. *à calore externo, & igneo:* ut denotet uſtionem ab extrinſeco ſemper provenire, nec mixtum ad hanc habere inclinationem ab intrinſeco, & ut doceat combuſtionem eſſe à cauſa violenta, & diſſolutionem partium in ea violenter & brevi tempore confici, per quod differt à putredine, quæ eſt à calore externo, ſed non igneo, & etiam quia diſſolutio partium in putredine fit ſenſim, & paulatim. *Differt etiam putredo à combuſtione*, quia in illa calor innatus minuitur, in hac augetur, ex eo quòd violenta actio agentis partes calidas mixti in copia ſeparat, ut calorem in eo igneum pariat, alia corpora comburrere potentem, *Altera differentia eſt*, quia in putredine efficienda concurrit interna frigiditas, quæ in combuſtione nullam habet partem: in putredine humiditas remanet, in combuſtione ſiccitas, & cinis, idcircò in putreſcentibus vermes facillimè, in combuſtis difficillimè naſcuntur.

XXXIX. *Humores eſſe combuſtionis ſubjectum, ſi de propria loquamur, non videtur aſſeri poſſe*: quia cùm ſint corpora fluida & humida, in cinerem definire non poſſunt, & ſi in podagricis obſervamus humores in gypſum condenſari, non minùs ſiccum ipſo cinere, non tamen per hoc evincitur vera combuſtio in humoribus, quia eſt potiùs, & veriùs coagulatio cum tale gypſum in unam maſſam coaleſcat, non in minima corpuſcula diviſum, ut cinis combuſtorum, nec ex ſiccitate arguitur combuſtio, quia calculi renum, lapis veſicæ, ſunt valdè ſicci, & tamen non ſunt reliquiæ corporis combuſti, & eo minùs propriam combuſtionem in venis, per quas fluunt humores, non credimus, cùm in purgatione poſt Febrem, quam à combuſtione dicimus, non obſerventur partes iſtæ adeò ſiccæ ut cineres, in quos humida corpora deſinere non poſſunt: *per quaandam tamen proportionem humores eſſe combuſtionis ſubjectum negandum non eſt* : quia ſicuti in combuſtione propria, ejus ſubjectum inflammatur, & accenditur, & cum illius humido evaporant partes ſubtiles, & igneæ cum violentia, vicina corpora calefacientes, & comburentes, calidas ſuo ſinu reconditas diffundunt in magna copia, & cum impetu, membra per quæ tranſeunt intenſè calefaciendo, in partium diſſolutionem poſtea abeundo, relicto craſſamento fluido ulteriori combuſtioni inepto, dicuntur proportionaliter comburri.

XL. *Hujus combuſtioni modum* ex aliorum mente *tradita Tralli. lib.* 12. *cap.* 2. his verbis: *dicendum eſt igitur putreſcere, & incendi, ut videre licet in pice, & bitu-*

bitumine, *aut arundinibus*, *aut chartis aliiſque multis fieri*, *quæ prompta ab igne afficiuntur*, *accenduntur que*. *ſic igitur nonnulla etiam ſcintillam modicam nacta magnam*, *& immenſam flammam excitarunt*, *ut non ſolùm vicina*, *ſed longiùs ſita combuſſerit*, *tale etiam nobis*, *inquiunt*, *accidit*, *incipit enim ſpiritus inflammari atque exardeſcere*, *non enim jam computreſcere ipſum dicendum quoque eſt*, *quia niſi ſpiritus humectantia*, *& refrigerantia*, *quæ ipſum contemperare poſſint conſequatur*, *etiam vicina depaſcitur*, *atque ex his ipſis ille nimirum primus eſt*, *qui ad hoc magis idoneus inveniri poteſt*. Spiritus ergo volunt primò accendi, ab his humores qui ſunt magis illi vicini, & per ſimilitudinem caliditatis, & inflammabilitatis accenſioni faciles, ut eſt bilis, & cæteri humores ab aliqua cauſa intensè excalefacti: unde ſequitur totius maſſæ ſanguinis combuſtio, & hoc ſæpiùs contingiſſe credendum eſt, ex mutatione Febris ephemeræ in ardentem, vel ſynocham frequenter contingente, ex accenſione ſpirituum humores, & maſſam ſanguinis inflammante, & ad incendium perducente. *Idem* exprimere, & docere conatus eſt *Minadous lib.* 1. *de Feb. maligna cap.* 11. dicendo, *ubi bilis*, *vel ſuccus melancolicus*, *aut extra proprium locum regalatus*, *aut in proprio loco concluſus*, *ventilationem idoneam deſiderare incœpit*, adſcititium quemdam *calorem*, *& ſpeciem quamdam corruptionis pergit acquirere*, *quòd ſi calor ille igneſcat*, *fumi plurimi excitantur*, *& tandem flamma concipitur*, *quæ dilatato incendio non antea ceſſat*, *quam illorum humorum unumquemque ad cinereum*, *& combuſtum deduxerit inquinamentum*.

XLI. In humoribus combuſtionem expreſſit *Gal.* 1. *de differentiis Febrium cap.* 5. ubi calorem Febrilem ac explicat ſimilitudine, *quemadmodum aliquando in agro conſpexi excrementa jumentorum ſimul ac columbarum*, *quadam ex parte adeò vehementer excalefacta*, *quod inſtar fumi multam evaporationem in ſublime emittebant*, *non parùm mordacem*, *& dolorificam*, *& ſi quis proximè acceſſiſſet nares oculoſque lædentem*, *ipſa etiam excrementa*, *tangentibus adeò calida ſentiebantur*, *ut qui longiori tempore manus*, *& pedes admoviſſent exurerentur*. *Multa illa evaporatio quamvis ſine flamma*, *& lumine combuſtionem importat*, *quia ad cineres terminatur*, *ſicut combuſtio*, *nec à flamma differt niſi luce*, & clarius expreſſit *idem Gal.* 2. *de differ. Febrium cap. ult.* ſcribendo *quo fit*, *ut inſtar lignorum humidorum*, *quæ paucam ſuper flammam univerſim projiciuntur*, *ſuccendatur*, *atque hoc tempus acceſſionis principium nuncupatur*, *cùm verò jam caliditas materiam pervaſerit*, *tunc hujuſmodi tempus*, *& augmentum*, *& aſcenſus nuncupatur*: *in hoc verò uſque adeò calor augetur*, *ut non modo locum exurat*, *qui eſt quodammodo putredinis focus*, *ſed etiam continuatim per totum corpus diſpergatur*: *at cum jam ad ſummum fervoris devenerint humores accenſi*, *id acceſſionis tempus conſiſtentia appellatur*, *tunc verò laborantis corporis igneum videtur*, *extenſa per univerſum corpus ignea caliditate*: Et ſi de putredine hìc agere videtur *Gal.* adnotandum ſæpè combuſtionem cum putredine confundere, ut teſtatur *idem Gal. de ſimpl. Medic. facul. cap.* 15. *de Urentibus medicamentis*, loquendo his verbis: *& vocantur putreſcentia*, *non quidem propria nominis appellatione*, *nam quæ ſunt putreſcentia*, *humectantia*, *cum calefactione*, *ſunt tamen eodem modo*, *vocamus propter ſymptomatis ſimilitudinem*: Unde cum in allata ſententia, combuſtionem propriis terminis exprimat, nomen putredinis cum combuſtione confundere dicendum eſt: velut animadvertit *Minadous loc. citat.* humores cum putredine incipere, ſed poſteà vel à proprio calore magno, vel cauſæ alterantis æſtu, in combuſtionem deſinere, & ſic in eodem humore eſt putredinis principium, & combuſtio.

XLII. *Gal.* ſectati ſunt in admittenda combuſtione humorum, qui Febres ab ea fieri determinaverunt, & *cap. ſeq. num.* 1. *&* 9. citantur.

XLIII. Cum iſtis ſentit *Vuillis lib. de feb. cap.* 9. ubi Febrem putridam fieri ait, *cum pars ſanguinis oleoſa*, *& ſulphurea nimis excalefacta ſupra modum turgeſcit*, *& velut in flammam adigitur*, & *eodem capite* habet: *hoc eſt ſulphur*, *ſeu oleoſa pars ſanguinis diu excalefacta*, *& per partes efferveſcens*, *tandem inſtar fœni madidè repoſiti*, *poſt longam incaleſcentiam*, *ſimul totam in flammam erumpit*. Quomodo autem fœnum prædicto modo repoſitum exardeſcat *lib. de Ferm. cap.* 10. explicat dicendo, *in fœno aut fimo madidè repoſito*, *ſulphuris particulæ plurimùm ſcatent*, *quæ latice aquoſo pro vehiculo potitæ*, *ſeſe in motum exerunt*, *cùm ob ventilationis defectum paulatim exhalare nequeant*, *intus coercitæ*, *adeòque in exaltationem ſuam perductæ magis approximari*, *& ſeſe mutuò incitare valent*, *dein poſtea plurimum conglobatæ ſeſe latiùs explicant*, *& ſubjecti clauſtra perrumpere incipiunt*, *adeoque incendium producunt*: *etenim obſervare licet in quocumque ſubjecto*, *quando ſulphuris particulæ ſegnius commotæ paulatim evolant*, *nec calor*, *nec ignis*, *verùm ſiccitas tantùm*, *& marcor ſuccedunt*: *ſin rapidiùs commoveantur*, *quam ut ſenſim exhalare poſſint*, *calor in ſubjecto excitatur*, *dein*, *ſi adhuc vehementiùs*, *& impetuoſiùs agitentur*, *ſimulque denſiùs agglomeratæ confertim erumpant*, *calori deflagratio ſupervenit*. Sic quando in humoribus particulæ igneæ confertim, ut in fœno & fimo exhalant, eorum deflagratio, & combuſtio ſequitur. Et ecce quam ſimilis *Gal. Vuillis* dum eadem utitur ſimilitudine *à Gal.* inventa ad explicandam humorum combuſtionem. Et ut magis *Gal.* uniformis evadat, ſimilitudinem à ligno petitam aſſumit, *citato lib. de Feb. cap. cap.* 9. dicendo *cùm primum autem turgeſcit ob crudi ſucci ſanguine admixtionem*, *modò rigor*, *modò horror infeſtat*, *inæqualiter ſe habent inſtar ignis*, *qui cum viridibus lignis coopertus eſt*, *modò fumum*, *modò flammam emittit*. Per quæ concordat cum *Minadous cit. loc.* ubi habet, *& quamquam fortè incipiat à putredine illa benigna*, *multo calore nativo fota*, *ardorem tamen concipiet*, *& in conflagrationem migrabit*. Sic in exterioribus ſæpè videmus fœnum quod mundum ſit integrè reſiccatum, ſi loco incluſo cogatur in acervum, facilè occaſione putredinis conflagrare, & fimum equinum, columbinumve, ſuſcepto ardoris ex putredine ſuſcitabulo, incendio quodam tandem uri, & ad cinereum combuſtumque inquinamentum pervenire. Ex quo manifeſtum fit *Vuillis*, in humorum combuſtione antiquis eſse uniformem, nec novum quid in Medicina inducere, dum per humorum combuſtionem aliquando Febrium cauſam explicat.

XLV. *Helmontius* videtur acceptare hanc combuſtionem *lib.* 1. *de Feb. cap.* 1. *num.* 28. ubi ait, quòd *inflammatio*, *& tumor cum pulſu duro dolore*, *& calore præter naturam*, *quæ in digito ob ſpinam illi infixam obſervantur proveniunt à ſolo ſpiritu cauſaliter*, *à ſpina vero occaſionaliter*: *calor enim in digito à ſola ſpiritus exardeſcentia ob ſpinæ occaſionem iratus*. Quò inferiùs materiæ humorali applicavit dicendo *n.* 31. *accendit nimirum ſe ipſum Archeus*, *inniſu quo cupit expellere materiam occaſionalem*, *tamquam ſpinam ſibi impactam*. Et quid aliud eſt accenſio ſpirituum quàm flamma quædam in eorum ſubjecto excitata, & quæ idem combuſtioni tradit, ſicut flamma in fimo, & fœno excitata, non eſt niſi ſpirituum in eis hoſpitantium accenſio, & ab *Helmon.* non explicaretur, niſi per Archæi accenſionem, ſumpto Archæo pro quolibet ſpiritu ad accenſionem apto, quamvis ſpiritus accenſus in fœno, pro ſpiritu vitali accipi poſſet, dum per eum herba ſuis radicibus conjuncta vivebat.

XLVI. His adjungitur *Sylvius* qui *lib.* 1. *prax. Medic. cap.* 29. *num.* 30. combuſtionem expreſſit his verbis: *Febris Synochæ cauſa eſt bilis*, *& primario*, *& peccans*, *non tantùm acrimonia ſalſa*, *ſed inſuper inflammabili oleoſitate*. Hujuſmodi verò corpora oleoſa faciliùs combuſtionem, quàm putredinem patiuntur, & bilis efficiendo Febrem accenditur, accenſio in ejus oleoſitate combuſtionem dabit. Et clariùs id docuit *citat. cap. n.* 19. his verbis, *calorem Febrilem puto per accidens*, *à conglobatarum glandularum lympha acidiore produci*, *quatenus illa in dextero cordis ventriculo cum bile aſcendenti ſanguini admixta efferveſcens*, *illam ſolitò acriùs aggreditur*, *& ita immutat vel corrumpit*, *hoc eſt ſua viſciditate liberat*, *& privat*, *vel copioſiùs tunc erumpunt igneæ particulæ*. Clariùs exprimi non poterat combuſtio, quàm in copioſo partium ignearum effluxu conſiſtere, & per hoc à putredine differre ſuperiùs diximus *num.* 8.

XLVII.

XLVII. *Martianus* huic ſententiæ adhæret in *com. lib. Hipp. de nat. hum.* docendo *bilem vel ſemper, vel ut plurimùm eſſe cauſam Febrium, quia bilis quando eſt diſgregata, nec aliorum admixtione contemperatur, agitata ab eo incaleſcit, ut proximiora quæque accendere poſſit*, ibidem etiam *docet bilem ad motum cæterorum humorum, utpotè leviſſimam, agitari, & accendi*, Per quę combuſtio apertè admittitur.

XLVIII. Concludendum ergo antiquos, & recentiore in putredinis eſſentia, differentia, necnon combuſtionis natura, & ſubjecto, concordes eſſe.

CAP. V.

An Putredo, & Combuſtio indifferenter omnes Febres generent, vel ad particulares ſolùm differentias ſe extendant.

I. RES eſt apud medicos maximè controverſa. Aliqui enim à putredine ſimpliciter, quæ inſignem, & excellentiorem gradum putredinis importat, cum corruptione formæ contendunt Febres malignas oriri, ita *Savonar. de Feb. peſt. rub.* 1. Altimar. *de meden. Febribus cap.* 7. Angelutius *de nat. & curat. malignæ Feb. cap.* 2. Mercur. *tract. de Feb. cap.* 3. Fracaſtor. *lib. de contag. cap.* 9. Maſcar. *de Feb. mal.* Jouber. *decad.* 2. *Perad.* 2. Simon. *in ſynop. Feb. humor. cap.* 1. Salvian. *variar. lect. Medic. lib.* 1. *cap.* 1. Minadous *lib.* 1. *de Feb. mal. cap.* 11. Zacut. *de Medic. Princ. Hiſt.* 1. *Hiſt.* 84. *quæſt.* 1. Mariot. *de Feb. lib.* 4. *cap.* 6.

II. Probatur hæc ſententia ex *Gal.* auctoritate 3. *in Epid. com. tex.* 22. ubi humorum putreſcentium malignitatem, in publica illa conſtitutione maligna, dicit originem ex putredine traxiſſe, malignitatemque ipſam corruptelæ ſobolem fuiſſe, propter quam cauſam ſenes, quorum corpora multis humiditatibus ſcatebant, ad eam humorum putreſcentiam proniores fuerunt, & *com. tex.* 25. iterum docet, *formidabilia, & pejora accidentia illius conſtitutionis à putredine fuiſſe inducta*, & in *lib.* 1. *de temper. cap.* 4. ſcribit, *nullam eſſe affectionem ab Hipp. ea in peſtilentia deſcriptam, quæ putredinis ſobolem non præ ſe tulerit*, & *lib.* 1. *de differ. Feb. cap.* 5. ait, *ſed quoniam de Febribus facta eſt mentio, quæ omnes à putredine ortum habent.*

III. Confirmatur *à modo curationis* à *Gal.* inſtituto *lib.* 1. *de differ. Feb.* qui conſiſtit in corrigenda putredine per exſiccantia, quem modum curationis ſequitur *Avic. lib.* 4. *Fen.* 1. *tract.* 4. *cap.* 4. & 5. Hippocratem imitatus, qui in Cranonis conſtitutione ignibus ſuccenſis, & corpora ſiccare, & aerem qui inſpiratur ab humiditatibus putredinoſis mundare tentavit: exſiccantia verò ſolam putredinem reſpiciunt 2. *à fœtore excrementorum*, qui putredinis ſoboles, & febrium malignarum inſeparabilis comes, has à putredine fieri indicat 3. *à ſubita virium reſolutione*, demonſtrativum malignitatis ſignum: nullibi enim magis, & citiùs deficiunt ſpiritus virium debilitatem cauſando, quàm *in putredine*, quæ eſt *caloris naturalis interitus, in ſolo ſpiritu contentus.*

IV. Alii putredinem cum venenata qualitate occulta, conjunctam Febris malignæ cauſam eſſe volunt, ex eo quòd in hac obſerventur omnes effectus, qui in aſſumpto veneno contingunt. Ita ſentiunt *Fernel. Sennertus*, & communiter major pars Medicorum.

V. A putredine ſecundùm quid, vel ſecundam partem, omnes benignas Febres malignitate carentes originem trahere concludit *Claudinus lib. reſp. medic. reſp.* 1. Minadous *cit. lib.* 1. *cap.* 11. & concludere coguntur quotquot ex citatis Auctoribus tuentur, Febres malignas ab humorum putredine ſecundùm totum dependere. Quia ſi omnes Febres ab hac originem traherent, omnes eſſent malignæ, quod falſum eſt. Ideò concludendum, ſi dantur Febres putridæ, & non malignæ, eſſe tales per putredinem ſecundùm quid, vel ſecundùm partem.

VI. Nec benignæ Febres univerſaliter prædictæ putredinis ſunt partus: etenim quæ cum ingenti calore, & incendio exurgunt, combuſtionem humorum genitricem ſortiuntur, ut mox videbimus: idcircò exiſtimandum eſt, illas benignas à putredine ſecundùm quid oriri, quæ ultra benignitatem, moderationem caloris & Symptomatum clementiam experiuntur. Hinc habemus Febres putridas (prout communiter appellantur) ſed à putredine ſecundùm quid, à ſola qualitarum alteratione humores à quibus efficiuntur depravante, ortas, manente humore ſub ſua naturali forma. In quarum genere enumerantur omnes illæ, ſive intermittentes ſive continuæ, quæ benignitatem præſeferunt, præciſa caloris intenſione: benignas dico Febres, quę malignitate carent, quamvis vitam extinguere valeant. Ad hoc enim perveniunt, etiam malignitate carentes, & in ſola putredine ſecundùm quid reſidentes Febres, vel ſpiritus reſolvendo ſua continuitate, vel depravata qualitate, illorum elaborationem prohibendo, vel imperfectam concedendo, cum omnium facultatum detrimento, à quo vita interdicitur.

VII. Nec obſtat quòd aliquando fiant Febres benignæ à bile, & melancholia genitæ, à portione ſanguinis putreſcentis, juxta vulgatam *Gal.* doctrinam *lib.* 2. *de criſ. cap.* 12. qua oſtendit *putreſcentem ſanguinem ſecundùm tenuiorem ſui partem in bilem, ſecundum terreſtriorem in melancholiam abire*; & in hoc caſu non peteſt dici, quòd putredo ſanguinis ſit putredo ſecundùm quid, ſola alteratione qualitatum determinata, ſed cogimur fateri eſſe putredinem ſecundùm totum, interveniente diſſolutione ſanguinis in ſuas partes cum formæ ejus corruptione exiſtente verò hac ſanguinis putredine Febris cauſa, ſi iſta benignitatem contraxerit. Febris erit benigna cum putredine abſoluta ſanguinis, & conſequenter demonſtrabitur falſum eſſe omnes Febres benignas eſſe à putredine ſecundùm quid, & omnes malignas eſſe à putredine abſoluta, & ſecundùm totum. Cùm dentur Febres à putredine abſoluta, & ſecundùm totum ſanguinis, quæ non ſunt malignæ, ſed benignæ.

VIII. Non obſtat, inquam, quia falſum eſt bilem, & melancholiam generari à ſanguine putreſcente, ſed à ſanguinea maſſa, in qua priùs præexiſtebant, ſeparantur; ſanguis enim eſt aggregatum ex bile, pituita, & melancholia, & quælibet harum habet propriam formam, per quam eſt talis, & harum unione maſſa ſanguinea conſtituitur, prout multis rationibus probat *Turiſanus lib.* 3. *art. Medic. com.* 38. & cum eo celeberrimorum Medicorum pars tenet. Hinc ablata unione inter has partes remanent iſtæ ſub ſua forma ſpecifica, & ſanguis dicitur putrefactus, non per corruptionem formæ ſanguinis, & per generationem alterius ex partibus in quas diſſolvitur, ſed ſolùm per meram ablationem unionis, qua prædictæ partes copulabantur ad unius conſtitutionem, quod ſanguis nominabatur. Quapropter aſſerendum eſt hujuſmodi reſolutionem, non eſſe putredinem abſolutè dictam, cùm formæ corruptio non generatio alicujus formæ ſubſtantialis habetur per unionem illarum partium, ita illarum diſſolutio ſola putredo denominativè eſt dicenda, cùm vera putredo ſit oppoſita generationi. Verùm quidem eſt quod tales partes, quando erant unitæ, humoris alimentalis munia ſubibant, ſeparatæ verò excrementitii vitio contaminantur, communicato à cauſa quæ diſſolutionem præſtitit, qualitatum primarum, vel ſecundarum alteratione, ſervata tamen formæ integritate, cùm alteratio non ſit in gradu cogente formam abire, itaut bilis illa quæ erat naturalis, & apta nutrire, per alterationem ad excrementitiam tranſeat, nutritioni inſufficiens, nihilominus eſt bilis, ſolùm ſecundùm diverſos gradus qualitatum à nutritiva bile differens; Quapropter manifeſtum evadit iſtas partes à ſanguine ſeparatas ſola putredine ſecundùm quid affici, etiam ſi illarum disjunctio ſanguini abſolutam putredinem importaret. Unde ſi Febris ſuum ortum immediatè his humoribus habet, aſſerendum eſt per putredinem ſecundùm quid effici, non per putredinem abſolutam, ut dicebatur, etiam ſi illa in maſſa ſanguinea præcederet, quia hæc immediatè non influit ad generationem Febris, cùm à bile vel melancholia pendeat.

IX. A combuſtione humorum Febrilem ignem accendi docet *Minadous loco citato de Febre maligna lib.* 1. *cap.* 11. Gal. *lib.* 10. *Met. cap.* 3. & *cap.* 5. & *lib.* 1. *de differ.*

differ. Feb. cap. 5. & lib. 2. cap. 5. & cap. ultimo. Valeſ. lib. 5. contr. cap. 19. auct. Gal. 5. ſimpl. Medic. facul. cap. 15. Bravus reſol. Medic. parte 3. diſput. 5. ſect. 3. de Feb. humor. reſol. 4. Carei. in com. fen. primæ Avic. lib. 4. tract. 1. cap. 2. Hoffman. in animad. in lib. 3. Mont. de morb. cap. 3. & in lib. de Feb. cap. 31. Savonar. cap. 11. de Feb. ſang. Zacut. de Medic. Princ. hiſt. lib. 4. hiſt. 10. Joubert, parad. 2. decad. 2. Tral. cap. 2. lib. 12. multos habuiſſe fautores hanc ſententiam fatetur, nec eam improbare videtur.

X. Quæ Febres ab hac humorum combuſtione generentur, illius natura docet in intenſione caloris conſiſtens, & per eam à putredine differens, ut adnotatum fuit *ſuperiore capite num.* 38. Unde omnes Febres, quæ cum intenſo calore urunt, à combuſtione provenire credendum erit, hujuſmodi diſtinctio putredinis à combuſtione, maximi eſt momenti in Febrium curatione, varia in utraque exiſtente, tam medicamentorum, quàm victus indicatione, unde in iſtis eodem modo procedere maximi eſſet præjudicii, ut adnotatum fuit à *Gal. lib.* 3. *met. cap.* 5. dicendo; *nam cùm accenditur in his Febris* (loquitur enim de Juvene bilioſo) *propter mordentem acrimoniam excalefacti, attenuatique ex ſole, & inedia, & laboribus ſucci, maximum remedium eſt nutrimentum humidum, ſicut è diverſo ubi ob copiam, vel obſtructionem, vel phlegmonem, vel, ut ſemel dicam, humoris alicujus putredinem Febris eſt orta maximo malo eſt cibus.* Ex qua ſententia, ut interpretatur *Minadous citato loco*, diſtinguit Febrem ex combuſtione, & putredine diverſum cibum aſſignando, in prima enim humidum alimentum bonum indicat, in ſecunda malum, & quod de alimento dicitur, referendum eſt ad medicamenta alterantia; itaut humida in combuſtione exhibeantur, in putredine verò ſiccantia. Quapropter apparet neceſſitas putredinem, & combuſtionem diſtinguendi, quæ univerſaliter in methodicæ curationis præjudicium confunduntur, ut ex *Gal.* oſtenſum fuit ſuperiori *cap. n.* 41.

XI. Inter combuſtionem, & putredinem abſolutam, mediat cum putredine ſecundùm quid effervescentia, & ebullitio humorum, quæ tam ad combuſtionem, quàm ad putredinem poteſt eſſe via, laxata ab hac compage humorum, ut exhalare poſſint particulæ calidæ ſenſim, & eſſet putredo, vel confertim, & cum violentia, & tunc eſſet combuſtio. Hujuſmodi effervescentiam Febres cauſare, docet *Fernel. lib.* 4. *de Feb. cap.* 4. *Valeſ. Joubert. Minadous cit. loc.* & Synochi imputris eſſentiam ſtabilire docet *Heurnius lib. de Feb. cap.* 7. Mercur. *lib. de Feb.* 5. *cap.* 6. Zacut. *in prax. hiſt. lib.* 4. *cap.* 19. Garcias *in fen. prim. lib.* 4. *tract.* 2. *diſp.* 1. *cap.* 1. Henriquez *de differ. Feb. diſp.* 2. *cap.* 7. & eſt ſententia communis, à qua nullus recedit.

CAP. VI.

De Cauſis Febrium ex recentiorum mente.

I. TRes Febrium cauſas aſſignat *Vvilliſ. lib. de Feb. cap.* 1. 1. *eſt*, quando aliquod extraneum ſanguini commiſcetur, & minimè congener cruori confunditur, quod cùm non poſſit ei aſſimilari, neque ad ſuam indolem converti, inimicitias hinc inde exercet, & tumultus in maſſa ſanguinea ſuſcitantur, quibus effervescentia naturalis illius pervertitur, & in Febrilem erumpit: & hoc tam à ſanguine, quàm ab extraneo ei admixto poteſt evenire. A *ſanguine*, moliente expulſionem ejus, quod ei noxium eſt, ſeipſum agitat, conturbat, & inordinatè movet. Hujus veritatis argumentum ex criſibus habemus, in quibus natura materiam morbificam expellere tentans, ſanguinem plus inordinatè movet, ut Febris exarcebetur, morbi argumentum apparens, quod naturæ, ſaluti ægri ſatagentis, eſt opus. Quod autem eſt ſanguini extraneum, eſt pariter noxium, ſicut humor per criſim expellendum, unde non mirum, ſi ſanguis ab eo irratus, in illius expulſionem alterato ſuæ effervescentiæ motu incumbit.

II. Fit ab extraneo effervescentia inordinata, quando rationem fermenti induit, potentis propria activitate maſſam ſanguinis præternaturali effervescentia exagitare, eo modo quo gutta ſevi, vel pinguedinis in dolium vini inſtillata, illud ebullire facit, & fæces vini ab eo ſecretæ, & ad fundum depreſſæ, ſi denuo exaltentur, illud fervida ebullitione turbant: Eſt enim natura fermenti partes mixti, cum quo miſcetur, ad motum excitare ſuarum partium componentium motu: abundat enim fermentum ſpiritibus, & corpuſculis volatilibus, in quibus ſumma propenſio ad motum inhæret, prout docuit *Vvilliſ. citato loco de Feb. cap.* 2. quia flores cereviſi, & maſſa farinæ ſubactæ non habent rationem fermenti ad fermentandum vinum, vel cereviſiam, vel alios liquores, & maſſam panis, niſi acorem, & aciditatem conceperint, & ad hanc pervenire non poſſunt, niſi illorum ſpiritus, ſulphuris, & ſalis particulas ſublimis exaltatio, & volatilizatio nobilitaverit: Idcircò in cereviſia, & farina ſubacta ad naturam fermenti elevata, aciditas perſentitur, quæ priùs in eis erat inſenſibilis, ſale in ſumma fixitate permanente, ſub dominio aliarum partium, à quibus ſuæ virtutis diffuſio impeditur, fluore verò adepto, ſuper alias particulas imperium exercet, & totam maſſam aciditate perfundit. Ab hujuſmodi exaltatione, & volatilitate prædictæ particulæ motum ab intrinſeco debitum exercent, intimos, & remotiores mixti ſinus, cui commiſcentur penetrando, illius particulas etiam fixas concutiendo, & ad motum proponendo, ex ſui natura mobiles, in motum concitatiorem ſtimulando: Sic per maſſam farinæ ſubactam, & acidam factam, farina cui commiſcetur turget, & fermentatur, ſic cereviſia per admixtionem fæcum acidatum, novam ſubit fermentationem. Ita omnia excrementa, quæ in corpore noſtro redundant, & quorum ſecretionem natura intendit, ſive ſint utilia, ſive inutilia, ſi ſanguini miſceantur in fermenti naturam exaltata, Febrilem effervescentiam ſanguini impertiunt, *fermenti conditione nanciſcuntur*, vel *à propria natura*, particulas ſulphuris, & ſalis exaltatas, & volatilizatas largiente, qualis eſt urina, quæ prædictis particulis eſt valdè ferax, ut ex ejus deſtillatione colligitur; & de ſudore, ea quæ refert *Tachenius in ſuo Hipp. Chimich.* comprobant, *Vel quia per fermentationem ordinariam ſanguinis, vel partis in qua generantur, vel quia ſecundùm partes ſuas talem acquirunt volatilitatem, qualem exigit natura fermenti.* Hæc excrementa quandoque in ipſo ſanguine generantur, & cumulantur, aliquando ab aliis partibus generata, illi conſignantur, tota integra, vel in vapores, & exhalationes comminuta.

III. Ad hoc extraneum reducitur cauſa occaſionalis *Helmont.* quam moleſtam eſſe Archæo docet *lib. de Feb. cap.* 1. *nu.* 27. his verbis, *Cauſa occaſionalis eſt ſpina Archæo infixa, & ſicuti ſpina digito infixa eſt illi moleſta, ita Archæo implantata nocumento erit, per hoc illius expulſionem tentat, & in conatu quo ſe colligit ad hoc opus accenditur. Eſt autem hæc ſpina quidquid noxium eſt ſpiritui vitali, nomine Archæi venienti, & ſi hoc noxium eſt ſpiritui infixum tamquam ſpina eſt in ipſo ſinu ſpiritus, & in ejus ſede.* Quæ *ex eodem in tractatu Aure Vitalis eſt ſanguis, & ita noxium & extraneum quod eſt ſpina Archæo moleſta, erit in ſanguine, & ſi in hujus expulſione accenditur commotus, & agitatus ſuam ſedem commoveri, & agitari fas eſt, quod idem eſt ſanguinem inordinatè effervescere cum ſpiritu.* Quæ omnia cum dictis ſupra, in ſententia concordant *Vvilliſii*. Nec ab hoc deficit in altera parte, in qua *hoc extraneum vult ſua natura ſanguinem ad effrænem ebullitionem trahere*, quia ſi hæc cauſa occaſionalis eſt moleſta *Archæo*, neceſſe eſt aliquid illi ineſſe moleſtiam inducens, à qua poſteà *Archæus* agitatur, & turbatur, & hoc eſt agitationem, & effervescentiam efficere, & hoc magis apertè demonſtravit *Helmont. cit. lib. de Feb. cap.* 11. *n.* 5. dicendo *hoc enim degener alimentum varias ſubiens mutationis ſuæ abuſivas teſſeras, diverſas quoque Febres gignit.* Et ſi oſtenſum eſt ex *Helmont.* Febrem in effervescentia ſpiritus, & ſanguinis conſiſtere, ſi prædictus humor Febrem gignit, effervescentiam etiam concitat.

IV. *In hoc extraneo* convenit *Sylvius*, determinando *bilem, pancreaticum ſuccum ſalivam, & lympham qualitatibus depravatis Febrem accendere, excitata in ſanguine cui commiſcentur inordinata effervescentia*, ut videre eſt apud eum *in lib.* 1. *Prax. Medic. cap.* 27. *n.* 23. &

23. & 30. *cap.* 30. *num.* 46. loquendo de Feb. intermittentibus ait, *ad Febrem intermittentem producendam requiritur quid in ſanguine non exiſtens, ſed ipſi admixtum unà cum ipſo ad cordis dexterum ventriculum deferatur*. Ex quo habetur extranei admixtio in ſanguine, quòd enim aptum eſt producere Febrem, verè eſt extraneum. Ab hoc fieri effervefcentiam colligitur eodem *cap. num.* 77. ubi habet, *ſuccus ergo pancreaticus ſtagnatione notata redditus naturali acidior, atque poſt perterebratam obſtruentem pituitam in tenuis inteſtini cavitatem effuſus, mox in confluentem bilem qualemcumque inſurgit, atque cum ipſa efferveſcentiam ſolito acriorem parit*; & *cap.* 29. *num.* 4. *continentium Febrium, cauſam dixi eſſe Judicio meo nunc bilem, nunc lympham, & quæ cum lympha confluunt, nunc utramque ſimul malè affectam, & talem in dextero cordis ventriculo efferveſcentiam excitantem, Et idem pluries repetit agendo de Feb.*

V. *Martianus* etiam ad hoc extraneum reſpexit, quando humorum diſgregationem, quam Febrium cauſam immediatam judicat, ab humoribus qualitate peccantibus in exceſſu dependere determinat, in *com. lib. Hipp. de Nat. hum. verſ.* 272. & humores eum exceſſu pravarum qualitatum quis extraneos non dicet? Neque exiſtimandum *Martianum* à *Vvilliſio* diſſentire, quia hic extraneæ fermentationis inordinatæ cauſam ſanguini admixtam vult, ille diſgregationis tantummodo, quia & diſgregatio reducitur ad cauſas inordinatæ efferveſcentiæ, & ita ſi per *Martianum* extranea non ſunt immediata cauſa iſtius erunt mediata.

VI. Hinc deducitur *Vvilliſium* neceſſariò admittere viciniam rei calidæ, & admixtionem corporis calidi pro cauſa Febris cum Antiquis, ut explicatum fuit *cap.* 3. *num.* 6. 7. quia extranea mixta ſanguini, calorem Febrilem, prævia efferveſcentia, excitando, ſunt calida in effectu, etiam ſi non eſſent talia in eſſentia, quod nec ab Antiquis requiritur, dum cauſam Febris motum, & obſtructionem volunt, quæ in ſua eſſentia non ſunt calida, ſed ſolùm in effectu. Nec obſtructionem inter Febriles cauſas recenſitam rejicere *Vvilliſius* poteſt, dum à prohibitis effluviis corporis, per obſtructionem cutis Febrem generari aſſerit. Nec putredinem alteram cauſam Febris per Antiquos excludit, ſi ſermo ſit de putredine ſecundùm quid, quia omnia ſanguini extranea ſunt talia per qualitatum pravitatem, & receſſum à naturali bonitate, & perfectione, quod eſt putredine ſecundùm quid affici, *ex dictis cap.* 4. *num.* 26. Unde non remanet dubitandi locus *Vvilliſſium* cum Antiquis non convenire in Febrilium cauſarum determinatione. In qua concurrunt etiam *Sylvius*, & *Helmontius*, qui humores extraneos ſanguini mixtos Febrilis efferveſcentiæ cauſam admittentes, ut ex dictis patet, putredinem ſecundùm quid cum Antiquis concedunt, & quoque hoc eſſet ſatis ad conciliandam unitatem doctrinæ antiquæ, & modernæ, cùm putredo habetur pro principali, & proximiori cauſa Febrium, alias omnes includens tamquam pediſſequas, vel ejus adventum præeuntes tamquam nuntias: tamen in omnibus unanimiter conveniunt, & ex parte *Sylvii* apertè demonſtratur *lib.* 1. *Prax. Medic. cap.* 11. *à num.* 18. *uſque* 23. ubi in aſſignanda cauſa depravationis *bilis, pituitæ, ſucci pancreatici, & lymphæ*, omnes illas enumerat, quæ Febriles ab Antiquis dicuntur, quòd ſi à *Sylvio* prædictæ non ponuntur tamquam immediatæ Febrilis acceſſus, imitatus eſt Antiquos eaſdem, vel potiùs aliquas caloris præternaturalis cauſas mediatas tantùm recognoſcentes, ut *cap.* 3. adnotatum fuit *ſub num.* 5. & 8. obſtructionem verò admittit *cap.* 30. *Citati lib. num.* 68. ubi *Febres intermittentes ab obſtructione ductus pancreatici probare contendit*, nec diſſimilis *Helmontius*, dum *citato lib. de Feb. cap.* 51. *num.* 5. aſſignando cauſam per quam humores illi ſecundarii, à quibus Febres fieri putat, à ſua conditione degenerant, ait, degenerant verò admixtione rei extraneæ, vel impreſſione peregrina, vel demum errore indignati Archæi vel evocati. Admixtione extranei poſſunt venire omnes cauſæ, ſuperiùs ex mente *Vvilliſii*, recenſitæ, & errore indignati Archæi, vel evocati comprehenduntur cauſæ calorem nimium producentes, quales ſunt admixtio rei calidæ, & vicinia ejuſdem.

VII. Et ut clarior appareat hæc ſententiarum unitas, conſiderandum eſt Antiquos in determinandis cauſis Febrium, non reſpexiſſe ad immediatam efficientiam caloris in omnibus, ſed in aliquibus ad ſolam occaſionem, vel conditionem per quam poteſt poni calor, ut patet in obſtructione, quæ Febri dat ſolùm occaſionem, calidas fuligines retinendo, & vicinia rei calidæ, quæ eſt tantùm conditio ad calorem introducendum, cùm ex ſe nihil influat. Nec poſſet dici recentiores ab Antiquis diſcedere, ſi inter Febrium cauſas adſcriberent quæ calori Febrili occaſionem præberent, vel conditiones eſſent pro illius exiſtentia, etiam ſi non eſſent illæ in individuo expreſſæ ab Antiquis, quia conveniunt in ſpecie, quod eſt magis conſiderabile, licèt diſconveniunt in individuo. Præterquam, quòd dum Antiqui ad ſtabiliendas Febrium cauſas, deſcendunt ad aliqua, quæ occaſionem præbent calori, vel conditiones ſunt neceſſariæ illius, videntur recepiſſe, ſi admiſiſſent quæcumque ſive in ſpecie, ſive in individuo poſſunt eſſe occaſio, vel conditio caloris. Et ita Moderni ſtabilientes humores extraneos aciditate, auſteritate, ſalſedine, &c. eſſe Febrium cauſas, non diſcrepant ab Antiquis, præciſa etiam ab his formaliter putredinis ſecundùm quid, quia hiſce qualitatibus ſunt occaſiones ad calorem præternaturalem efficiendum, excitata priùs inordinata efferveſcentia.

VIII. Ulterius Antiqui pro febrili cauſa illam agnoſcunt, quæ virtualiter, & in potentia eſt talis tantùm, ut eſt motus. Et quis non videt extranea quæ miſcentur ſanguini in potentia, & virtualiter calefacere, ſanguinem exagitando, vel præternaturam fermentando, per quod igneus calor accenditur, erumpentibus in copia igneis particulis. Quamvis poſſet etiam dici extraneum ſanguini mixtum, admixtionem rei actu calidæ exprimere, dum rationem fermenti eſt conſecutum, cujus natura exigit, ſinu ſuo colligere partes ſpirituoſas, & ſulphureas exaltatas, quæ cùm actuali calore ſint ditatæ, actualem etiam calorem in fermento repræſentare debent, ſicuti quando dicent efferveſcentiam eſſe cauſam, caloris modo dicto *cap.* 2. *num.* 11. & 20. motum localem ſanguinis exprimunt, à quo calor ejuſdem, remanente ſolùm differentia alias aſſignant, nempè, quòd Antiqui calorem à motu locali ſanguinis excitatum Febris eſſentiam volunt, recentiores verò effectum Febrilis eſſentiæ, & in inordinato ſanguinis motu conſiſtentis dicunt. Advertendum eſt etiam hæc extranea à naturali conditione declinare alteratione primarum, vel ſecundarum qualitatum, putredinem ſecundùm quid conſtituentium orta, vel à motu, vel à vicinia rei calidæ, vel obſtructione, vel ab admixtione rei calidæ, vel à calore, exiſtente in his virtute humores in primis, & ſecundis qualitatibus alterandi, unde habemus recentiores cum Antiquis conſentientes, in determinandis Febrium cauſis etiam in individuo.

IX. *Admixtionem corporis extranei*, non debemus intelligere pro perfecta mixtione, quia ex hac nullum ſequeretur ſanguini damnum, nec ſupradicta pullularet efferveſcentia, præter naturam, non valente extraneo perfectè commixto cum aliis partibus ſanguinis ſuam vim in eum exercere, à mixtionis vinculo frenato, & impedito motu, ad fermentandum ſanguinem præter naturam neceſſarium: tum etiam quia per mixtionem veram ſub aliarum partium dominio coerceretur, quæ in quantitate, & virtute prævalendo, illius conatus ſuffocarent, & formæ principalis imperio ex toto ſubmiſsus, extra ſuas, & naturæ leges non exorbitaret, docente *Hipp. lib. de Vet. Medic.* his verbis, *ineſt in homine amarum, ſalſum, dulce, acidum, acerbum, & inſipidum, aliaque ſexcenta, quæ pro copia, & viribus varias habent facultates, & hæc quidem mixtione, & mutua inter ſe contemporatione, neque cernuntur, neque quemquam moleſtia afficiunt.* Sic videmus inquinamentum ex quo morbilli, & variolæ prodeunt, per annos in ſanguine latitare, ſine ſanitatis detrimento, & venena per contagium ſanguini communicata tàm à Cane rabido, quàm à gallico morbo infectis, per longum tempus in eo occultari, innumeræ Auctorum obſervationes plenam faciunt fidem, nec alia ratione, niſi quia tale venenum, & inquinamentum ſanguini fuit perfectè mixtum, & tunc ſolùm deſevire cæpit quando à prædicta mixtione liber evaſit. Ita extra-

extraneum, ad hoc ut ſanguinem inordinatè fermentare faciat, neceſſe eſt ut ſit liber à perfectæ mixtionis vinculo, & in actuali exercitio ſuæ virtutis, cum remotione cujuslibet potentis eam impedire, Antiquis ſe conformantes, qui cauſas calefacientes ad hoc ut Febrilem calorem accendant, volunt, ſicut neceſſe eſt, quod ſint poſitæ in actu ſecundo calefaciendi, ſicuti quæ ſunt occaſio, vel conditio ad producendum calorem, volunt, ut exiſtant ſub tali modificatione, ut ex ea actu determinetur cauſa principalis ad productionem caloris actu.

X. Et pro confirmanda magis amicitia inter antiquæ & modernæ doctrinæ fautores, tollenda eſt difficultas qua videtur impoſſibilis concordia ſimilis, ex parte *Sylvii*, ex eo quòd *Lympham*, *& ſuccum pancreaticum inter humores recenſet*, ſua depravatione Febres efficientes, ubi Antiqui de his nullam mentionem fecerunt, nec quoad exiſtentiam, nec quoad uſum, qui adeo extollitur à *Sylvio*, ut magis principalem, qualis eſt chylificatio, & ſanguinis perfectio, extendat, ſicuti nec in uſu, bilis, & ſalivæ poteſt uniri cum Antiquis, qui primam, tamquam excrementum merum, ſolius ſtimuli fungens officio, pro irritanda natura ad fæcum expulſionem cognoverunt, ſaliva verò pro cremento utili, ſolùm ad humectandas fauces, habita ab eis fuit, præter hoc excreationis ſolùm digna, & *Sylvius* utraſque in cordis regiam tranſtulit, cogens ſanguinem ab eis perfectiones emendicare, ut videre eſt apud eum *citato lib. cap.* 11. *à num.* 3. *uſque ad* 7. & paſſim in decurſu ſui operis inculcat.

XI. Quibus ſatisfieri non eſt difficile, ſi mentem ab omni præjudicio, & affectione liberemus. Et quantum ſpectat ad *Lympham*, *& ſuccum pancreaticum*, non eſt dubitandum de eorum exiſtentia, cùm oculis ſenſibili demonſtratione fiant manifeſta, quod magis convincit ad prædictos humores aſſerendos, quàm auctoritas Antiquorum, illorum deſpectionem perſuadens quia eis incogniti, ideò nec eorum uſum explicare potuerunt, noſtra verò ætate prædictorum humorum cognitio allata, Philoſophos, & Medicos coegit ad illorum uſum inveſtigandum, qui à *Sylvio* ſupradictus aſſignantur, circa quem ponderandum, an valido rationum fundamento illius ſententia fulciatur, vel ex earum invaliditate corruat. Quod à nobis ſatis eſt agi, ſolùm quantum ad noſtrum pertinet inſtitutum, & eſt certitudo exiſtentiæ, & mixtio eorum in ſanguine pro familiari uſu illius, & partium.

XII. Et à *Lympha* incipiendo, cùm indubitabilis maneat illius exiſtentia, ſanguini in corde miſceri, medio jugularis, & ſubclaviæ venæ, docet vaſorum Lymphaticorum ad prædictas venas concurſus, & inſertio, quæ ad aliud inſervire non poteſt, niſi ad *Lympham* venis conſignandam, quod evidenter perſuadent valvulæ vaſorum Lymphaticorum, in eis enim qui à ſuperioribus veniunt, & jugulari inſeruntur, ita ſunt conſtitutæ, ut deſcenſum humorum admittant, aſcenſum verò prohibeant, & in eis quæ ab inferioribus partibus proveniunt, & ſubclaviæ inſeruntur, tali ſtructura ſunt ordinatæ, ut aſcenſum promoveant humorum, deſcenſui autem reſiſtant. Ex quo non poteſt non concludi jugularem, & ſubclaviam venam, recipere *Lympham* à vaſis Lymphaticis, ut cum refluo ſanguine in dexterum cordis ventriculum transfundant, neque in hoc invenitur inter modernos authores contradictio. Et hæc omnia à *Sylvio* exponuntur *diſp. Medic.* 8. Quo poſito, non licet ſine ſtupiditatis, vel pervicaciæ nota diſputare, *Lympham* ſanguini miſceri, eamque familiarem eſſe, & naturali œconomiæ neceſſariam, dùm tanto ſtudio, per differentia vaſorum genera, illius collectioni, & translationi ad cor ſanguiniſque mixtioni ſatagit natura. Hinc deducitur novum eſſe, ſed non abſurdum, imò veriſſimum aſſerere, ex depravata lymphæ craſi, vel ſubſtantia ſanguinem alterari, & vitiari, eo modo quo-à-vitio aliorum humorum, qui ei miſcentur contaminatur: & ſicuti non poſſumus negare *Lympham* non valere putredinem ſecundùm quid contrahere, depravata harmonia ſuarum qualitatum, ita debet concedi per illam præternaturalem efferveſcentiam in ſanguine effici, quam ab aliis humoribus putredine ſecundùm quid effectis operati diximus.

XIII. Tranſitus ſucci *pancreatici*, & *bilis* ad cor videtur poſſe demonſtrari, ex eo quòd à propriis ductoribus in duodeni civitatem eructati, Chylo miſcentur, perfectæ depurationis beneficium largituri, craſſarum partium ſeparationem à nutritiis, operando, media fermentatione, quam in Chyli ſinu recepti accendunt; prout multis ex recentioribus fatentur cum *Sylvio diſp. Medic.* 2. *num.* 17. & *Bernardo Suvalve in ſuo pancreate pag.* 111. & numquam ſatis laudato *Molinetto in ſuis diſertationibus Anatom. Patholog. lib.* 6. *cap.* 2. *fol.* 271. unde *pancreatici Succi*, *& bilis* utilitas in Chyli depuratione habetur, & eorundem tranſitus ad cor, per ductum thoracicum cum eo, dum ſimul miſceri apertè conſtat, neque de ſeparatione nullum habemus indicium, imò mixtionis neceſſitatem deducimus, ab indigentia illius continuatæ fermentationis, ad deponendas excrementorum reliquias, ſi quæ ſuperfuerint in lacteis venis, quæ poſtea per urinam excernuntur, & ad acquirendam diſpoſitionem pro mutatione in ſanguinem, dum ope fermentationis Chyli maſſa attenuatur, particulæ calidæ in eo ſopitæ excutiuntur; & volatizantur ad ſanguinis purpuram induendam prærogativæ neceſſariæ. Et ſi *bilis*, & *ſuccus pancreaticus*, cum Chylo miſceri inſeparabilem, ex dictis ultra probabilitatem concluditur, & ſi Chylus ad cor tendit in ſanguinem mutandus; venit in neceſſaria conſequenti *bilem*, & *ſuccum pancreaticum*, in cordis regiam admitti. An verò libera à Chylo duodeni via, eamdem verſus cor viam prædicti humores teneant, dubitari poteſt. Conſideranti tamen illos continuò in dicti inteſtini ſpatium depluere, & in deſcenſu ſuper poroſitates inteſtinorum labi, quas ſubit Chylus à lacteis excipiendus, & cùm major ſit prædictorum humorum, quàm Chyli tenuitas, in has percolari ſaltem ſecundùm aliquam ſui portionem, ſine hæſitatione videtur admittendum, cùm via ſit aperta, ſuper eam fiat tranſitus, & humor per eam ingredi poſſit, nec ſit in promptu ingreſſum prohibens, admiſſis humoribus in prædictis poroſitatibus, apertam ad cor per lacteas, & ductum thoracicum habent viam, quam conſummare ex neceſſitate coguntur, à motu periſtaltico inteſtinorum, & ne advenienti Chylo liberam viam defendant, nec putandum hoc ſanguinis detrimento fieri, cùm ejus fermentationem promovere, & adjuvare poſſint, eo modo quo illam Chyli perficiunt.

XIV. Aliam viam pro *bilis* tranſitu ad cor invenit *Sylvius*, & deſcripſit *diſp. Medic.* 6. *num.* 45. 48. nempè *per radices portæ & cavæ, in quibus bilis continetur, per quas cum refluo ſanguine toti maſſæ per minima admiſcetur*, & in additamento ejuſdem diſputationis experimentis comprobat communionem ductus biliarii cum venis, & corde demonſtrantibus; nam cadavere diſſecto, & immiſſo in ductu biliario tubulo, flatu in eum inſpirato, obſervavit ſenſim ab hoc hepar intumeſcere, hinc ad cavam venam, dexterumque cordis ventriculum, atque pulmones flatum properare, cujus pars aliqua ex axillari vena dextera, fortè priùs diſſecta, cum ſanguine erupit; quod aliis experimentis *citato loco* confirmat. Quæ ſi vera ſunt, prout talia exiſtimare debemus, ne tanto viro de medicina benemerito, denegata fide injuriam faciamus, bilem ſine Chylo ad cor pervenire negare non poſſumus, etiam ſi contra Antiquorum auctoritatem ſtet, cùm hæc experientiæ cadere debeat; Præterquam quòd non defecerunt ex Antiquis, qui determinarunt bilem ſanguinei miſceri, in quorum numero ſunt *Haly Abbas*, *Abenſina*, *& Bacchius* referente *Mœchio in fund. Medic. phiſic. cap.* 15. *ſub num.* 19. qui docuerunt bilem calorem ſanguini impertire, quò facilius incendium vitale ſuſcipere poſſit, & *Nemeſius lib. de nat. hum. cap.* 28. ait *ad coctionem bilis confert, excrementorum depulſionem movet, ſimulque calorem quemdam præbet corpori inſtar vitalis facultatis*. Quapropter deducitur, falſum eſſe bilem ſoli excrementorum expulſioni inſervire, ſed alia utilia in Chylo, & ſanguine exercere. Antiquis non cognita; per quod recentiorum diſcordia cum ratione excuſatur, ſicuti ſine Antiquitatis injuria *ſanguinis circulatio*, *lactearum venarum*, *& vaſorum lymphaticorum* uſus admittitur. Multa enim contra Antiquos adſtruere cogimur, dependenter à noviter detectis per anatomicam exercitationem,

tionem, inviolata veneratione antiquitati debita, quæ ſi ea percepiſſet, in recentiorum ſenſu conveniſſet unde, & quæ dicta ſunt debile, experimentis comprobata, contra antiquorum auctoritatem ſuſtinere debemus, ſine eorum injuria, & diſcordiæ nota, cùm ex noviter detectis deducantur.

XV. *Salivam* cum prædictis humoribus ad cor fluere, non dubitabit qui attentè ponderaverit ejus defluxum ab ore in ventriculum, & ab hoc in inteſtinum, ubi confluunt *bilis*, & *ſuccus pancreaticus*, quibus illam admiſceri non poteſt denegari dum videtur impoſſibile humorem tranſire per viam, per quam alius fluit humor, & ei non miſceri, & ſi ſaliva prædictis humoribus miſcetur, eumdem etiam curſum cum eis tenere concedendum eſt, Et quia jam oſtenſum fuit illos in cordis ſinus penetrare, tale privilegium ſalivæ denegari non poteſt, & eò magis permittendum venit, dum cum alimentis in ore contritis perfectè miſcetur, nec ab eis præparatis ſeparatio intenditur, alioquin fruſtranea redderetur, unde conjunctim ad illorum terminum, qui eſt cor, rapi neceſſe eſt. Salivam à ventriculo in inteſtinum defluere convincitur, ex eo quòd citò impleretur ea ventriculus, continuo ſui defluxu, niſi viam ad exitum inveniret per inferius orificium illius, unde cùm ea vacuum ventriculum oſtendanr abſentia diſtenſionis ejus, fluctuationis, gravitatis, & in vomitibus longè à cibo deficiens copia, ad inferiora etiam deſcendiſſe perſuadent.. A mixtione ſalivæ cum alimentis, colligimus falſitatem aſſerentium eſſe merum, & utile excrementum, quia nimis improvida fuiſſet natura, ſi hujuſmodi excrementi unionem cum alimentis permiſiſſet, quæ ab excrementis mundare affectabat, & neceſſitas pro optimo conficiendo alimento exigebat, quaproter moderni naturæ admiratores pariter ac defenſores, unanimi ferè voto decreverunt, *ſalivam eſſe excrementum utile alimentorum fermentationem adjuvans in ore & ſtomacho*. Et hoc non eſt ab antiquis diſcordare, ſed veritatem ſequi, & rationum efficaciam, à quibus antiquitatis affectio & veneratio retrahere non debet. Qui enim nos anteceſſerunt, non melioris indolis mentem ſortiti ſunt, ſed cum noſtra fallaciæ, & errori ſubjectam obtinuerunt, quapropter ubi ratio, & experientia imperat, ab eis diſcedere nec verecundum, nec incurioſum eſt, imò juſtum, & utile, foveam in quam alii ceciderunt evitare. Cùm ergo manifeſtum per anatomicas obſervationes, & rationes, *bilem*, *ſalivam*, & *ſuccum pancreaticum* ſanguini miſceri, & aditu in cordis regiam honorari, mentem etiam noſtram ad hoc credendum, & ſuſtinendum inclinare debemus. Quòd ſi vera concordia deſideretur in ſaliva pituita recognoſcatur, in ſucco pancreatico melancholia, cùm hic in aciditate ſit ei ſimilis, & verè poſſit dici fex ſanguinis, cùm poſt multas ejus mutationes, & digeſtiones ille generetur: ſalivam verò inter pituitæ ſpecies antiqui numerare non renuerunt, ſicut lympham, quia alimentalis eſt, nec tam calida ſicut ſanguis, pituitam alimentalem, vel ſerum nutritivum dicerent.

XVI. Secunda cauſa à Vvilliſio aſſignata eſt, quando principium quoddam ſevejementum ſanguinis calidum. (Scilicet ſpiritus aut ſulphur ejus) ultra temperiem naturalem evehitur, & efferatum evadit, quo particulæ illius non congeneres cæteris à mixtione ſolvuntur, ſolutæ plus debito impetum faciunt, & nullo moderatæ fræno, ſanguinis liquorem exagitant, & inordinatè effervеſcere faciunt: nec ſedatur hic motus, donec ſanguis diuturno Febris incendio deflagraverit, quo ſpiritus & ſulphuris particulæ ſeparatæ diſſipantur, & extra ſanguinem ejiciuntur.

XVII. Adverte tamen, quòd iſta principii à mixtione ſolutio, illam deſignat qua partes poſſunt cum ſimilibus aſſociari, remanentibus tamen in mixto confuſis, & juxta poſitis cæteris partibus. Itaut reſpectu harum ſolutæ dicantur, non in ordine ad totum, in quo adhuc morantur ſua exequentes munia.

XVIII. Hanc Sententiam à *Martiano* deſumpſiſſe videtur *Vvilliſius*. Ille enim *in lib. de nat. hum. Hipp. num.* 272. *Febres ab humorum diſgregatione probat*, & quid intelligendum ſit nomine *diſgregationis*, explicat in interpretatione *Aphoriſ.* 22. *ſect.* 1. his verbis, *diſgregationem humorum intelligimus non exactam ſeparationem unius ab alio, itaut diverſa occupent, ſed diſſolutionem illius mixtionis, qua mediante corriguntur, & contemperantur ad invicem*, quæ concordant cum dictis *præcedent. num.*

XIX. *Diſgregationem* eſſe Febrium cauſam, deducit ex ſententia *Hipp. in lib. de veteri Medicina*, in qua *diſgregationem* humorum ad morbos cauſandos extollit, dum ait. *At ubi quopiam horum ſecretum fuerit, & per ſe extiterit, tunc & conſpicuum fit, & hominem moleſtia afficit*, cùm verò humores in Febre naturæ ſint moleſti, aliquos diſgregatos eſſe putandum eſt, & ſi ſedantur Febres cum coctione humorum, à diſgregatione huic contraria oriri demonſtratur, concoctionem eſſe diſgregationi contrariam colligitur ex *Hipp. in cit. lib.* ubi *concoctionem* ex permixtione mutuaque temperatura provenire faſſus eſt, *diſgregatio* verò cùm conſiſtat in diſſolutione mixtionis illi contrariari manifeſtum apparet, pluribus etiam *Hipp.* auctoritatibus ſuam ſententiam confirmat, ut videre eſt apud eum *cit. loc.*

XX. *Diſgregationem* concedunt Antiqui, quando docent Febrium cauſam eſſe apparatum *bilis*, *vel pituitæ*; *vel Melancholiæ*, vel horum putredinem qua ab aliis ſeparantur, & præcipuè ſi in determinata minera putreſcant, & diſpoſiti ad putredinem diſgregationi ſubjiciuntur, quia ſi eſſent intimè mixti cum aliis, prædicta carerent diſpoſitione, ubi ab hac malè affecti in perniciem animalis, à mixtione receſiſſe oſtendunr, & diſgregatione aliorum conſortium reſpuere: proprium exiſtens humoris malæ indolis in ſui ſubjecti damnum conſpirare ſola diſgregatione, ſic elementa, licèt in ſe contraria, & inimica per mixtionem perfectam, tamquam ſacro amicitiæ vinculo colligata, in animalis, & vinculum conſervationem unanimiter conveniunt mixto præparant.

XXI. Multò minùs diſgregationem humorum rejicere poſſunt, qui Febres ab eorum combuſtione aſſerunt, quia non poteſt humor comburi, niſi diſgregetur, quod patet in lucerna, & candela, in quibus partes olei, & ceræ in flammam accenſæ, & in fummum elevatæ ſunr ab aliis particulis ſeparatæ, ſeparationem verò præcedit diſgregatio, tamquam via ad terminum, pari pacto non poteſt humor comburri, niſi priùs diſgregetur, & ab aliorum conſortio alienetur, & ita habemus diſgregationem ſeu exaltationem alicujus partis calidæ ſanguinei liquoris, eſſe uniformem Antiquorum & recentiorum dogmatibus, & ab utriſque pro cauſa Febrili mediata, vel immediata acceptari. Etenim ſi cum antiquis, putredinem humorum Febris cauſam conſideramus, hæc non corripiendo humores, niſi priùs diſgregati fuerint, fatebuntur diſgregationem eſſe cauſam mediatam Febris, ſuccedente putredine, quæ eſt cauſa immediata illius auxilio, & recentiores putredinem ſecundùm quid in humoribus non concedunt; niſi prævia diſgregatione, qua facillimè à naturali bonitate recedunt, à cauſa morbifica alterati, deficiente reſiſtentis valida, quam ab aliarum unione recipiebant: nec alio modo putredinem ſecundùm totum vel abſolutam admittent, quia cùm, per eos, in integra partium ſeparatione conſiſtat, pater hanc præcedere diſgregationem, conſequenter cum Antiquis conveniant, hujuſmodi diſgregationem aſſignando pro cauſa mediata Febris, dum dependenter ab hac putredo utraque proximior Febris cauſa habetur, & ſi *Vvilliſius* diſgregationem ſeu exaltationem principii calidi in ſanguine recenſet, tamquam cauſam immediatam Febris, cùm doceat *ſanguinem per eam ad effervеſcentiam præter naturalem impelli*, quæ eſt Febris eſſentia, per hoc non diſcrepat ab Antiquis, quorum aliqui determinaverunt Febrem ſynocham imputrem, ab effervеſcentia ſanguinis provenire, quæ cùm conſiſtat in motu partium componentium, earumdem diſgregationem immediatè antecedentem ſupponit, cùm hac ſola partes in liquidis ad ordinatum motum habilitentur, & ita concedere debent, & ipſi diſgregationem partium calidarum in ſanguini, eſſe immediatam cauſam illius effervеſcentiæ.

Et ſi quæratur quomodo in combuſtione humorum ſuccedat diſgregatio, reſpondetur prius ab extrinſeco agente calido humidum mixti comburendi attenuare, & cum eo mixtionis vinculum laxari.

XXII. Ab exaltatione principii calidi, vel ejuſdem diſgregatione, facilis eſt ad combuſtionem tranſitus, imò non poteſt dari combuſtio ſine tali exaltatione, quia non eſt niſi ſubita & coacervata exhalatio partium ignearum, accenſionem ſubeuntium; in quibus diſgregationem prius licet conſiderare: quomodo enim à mixto exhalarent, niſi à cæteris diſgregatæ fuiſſent? Tunc verò exaltationi prædictæ ſuccedit combuſtio, quando diſgregatæ, ſeu exaltatæ particulæ cum impetu, & copia à mixto erumpunt, quod facilè aſſequuntur propria virtute, & impetu, laxata mixtionis clauſtra diſrumpendo, & agmine facto evolando, unde ſine magno præjudicio poteſt principii calidi exaltatio, & diſgregatio accipi, & conſiderari pro cauſa primaria & neceſſaria Febrium ex combuſtione humorum, & in hujus cauſæ acceptione trahere *Helmontium*, & *Sylvium*, cùm combuſtionem in Febribus non renuant, ut demonſtratum eſt ſuperiùs *cap.* 4. *num.* 45. & 46,

XXIII. Cauſæ diſgregationis ſeu principii calidi exaltati, plures colliguntur ex *Vvillifio*, inter quas conſideratur *motus*, qui majorem naturali effervefcentiam efficiendo, prout ſubſequens pulſus frequentia demonſtrat, unionis etiam vinculum diverſa ſanguinis principia in unum nectens laxat, principiis magis activis, & præponentibus (quale eſt ſulphur, & ſpiritus) ad inordinatum motum elatis, ſeparationem molientibus magis ad libertatem, & ſuæ ſphæræ quietem, tamquam bonum proprium, quàm unionem cum aliis ad ſolam mixti perfectionem conſpirantibus: Quapropter collectis viribus, cùm hac naturali inclinatione, eo conatu, & activitate quibus valent, incipiunt ab aliis diſgregari, & continuato impetu, & conatu à cæteris principiis ſeparatio ſuccedir, & cùm partibus ſuæ conditionis agglomerantur, & turmatim erumpunt, in modum combuſtionis, non aliter ac in rota currus quæ per motum accenditur, particulæ ſulphureæ, & igneæ in ea exiſtentes, ratione motus plurimum commoventur, & dentius agglomeratæ (quod diſgregationem importat), facto velut agmine, cæteras partes amovendo, & ſeparando, illicò catervatim erumpunt, & diſceſſu ſuo incendium producunt. *Ita Vvillis. lib. de ferment. cap.* 10. A motu fermentationem promoveri majorem, ut poſſit eſſe cauſa diſgregationis, docent Oenopole, qui catena ferrea, fæces in fundo dolii hærentes agitant & novam fermentationem inducunt, quod & faciunt mulierculæ, quæ cereviſia fermentationem abeunte, vaſa operculo claudunt, & tantùm volutant, donec fermentationem fieri ſperent: Vinum novum, & cereviſiæ, ſi curru vehantur, & expirandi facultas eis non detur, dolia rumpunt exacerbata, & aucta per motum fermentatione. Oleum tartari, & ſpiritus vitrioli confuſa, etiamſi deferbuiſſe videantur, ſi commoveantur, fermentationem repetunt. Ex quibus concludi poteſt, motum fermentationem promovere, & augere, à qua poſtea diſgregatio efficitur.

XXIV. *Martianus loc. citat.* ſuæ diſgregationi motum, ut cauſam aſſignat, & probat exemplo Scytharum *ab Hipp. lib.* 4. *de morb. ſect.* 2. propoſito, qui ſola lactis agitatione butyrum, ſerum, à caſeo ſegregabant.

XXV. Alteram cauſam, *calorem externum*, dicit *Vvilliſius*, qui humido mixti attenuato unionis vinculum partes ad unitatem reducens relaxat, unde partes ſine debito fræno, ſui juris aliquo modo factæ, inſito, & naturali motu propenſionis, cum homogeneis ſe aſſociant, id primò aſſequentes ſpirituoſæ, & ſulphureæ, ob ſui tenuitatem, & ad motum promptitudinem, quibus facillimè fractam vinculi reſiſtentiam ex toto ſuperant, ex quo efrænes evadunt, omnimodam libertatem affectantes, inordinato motu, & activitatis violentia, ſanguinem conturbando, & ſicut menſtrua, ſalina ſcilicet, aquæ regiæ, vel ſtygiæ, metalla, ſale minerali referta adoriuntur, & particulas eorum ſalinas, utpotè congeneres à mixtione ſolvunt, ſic etiam particulæ ſulphureæ in aliquo mixto diſgregatæ, vel accenſæ, proximas partes ejuſdem generis corripiunt, & ſuo motu diſtrahendo, & pulſando ab aliis diſgregant, & ſibi uniunt, & impartita accenſione unitim mixti incendium moliuntur.

XXVI. Huic cauſæ ſubſcripſit *Martianus loc. citat.* quando dixit, *videmus æſtate propter exceſſum caloris, lac abſque coagulo inſpiſſari, & multa eſſe tum calida, tum frigida, quæ lacti impoſita illud coagulant, & ſerum à caſeo ſeparant ſeparationem autem præcedit diſgregatio.*

XXVII. *Quantitas partis calidæ in ſanguine*, eſt altera exaltationis illius cauſa, quia quantitatis exceſſu potens aliis dominatur, perfectamque unionem renuit, dominium ſola affectans, quia qualitate, & virtute à quantitate auctis aliis ſupereminet; ea enim ſolum unionis jugo ſe ſubmittunt, quæ ſimul attemperata ſunt: hinc eſt, quòd talis pars excedens in cæteras agit, ut à ſe expellat donec diſgregationis, & ſeparationis intentum conſequatur; Hanc cauſam agnovit. *Hipp. lib. de inſom.* ubi habet; *ſi plenitudo inciderit, ſecretio quædam excitatur, quæ animam perturbat.*

XXVIII. Hujus cauſæ meminit *Martianus loc. cit.* quando ſcripſit, *primùm eſt quando aliquis humor, eo uſque in corpore augetur, ut cæteros copia longè ſuperet.* Pro cujus confirmatione ſupra citatam *Hipp.* ſententiam producit, & adnotat per *ſecretionem Hipp.* non intelligere *evacuationem* aliquam, ſed *diſgregationem*, quod probaſſe *in com. illius ſententiæ* teſtatur.

XXIX. Idem præſtat defectus ventilationis, & ab eodem *Vvilliſio loc. cit.* explicatur exemplo fœno madidè repoſiti, in quo ſulphuris particulæ plurimum ſcatent, quæ latice aquoſo pro vehiculo potitæ, ſeſe in motum exerunt, cùm verò ob ventilationis defectum, paulatim exhalare nequeant, intus coercitæ, adeoque in exaltationem ſuam perductæ, invicem magis approximari, & ſe mutuò incitare valent, dein poſtea plurimum conglobatæ, ſeſe latiùs explicant, & ſubjecti clauſtra perrumpere incipiunt, adeoque incendium producunt. Quod de ſanguine proportionaliter dicendum prohibita tranſpiratione.

XXX. En quomodo *Vvilliſius* in cauſis exaltati principii enumerandis, recollegit illas ab Antiquis recenſitas, *motum* nempè, *calorem*, *obſtructionem ſeu*, prohibitam, tranſpirationem, & admixtionem rei calidæ, quæ in quantitate principii calidi recognoſci poteſt, & expreſſiùs has enumeravit *lib. de Feb. cap.* 9. agens de Febre putrida, dum tempus anni æſtivum, quod viciniam rei calidæ exprimit, victum lautum, & optimum, & vinorum divitum potum aſſiduum, quæ admixtionem rei calidæ repreſentant, & impeditam reſpirationem harum Febrium cauſas fatetur, nec motum excludit, dum ad hujus Febris generationem reducit omnes cauſas ephemeræ, inter quas motum enumeravit. Eaſdem admittit *Sylvius lib.* 1. *Prax. Med. cap.* 11. ubi reddendo cauſam depravationis *bilis*, *pituitæ*, & *ſucci pancreatici*, à quibus omnium Febrium originem trahit, has omnes enumerat, & ſi putredinem omiſit *Vvilliſius* in prædicta Febre, non ab omni Febre rejecit, ut modò videbimus, illorum ſententiam ſectando, qui malignas ſolùm à vera putredine abſoluta volunt

XXXI. Tertia cauſa à *Vvilliſio* aſſignata, eſt *ſanguinis coagulatio*, quam dupliciter ſumi poſſe docet *lib. de ferment. cap.* 12. & *primò* quando materia tenera, & mollis in rigidam, & ſaxeam obdureſcit. *Secundò* pro diſſolutione liquoris in partes hæterogeneas, ſic lac dicitur coagulatum, quando in partes caſeoſas, & ſeroſas, hoc eſt tenues, & craſſas faceſſit, & de hac ibi loquitur, itaut per ſanguinis, vel humoris coagulationem, illorum diſſolutionem, & ſeparationem in ſuas partes componentes, intelligere debeamus, quod apertè declaravit *lib. de Feb. cap.* 12. his verbis *ſunt alius generis venena longè periculoſiora, quæ ſanguinem coagulant, ejuſque mixtionem corrumpunt, deſtruendo, ſcilicet maſſæ ſanguineæ primò coagulationem, dein putredinem inducunt*; *enim ſpiritus cruoris à veneni contagio profligati diſſipantur, liquoris mixtio æquabilis ſolvitur, quare particulæ craſſiores ſe mutuò implicant & (inſtar lactis ab infuſo coagulo, aut ſpontanea aceſcentia) invicem coagulantur, hinc cruor in vaſis grumeſcit, ut minus promptè in iis circuletur, hujus portione coagulatæ, interiùs in cordis ſinu delatæ, illic ſtagnare aptæ ſunt, adeòq; crebras ſincopes & lypothimias pariunt; exteriùs adductæ, & inter circulandum in cute defixæ, modò uberiùs cogeſtæ per totum nigredinis ſuffuſionem inducunt, modò parciùs diſperſæ maculas tantùm. Aut vibicum inſtar ſtigmata purpurea, cæteraque maligni-*

tatis

tatis phænomena efficiunt, ſanguinis autem coagulatio ipſum ad putredinem, ſeu corruptionem diſponit, uti videre eſt in ſanguine extravaſato, qui citò nigreſcere, & putrere ſolet, etenim ſpiritu exhalato in cruore reſiduæ ſulphuris, & ſalis particulæ à ſe invicem diſcedere, & mixtionis vinculum diſſolvere, unde putredo ſequitur, incipiunt, & *c. 19. de Feb. maligna in ſpecie diſſerendo* ait. *Efferveſcentia ad eumdem modum peragitur, ac ſuperius de putrida dictum eſt, nimirum ſanguinis pars ſulphurea ſupra modum incaleſcens, fervore ſuo velut incendium concipit, inter deflagrandum, & materiæ aduſtæ copiam ingentem in cruore accumulat, à cujus ſubactione, & ſecluſione ſolito Febrium more ſtatus, & criſis dependent ſuper his verò ſanguis venenato quodam miaſmate infectus inter deflagrandum ratione fermenti maligni per partes coagulari, ac putreſcere incipit, quare præter uſitata Febris vulgari ſymptomata propter ſanguinis quaſdam partes congelatas, aut necroſi affectas ſyncope, & ſpirituum dejectio, necnon macularum, ac ſtigmatum apparentiæ ſuccedunt. Et ſi Febrium malignitatem à veneno emanare profiteri videatur advertendum eſt hujus virtutem non in qualitate occulta refundere, ſed in manifeſtam, nempè coagulationem, quæ putredinem vel efficit, vel repræſentat partium diſſolutionem efficiendo, vel in ea conſiſtendo, & per putredinem explicantur omnia phænomena Febris maligna, itaut concludendum ſit rationem formalem malignitatis conſiſtere in coagulatione, ſeu putredine ſanguinis, & humorum. Venenum verò coagulans eſſe cauſam remotam.* Quod confirmavit *cap.* 12. in initio ſcribendo, *in qua non ſolus ſpiritus & ſulphur, velut in Febre putrida impetum faciunt, & ſanguinem immodicè effervere cogunt, verum inſuper cruoris mixtio ſtatim diſſolvitur, ejuſque liquor in partes faceſſit, adeòque borrenda ſymptomata cum manifeſto vitæ periculo in hujuſmodi affectione inducuntur*, & inferiùs idem expreſſit, dicendo, *ſi quando ſpiritus cruoris miaſmate venenato, aut cum aere inſpirato, aut per poros attracto primò occupantur, illicò per totam maſſam ſanguinis, ejus fermentum diſſipatur, portiones infectæ ſtatim ab æquabili mixtione ſolvi in partes, ſedere, & coagulari incipiunt, eademque in cordis ſinus delatæ ibidem ſtagnare, adeoque ſyncopem, lypothemias, & non rarò ſubitam mortem inducere.* Ex quibus manifeſtè patet Febris malignæ ſymptomatum cauſam ad putredinem reducere. Quòd ſi adhuc aliquis evincere conetur *Vvilliſium* malignam, & venenatam qualitatem in Febre maligna admittere, non renuam, dummodò putredinem non excludat, excludere enim eſſet illius mentem pervertere, ex eo quòd ſatis apertè loquitur pro ejus admiſſione, & tunc uniformis erit illis, qui & putredinem, & venenatam qualitatem in Febre maligna uniunt, in hoc ſolùm diſſimilis, quod illi occultam mittunt qualitatem, hic manifeſtam? ſi verò putredinem ſimplicem Febris malignæ cauſam determinare concedamus, concordem habemus cum citatis *cap.* 5. *n.* 1.

XXXII. In hanc ſententiam *Helmontius* veniſſe videtur, quando *lib. de Feb. cap.* 2. *n.* 9. ſcripſit, *deinde didici quod ſola Febris maligna in hoc à cæteris diſcrepet, quod ſua materia peccans adiunctam habeat putredinem incipientem, quæ ſi dein ſui faſtigium perreptarit, donec putredo ſit in facto eſſe, intuſque manſerit neceſſariò mox mortem adferat, ſi verò in fieri eſſe foras propulſetur, ut in variolis, ereſipelate & plerumque ſanatur.* Quod ſi per putredinem incipientem interitum caloris, & per putredinem in facto eſſe partium diſſolutionem, & formæ corruptionem intelligamus, non habebimus in quo *Helmontius* à ſupradictis diſſentiat. Si verò per putredinem incipientem, & in facto eſſe, diverſos gradus putredinis concipiamus, diſſenſus verſabitur ſolùm circa iſtos, nulla exiſtente in modo curationis diverſitate, cum iiſdem remediis profligetur ultimus, ac primus gradus putredinis, quod cùm ſit principale intentum Medicinæ in hoc concordia, qualemcumque in cauſa diſcordiam ſilere facit.

XXXIII. *Kergerius in lib. de fermentatione*, opinioni *Vvilliſii* ſubſcripſit dicendo, *itaque diſtinguendum eſt inter fermentationem puram, quæ ab omni putredine, aut alio quocumque corruptionis modo libera, qualis, eſt in muſto, mulſa, cereviſia, vino pomaceo, pyraceo pane, &c. & inter fermentationem mixtam, aliis corruptionis modis, præcipuè verò putredini, ubi ferè pari paſſu ambulant, & in perniciem mixti collaborant, qualia contingunt in Febribus malignis, & peſtilentibus.*

XXIV. *Sylvius* in eamdem venit opinionem *lib.* 1. *prax. Medic. cap.* 33. *n.* 7. dicendo, *judicio malignarum Febrium cauſam, ſi non ſemper, ut plurimum ſaltem, ſal eſſe tum volatile, tum acre, quod glandularum liquorem ſubacidum concentratione noxia enervet, atque inertem invalidumque præſtet, unde ſanguinis conſiſtentia naturalis minuatur, ac proinde ejuſdem rarefactio eludatur quin non rarò ſpirituum animalium ſecretio impediatur*, & per hoc coagulationem *Vvilliſii* in Febre maligna admittit, cùm acria & corrodentia ſanguinem coagulent, ut docetur *cap.* 9. n. 11. & *n.* 8. ſubjungit, *ſanguis ergò minus conſiſtens, rarefactionem ſuſtinet minorem, unde non tantum pulſus ſequitur parvus, ſed inſuper languidus, quin poſtea extinguitur, opprimiturque facilius ignis vitalis in ſanguine accenſus & ſuſtentatus, obruitq; tàm ſæpè imparatos mors inexpectata*: Ex quibus colligo *Sylvius* veram putredinem in Febribus malignis & peſtilentibus admittere, ſanguis enim minus conſiſtens, & minorem rarefactionem ſuſtinens, & ejus conſiſtentia naturalis minuta, laxitate, tenuitate, & diſſolutione peccare probat, quæ putredinis vel perfectæ vel inchoatæ, argumenta exiſtunt, quia diſpoſitiones ad accelerandum caloris nativi interitum, in quo eſſentialiter conſiſtit, idcircò *Ariſt.* & *Gal.* requirebant ad putredinem, ut mixtum laxaretur, & more, & parum conſiſtens primo evaderet. Extinctio poſtea ignis vitalis in ſanguine accenſi, nonne exprimit veram putredinem ab *Ariſt.* per interitum caloris definitam? Nec obſtat quod *n.* 9. *cit. cap.* aſſerat Febrium malignarum cauſam forinſecus advenire, numquam per ſe ex corruptis ſponte humoribus, quia ex hoc deducitur Febrem malignam ex corruptis non ſponte humoribas fieri, & conceſſa humorum corruptione in Febre maligna, negat provenire ab intrinſeco humorum, vel ab alia cauſa intùs in corpore exiſtente, ſed ab extrinſeco cauſam corrumpentem vocat, per quæ concordat cum illis quæ determinavit *cap.* 44. *n.* 62. ubi ait, *pulſus minor, ac debilior debetur quoque aliis rebus præter naturæ leges ad cor delatis, quoties aut humores in corpore corrupti, aut halitus flatuſque ex ipſis producti, aut vena per os, nares, cutiſque poros, vel per quamcumque aliam viam, corpus penetrantia unà cum ſanguine cor accedunt, & ſanguinem aut nimis ſolvunt, ac diſſolvunt, aut nimis coagulant, coguntve, aut quovis alio modo ad debitam ſui rarefactionem inneptum reddunt.* Cùm verò pulſus minor, & debilior Febris malignæ inſeparabilis comes, & ſoboles exiſtat, ſi ille à corruptis humoribus, & ſanguine nimis ſolito aut diſſoluto efficitur, & Febrem malignam ab his effici non eſt denegandum, hæc verò putredinem veram, & abſolutam exprimunt, & conſequenter Febrium malignarum ortum à putredine concludunt, & ſimul unionem cum aliquibus ex antiquis *Gal.* & *Hipp.* præceptis & auctoritatibus adhærentibus, convincunt.

XXXV. Hinc animadvertendum eſt, quando fermentum in Febrili cauſa explicanda vocatum fuerit, idem venire ac putredinem ſecundum quid, & acidum, ſalſum, amarum, auſterum, & ejuſdem putredinis differentias involvere, quæ à ſecundis qualitatibus deſumuntur, quia in hoc ſunt magis ſenſibiles ad imitationem Antiquorum, qui pituitæ excrementitiæ, & præternaturalis differentias, per hujuſmodi qualitates expoſuerunt. Sic quando principii calidi exaltationem nominamus, vel diſgregationem, vel combuſtionem humoris intelligimus. Et quando coagulationem, vel diſſolutionem humorum dicimus, putredinem abſolutam delineamus. Quibus animadverſis, & menti altè fixis, concordiam inter Antiquos, & Modernos conſervabimus, & tollitur omnis æquivocatio, quæ poſſet contingere in decurſu hujus operis, per dictorum nominum uſum.

C A P. VII.

De cauſis Febrium ex Helmontio.

I. Quia ab Helmontio magis Antiquorum doctrina in Febrium explicatione dilapidari videtur, & ſophiſtica ſubtilitate everti, ideo congruum duxi illam ſepa-

ſeparatim examini ſubjicere, & in novorum verborum viſceribus Antiquos ſenſus indagare.

II. Hic *lib. de Feb. cap.* 16. *num.* 9. Febrium cauſam ſtatuit *idem*, quæ in vitali initio ſucceſſit, quæ *idea* ut cauſa effectrix in ſe virulenta, ac varians juxta ſignaturas quas hæc arbor ideæ febrilis pro fructibus exhibet: eo modo quo rabies canis excitatur, in concepta ejus per ideam effectricem illius rabidi veneni, quod in ſano cane non eſt, prout in amente atque inde patere iſtud virus quod noſtram à morſu ferit imaginationem, fabricari ab idea per conceptum rabidi patrata.

III. Quid autem ſit iſta *Idea*, & quomodo operetur, explicat *tract. de Ideis morb. à num.* 19. *uſque ad* 34. ubi vult, *Ideas eſſe principia ſeminalia*, ideoque penetrare, & operari naturaliter quælibet; ſi enim in materia ſeminum non inſit idea aliqua rectrix, & formatrix à generante formata, ſemen per ſe ſterile prorſus permanet. *Hæc ideæ ſeu principia ſeminalia*, non ſunt immediatè in anima humana, ſed in Archæo impetum faciente, ſiquidem ſine iſta *idea* planè omnis actionis operationis, & propagationis exſors Archæus maneret, & aliquando ultra *ideas* perfectas Archæi introducuntur, in eo *Ideæ exoticæ* (hoc eſt principia ſeminalia extranea) alienæque aſcendenteſque in jam conſtitutivas perfectivas illius, & ſuarum operationum principia: hujuſmodi *ideæ exoticæ* non ſecùs ac diverſorum ſubjectorum lumina, cùm jam *perfectis ideis* exiſtentibus ſe mutuò penetrant, quæ cum materiam capeſſunt, jam morbus natus eſt, cùm enim prædictæ *ideæ* ſint ſemina, quia *exoticæ* ſunt, erunt *ſemina rei exoticæ* naturæ, & conſequenter morborum. Et quia ſemina ad hoc, ut ſuam potentiam ad actum deducere valeant, & in lucem edere, illud cujus ſunt ſemina, indigent materia proportionata pro formatione, & delineatione corporis juxta ideam, ſeu virtutem formatricem in eis exiſtentem. Pari pacto iſtæ *ideæ exoticæ*, ſeu ſemine morborum, ſi invenerint materiam in corpore aptam, ut morbus in eam delineari poſſit, tunc morbus excitatur. Illa verò materia dicitur apta in qua nulla adeſt reſiſtentia, qua ſeminalis virtus eludatur, ſed ſeminis morboſi impreſſionem ſtatim recipit, & patitur diſponi ſecundùm virtutem ipſius *ideæ*, vel *ſeminis*, & tunc fit morbus. Ideò pars quæ imbuitur tali *Idea*, hoc eſt ſemine morboſo, cùm materia huic proportionata pervertitur à ſuo naturali ſtatu, quia in ſe continet ſemen exoticum morboſum, ſecundùm cujus directionem operatur, & quia tale ſemen eſt exoticum, illius operatio enim erit exotica, ſeu morboſa. Etenim ſicut *ideæ ſeminales*, *& primitivæ* in ſemine plantæ, hominis, vel bruti figurant hominem, plantam, vel brutum, ita *ideæ morboſæ*, *& exoticæ*, in partibus exiſtentes, materiæ proportionatæ incidentes morbum delineant. Et hoc perſequitur oſtendere exemplo calculi renum, & veſicæ: calculus enim non eſt morbus, ſed ipſa *idea* in poteſtatibus Archæi renum, vel veſicæ radicaliter inſita, à fermentis verò in Archæum renum, & veſicæ, & partium ſubordinatarum introducitur idea formans, & actuans calculum, idem exemplificat *citat. Tract.* exemplo fabæ germinantis, & Cancri.

IV. Ex his manifeſtum evadit, *ideas* morborum nil aliud eſſe quàm *cauſas morborum* illos immediatè efficientes, quia ideæ nil aliud ſunt, quàm ſemina morborum, & ſemen eſt cauſa immediata efficiens illius corporis, quod potentia, & virtute in ſe continet, claudens ſuo ſinu facultatem formatricem, immediatum agens delineans corpus, & primum conſtitutivum ſeminis, in ratione principii talis corporis. Virtus verò formatrix, inter cauſas efficientes connumeratur, conſequenter dum *ideæ morborum*, non ſunt niſi ſemina eorum, ideæ erunt cauſæ efficientes morborum, & quia ſemina cum principio activo ſeu virtute formatrice efficiente, conjunctum habent principium paſſivum, nempè materiam, quam virtus formatrix actuare, & organizare debet ad ſuæ virtutis regulam, & in ea ſpecie, in qua illa adſcribitur, ut ſi virtus formatrix, ſit in vegetabilium ſpecie, materia debet eſſe vegetabili proportionata. Idcircò etiam ad conſtituendam *ideam morboſam* oportet, ut cum cauſæ efficienti morbi conjungatur cauſa materialis proportionata ad recipiendum illius influxum, qualis, & quantus in ea continetur. Et ſicuti virtus formatrix ſemen vivificans, delineando corpus juxta ſuæ virtutis præcepta, illud delinea ad ideam quam in ſe continet, ita ſe habentem in diſpoſitione partium ſecundùm figuram, magnitudinem, ſitum, & numerum, ſicuti ſe habet artifex, in componendo illud, cujus ideam concepit, hinc eſt quòd ad hujus ſimilitudinem dicitur virtus formatrix organizare animal, ad formam ideæ, quam in ſe habet, hoc eſt ad formam virtutis quàm ſuo ſinu claudit, conſequenter cauſa efficiens morboſa, materiæ proportionatæ conſortio morborum producens, per ideam qua illuminatur ad agendum tali modo, nil aliud exprimet, quàm illam cauſam agere juxta ſuæ virtutis potentiam & exigentiam materiæ.

Hanc *ideam*, quam ſuperiùs loco citato cauſam Febrium ſtatuit, talem eſſe confirmat, *lib. de Feb. cap.* 16. *n.*8. dum ait, *cauſam Febrium aliam non eſſe*, *quàm aliud impetum faciens*, *ſeu Archæus*, *dum ens ideale producit*, *vel concipit in ſe*, *& talis idea concepta eſt idea furoris*, ut *loco citato* ſupra *num.* 16. *explicat*, per quam æſtuat, incaleſcit, & turget, per quæ Febris adeſt, & angit, & ſicut ſaliva canis rabidi etiam poſt mortem ipſius, producit ſuam rabiem ſimilem rabiei canis, unde manavit in eo quem momordit, quia in ſaliva fuit idea formatrix ſeminalis illius rabiei, quæ in cane præextitit, unde recepta in homine talis ſaliva ratione illius ideæ ſeminalis, eamdem rabiem producit in homine. Sic Archæus dum concipit ideam furoris, quia talis idea eſt eſſentialiter architectonica mali, & formatrix perturbationis, excandeſcentiæ æſtus, ideò in Archæo, in quo fundatur talem effectum producit, qui dicitur Febris. Conceptum hujus ideæ ab Archæo vult dependere ab animi perturbationibus, ut *cit. loc. n.* 11. & ab indigeſtis, & malè digeſtis, & tranſmutatis ut *num.* 13. quæ omnia cauſas occaſionales vocat. Ideoque concludit vitam eſſe intimum formale, atque eſſentiale Febrium efficiens, in *fine cit. cap.* prout dixerat *eodem loco n.* 4. quia tale principium Febris conſiſtit in idea ab Archæo concepta, in eoque permanente, Archæus verò eſt principium vitale, conſequenter formale, & intimum principium Febris, eſt principium vitale.

His præhabitis, non eſt difficile intimum ſenſum doctrinæ *Helmontii* attingere, hancque cum dictis *ſuperiori capite* conciliare. *Cauſam Febris* determinat eſſe *Archæum*, *concipientem ideam furoris*. Idea, ex dictis, non eſt niſi cauſa formatrix & efficiens, prout ipſe fatetur in ſupradicto exemplo canis rabidi, quapropter idea furoris, non erit, niſi cauſa formatrix, vel efficiens illius. Unde Archæum concipere ideam furoris, aliud non ſignificabit, niſi Archæum, ſeu ſpiritum vitalem in ſe concipere, ſeu potiùs ad modum ſeminis cauſam efficientem, vel formatricem furoris, aliunde ejaculatam recipere. *Archæus eſt ſpiritus vitalis in vitali membro*, *corde*, *& ſanguine reſidens vita fruens*, in eorum ſententia admittentium ſanguinem animatum. Et furoris ideam concipiet, quando ab aliqua cauſa efficiente inflammabitur, & incendium ſuſcipiet, & verè tunc dicetur furorem concepiſſe, violenter determinatus ad ſuas operationes depravatè exercendas, nimis intensè partium ſubjecta calefaciendo, & ſanguinem, in cujus ſinu hoſpitatur, æſtu & perturbatione inſigni exagitando, & hoc modo convenit cum antiquis dicentibus Febrem eſſe calorem accenſum in corde à cauſa præternaturam calefaciente, medio ſanguine, & ſpiritu per totum corpus diffuſum; à cauſa enim prædictam præternaturam calefaciente, habemus *ideam*, quæ non eſt niſi cauſa efficiens, quæ eſt morboſa, & quia depravat ſpiritum, & ſanguinem intenſiori calore. Aeſtus, perturbatio à prædicto calore ſpiritui impertita, furorem exprimunt, dum ſpiritus accenſus irari inſtar, legem non habet in motu, nec imperantis naturæ audit præcepta, vel contemnit, illi inſultando, dum ad morborum juriſdictionem tranſit operationes lædendo, quòd ſi ſpiritum vitalem à cauſa calida accenſum tamquam idea morboſa concepta conſideramus efficere perturbationem, æſtum, & efferveſcentiam, à quibus eſt Febris, ut conſideravit *Helmontius*, quis non videt delineatam ad unguem recentiorum ſententiam, affirmantium Febrem eſſentialiter conſtitui per efferveſcentiam, æſtum, perturbationem ſpiritus, & ſanguinis?

Quod ſi conſideramus cauſas ideæ conceptæ ab Archæo, quæ dicta ſunt modò à nobis, magis confirmabunt,

bunt, ſunt autem ingeſta, male digeſta, & traſmutata, quæ Archæo commixta, illud violenter inducunt ad concipiendam ideam furoris, quæ non eſt niſi cauſa æſtus, & perturbationis; & quid aliud expreſſit *Vvilliſius* quando docuit extranea mixta ſanguini, imprimere talem actionem qua inordinatè efferveſcit, & cum eo ſpiritus vitalis ſuo ſinu reconditus, Archæo *Helmontii* cotreſpondens, ejuſdem actionis imperio cum tumultu æſtuat, & cùm ut furens irregulari, & præter naturam motu delirii argumenta præbet ſpiritus vitalis ſedes, hanc inordinatam efferveſcentiam; qua veluti furens delirat efficere demonſtrat? Et clariùs hoc exprimere voluiſſe *Helmon.* deducitur, ex eis quæ *cit. loc. de Feb. cap.* 11. ſcripſit, ubi prædictas cauſas explicando inter has enumerat *primò alimentum*, quòd in ultima partium digeſtione depravatur, quia dum partes ſolidæ ſibi è ſanguine ſtudent aſſimilare nutrimentum, contingit perſæpe degeneres fieri alterationes, & veluti abortus præpoſteros, hoc ergo degener alimentum, varias ſubiens ſuæ mutationis abuſivas teſſeras, diverſas quoque Febres gignit; degenerat etiam tale alimentum præter dictas alterationes, vel ob admixtionem extranei, vel impreſſione peregrina, vel errore indignati vel evocati Archæi: *ſecundò humorem*, quem venæ meſeraicæ attrahunt ab extremis ilei inteſtini partibus, qui non eſt alimentum, ſed ſcoria, ſeu ſtercus liquidum, in natura ad ſuos fines utile, nempè ad miſcendum urinæ, ut non lapideſcat, & aquoſior fiat, unde aliò deductum Febrem excitat, quia ſui natura eſt excrementum, & à ſuo hoſpitio recedit: ab hoc humore continuas Febres fieri, à primo intermittentes, & has cauſas occaſionales dixit, & harum modum agendi *cap.* 1. *cit. lib. nu.* 28. explicat, exemplo *ſpinæ* quæ digito infixa, licèt frigida, calorem tamen in eo excitat occaſionaliter, ita ait ipſe, cauſa peccans in Febri non calet ex ſe; calefacit enim tantùm occaſionaliter, & ad ſpinæ, ſeu cauſæ occaſionalis ablationem ſequitur ſanitas, & ſolùm accendit ſe ipſum Archæus, in niſu quo cupit expellere materiam occaſionalem, tamquam ſpinam ſibi impactam. Et quid aliud ſunt prædictæ cauſæ occaſionales, quàm fermentum extraneum ſpiritui vitali implantatum, vel in illius ſede tranſportatum, dum cauſæ prædictæ ea omnia efficiunt, quæ fermenta operari prædicant auctores hujus ſententiæ. Quæcumque extranea ſanguini miſcentur, illa expellere tamquam inimica tentat, ob inſitam cuilibet facultatem tuendi ſuam entitatem, & bonitatem, & hoc eſt ſpinam ſanguini infigere, quam ſuo niſu expellere cupit, & quamvis *capit.* 2. *num.* 2. & 3. *cit. lib.* intendat excludere à cauſa occaſionali *bilem*, *pituitam*, *melancholiam*, & *humores putridos*, ex illius principiis tamen horum exiſtentia convincitur, quia ſi in tertia concoctione alimentum degenerat in aliam naturam, hoc poteſt contingere in aliis præcedentibus concoctionibus, & ibi alimentum degenerans excedere in caliditate, vel frigiditate, humiditate, vel ſiccitate, aciditate, amaritie, ſalſedine, ponticitate, & ita induere naturam, & temperiem quam Antiqui concedunt *bili*, *pituitæ*, *melancholiæ*, & *humoribus putridis*.

Nec differre videtur à recentioribus per ea quæ *cap. ultimo num.* 12. *cit. libr. docet*, neque Archæum licèt ab externo errore non ſollicitetur, tamen ſuæ incontinentiæ peccato ſubinde ſua ſponte furores aſſumere, propria libertatis luxuria tumultuando, quia in hæc coincidit cum eis, quæ docentur *à Vvilliſio* de principio ſanguinis calido exaltato, & effræni reddito, juxta dicta *ſuperiori capite*. Et confirmat, quæ dixit *Martianus* de diſgregatione, ut conſideranti patebit, novitatem verò verborum, non conceptum, pro explicanda natura Febrium tranſtulit in medicinæ campum Helmontius.

CAP. VIII.

De modo quo fit Febris, ex Antiquorum mente.

I. GEnerationis Febrium modum rectius quis aſſequi non poteſt, quàm cognitione cauſarum, & ponderatione ſui modi agendi, unde huic inſiſtere determino, & *pro indagando modo generationis Febrium* ex Antiquorum mente, *Altimarum* ſequar, qui *lib. de moder. Feb. parte* 1. *cap.* 14. hujuſmodi generationis Febrium modum proſequitur, ſingulas cauſas ſeparatim examinando.

II. Et primò quo ad *motum*, ait, *per hunc accendi Febrem*, cùm quiſpiam immoderata exercitatione uſus, in laſſitudinem incidit, caliditatem immodicam in muſculis atque articulis habens. Etenim hi ſunt, qui primo calorem excipiunt, qui ſi in totum extenditur, & hinc continuatim ad cor aſcenderit, neceſſariò in Febrem homo incidet. Idem evenit in *ira*, quæ *eſt fervor, ac vehemens motus caloris*, unde per immoderatum motum ejuſdem caloris, nonnumquam per totum corpus diffunditur, ſimulque hoc fervore aliquando ſpiritus, & ſanguinis ſubſtantia calefit, atque ita Febrem accendit immodicam. *Ex vicina rei calidæ*, ſive ſit Sol, ſive ignis, ſive medicamentum calidum, quod extrinſecus proximum fiat, aut adhæreat, calor præter naturam in noſtris corporibus generatur, nondum tamen Febris exiſtit, niſi cor una calefactum fuerit, *Propter detentum quoque calidi effluxum*, ex cutis denſitate vel alia de cauſa, & prohibitio refrigerante, quod per motum arteriarum attrahitur, & per porroſitates cutis introducitur, calor augetur in ſtatum præter naturalem, & Febris generatur. Etenim non attracto eo, qui refrigerandi vim habet, neque effuſis ad exteriora fuliginoſis excrementis calidis: calor cordi communicatur, & ejus naturalis intenditur, qui eſt Febris. *Ob admixtione calidæ ſubſtantiæ*, augetur præter modum caliditas, & proinde etiam Febris generatur; nam quemadmodum aridi calami vegementiùs flammam attollunt, ita hæc eſculenta calida, & acria, calorem noſtrum adaugent ac immoderatum adeo efficiunt, ut cordis calori additus, & impreſſus, Febrem generet. *Ob putredinem fit Febris*: nam ſicuti in externis corporibus putrefactis, tum generari, tum augeri caliditatem inſpicimus, pari pacto, quæ putreſcunt in animantis corpore, calorem quendam immodicum in his partibus, in quibus putreſcunt, efficere poſſunt, & demum univerſum corpus concalefacientia, ſimulque & cor ipſum, Febrem excitant, ſive calorem per partem poſt partem illi communicando, ſive per halitus putridos, & calidos.

III. Multa ſunt in hac doctrina animadverſione digna, & ad intentæ concordiæ conſecutionem ſcito neceſſaria, & primò dum volunt priùs partes corporis calefieri à cauſis calefacientibus, & per illas tamquam per gradus, & mitratos funiculos calorem ad cor aſcendere, illinſque igneum efficere, non poſſunt negare à prædictis cauſis ſanguinem non calefieri, priùs quàm calor ad hoc pervenerit, cùm in ſanguine ſit diſpoſitio ad ſuſcipiendum calorem, quia tenuis fluxibilis, & ex ſui natura calidus, & cauſa ſit ei proxima, dum calor eſt partibus impreſſus, & per has continuò movetur ſanguis. Et certè quomodò poſſunt partes præternaturam calefieri, & ſanguis in intimis illarum penetralibus per arteriarum & venarum canales fluens non excandeſcere? Ingeſta quæ calefaciunt, nonne priùs in ſanguinem vertuntur, quàm pattibus diſtribuantur, conſequenter priùs ſanguinem quàm iſtas calefacere debent? Fuligines pro majori parte à ſanguine prodeunt, idcircò in obſtructione retrocedentes, ad illud revertuntur, & ſi habent calefacere, illius calorem augere debent. *Per motum* non minus agitatur ſanguis, cùm confricatur muſculus, ergo ſi iſte incaleſcit à calore immunem alterum facere non licet. *Putredo* calefacit partes, quæ ſunt putredinis focus & minera, & per halitus membra ad quæ elevantur, multò magis ſanguinem, in quem halitus facilius penetrare poſſunt, & ei miſceri.

IV. *Secundùm*, quod animadverti debet, eſt *ſanguinem excalefactum* eſſe magis aptum cordis calorem in igneum accendere, quàm eſt calor reliquis partibus impreſſus, quia iſte producendo calorem in ſibi proximiori parte, hæc in aliam ſibi conjunctam, & cùm quælibet producat calorem ſemper minorem, eo quo dicatur, continget ut pars cordi vicina, & magis remota à prima parte, excalefacta, minimum calorem concipiat, à quo calor cordis vix deberet alterari, non accendi, ſanguis autem cordis ventriculos continuò ingrediens media

dia circulatione, immediatè etiam calore à cauſa externa calefaciente, vel à parte excalefacta recepto, illum cordis in igneum facillimè convertere potens erit, & eò magis cùm ſanguis excalefactus habeat calorem à cauſa impreſſum & proprium, ex quorum complexu fit in eo calor magnus, qui ſemper magis augetur, dum per iſtius caloris intenſionem ſummè rareſit, unde partes calidiores & igneæ in copia ab eo ſeparantur, quæ unitæ calori præexiſtenti, & impreſſo calorem valdè intenſum accendunt, potentem ignem in cordis ſinu ſuſcitare, quapropter ſanguis ad hoc erit magis idoneus, quàm quælibet altera pars intensè etiam ex calefacta. *A ſanguine modo dicto æſtuante* partes calidas, & igneas ſeparari concedere debent, qui elementa actu in mixto admittunt, ex quorum ſententia hoc deduco; ſanguinem per cor vehi, & revehi, licèt antiquis ignotum noſtra tamen ætate adeo certum eſt, ut ſine temeritatis & dementiæ nota, negari non poſſit, & ſi providentia hujuſmodi cognitionem Antiquis conceſſiſſet, non alio certè modo Febrium generationem explicaſſent, quàm per ſanguinem, à cauſis intensè ex calefactum calorem cordis in ſuo tranſitu immediatè in igneum accendentem. Et hunc modum olfeciſſe videtur *Altimar.* qui *cit. loc.* ait, *atque ita Febrem accendit immodicam, propter immodicum motum, ac fervorem ipſius calidi innati cordis, in ſanguinis ſeu ſpiritus ſubſtantia exiſtentis*, & explicationi, & animadverſioni ſuperiùs factæ favet *Heurnius in lib. de Feb. cap.* 7. ait, *non autem uno die hic ſpirituum calor finitur, quia calor ſpirituum mutuò ab eo, qui in ſanguine eſt, fovetur, ultra tertius diem excurrit, atque eo modo calor ſpirituum alitur, qui ſi cum ſanguine minus fervido conſociaretur, intra diem unum finiretur, Verùm ob æſtuoſum ſanguinem (etiam ſi genium ſuæ eſſentiæ non exuerit) dies quatuor durat.* Et *Mercur. lib.* 5. *de Feb. cap.* 6. agens de ſynocho imputri hæc habet, *modus quo generatur hæc Febris eſt, quod ſucci, id eſt ſanguis contentus in venis, cùm non poſſit perſpirare incaleſcit atque ita incaleſcit, ut non ſolum ipſe, verùm etiam ſpiritus cum ipſo inflammentur, & conſequenter Febrem faciat*, ubi adverte, quòd Febrem non poteſt facere, niſi ab eo calor cordis præternaturam intendatur. Et *Seanertus lib.* 1. *de Feb. cap.* 6. ait, *continens igitur cauſa hujus Febris, eſt fervor ſpirituum & ſanguinis in vaſis omnibus, aut certe majoribus, quia enim duratio hujus Febris continua eſt, fervor ille ſanguinis in tali loco hæreat, oportet, quo continuus calor communicari poſſit, quod fieri non poteſt, niſi ſanguis, vel in omnibus, vel maximis vaſis efferveſcat.* Et quod afferunt iſti de Febre ſynocha, de omnibus poteſt dici, cùm Febrilis paroxyſmi generatio, non poteſt melius explicari, admiſſa circulatione ſanguinis, quam per caloris cordis excandeſcentiam à ſanguine præter naturam excalefacto.

V. *Tertiò*, ex admiſſione horum, quæ neceſſariò deducuntur ab Antiquorum doctrina, firmato motu circulari ſanguinis, deducendum etiam eſt, calorem cordis à ſanguine nimis calido accenſum advenientem de novo ſanguinem magis calefacere, & inflammare, ex quo poſtea totum corpus igneo calore uritur, & viciſſim ab inflammato ſanguine majus incendium, & augmentum in cordis calore ſuccreſcere, & ita ſanguinis, & cordis calor mutuò ſe accendunt, & æquo conatu intendunt, unde poſtea Febrium augmenta, & ſtatus originantur.

VI. *Quartò*, tam à calore concepto, à ſanguine influxu extrinſeci calefacientis, quàm à calore cordis aucto, neceſſe eſſe effervescentiam magnam, & inordinatam in ſanguine excitari ob rationes dictas *cap.* 1. *num.* 59. & *cap.* 2. *num.* 4. itaut in Antiquorum ſententia, fatendum ſit ſanguinem à cauſa morboſa incaleſcere, & per hoc efferveſcere, & poſtea ſanguinis calorem illum cordis augere, & dum per illud circulatur, ultimò calorem cordis auctum, majora efferveſcentiæ incrementa ſanguini contribuere.

VII. Non diſſimili ratiocinio explicatur generatio Febris malignæ ab iis, qui ſolam putredinem hujus genitricem tuentur. Nam vel putredo eſt in maſſa humorali, Febre in ſui initio malignitatis argumenta præ ſe ferente, & tunc humores putredinali calore ferventes, naturalem cordis augent eis in ſuis finibus inſtillatis, per aſſiduam, & ſucceſſivam circulationem, quòd expreſſit *Minadous lib. de Febre. Malig. cap.* 14. *reſponſione ad quintum Argumentum*, dicendo, *cui erit mirum putredinem noſtris in corporibus venientibus genitam, & per humores in univerſalem corporis molem, atque in cor tandem raptam, & ventilatione proinde deſtitutam, & præterea calore humorumque pravitate infectam, poſſe & cordis ſubſtantiam aliquam exterminare, & vitæ iſtrumentum calorem, & ſpiritum enecare?* Et forſan melius expreſſit *citat. loc. in reſponſione ad* 3. *Argumentum*, ſcribendo, 3. *cur timebimus adſcribere ſæva, & mortifera ſymptomata huic putreſcentiæ ſi ipſa ex ſola vitæ noſtræ inimiciſſima eſt, venas, arterias cor viſcera omnia invadens, & ſeditionem in humoribus in calore, in ſpiritibus exiſtens, ipſamque tandem cordis ſubſtantiam ſolidam labefactans, atque demoliens.* Ubi nota illa verba, ſeditionem in calore, & ſpiritus, quæ calorem præter naturam exprimunt, & ſeditionem in humoribus, quæ illorum efferveſcentiam inordinatam oſtendunt, & ad explicandam virium reſolutionem, inſeparabile hujus Febris accidens, à caloris nativi interitu dependens, ſubjungit, *quartò, cur non audacter etiam fatebimur poſſe brevi temporis ſpatio vitam eripere, ſi nihil eſt in ea quod vehementem non habeat activitatem, & cor ipſum nativumque calorem vehementiſſimè non corrumpat?*

VIII. Vel Febris incipit primò benigna, ex combuſtione, vel putredine ſecundùm quid, vel ebullitione humorum, ut multoties in praxi obſervatur, dum prædicta ad humorum putredinem terminatur, vel in alios humores illam introducunt, & tunc malignitas putredinis ſoboles, calor aliorum partus cenſeri poteſt, niſi in eodem ſubjecto contigerit putredo abſoluta, in quo erat efferveſcentia ſimplex, vel putredo ſecundùm quid, & tunc conſideranda eſt, & efferveſcentia, & malignitas, prout unicuique patere poteſt, cùm ſint duæ cauſæ diſtinctæ, quarum unaquæque: per ſe ſola, Febrem efficit, una magis efferveſcentia, & calore, altera putredine. Nec debent implicare hujuſmodi cauſæ conjunctæ ad generationem Febrium prædicto modo, ſi non implicant in aliis Febribus, ut in Hemitriteo, & ſi in prædicto caſu non erit diſtinguibilis Febris maligna, per debilitatem pulſus, & moderationem in frequentia accelerata & turgidiore facta ab efferveſcentia aliunde proveniente, erit diſtinguibilis à reſolutione virium, quia ſpiritus ab immoderatiori fervore excitati, non poſſunt ſupplere interitui illorum à putredine contingenti, unde neceſſe eſt vires deficere, & reſolvi, verùm alio etiam charactere eſſet diſtinguibilis, nempè per urinas turbidas, quas ab inordinata efferveſcentia cum putredine, ut plurimum fieri, puto, dum à fermento putredinali, per efferveſcentiam agitato, tota maſſa ſanguinis turbatur, & magis ſerum majorem ſedimenti putredinoſi partem abſorbens, non aliter ac aqua limpida ab agitatione limi in fundo exiſtentis turbatur.

IX. Vel in parte determinata putredo humorum contingit, ut aliquibus placuit, primas vias malignitatis Febrilis mineram determinando, & ſphaceli, & ulcera maligna comprobant, à quibus Febres malignæ pullulant, evaporationibus ab his partibus elevatis, ſanguinique & cordi communicatis, id præſtantibus quod immediata putridi humoris ſubſtantia, confert ſcilicet ſeditionem in calore, & humoribus introducendo, & ſpiritus innatumque calidum deſtruendo, evaporationes autem id poſſe certum eſt, cùm eamdem naturam cum putrido humore retineant, & hoc docuit *Minadous cit. lib. ad ultimæ rationis reſponſionem cap.* 15. dicendo, *exemplo ſint exhalationis illæ putridæ, quæ à ſphacelato membro in cor feruntur, quæ unæ (uti ſæpè obſervavimus) propter putrem ſubſtantiæ proprietatem repentè ferè, vel brevi certè temporis ſpatio, interimere ſolent, ſi verò cordi communicantur non poteſt non particeps illarum fieri ſanguis per illud circulans, & eaſdem recipere in via quæ mediat inter cor & mineram Febris cum per venas & arterias cordi deferri ſit probabile, & cum hoc inficitur etiam ſanguis exiſtens intra ſphæram activitatis illius mineræ, unde quoque evaporationes putridi humoris ſpargentis, ex quo citiſſimè totus ſanguis depravatur, cùm brevi tempore totus per illam ſpheram tranſeat circulando.* Et cum

Mina-

Minadoo debent in his convenire omnes qui Febres malignas à putredine affirmant, & ſanguinis circulationem admittunt.

X. Hoc fundamento Febris malignæ ſymptomata dilucidantur. Primo enim aſpectu hujuſmodi *Febris cap. paret mitis*, quia humores nec multùm fermentantur, nec combuſtionem patiuntur, ſed putreſcentes paulatim exeunte illorum calido, corpus etiam parùm incaleſcit, coadjuvante humiditate, quæ calido evaporanti conjungitur, & illius acutiem retundit. *Vires ſtatim proſternuntur*, quia putridus ſanguis amiſſo ſpiritu vivifico, illas ſuſtinere non poteſt, deficiente ſuo pabulo, nempè ſpiritu. *Pulſus parvus, & frequens fit*, quia per putredinem ſanguis conſiſtentiam amittit, unde in ſui rarefactione non tumeſcit, nec arteriam per hoc ad magnum ſpatium dilatare valet, *facultas cordis extinguitur*, dum ſuæ conſervationis ſubſidia à ſanguinis ſpiritu extrinſeco deficiunt.

XI. Qui verò malignitatis fundamenta, venenatam qualitatem cum putredine conjunctam putant, ab hac calorem, ab illa verò cætera omnia ſymptomata derivant.

XII. Quomodo verò putredo ſecundùm quid, vel ſecundùm partem progignat febrem aggreſſus eſt explicare *Julius Cæſar Benedictus lib.* 4. *Epiſt.* 7. *Epiſt.* ubi convictus ab Hippocratis teſtimoniis, Febres generari humoribus in ſecundis qualitatibus depravatis, modum generationis refundit in formam humoris, tali qualitate ſecunda male affecti, quæ virtute inſita habet Febrem accendere, ſed hoc eſt ignotum, per æquè ignotum explicare. Clariùs expreſſit. *Augenius Tom.* 1. *Epiſt. Medic. lib.* 5. *Epiſt.* 2. docendo, *motum validum calidi influentis, & unionem illius in corde, & foco putredinis, cum impetu factam à natura, ut materiam morboſam vel concoquat, vel expellat, eſſe cauſam Febris*, & hoc probat auctoritate *Gal.* & rationibus, quæ apud ipſum videri poſſunt, & cum hoc ſentiunt *cit. cap.* 1. *num.* 36. & qui affirmant in variolis, & morbiliis, Febres conſiſtere in ebullitione, & effervescentia ſanguinis, à naturæ motu conantis materiam parvam ſanguinem coinquinantem expellere excitata, & in horum numero ſunt *Gregor. Horſt. Tom.* 2. *lib.* 6. *Quæſt.* 7. Valeſc. de Taran. *lib.* 7. *cap.* 15. Boccangel. *lib. de Feb. mal. cap.* 36. Marcellus Donat. *de Variolis;* Et multos in hanc ſententiam convenire teſtatur *Sennertus lib.* 4. *de Feb. cap.* 12. & eſt communis ſententia, Febrem in ſtatu morbi, & imminente criſi fieri majorem, à prædicto naturæ motu, quod ſenſit etiam *Gal. lib.* 1. *de criſ. cap.* 18. ubi ait, *ſic in Anaxione quantùm ex prima illa criſi defecta relictum erat, hoc rurſus effervescens in coctionis tempore ſecundum criſim generavit*. Et diffusè talem ſententiam probat *Henriquez diſputatione* 4. *de Temp. Feb. cap.* 6. In hac ſententia, *duo* includi apparet, *motum naturæ in ſanguine, & actionem materiæ noxiæ in eodem*: nam natura non poteſt determinari ad expulſionem alicujus humoris, niſi præcedente actione iſtius, qua moleſtiam experiatur, & damnum pertimeſcat, hanc actionem perbellè expreſſit *Hipp.* 1. *de morb. tex.* 28. dicendo, *ea ſcilicet bilis, ſi commotæ ad venas, & ſanguinem ingreſſa fuerit, ſanguinem ex conſueta compage, ac motione dimovet, & feroſum facit, ac calefacit, calefactus etiam totum corpus etiam percalefacit*, clariùs certè non poterat explicare actionem bilis, quatenus eſt noxia ſanguini: Et quod de bile dicitur, de quolibet noxio naturæ in ſanguine permanente dicendum eſt. *Ab actione noxii, & à motu naturæ* facilè explicatur modus generationis Febrium à putredine ſecundùm quid, quia humor ſuis qualitatibus depravatis ſanguinem alterat vel motu, vel in ſubſtantia, vel in temperie, natura moleſtiam ab his perſentiens, & in ſanguinis depravatione, ſuum prævidens interitum ſibi conſulens, & propriæ conſervationis ſollicita ſpirituum copias colligit, calorem unit, & noxiam extraneamque materiam, cum impetu aggreditur, eam propulſat, diſcutit, movet, & impellit, ut ſeparationem à reliquis partibus obtineat in hac actione ope motus, & ſpirituum, & caloris operata neceſſe eſt ſanguinem agitari, perturbari, & inordinatè effervescere, ſuccedente huic calore præternaturali, cum Febre.

XIII. Nec facit difficultatem allata *Hipp.* auctoritas, qua demonſtrat bilem calefacere ſanguinem, unde arguendum eſſet noxia, quæ ſunt in ſanguine, Febrem excitare calefaciendo; nam tollitur per ea, quæ ex mente *Hipp.* relata ſunt *cap.* 4. & *Julius Cæſar. Benedictus loc. cit.* hanc difficultatem multis debilitat rationibus, & quamvis de bile, quæ eſt calida, difficultas prædicta ſuſtineri poſſit, nulla tamen erit in aliis humoribus, exceſſum caliditatis non patientibus, præterquam quòd non eſt certum bilem ſolo calore ſanguinem calefacere, ſed potiùs amaritie, cùm amara (ſicuti eſt bilis) potentiſſima ſit ad calorem inducendum, & Febrem generare ex *Hipp. in cit. cap.* 4. *n.* 29.

XIV. Combuſtionis natura, & quidditas, modum quo Febris ab illa proficiſcitur dilucidat, cum enim conſiſtat eſſentialiter in evaporatione multa, turmatim, & ſubitò facta partium ignearum, patet etiam his, & ratione multitudinis, & ratione caliditatis corpora vicinia, in quæ cum debita approximatione tendunt calefacere. Quando ergo humoribus hujuſmodi diſſolutio contingit, pervenientibus igneis particulis ad ſanguinem & cor, utrumque intensè, & ultra naturæ leges calefaciunt; Patiuntur autem hanc diſſolutionem humores, ut notat *Minadous lib. cit. cap.* 11. per obſtructionem, in qua prohibita humoris concluſi ventilatione, admodum incaleſcit, rareſcit, igneæ particulæ diſgregantur, & facto impetu acervatim erumpunt, & velut in flammam attolluntur ad cor, hinc illius alteratio caloris, & intenſio, à quo Febris, & ſanguini etiam extra cor inſinuatæ eum intensè calefaciunt, ut ad cor perveniens, majorem reddat in eo calorem, & ab hoc viſciſſim calefactus, totum corpus poſtea, per quod diſpergitur illud, ignea caliditate perfundens, *juxta tradita ſuperiùs num.* 3. & ita combuſtio ab obſtructione proveniens, Febrem accendit, nec aliter ſuccedit, quando putredo primò incipit per obſtructionem, ſuccendente poſtea combuſtione, ob exhalationem partium ignearum, non ſenſim, ſed in copia factam, dependenter ab earum impetu, & à mixtione ſubitò diſſoluta, ut adnotavit *Minadous loc. cit.* & ſi combuſtio contingat à calore cordis, cum diſpoſitione humorum ad eam, ut fit quando ille eſt valdè auctus ab aliqua cauſa calefaciente, & ſanguis adeo rarus, & fervidus, ut per cor tranſeundo inflammetur, & exardeſcat non aliter ac ſpiritus vini candelæ accenſæ approximatus, tunc fervor ſanguinis, ſpiritus, & partes calidas ad motum excitat, & diſgregat, raritas ad libertatem diſponit, & calor cordis illam augendo, & unionem ſolvendo, viam aperit, ut multitudine, & impetu è carcere in apertum egrediantur, inſtar flammæ, ab accenſis lignis ſcaturientis: Hinc pars ignearum particularum in cavitate ventriculorum cordis remanens, & ſpiritui vitali ibi habitanti conjunctæ, & aliæ in ſubſtantiæ poroſitatibus penetratæ, calorem cordis ad ſummam intenſionem evehunt, & aliæ per ſanguinem diſcurrentes, & in ejus ſuperficiem hærentes, tamquam in carbone accenſo, illum adurentem reddunt; & hoc deduco à *Minadoo loc. cit.* ubi ſynochos cum combuſtione recenſet. Poſſe verò hujuſmodi ſanguinis combuſtionem, à ſola iſtius diſpoſitione oriri puto, quando in raritate & calore eſt excedens, manente calore cordis in ſuo ſtatu naturali per aliquod tempus, quia perſeverante combuſtione, non poteſt non intendi.

Hæc ſunt quæ generationis Febrium modum explicant, ex Antiquorum mente excerpta, vel ab eis deducta.

CAP. IX.

Quomodo contingat Febris generatio, ex Recentiorum placitis; Et quomodo cum Antiquis in hoc conveniunt.

I. MOdus agendi cauſarum Febrilium à recentioribus admiſſarum, modum generationis Febrium ex eorum mente explicabit, idcircò in illius indagationem modò inſiſto.

II. Inter primas cauſas, enumeratur *admixtio rei extraneæ ſanguini*, cujus expulſionis ſatagens natura inordinato motu totam maſſam ſanguinis exagitat, ut à puriori parte ſecernat, non aliter ac grana motu agitata à lolio, & zizania purgantur: commotus ſanguis effervescit, & ebullit ultra naturalis effervescentiæ Leges, hinc rare-

rareſcit nimis, & calidiores particulæ in majori quantitate explicantur, ab aliorum conſortio extricatæ, & in unum conglomeratæ majorem caliditatem ſanguini impertiunt. *Idem extraneum* ſua activitate perturbationem, & effervеſcentiam ſanguini conciliat, *modo præcedenti 6. capite explicato*, *num.* 2. Ex quo rareſcit & calefit. Hujuſmodi diſpoſitione alteratus ſanguis, in cordis ſinus illabens, à dominante inibi calore citiſſimè, & vehementer, rarefit, & præternaturalem Febrilemque nanciſcitur effervеſcentiam, unà cum igneo calore à ſulphureis, & calidis particulis in magna copia ſolutis, excitato in prædictæ effervеſcentiæ motu; quapropter cùm impetu, & celeritate, è corde in arterias eructatus, pulſus rythmum naturalem amittit, & præternaturalem acquirit, frequentia, celeritate, inæqualitate, & magnitudine, partibuſque diſtributus ſanguis igneo quo exardeſcit calore, eas inflammat, & quamdiu prædictam diſpoſitionem à fermento extraneo contractam, & à naturæ motu in expulſionem incumbens, acquiſitam ſanguis conſervaverit, prædictos ſubibit caſus, & ſingulæ partes eamdem patientur incaleſcentiam, & ita Febris accenditur, & perdurat: hoc expreſsè, docuit *Vvillis lib. de Feb. cap.* 2. ubi ait, *quo plus effervеſcens cruor* (ecce effervеſcentia ſanguinis extra cor) *magis in corde diſſolvitur* (En effervеſcentia major ſanguinis in corde) *eo recrementa hæc tum fuliginoſa; tum terreſtria* (hæc ſunt extranea ſanguini) *copioſiùs aggeruntur*, *& cùm præ nimia congeſtione ſtatim ſubigi*, *& à cruoris maſſa ſecludi nequeant* (ecce conatus naturæ extranei expulſioni applicatus, licèt inaniter, ſuo tamen tempore ſufficiens) *ſanguis turgeſcentiam*, *& Febriles effervеſcentias pariunt* (ecce actionem extranei in ſanguine) De hujuſmodi actione locutus eſt etiam *capite ſexto*, & de utraque, ſcilicet extranei, & naturæ activitate, idem confirmavit *cap.* 3. dicendo, *vel eſt humor excrementitius in minera quadam deliteſcens*, *qui ſenſim*, *& ſtato tempore ad incrementum provectus*, *& commotus cum cruore fermenteſcit*; *vel eſt ſuccus nutritius eſculentorum materia ſuppeditatus*, *& in pondere*, *& menſura ſanguini delatus*, *qui cùm obhæmatoſeos defectum minimè aſſimiletur*, *ad plenitudinem in vaſis congeſtus*, *propter ſui expulſionem turgeſcentiam ſanguini inducit*. Et inferiùs ſubjungit, *effervеſcentia itaque ſanguinis*, *quæ Febris intermitentis paroxiſmum conſtituit*, *unicè dependet à ſucci nutritii aſſimilatione præpedita*; *hujus particulæ ſanguini corfuſæ*, *non uti priùs maturantur*, *neque in cruorem perfectum faceſſunt*; *quin harum miſtura ſanguinis maſſam*, *veluti cereviſia novella*, *corpuſculis valdè fermentativis imbuitur*, *quæ cùm denſiùs agglomerantur*, *iiſque cruor ad turgeſcentia ſaturatur*, *illicò effervеſcit*, *fit ingens particularum lucta*, *& agitatio*, *qua ſe invicem infringunt*, *& ſubtiliant*, *donec tandem ſpiritu vitali præpollente*, *cæteriſque ſubactis quod heterogeneum eſt foras protrudatur*; quibus ſi addatur effervеſcentia major, quàm ſanguinem ab extraneo coinquinatum ſubire in corde faſſus eſt ſuperius, in prima ſententia; habebimus integrum modum generationis Febrium, ab extraneo fermento.

III. Non diſſimilis exiſtit *Sylvius*, aſſerendo *bilem*, *ſalivam*, *& ſuccum pancreaticum*, ſi à naturali ſtatu deceſſerint (quod idem eſt ac ſi extranea evaſerint) effervеſcentiæ præternaturalis cauſas eſſe efficientes, quòd actionem extranei in ſanguinem exprimit, & de hoc paſſim agit *à cap.* 27. *uſque ad* 33. quo in loco hæc habet, *atque ſic ubi omnia moderata ſunt* (& loquitur de ſaliva & ſucco pancreatico) *ſicuti & portionem ſervant requiſitam modumque debitum*, *ſervatur per pugnam illam amicam in ſanguine univerſo ignis vitalis*, *augetur verò quoties dominium habet bilis multùm ſaliva*, *&c.* & hoc non alia ratione niſi quia bilis in acquiſito dominio fit extranea, & morboſè agendo effervеſcentiam morboſam efficit, idem expreſſit *cap.* 11. *num.* 7. *multifacie verò* (ita loquitur) *vitioſa exiſtit prædicta effervеſcentia*, *primò ratione bilis acrioris*, deinde ad pituitam & ſalivam deſcendit, *& cap.* 27. *num.* 22. apertis verbis ait, *Febrium continuarum omnium cauſam eſſe bilem*, *aut lympham*, *ſub qua ſuccum pancreaticum ipſamque adeo ſalivam comprehendo quatenus cùm ipſa deferuntur ad cor*, *aut utramque vitioſam*, *& in dextero cordis ventriculò effervеſcentiam talem excitantem*, nec conatum naturæ excludit *capit.* enim *cit.* 27. *num.* 4. ait, *vel* 2. *quodlibet acre*, *nunc acidum*, *nunc lixivio ſalſum*, *nunc muriaticum ſalſum*, *per venas unà cum ſanguine ad cor propulſum*, *atque internè cordis parenchima mordicans*, *pulſum frequentiorem edit*, ſubſcribens in hoc ſententiæ. *Pereiræ lib. de nova medicina*, determinantis, *Febrilem calorem à principio cordis intrinſeco provenire*, *dum cor à cauſa extranea laceſſitum*, *ſtatim celeriter movetur*, *illam expellere ſtudens*, & per talem motum excitatur major calor, determinando formam cordis ad illius productionem, & ſi à ſimili cordis conatu fit pulſus frequentia, & Febris, debet etiam concedere ab extraneo ſanguini mixto illum coinquinante irritari, & determinare ad conatum pro illo expellendo: non enim minùs ſtudet ſanguis ſuæ conſervationi quàm cor, & in tali impetu neceſſe eſt quod effervеſcat.

IV. Sanguinem plus juſto effervеſcentem, vel ob extranei actionem, vel ob conatum arteriæ in eo ſubigendo, cordi inſtillatum modo ſupradicto immanius effervеſcere, & accendi non aliter ac pulvis nitrarius, vel aquæ vitæ igni approximata docuit. *Vvilliſius lib. de Feb. cap.* 2. dicendo, *quippè dum ſanguis cordis ventriculos illabitur*, *ſtatim liquoris compages ſolvitur*, *& particulæ activæ imprimis ſpirituoſæ & ſulphureæ*, *ſoluto mixtionis vinculo à cæteris exilire*, *& quaquaverſus ſe expandere nituntur*, *verùm à vaſis intus contentæ*, *& cum reliquo cruore ſimul coercitæ*, *per apertos arteriarum ductus*, *qua data via cum tumultu*, *& turgeſcentia ruunt*, *& exinde caloris effluvia per totum corpus diffundunt*, *& quæ à vaſis continentur*, ſcilicet ventriculis cordis, *ibidem remanere non eſt dubitandum*, *ſicut neque ſua præſentia calorem illius augere*, prout diximus *præcedenti num.* 3. Et clariùs hoc expreſſit, *Sylvius lib. cit. cap.* 26. *n.* 22. dicendo, *ſanguis multùm rarefit*, *quando hic laudabile exiſtit*, *excitaturque in corde ignis potens*, *qui tamen quando hic laudabile exiſtit plus ſatis*, *adeoque malè rarefit ſanguis*, *uti ſolet in ardentibus evenire Febris*. Non poteſt autem per ſanguinis rarefactionem ignis potentior in corde accendi, niſi partes illius calidæ libertati donatæ calori cordis adjungantur. Et hoc citra omnem dubitationem admittendum videtur; nam ſi à ſpiritu, è ſanguinis ſinu obſtetrice fermentatione excluſo, vitalis cordis calor fovetur, & conſervatur, eo in majori copia manente, ob effrænem effervеſcenriam augeri neceſſe eſt. Quapropter concludere debemus, ſanguinis effervеſcentiam ab extraneo majorem factam, per calorem cordis immoderatiorem evadere, & hac viciſſim calorem cordis augeri, & ita effervеſcentia ſanguinis, & calor cordis ſe invicem intendunt, juxta adnotata *cap.* 8. *num.* 5. ex Antiquorum mente, cum hac ſolùm differentia, quòd Recentiores priorem volunt effervеſcentiam, deinde caloris intenſionem in corde, quam præcedere volunt Antiqui, hac ratione moti, quòd calor habetur à partibus calidis, à ſanguine ſeparatis, non ſeparentur verò niſi præcedente effervеſcentia: quæ diſſenſio quanti ſit facienda *cap.* 2. *num.* 14. diximus. In reliquis major uniformitas deſiderari non poteſt, inter ea quæ dicuntur à Recentioribus, de extraneo mixto ſanguini, & quæ ab Antiquis docentur, de cauſa irritante naturam ad illius expulſionem, à qua Febris oritur, à conatu calore excitato naturæ limites excedente, vel ob unionem caloris intenti hoſtis ejectioni. In cauſa irritante agnoſcunt actionem iſtius in ſanguine, & poſtea in natura conatum ad ejus expulſionem: Hæc Antiquos admittere clariſſimis verbis jam oſtenſum fuit *cap.* 8. *num.* 12. ab utroque accendi calorem igneum volunt Antiqui, ut videre eſt *loco cit.* cùm per eos Febris non ſit niſi calor, admiſſa etiam effervеſcentia ex deductis *cit. cap.* 8. *num.* 6. & calorem, & effervеſcentiam amplexantur: Recentiores, ut jam dicebamus, à cauſa irritante primò alterari ſanguinem, deinde Febrem in corde accendi ſtatuunt; Antiqui ex dictis *cit. cap. num.* 4. non contradicunt; Recentiores, qui ſanguinem primò inordinatè effervеſcere volunt ab extraneo, qui poſtea immoderatius effervеſcens in corde, Febri occaſionem præbet. Quòd ſi extraneum ſit calidum, convenient omninò cum Antiquis, dum ea omnia quæ iſti de cauſis calefacientibus dicunt, Recentio-

tiores extraneo calido tribuunt; nam ab illo ſanguinem primò calefieri neceſſe eſt, poſtea efferveſcere magis, unde ad cor perveniens, augetur efferveſcentia & cum ea calor ſanguinis, à quo intenditur illo cordis; quæ ſunt omninò uniformia dictis Antiquorum *capite præcedenti n.* 3. 4. 5. ubi oſtenſum fuit ab iſtis ſanguinem primò calefieri, ab hoc calorem cordis intendi, qui poſtea ſanguinem inordinatè efferveſcere facit, ſervata ſemper differentia adnotata *cap.* 2. *num.* 14.

V. *Secunda cauſa eſt exaltatio principii calidi*, quam convenire cum diſgregatione humorum *Hipp.* ex *Martiano* diximus, *cap.6. num.* 18. Modus generandi Febrem hujus cauſæ conſiſtit, in eo quòd inordinata efferveſcentia à principio exaltato in ſanguine inducitur, dum particulæ iſtæ ſupra alias potentes, impetum in totam maſſam ſanguinis faciunt, ut integram adipiſcantur libertatem, ex quo illam agitant, turbant, & efferveſcere cogunt, ab hac efferveſcentia inordinata ejus unio laxatur magis, ultra eum terminum ad quem traxit exaltatio principii, ſeu diſgregatio humoris, idcircò particulæ ſulphureæ, ſeu igneæ, & accenſioni idoneæ, aliqualem potitæ libertatem, homogeneitatis & ſimilitudinis inſtinctu, ſimul congregantur, & in ſuperficiem ſanguinis à natura levitate ducuntur, unde renovata ſanguinis circulatione, per ſubſtantiam cordis, ab iſtius calore prædictæ particulæ accenduntur, & in flammam erumpunt, & tota maſſa ſanguinis univerſali deflagratione æſtuat, communicato ſingulis partibus corporis igneo calore, eo modo quo ſpiritus vini, ab exiguo etiam igne, flammam emittit, & fœnum putreſcens, à levi commotione ſtatim flammam concipit, ob partium ignearum diſgregationem in utroque exiſtentem, & in earum ſuperficie diſcurrentium. Particulas calidas in qualibet diſgregatione ad ſuperficiem mixti ferri docuit *Hipp. lib.*4. *de morb.* exemplo lactis ſcribendo, *iſtud verò ſimiliter ſe habet, ut id quod ex lacte equino Scythæ conficiunt, lac enim in vaſa lignea effuſum agitant agitatum verò ſpumeſcit, ac ſeparatur, & pingue quidem, quod butyrum vocant, cùm leve ſit in ſummo ſeponitur, craſſum verò & grave in fundo ſubſidet, lactis verò ſerum medium locum habet:* ad hunc etiam modum commoto humore quidquid in corpore continetur ab iis principiis, quæ omnia dixi ſeponitur, & bilis quidem cùm ſit leviſſima in ſuperficiem diſcendit, Bilis verò reliquos humores caliditate vincit, ideòque accenſioni magis idonea. Ex quo confirmatum manet in diſgregatione, ſeu principii calidi exaltatione, partes igneas ſuperficiem occupare, præcedente earum ſeparatione à cæteris partibus, quapropter à calore cordis facillimè igneſcunt: hunc modum generationis Febris deſcripſit *Wilisius lib. de Feb. cap.*9. his verbis, *nimirùm ſulphurea ſeu oleoſa pars ſanguinis priùs evehitur nimis & ſupra debitum tenorem exaltantur, quæ poſtea aut ſponte ſua inſtar fœni minùs eventilati efferveſcere incipit, aut cauſæ evidentis acceſſu in calorem præternaturalem adigitur, cùm primò autem turgeſcit, ob crudi ſucci cum ſanguine admixtionem, modò rigor, modò calor infeſtat, qui inæqualiter ſe habent inſtar ignis, qui cum viridibus lignis coopertus eſt, modò fumum, modò flammam emittit tandem verò incendio latius gliſcente, prout hic victor latè ſe ſpargit Vulcanus, illic dicto citiùs tota maſſa cruoris inflammatur ſimulque æſtu, & motu citatiſſimo urgetur, nec priùs immodica hæc ſanguinis efferveſcentia ſedatur, quàm particulæ ejus activæ à mixtione laxatæ, & deinſucceſſivè in corde accenſæ, penitus deflagrant, quod non niſi plurimum dierum ſpatio contingit.* Et inferiùs ſubjungit, *hoc eſt ſulphur, ſeu oleoſa pars ſanguinis diu excalefacta, & per partes efferveſcens, tandem inſtar fœni madidè repoſiti, poſt longam incaleſcentiam ſimul totum in flammam erumpit: ſanguis hoc tempore immaniter ebullit, & plurimùm in corde accenſus, deflagratione ſua calorem velut igneum in univerſo corpore, & præſertim in præcordiis diffundit, & cap.* 11. idem confirmat his verbis. *Cauſa ea eſt, quæ cum majori æſtu invadit, ejus formalis ratio, qua à cæteris diſcriminatur, in hoc conſiſtit, quòd temperies ſanguinis in affectis ſit calidior, hoc eſt ſulphure concremabili magis abundat, ideò cum efferveſcit majori copia, accenditur, & deflagratione ſua caloris intenſiſſimi effluvia per totum corpus diffundit,* & hæc modum generationis Febrium combuſtione, de quibus ex Antiquorum mente diſtinctionem attulimus *cap.* 8. *num.* 13. Quamvis Febres ab exaltatione principii calidi, vel ab ejus diſgregatione poſſint dici Febres à combuſtione, itaut modus generationis harum conveniat cum modo ab Antiquis deſcripto in mox *cit. cap.* 8. *num.* 13. Pro quo perpendere licet dupliciter peragi, ut innui ſuperiùs *cap.* 3. *num.* 41. *Primo*, quando particulæ igneæ alicujus corporis, ab aliqua cauſa in magna quantitate ſegregantur, & ad motum excitantur, ut affatim erumpant flammam exhibentes. *Secundo* modo, quando partes igneæ, in magna quantitate ſegregatæ, non tam ſubito nec tanto impetu exhalant, unde flammam non concipiunt, ſed in fumum diſſolvuntur: hos duos modos combuſtionis in fœno contingere docet experientia. Sanguis cum principii ſulphurei exaltatione, combuſtionem patitur ſecundi modi, quia ſi ita ſibi relinqueretur, abſque eo quod circulationem perageret, illud principium ſulphureum ſine ulla flammæ ſpecie exhalaret ſenſim, & ſanguis combuſtionem ſubiiſſe diceretur, & quia in exhalatione illius principii partes vicinæ incaleſcunt, & ad cor ſublevatæ, illud magis calefaciunt, unde ſanguis ibi perveniens majori efferveſcentiæ committitur, & incendium cum flammæ emiſſione experitur, idcircò combuſtionem poſt efferveſcentiam in corde ſecutam, Febres cum combuſtione denominare dicemus; combuſtio verò prioris modi efferveſcentiam in corde præcedens (& accidit ſanguini in aliqua parte ſtagnanti, ut in inflammationibus & aliis humoribus ab obſtructione detentis, *ut patet cap.* 12. *num.* 19.) cùm ſit cauſa, ut hæc inordinatior ſuccedat, dicitur eſſe cauſa Febris, prout ab Antiquis ſtatutum fuit, aſſerendo ab humore qui comburitur calorem cordis intendi, à quo Febris, *ut dictum fuit cap. præcedenti num.* 14. ſubſequente poſtea efferveſcentia, *ut demonſtratum eſt cit. loc. num.* 5. *& cap.* 1. *num.* 59. in hoc ſolùm ſemper diſcordes, ſine diſcordia, quòd iſti præcedere efferveſcentiæ calorem, in quo Febris eſſentiam fundant, volunt illi verò efferveſcentiam Febris eſſentiam, & caloris cauſam determinant, ideòque eo priorem intendunt.

VI. Huic recentiorum ſententiæ facem prætulit *Hipp. lib.*4. *de morbis tex.* 23. dicendo *caleſcente ſanguine exhalat maximè per hunc humor aquoſus, qui Febri eſt infeſtiſſimus, relinquitur autem pinguis, ac levis, qui eſt bilioſus, & Febri maximè nutrimentum eſt*, & ſimilitudine hoc explicat ſubjungens *veluti ſi quis aquam & oleum in vas æneum & ligna multa ſubjecta ad multum tempus exurat, aqua enim multò parcior erit, ex vaſe enim exhalabit, oleum autem paululum imminuetur, nam aqua præ raritate ab igne attenuari poteſt, & levis reddita exhalare, oleum verò, utpotè quod eſt conjunctum ac denſum attenuari non poteſt. Sic ſane in homine res habet, aqua enim caleſcente corpore foras exhalat bilioſus autem humor, ut qui conjunctus eſt ac denſus non ſimiliter exhalare poteſt; verùm attenuatus hic bilioſus humor corpus calere magis facit, copioſius enim, & melius alimentum Febris bilis ſuppeditat, & prorumpens, aut firmata in corpore morbum ſupra priora corroborat.* In hac ſententia *Hipp.* diſgregationem bilis ab aqua deſignat, dum illam evaporare dicit, & bilem ſolam relinqui attenuatam, quod etiam exaltationem illius oſtendit, & quia eſt ſulphurea, integrè principii ſulphurei exaltationem complet; & quia bilis prorumpens ponitur, illius accenſionem, & combuſtionem manifeſtat, prout adnotat *Jul. Cæſ. Bened. lib.* 3. *Epiſt. Medic. Epiſt.* 4.

VII. Cur verò ſolam diſgregationem ſeu exaltationem principii calidi ſolùm inter cauſas Febriles enumerent Recentiores, ratio eſt, quia licèt admittatur alia principia diſgregationi eſſe ſubjecta; attamen cum iſtorum diſgregatione ſemper eſt conjuncta illa ad excitandam Febrem, quàm alia principia, ideò illud primò & principaliter inter cauſas Febriles enumeratur. Cum diſgregatione aliarum partium ſanguinis contingere ſemper illam partium calidarum, convincitur ex hoc quòd diſgregatio, cùm ſit quædam ſeparatio unius partis ab alia, ab aliqua cauſa interna vel externa, ſequitur etiam particulas illas, quæ natura ſua ſunt magis tenues, agiles, & ad motum promptæ, faciliùs diſgregentur, coadjuvantibus prædictis qualitatibus activitatem cauſæ, diſgregationem molientis, & quia particulæ calidæ ſunt magis tenues, agiles & ad motum promptæ, idcircò iſtæ faciliùs diſgregantur.

Hinc

Hinc eſt, quòd ſi contingat alia principia ſanguinis ad invicem ſegregari, cùm ſint magis craſſa, tarda, & ad motum parùm prompta, neceſſe eſt, quòd principium calidum ejuſdem ſanguinis ſimul ſegregetur, quia cauſa quæ potuit operari ſegregationem aliorum principiorum, quæ eſt magis difficilis, debuit exequiſſe illam, quæ eſt magis facilis, ut eſt diſgregatio principii calidi, cujus activitatem illam aliorum principiorum ſuperare quilibet comprehendet, qui conſiderabit ignis actionem cæterorum elementorum virtutibus eſſe ſuperiorem. Quapropter principium calidum diſgregatum ſolùm inter cauſas Febriles enumeratur, & in Febribus, quæ ſunt cum combuſtione, vel à combuſtione, hoc ſolum in ratione cauſæ, vel effectus concurrit, cùm nullum aliud ſit principium combuſtioni proportionatum in ſanguine, quàm illud.

VIII. Ex quo colligitur veritas ſententiæ *Hipp. lib. de Nat. hum.* in qua *determinat plurimas Febres à ſola bile*, unde *libro de hoc. in hom. ſect. 2.* in Febrium curatione *pharmacum cholagogum exhibet*, quamvis generationem earum deſcribens paulò ſuperiùs, *à bile, pituitaque oriri demonſtraverit*, unde bilem ſolam purgari voluit, ut manifeſtaret eſſe Febris principalem cauſam, qua remota Febris ceſſaret. Rationem hujus reddit *Martianus in commento citatæ ſententiæ de Nat. hum.* Et *primò*, quia humores, bile excepta, partim ob craſſitiem, partim ob naturalis temperamenti diverſitatem, Febrilem calorem primò concipere non poſſunt, unde bilis interventu opus habent, quæ cum ſubſtantia tenuis ſit, temperamentoque calido, & ſicco prædita, quotieſcumque cæterorum humorum mixtione non contemperatur, ſed ab aliis ſegregata commovetur, caloris tantùm incipit, ut illum cæteris humoribus illi aſſociatis impartiri poſſit. Quapropter quemadmodum ligna viridia, & craſſiora ignem ex ſilice extractum excipere non poſſunt, niſi tenuiore intercedente, ita humores Febrilem calorem abſque bile, concipere non poſſunt, licèt ad Febris generationes concurrant, tamquam cauſæ, Ideò Febres plurimæ, à bile dicuntur, Unde patet etiam ratio, cur *Hipp. in Feb. à pituita cholagogum exhibuerit*. Et quia Febres ab humorum diſgregatione fieri docet, quomodo eis diſgregatis Febris non accendatur, ſed à ſola bile, inferiùs oſtendit dicendo, *diſgregatione in humoribus facta, bilem Febrem ſolam excitare poſſe;* nam ex propria natura adeò calida eſt, ut quotieſcumque cæterorum admixtione non contemperatur agitata, adeò incaleſcit, ut proximiora quæque accendere poſſit, cæteri verò humores, cùm ſegregantur ab invicem, exceſſum aliquem in corpore inducunt quidem, & qui morbum facere aptus eſt, quia, ut *ſuperiùs dicebat Hipp.* neceſſe eſt cùm quid horum ſecretum fuerit, & per ſe ſteterit, non ſolùm eum locum unde ſucceſſit morbidum fieri, ſed etiam eum in quo ſtat, & in quem ob nimiam copiam diffuſum eſt dolere, & morbo vexari: Febrem tamen excitare non poſſunt, non enim à diſgregatione incaleſcunt quemadmodùm bilis, imò refrigerantur potiùs, quia eorum natura frigida eſt, quæ maximè tunc viget, quando à calidis humoribus diſgregatur, neque vult diſgregatis cæteris humoribus bilem commixtam, & reliquis contemperatam manere, quia cùm ſit lentiſſima, ad motum ipſius humoris conturbari neceſſe eſt, contrarium eveniente in cæteris humoribus, qui bile commota poſſent otiari, propter eorum craſſitiem. Ex quibus in omni Febre bilis diſgregationem, & commotionem haberi concludit. *Martianus*. Unde etiam Febrium cauſam eſſe deducit, convenientibus cum eo Recentioribus, *juxta dicta ſuperiori capite*.

IX. Hunc modum generationis Febrium debet admittere *Sylvius*, dum Febres ad humorum diſgregatione recipit, ut oſtenſum fuit *cap. 6. num. 22.* cùm aliter explicari non poſſit: Febrem cum combuſtione fatetur, quando in corde partes igneas, à nimia efferveſcentia ſeparari docuit, *lib. cit. cap. 26. num. 22.* Et à combuſtione, Febres generari demonſtravit, quando loquendo de intermittentibus, illarum calorem cor afficientem, bili efferveſcentiam cum diffuſione calidæ ſubſtantiæ in tenui inteſtino tribuit.

X. Diſgregationi, & exaltationi principii ſulphurei, affinis eſt efferveſcentia ſubtilis, & ſpirituoſæ portionis ſanguinis quæ nec eſt combuſtio, neque putredo, ſed mera ebullitio, Febris ephemeræ fundamentum, cujus modum agendi exarat *Vvilliſ. cit. lib. cap. 8.* dicendo, *hæc enim* (loquitur de parte ſpirituoſa ſanguinis) *inſtar ſpiritus vini, de levi quavis occaſione ebullit, & fervorem concipit, à nimio corporis motu, aut animi perturbatione, à calore ambiente, puta Solis, aut æſtuarii, à calidis intrò ſumptis, prout vini potu, ciborum piperatorum eſu, & ſimilibus irritata. Etenim ſpiritus cruoris facilè excandeſcunt, & impetuoſiùs commoti non ſtatim ſedantur, quin alias ſanguinis particulas exagitent confundant, & in motum rapidiorem, & inordinatum compellant, etiam ab hoc ſpirituum motu ſulphur, ſeu ſanguinis pars oleoſa, magis excoquitur, aliquantulum plus diſſolvitur, & in corde non nihil uberius accenditur, unde calor intenſus in toto corpore. Quatenus verò ſulphur per minutas ſolùm partes*, & *non per totum excaleſit, & inflammatur iſte ſpirituum fervor, brevi compeſcitur, & ceſſat, quare Febris quæ hoc ritu ſuſcitatur, plerumque intra viginti quatuor horas terminatur, ideòque ephemera dicetur, Quòd ſi ob majorem ſanguinis ſpirituoſi æſtum diutiùs prorogetur, rarò triduum excedit, diciturque ephemera plurium dierum, ſive ſynochus non putrida*, qui cum *Gal.* aſſeclis, unitate voti loquitur qui efferveſcentiam in ſpiritu concedunt, & ab hac Febrem oriri ephemeram, vel ſynochum imputrem, ut videre eſt *cap. 3. num. ult.* cum ſola diſcrepantia ſæpiùs inculcata prioritatis efferveſcentiæ & caloris, dum *Gal.* addicti à ſpiritu efferveſcente calorem cordis in igneum, qui eſt Febris eſſentia per eos mutari volunt, ſubſequente poſtea neceſſariò majori efferveſcentia ſpiritus, & totius ſanguinis. *Vvilliſ.* verò exiſtimat à ſpiritu æſtuante diſponi ſanguinem ad accipiendam inordinatam efferveſcentiam, in qua eſſentiam Febris fundat, excitato poſtea ab hac calore igneo, Nec à *Vvilliſ.* diſcordat *Sylvius lib. cit. cap. 28. de Febre diaria agendo*.

Ex dictis hucuſque de modo agendi extranei, & principii exaltati, manifeſtum evadit primum ſubjectum influxus prædictarum cauſarum eſſe ſanguinem, & ex iſtius alteratione Febrem excitari, ſi alteratus efferveſcat. Hinc eſt quòd in omni Febre, primò eſt efferveſcentia ſanguinis, ex qua calor ambo naturæ ſuæ limites excedentra: *Per cor circulans ſanguis* prædicto modo efferveſcens à calore cordis magis efferveſcit præternaturam, cum detrimento proprio, & totius, & in hac efferveſcentia fundatur eſſentia formalis Febris, ubi præcedens à cauſis Febrilibus immediatè in ſanguinem derivans, eſt tantùm diſpoſitio ad hanc, vel cauſa per quam in corde major excitetur. *Ab efferveſcentia majori in corde*, calor etiam intenſius excitatur effectus illius, & Febris accidens inſeparabile, non eſſentia, ut Antiqui, ab hujuſmodi calore ille cordis incrementum ſuſcipit, Quæ omnia planè concordant cum dictis ex antiquorum ſententia, *cap. 8. num. 3. 4. 5.* excepta ſemper prioritate efferveſcentiæ, caloris quæ diverſimodè ab utraque parte ſtatuitur.

XI. Remanet conſiderandus modus quo ultima cauſa à *Vvilliſio* aſſignata Febrem excitat, nempè coagulatio, quam putredinem involvere oſtenſum fuit *cap. 6. num. 31.* Hujus cauſæ actionem & influxus dilucidat *Vvilliſius lib. cit. cap. 19.* ſcribendo, *quare in hujuſmodi Febribus, duo ſunt in primis notanda, ſcilicet ſanguinis efferveſcentia, & malignitas huic conjuncta, quarum hæc modò, modò illa eſt potior. Efferveſcentia ad eumdem modum peragitur ac ſuperiùs de putredinis dictum eſt, nimirum, pars ſanguinis ſulphurea ſupra modum incaleſcens, fervore ſuo velut incendium concipit inter deflagrandum, materiæ aduſtæ copiam ingentem in cruore accumulat, à cujus ſub actione, & ſecluſione; ſolito Febrium more ſtatus & criſis dependent, ſuper his verò ſanguis, venenato quodam miaſmate infectus, inter deflagrandum, ratione fermenti maligni, per partes coagulari & putreſcere incipit, quare præter uſitata Febris vulgaris ſymptomata, propter ſanguinis portiones quaſdam congelatas, aut necroſi affectas ſyncope, & ſpirituum dejectio, nec non macularum ac ſtigmatarum apparentiæ ſuccedunt.* Hæc duo admittit *Sylvius cap. 33. cit. lib.* & quod ad efferveſcentiam, colligitur ex ſequentibus verbis *ſub num. 6.* habitis, *in malignis Febribus obſervatur plerumque horor levis præcedere, ipſumque calor mox ſubſequi, rarò quidem magnus, ſæpiùs mitior, adeòut de ipſo vix ſoleant conqueri ægri;*

ægri, pulſus frequens quidem eſt, eſt ſimul parvus, & debilis, calorem quandoque præcedere effervescentiam, & etiam illius cauſam eſſe, demonſtravimus ex *Sylvio capit. numer.* 17. Pulſus frequentiam prædictæ effervescentiæ comitem eſſe docet *capit. 26. num. 19. citat. lib.* ita loquendo *frequens pulſus agnoſcit pro cauſa, vel ſummam ſanguinis rarefactionem, itaut ſola pulſus magnitudine ſatis excipi nequeant, vel in mediocri ſanguinis rarefactione, arteriæ duritiem, unde ibi frequenti pulſui conjectus eſt magnus, hic parvus, vel quidvis aliud cor ad ſui contractionem crebro vellicans*. Putredinem in Febre maligna adeſſe per eundem *Sylvium* demonſtratum fuit *capit. 6. num.* 34. & 9. A putredine omnia ſymptomata Febris malignæ dependere expreſſit *cit. cap. 23. num.* 7. his verbis, *judico malignarum Febrium cauſam, ſi non ſemper, ut plurimum ſaltem, ſal eſſe tum volatile, tum acre, quod glandularum liquorem ſubacidum concentratione noxia enervet, atque inertem invalidumque præſtet, unde ſanguinis conſiſtentia naturalis minuatur, ac proinde ejuſdem rarefactio eludatur* (hæc putredinem ſanguinis ſignificant, factam à corrodente ſale acri, uti *Vvillis.* coagulans admittit, in diſſolutione tamen ſanguinis conveniunt, & coagulans *Vvilliſii* poteſt etiam eſſe acre, quia ex diſſolutione partes craſſiores ſimul coeundo coagulantur. Quòd aperte recepiſſe videtur, quando *cap. 12. cit. lib. de veneni actione loquendo*, ait, *liquorum mixtiones ſolvit, coagulationes, & corruptiones inducit*) & ſal acre Sylvii coagulans eſt, dum experientia patet aqua forti ſanguinem recenter extractum coagulari. Qui non raro animalium ſpirituum ſecretio impediatur, hinc & reliqua ſymptomata producantur, inter quæ enumerat macularum apparentiam, & corporis languorem, quæ à ſpirituum reſolutione, & ſanguinis coagulatione dependent.

XII. Quæ ſi conferantur cum eis quæ dicta ſunt *capit.* 8. ex ſententia. *Minadoi num.* 7. omninò conformia inveniemus, dum hic à calore putredinali ſanguinis effervescentiam, & ſpirituum reſolutionem, caloremque Febrilem à putredine deducit.

XIII. *Quomodo urinæ ſanis ſimiles in Febribus malignis fiant*, rationem reddit *Vvilliſ. tract. de urin. cap.* 6. dum ait, *in cauſa eſt, quòd in iſtis morbis nonnunquam ſine magna effervescentia ſanguis ſenſim, & velut tacitè corrumpitur, adeoque licèt coagulatione aut necroſi liquor afficiatur, qui tamen non eodem tempore inaniter deflagrans, materia aduſta velut cinerum congeriem facit, ſerum à ſolita craſi, aut tenore parum aut minimè alteratur, perturbatio quidem ſanguinis immoderata urinas turbidas faciet, dum partes ſimul confunduntur, & craſſæ aduſtæ cum aqueis permiſcentur, illa verò remota, ſola putredine dominante fit partium ſeceſſio, & ſic ſerum quale eſt in ſe ſeparatur*, ſecum ſolum trahens ſulphuream, & ſalinam illam partem quam membra abluendo imbibit. Quæ ratio nullatenus repugnat fundamentis ſententiæ determinantis, Febres malignas à putredine ſola, imò illis maximè cohæret.

CAP. X.

De Differentiis Febrium.

I. COmmuniter Antiqui *Gal.* conſilio *in lib.* I. *de differ. Feb. cap.* 1. Febrium differentias primo, *in eſſentiales, & accidentales diſtinguunt.*

II. *Eſſentiales* in triplicem differentiam ſubdividunt *Primò* à ſubjecto Febris, *Secundò* à modo inhæſionis, *Tertiò* à dependentia, vel independentia ab aliis morbis, ex quo *ſymptomaticas* deducent, quæ à morbo dependent, & *primarias*, quæ independenter à morbo exiſtunt.

III. *Quæ à ſubjecto* deſumitur, *tripliciter dividitur*, juxta triplicem ſubjecti differentiam totum corpus conſtituentis, & ſunt *partes, humores, & ſpiritus*, quæ ab *Hipp. contenta, continentia, & impetum facientia* dicuntur, & quæ in quolibet membro & organo reperiuntur, ſic *in corde triplex* hæc *ſubſtantia* conſideratur, *primò ſolidum illud*, quòd manu tractamus, *ſecundò humores*, qui ſunt in ventriculis, *tertiò calidum innatum, & influens*, quòd per ſolidam, & cavitates ſub ſpiritus forma diſpergitur, & cujus beneficio perpetuum habet motum, & calorem ſingulis membris communicat, & quia *cor eſt caloris Febrilis focus*, pro diverſa ejus ſubſtantia præter naturam excalefacta, diverſa Febris differentia reſultat: *à ſpirituoſa incendio affecta* fit *ephemera*, ab *humorali fit putrida, ſeu humoralis*, à *ſolida Hactica*, & quamvis ex omnium teſtimonio non poſſit calor Febrilis in una ex dictis ſubſtantiis accendi quin cæteræ incaleſcant, nihilominus Febris ſubjectum dicitur illa, quæ primò Febrili accenſione deflagrat, & in qua ceſſante in omnibus aliis partibus deficit.

IV. Has omnes differentias admittunt Recentiores, dum *Febris ephemeræ, putridæ, & hacticæ* eſſentiam, cauſas modumque curationis per diſtincta capita indagant, & docent, cum antiquis *Ephemeræ ſubjectum ſpiritus accenſos* determinando ut *Vvilliſius libr. citat. cap.* 8, & clariùs *capit. 7. ſub finem*. Idem concludit *Sylvius lib. cit. cap.* 28. diariam conſtituentia calore ſanguinis, & corpis in præternaturam degenerante; Ex ſanguine venæ excalefacto Febres ephemeras fieri docet *Cæſalpinus lib. quæſt. medic.* 1. *quæſt.* 7. quem ſequitur *Hoffman. in Apolog. pro Gal. lib. 2. par. 2. ſect. 11. cap.* 281. nec in cauſis diſcoveniunt, dum *Gal.* 1. *art. curat. ad Glauc. capit.* 2. & 5. *de ſanit. tuen. cap.* 1. & *Avic. par. 4. tract. 1. cap.* 1. à cauſa procatarctica oriri concludunt, & idem ſentiunt *Vvilliſius* & *Sylvius* citatis locis, & quo ad concordiam in cauſis humoralis Febris, patet ex dictis ſuperiùs, quoad hecticas patebit ex dicendis *cap. ſequenti*.

V. Differentiam à modo inhæſionis caloris Febrilis concipiunt, ex hoc quod hic inhæreat ſubjecto, vel tamquam habitus & ſubjectum, tunc dicitur in calefacto eſſe, quia ſine cauſa fovente calor in eo conſervatur, ideoque difficilis eſt extinctionis, & in hac differentia comprehenduntur hecticæ: vel tamquam habitudo indigens cauſa fovente pro ſui conſervatione, ideoque non difficilis ablationis, quia ſuperata, & devicta cauſa fovente calor extinguitur, & in harum numero ponuntur ephemera, & putrida, & quæ ab humorum combuſtione proficiſcuntur. De hac differentia non ſunt locuti recentiores quia tamen peculiarem non ponit differentiam, diſtinctam ab illis *ſuperiori numero deſcriptis*, & à Recentioribus admiſſis, ideò non poſſunt dici ab Antiquis diſſentire.

VI. *Tertia differentia*, per quam Febres in *primarias & ſymptomaticas* diſſecantur, adnotatur à *Gal.* 4. *aphor.* 73. & 7. *aphor.* 22. laudando veterem conſuetudinem, qua Priſci ſolebant illam Febrem tantùm appellare, quæ ſola eſſet abſque inflammatione, aliove tumore calido: inflammationem autem cujuslibet partis cui Febris jungebatur, ſuo tantùm nomine exprimebant, phrenitidis V. F. Pleuritidis, nulla Febris facta mentione. Idcircò *Gal.* 1. *ad Glauc. cap.* 3. *Febrem facit duplicem, quarum altera fit ab humoribus, adhuc in vaſis concluſis, altera ab inflammatione, humoribus extravaſatis illam* 4. *aphor.* 66. & 6. *aphor.* 44. *Febrem morbum nominat, hanc Febrem ſymptoma*, non quia ſit eſſentialiter talis, quia omnis Febris eſt morbus, ſed quia ſicuti morbus morbum excipit, & cauſat cum tali influxu, ut illo ablato, iſte auferatur, tamquam ſi eſſet ſymptoma, ideò ad ſimilitudinem talis dicitur, non per eſſentiam. Ita Febris conjuncta inflammationi dicitur ſymptoma, ad ſimilitudinem ſymptomatis; nam ſicuti hoc debet ſuum eſſe morbo, atque conſervari, ita Febris inflammationem ſequens, cum ab ea dependeat in eſſe, & conſervari, & ejus cura in inflammationis ablatione conſiſtat, dicitur per ſimilitudinem ſymptoma.

VII. Ab hujuſmodi differentia non diſcedunt Recentiores, *Vvilliſius* enim, *cap.* 11. *cit. lib.* de his agit, & *Sylvius*, licèt apertè Febres ſymptomaticas non nominaverit, illas tamen implicitè deſignavit *capit.* 40. *cit. lib. num.* 15. ubi agendo de ſanguine inflammationem pariente, vult illum incendi, effervescentiamque calidam pati, demum corrumpi, & in pus converti, quæ ſine Febrili exardeſcentia evenire non poſſunt. Scio aliquos recentiores, inter quos *Van. derlinden, in lib. Pathol. exiſtimare omnes Febres ſymptomaticas*, quia

quia ſemper originantur à morbo in ſanguine prius reſidente: non poteſt enim Febris accendi niſi ſanguis malam contrahat diſpoſitionem, quæ cùm fit in parte vivente, & laudat operationes illius, vitam & animam habentis, morbi nomen meretur, & huic ſententiæ *Fernel.* proximus fuiſſe videtur, dum 4. *Pathol. cap.* 2. *omnes intermittentes ſymptomaticas vocavit*, & omnes qui ſanguinem animatum tenent, cogerentur hoc fateri, ſi diſpoſitio prava ſanguinis præcedens Febrem, ſanguinis actiones & operationes ſenſibiliter læderet, at quia ſimilis læſio ſenſibus non manifeſtatur, ideò diſpoſitio Febrem præcedens, non dicetur morbus, ſed cauſa morbi.

VIII. *Accidentales Febrium differentiæ deſumuntur, à motu, magnitudine, & more, Febri conjunctis.*

IX. *Quoad primum, à motu* diſtinguimus *Febrem, in continuam, & intermittentem*, prima habet calorem ab initio uſque ad finem, ſecunda intermiſſione gaudet, & per aliquod tempus calor omninò ceſſat, eo redeunte per determinatos, & æquales paroxyſmos uſque ad integram ſolutionem, & *hæ ſunt ſimplices vel compoſitæ, ſimplices ſunt in triplici differentia, alia eſt quotidiana*, cujus paroxyſmus quotidie revertitur, *alia tertiana*, cujus acceſſio de tertio in tertium affligitur, *alia eſt quartana*, quæ de quarto in quartum, novos habet acceſſus: *Compoſitæ vel ſunt in eadem differentia*, ut quando tertiana conjungitur cum alia tertiana, *duplex tertiana efficitur*, & quando quartana cum una vel duabus quartanis conjungitur, & *quartana duplex*, vel *triplex reſultat*. Si Febres in diverſa differentias exiſtentes conjungantur, & tertiana cum quotidiana, vel quartana, *Hemitriteus* advenit.

X. Has omnes differentias ſecutus eſt *Sylvius libr. citat. capit.* 30. *numer.* 6. quo ad intermittentes, cum continuas, & continentes explicaverit, *capit.* 29. ſicut *Vvilliſ.* ſpeciatim agit *de intermittentibus capit.* 45. & 6. & *de continuis capit.* 9. & 11. & *de intermittentibus compoſitis egit capit.* 3. *citat. libr. de Febr.* & has ultimas admittit *Sylvius libr. citat. capit.* 27. *numer.* 15. 18. & 31.

XI. *magnitudo conſtituit aliam differentiam*, & quamvis alia ad quantitatem pertineat, ad qualitatem tamen extendunt medici per proportionem, & ſimilitudinem. *Magnitudo* in Febribus, ſicuti in aliis morbis *deſumitur, vel ab eſſentia, vel à parte affecta, vel à more. Ratione eſſentiæ*, Febris dicitur *magna* ob excedentem calorem, qui eſt ei eſſentialis, *ratione partis*, omnis Febris eſſet dicenda magna, quia in omnibus cor, pars adeo vitæ neceſſaria, & inter cæteras principatum obtinens afficitur, attamen quia aliquando affectio eſt levis, ut in ephemeris, & intermittentibus, ideò ſolùm quæ continuò illud afficiunt, dicuntur magnæ: *Amore* magnitudinem accipiunt Febres, quando malignitatem contrahunt, per quam naturam citiſſimè ſuperant.

XII. Magnitudinem Febris ab eſſentia delineavit *Sylvius citat. libr. capit.* 39. *numer.* 24. ſcribendo, *primum locum dabimus Febri, quæ ab æſtu, & ardore ſummo* maximè urgente *ardens* dicitur: *Vvilliſ.* etiam expreſſit *citat. libr. capit.* 11. ubi ait, *Cauſus, ſeu Febris ardens, ea eſt quæ cum majori æſtu, ſiti ferè intolerabili, aliiſque ſymptomatibus inſigniorem ſanguinis flogoſim arguentibus, curſum ſuum peragit*; uterque differentiam *à parte effecta* complexus eſt, dum intermittentes, & ephemeras, quæ leniter cor afficiunt, & acutas, quæ continuò, & vehementer contorquent, enumeravit. *Et à more* Febres ſummè lethales, ob malignitatem concomitantem, uterque proſecutus eſt, de Febribus malignis integrum caput compilando. Adverto tamen Recentiores, magnitudinem Febris non derivare à calore tamquam ab eſſentia, ſed à conſequente iſtam, cùm eſſentia Febrium per eos in præternaturali effervescentia fundetur, unde ab iſtius magnitudine, vel parvitate Febris magnitudo, vel parvitas, tamquam ab eſſentia eſſet colligenda, verùm quia ab iſta excedente calor proportionaliter intenditur, ab hoc tamquam à ſigno illius magnitudo denotatur.

XIII. *Alias Febris differentias cumulavit Hipp. libr.* 6. *epid. tex.* 29. ni potiùs diverſitates, & variationes nominare velis, cum *Hoffmano*, à quo totum huc uſque dictum, pro Antiquorum ſententia deſumptum fuit, *in apolog. pro Gal. libr.* 3. *part.* 2. *ſect.* 11. *capit.* 172. conſiderando actionum læſionem, & paſſiones Febrium ſequaces, unde aliquas *laborioſas*, alias *ſudorificas*, alias *anxioſas, horridas, tremulas, ſingultuoſas* appellat, vel in ordine ad tempus invaſionis paroxyſmi, unde *alias diurnas, alias nocturnas* nominat, vel reſpectivè ad qualitates corporis, vel humorum; unde *ſalſuginiſas, humectas, terribiles, rubras, pallidas, lividas diſtinguit.*

XIV. His veſtigiis pedem fixit *Sylvius*, dum à ſymptomatibus Febribus alligatis, plures differentias deſcribit *citat. libr. capit.* 30. *à numer.* 100. *uſque ad* 116.

CAP. XI.

De cauſis Febrium Continuarum, juxta Antiquorum, & Recentiorum ſententiam.

I. QUia nullus, meo judicio, inter Antiquioris medicinæ ſectatores, magis diſtinctè hanc materiam ponderavit & Illuſtravit quam *Platerus Tom.* 2. *cap.* 2. de cauſis Febrium agendo, ideò hunc pro duce elegi, ejuſque ſententiam in hac materia tamquam exemplar ad ideam medicinæ Principum efformatum proponere decrevi.

II. Antequam *Excell. Doctor* deſcendat ad eſplicandum, quomodo Febres Continuæ gignantur, præmittit *eſſentiam Febris, eſſe calorem præternaturalem*, pro cujus diverſitate diverſa pullulant. Eſt enim (ait ipſe) caloris, vel adventitius, vel naturalis, quem igneum vocant iſque vel purus & ſimplex, corpus tantùm accendens, putridas, ſeu non putridas Febres efficiens, vel impurus, & putredine permixtus, corpus ſimul inquinans, impuras, ſeu putridas Febres creans, vel malignus, & putris ſimul, vel malignus tantùm, corpus inſuper inficiens, malignas putridas, peſtilentes Febres cauſans, aut eſt inſitus, & conſtans, unde corpus calidius redditur, à quo Hecticæ Febres prodeunt.

III. Prior, & ſimplex calor; qui ſolius caloris eſt exuperantia, prius ferè in ſpiritibus, & ſanguine in venis, & arteris accenſus, atque per has vias cordi continuatas in hac materia, quæ cordi continuò infunditur, illudque alluit, cordi altius impreſſus, atque inde per conſequens ſingulis partibus communicatus Febres efficit puras, ſeu ſimplices, vocatas continuas, omnes calore ſemel accenſo non remittente, donec extinguatur, eaſque vel ſolitarias, ſine alio affectu curſum ſuum abſolventes, vel alio morbo, qui illas ſequitur, vel præcedit comitatas. Quæ varietas inde primum procedit, quòd cauſa morbifica harum Febrium, vel in vaſis permanet, vel extra vaſa profunditur.

III. In vaſis venis ſcilicet, & cæteris, ſi ſanguis accenſus ſeu inflammatus cor accendens, & Febrem ſic inducens, ad ſolutionem uſque perſiſtat, nec ex illis in alias partes effundatur, tunc prout, vel non à morbo, vel à morbo prodeunt, ſolitariæ vel comitatæ fiunt Febres.

IV. Si nullus morbus has Febres excitavit, ſed à cauſa pro cathartica initium ſumpſerint, ſanguis, ut dictum, accenſus in vaſis permaneat, tunc ſolitariæ incipient, & pro ratione caloris, plus minuſve acutæ, & breviores, cùm illarum calor die uno vel altero penitus ceſſet, quòd illis non ea ratione, ſicuti voluerunt multi, accidit, ut nimirùm ſi ſpiritus tantum incaleſcant, eodem die calor rurſus evaneſcat, ephemera: quæ tunc fiant Febres, ſi ſanguis verò accendatur, paulò longiùs calore perſeverante, ſynochi, ſi cordis ſubſtantiam occupet, diuturnæ & hecticæ fiunt. Cùm in omnibus hiſce ſpeciebus & ſpiritus, & ſanguis, quæ in vaſis confuſa ſeparatim accendi nequeunt, ſimul & unà cum illis cordis quoque ſubſtantia inflammentur, omniſque Febris, uti & morbi omnes pro ſubjecto in quo reſideant, non ſpiritus, & humores, ſed partem ſolidam habere debuerint. Sed hæc Febrium diverſitas, tùm ratione cauſæ à qua excitantur, tum ſubjecti corporis, quod

quod occupant, accidit. Ex quibus deducitur *Platerum* velle calorem primò in ſanguine accendi, & hujus medio cor inflammari, & quatenus ratione cauſæ efficacis, vel debilis magis, vel minus durat calor in humoribus, & corde, fieri ephemeras, & ſynochas imputres, & ſic ratione diſpoſitionis corporis per quam breviùs, vel longiùs calorem retinere valet, fit Febris plurium, vel uniùs diei, & ita continuas prædictarum Febrium dependet ab efficacia cauſæ, calorem pro tali tempore conſervantis, & à diſpoſitione corporis habilitati ad calorem magis vel minus conſervandum.

V. Ex his à *Platero* deſcriptis, apparet in ephemera, & ſynocha imputri ſpiritum ſolum æſtuantem non admittere, ſed totum ſanguinem prout alii determinaverunt, nec admittere ſanguinem & ſpiritus pro ſubjecto Febris, ex eo quod non ſint animati, & ejus rationi quòd ſubjectum morbi & Febris non ſint ſpiritus & humores, Reſpondet *Cæſalpinus lib.* 1. *quæſt. Medic.* 6. quod ſubjectum morbi & Febris, non ſolùm ſunt partes ſolidæ, & viventes, ſed etiam fluidæ, quæ uſum ad vitam præſtant, & cum eo *Hoffmannus lib. cit. ſect.* 11. *c.* 263. Altimarus 1. *de Feb. cap.* 12. Maſſar. *Quinto de Febr. cap.* 1. Sennertus 1. *de Febr. cap.* 4. cum allis citatis *cap.* 2. *num.* 57. & clarior poteſt deſumi reſponſio *cap.* 2. *num.* 42. unde deducitur utramque ſententiam inter *Galen.* ſequaces fautores inveniſſe.

VI. Ad hujus mentem loquitur *Vvilliſ. lib. de Feb. c.* 8. cùm inter cauſas ephemeræ procatarticas, & diſpoſitionem corporis recenſeat, dum ait, *eas ſolent inducere labor immodicus, vigilia, paſſio animi ſubita, pororum conſtrictio, & crapula*, & ſuperiùs enumeravit motum corporis, calorem ambientis, & poſtea addit, *quæ ad has diſponunt, ſunt tempries calida corporis, habitus athleticus, vita ſedentaria, & exercitii deſuetudo*. Ab his cauſis totum ſanguinem incaleſcere concedit, ſed cum hac differentia, quòd ſpirituoſior pars illius excandeſcit, & impetuoſiùs commovetur, ſulphurea verò tantùm incaleſcit, & per minutas ſolùm partes, non in totum, unde totus ſanguis accenditur, & in hoc omninò ſimilis eſt *Platero*. Ab hæc accenſione ſpirituoſæ ſubſtantiæ, & calefactione ſulphureæ, calorem cordis augeri denotavit *Vvilliſ.* quando dixit, *etiam ab hoc ſpirituum motu ſulphur, ſeu pars ſanguinis oleoſa, magis excoquitur, aliquantulum plus diſſolvitur, & in corde non nihil uberius accenditur*, ab accenſione verò ſanguinis in corde illius calorem augeri oſtenſum fuit *præcedenti cap. num.* 4. 10. quamvis *Vvillis.* eſſentiam harum Febrium, non in calore, ſed in effervescentia innordinata ponat, continuitatem verò unius, vel plurium dierum deducere à cauſis procatarcticis, & à diſpoſitione ſanguinis cum *Platero* colligo, ex illis verbis, *quod ſi ob majorem ſanguinis ſpirituoſi æſtum diutiùs prorogetur, triduum rarò excedit, æſtus verò ſit major in ſanguine, & efficacia cauſæ calefacientis, & ab innata diſpoſitione ejus. Sylv. à procatarticis cauſis ephemeram agnoſcit lib. cit. c.* 28. neque excludit diſpoſitionem corporis pro breviori, vel longiori duratione, & pro aliis ſymptomatibus, dum *n.* 14. ait, *omnia Febrium diariarum ſymptomata, pro memoratarum cauſarum corporiſque continentis, tum præſertim contenti, hoc eſt humorum multifariorum conſtitutione varia non parum variare ſolent*. Calorem in ſanguine accendi cum *Platero* docet unde poſteà deducitur, ab hoc calorem cordis accendi, præcedente effervescentia.

VII. Animadvertendum autem eſt, cauſam externam, ſicuti diſpoſitionem corporis, ita debere eſſe conſtitutas, ut ad unum, vel tres dies ad ſummum, calorem in corde & ſanguine introducant, & conſervent, & ſi hos exceſſerint ex ephemera, & ſynocha, aliud Febrium genus provenit.

VIII. *Ephemeras Febres. ſymptomaticas Platerus admittit*, quæ à morbo calorem effundente originantur, excalefacto in primis ſanguine magis vicino parti cui inhæret, atque inde continuatione actionis calefacientis, tota maſſa ſanguinea per partem poſt partem accenſa, ejus intermedio cor accenditur, & Febris fit. In quo ſequacem habet *Vvilliſium* qui *citat. lib. cap.* 8. Febres ephemeras à bubone, vulnere, & à lactis in puerperis proventu recipit, nec alia ratione ex prædictis Febrem provenire arguere poſſumus, *Vvilliſ.* fundamentis inſiſtendo, quàm aſſerendo ſanguinis effervescentiam prædicta inducere, ex qua calor major accenditur, qui poſtea intenſionem caloris cordis efficit, dum ſanguis per illud circulatur, & in eo magis effervescit.

IX. Calor putredine permixtus, in putreſcentibus humoribus, vel corporis partibus excitatus, atque inde cum exhalatione putri, vel aliqua putredinis portione, ad cor uſque delatus, illudque putri calore accendens, & à corde in ſingulas partes corporis effuſus, Febres facit putridas dictas, quarum continuitas habetur, ex eo quòd in ampliſſimis vaſis per univerſum corpus diſperſis, quales ſunt venæ, & arteriæ magnæ, humor putreſcat, cui per dicta vaſa, in quibus latet, ad cor aperta ſemper patet via, aſſiduò putres vapores, vel ipſius quoque putridi humoris portiones demandans, à quibus continuò etiam cordis calor accenditur, in hoc perſeverando donec putridæ exhalationes, vel materia putrida deficiat. Pro putredinis loci diverſitate vult *Platerus* Febres variari, non tantùm ſecundùm diverſas differentias, ſed etiam ſecundùm modum continuitatis; nam putredo vicina cordi in trunco venæ cavæ ſurſum, deorſumque à cordis regione juxta ſpinam, vel in ramis majoribus circa jugulum, & inguina, cum pari vehementia his in locis cor exerceat, ipſique tum portionem materiæ putridæ, tum exhalationes continuò demandet, Febres quæ nullo ordine exacerbantur, quales ſynochos eſſe diximus, procreat, & ſi ſanguis qui putreſcit, augetur, vel minuitur, vel aliquandiu æqualis perſiſtit, fit Febris quæ vel decreſcit, vel creſcit, vel in eodem ſtatu permanet, in continuitate tamen ſemper permanens. Et in Cauſone, quia focus illius cordi propinquus, illud quoque æquali igne continuò flagrat ſine ulla mutationis apparentia, præſertim cùm ad ſummum progreſſus calor amplius intendi non poſſit, niſi quod æger intenſum calorem percipit circa cordis regionem, & continuitas hujus Febris eſt ferè ſemper cum eadem caloris intenſione, præterquam in declinatione.

X. Diſtans non nihil à corde putredo in venæ cavæ ramis, quia cor pari impetu, uti ea quæ cordi propinqua eſt non pulſat, idcircò Febres, quarum calor non ſemper idem exiſtit, ſed quæ ſuas habent exacerbationes, ſeu paroxyſmos gignit, variata, per paroxyſmos continuitate, quæ obſervatur in Febribus nulla acceſſione interruptis, quia exhalatio putris, cujus focus procul abeſt, ob viarum ambages non nihil impedita, non poteſt eadem menſura ſemper, & ordine ad cor perferri, unde cum majori copia coacervata ad cor potentius fertur, illudque validius pulſat, calore aucto exacerbationes novas cauſat, non tamen cum horrore, diſcuſſa tamen paulatim materia Febris remittitur, & nova accedens Febrem renovat antequam præcedens ſit extincta, varias in continuitate ſubiens mutationes intenſionis & remiſſionis, juxta materiæ quantitatem majorem vel minorem.

XI. A diverſitate ſanguinis variari Febres putridas contendit *Platerus*, non eo quòd modò accendatur bilis, pituita, vel melancholia, ſanguineæ maſſæ partes, quia cùm ſint ita per minima ſimul confuſa, non poteſt una portio dictarum partium accendi, vel putreſcere, quin altera portio partis diverſæ ſibi conjunctæ accendatur, vel putreſcat, unde impoſſibile eſt Febrium diverſitatem ſecundùm varias differentias, & continuationem habere à prædictis partibus, & putat in ſanguinis diverſitate Febrium varietatem poſſe reperiri: Prout is temperatus, vel intemperatus extiterit.

XII. Temperatus ſanguis nullo vitio, niſi fortè copia peccans, ſi putreſcat, Febres efficit ſynochos dictos putridos, nullas exacerbationes habentes niſi quatenus calor in iſtis augeri, vel minui poteſt, quia ſanguis ob ſui æqualitatem in putredine, & ob eamdem viciniam cum corde, hoc pari impetu ſemper ferit, & æquali calore accendit, ex quo æqualis continuitas, præter augmentum, & declinationem, ſi verò intemperatus ſit, antequam putreſcat, neceſſe eſt calidiorem eſſe, quam in ſtatu naturali extaret, cùm frigidior ad Febres procreandas ſit ineptus, idcircò ſi ſanguis antequam putreſcat, ſummè calidus extiterit, & caliditati tenuitatem conjunxerit, quando putreſcit magnum parit incendium, eoque majus adhuc, ſi in loco cordi vicino putreſcat, quibus cauſis concurrentibus Febres fiunt cauſones; cùm æſtu immenſo, & cum continuationis æqualitate.

Ita ex loci, & ſanguinis diverſitate, Febrium differentiam, & continuationis modum ex *Platero* habemus, quæ valet etiam in Febribus, quæ ex ſua natura intermittentes fiunt continuæ per ſubintrantiam paroxyſmorum, ſi focus putredinis in venis inter minimas & maximas mediis extiterit, vel ſi in remotis, & minoribus, in tanta quantitate tamen materia putreſcat, ut continuatim putredinis exhalationibus, calorem cordis intendat, donec materia altera putreſcat, novum efficiens paroxyſmum, tunc Febris quæ intermittens erat fit continua.

XIII. Quæ de loci putredine ingenioſiſſimè docuit *Platerus* in vaſis magnis, admiſſa circulatione ſanguinis, non ſubſiſtunt, quia in iſtis ſupponit humorem putridum firmari, & ejus motum impediri, & circulationem prohiberi, quod utique in vaſis magnis contingere non poteſt, niſi cum ſubita vitæ extinctione, & ſi movetur, non habemus ampliùs majorem, vel minorem proximitatem permanentem humoris in illis putreſcentis cum corde, dum circulari motu ſanguis, cordi modò fit proximus, modò remotus, idcircò videtur ſolùm ſubſiſtere fundamentum in ſanguinis diverſitate poſitum, qua propter diverſitas Febrium, & continuitas, quæ à foco putredinis à corde diſtante petitur, aliò deſummenda venit. Et ejus principiis inhærendo, circa Febres quæ exacerbationes habent ſine horrore, videntur accipi poſſe à materia, quæ de novo putreſcit, unde & Febris exacerbatur, quæ poſtea ab eodem calore Febrili diſſipata minuitur, & nova addita redit exacerbatio, hocque eſſe conforme doctrinæ *Plateri* colligitur ex dictis *ſuperiori num.* 10.

XIV. Et continuitas Febrium, quàm à putredine in vaſis magnis cordi proximis deſumit, aliter explicanda venit, admiſſa circulatione ſanguinis, qua tollitur continua, & ita ſtabilis permanentia humoris putridi in iſtis vaſis, *ut ſuperius dictum eſt*, nec melius explicari poſſe credo, quàm continuitatis cauſam in univerſalem ſanguinis alterationem refundendo, per quam continuò cordi demandatam, continuam caloris intenſionem in eo peragat, & pro hoc facit conſideratio cauſæ externæ putredinis, quam proponit *Platerus*, & dicit eſſe calorem præternaturalem ſanguinis, vel ejus vitium: calor ſimplex præternaturalis ad igneum redactus in ſanguine, ephemeras accendit, qui ſi ſponte non remittit, aut vehementer refrigerantibus remediis reſtinguatur, tunc ſicut in aliis partibus ſuper calefactis, & inflammatis, non diſcuſſa inflammatione, ſuppurationem aliquam, vel in ſanguine, vel in partium quoque ſubſtantia fieri videmus, ita & hic maſſa ſanguinis labem aliquam, & corruptionem, ex diutiùs perſeverante calore concipiens, Febrem non jam à calore ſimplici, uti ab initio, ſed cum putredine copulato productam parit. Ex quo habetur ratio tranſitus ephemeræ, & ſynochæ imputris in ſynocham putrem, & commutatio ſimplicium in putridas, & ratio continuitatis à calore ſanguinis ſimplici, vel putrido continuò cor accendente.

XV. Sanguis vitioſus, qui vel innata jam habet ſemina putredinis, vel ſaltem ad putredinem aptus, ſi vel copia ſua, vel impuritate, eo uſque progreſſus eſt, ut jam non ampliùs à natura regi, emendarive queat, tunc putreſcens, Febres putridas diverſas pro loci, materiæque putreſcentis varietate creat. Unde deduco, ſi à calore Febrili, & putrido accenſo in portione ſanguinis, in venis, vel arteriis contenti, altera portio ſanguinis aliqua labe intemperiei, vel alterius pravæ qualitatis à præcedenti calore, contracta, vel ſui generatione inſita, quotidiè ad putredinem deducatur determinato ordine & menſura, determinatas etiam & ordinatas efficiet Febres, cum nova accenſſione; In eis verò Febribus quæ nullas habent acceſſiones, & ad multos dies extenſæ in eodem tenore perſeverant, dicendum eſt, ab effervecentia univerſi ſanguinis, vel combuſtione provenire, qui per cor circulando, cùm ſemper ſit ſibi ſimilis. Febrem etiam in eodem ſtatu perſeverantem facit. Neque hoc erit contrarium fundamentis *Plateri*, ſi pro putredine combuſtionem intelligamus, prout intelligit *Gal.* multoties combuſtionem, cum putredine confundendo, & ita habebimus quomodo una parte ſanguinis excalefacta, & effervecente, vel combuſta, & incendio flagrante, totam maſſam ſanguinis effervecere, & comburere faciat, ſerpente calore in una parte accenſo, eo modo quo ſcintilla in acervum materiæ combuſtibilis cadens, totam materiam accendit.

XVI. *Vvilliſ.* cauſam continuitatis Febrium inquirendo *lib. de Feb. cap. 7.* ait *ſecundus efferveſcentiæ gradus eſt, quando pars ſulphurea, ſeu oleoſa ſanguinis, nimis excalefacta fervorem concipit, tunc enim immodicè, & in vaſis efferveſcit, & plurimum in corde accenſa deflagratione ſua, calorem valdè intenſum in toto corpore producit, equidem ſanguis quoad temperiem ſuam à conditione ſulphuris maximè dépendet: quando ob cruditatem ſulphur minùs diſſolvitur, fit cruor aquoſus & frigidus, ac in vaſis pigro movetur: ſive ultra craſim naturalem ſanguinis pars ſulphurea ſeu oleoſa incaleſcat ſtatim effera, & improportionata cum cæteris evadit, itaut, ferè tota à cordis fermento, velut inflammam acta ſanguinis maſſam immodicè efferveſcere, & ebullire cogat. Quemadmodum enim vina face opulenta prædita, à ſulphure nimis rancido in fervorem concitantur, aut veluti fœnum nimis madidè repoſitum, ob ventilationis defectum, particulis ſulphureis à mixtione ſolutis, ſponte incendium concipit, pariter cùm ſanguis non ritè ventilatur, quin ab evacuatione cohibita propter rei non calidæ admixtionem, vel hæmatoſim, aut aliam ob cauſam* (has omnes cauſas recenſet *Platerus loc. cit.*) *ſulphuris particulæ denſiùs agglomerari incipiunt* (hic eſt calor qui conſideratur à *Platero* in ſanguine, antequam putreſcat, ſeu comburatur, ut dictum eſt *num. præcedenti* 11.) *Statim totus ejus liquor à ſulphure ſoluto, & in corde inflammato* (ecce communicatio immediata humoris putridi ſeu combuſti cum curde, quam deſiderat *Platerus* in Febribus continuis, *ut num. præcedenti 9.*) *immodicè ebullit, & ejuſmodi Febris inducitur, quæ ſynocchus putrida vulgò nominatur* (ecce ratio formalis Febris, efferveſcentia nempè, à qua poſtea calor cordi impertitur, ut voluit *Platerus*, & dictum fuit *num. præcedenti 9.*) *quæ tamen appellatio à pluribus rejicitur, eò quòd ſanguis, quamdiu in motu eſt, minimè patreſcat, quatenus tamen in hac Febre ſulphure nimis exaltato ſanguinis mixtio non nihil ſolvitur, ejuſque liquoris maſſa à craſi naturali immutata, verſus putredinem tendit, ideò Febris putridæ vocabulum, prout antiquitùs inoleuit, adhuc bona cum ratione retineri poterit* (Ecce admiſſa putredo ſaltem inchoativè, vel confuſio putredinis cum combuſtione, cohærendo deductis ex *Platero, num. præcedenti* 15.)

XVII. Rationem formalem continuitatis expreſſit *cap. 9.* ubi modo dicta repetendo vel confirmando ſubjungit, *nec priùs immodica hæc ſanguini efferveſcentia ſedatur, quàm particulæ ejus activæ à mixtione laxatæ, & dein ſucceſſivè in corde accenſæ penitus deflagrent, quòd niſi plurium dierum ſpatio contingit, unde inordinata efferveſcentia in ſanguine perdurans, eſt cauſa continuæ accenſionis, & deflagrationis ejus in corde, uti Febris excitatur aucta efferveſcentia & calore.* Non diſcrepans à *Platero*, qui à calore ſanguinis: vult illum cordis intendi, cum ad ſanguinis efferveſcentiam *Vvilliſii* ſemper calor excedens reſultet, qui calorem cordis auget. Sanguinem ſecundùm omnes partes inordinatè efferveſcere, & comburi, ut de ejus putredine dictum fuit cum *Platero ſuperiori num.* 14. 15. declaravit *cap. 9.* dicendo, *cùm verò cruoris materia ſulphurea excandeſcens ſupra modum effervet: mixtionis vinculum maxima ex parte ſolvitur, ut principia ejus à fermento cordis ferè in totum diſtruantur, & particulæ activæ à mixto ſolutæ, velut inflammam erumpant, quare ſanguinis liquor, hoc modo in corde rarefactus, & velut accenſus, exinde motu rapidiſſimo per vaſa defertur, & deflagratione ſua caloris efluvia quamplurima diſpeſcit, hinc tota cruoris maſſa inſtar aquæ ſuper ignem poſitæ continuò ebulliens, vaſa diſtendit.* A ſanguinis diſpoſitione Febres variari, prout diximus cum *Platero num.* 11. docet *Vvilliſius cap.* 11. de cauſa differendo, dum ait, *ratio formalis ejus, qua à cæteris diſcriminatur, in hoc conſiſtit, quod temperies ſanguinis in affectis ſit calidior, hoc eſt ſulphure concremabili magis abundat, ideò cum efferveſcit majori copia accendit*, & *cap. 9.* in hujus confirmationem ſcribit, *hujus ſtadii limites juxta ægri temperiem, & alia morbi accidentia variè determinantur, ſi in corpore copioſo ſpiritu, ſucco, & ſanguine calidis referto, in ætate juvenili, & tempeſtate præfervida contingerit, ſi diſpoſitio ad Febrem ſit potens, & cauſa evidens*

dens fortis ſupreveneritefferveſcentia Febrilis ſemel incepta totum prevadit cito ſanguinem & die 2. aut 3. dictis radicibus morbus ad incrementa aſſurgit, ſin vero in corpore minus calido temperamento pituitoſo, aut melancholico, in ætate ſenili aut tempeſtate frigida, indiſpoſitio Febris inchoatur, longiori fruitur procœmio, & vix ante ſextum aut ſeptimum diem primi hujus ſtadii limites excedit; & quamvis de temporibus Febrium ibi loquatur, ad earum differentias extendi poteſt, quia ab iſtis diverſa tempora dependent, nec ſunt varia, niſi variata Febris differentia.

XVIII. Ex quibus concluditur *Vvilliſium* continuitatis cauſam, reponere in aſſidua ſanguinis efferveſcentia in corde præternaturam executa dependenter à mala ſanguinis diſpoſitione, in depravata ejus naturali efferveſcentia, vel combuſtione conſiſtente, & uniformem omninò eſſe cum *Platero*, *& omnibus Gal. & Hipp. ſequacibus*, ſi putredinem per combuſtionem declaramus, & ad mentem revocamus ſæpiùs inculcatam dependentiam caloris ab efferveſcentia, & efferveſcentiæ à calore.

XIX. *Cur vero Febres continuæ, quales ſunt ſynochæ, aliquando exacerbationem patiantur rationem reddit citato lib. cap. 9.* dicendo *ab hujuſmodi ſanguinis, ac una ſucci alibilis (eodem incendio uſtulatorum) deflagratione recrementa, ſeu corpuſcula materiæ torrefactæ in cruore congeruntur, quæ fervorem ejus, & ebullitionem magis promovent, ac intemperiem Febrilem pro tempore adaugent.* Quæ concordant cum dictis *ſuper. nu.* 10. 15. ſi hæc recrementa putrida ſecundum quid intelligantur, prout defactò ſunt talia, ob depravatas qualitates in combuſtione acquiſitas, & ſi putredo in citatis numeris deſcripta, pro putredine ſecundum quid accipiatur, prout accipi debet, ab eis qui Febres malignas ſolùm à putredine abſoluta oriri ſuſtinent, (hinc autem eſt ſermo tantummodo de Febribus continuis benignis, vel à malignitate alienis, & in eorum ſententia admittentium in Febre ſynocha ſanguinem putreſcere, manente forma illius, quòd eſt idem ac dicere, ſanguinem affici ſolùm putredine ſecundum quid, ita *Conciliator differ.* 89. Horſt. *in exer.* 3. *Feb. putr. quæſt.* 3. Heriq. *Diſp. 6. de Feb. putr. cap. 6.* Carrer. *in ſen.* 1. *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 1. Zacut. *de Medic. Princ. Hiſt. lib.* 4. *quæſt.* 13. Valeſ. *lib.* 6. *contr.* 19. habebimus *Vviliſium* uniformem cum *Platero*, in determinanda cauſa exacerbationis Febrium continentium.

XX. *Sylvius* cum *Vvilliſio* concurrit, dum *lib. 2. prax. Medic cap. 27. num.* 22. ait; *Febrium continuarum cauſam continuam, hoc eſt continuò ad cor delatam, requiri*, quod concordat cum dictis *num. 9. &* 16.

Ex mente *Plateri*, *& num.* 24. ſubjungit *Febrium continuarum omnium cauſam, eſſe bilem aut lympham, ſub qua ſuccum pancreaticum, ipſamque ſalivam comprehendo, quatenus cum ipſa deferruntur ad cor, aut utramque vitioſam* (ecce putredo ſecundum quid) *& in dextero cordis ventriculo efferveſcentiam talem excitantem,* (ecce putridi humoris communicatio cordi) *unde continuò pulſus producitur frequentior*, (ecce totius maſſæ ſanguineæ læſio) quia pulſus à rarefactione, & impulſu totius ſanguinis, non alicujus determinatæ partis illius dependet, & eſt illud quod dicebamus ſuperiùs cum *Plantero n.* 3.

XXI. Si non ſanguinis, bilis diverſitatem admittit, à qua Febris continuæ differentia conſurgit, ut *cit. lib. cap.* 31. *num.* 8. oſtendit his verbis, *primaria quidem harumve Febrium ſynocharum, quæ cum calore inſigni & continuo ſunt ægris moleſtæ, exiſtit bilis, & acrimonia, & inflammabilitate nimia peccans, unde non tantum in dextero cordis ventriculo perpetuo vitioſam excitat efferveſcenſtiam.* Ubi denotat differentiam quæ à minori inflammabilitate poteſt provenire. Quamvis, cùm admittat *Sylvius* bilem naturaliter miſceri ſanguini, neceſſariò ſequitur illius partem fieri, & diverſitas Febrium, quæ ab ejus diverſa conſtitutione proficiſcitur, dici poteſt à ſanguinis diverſitate oriri. Ac meliùs cum *Platero*, & *Vvilliſio, Sylvium* concordabimus, ſi conſiderabimus *in cit. libro cap.* 29. *à num.* 9. *uſque ad* 23. oſtendere à diverſis humoribus, ſecundùm diverſas diſpoſitiones affectis, Febres continentes oriri, qui humores cùm in ſanguine exiſtant, variam pro eorum exuberantia conſtitutionem illius reddunt. Quòd ſi aliquis concordiæ impoſſibilitatem deduceret, ex eo quod Febres ſynochæ ex Antiquorum ſententia, à ſanguine qui eſt alimentalis, non à bile, quæ eſt excrementum, proveniant, ei opponerem *Altimar. Gal.* & *Hipp.* in omnibus conſentientem, *qui lib. de med. Feb. part.* 2. *cap.* 7. ſuſtinet ſynochas à bile produci, ex *Gal.* ſententia, unde non eſt novum ex bile tales Febres originari.

XXII. Quoad continuitatem Febrium malignarum, eadem eſt ratio, ut ait *Platerus lib. cit.* qui malignitatem putredini conjunctam ſuſtinendo, eas etiam ad naturam ephemeræ, & ſynochæ accedere docet. Quapropter ratio, continuitatis eadem cum iſtis erit, *modò ſupra deſcripto*, addendo qualitatem venenatam, à qua derivant ſymptomata malignitatis propria. Et certè non eſt difficile cauſam continuitatis Febris malignæ in hac ſententia reddere, quia cùm venenata qualitas ſit ſui propagativa, facillimè toti ſanguini communicatur, unde cordi ſemper ineſt ſanguis veneno infectus, reddens Febrem in qualibet ſui parte malignam, cum calore præternaturali, excitato à putredine abſoluta, venenatam qualitatem præcedente. Idcircò dicit *Platerus* haſce Febres eſſe pernicioſas, calore pari & maligno.

XXIII. Cùm *Platero* non concordant in hoc *Vvilliſius* & *Sylvius*, dum occultam qualitatem à Febre maligna excludunt, adhærendo alliorum Antiquorum ſententiæ; determinantium Febres malignas in putredine abſoluta fundari, ut demonſtratum fuit, *cap.* 5. *num.* 1. 2. 3. Diſcordia tamen in cauſa malignitatis, non parit diſcordiam in cauſa continuitatis, quæ eodem modo à *Vvilliſ.* & *Sylvio* explicabitur, quo explicaret *Platerus* Febrium continuitatem à putredine abſoluta, qui non eſt alius niſi ſupra deſcriptus, ſi loco putredinis ſecundum quid, vel combuſtionis, quas ibi debere intelligi, & admitti dictum fuit, intelligatur, & admittatur putredo abſoluta. Et licèt appareat difficultas, quod tota maſſa ſanguinis non eſt putrida, alioquin in primo Febris inſultu periret Febricitans, & ſi in ſanguine adſunt partes non putridæ, iſtæ cordi inſtillatæ Febrem malignam non deberent efficere, unde Febris non eſſet ſecundùm omnes ſui partes maligna, nec malignitatis ſymptomata deberent eſſe continua, dum pro eo tempore, in quo ſanguis non putridus tranſiret per cor, ceſſarent, quòd cùm ſit contra experientiam, non poterit ſubſiſtere prædicta continuitatis cauſa, à putredine deſumpta. Tollitur tamen difficultas, dicendo quòd portio ſanguinis putridi, huc illuc per maſſam cruoris diſperſi, putridos emittat vapores, illam univerſim coinquinantes, ſpiritus vitales præcipitando, & fingendo, vel evolare cogendo, & efferveſcentiam tamquam quid extraneum ſanguini operando, unde hic præternaturam efferveſcit, cum pauco calore, & multa facultatum debilitate, & quia in qualibet etiam portiuncula ſanguinis, ſunt aliquæ particulæ coagulatæ, ideò malignitatis ſymptomata continuò perdurant, cùm à prædictis cauſis omnia dependeant.

XXIV. Ad explicandam hecticæ Febris continuitatem, ſic loquitur Platerus, *Inſitus, & conſtans calor, in corde ſingulisque partibus impreſſus, ita ut temperamentum ipſaque elementorum proportio in calidum & ſiccum converſa ſint, unde amplius permutari non poteſt, quia tale temperamentum factus eſt habituale, Febres hecticas producit, in quibus calor non igneus, ſed moderatus, qualis temperamenti obſervatur, idcircò calorem vix dum perſentiunt ægri, licèt & totius corporis partes ſimilares alteratæ calidiores, & ſicciores eſſe tactu, uti & cor ex pulſu cito, & duro deprehendantur, conſumptio, & mataſmus haſce Febres ſequitur, non à colliquatione partium, ſed à mutatione temperamenti ſimilarium membrorum, quo nomine non rectè nutriuntur, ſed ſenſim emarceſcunt.* Introducitur hic calor ab aliis Febribus antecedentibus, cùm vix ab aliis cauſis temperamentum adeò perverti poſſit, niſi interveniente priùs alterius Febris igneo calore, qui vel ſua efficacia, vel diuturnitate cor, & partes prædicto modo immutet, ſic Febres acutæ putridæ continuæ, & quæ in læſione alicujus partis fundantur, ut ſunt ulcera pulmonum & aliarum partium, hecticam parere poſſunt.

XXV. Ex quibus patet, continuitatem in hectica, deſumendam eſſe à calore in partibus, & præcipuè in corde præternaturam, ad temperamenti habitualis ſimilitudinem fixo, à quo ſanguis continuò per illud circulariter motus incaleſcit præternaturam, cùm pulſus alteratione; & aſſidua totius incaleſcentia, quòd verifi-

catu etiam in illis Febribus, ubi leſio alicujus partis cum putredine intervenit, quia calor putredinalis cordi continuò communicatus, non ſolùm Febrem lentam, & continuam conſervat, ſed temperamentum cordis naturale pervertit, & calidum ſiccum habituale introducit, quod utique perſeveraret etiamſi læſio partis tolleretur.

XXVI. Ex quibus colligo ſanguinem ab habituali calore totius debere neceſſariò alterari, & pervertì, per pravarum qualitatum acquiſitionem, nempè craſſitiem, ſalſedinem, acrimoniam, auſteritatem, amaritiem, & acciditatem, cùm omnes prædictæ qualitates in humoribus à calore intenſo effici unanimiter concedant Medici, unde hanc efficaciam calori hecticæ negare non poſſunt, qui continuitate, & habitu intenſo æquivalet, non excludenda eſt acciditas à caloris efficientia, cùm videamus vinum per calorem in acetum mutari.

XXVII. *Vvilliſius*. Febrem hecticam à parte effecta in phthiſi deſcribit, *lib. de Feb. cap.* 11. ejuſque cauſam ponit in hoc, *quod ſanguis pertranſiens per pulmones ulceratos materia purulenta, aut tabido inquinamento inficitur, & proindè incontinuam effervescentiam, ob rei non miſcibilis confuſionem concitatur, quare & Febrem aſſiduam inducit, & ſuccum alibilem omninò pervertit*. Idemque contingere ait de ulcere, aut abſceſſu in aliis partibus excitato. In quo non videtur diſcordare ab Antiquis; nam dum aſſerit ſanguinem infici materia purulenta, ſi hæc eſt affecta calore præternaturali, non poteſt non calefieri ſanguis præternaturam, & ad cor proveniens hujus calorem augere, & ſi Antiqui putredinali calore ſanguinem excandeſcere concedunt, effervescere poſtea virtute hujus negari non poſſunt, ob rationes alibi dictas, & pariter dum à calore ſanguinis illum cordis augeri admittunt, ab hoc ſanguinem magis effervescere concedant, & *Vvilliſius*, dum admittit ſanguinem à putrida materia tamquam ab extraneo effervescere, fateri debet quod incaleſcat, & conſequenter ad cor translatus magis effervescere, & poſtea incaleſcere, cum augmento caloris cordis. Unde quidquid ab una parte aſſeritur, ab altera admittitur, vertente ſolùm diverſitate in ordine eorum quæ dicuntur, dum ea quæ antiqui priora volunt, ſecundo loco collocat *Vvilliſius*, conveniens tamen in cauſa continuitatis, quam in continuam materiæ putridæ communicationem cordi cum illis refundit.

XXVIII. *Eodem loco*, aliam recenſet Febrem *Vvilliſius* Hecticæ maſſimè ſimilem, quam lentam appellat, & qui eam laborant plus juſto incaleſcunt, præſertim à paſtu, & à motu, & ſine cauſa manifeſta emarceſcunt, tabidorum inſtar. Cujus cauſam ait adſcribi ab aliquibus obſtructionibus in viſcere quodam, Hepate putà, Liene, vel Meſenterio, cujus culpa alimentum non benè coquitur, nec ritè diſpenſatur. Ipſe verò putat fundari in mala ſanguinis diatheſi, qua in temperiem nimis ſalſam, & acrem vergit, ideòque nutritioni, & æquali circulationi minus aptus redditur. Etenim ſanguis in corde, non ſecus ac oleum in lampadè, ſi particulis ſalinis nimium redundat, non placide & æquabiliter, ſed cum crepitu, & magna partium evaporatione accenditur, quo quidem citiùs diſperditur, & nonniſi flammam languidam & imbecilem exhibet. In quodam ab hujuſmodi Febre extincto pulmones exſuccos, & aridos, materia fabuloſa inſtar cretæ per totum obſitos obſervavit, viſceribus concoctioni dicatis ſatis rectè ſe habentibus. Non raro, ait, meſenterii glandulas in hoc affectu ſimili materia argillacea obſideri. Utrùm verò ſanguis ſalſior factus, ejuſmodi viſcerum affectiones primò intulerit, vel an viſcerum dyſcraſia ſanguinem priùs infecerit, includit, quòd alterutra affectio ab altera pendere poteſt, & mali utrinſque cauſæ reciprocæ eſſe poſſint. Cùm autem ſymptomata harum Febrium, veram repræſentent hecticam, hinc judicare poſſumus cauſarum ſimilitudinem inter eas intercedere, & has non differre à cauſis hecticæ Antiquorum. Cùm enim dubium ſit, an vitium ſanguinis à partibus, vel iſtarum depravatio à ſanguine proveniat, poſſumus utrumque aſſerere, Et ſi dicamus vitio partium ſanguinem depravari, concordes habebimus *Vvilliſium* cum Antiquis, non ſolùm in habituali viſcerum læſione, ſed in determinata alteratione caloris naturalis, per exceſſum ejus. Quia ſanguis acidus, acris & ſalſus, quem in his Febribus talem eſſe fateor, ita depravatur per exaltationem, volatilizationem, & ſeu fluorem ſalium in eo exiſtentium, hæc autem à calore excedente fiunt, ut comprobant vina, quæ à calore acida evadunt, ſale acido ad fluorem deducto, & hujuſmodi diſpoſitiones à calore ſanguini impertiri docet, *in tract. de ſcorbu.* Ubi à Febrili calore ſanguinem ab ſalſum, acidum, auſterum trahi inſinuat, conveniendo cum Antiquis per ea quæ *dicta ſunt num.* 26. & confirmat materia fabuloſa & argillacea, prædictis partibus inhærens, cùm niſi à calore ſeparari poſſit à reliquis ſanguinis particulis, & ita incraſſari, unde ſanguis taliter diſpoſitus, ad nutritionem ſit omninò ineptus, ex quo tabes neceſſariò provenit, & ad Maraſmum ducuntur ægri, materialiter à ſanguine, efficienter à partibus ſanguinem alterantibus, & eſt illud quod *ſuperiori num.* 14. docebant Antiqui, qui has ſanguinis diſpoſitiones reiicere non debent, dum ſanguinem à Febrili, vel alio calore torrefactum, in acidum & fermentantem humorem converti docent ex deductis *ſuperiori num.* 26. & ineptum eſſe nutritioni, comprobant communiter ſtatuendo partes ſolo dulci nutriri: Inſuper addo, quòd ſi ſanguis fit à calore partium acidus, & ſalſus etiam incaleſcit: quia effervescit ab extranei acidi vel ſalſi admixtionem, unde continuò cordi inſtillatus, calorem impartire valet, ut habitualis in eo fiat, unà cum habituali effervescentia, à qua continuitas Febrium hecticarum habetur; dependenter à prædictis ſanguinis diſpoſitionibus, à fixo partium calore impreſſis, per quod cum Antiquis uniformis evadit *Vvilliſ.* tam in cauſa eſſentiæ Febris hecticæ: quàm in cauſa ejus continuitatis, admittendo calorem habitualem partium, à quo ſanguinea maſſa pravas recipit qualitates, per quas præternaturam incaleſcit, & effervescit, & ſuſcepto per effervescentiam calore, cor præternaturaliter accendit, & quia hæc continuò in partibus ſanguine, & corde manet, ideò continua etiam adeſt Febris, dùm mediantibus prædictis cauſis, continua ſuccedit in corde effervescentia, in qua fundatur eſſentia Febris cum caloris cordis, & ſanguinis incremento, modo explicato, tamquam quid conſequens ad effervescentiam, prout ab Antiquis admittunt, *ut patet n.* 24. 25. 26. excepta ſemper prioritate caloris, & effervescentiæ.

XXIX. *Sylvius lib. cit cap.* 12. poſtquam tradiderit hecticas Febres generari poſſe à cauſis externi, & à Febribus cujuſcumque generis, & à viſcerum, maximè verò pulmonum apoſtematibus & ulceribus, *ſubjungit num.* 5. cauſam immediatam his verbis. *Cùm autem calor in Febre hectica ſit exiguus, ideòque raro ægris moleſtus, pulſuſque parvus debiliſque, judico pecare tunc inprimis glandularum conglomeratarum liquorem, non ſalivam dumtaxat, ſed ipſum quoque ſuccum pancreaticum, & quidem viſciditate aucta, non item acrimonia acida, vel auſteritate moleſta, quamvis aliquando hanc ſimul offenderim gravem.* A viſciditate contabeſcentiæ cauſam deducit, quia ſanguis nimis craſſus nutritioni non ſufficit, & hac deficiente, partes contabeſcunt. Sanguinis viſciditatem in hectica, negare non poſſunt Antiqui, cùm calor habitualis tenuiores ſanguinis partes conſumendo, illam neceſſariò cauſet, ſicuti concedere debet *Sylvius*, ſanguinem habituali calore calefieri, dum cauſas hectica omnes calefacientes enumerat, & ut diverſitas vel convenientia rectiùs diſcernatur, res ad majorem claritatem eſt revocanda. Antiqui volunt à cauſis calefacientibus calorem in ſolidis partibus, & præcipuè in ſubſtantia cordis habitualem accendi, & in hoc formale hujus Febris fundant, ſanguis à corde excalefacto magis incaleſcit, & cum eo totum corpus, & cum calore craſſitiem acquirere credendum eſt, ob rationem ſuperiùs dictam. *Sylvius* à cauſis calefacientibus, & præcipuè ab antecedentibus Febribus, partes & cor in hectica calefieri concedit, dum calorem in univerſo admittit: Ab hujuſmndi calore vult ſanguinem incraſſari, & per hoc plus ſolito rareſcere, & effervescere, unde pulſus magis frequens naturali, & in hac majori effervescentia fundatur ratio formalis hujus Febris, effervescens ita ſanguis magis incaleſcit, & cum eo totum corpus, Unde tota diverſitas in hoc verſatur, quòd *Sylvius* à cauſis calefacientibus vult primò craſſitiem in ſanguinem introduci, poſtea per hanc plus ſolito in corde effervescere,

ab

ab efferveſcentia majorem contrahere calorem. Antiqui cenſent à cauſis calefacientibus calorem cordis augeri, ab hoc ſanguinem fervere, & conſequenter incraſſari, & ita diverſitas ſe tenet ſolùm in ratione ordinis eorum, quæ concurrunt ad Febrem hecticam conſtituendam.

XXX. Sanguinis verò craſſitiem, tabis eſſe cauſam docet *Gal. lib. 6. Epid. ſect. 3. com. 29. in* celebri hiſtoria mulieris, quæ cum ſanguinis abundantia extenuabatur, in cujus fine hæc habet verba, *reſciſſo autem vaſculo liquidæ pici, & colore, & craſſitudine ſimilis ſanguis emanabat.*

XXXI. Nec *Vvilliſius* differt à *Sylvio*, quia ſanguinis craſſitiem cogitur admittere, *cùm à ſale* exaltato ſanguini: acrimoniam, & ſalſedinem communicante, commixto cum ſulphere, qui continuò per efferveſcentiam ſeparatur, craſſities inducatur, eo modo quo, ex ejus ſententia, vina, ſpiritibus exſolutis, particulæ eorum, modò ſalinæ, modò ſulphureæ nimium evectæ, vina rancida, mucilaginoſa, aut acetoſa reddunt. Ita loquitur *Vvilliſius tract. de fermen. cap. 7. Sylvius* verò acrimoniam, & auſteritatem, & acidit atem in ſanguine recognoſcit, *in cit. cap. 32. num. 8. & 14.* Unde colligitur uniformitas ſententiæ, *Sylvii*, & Antiquorum in cauſis hecticæ, ejus continuitatis, quia à craſſitie & aciditate poteſt fieri efferveſcentia, *Sylvius* craſſitiem, *Vvilliſius* aciditatem proponit, ab utraque tamen eſt.

CAP. XII.

De Cauſis Intermiſſionis Febrium, & earum Periodicationis.

I. ANtiquorum diſſenſio in reddenda cauſa reditus acceſſionis Febrilis, & libertas à rei difficultate unicuique conceſſa ſuos in hac materia proferendi ſenſus, demit laborem Antiquos cum Recentioribus conciliandi, Mediatoris ergo parte relicta, principalis officium agam, mea phantaſmata ſuper hanc materiam ex opinionum variarum mixtione combinata exhibendo, quæ ad veri formam modulata, confido, dum ex ſola indicatione cauſæ eorum, quæ in intermittentibus accidunt, coaleſcunt.

II. Suppono ergo primò Febris intermittentis cauſam proximam, ſeu conjunctam, conſiſtere in aliquo corpore, ſeu ſubſtantia ſanguini commixta, & hujus medio cordi communicata, ex qua ille efferveſcit præternaturam, tam proprio motu, quàm à calore cordis. Hoc convincit curationis modus, per emplaſtra brachiis in manuum extremitate applicata, ubi arteria pulſat, à quibus pluries obſervatum fuit Febres intermittentes profligari, & cùm iſtorum virtus niſi ſanguinem circulantem attingat, in ſanguine eſſe quod hujuſmodi Febres efficit fateri cogimur, & prædictorum medicamentorum actione, vel diſſipari, vel præcipitari, cum omnimoda diſgregatione à ſanguine, vel hunc ita muniri ſeu ſtabiliri adſtrictione partium inter ſe, ut communicatæ materiæ conatum, & depravatum agendi modum deludat, naturalem ſuæ efferveſcentiæ motum conſervando: natura interim per optimam ſanguinis conſtitutionem corroborata, ad ſuperandam cauſam, quæ materiam depravatam congregabat, extra ſanguinem, vitio alicujus partis, concurrente forſan aliqua ſanguinis indiſpoſitione intra limites ſanitatis exiſtente. Hanc materiam aliunde ſuppeditari ſanguini, Febrilis intermiſſio docet, quia ſi in ſanguine efformaretur, continuus eſſet ejus proventus, & ita continua, non intermittens eſſet Febris.

III. Secundò, hoc in ſanguine exiſtens, in quolibet paroxyſmo eiici, eſt manifeſtum ex Febris intermiſſione. Niſi enim è ſanguinis confinio pelleretur, Febris non ceſſaret, & ejus intermiſſio cauſæ deficientiam promittit, ſive hoc contingat à calore in ſanguine & corde accenſo à quo materia Febrilis in fulligines paucas attenuata, inſenſibiliter diſſipatur, ſive efferveſcentiæ miniſterio ſecreta; per urinam vel ſudores expellatur, qui ſæpiſſimè in Febrium intermittentium declinatione contingunt.

IV. Tertiò, ad reditum novi paroxyſmi priori ſimilem, novam ſanguini materiam advenire cum alterans inordinata efferveſcentia caloreque intenſo, quæ cùm ſint ſimilia efferveſcentiæ, & calori prioris paroxyſmi, ſimilitudinem cauſæ, & materiæ arguunt.

V. Quartò, ex hoc infallibiliter concedendum eſſe partem intemperie materia uniformi qualitati vitio, & æquali proportione generetur, & hanc partem inſtrumentis eſſe donatam, per quæ materiam ſuo ſinu confectam ſanguini conſignare valeat, & hæc ſunt venæ, vaſa lymphatica, & ductus thoracicus, mediis lacteis.

VI. Quintò, partem læſam, materiam Febrilem ſanguini & cordi præparantem, in primis viis exiſtere, & in loco partium naturali facultati deſtinatarum reſidere, quod demonſtrant paſſiones ventriculi, anxietates, vomitus, dolores, rigores in lumborum regione incipientes, inordinati in hypochondriis motus.

VII. Sextò, materiam in hujuſmodi partibus ad Febrile incendium præparatam, eſſe ſanguini extraneam, & ob qualitatum pravitatem ei minimè congenerem, unde ſua præſentia potens eſt tumultus, & ſeditiones cum magna efferveſcentia, & calore in eo excitari.

VIII. Septimò, vitium, & depravationem materiæ verſari circa putredinem abſolutam, vel ſecundùm partem, vel combuſtionem, cum ab his, Febres quæ dicuntur putridæ, quales ſunt intermittentes, ſolùm oriri poſſint.

IX. Octavò, materiam non poſſe aliquo ex his modis depravari, niſi in parte moretur, & per aliquod tempus domicilium in ea contrahat, ſolo enim tranſitu non poſſet tàm citò depravari, motu efficacem influxus actionem prohibente, unde in ea immorari neceſſe eſt, poſito in parte impedimento moram indicente.

X. Nonò, tale impedimentum, non poſſe ab alio peti, niſi ab obſtructione vaſorum partis, quæ liberum materiæ curſum interdicat, & compedem apponat, ne ſuum liberè peragat curſum, coactam quietem imponendo.

XI. Decimò, ſi ex dictis, ſanguini communicatur materia depravata, oportere ut tale impedimentum ſuperetur, & materiam rupto carcere ad libertatem exire, & per vaſa partis correſpondentia, vaſis ſanguinis, in ejus ſinum deferri. Impedimenti devictio, non poteſt contingere, niſi à materiæ conatu, obſtructam reſerante viam.

XII. Undecimò, hoc impedimentum ex toto non tolli, ſed tantùm tranſitum coactè concedere, moxque eumdem locum occupare, cuilibet viam defendendo ſicut priùs, quod eſt maximè neceſſarium, ad præparandam materiam prò altero paroxyſmo, hoc autem non poteſt evenire, niſi dum materia in exitu humorem obſtruentem ſucum non rapit, eo reſiſtente, quia ſua viſcoſitate firmiter vaſorum parietibus adhæret, ſed ſolùm perterebrat; & perforat, ut per foramina excitata exeat, quæ poſtea de novo occluduntur diſtractis particulis, & verſus vaſorum latera expulſis, ad ſuum locum redeuntibus. Ut evenire obſervamus in viſcoſis, & mollibus corporibus, quæ obvio corpori credendo tranſitum concedunt, ſine partium deperditione, ad cujus tranſitum filamenta quibus texuntur contrahendo proprio & naturali motu apertam à corpore viam occludunt. Sic poſito novo in parte impedimento, materia noviter fluens paratum ibi invenit carcerem, ubi ad modum prioris depravatur, & ipſa ſuo conatu impedimentum ſuperante, acceſſionem reiterat ſanguini permixta, & impedimento de novo remiſſo, modo dicto eadem revertuntur, donec ex toto auferatur, quia tunc materia depravari unà cum Febre ceſſat.

XIII. Duodecimò, debere materiam talem diſpoſitionem acquirere ex mora in parte, ut valeat impedimentum perforare, & terebrare, ad quod maximè facit, vel ſpirituum igneorum impetus, vel aciditas, auſteritas, ſalſedo, & acrimonia, unde aliquam ex iſtis indiſpoſitionem materiam detentam ſuſcipere credendum eſt. His poſitis, quæ nulla probatione majori videntur indigere, cum per hæc, quæ in Febribus intermittentibus contingunt aliter explicari non poſſint, non erit difficile rationem invenire Febrilis circuitus.

XIV. Quando ergo pars aliqua, ut ventriculus, vel pancreas, vel meſenterium, lien & hæpar, obſtructionem

nem patiuntur ab humore viſcoſo, & lento, à partis vitio generato, vel aliunde recepto, ab alterius partis depravata conditione germinante, & ab erroribus per cauſas extrinſecas cumulato ſanguinique commixto, qui circulando per prædictas partes in eis vitioſam deponit ſarcinam, tunc ſanguini per obſtructam partem tranſitus impeditur, & ventilationis deficientia incaleſcit, eo modo quo ſtagnantes aquæ tempore perfunduntur, & quia in eo partes ſulphureæ, & bilioſæ, ſalinæ, ſeu terreſtres, & melancholicæ exiſtunt, quæ à concepto calore exaltatæ, & ſuper cæteras evectæ effervefcentiam & ebullitionem pariunt cum calore ipſius materiæ detentæ, & furore, quibus valet partem à qua detinetur calefacere, & impedimentum ſuperare directo in illud impetu quem à furore in ſuarum partium exaltatione concepit, eo modo quo muſtum ebulliens in dolio, undique clauſo, exaltata, ſulpurea, & ſpirituoſa ejus parte per fermentationem, & expiratione prohibita occluſis undique ſpiraculis, tantum vitium ſibi conciliat, ut vas ferreis etiam firmatum ligamentis diſrumpat. Ulterius ſanguis obſtructione ſtagnans, & concepto calore effervefcens, proprii ſalis fluorem experitur, & ſuper cæteras partes evectum, eas ſuo ſubmittit imperio acciditate, auſteritate, vel ſalſedine totam materiæ ſubſtantiam inficiendo, juxta ſui ſalis conditionem & qualitatem. Eo modo quo vinum à calore extrinſeco effervefcens, in acetum mutatur, aciditatem undique ſpirans, tartari partibus fixis, & acidis fluore exaltatis. Ita diſpoſitus ſanguis, fermenti naturam induit, potens ſua virtute & activitate, corpora proportionata, quibus commiſcebitur, fermentare, & agitare, *prout explicavimus c. 6. nu. 6.* Interim in anguſtiis ſuis carceris reſtrictus ſanguis, ob ſulphuris, & ſpiritus exaltationem, & totius effervefcentiam turget, & tumeſcit, & quo ſtrictiùs detinetur, eò magis furorem concipit, donec impatiens talis carceris ſui incapax, ob conceptum tumorem, impedimentum aggreditur, & impetu facto, auxiliari ducta aciditate, vel auſteritate, vel ſalſedine, qua perfunditur, illud perforat, & liberam viam cedere cogit, intermiſſum iter per venas reaſſumendo, præmiſſa vaporum turma, conſiſtentium in multitudine particularum ſalis, & ſulphuris attenuatarum: primò autem ſalinæ acidæ agmen ducunt, in qualibet enim Chymica diſſolutione, acida corpuſcula cæteras partes præcedere ferè ſemper videmus, hujuſmodi aciditate factæ partes ſentientes, frigent, & ſi modum exceſſerint, vel humidum moderatorem non habuerint, prædictas partes vellicando, & pungendo rigorem & horrorem inducit, & ad pulmones elevatæ oſcitationem ſi cum humido attenuato commixtæ, quia ſine hoc nimis acres redditæ, tuſſim ſiccam excitant, & ſi in copia extiterint, ut pulmones opprimere valeant, difficilem reddunt reſpirationem, & ſi acido ſalinæ extiterint, palatum attingentes ſitim magnam efficiunt. Cordi communicatæ hujuſmodi evaporationes, copia illius calorem opprimunt, frigiditate minorant, aciditate ſanguinem coagulant, & ſentientes ejus partes pungunt, unde pulſus minor, & frequentior, & totius ſanguinis rigor, ob privationem caloris ſui principii unde totius corporis frigus Sanguis ita alteratus in motu fit tardus, & circulationem protrahit, donec ſupervenientibus ſulphureis exhalationibus, acidis diſſolutis & ejectis, calor cordis ſublevatur, ſanguis calet, & cum eo totum corpus, deſtructis evaporationum acidarum reliquiis à calore cordis & ſanguinis reſurgente, cum pulſus elevatione. Interim per venas reliqua ſanguinis ſubſtantia ab obſtructa parte erupta ſerpit, & quia fermenti naturam adepta fuit citiſſimè, per totam maſſam cruoris diffunditur, præcipuè ubi magnos venarum ramos fuerit ingreſſa, & quia eſt extranea ſanguini, inordinatam effervefcentiam in eum introducit. Sanguis hoc modo effervefcens, cordis ſinus ingreſſus incendium ſubit, unde æſtus, & totius corporis incaleſcentia, *prout expoſitum fuit c. 9. n. 2. 45.* In hoc incendio maſſæ ſanguineæ fermentum conſumitur, & magis attenuatum ſenſim expirat, & per inordinatam fermentationem ſegregatum, ad partes excretionis dicatas deponitur, unde ab hoſte ſanguis liber, quieti reſtituitur, & Febris intermittit.

XV. Pro natura & activitate ſanguinis depravati, & diſpoſitione maſſæ ſanguineæ, Febris fit major, vel minor ſic ſi depravatus humor fuerit bili ſulphure prægnanti commixtus, per expoſitam exaltationem multùm activus evadit, unde immanem movet in ſanguine effervefcentiam, in ejus intimiora penetralia ſe inſinuando, partes omnes agitat; commovet, & turbat inordinatè, pro virium excellentia, ex qua turbatione partes ſulphureæ ſanguinis ſolutæ, & illis fermenti unitæ, eamdem virtutem, & motum adeptæ, tamquam rebelles, ad favorem fermenti pugnant, unde tumultus, & ſeditio major in ſanguine ſuccedit; & in univerſo corpore incendium & calor ingens. Si verò ſulphure pauper, ut pituita, & melancholia, effervefcentiam quidem in ſanguine movet, ſed moderatam, & conſequenter calorem minorem, quia non eſt tanta activitas in eis, ob ſulphuris paupertatem, ut valeant partes ſanguinis immoderatè agitare, & turbare, nec partes ſulphureæ à ſanguine in tanta copia ſeparantur in prædicta agitatione, ut intenſum calorem efficiant.

XVI. Sanguinis diſpoſitio prout coadjuvat, vel reſiſtit virtuti extranei, Febrem reddit majorem, vel minorem, ſanguis enim ignis vitalis, ſeu ſpirituum feraxe & ſulphuris dives, hoc eſt multa bile redundans, ab extraneo etiam debili leviter agitatus, maximas ſeditiones ſibi conſtruit, quia partes hujus ad motum promptæ, à debili motore excitatæ, propriis viribus in inordinatum & effrænem motum erumpunt, qui tamen amoto movente ceſſat, quia adhuc ſub naturæ jugo manent, & niſi coactæ à cauſa præternaturali, non habent tam effrænatè moveri, unde illa amota naturæ denuò obtemperant: ſanguini ita conſtituto ad præſentiam extranei contingit, quòd in ſpiritu vini ſulphure pleni obſervatur, qui ad paucæ flammæ approximationem in flammam totus diſpergitur, & quòd pulveri pyrio evenit, qui à parva ſcintilla tactus, cum furore & effræni impetu ignem ubique ſpargit. Hinc in corporibus natura ignis, bile ſcatentibus, vel à naturali temperie, vel ab erroribus externis hujuſmodi Febres excitantur.

XVII. E contra, ſi ſanguis ad æqualitatis lancem ſuas partes ſortitus fuerit, vel craſſiores cæteras ſuperaverit, fermenti extranei virtuti etiam validæ magis reſiſtit, nec à fermentatione inordinata, vel excedenti turbabitur, quia partes ejus ſunt ex ſui natura ad talem motum minus aptæ, & ob connexionem firmam cum omnibus principiis conſtitutivis, ſanguis violenter agitari non poteſt, & quia ſulphureæ particulæ non abundant, ideò non excitantur in tanta copia, ut adurentem calorem exhibeant, ſe ſolùm paululo naturali intenſiorem.

XVIII. Sic ſanguis in obſtructis vaſis, fermenti naturam induens, hoc eſt putredine ſecundùm partes affectus, Febrem intermittentem efficit.

XIX. Aliquando verò reſtrictus in anguſtia vaſorum, humor non tantùm fermenti indolem ſuſcipit, ſed calore partium, & proprio, prohibita ventilatione aucto, in ſuas partes diſſolvitur, impetuque ab ipſis facto, perforato impedimento in flammam exurgit, qua tota cruoris maſſa inflammatur, accenſis in ea ſulphureis particulis, cum Febrilis incendii augmento, quòd eis exhalantibus paulatim deficit, & eis pereuntibus, ex toto ſedatur. Flammam iſtam præcedit fumus, ex aquea, & humida vel ſeroſa parte elevatus, qui ſua frigiditate præter ſentientes refrigerat, & cordis calorem minuit, aciditate, & acrimonia, qua ſerum à ſalium varietate in eo diſſolutorum profunditur, rigorem, & horrorem inducit ad concuſſivos motus partes adſtringendo pro expulſione irritantis acidi.

XX. Putredinem concipere humor in obſtructis viis facilè concedent, qui Febres intermittentes malignas admittunt, & malignitatem à putredine derivant. Verùm tamen ad hanc pervenire non cenſeo, quia antequam humor putreſcat putredine abſoluta, neceſſe eſt quod putredine ſecundùm quid afficiatur, cùm hæc ſit via ad illam, & quia tunc qualitates ſunt depravatæ, & acrimoniam aciditatemque acquiſivit, & fervore tumeſcit, his viam ſibi parat, & exit ſuperato obſtruente impedimento? antequam putredine totali excipiatur.

XXI. Nec obſtat ſanguinem in obſtructis venis recluſum, inflammationem facere, & ita iſti omnes Febres intermittentes conjungerentur, ſi vera eſſent, quæ dicta ſunt, quòd eſt falſum. Quia niſi viam ſibi aperiret,

modis

modis ſupradictis poſſet forſan contingere inflammatio, ſed quia parvo temporis ſpatio libertatem ſibi vindicat, ideò inflammationis periculum tollit. Præterquam quod falſum eſt, ex impedito ſanguinis curſu per obſtructionem vaſorum inflammationem ſemper ſequi, quia hepatis, lienis, meſenterii, & uteri vaſa, ſæpiſſimè obſtruuntur, & rarò inflammantur.

XXII. Et quia poſt humoris exitum ab obſtructa via, denuò remiſſum fuit propria virtute impedimentum, ut ſuperiùs innui, ideò ſanguis eodem modo alteratus, cordem reducit effectus, & ſi eadem diſpoſitio in parte ratione impedimenti, & morboſæ affectionis, & in ſanguine ratione quantitatis, & qualitatis perduraverit, paroxyſmi eodem ordine ſuos moderabunt acceſſus, ſic ſi quotidie in parte obſtructa ſanguis colligatur, & acrimoniam, vel combuſtionem concipiat, ut quotidiè impedimentum vincat, quotidiè fit Febris, ſi verò de tertio, in tertium ſolùm hoc obtinere valeat, fit tertiana, & quartana ſi de quarto in quartum, diſpoſitiones acquirat ad ſuperandum impedimentum ſufficientes, ob diſpoſitionem enim humoris, qui faciliùs putredinem ſecundùm quid vel combuſtionem concipere valet, & ob efficaciam vel debilitatem influxus morboſæ partis, humorem in preternaturale fermentum diſponentis, & ob diſpoſitionem impedimenti, qua tardiùs, vel citiùs ſuperari eſt capax, Febrilis acceſſionis inſultus retardatur, ad unum, vel ad duos dies. Et ſi eædem diſpoſitiones in eadem menſura contineantur, Febris eumdem ordinem imò acceſſionis horam conſervabit: quod ſi in iſtis aliqua interveniat mutatio, & paroxyſmi ordo mutatur; nam ſi impedimentum ex continua inciſione, & perforatione attenuatur, ut faciliùs vinci poſſit, tunc minoratur alteratio, quia minùs humor moratur in parte, ideò etiam minor exaltatio partium ſulphurearum, & ſalinarum, & conſequenter minor activitas in agendo, unde Febris mitior, & paroxyſmi anticipant, & Febris citiùs terminatur, ideò humore ſulphureo, ſeu bilioſo dominante, in obſtructa via Febris fit brevior, dum à furore bilis, & abſterſione, impedimentum per paucos paroxyſmos, ex toto tollitur. E contra verò ſi ſanguis materiam craſſam ſecum detulerit additam præexiſtenti impedimentum, fit contumacior, humor plus detinetur, & majorem acquirit aciditatem, & depravationem in omnibus ſuis qualitatibus, & hoc modo paroxyſmi retardantur, & majores fiunt, & diutiùs durant, remiſſo ſemper in quolibet paroxyſmo in priſtinum impedimento, & etiam aucto, & ſi impedimentum ſit contumax, & humor pravam contraxerit aciditatem, Febris Chronica fit, dum hujuſmodi aciditas niſi per longum tempus valet ex toto impedimentum deſtruere. Combuſtio etiam ex hoc major evadit, quia per diuturnam moram magis incaleſcunt, & attenuantur. Sic ſi humor in majori copia fluat, citiùs acidior evadit, vel comburitur, & ita citiùs impedimentum ſuperatur, unde paroxyſmi anticipant, & Febris magis augetur, ſi verò materia ſit minor, & impedimentum minus, reſiſtens, Febris retardat, & mitis ſe offert. Si tanta ſit copia materiæ, & diſpoſitio ad combuſtionem, vel ad fermenti naturam accipiendam, ut quotidiè impedimentum vincere valeat, quotidiè invadit, quæ de tertio in tertium ſuos reiterabit acceſſus. Si verò minor ſit, & niſi de tertio in tertium impedimenti reſiſtentiam emollire ſit potens, quæ quotidiana exiſtebat, fit tertiana, ſi verò pluribus in locis multiplicatis obſtructionibus ſtagnat materia, itaut materia in una parte impedimentum perforet, de tertio in tertium, & alia in diverſa parte de quarto in quartum, fit conjunctio tertianæ cum quartana. Et quia pars in ſua temperie ſenſibilem patitur mutationem, non tam ab obſtructione, quàm ab humoribus depravatis, vel combuſtis, hæc quoque concurrit ad paroxyſmi mutationem citiùs, vel tardiùs diſponendo materiam ad putredinem ſecundum quid, vel combuſtionem. Ex his omnibus poteſt reddi ratio eorum, circa Febres intermittentes contingere ſonet.

CAP. XIII.

De cauſis Rigoris, & Frigors, ex veterum, & Recentiorum mente.

I. FRigus & Rigorem *Vvilif. lib. de Feb. cap.* 3. vult dependere ab acore ſeu aciditate concepta, à ſucco nutritio quem intermittentium cauſam exiſtimat, qua partes nervoſæ valdè punguntur, ac frigoris ſenſum in eis incutiunt, non ſecus ac cereviſia novella, quæ utribus incluſa, à dulci in acidum, & nitroſum ſaporem tranſit, ut præ acore & frigiditate vix deglutiri poſſit. Modum verò explicat ſequentibus verbis. *Cum itaque ſanguinis maſſam hujuſmodi ſucci particulæ nitroſo acore præditi, ad turgeſcentiam impulerunt, & cùm denſiùs agglomeratæ, in fluore eſſe incipiunt ſpiritum vitalem primo acore ſuo obtundunt, & calorem non nihil obruunt, quare ſanguis frigidior exiſtit, & tardiùs circulatur, quin & caloris defectum ſenſus frigoris in toto percipitur, & pulſus admodum rarus exiſtit. Porrò cum hujuſmodi ſucco acetoſo partes nervoſæ, & ſolidæ pro ultimò ſuo alimento irrigantur, hujus fluore qui ſimul contingit cum ſanguinis turgeſcentia, partes iſtæ ſenſibiles vellicantur, & in tremores, & ſpaſmos irritantur.* Ex quo patet frigus partium in oppreſſionem caloris ſanguinis quo cùm partes non foventur, frigent, refundere, & vigorem in acrimonia humoris vellicante partes ſentientes, quæ concutiuntur ad rei moleſtæ ejectionem.

II. Huic conformis videtur *Sylv. l.* 1. *Prax. Medic. c.* 30. *n.* 77. 78. & 79. poſtquam enim determinaverit à ſucco pancreatico Febres intermittentes fieri, ait, *ſuccus ergo pancreaticus ſtagnatione notata redditus naturali acidior, atque poſt perterebratam pituitam in tenuis inteſtini cavitatem effuſus, mox in confluentem qualemcumque bilem inſurgit, atque cum ipſo efferveſcentiam ſolito majorem parit, & quidem pro pituitæ ſimul occurrentis varietate variantem, quamdiu enim ſuccus ille acidior, pituita adjutus, oppreſſam tenet bilem, tamdiu frigus in multis circumſtantiis plurimum differens profert. Nam primò frequentiſſimi in lumborum regione, ubi confluxus eſt trium modo memoratorum in tenui inteſtino humorum, frigus angit vehemens, quando ſuccus prædictus eſt acidior, & pituita non valdè viſcida, per quam inteſtinorum penetrans tunicam, frigoris ſenſu afficit.* Ecce quomodo cum *Vvilliſ.* ſentit in ſtatuenda aciditate cauſa frigoris, quòd confirmavit *c.* 27. *n.* 33. his verbis, *quemadmodum autem frigus omne in Febribus deducendum judico in primis à ſucco pancreatico, quo acido, & fortè etiam à lympha acidiore exiſtente.* Ab eadem aciditate rigoris, & horris cauſam provenire cum dicto *Vvilliſ.* docuit *cit. cap.* 30. *n.* 83. dicendo, *Ab iiſdem habitibus acrioribus, minùſque pituitæ admixtæ habentibus, ſed gradibus acrimoniæ differentibus, producitur aliàs horror, aliàs rigor,* & *n.* 85. *cit. c.* 5. habet *Pulſus aucto frigore paulatim redditur minor, ratione aciditatis auctæ in halitibus aſſurgentibus, ſanguiniſque magis coagulati, ideòque rarefactionem minus apti. Unde non mirum ſi prætere a una cum animali motu univerſo debilior fiat pulſus, qui proinde urgente valdè frigore vix, aut ne vix quidem obſervari poteſt.* Ecce quomodò in aciditate, exprimit cauſam concentrationi pulſus, & conſequenter cauſam oppreſſionis caloris in ſanguine, & corde, à qua poſtea totiùs corporis frigus, itaut omninò ſint concordes in aſſignanda cauſa frigoris & humoris, quamvis ſint diſcordes in ſubjecti aciditatis, dum *Vvilliſ.* ſuccum nutritium, *Sylvius* pancreaticum determinat, quæ diſcordia parvi pendenda eſt, cùm in cauſarum inveſtigatione ea ſolùm expenditur, quæ influit in effectum, non quæ ſuſtentat, ſicuti in curatione medicamenta dirigimus, non ad ſubjectum, ſed ad qualitates corrigendas, quando iſtæ depravantur.

III. Ex Antiquis fuerunt, qui auctoritate *Gal. lib. de Trem. cap.* 6. opinati ſunt à caloris nativi motu rigorem & horrorem fieri, ex eo quòd cùm calor ſit perpetuò mobilis, ſi validus exiſtat, & in univerſum expandi prohibeatur, corpus duplici motu agitatur, & concutitur à moleſtia, quam à duplici motu caloris nativi patitur. Oppreſſus enim ab aliqua cauſa, in remotiora ſe colligit, & unit, quia verò anguſtum non patitur ſpatium, & ſi non expanditur à proprio excremento extinguitur, ideò rur-

rurſum ad exteriora collectis viribus cum impetu quaſi è carcere prorumpens, quæ tranſitum prohibent propulſat, quæ ſi reſiſtant, iterum ſibi conſulens reſilit, & ad ſuum revertitur principium, & in hujuſmodi motu totum corpus concutitur, & tandiu hoc contingit quamdiu cum re expanſionem impediente pugnat calor nativus. Huic ſententiæ adhæret *Helmon. lib. de Feb. cap. 9. num. 1.* alii ex eodem caloris concurſu ad interiora deducunt cauſam rigoris aliter; Volunt enim hunc eſſe dolorificam ſolùm refrigerationem in partibus externis, quæ refrigeratio provenit à caloris verſus cor, ſeu illius propinquas partes receſſu. Has ſententias *Sennertus lib. 2. inſtit. par. 3. ſect. cap. 5.* rejecit, quamvis prior ſuſtineri poſſit, in ſententia doctiſſimi *Tachenii* ponentis ignem acidum, & concludit *Sennertus* rigorem ab expultrice moleſtata fieri, à tremore differens, quòd hic ſit motus cauſæ morbificæ, & facultatis non irritatæ ab aliqua cauſa, cum utraque motum ſuum præſter, & probat ſuam ſententiam *Gal.* auctoritate *ſecundo de ſymptomatum cau. cap. 5.* quoties aliquid per carnes, & corporis ambitum violenter agitur, ac ad cutim defertur, neceſſe eſt dum carnei cutimque permeat, omnia in quæ incidit pungat, ſtimulet, atque lancinet. Quòd autem omnis mordax cauſa ſive ea calida, ſive frigida ſit animal in horrorem ac rigorem inducat: primò quidem ex talibus intelligere licet ſi ſano corpori ferventem aquam ſubitò infundas, aut ignis ſcintillam injicias, ſtatim horrore vexabitur, ita cùm ulceratæ particulæ cauſticum medicamentum imponitur 1. quidem horrent, deinde rigent, mox etiam febricitant nonnulli. Quid quod tertianæ Febres, quæ omnium maximè bilioſæ calidæque ſunt, omnium maximè horrore infeſtantur, quantòque ſinceriores tertianæ ſunt, tantò etiam rigor in iis incidit vehementior. Ex quibus ſatis manifeſtum fit *Gal.* velle materiam irritantem eſſe cauſam rigoris, & horroris irritamentum verò conſiſtere in calore & frigore, ubi recentiores *ſupra citati*, in aciditate Quod ſi documento *Gal.* advertemus docentis omnia acida eſſe frigida, nullius remanebit diſcrepantiæ locus.

CAP. XIV.

Quomodo explicetur Febris Generatio, dependenter à ſanguinis circulatione.

I. HIc revocare licet ad memoriam omnes cauſas immediatas Febris, ut rectè & clarè quæſitum explicetur, non adeo ſolutu facilè, in recentiorum ſententia, inordinatam efferveſcentiam ſanguinis primum Febris eſſentiale determinantium nam certum eſt, cùm Febris duratione hanc efferveſcentiam perennari, unde ſequitur totum ſanguinem per cauſas Febriles huic ſubici, ex altera verò parte probabiliſſimum videtur, eſſe aliquas portiones in ſanguine, ita diſpoſitas ut activitati cauſarum reſiſtant, cùm in putredine corporum, quæ eſt efficaciſſima cauſa Febrium, licèt quo ad ſenſum aliquando tota putrida videantur, ſæpè tamen in eis aliquas particulas à putredine intactas obſervare licet. Et ſi aliquæ portiones ſanguinis à cauſarum Febrilium influxu liberè evadunt, dum pertranſeunt per cor, non deberent præternaturaliter efferveſcere, & Febris pro illo tempore ceſſare, cum naturali pulſus moderatione, quòd tamen eſt contra experientiam, & ſic cùm tota maſſa ſanguinis non inficiatur à fermento extraneo, nec in omni ejus portione per cor circulante adſit principium exaltatum, vel coagulatio, quia in ſanguine, fermento extraneo imbuto, erunt portiones valdè ſenſibiles, quæ fermenti virtutem non ſentient, ſicuti aderunt partes, quæ ob perfectam unionem ſuarum particularum, principio exaltato diſſolutionem in eis moliente reſiſtent, particularum unitatem & unionem conſervando, & multæ portiones quæ coagulatione non condenſantur, alioquin ſi totus eſſet coagulatus, nec circulationem perageret, nec in ſpiritus ſubtiliaretur, ſicuti ſi totus deflagraret, in cineres totus abiret, & ſpiritu omni deficiens, omnium facultatum extinctionem ſecum traheret. Fatendum eſt pro ea temporis differentia, in qua portiones ſanguinis, ab influxu prædictarum cauſarum, liberè per cor circulantur, Febrem non eſſe, quia ſolùm ad naturalem efferveſcentiam ſunt diſpoſitæ, quæ manifeſtam reddunt difficultatem in explicando modo generatione Febrium dependenter à circulatione ſanguinis, quam in præſentia dilucidare conabor.

II. Fermentum extraneum ſanguini impreſſum, totam illius maſſam fermentare, per illam ſe diffundendo, facilè ſibi perſuadebit, qui ejus naturam conſiderabit, Conſtat etenim, partibus ſpirituoſis, ſulphureis & ſalinis ad ſummum exaltatis & volatilizatis, *ut dict. fuit c. 6. n. 2.* quæ ubi diſſolvuntur, ad maximum ſpatium extenduntur, etiamſi fermentum ſit paucæ molis, non aliter ac grana pauca moſchi, amaræ thuris igne diſſoluta, odorem in magnam loci diſtantiam, & per corpuſculorum tranſmiſſionem ejaculant, & ad ſimilitudinem pulveris pyrii, qui igne accenſus occupat locum majorem ſe ipſo non accenſo 22500. cujus, ex relatione *Fremundi*, & de grano thuris ad magnitudinem piſi combuſto majora decantat *Magnenus*, numerando in eo atomos Element. ad quantitatem 777600000000000000. Ita mirum non debet eſſe fermentum eadem partium volatilitate & ſubtilitate donatum, qua aromata & pulvis pyrius inſigniuntur, diſſolutum etiam in parva mole ſua corpuſcula diffundere, ad ſolam extenſionem corporis, cum reſtrictione ad latitudinem venarum & arteriarum. Admirationem nobis non inducit parvam portionem fermenti per grandem farinæ maſſam paucarum horarum ſpatio fermentare, nec vinum in magna quantitate, vaſto dolio pravo odore imbuto, per momentum conſignatum, eodem odore coinquinari, nec paucas guttas ſevi, & olei terebintinæ, iterum vini dolium ad ebullitionem cogere, nec ſpirit. vini ſui odorem, in emiſſis corpuſculis fundatum, ad multos paſſus dilatare, & admirationem cum incredulitate nobis incutiet, parvam etiam fermenti portionem ſanguineam maſſam poſſe fermentare? Fermentum eſſe Febrile, à calore interno membrorum diſſolutum, in ſubtiliſſimas partes, in venis facillimè totum ſanguinem, arterias etiam ingrediendo pervadit, & ſuo motu partes in ſuperficie ſanguinis exiſtentes magis volatiles & ſpirituoſas movet, & agitat pluſquam naturali ſtatui earum conveniat, & ſi valdè activum fuerit, & penetrans, intimiores ſinus pervadendo in particulis ejuſdem generis, etiam quieſcentibus idem peragit, unde citiſſimè omnes ejus partes volatiles, & ſpirituoſæ ad effrænem motum concitantur, coadjuvante motu primum particularum à fermento motarum, quæ excitatæ ſibi proximiores aggrediuntur, movent, turbant, & agitant, donec putridæ ſpirituoſæ, quibus imbuuntur, ad eumdem modum efferantur, & iſtæ alias, donec ferè omnes in qualibet portione ſanguinis concitæ in motu totam cruoris maſſam in fervorem & ſeditionem deducant, & tunc totus ſanguis præternaturalem fermentationem patitur, tàm à virtute fermenti, quàm à motu ſuarum partium à fermento priùs motarum. Ex quo afferi poteſt, non totum ſanguinem à fermento coinquinari, quamvis præter naturam efferveſcat, quia præter motum quem à partibus primò impulſis adeptus eſt, nullam aliam malam qualitatem acquiſivit, hinc eſt quod ceſſante motu fermenti ſuæ naturæ, & integritati omninò reſtituitur. Quamvis credam etiam à virtute fermenti per totum ſanguinem diffuſi, poſſe prædicto modo turbari, & ad inordinatam efferveſcentiam duci, & tunc ceſſante motu, remanet in ſanguine aliqua qualitas fermenti propria, qua vel auſteritatem, vel aciditatem, ſalſedinem acquirit, & quæ poſtea expulſo fermento, paulatim cedit. His adde motum, quem à ſe ipſo concipit ſanguis, expulſionem extranei fermenti omni conatu intendens, quam non poteſt aſſequi niſi motu, quo fermenti partes propulſat, impellit, & detrudit, & hujuſmodi motus eſt ſemper conjunctus virtuti moventi fermenti, quia ſemper ſanguis totis viribus tendit in expulſionem illius quod ejus depravationem, vel diſſolutionem molitur. Sic ſanguis fermenti virtute, energia propria, & particularum ſuarum motu fervore inordinato tumultuans, ad cor pervenit, cujus calore magis fervet, & præternaturam fermenteſcit, unde calorem igneum concipit, *modo dicto c. 9. n. 24.* hujus caloris aucti activitate, ſanguinis particulæ, ſi quæ ſuperſtant à fermentatione liberæ, rarefiunt ſummoperè, & ad æqualem cum cæteris efferveſcentiam ducuntur, & ita per fermentum, tota maſſa ſan-

ſanguinis ebullit, & æſtuat, in quo eſſentialiter, juxta recentiores, conſiſtit Febris.

III. Quòd ſi adhuc difficultatem faceret, quomodò ſanguis expulſioni fermenti incumbens totus agitetur, poſito quòd fermentum ſit ſolum in aliqua determinata ſui parte, poteſt tolli, ratione ſuperiùs dicta de fermento, quod primo movet particulas ſanguinis in ſuperficie exiſtentes, utpotè ad motum magis aptas, quia quaſi à cæteris ſolutæ, & hæ alias, & ita omnes commoveantur, & hoc manifeſtè apparet in vino, in quo ſi injiciatur aliquot guttæ ſevi, totus fervet, non alia ratione, niſi quia primò commoventur particulæ à ſevo tactæ, vel iſtius virtute, vel conatu vini, in ſui depurationem tendentis, & hæ alias proximiores, & ſic progrediendo per mutuum, alternatum motum ſingularum partium, totum vinum inordinatè agitatur, & efferveſcit, diſſolutis in prædicto motu novis ſemper particulis ſpirituoſis, quæ libertatis amantes, à cæterarum conſortio diſgregationem tentant omni conatu, & impetu, unde motus fit major in toto vino.

IV. Non diſſimili ratione diſcurrendum eſt, de exaltatione principii calidi & ſpirituoſi in maſſa ſanguinea. Hoc enim aliquali libertate donatum, ſuper alias partes ſe extollit, dominium affectans, non ſolùm ſuis qualitatibus, vel etiam motu totalem indagans libertatem, quam inordinatè affectans, nullam conatui quo vincula ex toto diſrumpere tentant, legem ponit, unde hùc illùc ſe ferens per ſanguinis ſinus, quæ invenit obſtacula diruit, & movet, & partes ad motum promptas ſecum rapit, & ſocias in ſui auxilium factas, majori furore ſuum proſequitur molimen, & quæ reſiſtunt, agitar, diſcutit, & propulſat, unde & ipſæ coguntur ad effrænem motum, hic brevi tempore maſſam ſanguineam in furorem ponit, eamque rarefit ſuo impetu mixtionis vincula laxando, itaut in ſinu cordis illabens, tota exardeſcat, & æquali efferveſcentia æſtuet, qua ſanguinem à fermento extraneo tactum efferveſcere diximus.

V. Quod ſi hanc principii exaltationem ad combuſtionem transferimus, facilè eſt ab hujus initio totius ſanguinis incendium concipere, dum enim primò aliqua portio ſanguinis uritur, gliſcit in vicinam partem incendium, & alimentum in ea inveniens (ſunt enim in qualibet porrione ſanguinis, partes ſulphureæ accenſioni aptæ, & maximè in ejus, ſuperficie, ibi deductæ ab inſito efferveſcentiæ motu, & à calore cordis) ibi ſurgit, ab hac parte in aliam tranſit, donec tota maſſa ſanguinis deflagrationi tradatur, quæ incrementa ſuſcipit, quando cum tali incendio per cor circulatur. Et ſi aliqua portio ſanguinis hùc illùc diſperſa ab incendio libera exultat, ab inordinata efferveſcentia immunis non evadit, dum à calore reliqui ſanguinis deflagrantis nimis rarefacta, & excalefacta, ebullit & fervet, & ſuæ particulæ in nimia raritate diſgregationem paſſæ tumultuantur.

VI. Quoad coagulationem, ſeu putredinem ſimpliciter, ſi in aliqua portione ſanguinis, diverſis in locis diſperſa contingat, totam maſſam fermentare facit. Et primò quia cauſa coagulans, quæ eſt ſubſtantia, coagulativa qualitate affecta ſanguini commixta, licèt aliquas ſolùm partes coagulaverit, nihilominus tota maſſa ejus qualitatem ſentit, ſunt enim coagula maximè activa, & tenuiſſimis corpuſculis contexta, quæ diſſoluta per multum ſpatium extenduntur. Ideò videmus paucam coaguli qualitatem, multas lactis menſuras coagulare, & caſeum etiam magnæ molis, pauci coagulantis virtute fieri: Hujuſmodi ergo ſubſtantia coagulandi virtute prædita, per totum diſperſa cruorem, multas partes iſtius coagulat, hoc eſt putreſcere cogit, & hæ ratione putredinis, in qua ſemper ratione diſſolutionis partium, eſt etiam illarum tumultus, & ratione caloris cordis efferveſcentiam inordinatam ſubeunt, & alios pariunt effectus, *modo ſup. explicato cap. 9. n.* 11. quæ verò non ſunt coagulatæ, quia ab extraneo nempè coagulo petuntur, defenſionem moliuntur, excitato ſpiritu ad illius expulſionem, vel deſtructionem, unde in iſtis fermentatio inſurgit præternaturalis, quæ in corde magis augetur *modo ſup. dicto de extraneo* 2. quia pars coagulata, ſeu putrida acidum putredinale ſpirat; quod obſervamus in lacte diu coagulato, & jàm in partes diſſoluto, quo tota maſſa ſanguinis facilè, & citò inficitur, fixalis ſpiritibus in partibus non coagulatis, cum aliquo ſolutionis principio, ſicuti enim ſpiritus ſeu calor ad naturæ regulam modulatus, unionem partium in mixto conſervat, ita deficiens eſt cauſa, ut omnes diſſolvantur. Sic videmus in putredine, per caloris interitum omnes partes mixti ad invicem ſeparati, cùm ſpiritus coagulati in ſanguine ita ſe habeant, ac ſi non eſſent, cùm per ſolùm motum ſua præſtent munia, & illius integritati provideant. Ideò ſanguinis compages detrimentum ſentit, & otiante moderatore, partes inter ſe diſcedunt totali diſſolutioni ſtudentes, unde poſtea cordi conſignatæ, plus juſto rareſiunt, & effeveſcunt; Unde Febris ſine magno calore, prout contingit in particulis ex toto putridis, quia ſpiritus coagulati tam tenaciter cum cæteris particulis inviſcantur, ut à calore cordis non valeant excitari, ſuperata verò cauſa coagulante, partibuſque coagulatis ſeparatis & ejectis, reliquum maſsæ ſanguineæ priſtinam reaſsumit bonitatem, revertente ad ſua munera ſpiritus, quia coagulo fixatus fuit, & intermiſsa quiete, motuque revocato ope caloris cordis, & efferveſcentiæ propriæ, vitam & unionem ſuo reſtituit ſubjecto.

Hæc pro Febrium continuarum generatione explicanda dependenter à circulatione ſanguinis, & ad propoſitæ difficultatis ſolutionem ſufficient. Poſsunt etiam intermittentibus applicari, quia earum efferveſcentia inordinata dependet, vel ab extraneo ſanguini commixto, vel à combuſtione, in quibus explicandis eodem modò ſuperiùs dicto eſt diſcurrendum.

In Antiquorum ſententia faciliùs ſatisfit, dicendo à putredine, & aliis cauſis calefacientibus calorem cordis augeri, unde ſanguis circulans ita incaleſcit, ut totum corpus per quod diffunditur, igneo calore æſtuare faciat, & ſi continuò prædictæ cauſæ calorem cordi ſubminiſtrent, continuò fit Febris, ſi per interpolatas vices accedat cauſa calefaciens, ceſsato ad aliquod tempus influxu prioris, fit Febris intermittens, non aliter ac ab extraneo fermento à natura expulſo, extra vaſa ſanguifera, antequam novum fermentum ſanguini ſubminiſtretur, fit Febris, ex Recentiorum ſententia intermittens; Et ſi maligna qualitas ſanguinem apprehenderit, Febris maligna aderit, & eo circulante per cor inſurgent omnia ſymptomata prædictam Febrem comitantia, & ita modus generationis Febris malignæ, dependenter à circulatione ſanguinis, ex antiquorum mente malignitatem Febrium in occulta qualitate reponentium, explicari debet. Nec mirum eſse debet qualitatem malignam aliquando in determinata portione humori putridi fundatam, totum ſanguinem malignitate inficere, cùm videamus venena pauca portione intus ſumpta, ſanguinem totum venenato miaſmate vitiare, & hujuſmodi qualitates eſse valdè propagativas ſui, per productionem ſibi ſimilis qualitatis.

CAP. XV.

De Signis Febrium.

I. QUia parva in ſignorum doctrina poteſt contingere diſcrepantia inter Antiquos, & Recentiores in cauſarum Febrilium identitate convenientes. Ideò utriuſque partis ſigna in medium non exhibeo, & ab eorum comparatione deſiſto, ne tamen huic operi deficiat complementum, neceſsarium duxi aliquid de ſignis Febrium hìc addere, inhærendo hucuſque dictis: *primò* ſigna exponendo, quæ Febrium diverſas conditiones in genere oſtendunt, *ſecundò* quæ qualitatem cauſæ efficientis manifeſtant, ut ex hujus cognitione curatio perfectiùs dirigatur.

II. Febris non meliùs cognoſcitur, quàm ex pulſus alteratione præternaturali, quæ magnitudine, parvitate, frequentia, tarditate menſurata, Febris magnitudinem, morem, tempora particularia, & univerſalia optimè demonſtrabit.

III. *Magnitudo pulſus, cum frequentia magna*, Febris acutiem, & vehementiam oſtendit, *quia* ſupponit magnam ſanguinis efferveſcentiam in corde fieri, qua multum, & ad amplum ſpatium dilatatur arteria, & major adhuc ex frequentia pulſus cognoſcitur, per quam eodem

dem temporis ſpatio, in quo tempore ſanitatis una fieret pulſatio, hic plures ſuccedunt, magna verò efferveſcentia intenſam cauſæ activitatem arguit, & conſequenter Febris acutiem, cùm hæc ſemper ſuæ correſpondeat cauſæ. *Magnitudo pulſus cum frequentia minori*, mitiorem Febrem deſignat, cauſæ minorem activitatem arguendo, qua ſanguis non multum, nec intensè efferveſcit.

IV. *Parvitas pulſus*, ſi frequentiæ excedenti conjungatur ultra exceſſum Febrilem, qui ex frequentia comprehenditur, malè qualitatis, ſuæ putredinis abſolutæ argumenta præbet, parvitate manifeſtante facultatis languorem, non valentis arteriam ad majus ſpatium extendere. Languor verò facultatis ſpirituum deficientiam præſupponit, dependentem ab abſoluta putredine, vel à maligna qualitate. Idcircò *parvitas*, *& frequentia pulſus. Febris malignæ ſunt certiſſima indicia*. Si magnitudini ſuccedat paucitas pulſus, ſubitam virium reſolutionem oſtendit, & Febrem malignam ex benigna factam fuiſſe. Si verò cum parvitate moderata frequentia ſocietur, debilitatem virtutis cum Febre non vehementi oſtendit, cum periculo tamen ſalutis, quia virium debilitas morbum etiam levem periculoſum reddat. *Adverte* tamen eſſe conſiderandum, an paucitas pulſus ſit naturalis, vel à depravata arteriæ conſtitutione, quia tunc nihil mali prædicunt, & ex aliis Febris accidentibus ejus natura & qualitas eſt rimanda.

V. Hac pulſus menſura particularia Febrium tempora metiuntur, *in principio* enim fit minor & parvus, rum frequentia calorem cordis, & ſanguinis materia Febrili opprimente, & impediente, ne tanta fiat efferveſcentia, ut dilatari poſſit arteria ad ſtatum naturalem, & dum paulatim materia Febrilis diſſipatur, vel foras protruditur, paulatim etiam pulſus reſurgit, & quando ad naturalem dilatationem pervenit, principio acceſſionis terminus ponitur? cui ſuccedit pulſus dilatatio major, quàm tempore ſanitatis ei conveniat, & tunc *augmentum* incipit, quod perdurat uſque dum ad majus ſpatium arteria non dilatatur, & tunc eſt augmenti finis, in quo ad arteriæ dilatationem majorem, & majorem magis, atque magis incrementum ſuſcipit calor Febrilis, & frequentia pulſus, arteria dilatationis terminum conſecuta, ad aliquod tempus illam conſervat, & calor in concepto exceſſu firmatur, & tale tempus eſt *ſtatus*, & ſi arteria ab ultimo dilatationis termino recedere incipiat, & verſus naturalem ſtatum pergere, cum caloris diminutione, jam ad *declinationem* pervenit Febris, & ſi naturali declinationi reſtituta fuerit, cui conjungitur ſemper caloris Febrilis extinctio, *Febris ex toto ceſſaſſe* cognoſcitur. Hoc modo ex pulſu, tempora particularia Febrium per paroxyſmos invadentium diſtinguimus, & eodem modo diſtinguere poſſumus tempora earum, quæ unica acceſſione circumſcribuntur, cùm in iſtis eadem ſit ratio *principii*, *augmenti*, *ſtatus*, *& declinationis*, ac in qualibet acceſſione Febris intermittentis, & ſolùm differunt, quòd hæc uno die terminatur, ubi in illis ad plures dies extenditur.

VI. Quod in particularibus Febris temporibus diſtinguendis obſervatur in pulſu, id univerſalia etiam tempora diſcernit; comparativè ſumendo dilatationem arteriæ, & frequentia in motu ad principium univerſale Febris, ab hujuſmodi enim comparatione *diſtincta augmenti*, *ſtatus ac declinationis habetur notitia*. Arteria cum majori dilatatione & frequentia ſe movente *in augmento* morbi univerſali quàm in principio, adjuncta inæqualitate, proveniente ab inæquali accenſione & efferveſcentia partium ſanguinis in corde. *In ſtatu univerſali* prædicta omnia in eodem tenore conſervantur, quandoque verò augentur, aucta ſanguinis efferveſcentia, non ratione Febris, ſed motu naturæ ſeu principii naturalis in ſanguine dominantis, ſui hoſtis ejectionem molientis, quo motu totus æſtuat, & efferveſcentiæ furore excandeſcit. Quod ſi obtinuerit minorata efferveſcentia ab ablationem cauſæ, vel ipſa per ſe deficiente, dilatatio arteriæ frequentia & inæqualitas fit minor, & *Febris univerſalem attingit declinationem*. Quæ ſi conjungatur cum aliis ſignis à Medicis pro cruditate, & coctione materiæ peccantis dignoſcenda recenſitis, integram, & perfectam cognitionem Febris ſuorum temporum particularium, & univerſalium dabunt.

VII. Quoad cauſarum ſigna, aliquod extraneum ſanguini miſceri, Febres acceſſionum recurſu oſtendunt ab hoc enim Febres per paroxyſmos invadentes fieri *oſtenſum eſt cap. 12. n. 2.*

VIII. Quale verò ſit vitium extraneæ materiæ, accidentia Febri magis inhærentia demonſtrabunt. Si frigus cum rigore, & pulſus contractione in acceſſione corripiat, materiam acidam deſignat, quæ vellicando partes ſentientes rigorem facit, coagulando ſanguinem, & ſpiritus fixando, pulſum ad contractionem cogit. Hujuſmodi ſymptomata longiori, vel breviori tempore circumſcripta, materiæ quantitatem majorem, vel minorem, ſicuti tenuitatem, & craſſitiem declarabunt; nam craſſities, & abundantia materiæ, ea in longum protrahit, tenuitas verò, & paucitas, brevis durationis facit, ſicuti vehementia, & remiſſio, pravæ qualitatis intenſionem & remiſſionem oſtendit: Quandoque hujuſmodi materia ſola aciditate peccat, deficiente in ea partibus calidis, ad accenſionem ſanguinis idoneis, nec unita exiſtente cum alio humore huic effectui opportuno, ut ſolo frigore, & horrore cruciet, nullo vel parvo ſubſequente calore moleſto, ut multoties in quaternis ad finem declinationibus univerſalis properantibus obſervatur, & in Febribus algidis dictis evenit, vel quia acido devicto, in dilatatione pulſus, & reſurrectione ſpirituum, non habet materiam unde ſanguinem fermentare faciat, vel quia ſanguis, à longa Febre ſpiritus depauperatus, ad efferveſcendum impotens redditur: ea enim quæ pauco ſpiritu donantur, difficillimè fermentantur. Aliquando verò prædicta ſymptomata calor intenſus ſequitur, unione acidæ, & oleoſæ materiæ, unde prima expirata altera accenditur, & ſanguinem efferveſcere facit magis, vel minùs, juxta prædictæ materiæ activitatem majorem, vel minorem, & diſpoſitionem ſanguinis ad magis, vel minùs fermentandum, vel ad comburendum. Ab hac unione acidæ & oleoſæ materiæ, diverſo tamen tempore ſuos producentis effectus, quandoque oritur difficultas ſpirandi, ab acida materia pulmones opprimente, ſtagnatione facta ſanguinis coagulati in eis, tempore actionis oleoſæ, & amaræ ſubſtantiæ, aliquando cardiaglia producitur, inducta dolorifica ſenſatione in ore ventriculi à corrodente ejus qualitate, aliquando vomitus excitatur irritata ventriculi expultrice facultate, quæ inſurgens ad irritamenti ejectionem, parvam materiam in eo contentam per vomitum expellit. Si ſolo frigore cum pulſus contractione Febris invadat, materiam Febrilem frigiditate peccare arguemus, vel ſaltem liberam eſſe à qualitate acri, & frigus, atque pulſus contractionem efficere, prohibendo expanſionem caloris ad partes, quæ ſi diu durant, viſcoſitatem illius arguit; ſi verò parùm, tenuitatem; in hoc caſu ſubſequens calor eſt mitis, quia materia partibus calidis non abundat, ideoque non valdè laxitatem contraxerit, à qua diſponatur ad effrænem fermentationem, etiam à debili fermento, vel ſalſedinem acquiſierit, quæ non magnum, ſed acrem ſenſui reddit calorem, cum magna moleſtia totius, ut æger loco ſtare neſciat, & inquietudine prematur: & hujuſmodi Febres dicuntur pituitoſæ. Si horror cum aliquo ſenſu caloris inſurgat, ut ſolet in tertianis Febribus, in quibus ægri contremiſcunt & calent, perſuaſi erimus humorem calorem & acrimoniam habere, ut bilis, quæ in ſuo ſale præter amaritiem corroſivam facultatem conſervat, ut patet in dyſenteria à bile, qua partes nervoſas, & ſentientes pungendo in tremores impellit, caliditate conjuncta caloris ſentationem efficiendo, & ſi pulſus contractio concurrit, hæc à contractione cordis materiæ irritamentum ſentiens, vel ab admixtione acidi humoris, vel ab oppreſſione caloris, verenda Sitis in *primo* inſultu harum Febrium maximè affligit, bile vincente alios humores, unde caliditate vaporum fauces exſiccando, & ſalivalem humorem incraſſando, ſitim moleſtam parit, quæ aliquando Febre invaleſcente minuitur, diſſipatis vaporibus prædictis. Omnis verò abſentia frigoris, & horroris ſoliuſque caloris ſubitus inſultus, cum ſola, ſed parva pulſus contractione & tenſione materiam, nec aciditate, nec acrimonia peccantem manifeſtat, ſed ſola caliditate contracta combuſtione, qua affatim, & ſubitò tamquam in ligno ſummè ſicco, partes igneæ prorumpunt, ſanguinem accendere, præmiſſo pauco evaporationum effluxu, aliquali oppreſſione cor fatigan-

tigan-

rigantes, quæ brevi tempore à calore diſſipantur, unde contractio pulſus, ab oppreſſione dependens, parùm durat, & ſi calor ſit intenſus humorem intensè calidum oſtendit, qualis eſt bilis, & ſine alterius admixtione, quę rigorem & horrorem non efficit ſua acrimonia, quia ſubitò accenſa, caliditate intenſa alias qualitates ſuperando, illarum operationem non permittit, vel offuſcat.

IX. Hæc humoris naturam oſtendunt. *Febris verò longitudo, vel brevitas*, deſumenda eſt ab impedimento, quòd omnium Febrium intermittentium cauſam diximus, & à ſanguinis diſpoſitione apta impedimenti contumaciam citius, vel tardiùs ſuperare, & cum hac, *longitudinem Febris deducimus*, ab ejus accidentibus, quæ nihil remittunt poſt ſeptimam, undecimam, vel decimamquartam acceſſionem, nec Febris citiùs ſua tempora particularia pertranſit, quia ſignificant materiam in eadem quantitate, & cum eodem vitio ab affecta parte ſubminiſtrari, & impedimentum eſſe ſtabile, & fixum, nec à ſua contumacia recedere. E contra *brevitas indicabitur*, à Febris & ejus ſymptomatum diminutione. Sic paroxyſmorum anticipatio, cum Febri majori, vel æquali præteritis, majus vitium in materia arguit, quo impedimentum citiùs ſuperat, ſed hoc ad priſtinum ſtatum revertere vitium materiæ manifeſtat, & conſequenter longitudinem portendit. Anticipatio paroxyſmi cùm minori Febre, & benignioribus ſymptomatibus, impedimentum faciliùs ſuperari, & materiam minùs depravari denotat, unde Febris terminum in brevi ſperare licet. Sanguinis diſpoſitio conſideratur penes abundantiam humorum tenuium, vel craſſorum, illa brevitatem præſagit, quia impedimentum facilè ſuperabile reddit activitas, & ferocia humoris tenuis, quamvis magnitudini Febrium inſerviat, ad majorem, & effrænem efferveſcentiam tenuitate cooperante: ubi craſſities, Febres magis mites reddit, ſed impedimentum difficiliùs ab eorum virtute tolli poteſt, unde niſi longitudo expectanda.

X. *Principii calidi exaltationem in ſanguine oſtendit primò*, Febris continuitas nullis interrupta acceſſionibus quia cauſa in ſanguine permanens, permanentes operatur effervescentiam præternaturam, creſcentem, vel decreſcentem, prout principium exaltatum in qnantitate, & virtute fermentativa creſcit, vel decreſcit. *Secundo* ab intenſo calore, cum principii exaltatione conjuncto, colligitur, hæc enim à combuſtione non differt, quæ intenſione caloris ſemper inſignitur, prout dictum fuit *cap. 6. num. 22.* Dum ſanguis combuſtionem patitur, multæ partes ejus torrentur, & tamquam cineres à cæteris partibus diſgregatæ, & fermentativam indolem conſecutæ, effervescentiam augent, ex qua Febris novus inſultus arguitur, cum aliquali contractione arteriæ, ſeu tenſione in ſanguinis turgeſcentia, à novo fermento effecta conſiſtente, qua arteria nimis diſtenditur & contrahitur, tamquam chorda arcus: eo modo quo utres nimis repleti vino, vel alio liquore, & duritiem, & contractionem acquirunt: brevi tempore tollitur hæc contractio, quia ſpiritus, & vapor qui retentus ſanguinem turgentem reddebat, exhalare incipit. *Inæqualitas pulſus ſit* à materia inæqualiter fluente ad cor, vel inæqualiter rarefacta, ob diverſam ſui diſpoſitionem. Et ſi contingat ſanguinis circulationem impediri in aliqua parte, & in vaſe medio inter maximos & minores à tumore, vel inflammatione, ſanguis regurgitat verſus ſuum principium, exterioribus partibus relictis, unde internè uruntur ægri, & exterius frigent cum parvitate pulſus, oppreſſo à regurgitante ſanguine corde, & ejus calore.

XI. *Coagulatio, ſeu putredo*, diſtinguitur à parvitate pulſus aliquando majori, aliquando minori, pro qualitate ſanguinis: qui ſi acris fuerit, irritando cor ad ſui expulſionem, in tali motu frequentia ſit major, à putredine verò amaritiem, acetoſitatem, & ponticitatem vel auſteritatem impartiri, docet vinum in vappam degenerans, vel in acetum verſum, & fructus & eorum ſucci putreſcentes, ſicuti coagulatio perſeverans lac acidum reddit, & ab his qualitatibus frequentiam pulſus dependere probat palpitatio cordis, à materia irritante, in qua ſemper pulſus frequens & celer, & paſſiones cordis in hypochondriacis & hyſtericis, quæ hujuſmodi pulſus alterationem patiuntur à pravarum evaporationum irritamento. Remota verò tali qualitate minor aderit frequentia. Et quia in putrido ſeu coagulato ſanguine, major naturali contingit effervescentia, ſed cum paucitate caloris qui interrit, vel in ſpiritu cum aliis partibus coagulato otiatur, ideò pulſus fit parvus, deficiente ſpiritu impetum faciente ad arteriæ amplam dilatationem.

C A P. XVI.

De Curatione Febrium in Particulari, & primò de Ephemera, & Synocha non Putrida, ex mente Antiquorum, & Recentiorum.

I. Curationem Febrium in generali libenter prætermitto, quia in hoc conſenſus Veterum, & Modernorum, puto ſatis ſuperque patere poſſe ex conſenſu in modo curationis Febrium particularium, ideò in hujus demonſtratione inſiſtere decrevi incipiendo à curatione Febris ephemeræ, & ſynochæ non putridæ.

II. De ephemera agens *Sylvius lib. 1. Prax. Medic. cap. 28.* curationem dirigit ad remotionem cauſæ externæ, ſanguinem totum refrigerando, *Avicennam* imitatus qui *l. 4. ſec. prima de Feb. Tract. 1. à cap. 9. uſque ad* 33. curationem inſtituit Febris Diariæ eiſdem indicationibus inhærendo, ſcilicet cauſæ extrinſecæ remotioni, & refrigerationi totius ſtudendo.

III. Et incipiendo ab aeris æſtu, ſi ab hoc originem traxerit Diaria, *Sylvius* in hujus curatione jubet aerem in quo æger habitat, aquarum inſperſione ſuper pavimentum refrigerari, & ſudorem promovere, ſimul ac refrigerare, quod facit ſequenti mixtione. ℞. *Aq. Card. Bened.* ℥. *vi. Acetoſæ* ℥. *ii. Syr. Papav. errat.* ℥. *i. ſpir. nitri gutt. vi. m. quo facit cum Avic. cit. lib. cap. 29.* dum caput & pectus ægrotantis refrigerantibus remediis irrigat, & roſaceo nive refrigerato inungit, frigidam aquam propinando, & in balneum ægrum immittendo, ſudorem provocare intendere videtur. Unde *Sennertus lib. 1. de Feb. cap. 6.* generaliter in quacumque cauſa ephemeram excitante ſudorem probat, & adjuvandum eſſe indicat, quia plerumque hæc Febris ſudore finitur. Hinc omnes ferè practici ad *Galeni* imitationem potum aquæ frigidæ ad ſatietatem ægris exhibent in Diaria, ab æſtu excitata, quòd tamen cum cautione exequendum eſt, quia ubi craſſi lentique humores cum obſtructione partium abundant, pernicioſus eſt uſus prædictæ aquæ, ſicuti etiam ubi aliqua pars corporis eſt imbecilla, quapropter cum moderatione refrigerandum eſt cum aquis cichorei, endiviæ, acetoſæ, violarum, nenupharis, vel decoctis eorundem, cavendo etiam à dulcibus ſyrupis, quia aliqualiter calefaciunt, dum facilem in bilem vertuntur, & ſanguinis æſtum promovere valent.

IV. *Quòd ſi obſtructio timeatur*, ex eo quod æſtuanti corpori ſupervenerit aeris, alteriuſve rei frigus: probat *Sylvius* prædicto julapo admiſceri *ſal volatile è Cornu Cervi, ſal. armoniacum*, aliave ſimilia deobſtruentia & Diaphoretica, ut ſunt, *ſpiritus tart. rectificatus, Antim. diaphor.* quæ deobſtruendi, & ſudorem ciendi facultate pollent prædictum *Avic.* ſequens, qui *cit. l. c.* 30. ſudorem provocari jubet, ægrum operiendo, & Febre inclinante in balneum calidiuſculum immittendo, ut cum refrigeratione totius ſudor proliciatur, *ut dixi c. 9.* & ut obſtructi pori cutis dilatentur, vinum etiam exhibendo, quia ſudores, & urinas provocat, & *cap. 25.* in Diaria ex obſtructione alicujus partis, aperientia in uſum revocat.

V. *Si potu à generoſo largius hauſto excitata fuerit Febris Diaria*, potum acidiuſculum imperat, qualis eſt, *Tinct. Roſ. acidiuſculam.* ℞. *Aq. hord.* ℥. *xxx. Roſar.* ℥. *ii. flor. Roſ. rub. ſic* ℥. *i. Ol. ſulph. q. ſ. ad aciditatem gratam, infundantur in Vaſe vitreo clauſo, & in loco calente ad Tincturæ eleganter rubentis extractionem colaturæ adde ſyr. Ibi. ubini* ℥. *ij. de qua tinct. ſæpè capiat, hæc enim ſanguinis æſtum compeſcit, & Febrem tollit*, hujuſmodi ad Febrem Diariam ex vino, admittit *Avic. dum cap. 32. cit. l.* tradens curationem Diariæ, ex potu vini ait

ni ait *curari prout curatur ebrietas*, & *lib.* 1. *ſect.* 3. *cap.* 8. agens de eis, quæ ab ebrietate perſeverant, inter alia enumerat, *ſuccum mali punici acidi*, & *acetum*, *lac acidum*, & *poſcam* frequentiùs hauſtam, quæ verò præſervant, etiam curant.

VI. *Si à nimio corporis motu, ac defatigatione excitata fuerit Febris Diaria*, ſancivit *Sylvius*, ſpirituoſo potu reparandos eſſe ſpiritus animales, ita tamen ut conjunctus corpori æſtus non augeatur, in quem finem ſequentem proponit mixturam, cochleatim per intervalla brevia uſurpandam. ℞. *Aq. Flor. Tiliæ Bet. fœnic. an.* ℥. *ii. ſpiritus vini rectific. vel Aquæ vitæ Mathiol.* ℥. ß. *ſpir. ſalis dulc.* ℈. *i. Jul. roſ.* ℥. *m. vel* ℞. *Aq. Meliſſæ ſalviæ an.* ℥. *iii. totius citri* ℥. *ii. cichorei* ℥. *iii. ſalis Roſmarini, ſalviæ An.* ℈. ß. *ſyrup. acetoſæ* ℥. *i. m.*

VII. In hoc etiam *Avic.* præceptis conformis, qui *cap.* 19. *cit. lib.* curam Diariæ ex labore agens jubet, ut ægri capiant cibos, qui in pauca copia multùm alimenti conferent, nec ſanè alia ratione, niſi uti diſſipati à labore ſpiritus reſtaurentur per alimenta multi & boni nutrimenti, in quem finem veſtes, ac ſedilia odoramentis imbuit, fructus etiam humidos & recentes à refrigerationem exhibendo, & ſi hi non adfuerint. Julapium, aliudque quod valeat ſupplere vice fructuum, proponit.

VIII. *Ubi ab Ira vehementiora excitata eſt diaria Febris*, præter illa quæ animum præſtant ſerenum, refrigerantia, & humectantia, Bilem corrigentia commotam, & acriorem factam corrigentia exhibet: *ut eſt ſequens mixtura, quæ paulatim aſſumendi eſt.* ℞. *aq. plant. lactuc. acetoſæ an.* ℥. *i. cinamom.* ℥. ß. *ſpiritus ſalis dulcis* ℈. ß. *ſyr. diacodii* ʒ. *i. m. in hujus locum poteſt uſurpari ſequens potio eodem modo.* ℞. *Aq. Portulacæ, Nenupharis, Violarum an.* ℥. *ii. ſyr. de ſuc. Limonum, vel agreſtæ* ℥. *i. ſalis prunellæ* ʒ. *i. m. vel decoctum hordei, tamarindorum.*

IX. *Et hæc docuit Avic. cap.* 13. *cit. lib. de curatione Febris diariæ ex Ira*, quando monuit ægros deberi occupari fabulationibus jucundis, ſuavibus cantionibus, & ludis mirificis victum humectantem, & refrigerantem imperando, quod *Sylvius* etiam per medicamenta talis conditionis intendit.

X. *Ubi à ſubitaneo & gravi mœrore orta eſt diaria Febris*, ad ejus curationem unà cum ſalutaribus animo ſolando, ac erigendo aptis conſiliis, ſequentem conſulit mixturam *Sylvius*, ad corrigendam humorum auſteritatem, quam in mœrore contrahunt, & ad ſedandam ſanguinis efferveſcentiam. ℞. *Aqu. Pulegii, fœnic. an.* ℥. *ii. ſpiritus carminativi noſtri, vel Aqu. Vitæ Mathiol.* ℥. ß. *laud. opiat. gran. ii. Spiritus ſalis Armoniaci* ℈. *i. ſyr. ſœnic.* ℥. *i. de qua ſæpius & parum capiat. poteſt etiam ſequens mixtura eodem modo exhiberi.* ℞. *aq. totius citri, ſcorzoneræ, bugloſſæ an.* ℥. *ij. confect. Alkermes* ʒ. *i. aqua theriacalis* ℥. *i. elixir proprietatis* ℈. *i. ſyr. de corticibus citri* ℥. *i. m.* quas indicationes habuit *Avic. cap.* 11. *cit. lib.* proponendo in curatione Febris à mœrore vinum, quod habet virtutem exhilarandi, & ſpiritus qui in mœrore diſſolvuntur reſtituendi, quæ continetur in prædictis medicamentis, dilutum tamen exhibet, ne magis accendat, conſulendo, ut tempus hilariter æger tranſigat, & odoramentis refrigerantibus oblectetur.

XI. *Ubi à vigiliis oritur prædicta Febris, Sylvius* ſtudet in removendis cauſis vigiliarum, & in diſponendo corpore ad ſomnum capeſſendum narcoticis ℞. *hord. mund. ad crepaturam cocti* ℥. *i.* ß. *ſem. Papav. alb.* ℥. *ſ. cum ejuſdem hordei decoctio fiat emulſio ad* ℥. *xv. addendo ſyr. Papav. alb.* ℥. *i. aq. fænic. vel roſ.* ℥. *i. ſ. m. ad idem facit emulſ. facta cum ſeminibus melonum, papaveris albi, & amygdalis decorticatis & aq. viol. lactucæ, vel nymphea, vel prædicta aqua*, exhiberi poſſunt cum *ſyr. papaveris albi*, quæ poſſunt ægro propinari paulatim per hauſtula ſæpiùs repetita ex præcepto ipſius *Sylvii*, donec ſomnum experiatur, qui ſi ne ſic quidem accedat, *eidem emulſ. laud. opiat. gr. ij. vel iij. adjungit*, neque in hoc ab *Avic.* diſceſſit, qui *cap.* 15. curationem talis Febris à vigilia inſtituit, per extrinſeca refrigerantia, & humectantia, quæ intus ſumpta, ut præcipit *Sylvius*, erunt majoris efficaciȩ, & vinum tamquam narcoticum propinat.

XII. *Si in Febre Diaria in quacumque cauſa, plethora adſit*, ſanguinem mittit, & ubi copioſa eſt in corpore bilis, hujus evacuativum propinat, ubi verò non tàm multa, quàm acris adeſt bilis, alterantia, & in primis acida, & quæ ardorem promovere valeant propinat, ut eſt ſequens ℞. *rad. cichor.* ℥. *j. taraxaci m. j. tamar.* ℥. *j. ſ. coq. ex aq. hordei*, de qua colata accipe ℥. *xx.* addendo *ſyr. de cichoreo cum rheubarbaro* ℥. *i.* ß. *m.* vel ℞. *aq. hordei* ℥. *xij. fænic. vel cinamomi* ℥. *v. ſyr. de cichoreo cum rheubarbaro* ℥. *ij. ſpir. vitriol. qu. ſ. ad acciditatem*, & has potiones jubet ſumi per hauſtus interpolatos, ſed frequentes, donec alvus reddatur laxior. In horum locum poterunt uſurpari *ſyr. roſ. ſol. ad* ℥. *v.* diſſol. *cum aq. Endiviæ*, ſuperbibendo poſt duas, vel tres horas, *ſeri caprini* ℔. *i ſ. vel* ℔. *iij. aq. Noceræ*, vel fiat infuſio *rheubarbari ad* ʒ. *i.* ß. *in aq. Endiviæ qu. ſ. addendo col. roſ. ſol.* ℥. *iij.* vel ℞. *caſſiæ noviter tractæ* ℥. *j. pulpæ tamarind. mund.* ʒ. *v. m. fiat Bol.* ubi verò non tam multa, quàm acris adeſt bilis, alternantia, & in primis accida, Diaphoretica accida, ad bilem acrem moderandam, quæ ſudorem promovere valent, propinat, & præcipuè commendat, *acetum ſtillatitium ſimplex vel compoſitum*, ut ſequens ℞. *rad. Angel. Zedoar. an.* ℥. *i. petaſitidis* ℥. *ij. foliorum ruthæ hortenſ.* ℥. *iv. meliſſæ ſcabioſæ, flor. calend. an.* ℥. *ij. nucum jugland. immatur. conciſ.* ℔. *xi. pomor. citrior. conciſ.* ℔. *i. contundantur omnia ſimul, deinde affundantur aceti vini optimi ad tres quartas partes, ex arena in cucurbita vitrea per ſe diſtillati lib. xij. digerantur per noctem, manè diſtillentur igne cinerum lento, ad ſiccitatem ſine uſtione, & de hoc poteſt æger ſumere in cereviſia, juſculo, vel aquis, ad acciditatem, & ſudor expectandus.* Quod ſi ſola alteratione uti volumus, præter *acetum ſtillatum* convenient, *decoctum berberis, ribes, acetoſæ, tamarindorum, portulacæ cum ſucco limonum, vel ſpiritu vitrioli, vel ſalis, vel tartari vitriolati, vel ſalis prunellæ*: Ubi verò contingat lympham, ſeu ſuccum pancreaticum acidiorem factum, efferveſcentia in ſpiritu introducta Febrem diariam cauſare, ſalia volatilia aciditati propria, & Diaphoretica, *ut ſalia volatilia, cornu cervi*, &c. imperat, & *ſalis armoniaci*, quibus addi poſſunt *ſal carabe, urinæ, roſmarini, ſalviæ, lavendulæ cum aquis refrigerantibus*, quæ ex doctiſſimo *Tachenio in Hipp. Chimic. cap.* 19. alkali volatili ſcarent, quo acidum abſorbent, & diſſipant, ut *cichoreæ, endiviæ, lactucæ*, & cum his vulnerariæ herbæ, ut *Alchimilla, plantago, farfara, polygonum*, quibus parari poſſunt variæ medicamentorum formulæ.

XIII. Ubi diaria Febris corripit hominem, in quo vel copia, vel viſciditate, vel ſalſedine, peccans pituita reperitur, danda mox opera, ut illa nimia per evacuationem minuatur, vicida incidatur, ſalſa temperetur, ad præcavenda mala plura, ita conſulit *Sylvius*: medicamenta his opportuna habebis, *cap.* 19. *n.* 4. & *cap.* 109. *n.* 19.

XIV. Hic adverte evacuationem, purgationem, & humorum pravorum alterationem *Sylvium* admittere, ubi ſanguinis abundantia, vel pravorum humorum majoris damni periculum infert, ut ex *præcedenti num.* colligi poteſt.

Et in hoc pariter eſt imitatus *Avic.* qui *cit. lib. cap.* 1. ait, *Evacuatio hic inutilis eſt, neque ulli ea eſt opus, niſi cui ex plenitudine obſtructiones inſint, & cruditate laboret, & Febris nata ſit ex cutis denſitate, corpore ſimul exiſtente pletorico.*

XV. Et quoad bilem, ſecutus eſt *Fernel. de Feb. cap.* 5. qui Febris ſynochæ, imputris, ex bile, calidorumque humorem agitatione mentionem facit, & *Nicolaum floren.* qui *tract.* 2. *ſum.* 4. *diſt.* 1. *cap.* 3. Febrem humoralem ſine putredine, dividit in ſanguineam, & cholericam, unde etiam ſi ex bile diariam Febrem determinaſſet, antiquorum placitis adhæſiſſet, & cura cum eo eſt dirigenda, evacuatione & alteratione bilis, nec malè poſteà ex hoc principio deduxiſſet poſſe à ſucco pancreatico & lympha depravatis citra putredinem abſolutam, hujuſmodi Febrem generari, cum ſola qualitatum depravatione valeant ſpiritibus efferveſcentiam inordinatam impartiri, *ex dictis cap.* 4. *num.* 29. & *cap.* 6. *num.* 7. & 8.

XVI.

XVI. *Vvilliſius lib. de Feb. cap.* 8. in curatione talis Febris, cum *Avic. & Sylvio* amotionem cauſæ extrinſecæ imperat, & quia à cauſis ſanguini corpuſcula fermentativa communicantur, hæc ſudore vel inſenſibili tranſpiratione debent foras protrudi, hinc ſudorifica cum citatis admittit, quod confirmavit, quando à ſudore ceſſatam Febrem obſervavit, ut habetur *ex Hiſt. unius ægri cit. loc.* Et quando periculum eſt ne Diaria in putridam tranſeat, ſanguinem mittit, juxta regulam ſuperiùs dictam, ex mente *Avic. & Sylvii*, ex quibus manifeſta ſit *Vvilliſii*, & *Sylvii* cum *Avic.* concordia in curatione Diariæ Febris, quæ dum eſt cum antiquiſſimo Medicinæ Principe, unionem recentiorum cum antiquis confirmat.

CAP. XVII.

In quo oſtenditur conſenſus Antiquorum, & Recentiorum in cura Febris Synochæ Putridæ.

I. SYlvius *cit. lib. cap.* 29. plures Synochæ differentias diſtinguit, dependenter à diverſitate humorum à quibus hujuſmodi Febris oriri poteſt, aliis enim à bile, quas ardentes vocat, deducit, & alias à lympha glandulosa capitis, à qua Febres catharales, cum coryza, raucedine, & tuſſi derivat, ſicuti à ſucco Pancreatico pancreaticas denominat, quæ anxietatem circa præcordia, ventris tormina, & lancinationes cum dejectionibus cruentis acrive dolore ſecum trahunt, quibus adjungit quæ ſalivam vitiatam pro cauſa habent, & Febrem hecticam in his comprehendit.

II. Alias etiam recolligit differentias, à ſymptomatibus quæ has Febres conſequi ſolent, ab ardore ſummo Ardentem, quæ à Græcis *Cauſos* denominatur diſtractis alternis diebus exacerbationes patientem, ad differentiam ardentis Febris, quæ ſine his invaleſcit. Secundum locum ex aliquorum mente, tribuit lypiriis, in quibus externa frigent, dum interiora uruntur: tertium locum ait vendicare Febres illa, quæ imprimis faucium ardore, ac rubore obſcuro ſunt moleſtæ, unde lingua quoque non tantùm arida exiſtit, verùm calore puniceo nigricante tincta: quartum locum Febribus, quæ cum delirio primis diebus cum furore invadunt concedit: quintum locum tribuit Febribus colliquantibus: ſextum verò Febribus malignis.

III. Juxta has differentias curationem inſtituit, & in ſynocha à bile quæ ardentem Febrem parit ſine intermiſſione & exacerbatione *Gal.* ſententiam ſecutus, qui *ſect.* 4. *aph.* 58. *&* 59. *& lib.* 2. *de differ. Feb. cap.* 1. *& lib.* 2. *de criſibus cap.* 6. Febrem bilioſam ardentem, inquit, appellari ſynochum, prout *Hercules Saxonia in lib. de Feb. cap.* 33. ardentem Febrem in continuam concluſam, & continuam periodicam diſtinguit, has elicit indicationes, *primo corrigendo bilis acrimoniam ſalinam*, per acida temperata, *per ſpiritum ſalis dulcem, ſpirituum vitrioli dulcificatum, ſalem nitri purificatum, vel ſalem prunellæ, vel hoc apozema.* ℞. *radicis acetoſæ cum fol. m. ii. fol. frigariæ, violariæ, an. m. i. coq. ex aqua hordei, ad colat.* ℥. *xx. adde ſyrup. acetoſ. citri* ℥. *iii. ſpiritus ſalis dulcis* ℈. *v.* de quo ſæpius in die uſurpandum quantitate mediocri, & tepide. Ejuſdem efficaciæ erunt *emul. ſem. melonum cum aqua refrigerante extractæ addito ſpiritu vitrioli ad gratam acid.* vel ℞. *Aquæ acetoſæ, end. an.* ℥. *iv. ſyrup. de ſucco limonum* ℥. *i.* ß. *m.* vel *tinctura roſ. extracta cum ſero Caprino diſtillato, acido facto cum ſpir. vitrioli.*

IV. *Secundo emendando bilis oleoſitatem ſeu inflammabilitatem*, per acida auſteriuſcula, *ut ſemper vivum majus, plantago, tamarindi, ribes, berberi, oleum ſulphuris.* Ex quibus parat ſeq. decoctum uſurpandum modo ſuperiori dicto. ℞. *Radicis plantaginis* ℥. *i. fol. ſempervivi majoris, portulacæ an.* ℥. *m. j. coquantur ex aqua pura ad colat.* ℥. *xx. addendo ſyr. portulacæ* ℥. *iii. ol. ſulph. q. ſ. ad aciditatem* vel ℞. *tamarindorum mund.* ℥. *v. gr. ribes* ℥. *i. fol. acetoſæ, portulacæ an. m. j. bul. in aquæ fontis ſuff. quant. de colat.* ℞. *aquæ* ℔. *i.* ß. *adde ſyr. plantaginis, acetoſi ſimp.* ℥. *i.* ß. *m.* vel ℞. *aquæ plantag. portulacæ, acetoſæ an.* ℥. *iv. aceti ſtillati.* ℥. *v. ſyr. martini* ℥. *i. &* ß. *m.*

V. *Tertio minuendo bilem, ſi vel minimum, quòd ferè fieri ſolet abundare obſervetur*, per colagoga, ſed blandiora & ſubacida, vel acidis juncta, & quidem mox in principio, vel poſtquam medicamentorum alterantium ope, bilis ſanguini penitus juncta, incipit ab eodem iterum ſecerni, & ut in totum excernatur apta reddi, quod in primis expectandum à ſæpiùs laudatis acidis, ſed blandioribus. *Hinc ad bilis ſeparationem utitur ſequenti mixtura.* ℞. *radicis taraxaci cum fol. m. ii. herbæ fumariæ m. i. coquantur ex aqua pura ad colaturæ* ℥. *xx. addendo ſyr. de cicoria* ℥. *iii. ſal. tartari vitriol.* ʒ. 1. *m.* de quo capiat eodem modo, quo de prioribus dictum eſt, nempè ſæpiùs in diem, vel ℞. *aq. graminis, capil. ven. acetoſæ an.* ℥. *iv. ſyr. de endivia* ℥. *ii. tincturæ tartari* ℥. *i. m.* vel ℞. *decocti graminis agrimoniæ, cichorii, acetoſæ* ℔. *i.* ß. *ſyr. de ſucco limonum, acetoſi ſimplicis an.* ℥. *iv. ſpiritus vitrioli q. ſ. ad aciditatem*, vel *ſalis prunellæ* ʒ. *i.* His præmiſſis, uſurpanda quæ bilem evacuant, in cujus finem proponit ſequens apozema. ℞. *rad. cichorei* ℥. *ii. fol. endiviæ m. ii. flor. roſ. pallid. ii. crem. tart. vel tart. crudi* ʒ. *ii. coque in vaſe fictili vitreato, ex aqua pura ad col.* ℥. *xx. adde ſyr. de Cichor. cum Rhab.* ℥. *iii. m. de quo capiat bis, terve in die ad* ℥. *iii. vel iv.* tepidè, cui poteſt addi ſequens. ℞. *hordei m. i. Prunorum num.* 12. *jujub. ſebeſten. an. num.* 12. *tamarind.* ℥. *i. flor. cord. p. ii. ſennæ* ʒ. *ii. coq. in aqua, de col.* ℔. *i. ſ. Mannæ* ℥. *iii. vel ſyr. roſ. ſol.* ℥. *iii. eodem modo ſumat.* vel ℞. *florum cordial. p. i. ſem.* 4. *frigid. mai. an.* ʒ. *ſ. fol. lactuc. endiviæ an. m. v. bul. in ſeri cap. depur.* ℔. *i. colat. adde infuſionis* ʒ. *ii. rhab. factæ in* ℥. *ii. aquæ Endiviæ ſyr. roſ.* ℥. *iv. aquæ totius citri* ℥. *i. crem. tart. ſ. p.* ℥. *iii. m.* eodem modo uſurpanda vel ℞. *Caſſiæ noviter tractæ* ℥. *i. crem. tart.* ʒ. *ii. m.* unica vice aſſumendo, vel ℞. *caſſiæ noviter tractæ, tamarind. præp. an.* ℥. *i. rhab.* ℈. *ii. m.* vel ℞. *el. lenit.* ℥. *i. el. de ſuc. roſ. m.* ʒ. *i. m.* vel in Potione ℞. *rhab. el.* ʒ. *i. ſ. ſpicæ gr. v. ſennæ el.* ʒ. *iii. infund. in ſ. q. aquæ endiviæ ſ. a. facta coll. adde ſyr. roſ. ſol.* ℥. *iii. mannæ el.* ℥. *ii. aquæ cinam.* ʒ. *iii. m.* vel ℞. *ſyr. roſæ ſol.* ℥. *vi. crem. tart. ſ. p.* ℥. ß. *diſſol. in ſeri capr. depur. q. ſ. aquæ cynam.* ℥. ß. *m.*

VI. Alterantibus, & purgantibus adjungit *Sylvius* ſanguinis miſſionem.

VII. Quod ſi aliquis difficultatem faceret in cauſa hujus Febris, credendo oriri à bile naturali non verò à flava, ut exponit *Sylv.* ei, ſatisfacerem cum authoritate, *Hercul Saxon.* qui *lib. cit. cap.* 33. cum ſola authoritate probat hujuſmodi Febrem fieri à flava bile, & à praſſina, æruginoſa, & vitellina, & *Donati Altomar.* qui *tract. de Feb. pa.* 2. *cap.* 7. ab eadem bile flava *ſynocham fieri acriter ſuſtinet*, authoritate & patrocinio *Hipp. & Gal.*

VIII. Neque dubitandum de conſenſu *Sylvii* cum antiquis in cura hujus Febris, cùm iſti alterantia frigida proponant, & bilem præparantia vel coctionem & evacuationem, quæ eamdem ſeparat à reliquo ſanguine, nec accida reſpuunt, dum *Sennert.* contra *Maſſariam lib.* 2. *de Feb. cap.* 13. ſummoperè concedat: Cholagogis omnes utuntur ſicuti venæ ſectionem exercent. Quod ſi notaretur diſſenſus in uſu purgantium, quæ *Sylvius* per interpollatas vices exhibet, ubi cæteri practici unica aſſumptione ægros expediunt, fuit etiam mos antiquorum in aliquibus morbis hoc modo purgantia exhibere cum felici ſucceſſu, ut in morbo gallico, in quo decocta ſolutiva manè & ſerò propinant, & præcipuè in uſu illius medicamenti quod vulgò, acqua di ſpagna, dicitur, unde *Sylvius*, quod ſolent Antiqui agere in aliquibus morbis, tranſtulit ad Febres.

IX. A Lympha conglabatarum glandularum, fieri ſynochon docet, quando hæc acrior & acidior facta, Febrilem in dextero cordis ventriculo efferveſcentiam excitat, calorem magis rodentem quàm magnum producens, cum lancinationibus ubique moleſtum: quod ſi Lympha in glandulis capitis acrior facta fuerit, vel ſalſa muria-

muriatica, vel ſimul accida, Febrem catarrhalem continentem producit.

X. Et quoad primam, cum illis Antiquis ſentit, qui Febrem ſynocham ab Icore ſanguinis aliquando proficiſci determinant, quorum opinionem admiſſit *Sennertus lib. de Feb. cap.* 12. & *Saxonia lib. de Feb. cap.* 55. ichor verò ſanguinis non eſt niſi ſerum, cum recentiorum Lympha identitatem conſervans, ſi illud ſpiritu vitali impregnatum ſumatur, non illo depauperatum, quòd excremento turgens per venas ad veſicam excretioni deſtinatur, & ex profeſſo hanc tenetur ſententiam, *Carolus Piſo de Feb. à ſeroſa colluvie ſect.* 6. in modo generationis Febris à ſero, vel lympha erit diſcordia, ſi putredo ſeri ſeu ichoris ſanguinis ab Antiquis cauſa Febrilis caloris ſtabilita, ſumatur ſecundum quid, ſola qualitatum depravatio exprimitur, ut fecit *Sylvius in ſæpius cit. loc.* Quoad ſecundam, cum omnibus conſentit, qui Febrem catarrhalem continentem negare non audent, cum experientia quotidiè id doceat, & oriri à lympha ducem habuit *Sylvium*, mox citatum *Piſonem*, qui catarrhum, coryzam, & tuſſim ab illuvie ſeroſa deducit *cit. l. ſect.* 3. & Febrem catarrhalem à ſero explicat *cit. ſect.* 6. *fol.* 596.

XI. *Quoad harum curationem*, eodem modo *Sennertus* & *Saxonia* tractant Febres continentes ab ichore quomodo alias Synochos, ſanguinem minuendo ſecta vena, quod facit *Sylvius cit. cap.* 29. *num.* 60. & humores ſi abundant ſunt minuendi ex *Sennerto*, quod exequitur *Sylvius num.* 55. lymphæ redundantiam minorando Hydragogis. ♃. *rad. petroſel. fænicul. eringii, ebulia* ℥. *i. fol. ſoldanellæ* ℥. *ß. coq. ex aqua pura ad collat.* ℥. *xx. adde ſyr. diacnic.* ʒ. *iii. m. de hoc apozem. capiat* ℥. *iii. vel iv. bis, terve in die*, vel ſuum electuar. Hydrag. ad uſum ducit, cujus deſcriptio eſt. ♃. *Baccarum junip. in aqua coct. expreſſ. & ad pulpæ conſiſtentiam redact. pulpæ tamarind. an.* ℥. *v. Rad. jalap.* ℥. *i. ſ. ſcam. el.* ℥. *i. cinam. ſem. fænic. dulc. an.* ʒ. *i. ſach. clariſ.* ℥. *x. M. f. ſ. a. Eject. Doſ. ad* ʒ. *iv.* his addi poſſet ſequens Potio. ♃. *ſyr. roſ. ſol.* ℥. *iii. mannæ el.* ℥. *ii. diſſol. in aqua flor. citri.* vel ♃. *gratiolæ ſem. ebul. an.* ʒ. *i. bul. in ſ. q. aquæ Fæniculi, col. adde mannæ* ℥. *iii. m.* vel ♃. *crem. tart.* ℥. ß. *Diagridii gr. vi. m.* vel ♃. *Caſſiæ noviter extractæ* ℥. ß. *magiſt. jalap. gr. vii. m.* vel ♃. *ſem. ebuli* ʒ. *i. Diagridii gr. iv. jalappæ* ℈. *i. m.* vel ♃. *el. de ſuc. roſ.* ʒ. *i. el. lenit.* ʒ. *vi. m.* vel ♃. *crem. tart.* ʒ. *ii. ſcammon. ſulph. gr. v. magiſt. jalap. gr. vi. m. vel* ʒ. *i. jalappæ pul.* vel *pul. Cornachini: Saxonia* refrigerantia, attenuantia, & exſiccantia proponit. Prima ad uſum revocat *Sylvius numer.* 53. quando ait, *præſente calore talia dentur, quæ ignem rodentem magis quàm urentem doment, ſintque ex accidis temperatis compoſita, non neglectis ſalibus volatilibus*, quæ exſiccant, cùm ex *Saxonia cit. cap.* 35. accida exſiccandi facultate pollere confirmetur, ſalia verò volatilia id præſtare cum attenuatione nemini, cui natura ſalium nota eſt, debet eſſe dubium, & *omnia prædicta unito in ſequenti* mixtura. ♃. *Aquæ petroſel. fumar. an.* ℥. *i* ß. *fænic.* ℥. *i. ſpir. ſal. dulc.* ℈. *i. Sal volat. ſuccin.* ℈. ß. *laud. op. gr. ii.* vel ♃. *Aquæ plantag. Agrimoniæ, meliſſæ an.* ℥. *ii. ſyr. roſ. ſimpl.* ℥. *i. ſalis roſmar. ſalviæ an.* ℈. ß. *ſuccin.* ℈. ß. *m.* vel *Decoct. meliſſæ agrimonii, Politric. genit. cichorii acetoſæ* ℥. *vi. vel decoct. plantaginis, ceterach. virgæ Aureæ poligon. boraginis, ſonchi* ℥. *vi. m.* ante horum aſſumptionem poſſunt præmitti *ſal cornu cervi. ad* ℈. *i.* vel *cornu Cervi uſtum ad* ʒ. *i.* vel *ocul. Canc.* ʒ. *ii. margar. præp.* ℈. *i. m.* vel ♃. *Aquæ pulegii, fæniculi, capil. Ven. an.* ℥. *ii. ſalis centaur. min. roſmar. an.* ℈. ß. *m.* valet etiam hic pulvis, ante aquas, vel decocta. ♃. *Antim. diaph.* ℈. ß. *coral. rub. præp. ocul. cancr. ſpodii an.* ℈. ß. *m.* nec adſtringentia ſunt timenda, quæ vulneraria dicuntur, quia accidum diſſipant & imbibunt, ſicut aperientia caliditate & aromaticitate illud corrigunt, ideò utraque in hac Febre conveniunt, etiam in principio acceſſionis, ut laudat vel *Sylvius numer.* 52. *ſequentem mixturam, paulatim exhibendo.* ♃. *Aquæ petroſel.* ℥. *i.* ß. *fænic. theriac. ſimpl. an.* ʒ. *vi. ſyr. fænic.* ℥. *i.* ß. *ſpir. ſalis dulc.* ℈. *i. m.* vel ♃. *Aquæ pulegii, totius citri, meliſſæ an.* ℥. *i. theriac. Mathiol.* ʒ. *i. ſyr. de cort. citri* ℥. *i. m.* neque damnanda acciditatis cognitio in humoribus, cum jam oſtenſum fuerit *capit.* 4. *numer.* 29. ab *Hippocrat.* admitti, & putredinem ſecundùm quid efficit, quam emendandam eſſe omnes concludunt: acciditatis verò argumenta habemus ab horrore has Febres concomitante in principio: præparata hoc modo Lympha in Febris declinatione univerſali, vel ea ceſſat, purganda medicamentis ſuperiùs deſcriptis.

XII. Si Lymphatica Febris ſuperveniat bilioſo, tunc bilis non tantùm in conſenſum tractæ, verùm ardorem ſolito majorem parientis ratione, erunt uſurpanda medicamenta, tum alterantia, tum purgantia, tam Lympham, quàm bilem: ad diſpoſitionem verò ſanguinis eſſe reſpiciendum docet *Platerus lib. de Feb.* talia verò medicamenta peti poſſunt ex dictis ſuperiùs & ex dicendis. Si plenitudini ſanguinis conjungatur Lympha, ſanguinem mitti imperat, *numer.* 57. ſicuti ratione magni æſtus, qui ex bilis & Lymphæ vitio contingere aliquando ſolet, venam ad refrigerium aperit. Uniformis in hoc Antiquis, qui indicationem mittendi ſanguinem ab iſtius redundantia, & à refrigerationis neceſſitate recipiunt.

XIII. Lymphaticam Febrem, à vitiata Lympha glandularum cerebri, curat remediis quæ caput corroborare valeant, in uſum deducendo, purgando materiam vitiatam per os, nares & per purgantia medicamenta, eo modo quo Antiqui Coryzam, & Catarrhum curant.

XIV. Febrem à ſucco pancreatico diverſimodè vitiato, & acriori facto cum anxietatibus circa præcordia, ventris torminibus, & lancinationibus, & dejectionibus cruentis admittendo, videtur imitatus citatum *Piſonem ſect.* 6. *de Feb.* 589. *cap.* 590. ubi Febres à ſeroſo humore, nullatenus diſſimili à Lympha, cum iiſdem ſymptomatibus deſcribit; & *Sylvius* ſuccum pancreaticum ſub Lymphæ genere multis in locis comprehendit. Et certè ſi *Piſo* prædictum ſuccum cognoviſſet magis diſtinctè, Febres ab eo delineaſſet. Verùm fatenda eſt differentia, quæ in modo generationis hujuſmodi Febris continentis, ex dictis prædictorum auctorum reſultare videtur. Nam *Piſo* ab effervеſcentia ſeroſi humoris vult hanc Febrem generari, *Sylvius* verò ab acciditate ejuſdem humoris acquiſita, qua præternaturalem effervеſcentiam ſangnini commixtus infert, quæ differentia excuſationem meretur, cùm ſuccus pancreaticus, qui ſub ſero continetur *Piſonis* ætate incognitus fuerit, unde nec de ejus qualitatibus differere ei conceſſum fuit, nec de morbis ab eis dependentibus diſcurrere: cum verò noſtris temporibus ejus exiſtentia illuxerit, & inter cæteras qualitates gratam acciditatem præſeferre multis experimentis comprobatum fuerit à multis, præcipuè tamen à Domino *Reygnero de Graaf*, ideò ab hac depravata acciditate multos colligunt morbos recentiores, inter quos Febrem, unde tota diſcordia inter *Piſonem*, & *Sylvium* à carentia cognitionis exiſtentiæ hujus ſucci, & ejus naturæ dependet, quapropter etiam maximè excuſanda venit, neque conſideranda, cùm cognitionis defectus omnem dirimat diſcordiam.

XV. *Avic.* conjunctus fuit, ſi aliis non adhæſit, qui Febrem continuam ſine exacerbatione à pituita accida admiſit *lib.* 4. *ſect.* 1. *c.* 39. parùm enim intereſt in curatione, ſi pituitam accidam corrigas, vel ſuccum pancreaticum accidiorem demulceas, cùm tota curationis ratio in acciditatis emendatione conſiſtat, quia ab morbus immediatè ſurgit, nihil vel parum indicante acciditatis ſubjecto.

XVI. Pro hujus Febris curatione primò, monet uſurpanda eſſe medicamenta humorem accidum temperantia, & quidem blandiora, ùt ſunt omnia *ſalia lixiva*, ſed in primis *volatilia & oleoſa*, qua de cauſa multùm præſtare dicit *opium*, & omnia *opiata medicamenta*

atque

atque aromatica quævis, *Avic.* in hoc etiam ſecutus, qui curationem inſtituendo Febris pituitoſæ ab acida pituita *cap. 46. cit. lib. Diacyminum*, & *elect. de ſulphure laudat*, ad cujus imitationem ſequens proponit medicamentum. ℞. *aquæ petroſelini, graminis, fœnic. an.* ℥. *i. aq. vitæ Mathioli*, vel *theriacalis ſimplicis* ʒ. *x. laud. op. gr. iii. ſyr. de quinque radicibus* ℥. *i. m.* vel ℞. *Aquæ puleg. majoranæ, menthæ an.* ℥. *ii. ſyr. de corticibus citri* ℥. *i. aquæ Theriacalis* ℥. ß. *elixir vitæ dram. ſ. m.* cui ſi præmittatur *bolus, diaſcordii* ℈. *ii.* erit efficacius, vel ℞. *aquæ cardui benedicti, meliſſæ, ſalviæ an.* ℥. *i. ſyr. de abſynthio* ℥. I. *olei cariophyllo gutt. iii. ſalis volatilis ſuccini* ℈. *ſ. m.* vel ℞. *decocti meliſſæ, camhædrios, ſtæchados, centaur. min. cichorii, boraginis* ℥. *viii. tripher. magnæ* ʒ. *ſ. ſalis cornu cervi volatilis* ℈. ß. *m.* Quæ exhiberi poſſunt quotidie vel pro ſyr. in hora majora quietis, vel cochleatim, parum & ſæpè. In hunc uſum poterunt etiam parari pulveres ante cœnam, & prandium præbendi, ex eis quæ acidum mortificant, ut. ℞. *Cornu Cervi uſti* ℈. *i. corallorum. præp. ocul. cancr. an.* ℈. ß. *ſign. pulv.* vel ℞. *Terræ ſigill. boli armenæ, ocul. cancr. an.* ℈. *i. m.*

XVII. Secundò monet *Sylvius*, quòd calore urgente, ob bilem vitiatam exhibeantur medicamenta, quæ utrumque reſpiciant, *in quem finem ſequens apozema deſcribit* ℞. *rad. Apii, cichorii an.* ℥. *i. fol. agrim. ſumm. fœnic. fumariæ, an. m. i. coquantur ex aqua hordei ad colat.* ℥. *xx. adde ſyr. byzantini* ℥. *iii. ſpiritus ſalis dulcis* ℈. *i. nitri gut. xii.* vel ℞. *radicis petroſel. aſparag. acetoſæ an.* ℥. ß. *fol. ceterach. acetoſæ an. m. ſ. coquantur in aqua fontis ſ. q. colaturæ.* ℞. ℔. *i. ſyr. de duabus rad. de ſucco limonum an.* ʒ. *vi. ſpiritus vitrioli gut. vi. elixir vitæ gut. viii.* quæ propinanda ſunt tempore minoris afflictionis. Medicamenta etiam paulatim aſſumenda probat, ut ℞. *Aquæ card. Bened. fœnic. an.* ℥. ß. *theriac. ſimplicis* ℥. ß. *Spiritus ſalis dulcis* ℈. *i. laudani opiati gran. iii. ſyr. fumariæ* ℥. *i. m.* vel ℞. *aquæ cichorii, boraginis, rutæ caprariæ fœniculi, an.* ℥. *i.* ß. *ſyr. de quinque radicibus de endivia an.* ʒ. *vi. ſalis prunellæ* ʒ. ß. *ſalis roſmarini, ſalviæ an.* ℈. ß. *m.* quibus poterunt præmitti boli ex *diaſcordio, triphera, & requie nicolai à* ʒ. ß. *ad* ʒ. *i.*

XVIII. Si anxietates circa præcordia in hac Febre opprimant, prædictis medicamentis addit *oleum macis ſtil.* cui poteſt etiam addi *oleum cariophillorum, citri ſtillati*, & *eſſentia ambræ griſ.* vel *confectiones ex Hyacinth.* vel *alKermes*, ſi ventris tormina afflixerint vice prædictorum, ſupraſcriptis medicamentis *Oleum Aniſi, & ſpiritum ſalis armoniaci*, quibus adjungi poſſunt, *oleum de baccis juniperi, quinta eſſentia roſmarini, balſamus ſulphuris aniſatus, ſpiritus carminativus, unà cum omnibus opiatis.*

XIX. Salivalem Febrem novum non eſſe inventum oſtendit, dum pituitoſam appellat *num. 71. citati capitis*, unde optimè convenit cum *Avicenna*, qui de Synocha pituitoſa agit *cap. 39. citati libri*, eſt enim ſaliva pituitæ ſpecies, etiam ſecundùm ſententiam Antiquorum. Hinc curationem unà cum *Avic.* ad ſalivæ viſciditatem attenuandam dirigit, aromaticis & acidis incidentibus, quæ ſparſim deſcripſit in ſuo opere, præcipuè verò ſe remittit ad ea, quæ dixit, *cap. 14. num. 45.* & ſequentibus, ubi inter corrigentia viſciditatem pituitæ, enumerat *Bdellium, Armoniacum, opoponacem, maſtichem, myrrham, & ſalia volatilia cujuſcumque generis*, ſed oleoſa ſubſtantia referta majoris ſunt efficaciæ, unde magis laudatur, *oleum cornu Cervi, ſicuti balſamus aniſatus, ſuccinatus, & Juniperinus*, ſicuti *ſpiritus vini aromaticus*, redditus talis *oleo aliquo aromatico*, vel *Laudano opiato*; ex quibus ſequentem præſcribit mixturam. ℞. *Aquæ mente fœniculi an.* ℥. *i. cochleariæ, vitæ Mathioli, vel cujuſvis aromaticæ an.* ℥. ß. *olei macis ſtil. guttas iv. Laudani opiati gran. iii. ſyr. fœnic.* ℥. *i. m.* & de hac paulatim, ſed ſæpè capiatur, vel ℞. *Aquæ Pulegii, Betonicæ, agrimoniæ an.* ℥. *i. Cinamomi ſtil.* ʒ. *vi. olei caryophillorum gutt. iv. Elixir. vitæ gutt. viii. Laudani opiati gran. iii.* & his addit decoctum ſequens, quod exhibet *ad* ℥. *iii.* aut plures aliquoties in die. ℞. *Cort. rad. leviſtici* ʒ. *ii. Ligni guajaci* ℥. ß. *raſ. ejuſdem* ʒ. *iii. Saſſafras* ℥. *i. Bacc. lauri* ℥. ß. *Seminum ſileris mont. fœniculi dulcis an.* ℥. *iii. coq. ſ. a. ex aqua pura, in colatura* ℥. *xxxx. diſſolve ſyr. byzantini* ℥. *iv. ſpir. vini rectiſ.* ℥. *ii.* & ſi hoc decoctum purgas aliquis voluerit, *jubet ut in eo coq. pulpæ colocynthidis* ʒ. *i.* in his imitatus *Saxoniam, qui cit. lib. de Feb. cap. 36.* in curatione hujus Febris, quam ex mente *Avic.* hecticæ ſimilem dicit, prout talem appellat *Sylvius cap. 29. num. 14.* ſeq. decoct. cum iiſdem indicationibus præſcribit. ℞. *Oxymel. 5. ſyr. de betonica, de menta an.* ℥. ß. *decocti Betonicæ, menthæ, agrimoniæ, radicis apii. petroſelini, fœnic. orig.* ℥. *iii. m.* pro ſyr. cui adjungit infraſcriptum. ℞. *ligni indici* ℥. *vi. ſaſſofras* ℥. *ii. infundantur in* ℔. *x. aquæ bul. uſque ad caſum 3. partis, adde rad. apii. petroſelini, fœniculi, ruſci, aſparagorum an. p.* ß. *iterum bulliant uſque ad conſump. med. & in fine adde ſummit. abſynt. m. ii. menthæ ſic agrimor an. m. ſ. ſeminum aniſi, dauci, fœnic. an.* ℥. *i. Facta expreſſione, ſervetur pro ſyr. de quo capiat* ℥. *vi. Sennertus lib. de Feb. cap.* 14. de hac Febre quotidiana pituitoſa agens, quam & ipſe hecticæ ſimilem dicit, hanc curationis viam *Sylvio* demonſtravit, dum in indicationibus eliciendis, hæc habet, *pituita humor frigidus, craſſus, tenax, & lentum eſt, idemque ad coctionem, & evacuationem præparandus calefacientibus, & mediocriter ſiccantibus, incidentibus, & attenuantibus.* Hinc eſt, quod conſilium aliorum laudat, qui in hac Febre conſulunt uſum *guajaci, ſaſſafras, radicis chinæ, ſaltem abſinthii, vel cardui benedicti, cum theriaca.* Unde *Sylvius* in hujus, Febris curatione, quoad præparantia pituitam, ſeu ſalivam, omnia ab Antiquis mutuatus eſt. Poſt præparationem, purgantia pituitam exhibet, ut patet *cit. cap. 14. num. 50.* ad quod ſe retuliſſe pro curatione integra hujus Febris dictum fuit ſuperiùs, purgantes pilulas deſcribendo. ℞. *gum. galbani cum aceto ſcyllitico præp.* ℈. *ii. vitrioli martis ad albedinem igne blando calcinati, maſticis elect. an.* ℈. *i. Caſtor. opt. Myrrhæ rub. an. gr. xv. Crocior.* ℈. ß. *Trochiſcorum albandal.* ℈. *i. reſinæ Jalap. Scamonii an.* ℈. *i. Olei corticis citri guttas xi. f. p. num. xxxxx.* de his ſumat tres, vel plures poſt Cœnam, cubitum iturus æger, vel mane jejunio ſtomacho. Harum vice poterunt uſurpari *pilulæ maſtichinæ, aggregativæ, ſine quibus, aureæ; Vel infuſio agarici, turbith, ſennæ, addendo mel. roſ.* quæ purgantia à *citato Sennerto, & Saxonia laudantur.*

XX. De ſanguinis miſſione non eſt locutus *Sylvius* in curatione hujus Febris, Græcorum Medicorum conſilio adhærens, qui ex relatione *Sennerti*, & *Saxoniæ* in hac Febre ſanguinis miſſionem non admittunt, & ſi *Avic.* exſtantibus ſignis plenitudinis, in hac Febre ad ſanguinis miſſionem deſcendit, in hoc caſu *Sylvius* eam non rejiciet, cum in Febre à Lympha cum plethora ſanguinis miſſionem laudat. Unde ſi cum ſaliva peccante illa reperiatur, non eſt ratio quæ *Sylvium* diſſuadere valeat ab intermiſſione ſectionis venæ.

XXI. Plura attenuantia poſſent hic deſcribi, ad pituitæ viſciditatem corrigendam, quæ conſultò prætermittuntur, quia *cap. ſequenti* 19. fusè exponentur, *ultra dicta ſuperiùs num.* 19.

XXII. Quoad Febres, quas à ſymptomatibus denominat, illam qua ab æſtu magno Ardentem vocat, & *Cauſum* antiquorum eſſe dicit, à bile, quantitate & inflammabiliter peccante pendentem, curat *n. 78. cit. cap.* mittendo ſanguinem quantum vires ferre poſſunt, & poſt unam horam à ſecta vena cholagogum blandum exhibet, quale eſt illud, quod deſcribitur *in cit cap. n.* 43. & ſuperiùs à nobis deſcriptum fuit, *ſub num.* 5. Poſthæc alterantia proponit, quæ ſub *num.* 47. ejuſdem capitis deſcripſit, quæ pariter ſunt à nobis recenſita in *ſuperiori n.* 3. & 4. Et tendunt ad refrigerandum calores bilis, & ſanguinis, & ad ejus inflammabilitatem, & oleoſitatem modificandam: Nec ſemel, ait, ſufficere ſanguinis miſſionem, & purgationem bilis, ſed reiterandas eſſe unà cum ejus alteratione, uſquequo Febris auferatur, & in hoc Antiquos ſecutus eſt, qui in curatione cauſi eaſdem omninò intentiones habuerunt, ut videre eſt apud *Sennertum cit. lib. cap.* 12. & 15. & apud *Saxoniam cit. lib. cap.* 33. in hoc ſolùm differentem ſe præbet, quod purgans medicamentum ſtatim à ſecta vena propinat, quod an rectè ſit factum, conſiderandum eſt, an bilis à ſanguine extracto mota faciliùs tunc poſſit educi, quòd ſi timeatur virium proſtratio ex duplici evacuatione, in brevi horarum ſpatio peragenda, Sylvius ipſe in omnibus prudens, ſui conſilii executionem non permittit, ſi verò vires ſuſtinere poſſint, quid

pote-

poterit prohibere utriuſque evacuationis exercitum.

XXIII. Frigidæ potum cum Antiquis non proponit, & ex arte factum credo, quia continuum refrigerantium potum, in pauca tamen quantitate laudat, qui modus licèt videatur à *Maſſaria* reprehendi, perpende tamen an ſit nimis ſcrupuloſus in prohibendo refrigerio in tanto æſtu, & in avertendo remedio crucioſæ ſitis, quæ curationem exigat.

XXIV. Lipyriam Febrem, in qua eodem tempore externa frigent & interiora uruntur, ob ſucci pancreatici aciditatem, à qua frigus; & bilis oleoſitatem, à qua calor; curat uſurpando medicamenta, quæ aciditatem ſucci pancreatici excedentem, atque oleoſitatem bilis exuberantem corrigant, & utrumque hoc præſtant, *margaritæ*, *corallia*, *oculi cancri*, *& omnia concharum genera*, in primis *calcinata*, *cretam*, *bolum armenum*, *terram ſigillatam*, *Cornu Cervi uſtum*, *ſpondium raſuram eboris*, *ſal fixum tartari*, *cum herbis vulnerariis in pulverem redactis*, vel *earum extractum* vel *decoctum*, & medicamentorum formam ex his delineavimus *ſuperius cap.* 16. *num.* 12. & his poſſunt addi *pyrola*, *betonica*, *conſolida*, *ſaniculæ*, *virga aurea*, *beta rub. tilia*. Præterea monet *num.* 82. *cit. cap.* medicamenta, nunc calorem, nunc frigus moderantia, eſſe alternanda, prout hic ille magis cruciat, neque in hoc diſſimilem puto *Sylvium* ab Antiquis, dum lipyriam vult fieri ab admixtione acidæ materiæ, & bilis, quam admixtionem nemo negaverit eſſe Antiquis conformem, cum admixtionem bilis, & pituitæ acidæ, & melancoliæ, quæ pariter acida eſt, non reſpuant: quæ ſi ita conjungantur, ut continuò acidum, & calidum bilis, agant, caloris, & frigoris ſenſus non poteſt non produci eodem tempore. Quod ſi diſcordiæ fundamentum poneretur in ſucco pancreatico, à Veteribus non nominato, ſatisfaciendum erit, allata pluries ratione de novitate hujus humoris, de ejus ortu, & ſedis ſitu, & de continua ejuſdem ſanguini admixtione, præterquam quòd, cùm tot ſint inter veteres diſſenſiones de origine & cauſis hujus Febris, non eſt inculpandus *Sylvius*, ſi ſuam ſententiam modò cæteris diſcrepante expreſſerit, quia pari culpa notandi eſſent Veteres, in hoc omninò diſcrepantes.

XXV. In curandis Febribus à faucium ardore, ac rubore dominatis, & à delirio, vel colliquatione aſſociatis, nullam invenio differentiam inter *Sylvium*, & Veteres; nam ſupponit Febres eſſe ardentes, & Synochas, quarum curatio inſtituta fuit ſuperiùs ſub Antiquorum præceptis, & conſiliis: ſymptomata verò prædictas Febres concomitantia, nempè ariditas, nigrities, ſeu robur obſcurus, delirium, & colliquatio, eodem modo curantur quo ab Antiquis, nempè *gargariſmis refrigerantibus*, *humectantibus*, *& repellentibus*, ut fecit *Avic. Cit. l. cap.* 22. *opiatis*, quæ delirium ſedant, & *valdè refrigerantibus*, quæ bilem moderando, & calorem temperando, colliquationem impediunt.

XXVI. *Vvilliſius* in tractandis Febrium ſynocharum differentiis, communi uſui *Galenicæ ſcholæ* magis ſe accommodavit, dum *cap.* 11. *lib. de Feb.* dividit Febrem ſynocham in putridam eſſentialem, quam *ſuperiùs cap.* 9. deſcripſit, & quæ convenit cum Febre ſanguinea ab *Avic.* deſcripta *Cit. lib.* ut patebit ex conferentia utriuſque, & ſi *Vvilliſius* potiùs in combuſtione, quàm putredine ſanguinis eam reponant, imitatus eſt eos de quibus locuti ſumus *cap.* 6. *num.* 9. & de quibus mentionem fecit *Sennertus cit. lib. de Feb. cap.* 12. & in cauſum, tertianam, & quotidianam, & quartanam, prout communiter omnes practici faciunt.

XXVII. In harum curatione quatuor elicit intentiones generales, primò ut ſanguis ab incendio vindicetur, & prorſus ſupprimatur in flamma in ſulphurea parte ejus accenſa, *ſanguinis miſſione*, *leni cathartico*, *vomitivo*, *& enematibus*: *ſecundò*, ut cùm ſanguis incendio tactus, protinus extingui nequeant, curandum eſt ut mitiùs & cum minori noxa deflagrationem ſuam peragat, quod *opiatis anodynis*, quæ ſanguinem, & ſpiritus figunt peragitur, quorum forma præſcripta fuit *ſuperius ſub num.* 16. *&* 19. ea miſcendo refrigerantibus, item *decoctionis*, *& julapis* viſcera æſtuantia refrigerantibus, *liquoribus accetoſis vegetalium*, *aut mineralium*, quæ ſanguinis æſtum cohibent, eidem intenſioni ſatisfaciemus, & horum medicamentorum formulæ deſcriptæ ſunt, ex *Antiquorum*, & *Sylvii* conſilio, ſuperioribus numeris 3. *&* 4. *& cap. præced.* 3. *Tertiò*, ut deflagratione finita, materiæ concrematæ & aduſtæ, recrementis liquor cruoris expediatur, *vel diaphoreticis*, *vel purgantibus leniter*, quorum formulæ petendæ ſunt ex dictis ſuperiùs, & ex dicendis inferiùs 3. *ut* ſymptomatibus urgentibus tempeſtivè occurratur, quæ niſi tollantur, & naturæ & pharmaticæ opera fruſtrà erunt.

Quæ ſi conferantur cum indicationibus Antiquorum, omnimodam concordiam inveniemus, & præcipuè ſi has indicationes Febri ſynochæ putridæ à *Vvilliſio* dictæ, & ardenti, ſeu Cauſoni applicemus cum combuſtione, vel à combuſtione, cùm ab hac cauſa non poſſint elici aliæ indicationes, quàm illæ à *Vvilliſio* recenſitæ, unde omninò debet concordis cenſeri cum eis, qui Febres à combuſtione ſuſtinent, in harum indicationum determinatione, & reſpectu ardentis Febris ſunt eædem cum datis à *Sennerto lib.* 2. *de Feb. cap.* 13. cùm tertiana, quotidiana, & quartana continens, omnis ratio poſtulet, ut tractentur, juxta indicationem ſecundùm quas curantur intermittentes, cùm nulla ſit in eſſentia, cauſis & proprietatibus differentia, ſed ſolùm ſecundùm magis vel minùs differant, quòd non debet variare curationis eſſentiam; Et hoc non poteſt negare *Vvilliſius*, nec ei debent contradicere Antiquorum ſectatores, unde in harum curatione dependendum eſt ab indicationibus, quibus utitur in intermittentium curatione, de quorum ſubſtantia in ſequentibus videbimus.

Hoc loco præterire non poſſum multa obſervatione digna, quæ in Febrium continentium curatione à *Vvilliſio* in *citato cap.* 11. obſervantur, & à *Thoma Sydenham in methodo curandi Febres*, *ſumma prudentia proponuntur*: & ſunt, quòd miſſio ſanguinis ſit reiteranda, ſi poſt primam emiſſionem pulſus fortis, & vehemens perduret, cum ſumma dilatatione, regulata quantitate ad virium regulam, quòd ſi nimis exceſſum fuerit, viribus debilitatis, cardiacorum uſu ſanguini vigor eſt reconciliandus, & tempore verno, majorem ſanguinis quantitatem poſſumus extrahere, & ſi contingat præſentem eſſe indicationem vomitum excitandi, ob inclinationem naturæ ad illum, & ſanguinem mittendi ob plethoram, debet præcedere miſſio ſanguinis, ne in conatu vomitus vaſa repleta diſrumpantur, & poſtea vomitivum tempore opportuno exhibendum, cujus operatione perfecta, ſedandus eſt tumultus ſanguinis, *potu aquæ papaveris erratici*, *nymphææ*, *Lactucæ*, *endiviæ*, *vel plantaginis*, *cum pulveribus Margaritarum*, *corallorum præp. vel ſale prunellæ*. Vomitus autem in ipſo planè Febrilis acceſſionis initio excitandus eſſet, ſi occaſio eſſet in promptu, ſic enim moti humores faciliùs educuntur, & cum eis etiam illi qui latebant, morbo non parvas allaturi vires, enemata ſatis tutò, & revera, commodè adhibentur, cùm ab his ſanguis ita ventiletur, ut effervescentia illa vehemens reprimatur, unde uſque ad decimum morbi diem, quotidie in uſum deduci poſſunt, ubi verò remitti incipit effervescentia, non adeò frequens debet eſſe clyſterum uſus, ne diminuta magis effervescentia ſanguinis, ſeparatio morboſæ materiæ retardetur, præcipuum enim inſtrumentum ſeparationis boni à malo, eſt effervescentia, hinc deducitur in virium languore, & in ſpirituum vigore deficiente, ſanguiniſque laxitate, in pulſus parvitate, & debilitate manifeſta, ſuſpectos eſſe clyſteres, ob rationem ſuperiùs adductam. In refrigerantium uſu, etiam modus eſt determinandus, quamvis ſint neceſſaria: excedens enim horum quantitas moram ſeparatione humoris morbifici ponit, cum magis figendo, & totam maſſam ſanguinis conſtipando, curationem retardat. Præterquam quòd temperiem ventriculi & partium ſubtus eum enervando, cruditatum ſemina ſpargit, ad morbi longitudinem proficua. Hinc conſiderandum relinquo practicis, an meliùs ſit refrigerantia paulatim, & ſæpè exhibere, vel ad ſacietatem propinare: cum *Primò* modò videatur magis conſuli integritate temperici partium, & conſervationi roboris ſanguinis, & ſpirituum, cùm iſti valeant magis reſiſtere activitati agentis debilis, quamvis ſæpiùs iterati;

rati; quàm activitati fortioris agentis unica vice eis oppoſiti. Cardiaca, & pulveres bezoartici, abſente malignitate omninò à curatione ſunt eliminanda; nam ubi effervefcentia ſanguinis eſt nimia, & vehemens, plus damni quàm utilitatis afferunt, eam ſemper magis augendo, & ſanguinem ad integram diſſolutionem præparando. Hinc omni ſupplicio digna eſt illorum Medicorum temeritas & malitia, qua ne vulgi auram amittant, ægros ad mortem præcipitant Cardiacorum intempeſtivo uſu, & ſine indicatione exhibitione. Verum tamen eſt, quòdſi in ſtatu morbi effervefcentia deficere videatur, & concoctionis imperfectæ ſigna appareant, tunc Cardiacis langueſcens virtus refocillanda, & deficientes ſpiritus reſtaurandi. Idem dicendum eſt de diaphoreticis, ante ſeparationem materiæ exhibitis, quia tunc, ſine ſpe ſudoris, nimis ferociter ſanguis agitatur. Opiata opportunè, & in declinatione morbi adhibita præclaros effectus edunt, antea verò prodeſſe non poſſunt, quia materiæ peccanti, maſſæ ſanguineæ æquabiliter admixtæ, neque verſus ſeparationem adhuc vergenti, ab exhibito hujuſmodi medicamento, manus injicitur, & à ſeparatione defenditur, cum morbi prolongatione, & quandoque cum mortis periculo, ob ſupervenientia nova ſymptomata, ideò uſque ad duodecim Febris differendus ſimilium medicamentorum uſus, cùm eo temporum pro majori parte materia ſit ſeparata, & natura jam excretionem moliatur, quæ perfectiùs contingere poteſt natura à virtute narcotici per quietem corroborata: verum tamen eſt, quòd in principio & augmento morbi, ſi effervefcentia eò progrediatur, ut integram ſanguinis diſſolutionem minentur, tunc moderanda eſt narcoticis.

Conſiderandum etiam tempus anni, in quo Febris graſſatur; nam in Autumno minor quantitas ſanguinis eſt mittenda quàm in vere, data paritate Febris, & virtutis, & refrigerantia debent eſſe moderata magis, quia à præcedentis æſtatis calore, adeò ſanguis ſpiritus expoliatus evaſit, ut in larga miſſione extremè langueſcat, & à refrigerantibus immoderatis effervefcere impediatur, quantum exigit cita ſeparatio humoris peccantis.

CAP. XVIII.

De Febrium Intermittentium curatione ex antiquorum, & recentiorum mente, & primò de Tertiana.

I. VVilliſius *lib. de Feb. c.* 4. in curatione hujus Febris has habet intentiones; *primò* ut ſanguis ad naturalem temperiem reſtituatur; *ſecundò* ut depravationi ſucci nutritii quantum fieri poteſt præcaveatur; *tertiò* fermentationis Febrilis motus, ne paroxyſmus ſuſcitetur, inhibeatur.

II. Circa primam intentionem adimplendam *proponit vomitiva purgantia, venæ ſectionem; alterantia digeſtiva*, quæ fervorem ſanguinis attemperare valeant, quod præſtant refrigerantia.

III. Secundæ intentioni exequendæ *diætam proponit*, in qua alimenta ſint tenuia, & ſulphure & ſpiritu vacua, & de his alimentis nihil exhibeatur urgente paroxyſmo.

IV. Quoad tertiam, acceſſio Febrilis inhibetur per remedia quæ ſanguinis fermentationem ſiſtunt, & *Febrifuga* dicuntur.

V. Quæ omnia priùs propoſuit *Sennertus lib. cit. de Febr. c.* 18. ubi pro curatione Febris tertianæ, purgantia, vomitiva, venæ ſectionem, præparantia & concoquentia Frigida, & à proprietate tertianam debellantia proponit. Idem omninò confirmatum habemus ab *Hercule Saxonia cit. lib. de Feb. c.* 32. cum quibus concurrit univerſa Medicorum ſchola, eamdem *Vvilliſii* diætam conſulentes, dum frigida, & humida alimenta proponunt, quæ ſanè ſpiritu & ſulphure ſunt vacua.

VI. *Vomitum* non permittit, niſi in corpore robuſto & ad vomitum facilè proclivi, & ventriculo materia excrementitia agravato: ita edoctus à *Saxonia cit. loc.* & potiùs leni cathartico humorem bilioſum deorſum propellit.

VII. Quòdſi Febris tertiana diuturna evaſerit, hoc eſt nota extiterit, diuretica proponit, quæ moderatè ſanguinem fundant, parando *apozemata*, quæ exhibet *cum ſale nitri præparato, aut herbarum fixo*, ut eſt *ſal abſynthii, centaur. min. gentianæ, cum pulveribus teſtaceis*, ut ſunt *pulvis concharum, & ſpiritus vitrioli*, quod conſilium mutuatus eſt à *Sennerto cit. loc.* ubi in tertiana longa diuretica proponit; ut *decoctum radicis graminis, aſparagi fœniculi, capillorum veneris, Cicer. rub. Abſynthii, cuſcutæ, florum chamæmeli, ſeminum geniſtæ, ſyrup. acetoſus compoſitus, & de duabus radicibus*, addendo guttam *ſpiritus vitrioli*, vel *ſalis communis*, vel *aliquid tartari*, ut *ſpiritum ejus rectificatum*, vel *tinctura*, vel *cryſtallia* ex eo parata. Quibus adjungi poſſunt, *ſpir. ſalis coagulatus, cum ſal. abſynthii Mynſichit, ſal ſuccini, ocul. cancr. ſal. prunellæ.*

VIII. Et quando ex urinis, & ſymptomatum diminutione, materiæ concoctio manifeſtatur, Febrifuga interiùs & exterius explicat. Interius utitur, *pulvere peruviano*, & in ejus defectu, *pulvere ex cortice fraxini, tamariſci, gentianæ & ſale eorumdem*. Ad imitationem ejuſdem *Sennerti*, qui *chamæmelum* laudat, concocta materia, *authoritate Gal.* 3. *de ſim. medic. facul. cap.* 110. unà cum deſcriptione *Joan. Anglici*, præparationis *ſucci chamæmeli*, quibus adjungit *centaurium minus; plantaginem & morſum Diaboli*, ad hoc ſunt etiam efficacia *pulvis Hoffmani in Theſ. pharmac.* ℞. *ſalis card. ben. centaur. min. vitr. an.* ℥. *i. tinct. ſiccæ antim.* ʒ. *j.* ß. *fiat pulvis ad* ʒ. ß. *exhibendus in aqua card. bened. ante paroxyſmum*, vel ℞. *ſal. arm. aliquoties ſubl. nitri præparati, card. bened. abſynth. centaur. min. an.* ℥. ß. *in aqua cichorii, & ſ. a. F. ſal. cryſtal.* cui ſi addatur *arcanum duplicatum Mynſicht ad* ℥. ß. erit efficaciſſimum, *doſis ad* ʒ. *j. in aqua centaur. min.* exhibendus ante paroxyſmum per duas horas, vel *alumen tinctum Mynſicht. factum cum* ℥. *j. alum. crud. &* ℥. ß. *Mag. ſanguinis draconis diſſoluti in aq. card. bened. datum ad* ℈. *j. in aqua ſpecifica Febrili*, vel *ſpecies febribugæ, ex aqua Febrifuga, & pulvis febrilis probatus ejuſdem Authoris*, vel *extractum radicis gentianæ ſerpentariæ, contrayervæ, corticis fraxini, fol. Centaur. abſynthii. Quibus extractis*, ſi addantur *ſalia* eorumdem ſimplicium nobile *Febrifugum* probabitur, æqualis forſan efficaciæ cum pulvere Peruviano. Ad omnes etiam Febres eſt validum Febrifugum, *arcanum duplicatum Mynſicht & pulvis è cochlearum teſtis à Crollo deſcriptus* & *radix gentianæ exhibita modo* deſcripto, ab *Augenio Tom. Epiſt.*

IX. Inter externa, laudatur *cataplaſma ex pulvere pyrio, ſal. Com. fuſo an.* ℥. *j. telis araneorum, nucis moſc. olibani elect. an* ℈. *ij. abſynthii, burſæ paſtoris, urticæ min. rutæ an. m. i. & ſimul contuſis cum therebentina alba q. ſ. f. empl.* applicandum pulſibus ante paroxyſmum duabus horis. Ad idem valet etiam, *ruta, mentha, ſalvia inter duos ſilices contuſa, cum ſale, & telis araneorum eodem modo pulſibus applicata*. Alia plura vide apud *Sennertum cit. cap.* Expertum eſt in tertiana debellanda ſummæ efficaciæ eſſe ſequens emplaſtrum. ℞. *Salviæ, Rutæ, urticæ an. partes æquales inter duos ſilices vivos contundantur, adde ſal. marini fiant globuli, qui involvantur in telis araneorum, & pulſibus applicentur hora una ante acceſſionem*; roborantia proponit *Vvilliſius*, quæ laudat *Sennertus loc. cit.* Itaut in omnibus, ſit hic Medicorum chorypheorum fidelis diſcipulus.

CAP. XIX.

De Curatione Febris Quotidianæ Intermittentis.

I. DE hac Febre agens *Vvilliſius cit. lib. cap.* 5. illius curationem inſtituit, intentionibus in tertiana habitis addendo illam ventriculi ab humorum ſaburra expurgandi, viſcerum infarctiones liberandi, infirmitates corroborandi, atque unà cum his ſanguinem deſtemperatum emendandi, ut acceſſiones Febriles inhiberi poſſint.

II. Quæ intentiones explentur, per vomitoria ſummoperè à *Vvilliſio* laudata, & purgantia ſæpiùs iterata. Præter hæc proponit remedia digeſtiva, deobſtruentia, quæ fermenta viſcerum, & ſanguinis reſtituunt, & dyſcraſias corrigunt. Quæ omnia proponit *Sennertus cit. lib. cap.*

cap. 19. *&* 14. & *Saxonia de Feb. cap.* 37. in hoc videtur mancus *Vvillisius*, quòd prædicti ſudorifica, & diuretica commendant, ubi ille de iſtis mentionem non facit; attamen ſi conſiderabimus in deobſtruentibus diuretica, & diaphoretica comprehendi, habebimus omnes in eamdem intentionem collimantes.

III. Purgantia non alia ſanè debent uſurpari in hac Febre, quam illa quibus utuntur Antiqui cum præcitatis authoribus, ad purgandam pituitam, cùm materia peccans in hac Febre, ex *Vvilliſio*, ſit cruditatis & aduſtionis particeps, quæ duo materiam pituitoſam incaleſcentem, juxta modum loquendi Antiquorum, exprimunt. Modum his utendi per iteratas vices deſumpſit à *Saxonia cit. loc.* Vomitus etiam humorem pituitoſum debent reſpicere, nec mirum, ſi in his tantùm fidit, ut ſupra cætera medicamenta extollat, dum edoctus fuit à *Sennerto, qui cit. cap.* 29. vomitum in nulla Febre eſſe utiliorem quàm in hac prædicat.

IV. Remedia digeſtiva, deobſtruentia, proponit in ſalibus herbarum fixis, & eorumdem extractis, qualia ſunt, *ſal abſynthii, & præcipuè vitriolatum Rolfincii, agrimoniæ, tamariſci, & ſales herbarum cephalicarum, roſmarini, ſalviæ, origani, majoranæ, camædryos, &c.* quorum loco non ſunt improbanda decocta ab Antiquis parata, ex ſupraſcriptis herbis, vel ſimilibus, prout videre eſt *apud Sennertum*, & *Saxoniam cit. loc.* & *Platerum in curatione hujus Febris*, & in aliis practicis, quorum formulas etiam deſcripſimus *cap.* 17. *n.* 19. His addit *Vvilliſius* ſpiritus minerales acidos, & medicamenta ex chalybe præparata, in quorum numero ſunt, *ſpiritus vitrioli, & præcipuè ſtriatus, ſpiritus ſalis, ſpiritus tartari, ſpiritus ſalis armoniaci, aqua Penoti ſecundùm deſcriptionem Hoffmani, in clavi Sckrodheriana, ſpiritus compoſitus tartari & ſalis armoniaci Rolfincii*, quæ omnia medicamenta cum deobſtruendi facultate, diuretica virtute pollent, quibus adjungi poſſunt ſuperiori *c.* 18. *deſcripta n.* 7. inter *chalybeata verò* connumerantur, *tinctura martis parata cum acetoſa, vel pomorum Rolfincii, eſſentia martis tartariſata ejuſdem, tinctura martis, cum ſale armoniaco Mynſichit*, quæ propinanda ſunt in aqua deobſtruente, *fœniculi*, vel *agrimoniæ, ceterach*, vel *capil. vener.* addendo diuretica & deobſtruentia *ſuperiùs propoſita*.

V. Inter cætera hoc non contemnendum animadvertit *Vvilliſius*, poſt levem totius proviſionem, remedia Febrifuga exteriùs eſſe applicanda, ad Febrilis acceſſionis ſublationem, ut dein reliquis effectibus curandis tempus & medendi occaſio feliciùs concedatur.

VI. Hiſce remediis credidit *Vvilliſius* ſtabilitam eſſe Febris quotidianæ intermittentis curationem, ſudorificis prætermiſſis, nec forſan ſine ratione; credidit enim materiam craſſam hujus Febris genitricem, eſſe improportionatam ad ſubeundos ſubtiles meatus porroſitatum pro ſui excretione. Attamen ſi ad ſudorem natura propendeat, eſt excitandus medicamentis à *Sennerto* propoſitis, *ex fœniculo, card. bened. ſalſaparilla, ligno ſancto, ſaſſafras, theriaca, ſale cardui bened. ebuli, & radice cœva*, quam ſummoperè commendat in hac Febre *ad* ℥. 1. *vel* ℈. *iv.* pro ſudore excitando. In quem finem poſſunt exhiberi *Cornu Cervi phil. præp.* vel *ſpiritus ejuſdem* vel *bezoarticum minerale, cinnabris antimonii, ex mercurio vitæ reſiduus, tuties ſublimatus donec fœces amplius non relinquat*, magis tamen in hac Febre conveniens videtur *tinctura diaphor. Mynſichit, acetum bezoarticum ejuſdem, & pulvis bezoarticus imperialis ejuſdem*; quæ ſunt propinanda *in aquis cardui bened. ſcordii, ſcorzoneræ, galegæ*, & aliis hujus generis. Quod ſi quæratur, quid de ſanguinis miſſione in hujuſmodi Febre ſentiat *Vvilliſius*? dico quòd cùm eam nominare prætermiſerit, videtur ſtatuendum eſſe, exemplum *Sennerti* imitatum eſſe, qui *cit. cap.* 19. venæ ſectionem omninò interdicit, ſi verò in hac Febre adſit æſtus & plenitudo venarum, etiamſi vigeat cacochymia, non timerem ſanguinem remittere, etiam conſilio *Vvilliſii*, determinantis tractanda eſſe quotidianam intermittentem ſicut tertiana, in qua tale auxilium conſulit. Prærerquamquòd *Hoffmanus* in ſuo methodo medendi caochymia vigente venę ſectionem commendat.

CAP. XX.

De Quartanæ Intermittentis Curatione.

I. Sanguinis dyſcraſiam, in aciditate, & auſteritate præcipuè conſiſtentem, eſſe cauſam quartanæ docuit *Vvilliſius cit. loc. cap.* 7. aliquorum interpretum *Avic.* ſententiam ampliando, dum Febrem quartanam ſanguineam aliquando dari illi aſserunt, & *Vvilliſ.* omnes quartanas à ſanguine vult, ſed melancholico reddito per aciditatem, & auſteritatem contractam, per quam poſset etiam ſine errore quis aſserere, ſanguinem pro aliqua ſui parte in melancholiam naturalem, & excrementitiam, acquiſitione prædictarum qualitatum mutatum fuiſse. Hinc pro curatione quartanæ ſolam ablationem dyſcraſiæ ſanguinis ſibi proponit, quæ cùm ſit acida, & auſtera, prout ſuperiùs eſt dictum, ad dulcem, ſpiritoſam, & balſamicam eſt mutanda, prout ante eum docuit *Sennertus, qui cit. lib.* 2. *de Feb. c.*20. Febris quartanæ curationem ab humoris melancholici præparatione auſpicatur, calefacientibus, humectantibus, incidentibus, & putredinem corrigentibus, nec aliis indiget correctio dyſcraſiæ acidæ, & auſteræ ſanguinis, quia aciditate contracta frigeſcit, diſsolutis pro majori parte ſpiritibus, à quibus fovetur calor, quod docuit *Vvilliſ. in cit. loco* exemplo vini aceſcentis, quòd ab aciditate viſciditatem contrahit, quia coagulationis rudimenta ſuſcipit, & cum eadem putredine ſecundùm quid efficitur, dum à ſuo naturali ſtatu per hanc ita deviat, ut munera ſibi debita pro totius beneficio intermittere cogatur, ideircò præparantia à *Sennerto* propoſita in hac dyſcraſia ſanguinis tollenda ſunt opportuna, nec alia poſsunt adhiberi, & quia inter ea, quæ ſanguinis dyſcraſiam emaneant ponit purgationem, vomitum, & venæ ſectionem, ut patet *cap.* 4. de curatione tertianæ, idcircò in hoc loco, ubi agitùr de correctione ſanguinis à ſua perfectione deficientis, ſimilia remedia non ſunt excludenda, inhærendo principiis ejuſdem *Vvilliſii*, qui in corrigenda ſimili dyſcraſia in ſcorbuto, eiſdem remediis utitur, & ita eum cum *Sennerto*, & aliis practicis Antiquis uniformem habemus, quartanam ſupradictis auxiliis curantibus.

II. Ad tollendam ſanguinis dyſcraſiam obſervavit *Vvilliſius* ſummè conducere primò exhibere ea, quæ paroxyſmum Febrilem inhibent, inter quæ palmam obtinet *cortex peruvianus* vulgò dictus, *chinachina*, vel ejus *ſuccedanea ſuperiori c.*18. *n.*7. deſcripta, quibus addi poteſt ſequens. ℞. *Agarici, gentianæ, caſtorei, mirrhæ, rut. an.* ℥. *ii. piperis longi, calami aromatici, croci an.* ℈. *iv. theriacæ* ℥. *iii. cum ſyr. de granatis dulcibus F. Pil.* de quibus capiat 3. ante acceſſionem, vel cum externis ibidem deſcriptis, inter quæ valet in quartana, *burſa paſtoris inter duos ſilices contuſa, cum ſale & telis araneorum, pulſibus manuum applicatæ*. His tamen præmittit vomitivum, tribus horis ante paroxyſmum; juxta præceptum *Sennerti* & *Saxoniæ*, qui ſe nihil præſtantius hoc in quartana inveniſſe teſtatur, vel *ſolutivo eodem modo exhibito*, ſequendo multorum cum *Sennerto* conſilium, traditum *cit. lib. c.* 18. intermittente enim per hæc auxilia paroxyſmo, natura ſe colligit, & proprio niſu priſtinum valetudinis ſtatum recuperat, ſanguinis malam conſtitutionem ſuperando, per meliorem alimentorum concoctionem, & ſeparationem mali à bono. Quod ſi paroxyſmus, ut ſæpè ſolet, revertatur, eiſdem Febrifugis denuò inhibendus, ad naturæ auxilium pro terminanda humoris depravati correctione, vel integra ſequeſtratione, & quoties acceſſio revertitur, toties reiterandum Febrifugum.

III. *Animadverſione dignum eſt illud*, quod obſervat *Vvilliſius* in exhibitione Febrifugi, nempè poſt ejus aſſumptionem ægros intra lectum in levi diaphoreſi deſtineri debere. Ex quo mihi videtur, ſi paroxyſmus ſupprimatur à virtute medicamenti, nec ſudor ſuccedat, poſse poſt aliquot horas à medicamento ſudorificum exhiberi, quia quotieſcumque natura non exequitur quod debet, licitum eſt medico arte, & medicamentis tentare. In hoc caſu poſsunt ad uſum deduci medicamenta diaphoretica, *ſuperiori cap. deſcripta*, vel uti *extracto zinziberis ad* ℨ. ß. *cum aliqua aqua diaphoretica*, quartanam

tanam enim ſudore tollere dicitur, vel ſequenti mixtura *Rec. ſpiritus vitrioli correcti p. 1. ſpiritus tartari rectificati p. 3. ſpiritus cornu cervi p. 2. theriacalis aquæ camphor partes 2. ad ℈. ii. exhibita, in aquaſpecifica*, vel *bezoarticum ſale Mynſicht.* Ex quo deduco etiam licitum eſſe reſciſſo paroxyſmo à Febrifugis, totum negotium correctionis ſanguinis non committere naturæ, ſed eam adjuvare medicamentis, intentionibus in principio hujus capitis expoſitis ſatisfacientibus, quæ ab eodem peti poſſunt, addendo *theriacam*, *electuarium de ovo*, *diatrion. pipereon*, *ſalia cæphalica*, vel *Rec. calami aromatici*, ʒ. *i. radicis gentianæ, ariſtol. rot. zinzib. an.* ʒ. ß. *ſal. centauri min. Card. Bened. abſynth. an.* ʒ. *iii. corn. cervi philoſoph. præp. ſeminum calendulæ an.* ʒ. *i. doſis ad* ʒ. *i.* in aqua vel decocto appropriato, vel *Rec. ſalis Febrifugi* ʒ. *i. calami aromatici, nucis moſchatæ, caryophill. ſem. biper. piper. long. an.* ʒ. ß. *ariſtol. rot. Zedoar. Angel. gentian. an.* ʒ. *i. m. doſis ad* ʒ. *i.* in liquore appropriato. Conveniunt etiam *oculi cancri*, *cornu cervi uſtum*, *ſed tartari fixum*, *& decoctum herbarum quæ vulneraria dicuntur; nam acidum ſanguinis abſorbendo, illum purificant & emendant.*

IV. *Alterum quod animadverto in Vvilliſio* eſt, quòd ea quæ paroxyſmum inhibent, non debere deſumi in claſſe purgantium, licèt ab his aliquando Febris reciſſa fuerit, vel feliciùs ſeligit à ſerie eorum, quæ *ſanguini fixationem inducunt*, ut ſunt *alumen præparatum*, *ſuccus plantaginis*, *decocta aſtringentia conſolidæ*, *tormentillæ*, *ſerpentariæ*, *Cydonior. exſic. Opiata*, ut *diaſcordium*, *nepenthes philonium perſicum*, *& romanum*, *theriaca recens*, quæ ex aliquorum relatione ante paroxyſmum exhibita illum extinguunt, vel quæ *præcipitationem materiæ Febrilis inducunt*, qualia ſunt, quæ *è tartaro*, *chalybe & antimonio ſuppeditantur*, ut *tartarus martialis*, *tinctura tartari*, *antimonii*, *antimonium diaphoreticum*, *ſpiritus aperitivus. Penoti*, *crocus martis*, *aperitivus*, *ſal fraxini*, *tamariſci*, *fæcula Aronis*, *ſal ligni Guaia. ſal Chelidoniæ*, *Laxendulæ abſ. roriſm. ſal ſtipicum fabarum*, *urinæ volatilis ſanguinis viperarum*, *& alia hujus naturæ.*

V. Quibus præcipitantibus exiſtimo proficuum fore uti, poſtquam præparata fuerit materia ſupradictis præparantibus, vel alternatim per aliquot dies præparantia, & præcipitantia exhibere, purgantibus alternatim exhibitis ad præcipitatæ materiæ eductionem, in quorum genere efficaciſſimæ ſunt pilolæ *de ammoniaco*, *& de ſagapeno Quercetano*.

VI. Nec hoc eſt extra conſilium ſequacium, *Galeni*, *Sennertus* enim *li. cit. cap.* 17. agnovit utilitatem iſtorum medicamentorum, quando quærendo cauſam actionis febrifugorum ait *conſiſtere in præcipitatione quadam vim illam efferveſcendi, & paroxyſmum excitandi in humoribus tollente.* Et ſi externa præcipitantia ob tam felicem curandi modum admiſit, interna ejuſdem efficaciæ repudiare non poteſt.

VIII. Ex quorum demonſtratione patet, tam in hujus Febris intermittentis curatione, quàm in aliis antecedentibus, *Vvilliſium* antiquorum veſtigia calcaſſe, & eorum conſiliis manus dediſſe.

C A P. XXI.

In quo demonſtratur Sylvium in Curatione Febrium intermittentium non eſſe diſſimilem ab Antiquis.

I. Poſtquam *Sylvius* & rationibus & experientiis demonſtraverit Febres intermittentes oriri ab obſtructione ductus Pancreatici, omnium accidentium intermittentium altrice, juxta tradita *à nobis cap.* 12. de obſtructione aliarum partium. A *Sylvio* enim ea quæ dixi recepi, nec tantum lumen prætulit, ſed totum contribuit. Concludit in earum curatione pituitam obſtruentem incidendam, & è corpore educendam eſſe, univerſæ Medicorum ſcholæ dogmati ſubſcribens, quo ſancitum eſt in omni Febre putrida deobſtruentia eſſe neceſſaria, quia obſtructio eſt unica putredinis genetrix, & illa in Febribus intermittentibus à craſſis, ac viſcidis humoribus dependet, unde per omnes antiquos habetur indicatio deobſtruendi, qualem elicit *Sylvius lib.* 1. *de Prax. Medic. cap.* 30. *num.* 132. & hanc tamquam uniformalem in omnibus Febribus proponit *Sennert. cit. lib.* 2. *de Febr. cap.* 7. ad aperiendas vias pro facili humorum expurgatione, itaut neceſſarium, cenſeat, poſt primarum viarum evacuationem, & venæ ſectionem, adhibere medicamenta deobſtruentia.

II. Secundò ſucci pancreatici aciditatem corrigit, & emendat, & acrimoniam demulcet. Ubi notandum eſt, indicationem iſtam dirigi primariò ad aciditatem, & acrimoniam emendandum, ſubjectum verò nihil contribuere ad hanc indicationem, quia ſicuti qualitas ſola eſt quæ peccat, & per quam actiones vitiantur, & natura offenditur, non ejus ſubjectum, ita ab hac indicatio, non à ſubjecto deſumitur. Hujuſmodi indicatio ſemper apparet in Febribus intermittentibus, juxta principia eorum qui tenent Febres benignas, quales ſunt intermittentes, oriri à putredine ſecundùm quid; conſtituta per ſolam qualitatum alterationem; quia frigus, horror & rigor, qui cum ſimilibus Febribus conjunguntur, à materia acri, mordaci, & acida fieri jam demonſtratum eſt, *cap.* 13. & certum eſt dependere à materia putrida ſecundùm quid, Febrem generante: conſequenter ex his accidentibus demonſtratur materiam putridam Febrem acendentem, eſſe in aliqua ſui parte acrem, mordacem, & acidam. Et quia eſt univerſale axioma, putredinem eſſe emendandam, ex hoc inſurgit etiam indicatio acrimoniam & aciditatem, quæ putredinem ſecundùm quid conſtituit, corrigendi, quod docuit *Sennertus cit. lib. cap.* 7. quando acris materiæ refrigerationem, & mitigationem ait reduci ad primam præparationem, quæ conſiſtit in coctione humoris crudi, qui talis efficitur per putredinem abſolutam, vel ſecundùm quid quapropter, etſi in hoc ab aliis recentioribus diſſentiret, ad noſtrum intentum ſufficit antiquorum dogmatibus ſe conformate. Tertiò ejuſdem ſucci pancreatici, ac bilis efferveſcentia in tenui inteſtini vitioſa eſt impedienda, quod eſt finem, ac *Vvilliſius* Febrilis accenſionis inhibitio: ſcio Antiquos efferveſcentiæ bilis & ſucci pancreatici, non ſolùm mentionem non feciſſe, ſed neque noviſſe, ſcio tamen aliorum humorum efferveſcentiam cognoviſſe, vel ex ſuis principiis neceſſariò derivandam eſſe, prout oſtenſum fuit, *cap.* 1. *num.* 59. in Febribus, & huic neceſſariò providendum eſt, ſicuti aliis Febrium ſymptomatibus occurrimus, quoniam efferveſcentia humorum in Febre eſt quid dependens ab ea, ſicuti alia ſymptomata, ex Antiquorum mente cit. loc. dilucidata: Et ſi remedia pro hac ſedanda non propoſuerunt, hæc fuit ratio, quia quæ calorem minuunt, in quo eſſentiam Febris conſtituunt, qualia ſunt refrigerantia narcotica, præcipitantia Febrifuga, efferveſcentiam etiam ſedant, quia verò Recentiores Febris eſſentiam in efferveſcentia humorum & ſanguinis refundunt, ut demonſtratum fuit *cap.* 2. in hoc primo incumbunt, & primariam indicationem ex ea deducunt, ubi Antiqui pro ſecundaria intentione reſpiciunt, cenſentes efferveſcentiam à calore fluere, quapropter in hac indicatione, ea currit, differentia quæ intercedit in determinanda Febris eſſentia: nam Antiqui calorem in Febre eſſentialem volunt, efferveſcentiam ab eo dependentem agnoſcunt, ſic primariam indicationem in curanda Febre à calore deſumunt, ſecundariam ab efferveſcentia non debent negligere, ſilentio remedia ei proportionata involvendo, ob rationem ſuperiùs allatam: E contra Recentiores, quia eſſentiam Febris in efferveſcentia fundant, primum locum indicationi illius ſedationi reſpicienti tribuunt, ſecundùm indicationi extinctionis caloris, ab efferveſcentia accendi concedentes, reticendo pariter remedia quæ refrigerant, & extinguunt calorem, quia ſunt uniformia eis, quibus efferveſcentia ſedatur. Quapropter efferveſcentia humorum per Antiquos & Recentiores indicationem præbet, licèt diverſo modo, qui notabilem non reddit diſſentionem, cùm dependeat à diſſentione in conſtituenda eſſentia, quam notabilem non eſſe multoties demonſtratum fuit: Et eo minor evadit cùm remediorum exhibitio non varietur; pro ſedanda enim efferveſcentia utuntur Recentiores refrigerantibus præcipitantibus, narcoticis, Febrifugis, quæ in uſu eſſe apud Antiquos, *Sennertum* præcipuè, *ſuperiori cap.* manifeſtatum fuit, pro calore Febrili extinguendo, unde etiam ſi finis diſſenſio adeſt in horum remediorum exhibitione, condonanda eſſet, cùm nihil

nihil novitatis, & diſcordiæ in remediis reperiatur, quod eſt præcipuum in curationis unitate ponderandum.

IV. Pituitam obſtruentem incidunt commodiſſimè, *aromatica, & ſale volatili prædita medicamenta*, ſumpta cum hac cautela, ut corpus univerſum, vel motu, vel igne, balneove vel tegumentis ſimul incaleſcat, quo medicamenti vis, qua verſum diſperſa pertingat ad locum affectum, & Febris focum, hinc præſcribit ſequentem mixturam. ℞. *Aquæ petroſelini* ℥. *ii. fœniculi* ℥. *i. theriacalis ſimplicis, vitæ Mathioli* ℥. *i.* ß. *ſalis volatilis Succini* ℈. *i. ſyr. cardui bened.* ℥. *i.* ß. vel ℞. *aquæ agrimonii, meliſſæ an.* ℥. *ii. totius citri* ℥. *i. elixir proprietatis* ℈. *i. ſalis cornu cervi volatilis* ʒ. *i. ſyr. de duabus rad.* ℥. *i. m.* de quibus aliquoties in die ad cochleare unum aſſumenda, duabus verò tribuſve horis ad cochlearia tria ante novi paroxyſmi adventum uſurpanda, corpori calorem fovendo uſque ad ſudoris eductionem. Huc ſpectant dicta *cap.* 19. *num.* 44. quibus adde, *eſſentiam centaureæ minoris, elixir proprietatis Mynſichit ſales cephalic. quibus adde ſal. majoranæ, rutæ, origani, pulegii* & deſcripta *cap.* 16. *num.* 21. ſicuti *decoctum, vel aquam paratam ex agrim. betonica, gramine, fœniculo, Card. ben. abſynth. geniſta, Caterach & radicibus aperientibus, aſparagi fœniculi petroſelini*, & in his deobſtruentibus, ultra antiquorum conſenſum ſupra *num.* 1. oſtenſum, *Vvilliſii* confirmationem obtinet, *qui lib. de Feb. cap.* 4. in cura tertianæ aperitiva conſulit, quæ ab occluſa via indicantur; & *cap.* 5. in cura quotidianæ deobſtruentia proponi. In quartana de his non agit, quia per Febrifuga, tamquam via breviori ad illius curationem tendit.

V. Si verò conſtitutio ægri, vel naturalis, vel præternaturalis, obſervatur bilioſa, vult uſurpanda eſſe incidentia & ſolventia acida, ut ℞. *aquæ fumariæ* ℥. *iii. ſal armoniaci*, vel *tartari vitriolati* ℈. *i. antim. diaphoretici* ʒ. ß. *ſyr. fœnic.* ℥. 1. *m.* vel ℞. *aquæ acetoſæ, abſynthii an.* ℥. 1. ß. *ſalis prunellæ* ʒ. *i. tincturæ antimonii* ℈. *i. m.* vel ℞. *Aquæ endiviæ, aſpar. card. bened. an.* ℥. *ii. ſpiritus vitrioli gutt. viii. tincturæ tartari* ʒ. ß. *ſyr. de duabus rad.* ℥. *i. m.*

VI. Quoties ſimul pituitoſi & bilioſi humores in eodem abundant ægro, medicamenta utrique humori propria parat. E. G. ℞. *aquæ cardui bened. cichorii an.* ℥. *i.* ß. *theriacalis ſimplicis, acet. ſcil. an.* ʒ. *vi. oculi cancr. pulver.* ʒ. ß. *ſyrup. de quinque radicibus* ℥. *i. m.* vel ℞. *aquæ fœniculi, acetoſæ an.* ℥. *ii. gentianæ v. i. ſalis abſynthii*, ℈. ß. *acidi tartari aluminati Mynſichit, cornu cervi uſti an.* ʒ. ß. *ſyr. acetoſi*, ℥. *i. m.*

VII. Si obſtruens pituita non fuerit valdè glutinoſa una ſæpè ſudatione ſolvitur in totum obſtructio, ideò ſudorifica poſſunt exhiberi in Febris augmento, vel ſtatu; ea propoſita *c.* 19. *n.* 6.

VIII. Purgantia, & Vomitiva exhibet, ad pituitæ & bilis evacuatione ante paroxyſmum, per tres vel quatuor horas, juxta *Sennerti* & *Saxoniæ* conſilium ſuperiùs dictum & *Vvilliſii juxta dicta c.* 18. *n.* 6. & 19. *n.* 3. *vomitivum parat* ex *antimonio*, purgantia exhibet juncta iis, quæ incidunt, ut ℞. *pil. fœcid. mai.* ℈. ß. *trochiſc. alband. mercurii dulcis an. gran. v. olei ſuccin. gut. ii. m.* vel ℞. *pil. aggregat, de tribus cum rhabarb. an.* ʒ. 1. *m. cum oximel. ſcyllitico*, vel ℞. *rhabar. el. agar. trochiſ. an.* ʒ. 1. *infund. in ſuff. quant. aquæ endiviæ, S. A. facta colatura, adde ſyr. roſ. ſol. mel. roſ. ſol. an.* ℥. *ii.* ß. *aquæ cinam.* ℥. 1. *m.*

IX. Aucta ſucci pancreatici aciditas, & acrimonia, temperanda *ſalibus volatilibus, & aromat.* non neglectis opiatis, ut ſi mixturæ, *ſup. num.* deſcriptæ addatur *laud. opiat. gr. iii. olei gariophyl. gut. ii.* vel ℞. *aquæ mentæ* ℥. *ii. fœnic.* ʒ. *i. tincturæ cinamomi cum ſpiritu vini rectificato per infuſionem paratæ an.* ℥. ß. *ſyr. abſynthii* ℥. *i. laud. opiat. gran. iii. m.* ad huuc uſum ſunt uſurpanda medicamenta acidum infrigentia, deſcripta ſuperiori *c.* 17. *n.* 16. 24. quibus adjungi poſſunt oleum macis, citri, granorum juniperi, & ſimilia.

X. Ejuſdem ſucci pancreatici, & bilis efferveſcentia emendatur laudata mixtura præcedenti *n.* 1. *hoc* deſcripta, & *omnibus opiatis*, ut *aqua papaveris erratici, nymphea diaſcordio*. Huc tendunt etiam *præcipitantia c.* 30. *n.* 4. recenſita, & *Febrifuga c.* 18. *n.* 8. *enumarata*.

XI. Sanguinis miſſionem in his Febribus præterit, attamen ex ejus principiis colligo convenire ſi plethora adſit, dum *c.* 29. *n.* 57. in Febre ſynocha lymphatica, in corpore pletorico ſanguinem mittit, & etiamſi in his Febribus intermittentibus calor adſit talis, ut ſanguinem ſummè rarefaciendo vaſa repleat, ſanguinis eductionem permittet *Sylvius*, juxta ea quæ tradit *c. cit. num.* 45.

XII. Quòd ſi objiciatur manifeſtam ibi *Sylvii* diſſenſionem apparere, cùm omnes intermittentes à ſucco pancreatico & bile deducat, ubi Antiqui unicuique intermittenti diverſum aſſignant humorem.

XIII. Reſponderem *Sylvium* non diſſentire ab omnibus Antiquæ medicinæ ſectatoribus, teſte enim *Sennerto l.* 2. *de Feb. c.* 17. *fol.* 85. recenſet ſententia aliquorum determinantium omnem Febrem intermittentem poſſe fieri à quocumque humore, & ita non eſt novum aſſerere à bile & ſucco pancreatico, qui ſunt corporis humores, fieri tertianam, quartanam, & quotidianam; præterquam, quod ex ſententia *Sylvii* habemus bilem peccantem, in ſucco pancreatico melancholiam, vel ei correſpondentem humorem, & in pituita obſtruente tertium humorem, ab Antiquis unà cum præcedentibus admiſsum; Et ſi vera eſt doctrina *Platero c.* 11. *num.* 11. recenſita, determinans Febres à ſanguinis diſpoſitione varietatem ſumere, cùm hanc recenſeat ſuperiori *num.* 5. & 6. *Sylvius*, enumerando diſpoſitiouem ſanguinis pituitoſam ac bilioſam, videtur planè cum Antiquis convenire in diverſitate Febrium à diverſo humore non peccante, ſed conſtituente maſſam ſanguinis; & ſic vitium pancreatici ſucci, ob diverſam, ſanguinis diſpoſitionem, poteſt varias efficere Febres, & diverſa illius diſpoſitio diverſitatem paroxyſmorum efficere, juxta ſententiam illorum antiquorum, qui putabant ab uno humore variè diſpoſitio varias in typis Febres produci poſse.

XIV. Hæc ſunt quæ conſenſionem *Sylvii* cum Antiquis dilucidant in curatione Febrium, nullum enim eſt medicamentorum genus ab eo deſcriptum cujus uſum antiqui non commendaverint, ut ex eorum comparatione unuſquiſque colligere poteſt, & ſi alicui videretur durum remedia adeò calida, ut ſunt aromatica debellandæ aciditati ſucci pancreatici præſcripta, in Febre ubi eſt calor præternaturalis adhibere, adeat *Avic.* qui *l.* 4. *ſect.* 1. *cap.* 39. in curatione Febris à pituita aeida aromaticis utitur medicamentis & ita omne ſcrupulum deponent.

XV. Et ſi eſset diſsentio in hoc caſu, non eſset culpanda, quia ſi licitum eſt in indaganda Febris intermittentis cauſa, unicuique ſuam proferre ſententiam, quia myſterium naturæ redolet difficulter penetrabile, ita unicuique licere debet curationem intermittentium variare, cùm hæc à cauſa dependeat; ſic qui ſuſtinent in aliquorum antiquorum ſententiam, *Galeni* patrocinio, humores in Febribus intermittentibus putreſcere extra venas & ambitu corporis, ab earum curatione excludunt diuretica & vomitiva in principio acceſſionis, cùm talis materia, prædicto modo putreſcens, non poſſit per dictas partes expelli, quæ medicamenta ab aliis laudantur; Sic qui Febres ab omni humore fieri determinant, ut tertianam à pituita, quartanam à bile, prout fatetur *Sennertus lib.* 2. *cap.* 17. diſcrepant in curatione ab eis, qui tertianam à bile, quartanam à melancholia volunt ſemper, unde diſcordia in Febrium intermittentium curatione inter antiquos & recentiores eſt excuſanda, cùm inter antiquos rei difficultas etiam ab ipſa Medicinæ origine fuerit.

XVI Puto tamen veram curationem Febrium intermittentium, à cognitione cauſæ dependere, cujus ſigna deſcripſimus *cap.* 15. *num.* 8. Nam ſi cum rigore, & frigore invadit, materiam acidam pro cauſa habet, & curatur remediis acidum extinguentibus deſcriptis *cap.* 17. *num.* 16. & *cap.* 21. *num.* 9. & ſi rigori intenſus ſuccedat calor, quia hic poteſt contingere ex admixtione calidi humoris cum acido, refrigerantia ſupradictis remediis ſunt uniendæ, & illorum formulas deſcripſimus *cap.* 12. *n.* 3. & 9. his etiam utendum, ſi caloris intenſio à ſanguinis ſummè fervidi dependeat, in quo caſu adſtringentia conveniunt recenſita *c.* 3. *n.* 40. ſicuti in

primo

primo caſu præcipitantibus uti poſſumus, deſcriptis *cap.* 20. *num.* 4.

XVII. Si ſolo frigoris ſenſu Febris incipiat, quia oſtendit materiam acri qualitate carere, ſaltem excedente, qualis eſt pituita inſipida, dulcis, vel parum acida, vel ſalſa, ideò moderatè calefacientibus & incidentibus utendum, deſcriptis *ſuperiori c.* 17. *n.* 19. *& c.* 19. *num.* 4. ſi Febris cum horrore & calore in ſui initio invadat, quia bilem peccantem oſtendit, ea ſunt adhibenda, remedia, quæ hujus acrimoniam & furorem mitigant, qualia ſunt exarata, *c.* 17. *n.* 3. *&* 4. quæ præcipitantibus unita majoris erunt efficaciæ, conveniunt etiam *extrinſeca deſcripta c.* 18. *num.* 9.

XVIII. Si Febris inſultus à calore initium habeat, quia humoris combuſtionem manifeſtat, idcircò refrigerantibus validis conceptus ignis reprimendus, & ſanguinis maſſa munienda, ut ab incendio, quantum fieri poſſit, præcaveatur, & horum medicamentorum formulas habemus *c.* 16. *n.* 5. *& n.* 8. *& c.* 17. *n.* 3. *&* 4.

XIX. Et quia principalem cauſam Febrium intermittentium in obſtructione ſeu impedimento, ſanguinem, & humores ſtagnare cogente repoſuimus, idcircò deobſtruentia in quacumque Febre ſunt aliis remediis miſcenda, debilioribus incipiendo, & ſi in longum extendatur Febris, fortiora, & validiora ſunt adhibenda, & horum medicamentorum deſcriptiones habemus *c.* 17. *num.* 19. *& c.* 19. *num.* 4.

XX. *Febrifuga* in omni etiam Febre conveniunt, ſive ſint interna, ſive externa. In uſum tamen non ſunt ducenda, niſi præmiſſis evacuationibus univerſalibus, & poſt aliquot dies à Febris initio.

XXI. Hinc juxta ordinem *Sylvii* agendum eſſet de curatione Febrium continuarum, typum tertianæ, quotidianæ, & quartanæ ſervantium, at quia iſta perficitur medicamentis de intermittentibus dictis, cùm indicationes ſint uniformes, ab hoc opere tractando ſuperſedeo, & eò magis cùm conſenſio Recentiorum cum Antiquis in curatione Feb. continuarum ſatis apertè manifeſtetur in aſſenſione curationis Febrium intermittentium, & meum ſit intentum, non Febrium curationem dirigere, ſed unionem Modernorum & Antiquorum in curandis Febribus demonſtrare.

CAP. XXII.

In quo oſtenditur Antiquos, & Recentiores, in Curatione Febris Hecticæ eſſe ſimiles.

I. IN hujus Febris curatione *Sylvius c.* 32. *n.* 20. generatione elicit indicationem, tenacitatem, glutinoſitatem ſanguinis corrigendi, quia in hac immediatam hujus Febris cauſam fundat, cui aliam refrigerandi, & humectandi adjungere debemus, ratione eorum quæ ex mente *Sylvii deduximus c.* 11. *n.* 29. reſpiciendo cauſæ remotiori, vel immediatæ viſciditatis, quæ eſt calor, à quo ſanguis nimis excoctus incraſſatur & glutinoſus redditur, quam indicationem expreſſit *Sylvius*, quando *cit. c.* 32. *n.* 23. laudavit *lac muliebre aſininum, vel caprinum* pro remedio & alimento, in hac Febre.

II. Ad tollendam viſcoſitatem & tenacitatem ſanguinis, omnia aromatica benigna laudat, ut ſunt, *olea ſtillatitia foliorum, & florum roſmarini, majoranæ, calendulæ, corticum citri, arantiorum*, & ſimilium, & *ſales iidem ſuis oleis digeſti & volatilixati, & ſales volatiles oleoſi ſuccini, cornu cervi, cranii humani, fuliginis, ſanguinis humani.*

III. Ad refrigerandum, & humectandum, juxtà indicationem ab eo deductam, utitur *lacte* proinde puto etiam, ex ejus ſententia; non eſſe alienum propinare *decocta vel ſuccos herbarùm refrigerantium, & humectantium,* ut *endiviæ, æpaticæ, ſonchi, cichorei, & ſimilium, & ptiſanam.*

IV. Per hæc ultima medicamenta certum eſt *Sylvium* cum Antiquis convenire, qui hujuſmodi medicamentis ùtuntur, & præcipuè *lacte*, de quo *Sennertus l.* 3. *de Feb. c.* 13. ait vix quicquam ad curandam hecticam eo eſſe convenientius, quia iſta omnia adimplent indicationem quam à calore, & ſiccitate habituali derivant, & quia *ſuperiori c.* 11. *n.* 26. deduximus ab hujuſmodi calore viſciditatem & craſſitiem ſanguini conciliari, ideò neceſſaria deducitur indicatio ſanguinem attenuandi & incidendi, juxta primam indicationem à *Sylvio* recenſitam, cui ſatisfacere putarunt uſu liquidorum & humidorum refrigerantium, craſſa enim quæ à liquidis diſſolvi poſſunt, horum admixtione tenuia evadere, & craſſitiem amittere docet experientia. Quod confirmatur ex eo quòd prohibent uſum *cochlearum*, quia craſſum & terreſtre alimentum generant, prout docuit *Sennertus c. l.* & *Saxonnia de Febr. c.* 29. Ex quo licet inferre incraſſantia ſanguinem hecticæ eſſe nociva, & è contrario attenuantia eſſe ei proportionata, ſi attamen ſint ſine exceſſu caloris, qualia ſunt *Sales volatiles oleoſi*, & ſi aliquid caloris participant, cum frigidis correcta exhibeantur.

CAP. XXIII.

De Curatione Febris malignæ, ex veterum & Modernorum mente.

QUia Antiquæ medicinæ ſectatores diviſi ſunt in determinanda cauſa Febris malignæ, ideò etiam diſſimiles ſunt in ejus curatione. Nam qui volunt malignitatem in occulta qualitate venenata conſiſtere, ut *Sennertus*, duo tantùm conſiderant, pro eliciendis indicationibus ad curationem neceſſariis, nempè Febrem, & venenatam qualitatem, ita *Sennertus lib.* 4. *de Feb. cap.* 11. *fol.* 176. *ubi perpendit, an magis urgeat qualitas maligna, an Febris? ſi primò ſudorificis* eam in principio debellare tentat. *Si ſecundò, purgatione leviente, ſanguinis miſſione, ſudorificis, alterantibus, & præparantibus diureticis,* & *purgantibus utitur.*

II. Eadem methodo videtur procedere *Vvilliſius in ſuo tract. de Feb. c.* 14. dicendo, *pro curatione Febrium, tum peſtilentium, tum malignarum, quàm in cœteris quibuſcumque majori opus eſt judicio & circumſpectione: cùm enim duo ſint primaria indicantia, ſcilicet malignitas, & intemperies Febrilis, cumque alteri ſine alterius detrimento vix proſpicere liceat, utri priùs ſit occurrendum, & potiùs conſulendum, non facilè erit diſcernere. Reſpectu Febris purgatio, venæ ſectio, & refrigerantia in primis conducunt, dum verò hæc celebrantur, malignitas plerumque augetur, & neglecta venenum latiùs diffundit: contra malignitatem Alexipharmaca & diaphoretica requiruntur; verum hæc Febrem valde intendunt, ſanguinem ac ſpiritus priùs accenſos, velut follium exploſus plus exagitant, & totus quaſi in flammam adigunt, quare hic magna opus eſt ſolertia, ut hæc ritè inter ſe conferantur, & unde plus periculi emineat, illinc intentiones curativæ immediatiùs deſignantur.*

III. Qui verò malignitatem à putredine deducunt, & ſunt *deſcripti c.* 5. *n.* 1. & ipſi conſiderant in Febre maligna, Febrem nempè, & putredinem, *primæ* refrigerantibus occurrunt, *ſecundæ* ſiccantibus, ita *Minadous de Feb. maligna l.* 2. *c.* 1. inter ſiccantia, *aquam ſcorzoneræ, bezoar. os de corde Cervi, theriacam, troch. de viperis*, & alia multa enumerat, ſudorifica verò intensè calida, & ideò exſiccantia reprobat, quia Febrilem calorem adaugere valent, contra hanc opinionem verò validis rationibus inſtat *Sennertus cit.* ſuperiùs *l. de Feb. c.* 2.

IV. Et ſi *Vvilliſium* cum hoc concurrere, in ſupradicta cauſa Febris malignæ, nempè in putredine, concedamus, prout concedendum eſse demonſtrabimus *cap.* 6. *num.* 31. in ratione curationis uniformes habebimus. Nam *Vvilliſius cit. loc. c.* 13. correctioni, & inhibitioni putredinis incumbit, cum alexipharmacis dicendo, *alexipharmaca enim videntur ſub duplici ratione contra contagium juvare; tum quòd ſanguinis maſſa, & viſcera horum particulis referta, necnon ſpiritus iiſdem priùs occupati, venenati miaſmatis conſortia non facilè admittunt, tum quòd ſanguis leni harum orgaſmo citatus à coagulatione vindicantur.* Pro coagulatione verò putredinem intelligere oſtenſum fuit, ſuperiùs *cap.* 6. *nu.* 3. & inferiùs idem confirmavit, ubi de eiſdem medicamentis loquendo, *eadem intus ſumpta, & quoad minima refracta, cruorem & ſuccos in vaſis & viſceribus confluos corpuſculis ſuis, velut novo fermento inſpirant, eoſdem leniter movendo, & inæquabili mixtione ſervando, à coagulatione & putredine vindicat, veneni particulas agglomerari cœptas eadem blanda agitatione ob invicem diſſi-*

diſſipant, & à maturitate impediunt; denique ſanguinem & ſpiritus præoccupando, eos à characteris peſtilentis impreſſionibus tuentur. Inter alia medicamenta enumerat *ſcordium, rutam, theriacam, mithridatum diaſcordium,* laudata à *Minadoo cit. loc.* & cum eodem admittit *venæ ſectionem, purgationem, deſiccantia, & diaphoretica.* Itaut omninò uniformis ei evadat, & in indicationibus, & in remediorum exhibitione: hinc colligo quando *cap.* 14. dixit intemperiei Febrili, & malignitati ſtudendum eſse, pro curatione Febris malignæ: pro malignitate intellexiſse fermentum illud coagulans ſanguinem, & putredinem inducens, vel ipſam putredinem jam excitatam, & hæc concordant cum eis, quæ dixit *cap. ſuperiori* 13.

V. *Sylvius* in curatione Febris malignæ ſecutus eſt *Minadoum* cum *Vvilliſio*; nam *cap.* 33. reſpiciendo ad ſal acre & volatile quod malignitatis cauſam cenſet, & putredinis, & coagulationis humorum fomitem eſſe deduximus, *ſuperius in cap.* 6. *n.* 34. præcipit *n.* 11. prædictum ſal corrigendum eſſe medicamentis acido, vel auſtero terreo donatis, in quorum genere ſunt, *bolus armena, terra lemnia, & omnes argillaceæ, atque ſigillatæ terræ*; in hunc finem laudat *ſulphur minerale*, aut *metallicum omne ſed ritè præparatum, vitrioli, antimonii, &c.* hæc enim, prout adnotavit *cit. c.* 13. *Vvilliſius*, quia à calore noſtro minimè ſubjungitur, aut ſeparantur, contra malignitatem, & virus luis peſtilentialis optima evadunt remedia, his adjungit *theriacam, diaſcordium, & ſales volatiles blandos, & oleoſos, præcedenti capite deſcripos ſub n.* 2. Eumdem ſalem volatilem acrem, foras propellere ſudorifera ait, in quem finem ſequentem proponit mixturam. ℞. *theriacæ veteris* ℥. *ii. antimonii diaphoretici* ℥. i. *ſyr. car. ben.* ℥. *ii. aquæ prochylacticæ noſtræ, cujus deſcriptio habetur cap.* 16. *n.* 12. ℥. *ii. aquæ cinamomi* ℥. ß. *ſcabioſæ* ℥. *i.* de qua parte quartam vel quintam ſumat æger, & poſt horæ dimidium, ejuſdem unum, vel duo coclearia iterum capiat, ſicque pergat donec commodus ſequatur ſudor, & *n.* 15. animadvertit omnibus ſudoriferis optimum eſſe admiſcere *antimonium diaphoreticum, bezoarticum minerale ſimplex, vel compoſitum, & alia ex antimonio parata*, quia in hoc adeſt *ſulphur mirabile*, à quo omne acre mirificè temperatur, & poſtquam per ſudorifera ſublatum fuerit è corpore malignum venenum, jubet perſeverandum eſſe in moderato acidorum, ſub auſterorum porulentis admiſtorum uſu, quibus ſanguini conſiſtentia priſtina reſtituetur, unde concludit conducere maximè in Febre maligna, *omphacium malagranata, cydonia, arancia, berberis, tamarindi, &c.* quæ medicamenta à *Proſpero Alpino l.* 4. *de Medicina Ægypt. cap.* 4. in Febribus malignis extolluntur, & eadem propoſuit *Minadous cit. lib.* 2. *cap.* 15. ubi etiam laudat omnia medicamenta à *Sylvio* deſcripta, eis exceptis, quæ chymia recenter ſuppeditavit, itaut *Sylvium* ea ab illo tranſcripſiſſe unicuique patere poteſt, ex comparatione & lectione citatorum locorum utriuſque.

VI. Quòd ſi videretur *Sylvium* à *Vvilliſio*, & *Minadoo* deficere, quia ſolùm cauſæ putredinis, quæ eſt ſal acre, non putredini, ut prædicti fecerunt, reſpexit, in remediorum deſcriptione. Dicerem hoc ſuperfluum fuiſſe, cùm remedia quæ pro corrigendo dicto ſale proponuntur, putredini etiam conveniant, & ſunt eadem quæ pro exſiccando ad putredinis prohibitionem, & mitigationem proponit *Minadous*: ſicuti nec puto defeciſſe ab eiſdem auctoribus, dum ſolam malignitatem conſideravit, indicationes à Febris eſſentia ſubminiſtratas prætermittendo, contra inſtitutum prædictorum, qui eas conſideraverunt unà cum remediorum eis correſpondentium aſſignatione; nam ſupponit *Sylvius* malignitatem magis urgere, quàm Febrilem intemperiem, idcircò à potiori indicationes derivavit, & eas explicitè declaravit, cum remediis eiſdem ſatisfacientibus: indicationes verò à Febre dependente, calorem & efferveſcentiam illius reſpicientes implicitè, delineavit *n.* 6. *cit. cap.* ubi malignarum eſſentiam deſcribendo, de calore & efferveſcentia per pulſum cognoſcibili verba facit, & ſi certum eſt veras indicationes ab eſſentia morborum deſumi, dum ibi eſſentiam Febris deſcripſit, indicationes etiam ab ea demonſtratas implicitè manifeſtavit, & ſi remedia haſce indicationes adimplentia, prætermiſit hoc fecit quia ſatis per ſe ſunt nota, & ex dictis ab eo in aliarum Febrium curatione apertè deduci poſſunt.

VII. *De venæ ſectione*, nihil dicit contra methodum ſupradictorum auctorum, vel quia adhæret opinioni eorum quorum mentionem facit *Minadous cit. l.* 2. *cap.* 2. determinantium in Febre maligna nullo modo mittendum eſſe ſanguinem, & in hoc antiquæ doctrinæ ſectatorum ſententiam ſecutus eſſet, vel quia neceſſarium duxit; *primò* per experientiam diſcere, an conveniat venæ ſectio necne, cùm aliquando obſervatum fuerit hanc eſſe lethalem in aliquibus Febribus malignis, ut animadvertit *Vvilliſius cit. loc. c.* 14. in obſervatione Febris peſtilentis *anni* 1643. unde cùm dubium ſit, an ſanguinis miſſio poſſit convenire in Febre maligna, Medici judicio remittendum eſt indagare, an in eis quibus aſſiſtit liceat ſanguinem mittere, ducta ratione vel ab experientia vel à natura Febris & ægri. Idem dicendum eſt de purgatione, ſtante obſervatione facta aliquando plus detrimenti, quàm utilitatis afferre in Febre maligna illius uſum.

ELENCHUS CAPITUM.

CAP. I. pag. 31.

Quid ſit Febris ſecundùm Antiquos, & in quo eſſentialiter conſiſtat.

FEbris Definitio ab *Avicenna* propoſita, omnibus accepta §. 1. ab Hippocrate, & Galeno illam mutuatus eſt §. 2. Eſſe calorem probatur authoritatibus §. 3. Rationibus §. 4. 5. 6. 7. Calorem illum qualitatem eſſe plerique ſuſtinent §. 8. Alii in ſubſtantia conſtituunt, *ibid.* Rationes confirmantes §. 9. 10. 11. 12. Prior ſententia acceptior §. 13. Febris an ſemper ſit calor §. 14. Calor an Febrilis evadat per intenſionem, negatur §. 15. 16. 17. 18. Affirmatur §. 19. 20. 21. 22. 23. An ſemper à tali intenſione calor Febrilis proveniat, affirmatur §. 24. 25. 26. 27. Negatur §. 28. 29. 30. An calor Febrilis per intenſionem excitatus ab extrinſeco vel intrinſeco principio proveniat; Pro intrinſeco ratione §. à 31. ad 40. Febrilis calor an ejuſdem conditionis cum naturali, an diverſus. Pro poſteriori opinione rationes §. à 41. ad 44. Pro priori §. à 45. ad 47. Cor an ſubjectum Febris Affirmantes rationes §. à 49. ad 52. Negantes §. 53. 54. 55. 56. Quæ cordis ſubſtantia ſubjectum Febris. An humores §. 57. An partes ſolidæ §. 58. Sanguis poteſt eſſe ſubjectum Febris §. 59. 60.

CAP. II. pag. 35.

De Febris Eſſentia ſecundùm Recentiores.

FEbris definitio à Recentioribus tradita §. 1. Cur dicitur Efferveſcentia §. 2. Hæc efferveſcentia competit ſanguinis §. à 3. ad 7. In naturali conſiſtit ſanitas §. 8. Galenici illam, ſeu fermentationem agnoſcunt §. 9. Cur dicitur *nimia* §. 10. Calor illius author eſt §. 11. Sanguis ad fermentationem incaleſcit §. 12. In nimia ſanguinis Efferveſcentia Recentiores Febris eſſentiam conſtituunt §. 13. Antiqui illum ſtatuunt 14. Sanguis ſubjectum nimiæ efferveſcentiæ, & humores 15. 16. Quinam illi humores efferveſcentiæ cum ſanguine ſubjectum 17. Fermentatio in corde peragitur juxta Recentiores 18. Ab extraneo inducitur 19. Efferveſcentiam ſequitur calor 20. an Febrium ſit ſemper omnes calor? negantium rationes 21. Affirmativa aſſeritur §. à 22. ad 25. Antiqui Febris eſſentiam in calore ponunt 26. Recentiores calorem in ſub-

ſubſtantiæ prædicamento collocant 27. Neoterici antiquis aſſentiuntur, calorem in intenſione ſtatuendo 28. An Febris à tali intenſione ſemper proveniat 29. Intenſio caloris dependet à principio intrinſeco 30. Fit ab unione caloris 31. Calor additus ejuſdem eſt ſpeciei cum præexiſtente 32. Sitis cauſa in Febribus 33. Naturalis œconomiæ perverſio unde 34. Concordia inter antiquos & neotericos difficilis 35. Fermentatio caloris an effectus, an hic illius 36. 37. Sanguini an inſit fermentum intrinſecum 38. 39. An moderni antiquis conſentiant circa ſanguinis accenſionem 40. 41. 42. 43. 44. *Archeus* Helmontii 45.

C A P. III. pag. 42.

De cauſis Febrium ſecundùm Antiquos.

Medici ſolam efficientem cauſam in Febribus perpendunt 1. quinque efficientes cauſas enumerant 2. 3. Motus quomodo cauſa caloris 3. 4. 5. Quid *vicinia rei calidæ* 6. quid *admixto rei calidæ* 7. *Obſtructio* quomodo Febrium cauſa 8. *Putredo* cauſa caloris 9.

C A P. IV. pag. 43.

De Putredinis Eſſentia, & Diviſione ſecundùm Antiquos, & Recentiores.

Definitio Ariſtotelica 1. cur dicitur *interitus caloris* 2. cur *proprii, & naturalis* 3. cur *In uno quoque humido* 4. cur *ab ambiente calido* 5. Cur putreſcentia calidiora evadunt 6. cur humidiora 7. Cur terminata putredine res fit ſicca 8. Cur putredo in frigore vix accidit 9. Cur conglaciata non putreſcunt 10. Cur calidiſſima putredinis immunia 11. Cur quæ moventur difficulter putreſcunt §. 12. Cur ſal vindicat à putredine §. 13. Modus quo putredo ſuccedit §. 14. Putredinis definitio Galenica §. 15. Quid *permutatio* totius ſubſtantiæ §. 16. Quid intelligit *Galenus* per *ad corruptellam* §. 17. In cauſa efficiente conſentit Ariſtoteli §. 18. Aſſentiuntur utrique Recentiores §. 19. *Kyperi* definitio §. 20. *kergeri* §. 21. Putredo alia *ſecundùm totum*, alia *ſecundùm partem ex Ariſtot.* §. 22. Putredo *ſecundùm partem* ſubdividitur, Elementa an putreſcant §. 23. Mixtorum putredo §. 24. Illam ſubdiviſionem admittit Galenus §. 25. Putredo ſecundùm quid §. 26. Non quævis alteratio Putredinem humoribus inducit §. à 27. ad 30. Hanc Putredinis naturam amplectuntur Recentiores §. 31. *Sylvius* §. 32. *Helmontius* §. 33. *Combuſtionis* conſideratio neceſſaria §. 34. Definitio Ariſtotelica §. 35. Cur dicitur mutatio in ſubſtantiam §. 36. Quæ partium ſeparatio accidat §. 37. uſtio ſemper fit ab extrinſeco §. 38. humores an combuſtionis ſubjectum §. 39. 40. 41. 42. *Vvilliſ.* uſtionem in putridis agnoſcit §. 43. Et *Elm.* §. 45. *Sylv.* §. 46. *Mart.* §. 47. Antiqui & recentiores quoad Putredinem concordes ſunt §. 48.

C A P. V. pag. 49.

An putredo, & Combuſtio indifferentes omnes Febres generent, vel ad particulares ſolùm differentias ſe extendant.

Febris maligna an ab inſigni putredinis gradu cum formæ corruptione? §. 1. Affirmatur §. 2. 3. An putredini adjuncta venenata qualitas §. 4. A putredine ſecundùm quid fiunt Febres benignæ §. 5. Non omnes benignæ putredinis ſunt ſoboles §. 6. 7. 8. A combuſtione humorum Febris accenditur §. 9. Quæ Febres ab illa excitentur §. 10. Humorum effervescentia inter combuſtionem, & putredinem abſolutam mediat. §. 11.

C A P. VI. pag. 50.

De Cauſis Febrium ex Recentiorum mente.

Cauſæ Febrium tres ex *Vvilliſio* §. 1. Effervefcentia ab *extraneo* inducta §. 2. Cauſa occaſionalis *Helmontii* ad id *extraneum* referenda §. 3. Id *extraneum* concedit *Sylvius* §. 4. *Martiani* diſgregatio humorum ad id *extraneum* pertinet §. 5. *Vvilliſ.* viciniam rei calidæ admittit §. 6. Hæc ſententiarum unitas confirmatur §. 7. Antiqui extraneum illud adſtruunt 8. Quid intelligendum per *admiſtionem corporis extranei* 9. An lympha, & ſuccus pancreaticus *Sylvii* concordiæ obſtent 10. Humores hi admittendi 11. Lympha ſanguini commiſcetur 12. Tranſitus ſucci pancreatici, & bilis ad cor oſtenditur 13. Nova bilis ad cor via à *Sylvio* fingitur 14. Saliva cum aliis humoribus ad cor vergit 15. Secunda cauſa Febrium à *Vvilliſio* tradita, *Elementum aliquod ſanguinis* extra temperiem abreptum 16. 17. Hanc ſententiam ab Hippocr. deſumpſit Vvilliſ. §. 18. *Diſgregatio* humorum eſt Febris cauſa 19. Hanc concedunt Antiqui 20. Admittitur ab illis qui combuſtionem recipiunt 21. 22. Cauſæ diſgregationis, ſeu principii exaltati cauſæ plures ex *Vvilliſio* 23. *Martianus* diſgregationis cauſam motum ponit 24. calor externus quomodo mixti unitatem ſolvit ex *Vvilliſio* 25. Martianus ſubſcribit 26. Exaltationis ſanguinis quantitas partis calidæ eſt altera cauſa 27. Hanc agnoſcit *Martianus* §. 28. Ventilationis defectus explicatur à *Vvilliſio* 29. Cauſas exaltati principii ab antiquis mutuatur 30. Sanguinis coagulatio duplex aſſignatur ab eodem 31. Non diſſentit *Helmontius* 32. Aſſentitur *Regerus* 33. *Sylvius* §. 34. Fermentum Febrilem idem eſt ac putredo ſecundùm quid 35.

C A P. VII. pag. 55.

De cauſis Febrium ex Helmontio.

Helmontius antiquos in doctrina Febrium flagellat 1. Illarum cauſam ſtatuit ideam in vitali principio ſuccreſcentem 2. Quid per ideam intelligat 3. Ideæ morborum nihil aliud ſunt, quàm eorumdem cauſæ 4.

C A P. VIII. pag. 57.

De modo quo fit Febris, ex Antiquorum mente.

Generationis Febrium ratio quomodo inveſtiganda 1. Motus quomodo accendat Febrem 2. 3. 4. 5. 6. Febris maligna à ſola putredine inducatur 7. 8. 9. 10. 11. 12. ex *Hippocrate* objectio diluitur 13. combuſtio Febrem quomodo inducat 14.

C A P. IX. pag. 59.

Quomodo contingat Febrium generatio ex placitis Recentiorum & quomodo cum Antiquis in hoc conveniunt.

Admixtio rei calidæ ſanguini, cauſa Febrilis 1. 2. aſſentitur *Sylv.* 3. Sanguis fervorem quomodo concipiat *Vvilliſii* mente 4. exaltatio principii calidi ſecunda cauſa Febrilis 5. Recentiores in hoc ducem *Hipp.* ſequuntur 6. recentiores cur ſolam diſgregationem, ſeu exaltationem principii calidi inter cauſas enumerent 7. plurimas febres à bile deducit *Hippoc.* 8. diſgregationem humorum admittit *Sylv.* 9. Ephemeræ cauſam illi adſcribit *Sylv.* 10. Coagulatio quomodo Febrem inducit ex *Vvilliſio* 11. 12. Urinæ in Febris malignis cur ſanis ſimiles ſunt 13.

C A P. X. pag. 63.

De differentiis Febrium.

Antiqua Febrium diviſio in *eſſentiales*, & *accidentales* 1. Eſſentialium ſubdiviſio 2. Febrium diſtinctio à ſubjecto 3. Recentiores conſentiunt 4. Differentia a modo inhæſionis caloris 5. Diſtinctio in primarias & ſymptomaticas admittitur à *Galeno* 6. Neoterici huic diſtinctioni conſentiunt 7. Accidentales differentiæ unde deſumitur 8. A motu Febris ducitur continua, vel intermittens 9. Ita omnes differentiæ probantur *Sylv.* 10. febrium diſtinctio à magnitudine 11. *probata Syl.* 12. febrium diſtinctio vel potiùs diverſitas Hyppocratica 13. Imitatur *Syl.* 14.

C A P. XI. pag. 64.

De cauſis Febrium Continuarum, juxta Antiquorum, & Recentiorum ſententiam.

Platerus optimè omnium Febrium cauſas tradit 1. Prima ipſius febrium diviſio 2. Calor in ſpiritibus accenſus 3. Solitariæ *vel* comitatæ Febres 4. Calorem in ſanguine primo accendi ſtatuit, *ibid.* In ephemera, & ſynocha imputri non ſoli ſpiritus, ſed ſanguis accenditur 5. Conſentit *Vvilliſ.* 6. Ephemera, & Synocha tres dies non debent excedere 7. Ephemeras Febres ſymptomaticas admittuntur *Plat.* & *Vvilliſ.* 8. Putridarum febrium cauſa 9. Continuarum interpolatarum origo 10. Febrium diverſitatem ex varia ſanguinis putreſcentis conditione deducit *Pla.* 11. Hujus doctrina cum circulatione ſanguinis non cohæret 12. Synochi putridis origo ex ejus ſententia 13. Febrium continuitas ab ipſo poſita circulationi adverſatur 14. Febrium putridarum origo, ex eodem 15. Continuitatis febrium cauſam, unde repetit *Vvilliſ.* 16. Quæ ratio formalis illius continuitatis 17. 18. Cur hæ aliquando exacerbantur 19. *Syl. Vvilliſ.* in hoc aſſentitur 20. Bili *Syl.* ſubjungit lympham & ſuccum pancreaticum, *ibid.* Bilis diverſitatem hic admittit 21. Continuitatis malignarum cauſa ex *Plat.* 22. *Vvilliſio & Syl.* occultam qualitatem in his non admittunt 23. Continuitatis Hæcticæ cauſa ex *Plat.* 24. 25. Sanguis ab hectico calore vitium contrahit 26. Hecticæ à phthiſi deſcriptio ex *Vvil.* 27. Febris lenta ab hectica

hectica diverſa ex *Vvilliſ.* 28. Hecticæ cauſa immediata ex *Syl.* 29. Sanguinis craſſities tabis cauſa 30. 31.

C A P. XII. pag. 69.

De cauſis Periodicationis Febrium & earum intermiſſionis,

ANtiquorum concordia circa cauſas non diſquirit Author ſed propriam ſententiam ſubnectit 1. in quo conſiſtat cauſa proxima intermittentia; Extraneum ſanguini commixtum. 2. Extraneum hoc in quolibet paroxyſmo ejicitur 3. Novi paroxyſmi reditus unde 4. Depravatæ materiæ ſedes 5. Materia ſanguini ſuffuſa ex primis viis confluit 6. Materia illa ſanguini non eſt congener 7. Vitium illius in putredine conſiſtit 8. Adjuturna mora vitium contrahit 9. Illam inducit obſtructio 10. Impedimentum illud ſuperari debet 11. Ex toto non tollitur 12. Quomodo ſuperabile 13. Effervefcentia febrilis quomodo his ſuccedat 14. Unde major vel minor 15. 16. 17. Sanguis in vaſis obſtructis fermenti naturam induens febrem intermittentem efficit 18. Frigoris, & horroris cauſa 19. Putredinem ab obſtructione concipit humor 20. Cur inflammatio non ſemper comes 21. Reditus Paroxyſmorum cauſa 22.

C A P. XIII. pag. 71.

De cauſis Rigoris, & Frigoris ex Veterum, & Recentiorum mente.

FRigoris, & Horroris cauſa ex Vvilliſio 1. Non diſſentit *Sylvius* 2.

C A P. XIV. pag. 72.

Quomodo explicetur Febris generatio dependenter à ſanguinis circulatione.

REcentiores Febris eſſentiam in nimia ſanguinis effervefcentia conſtituunt 1. Fermentum extraneum ſanguini admixtum illum fermentat 2. Sanguis fermentum illud extraneum exterminare ſatagit 3. Exaltatio principii calidi in maſſa ſanguinea 4. Non differre ac videtur à combuſtione 5. Putredo ſimpliciter fermentationem maſſæ ſanguineæ inducit 6. Antiquorum ſententia quomodo ad circulationem trahi poſſit. ibid.

C A P. XV. pag. 73.

De Signis Febrium.

IN ſignorum doctrina conſentiunt veteres, & recentiores §. 1. Pulſus mutatio præcipuum ſignum 2. Magnus Pulſus, & frequens quid ſignificat 3. Quid parvus & frequens. 4. Particularium febris temporum deſignatio ex pulſu 5. Univerſalium 6. Extraneum maſſæ ſanguineæ admixtum, quæ deſignant 7. Symptomata Febrilia *pag.* 56. Febris longitudo, vel brevitas unde indicetur 9. Principii calidi exaltationem, quæ oſtendant 10. Putredo quomodo oſtendatur à pulſu 11.

C A P. XVI. pag. 75.

De Curatione Febrium in Particulari, & primò de Ephemera, & Synocha non Putrida, ex mente Antiquorum, & Recentiorum.

VEterum, & recentiorum conſenſus in curatione Febrium 1. Ephemeræ curatio ſecundùm *Sylvium* 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. & ſecundùm *Vvilliſ.* quæ conſona 16.

C A P. XVII. pag. 77.

In quo oſtenditur conſenſus Antiquorum, & Recentiorum in cura Febris Synochæ Putridæ.

PLures ejus differentiæ *ex Sylv.* 1. 2. Curatio Sinocha à bile ſecundùm eumdem 3. 4. 5. 6. Quæ bilis hanc Febrem inducat 7. conſentit. *Sylv.* cum antiquis 8. Synocha à lympha glandularum conglobatarum 9. 10. Curatio 11. In bilioſo corpore 12. Lymphaticæ Febris, ſeu catarrhalis, à vitiata lympha glandularum cerebri curatio 13. Febris à ſucco Pancreatico deſignata à Car. Piſone 14. Febris à pituita acida *Avic.* ſimilis eſt 15. Curatio 16. ex *Sylv.* 17. Anxietatibus quomodo occurrendum 18. Salivialis Febris nonum non eſt inventum 19. Sanguinis miſſio in illa inutilis 20. Cauſi curatio eſt *Syl.* 22. Frigidæ potum cur omittit 23. Lypiriæ cauſa ex *Sylvio* 24. Curatio Febrium cum faucium ardore. Veterum, & Sylviana eadem 25. *Vvilliſius* ſectatur Galenicos in deſcriptione ſynocharum Febrium 26. Curandi ratio ex eodem 27. Obſervationes in harum curatione ex *Vvilliſio* & Sydendam pag. 80.

C A P. XVIII. pag. 81.

De Febrium Intermittentium curatione ex antiquorum, & recentiorum mente, & primò de Tertiana,

SCopi curationis ex *Vvilliſio* 1. prima intentio quibus perficitur 2. ſecunda 3. tertia 4. *Sennerto* in his ſimilis 5. Vomitum omittit *Vvilliſ.* 6. Diureticorum uſus in Tertiana diuturna 7. Febrifugis quando locus 8. Externorum uſus §. 9.

C A P. XIX. ibid.

De Curatione Quartanæ Intermittentis.

QUi curationis ſcopi ex *Vvilliſio* 1. Vomitoria 2. Purgantia 3. Præparantia 4. Febrifuga externa 5. Ab hidroticis abſtinet *Vvilliſ.* 6.

C A P. XX. pag. 82.

De Quartanæ Intermittentis Curatione.

CAuſa ex *Vvilliſio* 1. Sanguinis dycraſia quomodo ex eodem emendanda 2. Cauſa circa Febrifuga 3. Paroxyſmum inhibita unde deſumenda 4. Præcipitantibus quando locus 5. Conſentit Galenicis 6. Veſtigia veterum ſequitur 7.

C A P. XXI. pag. 83.

In quo demonſtratur Sylvium *in Curatione Febrium intermittentium non eſſe diſſimilem ab Antiquis.*

SYlvius curationis earum fundamentum in obſtructionum ſolutione conſtituit §. 1. Pancreatici ſucci vitium emendat 2. Pituitam obſtruentem incidentia 4. Cautio in eorum uſu 5. Pituitoſi, & bilioſi humores mixti quomodo corrigendi 6. Pituitam non multum glutinoſa ſudorificis corrigitur 7. Cathartica & emetica quando exhibenda 8. Succi pancreatici acidioris emendatio 9. Ejus & bilis effervefcentiæ emendatio 10. Sanguinis miſſionem cur omittit *Sylvius* 11. Contradictionis ſolutio 12. 13. Uſus calidorum remediorum in Febribus 14. Diverſitas curationis Febrium apud authores unde 15. Vera curatio à cognitione cauſa dependet 16. A ſolo frigoris ſenſu incipientis febris curatio 17. A calore incipientis 18. De obſtruentia in omni conveniunt 19. Ut & Febrifuga 20. Curatio continuarum interpolatarum cum Immittentium curatione coincidit 21.

C A P. XXII. pag. 85.

In quo oſtenditur Antiquos, & Recentiores, in Hecticæ Febris Curatione eſſe ſimiles.

INdicatio generalis ex *Sylvio* 1. Viſcoſitas ſanguinis quibus tollenda 2. Refrigeratio & humectatio quibus perficitur 3. Sylvii cum Antiquis in horum uſu conſenſus 4.

C A P. XXIII. pag. 85.

De Curatione Febris malignæ, ex Veterum, & Modernorum mente.

DIſſentiunt Authores in curatione Febris malignæ, quia diſſentiunt in cauſis §. 1. Indicationes ex *Vvilliſio* 2. Indicationes unde deſumunt quid cauſam à putredine deducunt §. 3. *Vvilliſius* cum *Minadoo* concurrit in curatione §. 4. *Sylvius* utrumque ſequitur §. 5. Ab illis non diſſentit §. 6. Venæ ſectionem cur omittit §. 7.

F I N I S.

MEDICINA
THEORICO-PRACTICA
AD SANIOREM SÆCULI MENTEM
Centenis, & ultrà Conſultationibus digeſta,

QUIBUS

PENE OMNIUM ABDITÆ MORBORUM CAUSÆ illuſtrantur, atque præconceptis inhærendo principiis, Optima ex optimis congeruntur Medicamenta ad præfinitam Morborum Ideam ſtudiosè concinnata.

NULLUM
PROŒMIUM
SI NON VIS.

ABRUPTA OMNIA NON TAMEN NON COHÆRENTIA.
Scaliger Poetices lib. 3. cap. 98. pag. 149.

UT omnium rerum, ſic literarum intemperantia quoque laboramus; nec vitæ, ſed ſcholæ diſcimus.
Seneca epiſt. 107.

Et quid juvabitur Textor, & faber ad ſuam artem ſciens ipſum bonum? Vel qualiter magis Medicus? vel magis miles erit, qui ideam ipſam contemplatus eſt? Videtur quidem enim neque ſanitatem ita intendere Medicus: ſed eam, quæ hominis: magis autem forte eam, quæ hujus. Secundùm utrumquemque enim medicabitur.
Ariſtoteles ad Nicomacum lib. 1. *cap.* 6. *text.* 12.

Per varios uſus, Artem experientia fecit,
Exemplo monſtrante viam, &c.
Manilius lib. 1. *verſu* 60.

Veneror itaque inventa ſapientiæ, inventoreſque adire tamquam multorum hæreditatem juvat. Mihi iſta acquiſita, mihi laborata ſunt. Sed agamus bonum patrem familiæ; faciamus ampliora quæ accepimus, &c. Sed etiam ſi omnia ab aliis inventa ſunt; hoc ſemper novum erit. Uſus, & inventorum ab aliis ſcientia, & diſpoſitio &c. Corporis remedia inventa ſunt ab aliis; quomodo autem admoveantur, aut quando: noſtri operis eſt quærere.
L. Annaeus Seneca epiſt. 64.

Et tempus talium inventor; vel cooperator bonus eſt. Unde & Artium facta ſunt additamenta. *Omnis enim eſt apponere quod deficit.*
Ariſtoteles lib. 1. *Ethicor. cap.* 7. *art.* 2. *text.* 8.

MEminiſſe autem, & prædictorum oportet, & certitudinem non in omnibus ſimiliter exquirere, ſed in ſingulis ſecundùm ſubjectam materiam: & in tantum quantum proprium eſt doctrinæ.
Ariſtoteles præd. cap. text. ſeq.

Neque ſimili modo in omnibus cauſa requirenda, ſed eſt in quibuſdam ſatis, ſi benè demonſtratum fuerit quod ſint: id quod etiam in principiis ipſis contingit: Quod autem ſit aliquid, primum ac principium quoddam eſt. Ex principiis verò alia ſunt, quæ inductione, alia quæ ſenſu, nonnulla quæ aſſuetudine quadam, alia quæ alio quodam modo conſiderantur.
Ariſtoteles præd. cap. text. 10.

Faber enim, & Geometra diverſo modo rectum angulum utrique conſiderant: ille quatenus ſolummodo ad opus utile eſt: hic cùm virtutis ſpeculator ſit, quid & quale ſit, indagat. Eodem modo in aliis quoque faciendum eſt, ne plura ornamenta extrinſecus, quam ipſum opus evadant.
Ariſtoteles præd. cap. text. 9.

Atque de immanifeſtis ſenſui putamus ſufficienter demonſtraſſe ſecundùm rationem.
Ariſtoteles lib. 1. *Meteor. cap.* 4. *vel* 8. *text.* 1.

Quæ nec ſcribi, nec dici poſſunt de unoquoque. Teſte Galeno.
Ad Glaviorem in principio, & 3. *Meth.* 3.

ALiqui igitur niſi Mathematicè loquentes non admittunt: quidam verò non niſi exemplis utentem: quidam autem dignum ducunt ut teſtis producatur aliquis Poeta, &c. Quoſdam verò tædet certitudinis, aut propterea quòd non poſſunt conſequi, aut propter curioſitatem, &c.

Ariſtoteles lib. 2. Metaphyſ. cap. 3. & ult. text. 15.

Certitudinem verò ſermonis Mathematicam non oportet in cunctis quærere, ſed in his, quæ non habent materiam. Quare non eſt naturalis modus; tota enim natura forte habet materiam, &c.

Ariſtoteles prædicto cap. text. ſeq.

Inſtabilia enim ſunt, quæ in humidis conſiſtunt.

Hippocrates de decent. ornat. verſ. 117.

Quod ſi, ut inter Geometras, & Arithmeticos, ita inter eos qui de alimentis ſcripſerunt, omninò conveniſſet, nihil nunc oporteret nos denuò hanc de iiſdem poſt tot, ac tales Viros ſcribendi moleſtiam ſubire.

Galenus de aliment. facult. libr. 1. cap. 1.

Hinc Ariſtoteles ſcripſit Antiquos deceptos, quoniam naturalibus Mathematicas miſcuere.

Simplicius item Philoſophus in Commentario in tertium de Anima librum Geometriam, ut & cœteras Mathematicas abdicat à Philoſophia, quia cauſas non rimantur, ſcilicet veras, & ſubſtantiales, & principiis nituntur, quæ non videre, vel nonnovere.

In ſcientia naturali non eſt ut Mathematicam requiramus evidentiam.

G. Gallilæus Dialogo 2. Syſtem. Coſmici pag. 170.

Denique corporis Mathematici notione, tamquam Phyſici abutuntur. Id enim fefellit Carteſium Geometriæ aſſuetum, quòd res Phyſicas more Mathematicorum conſideraverit: Cùm corpus Phyſicum ſit actuoſum, & principium motus, non item Mathematicum.

Philoſophia Burgond. tom. 4. Phyſicæ gener. tract. 2. differt. 1. cap. 1.

Quod ipſum eſt, quod docuit Ariſtoteles, qui primo Mathem. cap. 3. n. 1. ſcripſit. Primi Philoſophi Mathematicis operam dederunt; hæc præponebant, & in eis enutriti, eorum principia, entium quoque cunctorum eſſe putarunt principia. Et Phyſicorum 2. cap. 3. text. 18. n. 3. Quæ conſiderat Mathematicus abſtracta ſunt intellectu à motu.

Ita eſt veriſſimum Modernos, qui de naturalibus Mathematicè diſputant naturalis Philoſophiæ fundamenta deſtruere.

Joannes Picus concluſ. Mathem. n. 18. concluſ. 5.

VIdetur parum honeſtum eſſe de locutione loqui, ſi bene examines, &c. juſtum enim eſt nihil plus in oratione quærere, quàm ne aut dolore, aut voluptate afficias, &c. Verùm hæc omnia imaginationis ſunt, & ad auditorem: quia propter nemo Geometriam ſic docet, &c.

Ariſtoteles lib. 3. Rhetoric. cap. 1. de elocut. text. 4.

Si verba contemneremus, ditiorem Philoſophiam rerum poſſideremus.

Galenus lib. 4. de uſu part. cap. 13. ex Platonis ſententia.

Itaque ingenium, & facundiam vincere, morbos autem non eloquentia, ſed remediis curari.

Cornel. Celſus præfat. lib. 1. pag. 7.

Nimis anxium eſſe te circa verba, & compoſitionem, mi Lucili, nolo: habeo majora quæ cures. Quære quid ſcribas, non quemadmodum.

L. Annæus Seneca epiſt. 115.

Quæ veritati operam dat, oratio incompoſita debet eſſe, & ſimplex.

Idem Seneca epiſt. 40.

Qui ratione plurimum valent, quique ea, quæ cogitant, quam facillime ordine diſponunt, ut clarè, & diſtinctè intelligantur, aptiſſimè ſemper ad perſuadendum dicere poſſunt, etiamſi barbara tantùm Gotorum lingua uterentur, nec ullam unquam Rethoricam didiciſſent.

Renat. Deſ-Cartes diſſertat. de Methodo.

Nec intelligunt jacere ſenſus in oratione, in qua verba laudantur.

Quint. proœmio lib. 8.

Vide ſi plura cupis in idem argumentum Joannem Picum epiſt. 6. G. Gallileum dial. 1. ſyſtem. coſm. pag. 35. poſt Catonem apud Ciceronem parad. 1. In ea ſententia poſitum, quæ nullum ſequitur florem orationis.

IN-

INDEX
CONSULTATIONUM.

Quæ in hoc volumine continentur.

CONSULTATIO PRIMA.
De dolore Capitis. fol. 95

CONSULTATIO II.
De dolore Capitis continuo à cauſa externa calida proveniente. 97

CONSULTATIO III.
De Dolore capitis ? Univerſali nervorum debilitate, & Emaciatione. 98

CONSULTATIO IV.
De Vertigine. 99

CONSULTATIO V.
De Vertigine. 100

CONSULTATIO VI.
De motibus Convulſivis totius Corporis. 101

CONSULTATIO VII.
De motibus Convulſivis ab ira in Nobiliſſima Domina. 102

CONSULTATIO VIII.
De convulſione in extremis, & extimis partibus incipiente, & toti communicata. 103

CONSULTATIO IX.
De Apoplexia ſuccedente poſt impotentiam ferè ad motum, & à diabetico fluxu. ibid.

CONSULTATIO X.
De Apoplexia à frequentiſſimo Aquæ vitæ uſu. 105

CONSULTATIO XI.
De Præſervatione ab Apoplexia, & ab aliis ſymptomatibus. ibid.

CONSULTATIO XII.
De Apoplexia. 107

CONSULTATIO XIII.
De Epilepſia. 108

CONSULTATIO XIV.
De Epilepſia in Puero. 109

CONSULTATIO XV.
De Paralyſi ſpuria totius. 110

CONSULTATIO XVI.
De Paraliſi. 111

CONSULTATIO XVII.
De Paraliſi linguæ. 112

CONSULTATIO XVIII.
De Incubo. 113

CONSULTATIO XIX.
De Melancholia per eſſentiam, cum vigiliis, totius extenuatione, & puſtulis ulceroſis ſub mento. ibid.

CONSULTATIO XX.
De Mentis ſtupiditate cum læſione memoriæ, & virium imbecillitate. 115

CONSULTATIO XXI.
De dolore convulſivo gingivarum, & partium internarum oris. 117

CONSULTATIO XXII.
De vocis diminutione. 118

CONSULTATIO XXIII.
De vocis diuturna Raucedine. ibid.

CONSULTATIO XXIV.
De Aſthmate. 119

CONSULTATIO XXV.
De Aſthmate convulſivo. 120

CONSULTATIO XXVI.
De difficultate reſpirandi continua, & principio Hydropis. 121

CONSULTATIO XXVII.
De Febre cum Hydopre Pulmonum. 122

CONSULTATIO XXVIII.
De Hydrope Pulmonum poſt ſanguinis ſputum. 123

CONSULTATIO XXIX.
De Hydrope Pulmonum, & ſputo ſanguinis. 124

CONSULTATIO XXX.
De Tuſſi, obſtructione hepatis, & febre continua. 125

CONSULTATIO XXXI.
De Pleuritide. 126

CONSULTATIO XXXII.
De Pleuritide. 127

CONSULTATIO XXXIII.
De Sputo Sanguinis 128

CONSULTATIO XXXIV.
De Sputo Sanguinis cum Tuſſi. 129

CONSULTATIO XXXV.
De Tremore Cordis, difficultate reſpirandi, & Hydrope. 130

CONSULTATIO XXXVI.
De motu tremulo Cordis, Ventriculi debilitate, cum flatuum copia, macie totius, & ſpirandi difficultate, nec non Averſione à cibo. 131

CONSULTATIO XXXVII.
De difficultate reſpirandi, arteriæ pulſatione, & Cordis palpitatione. 132

CONSULTATIO XXXVIII.
De Appetitu ferè ablato cum Ptyaliſmo. 134

CONSULTATIO XXXIX.
De appetitu depravato. ibid.

CONSULTATIO XL.
De ſiti continua, & inextinguibili. 136

CONSULTATIO XLI.
De Ciborum averſione, nauſea, & vomitu, præcedente dolore gravativo unà cum læſa deglutione ſolidorum, & liquidorum. 137

CONSULTATIO XLII.
De dolore, & anxietate Ventriculi à cibo. 138

CONSULTATIO XLIII.
De motibus convulſivis à cibo. ibid.

CONSULTATIO XLIV.
De cruditate nidroſa. 139

CONSULTATIO XLV.
De frequenti Ructatione. 140

CONSULTATIO XLVI.
De Ventriculi debilitate, dolore ejuſdem, & hypocondriorum cum animi defectu, Vertigine, dolore Capitis, & impotentia ad motum. ibid.

CONSULTATIO XLVII.
De depravata concoctione cum dolore Ventriculi, & vomitu quotidiano materiæ amaræ bilioſæ, cum propenſione ad choleram. 142

CONSULTATIO XLVIII.
De dolore Ventriculi, ſpirandi difficultate, inappetentia. & nauſea. 143

CONSULTATIO XLIX.
De Lienteria, & Lienis tumore. ibid.

CONSULTATIO L.
De Fluxu Cæliaco. 145

CONSULTATIO LI.
De Lienteria. ibid.

CONSULTATIO LII.
De Singultu. 146

CONSULTATIO LIII.
De Singultu. ibid.

CONSULTATIO LIV.
De Dolore Ventriculi. 147

CONSULTATIO LV.
De Cardialgia. Pro nobili muliere. ibid.

CONSULTATIO LVI.
De dolore Ventriculi poſt podagricos dolores. 148

CONSULTATIO LVII.
De Cholera. ibid.

CONSULTATIO LVIII.
De Cholera ſicca. 149

CONSULTATIO LIX.
De Vomitu Sanguinis, Tumore Lienis, & Febre. 150

CON-

CONSULTATIO LX.
De Dolore Ventris. ibid.
CONSULTATIO LXI.
De affectu Hipocondriaco. 152
CONSULTATIO LXII.
De affecta Hypocondriaco conjuncto cum melancholia, & Epilepſia.
CONSULTATIO LXIII.
De Melancholia Hypocondriaca, cum variis ſymptomatibus Ventriculi, Cordis, & Inteſtinorum. 155

CONSULTATIO LXIV.
De affectu Hypocondriaco cum tremore totius. 157
CONSULTATIO LXV.
De Melancholia Hypocondriaca cum Cachexia, & principio Hydropis. 159
CONSULTATIO LXVI.
De Affectibus Hypocondriacis. 160
CONSULTATIO LXVII.
De intenſo frigore circa ventrem. ibid.
CONSULTATIO LXVIII.
De tumore duro in regione abdominis cum pulſatione arteriæ. 161
CONSULTATIO LXIX.
De magno calore poſt cibum, & rubore in facie. 162
CONSULTATIO LXX.
De doloribus Hypocondriacis cum macie totius. 163

CONSULTATIO LXXI.
De Diarrhea, & Obſtructione Hepatis. 164
CONSULTATIO LXXII.
De Diarrhea cum Febre. ibid.
CONSULTATIO LXXIII.
De Diarrhea à bile vitellina, & Febre. 166
CONSULTATIO LXXIV.
De fluxu Chyloſo. 167
CONSULTATIO LXXV.
De Diarrhea cum febre à toto. ibid.
CONSULTATIO LXXVI.
De Dyſenteria. 168
CONSULTATIO LXXVII.
De Dyſenteria cum Febre. 169
CONSULTATIO LXXVIII.
De Fluxu Epatico. ibid.
CONSULTATIO LXXIX.
De Dolore Iliaco 170
CONSULTATIO LXXX.
De Dolore Colico. 171
CONSULTATIO LXXXI.
Pro Præſervatione à doloribus Colicis ſupradictis. 172

CONSULTATIO LXXXII.
De Doloribus Ventris in Convulſivos tranſeuntibus. ibid.
CONSULTATIO LXXXIII.
De Cachexia à Sanguinis profluvio. 174
CONSULTATIO LXXXIV.
De Suppreſſione Hæmorroydum, Tumore Lienis, & Cachexia. 175
CONSULTATIO LXXXV.
De Tumore lienis, & Hæmorroydum ſuppreſſione. 176
CONSULTATIO LXXXVI.
De Hepatis obſtructione, & Cachexia. 177
CONSULTATIO LXXXVII.
De Febre continua, & Cachexia. ibid.
CONSULTATIO LXXXVIII.
De Hydrope Aſcite. 179
CONSULTATIO LXXXIX.
De Hydrope Aſcite cum tumore Lienis. 180
CONSULTATIO XC.
De tumore Lienis, febre continua lenta, & ſudore nocturno copioſo. ibid.
CONSULTATIO XCI.
De Inflammatione Lienis. 181
CONSULTATIO XCII.
De Ictero. 182
CONSULTATIO XCIII.
De Ictero nigro. ibid.
CONSULTATIO XCIV.
De Teneſmo. 183
CONSULTATIO XCV.
De Hæmorroydalibus. 184
CONSULTATIO XCVI.
De Fluxu hæmorroydali. ibid.
CONSULTATIO XCVII.
De Tabe Dorſali. 185
CONSULTATIO XCVIII.
De Tabe Dorſali. 186
CONSULTATIO XCIX.
De Gonorrhœa. ibid.
CONSULTATIO C.
Pro Præſervatione à Calculo. 187
CONSULTATIO CI.
De Calculo Renum. 188
CONSULTATIO CII.
De Diabete. 189
CONSULTATIO CIII.
De Urina Lactea. 190
CONSULTATIO CIV.
De Ulcere Renum. 191
CONSULTATIO CV.
De Sanguinis Mictione. ibid.

MEDI

MEDICINA
THEORICO-PRACTICA
POMPEJI SACCI
Patritii Parmenſis.

CONSULTATIO I.

De Dolore Capitis.

JUvenis annorum viginti quatuor temperamenti ſecundùm totum calidi, & ſicci, dolore capitis non valdè intenſo, nec pungitivo multis ab hinc annis periodicè affligitur cum inappetentia frequenti, vomitu materiæ pituitoſæ, & viſcoſæ & etiam bilis cum extrema alui ſtipticitate, & quandoque in ſtatu doloris Lypothimia, & tremore cordis affligitur, nec non etiam aliquando abſente dolore.

Hujus juvenis temperies bilem in maſſa ſanguinea abundare connotat, vel ab inſigni effervеſcentia in corde, qua multæ partes ſanguinis ſulphureæ aduſtionem patiuntur, vel à fermento lienis aductas partes totius ſanguinis volatilitate, & ſua efficacia ita diſgregante, & ad actum ſecundum reducente, ut verè dici poſſit ſanguinem bile abundare, cùm actu in ſanguine ſuas exerceat facultates, itaut præ copia tota in hepate ſeparari non poſſit, ex quo cum refluo ſanguine circulando hunc impartita tenuitate ad inſignorem effervеſcentiam in corde ſuſcipiendam diſponit, unde ſemper abundat bilis generatio, cujus activitate acidum in maſſa ſanguinea hoſpitans enervatur, cùm ſit proprium ſalis alkalici in bile latitantis aciditatem alterius ſalis propriam accedentibus debitis diſpoſitionibus modificare, & etiam extinguere. Et hoc experientia comprobatum remanet, cùm videamus corpora melancholica multo acido referta ſanguinis craſſitiem obtinere, cùm proprium ſit acidi coagulationem quamdam inducere, quæ in humoribus fluidis ad ſolam craſſitiem terminatur; è contra verò bilioſa tenuitate ſanguinis gaudent, unde neceſſe eſt concludere bilem acidum incraſſans, vel non admittere, vel enervare. Ex hujus acidi defectu ſaltem in debita quantitate in præfato Patiente non defertur ab arteriis illa portio ſeri acidi ad glandulas interiores tunicæ ventriculi, quæ eſt neceſſiaria non ſolùm ad conſervandum proprium fermentum acidum, ſed etiam ad perficiendum illud fermentum humorale, quod in eis præparatur, & præparatum paulatim fluere permittitur pro appetitus excitatione conſiſtente in corrugatione fibrarum nervoſarum ventriculi ab eodem acido facta, quæ in caſu noſtro cùm deficiat, tam ob acidi diminutam copiam, quàm ob ejus parvæ copiæ actionem impeditam à multo ſero continua inappetentia Patiens affligitur. Ab eodem acido deficiente tollitur illa alimentorum comminutio ad perfectam eorumdem elixationem in Ventriculo neceſſaria; quapropter particulæ craſſiores integræ manent, quæ admixtæ cum parte aquoſa in viſcum quemdam tranſeunt eo modo, quo Terra aquæ admixta viſcoſitatem acquirit, ut pro cœmento inſerviat, & hoc modo verificatur hepar calidum ventriculi calorem lædere, nempe per bilem, quæ in hepate colliſitur, & quæ cenſetur calida; fermentum enim excitans appetitum, & alimentorum concoctionem promovens in ventriculo læditur, non quidem propriè per calorem bilis, ſed per ſuum ſal lixiviale, quamvis à calore hepatis dictum fermentum poſſit lædi propriè, dum ab hoc diſſipatur, & reſolvitur per nimiam attenuationem. Hujus materiæ viſcoſæ expulſio ad inteſtina impeditur non elevato fundo ventriculi, quantum ſufficiat ad ejuſdem expulſionem impedito ab oppreſſione ejuſdem materiæ, renitente etiam ſua viſcoſitate, qua fibrarum qualiſcumque conatus deluditur. Hinc eſt, quòd ſolùm pars ſubtilior à parvo illo acido, & à motu inteſtino ſuarum particularum fermentationem conſtituentium ad perfectam elixationem ducta expellitur ſecum aſportando portionem materiæ craſſæ, quæ in ea ſupernatat, nec fundo ventriculi adhæret, hæc inteſtinum duodenum ſubiens à concurſu, & mixtione bilis ſummè volatilis magis attenuatur, & incaleſcit, ut cordi conſignata eam rarefactionem, & calorem contrahat, quæ eſt propria bilis, unde in Maſſa ſanguinea ejus exuberantia, prout ſuperiùs dicebam. Materia craſſa in Ventriculo remanens, & in dies magis, magiſque ſemper aucta gravis, & moleſta illi evadens, ad conatum pro expulſione determinat, unde à tali ſtimulo contractis fibris illius fundum elevantibus verſus orificium ſuperius, ejuſdem materiæ expulſio intenditur, in quo conatu inteſtinum duodenum ad ſuperiora attractum, coadiuvante motu ſuo periſtaltico, copiam bilis in ventriculo eructat, quæ unà cum materia viſcoſa foras protruditur. Et quamvis videatur hæc materia craſſa alimentorum reliquia pro appetitu excitando eſſe idonea, cùm ex multorum ſententia acidum ventriculi in reliquiis alimentorum intra cavitatem ejuſdem fermentatis ad acidi exaltationem conſiſtat, in hoc caſu locum non habet, quia talis materia craſſa debita comminutione privata ob rationem ſuperiùs allatam ea caret fermentatione ad acidi exaltationem neceſſaria, unde potiùs in putrilaginem quamdam, vel excrementum vitioſum, quàm in fermentum abit, & viſcoſitas acidum fixans,

&

& arctè uniens cum terreſtrioribus partibus illud exaltari, & volatilizari prohibet, & ita nec fermenti naturam induere poteſt.

Sanguis dictis particulis retorridis, & bilioſo ſale lixivio impraegnatus per cerebrum, ſeu potiùs per ſubſtantiam membranarum circulando, portionem dictarum particularum ibi deponit, quæ dato tempore exaltatæ, tam à cerebri fermento, quàm à calore illius proprio, dictas membranas feriendo mordacitate ſalis lixivii propria, ſenſationem triſtem efficiunt, quæ dolor dicitur ſine vehementia, & intenſione, dum dictæ particulæ feroſitati miſcentur, cujus maxima eſt copia ubi bilis diſſolvens adeſt in ſanguine, & ab hac acrimonia mitigata dolorem ſine dictis qualitatibus inferunt. Particulæ bilioſæ præfato modo exaltatæ fermenti indolem ſuſcipientes, ſanguinem per membranas circulantem ad majorem effervelcentiam ducunt, qua turgeſcens tranſitus anguſtiam ſibi parat, proindèque in vaſis cumulatus ea diſtendit; & membranas quibus annectuntur diſtrahendo, fibras nerveas divellit ad invicem, quod non poteſt contingere ſine triſti ſenſatione, & quia talis divulſio non eſt violenta, ideò etiam dolor eſt ſine vehementia, & punctura: Facilis autem eſt bilioſi excrementi depoſitio, quia ſanguis eſt raræ texturæ, & ob acidi mortificationem parvam habet conſiſtentiam, & unionem facilè ſolubilem, unde particulæ ejus facili negotio ſeparantur, & maximè excrementa diſgregationem paſſa per præcipitationem cui donatur materia retorrida ob aliqualem condenſationem in aduſtione contractam, per quam gravitate ſuſcepta ab aliis partibus facilè ſeparatur, & in capite redditur magis facilis iſta ſolutio à calore, quo cerebrum ob copioſum ſanguinis affluxum qualificatur, vel quia viæ magis anguſtæ tranſitum materiæ retorridæ impediunt, ut in dictis partibus cogatur remanere. Stipticitatis, ſive extremæ alvi adſtrictionis cauſa colligitur à ſuperiùs dictis, nempè à ſolo deſcenſu chyli tenuioris, & purioris ad inteſtina, à quo fœces ſeparantur dum in his perficitur, & ex fœcum paucitate ſtipticitas oriri poteſt, cùm earum quantitas ad lubricitatem faciat, quare qui multùm edunt lubricam ferè ſemper habent alvum, pondere enim inteſtina ad citatiorem, & validiorem motum periſtalticum ſtimulantur, unde fœcum expeditior, & citatior expulſio, & deficiente hac cauſa in fœcum parvitate neceſſariò ſequitur ſtipticitas, cui ſupplet vomitus expellendo illam materiam craſſam, quæ deſcendendo ad inteſtina copioſam fœcum quantitatem ſubminiſtraret; accidit etiam, quòd chyli portio deſcendens ad inteſtina ita ſecundùm portionem humidam attenuatur, ut tota humiditas unà cum chylo lacteas venas ſubeat remanentibus fœcibus ex ſuccis, per quod iſtarum motus fit tardior. Animi deliquia ſuccedunt quia ſanguis ex ſui natura fervidus in corde adeò ebullit, & ſpiriteſcit, ut plures hujus ſpiritus fibras interiores cordis ventriculorum parietem veſtientes ingrediantur, itaut præ quantitate juncti illis, qui dictarum fibrarum motui inſerviunt, quamdam plenitudinem in eis conſtituant auctam à fervore adjunctorum ſpirituum fervidiſſimi ſanguinis, per quem effervefcunt, & turgent cum augmento plenitudinis, à qua ita diſtenduntur dictæ fibræ, ut contrahantur, & in contractione minuitur ita cordis motus, ut animi deliquium ſuccedat; Fibræ enim dictæ ad cordis motum concurrunt, ſicuti fibræ muſculorum ad motum aliarum partium. Poteſt etiam hoc Symptoma produci à bile in Ventriculo delata, dum acrimonia ſua attenuando materiam viſcoſam in eo cumulatam, craſſos elevat vapores, à quibus preſſus nervoſus plexus in orificio ſuperiori Ventriculi inſertus preſſionis ſenſum communicat nervis cardiacis, cum quibus connexionem habet, & ex horum preſſione cordis motus minuitur, ut ſanguis rarefieri non poſſit, nec totus inſtillatus exprimi, unde gravatum cor patitur, & vires ſub animi deliquio deficiunt, & ab eadem gravitate intendens ſe liberare, tremulo motu ſanguinis reſidui pondus conatur excutere, & hoc modo puto contingere animi deliquia, & tremores cordis extra paroxyſmum doloris, in actu verò iſtius poteſt alia conjungi cauſa, nempè compreſſio principii nervorum cardiacorum facta à corrugatione membranarum cerebri in actu doloris, per quam tota cerebri ſubſtantia veluti comprimitur, & etiam porroſitates nervorum principiis correſpondentes, & per quas nervi ſpiritus animales recipiunt, unde languor totius corporis, qui ſæpiſſimè dolores capitis concomitari ſolet, & ſi in tali caſu porroſitates nervis cardiacis correſpondentes ita comprimantur, ut non recipiant debitam quantitatem ſpirituum neceſſariam ad illius motum ordinarium, neceſſe eſt, ut hic minuatur, & deliquium ſequatur, ob rationem ſuperiùs dictam. Poteſt etiam hoc ſymptoma contingere, ex eo quod in actu doloris ſucco nervoſo miſceantur aliquæ particulæ craſſiores illius materiæ aduſtæ, quæ aliqualem obſtructionem in principiis prædictis nervorum cardiacorum pariendo, modo dicto deliquium animi efficiat, vel quod in emporio ſpirituum commixta materia ætherogenea aduſta, eos irritando agitet tali motu, ut impediat ingreſſum in nervorum ſubſtantiam & eorum quantitatem neceſſariam ad motum naturalem excludat, unde animi deliquium, & ingrediente eadem materia ætherogenea in nervorum cardiacorum ſubſtantiam, eadem agitatione introducta in ſpiritibus illam irradiantes inæquali, & inordinato motu moveatur, & cordis tremorem efficiunt. Ex his omnibus concluditur bilis abundantiam, & activitatem eſſe omnium ſymptomatum radicem, cùm hæc abſorbendo acidum inappetentiam, & alimentorum indigeſtionem provocet, cùm craſſorum humorum generatione dolorem capitis efficiat, & animi deliquia, & alvi adſtrictionem mediatè ſaltem inducat, & effervefcentia inordinata flatus elevet. A depravata tamen concoctione, non eſt reiicienda infirmitas fibrarum ventriculi, ad excludendam materiam utpotè valens coadjuvare excrementorum craſſorum generationem, & ventriculi coinquinationem, ex nimia mora alimentorum, & excrementorum, unde patet in primis bilem eſſe temperandam, & ejus copioſam generationem impediendam, ventriculum corroborando, & caput, & in actu capitis doloris, eum mitigantia ſeligenda ſicuti, quæ deliquio, & tremori cordis medentur uſurpanda.

Quod aſſequi opportunis remediis poſſe ſperarem; verùm prius ſublevandus ad excrementorum ſarcina ventriculus, & inteſtina, quod fieri non poterit niſi præmiſſa aliquali præparatione eorumdem.

Et in primis exhibito Crem. tart. ad ℨ. v. cum ℨ. I. ß. tart. vitriol. poſtea per tres dies exhibendo hanc mixturam. ℞. Syr. de duab. Acetoſ. 5. an. ℥. I. crem. tart. vitr. ℨ. I. Aquæ meliſſæ, Abſynthii an. ℥. ii. ß. m. pres tres dies hæc continuanda, & reiterandum ſupradictum medicamentum tartari; his ſuccedat Aqua Tetutii per vi. dies cum debito vehiculo. Sic expiato ventriculo, & inteſtinis, bilis corrigenda, & ſi ventriculus ab herbarum ſuccis, ut Acetoſæ, Borag. & Malvarum non exacerbaretur, eſſent valdè opportuni, quo ſuccedente, decoctum in jure dictarum herbarum prius contuſarum, & poſt coctionem expreſſarum cum ſpir. vitr. dulcif. propinandum. Vel hic pulvis exhibeatur. ℞. Salis prunellæ ℨ. I. Antim. diaph. gr. xvi. Marg. præp. ℈. I. Raſuræ eboris ℨ. ß. m. ſuperbibendo ℥. vi. juris cum gutt. viii. ſpir. nitri, fugienda enim in hoc caſu illa medicamenta meo judicio, quæ bilem emendant, ſed etiam acidum potenter imbibunt; nam magis exhauritur ab his illud ventriculi debile; Margaritæ verò majori acido imbutæ, non ſunt in hoc caſu timendæ; ſicut nec raſura eboris, imò ultra quod bilis acrimoniam frangunt, robur fibris nerveis ventriculi addunt, & in his inſiſtendum per 15. dies, omni tertio die ſupradictum medicamentum purgans tartari reiterando, quibus addendum pro integra ventriculi reparatione, & bilis contemperatione uſus aquarum acidularum S. Mauritii, & in harum defectum ſerum Capr. cum ſpir. ſalis dulc. vel lac deſtillatum cum Portul. Plantag. Acetoſæ, ad ℔. I. addendo Vitrioli martis ℈. I. & pro coronide his peractis remittendum acidum ventriculi, & venarum cum jure, cum ſucco limonum, vel granatorum, vel cum ℨ. I. ſalis prunellæ per xv. dies aſſumpto; Pro dolore leniendo fomentatione lactis, in quo bullierint fol. Verbenæ, vel Phlegmate vitrioli, cum ſale prunellæ, & ſucco nenupharis nihil præſtantius judico; alia etiam refrigerantia capitalia extrinſecus adhibita, vel per fomentationem, vel per irrorationem, ſanguinis effervefcentiam compeſcendo doloris mitigationi ſunt proficua; Pro animi deliquio avertendi ſunt vapores frictio-

frictionibus, ligaturis, & cucurbitulis ſiccis, & ſuavi odore refocilandus æger unà cum ſequenti mixtura. ℞. Aquæ cinam. Theriac. Totius citri an. ℥. I. Meliſſæ ℥. ii. Conf. Alchermes ʒ. I. Aquæ vitæ Mathiol. ʒ. ß Elixir vitæ ℈. I. m. & per cochlearia frequenter exhibenda, Theriaca cum aqua cinamomi idem præſtat. Alvi adſtrictio ablata cauſa ceſſare debet, quæ ſi perdurat Clyſteribus ex lacte, vel ex Oleo amigdalarum dulcium moderanda, fugienda verò laxantia per os, quia, & fibras ventriculi laxant, & enervant, unde alimentorum difficilis expulſio, & acidum etiam mortificant. Victus ratio medicamentis correſpondeat.

CONSULTATIO II.

De dolore Capitis continuo à cauſa externa calida proveniente.

MErcator temperamenti calidi, & ſicci ad omnes actiones corporis, & mentis promptus ſummè, longum iter aggrediens equitando æſtivo tempore vigente calore intenſo contracta (urgente neceſſitate) mora ſub radiis ſolaribus, correptus fuit dolore capitis in anteriori regione ejuſdem valdè intenſo, & continuo, itaut neque per minimum ſpatium temporis ab eo immunis per annum extiterit, & nullis ceſſerit remediis; à levi cauſa calida, vel frigida exacerbatur, & tunc nec lucem, nec motum, nec ſonum, nec odorem, etiam vini, ſine notabili læſione ferre poteſt, & ſemper poſt cibum augetur.

Hemicrania affligi hunc Patientem, dolor in anteriori ſolùm capitis parte certò oſtendit, & per eſſentiam hoc ſymptoma dictæ parti ineſſe, cauſa extrinſeca, à qua immediatè fuit affecta perſuadet cum hac ablata per longum tempus perduraverit, & magis comprobat doloris diuturnitas, & continuatio, ſicuti dolor partem capitis ſenſitivam, quales ſunt membranæ ſuam ſedem eſſe deſignat unà cum objecto ſenſibili improportionato, à quo laceſſitæ triſti ſenſatione afficiuntur, cum continui ſolutione conjuncta; Pro ſolutione verò, non eſt intelligenda diviſio partium, quia hæc dolorem ſecum trahit in actu diviſionis, & facta diviſione ceſſat, ſed intelligenda eſt diſtractio partium, quæ ſolvit continuum, dum hujus natura majorem contiguitatem in partibus requirit, quam earum diſtractio non permittit.

Hujus ſymptomatis cauſa, ſicuti eſt manifeſta, cùm fuerit calor extrinſecus aeris, & Solis, ita modus illius operandi dolorem continuum, & habitualem ea etiam remota, eſt valdè occultus, & magis talis apparet, cum in hoc caſu locum non habeat communis Doctorum ſententia explicans modum, quo morbi inducti à calore eo etiam remoto continuent adhuc, fundata in vi attractionis humorum ad partem excalefactam, quorum virtute, vel copia morbus durationem acquirit: nam in præſenti caſu reiteratæ purgationes, & ſanguinis miſſiones etiam à parte affecta humorum copiam, nec in toto, nec in parte redundare pluſquam certò nobis perſuadent. Unde in dilucida cauſa tanti ſymptomatis, Vvilliſii fundamentum mihi ſolùm videtur ſufficiens, ab eo deſcriptum in parte ſecunda Pathologiæ cap. I. de Cephalgia, & eſt à cauſis externis talem debilitatem, & enervationem in fibris membranoſis induci, ut proprium humorem regere, nec alienis incurſibus reſiſtere valeant. Hujuſmodi debilitatem contraxit noſter Patiens, & radicatam puto in ſiccitate à calore membranis cerebri impartita, per quam majorem duritiem, & conſequenter reſiſtentiam adversùs vim obviantium corporum contrahunt, & unà cum his pororum conſtrictionem, membranarum enim proprium eſt, dum exſiccantur corrugari, & in corrugatione meatus, & poroſitates earum conſtringuntur. Hinc eſt, quòd ſanguis per membranas ope vaſorum illis annexorum circulans, ſui motus vim non ſolùm vaſis, per quæ diſcurrit, ſed annexis membranis communicat, quibus reſiſtentibus ob contractam duritiem motus impulſus majori efficacia imprimitur, ut diſtractionem partium faciat, ex qua dolor, & hanc præcipuè ab arteriis accipere valent, quæ ſua pulſatione non poſſunt non trahere, & ſimul diſtrahere membranas, quæ renitentes ob duritiem, diſtractionem cum majori impetu, ideòque doloroſam experiuntur; Pari pacto effluvia ſanguinea cum impetu in membranas irruentia, eas movent, & violenter, dum duritie contracta reſiſtentiam ponunt. Obſervamus enim corpora violenter mota, ſi incidant in corpora, quæ reſiſtant, ea dilacerare, & devaſtare, ſi verò in mollia, ſui motus violentia deperditur, nec præfata in ea inferunt, quod apertè patet in glande tormentorum, quæ violenter exploſa in cumulum lanæ, ibi remoram ſuæ violentiæ invenit, in corpora verò ſolida incidens, ut muros, & ædificia, ea funditus evertit, non alia ratione, quia corpus cedens paulatim, & per diverſa momenta, & in diverſis partibus impetum corporis violenter moti in ſe ſuſcipit, & quantùm motus aliis partibus imprimit, tantùm de ſuo deperdit, idcircò pluribus partibus communicatus ita minoratur, ut, amiſſa violentia, impetus etiam ceſſet, & motus; corpus verò reſiſtens, quia eodem momento ſecundùm eaſdem partes, & totum ſimul impetum ſuſcipit, idcircò non habens tantam reſiſtentiam neceſſariam ad irritum reddendum dictum impetum, cogitur corpori violenter contra ſe moto locum cedere, & per hoc ſcinditur, dilaceratur, & ruit; Pari pacto membranæ, duritie contracta, motui ſanguinis arteriarum, & effluviorum reſiſtendo, diſtractionem violentam, quia renituntur, circa eaſdem partes, & eodem momento, & totam ſimul patiuntur, cui ſubſequitur dolor à pororum conſtrictione auctus, cum continuò fluat per interſtitia, vacuitates, & poros membranarum humor, vel ſeroſus, vel ſuccus nerveus, pro earum nutritione, qui anguſtiam viarum inveniendo, impetum in eos facit, ut introducatur, & in hoc impetu dilatatæ violenter partes membranarum triſti ſenſatione afficiuntur, coadjuvante humoris caliditate, & forſan ſalſedine propria temperamenti bilioſi, quale ſupponitur illud hujus Patientis, quæ vel aucto motu, ut eſt proprium caloris, vel vellicando, ut eſt proprium ſalſedinis, diſtractionem partium ſemper majorem operantur, & conſequenter dolorem augent; Nec mirum quod à continuo affluxu materiæ humoralis non ceſſerit dicta ſiccitas, quia conſtricti à corrugatione pori ſufficientem ad humectationem copiam non admittunt, & commotio in parte à dolore facta, vel virtus elaſtica, qua pars diſtracta ad ſuum ſtatum revertere ſtudet, humoris portionem foras expellit; & quamvis hoc modo membranas affici potiùs videatur robur illarum exprimere, placuit tamen debilitatis nomine appellare, quia ubi actiones læduntur, debilitas poteſt dici, cùm imperfectionem importet. Altera hujus ſymptomatis cauſa poteſt aſſignari juxta tradita ab eodem Vvilliſio, nempè immutatio fermenti, ſeu temperamenti facta ab eodem calore externo, quæ immutatio in hoc conſiſtit, quòd particulæ ſpiritoſæ fermentum, vel temperamentum proprium membranarum conſtituentes, ubi priùs naturaliter talem diſpoſitionem, & texturam obtinebant cum tali modificatione motus, per quam humorem benignum, & ſuavem ſibi præparare valebant, à calore talis diſpoſitio, textura, & motus alteratus fuit, altera introducta, & alia motus differentia impreſſa, ut non poſſit non præparare humorem cum aliqua acrimonia, qua laceſſitæ continuò membranæ, dum continuò fit affluxus humorum, & continua eſt præparatio illius pro continua reparatione deperditi, continuò etiam triſti afficiuntur ſenſatione; motus verò humoris videtur eſſe vitiatus, & ille fermenti à cauſa calida extrinſeca antecedenti, cùm calor motum inordinatum in re calefacta inducat, & talem motum poſſunt humores, & partes viventes ex vitiata ſua textura conſervare, quæ verò perturbatè, & velociter moventur, majorem faciunt ſenſationem, & in hujus magnitudine, præſuppoſita violentia, poteſt fundari dolor; ſic calor motum ſanguinis accelerans, & turgeſcentiam vaſorum efficiens, quibus diſtractio violentior fit, ideò dolorem auget, quod præſtat alimentum recenter ſumptum, cum ab eo ſanguis magis efferveſcat, ut pulſus frequentia, & rotius calor ſuccedens poſt illius aſſumptionem oſtendit, frigus exhalationem effluviorum prohibendo ſanguinem ad turgeſcentiam ducit, ut efficiat id, quod calor, vel acrimoniam illi addendo diſtractioni vellicationem adjungit ad doloris incrementum; ſic lux, ſonus, odores, quia in motu materiæ conſiſtunt, ab hoc impetus diſtrahentis membranas corroboratur, & humor acris generatus violentiùs motus, majorem in vellicando acquirit activitatem, ut dolor acutior, & major fiat.

Pro cujus ſymptomatis curatione patet humectandas eſſe cerebri membranas, & ad priſtinum reducendas, tàm internis, quàm externis, quæ humectantia, humoris contemperationem, vel fermenti reſtitutionem, ſi ab his proveniat inducere poterunt.

Hinc prætermiſſa omni evacuatione per ſeceſſum, & ſanguinis miſſione, cùm nullum adſit horum indicans, & cùm iſta duo majorem ſiccitatem inducere poſſint, contenti erimus leni evacuatione facta per Tartarum, vel Caſſiam, vel ex utroque ſimul mixtis, poſtea alterantibus decoctis cum jure Malvarum, Violarum, Nenupharis, & Lactucæ per ſeptem dies utendum, & replicato uno ex dictis medicamentis, Aqua Villenſi cum ſuo vehiculo tentanda humoris mitigatio, & humectatio partis per decem dies & ſymptomate non remittente, ad uſum lactis Aſinini per duos menſes deſcendendum, quòd ſi evaporatione ſua morbo augmentum præberet, illud Vaccæ coctum cum aqua Violarum ei ſubſtituerem, & ſi nec hoc modo ſolaminis eſſet, ſerum caprinum cum ſucco lactucæ, & nenupharis eſſet ſubminiſtrandum per 40. dies, vel ante ſulphur anodynum vitrioli præmittendum ad gr. viii. vel x. & per intervalla ante ſomnum Nepentes gr. ii. in Conſerva florum Nenupharis exhibenda ad contemperationem humoris, ſedationem motus cujuslibet inordinati, & ad ſymptomatis mortificationem, & pro integra extirpatione, & perſeveratione, per aliquot dies utatur Aqua, quæ tempore Martii extillat à radicibus nucum exciſis, cum ſucco cancrorum fluviatilium, & gummi animæ, loco ſucci poteſt ſubſtitui pulvis eorumdem Cancrorum, vel ſuccus Verbenæ in Julio collectæ, vel pulvis radicis ejuſdem. Exterius ſtillicidia ex decocto Malvarum, Violarum, Nenupharis, lactucæ, Juſquiami omni mane, & ſero repetenda ante cibum erunt; & horum vice Lac ſupponendum tepidum & medicatum, cum aliquibus ex prædictis ſimplicibus, vel ſucco Cancrorum prædictorum; Victus ſit refrigerans, & humectans omnia calida alimenta fugiendo, & præcipuè Vinum niſi multa aqua temperatum, utatur Pulmentis ex pane cum lacte coctis.

CONSULTATIO III.

De Dolore capitis? Univerſali nervorum debilitate, & Emaciatione.

Religioſus temperamenti quo ad totum bilioſi, calidi, & ſicci, capitis verò humidi, vigeſimum ſecundum annum attingens, cœpit conqueri de capitis dolore, qui Per acceſſiones eum affligebat, nunc continua ejus afflictione detinetur, & ſæpè augetur, & aliquando tam intenſe, ut nec adſtantium vocem ſubmiſſam tollerare poſſit, nec lucem, & hujuſmodi augmentum à qualibet levi cauſa externa, vel frigoris, vel caloris habetur, apparente ſputi copia incipit levari, & eo continuante ad talem gradum devenit, ut quietè vitam degat, aliquando urinæ copiam emmittit, vel alui fluxu detinetur bilioſo, & ſi non appareant tunc doloris intenſi inſultus prolongantur; & ſi in iſtis ſupervenian, minuitur citiſſimè. Poſt tres annos ab initio hujus intenſi doloris, nervorum debilitate correptus fuit, ut ſine baculo greſſus dare non poſſit; Membra quotidiè emaciatione extenuantur, & quandoque circa autumni medium frigore invaleſcente, febre acceſſiones faciente quotidie angitur cum aliquali extremorum refrigeratione in principio acceſſionis breve temporis ſpatium, cui ſuccedit calor moderatus ſine acrimonia, & inquietudine.

Seroſam colluviem doloris hujus contumacis, & per eſſentiam facti eſſe cauſam, à ſeroſæ materiæ expulſione per ſputum levamen, ſatis abundè manifeſtat, ſicuti copioſus fluxus urinæ retentus dolorificos inſultus prolongando comprobat; abundans ſeroſitatis proventus habetur tam à bile, à temperamento calido in copia cumulata in mordacitate, acrimonia, & volatilitate peccante, quibus materiæ chyloſæ portionem humidiorem in duodeno receptam adeò ſcindit, & attenuat in minima, ut maxima fluxibilitate impartita cogatur abire in ſubſtantiam aquea fluxibilitate donatam; & dum tota humida in aquæ valdè fluxibilis naturam abiit, ſeri copia etiam ſuppeditatur, cum multa ſit in chyloſa maſſa humiditas; inſunt tamen huic ſubſtantiæ ſic diſpoſitæ copia partium calidarum, & ſulphurearum ab alimentis acceptarum, quibus prædicta ſubſtantia vivificatur, & ſecundùm ſe totam apta eſt deſtinatis officiis ſupplere, & quia à calore cordis in hoc Patiente excedente, funditur magis materia humida in duodeno à bile actuata, majorem acquirendo fluorem, ſeroſitatis etiam indolem magis acquirit, & ſecundùm extenſionem dilatata majorem ſeri copiam importat; & totam ſanguinis maſſam dilutiorem reddit, hæc ſeri copia particulis utilibus imprægnata nutrimento partium inſervit, & ubi eas in hoc munere impenderit reliquum illius tamquam inutile corpori humano, & excrementitium quoddam foras remanet eliminandum, ad quod dum diſponitur media ſanguinis circulatione, iſtius excrementa à perpetua conflagratione, vel per aduſtionem particularum generata, & condenſata, vel per congreſſum acidi, & alkali in eo latentis efferveſcentia præmiſſa coagulata abſorbet, & dicta circulatione partes multas perluendo, ſordes ſuæ natritionis reliquias, & fœces ſecum ferendo diverſa excrementa ſuo ſinu colligit, unde acris, & mordax, & ſalſa quandoque evadit dicta ſeroſitas, ſi iſta modum exceſſerint. In noſtro Patiente retorridas particulas bilis ſale lixivioſo refertas ideòque mordaces abundare temperamentum bilioſum perſuadet. Circulante ergo ſanguine cum hoc ſero bilioſo ſale imprægnato inutili, & expulſioni deſtinato per caput, & ejus membranas in quibus ſolùm fit dolor, quia iſtæ ſolùm ſunt ſenſu præditæ in iſtarum poroſitatibus hujuſmodi ſeroſitatem deponit, quam cùm venæ totam non poſſint abſorbere, cum ſanguis arteriarum fluvidior, & calidior ratione temperamenti factus celeri motu, & in copia ad has partes fluit, & ideò venæ non ſufficiunt ad recipiendum in ſe totum, quod in una expulſione ab arteriis fuit eructatum. Hinc remanente parte ſeroſitatis in membranis, mordacitate has vellicando dolorem infert parvum, & tolerabilem, dum parva portio ſeri detinetur, quando magna ſegregatur, & imbibitur à membranis dolor ob agentis potentiam à quantitate auctam intenſionem acquirit; ſegregatur autem in magna quantitate, quando hujus abundantia, & plenitudo colligitur ob deficientem excretionem per urinam ſufficientem ad impediendam plenitudinem ſeroſam, vel quando advenit aliqua cauſa externa hujus ſegregationem adjuvans, ut eſt calor qui magis maſſam ſanguineam fundendo præcipitationem ſeroſitatis efficit, & frigus condenſando exprimit à maſſa ſanguinea abundanter ſerum, eo modo, quo lac coagulatum ſeroſitatem à cæteris partibus ſegregatam ſeorſim fundit. Si verò contingat huic ſeroſitati lympham ad cor per vaſa lymphatica reducem venarum medio conjungi, & una ſimul in membranis cerebri fixari, & moram trahere, cùm lympha ſit acida, & ſeroſitas illa alkalicis particulis ſcateat, ut patet in urina, cujus illa eſt materia, ex congreſſu horum duorum pugilium acidi efferveſcentia immoderata, à qua acutius fibræ nerveæ membranarum mordentur, & etiam in eiſdem turgeſcentia inducta, multùm diſtenduntur, uſque ad continui ſolutionem, per quam mordicationis dolor augetur, addita alia cauſa dolorifica, & ab hoc facilè eſt colligere cauſam intenſionis extremi doloris in noſtro Patiente. Eo modo quo ſeri copia deponitur in membranis, ſegregatur etiam in ſubſtantia corticali cerebri, unà cum materia generationis ſpirituum opportuna, & per poros ſubſtantiæ medullaris ad nervos tendit, quorum interſtitia inter fibrulas, ex quibus componuntur implendo, liberum ſpiritibus cum ſucco nervoſo tranſitum impedit, unde impotentia motus, deficiente inſtrumento principali ad illius executionem; eadem cauſa contingit Emaciatio, quia licèt ſuccus nervoſus non nutriat partes, inſeruit tamen ad excitanda earum fermenta, & ad illorum motum perennandum, cujus miniſterio, & præparant, & perficiunt materiam à ſanguine ſubminiſtratam in verum alimentum; omnes enim naturæ actiones ſunt in motu, unde ceſſante motu fermentorum, ceſſat & partium nutritio, ille autem ceſſat, non tranſmiſſo ſpiritu animali ad eas per occupatam à ſeroſo latice in nervis viam. Febris inſultus circa medium autumni promoventur à pituita in inteſtino duodeno cumulata, & ſaliva ibi incraſſata, quæ à bile maximè, unà cum chylo attenuata eaſdem vias lactearum eo præunte ſubivit, & à frigore autumni accedente, ſuæ reſtituta craſſitiei, cum reliquo ſanguine circulando præ viſcoſitate, & craſſitie cavitati alicujus vaſis parvi infixa remanſit, præcludendo

dendo curſum advenienti humori, qui coactus ibi ſtagnare, fermentatione degeneres à natura boni humoris qualitates induit, aptas inſervire pro fermento, & ibi turgeſcens acquiſito impetu obſtaculum humoris craſſi perterebrando ſanguini miſcetur, præternaturali fermentatione in eo inducta, ex qua febris, & quia materia impediens viam poſt perterebrationem primævo ſtatui ſe remittit, adhuc inſervit pro impedimento, ut adveniens humor eodem modo alteratus termino unius diei, in ſubſequente ſimilem renovet paroxiſmum; & quia in fermentando non habet violentiam, hinc etiam febris intenſa non evadit, imò cum parvo calore remiſſa, & quia primo in exitu, vapores craſſiuſculi, qui ſunt portiones humidi attenuati exeunt, & cordi communicati, ejus liberum motum impediendo debitam etiam ſanguinis rarefactionem impediunt, & calorem debilem in eo excitari permittunt, qui non durat in ſanguine donec extremas partes attingat, unde eo remiſſo magis iſtæ refrigerantur, & vaporibus diſſipatis à calore cordis, & ab aucta effervescentia, per mixtionem in ſangine aliarum particularum fermentativarum humoris alterati, calor ſubſequitur.

Cauſis horum ſymptomatum ſic dilucidatis curativæ indicationes apparent, finem tamen perfectæ ſanitatis per has aſſequi erit, difficilimum, & ſatis erit vehementiam illorum modificare, etiam longo remediorum multiplicium uſu: Primò, ergo ſeroſa colluies radicitus eſt exſiccanda; quòd poterimus aſſequi præmiſſa priùs univerſali purgatione per Hydragoga, cum ſanguinis miſſione; decocto exſiccante cum China, Salſa, Sandalis, & Viſcoquercino, procurando ſudorem conſueto Hypocauſti artificio, ſi ſponte non ſuccedat, & in hoc perſeverandum per 40. dies, ſi vires perdurare poſſint, quibus non ſtantibus, non omni die, ſed interpolatim pro earum menſura provocandus ſudor; Decocto terminato, ad Acidulas, tamquam ad ſingulare, & unicum remedium confugerem, cùm valeant bilis acrimoniam infringere, & volatilitatem fixare, & ſeroſi laticis reliquias per urinam ducere, ſanguini majorem conſiſtentiam tribuendo, qua non ita facile ſeri ſeparationem permittet; & ſi hujus remedii adminiſtratio impediretur, aquam boraginis, acetoſæ, Capil. ven. cum vitriolo Martis medicatam redderem, & ad libras quinque, vel ſex propinarem, & ſecuta iſtarum expulſione per urinam, inſiſterem in harum uſu per duodecim, vel quindecim dies; & poſtea contemperandus ſanguinis fervor, & bilis acrimonia, ejuſque volatilitas fixanda cum ſucco hordei diſſoluto in aqua Plantaginis, additis viii. guttis ſpiritus ſalis dulcific. vel balſami ſalis, & præmittendo bolum Diaſcordii Fracaſt. ad ℥. 1. additis gr. xii. Antimonii diaphoretici eadem tempore hora una, vel duabus ante cœnam; ad corroborandum caput capiat ℥. 1. ſequentis pulveris cum aqua liliorum convallium ℞. rad. Peoniæ maris ℥. ß. Coral. rub. præp. Margar. præp. Eboris an. ʒ. 1. Bezoarticis lunaris ʒ. ß. Salis verbenæ, Cranii humani an. ℈. 1. m. & hæc duo remedia per viginti, & triginta dies continuanda; Et pro majori præſervatione conſulo, ut omni menſe aluum ducat cum Caſſiæ ℥. ß. & Magiſterii Ialappæ gr. vi. & per tres dies poſt tale medicamentum utatur hoc pulvere ad urinam provocandam ℞. Millepedum præp. ʒ. 1. Ocul. Cancr. ʒ. ß. S. p. & cum jure, vel aqua Acetoſæ ſumatur, vel cum aqua Betulæ, in qua infuſa continuè maneat radix Veronicæ tempore Junii collecta. & radix Verbenæ Julii tempore pariter collecta. Pro febri (cum Æger nunc ea ſit liber) nihil dico, ſi tamen venturo Autumno reverteretur, eo tempore uſum ſalis tartari Chalybeati laudarem cum Aqua Capil. Ven. & Agrimoniæ ad obſtructionem tollendam.

Victus ratio ſit refrigerans, & incraſſans, vinum præcipuè fugiendo generoſum, & omnia Aromata, & hanc à Medicis aſſiſtentis prudentia dirigendam relinquo.

CONSULTATIO IV.

De Vertigine.

NObilis temperamenti calidi, & humidi, denſi habitus, vino, & etiam generoſo in copia aſſuetus, paſſus ſemper fuit deſtillationem ad fauces, & os ſine alio incommodo, quam eam expuendi, modo agit annum circa ſexageſimum, & contigit in loco commoratum fuiſſe, ſatis calido, ubi multùm incommodi perpeſſus eſt, poſtero die vertiginoſo affectu correptus fuit, qui per intervalla, ſpatio unius anni revertebatur. Nunc factus eſt frequens, quamvis modò plùs invaleſcat, cum oculorum obfuſcatione, ferè ſemper tamen omnia in gyrum verti obſervat, & niſi baculo inhærens, deambulare non poteſt, ut caſu caveat.

Vertigine affici hunc Patientem nobilem colligere licet ab eo, quòd omnia ei in gyrum verti videantur, quod ſymptoma conſiſtit in circumvolutione ſpirituum in gyrum facta, qui motum ab objectis externis impreſſum, cùm hoc circulari motu conſervantes, ad ſenſum communem pervenientes in ejus ſede motum ab objecto externo receptum imprimunt, ſed unà cum proprio circulari, unde ſenſus communis, ſicuti per primum rem, qualis eſt in ſe, percipit, ita per ſecundum in gyrum duci apprehendit, quamvis res non moveatur, unde dicitur eſſe ſymptoma imaginatricis depravatæ, non ratione ſui, ſed ratione inſtrumenti, decipitur enim apprehendendo res circumagi, quia per motum ſpirituum tales repræſentantur.

Cauſa hujus depravati motus ſpirituum eſt humor ſeroſus jam deſtillationem pariens, dum à calore externo ita dilatati fuerunt pori cerebri, & à ſanguine ſegregata magna copia ſeroſitatis, ut copioſè nimis hæc in ſubſtantiam cerebri exundaverit, una cum latice ſpirituum generationi, & eorum vehiculo inſerviente, qua copia ſeri impeditus in aliqua parte ſpirituum motus ad ſui emporium, hi regurgitando, & allidendo craſſioribus partibus ſubſtantiæ cerebri imperviis, in gyrum moti fuerunt, & ad talem motum obvios quoſcumque ſpiritus, & totam eorum maſſam coegerunt, & quia à calore cerebri diſſipata fuit materia ſeroſa in vapores, vel expulſa ad ventriculos, & ab his ad infundibulum, remanſit liber à tali accidente, quòd vertigo ſimplex dicitur; acceſſiones verò novas paſſus eſt, quia idem impedimemtum à ſero poſitum fuit, & quia ratione ætatis ſenilis, craſſiores evadunt humores, & calor minuitur, hinc factum eſt, quòd illapſum ſerum craſſiuſculis particulis refertum non potuerit tam ſubitò tolli, unde novo accedente in locum illius; quòd à debili calore fuit reſolutum, impedimentum adeſt continuum, & vertigo continua; & quia aliquando à dicto ſero vapores attolluntur, quorum portio auget impedimentum, altera violenter movet ſpiritus, hinc etiam vertigo augetur cum oculorum obfuſcatione, dum in gyrum acta tota maſſa ſpirituum, non feruntur ad oculos quantùm ſint ſatis ad viſus ſenſationem perficiendam, & ad percipiendum lucis motum, unde fit altera ſpecies Vertiginis, quæ tenebricoſa dicitur; Et quia eadem ratione circularis motus, non tranſeuntibus ſpiritibus ad nervos aliarum partium, motui animali, & voluntario inſervientium, non poteſt fieri illa contractio muſculorum neceſſaria ad rectum animal conſervandum; ex hoc neceſſe eſt, ut ſuo pondere decidat: Violentia vaporum ad impreſſionem hujus motus inordinati provenit ab eo, quòd ſerum ultrà partes craſſas, excrementa ſalina, & ſulphurea in ſe tollit, quæ facultates viſcerum ab ætate languoris primordia ſuſcipientes in locis deſtinatis ſegregare non valent, & ita à calore attenuata cum parte humidiori impetum acquirunt, cùm ſit proprium iſtorum volatilizatione motum violentum, & perturbatum concipere, & etiam ſimul effervescere cum maxima perturbatione; ſymptomatis augmentum haberi à vaporibus brevis ejus duratio oſtendit.

Deſtillatio habetur ab abundantia ſeroſi humoris in hoc nobili Patiente contingente à copia potus, qua ſerum augetur, quòd per dilatatos per naturalem conſtitutionem nimis poros cerebri in ejus ſubſtantiam derivatur in majori quantitate, quam deceat, unde ſuperfluum pro functionibus cerebri ad vaſa excretoria copioſè detruditur, & ab habitu corporis denſo non ſolùm externo, ſed interno augeri poteſt diſtillatio, dum prohibetur illa vaporis tranſpiratio ab arteriis unà cum ſanguine in partes emiſſi, & qui debet poſtea ingredi venas pro circulatione in quibus partibus condenſatus ob calorem minorem, quo donantur dictæ partes reſpectu illius in arteriis exiſtentis coagulatur in aquam, quam poſtea venæ, vel vaſa lymphatica abſorbent, & ſanguini denuò commiſcent in formam humo-

humoris, quòd ab eo exhalavit in formam vaporis; unde ſequitur ſeroſitatem in maſſa ſanguinis augeri, cujus portio in capite ſeparata pluſquam conveniat pro humorum vehiculo, altera tamquam ſuperflua ad ventriculos, & glandulas retiformes; & ab his ad infundibulum tranſmittitur diſtilationem continuam fovens.

Pro curatione hujus ſymptomatis, auferendum impedimentum ſpiritibus viam debitam defendens, ſecundò ſeroſi humoris copia exſiccanda; tertiò caput corroborandum; quartò aliqua proponenda pro ſymptomatis validioris actuali attemperatione, difficile tamen erit his indicationibus ſupplere, quia altas jecit radices morbus, & ætas ad ſui ultimum vicina de bono exitu ſperare non permittit, immò dubitandum eſt de majori morbo.

Facta ergo univerſali expiatione totius per Hydragoga, & ſanguinis miſſionem, tamquam unicum & ſingulare remedium eligendum eſt Decoctum Ligni Guajaci, Viſciquercini, Buxi, cùm Rad. Peoniæ, & Fol. Roſmarini, & Calendulæ, procurato ſudore per Hipochauſtum, & hoc per quadraginta dies, ſufficiet tamen ſudor per viginti, habito etiam reſpectu ad tolerantiam ægri, & ætatis reſiſtentiam, omni octavo die ſummat Pil. Cochia. ad ℨ. ß. cum gr. VI. Magiſt. Jalappæ, quo peracto, incumbendum corroborationi capitis per ſtillicidia capiti aquarum ſulphurearum, vel decocto capitalium ſimplicium, & intrinſecus cum hoc Pulvere ℞. rad. Peoniæ maris ℨ. iii. Ungulæ alcis ℨ. I. Bezoartici lunaris ℈. ii. Magiſt. coral. ℈. I. Salis ſuccini ℈. I. Salis roſmarini, Salviæ an. ℨ. I. Viper. ℨ. ß. m. & exhibeatur in aqua aliqua antipopletica ad ℈. ii. A' Villiſio laudatur ſequens ℞. pul. rad. Peoniæ maris ℥. ii. Flor. ejuſdem contuſ. & ſole exſic. ℥. I. Stercoris Pavonis ℔. ß. Sach. ℥. ii. m. cui ſi addas Sal ſuccini volatile erit magis efficax. Autumno futuro paretur Vinum medicatum cum ligno Saſſafras, Lentiſco, Guaiaco, & Buxi, cum Baccis Juniperi, fol. Roſmarini, Salviæ, Betonicæ, Lactucæ, Cicorei, & omni menſe ſumat ℨ. I. Rad. Jalappæ, quibus ſi non cedat, deveniendum ad Cinnabri Antimonii facti cum ſuo Mercurio, & Sulphure ſeparatim extractis & poſtea per ſublimationem unitis, cujus ℈. ß. cum ℈. I. Bezoartici lunaris in vino, vel aqua Antipopletica erit ſummæ efficaciæ tàm pro materiæ collectæ diſſipatione, quàm pro ſanguinis perfecta dulcificatione, & capitis corroboratione, quorum præparatio ſi non habetur, adhibeatur Sulphur Antimonii, reverberetur in fornace vitri, donec rubeſcat; ab hoc extrahatur tinctura ſpiritu vini, quæ ad mellis conſiſtentiam reducatur, de hac capiet ℈. I. in prædicta Aqua. Fonticulus poterit inuri in ſincibite, vel vice iſtius ſetaceum, quæ ſi morbo non conferunt, damnum non important; Adhibeantur etiam maſticatoria ex maſtice, Nuce moſcata, pyretro, ſicuti Erhyna ex pulvere Betonicæ, & Elleboro albo. Victus ſit rectè commenſuratus morbo, prout Medici aſſiſtentis prudentia determinabit. In actu Vertiginis odoret ſpiritum ſalis armoniaci, Balſamum apopleticum; & de ſequenti mixtura cochlearia ſepè aſſumat: ℞. Aquæ lilior. convallium, Calendulæ, Antiparaliticæ an. ℥. ii. Cinamomi ℥. I. Nepentes gr. iii. Syrup. de ſtecade ℥. I. m.

CONSULTATIO V.

De Vertigine.

ILluſtriſſima Matrona ætatis quadraginta annorum temperamenti melancholici, & ad cacochimum vergentis à duobus annis, nulla præcedente ſenſibili in aliqua parte læſione, aurium tintinitum ſentire cœpit, & paulò poſt omnia verti in gyrum ei videbantur, nec recta ſtare poterat, immò in ſella ſedens, caſum timebat, ut ſervas vocaret ad hoc; ut eam cum ſella tenerent, ne caderet: Per intervalla revertit hoc ſymptoma, & aliquando gravitatem capitis priùs ſentit, & ab hoc affligitur magis in æſtate, quàm in hyeme, ſi timor eam ex improviſo ab obiecto externo inexpectato corripiat, prædictum affectum incurrit; de vitio alicujus partis non quæritur, menſes juxta conſuetum fluunt.

Satis apertè conſtat de natura affectionis hujus Illuſtriſſimæ Matronæ ex apparenti, & imaginata circumrotatione obiectorum externorum ſignum Vertiginis pathognonomicum, quam eſſentialem capiti cenſeo, cùm nullum appareat indicium læſionis alteriùs partis, à qua dependere poſſit; nec vitium ſanguinis eam afficientis facit, quòd ſit per conſenſum, cùm ab eo ſolùm materia ſubminiſtretur, efficientis autem rationem non habet, cùm enim maſſa ſanguinea excrementorum varietate conſpurcetur, præcipuè ſalinorum acidorum à temperamento melancolico cumulatorum, & etiam ab excedenti, ſed naturali aciditate ſucci pancreatici, & lymphæ, portiones iſtorum ſemper ab illa ope fermentationis naturalis excernuntur cum ſero, & contingit quandoque, ut hujuſmodi ſerum unà cum latice ſpiritu vitali impregnato miſceatur, & cum iſto cerebri penetralia ingrediatur, ibique excrementa ſua deponat, eo, vel in vapores reſoluto, vel per conſuetas ventriculorum cerebri, & glandis pituitariæ, & infundibuli vias foras pulſo: remanentia excrementa, dum in ſua fixitate permanent, nullius ſunt incommodi, & quando volatilitatem acquiſierunt à calore cerebrum actuante, motum acquirunt violentum, & inordinatum, quo ſpiritus in gyrum ducuntur tanto impetu, ut recta tendere non valeant ad muſculos corporis, ex quo privantur inſtrumento principali pro regendo corpore, unde neceſſe eſt, ut cadat, niſi alteri corpori adhæreat, & ſpiritus impreſſionem impartitam ab obiectis externis ſenſui communi, cum hoc circulari motu repræſentantes, obiecta externa circulariter moveri hic apprehendit, & eodem motu ſpirituum motus aer in caverna aurium implantatus tintinitum facit; hæc ſpirituum circulatio eſt cauſa formalis vertiginis, augetur impetus in motu ſpirituum à congreſſu acidarum particularum cum ſucco nervoſo, & ſpiritus de Alkali participantibus, dum effervęſcentia inordinata concepta impetuosè etiam in motu circulari agitantur; & quia in principio hujus efferveſcentiæ humidiores nervoſi ſucci partes evaporant, hæ membranas cerebri leniter diſtendendo gravitatis ſenſum inducunt, & ſeparatio dictorum excrementorum in æſtate eſt copioſior, quia ſanguis tenuior redditus à calore aeris rarefaciente faciliùs permittit etiam ſeparationem à ſe dictorum excrementorum, & in majori quantitate, unde tale ſymptoma dicto tempore frequentius contingit.

A timore inſurgit hoc ſymptoma, dum fixatus ſanguis caloris fontem opprimens ſpiritui animali ſuppetias ſolitas ab ejus promptuario deſumptas non contribuit, & à ſua ſcaturigine ſpiritus animales hoc modo diſcontinuati, & anima rei nocuæ apprehenſione ſtupore correpta, amiſſa potentia percepto malo ſe opponendi, ſola perturbatione ei relicta, ſpiritus animales dicto modo diſcontinuatos inordinatè movendo circumrotare cogit, vel ſpiritus animales à frigore per ſanguinis coagulationem, & oppreſſionem caloris in corde unà cum ſucco nervoſo pro majori parte velut coagulati ad partes in ſufficienti copia non decurrunt, unde tremor, & concuſſio totius, & excrementorum quandoque involuntaria excretio, aliqui verò manipuli ſubſtantiæ calidæ perſervati à ſupradicta coagulatione, amiſſa cum aliis continuatione inordinatè aberrant, & circulariter moventur hùc illùc.

Pro præſervatione ergo ab hac affectione ſatis erit maſſam ſanguinis depurare, & dulcificare, quòd præmiſſa leni purgatione primarum viarum, & ſanguinis miſſione tentandum ſuccis Boraginis, Bugloſæ ad ℥. ii. pro quolibet, & octavo die purganda cum pul. Mirabol. ind. & citrin. an. ℨ. I. vel cum decocto Epithymi meſue; Poſtea cum ſero lactis ad ℥. x. ſucci pomorum redolentium ℥. I. & Tincturæ chalybis ℈. I. per viginti dies perficienda indicata dulcificatio, omni tertio die purgationem promovendo cum decoctione fol. Epithymi in dicto ſero, ultimamque manum dabimus cum ſequenti Pulvere ℞. Margar. præp. Ocul. cancr. an. ℨ. I. Antim. diaphor. ℨ. ß. ſalis roſmarini, ſalviæ an. ℨ. I. m. capiat de hoc ℨ. I. ſuperbibendo decoctionem in jure folior. Borag. Bugloſæ, Meliſsæ, cui ſi addatur tinctura antimonii ad ℈. I. erit majoris efficaciæ, vel ſpecifico Quercetani ad vertiginem in ſtercore Pavonis conſiſtente utatur, & deſcribitur ab eo in Pharmacopea in tractatu de Trageis n. 4. In æſtate balneo aquæ dulcis utatur. Victus ratio dictis omnibus correſpondeat.

CON-

CONSULTATIO VI.

De motibus Convulſivis totius Corporis.

NObilis Matrona temperamenti calidi, & ſicci, & melancolici aduſti; in ætate annorum trigintaquinque correpta fuit motibus convulſivis totius corporis cum concuſſione omnium membrorum, & contractione, ac diſtorſione in aliquibus, ut niſi violenter à robuſto conatu in ſuo ſitu detineri poſſint; in hoc ſtatu actiones animales integræ erant, nam audi quidquid ab adſtantibus loquitur, percipi quæcumque circa eam operantur, & omnium tranſacto paroxiſmo recordatur: hos motus præceſſerunt dolor capitis, ſomnolentia gravis, ut oculos attollere non poſſet, & per ſomnum magis augebatur, & poſt majori debilitate totius præmebatur, guttæ ſanguinis à naribus quandoque decidebant, & ſputa ſanguine tincta pariter apparebant, non continuò, ſed per vices etiam diſtantes, totum corpus laſſitudo ulceroſa opprimebat, ut ſolo tactu dolor exacerbaretur; tranſacto paroxyſmo quotieſcumque cibum ſumebat in lypothimiam incidebat, etiamſi pauca ſorbitio exhibita fuiſſet; Menſes debito tempore fluunt, & quantitate ſemper ſolita; iſta ſymptomata in maximis caloribus, & frigoribus omni anno invaleſcebant, & cum urinæ copioſo fluxu eſt ſolita ab hoc ſymptomate elevari.

Motus convulſivos affligere Patientem, Hiſtoria deſcripta ſatis manifeſtè indicat, quorum idea cùm per motus depravationem evidenter manifeſtetur ad ſenſum, eorum cauſæ in obſcuro latent, ut inter ea, quæ artis difficultatem augent, jure meritò enumerentur, ex quo difficilis oritur etiam curatio; has verò indagare ea qua potero brevitate, & veroſimilitudine pro virili conabor.

Certum eſt motus convulſivos eſſe motus depravatos nervorum, & muſculorum, cùm ſint motus inordinati, & extra naturæ ordinem; & ſi omnis actio læſa pendet à principio, à quo ſana proficiſcitur, concludendum etiam eſt pro certo motus convulſivos à ſpiritibus animalibus, pendere dum hi motus naturalis, & ordinati ſunt principia, cum hoc ſolùm diſcrimine; quòd in motu naturali, juxtà naturæ leges ſunt diſpoſiti, in motu verò convulſivo ab his exorbitant, licèt inſtrumenta motus, ut ſunt nervi, & muſculi ſecundùm eorum conformationem bene ſe habeant, unde ex ſola mala diſpoſitione ſpirituum alterata determinantur ad motum depravatum convulſivum.

Ex quo eruimus dogma certiſſimum, cauſam horum motuum eſſe aliquod ſpiritus animales pervertens à conditionibus ſibi debitis, & ab intentione naturæ aſſignatis pro motu ordinato, & neceſſario in beneficium totius; Reſtat ſolùm pro cognitione cauſæ horum motuum indagare, quodnam ſit hoc, quòd ſpiritus pervertit, & cujus naturæ, & has notiones puto nos poſſe colligere conſiderando naturam ſpiritus animalis, & etiam motus convulſivi proprietates, & modum, quo fiunt.

Pro hoc obſervamus in motu convulſivo fieri quandam elevationem, & depreſſionem partium, quæ ſupponit nervos, & muſculos inflari, & poſt exinaniri; Fit contractio cum tenſione, ex eo quòd ſecundùm latitudinem dilatati, ſecundùm longitudinem minuuntur, & ita partem contrahunt, & quia dilatatio eſt ſumma cum inflatione extrema, quam poſſunt ferre muſculi, id circò durities in parte efficitur contracta, in contractione diſtorquentur partes, nimia autem inflatio, & dilatatio partes extra ſitum trahere poteſt, & pro inflationis vehementia inclinationem modò ad hanc, modò ad illam partem præbere; quæ omnia meo judicio non explicari, nec intelligi poſſunt, niſi per inordinatam, & violentam effervefcentiam, qua ſpiritus cum ſucco ſuo nervoſo ſummè turgent, non aliter ac ab inordinata ſanguinis effervefcentia huic turgeſcentia, accidit, qua continentia corpora implet, & dilatat, ſic turgeſcens ſuccus nervoſus muſculos quoad fibras, nempè, & nervos inflat, & dilatat modo jam expreſſo, nec irritamentum membranarum nervorum communiter aſſignatum pro cauſa horum motuum eſt ſufficiens ad hos explicandos, quia nervi irritati poſſunt moveri inordinatè, ſed illa tenſio, durities, contorſio membrorum non poteſt explicari, per ſolum irritamentum, ſed bene per effervefcentiam ſucci nervoſi, quæ quidem poteſt reduci ad irritamentum iſtius, & ſpirituum, & quia prædictus ſuccus effervefcendo hùc illùc inordinatè fertur, inordinatè etiam modò hanc, modò illam partem movet; Quando moderatur effervefcentia, motus inordinatus minuitur, ſicuti diſtenſio decreſcit, ubi inflatio cedere cœpit, dum impetu innato pars ſuo ſitui ſe adaptare conatur.

A quonam effervefcentiam concipere poſſit ſpiritus animalis ex ejus naturæ inveſtigatione patebit. Spiritus animales eſſe alkalicos eorum motus, promptitudo, & efficacia oſtendit, ſimilis omninò ei, quæ alkalicis ſpiritibus volatilibus arte extractis ineſt, ut conſideranti patere poterit, & à variis abſtinendo, quæ in hujus comprobationem adduci poſſent, ne à Conſulentis officio diſcedam, ſatis erit ad hujus confirmationem adducere, quòd ſales alkalici ſpiritoſi, ſpiritus animales ſupra omnia medicamenta immediatè reficiunt, eorumque impuritates abſtergunt, & eliminant, quòd certè non contingeret niſi ſimilitudine pares eſſent in qualitatibus, ex quo certa iſta eſt deductio ab acido ſolum admixto ſpiritus animales effervefcere poſſe, cum alkalica acidorum mixtione ſolùm effervefcant, ex qua erit poſtea rationabilis iſti altera deductio, motus convulſivos fieri à mixtione acidi cum ſpiritu animali, cum certum ex demonſtrationibus ſupradictis ſit ſpirituum animalium effervefcentiam eſſe motus convulſivi cauſam immediatam. Acidum ergo mixtum ſucco nervoſo effervefcentia inordinata excitata motus parit convulſivos; & maximè ſi erit acidum-ſulphureum, quale eſt Nitrum, quod præter inſitam effervefcendi cum Alkali naturam inflammabiles addit particulas, quæ in effervefcentia ignem concipiendo eam augent, & efferatiorem efficiunt.

Ad Caſus ergo propoſiti dilucidationem deſcendendo, dico in hac Nobili copiam excrementi acido-ſulphurei congregari ex humoris acidi, & biliosi ſulphurei coagulatione ad invicem facta in inteſtinæ duodeno ex congreſſu, & effervefcentia bilis, & ſucci pancreatici, in qua uterque humor in alterum unitur natura ſalſum retinendo amborum principiorum naturam, nempè à ſucco pancreatico aciditatem etiam manifeſtam, cum in hujuſmodi temperamento prædominetur, & à bile inflammabilitatem occultam, quia ab acido ſuperiori oppreſſam, data tamen occaſionem explicabilem; ſimilis humoris portio generatur etiam in vaſis ex congreſſu in iſtis lymphæ acidioris, & bilis inflammabilis, hoc eſt particularum ſulphurearum ſale mixtarum aduſtarum, qui humor ex dictorum congreſſu reſultans de ſalſedine acido-ſulphurea pariter participat, prior in inteſtino duodeno genitus, per lacteas huic ſecundo maſſæ ſanguineæ unitur, per naturalem ſanguinis effervefciam, & motum, & fermentationem in corde, & cæteris vaſis; paulatim ambo volatilizantur, ſicque in ſpiritus exaltati totam ſanguinis maſſam pervadunt, & ſua ſulphurea ſalſedine ſanguinem diſſolvendo, & attenuando, ſuaque volatilitate ſubtiliando, & rarefaciendo eum diſponunt, imò ad effervefcentiam naturali majorem inducunt, quæ aucta à rarefactione accepta in ventriculis cordis conſtituit quamdam ſpeciem plenitudinis, ex qua turgentia ſanguinis in vaſis, ob quam portio ejus per nares, & os deponitur, unà cum excrementis, his partibus demandatis; & laſſitudo ulceroſa non ſolùm à plenitudine gravante, ſed etiam à qualitate acido ſulphurea per totam maſſam ſanguinis diffuſa ſtimulante, & vellicante provenit.

Hoc modo turgeſcens ſanguis fluore accepto ſeroſitatis copiam cumulat in ſuo ſinu, quam in capite deponit unà cum latice ſpiritoſo, pluſquam convenit pro ſpirituum generatione, qua obturatis cerebri poris, liberum in decenti quantitate ſpiritibus animalibus tranſitum denegantibus, ad membra ſenſuum exteriorum, ſomnolentia efficitur, quæ à ſomno incrementum ſuſcipit, dum vapores, non ſolùm à ſeroſa materia elevati detinentur impedimento dicto ſuppetias ferentes, ſed in majori copia coacervatur ſeroſus humor in ſomno, dum potentiæ partium non agunt eo robore, quo agunt in vigilia, & neceſſaria pro expulſione dicti humoris ad alia loca, ut patet in pulſu, qui fit ſemper minor in ſomno, quàm in vigilia, magis autem coacervatur ſeroſus humor in capite, quàm in aliis partibus, quia ſanguis tenuior furſum etiam in copia fertur, & quo tenuior, eo etiam ſeroſior, vel quia ſanguis à turgeſcentia magis ſpirita-

lis redditus in majori copia ſuperiora affectat loca, ab hujuſmodi copia gravatæ, & diſtenſæ cerebri membranæ triſtem experiuntur ſenſationem, in qua dolor conſiſtit, & quia latex ſpiritoſus animalium ſpirituum generationi deſtinatus, ſecum traxit unitos ſpiritus illos volatilizatos acido-ſulphureos, qui in dicta generatione ſpiritibus mixti, hos coinquinant, & ita per totum nervorum genus delati nullas pariunt tragœdias, quatenus, vel intimè à ſucco nervoſo colligantur, vel à ſpirituum animalium potentia ſub jugo detinentur, ſtatim verò, ac vel motu ſpirituum, & ſucci nervoſi, vel proprio conatu, quo colligantis humidi vinculi clauſtra diſrumpere tentant ſegregati fuerint & libertatem acquiſierint, cum alkalicis ſpiritibus congreſſi effervefcentiam inordinatam movent aciditate naturali, & inflammabilitate conſervant, & quandoque augent, & ex hac motus convulſivi, & inordinati cum contractionibus, & diſtorſionibus, quorum modus ex ſuperioribus habetur, & ſpiritus arterioſus talem materiam convulſivam, per quam turget, partibus ſubminiſtrando nervoſis, & muſculoſis fibris hujuſmodi accidentia protrahit, quæ coadjuvantur ab elaſtica ſpirituum animalium virtute, dum toti per effervefcentiam ſecundùm ſuam virtutem diſtenduntur (eo modo quo particulæ aeris circumvolutæ à calore diſſolvuntur, & elongantur) & partes attollunt, & poſteà inſito conatu ſuam circumvolutionem reaſſumendo, partes ſuo ſtatui remitti permittunt; Spiritus verò animalis cum ſuo ſucco ab hac effervefcentia enervatus per nervorum extremitates membranis, & carnibus demandatis, in viſibilem, & perceptibilem condenſatur ſeroſitatem, ſeu potiùs lympham, ubi priùs ſub tenuiſſimo, & à ſenſu imperceptibili ſucco nerveo comprehendebatur lympha à vaſis propriis, vel venis capillaribus exſucta ad cor deducitur, & ab hoc in arterias, ubi nulla mixtione cum aliis partibus ſanguinis ſequente, ad Renes delata ſeparatur, & per urinam tranſmittitur, unà cum particulis ſalis prædicti, & altera portio ſeroſitatis in capite reſiduæ, vel vaſa lymphatica per cerebri ſubſtantiam diſſeminata, vel venas ejuſdem partis ingreſſa, deſcripta via ad renes delata, copiam urinæ auget, & excrementa ferocia ex toto ita expurgantur, conciliata ſpiritui animali quiete, & hæc eſt ratio copioſæ urinæ, à qua paroxiſmi ſolutio pendet.

A cibo lypothimiam incurrit, vel quia nerveæ fibræ ventriculi cum univerſo corpore convulſivos motus perpeſſæ defatigatæ fuerunt, ut à cibo etiam pauco, & delicato eas attingente male afficiantur, ut in contractiones pariter ſpaſmodicas abeant, & nervos cordi inſervientes, cum quibus communionem habent in eaſdem trahant, unde motus ejus minuitur uſque ad excitandum deliquium, vel quia adhuc in fibris, & nervis ventriculi adſint reliquiæ acidæ ſulphureæ, quæ à cibo agitatæ renovant eaſdem contractiones ſpaſmodicas modo dicto.

In magis caloribus hujuſmodi ſymptoma exurgit, quia tunc ſanguis effervefcendo ſeparationi, & exaltationi prædicti excrementi cooperat, in magnis verò frigoribus retentæ fulgines per pororum conſtrictionem in magna abundantia perturbationem ſanguini inducunt, ſufficientem ad liberanda dicta excrementa è conſortio aliarum particularum, quæ libertati donata deſcriptos pariunt effectus.

Ex quibus elicere licet hoc ſymptoma eſſe capiti ſolum, & nervoſo generi eſſentiale, dependens à ſanguine bile ſulphurea, & acido humore melancholico, tamquam à materia, cùm nulla alia pars videatur ad hujus generationem concurrere.

Ad avertendam hanc morbi ferociam, & affectionum multitudinem, apparet maſſam ſanguineam primò eſſe depurandam ab excrementis acido ſulphureis præmiſſa univerſali purgatione, præparatione, & ſanguinis miſſione, poſtea decoctum paratum ex China, Salſa, Santalis cum fol. Agrimoniæ, Boraginis, Buglofæ, rad. Peoniæ in ventre pullæ decoctis alibi à me deſcriptum præmiſſo pulvere Cinabris antimonii ad ʒ. ß. vel Bezoartici ſolaris ad gr. viij. laudarem per triginta dies, omni ſeptimo die inſtituendo purgationem cum ſequentibus pilulis Cratonis. ℞. Pul. Maſticis, Succini an ʒ. ii. Aloes ʒ. v. Agarici ʒ. I. ß. Magiſterij Jalappæ ℈. I. Caſtorei ℈. I. Gummi ammoniaci ſoluti in aqua agimoniæ q. ſ. f. pil. xvi. de quibus ſumantur quatuor omni vice, & ſi parum purgaverint, quinque, vel ſex, poſt hæc ſummat ſerum lactis cum tinctura antimonij ad ʒ. ß. & tinctura chalybis ad ℈. I. reiterando pil. ſupradictas tempore ſuperiùs deſignato. Secundò, ſucci pancreatici excedens aciditas, & bilis inflammabilitas corrigenda, quòd perficietur ſequenti pulvere ℞. raſuræ Eboris, Ungulæ alcis, Marg. præp. ocul. Cancri an. ʒ. I. Antimonii diaphoretici ℈. ii. Salis prunellæ ℈. iiii. m. f. p. cujus ʒ. I. in aqua ſempervivi ℥. iii. & tot idem aquæ Lumbricorum deſtillatæ exhibeatur per viginti dies, & ad integram emendationem ſpiritus animalis, & cerebri coroborationem pulvere ſequenti convulſivo Horſtii utatur ℞. rad. Vincitoſici, Elevii ſucci Cariofilatæ, Peoniæ an. ℥. I. ß. Baccarum lauri ℥. ß. ſumitatum Salviæ, Serpilli, Flor. anthos an. ʒ. ii. Specierum Diamoſchi ℈. I. (quæ ratione odoris relinqui poterunt) Pliris archontici, Diantos an. ʒ. I. quibus adderem illas trium Santalorum ad ʒ. iii. ad temperandum calorem reliquorum m. f. p. de quo capiat ʒ. I. cum tinctura roſarum extracta cum aqua plantaginis ſpir. vitriol. acida facta, hic pulvis accipiendus ante novilunium per tres, & quatuor dies, & ante plenilunium ſimili modo facta poſt purgationem cum ſupraſcriptis pil, vel cum Electuario convulſivo purgante ab eodem Auctore deſcripto in libro 8. tom. I. in fine; Ut verò hæc Patiens magis præſervetur vinum medicatum ex herbis convulſivis poterit parari adiectis cicoraceis, & eo uti in omni prandio, & cœna pro una vice.

Quotieſcumque autem præludia horum accidentium præſentit, ut ſomnum, ſputum ſanguinis, miſſio ſanguinis inſtituatur, ut hoc detumeſcente, nec ſerum, nec partes ſubtiles capiti, & nervoſo, & muſculoſo generi ſubminiſtrentur, & poſt ſanguinis miſſionem diureticum propinetur, quia ſi datum ſit urinam provocare ad immitationem naturæ, tali evacuatione ſolitæ morbum hunc ſolvere, ab hoc etiam præſervabimus, diuretica verò ſint, quæ agitationem non faciant conſiderabilem in maſſa ſanguinea, ideò laudo præ cæteris pulverem Millepedum præp. tamquam nervoſo generi etiam familiarem, & pulverem Ocul. Cancr. præp. vel ſimul vel ſeorſim ſumptum, cum aqua aliqua diuretica temperata, vel cum Emulſione ſem. melonum Poterit etiam hoc obtineri per Serum Caprinum cum tinctura tartari à ℈. ij. à ʒ. I. vel decocto herbæ Thei.

His omnibus adiungatur optima victus ratio à Medico aſſiſtente regenda.

CONSULTATIO VII.

De motibus Convulſivis ab ira in Nobiliſſima Domina.

NObiliſſima Mulier temperamenti calidi, & ſicci ad iram leviter prona, ab injuria famulo ſuo illata, hanc in ſui contemptum referens, ira valdè excanduit, & vix media hora tranſacta durante adhuc iræ fervore in motus totius corporis convulſivos incidit, qui per iteratas vices eam affligebant, & præcipuè, ſi in loco calido commoraretur, cùm continuo dolore gravativo in occipitio, horum motuum acceſſum prævidebat à capitis offuſcatione, & turbatione, quæ circa eam in paroxyſmo augebantur, interim gravida remanſit, & poſt partum ſoliti rediere motus præter ſpem conceptam, quòd in partu ab eis liberari deberet, fœtus intra paucos dies exſtinctus eſt.

Ebullitio ſanguinis circa cor iræ eſſentiam conſtituens, toti maſſæ ſanguineæ contigit per illud circulando, & ab illa ſulphureæ partes iſtius in hac Patiente dominantes in copia exaltatæ, unà cum ſalinis jam coagulatis, ſpirituique in arteriis vitali commixtæ, cum hoc ſuppetias ſpiritui animali ſemperferente, muſculorum, & tendinum fibras ingreſſæ, ſpirituique animali confuſæ effervefcentia excitata, & in flammam ſulphureæ dictæ particulæ abeuntes, convuſſivos motus effervefcentia, & irritamento modo in præcedenti conſultatione deſcripto excitarunt, juxta antiquorum ſententiam motus convulſivos à ſolo irritamento cognoſcentem, cum effervefcentia in ſpiritibus à materia eos irritante dependeat. A calore etiam à maſſa ſanguinea concepto dilatati pori cerebri, non ſolùm cum vitali ſpiritu particulas ſulphureas, & ſalinas ſubtiles, & utiles receperunt, ſed

ſed unà cum ſero in abundantia à ſanguine rarefacto ſecreto partibus ſalinis craſſioribus acido-ſulphureis volatilizatis, & excrementitiis viam conceſſerunt, & in ſui præparatione, ſpiritus animales mixtionem cum eis ſubierunt; hinc ſpiritus his extraneis ſociis uniti, effervescentiam, & motum inordinatum contraxerunt, & ita per nervorum originem, & eorum fibras deſcendentes, motus convulſivos jam in eis excitatos foverunt, auxerunt, & conſervaverunt; hoc nomine ſolùm tale ſymptoma deſigno, cùm perceptio invaſionis, & recordatio eorum, quæ circa eam aguntur ab Epilepſia excludat hujuſmodi ſymptoma.

Dubitandum etiam ad nervorum principia hoc ſerum ita diſpoſitum deſcendiſſe, modo à Vvilliſio deſcripto, nempè ob copiam in plexus Choroidon vaſis exundando, & in cerebri, ejuſque appendicis ventriculos defluendo, poſtea in quartum ventriculum cerebello ſubſtratum deſcenderit, laxaverit, & ruperit ſua copia gravante, & acrimonia corrodente pelliculam, qua medulla oblongata obtegitur, ibique nervorum origines obſidendo, & particulis ætherogeneis, & fermentativis irrigando diatheſim induxerit, ex qua doloris gravativi cauſa in occipite deducitur; diſſipata verò materia ætherogenea ceſſant motus inordinati, nec revertuntur, donec tanta copia prædictorum excrementorum ſulphureorum, bilioſorum, & acidorum in ſucco nervoſo fuerit congeſta, quæ talem inordinationem renovare valeat, pauca enim materia ad hoc eſt impotens, quia tàm à ſucco nervoſo, quàm à ſpiritu animali modificatur, & per unionem etiam cum aliis particulis à motu impedita ejus actio in eo conſiſtens ſupprimitur, & ab hac ſanguinis cerebri, & ſpirituum mala diſpoſitione poteſt deduci mors fœtus, cùm alimentum ſubminiſtratum tot depravationibus fuerit coinquinatum, & ineptum ad vitam ſuſtentandam.

Unde colligitur hoc ſymptoma depravati motus partium motui animali inſervientium à mala ſanguinis diſpoſitione, & cerebri affectione dependere, tamquam à radice, & principio, quæ affectio conſiſtit in illa dilatatione pororum, & per quam affectus iſti redeunt; cui ſi addas collectionem ſeroſitatis circa cerebellum ex ſententia Vvilliſii mox citata habemus cauſam reditus motuum convulſivorum. Uterum in hoc affectu depravatum, credere mihi videtur ſuperfluum, & irrationale, cum nulla habeantur ſigna ſuffocationis urinæ, nempè paſſiones cordis, intumeſcentia faucium, ventris rugitus, & motus in hujus regione. Cauſa ejuſdem reditus poteſt eſſe ſanguinis diſpoſitio ab iræ paſſione in eum introducta, qua potens eſt partes ſulphureas, & acidas continuò cumulare, nec novum eſt animi paſſiones tales indiſpoſitiones inſinuare poſſe cùm videamus à timore omninò depravari maſſam ſanguinis, & per longum tempus febres cronicas accendi, & alia ſymptomata.

Cura ergo dirigenda in ſanguinis diatheſi mala corrigenda per ea, quæ effervefcentiam moderant, & excrementa ſulphureo-acida modificant, inducta poſtea in cerebro naturali diſpoſitione, quòd arduum erit, imò impoſſibile, ſi adſit ſupradicta membranæ diſruptio.

Quo ad primum, præmiſſa univerſali purgatione, & præparatione humorum in primis viis exiſtentium cum ſanguinis miſſione, exhibeantur ſucci Acetoſæ, Endiviæ an. ℥. iv. cum jure, in quo ℈. ß. ſpiritus vitrioli dulcificati inſtilletur per xv. dies, in ſeptimo die tentando excrementorum bilioſorum, & acidorum purgationem cum Syrup. de Cicor. cum Raubarbaro ad ℥. iv. cum ℥. ß. Crem. tartari, renovata purgatione poſt xv. diem. Poſtea aquæ Villenſes in potu per decem dies in uſu ſint, quibus ultra emendationem ſanguinis habebitur pororum cerebri corroboratio, his peractis nervoſo generi auxiliandum, ad quod præcipuè conducet cinabrum antimonii arte præparatum extracto priùs mercurio ab antimonio, & ſulphure ſecundùm documentum, & proceſſum Techenii, & per ſublimationem iſta unienda in cinabrum, de quo capiat ℈. ß. in vino, in quo bullierint folia Roſmarini, & flores Liliorum convallium, & tilliæ, vel cum aqua Ceraſorum nigrorum, & lumbricorum, in cujus defectu ſubſtituitur illud, quod elicitur in præparatione Butiri antimonii, ſeu medic. Algarot. præparatum replicata ſublimatione ad ℈. 1. quod magis efficax reddendum eſt cum admixtione Bezoartici lunaris ad eamdem doſim, & in hoc perſeverandum per menſem, & etiam duos, duabus horis, vel ſaltem una ante cœnam utatur hoc pulvere ad ʒ. 1. quantitatem. ♃. Rad. Peoniæ ʒ. ii. Marg. præp. Coral. præp. an. ʒ. 1. Ungulæ alcis Unicornu an. ℈. ii. Antimonii Diaforet. ℈. 1. ß. Salis Roſmarini ℈. iv. dividantur in ſeptem partes æquales, & ſummat cum aqua florum convallium; Ante novilunium, & plenilunium per quatuor dies eſſentiam radicis Imperatoriæ, tormentillæ, Biſtortæ, Eringii ad ʒ. 1. cum aquæ lubricorum ℥. iv. tincturæ coral. ʒ. ß. & inſtantibus dictis punctis ſummat extract. rhaub. ʒ. 1. Magiſ. Jalappæ gr. iv. & per quatuor dies poſt replicet idem extractum in bolo cum aqua appropriata, huic morbo. Victus rationem Medicus aſſiſtens convenientem indicabit.

CONSULTATIO VIII.

De Convulſione in extremis, & extimis partibus incipiente, & toti communicata.

Ex plebe vir in Noſocomio febre acuta laborabat, cum ſuſpicione malignitatis, inſtante 14. ſudor erupit cum febris minoratione ſenſibili, & pulſus elevatione, itaut de certa ſalutis ſpe judicatum ſit, in 17. febris ex toto remiſſa eſt, & è lecto ſurgens, & acri frigidiuſculo ſe exponens in extrema cute convulſivis, & ſpaſmodicis motibus de repentè correptus fuit, qui paulatim per univerſam cutim divagantes, ſentiebat eos ad interiores partes ſe inſinuare, cum oppreſſione reſpirationis, & auram quandam caput ferire percipiebat, & paulò poſt in convulſivos motus totius incidebat.

Judicavi ex ſudore à natura excitato, cum febris ſolutione, in vaſis excretoriis ſudoris, cuti interius implantatis remanſiſſe partes ſalinas, eo quod materiæ ulginoſæ mixtæ vaſorum dictorum ſuperficiei adhærerent, & iſtæ à calore exaltatæ, dum à cute conſtipata à frigore, extra corporis ambitum excerni impediebantur, papillis vaſa dicta ambientibus communicatæ, paulatim etiam irrepſerunt ad nervos, quorum propagines dictæ papillæ exiſtunt, & ibi cum ſpiritu animali mixtæ ambobus excandeſcentibus, concepto motu inordinato, partem etiam externam concuſſivis, & inordinatis motibus exagitarunt, & in exhalationis formam ulterius progredientes, ad nervos pneumonicos pervenientes, in ipſis eamdem tragœdiam præparando anhelitus difficultatem effecerunt, & in cerebrum admiſſæ, penetrando ad emporium animalium ſpirituum turbis ibi excitatis, & cum iſtis per nervos totius deſcendentes motus convulſivos in toto pepererunt, à quo caſu edoctus etiam fui, veram eſſe Vvilliſii ſententiam, quòd motus convulſivi in toto poſſint gigni à determinata affectione alicujus partis, communicata per nervos materia cerebro, vel impreſſa ſpiritibus in cerebro exiſtentibus per partem poſt partem eadem inordinatione motus exiſtente in ſpiritibus nervorum determinatæ partis malè affectæ, dum enim inordinatè moventur ſpiritibus hoſpites nervorum parti infixorum, hi vicinos pari inordinatione movent, & ſic procedit iſta commotio inordinata ſpirituum uſque ad emporium ſpirituum in cerebro, quibus eadem impertita inordinatione totum poſtea, per quod diſſeminantur, inordinatè movent.

Hinc cum aliis Medicis ejuſdem Noſocomii conſulebam, frictiones totius eſſe adhibendas, & cucurbitulas etiam applicandas dorſo, & coxis partim ſiccas, partim ſcarificatas, & poſtea ſudorem excitandum cum Cornu Cervi philoſophicè præp. ad ʒ. 1. & gr. xx. Bezoart. occident. vel cum Bezoart. miner. gr. xii. m. cum Aqua Card. bened. Pullegii an. ℥. iv. Theriac. ℥. 1. m.

CONSULTATIO IX.

De Apoplexia ſuccedente poſt impotentiam ferè ad motum, & à diabetico fluxu.

Vir temperamenti calidi, & humidi cum facili propenſione ad iram, & ſummè obæſus, debilitatem in genu à caſu contractam per multos annos patienter ſuſtulit, ea autem augeſcente, & Hypocondriaca affectione ſubſequente, utrique occurrere affectans, Medicorum conſilium adivit, qui inter cætera remedia decoctum

cum ſudore in Hypocauſto juſſerunt, totum executioni demandatum fuit, ſequenti anno variis animi paſſionibus triſtitiam inducentibus afflictus, cœpit laborare copioſo fluxu urinæ, in quo plùs hujus reddebat, quàm eſſet potus ordinarius, circa finem autumni extrema ſitis apparuit, cui ſe adiunxit totius corporis debilitas, circa veris initium omninò ineptus, & impotens redditus fuit ad deambulationem, & cum purgationi initium dediſſet pro horum morborum curatione, lethargo priùs correptus, Apoplexia ſupervenit.

Sanguinem in ſeroſam colluviem diſſolutum fuiſſe in hoc Patiente, Diabeticus fluxus evidenter oſtendit, à qua poſtea expreſſa in hiſtoria feralia ſymptomata derivata fuerunt, huic colluviei originem dedit ſalſum quoddam fermentum, & corrodens in maſſa ſanguinis receptum, à quo particulæ iſtius magis attenuatæ, quia diviſæ, & corroſæ eam humiditatem relinquunt, à qua ſecundum majorem molem uniebantur, colligatis per dictam humiditatem pluribus particulis in unam maſſæ ſanguineæ, ex hoc humiditas derelicta, & ſeparata, amiſſo unientis officio auxit ſeroſitatem in ſanguinea maſſa, & hæc ab eodem corrodente in minutiores particulas diviſa, majorem occupavit locum, eo modo quo cumulus nivis à radiis ſolaribus ſolutus in aquam, per tranſitum in hanc amphoris loci eſt capax; quia magis ſolutus, & partes magis diſiunctas acquiſivit. Hoc ſalſum, & corrodens coacervatum eſt in hoc inſigni patiente à duplici cauſa, ab acido nimis aucto, & à bile magis volatili, & acriori reddita, acidum auxerunt triſtitia ab animi paſſionibus inducta, concentrando, vel diſſolvendo ſpiritus animales, dulcificationi acidi humoris inſervientes, unde illis ita affectis mirum non eſt acidum, non ſolùm Pancreatis, ſed omnium glandularum incrementum ſuſcepiſſe ſuſpenſo dulcificantis offitio. Spiritus animales hujuſmodi dulcificationi inſervire docent nervi omnibus glandulis, tàm conglobatis, quàm conglomeratis infixi, quibus cùm datum ſit acidum humorem præparare, & ſpiritus animales per dictos nervos glandulis communicati, cùm pro earum motu inſervire non poſſint, aliud contribuere eis conceſſum non eſt, quàm ſua tenuitate humorem præparandum volatilizare, & aciditatis augmentum in humore ſemper morboſum prohibere, cùm videamus per ſpiritum vini rectificatiſſimum, ſpiritui animali correſpondentem, omnia acida dulcificari, ſi ſupra illa cohobetur: animi verò paſſiones triſtitiam inferentes ſpiritus animales, vel diſſipare, vel concentrare oſtendunt debilitas, & virium languor in his ſuccedens, unà cum ablata promptitudine ad omnes actiones, tàm animales, quàm intellectuales, quæ niſi in ſpiritum animalem prædictis diſpoſitionibus malè affectum refundi poſſunt.

Bilis volatilitas, acrimonia naturalis, & quantitas fuit aucta à calore Hypochauſti, non ſolùm Hypocondriorum calorem majorem faciente, ſed etiam cordis, & ſanguinis, à quo recrementa aduſta in majori quantitate, & ſubtilitate collecta fuerunt; Et quia certum eſt ex unione acidi cum ſale lixivioſo, quale eſt illud bilis, ſalſum fieri; hinc evenit, quòd bilis ita diſpoſita in inteſtino duodeno, cum acido pancreatis congrediens, in ſalſum volatile mixtione degeneraverint, limites naturæ excedens (cùm hujuſmodi moderata ſalſedo neceſſaria ſit naturaliter ad fluiditatem ſanguini conciliandam pro naturalis ejus rarefactione) pariter ſimile ſalſum in venis congeſtum fuit ex congreſſu particularum acidarum lymphæ, cum alkalicis ſanguinis, & bilis, his additæ illæ particulæ ſalſæ in duodeno generatæ, dum eis patet via cum chylo per lacteas, & cum eo via ſua peragrata uſque ad cordis emporium, tota maſſa ſanguinis ſalſo præternaturali infecta fuit. Qua propter ſicuti ſanguis ſalſo volatili imbutus moderatè fluiditatem naturalem ſibi conſervat neceſſariam ad motum, & ad delationem ad quælibet membra, ita à ſuperfluo corroſionem patitur ſeroſam colluviem congerentem, cujus portio per renes ſuperabundanti excretione expellitur, diabetis cauſa formalis, & altera in nimia copia cerebro conſignatur, ex ejus defectu conſiſtente in dilatatione pororum ſuæ ſubſtantiæ præternaturali, facta à calore Hypocauſti, qua cerebrum cum latice ſucco nervoſo deſtinato excedentem ſeri copiam admittit, uſque ad nervorum originem, & hæc cum ſucco nerveo per interſtitia, & poroſitates fibrarum nervos intexentium dilabendo, laxitate introducta ſua humiditate, & copia ſemi-obſtructione in nervis facta, impediente influxum ſpirituum ad nervos in decenti quantitate, in motu debilitatis ſymptoma produxit, impedimento obſtructionis creſcente per continuum affluxum dictæ ſeroſitatis quantum ſufficit ad ligandos ſenſus externos per prohibitionem motus citati, & liberi ſpirituum ad nervos illis inſervientes, ſomnus profundus, & Letargus factus fuit, & adhuc magis aucto dicto impedimento à nova copia, & excedenti ſeroſi humoris, altiuſque ad originem nervorum perveniente, introducta fuit totalis obſtructio in nervis ſenſui, & motui voluntario dicatis, unde Apoplexia, ſufficit enim hoc impedimentum ad illius cauſam, dum ab hoc ſpiritus nervorum incolæ ab eis, qui in cerebro ſunt diſcontinuantur, ut ab iſtis determinativum ſui motus recipere non valeant, nec illi ſuas motiones ſpiritibus in cerebro degentibus impartiri, in quibus motus voluntarii ratio eſſentialis, & ſenſus conſiſtunt, unde non eſt excogitare qualitatem vitriolicam ſpiritus unientem, & in unum conglomeratione facta condenſantem; nec obſtat allatæ doctrinæ, quòd acidum excedens in hoc Patiente ſtabilitum coagulando narratam corroſionem ſanguinis impedire deberet, quia bilis activitas, & volatilitas hunc acidi effectum impedit, eo quòd in actione illi ſuperior ob dictas qualitates, unde ſanguinis tenuitatem conſervat, ex qua acidum libertatem acquirit, ut liberè congredi poſſit cum bile, ex quo congreſſu, media effervеſcentia ſalſum dictum reſultat, quòd diſſolutionem parit, & acidi effectum impedit, ergo ut occurratur huic ſymptomati ab anguſtia viarum cerebri orto, mittendus primò ſanguis copioſè, ut exinanitæ venæ ſeroſum humorem in capite fluctuantem reſorbeant, nec timendum eſt de ſanguinis copioſa effuſione, dum nulla alia eſt via pro ſublevando capite à ſarcina copioſi ſeri; præterquamquod paratur locus ſanguini circa præcordia ſtagnanti ab imminuto motu cordis, pulmonum, & Diaphragmatis, unde extinctio vitalis ignis retardabitur, & pro tali tempore natura medicamentis adiuta, poterit impedimentum in cerebro appoſitum tollere. Sanguinis miſſionem præcedat clyſter acris ex decoctione capitalium ſimplicium cum infuſione in vino facta xx. granorum Croci metallorum. Cucurbitulæ ſcarificentur in ſpatulis, & in occipite, & hæ ſæpiùs replicandæ. Vena frontis etiam ſecanda, ut proximius ſanguine venæ internæ cerebri exaniniantur. Veſicantia retro aures apponantur, & in ſummitate capitis, ubi etiam cauterium inuri poterit, ſicuti ſetaceum aperiendum in occipite; Frictiones pedum, & aliarum partium inutiles exiſtimo, cùm jam ſit deperditus motus, & ſenſus in dictis partibus, poſtea excitandi ſpiritus, & impedimento vis inferenda, ut auferatur, quòd operantur ſpiritus Cornu Cervi, Fuliginis, & ſalis armoniaci in aliqua aqua antipopletica ut. ℞. Aquæ Antipopleticæ ℥. iij. Aquæ Majoranæ ℥. ij. Spiritus fuliginis gutt. x. Elixir vitæ ʒ. ß. Syrup. de ſtecade ℥. 1. m. & de hoc capiat ſæpè, ſi non una vice poteſt ſumere; vel ℞. Aquæ Antipopleticæ ℥. ij. Pulegii ℥. iij. Spir. cor. Cervi gutt. x. Tincturæ Caſtor. ʒ. 1. m. Quod ſi non poſſent adminiſtrari hæc remedia in tanta quantitate, Cochleari aquæ Antipopleticæ gutt. 7. vel 8. ſpir. fulig. vel Cornu Cervi inſtillentur, & aperto ore infundantur; Exteriùs etiam adhibeantur odoranda, ſpiritus ſalis armoniaci, & Galbanum in aceto acerrimo coctum, & Ruta contuſa, & aceto aſperſa; ſi à paroxiſmo liber evadat præſervationi poſteà incumbendum, & primò cum decocto Santal. viſci quercini, & radice cannæ addito in ſacculo Antimonio, & chalybe in actu decoctionis, quia priùs liberandum cerebrum, & nervia colluviæ ſeroſa, cui ſudor opem feret, qui proliciendus cum Cornu cervi, vel ʒ. ij. rad. Lappæ majoris, quæ mirifice ſudorem movet. Secundò lacte dulcificandus ſanguis, quòd Diabeti opitulabitur.

CON-

CONSULTATIO X.

De apoplexia à frequentiſſimo Aquæ vitæ uſu.

VIr quidam in ætate ſexaginta annorum conſtitutus, temperamentique calidi, & ſicci aquæ vitæ copioſo uſui indulgens membrorum tremore affici cœpit, manè poſt iteratam iſtius liquoris potationem Apopleticus cecidit, amiſſo motu, & ſenſu univerſali totius, integra ſolùm manente reſpiratione, & cordis pulſu, etiam debili.

Spiritum vini effervеſcentiam ſanguinis augere à calore in totum inducto poſt ejus potum ſatis probatur, ab eadem effervеſcentia, & calore ſanguinis maſſa attenuatur, & copioſum ſerum colligitur, & excrementa retorrida abundantiùs præcipitantur. Pori etiam non ſolùm cutis, & carnoſarum partium, ſed cerebri magis dilatantur cum facilitate, & ob mollitiem ſubſtantiæ, etiam orificia arteriolarum ejus majori expanſione ditantur, ab impulſu ſanguinis per effervеſcentiam auctam contracto; hæc enim ſanguinem magis rarefaciendo majoris loci capacem reddit, & ſpirituum exaltando, & in copia ſuſcitando impetum communicat, ab hac ſanguinis rarefactione, & impetu vis infertur arteriæ, qua tunica ejus extropellitur ad latera cum dilatatione.

Hinc facilè eſt determinare per poros cerebri plus dilatatos ingredi ſeroſitatis copiam ab orificiis arteriarum amplioribus illis ſuppeditatam, quæ trahendo ſecum recrementa illa retorrida ab effervеſcentia ſanguinis immoderata congeſta, & præcipitata, aliquali acrimonia perfunditur, & depluendo per ſubſtantiam cerebri ad nervorum radicem pertingit, ubi per eorum ſubſtantiam ſe inſinuando, eam adeò mollem reddit, ut nitentibus nervis ſuo robore ſe firmare, vel attollere, ad depreſſionem per dictam mollitiem cogantur, & ſic continuato niſu elationis, & depreſſionis coactæ, fit tremor.

Accedit etiam, quòd ſeroſitas ſua acrimonia principum membranæ nervorum, vel in ejus ſubſtantiam inſinuata, vel imbibita, lenem inferendo mordicationem tremorem efficit, contranitente membrana ad noxii expulſionem. Poſſumus etiam addere, quòd ſpiritus exundanti ſero immerſi, & unitatem debitam, & robur amittant, conſequenter debiliter ſua peragunt officia, & à partium gravitate oppreſſi tremulo motu ea ſolùm movere poſſunt; hinc ſuperabundante magis ſero implentur pori, non ſolùm cerebri, ſed orificia nervorum obſtruuntur, ut ſpiritus tranſire non poſſit, unde ablatio motus, & ſenſus, quæ in hoc caſu faciliori negotio peragitur à ſpiritu vini, cujus aciditatis portio alkali commixta hoc coagulat, ut patet in mixtione ſpiritus urinoſi alkalici cum ſpiritu vini, dum in offam denſam citiſſimè coagulantur, ſic ſpiritus vini in ſpiritus animales alkalicos debilitatos incidendo, eos coagulare valet, & ad motum ineptos reddere maximè copioſè ingurgitatus: nam ſi in pauca quantitate illis commiſceatur, quia ſpiritus animalis eſt illius virtuti ſuperior, à coagulatione ſe tuetur, & ſolam effervеſcentiam ferendo ab hoc exhilaratur, acquiſita ad motum majori facilitate, & adſciſſis ſibi particulis ſpiritoſis alkalicis aquæ vitæ incluſis ab eis corroboratur vim accipiens ad expellenda ea, quæ ſuum motum retardant, vel luciditatem opacant, quod ſi hæc rationi minus conſentanea videantur, dicendum in ſpiritu vini eſſe virtutem narcoticam, ut omnibus patet, à qua ſpiritus figuntur, vel ejus viæ obſtruuntur, in hoc enim narcoticorum virtus conſiſtit, ut ſuo ſulphure craſſo, vel ſpiritus irretiant, vel poros cerebri obſtruant, à quibus ſomnus conciliatur; ſpiritus verò vini hoc modo augendo impedimentum poſitum à copia ſeri, vel motum ſpirituum jam debile impediendo magis apoplexiam efficit.

Pro curatione præmiſſo Clyſtere acri cum trociſch. Alhandal. ℥. i., vel cum infuſione in vino gr. xviii. Antimonii hyacinth. addito decocto herbarum cephalicarum, ſanguinis miſſione retroceſſus in venas, vel vaſa lymphatica ſeroſi humoris eſt promovendus, derivanduſque ad partes viciniores per veſicantia ſcapulis, retro aures, & ſupra ſummitatem capitis, vel inibi inurendum Cauterium, vel ſetaceum in Occipite non derelictis cucurbitulis ſcarificatis, tàm in ſcapulis, quàm in occipite, ſternutatoria ad hunc finem etiam tendunt, & præcipuè ex Elleboro albo parata, debemus impetum ſpiritibus imprimere, ut viam impeditam referent, quod exequemur inungendo totum caput, & præcipuè tempora, & ſuturas cranii ſpiritu cornu Cervi, cum ſale volatili ſuccini conjuncto, odorando ſpiritum ſalis armoniaci, & intus exhibendo Aquæ antipopleticæ ℥. iii. cum ʒ. ß. Confect. Anacardinæ, & gut. viii. ſpirit. Fuliginis, vel cochleatim iſtam lambendam exhibendo ℞. Aquæ Antipopleticæ ℥. ii. Ceraſ. nigr. ℥. i. Majoranæ ℥. i. ß. Extracti Salviæ ʒ. ii. Spiritus Salis armoniaci gut. x. Elixir vitæ gut. viii. m. Aliquorum conſilio in Apoplexia à ſpiritu vini proponitur lac Caprinum cum cornu Cervi phil. præparato, vel Muria Braſicæ capitatæ cum eodem Cornu. Clyſter propoſitus, mane, & veſperi reiterandus.

Pro præſervatione ab Apoplexia, & curatione aliorum accidentium, cum ex dictis pendeant à copia ſeri, à dilatatione pororum cerebri, & à ſanguine fervido, diminuenda eſt ſeri copia, ejuſque acrimonia corrigenda, pori cerebri ſunt conſtringendi, & calor attemperandus; Tres primas indicationes adimplebimus Decocto exſicante, ut ℞. Ligni viſci quærcini, Ligni Sancti an. ℥. ii. Santalorum omnium an. ℥. ß. infundantur in ℔. iv. Aquæ fontis, per diem, bulliant ad conſumptionem medietatis, in actu ebullitionis ſuſpendatur in vaſe nodulus, in quo ſit arctè incluſum Antimonium craſſo modo contuſum ad quantitatem ℥. ii., in fine abullitionis adde foliorum Roſmarini, Salviæ, Lavendulæ, Liliorum convallium, Violarum lutearum an. m. ß. poſtea refrigerato decocto coletur, & de hoc ſumat omni mane ℥. x. præmittendo ʒ. i. Cornu Cervi philoſophicè præp. & ſero ℥. viii. cum eodem Cornu Cervi ad provocandum ſudorem, qui ſi non contingat arte prolicendus Hypocauſto, vel alio artificio, continuando per quadraginta dies in hujus uſu, omni ſeptimo die ſumendo ʒ. i. Pilul. coch. cum gr. v. Magiſt. Salappæ. His peractis, ad corrigendum ſanguinis calorem, ſerique acrimoniam, erunt proficuæ Aquæ minerales, vel Brandolæ; vel Villæ, quibus ſuperflua ſeri copia, ſi remanſerit poterit faciliter expelli per urinam, & calor etiam à decocto forſan impreſſus emendabitur. Poſt horum medicamentorum executionem, cerebrum, & nervoſum genus corroborabimus cum Radice Rhodia, & Chariofilata in vino infuſa ad ℥. iv. omni mane, vel cum Aqua Violæ luteæ collectæ in menſe Aprilis ad ℥. iii., cum ℈. ß. quintæ eſſentiæ Mathioli, & iſta remedia per totam hyemem ſunt continuanda. Exterius etiam proderunt inunctiones toti ſpinæ cum Oleo Vulpino, Terebentinæ, & de lateribus; quibus omnibus adjungenda eſt victus ratio exacta, & præcipuè abſtinendum ab uſu Aquæ vitæ, & Vini generoſi.

CONSULTATIO XI.

De Præſervatione ab Apoplexia, & ab aliis ſymptomatibus.

VIr annorum triginta quinque temperamenti frigidi, & humidi, corporis obæſi, & coloris pallidi, cum in victus ratione, tàm in ciborum copia, quàm in qualitate prava erraſſet, aerique nocturno, & humido per reiteratas vices ſe expoſuiſſet, inſultu apopletico correptus fuit, à quo remiſſus, maximam retinuit ad ſomnum propenſionem, cum læſione memoriæ, & diſcurſus diminutione, motuſque progreſſivi debilitate, continua inappetentia moleſtatur, conjuncta cum vomitu materiæ craſſæ, & aquæ inſipidæ, interpolatè ſupervenienté; cordis palpitatio quandoque affligit, & fluxus hemorroydum frequens adeſt, loturæ carnis ſimillimus.

Deſcripti temperamenti conditio fundamentum haber in enervatis partium principalium fermentis, quæ præparationi alimentorum chylificationi, & ſanguificationi præſunt, & in mala ſanguinis conſtitutione mutuo enim ſe fovent imperfecta fermenta, & ſanguinis depravata conſtitutio, quamvis hæc ut plurimùm fermentorum imperfectioni contribuat, quam imperfectionem pro cauſa principali in morbis conſideramus, ſine

neceſſa-

neceſſaria attentione ad præcedentem ſanguinis depravationem.

Temperamentum hunc patientem ſortitum eſſe dicemus frigidum, & humidum habito reſpectu ad maſſam ſanguineam, parvo calore illuſtratam, multoque humido fluxibili perfuſam, multum autem tribuere maſſa ſanguinis ad conſtituendam rationem univerſalis temperamenti, ex eo videtur convinci, quòd ſanguis ſit pars primigenea noſtri Corporis, & ex eo omnes iſtius partes educantur; hinc eſt quòd exiſtentibus in ſanguine particulis calidis, & ſpiritoſis, vel imobilibus, vel ſecundùm parvam quantitatem dicimus temperamentum frigidum reſpectivè ad illud, quod reſultat à maſſa ſanguinea plurimis particulis calidis, & ad motum excitatis accenſa, iſtas ſanguinis conditiones ſequuntur fermenta partium ſupramemoratarum; hæc enim in activitate valida ob optimam ſanguinis conſtitutionem, à qua originem trahunt, & conſervantur, talem in alimentis inducunt, in chylo, & ſanguine fermentationem, per quàm partes calidiores abundanti copia extricantur à cæteris partibus, & ad motum citatum, & perturbatum promoventur, unde calor in prædictis ſubjectis validus; è contrà eiſdem fermentis enervatis ob malam Diatheſim ſanguinis debilis adeò ſuccedit in præcitatis ſubſtantiis fermentatio, ut particulis calidis in parva quantitate excitatis, motuque debili commotis parvus, & minimus calor accendatur in memoratis ſubſtantiis, unde reſpectivè dicuntur frigeſcere; Et hoc evenit in noſtro Patiente. Mala enim ſanguinis conſtitutio naturalis depravata, & debilia effecit fermenta, cùm à ſanguine reparentur, & conſerventur, & hæc ſanguinis depravationem fovent, interdicta ei neceſſaria fermentatione, qua indiget pro ſui perfectione, & ab his duobus origo partialis ſaltem deſcriptarum affectionum.

Sic Apopleticus inſultus à copia humoris ſeroſi craſſiuſculi derivatus fuit, dum hic cumulatus fuit, tam à debili fermento Ventriculi diminutam alimentorum fermentationem promovente, quàm ab errore externo alimentorum in quantitate excedenti, & in qualitate depravata aſſumptorum, à quibus degeneratio alimenti in excrementa habetur, quæ nullatenus ſuperatur, vel corrigitur à fermento bilis, & ſucci pancreatici in Inteſtino duodeno, hinc chylus, vel imperfectus, vel excremento ſeroſo redundans in venas demandatus per fermentum cordis pariter debile, & imperfectum in optimum ſanguinem elaborari non potuit, ſed in maſſam ſanguineam, multis verò excrementis redundantem degeneravit, & ita prædicta fermenta debilitatem ſuam conſervant per depravationem ſanguinis, cujus maſſa ob defectum particularum calidarum in ea quantitate neceſſaria ad validam fermentationem inſervientem pro ſecretione excrementorum, & præcipitatione in partibus excretioni dicatis, fuit ſuo ſinu retinere, & fovere, coacta ab erroribus in victus ratione aucta excrementa, & ab aere externo humido liquata maſſa ſanguinis, quia fluxibilior reddita, ſegregatum fuit ſerum in magna copia, quod à porroſitatibus cerebri imbibitum, uſque ad originem nervorum, in his obſtructione facta impediente tranſitum ſpirituum ad omnes partes corporis, præterquam ad pulmones, & cor, factus fuit inſultus apopleticus, qui excuſſus fuit ob reſolutum ſerum, vel aliunde tranſmiſſum obſtaculum ponens ſpiritibus animalibus in nervorum principio; remanſit tamen ad ſomnum inclinatio, dum porroſitates cerebri nervis ſenſuum externorum correſpondentes ſemiobſtructæ remanſerunt ab humore ſegregato, itaut eam ſpirituum quantitatem nervi ſenſuum organa recipere non valeant in ea quantitate, quæ eſt neceſſaria pro perfecto eorum exercitio, & ad conſtituendam vigiliam, unde pro earum paucitate ſenſus imperfecti remanent, & ad ſomnum inclinatio.

Ab eadem ſeri copia pendet diſcurſus Læſio, tam ſi conſideremus diſcurſum circa res præteritas, quàm circa præſentes, circa præteritas errat diſcurſus, quia dum ablata eſt, vel diminuta diſpoſitio Fibrarum cerebri, in qua conſiſtit memoria, certum eſt, quod ſenſus communis per motum Fibrarum verſus illius organum non percipit clarè, & diſtinctè eſſentiam, & proprietates illius objecti correſpondentis illi diſpoſitioni Fibræ motæ verſus dictum organum ſenſus communis, eo quia ex parte eſt deleta.

Sciendum eſt enim objecta externa movere nervos à qui correſpondent ſenſuum externorum organis, & hi movent eam partem, in qua reſidet ſenſus communis, ex quo motu hic percipit naturam objecti, & ſuas proprietates: Senſus communis per motum conceptum à nervis organorum ſenſuum movendo ſe verſus aliquam Fibram cerebri illam afficit cum tali diſpoſitione, & ordinatione, ut quotieſcumque movetur illa Fibra verſus organum, ſenſus communis eumdem mòtum in eum excitet, quem excitavit objectum externum, & ſic ſenſus communis tunc eodem modo percipiet objectum, quomodo percepit per ſenſus externos, & hoc eſt recordari de illo objecto, & in hoc conſiſtit memoria.

Hinc eſt, quod deficiente una ex diſpoſitionibus, vel pluribus impreſſis in Fibra cerebri ab aliquo objecto externo hujus per impulſum ad organum ſenſus communis non repreſentatur huic, nec clarè, nec diſtinctè, nec cum omnibus ſuis proprietatibus ob deficientiam dictarum diſpoſitionum, & tunc ſenſus communis percipit objectum aliter, ac eſt in ſe; quod tali modo repreſentatum intellectui, hic cogitur in ſuo juditio errare, unde diſcurſus perverſio, quæ contingit etiam, quando per humoris ſeroſi abundantiam tollitur illa connexio in Fibris cerebri exiſtens, qua repreſentatio unius objecti cum alio connectitur; quomodo connexa erant quando ſenſui communi primo fuerunt repreſentata, unde motæ Fibræ cerebri verſus organum ſenſus communis, cùm non adſit diſpoſitio repreſentans connexionem, interrumpitur etiam diſcurſus, qui neceſſariò exigit talem connexionem, & tunc error ſuccedit in diſcurſu, & maximè quando per dictam motionem Fibrarum ad organum ſenſus communis, huic repreſentatur alia connexio alterius rei, quæ non eſt connexa cum re primo percepta ob deletionem diſpoſitionis in dictis Fibris, quæ neceſſariò repreſentabat aliquid connexum cum re primo repreſentata, & tunc ſenſus communis res diſparatas & minimè connexos percipit, quæ intellectui repreſentatæ errorem in eo inducunt ob diſconvenientiam unionis unius objecti cum alio.

Errat diſcurſus circa præſentia, quia ad hoc, ut rectè ſuo fungatur officio, indiget pro ſui inſtrumento puritate, & copia ſpirituum animalium, qua deficiente in hoc Patiente ob ſanguinem multis excrementis depravatum, dum iſtorum particulæ volatilizatæ ſpiritibus animalibus commiſcentur eorum puritatem, & luciditatem obtenebrando, ſubſtantiamque coinquinando inſtrumenti habilitatem tollunt, unde non mirum ſi ex inſtrumenti depravatione diſcurſus etiam depravatè edatur. Poteſt etiam lædi, dum ſenſui communi in ſtatu præſenti per affectionem ſenſuum externorum repreſentatur de novo aliquod objectum dependenter à motu nervorum ſenſibus externis inſervientium, ſenſuique communi impreſſo, quod ſi contingat per talem motum organo ſenſus communis impreſſum, vel per motum ſpirituum moveri aliquam Fibram cerebri dicto organo vicinam, impellique verſus iſtud, itaut ab hac moveatur, cùm contineat diſpoſitionem repreſentativam alicujus objecti alieni ab objecto repreſentato per motum ſenſuum externorum, tunc ſenſus communis percipiens illud objectum, cujus eſt repreſentativa illa diſpoſitio Fibræ motæ confundet hoc objectum cum illo repreſentato à ſenſibus externis, quibus objectis applicata potentia diſcurſiva neceſſariò in errorem incider, dum hæc duo objecta ſimul conjunget, tamquam de novo à ſenſibus externis repreſentata, quod tamen non niſi de uno verificatur. Nec eſt difficile Fibram prædictam moveri per motum organi ſenſus communis, vel ſpirituum animalium, cum à nimia humiditate perfuſa facilè mobilis reddatur.

Eodem modo memoria læditur ablata per ſeri copiam laxantem à Fibris cerebri illa diſpoſitione, & modificatione impreſſa ab organo ſenſus communis, quando à nervis ſenſuum externorum fuit motus, quæ diſpoſitio, & modificatio eſt repreſentativa objecti à ſenſu communi percepti modo ſuperiùs dicto, unde ablata hac modificatione à dicta Fibra non poteſt ampliùs movere organum ſenſus communis etiamſi verſus illud moveatur, ut objectum repreſentet huic, quomodo fuit illi repreſentatum per ſenſus externos, & ita hujus objecti memoria deficit.

Motus

Motus progreſſivi debilitas ab eadem humoris aquei copia dependet, dum medullaris, & membranoſa nervorum ſubſtantia prædictum humorem imbibens ita laxatur, ut debitam contractionem neceſſariam ad motum progreſſivum validè perficiendum peragere non valeat; unde motus debilitas, ſicut etiam concoctionis, cum per nervos membranoſam ventriculi ſubſtantiam penetrantes paulatim poſſit in eam ſeri portio effundi, à qua magis enervatur acido-ſalſum fermentum ventriculi, ex ſui natura debile, ex quo neceſſariò ſequitur depravata alimentorum fermentatio, & eorumdem concoctio, per quam in excrementa degenerant, quæ interpolatè ventriculi fibras irritando ad eorum excretionem per vomitum inſurgunt, licèt magis probabile ſit, dictum humorem ſeroſum ab arteriis in ventriculum effundi cum depravatione dicti fermenti, quod læſionem poteſt etiam accipere ex defectu, & coinquinatione ſpirituum animalium per nervos ad ventriculi ſubſtantiam delatorum, cùm non ſit improbabile dictum fermentum naturaliter in ſua propria volatilitate manuteneri à ſpiritibus animalibus, qui non poſſunt hoc præſtare, dum ſunt pauci, & à conſortio excrementorum depravati, & incraſſati, unde major inſurgit improportio ejuſdem fermenti ad alimentorum præparationem, quam conſequitur depravata eorumdem concoctio, & diſpoſitio ad chylificationem, & hoc modo ſanguinis prava conſtitutio depravat fermentum ventriculi, à quo ille viciſſim coinquinatur.

Hæc cauſa depravatæ concoctionis proveniens ab enervato Ventriculi fermento, etiam cauſa inappetentiæ, cum ab eodem nimis diluto ab aqueo humore, vel non volatilizato ſufficienter à ſpiritibus animalibus depravatis, non poſſit illa vellicatio in fibris membranæ ventriculi effici, in qua appetitus fundatur.

Cordis palpitatio provenire poteſt à dictu humore ſeroſo in nervis cardiacis, qui ad ſubſtantiam cordis diramantur, impedimentum conſtituente libero curſui ſpiritibus animalibus, qui ob continuum affluxum, impetum facientes in dictum impedimentum, nervos inordinatè exagitant, & hi totam cordis ſubſtantiam inordinatè concutiunt, unde iſtius palpitatio. Poteſt etiam hæc evenire ex eo, quod ſanguis ſecundùm aliquas particulas minus fermentatas, & ſimul conglomeratas in ventriculis cordis interpolatè detineatur, & priuſquam debitam exaltationem ſecundùm has ſortiatur, ad aliquod tempus ibi moretur cordis ſubſtantiam gravando, & opprimendo, à qua moleſtia liberari intendens, in motus inordinatos palpitationem efficientes erumpit. Fluxum hemoroidalem, cùm non liceat in materiæ acrimoniam refundere, dum ſanguis nimia humiditate perfuſus omnem acrimoniam demulcente ſine iſta ſit judicandus, remanet ſolum, ut ad pororum dilatationem confugiamus dictarum venarum, factam ab humido ſuperfluo laxante, quæ dilatatio tamen talis eſt ſolùm, ut permittat aditum partibus aqueis, & ſubtilioribus ſanguinis, unde ſit illa mixtio ſanguinea, loturæ carnis ſimilis.

Pro curatione horum affectuum, & præſervatione ab eiſdem concludendum eſt ſuperfluam ſeroſitatem, & humidum excedens eſſe tollendum exſiccantibus ſenſibiliter, atque inſenſibiliter, maſſam ſanguinis eſſe depurandam ab omni excrementorum colluvie, fermenta naturalia reſtituenda ad perfectiorem ſtatum, & præcipuè illud Ventriculi, illud bilis, & ſucci pancreatici, corroborando ultimo loco tàm cerebrum, quàm ſiſtema nervoſum, quibus omnibus adimpletis cætera ſymptomata debellata remanebunt.

Maximam in horum executione inveniemus difficultatem, cùm mala conſtitutio ſit naturalis, & læſio membrorum principalium ſit excedens. Per hoc tamen remedia non ſunt derelinquenda, quia ſi ad perfectum ſalutis ſtatum reduci non poterit, ad meliorem per medicamentorum virtutem poſſe reſtitui, ſperandum eſt.

In primis toti providendum univerſali purgatione cum Pilulis Agregativis, & Cochiis an. ℈. ii. Magiſterii Sialappæ gr. vi., cum melle roſ. ſol. reform. pilulæ. Pro Alterantibus. ℞. Syrup. de Betonica, de ſtecade mellis roſ. ſol. an. ℥. ß. Decocti Meliſſæ, Lavendulæ, Betonicæ, Liliorum convallium, Rad. fœniculi, Petroſelini ℥. vi. m. pro Syrupo. Poſt ſeptimum reiteretur ſupracitatum Purgans, & huic ſuccedat Aqua Tetucii per quinque dies ad ℔. v. omni die, præmiſſo ſemper melle roſ. ſol. ad ʒ. iii. pro vehiculo. Miſſionem ſanguinis non laudo, quia hic non eſt in culpa, nec quantitate excedit, & ita debilis exiſtit pro mala ſui conditione, ut ejus evacuatio non poſſit inſervire niſi pro debilitandis viribus, & impediendis remediis talibus indiſpoſitionibus convenientibus. His peractis decoctum ſequens exhibendum. ℞. Ligni Sancti ℥. ii. Viſciquercini ℥. i. ß. Lentiſci ℥. i. Saſſafras ℥. ß. præparentur omnia S. A. & infundantur in ℔. vii. Aquæ fontis, & ſuſpenſo in Vaſe nodulo, in quo incluſæ fuerint Antimonii craſſo modo contuſi ℥. iv. bulliant ad conſumptionem mdietatis, in fine ebullitionis adde Salviæ, Roſmarini, Lavendulæ, Stecados, Camedrios, Meliſſæ an. m. ß. coletur facta refrigeratione, de Colatura ſummat omni mane ℥. x. & ſero ℥. viii. Si ſudor non ſuccedat, arte proliciendus Hypocauſto, vel alio artificio, attento ſemper virium robore.

Victus ratio in hoc tempore decocti ſit exſiccans more conſueto, & per menſem hujuſmodi remedio utatur, interpoſitis aliquibus diebus pro virium reparatione; Aquas Spadanas laudarem, quæ mirè valent ſanguinem depurare, & corroborare, in quorum defectu. ℞. Decocti Epaticæ, Fumariæ, Lupuli, Marubii, Hirundinariæ, Graminis ℥. viii. Tincturæ Antimonii ʒ. ß. Syrup. de Cinamomo Quercetani ℥. i. m. per duodecim, vel quindecim dies hujuſmodi medicamentum continuet, poſteà purgandum cum Pilulis Aleſanginis, & Cochiis an. ℈. ii. Ad bilem acuendam. ℞. Aloes, Mirrhæ, Croci an. ʒ. ß. Succi Abſynthii condenſati ʒ. i. ſpecierum diambræ ℈. i. cum Aqua cinamomi q. ſ. f. b. num. iv. & ſumat mane unum cum Aqua Abſynthii, Pulegii an. ℥. i. ß. Ante prandium accipiat ℥. ii. vel iii. Juris ab omni pinguedine liberi cum gutt. x. Balſami ſalis, quod inſerviet ad acuendum, & vigorandum fermentum Ventriculi, & Pancreatis, continuandum per viginti dies in horum remediorum uſu, poſt quæ corroborandum cerebrum, & ſyſtema nervoſum cum Aqua Antipopletica Quercetani ad ℥. ii. Eſſentiæ Meliſſæ ab Offmano in Clavi Scrod. deſcriptæ ℈. i. Bexoartici lunaris ℈. ß. m. Inunctiones poſſunt fieri toti ſpinæ cum Oleo de lateribus, Terebentinæ, & Nuce muſcata, vel cum oleo fellis à Foreſto deſcripto. Victus ratio integra in omnibus ſervetur juxta aſſiſtentis Medici conſilia.

CONSULTATIO XII.

De Apoplexia.

NObilis Vir ætatis annorum quadraginta habitus corporis plethorici, & temperamenti calidi, & humidi, valdè obæſus de totius corporis gravitate, & laſſitudine gravativa conqueri cœpit, poſt prandium correptus fuit tremore magno, in quo motum, & ſenſum amiſſit, ſanguis ab ore, & naribus effluxit.

Plenitudinem inſignem in hoc Patiente extitiſſe, habitus corporis deſcriptus, & laſſitudo gravativa, unà cum ſanguine per nares, & os excreto certos nos faciunt, itaut ſymptomatis apopletici alia non ſit inveſtiganda cauſa, quia venæ à plenitudine turgidæ non poſſunt reſſorbere ſanguinem ab arteriis in cerebri partibus depoſitatum tum quia non adeſt locus, tum etiam quia à ſanguinis copia dilatatæ ſuas fibras contrahere non poſſunt, qua contractione veluti exſugunt ſanguinem, dum gravatæ à preſſione nimiæ quantitatis ſanguinis fibræ nulli motui ſunt aptæ; idcirco ſanguis exiens ab arteriis in cerebri ſubſtantia remanet, & præcipuè in membranarum poroſitatibus, à quo gravatæ, & à calore illi adjuncto nimis excalefactæ, & punctæ eum excutere tentarunt motu ſuo, à quo tremor omnium partium, attenta connexione membranarum cerebri cum membranis nervorum per totum corpus diſperſis.

In hoc tremore ſanguis in ſubſtantia cerebri extravaſatus ad interiores depulſus fuit partes, & citiſſimè ad cerebri meditullium, & ad originem nervorum devenit, ubi obſtructionem pariendo ſpiritibus viam inter-

dixit

dixit cum motus, & ſenſus ablatione; nec mirum erit tam citò ab extravaſato ſanguine fieri Apoplexiam, ſi conſiderabimus in omni pulſatione per innumeros arteriarum ramos ſanguinem in cerebro deponi, itaut facilè ſit concipere in viginti pulſationibus ſubſtantiam iſtius poſſe impleri.

Cur verò potiùs in cerebro hic effectus à plenitudine ortus fuerit, quàm in aliis partibus, hæc eſt ratio, quia ſanguis ſubtilior, & fervidior, quo patiens abundat ob copiam, quæ effervescentiam, & fermentationem ſanguinis auget cum hujus attenuatione, per arterias ad caput aſcendit., dum eſt huic aſcenſus facilior quam craſſo, & minùs fervido; quo autem ſanguis eſt ſubtilior, & fervidior majori copia ſui partes irrigat, quia à fervore majorem impetum, & motum celeriorem acquirit à quibus copia ſanguinis major, quam deceat in partes impellitur, & deducitur, & hanc copiam non ſunt capaces venæ aſſumere intra ſe ob rationes ſuperiùs dictas, & cùm hoc non contingat in aliis partibus ad quas ſanguis non ita fervidus diſcurrit, ideò etiam tali extravaſationi non ſunt ſubjectæ.

Unde patet totam curam eſſe poſitam in retrahendo ſanguine à cerebri ſubſtantia, & in promovendo ejus ingreſſum in venas, facto in iſtis loco, quod fiet venæ ſectione copioſa, & ſæpiùs reiterata, tam à bracchio, quàm à fronte, & à temporibus per hyrundines, præmiſſo Clyſtere ad formam eorum in ſupradictis duobus Conſiliis deſcriptorum, ſi motum, & ſenſum hac evacuatione acquiret, corroborandum erit cerebrum cum aqua antipopletica præmiſſo bolo facto cum Caſtoreo ℨ. ß. pul. Viper. ℈. i. Bezoarti Lunaris ℈. ß. Ambræ gr. iij. & pro præſervatione omni vere, & autumno ſanguis mittatur, fugiendo ciborum quantitatem, & uſum vini generoſi.

CONSULTATIO XIII.

De Epilepſia.

JUvenis negotiationi applicatus, ætatis annorum ſupra viginti, temperamenti calidi, & humidi ſanguinei, cum ſub dominio bilis, vitæ ſedentariæ deditus, vinum in quantitate omni tempore potans, levi cauſa in iram erumpens, uſus eſt etiam mala victus ratione in omnibus, ex improviſo in terram cecidit, ſpuma ex ore exibat, violenta concuſſione totum corpus quatiebatur, membra modò inordinatè retrahebàntur, modò diſtendebantur, reverſus in ſe non recordatus eſt eorum, quæ circa illum ad adſtantibus operata ſunt, nec aliquam motionem, nec ſignum advenientis ſymptomatis cognovit, pluries correptus fuit prædicto ſymptomate.

Epilepſia affici præfatum Patientem evidenter colligi poteſt, ex caſu non præviſo, ex ſpuma ore emiſſa, & ex deficiente cognitione, & perceptione eorum circa illum acta durante paroxyſmo, ſicuti à ſola cerebri affectione provenire perſuadet abſentia cujuslibet ſigni, & motionis denunciantis ejus adventum.

Hujus cauſa non eſt alia, quàm deſcripta in præcedentibus Conſultationibus de motibus convulſivis, nempè Accidum ſulphureum volatile inflammabiles particulas continens, ſed magis violentum, & activum, eo quia in prima ſui eruptione in cerebrum, ſpiritus animales motui, & ſenſui inſervientes perturbat, tam inordinatè, & tali effervescentia ſubita tumultuariè afficit, ut ſtatim à debito curſu diſtrahantur per nervos ſenſui, & motui deſtinatos, unde iſtorum integra abolitio ſuccedit, cum inopinato, & non præviſo caſu, cum in momento eruptionis à ſuo officio ſpiritus abſciſſi fuerint, dum enim agitantur inordinatè, & tumultuant omnes hùc illùc diſperſi viam ad ſua munera amittunt, & anima in hujuſmodi motu eis non poteſt uti pro ulla facultate, unde ſopita manet cum abolitione perceptionum, cognitionum, & memoriæ, cum ad has eliciendas motu quieto, & placido ſpirituum indigeat.

Non eſt negandum tamen in hujuſmodi perturbatione tumultuaria, & inordinatione violenta, ſpiritus non deſcendere in aliqua portione ad nervos, & muſculos corporis, cum iſti inordinatè moveantur, verum quidem eſt, quod deſcendendo ſecum afferunt accidum ſulphureum illud volatile, quod ſpiritus in nervis præexiſtentes pari affectione conturbat excitata in iſtis effervescentia, à qua tot motuum diverſitas, & inordinatio, quorum cauſæ explicatæ manent in Conſultatione ſexta, & hos motus neque anima percipit, ob cauſam mox ſuperiùs allatam, in hac effervescentia irritamentum agnoſcimus ſpirituum ſenſitivis, & motivis partibus inſervientium.

Ex quibus colligitur hujuſmodi accidum ad ſpirituum penetralia eſſe ductum, & admiſsum, ubi animæ inerviunt pro ſuis facultatibus, & ubi colliguntur, in nervos pro neceſſitate, vel pro voluntatis imperio ſtatim ingreſsuri: ex quo duo veniunt ponderanda, quomodo admittatur hoc accidum, & à quo ſubminiſtretur.

Quoad primum certum eſt non poſſe ad recondita, & intima illa ſpirituum penetralia admitti, niſi per viam ipſis ſpiritibus communem, cùm nulla alia adſit, nec excogitari poſſit: ex hoc colligitur etiam ratio ſecundi quæſiti, nempè à quo ſubminiſtretur hoc accidum ſulphureum, & patet ex allata ratione non poſſe ſubminiſtrari, niſi à materia, quæ ſegregatur à ſanguine pro generatione ſpirituum animalium, quæ ſola prædictam tenet viam; unde habemus accidum hoc ſulphureum volatile priùs hoſpes fuiſſe ſanguinis, & præcipuè illius partis ſeroſæ, ſpiritoſæ, & nutritivæ, cum hæc ſolum per porros cerebri deſtillet ad generationem ſpirituum. Omne verò accidum habet ſanguis à lympha artificio glandularum conglomeratarum, vel conglobatarum præparata: ſanguini natura acciditatem ineſſe permiſit, ut huic conſiſtentia concilietur, ne à continua effervescentia citò in diſsolutionem abiret, quod utique eveniret, niſi ab aliquo conſiſtentia contribueretur, qua rarefactus unionem talem acquirat de nòvo, per quam novam rarefactionem ſuſtinere ſine detrimento poſſit; hæc acciditas, ſi excedens erit, ſanguinem acciditate nimia perfundit, & conſiſtentia majori eum confirmat, craſsumque reddit. In effervescentia ſanguinis particulis iſtis accidis, ſulphureæ ſanguinis, vel bilis inflammabiles quandoque conjunguntur, uniuntur, & adinvicem coagulantur, & ſi contingat per effervescentiam, & fermentationem ſanguinis naturalem non præcipitari cum ſero excrementitio, nec per urinæ vias cum hoc expurgari, eo quia porroſitates renum ſint improportionatæ ad recipiendas has particulas accido-ſulphureas ratione ſuæ figuræ, & craſſitiei minimè convenientis cum figura porroſitatum renum, tunc in maſsa ſanguinis remanent, & ſpiritoſo latici nervoſi ſucci materiæ commiſcentur, quod factum eſſe puto in hoc patiente, acidò ob copiam vini, qua utitur, & ſanguine ſulphureo, & bilioſo ob naturale temperamentum abundante, à quibus per unionem conflata fuit ſubſtantia acido-ſulphurea, cui denegata expurgatio per vias urinæ latici ſpiritoſo ſe immiſcuit, & hic ſegregatus in membranis cerebri; & in ejus corticali ſubſtantia, pro ſpirituum animalium præparatione ſecum duxit has particulas acido-ſulphureas, quæ cum ſpiritu volatilizatæ in ea copia, ut ab eo dominari non poſſint, in iſto ſubitam, inordinatam, & violentam effervescentiam, cum tumultu ſupradeſcriptam effecerunt non ſolùm in cerebro, ubi adeſt emporium eorum, ſed etiam in eis diſſeminatis per nervos eadem materia ibi introducta, & ſicuti per effervescentiam, & inordinationem violentam ſpirituum in ſuo emporio tollitur exercitium facultatum animalium rationalium, ita per inordinationem, & effervescentiam eorumdem in nervis motus inordinati cum diſtenſione, contorſione, & contractione fiunt; hac ratione excluditur à cauſa horum motuum motus membranarum crebri inordinatus conceptus ab eis dependenter ab irritamento inducto à materia illa accido-ſulphurea, quam in eorum porroſitatibus deponi diximus; nam licèt talis motus inordinatus membranarum poſſit aliquos motus inordinatos coadjuvare, illos tamen inordinatos diſtortos, & contorſivos nervorum, qui apparent in Epilepſia, non valet efficere, quia membranæ cerebri has motus inordinationes maximè contorſivas concipere non poſſunt, & conſequenter nec corporibus illis annexis imprimere,

primere, ut unicuique conſideranti earum conſtitutionem patere poterit, ex quo neceſſe eſt concludere prædictos motus inordinatos nervorum pendere à cauſa ſpiritibus animalibus nervorum incolis conjuncta, à qua irritati effervefcunt, quòd dicendum etiam de motibus convulſivis, & hoc modo cohæremus ſaniorum Antiquorum documentis Epilepſiam à materia irritante ſtatuentes, qualitatem occultam materiæ irritanti annexam, ex aliquorum placitis, explicamus, per effervefcentiam tumultus prædictos in ſpiritu efficientem, à qua explicantur omnia huic ſymptomati annexa. Puto etiam hujuſmodi particulas in aliqua copia, quæ non potuit expurgari, vel per urinam, vel per inſenſibilem tranſpirationem ſemper cum ſpiritibus eſſe mixtas, ſed ab his, vel cohibentur propter unionem ſtrictam, vel hùc illùc diſſeminatæ interpoſitis aliis ſpiritibus, vel particulis ſucci nervoſi à prædicto effectu frænantur; ſi verò accidat, quod ſimul congregentur ab aliis ſolutæ, vel proprio conatu, vel ab aliqua cauſa externa, tunc Tragœdiam exponunt, & in hoc credo fundatam eſſe cauſam, cur à mœrore, ira, crapula, & ebrietate paroxyſmus epilepticus inſurgat, quia introducto in ſpiritibus motu uniente particulas irritativas diſparatas, ſtatim effervefcentia deſcripta inſurgit.

Pro eradicatione hujus ſymptomatis duo proponuntur primùm eſt paroxyſmo ſublevatio, ſecundùm ab eo præſervatio.

Pro primo faciunt dicta in præcedentibus Conſultationibus de Apoplexia, quæ non recepto tamquam ſuperflua cum ibi videri poſſint, dum Lectiones non ſeparatas, ſed unitas ſub Lectoris oculos expono excepta ſanguinis miſſione, vel per ſectionem venæ, vel alio inſtrumento, & Veſicantibus.

Pro ſecundo à cauſæ dilucidatione habemus corrigendum eſſe acidum lymphæ, & bilem minuendam, & magis fixandam, cerebri poros conſtrictionem exigere, & ejus temperiem corrigendam eſſe, ſpirituſque refocillandos, & robur addendum, ut materiam ætherogeneam diſſipare, vel aliò avertere poſſint.

His indicationibus ſatisfacere arduum erit, cùm morbus ſit herculeus, & medicamentorum vires ſpernere videatur; itaut teſte Hypocrate in eis, quibus poſt emiſſionem ſeminis contingit, incurabilis cenſeatur, agendum tamen omne illud, quod Ars poteſt, ut huic Patienti opem feramus.

Quo ad primam indicationem, præmiſſa purgatione, & præparatione univerſali cum ſanguinis miſſione decoctum laudo cum Ligno Sancto, Viſco quercino, Cornu Cervi in taeolas inciſo, & Ligno Corylo collecto Sole in Ariete exiſtente duobus, vel tribus diebus ante Novilunium; in principio ebullitionis addatur ſacculus, in quo incluſum ſit Antimonium ad ℥.iii. & Cinabrum nati. ad ℥. i. ß. in fine adjungantur herbæ cephalicæ, Roſmarini, Salviæ, Pulegii, Majoranæ, ab his enim omnibus acidum infringitur, & pori cerebri conſtipantur ſuperflua humiditate dilatante exſiccata, & hoc per triginta dies. Si ſudor excitabitur, conſtipationi magis ſtudebimus, hac ablata indicatione non video ſudoris neceſſitatem. Poſtea ſero lactis utendum ad moderandum calorem ex Decocto forſan impreſſum, & ad bilem temperandam cum ʒ. i. horum Pulverum, ℞. Margarit. præp., Coral. præp. an. ℈.ii. Ocul. Cancr. ʒ. i. Antim. diaph. ℈. ß. Salis prunellæ ℈. i. ß. m., & hoc per decem dies, ne pori cerebri nimia humiditate laxentur, & etiam quia bilis in hoc morbo minorem habet actionem, cùm ſolùm effervefcentiam coadjuvet ſua inflammabilitate, quam priùs excitavit acidum volatile ſpiritibus alkalicis animalibus unitum, quo ſatisfactum erit ſecundæ intentioni. Ad ultimum verò ſi reſpiciamus, nihil præſtantius Cinabri facti ex Mercurio, & ſulphure antimonii ad gr. v. cui ſi addantur totidem grana extracti flavi, ſeu aurei Vitrioli, erit efficaciſſimum cum aqua Peoniæ, vel Liliorum convallium. Hoc verò ſic fit. ℞. Vitrioli Romani, vel Cyprii ad ſolem calcinati, Salis armoniaci an. partes æquales, ſublimentur, aſcendit ſal tinctum colore aureo, ſublimatum hoc uniatur cum parte relicta in fundo, & iterum ſublima, repete tertio, & habebis flores ſalis aureos intenſè; his ſuperinfunde aquam vitæ alkaliſatam, extrahet tincturam auream, evapora leniter, & remanebit in fundo Arcanum vitrioli aureum magnum ſedativum, dulcificativum, & corroborativum ſpirituum animalium. Idem præſtat Tinctura volatilis aurea vitrioli per quadraginta dies ad ℥. ii. quæ ſic paratur; ſpirituum urinæ in tripla portione adde Vitriolo Cyprio, vel Romano, & per quindecim dies permaneant in leni digeſtione, poſtea balneo Mariæ deſtilletur, exibit Aqua aurei coloris ad guſtum optima, & ſi huic Aquæ addatur oleum ligni Coryli ad gut. vi. erit magis efficax, hoc oleum fit modo deſcripto ab Offmano in Clavi Scroderiana fol. 454. Antipilepticum inſigne eſt ſequens aqua. A deſtillatione Vitrioli ſervetur Phlegma, poſtea igne aperto, extracto ſpiritu, & oleo, à capite mortuo incinerato extrahatur Sal, quod defœcatum per reiteratas ſolutiones, & coagulationes miſceatur Phlegmati, & per menſem digeſta, fortiſſimo igne deſtillentur, de hoc ʒ. i. exhibetur in aqua antipileptica, vel in aqua Hirundinum, vel Ceraſorum nigrorum; quod ſi hæc non poſſint haberi præparatore deficiente, ſubſtituendus eſt hic Pulvis ad ℈.ii. cum aqua ceraſorum nigrorum, vel aqua antipileptica majori à Quercetano deſcripta. ℞. rad. Peoniæ, Imperatoriæ an. ℈. ii. Ligni Viſciquercini ℈. i. ß. Coral. præp. Smaragd. præp. an. ℈. i. Ungulæ alcis ℈. i. Salis cranii humani ʒ. ß. Salis Roſmarini, Rutæ, Salviæ, Ligni Coryli an. ʒ. ß. rubiæ minoris exſiccatæ ad pondus omnium m. vel Talpam in olla calcina ad ignem validum in furno, pulveriza, de ea exhibe ℈. i. in dictis aquis cum ℈. i. Olei buxi, & ſalis volatilis urinæ gr. viii. Vel exhibeatur ſanguinis Draconis, Caſtorei, opoponacis, Antimonii diaph. an. ℈. i. vel crudi juxtà aliquos in aliqua ex dictis aquis per menſem, & poſtea ante Novilunium, & Plenilunium per quatuor dies per totum annum, & hæc duo pro arcano habentur: hæc medicamenta pro prima vice per integrum menſem continuanda poſteà omni menſe per quatuor, vel quinque dies ante Novilunium, & Plenilunium reiteranda, & poſteà per totum annum utatur Vino medicato cum Ligno Viſcoquercino, Corylo, & foliis Rutæ hortenſis, Polii montani, Roſmarini, Politricii; Radice Peoniæ, Valerianæ, & Ariſtol. rot. Floribus Liliorum convallium, Tilliæ, leniter omni menſe purgando corpus pilulis de Succino deſcriptis in Conſultatione de motu convulſivo, vel Syrupo ex Ellebpro à Quercetano deſcripto, qui eſt maximæ efficaciæ in his morbis Herculeis.

Interim recta victus ratione utatur, & à Vino ſe temperet, nec didiſceret ad morbi levamen Aqua ſemper uti pro potu.

CONSULTATIO XIV.

De Epilepſia in Puero.

INfans duorum annorum ex improviſo concuti cœpit toto corpore, cum contractionibus, & diſtenſionibus inordinatis cum ſpuma ex ore effluente, excrementa in hoc inſultu morbi excrevit viridia.

Infantem hunc Epilepſia laborare, manet extra dubium, eſt autem hæc ſymptoma depravatæ facultatis animalis in genere, dependens ab inordinato, & violento motu, & tumultu ſpirituum animalium excitato à tumultuaria in eis effervefcentia accenſa ab acido ſulphureo præternaturali volatili ſpiritibus mixto, prout in ſuperiori Conſultatione, & aliis de motibus convulſivis explicatum fuit; An verò per conſenſum ab aliqua parte, an per eſſentiam hoc patiatur incerti ſumus, cum modum evadendi explicare neſciat; dico tamen, quòd ab excrementis vireſcentibus, & acrem odorem ſpirantibus poſſumus conjectari hoc acidum capiti communicari ab inteſtinis, dum effervefcente ſucco pancreatico inſigniter acido, cum bile ſulphurea evaporant ſubtiles, & impetuoſæ exhalationes bilis, & ſucci pancreatici, quæ ſpiritibus mixtæ dicta ſymptomata, & inordinationes eorumdem in motu pariunt modo ſuperiori Conſultatione deſcripto; Prædictum indicium ab excrementis deſumptum à Sylvio leBoe, ſufficiens eſt ad credendum aſſertum à me factum, & quamvis hic Author ponat ſolum acidum pro cauſa inordinationis ſpirituum, mihi tamen videtur hoc non poſſe ſe ſolo violentam inordinationem requiſitam in hoc morbo parere,

tere, quomodo eam poteſt, ſi ſulphureis ſit mixtum particulis, quæ in effervescentia velut ignem concipiant, & ad modum etiam ignis violenter, & perturbatè moveantur, ad harum enim accenſionem facilè eſt concipere modum inordinationis violentæ ſpirituum; hoc Acidum ſuperfluum à Matre fuiſſe impertitum cenſendum eſt cum dicto Authore, cùm gravidæ acidis in copia uti delectentur.

Agendum ergo pro curatione, ut Infans excitetur à paroxyſmo acribus ſuppoſitoriis cum hiera, ſale gemma; & naribus ruta contuſa aceto conſperſa odoranda apponatur, quod etiam præſtat Balſamum apolepticum, vel ſequens. ℞. Olei rutæ deſtil. Succini, Majoranæ, Carioph. an. gut. iii. Olei nucis muſ. per expreſ. ℥. ß. m. hocque inungantur nares, & tempora, nec non retro aures. Sutura coronalis cum Oleo Cranii humani, & Cornu Cervi ſæpè inungatur; De hoc ſternutatorio paululum in nares inſuffletur. ℞. rad. Ireos, Majoranæ ſiccæ an. ℥. ß. piperis albi ℈. i. Pyrethri, Caroyphil. an. ℈. ß. m. quodſi Paroxyſmus non cedat, Extractum Vitrioli aureum ſuperiori conſultatione deſcriptum eſt efficaciſſimum ad ſedandum paroxyſmum, ſicuti etiam Cinnabris Antimonii ad gr. ii. vel Cinnabris antimonii collecti ex præparatione pulveris Algaroti ad gr. vi. cum Aqua Peoniæ, vel Ceraſorum nigrorum.

Pro præſervatione, purgetur corpus infantis cum Syrupo de Cicorea cum Rhaubarbaro ad ℥. 1. poſtea pulveres deſcripti ſuperioti Conſultatione, cum ſero lactis præbeantur, vel cum aqua ceraſorum nigrorum; Poſteà utendum tinctura aurea vitrioli, cum cinnabri Antimonii arte præparata ex conjunctione ſui ſulphuris, & Mercurii priùs extracti, vel cum Pulveribus Ungulæ Alcis, eboris, Margar. præp. Coral. præp., Smaragd. Unicornu an. ℈. i. Antimonii diaphor. ℈. i. ß. exhibendo ℈. ß. pro vice; & inſtante Novilunio, vel Plenilunio per quinque dies exhibeatur primo Oximel. ſcil. cum Oleo Amygd. dulc. ad vomitum, vel alvum excitandam poſtea per alios quatuor dies dictus pulvis, vel per annum integrum exhibeatur radix Eryngii montani ſubtiliter pulverizati ad ℥. 1. cum melle, colligenda eſt radix menſe Maii; & ſi progrediente ætate non cedat morbus, ad Decoctum cum Viſcoquercino, Ligno Corylo, & Buxo deveniendum, & poſt exhibendus Syrupus ex Tabacco poſt cœnam ad ℥. iii. In præparatione Syrupi curandum eſt, ut ſuccus à foliis expreſſus optimè depuretur, nec ad Syrupi formam redigatur, niſi ſecuta omni depoſitione fœcum, cui Syrup. ſi addatur Oleum Buxi ad ℈. ß. erit majoris efficaciæ, & hoc continuandum per quadraginta dies. Caveat à Vino præcipuè, & ab acidis, aliiſque ſalſis, quæ aciditatem habent latentem, in reliquis aſſiſtentis Medici prudentiæ me ſubſcribo.

CONSULTATIO XV.

De Paralyſi ſpuria totius.

Vir temperamenti calidi, & humidi ſecundùm totum, capitis verò humidiſſimi, in ætate conſiſtentiæ poſitus, deſtillationi ſubjectus, & operationibus chymicis deditus, intemperantis vitæ, tàm in victus ratione, quàm in Venere cacochimiam quamdam contraxit, hinc tremore partium corripi cœpit, & paulatim in majorem illarum debilitatem dilabens omninò motui progreſſivo ineptus evaſit, ut lecto decumbere ſemper coactus fuerit, partes verò decumbens movet per lectum ſine alterius auxilio, his cæcitas etiam ſucceſſit, operationes autem mentis vegetas in omnibus habet, itaut in hoc ſtatu ſtudio incumbat, & operationes chymicas per alios conſilio dirigat.

Debilitatem motus, non impotentiam in hoc Patiente admittendo (cum motu aliquo membra ſenſu donata moveat, & decumbens ſine auxilio pro voluntatis arbitrio corpus volvat) concedere debemus Paralyſim ſpuriam eum detinere, non veram, quæ in ablato motu determinatæ, vel plurium partium conſiſtit. In hujus affectus cauſa indaganda primarius locus eſt tribuendus ſpirituum animalium paucitati, & languori, patet enim partes ſuo influxu illuſtrare, non tamen tali efficacia, ut motum perfectum edere poſſint, quod arguit debilitatem, & languorem illorum, unà cum paucitate conjunctum; nam ſi abundantes eſſent, robur partibus præſtarent: licèt reicienda non ſit copia ſeri, non ſolùm quatenus nervos laxat, ſed quatenus ſua copia languori ſpirituum contribuit, & pro ea iſtorum quantitas poteſt dici pauca, & ſi ſerum eſſet in minori copia, illa ſpirituum poſſet eſſe forſan ſufficiens, pro motu magis valido, quàm ſit præſens, eſſet tamen ſemper debilis, cum concurrerint cauſæ ſpirituum paupertati contribuentes, & imperfectæ eorum generationi influentes, ut ſunt venus immoderata, & applicatio operationibus chymicis, & aſſidua ignis chymici tolerantia.

Cauſa copiam ſeri cumulans, & ſpiritus animales debiles, & in parva copia generans, eſt ſanguinis mala conſtitutio, & fermenti cerebri depravatio. A victus intemperantia maſſa ſanguinea multitudine excrementorum remanſit conſpurcata, & etiam malè conſtituta, & ab intemperata Venere ſpiritu, caloreque naturali depauperata, unde receptum Chylum impurum ob enervata fermenta partium præparantium, in fervidum ſanguinem, & ſpiritoſum aſſimilare impotens fuit, etiam ſecundùm illius partem puriorem ab alimentis pravis elicitam, ſicque nec ſpiritum ab ea elicere, nec ad illam conſiſtentiam coctione ducere valuit, quæ eſt neceſſaria ad optimum ſanguinem, unde ab impuriori parte alimentorum ex ſeri natura, & à puriori ex imperfectione ſanguinis, cui miſcetur, in excrementa degenerante, cumulus factus fuit ſeroſæ materiæ, ſpiritu in convenienti quantitate deficientis, & cacochymum habitum conſtituentis. Hæc capiti demandata, & in eo ſegregata, cum parvo ſpiritu ſit irradiata, paucos etiam ſpiritus animales ex ea elicere datum eſt, quorum energiam ultrà paucitatem, enervat ſeroſitas multa, dum multiplicatis ſuis particulis ſpiritus ad invicem dividendo, agendi efficaciam multa diſcontinuitate agentium particularum debilitat. Huic ſpirituum imperfectioni cum pauca eorumdem quantitate concurrit fermentum, ſeu temperamentum cerebri à nimia Venere, & ab igne Chymico carbonum enervatum, per quod amiſit efficaciam, vel extrahendi ſua virtute fermentativa omnes illos ſpiritus, quamvis paucos latentes in ſupradicta materia ſeroſa nervoſi ſucci elaborationi deſtinata, vel extractos exaltandi, & volatilizandi, & depurandi, prout eſt conveniens illorum naturæ, & conditioni, & neceſſarium ad agenda, & perficienda ſua munia cum energia.

Excedentem ſeroſæ materiæ quantitatem adſit cerebrum, qui humida temperie donatum; dicitur enim in temperamento humidum, quia eſt capax ad recipiendum humorem in quantitate, & hanc capacitatem habet à dilatatione illorum pororum à natura in ejus ſubſtantia admiſſorum pro tranſcolatione ſubtiliſſimi laticis ſeroſi, ſed ſpiritoſi, neceſſarii ad ſpirituum animalium elaborationem, per quam dilatationem non ſolùm hunc ſubtiliſſimum, ſed craſſiorem ſerum in ſua penetralia recepit, cujus portio cum tota per vias excretioni dicatas non potuerit evacuari, à latice ſubtili tenuior reddita, illius vias tenuit, ex quo ſequitur, quòd ſpiritus in aereo ſucco nervoſo hoſpitans, ab admixtione hujus craſſi, & aquei ſeri ſecundùm ſuum robur magis debilitatus fuerit, & hoc ſpirituum veſtigia ſequendo per nervos, inque medullares eorum fibrulas ſe inſinuando ita has laxaverit, ut ad contractionem motui neceſſariam ſuſcipiendam incapaces evaſerint, & ſpiritus animalis refracta virtus modo ſupradicto, illarum inhabilitati ſupplere non valeat, imò adaugere ſit potens; cum ex materiæ reſiſtentia, & efficientis debilitate actio ſemper imperfectior, & magis vana reddatur. Et ſic ex paucitate ſpirituum animalium, & ex laxitate nervorum, impotentia ad motum deducitur, & hæc coadjuvatur magis à laxatis fibris & tendinum, & muſculorum à ſeroſitate unà cum ſanguine iſtis partibus impartita pro nutritione, & quæ in dictarum fibrarum ſubſtantiam per pervias poroſitates ingreſſa laxitatem introduxit. Ad hanc concurrit etiam altera ſeroſitas, ſucco nervoſo mixta, prout dictum eſt ſupra, quæ per extremitates nervorum muſculis demandatorum exiens, totam ſubſtantiam fibrarum irrorando, ad interiora deſcendit, unde hac imbibita laxantur, itaut contrahi non poſſint, quantum exigit motus localis.

Influ-

Influxus tamen ſpirituum, & ad aliqualem contractionem ſupermanens habilitas, motum relinquit debilem, & imperfectum, ſicuti ſenſum, remanente ſpirituum irradiatione in membranis ſenſuum organis.

Et quia in principio non tanta erat fibrarum laxitas, motus exequebatur, ſed cum tremore ob rationem dictam in alia ſuperiori Conſultatione. Pro quo ſymptomate etiam explicando facit, quòd aliqua portio materiæ craſſæ ſeroſitati comixta, cum per valdè arctam nervorum viam tranſire non poſſit, eorum orificiis adhæret, & mordacitate leniter vellicando continuum illum tremorem efficit, conante parte noxium expellere.

Et quia dum ſerum per nervos deſcendendo ſpiritus depuratos, ubi mentis operationes exercentur, relinquit, ideò iſtas perfectè exerit patiens. Cæcitas eamdem ſeroſitatem habet pro cauſa, ſed craſſioribus particulis intertextam, à quibus obſtruuntur nervi optici, viſus primaria inſtrumenta, cùm in oculorum ſubſtantia nullum ſit diſtinguibile impedimentum viſionem valens abolere.

Non obſtante difficultate in hujus morbi curatione manifeſtata à languore facultatis animalis, & ſanguificatricis majori malo minante Apoplexiæ, & Hydropis, attamen curandum eſt, ut Æger ſublevetur, ut meliorem vitam, & longiorem tranſigere poſſit. Quod poterimus aſſequi ſeroſa colluvie ablata per evacuationes ſenſibiles, vel inſenſibiles; Et primò per Hidragoga totius purgationem inſtituendo, & per præparantia convenientia alteram portionem diſponendo reiteratæ evacuationi; Secundò Jure Galli antiqui, in cujus ventre recondita fuerint ſalſa parillia, Lignum Saſſafras, Lentiſcum, Rad. Ari, Apii, Fœniculi, Aſparagi, cum foliis Roſmarini, & Salviæ, & Hidropiperis, & rafani ſylveſtris, cui præmittendum bolum ex Terebentinæ ℥. i. Bezoartici mineralis, Lunaris, an. gr. viii. Antimonii diaph. gr. xii. vel in Decocto inſtilletur tinct. Antim. ℨ. ß. Succini ℈. ß. omni ſeptimo die purgatione inſtituta cum Pilul. Alephangin. ℨ. i. Magiſterii Jalappæ gr. vi. & in hoc inſiſtendum per viginti dies. Tertio loco tentandum eſt ſanguini tamquam horum malorum radici auxiliari, quod præſtabit Pulvis Cacheticus Quercetani per quindecim dies, poſteà exhibendo per alios quindecim Decoctum in jure ligni Saſſafras cum gutt. viii. Elixir vitæ, vel proprietatis, & hora una ante cœnam præbendo Confectionem Diambræ ad ℥. ß. & ultimo loco pro totali exſiccatione humiditatis ſuperfluæ, tàm in cerebro, quàm in nervis, & muſculis, & corroboratione cerebri, & caloris naturalis Pulvis viperinus aſſumendus mixtus cum Salibus cæphalicis, ut. ♃. Pul. Viperini ℈. i. Salis Roſmarini, Salviæ, Majoranæ, Charabis ℈. ß. m. ſumendus cum aqua Antiparalitica Quercetani, cui ſi addatur ſpiritus fuliginis ad gutt. iii. erit efficacior; & inſerviet, etiam ad præſervationem, & ad corroborationem cerebri, & fermentorum naturalium, & ſanguinis, quæ quarto loco ſunt conſideranda exteriùs Balnea ſulphurea, & Luta thermalia adhibeantur, vel foveantur partes ſpiritu vini rectificato, in quo infuſæ fuerint herbæ Paralyſis, Camedryos, Iva arthetica, Salvia, Roſmarinum, & folia herbæ Reginæ, & pro oculis utatur aqua ab Hollerio deſcripta in oculorum affectione, vel ſpiritu urinæ, & aceto ſtillato in æquali portione. Cujus guttæ aliquot ſæpè in oculis inſtillandæ.

His adjungenda eſt optima victus ratio, quæ à prudentia Medici aſſiſtentis dirigenda erit.

CONSULTATIO XVI.

De Paralyſi.

RElligioſus vitæ auſteræ, ætatis annorum viginti quinque, temperamenti calidi, & ſicci ſecundùm totum deſtillatione frequenti moleſtatus, iter pedibus faciens copioſa decidente pluvia totus maduit, & in longo itinere pluries hoc paſſus eſt. Hinc dolore gravativo capitis conqueri cœpit cum mentis offuſcatione, & altera die in Paroxyſmum Apoplecticum incidit, à quo ſublevatus, pars ſiniſtra ſine motu, & ſenſu remanſit.

Sanguinis maſſa, non ſolùm à calido ſolvente, ſed etiam ab humido liquefactione patitur, dum humidæ particulæ illi additæ, majorem addunt fluxibilitatem, & laxiorem illius compagem reddendo, faciliori diſgregationi partibus ſeroſis viam aperiunt. Non mirum ergo, ſi copioſa ſeroſitas, quæ in hoc Patiente à calore proprii temperamenti, ſeu potiùs à ſalſo valido liquante, & corrodente (quòd in temperamento bilioſo adeſt valdè potens) ſeparabatur, aucta fuerit á pluvia, & ab aere humido, à quibus corpora noſtra tamquam ſpongia facilè implentur humiditate fluxibili, alia ratione etiam huic augmento ſeroſitatis concurrit aer humidus, nempè reliquum ſanguinis à ſolvente ſalſo integrum laxando, per quod majorem humiditatem, & ſeroſitatem à ſe exprimi permittit, à fermentatione ordinaria maſſæ ſanguineæ. Hujuſmodi ſeroſitatis copia circa corticalem cerebri ſubſtantiam, & membranas collecta, has premendo, vel dilatando dolorem gravativum excitavit, & particulæ vaporoſæ ſpiritibus mixtæ luciditatem iſtorum obtenebrando mentis offuſcationem pepererunt. A corticali ſubſtantia deſcendens ad medullarem, & ad originem nervorum ducta eadem ſeri copia impedimentum poſuit ſpirituum deſcenſui per totum ſyſtema nervoſum, unde privatio motus, & ſenſus in toto, cum apoplexia, & quia hoc impedimentum à ſpirituum energia in parte ablatum fuit tranſmiſſa tota materia ad unam portionem cerebri, vel alio expulſa, una pars corporis illi liberæ cerebri correſpondens ſenſum, & motum recuperavit, altera verò affecta remanſit cum continuatione deperditionis motus, & ſenſus determinatæ partis, à qua paralyſis conſtituitur.

Pro curatione inſiſtendum in ablatione hujus impedimenti, & in corroboratione cerebri, ne tantam ſeroſitatem excipiat, prohibendo ſimul hujus copioſam generationem in maſſa ſanguinea per ſalſi diſſolventis modificationem, cui ſuccedere debet corroboratio partis, ut ad ſolita redeat munia. Quod ſpero à nobis obtinendum eſſe, cum Patiens in optima ætate ſic conſtitutus, & religioſa perfectio patientiam ad longa toleranda remedia promittat.

Purgato ergo Corpore per Hydragoga cum debitis præparantibus, & ſanguinis miſſione moderata, applicatiſque Veſicantibus ſpatulis, & bracchiis, & excitato in nucca ſetaceo, ad Decoctum Salſæ, Chinæ, Santal. citrinor. & parum Viſciquercini cum Cicoraceis, & herba Paralyſi, & Iva arthetica deſcendendum per triginta dies, præmittendo ante Decoctum gr. viii. Bezoartici lunaris, & omni ſeptimo die purgando corpus cum ℥. ß. Caſſiæ n. ext. & gr. vi. Magiſterii Jalappæ, & ſi ſudor non proliciatur à dicto Decocto, ab eo excitando deſiſterem, perſuaſus à temperamenti natura valde ignea, quæ Hypocauſti calore accenſa magis, fuſionem in ſanguine periculoſiorem inducere poteſt. Poſt Decoctum, uſum hujus Aquæ conſulerem per menſem. ♃. Aquæ antiparaliticæ Quercetani ℥. ii. Seri caprini depurati ℥. iv. Tincturæ Antimonii ℨ. ß. m. A volatilibus enim validioribus ratione ſanguinis fervidi cavendum, præmittendo duo ex Bolis ſequentibus. ♃. pulveris Milleped. præp. ℈. i. ß. Salis Cranii hum. præp. ℈. ß. Coral. præp. ℈. i. Bezoart. lunar. gr. xv. Therebentinæ ℥. ß. m. f. b. num. iv. Veſpere in ingreſſum lecti accipiat Conſervam Liliorum convallium, vel Roſarum antiquam, cum Eſſentiæ Salviæ ℈. i. & Magiſt. perlar. ℈. ß. Errhyna, & Maſticatoria mane in uſu habeat. Exterius Balnea, & Luta artificialia parti affectæ adhibeantur, & in horum defectum ſuppleat Decoctum herbarum capitalium addito ſulphure, & lixivio, & poſt Balnea inungatur pars Oleo de Canibus, vel de felle deſcripto à Foreſtò ℔. x. de morb. capitis obſer. 82. quodſi à parte malè affecta liber evadat, curandum eſt poſteà refrigerantibus ſuccis herbarum, vel aqua Villenſi totius ſanguinis æſtum, & ſalſi acrimoniam emendare, & ſeroſitas minuenda vino ex Santalis parato per totum annum. In victus ratione Medico aſſiſtenti obtemperet.

CON-

CONSULTATIO XVII.

De Paralyſi Linguæ.

SAcerdos ætatis annorum quinquagintaquinque, temperamenti pituitoſi, & melancholici, capite humido, deſtillatione continua moleſtatur in Autumno ſuccedente calidiſſimæ æſtati correptus fuit capitis turbatione, cui ſtatim ſucceſſit tremor bracchii dexteri cum fornicatione, & oris tortura cum impedimento loquelæ, brevi bracchium, & os ſuo ſtatui remiſſa fuerunt, impedita remanſit, ſed non in toto loquela, & memoria non videtur conſtare; imò etiam diſcurſum ſine connexione, & interruptione habet; In loquendi difficultate ſi ei ſuggerantur, quæ dicere intendit, facilè exprimit, ſed cum aliqua balbutie.

Humida cerebri intemperies ex ſua natura apta eſt humorem in ejus ſinu ſeroſum abundanter excipere, cum per hoc fit humida, quod in noſtro Patiente ſimili temperie donato factum fuit, & eò magis cum totius temperies corporis pituitoſa abundantem dicti humoris proventum deficere non permittat, & à calore æſtatis craſſam pituitæ portionem fundente aucta fuit copia ſimilis humoris, quæ à cerebro imbibita, & non rejecta ratione imbecillitatis ſpirituum, & caloris, à declinante ætate inductæ, adveniente autumno à calore corroborato per prohibitam tranſpirationem, vel à fuliginibus per hanc retentis, agitata materia cerebri penetralia habitante, & agitatione ſpiritibus animalibus communicata, facta fuit capitis turbatio, in qua apertis magis orificiis nervorum linguæ motui ad articulationem vocis neceſſario inſervientium (quæ à calore æſtatis præcedentis aliquam dilatationem ſuſcipere potuerunt) admiſſione particularum craſſarum facta fuit obſtructio ſemiplena, dum patet aliquis tranſitus ſpiritibus, ad tardam, interruptam, ac balbutientem locutionem: quæ durat ob ſemiobſtructionem pertinacem à craſſiori humore factam. Altera portio materiæ ad nervos muſculorum genæ dexteræ delata obſtructionem totalem iu apertis, & dilatatis eorum orificiis à ſupradicta cauſa induxit, à qua impeditus tranſitus totalis ſpiritibus animalibus, ablata etiam fuit tenſio Fibris tendinoſis eorum, per quam ſervatur æqualitas cum ſuo antagoniſta; laxitate eis conciliata, à contrario in tenſione exiſtente totus muſculus attractus eſt verſus illud, unà cum inclinatione oris ad eam partem ſiniſtram muſculi contrarii, & quia tranſacta turbatione cerebri orificia dictorum nervorum ad ſuum ſtatum naturalem ſe reduxerunt, cum excluſione alterius ſubſequentis humoris, & portione illius obſtructionem facientis, in hujuſmodi conſtrictione expulſa materia conceſſus fuit liber aditus ſpiritibus, & os ſuo loco reſtitutum, & materia vaporoſa violenter mota, unà cum ſpiritu ad nervos bracchii delata, incolas iſtorum perturbatè agitando motum tremoris induxit, & arterioſo ſpiritui in Fibris tendinoſis, & interſtitiis carnoſis communicata agitatione, membranas titillatione, vel impulſu afficiendo formicationis ſenſum impreſſit, & brevi terminatus eſt motus hic depravatus; quia à materia vaporoſa pendebat.

Remanente interim in ſubſtantia cerebri ſeroſa, illa, ſeu pituitoſa, ſed ſubtili colluvie, laxatæ fuerunt Fibrulæ ejus ſubſtantiam componentes, & præcipuè circa illam partem, in qua ſenſus communis reſidet, & in hujuſmodi relaxatione ablata fuit illa modificatio à Fibris, quæ eis impreſſa fuit à ſpiritibus, ab objectis externis motis, ſeu potiùs à ſenſu communi, per quam modificationem repreſentabantur qualitates, & paſſiones, & modi ſubſtantiæ objectorum externorum, quorum motu talis modificatio introducta fuit, & in hac modificatione Fibrarum conſiſtit memoria: Unde hac ablata memoria concidit; fit enim memoria, vel exercetur, dum Fibræ illæ modo ſuperiùs dicto modificatæ, per ſolam impulſus varietatem ab objectis externis, vel à ſenſus communis organo, verſus hoc moventur motu mox dicendo, hic impulſus habetur ope nervorum, qui in extremitate organi ſenſus exiſtentes correſpondent etiam cerebro, & motus impreſſus ab objectis externis extremitatibus nervorum diramatis per organa ſenſuum externorum imprimitur ſtatim principio nervi in cerebro radicato circa ſedem ſenſus communis, & ſpiritibus in eo exiſtentibus, quibus mota pars, in qua reſidet ſenſus communis, in hoc motu percipit ſenſus prædictus naturam objecti moventis immediatè extremitatem nervi, & ſenſus communis motus movet Fibram cerebri ei proximam, & tali motu ſic diſponit, & modificat, ut ſi dicta Fibra impellatur in organum ſenſus communis, ſua modificatione illud moveat, ſicut motum fuit ab objectis externis motis, & ita per motum Fibrarum modificatarum impreſſum organo ſenſus communis recordamur objecti etiam abſentis, aliàs à ſenſu communi percepti; dum verò à ſuperfluo humore tollitur à Fibris iſta modificatio, tollitur etiam memoria, & ſi diminuatur modificatio, dimidiata etiam remanet memoria.

Eadem materia in vaporem artenuata, vel ſua fluxibilitate ſucco nervoſo admixta ſpiritum animalem offuſcat, & ſua opacitate diſcurſum quodammodò ſanum impedit, cum ad hunc anima ſpiritu lucido indigeat: ab eiſdem vaporibus irregulari motu agitatis à calore interno, & ſpiritibus mixtis, modò una ex dictis fibris, modò altera excitatur, & pro harum motu de re ab eis repreſentata ſermo habetur, & quia aliquando fibræ motæ res nullam connexionem inter ſe habentes repreſentant, ideò diſcurſus ſine connexione evadit. Difficultatem etiam in loquendo experitur, non ſolùm ob impedimentum linguæ, ſed etiam, quia nec clarè, nec diſtinctè, ſed confusè ſuæ imaginationi, vel intellectui offeruntur notiones illæ, quas exprimere intendit, & quia dum ſugeruntur claritatem in his acquirit, ideò diſcurſum proſequitur.

Pro curatione, collecta aquei, & pituitoſi humoris quantitas in cerebre eſt exſiccanda ſenſibiliter, & inſenſibiliter. Secundò temperies humida capitis corrigenda, & humoris pituitoſi generatio nimia prohibenda. Tertiò linguæ obſtructio tollenda, ejuſque debilitas auferenda corroboratione, has indicationes adimpleri poſſe non deſpero.

Quo ad primum ergo, præmiſſa purgatione primas vias reſpiciente, alteram conſulo pro expurgatione humoris pituitoſi in toto redundantis prævia præparatione, & ſanguinis miſſione poſt quam toto tempore purgationis utendum erit Errhinis, & Maſticatoriis ad exonerationem capitis à ſuperfluo humore, & hoc, ne à Decocto mox deſcribendo, unà cum Hypocauſto pro ſudore excitando liquata materia in toto, & in parte cumulata, majora, & improviſa inferantur damna. Decoctum parabitur ex Ligno Sancto, Salſa, & Viſcoquercino, cum herbis capitalibus Roſmarino, Salvia, Pulegio, Camedryos, & in Hypocauſto ſudabit omni die poſt duas horas à Decocto, & in hujus uſu perſeverandum per triginta dies, & omni ſeptimo die purgatio inſtituenda cum Pilul. Cochia. ʒ. I. Magiſt. Jalappæ gr. x. Merc. dulc. gr. viii. cum Syrupo de Stœchade reformatis. Tranſactis quindecim diebus Decocti ei addantur ſpiritus Fuliginis gutt. vi. Hoc terminato ſecundæ intentioni locus erit, & huic ſatisfaciemus cum hac Aqua. ℞. Aquæ Antiparaliticæ Quercetani ℥. ii. Pulegii ℥. iii. elixir proprietatis gutt. viii. m. præmittendo bolum ex ʒ. ß. Caſtorei, Salis Cornu Cervi volatilis gr. vi. Extracti baccar. Juniperi ℈. I. m. & his utendum per quindecim dies. Ante cubitum ʒ. ß. Mitridati aſſumat; Pro qua intentione parandum erit Vinum medicatum cum Ligno Viſcoquercino, & Sancto, radice Peoniæ, baccis Juniperi, foliis Roſmarini, & aliorum capitalium bibendum in menſa prima vice, quo prohibebitur humoris pituitoſi generatio, quod ut efficacius obtineatur, ſequenti confectione utatur omni mane per menſem. ℞. Specier. Diambræ, Diamoſchi an. ʒ. I. Salis Abſynthii, Roſmarini an. ℈. I. cum Saccharo in aqua totius citri diſſol. f. Morſeli, & dividantur in quinque partes æquales. Quo ad tertium, colluatur os ſæpè cum Vino, in quo infuſa fuerint, & bullierint Calendula, Stœchas, Roſmarinum, & Radix Impetatoriæ, Galangæ, & Seminum ſinapis, maſticetur Nux muſcata, & illiniatur lingua cum Melle ſcilitico mixto, cum oleo ligni Coryli, vel cum ſucco Salviæ, & oleo nucum recenti, addito pauco Caſtoreo illiniatur. Valent etiam ad hoc grana Peoniæ detracto exteriori cortice maſticata

cata omni mane, & deglutita ad quantitatem nu. 30. & ſuccus urticæ attractus per nares ſæpè ab aliquibus pro ſecreto ad recuperandam loquelam habetur. Cauteria in bracchio, vel in ſincipite inurantur, & omni menſe utatur ſale vitrioli pro vomitivo ad ℨ. 1. ſumendo per tres dies poſt Mitridatum ad ℨ. 1. cum jure Decoctionis Cinamomi. Victus ratio à Medico directa aſſiſtente plenè obſervetur.

CONSULTATIO XVIII.

De Incubo.

NObilis Vir ætatis annorum triginta, temperamenti calidi, & humidi cum aliquali dominio bilis, venationi deditus una die in tali exercitio violenter defatigatus fuit, ſerò copioſæ cœnæ indulſit, in nocte dormiens in ſomnium paſſus eſt, quo repreſentabatur ab homine pectori ſuo incumbenti ita comprimi, ut reſpirare non poſſet, manibuſque jugulum conſtringi cum ſuffocationis periculo, itaut nec vocem poſſet emittere ad auxilium invocandum, nec vires exercere pro invaſoris repulſione, expergefactus reſpirationem paulatim recuperabat, ſed cum tremore, & ſaltibus cordis.

Hic affectus dicitur Incubus, cujus cauſa formalis eſt prohibitus influxus ſpirituum animalium, non ſolùm ad muſculos thoracis, & pulmonum nervos, & ad Diaphragma, ſed etiam ad cardiacos nervos, & totius corporis; Reſpiratio enim fit per pulmonum, muſculorum thoracis, & Diaphragmatis motum, & hic à ſpirituum influxu per nervos exercetur, conſequenter ex reſpiratione inſigniter læſa præſupponendum eſt impedimentum in ſpiritibus animalibus divertens iſtorum curſum ad partes illam perficientes, quæ ſunt ſupradictæ. Cor affici in hoc affectu, ejus inordinatus motus ab excuſſione ſomni manifeſtatus ſatis probat, & debilitas totius, & impotentia ad conatus exercendos totum ſyſtema nervorum pati perſuadet, quatenus enim ſpiritus animales non deferuntur ad cor in convenienti quantitate, ſequitur in eo debilis motus ſanguinis, exiguum iſtius in cordis ſinum dilabi permittens, unde reliquum in vaſis pulmonum ſtagnare cogitur ad plenitudinem eorum, qua pulmonum ſubſtantia comprimitur, & ab hac compreſſione ſenſui communi fit illa impreſſio, quæ quandoque illi facta fuit, vel fieri poſſe cognoſcit à pondere externo pectus opprimente, unde imaginatur à ſimili, in hoc affectu reſpirationem impediri, ex quo ſequitur, quòd ſupini tantùm hanc difficultatem reſpirandi experiuntur, huic affectui ſubjecti, quia à pondere humorum pars ſuperior pulmonum comprimitur, & ad coſtas dorſi impellitur pars inferior, cum impulſu, & violentia, & ibi à reſiſtentibus coſtis pars adjacens compreſſa, ubique in tota pulmonis ſubſtantia compreſſionis ſenſus percipitur, ubi verò in latus devolutus eſt Patiens non fit talis compreſſio; nam ſi ſupra dexterum quieſcat, pars pulmonum ſiniſtra cùm non poſſit allidi ad corpus durum, cum tota adhæreat parti dexteræ molli, & à coſtis diſtet multum, patet non poſſe contingere in hac, eam oppreſſionem contingentem ſupino corpori. Talis compreſſio fit major, cùm nervi non ſufficiant ad movendum partes reſpirationi dicatas, pro expulſione humoris ad plenitudinem in vaſis ſupradictis coacervati, unde cum novus ſemper adveniat compreſſionis modus, ſemper augetur eadem plenitudo in venis jugularibus contingens, muſculos gutturis, tàm internos, quàm externos comprimens, jugulantem repreſentat modo ſuperiùs deſcripto de reſpiratione impedita; pari pacto obſtructio in toto nervoſo ſyſtemate illi impotentiæ ad exercendos conatus cauſam præbet, ſicuti ad vocem edendam impedimentum ponit. Hæc obſtructio, quia parum durans, nec veſtigia poſt ſe relinquens demonſtrat, à materia facilè ſolubili, qualis eſt vaporoſa pendere, & talis fuit in noſtro Patiente à copioſo cibo, & potu elevata ad caput, quæ inveniens poroſitates cerebri ferè vacuas à diſſipatione ſpirituum multorum, & ſucci nervoſi per defatigationem totius diei in violento exercitio, nullo obſiſtente, (quia reliqui ſpiritus debiles) eas penetravit, non ſolùm cerebri, ſed uſque ad eas cerebelli pervenit, ſubſtantiamque poroſam nervorum ab utraque parte exeuntium impedimentum clauſit, ſi non totali partiali, ut debita copia ſpirituum impediretur ad partes, à qua poſteà ſupradicta evenerunt ſymptomata, & obſtructione aliarum poroſitatum cerebri ſomnum profundum effecit; ſenſim poſteà attenuata materia vaporoſa, & exhalante, vel à calore partis, & vi ſpiritus animalis corroborati victa, ſuus cordi reſtitutus fuit motus, & ſanguis ad plenitudinem in pulmonicis vaſis collectus, cum impetu, & inordinatione illius ventriculos irruens in copia, palpitationem, vibrationem, & tremorem cauſavit, vel quia cor, quamdiu à ſuis motibus cohibetur, exerendis valdè laborat, quam primum verò reſtituitur intra juſtos limites ſe continere nequit, quin totas vires ſimul exerat, unde nimis à debito ſui motus officio diſcedit proprium motum accelerando, non ſecùs, ac virga, quæ ſi aliquandiu flexa detineatur, mox remota vi, impetu quodam ſuo ſtatui primo ſe reſtituens, trepidationis, ſeu vibrationis motum per longum tempus init, ita hoc ſymptoma explicat Villiſius de Incubo.

Unde pro hujus curatione evacuanda materia vaporum minera cum Pilul. Agregat. & Maſticin. an. ℨ. 1. poſtea præparandum, quod reliquum eſt cum Acetoſo s. Syrup. de Cort. citri an ℥. ß. Aq. Abſynthii, Meliſſæ an. ℥. iii. Tart. vitriol. ℈. ii. Miſſo ſanguine à bracchio ad ℔. 1. & poſt ſeptem dies iterum purgandum cum ſupradictis pilul. vel Mel. roſ. ſol. ℥. v. cum infuſ. ℨ. 1. ß. Agarici recent. trociſ. & per quatuor dies continuos ℔. v. vel vi. Aquæ Tetutii uſurpandæ cum ſuo vehiculo ad majorem emundationem primarum viarum, quibus peractis, ſanguis ab hemorroydibus poterit mitti. Secundo loco corroborandum caput infraſcripto pulvere. ℞. rad. Peoniæ ℨ. ii. Salis Roſmarini, Salviæ, Majoranæ an. ℈. ii. Salis Succini ℈. 1. Cranii hum. præp. Margarit. præp. an. ℨ. 1. Antimonii diaph. ℨ. ß. dividantur in quatuor partes æquales, & ſumat cum aqua aliqua Antipopletica, vel Antiparalitica, vel cum aqua Liliorum conval. vel Ceraſor. nigr. vel theriacali. Vinum Abſynthio pontico, vel baccis Juniperi paratum erit ſufficiens ad præſervandum à tali ſymptomate ſervata victus ratione.

CONSULTATIO XIX.

De melancholia per eſſentiam, cum vigiliis, totius extenuatione, & puſtulis ulceroſis ſub mento.

CLericus nobilis, temperamenti calidi, & humidi cum aliquo bilis exceſſu, ætatis annorum quadraginta, animoſus, & in ſuis operationibus promptus, in victu, & potu ſummè intemperans, & venationi deditus, poſt animi paſſionem, mærorem conciliantem cœpit familiares odio proſequi, & quidquid ab eis in ſua præſentia loquebatur, & operabatur, in ſui deriſum, & contemptum vertit, ex quo in furorem aliquando erumpit, ab omnibus ſe occidendum putat, itaut ex cujuſcumque rei motu in timorem incidet, amicos omnes à ſe expellat, de ſua æterna ſalute deſperat, unde ſemper cogitabundus, in his cum ſumma afflictione permanet, ab omni ſocietate abdicatus ſponte, & ex fixa horum cogitatione ſeptimanas ferè inſomnes ducit, dies ſine cibo tranſit, unde emaciatus vix pedibus ſtare poteſt, puſtulæ ante hos affectus ſub mento, & in gutturis regione eruperunt, quæ multam illius partem excoriarunt; A febre ſemper immunis perſiſtit.

Deſcripta hiſtoria, Melancholiam ſymptoma facultatis imaginatricis repreſentat, cujus eſſentia communiter ſtatuitur eſſe deſipientiam ſine febre, & furore, cum metu, & triſtitia conjunctam. Ubi animadverto deſipientiam ſtare ſolùm reſpectu imaginationis in hoc affectu, quidquid in contrarium ſtatuerint alii læſionem in ratione, & intellectu reponentes, quia licèt non negem has potentias in hoc affectu lædi, cenſeo tamen læſionem non eſſe in his fundamentaliter, ſed ſolùm per læſionem imaginationis, quæ intellectui repreſentando res deformes in ſe inducit Intellectum ad deductiones deformes, & male fundatas eliciendas, ſed præſuppoſita objecti deformitate, vel phantaſmatis, non poteſt non elicere dictas deductiones, quæ cum in ſe impoſſibilitatem non contineant,

illis aſſentitur non adhibita animadvertendum à neceſſaria pro earum correctione, unde ſi in aliquo peccat, in inadvertentia ſolùm peccat, quæ læſionem talis facultatis non inducit; & quamvis certum ſit imaginationem lædi dependenter à ſpiritibus, & magis remotè à ſanguinis maſſa, modum tamen talis læſionis imperſcrutabilem meo judicio exiſtimo, cùm nos lateat modus individualis, & cum ſuis circumſtantiis, quo imaginatio ſpiritibus utatur pro ſuarum operationum exercitio, unde aliquid pro noſtra intelligentia dicere poſſumus, ſed ſine integra modi lædendi cognitione.

Cùm autem, ut dicebam, certum ſit læſionem imaginationis pendere à depravata ſpirituum, & ſanguinis conſtitutione, in hujus ponderatione, indaganda prædictorum effectuum cauſa.

Eſſe in hoc Patiente malam ſanguinis conſtitutionem, intemperata victus ratio nos certos reddit, qualis autem ſit in ſe, dico primò eſſe acidam, & hoc demonſtratur à mœrore, quo ob animi paſſionem afflictus diu fuit, cùm illius impreſſio ſpiritus animales valeat diſſipare, vel concentrare, ut languor operationem in mœrore diuturno comprobat, reſidui à diſſipatione, vel concentratione, tardi ad motum redduntur, ut omnium facultatum lenta executio convincit, ab hac ſpirituum reſolutione, & motu tardo evenit, quod nervis in omnibus corporis glandulis implantatis non tantum ſpirituum infunditur animalium, quantum ſufficit ad dulcificandum lymphaticum humorem in eis præparatum ex ſui natura acidum, unde aciditas excedens lympham præparatam inficit, non ſolùm illam glandularum, ſed illam quoque, quæ unà cum ſanguine per lienem fluit, & quæ eſt reſidua illius materiæ, pro ſucci nervei, & ſpiritus animalis generatione inſervientis, & quæ dulcificari pariter debet in liene à ſpiritu animali in eo derivato à natura per copioſas nervorum ramificationes per dictum membrum ſparſas, neceſſaria autem erat dulcificatio prædictæ materiæ, cùm ſit tamquam fex laticis nutritii, quæ ſemper aciditatem, vel auſteritatem habet à ſale fixo, vel tartaro in dicto latice ferè ſemper diſſoluto in particulas craſſiuſculas, & ſi contingat non dulcificari, ut contingit in defectu ſpirituum animalium, aciditatem excedentem acquirit, & fixam, cum particulæ acidæ à ſpirituum defectu non potuerint volatilizari.

Lympha aciditate ſuperflua peccans ſanguini conjuncta illum incraſſat, & quadam coagulatione conſtringit, prout eſt proprium omnis acidis fixi, & cum eo coagulat in multa parte ſpiritum illum ſalſum volatilem fluiditatem ſanguini conciliantem, & generatum ex effervescentia Acidi, & Alkali in maſſa ſanguinis exiſtentis, & ex concurſu bilis, & acidi pancreatici, quod ſanguini poſteà conſignatur; ex horum enim unione etiamſi volatilizata fuerint, fit ſalſum, prout omnes norunt naturæ ſcrutatores, & ſi hoc ſalſum fixatum in ſanguine remanet prohibita ejus actione ſanguinem attenuandi, & volatilizandi, & aciditate ſumma prævalente hac totus coinquinatur, & concepta ab hac acrimonia corroſiones ſub mento effecit.

Ab hujuſmodi ſanguine non ſolùm paucitas ſpirituum, ſed ab hoc materia etiam craſſa ſuppeditatur, pluſquam conveniat, eorum tenuitati, & puritati, quæ involvens particulas acidas ei firmiter annexas potiùs ſpirituum conſtrictioni, & tarditati concurrit, quàm effervescentiæ, quam diximus fieri in motibus convulſivis, & Epilepſia, quia hoc acidum melancholiæ eſt fixum, & auſterum, & magis ad conſtrictionem, quàm ad diſſolutionem facit, & potiùs ſedat, quàm provocet effervescentiam ob ſuas partes terreas, & fixas, quæ totius attenuationem difficultant, ad effervescentiam neceſſariam; Et his particulis terreis irretiendo contrarias particulas, eaſque fixando dictam effervescentiam impediunt. Et hoc patet in alumine, quod Cereviſæ fermenteſcenti infuſum fermentationem ſedat; Sic acidum melancolicum factum auſterum, quia fixum craſſum, & terreum mixtum ſpiritui animali non ſolùm init effervescentiam cum iſto, prout facit acidum volatile ſulphureum, ſed motum etiam naturalem ſpirituum dictis conditionibus minuit, & retardat, eo modo, quo alumen Cereviſæ fermentationem ſedat; Idcircò ab hoc acido auſtero non fit illa effervescentia, quæ fit ab acido ſulphureo volatili Epilepſiam, & Convulſionem efficiente, ſed illa craſſities ſanguinis, & ſpirituum motus debilis per virtutem illius fixativam, à quibus rectè explicantur omnia melancholiæ ſymptomata, ut conſideranti patebit, & hujuſmodi doctrina tota ab antiquis deſumpta eſt, à quibus melancholia acida, & fixans, vel incraſſans humores prædicatur, licèt forſan diverſo modo hi melancholiæ effectus à recentioribus explicentur.

Hoc ſuppoſito de ſanguine, & ſpiritu animali, ſupponenda ſunt alia ad ſenſationes ſpectantia, & ad imaginationes, & primò.

Senſus fit dum objecta ſenſibilia motum extremitatibus nervorum in organo ab eis affecto imprimunt, qui motus continua undulatione per ſpiritus, & nervos in momento temporis principio nervorum communicatur in cerebro, & ab hoc ad organum ſenſus communis circa nervorum principia exiſtens, vel ſupereminens transfunditur, & iſtius motus perceptione qualitates objecti ſenſibilis organum externum afficientis percipit per ſuas inſitas, & innatas ideas.

Secundò, ſenſus communis circa iſtam perceptionem multifariè ſe habet, nempè illam diſtinctè, vel confusè apprehendendo, quando diſtinctè circa eam verſatur objectum, ſicuti eſt in ſe percipit, quando verò confusè, notitiam de objecto imperfectam percipit. Hoc modo percipit, quando motus ab objecto impreſſus ſpiritibus alteratur per horum conſtitutionem, vel nervorum conformationem, dum ratione horum poſſunt concurrere ad efficiendum, quòd motus prædictus, vel ſit velocior, vel remiſſior, vel minus penetret, vel magis, quàm conveniat motui objecti, quia cùm talis ratio motus non ſit ex toto conveniens, confuſam etiam cognitionem de eo parit; Spirituum etiam opacitas ad hoc facit; in hac confuſa imaginationis perceptione concurrit etiam iſtius potentiæ inadvertentia, ad conferendum inter ſe omnes notiones objecti perceptas ad hoc, ut noſcat quænam conveniant, & quænam diſconveniant cum univerſali notione talis objecti, ex qua conferentia poteſt emendari error contingens, vel ex parte ſpirituum, vel organi in alteratione motus ab objecto tranſmiſſi. Hinc eſt, quòd in tali notione confuſa exiſtens imaginatio, cum tali inadvertentia percipit rem aliter, ac eſt, & quando connexionem habet cum aliquo præjudicio mentis antea contracto, movet ſpiritus quoſdam unitos cum illis motis ab objecto, & cum tali modificatione, quæ ſit apta movere imaginationem ad percipiendum illud præjudicium jam antea conceptum, unde ſtatim rem illam cum tali præjudicio connexam percipit. Diſtinctè cognoſcitur, quando motus ab objecto veniens imprimitur in organo ſenſus communis non alteratus, & in eo organo ſpiritus ſunt clari, & lucidi.

Tertiò, motus in organo ſenſus communis impreſſus illud movet, & impellit verſus aliquam partem cerebri medullarem fibrulis tenuiſſimis intertextam, & in iſto appulſu transfunditur motus ille in unam ex dictis fibrulis, quæ ita modificatur ab illo motu, & diſponitur, ut quotieſcumque ſe moveat verſus organum ſenſus communis, in eo excitet motum ſimilem omninò motui ab organo communi illi impreſſum in ſuo appulſu ad illam, & quem ſenſus communis per nervos ab objectis externis receperat, ideò quotieſcumque fibrula illa modificata impingit in organum ſenſus communis, edit in illo motum ſimilem illi ab objecto impreſſi, & ita per hunc motum recordatur ſenſus communis illius objecti, & quia cum tali motu fibrulæ eſt etiam conjunctus motus additus repreſentans præjudicium jam conceptum, idcircò quotieſcumque recordatur de illo objecto, recordatur etiam de præjudicio.

Quartò, quando anima, vel amat aliquod objectum, vel aliud timet, continuo influxu ſpirituum fibrulas illas, in quibus primò impreſſa fuit modificatio repreſentans talia objecta impellit in organum ſenſus communis, ideòque cogitur ex continuo hoc appulſu recipere tale objectum, dum movetur eo motu ſimili illi, quem recepit à ſenſibus externis in prima perceptione talis objecti. Fit autem hic continuus influxus ſpirituum mediante Anima, quia hæc ardenter amans objectum, cum illo uniri optat; Sicuti aliud timens ab eo fugere ſemper cupit, ideò meditans ad hoc media ſemper talia objecta imaginationi proponit, etiam pro delectatione ſui, ab

objecti

objecti amati conſideratione reſultante, & pro fuga ab eo, quod ei noxium comprehendit, & ex continuo hoc influxu ſpirituum adeò aperitur via ab emporio illotum ad dictam fibram, ut etiam anima non implllente, fluant dicti ſpiritus ad movendam illam fibram, unde etiam anima non cogitante fit repreſentatio objecti ſenſui communi.

Ex his facilè poteſt ad aliqualem intelligentiam reddi ratio ſymptomatum hujus Patientis, nam ex præjudicio concepto de deriſione, & contemptu propinquorum erga ſe ipſum, & orto, ex ſola inadvertentia mentis negligentis ea conſiderare, & conferre, quæ cum ſuis conjunctis evenerant, factum eſt, ut cum motu repreſentante ea, quæ loquebantur, vel operabantur ſui conjuncti in ejus præſentia, adjungeret ſpiritus cum tali motu modificatos, ut ſufficerent ad repreſentandum contemptum, & deriſionem conjunctorum, juxtà dicta ſuppoſiti ſecundi.

Sic ex operatione alicujus, vel ex dicto ſuſpicatur de mala illius voluntate contrà propriam perſonam, ob confuſam perceptionem operationis, & ſermonis, & ob inadvertentiam conſiderationis omnium circumſtantiarum, vel collationis cum aliis rebus, quæ majorem cognitionem, & diſtinctionem illius ſermonis, & operationis tribuere poſſint. Huic ſuſpicioni adjungit circumſtantiam ab eodem meditari ſui necem, ex præjudicio à timore orto; & quia ab hoc periculo evadere contendit, idcircò in hac repreſentatione diu ſe figens, vel ad quærenda media pro defenſione, vel ad modum vindictæ inveniendum, continuo ſpirituum influxu hanc ideam imaginationi offert juxtà dicta ſuppoſito tertio, itaut ſpiritus ſine anima cogitante ex patenti nimis via ad fibram, in qua adeſt modificatio repreſentans timorem ſuæ necis continuo influxu in eam contendant, & continuo motu in organum ſenſus communis impellant, à quo motu hæc potentia continuò apprehendit timorem necis, juxtà dicta in præcitato ſuppoſito.

Quapropter viſo quocumque homine cum motu impreſſo ab hoc, & à quo movetur non ſolùm ſpiritus in nervo exiſtens, ſed etiam organum ſenſus communis, moti etiam ſunt ſpiritus verſus fibram modificatam ad repreſentandum necem meditatam ab homine ſuſpecto, quæ ſua motione ſenſum communem afficiendo hunc ad mediatæ necis conſiderationem excitat, & obviantem hominem, ex timore hanc eſſe executurum ſibi perſuadet; ex vi hujus timoris in æternæ ſuæ ſalutis deſperationem incidit, dum in conſideratione tranſgreſſionis divinæ legis cognoſcit etiam æternæ damnationis reum eſſe, & à timore univerſali, extremum in hac re percipiens, omnem ſpem amittit, dum à magno, & extremo timore præjudicium oritur impoſſibilitatis ſuæ ſalutis, extinguendo omnem ſpem, quæ non niſi in impoſſibilia fertur; & quia hæc eſt maximè afflictionis animæ, ſemper in hanc intendit continuo influxu ſpirituum ad fibram cerebri modificatam ad repreſentationem tranſgreſſæ legis, cum præjudicio impoſſibilitatis veniæ; quæ omnia non advertente anima imaginationi repreſentantur ob dilatatam ſpiritibus viam juxtà dicta præcitato tertio ſuppoſito.

Timoris univerſalis cauſa eſt ſanguis, ut ait Villiſius in capite ſecundo de Melancholia, qui ob particulas ſalinas exaltatas minùs inflammabiles, nec in pulmonibus ſatis accenditur, neque intra cordis, & nervorum ductus flamma ſatis clara, & copioſa ardeſcit, ſed hæc flamma talis eſt, qualis externa, quæ ad venti cujuſvis flatum reprimi, & penitùs exſufflari apta eſt. Hinc cum flamma vitalis tàm tenuis, & languida ſit, ut ad motum omnem nutet, & trepidet, nihil mirum, ſi patiens velut animo ſubſidente, & ſemiobruto triſtis ſemper, & meticuloſus exiſtat; dum hujuſmodi ſtatus per nervos imaginationi refertur, hæc ex perceptione debilis, & tardi motus cordis, unà cum perceptione parvi caloris, timorem, & metum percipit, unde talis ſtatus cum timore ſemper conjungitur, & quia aliquando ex imaginato contemptu, imaginatio plures ſpiritus ad nervos cordis tranſmittit, illud ad majorem motum excitans, hinc fit in eo major efferveſcentia ſanguinis, & in vicinis partibus, unde ita.

Hinc patet, errores ab imaginatione conceptos partim pendere à ſanguine, & ſpiritibus, partim à præjudiciis conceptis; iſta aliam medelam non exigunt, quam à ratione. Sanguinis mala conſtitutio in ſpirituum depravationem concurrens eſt emendanda per ea, quæ acidum oppugnant unà cum depuratione ſpirituum, per ea, quæ craſſitiem tollant, motum, imprimant, & luciditatem concilient.

Quod aſſequi, quamvis difficile ob morbi contumaciam, & Æger inobedientiam, attamen ſperandum.

Purgato ergo corpore remediis blandis, & quæ expiationem primarum viarum reſpicient cum miſſione ſanguinis; Dulcificanda, & attenuanda Maſſa ſanguinis Succo Boraginis, Meliſſæ, & Agrimonii an. ℥. i. cum Aqua Fumariæ, & Raphani Sylveſtris an. ℥. iii. m. & per quindecim dies in his inſiſtendum quolibet ſeptimo die tranſacto ſumendo Pilul. tartar. Quercetani ad. ℈. ii. vel ʒ. i. pro natura Patientis, & habita conſideratione ad ſtipticitatem, vel lubricitatem, poſteà ſeto lactis utendum ad ℔. i. cum. ℥. ii. ß. Syrup. de pomis, tincturæ lapidis Lazuli ℈. i. ß. per viginti dies præmittendo Bolum ex gummi Ammoniaci ʒ. ß. & Croci Martis aperientis ℈. ß. omni quinto die prædictas Pilulas reiterando, quibus, ſi non cedat affectus, ad Tincturam Antimonii, vel ejus Sulphur, ſecundùm Villiſium præparatam, vel Techenium tamquam ad extremum dulcificativum ſanguinis eſt deveniendum cum aqua appropriata, ut ♃. Flor. Borag. Bugloſæ, Meliſſæ, Fumiterræ, Scolopendriæ an. m. iv. corticum exter. aurantii nu. viii. Limonum nu. vi. Lumbric. vino albo lotorum ℥. iv. contuſis omnibus affunde ſeri caprini ℔. iv. Succi Pomorum ℔. ii. deſtillentur S. A. hujus aquæ. ♃. ℥. iv. Tinct. Antim. gutt. xvi. Tinct. Chalybis gutt. x. Elixir. prop. ſecundùm deſcriptionem Elmontii ʒ. ii. m. continuando per xx. dies poſteà capiti providendum cum pulvere ſequenti ♃. Margarit. præp. Eboris, Oculor. Cancri, Coral. præp. an ʒ. i. Cinnabris nati. pluries per ſublimationem rectif. ʒ. i. ß. Specier. lætific. Gal. Pliriſarcoticon an. ʒ. ii. dividantur in octo partes æquales, quarum unam ſumat mane ante prandium, alteram ſerò poſt cœnam cum Aqua Borag. vel Ceſar. nigror. In menſe Julii Balneo Aquæ dulcis utatur, & ſi affectus perſeveret, Syrup. de Eelleboro nigro ſecundùm præparationem Quercer. omni die per tres ſeptimanas accipiat, & ſerò poſt cœnam ſumat gr. vi. Ambræ griſæ in Vini ℥. ii. optimam ſervando victus rationem.

CONSULTATIO XX.

De Mentis ſtupiditate cum læſione memoriæ, & virium imbecillitate.

Chirurgus temperamenti calidi, & humidi ſecundùm totum, cum pituitæ ſubdominio, ætatis annorum quadraginta quinque in vini potu delinquens, ab hyemis præteritæ excedenti frigore ſecundùm caput capillis denudatum adeò moleſtatum fuit, ut dolorificam ſenſationem continuò à frigore perſentiret, in vere cœpit conqueri de virium debilitate cum memoriæ læſione, itaut aliquid agere cupiens, perveniens ad locum deſtinatum, in quo præconceptum opus eſſet agendum, ibi anceps manet, & varia volvens nihil determinat, ſemper ſtupidus, & velut cogitabundus manet cum propenſione ad ſomnum, & ſenſu præfocationis in partibus ſpiritalibus, itaut in uno loco quietus manere non poſſit locum ſæpè mutando, etiam in conventibus publicis, itaut delirare judicatum ſit, ipſe tamen fatetur locum mutare ob illum ſenſum præfocationis, à quo ſummè moleſtatur, & hanc moleſtiam alleviari percipit per motum, quem reiterat locum ſæpè mutando; In amicorum ſocietate loquitur, ridet, jocoſa proponit.

Quamvis fixa apparens cogitatio hunc morbum melancholicum ſupponat, longè tamen ab hoc diſtare mihi perſuadet evidenter abſentia conſtitutivi melancolici effectus, qui eſt deſipientia cum timore, vel cum fixa aliqua imaginatione: Certum eſt enim, hanc in hoc Patiente non eſſe, ſicuti nec timor, cum amet amicorum ſocietatem, & confabulationem, in quibus multa cum riſu profert, jocos, dictaque acuta, & ſolidè, & cum judicio ratiocinationi miſcet; neque de aliquo timore ſede-

ſe declarat, neque hujus indicium exhibet; nec veram deſipientiam, & delirium arguere debemus ex frequenti mutatione ſitus, etiam in publicis locis, & in conſpectu numeroſi concurſus Populi, cùm de hoc rationem reddat, nempè quod à tali mutatione levamen moleſtæ ſuffocationi eum opprimenti inveniat; ſicuti veræ deſipientiæ indicium tollitur ab agendi perplexitate, ubi ad locum pervenerit, in quo aliquid agendum determinavit, cùm hoc à memoriæ defectu habeatur in aliis operibus, & in diſcurſu ſatis manifeſto; cùm enim memoria ſpecies rerum non conſervet, neque debito modo imaginationi, & intellectui proponat, facultates iſtæ depravantur ratione objecti non rectè repreſentati, vel in ſua ſpecie deficientis, unde delirii ſpecies exhibetur, dum agere intendens aliquid, ab elabente iſtius ſpecie cogitabundus remanet nihil operans, vel ad varia deſcendit intenti, & præmeditati ſpeciem quærens, & ſi vera eſſet etiam diſipientia, adhuc tamen melancholicum delirium dici non poſſet, cùm abeſſet ejus verum diſtinctivum, nempè timor, quem omninò abeſſe certum eſt, unde certum manet non affligi hunc patientem à melancholico affectu, ſed eſſe ſimplicem mentis ſtoliditatem, cum memoriæ læſione, à qua deſipientiam quandoque pendere ex dictis patet; horumque cauſa remota eſt depravata ſanguinis conſtitutio contracta à craſſitie ei impartita ab excedente frigore præteritæ hyemis, vel condenſatione huic familiari, ſecundùm antiquos, vel coagulatione ab acido-ſalſo in aere ſuperabundante, per quod acidum ſalſum principium frigoris explicant recentiores, & hujuſmodi coagulationem, & condenſationem coadjuvare valuit acidum vini generoſi in copia epoti; ab hac aciditate bilis, acrimonia, & ejus ſolvendi facultate debilitata facilè ſanguis condenſatur.

Sanguinis craſſities in cerebro puris ſpiritibus locum non relinquit, ſed eis addendo particulas craſſiores, & vaporoſas excrementitias puritatem, luciditatem, & tenuitatem neceſſariam pro integra, & inculpata ratiocinatione, & imaginatione denegant, & eiſdem particulis craſſiuſculis tarditatem in motu communicando, fixationem quamdam ſpiritus recipiunt, qua tamquam motu amiſſo ſuſpenſas ſemper tenent dictas facultates, velut in admirationis paſſione, unde ſemper cogitabundus apparet, à confabulatione verò cum Amicis per rerum apprehenſionem excitati, & moti ſpiritus, operationes exercentur, & rectè, cum jocis, & nugis: à ſanguine coagulato ſeri copia excernitur, qua exundans cerebrum in receptione materiæ pro ſpirituum elaboratione illius fibræ laxantur, ut eam diſpoſitionem amittant receptam ab objectis externis, vel à motu ſpirituum interno, in qua memoria reſidet, unde illius diminutio, etiam in rebus recenter præmediatis, dum in humidis etiam recens impreſſio faciliimè obliteratur. Ob hujus facultatis defectum oritur illa agendi perplexitas; & variorum indagatio ſine determinatione, ab hac ſeri exundatione ad ſomnum propenſio, impeditis ex aliqua portione poris viam ſpiritui parantibus ad nervos ſenſuum externorum principales miniſtros, quo impedimento aliis nervis motui totius inſervientibus poſito virium animalium robur enervatur, intercepto ſpirituum animalium neceſſariò agmine pro earum vigore ſuſtinendo; ad quod concurrit etiam eorumdem ſpirituum craſſities à craſſis vaporibus à ſanguine craſſo in cerebro curſum circulationis retardante elevatis, & dictis ſpiritibus mixtis dum iſtorum craſſitie, & obfuſcatione retardatur motus ad nervos, vel per hos fit parvus, & debilis, & otioſi velut redduntur in organis ſenſuum externorum, unde debilitas totius, & ſomnus, & hoc ſymptoma nos magis certos reddit de non exiſtentia melancholiæ, quæ conjunctas, ut plurimum habet vigilias, ob fixam in re aliqua timore plena imaginationem, unde Areteus definivit eſſe angorem animi in una cogitatione fixum abſque febre, & furore.

Hujus impedimenti in poris cerebri cauſa, nervi cardiaci tam cordis, quàm Pulmonum, non recipiunt debitum influxum ſpirituum ad talem motum in eis promovendum, qui ſufficiat ad expeditam ſanguinis circulationem, unde ſanguis in majori copia cogitur in pulmonum vaſis, remanere, & preſſione ſuffocationis moleſtiam illis imprimit, accedente ad hujus ſymptomatis augmentum ſanguinis ſupradictu craſſitie expeditam iſtius circulationem remorante, cum coacervatione copiæ ſanguinis in vaſis, & ſubſtantia pulmonum, per quam inducitur oppreſſio quaſi ſuffocativa, quæ pro motu externo mitigatur addito impulſu ſanguini pro citiori, & ampliori circulatione, unde rectus illius colligitur diſcurſus, quando de uno in alium tranſit locum, & quod pro delirio habetur; ſana eſt ratio.

Et ſuſpicio conceptæ Hypocondriacæ affectionis, tollitur cùm nullum extet indicium iſtius ex eo, quod non adſint rugitus, nec flatus, nec dolores ventriculi, nec vomitus, nec inappetentia, comites inſeparabiles talis affectionis, & ſtipticitas alvi non ſemper ſola melancholiam deſignat, cùm multi in juventute ſint ſtiptici, quos nulla vexat Hypocondriaca affectio; In hoc enim Patiente ſtipticitas alvi, à pituita excedenti in inteſtinis collecta, auſteritate ob acidum excedens depravata inducitur.

Hinc patet morbum eſſe timore plenum, majora minando præcipitia, nempè ratione propenſionis ad ſomnum, & memoriæ læſe à nimia humiditate Apoplexiam, & prohibita libera, & integra circulatione Syncopem, quapropter non ſunt procraſtinanda auxilia, acidum ſanguinis extinguendo per alkalica, eoque ſubtiliato, & rarefacto ſuperfluam ſeroſitatem evacuando ſenſibiliter, vel inſenſibiliter, non ſolùm in ſanguine, ſed etiam in capite, quod corroborandum, unà cum eis, quæ memoriæ opitulantur.

Pro quorum executione primæ viæ mundandæ melle roſ. ſolut. vel Pil. de Agarico, poſtea Syrupo de duabus, melle roſ. ſolut. cum decoct. Meliſſæ, Borag. Capil. Veneris, Agrimonii præparandi erunt humores, qui iterum purgentur cum Pil. de Agar. ad ʒ. 1. Extrac. Elleb. ad ʒ. ß. Miſſo ſanguine priùs poſt tertium Syrupum deinde magis mundandæ prædictæ viæ Aqua Tetucii per tres dies ſumpta ad libras quinque cum vehiculo Mellis roſ. ſol. ad ℥. iii. in primo Cyato. Quibus peractis mihi præ cæteris arrideret Decoctum Ligni Sancti, Viſciquercini, & Salſæ, unà cum cicoraceis, & capitalibus, à quo ſanguinis aciditas abſumeretur, & fluxibilitas conciliaretur, & ſimul exundans cerebri humiditas exſiccaretur, ſeroſaque ſuperfluas abſumeretur unà cum memoriæ reſtauratione, & ſanguineæ maſſæ depuratione. Quod ſi Decoctum non comprobatur, quamvis melius remedium excogitari non poſſit omnes adimplens indicationes ea ſeligenda, quæ acidum corrigunt, & ſanguinem fundunt, qualis eſt ſequens Decoctio. ℞. Agrimoniæ Chamedrios, Cariofilatæ an. m. 1. Acori ʒ. 1. Ligni ſaſſafras ℈. 1. f. Decoctio S. A. in ℔. 1. ß. aquæ Boraginis facta colatura. ℞. ℥. viii. ſpiritus ſalis Armoniaci gutt. viii. ſumendo ante bolum ex ſcobe chalybis minutiſſima ℈. 1, Antimonii diaph. ℈. ß. cum ʒ. ß. gummi ammoniaci in vino aromatico diſſol. & per viginti dies in horum uſu inſiſtendum; habet Chalybs quidquid convenit pro acidi imbibitione, quam operatur ſuo ſale, & pro ſanguinis attenuatione, quam ſulphureis particulis accelerat, & quia in præparatione aliquid ſemper, vel de Sale, vel ſulphure amittit, ideò integrum exhiberi melius judico, quia ſuis integris viribus utrique ſatisfacit indicationi, & omni tertio die purgandum cum ʒ. vi. Crem. tart. & gr. vi. Magiſt. Jalappæ, vel Mercurii dulciſ. gr. xvi. & ſi non ceſſerit diluentibus alkalicis, quæ magis acidum imbibunt præſcribenda, ut. ℞. Salis tart. Abſynthii, Roſmarini, Majoranæ an. ℈. ß. Mercurii dulciſ. gr. viii. therebent. ʒ. 1. m. f. b. quibus ſuperbibat Patiens ſequentem Aquam. ℞. Aquæ Fœniculi, Graminis an. ℥. iii. Syrupi de duabus ℥. 1. tincturæ Antimonii ʒ. ß. m. his enim non ſolùm ſanguis fundetur, ſed ſuperflua ſeroſitas ad urinæ partes evocabitur, quæ erat altera indicatio. Errhyna ex pulvere Bettonicæ, Majoranæ, Ireos, & Elleboro albo convenient ad materiam è capite derivandam, ſicut etiam maſticatoria ex Pyrethro, & Maſtice; Si memoria his non recuperetur, ei ſuccurrendum eſt cum Vino medicato, cum Salvia, Roſmarino, Lavendula, Stæcados, vel cum Aqua vitæ, in qua infuſa fuerint Lignum Aloes, Macis, Cubebarum, ſpicæ, Cardamomi, Galliæ muſchatæ, & Galangæ, quæ præter memoriæ reſtitutionem, bilem augendo ejuſque acrimoniam ſuſcitando omnem tollent coagulationem in ſanguine: Valet etiam ad

hoc

hoc Pulvis Abbatis Trithemii, ſicut & Confectio Anacardina, quæ in hoc Patiente temperamenti calidi, & humidi, & pinguioris habitus tutò exhiberi poteſt, hiſque omnibus accedat victus ratio.

CONSULTATIO XXI.

De dolore convulſivo gingivarum, & partium internarum oris.

VIrgo annum agens vigeſimum temperamenti calidi, & ſicci bilioſi, per æſtivum tempus ardenti calore moleſtum aeri nocturno ſe expoſuit per totum id tempus, & in locis ubi ſpirabat aura, qua caput præcipuè feriri curabat, ubi intenſum experiebatur calorem; circa Autumnum tumores in capite apparuerunt molles tactui cedentes, & minimè doloroſi, & menſes diminutè fluxerunt, & adhuc perſeverant diminuti paucis interpoſitis diebus omninò evanuerunt, ſtatimque oris amaritiem ſenſit, cum dolore præcipuè in gingivis, quæ ſummè intumuerunt, & in omnibus partibus internis oris cum tali cruciatu, ut multoties deliraret, in efferoſque ejulatus erumperet, & tales dolores capiti toti correſpondebant cum maxima totius agitatione, & debilitate, Febris ſemper aderat, & macies corporis, & ſex ſunt menſes, quod his ſymptomatibus torquetur.

Corpus humanum eſſe undique tranſpirabile, præter Hippocratis documenta, teſtantur experimenta à Sanctorio in ſua Statica adducta, & quo magis in calore temperamentum excedit, effluvia tranſpirabilia copioſiora evadunt, ita ut non liceat dubitare propoſitam patientem ratione temperamenti deſcipti prædictis abundare effluviis bilioſis, à tempore calido æſtivæ tempeſtatis à toto elevatis, quæ ab auræ motu caput maximè feriente, non ſolùm ad interiora hujus partis repercuſſa fuerunt, ſed etiam per pororum conſtipationem à frigore licèt debil prohibita fuerunt exire, unde ſimul conglomerata, & denſata in humorem abierunt, eo modo quo vapor nubem conſtituens, condenſatione in aquam fluit, qui inter cutis capitis interſtitia incluſus, in diverſiſque partibus collectus unà cum humore aliunde cuti adveniente, & majori copia ob ſupreſſos menſes, impediturque à libera circulatione per ocluſionem viarum, tumores illos efficit molles, cùm à ſola materia ſeroſa, ſed incraſſata penderent. Et quia dicta effluvia ſunt maximè fermentativa, quia volatilia, in humorem, quem conſtituerunt, turgeſcentiam, & acrimoniam induxerunt cum attenuatione, unde aperta ab hiſce qualitatibus via per partes interiores cutis ad eas oris deſcenderunt, quod demonſtravit amarities continua oris, quæ correſpondet naturæ humoris ex concretione effluviorum bilioſorum, fibraſque nerveas, & membranoſas harum partium mordicando dolores illos efferos induxerunt capiti correſpondentes; membranis tàm cerebri, quàm nervorum in contractiones ſpaſmodicas deductis, dependenter à connexione, quam conſervant membranæ, & nervi oris cum membranis, & nervis cerebri, imò materia illa fermentativa his partibus impreſſa, inordinationemque in ſpiritus harum hoſpites inducens, hanc ad ſpirituum regiam ſucceſſione motus transfert, eo modo quo parva aquæ portio in lacu à ſaxo mota, conceptum motum ad magnum ſpatium extendit plures, & magnas aquæ partes movendo, ſic ſpiritus, & nervi oris inordinatè moti in parva parte movent illos ſuperiorum partium dicta inordinatione, & hi alios ſuperiores, & ita ſucceſſivè talis inordinatio pervenit ad ſpiritus incolas ſubſtantiæ cerebri, qui ſua perturbatione phantaſmata pervertendo delirium cauſant, & ex una parte conſumptis ab hac motus perturbatione ſpiritibus in conſiderabili copia, & ex altera impedito etiam libero tranſitu eorum ad nervos, partium debilitas prodiit, ſpirituum conſumptionem, vel eorum impeditam irradiationem ſequens, hic ſpirituum defectus, vel impeditus influxus maciem ſecum trahit, vel quia in ſpirituum deficientia partes concidunt, & ad minus ſpatium ſe conſtringunt illarum poroſitates, quæ à ſpirituum abundantia, ob eorum energiam, velut tumefactæ majori ſpatio circumſcribebantur, & poroſitates anguſtæ minimam ſanguinis copiam recipiunt, quæ eſt inſufficiens ad reparandum illud, quod deperditum fuit, unde macies, vel quia unà cum ſpiritu deficit fermenti partium, neceſſarium motivum, & excitativum, qua de cauſa illarum actio nutritiva, & aſſimilativa ſuſpenditur cum macie, & qui influit ſpiritus inordinationem in capite ſuſceptam retinendo, fermentum partium non movet, ea conditione motus ad aſſimilandum nutrimentum neceſſaria, menſes ſupreſſi excrementa acria, quæ cum ſanguine menſtruo expurganda eſſent intra cruoris maſſam relinquendo, ab his acrior reddita ad nutritionis officium inhabilis fit, eadem acrimonia communicata ſpiritibus per nervos cardiacos diſcurrentibus motum cordis inordinatum, & febrilem efficit juxtà ſententiam Borelli in libro de motu Animalium.

Hæc omnia foventur à menſium fluxu diminuto, dum excrementa bilioſa, quæ tali beneficio evacuarentur affectis partibus demandantur: exiſtimando menſium diminutionem non fuiſſe primariam cauſam horum affectuum, ſed extrinſecam ſuperiùs enumeratam, aptam producere tales affectiones morboſas, prout oſtenſum fuit ex dictis.

Cauſa hujus diminutionis poteſt refundi in præcedentem calorem æſtivum, à quo deflagrata maſſa ſanguinea ad conſumptionem partium ſubtilium, pro magna parte craſſitiem contraxit, impedientem illius fluxum per ultimas vaſorum extremitates uteri, & hanc craſſitiem fovet ſpirituum conſumptio magna, à dolore facta, & ſpirituum animalium defectus, qui inſervientes pro effervеſcentia ſanguinis neceſſaria ad menſium fluxum, illius deficientibus minuitur etiam efferveſcentia, & cum hac menſes.

In horum affectuum curatione. Primò purganda materia in partibus oris, & capitis collecta ſub forma ſeri bilioſi, & fermentativi cum ſequenti Bolo, ut ℞. Extrac. rhab. ʒ. 1. Magiſt. Jalappæ gr. vi. m. f. b. deinde reliquum eſt præparandum, cum eiſque fermentum figunt, & modificant, ut ℞. Aquæ Plantag. Portul. Papau. erratici an. ℥. ii. Syrup. de Nenufare ℥. 1. ß. Salis prunellæ s. p. ʒ. 1. m. & poſt quinque Syrupos reiterandum purgans ſupraſcriptum, & in hoc tempore præparantium mittendus ſanguis ex pede, & poſt ultimum medicamentum purgans, ex Venis ſub lingua, & dum hæc aguntur, fiant collutiones oris cum ſequenti Decoctione. ℞. Ligni Santal. ℥. 1. Cornu Cervi uſti, Eboris an. ʒ. 1. Florum papaveris erratici, Nymphæ an. m. ß. Fol. Plantag. Portulacæ, Roſ. rub. an. m. 1. bulliant ℔. 3. aquæ, vaſe clauſo, & lento igne ad conſumptionem tertiæ partis, poſteà coletur, & de Colatura. ℞. ℔. 1. Syrup. de Papau. Roſ. ſic an. ℥. 1. Philon. perſici ʒ. 1. m. & ſæpè fiat collutio oris, & fricatio gingivarum cum hoc Decocto. Secundò ſpirituum inordinatio ſedanda, & excrementa bilioſa magis modificanda cum refrigerantibus, quæ cauſæ etiam in temperamento calido ſitæ occurrent, in quem finem optimum erit Serum Lactis depuratum ad ℔. 1. cum ſucco Endiviæ ℥. ii. ſpir. Salis dulcificati gutt. x. tincturæ Roſ. ℥. 1. m. præmittendo hunc Pulverem. ℞. Ligni Coryli s. p. ſuper marmore optimè lævigetur eum irrorando ſpiritu Vini, ut ejus virtus ad exteriora magis trahatur, & pori ejus magis aperiantur, poſteà exſic. ad umbram de hoc ligno ſic præp. ℞. ʒ. ß. Spec. trium Santalorum ℈. 1. Diamargar. frig. pul. ungulæ Alcis, Cranii humani, Charab. præp. an. ℈. ß. m. per viginti dies in hoc inſiſtendum continuando ſupradictam ablutionem oris, & purgando cum Syrup. de Cicorea cum rhaub. ad ℥. iii. omni ſeptimo die. Tertiò caput, & nervoſæ partes corroborandæ cum Tinctura charab. ad ʒ. 1. Bezoartici Lunaris ℈. 1. in Aqua Liliorum Convallium, & Ceraſ. nigr. an. ℥. 1. ß. Si menſes cum diminutione ſuum continuent fluxum, adjuvandi cum Chalybe ſolum præparato, & pil. fœtid. mixto, validorum enim uſus timendus eſt, ne ſangis ad majorem ſeri ſegregationem diſponatur, & ne recrementi bilioſi particulas calore, & agitatione in majori copia uniat, quod facere non poteſt uſu Chalybis, imò omnium humorum acrimonia retundetur ab hoc, & ſanguinis conſiſtentia conſervabitur; optimum etiam judicarem tàm pro curatione, quàm pro præſervatione uſum Caffe poſt duas horas à cibo. Diæta tandem in omnibus morbo correſpondeat.

CONSULTATIO XXII.

De vocis diminutione.

VIr nobiliſſimus annorum ſexaginta, temperamenti calidi, & humidi, poſt tuſſim moleſtam ex calefacto capite contractam, talem in voce ſenſit læſionem, ut vix intelligatur, quod loquitur, modò nulla adeſt tuſſis, nec raucedo, ſed vocis diminutio perſeverat.

Cùm Vox naturalis, & alta ope muſculorum laryngis capiti annexorum perficiatur, ex quorum motione aer impellitur cum tali motu, qui ſit aptus altam vocem edere, qui motus debet eſſe validus, conſequenter in voce diminuta talis motus eſt debilitatus, prout in noſtro patiente, hanc verò debilitatem in fibris dictorum muſculorum agnoſcimus ex earumdem relaxatione, per quam non poſſunt ita contrahi, ut laryngem moveant validè pro aeris expulſione. Hanc relaxationem effecit deſtillatio illa à capite nimis excalefacto contracta, origo præteritæ tuſſis, dum dilabens humor, per muſculorum ſubſtantiam ſe inſinuans illorum fibras nimis laxas reddidit, ut tractionem neceſſariam pro dilatatione rimulæ ad vocem altam requiſitam efficere non valeant, unde vix dilatata voci diminutæ, & parvæ ſolum ſufficit, & forſan continuò ad dictos muſculos materia tranſmittitur morbum conſervans, à glandulis dictæ laryngi adjacentibus, præterquamquod fibræ muſculoſæ humore imbutæ non habent apertos aditus ad recipiendum ſpirituum vitalium, & animalium influxum pro motu voluntario exequendo ad vocis perfectionem, neque in aliam cauſam refundi poteſt, cùm nulla adſit tuſſis, neque raucedo, quæ humorem denotent in ipſo laryngis capite hærentem, ejus dilatationem impedientem; Neceſſe eſt, ergo hunc ſuperfluum humorem in dictis muſculis infixum exſiccare, dictaſque fibras corroborare, quod exequi poſſe non deſpero.

Purgato ergo corpore unà cum ſanguinis miſſione, Decoctum parandum ex Salſa, China, Santalis, cum Salvia, Bettonica, Stœchade, Cicorea, Viol. & Roſis, excitando ſudorem cum ℈. I. Cornu Cervi phil. præp. ante Decoctum exhibita, omni ſeptimo die purgandum cum Manna, vel cum Pil. de trib. ad ℈. I. Magiſt. Jalapæ gr. vi. in hocque inſiſtendum per triginta dies, in uſuque reducenda ſunt herrina, ex Majorana pulverizata cum Ireos, & Elleboro albo; Tempore Autumni paretur Vinum medicatum cum Santalis, & Roſmarino ad majorem exſiccationem, & corroborationem; Gargariſma etiam poterit parari ex decoctione Ligni Sancti, Salviæ, Meliſſæ; Lavendulæ, Cornu Cervi; in ore detineat Confectionem paratam ex Spec. Diaireos ʒ. ii. & flor. Sulph. ʒ. ß. Eſſentia meliſſæ ℈. I. quæ inſervient pro exſiccatione humoris, Exterius in hunc finem fiat inunctio circa guttur Oleo Vulpino Caſtorei, & Therebentina, poſteà ad impediendum, ne fluat humor ad dictos muſculos utatur pro gargariſmate decoctione Santal. Roſ. rub. Plantag. Diamoron. addito, vel aliud paretur cum aceto, in quo bullierit urtica, ſicuti etiam in ore ſæpè poterit detinere Rotulas Diatragantis cum bolo addita Eſſentia Meliſſæ, & tinctura Charab, & hujuſmodi rotulæ parentur cum aqua limacum ſtillata. Victus ratio ſit exſiccans, & ab omni errore libera.

CONSULTATIO XXIII.

De Vocis diuturna Raucedine.

VIr temperamenti calidi, & ſicci ſecundùm totum annum trigeſimum quintum agens deſtillationi ſalſæ obnoxius à pluribus menſibus vocis raucedine correptus fuit, quæ nullis hucuſque ceſſit remediis, ſiti frequenti, & valida moleſtatur unà cum interpolato capitis dolore, ſed intenſo.

Viſcerum ſanguificationi præſidentium naturalis excedens temperies calida omnium in hiſtoria relatorum Symptomatum radix exiſtit, ab hac enim bilis ſummè volatilis acris, & copioſa cumulatur, ſuccuſque pancreaticus pari volatilitate inſignitur, nec novum eſt calore fixa, & ſolida volatilizari, multò magis hi duo humores ſui natura ſpiritu, & partibus volatilibus donati, quia vita cum cæteris humoribus fruuntur, à prædicto calore majorem ſuſcipient volatilitatem. Hinc duo iſti Pugiles in inteſtino duodeno congredientes ad chyli præſentiam, ſimulque mixti abſente chylo in ſalſum volatile degenerant, cum ex alkali, & Acido, prout ſunt dicti humores ſalſum reſultet, & quia ſummè volatilia hinc etiam major eorum portio in prædictum ſalſum volatile abit, & pro acredine bilis, & aciditate ſucci pancreatici majori, vel minori ſalſum hoc evadit, vel magis, vel minus activum; Cùm verò Patiente bilis, & ſuccus pancreaticus ſint valdè acres, ſalſum ex his reſultans erit etiam valdè activum, unde chylus intra ſua penetralia hoc per mixtionem ſuſcipiens ſalſedine valdè ſenſibili coinquinabitur, ſalſo hoc volatili per omnes ſui partes ſe inſinuante, ab hujus activitate valdè diſſolutus chylus maximè fluxibilis redditur, unde in corde unà cum reliquo ſanguine inſignis, & excedens utriuſque rarefactio perficitur, in qua partes alkalicæ, & acidæ craſſiores attenuatæ, & libertati donatæ ſimul congredientes efferveſcentiam augent, & unitæ ſalſum volatile componunt, quod mixtum cum illo in chylo exiſtente ſalſedinem in toto ſanguine intentiorem reddit, & præcipuè in ſero, cujus poti ſunt apti magis ſalina corpora recipere.

Serum in copia cumulatur à volatili hoc ſalſo maſſam ſanguineam ſummè attenuante, & velut colliquante, & hoc etiam ſalſum reddit juxtà ſuam activitatem, hujus ſeri magna portio à ſpirituum animalium generatione reſidua, vel ſpiritoſis, & utilibus particulis depauperata, & ſolo ſale fœcunda per infundibulum ad palatum depluens deſtillationem efficit ſalſam, quæ per latera aſperæ arteriæ deſcendens, mucilaginoſum illum humorem, quo intus oblinitur ad vocem æqualem modulandam abradendo, inæqualitates relinquit, à quibus aer inæqualiter refractus vocis raucedinem efficit. Poteſt etiam deferri ſalſum hoc ſerum ad ſuperficiem internam prædictam tracheæ per arterias, quæ ſolent ſerum hanc mucoſitatem conſervans in ſupradicta ſuperficie deponere, ſicuti portiunculæ ejuſdem ſeri ſalſi membranis cerebri infixæ vellicando dolorem inferunt cum magno cruciatu, hæc eadem ſeri deſtillatio, ſalſa, linguam, & palatum irrorando ſitim moleſtam parit, & vaſa ſalivaria ſalſo humore repleta hoc internas oris partes perfundendo ſitim reddunt majorem, quod contingit etiam ab inſigni, & violenta efferveſcentia ſucci Pancreatici, & bilis in inteſtino duodeno, per quam volatile ſalſum evaporans ad linguam, & palatum ſalſedine ſua ſitim auget.

Hinc viſcerum calor temperandus, bilis, & ſucci Pancreatici copia minuenda, eorumque volatilitas fixanda, & efferveſcentia moderanda.

Quod facilè aſſequemur dummodò Æger ſit obediens.

Incipiendum erga ab univerſali primarum viarum emundatione cum Caſſiæ ℥. I. ß. recenter extractæ, præparando reliquos humores cum ℥. ii. Acetoſi ſimp. Salis tart. vitriol. ℈. ß. ſuperbibendo Aq. Endiviæ ℥. vi. poſteà Caſſia replicata ad ſuccos Endiviæ, Lactucæ, Acetoſæ deveniendum an. ℥. I. cum Aq. Acetoſæ, & Malvarum an. ℥. ii. per ſeptem dies emiſſo ſanguine in ſecundo die horum ſuccorum ad ℥. viii. poſteà reiteretur Caſſia, & Aquæ Villenſis uſus aſſumatur per decem dies more conſueto. His maſſa ſanguinis refrigerata unà cum viſcerum intemperie calida modificata, bilis volatilitas corrigenda cum ſucco Ptiſſanæ in aqua malvarum diſſoluto additis ſpeciebus Diamargarit. frig. ad ℈. ii. & Tinct. Antimonii ℈. I. ſumendo priùs ſequentes Bolos, ♃. Specier. triumſantalorum ℈. I. Philonii perſici ℈. ß. Salis prunellæ ℈. I. m. & cum ſyrup. de ſucco limon. f b. ad hunc finem conveniunt, & efficaciſſima erunt ſulphur vitrioli deſcriptum ſuperiùs, Sulphur Antim. fixum, & Cinnabris ejuſdem, hæc enim utrumque acre dulcificant, in uſu habeat Vinum granatorum acido-dulcium; Tempore caniculari Balnea aquæ dulcis exerceat, & ad tuſſim demulcendam utatur ſucco Liquiritiæ condenſato, & Diacodio facto cum Emulſione ſem. Papaveris, ſicuti etiam lambitivum ex mucilagine ſeminum malvarum Pſylii cum Oleo Amigd. dulc. & pauco Sacharo clarificato ad formam Julapii, vel alterum paretur

cum

cum aqua ſtillata à limacibus à ſua caſſa exemptis, & mixta cum ſucco raparum ſub cineribus coctarum ad æqualem portionem. Victus ratio ſit refrigerans.

CONSULTATIO XXIV.

De Aſthmate.

SEnis temperamenti calidi, & humidi cum bilis ſubdominio, ætatis annorum ſeptuagintaſex podagricus hyeme præterita correptus fuit tuſſi moleſtia, in qua multum excernebat; Podagræ inſultus, inſtante vere ſenſit, ſed unà cum ſpirandi difficultate abſque ſonitu, tuſſi, & materiæ expulſione, & modò ſunt quatuor menſes, quòd difficultas prædicta perſeverat, aliquando ita augetur, ut ſe ſuffocari ſentiat, cum maxima totius inquietudine, & rugitu in inteſtinis, & aliquali dolore cum excretione bilioſa ſponte, vel arte excitata, reſpiratio eſt minus difficilis, ſemper tamen eſt talis, ut apertu ore reſpirare cogatur, eo enim clauſo ſuffocationem ſentit, & in quodlibet latus procumbendo majorem difficultatem experitur.

Hanc ſpirandi difficultatem ab humore bronchia pulmonum infarciente non pendere certum eſt, cùm nulla tuſſis, nec ſibilus in reſpirando adſit, quæ materiæ præſentiam in pulmonibus deſignant, nec de materia in cavitate pulmonis exiſtente eſt dubitatio, quæ Hydropem pulmonum conſtituat, cum volvendo ſe de uno in alium locum nulla ſentiatur fluctuatio, nec manuum, nec pedum tumor appareat, nec in principio ſomni exacerbatur reſpirationis difficultas, quæ omnia in Hydrope pulmonis contingunt, unde non ſine fundamento dubitari poteſt fixam eſſe in pulmonibus hujus difficilis reſpirationis cauſam, conſiſtentem in organizatione eorum de novo vitiata dependenter à fluxione craſſæ materiæ hyeme tranſacta ad eos delatæ, vel in eis per ſecretionem cumulatæ, à qua tuſſis illa moleſta, & humida; cujus portio per membranam pulmonum tranſudans, & extremitatibus eorum adhærens lateralibus, ſua viſcoſitate, pleuræ contiguæ conglutinavit, vel alii parti, ut ſterno, vel diaphragmati, & ita pulmones cum eis conjunxit, & glutine in dies magis valido facto per incraſſationem, & exſiccationem à calore proprio partium ſpiritalium, ita pulmones dictis partibus colligati fuerunt, ut non poſſint liberè moveri pro recipiendo aere, & pro eo expellendo, & dum non excluditur totus aer in bronchiis pulmonum exiſtens, novus aer ingredi non poteſt, in ea quantitate liberæ reſpirationi ſufficiente, unde hujus difficultas oritur, quòd probabilitatem accipit ex eo, quòd in quolibet latere ſe dimittat patiens majorem ſentit difficultatem, dum pars pulmonis lateris, ſuper quod decumbit, vix movetur, altera pars lateris oppoſiti ob adhæſionem parum movetur, & ita ſuccedente motu parvo in utraque pulmonum parte, reſpirationem minui neceſſe eſt, unde pulmones, ut naturali officio, & neceſſitati animali provideant cum difficultate ſemper inſpirationis, & expirationis motum, eo modo, quo poſſunt, reiterant, non enim adeò nectuntur, ut moveri non poſſint, aliquo motu dilatationis, & conſtrictionis.

Idcircò ſanguis placido, & leni curſu per pulmones circulans difficultatem reſpirandi non auget, cùm motus pulmonum etiam diminutus prædictæ lentæ circulationi ſufficiat, ubi verò plus ſolito ſanguis effervеſcit, cùm magis celeri motu, & in majori copia ad pulmones feratur, tunc horum motus diminutus, non eſt ſufficiens ad adjuvandam ejus liberam, & expeditam circulationem per vaſa ſanguifera, unde pro majori portione cogitur in eis remanere, & hac ſanguinis quantitate vaſa ſupradicta turgent, & bronchia aſperæ arteriæ, quibus adhærent comprimendo coarctant, ut minorem aeris copiam recipere valeant, unde reſpiratio difficilior, & ſuffocationis ſenſus, quapropter à motu, vel calore lecti pejus ſe habet noſter patiens.

Eſt etiam probabile hanc difficilem reſpirationem haberi à vitio partium inferiorum, quando ob bilis activitatem in pituitam inteſtinalem agentem, hæc attenuatur, & reſolvitur in flatus acido pituitæ (cùm hæc non ſit niſi ſaliva, vel ſuccus pancreaticus incraſſatus, illa acidum occultum, hic manifeſtum continens) & ſalſo bilis impregnati, hi membranas inteſtinorum utroque acri perterebando dolorem in iſtis efficiunt, & ad nervos pneumonicos immediatè, vel mediatè per eos ventriculi, vel meſenterii, cum eis connexionem habentes delati, ſpiritus dictorum nervorum hoſpites turbant, & convulſionem cum contractione in eos inducunt cum univerſali pulmonum contractione, in qua perſéverant, donec perdurat dicta turbatio ſpirituum, ab hac contractione pulmonum, motus debilis magis impeditur, ab hoc motu magis diminuto ſanguis ſtagnare pro majori ſui portione cogitur in eorum ſubſtantia, quam opprimendo ſuffocationem infert.

Diaphragma etiam ab hujuſmodi vaporibus impediri poteſt in ſua dilatatione, & conſtrictione, ut reſpirationis motus lædatur, & ſuffocationis ſenſus inducatur, quod magis probabile reddit hanc aſſertionem eſt reſpirationis facilitas major; poſt bilis evacuationem, per quam ceſſat flatuum elevatio.

Perdurat verò difficultas, præter cauſas ſupradictas, quia ultra vapores ab effervеſcentia bilis, cum ſucco pancreatico, & illos elevatos à pituitæ diſſolutione, adeſt æſtus in hypocondriis, à quo ſanguis circulans per ea effervеſcit nimis, & vapores à ſe in quantitate emittit, dicto modo Diaphragma, & pulmones afficientes.

Ex quo deducitur eſſe hunc morbum pro una parte incurabilem, cùm non poſſit portio pulmonis adhærens vicinæ parti evelli, medicamentis difficulter ad hanc partem exteriorem pulmonum pervenientibus, at reſtat ſolùm aliquibus extrinſecis emollientibus gluten illud humidum, & molle conſervare, ut faciliori motu pulmo moveri poſſit, quapropter opportunum erit totam coſtarum regionem ante, & retro oleo Amygdal. dulcium, vel Unguento pectorali ſæpè in die lenire, & veſicas aqua tepida, oleo, vel lacte plenas dictis locis lateralibus admovere, & quia partes infernæ huic ſymptomati occaſionem tribuere ex dictis oſtenſum eſt, ideò ad has dirigenda remedia, bilem, & pituitam primo evacuando cum Pilul. de Agar. ℨ. 1. Extract. rhaub. ℨ. ß. cum Aqua Cinamom. reform. Pil. poſt tres horas ſumat Patiens ℔. 3. Aquæ Tetutii tepidas, poſteà per quinque dies utatur ſequenti Syrupo ad pituitam incidendam, & bilem corrigendam. ℞. Syrup. accetoſ. ſimp. ℥. 1. ß. Aquæ Acetoſæ ℥. iii. Fœniculi ℥. ii. Salis prunellæ ℨ. 1. m. in medio horum præparantium ſanguis in parva copia mittatur, poſteà reiteretur idem purgans cum eadem Aqua Tetutii. Ad majorem bilis emendationem, & pituitæ attenuationem utatur ſequenti pulvere. ℞. Antim. diaph. ℈. ß. Raſuræ matris perlarum ℈. 1. oculor. Cancr. præp. ℈. ii. Salis tart. fixi ℈. 1. Rad. Ari ℈. 1. m. ſ. p. ſuperbibendo Aquæ Boraginis ℥. vi. cum gutt. viii. ſpirit. vitrioli dulcif. & in hujuſmodi medicamento permaneat per xx. dies, omni die Clyſtere utendo his enim omnibus, & bilis acrimonia emendabitur, & acidum pituitæ incraſſans abſorbebitur, & per acida dulcificata pituitæ craſſities tolletur, & bilis mortificabitur. Martialia tàm Bilem, quàm Pituitam emendare ſimul poterunt, & præcipuè Chalybs ſubtiliter pulverizatus, & non præparatus, ut ℞. Chalybis limaturæ ſubtiliſſimæ ℈. 1. Antimonii diaph. ℈. ß. Pil. agreg. ℨ. ß. cum Aqua fœniculi ref. p. quarum uſus erit per ſeptem, vel octo dies, quo tempore etiam effervеſcentia hypocondriorum moderanda, cum emulſione ſem. Melonum cum aqua florum papaveris extracta, & aſſumpta poſt horas quinque à cibo. Pro elevatione verò difficultatis in reſpirando lambitivum ſequens in uſu habeat. ℞. Aquæ farfaræ ℥. iii. theriacalis ℥. 1. Tincturæ Caſtor, flor. ſulphuris an. ℨ. ß. Spiritus ſalis ammoniaci ℈. ß. Syrup. de liquiritia ℥. 1. m. vel ℞. Aquæ Meliſſæ, Hyſopi an. ℥. 1. ß. theriacalis ℥. 1. Spiritus ſalis armoniaci cum gum. Amon. deſtil. ℈. ß. Spiritus fulig. gutt. v. Oximel. ſcili. ℥. 1. m. vel ℞. Aquæ Lumbric. Capil. ven. an. ℥. 1. ß. Fœniculi ℥. ii. Balſami ſulphuris therebintinati ℨ. 1. Pulu. Millepedum præp. ℨ. 1. Tinct. caſt. ℨ. 1. Olei ſuccini ℈. ß. Fœculæ Ari ℈. 1. Syrup. de Hybiſco ℥. 1. m. tempore difficilioris reſpirationis cochlearium integrum, vel dimidium horum lambitivorum aſſumat lentè deglutiendo, odoret etiam ſpiritum ſalis Armoniaci in vaſe anguſti ori-ficii

ficii contentum, ſanguis etiam parcè mittatur ad motum ſanguinis conciliandum pro pulmorum ſublevatione. Victus ratio ſit tenuis, & optimi ſucci.

CONSULTATIO XXV.

De Aſthmate convulſivo.

EXcellentiſſimus, & Illuſtriſſimus N. temperamenti calidi, & ſicci ad melancolicum vergentis annorum quadraginta multis retro annis correptus fuit difficultate reſpirandi ſine ſonitu, & ſtertore, & tuſſi, & ſine ulla materiæ excretione, ſed cum Hypocondriorum, & ventris inflatione talis eſt difficultas, ut niſi recta cervice, & in ſedili reſpirare poſſit. Hypocondriacæ affectionis affligitur moleſtia, cum ventriculi debilitate, famis pruritum nunquam ſentit, nec cibum in quantitate appetit, magna quandoque flatuum copia torquetur, cum dolore tàm ventriculi, quàm inteſtinorum, ante horum expulſionem per os, languorem in ore ventriculi, & anxietatem experitur cum virium debilitate, & cum inſigni calore in regione Hypocondriorum, & in qualibet aeris mutatione ſubtilis, vel craſi eamdem patitur difficultatem.

Hujuſmodi Aſthma eſſe convulſivum patet ex eo, quod nullius humoris bronchia obſtruentis indicia apparent, & ſine iſtius excretione ceſſet, quapropter judicandum eſt à nervorum pneumonicorum læſione pendere, vel ab effervescentia humorum, & ſucci nervei in ſubſtantia pulmonum, cum utraque difficilem poſſit reddere reſpirationem, hujuſmodi nervorum læſionis cauſa in hypocondriis latet, in ſanguine, & ſucco nervoſo, ut mox demonſtrabitur. Primò tamen advertendum à debili ventriculo imperfectas prodire concoctiones, & ob fibrarum ſuarum tarditatem ad motum, ejus imbecillitatem partialem conſtituentem diù in eo morari portionem maſſæ chyloſæ magis craſſæ, quæ in viſcoſum tranſit excrementum, & ita ex duplici capite excrementa cumulantur in ventriculo pro majori parte craſſa, quæ à bile aſſurgente ab inteſtino duodeno ad ventriculi cavitatem ob motum iſtius depravatum, ab irritamento excedenti bilioſo, attenuantur, & in flatus reſolvuntur, ad quod concurrit etiam calor factus ab immoderata effervescentia bilis in dicto inteſtino excitata cum concurſu ſucci pancreatici, ut mox dicemus, cujus ope attenuatur dicta materia craſſa in flatus, qui ventriculi membranas diſtendendo, & acri qualitate bilis infecti eaſdem vellicando, dolorem inferunt, & eadem qualitate nervos oris ventriculi leni vellicatione affligendo, & vaporum craſſitie opprimendo triſtem illam languoris ſenſationem efficiunt, & anxietatem, cum eorum convulſione, quæ cardiacis nervis per conſenſum communicata cordis motum minorem reddit, unde ſpirituum influxus minoratur per omnes partes irrepente in has languore, à quo totius debilitas, ab hac bilis incurſione ad ventriculum appetitus debilitatur, mortificato acido ejus excitativo.

Eadem bilis nimis actuoſa pituitam inteſtina oblinientem, vel materiam craſſam à ventriculo diù retentam, & paulatim per deſcenſum in ea delabentem, ſimili modo attenuando, flatus in eis excitat cum dolore ob dictam diſtenſionem, & irritationem, quæ maximè à Pituita inteſtinali habetur, cum acidum tàm ſalivæ, quàm ſucci pancreatici in ſe occultet, dum ab iſtis per incraſſationem generatur.

Portio chyli ſubtilior ad inteſtina deducta, à bile nimis naturaliter actuoſa attenuatur, exaltatur, & in ſui naturam aſſimilatur immoderatæ effervescentiæ inſtrumento ex concurſu ejuſdem bilis, & ſucci Pancreatici excitatæ, dum & hic ſummam acquirit activitatem ob volatilitatem à calore univerſali conciliatam, & acredinem majorem. Ab hac effervescentia prodit calor ille inſignis in Hypocondriis, & à Diocle in omni melancolia Hypocondriaca cognitus, licèt non hoc modo explicatus; ſic alteratus chylus cordi conſignatus ferè totus in bilem tranſit majori calore, tenuitate, & activitate inſignitus, ex quo aduſtionem facilè patitur, & in aduſtione ſecum trahendo portionem acidi in atrabilarem materiam tranſit valdè fermentativam, & corroſivam, qualem deſcripſit Hippoc. & Galenus, & à ſero nutritio abſorpta, atque diſſoluta, cum eo ad ſucci nervei elaborationem defertur hujuſmodi ſuccum depravando ſui admixtione. Unde pro explicanda cauſa hujus ſymptomatis poſſumus non improbabiliter dicere dictum ſuccum per nervos pneumonicos fluentem portiones iſtius materiæ aduſtæ in eis ſparſim relinquere, quæ donec parvæ exiſtunt à continua luſtratione talis ſucci attemperatæ otioſæ manent, ſed cùm dictæ materiæ copia in eis fuerit congeſta, & volatilizata, tunc motu effreni concepto, in anguſtiis dictorum nervorum ſuccum nerveum contentum immoderatè exagitat, & effervescere facit cum nervorum contractione, itaut Pulmones in continua dyaſtole contineantur impedito ſyſtolis motu naturali, unde difficultas reſpirandi.

Hinc eſt, quod ad quamlibet aeris mutationem, vel ſubtilis, vel craſſi in hujuſmodi difficultatem incidit, à ſubtili enim aere ſanguinem attenuante fit major ſeparatio ſeroſitatis ab hujus maſſa, & conſequenter copioſior depoſitio ſucci nervei coinquinati in nervis reſpirationi dicatis, ob facilitatem, vel naturalem, vel à morboſa diſpoſitione contractam humorem illum ſupradictum in abundantia recipiendi, unde etiam dicti effectus producuntur potiùs in his, quàm in aliis nervis. Ulterius ob facultatem, qua pollet aer ſubtiliandi, & volatilizandi, congeſtam in dictis nervis materiam per paulatinam, & interruptam depoſitionem volatilizat, & fermentativam reddit cum aptitudine ad effervescentiam, & turgeſcentiam ſpiritibus, & ſucco nervoſo nervos pneumonicos inhabitanti conciliandam.

Aer verò craſſus utpotè multis impuritatibus ſulphureis, & nitroſis gravidus, in inſpiratione has ſocias unit, illis à ſucco nervoſo per depoſitionem relictis in nervis pneumonicis, & hæ mixtæ ſucco nervoſo præterfluenti etiam optimo prædictas imprimunt turbationes. Similem enim puto ſuccum nervoſum ſanguini, qui ob admixtionem extranei ſummè alteratur, & effervescit.

Et hanc eſſe talis morbi ideam, ejus ſolutio ſine aliqua ſenſibili evacuatione manifeſtat, & quamvis ſeri copia pulmonum interſtitia, & poroſitates implens, difficilem poſſit reddere reſpirationem, ſolet tamen hoc ſymptoma ab hac cauſa pendens ſolvi cum evacuatione copioſæ urinæ, vel à poris pulmonum, in bronchia tranſeunte materia, per tuſſim, quæ cum in noſtro Patiente deficiant, ab his prædictam affectionem pendere non eſt credendum, ſed à nervis, qui ſemper malè afficiuntur etiam poſita ſecunda cauſa ſatis probabili, effervescentia nempè humorum in ſubſtantia pulmonum, quæ pendet ab evaporationibus elevatis à fermentis regionis Hypocondriacæ cum exceſſu depravatis, dum inordinatam fermentationem humorum dictæ regionis efficiunt, & elevatis pariter ab effervescentia bilis, & ſucci pancreatici inordinata, per intervalla excitata dependenter ab aucta acrimonia dictorum humorum, & dictæ evaporationes pulmonum ſubſtantiam ingrediendo ſanguinem, & ſuccum nervoſum effervescere faciunt, unde rarefactus uterque humor turgeſcit, ex quo vaſa ſanguinis diſtenſa pulmones diſtendunt, & nervi ſucco ſuo naturali turgeſcentes contrahuntur, & ſic ex utroque accidente pulmones in continua diſtenſione morantur cum difficultate reſpirandi, & hanc cauſam Hypocondriorum æſtus, & ventris inflatio comprobant, ſemper tamen adeſt norvorum affectio, ſicuti adeſt, poſito, quod ex immoderata effervescentia bilis, & ſucci pancreatici ob auctam illorum acrimoniam, vapores eleventur, qui communicati nervis meſenterii, & iſtius plexui magno, contractiones ſpaſmodicas in eis efficiant, in quas trahunt nervos pneumonicos, & per quas pulmones in continua Dyaſtole continentur cum difficultate reſpirandi. Connexionem eſſe cum plexu dicto, & dictis nervis patet ex Villiſio in ſua Nervologia; Eumdem plexum pati dictas contractiones patet ex inflatione ventris, & utraque cauſa eadem requirit remedia.

Pro horum affectuum curatione primò Ventriculus roborandus, deterſa humorum ſaburra, qua contaminatur, & quia frigida, & humida pro contemperatione bilis, & ſucci pancreatici ſunt uſurpanda, ab his ejus acidum debilitabitur magis, & fibræ relaxatione majori afficientur, ventriculi tonum magis pervertendo, ideò hujus corroborationi ſtudendum. His conjungi debent, quæ Pituitam, & humorem craſſum incidant, attenuent, & poſteà evacuent; Secundò Bilis, & ſuccus Pancreati-

cus

cus corrigendus; Tertiò Maſſa ſanguinis refrigeranda, æſtus Hypocondriorum moderandus; Quartò Materia excrementitia in illius ſero collecta à pulmonibus avertenda, eam ducendo ad vias urinæ; Quintò Pulmones, ſeu potiùs nervi ad iſtos tendentes corroborandi, quæ non niſi longo temporis ſpatio exequi poterunt, & cum difficultate, quoad difficilem reſpirationem ob naturalem indiſpoſitionem nervorum pneumonicorum, per quam redduntur apti ad colligendas impuritates ſucci nervoſi.

Quoad primum pro evacuanda materia in ventriculo, & primis viis reſidente. ℞. Mel. roſ. ſol. ℥. iii., Mannæ ell. ℥. ij. ß. Cremor. tart. s. p. ʒ. iii. diſſol. in s. q. Aquæ Meliſſæ præparentur, poſteà cum Acetoſo, s. ℥. i. ß. Crem. tart. vitriol. ʒ. i. Aqua fænicul. Abſinthii an. ℥. iii. m. octavo die ab hoc digeſtivo reiteret ſupradictum Purgans, poſteà capiat per tres dies Aquam Tetutii ad libras quinque, quæ ſola videtur ſufficere ad detergendam materiam craſſam in ventriculo, & inteſtinis collectam, addendo tamen ſupradictæ Aquæ quotidie ℥. iij. Melis roſ. ſol. quòd inſerviet pro vehiculo. Nec Aquæ propria caliditas, vel ſalſedo eſt timenda, tamquam magis irritativa bilis, & ſucci pancreatici, eo quia in corpore non immoratur, & ſemper in motu exiſtens debiliter in dictos humores poteſt agere, eo modo, quo Sol minus calefacit ſub illum deambulantem, quàm immotum manentem, quem maximè, & intenſè calefieri experientia docet, præterquamquod citiſſimè pertranſit duodenum, in quo iſti humores colliguntur, cùm in eo nullæ ſint circumvolutiones. Ulterius dato, quod humores tunc in ſuo tranſitu per dictam viam alteraret, eos etiam ſecum rapit, & educit, ex quo nulla noxa, deindè in ſero ante cœnam per horam, dum capit aquam, accipiat hunc Pulverem. ℞. Specier. trium Santal. ℈. i. ß. Raſuræ eboris ℈. i. Salis Abſinthii ℈. ß. m. hoc modo ab utroque remedio corroboratus manebit ventriculus. Inter hæc mittendus ſanguis à brachio, & hæmorroydibus.

Quoad ſecundam intentionem utiles erunt ſucci Boraginis, Agrimonii, & Malvarum an. ℥. i. in jure exhibendi cum ſpiritu nitri dulcificato ℈. ß. per decem dies in his inſiſtendum, & reiterata purgatione cum ʒ. vj. Caſſiæ, & gr. vi. Magiſterii Jalapæ, ad majora attemperantia deſcendendum, inter quæ maximè eſt efficaciæ ſequens. ℞. Salis Tartari volatilis ℈. i. Olei Macis gutt. vj. ſimul miſceantur, & mixtura diſſolvatur in aqua Agrimoniæ, & Acetoſæ an. ℥. iii. per quindecim dies, quod ſi non erit ad manus Sal. tartari volatile, uniatur ſali Tartari fixo ſpiritus ſalis Armoniaci, & Oleum Macis per digeſtionem unius ſeptimanæ, vel duarum in calore arenæ, & de hoc capiat ℈. i. in prædictis Aquis, & in hoc remedio continentur illæ conditiones, quas Le-Boe in remedio pro Hypocondriaca affectione requirit.

Quoad tertium conducet pro ſanguinis refrigerio Serum Aſininum deſtillatum ad ℔. i. cum ſpirit. Vitrioli Martis ad ℈. ß. Syrup. de cort. citri ℥. i. per quindecim dies, ſumendo ſero per horas duas ante cœnam ſequentem pulverem cum ℥. iiii. Aquæ Boraginis, vel Emulſione Melon. ℞. Cancr. præp. ʒ. ß. Raſuræ interioris Matriſperlæ ℈. ß. Salis prunellæ ℈. i. Fæculæ Aronis gr. vi. Ambræ griſ. gr. ii. vel ſalis Abſinthii elixir proprietatis imbibiti ℈. ß. m. & per hæc medicamenta avertetur materia ad vias Urinæ, quod erat quartum indicatum.

Ultimæ indicationi ſatisfaciemus ſequenti mixtura. ℞. Aquæ lumbricor. Hederæ terreſt. an. ℥. ii. tinct. ſulph. gum. amon. an. gutt. vi. m. quæ per aliquot dies eſt continuanda, vel cum Salis Succini gr. iii. Flor. ſulph. gr. vi. Extract. Elenii, Ligni Viſciquercini an. ℈. ß. vel terebinthinæ q. s. & conficiantur boli quatuor capiendo duo omni mane cum Aqua lumbri. ℥. iii. Syrup. Elenii ex compoſitione Augenii ℥. i. m.

Tempore Paroxiſmi, ſequenti utatur Lambitivo ℞. Aquæ Limacum, Hederæ terreſt. an. ℥. iii. Spirit. Salis armon. cum gum. ammoniaco deſtil. ℈. i. Tincturæ ſulphuris ℈. ß. Caſtorei ℈. i. ß. Fæculæ Aronis ℈. i. Syrup. de Hybiſco, Papav. errat. an. ʒ. vi. m. Lambendo ſæpè, & parum. Emulſio ſem. melon. Papaver. albi, & ſem. paſtinacæ Sylveſtris extracta cum aqua Boraginis, & eodem modo pro lambitivo uſurpata addita Tinctura Caſtorei erit efficaciſſima, ad ſedandum paroxiſmum, & effervefcentiam bilis, fermentorumque alteratorum in Hypocondriis. His omnibus adjungatur optima victus ratio.

CONSULTATIO XXVI.

De difficultate reſpirandi continua, & principio Hydropis.

Mercator temperamenti cachochimi ætatis annorum quinquaginta in iuventute per intervalla correptus fuit difficultate reſpirandi; itaut non niſi recta cervice reſpirare poſſet, cum tuſſi, & ſonitu materiæ in pectore quæ paulatim excernebatur mediante tuſſi, itaut liber evaderet, modò in ætate ſenili conſtitutus continuam habet difficultatem reſpirandi, quamvis ambulet, & ſuis incumbat negotiis, quandoque verò, & per intervalla ſymptomatibus prædictis afficitur, & excreta per tuſſim materia ſimiliter miteſcunt. Ab anno cœperunt pedes intumeſcere, & crura, modo coxæ, & Venter turget cum ſenſibili aquæ exundatione, adhibita ſunt Decocta, Jus Galli antiqui, Vina medicata, ſed ſine fructu, unde alia expoſcit, ſi arte inveniri poſſent.

Depravata alimentorum præparatio, & ſanguificatio, habitum hujus Patientis naturaliter cacochimum conſervat, & ad ſupradicta concurrit ſymptomata, illius principium proximum ſunt naturalis bilis inertia, ſuccique pancreatici aucta aciditas, & craſſities, quæ duo chyloſam, ſed imperfectam maſſam in inteſtino duodeno debitis non perficiunt modis à natura ſancitis pro perfecta chyli elaboratione, & inutilium ſequeſtratione, deficiente vitio horum pugilium effervefcentia neceſſaria ad volatilizandas puriores chyli partes, & ad craſſiores deponendas; notum enim eſt ſuccis herbarum, & fructuum per effervefcentiam, & fermentationem depurationem conciliari, præcipitatione craſſarum partium inutilium, & volatilizatione craſſarum utilium, qua facilius cum ſubtilioribus miſcentur ad perfectam unius mixti conſtitutionem; Sic natura ad chyli perfectionem hos duos humores illi miſcere decrevit, ut tamquam fermenta inducta in chylo effervefcentia, præcipitarent inutiles, & à natura alienæ partes, & utiles attenuarent, & inter has motu ejuſdem effervefcentiæ perfecta mixtio introduceretur, unam chyli maſſam componens toti ſufficientem, & utilem, & pro tali effervefcentia bili alkalicam acrimoniam, & ſucco pancreatico aciditatem dedit natura, ex quorum congreſſu effervefcentia neceſſariò oritur, quæ ut facilior evaderet tenuitate utrumque fluxibili inſignivit; Unde ex harum qualitatum deficientia in dictis humoribus, ut in noſtro patiente contingente tollitur effervefcentia ſupradicta, & chylus imperfectus generatur, quia non diſſolvuntur ad juſtam tenuitatem particulæ iſtius à bile inerti, & à ſucco pancreatico magis acido, & craſſo, nec debitè volatilizantur ex defectu requiſitæ effervefcentiæ pendente ab utriuſque humoris vitio, ſed ita craſſæ medio humido fluxibili emolliente per lacteas ad maſſam ſanguineam deferuntur, in qua volatilizari non poſſunt, ob diſpoſitionem deficientem, qua præparari debent ad volatilizationem in inteſtino duodeno ab effervefcentia illorum duorum humorum, quam debilem eſſe diximus, & ſanguinis maſſa eſt inhabilis ad reddendas dictas particulas chyli craſſas volatiles, dum parum, & debiliter fermenteſcit ob condenſationem, & conſtrinctionem ſuarum particularum ab acido excedente, & fixo in ea introductam, cum conſtitutione cacochima naturali, majore, ſanguinis enim maſſa ſuas particulas craſſas, & eas chyli ſuſceptas ſola fermentatione valida naturaliter volatilizat, unde cùm deficiat fermentatio valida ob dictam conſtitutionem craſſam ſanguinis, deficit etiam huic potentia volatilizandi partes craſſas chyli, quare particulæ iſtæ contractam in ventriculo, & inteſtino duodeno craſſitiem retinent. Ab hujuſmodi ſanguinis, & chyli craſſitie ſequitur, quòd ritè particulæ iſtius craſſæ non miſcentur, requiſita ad tale opus tenuiſſima earumdem particularum diminutione, & ſanguinis rarefactione,

qua

qua propter cùm ſolùm confundantur facilè ſecedunt, & circulando partibus, vaſiſque adhærent, præcipuè bronchiis pulmonum facta in his obſtructione prohibente liberum aeris ingreſſum unde reſpiratio difficilis, & tuſſis, irritata parte, vel à quantitate materiæ, vel à qualitate à mora contracta, & quia ob ſupradictæ cauſæ permanentiam materia illa craſſa continuò coacervatur, & continua ejuſdem fit ſegregatio, continua etiam adeſt difficultas reſpirandi, & tuſſis, & quia quandoque copioſus fit à maſſa ſanguinis ſeceſſus materiæ prædictæ in eiſdem pulmonum bronchiis, hinc ingraveſcit difficultas ſpirandi, & tuſſis, vel paulatim materia ibi congregatur, donec repleantur bronchia cum difficultatis reſpirandi augmento, & facilis eſt hujuſmodi congregatio ſtante continua reſpirandi difficultate, qua ſanguinis motus circularis retardatur, & ſtagnatione quadam in pulmones deponit ibi excrementa, quibus ſcatet, eo modo, quo aqua in vaſe ſtagnans aliquas deponit fæces. Ab hac ſtagnatione ſanguis à ſua craſi magis pervertitur, multaſque deponit ſeroſitates, quas lymphæ ductus abſorbendo ſanguineæ maſſæ reſtituunt, cum detrimento ejuſdem, cùm aquoſior reddatur, & hoc vitium auget continua reſpiratio difficilis, per quam evaporationes à fervido ſanguine in pulmones elevatæ non ejciuntur, ſed in membranoſis interſtitiis lobulorum pulmonum exceptæ in magna copia in aquam condenſantur, quam vaſa lymphatica numeroſa per hujuſmodi interſtitia diſſeminata abſorbent, & ad ſanguinem ducunt in venas cum ſeroſæ humiditatis exceſſu, qua arteriæ repletæ abundantius per partes expandunt, ut per vaſa lymphatica non poſſit reduci ad venas, & in eis ſtagnando dictæ partes in tumorem attolluntur, prout contingit in hujuſmodi Ægro, tam in cruribus, quàm in coxis, & in abdomine, ut exundatio ſenſibilis oſtendit.

Bilis inertia ob aquoſitatem, & terreſtreitatem poteſt pendere à naturali fermento lienis imbecilli, à quo non ita volatilizatur ſanguis, ut ejus particulæ ſulphureæ aduſtæ poſſint in copia, & ritè ſegregari in Hepate, ſed ob ſanguinis craſſitiem remanent confuseè cum aqueis, & terreſtribus, à quibus cum Hepar non poſſit liberare dictas partes aduſtas ſulphureas in ſui ſubſtantia ſegregantur ſimul unitæ, unde bilis inertia ratione fermenti lienis, & etiam Hepatis cum hoc ob ſui fermenti, vel temperamenti languorem non valeat ſupplere imperfectioni fermenti lienaris dictas partes aquoſas, & terreſtres ſegregando.

Si verò intimiora penetrare licet, ſanguinem à primordio generationis cacochimum ob tale temperamentum patientis puto eſſe cauſam tam depravatæ bilis, quàm debilitati fermenti lienis, & hepatis; hæc enim conſtant partibus, ſubtilibus, volatilibus, ſpiritoſis, & à ſimilibus à ſanguine extractis conſervantur; cùm autem à ſanguine cacochimo non poſſint ſubminiſtrari ob ejus impuritatem, & craſſitiem, patet neceſſariam fermentorum depravationem eſſe, & etiam bilis, quæ conſtans partibus ſulphureis aduſtis, & ſalſis parvas à prædicto ſanguine recipiendo ob debilem fermentationem illius depravatur, & quæ ſegregantur aliis particulis craſſis, & terreis comixtæ bilem inertem faciunt. Succus pancreaticus à primordio generationis maximè acidus, & craſſus ob ſanguinem maximè acidum ab eodem ſuam depravationem recepit; ſanguinem eſſe maximè acido refertum cacochimia declarat; nam illud confert ad excrementorum generationem, & eorundem ſegregationem in ſanguine prohibet, ut patet ex dictis, ab his fermentis depravatis per ſanguinis cacochimiam, hæc pariter conſervatur.

His determinatis colligitur primò Pulmones ab omni humorum coinquinamento eſſe liberandos, tam per evacuantia ſenſibiliter, & inſenſibiliter, quàm per expectorantia; Secundò Maſſam ſanguinis ab excrementorum quantitate depurandam, ad naturales purgationis vias ducta, & tertiò Bilis inertiam tollendam eſſe per ea, quæ acrimoniam illius augere ſint habilia, & ſucci pancreatici aciditatem, & craſſitiem corrigendam, & fermenta tam lienis, quàm hepatis exaltanda, & ultimò pulmones roborandos, & ſanguinem purificandum, & exaltandum. Difficile tamen erit his indicationibus ſatisfacere, quia malum altas egit radices, & pulmonum craſis à morbi longitudine eſt vitiata, ſanguiniſque univerſalis Economia depravata cum Hydrope imminente.

Unde Purgatione univerſali præmiſſa, Jus Galli veteris de novo replicarem, in cujus ventre reponerem Ligni Saſſafras ʒ. iiii. Ligni Sancti ℥. ii. Viſciquercini ℥. I. Rad. Enulæ ℥. I. Hirundinariæ Anagalidis aquaticæ, Dracunculi, ſummitatum Abietis. an. m. I. præmiſſo Bolo ex Ammoniac. ℈. ii. cum Aceto ſquilit diſſolut. Croci mart. aper. ℈. ß. Antim. diaphor. gr. xv. flor. ſulp. gr. x. omni ſeptimo die purgando corpus cum ʒ. ß. pilul. Tartar. vel de Ammoniaco Quercetani addito Mercurio dulcif. ad ℈. ß. & in hac methodo per triginta dies perſeverandum, his enim remediis primæ, & ſecundæ intentioni ſatisfiet; quod ſi poſt ſupravicta remedia pulmonum ſubſtantia adhuc non ſit libera ab humorum craſſorum inquinamento, Oximel de Peto Quercetani eſt per quindecim dies uſurpandum ad ℥. I. cum ℥. ß. Oximel. Chalyb. Tincturæ tart. ʒ. ß. cum aquæ fœniculi ℥. iii. Ad bilem inertem excitandam prò tertia indicatione utatur ſequenti Bolo ℞. Specier. Diatrion. piper. ℈. ii. Diambræ ℈. I. ß. Olei gariofil. gutt. iii. Balſami perv. gutt. v. cum Syrupo de quinq. rad. f. bol. iiii. & ſummat duo ante prandium per horam, & ante cœnam, vel utatur Spir. Vini, in quo infuſa fuerint Cinam. ℥. ß. Gariof. ʒ. ii. Corticis abietis, Ligni Saſſafras, Tamariſci, calami arom. an. ʒ. ii. Zinziberis, Piperis Long. Cardam. Granor. paradiſi, Galangæ an. ʒ. I. Nucis moſc. ℈. ii. ſuperinfundatur ſpiritus vini rectif. ad eminentiam quatuor digitorum, & ſtet in loco calido ſupra cineres calidos, donec ſpiritus vini tingatur, de hoc capiat ℥. I. ß. cum edulcorando cum parvo Julapio ex ſaccharo clarificato mane, & ſerò ante cœnam, & prandium; hoc remedio fermenta omnium partium, & calor cordis exaltabitur acidum pancreatis, & craſſities corrigetur, & ſanguis purificabitur, & exaltationem ad conſervanda fermenta ſuſcipiet, quod melius etiam obtinebitur, ſi ſal viperinum ad ℈. I. cum Mitrid. ʒ. ß. omni mane ſummat. Ultimò pulmonibus robur addetur cum Conſerva rad. Enulæ campanæ ad ℥. I. addito pulmon. vulp. præp. ℈. I. Flor. ſulph. ℈. ß. & cum vino medicato cum herbis capital. rad. Enulæ, Tuſſilaginis, & Botridis; quod ſi in dolio priùs ſulphurato ex accenſione ſulphuris in eo reponatur, majoris erit efficaciæ; & pro tumore crurum, & coxarum, fomentationes, & balnea exſiccantia, & corroborantia adhibeantur. Dieta hiſce omnibus correſpondeat.

CONSULTATIO XXVII.

De Febre cum Hydrope Pulmonum.

VIr Nobilis aduſti temperamenti, ætatis annorum quinquaginta correptus fuit Tertiana duplici continua extenſa, tranſacta quadrageſima cœpit conqueri de aliqua difficultate reſpirandi, quæ ſupra latus ſiniſtrum decumbendo magis augebatur, in dies augmentum ſumpſit hujuſmodi difficultas, & tandem, dum de uno in aliud latus ſe volvit, exundatio in pectore auditur, tuſſis adeſt ſicca, & totius corporis extenuatio inſignis.

Febrem contumacem, & Hydropem pulmonum in hoc ægrotante habemus, prima pendet ab effervеſcentia ſucci pancreatici, & bilis inordinata ob depravatas qualitates ex obſtructione ab iſtis per moram contractas, vel in Pancreate, vel in ductu cholidoco, quæ efferveſcentia in ſanguinem ſerpit, dum illi miſcentur per ductum thoracicum, ex eo, quòd ob malas qualitates ſunt ei extranei, fermentique naturam morbifici ſunt adepti, unde præternaturam etiam ſanguinem fermentare valent, aucta fermentatione à conatu ipſius ſanguinis, quo nititur noxium ſibi expellere. Statis temporibus acceſſio revertitur, dum impedimentum obſtruens data temporis determinatione ſuperatur à prædictis humoribus auxilio qualitatis pravæ conceptæ in mora ſuæ detentionis in parte obſtructa, cujus efficacia in acrimonia conſiſtit craſſum impedimentum obſtruens pertetebrantre, non verò eradicante, unde remanens materia impedimenti, tranſacto humore detento, ſe reſtituit prio-

ri ſta-

ri ſtatui ante perterebrationem, unde novum firmat impedimentum, quod altera vice, & determinato tempore ſuperatum renovat acceſſionem.

Ab hujuſmodi inordinata efferveſcentia ſegregata fuit copia ſeroſitatis extraneis fermentis copulata, quæ per arterias pneumonicas in cavitatem thoracis eructata Hydropem pulmonum fecit; quodſi ad vias urinæ, vel ſudotis demandata fuiſſet, febri aliquod levamen paraſſet, vel effluvia febrilia, cum per expirationem tota non potuerint excerni inter interſtitia lobulorum pulmonum copiosè collecta in aquam copioſam denſata fuere, cui dicta membranoſa interſtitia diſtendendo, datum fuit ea diſrumpere, aperta via collectæ aquæ, ut depluat in cavitatem pulmonum, à qua prohibita iſtorum dilatatio fit difficilis reſpiratio, & aqua ob moram ſalſam, vel aliam acrem contrahens qualitatem, tuſſim promovet membranam exteriorem pulmonum irritando.

Pro horum malorum curatione febrilis effervefcentia quo ad poſſibile erit mitiganda, obſtructio humorum prædictorum depravationi conferens tollenda, aquoſi humoris copia minuenda per purgationem, diureſim, vel diaphoreſim, prohibendo, ne de novo colligatur.

Timendum autem ne hiſce indicationibus ſatisfacere poſſimus ſtante febris contumacia, & difficultate removendi aquas à cavitate thoracis, & ſi à vaſorum ruptura ibi colliguntur, deſperandum eſt de vindicanda eadem cavitate ob aquarum inundatione.

Quoad primam indicationem adimplendam præſtant Febrifuga, unde laudarem pulverem corticis Perruiani more Gallico exhibitum, quòd ſi ab hoc febris non tolleretur, extractum parandum ex eodem cortice, radice Gentianæ, Centauriæ min. & Camomillæ, & à capite mortuo reſiduo incinerato extrahendum ſal addendum poſteà eiſdem extractis, & de hoc exhibendum ante paroxiſmum per duas horas ad ℈. I. cum ℈. ß. Antimonii diaphor. cum aliqua Aqua febrifuga, deſcrip. Quercetani, vel Minſicht. Febre in augmento exiſtente Diaſcordium Fracaſtorii ad ʒ. I. cum aqua Plantaginis, & Acetoſæ exhibendum, ut effervefcentia febrilis moderetur, tempore minoris afflictionis, in quo alterantia, & præparantia exhiberi ſolent; deobſtruentia ſubminiſtranda, quæ urinam etiam movere ſoleant, ut ℞. Salis tartari vitriol. ℈. I. Croci martis aperitivi ℈. ß. Antimonii diaphor. gr. xv. pul. millepedum præp. ℈. I. ſuperbibendo Decoctum rad. fœniculi, pentaphilon. graminis, Ireos, Cherefolii cum gutt. x. ſpiritus nitri, omni tertio die leniter purgandum corpus cum Caſſiæ ʒ. ii. Magiſt. Ialappæ gr. v. ſic enim, & febrili materiæ occurremus, & aquam evacuabimus, ut reliqua poſſit abſorberi à vaſis lymphaticis, ut adnotavit Villiſius de Pectoris Hydrope. Quodſi febris ceſſerit, validiora purgantia, ex Ialappa, & Mecheocan uſurpanda cum diureticis validioribus, ut ℞. Pulver. milleped. præp. ℈. ii. Salis ſuccini gr. vi. Flor. ſalis armon. gr. vii. Sal. tartari volatil. gr. v. cum Decocto pectorali, & diuretico deſcripto à Villiſio loco citato cum Spir. therebentinæ ℈. ß. vel ℞. Membranas interiores ventriculorum Gallinarum præp. ʒ. I. Cruoris Hirci ʒ. ß. Floris ſulph. ℈. ß. Sal. Ononidis ℈. I. & ſi ad Diaphoreſim tendat Æger, hæc ad uſum reducenda Cornu Cervi, Bezoar. Cinnabris, Antimonii, radix Lappæ Majoris. Corroborabitur pulmo poſtea Balſamo ſulph. therebintinato ad ℈. ß. cum Aqua farfaræ. Quodſi nullis cedat remediis, ſectio tentanda inter ſextam, & ſeptimam coſtam paulatim aqua extracta pro virium conſervatione, victus ratio optima inſtituatur ad ſiccum vergens idcircò aqua à paſtu medicata cum Salſa, Santalis, & rad. Cannæ montanæ erit utilis.

CONSULTATIO XXVIII.

De Hidrope Pulmonum poſt ſanguinis ſputum.

NEgotiator honeſtus, & honorandus temperamenti calidi, & humidi cum bilis miſcella, quia ad iram pronus, ad omneſque operationes promptus, ætatis annorum ſupra ſexaginta, ſed virium robore pollens à multa applicatione negotiis, & in ſcribendo ſummum calorem in capite percepit cum dolore, & gravitate, poſteà ſanguis è naribus fluxit ad lib. 15. cùm nullo remediorum genere cohiberi potuerit, tandem ceſſit relicta in Patiente virium debilitate; à menſe crura cæperunt intumeſcere cum aliqua difficultate reſpirandi in ſcalarum aſcenſione, & in longa deambulatione, paulatim hæc excrevit, ut non niſi cum maxima difficultate reſpiraret in deambulatione, & tempore noctis, in quo recta cervice ſtare cogebatur, aderat tuſſis ſicca, & febris, invaleſcere cœpit ante paucos dies.

Sicuti floridus ſanguinis ſtatus omnium partium facultates conſervat ſuo calore, & motu temperamenta, vel fermenta illarum excitando, & ad exercitationem cum neceſſaria moderatione promovendo, & ſicuti ſua ſubſtantia ſpirituum reparationi materiam ſubminiſtrando tam eis, qui nulli modificationi ſubijciuntur, ut ſunt ſpiritus ſanguinem vivificantes, ſeu potiùs calorem in eo conſervantes, quàm eis, qui ab ea reguntur; & ſunt ſpiritus temperamenti, vel fermenti conſtitutionem ingredientes, & qui per ſolam modificationem ſunt operativi talis, & determinatæ actionis, & eadem ſua ſubſtantia chylo diſpoſitiones ad ſanguinem imprimit, vel propria activitate in verum ſanguinem tranſmutat, cum omnibus perfectionibus hujus naturæ debitis; Sic deficiens ſanguis à ſua perfectione in motu, & calore, fermenta omnium partium otiari facit, vel inertia relinquit, & ſpiritu ſanguinis diminuto eorum reparatio integra ſuſpenditur, conſequenter alimentorum fermentatio in ventriculo, & chylificatio in inteſtinis depravatè perficiuntur, & partes inutiles ex fermentorum depravatione non ſeparantur, unde tota maſſa aqueis, & craſſis particulis excrementitiis plena, ferè inutilis redditur, & eò magis, hæc calamitas ei contingit cùm ex fermentorum defectu, ſpiritu neceſſario, ſubtilitate, & volatilitate debita careat, vel quia ille non excitatus fuerit per rectam fermentationem, vel quia expiraverit, ut contingit in eis, qui per fermentationem depravatam putreſcunt: ſpiritu deficiente in chylo cum volatilitate, & ſubtilitate tollitur ei potentia ad ſua munera rectè exequenda; hinc evenit, quòd chylificatio mala peſſimæ ſanguificationi viam ſternat, quia hæc conditionem materiæ, circa quam verſatur, ſequitur, unde hac mala exiſtente, mala erit ſanguificatio, & eò magis hoc ſuccedet, quando ſanguis in ſua craſi, & conſtitutione deficiens non ſolùm valet emendare vitia chyli, ſed neque vitalitatis caracterem imprimere, nec diſpoſitionibus ad perfectam hæmatoſim inſignire, vel in perfectum cruorem tranſmutare, itaut maſſa chyli ſanguini per lacteas venas conſignata in eo hoſpites faciat partes illas aquoſas, & excrementitias craſſas, ex quibus conſtabat, & deficiens in ſanguine fermentatio naturalis eas perfecta mixtione unire non poſſit, nec eas ſegregare ad ſui emendationem, unde tota maſſa ſanguinis inficitur, excrementiſque turget, ſine ſpe correctionis à cordis fermento, vel ab ejus calore, cùm illud ob ſanguinis imperfectionem depravatam aliorum fermentorum conditionem ſequatur.

Hæc omnia noſtro caſui applicata cauſam narratorum accidentium manifeſtant, dum à copioſo ſanguinis fluxu hujus maſſa ſpirituum quantitate depauperata, inſufficiens facta eſt ad præſtanda partibus neceſſaria ſubſidia, fermenta ætate ſenili torpida excitando, & reparando, unde chylificatio imperfecta fuit neceſſaria in hoc Patiente, quia fermentum ventriculi penè extinctum fermentationi alimentorum nullam operam dedit propria virtute, & activitate, ſed ea reliquit propriæ fermentationi conſiſtenti in ſolo motu particularum alimentorum contritorum, qui motus tendens ad putredinem, eo modo, quo tenderet, ſi alimenta contrita vaſe externo imponerentur, ibique relinquerentur, efficit, ut alimenta in ferè putridum colliquamentum diſſolvantur, itaut ſeri copiam ſuppeditent effœtam, ſpiritu in colliquatione expirato, eo modo, quo alimenta contrita, & poſita in vaſe externo, in liquamen putridum abeunt minimè ſpiritoſum; & ſi ex alimentis alteratis à ventriculo modo dicto diſpoſito eliciantur partes craſſæ, hæ inutiles ob ſpirituum evaporationem remanent, & confuſæ non permixtæ cum aquoſis, & incapaces ad reci-

recipiendam aliquam perfectionem in inteſtinis à fermento bilis, & ſucci pancreatici, non ſolùm ex parte ſui ob imperfectionem in ventriculo contractam, ſed etiam ex parte mox dictorum fermentorum, à copioſo ſanguinis fluxu labefactatorum pari labe, ac illud ventriculi, quapropter chylus aquoſus, & tamquam vappa in ſanguinem per lacteas traducitur, qui in ſua virtute hæmatoſim perficiente, valdè diminutus parum aquoſam maſſam alterat, & hæc nec rectè miſcetur cæteris partibus, ex defectu etiam neceſſariæ fermentationis ſequentis ſpirituum diſſolutionem, hinc ſeroſa colluvies in vaſis, & facilè ſolubilis ob mixtionis deficientiam, quæ ab atteriis in partes internas thoracis effuſa fuit in magna copia, vel quia in his partibus orificia arteriarum ſint latiora, vel impetus, quo expellitur ſanguis ibi ſit validior, hanc copiam ſeri cum abſorbere non valeant nec venæ, nec vaſa lymphatica, cavitas thoracis eam excepit, & in ipſam paulatim collecta Hydropem fecit; hinc difficultas reſpirandi ab aquæ multitudine impedita cum pulmonum motu aeris attractione, in nocte creſcens, dum vaporoſæ fuligines tunc temporis ingruente ſomno magis colliguntur, & calore lecti elevantur, quæ graviùs pulmones opprimendo, & ſpatium pulmonum motui detrahendo majorem difficultatem reſpitationi imponunt.

Pro curatione ergo, ſeroſitas in cavitate thoracis per purgantia, diuretica, vel Diaphoretica minueuda, poſteà ſanguini ſua temperies reſtituenda, cum partium coctioni dicatarum corroboratione, ne aqua generentur, ultimo loco vaſa corroboranda. Horum conſecutio difficilis redditur ab ætate in ſenio conſtituta, à parte principali, qualis eſt ſanguis, labefactata, & ab omnibus corporis facultatibus everſis.

Primò, ergo vel Manna ſoluta, vel Jalappa pulverizata, vel ejus Magiſterio pro natura Ægrotantis purgandum corpus, poſteà præparetur materia ſequenti Apozemate. ♃. Rad. Enulæ campanæ, Tuſſilaginis, Iridis florent. Aſparag. Fœniculi an. ʒ. ij. Herb. capil. Ven. Hyſoppi, Botrys, Saxafragiæ, Milii Solis an. m. s. ſem. Bombacis, Urticæ, Dauci an. ʒ. i. Salſæ ℥. ß. Santal. rub. ℥. ß. Cinam. ʒ. ß. Calam. aromat. ʒ. i. ß. Nucis moſcatæ ʒ. i. Spicæ ʒ. ß. Gran. Sambuci, Juniperi an. ℥. ß. coquantur in aquæ Tuſſilaginis ℔. iiij. ad conſumptionem tertiæ partis, poſteà coletur, colaturæ adde Sacchari q. ſ. & ſ. a. f. Julap. de quo capiat omni mane ℥. iiij. addendo ſpirit. tart. rectificati, & dulcificati ℈. ß. & omni tertio die purgetur corpus blando Hydragogo, ut ex ℈. ii. Jalappæ ſi vires permittent hanc quantitatem, & iteratam purgationem, in ſero poſt cœnam ſummat cochlear unum Aquæ vitæ, in qua infuſa fuerint Cinamom. Macis, Nux moſcata, Gariophili, Spica, Cubebæ, grana Khermes, & Juniperi addito pauco Julap. his continuatis per quindecim dies ſudor promovendus, vel decoctione Milii priùs decorticati, vel ſequenti Decocto. ♃. Ligni ſancti torniti ℥. iiij. Raſutæ Eboris ℥. ij. Raſuræ Cornu Cervi ℥. i. Fumariæ, Eupatorii Meſue, Card. bened. an. m. s. Rad. Ari, Hirundinariæ, Valerianæ an. ℥. ß. Baccarum Juniperi ℥. i. Nucis moſcatæ ʒ. i. macer. per 24. horas in s. q. aquarum flor. Ebuli, & Geniſtæ, & vini albi, poſtea bulliant ad tertiæ partis conſumptionem, facta colatura ſervetur, & ſumat de hoc ℥. vi. His peractis magis vergenti incumbendum, ſanguini nempè ſuam temperiem, calorem reſtituendo, & facultates corroborando, ad quod nos conducet ſequens pulvis. ♃. Pul. Viperini ℈. i. Pul. cachec. Quercet. ſine ſaccharo ℈. i. Throcis Galliæ moſc. gr. viii. m. ſuperbibendo Decoct. in Jure, vel Aqua Abſynthii, Ligni Saſſafras ʒ. ß. Calami arom. Macis an. ℈. ß. Ligni Aloes ℈ i. ſuperaddendo Elixir vitæ gutt. viii. Syrup. de Cort. citri ℥. ß. m. Corroborandi denique Pulmones vino, in quo infuſi fuerint Santali, Rad. Conſolidæ, Biſtortæ, Torment. Pyrolæ, Tuſſilaginis, Liquiritiæ, Scabioſæ, ſulphurato priùs dolio, in quo conſervandum fuerit Vinum, vel antequam ſumatur addendo aliquot guttas Olei ſulphuris. Optima tandem victus ratio ſervetur ad ſiccum vergens.

CONSULTATIO XXIX.

De Hydrope pulmonum, & ſputo ſanguinis.

CHirurgus temperamenti aduſti, ætatis annorum quadraginta quinque, potui ſpiritus vini intemperanter indulgens, cœpit de inappetentia, & deſtillatione ad pectus cum tuſſi conqueri, cui ſucceſſit faciei tumor cum depravato colore, & difficultate reſpirandi, quæ in motu ſemper augetur, itaut hic fuerit impeditus, & coactus patiens modò in lecto ſe detinere, hoc ſymptoma febris concomitata eſt, & volvendo ſe de uno latere verſus aliud in lectulo, exundatio quædam perſentitur, in hoc ſtatu dum valida tuſſi una die angebatur ſupervenit ſputum ſanguinis, quod ceſſavit, & uſque adhuc non apparuit.

Unicus error externus multiplicia in narratione enumerata ſymptomata germinavit, & fovit, ab immoderato ſpiritu vini acidum ventriculi enervatum fuit, & quaſi deſtructum, ſive quia ſua oleoſitate acuminatas, & duras acidi particulas emollierit, & obtunderit, ut aciditatis effectum edere prohibeantur, eo modo, quo ſpiritus vini rectificatus ſupra ſpiritum vitrioli deſtillatus ejus aciditatem obtundit, ſive quia motu vehementi, & perturbato ſuarum particularum ignearum, acida corpuſcula, vel in glandulis tunicæ interioris præparata, vel in reſidivo alimentorum latitantia, ſumma agitatione quatiendo illa diſſipaverit, vel in motu depravaverit cum alienatione à ſuo munere, hinc appetitus abolitio, obtuſo, vel fracto ſtimulo, imperfecta alimentorum fermentatio, & præparatio, fermento diſſipato. Sicut enim ſpiritus vini in moderata quantitate inertes, & otioſas acidi particulas ſuo motu excitare potens eſt cum appetitus, & chylificationis reſtitutione, ita per copiam aucta ejus actione eaſdem particulas valet diſſipare, cum appetitus proſtratione, & chylificationis læſione, per quam ex alimentis in ventriculo maſſa indigeſta partim aquoſa, & partim craſſa impermixta, & vappida reſultat, ſpiritu in craſſiori parte fixato, nec ſuſcitato ab inerti fermentatione, & diſſipato eo, qui in aquoſiori parte continetur clauſtro ob tenuitatem aqueę partis reſerato. Hujus concoctionis primæ errores non emendantur inteſtino duodeno, ubi chyloſæ maſſæ fit depuratio ope bilis, & ſucci pancreatici, ex eo, quod acidum iſtius, pari cum acido ventriculi fortunæ ſubmittitur à prævalente, ob copiam, ſpiritus vini activitate, cum enervatione illius fermentationis, & effervescentiæ ex congreſſu acidi ſucci pancreatici, cum bile alkalica oriundæ, inſufficientis ad volatilizandas partes puriores, & impuriores, & excrementitias ſequeſtrandas, contrà naturæ intentum, ad chyli perfectionem utrumque exigens, quodque aſſequitur, quando aciditas ſucci pancreatici, & diſſolvens alkalica virtus bilis, ſunt in ſuo naturali robore; neceſſe eſt autem, quod deficiat in hujuſmodi Patiente dicta effervescentia, cùm deficiat acidum pancreaticum non ſequente pugna fermentativa, niſi ex præſentia duorum dictorum pugilium, cum ſuis viribus, ſuccus verò pancreaticus ſine acido, vel cum debili eſt pugil ſine armis, nec eſt aptus pugnam adire ſic excrementitia materia unà cum bona, ſed vappida venas lacteas ingreſſa in ſanguinis clauſtra admittitur cum ejus detrimento, dum conſpurcatur, & tota cacochima redditur tam à ſeroſitate ſuperflua, & inutili, quàm à portione materiæ craſſiori; utraque pars in dies paulatim augetur, dum paulatim ab excrementis admiſſis ſanguinis virtus enervatur, & labefactatur, ut chylum ſibi miſcere nequeat, nec diſpoſitiones ad bonum ſauguinem ei imprimere, unde in excrementa, & craſſa, & aquea abit chylus, & ſanguis etiam in ſua craſi depravatur, ſic ſanguinis maſſa ſero præcipuè, & aliis excrementis redundans, circulatione per vaſa pulmonum, ſua laxitate facilitatem acquirit ad ſegregationem copioſi ſeri, cujus pars in bronchia aſperæ arteriæ depluens tuſſim parit, altera in poris ſubſtantiæ pulmonum diffuſa eam implet, & turgere facit, membranam eam diſtendendo, qua circumveſtiuntur, veſiculaſque in ea elevando, quarum diſruptione ſerum in cavitatem depluit continuato fluxu, à quo Hydrops, qui exundatione ſenſibili,

bili, quando de uno in aliud latus movetur, manifeſtus evadit.

Sic à materia bronchia occupante, & ſubſtantiam pulmonum, thoraciſque cavitatem implente reſpiratio difficilis redditur, impedito aeris ingreſſu, & pulmonum motu ad liberam reſpirationem neceſſario.

Non diſſimili ratione fit tumor faciei, dum ſerum ab arteriis in interſtitia carnis, & cutis faciei eructatur, in tanta quantitate, ut ductus lymphatici totum excipere non poſſint, unde ibi remanendo faciei tumorem gignit.

A tuſſi valida, aperta ſanguiferorum vaſorum orificia, nimia humiditate laxata factum eſt ſputum ſanguinis cum tuſſi, quòd non amplius viſum, quia ſanguis in vaſis pulmonum à transfuſa aqua vehiculo deſtitutus craſſior redditur, & per anguſta orifitia exire impotens eſt.

Febris generatur, vel à ſanguine nimis laxo, qui citò in corde efferveſcendo febrilem pulſus frequentiam imitatur, vel à vaporibus materiæ in cavitate thoracis contentæ, qui à depravatione ejuſdem materiæ fermenti extranei conditionem ſuſceperunt, cum activitate ad fermentandum ſanguinem præternaturam.

A naturæ horum ſymptomatum indagatione, & cauſarum dilucidatione eruuntur indicationes. Primò materiam in thoracis cavitate, pulmonum ſubſtantia, & bronchiis contentam minorandi purgantibus, & diaphoreticis, ſecundò Cacochimiæ univerſali incumbendi, totam maſſam ſanguinis mundandi. Tertiò acidum ventriculi, & Pancreatis remittendi, quartò Pulmones corroborandi.

Quibus indicationibus adimplendis maximam ponunt difficultatem multiplicia ſymptomata, & ex ſui natura contumacia, & periculi plena, attamen ſi Patientem integræ ſanitati reſtituere non erit conceſſum, ſperare poſſumus ſymptomata aliquo modo infringere, ut longiorem vitam remediorum efficacia obtineat.

Minorabitur ergo materia tam in cavitate pulmonum, quàm in venis contenta Primò cum Pil. Alephanginis ℨ. I. Magiſt. Ialappæ gr. vii. vel cum Potione magiſtrali ex Manna ℥. vi. poſteà ad Diaphore. deſcendendum Decocto Ligni Sancti, Salſæ, & Viſciquercini per quindecim dies, exhibendo cum decocto ℨ. 2. Cornu Cervi philoſ. præp. excitando ſudorem, ſi opus erit aliquo facili modo, ut cum pane ex furno recenter extracto, & omni quinto die purgans Hydragogum replicandum, ut ℨ. I. Ialappæ, vel ℨ. I. Pil. Alephang. cum granis duobus Elaterii; poſteà decocto Galli veteris reliquiæ conſumandæ; parabitur autem reponendo in ejus ventre Ligni Saſſafras ℥. I. Sancti ℥. I. ß. Rad. Enulæ, Ireos, Galangæ an. ℨ. I. herb. roſmarin. Majoranæ, Menthæ, Calamintæ, Pulegii an. m. s. Quinq. rad. aper. an. ℨ. ii. Decoctio fiat in s. q. aquæ donec caro ab oſſibus ſeparetur de hujus decocto ℞. ℥. vi. Tartari Chalyb. ℨ. I. & huic præmittatur Bolus ex therebentina ℨ. I. Ammoniaco ℨ. ß. diſſoluto cum vino malvatico, addendo ſpiritus ſalis armoniaci ad gutt. vi. & per hoc cacochimiæ paulatim providebimus, & materiam ad urinam ducemus. Omni quinto die pariter purgans aſſumendum paratum ex Pil. tartareis Quercet. ad ℨ. ß. Magiſt. Ialappæ gr. iiii. ſic enim & ſanguini, & excrementis in cavitate thoracis contentis providebimus per quindecim dies continuando; tandem cacochimiæ magis providebimus cum Pul. cachetico Quercet. ad ℨ. I. addito Bezoarti. mine. ℈. ß. & Cinnab. Antim. opt. ſublim. ℈. I. cum aqua Pulegii, & fœniculi, vel Eupatorii, & Agrimoniæ; acidum ventriculi eſt corroborandum, & augendum omni mane per mediam horam ante cibum aſſumendo ſequentem pulverem ℞. Cræm. tart. ℈. I. Salis tart. vitriol. ℈. ß. Vitrioli martis ℈. ß. Sacchari cand. ℨ. ß. vel ℞. Aquæ Portulacæ ℥. I. Aquæ cinamomi ℨ. ii. Spirit. ſalis q. s. ad gratam aciditatem Pulmones corroborari poterunt cum conſerva florum anthos, & Beton. an. ℥. ß. addita tinct. Antim. & Sulphur. ad ℈. I. pro qualibet vice, & ſummat ſerò poſt cœnam. Victus ratio ſit exſiccans, & ab aſſiſtentis Medici providentia moderetur.

CONSULTATIO XXX.

De Tuſſi, obſtructione Hepatis, & febre continua.

COmitiſſa, non minùs nobilitate generis, quàm animi qualitatibus excellens, temperamenti calidi, & humidi, cum bilis ſubdominio, habitus pinguis, ætatis annorum vigintiſex omni anno per aliquod tempus a tuſſi corripitur, anno præterito cum in primis gravidationis menſibus exiſteret à febre lenta, unà cum tuſſi correpta fuit, quæ elapſo anno adhuc perdurant, in principio tuſſis, aliqua ſputa ſanguine tincta apparuerunt; ſed eodem tempore mucus naſi ſanguineus apparuit, ſputa cum facilitate excernit mediocris conſiſtentiæ, & alba, præter ea, quæ tempore matutino ſomno excuſſo reddit; nam tincta ſunt humore putulento, ſed cum conſiſtentia, tuſſis aliquando per diem intermittit, modò febris à cibo exacerbatur ſine ſigno, eſt continua cum diminutione pinguedinis, obſtructio adeſt circa Hepar, menſes quandoque rectè fluunt, quandoque deficiunt.

Humidum temperamentum dicimus, quòd humores ſeroſos, & pituitoſos ſupra mediocritatem humanæ naturæ convenientem in corpore colligit, quare propoſitam patientem humido tempetamento donatam prædictis humoribus ſcatere ſine dubio poſſumus aſſerere, & in confirmatione hujus erit tuſſis omni anno patientem moleſtans, ex tranſmiſſione ſeroſi humoris in maſſa ſanguinea cumulati ad bronchia pulmonum, qua natura ſtuduit ſanguinem exonerare ab ejus copia, pro conſervatione ſuæ integritatis, viæ tranſmiſſionis ad pulmones non fuerunt caput, & aſpera arteria, ut communiter ab antiquis ſtabilitum fuit, ſed arteriæ bronchiales, quæ ſanguinem deferendo ad dicta bronchia, & membranam illorum internam in eorum cavitate depoſuerunt plus ſeri, quam conveniat ad eam mucoſitatem conſervandam, qua obliniuntur ex naturæ attificio, & ſagacitate, ut membranæ munimentum paretur ad reprimenda aeris inclementis irritamenta, à quibus ſine tali munimento irritata in continuos tuſſis motus impelleretur, cum maximo animalis incommodo, & ſanguificationis detrimento, juxtà ſententiam ſaniorum anotomicorum exiſtimantium pulmones ſuo motu ordinato mixtionem chyli cum ſanguine promoventes cooperare ad ſanguificationis opus.

Serum in copia exceptum à bronchiis, cùm ſemper aliquid mordacitatis habeat à ſale in eo diſſoluto, membranam dictam bronchia inveſtientem irritando, tuſſim excitat contractis à vellicatione fibris membranoſis pro noxii expulſione, cur verò ad pulmones potiùs, quàm ad aliam partem transferatur copia dictæ ſeroſitatis, id tribuendum, & ſeroſitati, quæ ex aliqua cauſa à ſanguine diſgregatur, & orificiis vaſorum pulmonum, quæ magis ampla, quàm in aliis partibus majorem humoris dicti copiam in eos deponunt, vel pulmonum poroſitatibus dilatatis, quæ humorem transfuſum in ſe retinere valent, certum eſt aliquam adeſſe diſpoſitionem in parte per quam humorum copia, & recipitur, & detinetur.

Gravida facta Patiens, ſeroſum, & pituitoſum humorem in maſſa ſanguinea ex menſium retentione magis cumulavit, pro cujus expulſione conſuetas pulmonum vias tenuit natura, unde tuſſis modo ſuperiùs explicato, ſputa ſanguinolenta apparuerunt, vel quia ſerum ab arteriis ejectum aliqua ſanguinis filamenta ſecum traxit, vel à capite per infundibulum aperto capillari vaſe deſcendendo ſputo ſe immiſcuit, quòd reddit probabile tinctura ſanguinis muccum narium eodem tempore tingens, quocumque modo factum fuerit, Phtyſis ſuſpicio tollitur meo judicio contra ſententiam eorum aſſerentium vulcus in ſubſtantia pulmonum factum eſſe, & in meæ ſententiæ comprobationem faciunt ſputa alba concocta, & à pure aliena, quodſi ea, quæ poſt ſomnum expelluntur purulento colore tincta videntur, id ex mora quam trahunt contingere credendum, ſed quod magis concludit in comprobationem meæ ſententiæ eſt, quòd per diem integrum aliquando nihil excernit.

Pars

Pars ſeroſior humorum hoc modo fuit expulſa per viam ſupradictam ad pulmones, & remanſit craſſior in ſanguine viſcoſitatem aliquam ei tribuens, qua ſeri mixtio cum aliis particulis redditur difficilior, & ejus ſegregatio facilior, portio ejuſdem materiæ depoſitata fuit in hepate, & præcipuè in gibba ejus parte, ubi poroſitates occupando fluenti ſanguini remota fit ſua quantitate, à qua cum ſanguine ſtagnante tumor elevatur, qui ad tactum ſentitur cum dolore ipſius Patientis loco etiam leniter compreſſo, in alia etiam parte Menſenterii potuit craſſus humor vaſorum obſtructionem efficere, quæ fuit cauſa febris modo multoties explicato, cum hæc exacerbationes manifeſtas cum frigore habuerit, & ab hac cauſa pendet etiam, quæ de præſenti habet ſine prædicto frigore, quòd non ſuccedit; dum vapores craſſi à minera febrili non elevantur, qui cor tendentes expanſionem caloris iſtius, & ſanguinis impediant, cum refrigerio maſſæ ſanguineæ magis ſenſibili in extremis partibus, ſicuti priùs elevabantur, cum prædicto refrigerii effectu, & quamvis augmentum febris poſt cibum anſam dederit alicui talem febrem hæcticam manifeſtam denominandi, contrarium mihi tamen perſuadet, & omnem talis febris ſuſpicionem tollit pulſus, qui eſt elevatus, & mollis, & in ſua frequentia æqualis, cui adiungitur pro majori corroboratione, quòd color cutis eſt ſimilis ei, quem in ſanitate perfecta habebat, labia ſunt optimè colorata, vires reſpectu longitudinis morbi annum excedentis ſunt conſtantes, genæ non concidunt, quamvis carnoſæ, & ſoliditatem carnis retinent, nec pulſus alteratio à cibo eſt ſemper certum hæcticæ ſignum, & præcipuè cùm calor non conjugatur mordax, à quo prædicta patiens libera evadit, imò quandoque calor de nocte tantummodò augetur. Dictæ verò alterationis cauſam eſſe puto bilem, quæ ob Hepatis tumorem non tota ſecernitur in hepate, & remanens, mixta ſanguini hunc viſcoſitate ſupradicta effectum aliquo modo attenuat, & magis inflamabilem extenſæque rarefactionis capacem reddit, prout ſunt omnia viſcoſa attenuata ſine viſcoſitatis deperditione, ut continuam, & longam pulſus alterationem febrilem efficere ſit potens, ob facilitatem ad efferveſcendum, & rareſcendum, & ad continuandum in his ob conceptam viſcoſitatem, & quia à ſpiritoſis, & calidis alimentorum particulis maſſam ſanguineam ingredientibus, bilis activitas augetur, & ſanguinis diſpoſitio ad efferveſcendum magis vigoratur, ideò efferveſcentia iſtius augetur à cibo.

Hæc ſanguinis rarefactio eſt poſteà cauſa, ut ſerum in copia ſemper exundet, & in pulmonum bronchiis depoſitetur cum fomento tuſſis continuæ.

Pro curatione horum affectuum patet ſeroſam materiam eſſe minorandam, & exſiccandam, ſanguinis conſtitutionem viſcoſam eſſe corrigendam, obſtructiones Hepatis tollendas, ut bili ſua naturalis pateat via, & pulmones Heparque corroborandos, & quamvis ſerum, & pituita craſſa fuerint liorum morborum cauſa primaria, curationem ab his primò auſpicandam eſſe non cenſeo, cùm exſiccantibus obſtructiones fieri poſſint contumaciores, & ſic impedito bilis motu eaque intra ſanguinis clauſtra reſerata efferveſcentia præternaturalis fomentum accipiet, & forſan etiam ſanguini viſcoſitas major conciliabitur; E contrà verò ablatis obſtructionibus, bilique via parata ad ſua vaſa efferveſcentia in ſanguine ſedabitur, & deobſtruentibus ſanguinis craſſities emendabitur, & perfectior ſuccedet mixtio particularum ſanguinis, & præcipuè ſeroſarum, quæ à viſcoſitate illius arcebantur à mixtione perfecta cum aliis, & exſiccantia tunc ſine alio detrimento reliquum ſeroſitatis abſumendo, ſanguinique debitam conſiſtentiam conciliando omnem adimplebunt paginam, & ſic in morborum curatione patet quandoque à productis incipiendam eſſe curationem.

His indicationibus ſatisfieri poſſe, parum ſpero, cùm morbus altas jecerit radices ob temporis diuturnitatem, & partes nobiles ſint affectæ, ſuſpicandumque ſit pulmonum ſubſtantiam, etiamſi ulcere non affectam, ex diuturnitate tamen excrementitii humoris laxitatem contraxiſſe, ſuis functionibus incommodam, & forſan irreparabilem, vel eorum fermentum eſſe adeò alteratum, ut in integrum reſtitui non poſſit, remediis tamen tentanda eſt curatio.

Et quia jam præparatoria univerſalis purgatio eſt completa deobſtruentia proponam ℞. Cryſtal. tart. Salis Abſinthii an. ℥. 1. in marmore cum piſtillo ſimili terantur, & lævigentur ſenſim inſtillando ſpiritum vitrioli rectificatum, donec hujus ʒ. ii. imbiberint, deinde ℞. Santal. rub. Rhaub. el. an. ℥. 1. terantur eodem modo ſupra marmore imbibendo paulatim ſpiritu vini rectificato, donec fiant inſtar paſtæ, quæ ad aerem in umbra ſiccanda, iterumque ſupra marmore lævigandam, & ſpiritu vini imbuenda, donec in prima, & ſecunda lævigatione imbiberit ſpiritus vini ℥. iiii. ſiccanda iterum in aere umbroſo poſteà tartarum, & Santali iterum lævigāda ſimul, & miſcenda addendo Antimonii Diaph. ʒ. iiii. Croci martis aperit ʒ. v. Spiritus ſalis armoniaci ʒ. 1. mixtis omnibus, ſubtilimè lævigatis ſiccentur in umbra, & ſerventur; De hoc pulvere ſummat ʒ. 1. omni mane in aqua Agrimoniæ, & Abſinthii an. ℥. ii. omni tertio die pil. Melangog. ad ʒ. ß. purgetur per menſem in hujuſmodi medicamenti uſu perſeverabit, poſteà ad Decoctum exſiccans deveniemus ex ſola Salſa, quæ tumores ſolet etiam emollire, unde in obſtructionibus videtur magis tuta, quàm cætera exſiccantia, ut ℞. Salſæ el. ℥. iiii. præp. ſ. a. infundatur in ℔. vi. aquæ fontis per diem naturalem poſteà bulliat clauſo vaſe, in quo ſuſpendatur nodulus continens Antimonii craſſo modo contuſi, Pumicis an. ℥. iii. ebullitio continuetur lento igne, donec conſumpta ſit tertia pars aquæ, in fine ebullitionis adde Fol. Botrydis, Tuſſilaginis, Hyſopi an. m. 1. poſteà coletur, & de colatura accipiat omni mane ℥. viii. & in ſerò ℥. vi. præmittendo Bolum ex Terebentina ℈. ii. & oculorum Cancri ʒ. ß. ad utinam ciendam, ut faciliùs ſeroſa colluvies abſumatur per quadraginta dies in hoc inſiſtendum Decocto, & ultimo loco pro ſanguinis correctione, & maciei ad quam videtur tendere reparatione lac aſininum exhibendum per quadraginta dies pro corroborandis pulmonibus, mirè præſtant vulneraria ex ſententia Helmontii, inter quæ enumeratur conſolida utraque, tormentilla, Biſtorta, Rhaponticum, Taraxacum, flores tilliæ præſtatiſſimum tamen remedium judicarem ſanguinem Simphyti à Quercetano deſcriptum cum floribus ſulphuris, & exhibitum cum aqua florum tilliæ, Victus ratio juxta medicamentorum conditionem moderetur.

CONSULTATIO XXXI.

De Pleuritide.

VIr temperamenti melancolici aduſti, ætatis annorum trigintaquinque tranſacta hyeme maximè rigida, & inſtante vere cœpit conqueri de dolore ſub mamma dextera ſequenti die correptus fuit febre cum dolore, & rigore, dolor auctus fuit cum magna tuſſi ſicca, & cum reſpirandi difficultate, febris non eſt valdè intenſa, nec calor intenſus, pulſus parvus, & veluti concentratus, vires animales conſtant; Miſſus fuit in principio ſanguis, in cujus ſuperficie apparuit gelatina alba ad duos digitos, ſputa adhuc non apparent, quamvis tuſſis ſit ferè continua, & violenta, urinæ ſunt ferè aqueæ, quid agendum, ſit quæritur?

Coagulationis ſigna ex relata Hiſtoria licet colligere non ſolùm à parte affecta dolore, qui pendet ab inflammatione membranæ pleuræ, cujus cauſa eſt humor craſſus, & coagulatus circulationem ſanguinis in dicta parte impediens, ex quo cogitur hic ſtagnare, & more ſtagnantis aquæ concepta putredine febrem accendit, putridis vaporibus fermentativis maſſæ ſanguineæ communicatis, & idem humor membranam diſtendendo, vel tumore, vel ſui rarefactione à putredine conciliata dolorem infert, quem calidum putredinale per mixtionem ſalinarum particularum acre magis redditum fovere, & augere poteſt, effluvia hujuſmodi calida, acria à pleura ad pulmones tranſpirantia, & membranam eorum, & nervos pneumonicos, & lobulos, atque interſtitia membranoſa irritantia, tuſſim ſiccam efficiunt, & humor inflammationem pariens per putredinem adhuc non completam, cum ſua craſſitie

tie remanet, ut non poſſit à poris pleuræ in pulmones transfudare, prout neceſſarium eſt pro talis humoris expulſione cum tuſſi humida, & morbi curatione.

Coagulationis ſigna in tota maſſa ſanguinis apparent ex pulſu parvo, & concentrato, ex gelatina in ſuperficie ſanguinis extracti apparente, ex calore miti, & ex urina aquea, & tenui; nam coagulatus ſanguis in corde parum rareſit, unde arteria parum dilatatur cum pulſu parvo, ex parva rarefactione ſpiritus calidi in moderata ſolùm quantitate ſecernuntur, unde moderatus calor, & à ſtricta unione partium à coagulatione facta niſi ſubtilior, & aquoſa ſubſtantia per effervescentiam ſegregatur, unde urinæ aqueæ, nec tinctæ.

Hujus coagulationis cauſa eſt Acidum naturale in tali Patiente ſuperabundans, ratione temperamenti melancholici, à quo maſſa ſanguinis condenſatur, & craſſa redditur, quod acidum auctum fuit à tranſacta hyeme, & adventante vere à calore exaltatum partes ſulphureas ſanguinis compreſſit, & fixavit unà cum condenſatione maſſæ ſanguineæ, cujus portio in venis pleuræ obſtructionem pariens Pleuritidem effecit.

Pro curatione itaque perfecta, coagulatio non ſolùm in parte particulari auferenda, ſed etiam in maſſa ſanguinea, dolor ſedandus, additis eis, quæ à proprietate Pleuritidi occurrunt, & quæ expectorationem adjuvant, quibus omnibus febri etiam proviſum erit.

Quibus ſatisfacere non erit facile cum ſanguinis univerſalis coagulatio; diſſolutionem totalem ejus diſponat, vel in parte magis principali inflammationi cauſam dare poſſit.

Ad novam ergo ſanguinis detractionem accederem, ut ab acre ingrediente novo, ſanguis magis volatilizaretur, & ejus nitroſis particulis magis accenderetur, cum coagulationis reſolutione, poſt ſanguinis miſſionem ſequenti pulvere ad ʒ. I. contra Pleuritidem ſpecifico, & experto utatur. ℞. aniſor. ariſtolochiæ lung. rotundæ, baccarum lauri, boli armenæ orient. biſtortæ, Croci, Ditami albi, Gentianæ, Maſticis, Pithatri, Rhaubarbari rapont. terræ ſigil. Tormentillæ an. ℥. ß. s. pulverizentur, ſumenda erit ſupradicta quantitas, vel in jure, vel in aqua pectorali, & etiam poſt vigintiquatuor horas reiteranda, & ante quartam diem eſt majoris efficaciæ, quodſi huic non cedat Diaphoreticum hujuſmodi inſtituerem, quo ſanguinis conſiſtentia etiam emendabitur. ℞. Cornu Cervi præp. ʒ. I. Bezoartici min. ℈. I. m. ſuperbibat aquæ card. bened. ℥. iii. Scorzoneræ ℥. ii. Flor. Papav. errat. ℥. iii. Theriacalis Petri Salis ℥. I. & ſi ſudor non proliciatur, ſequenti die, vel idem reiterarem, vel ʒ. I. Cinnabri Antimonii exhiberem cum aqua ſupradicta addendo ſpirit. Salis Armoniaci, vel Cornu Cervi gutt. x. vel ʒ. ii. pul. radicis Lappæ Major. cum ſupradictis aquis, quæ ultrà quod ſudorem movet, eſt ſpecificum pro Pleuritide, pro continuo lambitivo, à quo ſudor poterit adjuvari utatur ſequenti. ℞. Aquæ fœniculi, Pulegii, Card. benedicti an. ℥. ii. Theriacalis ℥. I. Salis roſmarini, Salviæ an. ℈. ii. Tinct. antim. ℥. I. Spirit. Salis armon. ℈. I. Syrup. Pap. errat. ℥. I. ß. m. Ante cibum per mediam horam hoc Pulvere utatur. ℞. Oculor. Cancr. præp. Mandib. lucii præp. an. ʒ. ß. Antim. diaph. gr. xv. m. cum aqua papav. errat. & Totius citri an. ℥. I. Alterantia pro ſyrupo fiut ex Taraxaco, Eryſimo, Carduo ben. & Cycorea ſylveſtri, præmittendo bolum ex ℈. ii. Diaſcordii cum gutt. vi. ſpirit. Cornu Cervi. Hæc volatilia non ſunt timenda ratione febris, quia ſtante ſanguinis coagulatione, & febre ſymptomatica ſunt propria, & tuta, externè applicetur ſequens Emplaſtrum. ℞. Ung. de althea ℥. ii. Pingued. gallinæ, Anatis an. ℥. I. Theriacæ Diateſſaron. ℥. ß. Salis nitri, Sulphuris ſ. p. an. ʒ. I. cum oleo de lateribus, & vulpino q. ſ. f. lenimentum, & ſi priùs illiniatur pars cum ſpiritu vini aromatizato cum nuce muſchata, garioph. & Cinamom. erit efficacior, nec expaveſcenda hæc calida in inflammatione, nam motum ſanguini ſtagnanti reſtituunt, acidum illud ſanguinis coagulans deſtruendo. Expertum tamen habeo ſequens ceratum in omni Pleuritide. ℞. Duas partes Picis grecæ, & unam Picis navalis, diſſolvantur ſimul lento igne, & fiat Ceratum, quod diſtendatur ſupra pannum lineum, & parti applicetur facta priùs fomentatione cum dicta aqua vitæ, lambitiva adhibeantur pro expectoranda materia pulmonibus communicata ex ſyrupo de Violis, Papav. errat. & liquiritia cum Aquis farf. Violar. & flor. pap. errat. Victus ratio ſit tenuis.

CONSULTATIO XXXII.

De Pleuritide.

JUvenis temperamenti calidi, & humidi, annorum triginta, in hoc vere per integrum diem flante Auſtro equitavit, & cum celeritate, & in hujuſmodi exercitio ſudavit, & pluvia per aliquod ſpatium itineris madefactus, domui reſtitutus, ſiti, & languore moleſtatus vinum generoſum copiosè ebibit, altero die laſſitudinem doloroſam totius corporis perſenſit, unà cum tenui frequenti, & copioſo ſputo, quæ poſtridiè magis aucta, unà cum febre, quæ valdè eum afflixit, in ipſo ferè febris inſultu dolorem circa ſpatulam perſenſit, qui difficilem reddebat reſpirationem, & poſtea ſub mamma ſiniſtra ſe firmavit, cum magno cruciatu, & præcipuè cum in oppoſitum latus ſe volvit, in quo requieſcere non poteſt, febris parum caloris præſefert, pulſus eſt parvus, & debilis, urinæ ſunt turbatæ, vires proſtratæ in primis morbi diebus, poſt quartam ſputa ceſſavere, & quæ apparent fuſci ſunt coloris ſanguis miſſus à vena erat ſine coagulatione.

Maſſæ ſanguineæ diſſolutionem in hoc Patiente eveniſſe ipſius ſanguinis emiſſi conditio docet, & copioſus deſtillationis fluxus ſubitò factus, qui copioſam ſeri diſgregationem, & ultimam pro diſſolutione cruoris diſpoſitionem oſtendit, ſicut præceps virium lapſus ſpirituum diſſipationem, diſſolutionis ſanguinis ſequacem deſignat, pulſus parvus, & debilis pendet ab amiſſa ſanguinis naturali viſcoſitate, qua rarefactionis incapax redditur in cordis ventriculis, & conſequenter impotens ad arteriam cum impetu dilatandam, in quo pulſus magni, & robuſti natura conſiſtit, & ſolùm valet arteriam debiliter, & parum movere, unde pulſus parvus. Viſcoſitatis dictæ defectus diſſolutionem neceſſariò infert in ſanguine, prohibentem etiam ſpirituum elaborationem, & ſegregationem, quæ per ſolam rarefactionem moderatam ſanguinis operatur, unde hac ad extremum parvitatis gradum ducta ex neceſſitate ſequitur ſpirituum elaboratio, & ſegregatio imbecillis, & parva fundamentum alterum pulſus languoris, & parvitatis cùm arteria parum elevetur in pulſu parvo, quia deficit in corde, & ſanguine impetus ad vim faciendam arteriæ, & impetus talis deficit, quia ſpiritus parvus eſt.

Hac viſcoſitate naturali, & craſſitie ſanguinis deſtructa per diſſolutionem ſpiritus vinculo deſtitutus evolat, relicta virium proſtratione, non ſolùm in inſtrumentis animalibus, ſed etiam in naturalibus, & vitalibus, hinc urinæ turbatæ neceſſitas, dum partes craſſiores à cæteris diſſolutæ ſero confunduntur turbationem huic inferentes. Ab hujuſmodi diſſolutione copioſa ſeri in cerebrum depoſitio, cujus ſuperflua portio quantitate etiam excedens per ordinaria emunctoria ad palatum depluens ad aſperam arteriam, & per hanc ad pulmones delata, acrimonia, qua à ſalibus maſſæ ſanguineæ diſſolutis donatur tuſſim excitat, & portio ejuſdem ſeri ſubtiliori portioni ſanguinis, & materiæ craſſioris confuſæ ad vaſa minora pleuræ delata portione craſſioris humoris, partis obſtructionem parit, quæ novo ſanguini per circulationem advenienti impedimentum ponendo, cogit ſtagnare, & pars in tumorem elevatur à quantitate ſtagnantis ſanguinis, qui putredinis ſpecie concepta calore igneo accenditur cum generatione inflammationis, quæ dicitur Pleuritis, unde ob ſolutionem continui dolor, ferociam accipiens ab humore acri ſalinis particulis mixto, & in putredine ſtagnantes humores exaltati putridis vaporibus fermentum præternaturale addunt ſanguini, unde febris, quæ ob diſſolutionem ejuſdem etiam adeſſet non-exiſtente inflammatione, ex eo quod ob ſui tenuitatem, citatiorem, & frequentiorem ſuſcipit in corde effervescentiam, licèt parvam ob diminutam viſcoſitatem, dum talem retinet, ut pulſui frequentiæ continuæ ſufficiat febris indi-

tium,

tium, & hæc febris eſt maligna non ratione inflammationis, ſed ob diſſolutionem ſanguinis, & inflammatio eſt hujus effectus; nam primò invaſit febris, & huic ſucceſſit dolor.

Difficilis redditur reſpiratio, quia à tumore fibræ muſculorum interiorum inter eos talium reſpirationi inſervientium compreſſæ debitæ dilatationi pectoris non inſerviunt, & cùm non longas, & validas perficere valeant contractiones, debiles ſed crebriores edunt, & reliqui inoffenſi ſuum motum ad læſorum normam dirigunt. Voluntas etiam ad hanc difficilem reſpirationem concurrit, ſtante quod in longa, & valida fibrarum contractione dolor magis exaſperatur, quòd ut quid moleſtum evitet patiens voluntas ejus prædictas contractiones cohibet, & illis crebrioribus contractionibus ſatisfacit. Fit tuſſis ob irritamentum pulmonibus communicatum per tranſmiſſionem materiæ à pleura ad eos.

Malignitatem colligere licet à pulſu parvo, & debili, ab urinis turbatis, & præcipuè ab univerſali virium languore in ipſo febris principio apparente, à quo ſputa etiam ſupreſſa fuerunt, deficiente robore pro materiæ expulſione, & ſputa, quæ excernuntur fuſco colore tinguntur, quia calor in parte affecta, & humoribus extinguitur. Diſſolutionis cauſa fuit violentum exercitium, per quod ſanguis frequenti, & valida effervescentia in corde rarefactus amiſſa craſſitie convenienti, ad tantam tenuitatem eſt redactus, ut partes componentes eum, naturali motu fermentationis ab unione ad invicem ſe ſubtrahere potuerint, cum ferè integra partium ſegregatione, quæ facilior reddita fuit à volatilizatione ſalium ſanguini inexiſtentium, perfecta à frequenti, & valida in corde effervescentia, cui ſtatui redacta ſalia, non ſolùm acrimonia, ſed motu violento, & perturbato totam maſſam ſanguinis corroſione quadam in particulas minutiſſimas diſſolvere valent ablata omnimoda unione inter eas intercedente, cui diſſolutioni favere potuit Ventus Auſtrinus, vini generoſi copioſa potatio, & madefactio, vel ſalium qualitatem, & virtutem augendo, vel humiditate tenuiorem, & rariorem ſanguini ſtatum conciliando, cui ſuccedit ſpirituum diſſolutio cum univerſali virium languore.

Pro exacta horum morborum, & recta curatione, primò humor à parte inflammata quantum poſſibile erit darivandus; ſecundò hi ſales præcipitandi, modificandi, & à corpore expellendi, ad quòd præcipuè conducunt diaphoretica; tertiò ſanguinis priſtina conſiſtentia procuranda; quartò ſpiritus reficiendi; quintò craſſa materia obſtructionem in pleura gignens attenuanda; & dolor leniendus; ſextò materia extra vaſa collecta per expectorantia ducenda, unà cum virium reſtauratione per ea, quæ ſanguinem corroborant adſtrictione, & quæ ſpiritus refocillant eorum expirationem prohibendo.

Difficultas his omnibus ſatisfaciendi manifeſta ſpem minuit, & quaſi tollit ſalutis hujus Patientis; tamen quia impium eſt ſolo prognoſtico Ægrum relinquere, aliqua experienda remedia.

Et quia facta jam fuit ſanguinis miſſio à vena, & vires ad aliam tolerandam non ſunt ſufficientes, contenti erimus de Cucurbitula loco dolenti applicata cum ſcarificatione. Pro præcipitandis, & extirpandis ſalibus corroſivis ℞. Bezoart. miner. ℈. ß. Cinnabris antim. reſidui à Mercurio vitæ pluries ſublim. ℈. ii. Bezoart. occid. ℈. i. m. & exhibeantur cum aqua Scorzoneræ, Galgæ an. ℥. iii. Aceti ſtillat. ℥. i. his enim provocabitur ſudor, modificabiturque acrimonia, & obſtruens materia attenuabitur, & hujuſmodi remedium poteſt exhiberi omni die per quinque horas à prandio, hæc enim ſudorem movendo agitationem diſſolutivam in ſanguine non introducunt, ſicut ſpiritus volatiles; Pro eadem intentione de ſequenti mixtura capiat ſæpè cochlearia lambitivi inſtar ℞. Aceti deſtillati, in quo infuſæ fuerint rad. Angelicæ, Zedoariæ, Tormentillæ, Herbar. rutæ, Scordii, Scabioſæ ℥. i. ß. Aquæ Scordii ℥. ii. Totius citri ℥. i. Diaſcordii, Confec. hyacintho an. ʒ. i. Tinct. antim. ʒ. ß. Syrup. de Scordio ℥. i. m. & hac ſpiritus etiam refocillabuntur. Alterantia miniſtrabuntur cum rad. Tormentillæ, Biſtortæ, & Zedoariæ cum flor. papav. errat. fol. Cicorei ſylveſtris, card. bened. Scordii, & Hiſoppi, cum ſyrupo de Tuſſilagine præmittendo pulverem ex mandibulis Lucii ad ʒ. ß. Antim. diaph. gr. xv. Bezoar. miner. gr. viii. Sanguinis hirci ſecundùm Helmonet. præp. ʒ. ß. m. & erit pro modificante, & deobſtruente, exhibeantur in hora magis quieta, vel mane. Parti affectæ applicandum erit Emplaſtrum compoſitum ex unguento Dialtheæ ℥. ii. cæpæ ſub cineribus coctæ num. i. Pinguedinis gallinæ ℥. i. fuliginis, fimi columbini an. ℥. i. Sulphiris vivi, Salis nitri an. ʒ. i. m. & cum oleo vulpino, & de cucurbita q. s. f. lenimentum, & lenita parte ſupponatur veſica bubula lacte tepido plena; Lambitivis communibus miſceatur confectio ex Hyacintho, & ſpecies diamarg. frigid. pro corroboratione ſanguinis media hora ante cibum utatur ſequenti pulvere ℞. Marg. præp. ℈. i. ß. Magiſ. coral. ℈. ß. Antim. diaph. gr. xii. m. & in potu ordinario miſceantur guttæ aliquot Balſami ſalis ad gratam aciditatem. Fit hoc Balſamum ex tribus partibus vitrioli optimè purificati per diſſolutionem in aqua, & una ſalis decrepitati, quæ ſi deſtilletur modo tradito ab Helmontio erit optimum remedium ſanguinis corroborativum. Victus ratio ſit tenuis, & viribus ſufficiens.

CONSULTATIO XXXIII.

De Sputo Sanguinis.

JUvenis ætatis annorum vigintiquinque, temperamenti calidi, & ſicci, ad iram maximè pronus, habitus corporis maximè rari, & ſanguinis tenuiſſimi cum rubore vivido ſemper in genis, ſolitus fuit præcipuè matutino tempore poſt ſomnum ſputa ſanguine tincta ſine tuſſi excernere, præcedente titillatione in aſperæ arteriæ principio ſenſibili, tamquam à deſtillatione illuc illabente, exercitio parvæ pilæ frequenti deditus, & compotationi vini generoſi, ſalſa deſtillatione fuit correptus ad pectus etiam delabente cum tuſſi; Præterita hyeme in tuſſiendo frequenter, & cum violentia ſanguinem vividum, floridum, & ſpumoſum ad aliquot libras excrevit, itaut vomi potiùs videretur, quàm per ſputum ejci, hæc excretio adhibitis remediis ceſſavit, in hac æſtate eodem ſputo ſanguinis correptus remedium quærit pro præſervatione.

Tria ſymptomata in hoc Patiente obſervanda veniunt primò deſtillatio ſalſa ad pulmones, ſecundò, quòd eſt maximè timendum ſputum ſanguinis, duo hæc ſymptomata ſunt in excretis mutatis, ſecundum autem eſt toto genere præternaturam, cùm ſit excretio ſanguinis floridi à natura numquam deſiderata per vias inconſuetas, cùm ſit promptuarium, à quo ſuarum actionum inſtrumenta deſſumit, nec talis via eſt excretionis ſanguineæ propria, nec in tanta quantitate naturaliter eſt excernendus, tertium eſt tuſſis ſymptoma in actione læſa, dum Pulmonum motus præternaturaliter, & cum moleſtia fit frequens.

Prioris ſymptomatis cauſa eſt ſanguinis morbus ſalſum ſerum generans in copia, dum copioſas ſalis particulas ex congreſſu excedentis acidi, & alkali collectas, & coagulatas poſt effervescentiam ordinariam præcipitat unà cum ſero excrementitio in cujus ſubſtantia diſſolvuntur, prout eſt proprium cujuslibet ſalis in humido diſſolvi, & quia hujuſmodi ſerum non per unicam ſanguinis circulationem per renes ab his poteſt excipi, ſed eodem tempore cum circulante ſanguine ad alias partes delatum ab eis excipitur, & ſic unà cum lympha ad ductus ſalivares ductum, in ſalſum humorem præparatur, delatum continua ſalſedine perfundentem, portio ejuſdem ſeri unita ſucco nutritio ſeroſo cerebro demandata pro ſucci nervoſi generatione, cùm ſit inhabilis ad ſucci dicti præparationem, per ſolita emunctoria ad palatum delabitur ſalſedinem huic communicando, & portio depluit per tracheam, & ejus ramificationem, unà cum ea portione ſeri, quam arteriæ, tracheæ ramos concomitantes, ex ſuis oſculis in eas transfundunt, vice illius humoris unctuoſi, vel unà cum eo, cujus transfuſio à natura decreta fuit ad obliniendam, & lubricandam, ut animadvertit ſemper colendus Villiſius interiorem arteriæ aſperæ tunicam, & ſalſo irritamento dictas tracheæ ramificationes ſtimulando tuſſim excitat, quæ eſt alterum ſymptoma patientem moleſtans.

Ab

Ab hujuſmodi motu arteriæ diſtractæ, valdè ſubtiliantur, non aliter, ac corium vi extenſum, vel membrana diſtenſa multùm attenuatur, itaut facilior ſit ſero ſalſo illas corrodere auxilio motus tuſſis lacerationi idonei, ob diſtractionem partium, & velut ſolutionem continui, quam efficit, unde corroſis, & laceratis arteriarum ramificationibus tam à ſalſo corrodente, quàm à motu violento lacerante, per apertam viam ſanguis transfunditur in aſperæ arteriæ ramificationes, qui per tuſſim poſteà excernitur in magna copia, quia majores rami arteriarum in medio pulmonum exiſtentium diſrumpuntur, & præ copia ſanguis tali impetu excernitur, ut per vomitum expelli videatur.

E contra ſanguis, qui unà cum catharo minans horrendum hoc ſymptoma matutino tempore excernebatur, à tracheæ principio infimo gutturis adveniebat, dum ſanguinis ſtillæ ob ſui tenuitatem, ab arteriis tracheæ tunicam obducentibus in cavitatem hujus exſudabant, unà cum ſero, ad iſtam lubricandam deſtinato, & hic ſanguis poſteà cum humore pituitoſo ibi etiam collecto, per meram fibrarum trachealium contractionem titillationis ſenſum exhibentem excernebatur.

Qua propter curandum eſt, ut humor ſeroſus ſalſus attemperetur, & bilis æſtus, ſanguiniſque effervescentia modificetur; Tuſſis moderanda eſt cum ſupradicta indicatione, & materiæ exitus facilitandus, & ſerum aliò divertendum; ſputum ſanguinis in ipſo actu exitus protinus cohibere debemus, poſt verò ſolutam unitatem conſolidare, ejus qualitatem corroſivam ſalſam corrigendo.

Hæc ultima difficultatem ponit in tota curatione hujus Patientis, cùm ferè ſit impoſſibile arterias corroſas, per motum pulmonum conſolidare, hoc tamen non obſtante remedia ſunt experienda.

Facta totius corporis purgatione cum blandis purgantibus, ut Caſſia, & refrigerantibus, pro præparatione herbarum Cycorei, Boragin. Malvarum, ſuccos depuratos an. ℥. I. ß. cum aqua Malvarum, & Plantaginis an. ℥. ii cum ʒ. I. Salis nitri fixi, & poſteà in aqua injecti per tres vices exhiberem per octo dies, quibus tranſactis denuò purgandum corpus cum Caſſia, & Magiſt. Ialappæ; Poſteà lac Aſinæ, cui mixtæ fuerint herbæ ſanguinariæ, Provincæ, Piloſellæ, Plantaginis, Hyperici, cùm rad. Conſolidæ, Tormentillæ, & Biſtortæ, hederæque terreſtris, & floribus Tilliæ uſurpandum ad ℔. I. cum vitriol. Martis ℈. I. quo remedio ſanguini conſiſtentia parabitur, & immoderata effervescentia ſedabitur, præmittendo tamen pulverem ſequentem ℞. Ocul. Cancr. præp. ʒ. I. Antim. diaph. ℈. ß. ut virtus diuretica eidem lacti concilietur, qua copia ſeri divertetur à capite, & pulmonibus, poſteà Ptiſſana Saxoniæ exhibenda immixto ſequenti pulvere, ℞. Bezoartici martialis ℈. I. Marg. præp. Coralor. præp. an. ʒ. ß. m. & per triginta dies in hoc conſiſtet medicamento, quo exſiccabitur ſuperflua ſeroſitas, & materia in pectore contenta, pro cujus expectoratione facilitanda ſequenti utatur Electuario, ℞. Loch. de pulmone Vulpis, Conſervæ roſ. an. ℥. I. ſem. Papav. albi ʒ. I. Lapidis Ematites, Sanguinis Draconis præp. an. ʒ. ß. Balſami orient. ℈. ii. Specier. diatrag. frig. cum bolo ʒ. I. Syrup. de papav. errat. q. s. f. Ellectuarium, quòd lambendo deglutiatur, cui poteſt addi Balſam. ſulph. therebentinati, & continuò in ingreſſu lecti ſummat ʒ. vi. Confectionis Diacodii factæ cum emulſione ſemin. papaveris, & cum minori portione ſacchari poſſibilis. In æſtate balneo aquæ dulcis utatur; Quodſi ſanguinis fervor non compeſcatur futuro Autumno acidulas aquas deducat ad uſum, vel in earum defectu aquam Noceræ participantem de minera boli, à qua virtutem aſtringentem, & ſanguinem corroborantem nanciſcitur, poſteà utatur continuò, jure alterato cum cichorea, radice Biſtortæ, cùm gutt. viii. Balſami ſalis, & ʒ. iii. Syrup. coralor. vel ℈. ß. tinct. ejuſdem, cui ſi addatur Sanguis ſymphiti, ex præparatione Quercetani ad ℥. I. & Balſami ſulph. therebintinati ℈. ß. erit efficaciſſimum remedium ad conſolidandum vulnus. Pro cibo utatur pulmento in jure, confecto ex pedibus, & capite vitulorum coctorum in aqua Ferrariorum; pro potu verò utatur Decocto ex china, ſalſa, Santalis, raſura Eboris, cum foliis linguæ cervinæ, Botryos, & Conſolidæ, fugiendo cibum lautum cum carnibus, & ovis in quantitate; omni menſe ad bilem expurgandam, & ſerum minuendum utatur hoc bolo ℞. Extract. Rhau. barb. ℈. ii. Magiſt. Ialappæ gr. vi. m. f. b.

Revertente ſanguinis ſputo, facta priùs ſanguinis miſſione, ligaturis in partibus inferioribus, & cucurbitulis ſiccis eiſdem applicitis pro revulſione, capiat ℥. iiii. ſucci hederæ terreſtris cum ʒ. I. Lapidis Ematitis in porfido præp. cum ſucco ſanguinariæ, & ℈. ß. Croci martis adſtring. ex eodem ſucco ad ℥. iii. & ſucci Urticæ ℥. ii. & ſucci marubii ℥. I. cum Cornu Cervi uſt. ʒ. I. ß. Caput. mort. vitriol. rub. & dulcif. ʒ. I. rad. conſolidæ ʒ. ii. Boli armenæ ʒ. I. ß. Sem. papav. albi ℥. ß. Balſami orient. ʒ. I. f. Loch. de quo ſæpè, & parum lambendo ſummat, ſemina ſalicis in umbra ſiccata, & pulverizata ad ʒ. ii. in vino auſtero habentur pro arcano ad ſanguinem ſiſtendum, ſicut etiam fructus mororum celſorum immaturorum in umbra ſiccatorum ad ʒ. ii. cum aqua ſummitatum quercus. Pro potu ordinario ſequens Decoctum habeat in uſu, ℞. Santal. omnium an. ℥. I. infund. per diem in ℔. viii. aquæ fontis, deindè bulliant ad tertiæ partis conſumptionem, addendo in fine folior. Tuſſilaginins, Capil. veneris, Piloſellæ, Veronicæ, Urticæ, Burſæ paſtoris an. m. I. Rad. conſolidæ, hederæ terreſt. Biſtortæ an. ℥. ß. Flor. Hyperici m. ii. ſem. Fænic. ʒ. vi. Lyquiritiæ raſæ ℥. ß. Paſſular. ℔. ß. coquantur, donec remaneant lib. quatuor, deindè facta colatura ſervetur pro potu. Dietam optimam ſervet ſemper.

CONSULTATIO XXXIV.

De Sputo Sanguinis cum Tuſſi.

VIr temperamenti calidi, & humidi, ætatis annorum quadraginta quinque optimi habitus, & coloris, gallica qualitate infectus anno præterito Decoctum ligni Sancti aſſumpſit, ſed remanſit in crure ſiniſtro debilitas in motu cum aliquo dolore, ſed magis miti, quàm anteà, in fine hujus æſtatis in venatione multùm defatigatus incaluit, & maximè calor circa caput apparebat, verſus veſperam domi reverſus cœpit per tuſſim ſanguinem eicere floridum, ſed non ſpumoſum ad libras duas, qui tandem ceſſit, ſed remanebat tuſſis, & ſputa erant ſanguis niger grumefactus, vel catharus ſanguine-atro tinctus, remiſſo capitis dolore, & calore accenſa fuit febris periodos habens, Tertio die à prima ſputatione ſenſit in reſpiratione aliquam anxietatem, & difficultatem, nocte ſanguis in eadem copia cum tuſſi ejectus fuit, ſimilis in qualitatibus primo, & iterum apparuit altero interpoſito die; in hoc patiente nulla adeſt deſtillatio, neque in ſaliva ſalſedo, miſſus eſt ſanguis ratione derivationis, & revulſionis alia expoſtulantur remedia.

Quamvis rubor, & calor in capite unà cum dolore ante primam ſanguinis ejectionem valerent perſuadere ſanguinem à capite in tracheæ ramos decumbiſſe, poſteaque tuſſi fuiſſe ejectum; attamen exitus ejuſdem per duas alteras vices remiſſo dolore, & calore capitis certos nos faciunt à vaſis pulmonum prodire, ſicuti deſtillationis carentia, & nulla ſalſedo in ſputo à corroſione vaſa eſſe immunia poſſunt nobis confirmare, ſed non ſine dubio, ob rationem inferiùs dicendam, unde concludendum ab exercitio, concitato calore, ſanguinem valdè rarefactum fuiſſe, ideòque quandam plenitudinem accidentalem in vaſis inſurexiſſe, cujus incapacia vaſa pulmonum, orificia eorum dilatata fuerunt, & ſanguini larga via in aſperæ arteriæ ramificationes pro exitu apparuit, unde in his collectus in magna quantitate tuſſim primo excitando hujus medio etiam reiectus eſt, hujuſmodi aperitionem ſollicitavit, tam bilis in exercitio violento exaltata, & attenuata ad majoremque activitatem redacta, quàm acidum acre, pendens à lue gallica ſanguinem inficiente, utriſque irritamentum præſtantibus ad orificia vaſorum dilatanda ſua acrimonia, à qua mihi videtur extra dubitationem non eſſe, vaſa corroſionem pati potuiſſe; & magis dubium augetur à triplicata ſanguinis effuſione, ceſſata jam effervescentia, & ſanguinis rarefactione ab exercitio excitata.

Anxietas, & ſpirandi difficultas à ſanguine jam extravaſato opprimente pulmones, aerique in debita quantitate ingreſſum prohibente pendet, ſicut ſanguinis ceſſatio à grumis ejuſdem, vel aperta orificia, vel corroſionem occludentibus habetur, quibus ſeparatis, & excretis, de novo illi exitum patendo ejectus fuit.

Febris, quia periodice invadit ab obſtructione pendet, facta à pituita inteſtinali à calore concepto attenuata, & in vaſa ingreſſa, ubi remiſſo calore condenſata, obſtructionem facit depravationi humoris clauſi contribuentem, qui viam ſibi aperit in vaſis qualitate acri in loco obſtructo contracta, juxtà Sylvii ſententiam, vel quia jam aderat diſpoſitio, ad actum redacta ab errore externo.

Agendum ergo, ut ſanguis ſiſtatur conſolidato vaſe, vel aperto, vel exeſo, & ut revellatur ad alias partes, & ipſius coagulatio impediatur; Pro febre effervefcentia moceranda, & obſtructiones tollendæ, & pro præſervatioue Gallica lues affatim extinguenda.

Morbus cùm ſit periculoſus dubium excitat, quòd omnes iſtæ indicationes poſſint adimpleri, ſpem auget optima temperies naturalis Patientis, floridus color, quæ maximè juvant ad curam talis affectus, & quamvis adſit Gallica qualitas, hæc tamen cacochimum ſtatum non induxit, ut deſperatam iſtius ſalutem concipere cogamur, prout in cacochimia, cui ſanguinis ſputum ſupervenit. Pro hujus certo pronoſtico attendendum, an ſputa ſanguine ceſſante colore flavo, & ad putredinem vergente tincta maneant, nec ne; nam ſi primum dubitandum de Pthyſi, ſi ſecundum de ſalute promittendum.

Revulſionem talem qualem, ſecta in pede vena, ſicut derivationem miſſo à brachio ſanguine non proponimus, cùm jam facta fuerit. Purgationem eſſe neceſſariam judico, non ſolùm probilis, & humoris acidi exaltati evacuatione, ſed etiam pro febre, & in hoc caſu laudarem Caſſiæ, & Pulpæ tamarindorum an. ℥. ß. cum Magiſt. Ialappæ gr. iii. vel Pulv. Myrabol. citrin. ʒ. ii. cum gr. vi. Magiſt. Ialappæ. Pro conſolidantibus mihi magis arrident Lambitiva, cùm eorum portio per tracheam dilabi poſſit ad partem affectam, quàm potiones, quæ per maſſam ſanguinis feruntur, & cum iſto ad locum indiſpoſitum. Pro lambitivo ℞. Decoct. rad. Conſolidæ, Biſtortæ, Tormentillæ, ſumit. quercus, fol. Burſæ paſtoris ℥. vi. ſucci hederæ terreſtris, Urticæ an. ℥. iii. cum Syrupo de roſis ſiccis s. a. f. Lambitivum, vel Diatragante, & bol. armen. cum Sach. paretur Confec. addendo Lapid. Ematit. præp. & Pilul. de Cinogloſſa diſſolutas in aqua plantag. pro ℥. 1. confect. addendo gr. vi. vel vii. pilul. quibus non conferentibus utatur pro magno remedio Pulvere facto ex fructu mori celſi immaturo, & in umbra exſiccato ad ʒ. ii. cum ℈. i. Rhaub. torrefacti ſuper laminam ferream cum aqua adſtringenti, vel decocto; Cavendum eſt etiam, ne ſanguis grumeſcat, & pro hoc alterum lambitivum parandum cum aqua hordei, & Oximel. ſimp. addendo Mumiæ ℈. ß. Rhaupont. ʒ. 1. Spermacœti ℈. 1. s. p. Pro ſyrupo omni mane accipiat decoctionem ex Santalis, flor. Plantag. Virgæ aureæ, Equiſeti, flor. Roſar. papav. errat. rad. Conſolidæ, & Maſticis ℥. viii. cum ℥. ß. ſyrup. coral. In febris augmento exhibeatur Emulſio ſemin. melonum cum aqua Plantaginis, quæ bilem etiam corrigit cum ʒ. 1. ſalis prunellæ effervefcentiam ſedantis, & deobſtruentis, & ſi ceſſato ſanguinis ſputo febris perduraverit, validioribus aperientibus utendum, ut pro Syrupo ℞. Aquæ Agrimoniæ, Fœniculi an ℥. iii. Syrup. de duabus ℥. 1. Salis centau. gentianæ an. ℈. 1. m. Apparentibus ſignis concoctionis, & febre declinante, vel ceſſata, renovanda purgatio cum Pilul. de trib. cum rhaub. ad ʒ. ii. Febre extincta, & ſputo ſanguinis ex toto ſedato, reliquiæ Gallicæ Qualitatis extinguendæ rejterato Decocto Guaiaci cum Antimonii infuſione, & Pumicis juxtà deſcriptionem Fortis in ſuis Conſult. tom. 1. purgando omni ſeptimo die cum Pilul. de Nitro ad ʒ. 1. & cum Mercurio dulcif. ad gr. xvi. Servata ſemper optima victus ratione ſymptomatibus congruente.

CONSULTATIO XXXV.

De tremore cordis difficultate reſpirandi, & Hydrope.

Vidua annorum quadraginta, nocte quadam circa domum ſuam armorum ſtrepitum, cùm vociferationibus magnis perſentiens apprehendit filium ſuum agreſſum fuiſſe, cum maximo timore, & animi perturbatione, à quo ſupreſſa menſtrua, quæ tunc temporis fluebant, & quamvis certa fuerit filium domum revertentem, nullatenus in concepto periculo extitiſſe, incolumenque vivere, attamen conceptam apprehenſionem numquam potuit dimittere, unde noctes multæ ſine ſomno, & quem debilitas conciliabat, nullius levaminis erat, cùm filium ſemper inter pericula mortuum imaginetur, & de die quemcumque parvum motum alicujus rei inexpectatum ſentit, in maximum tremorem icidit, cum hac apprehenſione vertigines eam affligere cœperunt, cordis tremor ferè aſſiduus ſupervenit cum pulſus inæqualitate, parvitate, & intermiſſione, nec non difficultate reſpirandi; Poſt menſem cœpit ei venter intumeſcere, cùm exundatione ſenſibili, & difficultas reſpirandi augeri, itaut in lecto proſtrata decumbere non poſſit, ſed ſolùm ſedendo, & recta cervice.

Timore ſpiritus præcipuè animales confundi, ac turbari docet inadvertentia, & velut ſtoliditas eorum, qui timore capiuntur in reſolvendo, & determinando circa objectum timorem incutiens, vel circa quodcumque aliud eis in tali ſtatu repreſentatum, quòd non percipiunt, nec de eo memoriam conſervant; eoſdem ſpiritus, vel concentrari in ſe ipſos, hoc eſt tamquam aerem modo à recentioribus explicato condenſari, vel in partibus, & ſubjecto, cui innatant, ita fixari per timorem, ut non agant quieſcentes per fixationem, docent omnes operationes in dicta paſſione languentes.

A timore etiam talis inducitur motus in ſubſtantia cerebri, ut pori iſtius conſtringantur, & cum eis nervorum orificia, ut parum ſpiritus animalis recipere valeant, unde tremor in partibus præ ſpirituum deficientia, qua nervis laxitas conciliatur, cùm tenſio, velut chordarum ſupra inſtrumentum muſicum ad armoniam accomodatum, ad robur in motu, & quiete, quæ ſunt operationes nervorum conducat; fit verò dicta tenſio à copia ſpirituum in nervos intumeſcentiam inducente, & ab hoc tumore tenduntur nervi, & conſequenter in ſpirituum defectu laxari debent cum læſione, & depravatione actionum nervorum.

Cordis motus per hoc minuitur in pulſu, deficiente neceſſaria copia ſpiritus animalis in nervis cardiacis pro motu elevato cordis, unde debilis pulſus, hinc ſanguinis minor effervefcentia in illius ventriculis, & vaſis, quæ a motu cordis, ſi non perficitur ſaltem coadiuvatur, à minori effervefcentia ſanguinis reſultat iſtius coagulatio, qua effervefcentia magis impeditur, non tam attenuatione partium, & conſervatione motus naturalis impeditis à coagulatione, quæ partes condenſat, & figit, quàm volatilitate ablata ſalſi in ſanguine hoſpitantis, à quo fluiditas, & volatilitas iſtius, coagulato verò, vel condenſato ſanguine ſalſum illud in eo habitans condenſatur cum motus, & penetrandi activitatis diminutione, per quam impeditur diviſio ſanguinis in minutiſſimas, & ſubtiliſſimas particulas ad fluiditatem iſtius, & volatilitatem neceſſaria, & ad effervefcentiam requiſita, & ſic coagulatio effervefcentiam minuit. & hæc diminuta coagulationem auget.

Talis coagulatio augetur à diminuto motu ſanguinis circulatorio præter dictam cauſam repreſſo à nervis pluribus in locis vaſa ſanguiflua circumligantibus, & preſſione circa eos facta ſanguinis motum coadiuvantibus, quæ cùm minuatur à parvo fluxu ſpirituum, per hanc minuatur etiam, neceſſe eſt, motus circulationis cum augmento coagulationis.

In prædicta Patiente; hoc factum fuit à timore, & diu perduravit, quia à continua imaginatione illius accidentis, à quo timorem concepit, ſive in vigilia, ſive in conviviis, ſpiritus continuò in tali motu detinentur, ut ſanguini coagulatio conſervetur, præter quamquod ſpiritu pro aliquo

aliquot tempore in ſanguine fixato, & coagulato, poteſt ita à reliquis partibus ſanguinis craſſi irritiri, ut à diminuto motu cordis non excitetur, nec ab hoc ſanguis neceſſariam diſpoſitionem ad extenſam rarefa-ctionem ſuſcipit libertatem ſpiritibus concedentem & acidum ita prævalet, ut ſpiritus fixatos detineat.

Ab hac coagulatione ſuppreſſi menſes, non ſolùm, quia ſanguis coagulatus adepta craſſitie cauſa minima, per quæ effluit, pertranſire non poteſt, ſed etiam quia calore, & motu ſanguinis à coagulatione diminutis non poteſt fieri illa fermentatio, & effervescentia ſanguineæ maſſæ neceſſaria ad menſium fluxum.

A ſanguine coagulato in vaſis pulmonum ſtagnante difficilis fit reſpiratio, ſicuti ob eadem ſtagnationem in cordis ventriculis palpitatio, & inæqualitas pulſus, ob conatum inæqualem ejuſdem cordis in expulſione coagulati ſanguinis eiidem moleſti. Intermiſſio ab eadem cauſa poteſt haberi oppreſſo corde, & ejus fibris ex oppreſſione debilitatis pro motus exercitio, vel ſuſpenſo influxu ſpirituum animalium ad nervos cardiacos.

Ab oppreſſione pulmonum chylus in iſtorum ſubſtantia non rectè miſcetur ſanguini, defectu ejus liberi motus talis mixtionis operatoris; & ſi rectè non miſcetur, rectè non poteſt aſſimilari in ſanguinem, maximè quia in ſui generatione in ventriculo depravationem ſuſcepit ob fermenti imperfectionem à ſanguinis coagulatione derivantem; motus enim ſanguinis habet fermenta omnium partium excitare, & in motu continere, unde illorum perfectio, & actio, & ſui coagulatione ea his privat beneficiis, præterquamquod, ſpiritus & partes volatiles coagulatione vinciendo interdicit, ne partibus communicentur, & ventriculo pro fermentorum conſervatione; his de cauſis chylus in ſeroſitates degenerat, quæ in ſanguine conſervatæ ob rationem dictam, & magis cumulatæ ob ſanguinis coagulationem hydropi, tam ventris, quàm pulmonum cauſam dederunt, dum ſerum ab arteriis effuſum in partes dictas cavitatem habentes, cum à venis præ copia, vel vaſis lymphaticis non poſſit abſorberi, in dictis cavitatibus remanet Hydropem conſtituendo, vel quia per arterias ſerum glandulis in copia ſubminiſtratur, & hoc illarum medio ad vaſa lymphatica, circa dictas cavitates exiſtentia deductum, iſta ita replet, ut diſrumpantur, unde Hydrops.

Pro horum morborum curatione, minuenda primò ſeroſitas genita, & in cavitatibus exiſtens, cum purgatione univerſali, & præparatione prædicti humoris intermiſſa ſanguinis miſſione, deindè ſudorificis reliquum extirpandum erit additis, quæ ſanguini coagulationem demere poſſint, quod Decoctum ſequens operabitur ℞. Ligni Sancti ℥. iii. Corticis ejuſdem ℥. ii. Saſſafras ℥. ß. Lentiſci ℥. I. Radic. Enulæ camp. Aſtrolochiæ rotund. Hirundinariæ an. ℥. ß. fol. Roſmarini, Lavendulæ, Camedryos, Majoranæ an. m. s. præparentur s. a. & infund. in ℔. 8. aquæ fontis, poſteà bulliant clauſo vaſe uſque ad conſumptionem medietatis, refrigerato Decocto coletur, & de hoc ſumat omni mane ℥. x. cum ʒ. I. Cornu Cervi philoſoph. præp. ſudor promoveatur, vel veſicis aqua calida plenis, vel lateribus excalefactis pedibus appoſitis, ut per hanc viam cavitates aqua repletæ exinaniantur, ſerò accipiat de eodem Decocto ℥. viii. ſine ſudore per quadraginta dies in hoc continuandum, & omni ſeptimo die ſumat ʒ. ß. rad. Ialappæ tertiò rectificationi ſanguinis ſtudendum omnem coagulationem tollendo, quod efficiemus ſeq. confect. ℞. Specier. Diambræ, Diamuſchi, Arom. roſ. an. ʒ. ß. Salis abſinthii, Roſmarini, Majoranæ, Extract. gentianæ, Juniperi ʒ. I. Eſſentiæ croci, Meliſſæ, Citri ʒ. ß. cum Saccharo diſſol. in aqua Cinamomi, & Meliſſæ q. s. f. Morſelli, de quo capiat ℥. I. omni mane; cum aqua fœniculi, pulegii an. ℥. I. ß. & poſt cœnam capiat ʒ. ß. Theriacæ antiquæ per viginti dies in hoc remedio inſiſtat, coagulatione in ſanguine ablata proviſum erit reſpirandi difficultati, palpitationi cordis, & coctionibus depravatis, & ſi menſium ſuppreſſio perduret, ſumat Extracti Aloes, Myrrhæ, Croci facti cum ſpiritu vini rectificati ℈. I. Croci Martis optimi ℈. ß. Fæculæ brioniæ gr. vi Spirit. ſalis armoniaci gutt. vi. Salis Sabinæ ℈. ß. m. f. b. decoctum Zedoariæ, Sabinæ, & Rubiæ tinctorum ad ℥. vi. ſuperbibat. Ultimò pro omni ſanguinis rectificatione uſum chinæ-chinæ, quæ in Hydrope commendatur, laudo modo deſcripto in libro Gallico.

CONSULTATIO XXXVI.

De motu tremulo cordis, Ventriculi debilitate, cum flatuum copia, macie totius, & ſpirandi difficultate, nec non Averſione à Cibo.

TEmperamentum propoſiti Patientis in totum frigidum, & pituitoſum in calore majorem acquiſivit diminutionem à febre continua lenta per multos menſes perpeſſa, in qua ventriculus à copioſo aquarum, & refrigerantium uſu majorem accepit labem, non ſolùm ſecundùm calorem, ſed quod magis eſt à dictis refrigerantibus, & aquoſis dilutum, & ferè extinctum fuit acidum fermentativum, & vellicativum membranarum, à quo famis, & appetitus proſtratio, & defectus, nec hujus fermenti reſtitutioni ſubſidia contribuere potuit ſanguis à morbi longitudine effœtus, & ſpiritu deficiens maximè neceſſario ad volatilitatem contribuendam fermento dicto, & per quam efficaciam in operando acquirit, præterquamquod idem ſanguis aqueus redditus ob dictas cauſas, acidum mortificatum, vel extinctum ferè habet, ut non poſſit contribuere neceſſariam materiam ventriculo pro fermento ſupradicto conficiendo, ex cujus mortificatione elixatio ciborum depravatur, ferè eam ſolùm accipiendo fermentationem pendentem à proprio motu partium per maſticationem ſeparatarum ad invicem, vel facilè ſuſceptibilem à liquidis alimentis deglutitis, cùm paſtum coadiuventur à fermento, & calore ventriculi, à qua fermentatione, & motu ad quamdam ſpeciem putredinis ducuntur multum ſeroſi humoris cumulantis cum mixtione alicujus partis craſſæ, eo modo quo videmus carnes humido aliquo permixtas per putredinem in humidum magnum reſolvi, cùm portione terreſtreitatis, & mucoſitatis, pars fixa, & craſſa remanens membranis ventriculi inviſcata cum odore quodam putredinis conceptæ ab odore oblatorum ciborum nerveas fibras ventriculi percutiente mota, ſua putredinis inquinamento dictos nervos in motu afficiendo nauſeæ ſenſum excitat, unde ciborum abominatio.

Advertendum hujuſmodi putredinem eſſe diſſolutionem alimentorum, quæ paulatim fit cum expiratione partium calidarum, & ſulpurearum alimentorum, paulatim ſuccedente, unde non oritur calor moleſtus putredinis comes cum paulatina expiratio calidarum partium calori augmentum interdicat, & in hoc differt à diſſolutione naturali ciborum in ventriculo, quia in hac calidæ partes non evaporant, ſed per debitam fermentationem detinentur in maſſa diſſoluta calorem toti impartiendo.

Supradicta Mucoſitas à calore ventriculi, & partium circumſtantium debili in flatus reſolvitur, qui à multo poſt cibum tempore patientem affligunt, & per ructus erumpunt, qui non immunem relinquunt pro eo tempore, pro quo alimenta in ventriculo actuantur, quia tunc à fermentatione prædicta humidas partes cum majori efficacia afficiente flatus elevantur craſſi, qui cum diſtenſione ventriculi diaphragma ſurſum elevantes, deorſumque conſtringi prohibentes difficilem reddunt reſpirationem, & cor ſuo motu dilatationis in diaphragma elevatum impingens reſilit cum tremore, & ſaltu.

Hæc duo ſymptomata augentur à nimia ſeroſitate in ſanguine cumulata ob depravationem, & languorem ſui contractum à morbo, & à refrigerante medicamento, quæ ſufficiunt ad reddendum ſanguinem ſeroſum per hanc depravationem ſanguis advenienti ſucco per lacteas non valet imprimere verum ſanguinis caracterem, ſed in ſeroſam vertit materiam juxtà malam diſpoſitionem, malam, quam dictus ſuccus recepit in ventriculo ab enervato iſtius fermento, & à bile, & ſucco pancreatico in inteſtito duodeno debilitatis ab eiſdem cauſis, à quibus enervatum fuit illud ventriculi.

Hinc ſeroſa materia interſtitia, & poroſitates pulmonum

monum ſpongioſas implens illorum motum debilitat cum reſpirandi difficultate, & ſine tuſſi, quæ quandoque excitatur quando ad bronchia eorumdem tranſit. Sanguis talis naturæ in corde rarefactus in flatus ſepè reſolvitur, qui ſua dilatatione, & energia ſubſtantiam cordis inæqualiter dilatantes tremorem, & ſaltum iſtius efficiunt.

Macies non tam refundenda in ſanguinem depravatum, & reparationi partium ineptum, quàm in fermenta iſtarum ex ſui natura debilia, & à morbo ſummè enervata, ut ſanguini eam dare non poſſint diſpoſitionem neceſſariam ad nutritionem; præterquam quod ſanguis calore parvo, & motu debili ejſdem fermentis motum conciliare non valet ab exercitio ſuarum actionum requiſitum; Cenſeo enim omnia fermenta partium à ſanguinis circulantis calore, & motu, & à ſpiritu animali in continuo motu detineri, quo debitas operationes exercent, cùm omnis actio in motu conſiſtat, & conſtat ſpiritu animali impedito, & ſanguinis circulatione diminuta, cum deficientia caloris, & ſpirituum in eo, omnes partes langueſcere, & emaciari.

Ex his poſſumus colligere difficicultatem in emendandis his vitiis in natura labente fundatis, cùm medicamenta tunc ſolùm ſuum ſortiantur effectum, quando natura eorum virtutem ſuis viribus coadjuvat.

Per hoc tamen non eſt deſiſtendum à remediorum uſu, & primò Ventriculus ab humorem ſarcina liberandus, quòd perficiemus medicamentis lenibus, ut ℞. Cremoris tart. ℥. ß. Tart. vitriol. ʒ. ii. m. reliquiæ parabuntur cum Syrupo de corticibus citri, Acetoſ. s. an. ℥. i. Aquæ Abſinthii, Meliſſæ an. ℥. ii. Tart. vitriol. ʒ. ß. m. Poſt quintum ſyrup. replicetur lenitivum ſupraſcriptum. Secundò calori ventriculi, & ſanguini proſpiciendum cum jure Columbi, in cujus ventre reponantur Ligni Saſſafras ʒ. ii. radicum Acori, Zinziberis, Spicæ celticæ an. ʒ. ß. Calami aromat. Cardamomi, Maſticis an. ℈. i. Folior. Abſynthii, Rutæ, Menthæ an. m. ß. bulliant in s. q. uſque ad conſumptionem carnium, & facta colatura de ea capiat ℥. viii. præmittendo bolum ex Aloe, Croco, Myrrha an. ℈. ß. Balſam. orien. gutt. viii. m. Poſt cibum ſumat ℥. i. pulveris ſequentis cum fruſtulo panis toſti madefacti in vino generoſo ℞. Sem. coriand. præp. Aniſi, fæniculi an. ℥. ß. Cinam. acuti ℥. i. Macis ʒ. ii. Spicæ nardi ℈. ii. Nucis moſcatæ ʒ. ß. Cariofil. ℈. i. Maſticis ℈. ii. Panis albi bis cocti ℥. iii. Sacchari fini ℔. ß. m. & contundantur, & in ſubtiliſſimum pulverem redigantur, continuandum per menſem in horum remediorum uſu, quibus ſubijcienda, quæ ſanguinem mundare valeant ſeroſitate copioſa, quòd facient diuretica, unde optimæ erunt Aquæ ſpadenſes, quibus & in Hydrope communiter utatur, vel his deficientibus ſubſtituenda therebentina cum decoctione radicum Petroſelini, Fœniculi, Coſti Cyperi ad ℥. viii. cum ſpirit. ſalis q. s. ad gratam aciditatem; eodemque tempore reſtituendum ventriculi fermentum ſumendo per horam ante cibum hanc potiònem ℞. Aquæ abſynthii ℥. i. Aceti ſtillati ℥. ß. Balſami ſalis ℈. ß. m. ſic ventriculi calore, & fermento reſtituto unà cum depuratione ſanguinis, ejuſdem rectificatione, quoad calorem ſpiritus coctiones ſuccedent meliores, flatus ceſſabunt, & unà cum eis palpitatio, ſeroſoque humore evacuato, & ejus generatione prohibita omnia in melius ſuccedent, alteraque cauſa difficilis reſpirationis, & palpitationis tolletur, unde remanebit ſolùm Cor, & Pulmones corroborare, & maciei totius providere, quòd faciemus fermenta illarum partium, & totius corroborando ſequenti pulvere ℞. Eboris præp. ʒ. ß. Coral. rub. præp. ʒ. i. Margarit. præp. ʒ. i. ß. Pulver. Viper. ʒ. ß. Ambræ griſ. ʒ. ß. Succini præp. ʒ. i. Oſſis de corde Cervi ℈. i. Butyri ſulphuris ℈. ii. Olei corticum citri ℈. i. m. ſumatur ʒ. i. de hoc pulvere in jure omni mane, & ſerò ante cibum in jure, vel aqua totius citri. Victus ratio maciei correſpondeat, oleoſa, & nutritiva alimenta ſumendo, caveat ab omni errore, tam in cibo, potu, & Venere, quàm in omnibus aliis rebus non naturalibus.

CONSULTATIO XXXVII.

De Difficultate reſpirandi, arteriæ pulſatione, & cordis palpitatione.

DUo Symptomata conſideratione digna, & timore plena à relatione exhibita colliguntur, præter alia, quæ iſta ſequuntur, vel communem cum his habent cauſam in affligenda Illuſtriſſima, & Nobiliſſima D. Marchioniſſa, & ſunt difficultas reſpirandi interpolatè invadens, & ferè continua arteriæ pulſatio circa ventriculum è regione ſiniſtra.

Prioris cauſam eſſe excedentem ſeri copiam manifeſtat ipſius alleviatio, vel ablatio per copioſam urinæ evacuationem aquæ omninò ſimilem; ab hoc ſero impeditur reſpiratio, dum in tanta copia ab arteriis eructatur in interſtitia pulmonum, & eorum poroſitates, ut intumeſcant, opprimendo vaſa, circulatione retardata, qua ſanguis coactus in parte ſtagnare aucta turgeſcentia, ſuffocationis periculum minatur, diminuto pulmonum motu ſemper magis cum excluſione aeris, & fuliginum expiratione reſpirationis difficultatem augente; & quia à ſanguine in pulmonibus turgeſcente fit reſiſtentia ſanguini à ventriculo dextero ejaculato per ejus conſtrictionem in vaſa pulmonica, hinc fit, ut totus ventriculo dextero conſignatus non eggrediatur, & ità repletur cavitas prædicti ventriculi cum periculo ſuffocationis, quòd ut evitet, motu inordinato, & valido ſe conſtringit, ut expellat ſanguinem, unde palpitationis motus, qui cùm conſiſtat in motu ordinario cordis alterato, eadem cauſa perficietur, à qua motus naturalis, ſed præternaturam diſpoſita, ut conſideranti patebit, quamvis non improbabile, & forſan magis rationabile erit ſtatuere à ſanguine ſtagnante in pulmonibus vapores craſſos elevari eo modo, quo ab aqua ſtagnante vapores craſſi elevantur, qui unà cum ſanguine ventriculum cordis ſiniſtrum ingredientes, rarefactione ſumma donati, unà cum impetu, qualem concipit vapor incluſus attenuatus, totam cordis compagem movet, & inæqualiter, prout vapor rarefactus majorem, & minorem impetum juxtà ſitus, & agentis actuantis conditionem concipit, hujus rationem colligo ab eo, quòd palpitatio cordis adeò fortis, quandoque in aliquibus eſt obſervata, ut auribus eſſet ſenſibilis, quòd explicari non poteſt ſecundùm Villiſii principia, ſed ſolùm per aliquod, quòd multo impetu ſit donatum, & tale eſt vapor, non ſanguis, cùm ille in finibus terræ valeat concutere terram; multò magis cor cum impetu agitare, quando ſua rarefactione plus ſpatii indiget, quàm ſit ventriculi capacitas, ſanguis licèt in partes ſuperiores cordis impingat, vel reverberatus, vel impulſus, non tantum concipiet impetum, ut cor tanta vi dilatare poſſit, & quia à multitudine ſanguinis diſtendente vaſa, & à vaporibus craſſis nervi cardiaci comprimuntur, ut ſpiritum animalem cordi in debita quantitate impertire non poſſint, idcirco cum palpitatione pulſus parvus conjungitur, & quandoque intermittens, cum ex ſpirituum defectu non poſſit conſtringi cor, vel ſanguis ob debilem ejus motum in tanta quantitate in arteriam non ejicitur, ut eam valeat attollere, vel implere, abſorpta poſteà à vaſis lymphaticis, & venis ſeroſitate ſupradicta pulmones implente ceſſant omnia dicta ſymptomata, & in venis circulando per cor ab arteriis defertur ad renes, in quibus ſegregata copioſam efficit urinam.

A quonam generetur copia ſeroſitatis ſupradicta, non eſt facile explicare, hoc autem certo inveniendum eſſe puto in cauſis, quæ ſanguinem tenujorem reddunt, quo eo tenujor eſt, eo etiam ſeroſior evadit, ut patet in ſanguine arterioſo, qui cùm ſit tenujor venoſo, eſt iſto ſeroſior, quæ ſanguinem verò rariorem, & tenujorem reddunt, ad tria rediguntur, cor nempè, lienem, & illud ſalſum volatile reſultans ex bile, & ſucco pancreatico in inteſtino duodeno; cor ſanguinem attenuare patet unicuique cum ex omnium conſenſu in eo efferveſcat, & rarefiat, vel hoc fiat per fermentum cordi implantatum, ut Higmorus, vel ob flammam in eo accenſam à primordio generationis cum Carteſio, & Galenicis, vel ob motum ſolum, ut Bachius cum multis, vel ob

effer-

effervefcentiam bilis cùm humore acido, ut Sylvius.

Lienem rarefactioni ſanguinis inſervire patet ex ejus læſione, per quam craſſeſcit, & circulationi ineptus evadit, & ex copia ſpirituum animalium, qui per numeroſam nervorum propaginem ei copioſè ſuppeditantur, & qui ſua volatilitate, & motu potentes ſunt ſanguinem rarefacere, vel ſui mixtione, fermentum ſpecificum lienis volatilizare, & ſumma activitate pro rarefactione ſanguinis per eum circulantis donare.

Salſum ex bile, & ſucco pancreatico generari patet, quia certum eſt hos duos humores ſimul concurrere in inteſtino duodeno, & certum eſt etiam ex ſale lexivio in bile dominante, & acido ſubdulci occulto, vel manifeſto, quale eſt illud pancreaticis, ſalſum conſurgere, quod volatile fieri poteſt ſola effervefcentia, qualis eſt illa inter duos humores intercedens, cùm hæc valeat partes craſſiores ſeparare, & ſubtiliores magis attenuare, quod ad volatilizationem requiritur; Hoc ſalſum ad maſſam ſanguinis deduci, non eſt dubitandum, cum eam ſemitam calcet, quam Chylus tenet, & cùm ille non ſit in tenuitate inferior iſti, ſi hic ingreditur venas lacteas, etiam illi non eſt, qui poſſit prohibere talem ingreſſum, & per has ad cor deferri neceſſariò indubitatum eſt, & à ſalſo maximè attenuati corpora ei conſignata, & etiam diſſolvi magis, quàm ab aliis acribus certiſſimum eſt apud omnes naturæ ſcrutatores.

Hæc omnia concurrunt ad ſanguinis ſummam attenuationem in nobiliſſima hac pariente; nam cor habet ſummè calidum, ut ex ſui temperamento patet, & pulſu in tempore ſanitatis elevato ſupra ſexum, & robuſto, eſt generoſi animi, & intrepidi, & fortis ad heroica tentanda, & perficienda; Fermentum lienis in ea eſſe valdè efficax, & energeticum ex ingenii acumine, ac perſpicuitate colligitur, cùm apud multos ſit certum, quod fermentum lienis concurrat ſua acredine ad ingenii acumen, ut refert Villiſius ex alicujus ſententia, & ex Ariſtotelis placitis melancolici ſunt igenio acuti, & per eum, & antiquos melancoliæ ſedes eſt lien, unde viſcus hoc ad ingenii acumen ſua virtute concurrendo eadem poteſt, & valet ſanguinem ſpiritoſum, & volatilem reddere.

Salſum ex bile, & ſucco pancreatico generatum eſſe valdè acre, ex eo colligo, quòd bilis in hac Matrona ſit ſummè acris, cùm habeat maximam promptitudinem ad iram, & facillimè feratur ad ventriculum aucto motu periſtaltico inteſtinorum, per quem in ventriculum transfunditur cum oris amatore, & acidi fermentativi corruptione, unde inappetentia; Acidum etiam eſſe ſummè intenſum poſſunt perſuadere aſſiduæ curæ, applicationes negotiis arduis, à quibus diſſipatis ſpiritibus animalibus, aciditas, quæ his contemperatur, fit acrior, ex his duobus, ergo acredine inſigniori donatis non mirum, quod ſalſum fiat maximè diſſolutivum, & quamvis talis diſpoſitio ſanguinis ſit permanens, tam in æſtate, quàm in hyeme, & in frigore, hoc ſolum adventante ſubjacet prædictæ indiſpoſitioni, quia ſanguis rarus, & ſero abundas eſt etiam valdè vaporoſus, & apertis per calorem aeris poris facillimè tranſpirant vapores, & ſudores etiam illo vigente corumpentes ſeri copiam minuunt, ubi in frigore interdicto vaporum effluvio, & ſudorum emanatione, ſeri copia augetur ex condenſatione effluviorum, quæ cùm ſint acris naturæ valent ſui retentione lienis fermentum, acrimoniam bilis, & ſucci pancreatici augere, ut facilitatem habeant ad diſſolvendam, ut ita dicam, maſſam, ſanguineam, quæ acrior reddita ab effluviis retentis, & à dictis fermentis eadem acredine ſeroſitatem ſuam perfundit, quæ poſteà ob copiam ſegregata, & relicta in membrana pleura, vel muſculis intercoſtalibus dolorem ibi concepta acredine parit, ſicuti in mediaſtino mucronatæ cartilagini adhærente, ubi dolorem ferè continuum Nobiliſſima Patiens perſentit, qui auctus palpitationem infert, ex communione nervi in mediaſtino implantati, cùm cardiacis, dum eo per materiæ vellicantis acrimoniam in ſpaſmum convulſivum adducto, in eamdem affectionem trahuntur iſti, & ab horum motu convulſivo palpitatio cordis naſcitur.

Quoad alterum ſymptoma, quòd eſt arteriæ pulſatio in regione ventriculi, puto eſſe arteriæ cæliacæ ramum ſiniſtrum ſplenicum, qui varicoſo ductu ſupra Pancreas diſcurrit ad lienem tendens, & ramum emittit ad ventriculum, qui non poteſt non ſequi majoris rami motum, & pulſum, & quia ramus ille major ſplenicæ arteriæ actionem fermenti excedentis lienis, bilis, & ſucci pancreatici in ſuis contentis recipit ob vicinitatem dictarum partium, ideò etiam in dicto vaſe magis effervefcunt, & pulſationem edunt alteratam, & patienti ſenſibilem, cui correſpondet ramus ejuſdem arteriæ ventriculo inſertus.

In fermenta harum partium dictam pulſationem refundo, quia conſtat de iſtorum alteratione, qua poteſt alterari ſanguis per fermentationem, ut edat dictam pulſationem, & ex altera parte nullum duritiei ſignum per tactum, & compreſſionem illarum partium colligimus, nec à colore, qui floridus, & rubeus apparet in facie obſtructionum vitium contumax deducere poſſumus, unde nec tam firmiter poſſumus aſſerere à duritie comprimente arteriæ pulſum fieri, præterquamquod hæc cauſa videtur excludi ab hoc, quòd quandoque augetur dicta pulſatio, ut palpitationem in corde efficiat, quod non alia ratione fit, niſi quia ſanguis per effervefcentiam in arteria turgeſcens, eam ita implet, ut advenienti ſanguini locum non cedat, qua propter cogitur retrocedere, & regurgitando ad ſuum principium arteriæ magnæ motum inæqualem, & inordinatum efficit, prohibendoque integram expulſionem ſanguinis à ſiniſtro cordis ventriculo recepti, & alterati, & iſtius portionis ſtagnatione, & alterius receptione gravatum cor in motum palpitationis erumpit pro expulſione, & hoc non poteſt contingere à duritie partium arteriæ circumſtantium; nam cùm talis cauſa eſſet permanens, & eodem modo ſemper arteriam premeret, eodem modo ſemper palpitationem efficeret, unde inæqualitas talis motus palpitationem cauſans à compreſſione non rectè poteſt deſumi, ſed potiùs à fermento, ut dictum eſt, quòd in ſanguinem circulantem agit ob moram, quam ibi trahit in Diaſtole, vel ob motum retardatum à varicoſis plexibus ejuſdem arteriæ.

Inappetentia, depravata concoctio, & vomitus omni mane, & ſæpè cibi paulò poſt ejus aſſumptionem, quæ ſunt ſymptomata conſequentia alios affectus, puto originem trahere à bile; quod ab amaritie oris colligitur continua, hæc enim ab inteſtino in ventriculum exaltata acidum venrriculi corrumpit, unde inappetentia, ceſſante vellicatione fibrarum membranoſarum, & ſua acredine diſſolvendo nimis alimenta ad corruptionem ducit, unde alimentorum depravata concoctio, cum qualitatum acrimonia, qua irritatus ventriculus in ſua membrana ad vomitum impellitur, quod ſequitur etiam paulò poſt cibum, quando bilioſæ particulæ fibris nerveis illius infixæ, & quieſcentes à cibo agitatæ, & commotæ irritamentum motu, & agitatione inferendo ad vomitum incitant, facta in tali irritamento contractione fibrarum fundi ventriculi, ubi faciliùs bilis adhæret, ad orificium ſuperiùs.

His fundamentis jactis duo conſideranda veniunt: præſervatio ab his accidentibus, & curatio ejſdem inſtantibus, & quia quæ ſunt magis conſideranda, & metum incutiunt, nunc non affligunt, ab eorum præſervatione incipiendum, & ſunt reſpirandi difficultas cum ſuffocationis ſenſu, & palpitatione cordis, quæ cum pendeant à ſeri copia in corpore collecta evacuanda, & reſolvenda, poſteà cauſæ incumbendum, quæ cùm ſit ſalſum diſſolvens à bile volatili nimis acri ſucco pancreatico acido mixta conflatum, moderanda illius acrimonia, ac bilis, & remedia ad hujus modificationem facientia ſufficient ad fermentum lienis, & cordis moderandum. Curationem exigunt inappetentia acidum ventriculi remittendo, & bilem fixando, ne ad ventriculum aſcendat, vomitus prohibendus meliorem procurando alimentorum digeſtionem, arteriæ pulſatio in ventriculo, vel circa ejus regionem moderanda fermentis modificatis, & ſi revertatur difficultas reſpirandi tollenda.

His omnibus ſatisfacere erit difficile, non ſolùm ob morborum contumaciam, ſed etiam ob ſenilem ætatem, & delicatam complexionem, & ultimò ob nauſeam, quam omnibus medicamentis habet; ideò jucunda ſeligere monuit.

Primò, ergo vacuanda materia ſeroſa cum Pil. Alephang. ad ℥. 1. additis gr. iii. Magiſt. Ialappæ, poſteà materia in

in ventriculo, & primis viis contenta diſponenda ad evacuationem cum Aqua Abſynthii, Borag. ad ℥. iii. Tartari vitriol. ʒ. ß. Syrup. de duabus ℥. 1. m. poſt quintum ſyrupum reiterandum medicamentum ſupradictum ſuperbibendo Aquam Noceræ ad lib. quatuor, præparationem humoris ſeroſi prætermitto, quia hic ſua fluiditate, & obedientia medicamentis purgantibus ſemper eſt præparatus; deveniendum poſteà ad Decoctum ex Chinæ ʒ. vi. Salſæ ℥. 1. ß. radic. Cannæ montanæ ℥. 1. ß. Santal. albor. ℥. 1. præp. s. a. & infund. in ℔. 8. aquæ fontis per diem naturalem, poſteà bulliant uſque ad conſumptionem medietatis lento igne, & vaſe clauſo, demum ab igne remoto vaſe, poſtquam refrixerit Decoctum, coletur, de hoc accipiat omni mane ℥. viii. & ſerò ℥. vi. provocando ſudorem, vel pane calente recenter à furno extracto, vel veſicis aqua tepida plenis, vel lateribus admotis, continuet per menſem in hujus uſu, dieta exſiccante adjuncta, eo modo, quo vires tolerare poſſunt, & omni ſeptimo die Caſſiam aſſumat ad ℥. ß. cum tribus granis Magiſt. Ialappæ; Hoc terminato ſuccedat lac Aſininum deſtillatum, in quo infuſa fuerint Portulaca, Plantago, Borago, & Cycorea, accipiendo de hoc ℥. viii. cum ʒ. ß. Tinct. tart, vel nitri vitriol. ℈. ß. quod inſerviet ad reliquam ſeri portionem ducendam per urinam, & ad modificandam bilem, & fixandam, & ad demulcendum ſalſum diſſolutivum, reprimendaque fermenta nimis exaltata lienis, & cordis, quæ magis reprimenda, & demulcenda ſperantur, ſi inſtiterit per viginti dies in uſu dicti lactis deſtillati cum tinctura roſarum, & ſpecierum trium Santal. ℥. ß. Tinct. antimonii ℈. 1. m. ſumenda per quindecim dies adueniente frigore, omni mane frictiones toti corpori adhibeantur, & per duas vices omni menſe aliquod Hydragogum aſſumat, quale eſt deſcriptum ſuperius, vel Pilul. Cratonis deſcriptas in ſuperiori Conſil.

Appetitus excitabitur, ſi ante cibum ſumat Aquæ totius Citri ℥. 1. Aceti ſtil. ʒ. iii. Balſami ſalis gutt. x. quo remedio bilis enervabitur, & coctiones evadent perfectiores; Arteriæ pulſationi convenient ea ſuperius tradita, nempè Lac Aſininum deſtillatum, & tincturæ, pro curatione difficultatis reſpirandi, & palpitationis in primo inſultu mitterem ſanguinem à manu ad parvam quantitatem; nam ſufficit ſolùm motum ſanguini ſtagnanti in pulmonibus tribuere. Fotus aquæ calidæ pedibus exerceantur cum ſpongiis, vel in dicta aqua immergantur pedes pro revulſione, deinde utatur ſequenti Lambitivo ♃. Aquæ Farf. Hyſopi, Theriacalis an. ℥. 1. Confec. ex Hyacintho s. odore ʒ. 1. Elixir vitæ ℈. 1. Spirit. Salis armon. ℈. 1. Magiſt. perlar. ʒ. ß. Oſſis de corde cervi s. p. ℈. Syrup. de cort. citri ℥. 1. m. Optima dieta ſervetur, applicationes fugiat, animique tranquillitatem curet.

CONSULTATIO XXXVIII.

De Appetitu ferè ablato cum Ptyaliſmo.

ILluſtriſſimus Vir temperamenti calidi, & ſicci ad atrabilare vergentis; in omnibus operibus generoſus, & audax continua ſalivatione moleſtatur cum talis appetitus dejectione, ut numquam famis ſtimulum ſentiat, nec carnes cujuſcumque generis deguſtet, vel in parva quantitate, ſolis ovis ſorbilibus, & fructibus, & pulmentis delicatioribus veſcitur, eſt ætatis annorum quinquagintaquinque.

Salivatio continua, quæ eſt ſymptoma in excretis cum copia præternaturam, immediatè certè pendet ab humore ſeroſo abundanter impartito partibus ſalivæ generationi dicatis, quæ ſunt glandulæ Parotides, à quibus per ſalivales ductus in palatum præparata deducitur Saliva, materiam tali præparationi opportunam recipiunt hujuſmodi glandulæ ab arteriis, quotieſcumque ergo ab iſtis ſeroſus humor in copia communicatur, ſalivatio etiam copioſa redditur, nec ſeri copia ab arteriis poteſt impertiri, niſi eam ſanguis contineat, diſiunctione, & fluxibilitate illius aquei humoris, quo particulæ quædam unione inter ſe uniebantur, & per quam talis humor non apparebat, nec fluxibilis erat, niſi cum particulis per unionem ſimul conglomeratis, qua ablata libertati reſtitutus, & alii ſeroſitati diſgregatæ additus hanc auger, eo modo, quo concreta metalla fluxibilia redduntur aquea humiditate craſſa particulas colligante fuſa, & ad fluxibilitatem redacta, ita ſalivationis cauſa immediata ſtatuendus eſt humor ſeroſus in ſanguine exundans, mediata, & magis remota, ſalſum in ſanguine exiſtens fuſione, vel corroſione ſeroſitatem in eo augens, quæ corroſio redditur efficacior ab atra bile magis acri, quibus addenda eſt diſpoſitio glandularum ſalivalium ad recipiendam copiam ſeri. Salſum diſſolvens eſt bilis copia, ratione temperamenti patientis maximè in ſanguine redundans, ab hujuſmodi ſalſo bilioſo mortificato in parte acido ſanguinis, & à nimia ſeroſitate aquea reliquo inerti reddito, contingit, ut ſeroſus humor præparatus in glandulis interioris tunicæ ventriculi, & ipſa ſaliva acidum parvæ efficaciæ contineant, & ita appetitus etiam deicitur, deficiente irritamento acidi in ſaliva, & in humore in glandulis ventriculi præparato, & nervoſæ membranæ communicato, à quo illa corrugatio in fibris dictæ membranæ efficitur, in qua famis ſenſatio conſiſtit, accedente etiam, quòd à bilis portione ad ventriculum aſcendente, non ſolum acidum glandularum magis mortificatur, & etiam illud ſalivæ, cui ineſt, licèt inſenſibile ex naturæ decreto, & quod per illius incraſſationem in ventriculo ſenſibile evadit, quando ſecundùm naturæ leges ſalivalis humiditas eſt præparata, & magis etiam enervatur à ſubſtantia aquea excedentis ſalivæ deglutitæ, cùm obſervatione conſtet acidum etiam vehemens aceti, aquæ admixtione retundi, huic ſtatui condemnatum acidum omnium glandularum, & limphæ, deficit ſanguini ſufficiens coagulum, unde faciliùs ſeroſitatem à ſe diſgregari permittit, & prohibet, ne ſufficiens acidum in dictis humoribus cumuletur pro appetitus excitamento.

Qua propter ex ſtabilitis elicitur primò minuendam eſſe ſeroſi humoris copiam, ſecundò bilis copiam minorandam, tertiò acidum ſanguinis augendum unà cum eo ventriculi, cui ultimò corroboratio addenda.

Primum obtinebimus purgatione totum reſpiciente cum Hydragogis purgantibus, & præparantibus, & cum Decocto Santalorum omnium, radic. Cannæ montanæ facto more ſolito in aqua fontanæ cum portulaca, Acetoſa, Taraxaco coctis in ventre parvæ pullæ, omni mane per viginti dies ſumendo ℥. viii. cum ℈. ß. Spiritus ſalis nitri dulcificati, poſteà per alios viginti dies utatur tinctura roſarum facta cum lacte Aſinino deſtillato ad ℥. ii. Mivæ Cydonior. ℥. 1. cum gutt. viii. vel x. Balſami ſalis, & ante prandium per horæ quadrantem capiat ſalis tart. vitriol. ℈. ß. irrorati cum gutt. iiii. Elixir proprietatis ad ventriculum corroborandum, pro hac intentione poſt cœnam pulvis ſequens in parva aqua totius citri exhibendus ♃. Specier. Diamarg. frigid. trium Santal. an. ℈. 1. Salis Abſynthii ℈. ß. m. In cibo utatur acidis, ut ſucco granatorum, ribes, omphacio, aceto, & autumni tempore componatur vinum medicatum cum Santalis, & Baccis Juniperi maturis ad majorem corroborationem ventriculi, eoque in paſtu mane, & ſerò utatur, fugiendo omnia aromatica, quæ bilem augere, & exaltare valent; Quod ſi his non cedat affectus, anno venturo acidulas accedat S. Mauritii, vel Brandolæ, quæ aciditate bilem frangunt, ſanguinem corroborant, acidumque illi imprimunt, & per diureſim exeundo, materiam ſeroſam ſecum rapiunt, unde adimplentur omnes indicationes propoſitæ.

CONSULTATIO XXXIX.

De Appetitu depravato.

VIrgo in decimo tertio ætatis ſuæ anno conſtituta, temperamenti pituitoſi cum admixtione melancoliæ quamdam duritiem cum tumore anno præterito in lienæ cognovit, à qua corporis colorem mutavit ad pallidum, cum inflatione faciei, multi ſunt menſes, quod depravatus in ea eſt appetitus calcem, carbones, & terram appetendo, & edendo, unà cum tumore prædicto aucto, & tumore in facie, menſtruæ purgationes hucuſque non apparuerunt.

Quantò magis hoc ſymptoma depravatæ facultatis appetitivæ ventriculi, & ſenſus communis in ſuo eſſe eſt notum,

tantò

tantò magis in ſua cauſa occultatur, ut non defuerint aliqui, qui ad qualitatem occultam illius originem trahere conati ſint, quòd ignorantiæ refugium ſemper judicavi, & quamvis in veræ cauſæ indagatione maxima ſit difficultas, nitendum ad hujus ablationem, ob ægrorum ſalutem, quæ ignota cauſa, vel fortuitò eis comparatur, vel numquam obtinetur, & quandoque maximo cum præjudicio medicamenta exercentur.

Pro enodanda autem hujuſmodi difficultate. Suppono talem appetitum depravatum non eſſe niſi ſenſationem excitatam in organo appetitus, quòd non eſt aliud niſi ventriculus, ex qua ſenſatione ſenſus communis movetur ad appetendum inſolita, & cùm actiones depravatæ edantur ab eo, à quo ſanæ exercentur, in ſuis qualitatibus depravato, concludendum eſt acidum ſalſum, quò naturalem appetitum in ventriculo efficit, idem depravatum præternaturalem cauſare appetentiam; acidum autem ſalſum naturalis appetentiæ fomes, eſt volatile, unde ſi fixum evadat pervertitur, ſi ad auſterum, vel ad acerbum tranſeat pariter depravatur, ſicuti ſi ſalſedinem exuberantem concipiat, cùm aciditatis occultatione; hoc vitium in depravato appetitu non obſervatur, cùm nullam ſitim, nec ſalſedinem in ore experiatur patiens, unde ſequitur ex hoc acidum ventriculi depravari, quia fixum evadit, & ad auſterum, vel acerbum tranſit; quòd ei contingere puto, dum particulæ terreæ fixæ ei miſcentur, quibus volatilitatem amittit, cum volatile à ſuperaddito fixo fixetur, particulæ etiam terreæ acidis additæ rigiditatem iſtis impertiunt, & per congeſtionem ramoſæ, & hamoſæ redditæ, cum duritie, & rigiditate, immutando figuram, & modum eſſendi, acidum auſterum faciunt. Particulas auſterum conſtituentes eſſe duras, & rigidas ex fructuum immaturorum conditione colligo, duritiem enim maximam habent, quæ duritiem, & rigiditatem particularum componentium arguit, & cùm ſint auſteri præ immaturitate, auſteritatem etiam in tali duritie fundari non eſt improbabile, & præcipuè ex obſervatione confirmatur; nam dum emolleſcunt præ maturitatis gradibus, auſteritas etiam minuitur, aliud quod obſervatur in auſteris eſt, quòd linguam velut ligare videntur, & diu talis ſapor in lingua perdurat, quòd per particulas ramoſas, & hamoſas cum rigiditate ſolùm explicari poteſt, dum cum tali figura particulæ fortiter partes linguæ apprehendunt, itaut eas ligare, & conſtringere videantur, ſuaque craſſitie in poris linguæ inſinuatæ eos obſtruunt, & implent, & hamis ſuis infixæ diu in eis perdurant; hujus confirmatio habetur etiam à multis chimicis exiſtimantibus alumen, quod eſt auſterum generari à ſale acido unà cum terra petroſa, à qua per calcinationem ſal itidem lapidificus jam expeditus fuit; auſterum enim nihil aliud eſt, quàm acidum adſtringens, conſtipans, & contrahens, quòd à materia terrea modo dicto diſpoſita habetur, hujuſmodi materia terrea etiam in noſtro corpore, & in humoribus reperitur, & præternaturaliter miſcetur humori acido ab arteriis glandulis tunicæ ventriculi interioris impartito, & hoc certè contingit vitio lienis, qui ratione obſtructionum fæculentias ſanguinis è ſale fixo, & materia terreſtri conflatas, in ſuis poroſitatibus, & cellulis non recipit, neque in humorem fermentativum maſſæ ſanguineæ elaborat, prout ſui eſt officii ad ſanguinem vegetum conſervandum, cum proportionata fluiditate, qua excrementa per renovatam fermentationem facillimè poteſt deponere, tam in hepate, quàm in aliis partibus ad ea recipienda deſtinatis; quapropter dicta materia terreſtris ſalina ſine volatilizatione, & præparatione aqueo humori acido mixta, & in dictis glandulis ventriculi unitim cum eo depoſitata acidum auſterum reddit, quòd vellicando ventriculi nerveas fibras corrugationem in eas inducit, à qua famis ſenſatio, & corrugationis modus eſt talis, ut hunc percipiendo ſenſus communis eliciat appetitum calcis, terræ, & carbonum, dum per ſuas ideas innatas apprehendit in talibus corporibus ineſſe potentiam afficiendi organum, in tali ſtatu, cum tali motione, quæ ſuavitatem inducat; ſuavitas verò percipitur, dum fibræ ventriculi, & linguæ ab humore acido, & auſtero contrahuntur, & adſtringuntur, itaut à quolibet motu, & à qualibet figura particularum moveri, & penetrari non poſſint, motu titillationem pariente, in quo ſuavitas comeſtorum reſpectu ventriculi conſiſtit, & linguæ, & quia à particulis calcis, & terræ blandè penetrantur, & moventur, ideò in eorum uſu ſuavitatem experiuntur in tali ſtatu conſtituti, ſua enim craſſitie, ſuis ramulis, & hamulis adſtrictionem, & contractionem fibrarum à prædicto humore contractam motui particularum lenium, & mollium reſiſtentem ſuperant, cum blando, & ſuavi motu, & penetratione, quapropter ſapor ſuavis reſultat, ubi in eis talem fibrarum conſtrictionem, & contractionem non patientibus dictorum mixtorum particulæ ingratum ſaporem præbent, quia motu valido ab iſtis moventur, & penetratione moleſta ab iſtis perfodiuntur, pariter in iſta patiente alimenta ſuavia, & mollia nullius ſaporis cenſentur, quia mollitie ſuarum particularum fibras linguæ, & ventriculi modo dicto diſpoſitas nulla titillatione afficiunt, ideòque nulla perſentitur delectatio in uſu dictorum ciborum, ſed veluti nullius ſaporis cenſentur.

Tumor in liene originem habuit à materia craſſa, quam naturaliter in ſanguine cumulat hæc Patiens ratione temperamenti pituitoſi, & melancolici, & à qua omnia fermenta partium ſanguini tenuitatem, & vigorem inſpirantia enervantur, unde ſanguis magis ſemper craſſus, vel multa materia craſſa coinquinatus, quæ per lienis ſubſtantiam circulando, in ejus poroſitatibus, cellulis, & capillaribus vaſis relicta, ibi obſtructionem efficit, quommodo etiam in uteri vaſis eam induxit menſium temporaneam evacuationem prohibendo, qua multis retentis excrementis cachexia aucta fuit, quæ priùs præexiſtebat, ex eo quod ſanguis non ritè fermentatur à lienis fermento oppreſſo à materia obſtruente, ut excrementorum ſeparatio fieri non poſſit, ex quorum retentione in maſſa ſanguinea iſtius conſtitutio, & craſis depravata fuit cum cachexia, ex hac malus faciei color, & tumor, dum materia craſſa, vel ſeroſa ab univerſali ſanguinis craſſitie non admiſſa ad unionem cum aliis, vel ab ea expreſſa cum diſgregatione ab aliarum unione, in ejus ſubſtantia laxa in majori copia recipitur, & detinetur cum mutatione coloris.

Prò horum morborum eradicatione elucidatæ cauſæ indicant, primò Hypocondriorum, & ventriculi regionem eſſe à craſſorum humorum ſaburra mundandam, ſecundò obſtructiones lienis, & uteri removendas, tertiò humorem acidum auſterum corrigendum, quartò maſſam ſanguinis ab omni humorum excrementitiorum inquinamento purificandam, quintò fermenta partium præcipuè concoctionibus inſervientia exaltanda.

Multitudo malarum diſpoſitionum unà cum earum contumacia difficilem reddent earum ablationem, & timendum de Hydrope, remediis tamen fidendum generoſis, & in ætate vegeta ſperandum.

Quoad primùm, ergo per tres dies exhibeantur Syrup. de quinque rad. de cort. citri an. ℥. i. cum aquæ Abſynthii, & Meliſſæ an. ℥. iii. crem. tart. s. p. ʒ. i.ß. poſteà vomitivum propinetur ex infuſione gr. viii. Hepatis Antimonii, ſeu Croci metallorum in ℥. iiii. vini malvatici, vel ʒ. i. Salis vitrioli, poſteà ad reliquias exterminandas inciſivis, & aperientibus, Diaphoreticis mixtis, quæ idem præſtant, & ſimul auſteritatem humorum corrigunt cum ſpiritibus volatilibus ſalinis, & præcipuè oleoſis utendum, ut ♃. Oximel. comp. Syrup. de quinque rad. an. ʒ. vi. Decoct. quinq. rad. aperient, fol. Card. bened. Scordii, Pulegii, Veronicæ ℥. vi. Spiritus armon. gutt. viii. hoc tempore mittendus ſanguis, & à brachio, & à pede, ſed in quantitate moderata, & poſt ſeptimum ſyrupum purganda materia Melle roſ. ſol. cum Cræm. tartari, & huic indicationi ultima manus ponenda cum aqua Tetutii per quinque dies ad quantitatem ℔. v. pro omni die.

Quoad ſecundùm providebimus obſtructionibus lienis, & uteri his præmiſſis adjungendo ſequentes Pilulas ♃. Extracti Aloes, Sennæ, Rhaubarbari an. ʒ. ii. Trhociſ. Alhandal. ℈. i. Gummi Galbani, Armoniaci aceto diſſoluti an. ʒ. i. ß. Myrrhæ rub. ʒ. i. Caſtorei ℈. ii. Eſſentiæ Croci ʒ. ß. Croci Martis aperitivi ʒ. ii. Salis Sabinæ, Tamariſci an. ʒ. i. Olei Succini ℈. i. ß. Spiritus Cornu Cervi ℈. i. Olei Macis ℈. ß. cum aceto chalybeate, & Syrup. de Artemiſia q. s. f. pilu. quarum doſis

doſis ʒ. 1. ß. ſi autem corpus nimis movebunt, minoranda doſis, quod ſi ſuperbibatur Decoctum in Jure Sabinæ Rubiæ tinct. Tamariſci, Citrach, Roſmarini, Salviæ melioris erunt efficaciæ; Extrinſecus applicandum Ceratum lieni ex Armoniaco vino malvatico diſſoluto, & regioni uteri aliud ex Sagapeno paratum.

Quoad tertium dictis ſuperiùs remediis ſatisfactum erit, & ſatisfaciemus cum ſequentibus.

Quo ad quartum ℞. Pulv. viper. ℈. j. Bezoart. miner. ℈. ß. Salis tart. volat. gr. viii. vel in ejus defectu ſalis roſmar. ℈. 1. m. f. pulv: accipiendus cum Syrupo cinam. ex deſcript. Quercet. ad Cochlear. unum, vel ad unum, & ſemis; his ſanguini optima craſis conciliabitur, & humorum auſteritas emendabitur, quod facilius præſtabit, ſi dicto Syrupo, Antim. tinct. ad ℈. ß. addatur, omni quinto die purgandum erit cum pilul. de Sagapeno Quercet. & hoc remedio continuandum erit per viginti dies, quo ultimæ indicationi ſatisfactum quoque erit, & ſatisfiet huic, aliiſque duabus ſuperioribus cum vino, quòd futuro Autumno parabitur cum rad. Ireos, Acori, Rubiæ tinct. Gentianæ, Tamariſci, & Foliis Cetrach. Agrimoniæ, Quinq. folii, Geniſtæ, Abſynthii, Sabinæ, Pulegii, Chalaminthæ, Majoranæ, quæ omnia in ſacculo indantur pro quantitate vini componendi, & ſuſpenſum detineatur in dolio, quòd erit bibendum prima vice in paſtu ad ℥. v. quodſi per hæc remedia dicta ſymptomata non cedant, Chalybeata uſurpanda, & præcipuè Crocus martis cum Antimonio diaphoretico, & ſale tartari volatili, & Cornu Cervi miſcendus, & medicamentum componetur omnes indicationes adimplens, quòd faciunt etiam hiboli ℞. Mitridat. ℈. 1. Olei Cariofil. Macis an. gutt. iii. Charab, gutt. vi. Spir. fuliginis gutt. iiii. m. & pro tali appetitu extinguendo Portulacam ſæpè edat. Victus ratio ſit optimi ſucci, & ad calidum vergens.

CONSULTATIO XL.

De Siti continua, & inextinguibili.

PAtiens ætatis annorum triginta quinque, temperamenti calidi, & ſicci, vulneratus fuit ictu ſclopeti in ſpatula, vulnus in fiſtulam degeneravit, & brachium movere etiam debiliter poterat, pro quibus decretum fuit exſiccans Decoctum per triginta dies cum conſueto dietæ rigore, & ſudoris excitatione. In fine ſitis adeò vehemens eum excepit, ut à potu ſe temperare non poſſet, & maximè quia loquendi facilitatem impediebat, & ſummum virium languorem, ac paſſionem quamdam in ventriculo inferebat, quæ omnia demulcebat potus copioſus; hujuſmodi ſitis poſt Decoctum conſuetum perſeveravit cum appetitus proſtratione. Aquam Villenſem, ſerum caprinum, ſuccum hordei, multaque alia medicamenta refrigerantia, & humectantia pro hujus ſymptomatis ablatione exercuit, ſed incaſſum. Sitim poſt Decoctum, (tempore medicamentorum excepto) vino extinguere curavit, nunc febris lenta ſupervenit, cum determinatis, & diſtinctis acceſſionibus ad intermiſſionem numquam accedens, corpus ex ſui natura gracile magis exſiccari cognoſcitur.

Sicuti ſitis naturalis à moderata exſiccatione, & corrugatione fibrarum interioris tunicæ ventriculi pendet, & etiam ſitis illa Palati propria, & quæ quotidie in ſolidorum maſticatione contingit ad potum nos invitans, à ſola exſiccatione, & corrugatione fibrarum linguæ provenit, ex eo quod ab alimentis ſolidis abſorbetur non ſolùm ſaliva actu humectans linguam, ſed etiam illa in vaſis ſalivalibus contenta, dum motu maſticationis, accelerato ejus exitu tota transfunditur in oris capacitatem, ubi à cibis maſticatis tota excipitur, quapropter humectante neceſſariò deſtitutæ fibræ linguæ; cum earum ſiccitate, & corrugatione ſitis oritur, utramque ſitim à ſiccitate, & contractione fibrarum oriri, ejus ſedatio à potu humectante, quo ſiccitas tollitur, & laxitas inducitur planè demonſtrat; Sic ſi intensè fibræ ventriculi exſiccentur, & corrugentur intenſa oritur ſitis, prout evenit noſtro Patienti ab exſiccante Decocto, cui facilè fuit prædictas fibras pro temperamento calido, & ſicco ex ſui natura ſiccas, intenſiori ſiccitate afficere, qua in continua corrugatione detentæ ſitim etiam continuam pariunt parvam modificationem ſuſcipientem à frequenti potu, coarctatis à nimia ſiccitate ad extremum poris fibrarum, itaut non permittatur ingreſſus in earumdem ſubſtantiam corpuſculis humidis potus, & ea modificatio ſitis, quam potus infert, ſtatim tollitur ab aucto in ventriculo calore à vini potu, quo continuò ſitim extinguere curat, huic incrementa diſponuntur, & ſiccitati gradus adduntur ab eodem calore humidum ſtatim diſſolvente.

Ad ſitim conducunt vapores ſalſi à bile elevati in efferveſcentia ejus, cum ſucco Pancreatico in inteſtino duodeno, quæ licèt ob humiditatis incraſſationem factam à medicamento exſiccante reddita fuerit craſſa, & iners, concentrato ſpiritu volatili ejus in craſſitie, attamen in dicta efferveſcentia volatilizatæ particulæ aliquæ ſalinæ aſcendentes ad ventriculum, corrugationem inducunt, & ſiccitatem augent cum ſiti.

Ab eodem calore, & bile acidum ventriculi volatile, vel mortificatur, vel diſſipatur, præterquamquod ſiccitas fibris impartita corripuit etiam glandulas ventriculi, itaut diminutis in mole, & coarctatis eorum poris, non ſuſcipiant debitam quantitatem humoris pro præparando fermento neceſſario, vel ab eadem ſiccitate, & calore corrupto fermento proprio dictarum glandularum, depravatur etiam præparatio humoris fermentativi ciborum, ex quo non ſolùm appetitus proſtratio, ſed etiam imperfecta chyli elaboratio, non volatilizatis ejus particulis, ſed in craſſam, & fixam pultem degenerantibus, cui non opitulatur efferveſcentia bilis cum ſucco pancreatico, cùm ob craſſitiem, & lentorem ejus iners evadat ad debitam efferveſcentiam inſtituendam, prout ſuperiùs dicebam. A craſſo chylo, craſſus ſanguis, & bilis pariter craſſa hoc vitium corrigere non valet, hinc non ſolùm glandulis Parotidibus ſerum craſſum ſubminiſtratur, unde ſaliva craſſa impotens fibras linguæ humectare, quia inhabilis tranſire per ejus poros, unde ſitis augetur, ſed etiam glandulis ventriculi pro elaboratione humoris acidi fermentativi, cum iſtius depravatione, vel abolitione dum ob craſſitiem non recipitur intra glandulas humor, & receptus ob reſiſtentiam à craſſitie impartitam ritè non elaboratur.

Aliquæ particulæ craſſiores ſanguinis, vel alterius humoris in vaſis alicujus partis relictæ obſtructionem pepererunt, & ibi humor detentus qualitate fermentativa, & volatilitate acquiſita ſuperato obſtructionis impedimento, ſanguinique mixto efferveſcentiam ibi excitat maximam, inordinatamque, ſed lentam, quia fermentum debile, & maſſa ſanguinis ſpiritu privata cum craſſitie non eſt apta ad efferveſcentiam violentam ſuſcipiendam, & cùm impedimentum obſtructionis ſuperatum non tollatur auferendo materiam, ſed ſolùm hanc perterebrando, ideò hæc priori ſtatui ſe remittens impedimentum renovat, à quo humoris ab impedimento ſtagnantis alteratio ad qualitates ſupradictas, à quibus ſuperatur impedimentum, & modo dicto renovatur efferveſcentia febrilis periodica, cui exiſtimo conjunctam eſſe hæcticam ob diſpoſitionem naturalem per temperamentum calidum ſiccum, & gracile, & ob craſſitiem ſanguinis excrementis multis coinquinati, ob depravatam chylificationem, quibus ad fermenti naturam exaltatis continua fermentatione continuam inducunt efferveſcentiam, & cùm non poſſint ob ſanguinis craſſitiem ab eo ſeparari, continua eorum præſentia febrem continuam lentam efficiunt, eo modo, quo hæctica primi gradus efficitur, cùm ſemper ſit eſſentialiter conjuncta lentori, & craſſitiei ſanguinis, ad quod demonſtrandum ſuperſedeo, ne conſulentis officium tranſcendam; ſed quod id mihi efficacius oſtendit, eſt ſiccitas ventriculo habitualis facta, unà cum calore, ab immoderato vini potu in eo impreſſo, à quibus fermentum, ſeu temperamentum naturale eſt alteratum ad ſiccitatem, & caliditatem, in habitu marcorem quemdam in ventriculo inducentem; ab hujuſmodi temperie, ſeu fermento, ſanguis circulans copioſè per ventriculi ſubſtantiam incaleſcit, & ad majorem efferveſcentiam ſuſcipiendam in corde diſponitur, unde febris continua, non aliter, ac in Pthyſi à Pulmonum flaciditate, hæctica conjungitur, per ſolam fermenti, ſeu temperamenti illorum depravationem, ſanguinem ad indebitam, præternaturalem, & continuam efferveſcentiam diſponentem quodcum-

que

que ſit hoc meum cogitatum ſolidis fulcitum rrtionibus apud me, aliorum tamen judicio ſubmitto.

Ad tollendos ergo hos affectus, febris putrida eſt ſedanda, tam per ea, quæ motum effervefcentiæ cohibent, quàm per aperientia obſtructionem, quæ febris cauſam tollunt, ſecundò hæcticæ latenti ſubveniendum lentorem ſanguinis, & bilis, corrigendo, necnon fixum, & habitualem, ventriculi craſim calidam, & ſiccam, atque præternaturalem ad contrariam ducendo, quo ſiti ſatisfactum quoque erit, dubitandum autem eſt de certo remediorum exitu, cum à morbo longo habitus ex ſui natura gracilis ſit enervatus, & etiam quia ventriculi temperies, & ſanguineæ maſſæ ſtatus à naturali maximè diſtant.

Leniter ergo purgato corpore cum Caſſia, vel Manna acrioribus medicamentis prætermiſſis ratione febris putridæ, & motus inordinati ſanguinis, ſecetur vena pro ratione virium ægrotantis; primam indicationem adimplebimus cum emulſionibus ſeminum melonum ex extractis cum aqua Centauriæ min. addito etiam ſpir. vitriol. dulcificato ad gratam aciditatem, deobſtruentia tempore majoris intermiſſionis exhibenda ſunt temperata, ne ventriculi temperies calida, & ſicca augeatur, unde Jus alteratum paretur cum Decoctione agrimoniæ, quinque folii, radicum graminis, cicorei, gentianæ, addito ſpiritu vitrioli dulcificato, interim utatur pro ventriculi ſiccitate, & caliditate, & marcore corrigendo ſucco hordei diſſoluto cum aquis deſtillatis ex carne contuſa cancrorum fluviatilium, Ranarum, & limacum, parùm, & ſæpè deglutiendo, & quod melius erit eorum contuſo diſſoluto in jure, vel in aqua; Lac vaccinum deſtillatum cum foliis Malvarum, & Boraginis ſit pro continuo potu, foveatur exterius ventriculus cum ſpongia imbuta Decoctione Malvarum, Altheæ, Pſylii, Boraginis reiterata purgatione pro neceſſitate, & juxta ſigna concoctionis. Si datum fuerit putridam febrem ſubjugare, obſervandum eſt, an lenta febris perduret ſine manifeſta acceſſione, & tunc de Hæctica certiores erimus, pro eaque extirpanda dimicandum, ſi verò febris omninò cedat, ventriculo ſuccurrendum primò lacte Aſinino ad ℥. vi. & augendo quantitatem pro ejuſdem tolerantia per quindecim dies, poſteà utendum lacte vaccino ad ℥. v. cum aqua ſupra dicti extracta è carnibus contuſis, vel Ranarum, vel Cancrorum, vel Teſtudinis, quæ remedia etiam opportuna erunt, ſi febris hæctica appareat, ſed eiſdem utendum cum extracto Gentianæ ad ʒ. ß. cum ſpir. Cornu Cervi gutt. vi. redacto in formam boli pro correctione craſſitiei ſanguinis. Victus ſit frigidus, & humidus, & maximè nutritivus, ut ſunt extractum carnium ad formam deſcriptam à Riverio in tractatu de Hæctica, unà cum Pane martio ibidem deſcripto, & hæc ſufficiant pro præſenti Conſultatione.

CONSULTATIO XLI.

De Ciborum avverſione, nauſea, & vomitu præcedente dolore gravativo, unà cum læſa deglutitione ſolidorum, & liquidorum.

EX tranſmiſſa Relatione manifeſtum fit hunc Patientem naturaliter debilem ventriculi conſtitutionem ſortitum fuiſſe, cum frequenti vomitu moleſtatus fuerit, cum expulſione materiæ viſcoſæ, & aqueæ primò acidæ, deindè amaræ, certum indicium ventriculi à naturali officio perfectæ concoctionis alimentorum aberrantis, cùm enim à primordio generationis fibras contraxerit laxas à nimio humido, eis tanta non ineſt vis, ut pars craſſior alimentorum expellatur pro hoc robuſtiori contractione indigens à fibrarum laxitate non permiſſa, quapropter ob diutinam moram ejuſdem portionis craſſæ, ſal fixum in ea præcipuè contentum ſuſcipiens fluorem totam acidam reddit; cùm ſal etiam commune per fluorem aciditatem occultam in eo latentem manifeſtet, ita alimenta liquida, & ſolida per aliquod tempus reſervata aceſcunt, portio dictæ materiæ craſſæ contrahens hanc qualitatem acidam, moleſtiam ventriculo infert cum irritamento, hic excitatur ad ejus expulſionem per vomitum, unde materia primò ejecta eſt acida, & quia, in tali conatu dictæ expulſionis, bilis ad ventriculum ex inteſtino aſcendit, ideò materia ultimo loco per vomitum expulſa amara eſt: hujuſmodi fibrarum laxitas à frequenti, & copioſo aquæ refrigeratæ nive, & etiam conglaciatæ potu facta fuit major, unde vomitus frequentior, & diuturnior ob dictam cauſam cum nauſea, & inappetentia ciborum, ex eo quod ventriculi fibræ nimis laxatæ ad eam corrugationem non reducuntur, quæ eſt neceſſaria ad famem excitandam, quando vellicantur ab acido, præterquamquod ejuſdem ventriculi calore debilitato à frigido contrario, inertique reddito ad acidi præparationem, ad quam aliquo modo concurrit volatilizatione, hoc fixum remanet, & redditur per hoc tam ineptum ad alimentorum præparationem, quàm ad illam vellicationem, in qua fames fundatur, ulteriùs à nimio humido fibrarum acidum ita retunditur, ut his pro ſtimulo inſervire non poſſit, & quia inter villos membranæ ventriculi remanet ex depravata alimentorum digeſtione materia, quæ facilè putredinem, vel malam qualitatem huic ſimilem ſuſcipit, talis materia ab alimentorum præſentia commota illam excitat moleſtiam in fibris ventriculi, ſimilem illi ab alimentis putridis ventriculo impreſſam, qua ad eorum ſubitam expulſionem commovetur, unde avverſio ad quælibet alimenta.

Vomitum præcedit dolor gravativus ob flatus à materia prædicta putreſcente elevatos diſtenſionem ventriculi cum gravedine inferentes, vel quia mala qualitate ſive acredine talem moleſtiam pariunt, qualem copia materiæ incutit.

Ab eiſdem cauſis laxatæ œſophagi fibræ naturaliter molles inducta in eis quadam quaſi Paralyſi, deficit in eo motus contractionis neceſſarius ad deglutionem expeditam, unde alimenta nonniſi cum difficultate deglutiantur, quantum autem valeat aquæ frigidæ potus à patiente noſtro frequenter exercitatus ad relaxandum ex conſideratione, quòd ſpiritus à frigido, vel mortificentur, vel repellantur, facilè comprehenditur, ſicuti etiam certum ſit à ſpiritibus hoc modo affectis fibras laxari, ut motu priventur, cùm è contra ex eorum influxu copioſo pars in contractione quadam, & velut inflatione detineatur, & non ſolùm fibræ humidas aquæ particulas imbibendo, ſed etiam à ventriculo aliquas exſugendo laxitatem morboſam, & paraliticam ſibi pararunt.

Deducimus ergo ex cauſarum indagatione fibras ventriculi eſſe exſiccandas unà cum eis œſophagi, ſimulque illius temperiem nimis humidam eſſe corrigendam.

In quo exequendo, erit difficultas ob inveteratam diſpoſitionem, & major reddetur à Paralyſi œſophagi, à qua Mors ſæpè fuit inducta.

Expiato ergo in primis Ventriculo, vel Vomitivo ex Sale vitrioli, vel alio purgante proportionato unà cum præparantibus adæquatis, ſanguinis miſſione prætermiſſa, cùm nullum locum habere videatur in his affectibus, Aqua Tetutii exhibenda per novem dies, vel decem more ſolito præmiſſo convenienti vehiculo, poſteà exhibendum jus Columbi, in cujus ventre reponantur Ligni Saſſafras, Viſciquercini, Salſæ, cum rad. Acori, Zinziberis, & granis Cardamomi, cum foliis Abſynthii, Petroſelini, Fœniculi, Roſmarini, præmittendo bolum ex therebentinæ ʒ. ß. Extract. baccarum Juniperi ℈. I. Balſami Peruviani gutt. vi. per viginti dies in hoc perſeveret, poſteà utatur per menſem Pulvere Viperino ad ℈. I, cum ℈. ß. Antimonii diaphor. in Conſerva florum roſmarini, vel cum ſucco Abſynthii condenſato ſuperbibendo ℥. ii. Aquæ alicujus antipoplecticæ, vel antiparalyticæ deſcripræ à Quercetano, & Mynſichit; Ante cœnam capiat ʒ. ß. Confectionis paratæ ex ſpecier. Diamoſchi, Diambræ, Aromat. roſ. Diatrion pipereon an. ʒ. I. cum ſufficienti quantitate Sacchari diſſoluti in aqua florum citri, vel in ſuperius dictis Antipoplecticis, per diem ſequenti utatur Lambitivo. ℞. A. quæ totius citri, Meliſſæ an. ℥. iii. Theriacalis ℥. I. Spirit. vini aromat. cum nuce moſcata, macis, & Cinam. ℥. I. vel cum Aqua vitæ Mathioli, Elixir prop. an. ʒ. I. ß. Confect. ex Hyacintho ʒ. I. Salis Abſynt. Roſmar. an. ʒ. ß. cum Syrupo de Cinam. ℥. ß. & Cortic. citri ℥. I. f. lambitivum. Exterius roborandus Ventriculus cum Cerato ex Maſtice, & Tacamacca, & in paſtu

bibat

bibat primo loco cyathum vini medicati cum ligno lentiſci, & Viſcoquerc. Baccis Juniperi, foliiſque Abſynthii, Roſmarini, Meliſſæ, Rutæ &c. ſervata optima victus ratione.

CONSULTATIO XLII.

De dolore, & anxietate ventriculi à cibo.

Religioſus temperamenti calidi, & ſicci ad aduſtionem vergentis, ætatis annorum triginta, ſtudiis maximè, & intensè addictus, de dolore ſtomaci anno præterito conqueri cœpit, qui à cibo multum exacerbatur cum anxietate, ut loco ſtare neſciat, in hoc ſtatu maximo afficitur mœrore, & à flatibus, adeò gula intumeſcit, ut quandoque difficilis reddatur reſpiratio; his adjungitur obſtructio in Meſenterio, & pulſatio arteriæ, tactu & viſu ſenſibilis circa ejuſdem regionem.

Naturalis hujus Patientis temperies ad calidum, & ſiccum, cum aduſtione vergens manifeſtum facit in ejus ſanguine partes ſulphureas inflammabiles redundare, & à continua effervefcentia ab intemperie immoderatè calida excitata plures aduſtionem pati, quarum naturam à ſulphureis particulis non aduſtis differre cenſeo, ſicuti etiam pro certo ſtatuendum eſt à ſpirituum (ob ſtudii aſſiduitatem) in ſanguine diſſipatione, ſalinas ejus partes magis, & in copia exaltatas fuiſſe, deficiente moderatore ſpiritoſo eas ſub jugo detinente, itaut ſenſibilis in eo reddatur earum actio, quæ priùs ſupprimebatur, à ſpiritu balſamico modificata; ex aduſtis particulis ſulphureis, & ſalinis exaltatis per mixtionem fit unum acre, per quod tota maſſa ſanguinis acredinem concipit, & ad fermentandum immoderatè diſpoſitionem contrahit, cùm tale mixtum ſit ſanguini extraneum, eo quod excrementi naturam ſuſceperit, & per effervefcentiam volatilitatem acquiſierit, qua fermenti conditionem ſuſcepit, maſſam ſanguinis plus juſto fermentare facientem, ſed citra febrilem effervefcentiam. Hinc eſt, quod à cibi fermentationem in ventriculo excalefactus ſanguis in arteriis, & venis per ejus ſubſtantiam reptantibus effervefcit ſupra modum naturalem, unde concepto quodam impetu, ab hoc arteriarum extremitates glandulis tunicæ interioris fixæ aperiuntur, & magna copia ſeroſi laticis ſulphurei ſalſi de natura ſupradicta ſanguis participantis, in eas, & cavitatem ventriculi diffunditur, à cujus acrimonia laceſſita membrana ejuſdem ventriculi dolorem ſentit; huic conferunt reliquiæ alimentorum in villis membranæ ventriculi reſidentes; quæ à calore partium adjacentium ad auſteritatem ductæ, & ad acredinem excedentem, poſteà alimentis aſſumptis commotæ pungendo membranoſam ſubſtantiam dolorem augent.

Ab eadem ſanguinis effervefcentia elati vapores acres, & membranæ exteriori, & mediæ carnoſæ impreſſi vellicatione pungunt, eam inferendo moleſtiam, per quam anxius redditur patiens, cujus anxietas augetur, quando dicti vapores orificium ſuperiùs attingunt, & tractis in conſenſum nervis cardiacis, eam compreſſionem inducunt, quæ mœrorem facit.

Hujus effervefcentiæ opera fermentatio alimentorum facta major; elevantur etiam vapores in magna copia, qui œſophagum diſtendendo, gulæ intumeſcentiam pariunt, à qua compreſſa aſpera Arteria ſpirandi difficultas oritur; & ab hac fermentatione valida unà cum dolore fibris ad contractionem determinatis exitus alimentorum acceleratur non perfecta adhuc concoctione, unde craſſæ particulæ aliis ſubtilioribus commixtæ, craſſiori ſanguini pro materia inſerviunt, & aliæ in maſſa ſanguinea ex aduſtione præparantur in humorem acrem ſupradictum à craſſis obſtructiones in meſenterio, & aliquorum ramorum arteriæ Pancreatici infixæ, unde pulſatio arteriæ in ventre, dum poſito impedimento advenienti ſanguini arterioſo per obſtructionem, hic cogitur retrocedere in cæliacos ramos; unde ſanguis adveniens, & alter retrocedens in occurſu ſe invicem impedientes arteriam diſtendunt, & majorem pulſum, quàm ei naturaliter conveniat edere cogunt, vel arteria ſubtus habet partem ab obſtructione induratam, quæ cùm reſiſtat ſuo motui, hujus vis tota dirigitur in partem exteriorem arteriæ, quapropter hæc magis diſtenditur, & ejus pulſatio major ſit, ut oculis etiam appareat.

Ad extirpanda hæc ſymptomata conducet correctio Maſſæ ſanguineæ per dulcificantia, & ejus effervefcentiam modificantia, unà cum totius refrigeratione, mundatis priùs primis viis ab humorum redundantia; Dolor erit leniendus, & anxietas auferenda, quod pariter fiet cum prædictarum indicationum ſatisfactione, partim cum Anodynis, & Carminativis. Ultimo loco obſtructiones tollendæ, & partes affectæ corroborandæ.

Quæ omnia obtineri poſſe ſpero ſtante virium robore, & ætate florida cum optima diſpoſitione ad optima remedia exercenda.

Mundato ergo Ventriculo, & primis viis, per adæquatam humorum purgationem, & ſanguinis miſſionem, non ſolùm à brachio, ſed etiam à venis hemorroidalibus, pro majori deterſione ventriculi per ſeptem dies exhibeatur aqua Noceræ dejectoria cum Mele roſ. ſol. ad ℔. iiii. omni die, poſtea ſuccis ſequentibus per decem dies utatur. ♃. Succi Agrimonii, Acetoſellæ, Boraginis an. ℥. 1. Decoct. rad. Graminis, Ari, Taraxaci, fol. Borag. Epaticæ, Epithimi, Linguæ cervinæ ad ℥. vi. Tinct. tart. ℈. 1. ß. m. præmittendo pulverem ex ſpeciebus Santal. & Diamargarit. frigid. an. ʒ. ß. Omni tertio die purgetur cum Decoct. Epithimi Meſue. Ad obſtructiones auferendas Tartaro chalybeato utatur per quindecim dies cum Decoct. rad. Graminis, Quinquefolii addito Syrup. de Cicorea cum Rhaub. Ultimo loco uſurpandum lac Aſininum deſtillatum ad ℔. 1. per viginti dies cum ſequenti Pulvere. ♃. Oculor. cancr. præp. ʒ. ß. Margarit. præp. ℈. 1. raſuræ eboris ℈. 1. ß. Coral. præp. Antimonii diaph. an. ℈. ß. m. Æſtivo tempore Balneum aquæ dulcis exerceat, & Aquam Villenſem eodem tempore per decem dies aſſumat mane, exercendo balneum poſt meridiem Ventriculus corroboretur cum ſpecifico ſtomatico Poterii, quod conſtat antimonio Diaphoretico, & Margaritis. His correſpondeat optima victus ratio, omnia aromata fugiendo, & alimenta craſſa: Vinum ſit œlighopharum, & ſtatim à prandio cyathum aquæ fontis, vel Noceræ bibat, à ſtudio intenſo, & continuo abſtineat, & poſt cibum omninò fugiat.

CONSULTATIO XLIII.

De motibus convulſivis à cibo.

Religioſa annorum viginti temperamenti calidi, & humidi menſium diminutione laborans poſt cibum motibus convulſivis tam immaniter opprimitur, ut à multis ſociis detineri non poſſit, cum concuſſione omnium membrorum, & facultatis animalis læſione, & etiam cordis, dum nihil ſentit tali oppreſſa ſymptomate, & pulſum parvum, ac inæqualem tunc temporis habet.

Nervorum genus affici in hac Patiente evidenter oſtendunt motus convulſivi, & concuſſiones, ac contorſiones totius, dum niſi à nervis tales motus fieri poſſunt, & cum poſt cibum eveniant, ab hoc determinari nervos ad tales motus ſine errore deducere poſſumus, non quia cibi ex ſui natura valeant efficere tales motus, eò quia non ſunt conditionis pravæ, nec irritativæ, unde ſequitur ſolùm hos movere materiam irritativam in ipſis nervis congeſtam, & quieſcentem, & hanc credere licet eſſe portionem excrementorum in maſſa ſanguinea congregatorum à menſium ſuppreſſione, quæ à continua ſanguinis fermentatione exaltata ſunt in fermenta præternaturalia, quorum ſubſtantia à nutritio ſero, ſucci nervoſi materia abſorpta cum hoc ad nervos deducitur, & in eis ventriculi, & fibris membranoſis ejus depoſitatur, & quamdiù cum aliis partibus dictum ſuccum componentibus mixta manent, dicta fermenta innoxia evadunt, commota verò, & diſgregata ab alimentorum fermentatione, vel calore, irritando, vel effervefcentiam inordinatam in dicto ſucco nervos ventriculi, & fibras ejus membranoſas irrigante inducendo, prout in Conſultatione ſexta determinavi, convulſivos motus pariunt, qui à ventriculo incipientes toti nervoſo generi communicantur, dum effervefcentia in fibris nerveis ventriculi incœpta per partem poſt partem

tem accenditur in origine nervorum, ibique excitata etiam in ſucco nervoſo meditullium cerebri irrigante, hujuſmodi effervefcentia, ab hoc in totum derivatur facili negotio, cum probabile ſit in tota maſſa ſucci nervoſi adeſſe particulas facilè fermentativas, & ad effervefcentiam inducendam aptas ejuſdem naturæ cum eis in ventriculi nervoſis partibus præcipitatis, quibus etiam deficientibus facilè eſt motum inordinatum conceptum à ſpiritibus in ſuo emporio exiſtentibus, omnibus nervoſum ſyſtema colentibus communicari, ab eodem inordinato motu ſpirituum in cerebro omnes facultates animales abſciſſæ ſunt.

In hoc affectu duo veniunt conſideranda, primò quid agendum ante, & in ipſo accidente, ſecundò pro præſervatione; Ante exhibenda, quæ ſuccum nerveum rectificare valent, ejuſque effervefcentiam prohibere. In actu paroxyſmi diſſipandus humor irritans, & fermentans, atque revellendus aliò. Pro præſervatione menſes movendi, tamquam radix morbi, ſecundò ſuccus nerveus, & ſanguis rectificandus, ultimò Ventriculus, & nervorum genus corroborandum ob malam diſpoſitionem, quam facilè contrahere potuerunt à frequenti invaſione accidentis.

Quibus ſatisfacere ſpero, cùm totalis non adſit menſium ſuppreſſio, unde cauſa ſupprimens diminuta apparet, ideòque facilè ſuperabilis.

Ante cibum per horam capiet ſequentem bolum. ℞. Diaſcordii ʒ. ß. Salis ſuccini gr. iiii. Bezoartici Jovialis gr. viii. Salis Cranii gr. vi. Nepenthes gr. 1. ß. m. f. b. ſuperbibendo aquam lumbricor. Papav. errat. & Peoniæ an. ℥. ii. & poſtquam è lecto ſurrexerit uſque ad horam prandii capiat per cochlearia, & per intervalla de ſequenti Lambitivo. ℞. Spirit. Vini ℥. 1. in quo infuſa fuerint ſem. Paſtinacæ Sylveſtris contuſ. ℥. 1. & Baccæ Sambuci ʒ. ii. itaut ſpiritus ſupereminеat tres digitos Aquæ theriacalis ℥. ß. Cinam. ʒ. vi. Aquæ Meliſſæ ℥. iii. Tinct. Caſtorei ʒ. ß. Fæculæ Brioniæ ℈. ß. Coral. præp. ʒ. ß. Conf. ex Hyacintho ſ. o. ʒ. 1. Nepentes gr. iii. Syrupi de cort. citri ℥. 1. m. In actu accidentis ſuffumigia Hiſtericis appropriata exerceantur, unà cum frictionibus, & ligaturis dolorificis, & cucurbitis ſiccis partibus inferioribus applicitis.

Pro præſervatione, facta purgatione univerſali cum ſanguinis miſſione à pede, & brachio, quæ menſes movent adhibenda, in quem finem ſequentes præſcribo Pilulas. ℞. Extracti Aloes ℈. 1. Eſſentiæ croci ℈. ß. Croci martis aperientis gr. xv. Salis Sabinæ, Roſmarini an. ℈. ß. Succini gr. vi. Tinct. Caſtorei, Antimonii an. gutt. x. cum Aqua artemiſiæ f. b. ſuperbibendo ℥. vi. Decoctionis Ari, Rubiæ rinctorum, Zedoariæ, fol. Sabinæ, Artemiſiæ, Dittami cretici, in qua diſſol. ſal. tart. Chalyb. ℈. ß. & omni tertio die purgetur cum Pil. Succini Cratonis, & de Sagapeno Quercetani ſimul mixtis continuando per viginti dies, poſteà rectificandus ſanguis, & ſuccus nerveus, in quem finem ſervient Antimonialia omnia, & tartarea ſpaſmodicis unita pro ſucco nerveo, & cum eis, quæ urinam movent, conſtat enim experientia nervorum affectus plerumque per diureſim terminari. ℞. Ocul. cancr. Antim. diaph. an. ℈. ß. Bezoartici Jovialis gr. vii. Salis cranii humani ℈. ß. Roſmar. gr. xv. Succini gr. vi. m. exhibeatur cum bibendo lactis Aſinini deſtillati ℥. viii. cum ſpiritu ſalis armoniaci ℈. ß. vel fiat Bolus ex Extracto ligni Coryli, Viſciquercini an. ℈. 1. Ungulæ Alcis Cranii humani an. ℈. ß. Salis urinæ volatilis gr. viii. m. Ultimò corroborabitur Ventriculus cum Conſerva totius citri ad ℥. ß. addito ſale Abſynthii ad ℈. ß. & ſpecierum arom. roſ. ℈. 1. Victus ratio dirigenda relinquitur à Medico aſſiſtente.

Appendix.

Hæc Patiens, neſcio quo inſtinctu, Aquam in prandio ſemper bibere incœpit, & hujuſmodi accidentia non ſupervenerunt, unde continuo ejus uſu libera evaſit, quærebatur, an Vinum eſſet cauſa horum ſymptomatum, reſpondebatur, quod cùm Vinum non avverſetur, nec moleſtiam in eo aſſumendo perſentiat, prout ipſa aſſerit, imò jucunditatem in eo bibendo percipiat, nec vomitum excitet, vinum non eſſe cauſam effectivam hujus ſymptomatis; nam ab alimentis, & potu, cui avverſionem naturalem habemus, ſi ſumantur, poſſunt excitari hujuſmodi ſymptomata, ſed in eorum aſſumptione moleſtia perſentitur, & vomitus ſubſequitur nec jucunditas percipitur; ex quo aſſerebam vinum eſſe ſolum cauſam excitativam ob ſuas partes volatiles & ſummè mobiles, quibus valet ſuccum nerveum vehementer agitare, & ſuis particulis ſulphureis effervefcentiam in eo excitare, materiamque morboſam ſucco nerveo latentem ſuorum ſpirituum perturbatione agitare, ac perturbare, unde dictorum ſymptomatum inſultus modo explicato; & quia aqua talem effervefcentiam, & materiæ agitationem impedit, huic ſymptomati remedio fuit, à quo dicta in explicatione cauſarum comprobata manent.

CONSULTATIO XLIV.

De cruditate nidoroſa.

JUvenis annorum vigintiquinque, temperamenti calidi, & ſicci, & ſummè biliofi, à multis annis, de dolore ſtomaci conqueritur, præcipuè poſt ſex horas à cibo, cum flatibus per os erumpentibus ovorum frixorum, quandoque verò piſcium putridorum odorem redolentibus, plerumque excitato vomitu ſublevatur, rejecta materia craſſa viſcoſa, & ſubtili, aquea amara, alvi ſtipticitas adeſt, tempore æſtatis ſemper febribus tertianis vexatur, præſervationem quærit ab his, & à doloribus.

Bilis animali conceſſa ob multos vitæ conſervationi neceſſarios uſus à naturali conditione exorbitans multorum malorum cauſa exiſtit, prout experitur hic Patiens, in quo volatilis, & ſummè acris reddita à naturali conſtitutione, in hac ætate juvenili, in qua calor nativus ſummum nactus eſt incrementum, ab hujus activitate auctis prædictis qualitatibus magis labefactatur, & ab his facilis paratur bili aſcenſus ad ventriculum contra naturæ intentionem, quæ viam per inteſtina deorſum ei aperuit; ſua enim acredine aucta inteſtini duodeni fibras magis vellicando motum in eis periſtalticum auget, itaut pars inteſtini vellicata ſurſum cum aliquali impetu verſus orificium inferius ventriculi attollatur, in eum bilem expellendo, coadjuvata tali expulſione à ſua fluiditate, & volatilitate; hæc in ventriculum recepta ſuis qualitatibus diſſolventibus alimenta corrumpendo, & acidum naturale ventriculi ſuo ſale lixivio mortificando, cruditatem nidoroſam efficit, de qua patiens conqueritur, odores illos contrahens à ſulphure alimentorum unà cum eorum ſale volatili exaltato, cum quadam aduſtionis ſpecie, in quo etiam conſiſtit alimentorum corruptio, cùm talis exaltatio ſit propria putredinis, ſeparationem ab aliis particulis deſignans, ubi in concoctione, quæ eſt ſpecies elixationis, ſulphurea, & ſalina portio debet aliis intimè uniri.

In hujuſmodi corruptione partes alimentorum diſgregatæ ſimiles, cum ſimilibus coeunt, hoc eſt craſſæ ſimul uniuntur, & pariter ſubtiles, unde in vomitu etiam expelluntur partes iſtæ ſeparatæ, cùm ablatione doloris, excitati in membranis ventriculi vellicatis, & diſtractis ab irritamento iſtarum partium à bile alimenta corrumpente mutuato, & à ſale alimentorum fluorem ſuſcipiente in nimia diſſolutione, acrimoniaque partes, quibus miſcetur perfundente, & quia hujuſmodi acrimoniam, & irritamentum non ſuſcipiunt niſi alimenta reſidua in fine concoctionis, ideò per ſex horas à cibo dolor ſolùm ſe exerit.

Portio verò materiæ viſcoſæ ad inteſtina delata, excrementa ſegregata inviſcando, ea detinet, & præ mora exſiccata, alvi ſtipticitatem producit, & hanc moram longiorem facit, dicta materia ſua craſſitie inteſtinorum fibras comprimendo, & irritantem bilis acrimoniam obtundendo, cum diminutione motus periſtaltici, à quo fæcum deſcenſus coadjuvatur.

Febris excitatur omni æſtate, quia hæc materia craſſa calore tempeſtatis, & à bile ab eodem acriori facta diſſolvitur, ſeu funditur, & unà cum chylo venas ſubit, & poſteà in ramis pancreaticis collecta ſimul, & unita obſtructionem ibi parit, tranſitum pro aliquo tempore præparato ſucco impediendo, ex quo majorem contrahendo acorem, ſuperato poſteà impedimento cùm bile acri, & volatili in exitu à pancreate congrediendo fit præternaturalis effervefcentia, quæ ſanguini communicatur

nicatur non ſolùm per vapores fermentativos ab eo elevatos, ſed etiam per ſubſtantiam dictorum humorum, per venas lacteas ad cor aſcendentem, & ſanguini mixtam.

Unica ergo bilis correctio reſpiciens volatilitatem, & acrimoniam integram horum affectuum dabit curationem, quod facilè futurum ſpero.

Purgandi igitur primò humores in primis viis contenti Caſſia, vel Syrupo de roſ. ſol. ſuperbibendo ℔.iii. vel iiii. Seri caprini depurati, vel Aquæ Noceræ, poſteà præparand. cum jure alterato Cicorei, Endiviæ, Acetoſæ, Sem. citri, reiterato purgante ſuperiùs dicto, & miſſo ſanguine à brachio, poſteà bilis dulcificanda cum ſuccis Boraginis, Malvarum, Cicorei depur. an. ℥. i. cum Aqua hordei, omni tertio die purgationem reiterando cum ℥.ß. Gaſſiæ, & Rhaub. el. ℈. ii. per quindecim dies, poſteà aquis acidulis utendum, vel S. Mauritii, vel Brandolæ in agro Mutinenſi, vel ſpadanis, quæ Januæ aſportantur optimè cuſtoditæ, ut experientia comprobavi, vel horum defectu utatur ſero lactis caprini cum ſpiritu nitri dulcificato. His omnibus peractis utatur pulvere ex ocul. Cancror. præp. ʒ. ß. Marg. præp. ℈. i. Salis prunellæ ʒ. ß. Antim. diaph. ℈. ß. cum tinctura roſ. ℥. ii. his enim bilis, & emendabitur, & fixior reddetur; tempore æſtivo utatur Balneo aquæ dulcis, & fine veris purgationem inſtituat omni anno ſuperiùs deſcriptam ex purgantibus, & refrigerantibus deſcriptis, addito Sale Prunellæ pro febribus evitandis, ad quod faciet mirè Aqua Agrimoniæ ad ℥. iii. exhibita, in qua per horæ quadrantem infuſum fuerit fruſtulum Vitrioli Cypri, ſi per plures dies replicetur, vel fiant acidulæ artificiales juxta modum deſcriptum ab Hoffmano in Clavi Sckrodheriana de aquis Mineralibus, ubi habet modum eis utendi. Victus ratio ſit refrigerans, & humectans dirigenda à Medico aſſiſtente.

CONSULTATIO XLV.

De frequenti Ructatione.

SAcerdos annum agens quadrageſimum temperamenti calidi, & ſicci in totum, frequentibus equitationibus deditus, in magnis caloribus præcedentis æſtatis circa ejus finem correptus fuit inappetentia, cum ſiti, & ructibus adeò frequentibus, ut qualibet hora tam ante, quàm poſt cibum multos expellere conetur cum moleſtia non ſolùm ob difficultatem expulſionis, ſed etiam ob malum odorem illum ovorum frixorum referentem.

Flatus erumpentes cum impetu à ſuperiori orificio ventriculi ructus dicuntur, & hi ſupponunt materiam, à qua elevantur, quapropter de iſtius qualitatibus ſemper participant, itaut liceat à flatuum qualitatibus materiæ, à qua elevantur, naturam cognoſcere. Cùm autem in hoc Patiente frixorum ovorum odorem ructus referant, cruditatis nidoroſæ proprium, hanc in flatus reſolvi judicare poſſumus ſine erroris periculo; & quia hæc cruditas ſupponit pro cauſa bilem alimenta ſecundùm aliquam portionem corrumpentem (ſi enim tota tali corruptione ſubiicerentur, alia adeſſent ſymptomata læſæ ſanguificationis, & nutritionis) modo ſuperiori Conſilio explicato, vel calorem in ventriculo excedentem cujus activitate, & motu inordinato, & perturbato placidus, & quietus fermentationis alimentorum motus depravatur eo modo, quo à bile: ideò colligimus cauſam horum flatuum eſſe bilem in hoc patiente ratione ſui temperamenti abundantem, quæ tempore concoctionis ad ventriculum aſcendens, vel in eo deliteſcens ab alimentorum ingreſſu commota in hæc ſuam vim exerit præternaturali motu fermentationis agitando, unde vapores craſſi elevantur, & ea terminata relictis craſſis alimentorum alteratorum fæcibus in ventriculo ſulphure, & ſale imprægnatis, quæ exitum non obtinuerunt (quia ob craſſitiem firmiter tunicæ ventriculi adhærent ſpernendo motum fibrarum, per quem portio alimentorum alteratorum expulſa fuit) hæ à bile magis attenuatæ, & in flatus craſſos diſſolutæ ructuum quantitatem, etiam tranſacta concoctione fovent, cum odore ovorum frixorum ob rationem ſuperiùs dictam concurrit ad hanc ructuum generationem calor excedens contractus à patiente, in equitatione frequenti per magnos calores, cum bili volatilitatem conciliare valeat, qua facilem aſcenſum ad ventriculum ſibi parat, & activitatem augere cum acrimonia, qua alimenta modo dicto alterat, & etiam quia potens eſt ſuo motu perturbato, & violento aucto pluſquam exigat humanæ naturæ conditio exaltare, ſal, & ſulphur fæcum alimentorum cum aliquali aduſtione, & has in flatus reſolvere, ut ructus erumpant cum odore ovorum frixorum.

Has cauſas confirmat inappetentia ab acido eſurino ventriculi mortificato à bile proveniens, & ſitis per ſalinos bilis vapores ad palatum elevatos, & à calore ventriculo impreſſo excitata.

Huic ergo Patienti opem feremus, ſi præmiſſa univerſali Purgatione, & integra deterſione ventriculi bilem minuemus, ejus volatilitate, & acrimonia ablata caloreque attemperato unà cum ventriculi corroboratione.

Purgabimus ergo cum Syrup. roſ. ſol. ℥.v. exhibendo poſt tres horas Aquæ Tetutii, & Villenſis an. ℔. ii. & præparabimus reſiduum humorum cum Decoct. Plantag. Endiviæ, ſempervivi, Roſarum rub. ad ℥.viii. addendo Salis prunellæ ʒ.ß. poſteà reiterabimus ſupradictum purgans; cum eiſdem Aquis, præmiſſa venæ ſectione, volatilitas bilis fixabitur, & acrimonia moderabitur ſucco Plantag. & Ribes, vel Nenupharis depurato an. ℥. i. ß. cum Decoct. radicum Biſtortæ, fol. Poligoni, Portulacæ, Sempervivi majoris, præmittendo bolum ex Diaſcordio ad ℈. ii. & continuabit per quindecim dies; Ultimo loco eidem intentioni occurremus cum ſucco hordei diſſoluto in aqua Portulacæ ad ℥. vi. additis gutt. viii. Spiritus ſalis dulcif. & præmiſſo pulvere ex terra ſigil. Bolo arm. an. ℈. ii. Salis prunellæ tart. vitriol. an. ℈. i. m. Ante prandium ſummat Aquam plantag. cum ʒ. ß. Aquæ Penoti aperitivæ, & per quinque horas à cibo emulſionem ſeminum melonum, qua craſſa materia diluetur, & bilis actio diſſolvens temperabitur, & calor moderabitur; Corroborabitur tandem ventriculus cum ſpec. trium ſantal. ℈. i. Maſticis ℈. ß. Vitrioli Martis gr. vi. congruam ſervando dietam, fugiendo omnia calida, & ventoſa prout Medicus aſſiſtens imperabit.

CONSULTATIO XLVI.

De Ventriculi debilitate, dolore ejuſdem, & Hypocondriorum, cum animi defectu, vertigine, dolore capitis, & impotentia ad motum.

CIvis in ætate ſupra viginti tres annos conſtitutus temperamenti calidi, & humidi, texturæ gracilis, & habitus facilè reſolubilis, duorum annorum ſponſus, multus in Venere defatigatus, ciboque, & potu omnis generis ſe replens, languorem ventriculi ſentit cum dolore, quem antea eriam experiebatur, ſed non tàm frequenter, nec cum tanta intenſione, & moleſtia, nunc copioſus vomitus materiæ craſſæ matutino tempore frequenter apparet, ſæpè etiam dolores in ventre, aliquando circa umbilicum, & lumbos eum cruciant, per flatus quandoque mitigantur, quandoque non, & tunc ad multos dies perdurant, ex aliqua etiam applicatione, & paſſione Vertigini ſubjacet, quàm pręcedit animi defectus, in quem aliquando incidit nullo ſubſequente motu vertiginoſo, dolore capitis aliquando conturbatur, maximè pręcedente aliqua applicatione, & quando calore inſolito, vel frigore caput afficitur, impotentia ad motum adeſt hinc ab uno menſe.

Immoderatum Veneris uſum omnes facultates corporis labefactare plus certo ſe manifeſtat tam eis, qui illi nimis luxurioſè indulgent, quàm Medicis, quorum curæ committuntur, unde inter ſanitatis conſervantia moderatum Veneris uſum repoſuerunt, ſicuti inter morborum cauſas immoderationem in dicto actu recenſuerunt, cum à tali exercitio ſpiritus, & ſanguis diſſipari abundanter detrahant corpori univerſo eam portionem neceſſariam ad perfectas operationes, quarum inſtrumenta, & materia ipſi exiſtunt, cum earumdem labefactatione, & enervatione, idcircò evenit, quod prædictus Patiens ex errore multiplicati coitus inciderit in ventriculi languorem, cum depravatione concoctionum huic parti dicatarum, ob diſſipatos ſpiritus, & ſanguinem, non

non ſolùm ventriculi nutritioni inſervientes, & quibus deficientibus languor ſuccedit in eo, ſicuti ab omnibus partibus ſentitur per alimenti ſubtractionem, ſed etiam ad fermenti proprii præparationem concurrentes, cùm ab his materia ſuppeditetur pro hujus elaboratione integra, & volatilitatis ratio, eidem à dictis ſpiritibus impertiatur pro integra perfectione, quare per iſtorum deficientiam fermentum ventriculi in parva quantitate elaboratur, cum volatilizationis defectu, & omnium imperfectionum acquiſitione, à quibus imperfectæ concoctiones determinantur cui adde, quod ſanguinis maſſa ſpiritu depauperata, nec calorem, nec motum adæquatum ſortitur, ad excitandum fermentum præparatum pro exercitio operationum, & ex hac motus ablatione, vel diminutione ſequitur debilitas ejus in operando; ita enim ſe habet ſanguis in corpore humano, ſicut Sol in Mundo, qui ſuo motu, & calore mixtorum fermenta excitando, illorum operationes coadjuvat, ſic ſanguis circulando per partes ſuo motu, calore, & ſuis effluviis, earumdem fermenta excitat, & ad operandum invitat.

Ex his omnibus ſanguini advenientibus ob immoderatam Venerem, facilitas colligitur labefactationis ventriculi ex ſui natura debilis; quibus adjungere audeo, quòd larga, & continuata ſeminis profuſio, non per ſolam conſumptionem ſpirituum, & ſanguinis, languore partes contaminare valet, ſed etiam hac ratione, quod in ejus magna profuſione aufertur toti corpori fermentum, quo iſtius operationes perfectiùs eduntur, & quo partes ſuæ non ſolùm ſolidæ, ſed etiam fluxibiles magis vivificantur, & hoc fermentum conſiſtit in effluviis ſeminalibus, è vaſis ſemen continentibus elevatis, & per totum diſperſis, quæ cùm ſint volatilia, & maximè activa ſanguinis fermentationem adjuvant, & partibus ſolidis impreſſa, majorem vitalitatem propriis fermentis inſpirat perfectiorem motus regulam iſtis imponendo, unde modo quodam perfectiori partium operationes extolluntur.

Hujus aſſerti rationem deduco ex eo, quod ſeminis abundantia gravoſam laſſitudinem toti inducat, dum ſanguinem nimis fermentando per copioſa effluvia ſeminalia ad talem turgeſcentiam inducit, ut plenitudinem conſtituat toti gravoſam, quæ ejaculato ſemine ceſſat, diminutis à tali evacuatione effluviis ſeminalibus, & ad moderationem activitatis redactis qualem exigit moderata fermentatio ſanguinis, & operativa partium principia.

Hoc confirmatur ab Eunuchis, quorum temperamentum enervatur, fœmineumque evadit, non tam à teſtium amputatione, quàm à prohibita veri ſeminis generatione, quod teſtantur ſupradictæ alterationes corpori obvenientes à ſeminis etiam non corrupti copia, & ſic ratione ſeminis deficientis, ratione ſpiritus diſſipati, & ſanguinis in quantitate motu, & calore deficientis habemus ventriculi fermentum enervatum, & conſequenter cauſam depravatæ concoctionis alimentorum degenerantium in materiam craſſam, & viſcoſam à vomitu demonſtratam, cùm fermenti debilitas craſſiorem alimentorum partem attenuare non valeat, & fermentatione ad mixtionem cum ſubtilioribus neceſſariam ducere, unde iſtis præparatis, & ſegregatis, illæ craſſiores remanent impuræ, incoctæ, & utilioribus particulis orbatæ, ſuaque craſſitie membranis adhærent, ut expelli non poſſint cum aliis præparatis, & ſubtilioribus, donec gravitate, vel per moram contracta aliqua acrimonia moleſtiam inferendo dictis membranis per vomitum eiiciantur; Has cruditates non ſolùm fermenti debilitas cumulat, ſed etiam ciborum quantitas improportionata virtuti fermenti, & iſtius ſuffocativa, cùm ob talem improportionem non poſſit actuari à virtute fermenti, unde neceſſaria eſt talis quantitatis degeneratio in excrementa.

Pars alimentorum ſubtilis præparata omnem perfectionem habere non eſt probabile ex dictis cauſis, ſed mixtam ſecum vehere portionem alicujus materiæ non benè digeſtæ, nec concoctæ, & excrementi naturam redolentis, quæ nec ſegregatur in Inteſtino duodeno, per fermentum bilis, & ſucci pancreatici debilitatum, eodem modo ac fermentum ventriculi ab immoderato Veneris uſu, ſed chili viam tenens vaſa ſanguifera ingreſſa ſanguinem elaboratum conſpurcat, & impurum reddit.

Per circulationem ſanguinis non eſt improbabile portionem horum excrementorum per arterias in meſenterii duplicaturam deponi, quæ ob ſui craſſitiem, cum à lymphæ ductibus excipi non poſſit, aut propagines venarum exiles ingredi, intra dictas membranas meſenterii ſtagnare cogitur, ſenſimque cumulata, fermentatione concepta à motu ſuarum particularum, & calore adſtantium partium, irritativam concipit qualitatem, fixo ſale exaltato, vel fluore accepto in fermentationis motu, qua membranas feriendo, dolorem excitat lumbis correſpondentem, ob connexionem membranarum meſenterii cum eis, & tunc dolor non ceſſat per flatus erumpentes, aliquando verò materia craſſa, de qua ſuperiùs, & indigeſta ad inteſtina deſcendens à bile, & ſucco pancreatico, vel proprio motu in flatus diſſolvitur craſſos diſtendentes inteſtina cum dolore, & tunc à flatuum eruptione dolor mitigatur.

Succedunt vertigines applicationi, quia in hac ſanguis majori fluxu, & copioſiori ad cerebrum delatus calorem ibi excitat, & ſpiritus animales in quantitate, & virtute debiles à motu perturbato, & inordinato, vehementique particularum calidarum perturbati in gyrum moventur, unde Vertigo, quæ à perturbante paſſionum motu pariter excitatur, maximè ubi ſpiritus ſunt debiles, ut in hoc Patiente, ob ſanguinem non ritè fermentatum, excrementitium, & ſpiritu pauperem.

Animi deliquia à ſpirituum deficientia in nervis ſtomaticis evenire puto, eo modo, quo ex inedia contingit, ex tale enim deficientia nervi prædicti convulſiones, ſeu contractiones ſpaſmodicas patiuntur, ea ratione, qua antiqui convulſionem ab inanitione explicabant, & in conſenſum trahunt nervos cardiacos, qui tali contractione motum cordis minorando animi deliquia efficiunt, per quæ ſubtractus ſanguis cerebro, etiam ſpiritus animales deficiunt, nec continuationem debitam cum corde ſervantes diſtracti, à ſuaque ſcaturigine divulſi, inordinato motu turbantur, & vertiginem pariunt, eo modo, quo fumus à ſua minera ignea exhalans, quamdiù illa perdurat, ſurſum ordinatè movetur, hac verò extincta, vel perturbata fumus ad latera, & inordinatè diſcurrit, quod agit etiam, quando à minera elongatus motum ſubſequentium particularum non audit.

Dolor capitis progignitur, vel à materia excrementitia in membranis cerebri depoſitata, & fermentatione acri reddita, eo modo, quo diximus de dolore ventris, vel quia per calorem externum ſanguis in copia caput petit, qui poſteà refluus per venas condenſatione acquiſita, cum motus celeris deperditione, novo advenienti ponit impedimentum, unde venæ intumeſcunt; nam ſanguis ex arteriis ob calorem fluit in copia, & venæ abſorbent, ſed quia non poſſunt eodem tempore portionem ſanguinis priùs ſuſceptam in ulteriorem locum deponere, ut in hunc alium ſanguinem novum recipiant, neceſſe eſt, ut eadem pars venæ ex multiplicata materia urgeat, & membranam, cui adnectitur diſteudat, unde dolor capitis; Sic à frigore condenſatus ſanguis idem ponit impedimentum retardata circulatione, ex quo idem doloris effectus.

Impotentiam ad motum provenire ab obſtructis ex aliqua parte nervorum principiis perſuadere poteſt materia craſſa in ſanguine abundans, quæ unà cum latice ſeroſo, & ſpiritoſo generationi ſpirituum animalium dicato per cerebri porroſitates delata, uſque ad nervorum principium, aliqualem parit obſtructionem, impedientem motum ſpiritibus in ea quantitate ad liberum, & expeditum motum neceſſaria, unde iſtius debilitas, vel impotentia; his accedit etiam, quod fermentum cerebri debilitatum à Venere non fungitur ſuo officio pro ſegregatione materiæ craſſæ, & excrementitiæ ab utili, parvitas ſpirituum pendens à ſanguine debilitato, & à fermentis totius enervatis partem habet pro certo in hac motus impotentia.

Pro curatione, quam juvenilis ætas promittit, non ſine tamen difficultate, agendum primò, ut Ventriculus ab excrementorum colluvie mundetur, quod faciemus cum mele roſ. ſol. ad ℥. v. unà cum ʒ. vi. Crem. tart. diſſolutis in aqua Meliſſæ, & ſimul exhibitis. Pro præparante ſit ſequens Potio. ℞. Syrup. de duab. Acetoſis. an. ℥. I. Aquæ Abſynthii ℥. iii. Tart. vitriol. ʒ. ß. Poſt

quin-

quintum ſyrupum reiteretur idem medicamentum purgans, & poſteà aquam Tetutii per tres dies ſumat cum ſuo vehiculo ad ℔. v. omni die; De ſanguinis miſſione non loquor ob enervatas facultates à nimia Venere, & quia hic non plenitudine, nec motu, nec calore peccat. Secundò mundanda ſanguinis maſſa præmiſſa præparatione exctementorum craſſorum, cum ſucco Agrimoniæ, Hepaticæ an. ℥. 1. ß. Aq. fœniculi ℥. iiii. Spirit. tartari gutt. xvi. m. & materia præparata poſt decem dies purgabitur cum pilulis tart. Quercetani juxtà reformationem Hoffmani in Clavi Scrkodheriana ad ʒ. 1. Tertiò loco materia capiti fixa, & motus impotentiam efficiens exſiccanda, & attenuanda ſimili Decocto. ℞. Ligni Viſciquerc. Salſæ an. ℥. 1. ß. Lentiſci ℥. 1. Saſſafras ℥. ß. Raſuræ cornu Cervi ℥. ß. Cinnabris nativæ ℥. 1. in ſacculo incluſæ, infundantur in ℔. vi. Aquæ fontis per diem naturalem, deindè bulliant clauſo vaſe lento igne ad conſumptionem medietatis, in fine ebullitionis adde herbæ Paralyſis, Roſmarini, Stæcados, Camedrios, Betonicæ an. m. ß. refrigerato Decocto coletur, & de colatura accipiat ℥. vi. mane, & ſerò præmittendo Bolum ſequentem. ℞. Extracti ligni Aloes ℈. ß. Caſtorei ℈. 1. Spirit. fulig. gutt. vi. m. hoc enim depurationi ſanguinis finem imponemus, & fermenta partium ex aliqua parte corroborabimus, ex conſequenti proviſum erit dolori Capitis, & Ventris. In prædicto Decocto inſiſtendum erit per triginta dies ſine ſudore ob virium languorem, & habitum facilè reſolubilem, aliquod lene purgans ſumat tranſacto omni ſeptimo die, ut Crem. tart. ad ℥. 1. vel dictas pululas tartareas ad ʒ. ß. & fermenta magis exaltabimus augendo quattò calorem ſanguinis, & partium tali Pulvere. ℞. Pulv. viper. ſpec. diambræ, Salis Abſynthii an. ℈. 1. Salis charabe ℈. ß. m. Aquæ alicujus Antyparaliticæ ℥. ii. ſuperbibantur quibus caput quoque corroborabitur, & bilis fermentum exaltabitur per xv. dies in hoc inſiſtendum, & ultimo loco ventriculi fermentum adjuvandum cum hoc bolo. ℞. Extract. Junip. ℈. 1. Vitrioli Martis ℈. ß. Elix. prop. acidi gutt. vi. m. ſuperbibat Jus non pingue ad ℥. iii. vel ſpecierum Diavitriol. Mynſichit. ʒ. ß. exhibeatur; His omnibus victus ratio congruens adjungatur, & ſuper omnia à Veneris uſu abſtineat, donec in perfecta ſanitate ſit conſtitutus.

CONSULTATIO XLVII.

De depravata Concoctione cum dolore ventriculi, & vomitu quotidiano materiæ amaræ biliosæ, cum propenſione ad choleram.

JUvenis honeſtus ætatis annotum viginti, ignei temperamenti, ad iramque maximè proni, in victus ratione intemperans, poſt aliquot horas à cibo de dolore ventriculi conqueritur, qui ex toto non cedit niſi poſt vomitum in fine digeſtionis alimentotum materiæ biliosæ in copia, & alterius excrementitiæ aqueæ, dolorem renum continuò experitur cum ventris ſtipticitate.

Depravari concoctionem alimentorum ventriculi propriam in hoc juvene, vomitus frequens materiæ excrementitiæ ſatis apertè declarat, cujus ſymptomatis cauſa, & fundamentum eſt in bile, quæ à natutali temperamento valdè calido in copia colligitur, & ab eodem qualitate valdè acri, ſupra conditionem naturalem, cum inſigni volatilitate depravatur.

Dum alimenta ſunt in ventriculo fundum ejus ſuo pondere deprimunt, & orificium inferiùs ad ſe trahunt, cum elevatione inteſtini duodeni, per quam bilis in hoc contenta in ventriculum effunditur, & forſan cum magna facilitate ob ſitum ductus Cholidoci proximiorem orificio inferiori, quàm naturaliter conveniat, quod multoties contigiſſe à pleriſque Anotomicis obſervatum fuit.

Ab hac bilis mixtura tota maſſa alimentorum amarore perfunditur, & ab acrimonia illius in minutiſſimas ſcinditur partes, cum ſeparatione multæ humiditatis, quapropter inordinatè fermentatur, cùm experientia conſtet, mixta quo humidarum partium copia abundant inordinatiùs etiam fermentari, ſi huic operi ſubjiciantur, hinc evenit, quòd partes ſulphureæ in tali fermentatione, plus juſto incaleſcunt, & tamquam uſtioni exponuntur, ſaliniſque volatilibus unitæ materiam retorrida ſanguinis, à qua bilis generatur æmulantur, cum augmento materiæ amaræ, & biliosæ, quæ ſua acrimonia vellicando ventriculi membranas continui ſolutione dolorem parit, & irritamento ad contractionem fibras verſus orificium ſuperius impellendo vomitum efficit, cujus conatu materia acris fibris membranoſis infixa eiicitur unà cum aqueo humore inter ventriculi ctipſas latitante, à minutiori ſolutione alimentorum congregato, qui humor licèt fluxibilior chyloſa materia præparata, non exit cum hac per orificium inferius ventriculi, quia ponderoſior, ex eo quod ſpiritu levitatem addente orbatus, & minus porroſus, ac ſpongioſus conſtipatione ſuarum partium pondus acquirit, quo motui fibrarum carnoſarum ventriculi ita reſiſtit, ut vim explutricem illarum deludat, è contra materia chyloſa ſpiritu plena, & bullis eodem ſpiritu turgentibus pro majori ſui parte conteſta levitatem nacta ſuper hunc aqueum humorem ſupernatat (eo modo, quo videmus lac agitatione ſpumeſcens, quia aere plenum, ſero in fundo vaſis ſupernatare, quamvis iſto ſit minus fluxibile), & ratione hujus levitatis, & raritatis cuilibet motui dictarum fibrarum obtemperando cum facilitate per otificium inferiùs ventriculi ad inteſtina detruditur.

Alterum modum, quo humor aquoſus congregatur in ventriculo determinare poſſumus, ſi conſideremus bilem ita ſuis patticulis corroſivis poſſe irritate atterias per ventriculum diſſeminatas; ut cogantur eructate à ſuis orificiis in cavitatem iſtius copiam ſeri ſemper tamen tenendum eſt cauſam collectionis humotis aquei eſſe bilem, quamvis modus, quo fit talis congregatio ſit diverſus.

Materia chyloſa ita minutim inciſa, ſeroſoque humore abundans ad inteſtinum deveniens duodenum à bile magis attenuata, & fluxibilior reddita, per lacteas progreditur remanentibus fœcibus ſine humore, & exſuccis, quare compactiores, & ſiccæ evadunt, diutiuſque in inteſtinis morantur, alvi ſtipticitatem efficiendo, qua antiqui calori exſiccanti tribuerent, quod non irrationabiliter poteſt dici cùm bilis exſiccet has fœces, non conſumptione humiditatis, ſed ſeparatione, diſpoſitionem huic tribuendo cùrrendi per venarum vias, unde in hoc caſu urina copioſior editur, & appareat ratio dicti Hippocratis, qui patum egerunt plurimum mingunt.

Dolor renum provenit à ſanguine fervido, qualis in deſcripto temperamento generatur, & conſervatur à chylo modo ſuperiùs dicto attenuato, cum acquiſitione diſpoſitionis ad inſignem accenſionem; hujuſmodi enim ſanguis ſic fervidus per arteriam magnam vertebis lumborum adhærentem tranſeundo, muſculos lumbares adeò excalefacit, ut dolorem illum pariat divulſione fibratum exſiccatarum, eo modo, quo manus approximando igni vehementi dolorem ſentimus in eis, & talis ſanguinis fervor eſt bilis abundantiæ, volatilitatis, & actimoniæ cauſa, quo enim ſanguis eſt fervidior, eò plures particulæ illius aduruntur, & conſequenter copia bilis cumulatur, quæ à fervore ſanguinis actuata magis volatilitatem adipiſcitur, ſicut etiam acrimoniam, cùm omnia ſalia à calore actimoniæ augmenta accipiant. Sanguinis verò fervor habetur à cordis calore, fermentò, vel motu intenſo, quæ ſanguini effervescentiam intenſam communicare valent, & hanc eſſe cauſam veram ex hoc colligo, quod Cor ex ſui natura ratione temperamenti eſt aptum ſanguinem inflammare, & cor eſt generativum principium ſanguinis, & ejus effervescentiæ cauſa, ſive hanc efficiat, vel motu, vel igne implantato, vel fermento.

Quacumque de cauſa hoc procedat, ſemper refrigerantia fixantia, & Acida conveniunt, quia hæc tam motum validum, quàm flammam intenſam, & fermentum valdè efficax reprimere, & moderare valent, & bilem attemperare, fixare, ejus abundantiam minuere etiam in ſua generatione, præmittenda tamen Bilis redundantis minoratio, ventriculus poſteà corroborandus, cum à continua doloris moleſtia, & vomitus conatu debilitatem non potuit non contrahere.

Quibus indicationibus non ſatisfaciemus ſine magna difficultate, minorabimus bilem primò cum Sytupo roſ. ſol. aureo ad ℥. v. diſſoluto in aqua Meliſſæ, poſt tres horas

ras ſuperbibendo Seri Caprini depurati ℔. 1. ß. & etiam duas, poſteà exhibendo præparans cum Suc. Cicor. ℥. ii. Endiviæ ℥. 1. Aquæ Borag. ℥. v. Salis prunellæ ʒ. 1. m. Septimo ab his die idem medicamentum purgans exhibeatur præmiſſa ſanguinis miſſione, ſecundo die horum præparantium, poſteà ℞. Seri Caprini depurati ℥. viii. Succi Plantaginis, Portulacæ an. ℥. 1. m. præmittendo ſpecies Diaplantaginis Mynſichit ad ʒ. 1. in bolo facto cum Syrupo de Papavere, & per quindecim dies utatur hoc medicamento. Ultimo Aqua Villæ more ſolito per decem dies, & in calore magno exhibenda. Uſus balnei aquæ dulcis erit maximè proficuus; ventriculum corroborabimus cum ſpec. trium Santal. ʒ. ß. Vitrioli martis gr. x. Raſuræ Eboris ℈. 1. m. & ſumat in aquæ Plantag. ℥ iii. Aceti deſtilati ℥.ß. vel Sal Acetoſæ ſpiritu vitrioli ſaturatum exhibeatur in Jure ad ℈. 1. Victus ratio ſit refrigerans.

CONSULTATIO XLVIII.

De dolore ventriculi ſpirandi difficultate inappetentia, & nauſea.

Religioſus auſteram ducens vitam annorum quadraginta, temperamenti calidi, & ſicci bilioſi, à febre maligna ſanatus, dolorem in ſuperiore parte ventriculi ſemper ſenſit, qui à cibo exacerbatur cum nauſea continua, & inappetentia, & hanc etiam ante Religionis ingreſſum habuit, cùm ſemper ad menſam ſine famis ſenſu acceſſerit, ſpirandi difficultate multoties corripitur, qua ſuſpiriis cum magna pectoris elevatione liberatur; in motu, vel longo, vel accelerato crura, & coxas quaſi per inflationem dilacerari ſentit.

Febres continuas ſanari per depurationem ſanguineæ maſſæ, ab humoribus fermentativis, & ab eis quos febrilis ſanguinis effervеſcentia in medium protulit, vel ſeparavit, certiſſimum eſt, talis autem depuratio fit per ſegregationem dictorum humorum à toto cruore, & per eorundem expulſionem ad partes excretorias, vel per inſenſibilem tranſpirationem; inter vaſa verò excretoria quandoque eligit nervos natura, quod feciſſe ex aliqua parte in hoc Patiente credo excrementorum particulas à febre reſiduas per nervos tranſmittendo, quæ ventriculi fibris membranoſis in ſuperiori ſua parte communicatæ, atque ſimul ibi conglomeratæ, dum per porroſitates earum in ventriculi cavitatem tranſudare non potuerunt, ibi acredine per febrilem aduſtionem concepta divulſionem in eis excitarunt, unde dolor, & quia talis divulſio continuò fovetur à ſucci nervei infecti corpuſculis bilioſis à tota maſſa ſanguinis bilioſa ſuſceptis idcircò, & à motu dicti ſucci commovente, & ab acrimonia dictorum corpuſculorum divulſio fibris impreſſa conſervatur cum dolore continuo, & augetur hic à cibo, dum dicta divulſio fit major, & à vaporibus ab alimentis elevatis in eorum fermentatione, & à pondere fibras magis diſtrahente, & à particulis calidis, & ſpiritoſis in dicta fermentatione excitatis, quarum motus cùm ſit perturbatus, & violentus, non eſt dubium, quòd non valeant majorem in fibris parere diſtractionem, & ita dolorem augere.

Dicta excrementa per nervos ad glandulas membranæ ventriculi delata, eorum fermentum acidi præparativum, ex ſui natura, & à primordiis generationis debile ita alterarunt, vel mutata ſuarum particularum diſpoſitione, vel ei volatilitate adempta, vel obſtructione in glandularum porroſitatibus, & interſtitiis inducta, ut humorem, niſi diminutè, vel recipere, vel præparare non valeant. Hinc diminuto tali fermento appetentia ex toto oblitteratur, & fermentatio alimentorum depravatur, degenerando in materiam viſcoſam, & craſſam, quæ dum ventriculi tunicis firmiter adhæret diſtractioni fibrarum, dolorique continuatione contribuit.

Materia eadem craſſa agitata nauſeam parit ab aſſumptione cibi, & portio ejuſdem in flatus elevata diaphragmatis depreſſionem cohibendo, nervoſque ventriculi comprimendo, eos pulmonum, cum quibus connexionem habent, ne liberè moveantur, impediunt, vel contractione concepta, quæ per illorum compreſſionem poteſt evenire, vel quia illis ventriculi compreſſis, iſti liberè ratione unionis non poſſunt moveri, & conſequenter pulmonum motus minor factus difficilem reddit reſpirationem, cùm ſanguis per arterias in eos receptus à motu debili non poſſit expelli totus, renitente etiam motui expedito ob aliquas ſui portiones craſſas, ut mox demonſtrabitur, & ſtagnando vaſorum diſtenſione oppreſſionem parit difficilis reſpirationis cauſam, & per ſuſpiria cum conatu, dilatato diaphragmare, nervique pulmonum etiam à vi dilatationis coſtarum, velut ab impedimento ſublevati, motu tam valido moventur, ut ſanguinem expellere à pulmonibus valeant, unde difficilis reſpiratio minuitur.

A dicta chylificatione depravata, portiones materiæ craſſæ cumulanre, ſanguinem aliquo modo craſſum provenire neceſſe eſt, qui à cordis fermento naturaliter valido rarefactus per arterias citato curſu diſcurrens, præcipuè ubi motus corporis rarefactionem adjuvat in magna copia vi dictæ rarefactionis transfunditur in carnium interſtitia, & præcipuè in ea crurum, & coxarum, quæ magis in motu defatigantur, & quia ſanguinis particulæ craſſæ in dictis interſtitiis citiſſimè fluiditatem amittunt, quam in arteriis habebant, tali tamen retenta, qua ſint aptæ fluere, ſed tardo motu, ideò cum eadem facilitate, qua per minima arteriarum vaſa eiiciuntur, per minutiſſimas venas reſorberi non poſſunt, & ibi moram contrahere coactæ, novo ſanguine adveniente etiam tenui retento, ita interſtitia replentur, ut diſtenſione lacerati videantur, & quiete ſuccedente paulatim detentus ſanguis in interſtitiis reaſſumitur in venas, coadjuvante ad hoc ſanguine ab arteriis in minori quantitate per quietem ejecto.

Pro curatione, quam perficere ſperandum eſt, facta purgatione univerſaii rorius, & primarum viarum, cum ſanguinis miſſione hæ Aqua Terurii per aliquot dies cum ſuo vehiculo ex toto detergendæ, & poſtea balſamicis, fibrarum divulſiones curandæ, in quem finem laudo Balſamum orientale, & etiam Pervianum ad ℈. ß. facto bolo, cui ſuperbibatur Aquæ fol. quercus, & plantag. an. ℥. ii. per decem dies hoc utatur remedio, poteſt etiam parari lambitivum cum Decoctione herbarum vulnerariarum Diaſcordio, & Syrupo de Plantagine, vel Mirtino ſumendum per cochlearia in diem ſæpè; poſt quod ſecundò deveniendum ad ea, quæ ventriculi, & glandularum fermenta remittere valent, & iſtarum impedimenta auferre, quod præſtabit aqua ſequens. ℞. Aquæ aperitivæ Pænoti ʒ. ii. Syrup. ex Maſtice Querc. ℥. 1. Aquæ Abſynthii, Portulacæ an. ℥. iii. m. per quindecim dies in hoc remedio inſiſtendum; ex his remediis ſi datum erit divulſionem fibrarum remittere, & fermenta reſtaurare meliori ſuccedente alimentorum concoctione, cætera ſymptomata falcem ad ſuas radices ſentient, quodſi ſanguinis craſſities perdurabit ex ſenſibili coxarum, & crurum in motu dolore manifeſtata, ad ejus attenuationem præſidia dirigemus, deſumenda à chalybeatis, & antimonialibus, quæ acidum ventriculi diſſolvere, vel enervare non valent, ſicuti alkalica, vel fixa, vel volatilia, quamvis eidem craſſitiei opem ferre poſſint introducta in univerſam maſſam ſanguinis attenuatione ea facultate diſſolutiva, qua in ſummo gradu inſigniuntur. ℞. Spec. arom. roſ. ℈. 1. tartari chalybeati ℈. 1. m. cum Syrup. de cort. citri q. ſ. f. b. ſuperbibendo Jus carnis, vel ℞ Pul. rad. Ari ʒ. ß. Antim. Diaphor. Croci martis aperit. an. ℈. 1. ſummat cum aqua Agrimoniæ, & fœniculi an. ℥. ii. Tincturæ Antim. ℈. 1. Victus ratio ſit correſpondens imbecillitati ventriculi à Medico aſſiſtente juxta morbi, & naturæ Ægri exigentiam dirigenda.

CONSULTATIO XLIX.

De Lienteria, & Lienis tumore.

Mercator annorum quinquaginta, temperamenti calidi, & humidi, lautè vivens, & vitam ſedentariam agens, Autumno præterito correptus fuit febre tertiana duplici per duos menſes aliquem tumorem in liene relinquente, qui in hyeme magis auctus fuit, ob malam etiam victus rationem, cœpit conqueri de aliqua ventriculi moleſtia cum vomitu materiæ diverſi ſaporis, modò acidæ, & auſteræ, modò amaræ, modò acris, & æruginoſæ. Huic ſucceſſit fluxus alvi poſt duas,

vel

vel tres horas à cibo ſine dolore, in quo poſt ſpatium multorum dierum obſervavit portionem alimentorum ſine nlla alteratione unà cum altera materia diverſi coloris, per menſem perduravit in hujuſmodi fluxu ſine virium languore, quem poſteà expertus eſt cum emaciatione corporis, & materia per alvum excreta fœtorem edere cœpit, cum majori copia alimentorum non alteratorum; in hoc ſtatu permanens auxilium multorum medicorum quæſivit.

Alvi fluxum, pro quo conſilium quærit Patiens eſſe Lienteriam, portio alimentorum nulla mutatione alteratorum evidenter oſtendit, & excretio poſt paucas à cibo horas ſine dolore confirmat, nec de hoc dubitandi locum relinquit materiæ quantitas excreta ab alimentis aſſumptis aliena; nam eſt Lienteria in ea differentia à materia irritante, & corrumpente conſtituta, ideòque dicitur etiam ab Antiquis ſymptomata expultricis læſæ ob irritationem, & ab eodem irritamento ſequitur etiam corruptio alimentorum conſtituens ſymptoma, prout illi dicunt facultatis concoctricis depravatæ; quamvis hoc non ſit aliud, quàm effectus fermenti depravati, & ad fermentationem alimentorum naturalem inepti, ſicuti primum niſi fibrarum ventriculi ejus fundum verſus orificium inferiùs elevantium intempeſtiva contractio, per quam alimenta citiùs, quàm deceat, expelluntur, & alimentorum corruptionem cum lienterico fluxu conjungi docuit Hippocrates lib. 2. Porrhet. & cum eo ſentit Martianus ejus Interpres.

In noſtro Patiente congeſtam fuiſſe in Ventriculo materiam irritationi, & corruptioni inducendæ idoneam oſtendunt, Vomitus materiæ undequaque acris, & corruptivæ, quam à Liene vitiato recepit ventriculus, quod cùm adhuc perduret, concludendum eſt quoque dictam materiam adhuc in Ventriculo perſeverare, & continuò à liene vitiato illi impartiri.

Vitium lienis, à quo aliud emanat, eſt obſtructio ſuorum vaſorum, & porroſitatum facta à materia craſſa, & obſtruente à prætergreſſa febre à ſanguine pro excretione ſeparata, & in ejus ſubſtantia detenta, obſtructus lien, ſanguinis fœculentias, ſalinas, tartareas, terreſtres, & craſſas attenuare, & exaltare non valuit (quod eſt alterum vitium) proprii fermenti defectu, emanante ab obſtructionibus prædictis, quæ comprimendo arterias, & nervos per ſubſtantiam glandularum intra cellulas hujus viſceris poſitarum diſſeminatos impediunt, ne dictæ glandulæ ab arteriis recipiant materiam pro fermenti ſibi ſpecifici elaboratione, & à nervis ſpiritus pro hujus perfectione, & volatilitate, unde prohibetur talis fermenti generatio; hinc eſt, quòd materia tartarea ſalina diverſæ conditionis lieni circulante ſanguine conſignata, ad hoc, ut attenuetur dulcificetur; vel in ſubſtantiam alimentalem, vel fermentum ſanguineæ maſſæ perfectivum tranſmutetur ab obſtructionibus rejecta prædictis qualitatibus inſigniori non poteſt, & quæ tenuitate majori prædita, vel motu celeriori, & valido donata lienis penetralia ingreditur ob defectum ſupradictum fermenti dictarum qualitatum beneficio pariter privatur. Portio materiæ ab obſtructionibus rejectæ in arteriæ cæliacæ ramos regurgitat, & hæ in ventriculi membranis, per quas diſſeminantur deponunt dictam materiam, quæ paulatim ab ejus calore attenuata, & exaltata cœpit moleſtiam ei inferre, ſua acrimonia diverſæ conditionis vellicando, & vomitum provocando irritatione, in cujus coratu bilis, & ſuccus pancreaticus ad ventriculum translatus, materiam excretam, modò amaram, modò acidam exhibuere, & ex perfecta unione bilis, & ſucci pancreatici æruginoſa illa materia, quæ in eodem vomitù apparuit conflata eſt.

Prædicta materia in ventriculo congeſta in majori quantitate, & magis exaltata vires acquiſivit ad corrumpendam alimentorum maſſam, ea vi diſſolvente ſali inſita, ex qua corruptione acrimoniam pariter acquirit alimentalis maſſa, à qua unà cum acrimonia materiæ corrumpentis, laceſſitæ fibræ carnoſæ ad elevationem fundi ventriculi verſus ſuum inferiùs orificium deſtinatæ, contractione inita maſſam prædictam expellunt partim corruptam, partim intactam, ex eo, quòd pro brevi ſpatio non potuit corrumpi, vel alterari, eo modo, quo Veſica à lotii acrimonia vellicata frequenter urinam expellere cogitur; Et quidem ſine dolore in hoc patiente fit expulſio ſupradicta, etiamſi materia ſit irritativa, quia à mucco inteſtina obliniente irritamentum obtunditur; Fœtor eſt hujus corruptionis ſoboles, ſicuti vitium languor; cùm à corruptis alimentis, vel indigeſtis non præparetur materia pro ſanguinis elaboratione, à quo omnes ſuſtentantur facultates, & vires utriuſque generis conſervantur, vel refocillantur.

Agendum ergo pro curatione hujus morbi, ut materia illa irritativa purgetur pro parte, & reliqua modificetur, & ad aliam partem præcipuè per diverſim derivetur, uſque quo proviſum ſit lieni, obſtructiones in eo genitas reſerando, ultimò ventriculum corroborandus, & maſſa ſanguinea vitio lienis labefactata reſtituenda ſuæ naturali indoli.

Quod aſſequi difficile credo, & Ægrum in magno periculo video, cùm vitium lienis niſi longo tempore emendari non poſſit.

Primò, ergo vomitu evacuanda materia, ſed benignis remediis v. g. cum oleo Amigdal. dulcium ad ℥. v. cum æquali quantitate Juris pinguis mixto, vel cum Aqua hordei, & Roſarum tepida an. ℥. iii. Succi Raphani ℥. ii. ß. poſteà reſiduum præparetur cum ſucco Boraginis; Malvarum an. ℥. i. ß. cum Decoctione in jure Violarum, Hordei integri, Portulacæ per quindecim dies, relicta ſanguinis miſſione, quia meo juditio non adeſt indicans reſpectu lienterici ſymptomatis, & humorum in ventriculi cavitate exiſtentium, & quamvis indicans tale videatur demonſtrari à tumore lienis, tamen quia virium conſervatione indigemus pro lienteriæ extirpatione, ab hac ſuperſedere optimum judico, & ſi debelabitur hic hoſtis poſteà de ſanguinis miſſione pro lienis curatione conſulendum erit, & determinandum juxtà patientis ſtatum, purgabitur poſteà cùm Electuarii Diaſebeſten ℥. i. Crem. tartari ʒ. ii. poſteà exhibeatur pulvis chalybis minutiſſimè lævigati ſupra marmore porfyrio more Perlarum, & Corallorum cum Aq. Agrim. ʒ. ß. Cinnabri Antimonii reſidui in elaboratione Mercurii vitæ optimè rectificati à fœcibus per ſeptem, vel octo ſublimationes ℈. i. Sulphuris vittioli ℈. ß. cum ſucco Eupatorii condenſati f. b. cui ſuperbibatur aqua Agrimonii Eupatorii, Malvarum an. ℥. iii. Syrup. de pomis ℥. i. Tincturæ tartari ʒ. ß. m. Sulphur vitrioli paratur ex ſublimatione capitis mortui vitrioli cum ſale armoniaco, flores enim ſublimati apparent flavi, his ſuperadditur ſpiritus vini, qui tincturam extrahit, & ex evaporatione hujus ſpiritus remanet tinctura ſicca, omni tertio die purgetur cum eodem Elect. Diaſebeſten ad ℥. ß. vel ʒ. vi. fugienda enim ſunt omnia medicamenta purgantia valida, ſicuti omnia alterantia acria, & volatilia, utpotè apta acrimoniam, & exaltationem humorum acrium in ventriculo promovere, ſed dicto inſiſtendum deobſtruente modificante reſpectu Cinnab. antimonii, & Sulph. vitriol. ante cibum per horam ſummat ſequentem pulverem. ℞. Ocul. Cancri ʒ. ß. Coral. rub. præp. ℈. i. Raſuræ eboris ℈. ß. m. Dum hæc adhibentur per diem aſſumat de ſequentibus lambitivis parum, & ſæpè præcipuè per tres horas ante cibum manè, & ſerò. ℞. Amygdal. dulcium excorticat. ℥. ii. Seminum papav. albi ℥. ß. contundantur, & diſſol. in Aqua Violarum, & Papaveris errat. an. ℥. iii. vel ℞. Succi Raparum ℥. ii. Decoct. Sebeſten, Jujubarum, Hordei, ſem. mel. Pſylii ℥. iiii. Confect. Diatraganth. ſ. p. ℥. ß. m. Gelatina etiam Cornu Cervi modo lambitivi aſſumpta proderit, quibus ſe remittat fluxus incumbendum ſeriò obſtructioni lienis validioribus, & acribus medicamentis, ut ℞. Extracti Gentianæ, Amon. aceto ſciitico diſſol. an. ℈. i. Croci martis aperit. gr. xv. Salis Abſynthii, Tamariſci an. ℈. ß. Tartari volatili ℈. ß. cum aqua Agrimonii f. ſuperbibendo decoctionem Rad. Acori, filicis, Rubiæ, foliorum Scolopendrii, Fumariæ, Cuſcutæ ℥. vi. addendo ʒ. ii. aquæ Aperitivæ Penoti ex deſcriptione Hoffmani in Clavi Sckrodheriana, vel gutt. xii. Spiritus tart. rectificati, & ſpirit. Vini dulcificati, purgando omni tertio die cum Pil. de Amon. Quercet. & continuandum per viginti dies; Extrinſecus apponatur per tres, vel quatuor dies ad emolliendum lienem Ceratum de œſipo mixtum cum ammoniaco diſſoluto cum Vino malvatico, poſteà Emplaſtrum ex Tabacco deſcriptum ab Hoffmano in Clavi Sckrodheriana in Theſauro pharmaceutico,

quodſi

quodſi ex toto non ceſſerit obſtructio, Aquas acidulas S. Mauritii, vel Spadanas accipiat, quibus & ſanguini ſua craſis reſtituetur; Servando optimam victus rationem.

CONSULTATIO L.

De Fluxu Cœliaco.

JUvenis annorum vigintiquinque, temperamenti calidi, & humidi in Venere multis comiſſis erroribus hac æſtate multùm indulſit potui aquæ nive refrigeratæ, & etiam conglaciatæ cœpit conqueri de quodam languore ventriculi, cui paulò poſt ſucceſſit fluxus albæ materiæ ad formam pultis nullo colore tinctæ, vires ſenſim languerunt, modò cogitur præ debilitate in lecto decumbere, & corpus paulatim contabeſcit, hacque in ſymptomatum ſerie appetitus conſervatur.

Conſiderando materiam in fluxu excretam licet colligere ex ejus colore, & conſiſtentia eſſe alimenta in ventriculo præparata, & concocta, & ita chylum unà cum fœcibus alvinis confuſum, unde parum refert, an dicatur fluxus cœliacus, vel chyloſus, cujus cauſa eſt impedita ſegregatio fœcum à portione chyli perfecti, à quibus tota maſſa adeò craſſa redditur, ut per porroſitates inteſtinorum, & orificia venarum lactearum penetrare non poſſit, unde tota maſſa recta per inteſtinorum cavitatem deſcendendo fluxum efficit cæliacum, vel chyloſum, ſuccedente virium languore, & emaciatione, ex defectu materiæ in venis pro reparatione ſpirituum, & partium ſolidarum, ſegregatio verò impedita fœcum pendet, à bile in pauca nimis quantitate collecta, & etiam inerti, à nimio enim Veneris uſu, & à conglaciatis aquis ſanguine multùm refrigerato, adeò parum bilis cumulatur, ut non ſufficiat ad ſua munera obeunda, prout videmus in temperamentis frigidis, & quæ generatur, pauco ſpiritu redundat, cùm à ſanguine refrigerato parum de eo ſuppeditetur, & ſal ejus à ſero, vel à materia pituitoſa adeò diluitur, & retunditur, ut diſſolutionis officio impar ſit, & conſequenter ex ſpiritu, & ſale cum his conditionibus bilis iners evadit, & ad diſſolvendam, & attenuandam maſſam chyloſam à ventriculo præparatam inſufficiens, & ad excitandam effervefcentiam cum ſucco pancreatico pro præcipitatione fœcum inhabilis. Prætérquamquod à frigido potu ita ſaliva in inteſtinis condenſatur, & incraſſatur, ut bilis, & ſucci pancreatici activitatem, vel retundat, vel impediat: à coitu diſſipatus ſpiritus animalis, & vitalis, & qui adeſt à frigido potu repreſſus non ſubminiſtrat materiam glandulis inteſtinorum pro elaboratione ſpecifici fermenti inſervientis ad depurationem maſſæ chyloſæ à fœcibus pro integra chyli perfectione incepta à bile, & ſucco pancreatico in inteſtino duodeno. Appetitus verò permanet, quia à frigido conſervatur acidum ſtomaci, ſicut à calido reſolvitur, ut patet in hyeme, in quo viget appetitus, & in æſtate, in qua deficit, vel quia bile reddita inerti in maſſa ſanguinea acidum prævalet, à quo acidum ventriculi, fovetur, & conſervatur.

Pro curatione hujus periculoſi ſymptomatis inſiſtendum in ſola bilis reparatione per calefacientia acria, & mordacia, quæ calorem ſanguini etiam reſtituent, & majoris copiæ ſpirituum generationi opem ferent, & in materiæ craſſæ in inteſtinis cumulatæ attenuatione, & purgatione, quod priùs exequendum, ut operationi remediorum locus ſit, quod quamvis difficile, ſpero executioni poſſe demandari, dummodò Patiens imperatis obediat.

Præmiſſa ergo purgatione Ventriculi, Aqua Tetutii per ſex dies abſtergenda inteſtina ab humore craſſo, poſtcà exhibendum Decoctum ligni Saſſafras, Zinziberis, rad. Zedoariæ, fœniculi ad ℥. vi. cum gutt. x. Elixir propriet. & Salis Abſynthii, & Roſmarini optimè diſſol. an. ℈. ii. & per octo dies in hoc inſiſtendum, poſteà purgetur Corpus cum Pilul. de Agarico, & Tartareis Quercet. an. ʒ. ß. & eodem tempore poſt cœnam capiat Mithridati ℈. ii. poſteà paretur Aqua vitæ cum infuſione in ea Nucis muſcatæ, Macis, Cubebarum, Cardamomi, Cinamomi, Calami aromat. Rad. Angelicæ, Imperatoriæ, & Cariophilatæ, de qua capiat ℥. ß. manè jejuno ventriculo, & ſerò poſt cœnam ſervata optima victus ratione.

CONSULTATIO LI.

De Lienteria.

NObilis Juvenis poſt multos dies diarrhϾ bilioſæ, in qua multa frigida potavit cœperunt alimenta aſſumpta pro aliqua portione obſervari in excretis immutata, modò ferè omnia ſic apparent cum extremo virium languore, & corporis contabeſcentia.

Symptoma facultatis retentricis abolitæ hujuſmodi fluxum dicerent Antiqui, cùm præceſſerint cauſæ eam debilitantes, ut fluxus antecedens, & potio frigida, numquam tamen percipere potui quomodo fibræ ventriculi laxatæ, quas retentricis debilitatem, & extinctionem efficere fatentur, valeant inſervire pro exitu alimentorum intempeſtivo, cùm niſi per fibrarum contractionem ſuccedere poſſit, qua fundum ventriculi verſus orificium inferiùs elevari debet, & ſine hac elevatione contenta in ventriculo non poſſunt exire, ut ex ejus conſtructione colligi poteſt, nec ob fibrarum laxitatem orificium inferiùs ventriculi poteſt æquari ejus fundo, ut proprio pondere alimenta, & ſine iſtius elevatione exitum inveniant, ex quo judico in hoc ſymptomate intervenire quidem laxitatem fibrarum orificii ſuperioris introductam à nimio humido in potu ſuſcepto, & à ſpiritus inopia à magno fluxu effecta, quæ non laxatæ inſerviunt pro antagoniſtis portioni fibrarum ejus generis orificii inferioris, eo propè modo, quo in muſculis contingit, idcircò laxatis fibris orificio ſuperiori infixis, illæ inferioris integræ, has ad ſe trahunt, eo modo, quo muſculus relaxatus, à ſuo antagoniſta trahitur, & ita cum iſtis trahitur pars ventriculi ſuperior verſus inferiorem, continuòque manet in iſta contractione, ab alimento verò aſſumpto preſſæ fibræ ventriculi alterius generis, quæ tranſverſale ſpatium inter duo ventriculi orificia cingunt, contrahuntur, & fundum verſus orificium inferius elevant, & ſic ab his duabus contractionibus alimenta ſtatim aſſumpta excernuntur, unde iſtorum excretio immediatè provenit à contractione fibrarum, quamvis mediatè, & partialiter à laxitate fibrarum orificii ſuperioris.

Huic fibrarum diſpoſitioni puto in hoc patiente conjungi extinctionem fermenti ventriculi, cùm nulla portio alimentorum alterata obſervetur, & hoc facilè potuit contingere ab exhauſtis humoribus, & ſpiritibus, & ſucco acido glandularum, per diuturnam diarrhæam, & à frigidorum aſſumptione, quæ calorem debilem opprimendo ſpirituum in glandulis ventriculi hoſpitantium fixatione, vel diſſipatione, etiam generationem impediunt acidi fermentativi, quod à dictis ſpiritibus in dictis glandulis perficitur.

Ab his accidentibus patet Patientem eſſe in extremo vitæ diſcrimine, ne tamen Medicis deſtituatur auxiliis, incumbendum fibrarum ventriculi confirmationi, & acidi reſtitutioni, ſi tempus aderit.

In hoc caſu ab omni purgatione, & ſanguinis miſſione abſtinendum, & ſolis corroborantibus utendum.

Primò igitur ſequenti utatur Lambitivo. ℞. Aquæ Majoranæ, Pulegii an. ℥. ii. Theriacalis ℥. i. Elixir vitæ ℈. i. Salis roſmarini ℈. i. Tinct. coral. ʒ. i. Syrup. de ſœcade ℥. i. m. manè ſumat Decoctum ligni ſaſſafras, Santal. rub. rad. Biſtortæ, Tormentillæ, fol. Abſynthii pontici, Menthæ, herbæ paralyſis cum Syrupo de cort. citri; ante prandium per ſemihoram utatur hac Potione. ℞. Aquæ Meliſſæ ℥. ii. Spir. ſalis dulcif. gutt. vi. Mivæ cydoniorum, aromat. ℥. ß. Vini granator. ℥. i. Tart. vitriol. ℈. ß. Elixir prop. gutt. v. m. qua poterit acidum ventriculi reſtitui, poſt prandium utatur ſupraſcripto lambitivo; poſt cœnam ſit in uſu ſequens Confectio eam lambendo ad quantitatem ℥. ß. ℞. Specier. trium ſantal. Diambræ an. ʒ. i. Magiſt. coral. ℈. i. Salis cranii humani ℈. i. Charabis, roſm. an. ℈. i. Balſami Peruviani ʒ. ß. cum aqua Cinam. & flor. citri q. ſ. & Sacchar. f. Morſellæ, convenient etiam eſſentia ambræ, Meliſſæ, & Citri. Extrinſecus fomenta Ventriculo adhibeantur ex abſynthio, Menta cum vino malvatico, præmiſsa in unctio-

unctione olei Maſticis, Therebentinæ, vel cum oleo Magni Ducis Etruriæ, quodſi prædicta accidentia ceſſerint renutritioni incumbendum cum iis deſcriptis ſuperiori Conſultatione.

CONSULTATIO LII.

De Singultu.

Nobilis Vir temperamenti calidi, & humidi pletorici in principio veris calore in aere ſe expandente, ſolitus eſt conqueri de Singultu, qui vomitu materiæ craſſæ, & ſubtilis acidæ, & amaræ, cum dieta ceſſabat, modò hæc non conferunt imò repetitis evacuationibus per alvum, & vomitum perdurat ſymptoma.

Putarem in hoc caſu locum habere ſententiam illorum determinantium ſingultum eſſe paſſionem Diaphragmatis, dum ſpontaneus vomitus, & dieta, quibus aliàs avertebatur, nunc nihil contulerunt, quod nec fecerunt evacuationes recenſitæ ab arte imperatæ, quæ ventriculum ab impuritatibus mundando, levamen aliquod conferre debuiſſent, quod cùm non ſucceſſerit locum credendi relinquant ventriculum in hoc ſymptomate non affici, & conſequenter hujus ſedem eſſe in Diaphragmate, quod, ut loquitur Le-Boe, dum à cauſa irritante in ejus parte membranoſa ad violentam, non tamen durantem, ſed mox interruptam vexantemque, iterumque ſæpè numero repetentem ſui contractionem cogitur, ſingultum efficit, qui non eſt niſi depravatus ejuſdem Diaphragmatis motus, ſicuti quando à ventriculo irritato producitur, eſt ejuſdem membranæ carnoſæ motus depravatus, quia illa ſola ad motum ventriculi immediatè concurrit.

Irritans cauſa à ſanguinis maſſa ſuppeditatur, dum hæc à calore veris liquefacta, cum majori partium ſolutione, quàm in hyeme, excrementa ſalina in hoc tempore collecta, & per conſtipationem à frigore cum aliis particulis intimè conjuncta, deponit circulando in varias partes, & ventriculum præcipuè, unde vomitus materiæ diverſi ſaporis, & interpolatæ, & in ſubſtantiam diaphragmatis membranoſam, unde ſingultus, modo ſuperius deſcripto, ſecundùm mentem Le-Boe; quantitas etiam ſanguinis rarefactione ſua majus ſpatium exigentis, ideòque vaſa diaphragmatis diſtendentis pro irritamento inſervire poteſt ad ſui contractionem modo dicto ſuſcipiendam, ut circulatio acceleretur à copia retardata; in hoc ſtatu retardatæ circulationis ſanguis quieſcendo exhalationibus calidis, & acribus majori activitate diaphragma petit, quod ſui contractione ſanguini motum imprimendo, ut ſuam circulationem peragat ab irritamento ſe liberat, donec alia ſuccedat ſanguinis congeſtio.

Prædicta cauſarum dilucidatio, oſtendit ſanguinem in copia eſſe minuendum, ejuſque acrimoniam dulcificantibus moderandam, partemque anodynis præmuniendam, & opiatis contrà irritamentum defendendam, quod citò peragendum, cùm periculum adſit, ne à ſanguinis ſtagnatione, & ab irritamento continuo inflammatio in parte irritata ſuccedat.

Et quia jam evacuationes per vomitum, & ſeceſſum ſunt factæ, mittendus ſtatim ſanguis è brachio ad libram unam, & ſi non cedat affectus uno interpoſito die reiteranda ab altero brachio ſimili quantitate, ſi vires permittant. Moderabitur ſanguinis acrimonia cum Decoctione rad. Malvarum, Boraginis, Violarum, ſeminum malvarum, Pſylii, Anethi, Papaveris albi, & florum Papaveris erratici ℥. viii. cum ℥. I. ß. Syrup. de Althea Fernelii, præmittendo bolum ex triphera cum opio ad ʒ. I. cum gr. viii. Bezoartici mineral. continuò lambat de ſequenti emulſione. ℞. Amygdal. decorticat. ℥. ii. Sem. papav. albi ℥. ß. contundantur, & diſſolvantur in ℥. viii. aquæ florum Papaveris errat. unà cum ℥. ii. ſucci hordei, Nepenth. gr. iii. m. Hora ſomni ſumat Confect. Diacod. paratæ cum emulſione ſeminum Papaveris ℥. I. ante cibum per horam accipiat ℥. I. Cornu Cervi uſti, tranſactis ſex horis à cibo Diureticum ſequens bibat, quod ad ſanguinem dulcificandum ſummè valet. ℞. Emulſ. ſem. melon. extractæ cum aqua Capil. Ven. ℥. vi. Tincturæ tart. ʒ. ß. Ocul. Cancr. ʒ. I. Victus ſit paucus, & facilis nutrimenti.

Pro præſervatione in principio veris purgationem inſtituat cum ſanguinis miſſione, & iſtius acrimoniam moderantibus, ut ſunt ſucci herbarum refrigerantium, & ſerum lactis, & Emulſiones. Ultimo loco propoſitæ, & anethi decoctione, vel ſeminibus hujus confectis utatur ſæpè, & valent etiam in actu ſingultus.

CONSULTATIO LIII.

De Singultu.

Vir ætatis annorum quinquagintaquinque variis animi paſſionibus afflictivis conflictatus, vitæque ſedentariæ deditus, cibiſque craſſæ ſubſtantiæ utens, in vomitum materiæ acetoſæ craſſæ incidit, cui ſucceſſit ſingultus valdè frequens, ſomnum impediens, & moleſtiam toti inferens.

Omnes animi paſſiones corpori redduntur ſenſibiles per impreſſionem quamdam, ſeu modificationem nervis, & ſpiritibus animalibus impreſſam, vel ab anima, vel ab ejus facultate ſenſus communis dicta, paſſiones autem afflictivæ, & melancholicæ corpori communicantur, per conſtrictionem quamdam, & corrugationem nervorum, cordis motui inſervientium, quare hoc corripit oppreſſiò quædam cum motų pulſationis parvo, & debili, à quo fermentum ejus, vel flamma parum excitatur, vel dilatatur, unde etiam parva, & debilis ſanguinis rarefactio, & ſpirituum calorem in omnes partes deferentium, & foventium, parvus proventus, cum debilitatione, & enervatione caloris omnium membrorum, & ventriculi etiam, cujus actio fermentativa alimentorum minuitur, deficiente calore, fermentum ejus excitante, & fermentationem coadjuvante, præterquamquod nervi ſui orificii eam oppreſſionem patiuntur, quæ nervis cardiacis imprimitur, ex quo illius operationes minuantur, quibus ſpiritus per nervos diſcurrentes contribuunt, & inter alias hanc exercent operationem movendi, & excitandi fermentum ventriculi, unde hac operatione ſpirituum deficiente iners magis evadit prædictum fermentum ventriculi. Et quia hæc in noſtro Patiente contigerunt, idcircò multæ cruditates in ventriculo coacervatæ fuerunt, etiam in majori copia, quàm ferat conditio ipſarum paſſionum, ob vitam ſedentariam, calorem, & fermenta partium innata enervantem, non ſolùm quia ex defectu motus, nec ſanguis, nec alimenta attenuantur, ſed etiam, quia impuritates non excernuntur per inſenſibilem tranſpirationem, & retentæ, vel impediunt ſpirituum extractionem, vel eorum motum diminutione depravant, ut caloris effectum in partibus non imprimant, admiſſa ſententia calorem conſiſtere in motu violento, & perturbato partium ſulphurearum.

Dictæ cruditates ob moram, quam in ventriculo trahunt ratione ſuæ craſſitiei, acidæ, & acres evadunt exaltato earum ſale fixo, ab illa parva fermentatione, per proprium particularum motum producta, & his qualitatibus irritando ventriculi membranas, hæ contrahuntur ad eorum expulſionem, unde Vomitus; Portio verò intimiùs eas penetrans, & à rugis membranarum veluti amplexata, ſimili irritatione eas vellicando, ad motum expulſivum inducit, ſed quia intimè fixæ, & à plicis detentæ non poſſunt expelli, ſequitur motus ſingultum efficiens, tracto in conſenſum diaphragmate, vel quia ab eadem materia acri, ſed vaporoſa laceſſitur, vel quia in ventriculum flatibus diſtenſum, in ſua contractione impingendo, cogitur ſuum motum interrumpere, ad ſingultum per conſenſum hoc modo concurrendo.

Intermittit motus ſingultus, quia dum inſurgit Ventriculus ad expulſionem dictæ materiæ, ſi hanc non expellit per vomitum, removet ab illa intima penetratione, & in plicas transfundit, ubi quia non eſt infixa, non irritat, ideò nec motum expulſivum concipit Ventriculus, poſteà verò infixa membranis denuò eadem materia, vel alia denuò adveniente recurrit idem irritamentum, & cum eo ſingultus.

His cauſis occurrendum materiam craſſam, & irritantem; primò minuendo, & præcipuè per Vomitum; ſecundò reſiduum præparando per Incidentia, ut faciliùs poſteà evacuari poſſit; tertiò corrigendo dictorum humorum acrimoniam; quartò Ventriculo robur addendo.

Vomi-

Vomitus excitabitur blandis Medicamentis, ut cum Oleo Amygdalarum dulcium ad ℥. iiii. & totidem aquæ florum Camomillæ, vel cum Acetoſ. ſ. ℥. iii. & ℥. vi. aquæ roſarum tepidis. Præparabitur poſteà materia cum ℥. 1. Oximel. ſcilit. & Melis roſ. ſ. ℥. ß. diſſolutis in aqua Abſynthii addendo pul. rad. Ari ʒ. 1. & Tatt. vitriol. ʒ. ß. & poſt tres dies reiterabitur Vomitus, cui ſuccedet uſus Aquæ tetutii more ſolito, & cum ſuo vehiculo. Corrigetur humorum aciditas cum extracto ligni ſaſſafras ad ʒ. ß. Baccarum Juniperi ʒ. ß. Salis theriacalis ℈. ß. m. f. b. cui ſuperbibantur aquarum Abſynthii, Pulegii an. ℥. ii. Totius citri ℥. 1. omnibus ſimul mixtis. Poſt cœnam utatur Mitridato ad ℈. ii. Poſt decem dierum uſus hujuſmodi medicamenti paretur aqua vitæ cum Zinzibere, Cinamomo, Nuce moſcata, rad. Acori Zedoariæ, Sem. Dauci, Cymini, & ea omni mane utatur ad ʒ. ß. & totidem bibat ſerò poſt cœnam, Ceratum ex Maſtice, Tacamacca ventriculi regioni apponatur, interim ſi ſingultus moleſtiam inferat, ea ſedanda tam Anodynis, quæ mitigant humorum acrimoniam, quàm Aromaticis Acidum enervantibus, quibus ſi non cedat, opiatis utendum. Pro Anodyno valet Oleum Amygdal. dulcium recen. paulatim & per cochlearia ſumptum, vel cum confect. Diacodion diſſoluta in eo ad Ellect. conſiſtentiam; Pro Aromat. inſerviet mixtura Sylvii, ut ℞. Aquæ Mentæ ℥. ii. Theriacalis ℥. ß. Confect. Alchermes ʒ. 1. Laudani opiati gr. ii. Syrup. Mentæ ℥. 1. m. vel ℞. Aquæ Pulegii, Abſynthii an. ℥. iii. Cinam. ſtil. ℥. 1. Olei citri gutt. vi. Tincturæ Caſtorei ʒ. ß. Confect. ex Hyacintho Philon. rom. an. ʒ. 1. Syrup. de Stœchade ℥. 1. m. Utatur ſemine aniſi ante, & poſt cibum, vel ante cibum capiat ʒ. 1. Cornu cervi uſti cum vino rubro, & poſt ſem. aniſi, externè apponatur ventriculo Omentum vituli in Oleo Amygdal. d. excalefacto, facta priùs in unctione cum oleo Scorpionis Mathioli. admixto Oleo Nucis moſcatæ, & faſcia conſtringatur Patiens. Victus ſit tenuis, facilis concoctionis, & optimi nutrimenti.

CONSULTATIO LIV.

De dolore Ventriculi.

NObilis Vir temperamenti calidi, & ſicci ſecundùm totum, ætatis annorum triginta conqueri cœpit de dolore Ventriculi per intervalla repetente, ſed tranſactis menſibus violento motu venationis ſe exercitans, cum potatione Vini generoſi in magna quantitate, dolor factus fuit frequens in parte dextra ab Hepate tecta, & poſt ſex, vel ſeptem horas à cibo recrudeſcit cum valido cruciatu, qui minuitur quotieſcumque ſupervenit vomitus, hucuſque obſervatus materiæ craſſæ lentæ, ſed comixtæ cùm portione humoris nigri, acidi, & acerbi multùm.

Cyſtis bilem conſervans Hepatique connexa cum iſto ventriculo ſuperponitur, & hujus dextrum latus ſuo contactu comprimit; ex hoc ſuſpicionem concepi bilem à motu violento, & vino generoſo calefacientibus ſummam volatilitatem, & acrimoniam ſuo ſali naturalem contraxiſſe (eo modo, quo quælibet ſalia per ignem acriora fiunt) itaut illius particulæ prædicta volatilitate inſignitæ facilè à porroſitatibus cyſtis expirare poſſint, & membranas ventriculi penetrare, quas acrimonia ſupradicto modo contracta, & naturali laceſſendo, & pungendo triſti moleſtant ſenſatione, quę dicitur dolor, & hujus cogitati fundamentum à permanentia doloris deduco cauſæ ſtabilitatem deſignante, quam in ventriculo quærere eſſet erroneum cùm ab eo expellatur continuò materia, & tamen dolor perduret, conſequenter eſt cum vera ratione cauſam permanentem extrà ventriculum ſtabilire, & aliam quam ſupradictam in hoc caſu excogitare non poſſum.

Incrementum ſuſcipit poſt ſex horas à cibo, quando ſolæ partes alimentorum craſſæ in ventriculo remanent, quę ob motam, acidam concipiendo qualitatem, irritamentum, & vellicationem bilis augent, cum augmento triſtis ſenſationis, & ne hæc ratio idealis tantùm videatur perpendendum materiam per vomitum rejectam cum doloris ablatione eſſe acidam, & dolorem poſt ſex horas à cibo recrudeſcere, & inferendum ab hac materia dolorem exacerbari, & ſuam originem à depravata alimentorum materia ducere, quæ in acidum præternaturale, & corroſivum degenerat, quia ea rejecta aufertur dolor, & ſemper poſt ſex horas ab alimentorum aſſumptione hic exacerbatur, conſequenter alimenta ex ſui depravatione materiam dolorificam ſubminſtrant, quam eſſe acidam patet, unde concludendum etiam hoc vitium in ventriculo contrahere, & ſola mora iſtius materiæ in eo eſt culpanda, cùm nullum habeamus inditium de acido excedenti in ſubſtantia ventticuli deliteſcente, à quo poſſit hæc aciditas reliquiis alimentorum craſſis inſpirari.

Huic parti alimentorum acidæ unita effluvia bilis è cyſti in ventriculum inſpirata, ex hac unione atrabilis conflatur ſua acrimonia intenſa membranas ventriculi corrodens, cum doloris neceſſaria exaſperatione, ceſſante à vomitu dictæ materiæ.

Ab unione bilis cum acido acri atram bilem generari colligimus cum Sylvio, ex eo, quod bilis atta corroſionem nanciſcatur parem ſali lixivio in bile redundante, & acidum ſpiret, manifeſtum indicium, ex ſalis lixivii, & acidi unione conflari, & quamvis hanc ſuſpicionem probabiliſſimam exiſtimem, poſſumus etiam judicare à dictis cauſis calefacientibus ſuccum pancreaticum redditum eſſe acriorem, unà cum bile, & ex duorum humorum concurſu in duodeno atram bilem conſurgere, quæ acrimonia excedenti motum inteſtini elatiorem reddendo in ventriculum transfunditur, uti dolorem intenſiorem reddit poſt cibi concoctionem, dum in iſtius concoctione à propriis particulis dulcibus, & ſulphureis balſamicis modificatur: quocumque autem modo hoc contingat ſemper bilem acriorem volatiliorem, unà cum ſucco pancreatico habemus, & ab eaſdem cauſa cenſendum eſt proveniſſe dolorem per intervalla repetentem antequam hic continuus ſe manifeſtaret.

Unde uterque purgandus, fixandus, & dulcorandus, quod facilè futurum ſpero; Acidis tamen cautè agendum ob rationem degeneratione bilis atræ ſupra allatam.

Purgationem inſtituemus cum Syrupo roſ. ſol. ad ℥. v. ſuperbibendo poſt tres horas quatuor libras aquæ Noceræ, poſteà aliis indicationibus ſatisfaciemus cum ſucco Portulacæ, Plantag. Malvar. an. ℥. 1. Aquæ Acetoſæ, Borag. an. ℥. iii. præmittendo bolum ex Diaſcordio ad ʒ. 1. & hoc per xv. dies peracta in horum principio ſanguinis miſſione à brachio, quibus tranſactis purgandum cum Pilul. de tribus cum rhaub. ad ʒ. 1. ß. Magiſt. Jalappæ gr. vii. cum Syrupo roſ. ſol. ref. pil. & per alios xv. dies exhibendum ſerum caprinum deſtillatum cum ſequenti Pulvere. ℞. Cornu Cervi uſti ℈. 1. Antimonii diaph. ℈. ß. Ocul. Cancr. præp. ʒ. ß. m. & per ſex horas poſt prandium ſumat ſuccum hordei ſolutum in aqua Portulacæ cum ʒ. ß. ſpecierum triumſantalorum, reiterando poſt octo dies Pilulas purgantes ſupraſcriptas, quibus ſi non cedat, Tincturam antimonii ad ℈. ß. ſumat in jure præmiſſo ſequenti bolo. ℞. boli arm. ʒ. ß. thuris ℈. ß. gummi arab. tragacanthi an. ℈. ß. cum ſucco Plantag. f. b. vel horum loco utatur ſpeciebus Diaplantaginis Mynſichit, his enim uterque humor pancreaticus, & bilioſus fixabitur, & edulcorabitur. Victus ratio ſit refrigerans, & optimi nuttimenti.

CONSULTATIO LV.

De Cardialgia. Pro nobili muliere.

SItus doloris in ſiniſtra regione ventriculi orti, ſub ſcapulis correſpondens, & ejus acuties cum virium reſolutione, pulſuque parvo oſtendunt maniſeſtè nobilem Patientem Cardialgia laborare, quæ eſt dolor oris ventriculi, à quo affligitur, quotieſcumque ira excandeſcit, quia cùm ejus temperies multùm bilis, & acris, & volatilis cumulet, ratione calidiratis cordis, & ſanguinis, excedentis ſexus conditionem, ab ira hæc ſummè agitatur, & in ventriculum ab inteſtino duodeno regurgitat in magna copia, prout vomitus materiæ amaræ, & flavæ in principio doloris oſtendit, hujus bilis portio orificio ventriculi infixa, nervorumque inſignem plexum ſua acrimonia corrodendo, dolorem acutiſſimum parit, & per iſtius affectionem malè affectis nerveis cardiacis, corrugatione, vel convulſivo motu, itaut ſpiritus animales pro motu cordis ſufficienter non admittant, animi defectus ſuccedit.

Eadem affectio nervorum ventriculi, principio eorumdem in cerebro correſpondens, ducta ibi materia bilioſa volatili, ab extremitatibus nervorum dicti orificii exſucta, & ſurſum uſque ad præfatum principium motu à dolore præſtito expulſa, ibique in cerebri partem, ubi eſt ſpirituum emporium, & origo nervorum transfuſa, ſuo motu ſpiritus agitando vertiginem parit, irregularique agitatione fibras cerebri inordinatè movendo, imagines, vel ſpecies rerum aſſervantes, per propriam quamdam modificationem delirium facit.

Agendum ergo, ut bilis revellatur ab affecta parte, & infixa ei removeatur, interim modificanda ejus acrimonia, & anodynis dolor leniendus, præſervationi poſteà incumbendum calorem cordis, & ſanguinis copiam bilis generantem, & volatilem reddentem refrigerantibus diminuendo, quorum executio non eſt ſine difficultate, cùm paſſio ſit periculoſa.

Purgatione bilis revelletur facta cum Syrup. roſ. ſol. ℥. v. & Crem. tart. ſ. p. ʒ. ii. diſſol. in aqua Endiviæ, ſuperbibendo poſt tres horas ſeri capr. depurati ℔. iii. aliis diebus manè & ſerò paretur Clyſter ex lacte cum Sacchar. rub. ℥. iiji. Sanguinis miſſio ab hoc ſymptomate excluditur meo judicio, dum materia in cavitate ventriculi exiſtens per ſanguinem extractum non retrahatur à ventriculo, & quæ in cyſti bilis reconditur, & quæ in ventriculum transfunditur pariter per ſanguinis miſſionem non poterit impediri à dicta regurgitatione, ut unicuique conſideranti patere poteſt, ſolis ergo medicamentis utendum, unde modificabitur primò bilis omni manè exhibito ſero caprino deſtillato ad ℔. I. cum ſpir. nitr. dulcif. ad gratam aciditatem ſeri, præmittendo bolum ex Confect. Hyac. s. o. & Diaſcordii an. ʒ. ß. & ante cibum per horam ſumendo ſequentem pulverem, ♃. Margarit. præp. ℈. I. Ocul. Cancr. ʒ. ß. Antimonii diaph. ℈. ß. m. Elixir vitæ irrorentur, vel Bucellam panis vino granatorum imbibitam, ſecundò ſæpè de hoc Lambitivo per cochlearia capiat. ♃ Aquæ plantaginis, Portulacæ an. ℥. ii. Vini granatorum ℥. iii. Aceti deſtillati ℥. I. Aquæ Theriach. ℥. I. Cinam. ſtil. ℥. I. ſpir. vini camphor. ʒ. ß. Specierum Diamarg. frigid. Triumſantal. Diambræ an. ℈. ii. m. vel ♃. Aquæ Papav. errat. Tinct. roſ. an. ℥. iii. Succi lim. ℥. I. ß. Rob. ribes ℥. I. vel ejus Gelatina diſſoluta in aqua dicta Papaver. & ſucci limonum, Confect. ex Hyacintho ʒ. I. Nepentes gr. iii. Eſſentia theriac. ʒ. ii. Olei Citri ℈. ß. m. Decoctio Tamarindorum quotieſcumque ſitis urget ſit pro potu; tertiò Anodyna paranda ſunt ex Oleo Amygdalarum dulc. recenti, cui miſceatur Confect. Diacodion. in pulverem redacta ad formam Electuarii, vel Emulſio facta cum Amygd. decorticatis ad ℥. iii. & ſem. pav. albi ℥. I. cum aqua florum papaveris errat. & portulacæ an. ℥. iii. paulatim de his aſſumendo; Exterius applicentur Omenta Vituli, vel Caſtrati oleo Amygdalarum dulc. & Roſato imbuta. Pro præſervatione ſtatim, ac libera à doloribus evaſerit Aquam Villenſem per decem dies accipiat more ſolito cum Syrupo de ſucco limonum pro vehiculo, vel aquas acidas Spadanas, & vigente calore æſtatis balneo aquæ dulcis utatur, & omni anno tempore veris purgationem inſtituat, qua peracta eiſdem aquis utatur, vel lacte Caprino deſtillato addito ſpiritu Vitrioli martis, replicando etiam Balnea tempore æſtatis. Victus ratio ſit ſemper ad frigidum vergens, Vina generoſa, & aromatica omnia fugiat, acidiſque condimentis utatur.

CONSULTATIO LVI.

De dolore ventriculi poſt podagricos dolores.

SIcuti in hoc nobili Patiente, de quo Hiſtoria tranſmiſſa fuit, ab exſiccatione puſtularum internam partem coxarum corrodentium, cum pruritu, & ſeroſi ichoris acris effuſione, unà cum ſuppreſſione mucci ſalſi è naribus, & ſalivæ copioſæ ejuſdem conditionis, podagrici dolores excitati fuerunt, materia acri ad articulos delata, ubi fermentationem putredinalem, ad incinerationem tendentem concipiendo majorem acrimoniam contraxit, qua particulæ ſenſitivæ articulorum acri etiam vellicatione vellut laceratæ, doloris moleſtia affectæ fuerunt, ita quando dolores podagrici citò ſuum curſum peragunt, dolores ventriculi atroces inſurgunt, transfuſo ichore ſalſo ab arteriis in ejus ſubſtantiam, quæ vellicata eodem modo, ac partes membranoſæ in doloribus podagricis triſtem experiuntur ſenſationem, à forti vellicatione vehementiam deſumentem.

Hos ichores ſalſos colligit hic nobilis Patiens, à ſale lixivio ab effervescentia ſanguinis reſiduo, tamquam cineres ab aduſtione, quod ſero commixtum per diſſolutionem, hoc ſalſum reddit, & corrodens, unde in parte coxarum interna decumbens pruritum, & puſtulas efficit, per quas defluit, quomodò muccum, & ſalivam ſalſam reddidit, nec eſt difficile rationem reddere, cur cum in ætate annorum ſexaginta ſit conſtitutus, major ſalſedo in humoribus generetur, quàm quando erat Juvenis, ſtante acceptata ſententia à calore ſalſedinem provenire, quia quamvis hæc ſententia ſit vera in aliquo caſu, non tamen eſt univerſaliter talis; nam humores ſalſedine perfunduntur in ſenſibus, abſque calore exuberante, prout in hoc caſu, quia tranſpiratio eſt debilior, & ſic fuligines ſalſum volatile continentes non excretæ, ſalſedine maſſam ſanguinis inficiunt. Secundò in ſenſibus deficit ſpiritus balſamicus vitalis, quo ſalia ſanguini commixta, vel deprimuntur, vel dulcificantur, quapropter ex iſtius defectu imperium in maſſa ſanguinea adipiſcendo, eam ſalſam reddunt, eo modo, quo Vinum amiſſo ſpiritu ſulphureo balſamico in acetum degenerat, ſale acido in eo hoſpitante exaltato. Tertiò, quia fermenta partium excrementorum purgationi inſervientium in ætate declinante enervantur; unde excrementa quanta ſunt ſalina non expurgantur, & remanendo totam maſſam ſalſam reddunt.

Ex dictis colligitur dolorem hunc ventriculi ita curandum eſſe, primò evacuata materia acri in ejus cavitatem transfuſa, ſecundò per anodyna, & dulcificantia, reſiduo ejus dulcificato, quæ verò eſt apta fluere materia, vel revellenda eſt per urinam, vel per nares, & etiam ad coxas, ad quas eſt ſolitus ejus fluxus.

Pro evacuanda ergo Materia. ♃. Mellis roſ. ſol. ℥. v. Crem. tart. ſ. p. ʒ. ii. diſſolvatur in aqua Malvarum, ſuperbibendo poſt tres horas Jus pingue, in quo Malva decocta fuerit; venæ ſectionis indicationem hic non video, unde ſtatim poſt purgans modificabitur materia oleo Amygd. dul. recent. ſine igne ad ℥. iiii. exhibito in totidem ℥. Juris, quod ſumendum erit in ſerò ante cœnam, per tres horas perſeverante dolore, manè exhibeatur bolus ex therebentinæ ʒ: I. Olei Charabe ℈. ß. Nepenthes gr. I. m. cum aquæ Malvarum, Papaveris errat. an. ℥. iii. Confect. Diaſcordii ℥. I. ſ. p. m. Lambitivum etiam omni tempore diei ſumendum præſcribatur ex Decoct. pector. ℥. vi. Syrup. de Hybiſcho Fernelii ℥. I. Philon. rom. ʒ. I. m. & ſi non cedat dolor reiteretur purgatio cum Mercurio dulci ℈. I. vel Vomitu, & altero die exhibeatur ʒ. I. pulveris ventriculorum Gallinæ exſiccatorum cum ℥. ii. Julep. ex Therebentina, quo medicamento derivabitur etiam materia ad urinæ vias, vel gelatina Cornu Cervi cum pulvere Zinziberis, Tinctura etiam Charabe cum ſpir. vini extracta ad ʒ. I. in ℥. iiii. Emulſionis Amygdalarum dul. factæ cum aqua Malvarum erit utiliſſima. Pro revulſione fricetur pars coxarum interior cum panno aſpero ad trahendam materiam ſalſam ad ſuum curſum primævum; herrynum pariter ex pulvere Betonicæ, Majoranæ, rad. Ireos paretur.

Pro præſervatione quando dolores podagrici incipiunt remittere ante tempus, purgetur corpus cum Mercurio dulci, poſteà per vias urinæ ducenda materia cum Decocto rad. Ononidis, Aſparagorum, Graminis, & foliorum parietariæ, Saxifragiæ, & ſeminum Dauci, addito ℥. ii. Julep. ex therebentina, & ʒ. I. Ocul. Cancr. pulverizati; In veræ purgationem inſtituat refrigerantibus, & emollientibus, quę ſanguinem dulcificant, poſteà per menſem lac Aſininum ſummat pro tolerantia ventriculi etiam ad majus tempus, ſervata optima victus ratione tam in curatione, quàm in prεſervativa cura.

CONSULTATIO LVII.

De Cholera.

JUvenis temperamenti calidi, & humidi, ætatis annorum triginta in æſtate omni fructuum genere, & præ-

& præcipuè peponum in magna quantitate uſus, nive etiam refrigeratorum, cœpit moleſtari amaritudine in faucibus, & palato, cum ſiti intenſa, & æſtu magno in infimo ventre circa Hypocondria, nunc ſubita ventris perturbatione, vel evacuatione ſurſum, & deorſum materiæ aqueæ in parte, & in parte bilioſæ, cum torminibus, & doloribus corroſivis, tam in ventriculo, quàm in inteſtinis correptus fuit, & quæ per ſuperiora exit materia, modò amara, modò acida exiſtit.

Fructus ſuccum fermentativum in ſe continere, conſtitutio ipſorum, & ſucci ex ætherrogeneis partibus conſtans, & motus expreſſo ſucco conceſſus laxata unione particularum eum conſtituentium manifeſtè docet, magiſque confirmatur experientia, qua obſervamus ſuccum prædictorum in vaſe reconditum fermentare ſe ſolo, eo modo, quo ſuccus à compreſſis uvis expreſſis in vaſe fermentat, & liquorem præbet, & non aliter; ad vinum fœcum ſeparationem ſolo fermentationis motu molitur, unde non mirum, quod à fructuum quantitate comeſta, & à collecto eorum ſucco, valdè fermentativo intrà vaſa ſanguifera cruoris efferveſcentia inordinata excitata fuerit in hoc Patiente, quæ bili, & ſucco pancreatico pariter impartita, calorem in Hypocondriis excitavit, cum æſtu magno, prout eſt proprium bilis inordinatè efferveſcentis, & in iſto ſtatu eadem bilis vapores ſuæ naturæ correſpondentes amaros ſalſos elevando verſus gulam, & palatum, amaritiem, & ſitim effecit, & uterque humor efferveſcendo acrior factus vellicando inteſtinorum tunicas tormina, & dolores excitat, vaporumque acrimonia orificia arteriarum, & lymphaticorum vaſorum, ductum Cholidocum, & pancreaticum irritando, hæc ad humoris contenti expulſionem cogit in cavitatem inteſtinorum, & in eam ventriculi per doloroſam vellicationem elevato inteſtino duodeno tantum, ut per orificium inferius faciliter humorem contentum in inteſtinis excipere in ſuam cavitatem valeat; unde fluxus alvi, & per vomitum expulſio materiæ bilioſæ, & acidæ.

Eodem tempore per efferveſcentiam ſanguinis in arteriis, ſeparato humore in copia, ſeroſo, & bilioſo cum aliis excrementis pro efferveſcentiæ viribus, cum impetu, & frequentia expellitur per oſcula arteriarum in cavitatem inteſtinorum, & ventriculi, in quibus inferuntur, unde augetur vomitus ſupradictus, & alvi fluxus cholericus dictus, conſiſtens in humorum expulſione copioſa per vomitum, & ſeceſſum facta ab irritamento interno, itaut ſit potiùs dicendus ſymptoma facultatis expultricis irritatæ, quàm retentricis debilitatæ.

Quapropter colligendum eſt curationem hujus affectus conſiſtere in ſedanda, tam ſanguinis, quàm humoris pancreatici, & bilis immoderata efferveſcentia, & in eductione humoris fermentativi, de horum conſecutione certi non ſumus, cum ſit morbus acutiſſimus, & ſubitum virium languorem inferat, in ſyncopem, ut plurimùm terminantem, cum dubio ergo operandum.

Et quia facta jam fuit per lenia purgantia, nempè Caſſia, Pulpa tamarindorum, & Mirabolanis humorum diminutio, remanet ſolùm efferveſcentiam ſedare, quod ſanguinis miſſio juxtà vires Ægrotantis præſtare poterit, & quoad alterantia, primò exhibeatur ſerum caprinum, in quo decocta fuerint Rad. Biſtortæ, Tormentillæ, & Conſolidæ major. ad ℥. viii. cum ℥. i. *Syr.* ex Maſtice Mynſichit, vel ℞. Aquæ Myrti, Plantag. an. ℥. iiii. Succi Menthæ ℥. ii. *Syrup.* Coral. Maſticis an. ℥. ß. m. Infra diem Lambitivo ſequenti utatur. ℞. Aquæ Menthæ, Portulacæ, Papaveris errat. an. ℥. ii. Confect. ex Hyacintho ſ. o. ʒ. i. Aquæ Theriacalis ℥. ß. *Ad* corroborationem ſpirituum Nepenthes gr. iii. Spirit. Maſticis ℈. i. *Syrup.* Papav. errat. ℥. i. m. vel ℞. Decoct. rad. Biſtortæ, Tormentillæ ℥. vi. Diaſcordii ʒ. i. *Salis* prunellæ ʒ. i. Aquæ Cinam. ℥. ß. Tinct. coral. ʒ. i. *Spirit.* Maſticis ℈. i. *Syrup.* Myrtini ℥. i. m. & ante cibum per horam manè, & ſerò ſummat ſequentem pulverem. ℞. Bezoartici martialis gr. viii. Cryſtal. præp. ʒ. ß. Coral. præp. ℈. i. m. ſumatur cum *Syrupo* Coral. vel Maſticis, vel ℞. Cryſtal. præp. *Smaragd.* præp. an. ℈. i. Eboris ſine igne præp. Antimonii diaph. an. ℈. ß. m. & exhibeatur cum prædicto *Syrupo* Coral. vel Maſticis; optimè enim adſtringentibus uti poſſumus, cum jam copioſa humorum evacuatio facta fuerit. Exterius applicetur emplaſtrum de Cruſta panis cum Balſamo Peruviano, & oleo Maſticis, vel Pani roſto, & Vino madefacto ſuperimponatur pulvis ex rad. Biſtortæ, Tormentillæ, Conſolidæ, Menthæ ſiccæ, Maſtice, & Nuce moſcata. Clyſteres manè, & ſerò parentur ex lacte cum ſucco Menthæ, & ʒ. i. Philonii rom. Perſici. Victus ratio medicamentorum virtuti correſpondeat.

CONSULTATIO LVIII.

De Cholera ſicca.

Religioſus temperamenti calidi, & ſicci ad aduſtum tendentis, ætatis annorum triginta quinque iter longum diebus canicularibus ſuſcipiens, à calore multum moleſtiæ accepit, amiſſo appetitu, alimenta ſalſa & aromatibus condita ſolùm ei ſatisfaciebant, à ſiti vexatus multum vini potabat, & in via fructus auſteros pro ea moderanda ſumpſit; cœpit poſteà doloribus, & torminibus ventris torqueri, perfecto itinere amarorem in ore, & ſitim validam, perſeverantibus doloribus, paſſus eſt, quibus ſucceſſerunt inanis voluntas, & irritamentum vomendi, & fœces deponendi cum maximo æſtu in Hypocondriis, & ventriculo, unà cum inflatione ventris, & ventriculi.

Sicuti calor externus artificiales promovet, & auget fermentationes, & in Chimicis operationibus ſpirituum exaltationi ſufficit, ſaliumque acredinem auget, ita putandum in noſtro Patiente à calore ſolis, & motus, Aromatum, & Vini, non ſolùm auctam fuiſſe bilis quantitatem, ſed etiam acrimoniam, & efferveſcentiam cum ſucco pancreatico, qui ab eodem calore majorem concipiens acredinem, ultrà exceſſum quantitatis ſuppeditatum à fructibus immaturis, & acidis, efferveſcentiæ augmento contribuere nactus eſt facultatem, hujuſmodi ergo efferveſcentia ex multiplici capite facta major eſt, nempè à copia utriuſque humoris, à tenuitate, & volatilitate, & majori acrimonia, ut conſideranti patere poteſt ex ponderatione prædictarum qualitatum acquiſitarum à dictis humoribus ab excedenti caloris activitate; hiſce humoribus in inteſtinis efferveſcentibus elatus vapor, (eo modo, quo in corroſione corallorum à menſtruo corrodente elevari nebulam obſervamus) de acrimonia utriuſque humoris participans vellicatione, corroſione, & penetratione intima, dolores, & tormina in inteſtinis excitavit, & motu dictæ efferveſcentiæ ſolutis particulis calidis bilis, calor in Hypocondriis accenſus eſt ad æſtum vergens, & evaporationes iſtorum duorum pugilium in vaſa meſenterii penetrando pro fermento inſervierunt ad inordinatam efferveſcentiam humori in eis contento communicandam, cum augmento caloris, & æſtus.

Ab eiſdem evaporationibus ori communicatis ſitis, & amarities, & ex irritatione eorumdem, oris ventriculi, & ſphyncteris, inanis voluntas vomendi, & excernendi fœces, unde Cholera ſicca dicitur pendens à ſtimulata facultate expultrice, hoc eſt à fibris ad expulſionem contentorum irritatis, ſed ſine ſucceſſu, cùm non adſit materia expellenda, vel quia vaſa humorem continentia irritamento reſiſtunt, & conſtricta conſervant ſua orificia non determinatis, neque coactis fibris ab irritamento ad eam motus differentiam neceſſariam pro aperitione orificiorum ſuorum.

In horum humorum efferveſcentia Pituita, ſeu muccus inteſtinorum attenuatos, & inflatus reſolutus, rugitus in ventre promovet, cum inflatione ejuſdem, & ventriculi, altera poteſt aſſignari hujus inflationis cauſa, nempè ſpiritus fibras membranarum incolentes, qui ſecum admiſſis vaporibus ab efferveſcentia dictorum humorum elevatis, efferveſcentiam pariter patiuntur, qua membranas dolore affectas diſtendunt, & ita cavitas interna ſicut Veſica inflata (ut loquitur Vvilliſius) multùm ampliatur, ut humoris, vel aeris incluſi portio intra vacuum iſtud ſpatium ab ampliatione factum valdè rareſiat, cum diſtenſione partium continentium.

Ex dictis pro cauſarum dilucidatione manifeſtantur indicationes pro hujus affectus eradicatione eſſe bilem, & ſuccum pancreaticum minorandi, qualitates corrigendi, & efferveſcentiam moderandi, quas adimpleri poſſe ſpero per medicamenta, ſed non ſine difficultate.

Primò, ergo purgandum corpus cum Syrup. ſol. ad ℥. v. & Crem. tart. ʒ. iii. diſſol. cum aqua Endiviæ ſuperbibendo Aquæ noceræ ℔. iiii. per tres dies ſequentes capiat Acetoſ. ſimp. ℥. iiii. Crem. tart. ſ. p. ʒ. ii. Aquæ Borag. ℥. iii. m. poſteà reiteretur medicamentum purgans ſupra ſcriptum, vel ʒ. i. pilul. de tribus cum Rhaub. cum Magiſt. Jalappæ gr. vi. ſuperbibendo dictas quatuor libras aquæ Noceræ. Præparabitur uterque peccans humor, & modificabitur cum ſuccis Plantaginis, Boraginis, Malvæ ad ℥. i. cum Aquæ lactucæ, Portulacæ an. ℥. ii. Salis nitri optimè rectificati ʒ. i. Dum hæc ſumuntur mittatur ſanguis è vena brachii, & continuabit in his per ſeptem dies. Ultimò purgabitur uno ex dictis medicamentis, & altero die Hyrudines venis de hemorroidalibus applicabuntur; ultimam manum imponemus ſerum caprinum ad ℔. i. exhibendo alteratum cum rad. Biſtortæ, Tormentillæ, fol. Nimpheæ, Lactucæ, Portulacæ, præmittendo bolum ex Diaſcordio ad ʒ. i. Ante cibum per horam capiat ſequentem Pulverem. ℞. Specier. triumſantal. Diamarg. frigid. an. ℈. i. Antimonii diaph. ℈. ß. m. pro lambitivo ſumat per diem Tincturam roſarum, & florum papaveris errat. quodſi adhuc perſeverent affectiones prædictæ, Aquam Nocerę dejectoriam per octo dies ſumat. Victus rationem optimam ſervet &c.

CONSULTATIO LIX.

De Vomitu Sanguinis, Tumore Lienis, & Febre.

NObiliſſimo Juveni accidit Gallica lue infici, & præcipuè Gonorrhea, cui empiricis remediis citò curſum interdixit, hyeme adveniente vires cœperunt labefactari laſſitudine quadam univerſali, calor faciei ſolitus vividus, & pulcher rubro, & albo mixtus, deliquia ſenſit, à pallore obtenebratus, tumor lienis ſupervenit valdè magnus, hoc autumno correptus febre duplici tertiana circa octavam vomitus ſanguinis apparuit copioſus, cujus etiam aliqua portio per ſeceſſum excernitur.

Etſi fluxus Gonorrheæ in hoc nobiliſſimo Patiente ab empiricis remediis cohibitus fuit, intactum tamen remanſit fermentum venereum depravativum maſſæ ſanguineæ aciditate volatili ei inata, qua ſanguinem perfundendo totum acidum, & irritativum reddit, & qua aliquas iſtius partes modò coagulat, modò ſolvit juxtà earum diſpoſitionem, quamvis credere poſſumus in hoc Patiente per empirica remedia fixatam fuiſſe prædicta aciditatem volatilem, & ita coagulationi potiùs, quàm diſſolutioni inſervire, unde copia materiæ per coagulationem incraſſatæ, ſanguini nitorem, fluiditatem, & ſpirituum expanſionem adimendo colorem ejus vividum, & pulchrum vitiavit, & tardiorem circulationis curſum per exteriora reddidit cumulato in his ſanguinis proventu, vel craſſioribus particulis ibi relictis, unde laſſitudo vires opprimens gravatis partibus externis, vel à dicta copia ſanguinis, vel ab ejus particulis craſſioribus.

Eodem modo lienis tumorem cauſavit eadem materia coagulata in iſtius cellulis, Vaſis, & porroſitatibus ſtagnando amiſſo circulationis motu, & advenienti ſanguini eumdem motum impediendo, unde hic cogitur ibi quieſcere cum majore ſui depravatione, deteriores concipiendo qualitates ad acredinem tendentes, qua perterrebrato impedimento obſtruente minùs contumaci in aliquo vaſe lienis, ſanguis iſto contentus ſecundùm aliquam ſui portionem exit, & fermentativa ſua qualitate per moram contracta febrem accendit, dum maſſæ ſanguineæ mixtus inordinatam efferveſcentiam dicta virtute fermentativa huic conciliat. Remiſſo interim dicto impedimento priori ſtatui impetum novi ſanguinis currentis vincente, iſti compedes de novo formantur, donec acribus qualitatibus adeptis ad ſimilitudinem prioris impedimentum de novo vincat, cum cætero ſanguine circulationis curſum reaſſumendo, ſed cum iſtius detrimento, dum ei inſervit pro fermento præternaturali ad ſuſcipiendam efferveſcentiam febrilem, & ita periodi febriles renovantur, eo modo, quo de obſtructione vaſorum Pancreatis edidit Doctiſs. Le-Boe, & aucta ſemper ſanguinis mole in liene impedito illius exitu, & circulatione fervorem in ſtagnatione concipit, orgaſmum, & vim energeticam induit, coadjuvante ad hæc calore febrili attenuatione in eum inducta, unde fervet, æſtuat, & impedimenti, ac anguſtiæ impatiens, cùm ulterius progredi non poſſit, regurgitat per arteriæ cæliacæ ramos in ventriculum, per quem diſſeminantur, & ſuo impetu oſcula arteriarum di atando in cavitatem ventriculi exundat in magna copia, quæ vomitu poſteà reiicitur, altera portio ſanguinis per ramos cæliacæ ad inteſtina decurrentis delata eodem modo in iſtorum ſpatium deponitur, & per ſeceſſum expellitur, & quod ibi relinquitur, in grumos coagulatur.

Si ergo hujus patientis morbis opitulari intendimus, primò vomitus ſanguinis ſiſtendus, ſanguine ad alias partes revulſo, & ejus fervore, & orgaſmo ſedato, orificiis arteriarum corroboratis, & conſtrictis, cavendo tamen, ne grumeſcat ſanguis in dictis cavitatibus, & ibi detineatur, ſecundò febri incumbendum per deobſtruentia temperata, tertiò obſtructiones lienis tollendæ, & fermentum Gallicum extirpandum, quod erit difficile, quapropter de Patientis vita valdè dubito.

Mittendus ergo ſanguis ab utroque brachio, prout vires determinabunt; ligaturis fortibus extremitates vinciendæ; frictiones in partibus inferioribus exercendæ, eiſdemque applicandæ ſiccæ cucurbitulæ, purgantia in hoc caſu ſuſpecta haberem, cùm efferveſcentiam ſanguini impertiant, unde copioſior fluxus eſſet timendus: non enim ſumus in caſu, in quo vomitus ſanguinis dependeat ab aliquo humore extraneo ei commixto, ut puta quando bilis ſanguini miſcetur, & acrimonia inficit, qua vaſorum orificia aperit, quia purgantibus bilem tunc opem conferimus ad vomitus ceſſationem, in hoc caſu ſanguis, quamvis cachochimus fervorem, & æſtum ſe ipſo, & ſtagnatione ſola excitativa etiam febrilis caloris concepit. Sanguinis ergo miſſione contenti, præcedente Clyſtere, conſolidationi vaſorum ſtudebimus ſequenti Decocto. ℞. rad. Biſtortæ, Tormentillæ, Conſolidæ majoris an. ʒ. i. Sem. Juſquiani, Papav. albi, Plantag. Portulacæ an. ʒ. ß. radices incidantur, & ſemina contundantur, & bulliant in ℔. i. aquæ plantaginis ad tertiæ partis conſumptionem, coletur, & colaturæ adde Tinct. roſ. & flor. Papav. errat. ℥. ii. Syrup. de roſis ſiccis ℥. i. præmittendo ſequentes bolos. ℞. Throcis de Charabe ʒ. ß. Caput. mort. vitriol. rubific. & dulcif. gr. x. Balſami orient. vel Peruviani gutt. viii. Sperma-cæti, Mumiæ an. ℈. ß. & cum Syrup. Myrtino f. b. qui inſervient etiam ad coagulationem impediendam. Ante cibum exhibeantur ℈. ii. Lapidis Ematitis præp. ʒ. i. cum ℥. ß. Syrup. de Coral. Quodſi ab his non vincatur vomitus, utendum Pulvere Scaligeri deſcripto à Riverio in capite de ſputo ſanguinis, & ſæpè lambat de ſequenti mixtura. ℞. Aquæ Plantag. ſumitat. quercus an. ℥. ii. Tinct. roſ. ℥. i. Coral. rub. præp. Lapid. Ematitis prep. ſang. Draconis an. ℈. i. Croci Martis aſtringentis ℈. ß. Nepentes gr. ii. Syrup. Myrtini ℥. i. m. quę ſi non conferant liquoris ſtiptici guttæ aliquot cum aqua conſolidę, vel plantaginis exhibeantur, & eodem liquore lienis regio inungatur, & ſi coagulatio ſanguinis timeatur, poſt exhibeatur Decoctum Myrabolan. in aqua Cherefolii cum Syrupo de Cycorea cum Rhaub. addito pulvere ocul. Cancri. Efferveſcentia eiſdem medicamentis adſtringentibus moderabitur, in febris vigore exhibeatur emulſio ſeminum melonum cum aqua graminis extracta addita tinctura tartari ad ℈. ii. quæ inſerviet ad febrilis efferveſcentiæ moderationem, & ab blandè deobſtruendum, quod ſi datum erit vaſa conſolidare, deveniendum ad Decoctum Salſæ, Ligni Sancti, & Tamariſci cum aperientibus temperatis, præmittendo aliquod Chalybeatum in bolo, vel Tincturam Chalybis, vel Oximel Chalybeatum, aliquod purgans per intervalla replicando cum admixtione Mercurii dulcificati, quibus Gallica qualitas delebitur, & obſtructiones auferentur; integram, & ſanam victus ratione ſervando.

CONSULTATIO LX.

De dolore Ventris.

CIvis ætatis annorum quinquagintaquinque temperamenti melancholici aduſti, cum bilis ſubdominio, ſunt ſex menſes, quòd cruciatur dolore in ſiniſtra parte ventris verſus regionem lienis, qui quandoque extendi-

enditur ad dexterum Hypocondrium, & etiam in infima parte ventris circa vaſa urinaria, & quando eſt vehemens in brachio dextero, & crure ſtuporem, & debilitatem in motu inducit, hic dolor eſt fixus in dicta parte ſiniſtra, cum aliquali ardore, & perterebratione, nocte magis exacerbatur, variis terris imaginibus affligitur, quæ dolori coniunctæ vigilias longas pariunt. Dolor quandoque remittit, ſed numquam ceſſat, paucis ab hinc diebus urinæ multùm reddit, adeſt aliqua tenſio in regione lienis, & Hepatis, ſputum eſt ſalſum, & puſtulæ cum pruritu per totam coxam ſiniſtram diſſeminantur. Appetitus eſt optimus, nec ei ſatisfacit alimentis.

Hujus doloris ſedem eſſe in ramis plexus Meſenterici à Villiſio in ſua Nervologia ingenioſè, & accuratè deſcripti perſuadet ſitus doloris, & acuties, longa ejuſdem perſeveratio, & extenſio ad partes inferiores verſus regionem pubis, & veſicæ, ubi fibræ nerveæ ejuſdem plexus ſe extendunt, & in dexteram partem quandoque dilatatio ejus, ob connexionem, quam habet cum plexu hepatico, magis confirmat, ſicut brachii, & cruris affectio in ejus vehementia manifeſtè demonſtrat, eo quod connexionem vaſorum partis in ventre affectæ, cum brachio, & crure deſignat, per quam materia, quæ fluit ad ventrem, poteſt etiam fluere ad prædictas partes, hujuſmodi autem connexio poteſt ſolùm reperiri inter has partes mediantibus nervis.

Urinæ excedens copia reſpectu potus, quo patiens utitur nervorum genus in eo affici oſtendit, cùm praxis obſervationes doceant hujus affectiones, ut plurimùm per urinam à natura curari. Unde Villiſius hujuſmodi dolorem colicum nuncuparet, de qua denominatione parum ſolliciti eſſe debemus, dummodò de parte affecta nobis conſtet.

Hæc eſt doloris ſedes cauſam verò non aliam poſſumus excogitare, quam materiam acrem, & corroſivam fibras nervoſi plexus divellentem, & corrodentem mixtam cum ſucco nerveo, atque ad hujuſmodi plexum unà cum eo delatam.

Hujus materiæ qualitatem ſalſam nobis demonſtrat ſputum ſalſum, pruritus, & puſtulæ in coxa, ſalſi ſanguinis ſigna, itaut ſucco nervoſo ſerum ſalſum, ſicuti glandulis ſalivaribus ab illo ſuppeditari non ſit dubitandum, hinc ſuccus nerveus ad plexus meſenterii fibras delatus, cum particulis ſalinis, quæ ob exilitatem extremitatum fibrarum exitum non inveniendo in dictis fibris nerveis remanent, & ſtagnant, qua occaſione magis degeneres, & infectæ evadunt, acriorem concipiendo qualitatem, & effervefcentiam, qua fibras membranarum, & nervorum vellicando, vel propriæ ſubſtantiæ adhæſione, vel vaporum effluxu dolorem illum excitant fixum, & cum ardore, prout moris eſt, materiæ ſalſæ, quæ ultrà vellicationem quamdam, principium corroſionis parti infert, in qua ardor, ut in partibus externis in principio corroſionis ab ichore ſalſo in ſcabie obſervamus.

Quodſi non placeret nervis hujus materiæ delationem tribuere, poſſumus aſſerere ab arteriis in meſenterii duplicaturam transfundi, eamque ſua acredine corrodere. Hoc acre in ſanguine conſurgit à bile acri, & melancholia acida, quibus abundat ratione temperamenti, & ſerum præcipuè ab his alteratur, cùm valeat utriuſque humoris particulas imbibere, ex eo, quod ſunt de natura ſalis, diſſolutionem in aqua patientis.

Ex quo fit facilè nervos hanc materiam acrem ſuſcipere, cùm ex ſero nutritio eorum ſuccus generetur, & eadem facilitate membranæ eam ſuſcipiunt, cùm ex eodem ſero nutritio alantur.

Poſito hoc acri in ſanguine, & ſero, videtur difficile, quomodo potuerit fieri obſtructio in liene, cùm illius proprium ſit humores attenuare, non incraſſare; tollitur tamen difficultas conſiderando, quòd ratione temperamenti naturalis melancholici acidum ſuperabundat, quòd aliquas partes in ſanguine coagulat, & incraſſat, quæ lieni in circulatione ſanguinis conſignatæ ibi fixantur, & adhærent, & paulatim congeſtæ obſtructionem in eo viſcere pepererunt. Et quia ex mora, quam ibi trahunt, & à calore partium adſtantium fermentantur exhalationes acres acidas emittunt, hæ nervis lienis unà cum particulis ſubtilibus humoris fermentati communicantur, (quorum officium eſt per fibrarum extremitates humorem volatilem acido ſalſum dulce juxtà naturæ leges præparatum abſorbere, & ad cerebrum deferre, eumque cum ſucco nervoſo confundere, ubi præparatur, ſpiritibuſque cerebri incolis conjungere; quò lentè, & placidè agitati majori cum energia ſuas exerunt actiones (unde Lienoſi dicuntur ſapientes) & ad caput feruntur, ubi mixtæ ſpiritui animali inordinato motu hunc agitant ſua virtute fermentativa, nec non etiam, quia dictæ particulæ non ſunt ſpiritibus congeneres, ſed horum indolis depravativæ, & ſicuti ſanguis ab admixtione extranei alteratur, ita ſpiritus ab hoc inordinatè movetur cum vigiliarum excitatione, dum hæ à ſolo motu ſpirituum pendent, phantaſmata ab eodem motu perturbata varias imaginationes tetras, & præcipuè imminentis mortis exhibent, & hunc mortis vicinæ timorem fovet apprehenſa nimis vehementer morbi magnitudo, dum continua afflictione, continuam etiam fovet apprehenſionem mortis, ab hac enim nervi cardiaci, & ſtomatici in ſua origine conſtringuntur, ſicuti in hilari cogitatione dilatantur, eis conſtrictis ſpiritus fluunt in parva quantitate ad cor, & ſtomacum, per quod unà cum conſtrictione principii nervorum iſtarum partium fit talis motus in corde, & in ventriculo, quo reflexo per extremitates nervorum correſpondentes principiis prædictis ad ſenſum communem, hic judicat de morte vicina, cùm per motum illum reflexum cordis anguſtia, & ventriculi languor repreſentetur, quæ virtutis deficientiam arguunt, omnes enim paſſiones animi per nervos in corpus transferuntur, & per hos ad ſenſum communem de novo reddunt; Et hoc modo à liene melancholici affectus proveniunt.

Dolor etiam ab eodem acri aucto in majori copia fit major, & ab acido ſanguinis melancholico appetitus conſervatur, qui etiam à ſalſis fovetur, ut experientia notum facit. Et quia factum fuit per nervos in partes magnam ſeri copiam depoſitari, quæ per lymphatica ad venas traducta, & ab eis ad arterias emulgentes, quæ hunc in renes depoſuerunt, ideò copioſa facta fuit Urina, vel quia ſerum in arteriis redundans per dictas arterias prædictam ſubivit viam.

Nitendum ergo in curatione hujus affectus, ut demulceamus acidum naturale à temperamento dependens, quod non eſt niſi melancholia, & ſimul acidum acre lienis, & ſalſum ſuperabundans ex ſale lixivio bilis, & ut obſtructiones auferamus, & dolores leniamus, in quo aſſequendo multas video difficultates ob contumaciam affectus, qui à multis remediis factis non ceſſit, & quia diſpoſitiones contractas à natura ſuperari arduum eſt, & periculoſum, dum curando has vincere, alias non minores excitamus, & etiam ob contraindicantiam remediorum; acida enim per alkalica infringenda ſunt, & hæc ſalſa, & muriatica acuunt. Ut ergo, quantum eſt ex arte, tentemus:

Relictis Purgationibus univerſalibus ad ſatietatem peractis laudo, ut ſequentes bolos omnes intentiones propoſitas adimplentes ſumat. ℞. Croci Martis aper. gr. viii., Antimonii diaph. ℈. ß. Salis roſmarini, Salviæ, tamariſci an. gr. viii. Olei Charabe, Cornu Cervi an. gutt. iv. Extract. Rhaub. ʒ. ß. Succi Cicorei condenſati ʒ. i. m. f. b. omnia enim iſta medicamenta ſunt aperitiva, acidum mortificant, quia alkalica, olea ſua pinguedine ſalſa modificant, & ſi pro acidis magis pugnare videantur, hæc etiam principaliter peccant; ſuperbibatur dictis bolis Decoctio Citrach, Camedryos, Tamariſci, Salviæ, Roſmarini, Boraginis, Malvæ, addito Syrupo de Pomis, & de Papavere, & in hoc remedio continuet per menſem; quodſi talia remedia ſuſpecta viderentur pro acri humore, utatur ſequenti magis modificativo. ℞. Therebentinæ venetæ ℥. i., Ocul. Canc. præp., Margarit. præp., Coral. præp. an. ℈. ii. Croci mart. aperit. ʒ. i. Milleped. ʒ. i. m. & de hoc accipiat ʒ. iii. omni mane ſuperbibendo ſerum caprinum deſtillatum cum ℈. i. Salis tartari volatilizati, & omni tertio die purgetur cum ʒ. ß. pilul. tartarearum. Interim in die utatur ſequenti Lambitivo, aſſumendo cochlearia ſæpè. ℞. Aquæ Violarum, Malvæ, Papav. errat. an. ℥ ii. Diaſcordii ʒ. i. Tripheræ magnæ ʒ. ß. Syrup. de Hybiſco ℥. i. m. vel f. Emulſio cum Amygd. dulc. excort. cum aqua pectorali; Ante cœnam per horam capiat ſequentem Bolum affectionibus nervorum opportunum ℞. Extracti Ligni Viſciquerc. ℈. i.,

Salis Charabe, Cranii hum. an. ℈. ß. Ungulæ Alcis ℈. ß. cum Syrup. de Stœchade f. b. Ultimo loco deſtilletur lac Aſininum, in quo infuſa fuerint Roſmarinum, Salvia, Ruta, Pulegium, Chamedryos, Scolopendrium, & baccæ lauri, miſcendo eidem lacti ſuccum Malvarum, Boraginis, Papaveris erratici, & de hoc capiat per quadraginta dies omni mane ℔. 1. cum Tinct. Antimonii, & Tartari an. ʒ. ß. & Chalybis ℈. 1. hoc ducemus materiam ad nervos fluentem per urinam, quodſi his non cedat remediis Arcanum duplicatum Mynſicht. paretur, & cum aqua Boraginis ſumatur, vel cum Decocto Centauræ, & Chamedryos, quæ in affectibus nervorum, & eorum diſtractione convulſiva valent. Exterius applicetur loco dolenti Omentum vituli, vel Caſtrati in Oleo Amygdal. dulc. & Roſato completo madefacto. Vel paretur fomentum ex Malva, Althea, Violaria, Meliloto, Fœnugræco, & Spongia in hoc madefacta fomentetur locus dolens. In omnibus rectam ſervet victus rationem à Medici aſſiſtentis prudentia dirigendam; Quodſi his remediis non cedat, dubitarem de aliqua affectione corruptiva in aliqua parte meſenterii ultrà dictas cauſas.

CONSULTATIO LXI.

De affectu Hipocondriaco.

REbellia, & atrocia ſymptomata hunc nobilem Patientem affligentia cum omni remediorum contemptu affectum Hypocondriacum conſtituunt à bile maximè volatili, & acri, quæ effervefcendo cum ſucco pancreatico ſulphureos ſuos vapores, & ſalſuginoſo ad ventriculum elevando, calorem ei impertit unà cum ſiti, & eò magis ſenſibilis redditur, cùm ipſa bilis volatilis per orificium inferiùs in ventriculum exundet, & augetur poſt quatuor horas à cibo à fermentatione iſtius, quæ ſemper cum calore coniungitur, præterquamquod à tali tempore alimentorum pars tenuior, & ſubtilior fermentata à ventriculo ad inteſtinum deſcendit, & ibi renovata fermentatione cum bile, & ſucco pancreatico, bilioſo fermento ita excandeſcit, ut ſpiritoſæ partes utriuſque copioſæ fumi inſtar eleventur (cùm bilis ſit volatilis, & alimenta fermentata tenuiſſima, & ſubtiliſſima ſpiritoſiorum partem aſſumptorum continentia) caliditatis ſubiectum, qua calorem impreſſum ventriculo augent, expulſa parte ſubtiliori, & volatiliori alimentorum à ventriculo remanet craſſior, vel ob defectum fibrarum aliàs adnotatum, vel ob adſtrictionem pylori, ut Helmontio placuit, (quæ bilis ſubtilitati non reſiſtit ad aſçenſum in ventriculum) hæc cum ſaliva mixta, & à calore, & bile ad ventriculum aſcendente attenuata validiori fermentatione ab utroque aucta, in bullas intumeſcit ſpiritu, ſeu ſubtili vapore, ab eadem materia fermentata exeunte, vel humido attenuato plenas, eo modo, quo Pueri ex aqua Saponis diſſolutione incraſſata, inſufflato in hanc aere bullas efformant. Sic ex materia craſſa per calorem, & fermentationem rarefacta cum craſſitiei conſervatione adjuncto vapore ſubtili ab eadem fermentatione elevato formantur bullæ, quarum aliquæ craſſiores, vel in motu ventriculi, vel à fermentationis energia ſurſum elatæ ad os ſuperius iſtius bilioſa acrimonia, qua materia craſſa attenuatur, & proprio ſale ab inordinata fermentatione exaltato perfuſæ illum vellicant, & quia craſſitie, vel mole majores dicto orificio exitum per idem non inveniunt, retropelluntur cum ſenſu doloris in ea parte, in quam impingunt, quia ubique vellicant, unde oritur aſcenſus, & deſcenſus illius rei, quam dicit ſe cum dolore in ventriculo ſentire poſt quatuor horas à cibo.

Vomitus circa veſperam materiæ oleoſæ igneæ in ſuo tranſitu moleſtæ, & doloroſæ, calore partes unà cum quadam corroſionis ſpecie cruciantis pendet ab eadem materia craſſa per moram non ſolùm à bile excalefacta, ſed etiam acri reddita, & oleaginoſa, etenim craſſa proportionato modo attenuata, & fermentatione debita concocta oleaginoſitatem contrahunt, quam bilis ſui admixtione contribuere poteſt, cum olei aliquid ſemper in ſe hæc contineat, ſicuti etiam attenuationem, & fermentationem ſupradictam, materia prædicta his qualitatibus irritando ventriculum hunc ad expulſionem ſui promovet, dolorem inferendo atrocem deſtituta membrana interiori ventriculi mucco, quo ſolet naturaliter oblíniri, ob ejus continuam evacuationem per vomitum frequentem, ex cujus mucci defectu dicta membrana contentorum qualitatibus magis torquetur, parum conferente oleoſitate humoris ad modificationem acrimoniæ, ob exceſſum partium calidarum, & ſalinarum in dicta materia.

Aciditas autem acris quandoque ſentitur in eadem materia rejecta, vel quia à ſale ejuſdem fuſio perpeſſa acorem ei conciliat, vel quia in vomitus conatu ſuccus pancreaticus unà cum bile ab inteſtino duodeno ad ventriculi cavitatem aſcendit ſua aciditate materiam contentam perfundendo, nec alia cauſa, niſi ab hac excitatur vomitus mane partium materiæ inſipidæ, & amaræ, inſipida verò adeſt, quandoque, quia vel eſt ſaliva in ventriculo coacervata, vel à bile reliquiæ cibi ita diſſolvuntur, ut humidum ſeparetur, quod ſine ullo ſapore exit, vel irritamentum ventriculi bilioſum arterias, vel eorum orificia attingens eas determinat ad ſeroſum, & inſipidum humorem deponendum in cavitatem ejuſdem.

Bilis eſt etiam cauſa eorum ſymptomatum, quæ in inferiori ventre huic Patienti accidunt; nam illa chylo conjuncta, & ſucco pancreatico, illum concomitatur per Jejuni cavitatem continua effervefcentia fermentando, ut ſuas deponat fœces, in qua operatione naturales effervefcentiæ limites tranſcendendo, inordinato motu calorem in Hypocondrio ſiniſtro, ubi Jejunum extenditur excitat, unà cum rugitu, & diſtenſione dicti Hypocondrii ob flatus non ſolùm à chylo elevatos, ſed etiam à mucco obliniente cavitatem ejuſdem inteſtini, à bile effervefcente, & diſſolvente muccum in flatus, & hanc eſſe cauſam iſtorum effectuum oſtendunt manifeſtè flatus per anum exeuntes cum intenſo calore, non ſolùm ſenſibili, ſed etiam moleſto. Talis effervefcentiæ motus inordinatus cum fumoſitate quadam conjungitur, prout illius eſt proprium bilis qualitatem acrem redolentes, qua inteſtina vellicantur, unde dolor iſtorum, & nervi, qui ad ea deferuntur eadem vellicatione puncti ad contractiones quaſdam impelluntur, quibus conſtricta, vel compreſſa vaſa ſanguifera dictis nervis colligata pulſationem illam in iſtis efficiunt, quam ait eſſe ſimilem pulſationi à materia ſuppurante in tumore excitatæ, & hæc ſe extendit à ventre uſque ad pectus, & os ſacrum, ob communicationem, quam habent nervi inteſtinorum à ſexto pari deſcendentes, cum illis pectori inſervientibus, & ventris inferioris in ejus extrema parte, unde illis contractis, iſtis contractio etiam communicatur comprimens eodem modo vaſa ſanguiflua, ex quo pulſatio iſtorum, vel quia halitus bilioſi arteriis inteſtinorum immerſi, prævia excedente fermentatione, ſanguinem in eis effervefcere magis faciunt, unde pulſatio illa, ad quam ſibi connexas arterias trahunt, eo modo, quo arteria pulſans in regione ſubtus ventriculum, in gutture arterias eodem modo pulſare facit, & quando nullo exiſtente chylo in inteſtinis eadem experitur ſymptomata, tunc oriuntur ab effervefcentia bilis, & ſucci pancreatici, & calor tunc in ſiniſtro Hypocondrio excitatus, ſe extendens ad dexterum bilem ferociorem reddit, quæ ad ventriculum aſcendens memoratas ibi renovat Tragedias.

In nocte verò magis moleſtatur ab hac pulſatione, quia calor lecti effervefcentiam poteſt cauſare, & motum humorum magis promovere. Tali modo mihi magis placet hos affectus Hypocondriacos explicare, quàm per obſtructiones ſiccas, & terreas; nam magis probabile videtur calorem per dictam effervefcentiam excitari, quàm per dictas obſtructiones, quæ ſi omnimodam ſanguinis eventationem, ſeu circulationem impediunt, calorem augent quidem, ſed putredini originem fundant cum febre, vel inflammationi, & ſi circulationem non impediunt, in tali motu ſanguis eventatur, & caloris augmentum prohibetur.

Crepitum, quem ſentit in motu corporis inordinato, vel in contorſione ejuſdem irregulari, & violenta circa orificium ventriculi æmulantem pergamenæ contractionem, putarem non evenire à ſiccitate membranarum ventriculi, vel inteſtinorum, ſed potiùs à muſculis intercoſtalibus, quorum tendines eſſent indurati, à calore

à calore eis communicato à ſubjacente ventriculo, & ſua duritie, dum moventur motu indirecto crepitum edere, prout eſt proprium rei duræ, quod videtur confirmari ex eo, quod in longa, & ſuſtentata reſpiratione tales crepitus magis perſentiantur.

Nec mirum in hoc Patiente exiſtimandum eſt alvum eſſe obedientem, dum bilis fundendo, & diſſolvendo fœces indurari non permittit; Emaciatio, ejuſdem bilis eſt effectus ſanguinem ſalſo quodam inficiendo, ut nutritioni fit inutilis, & obſtructiones in Hypocondriis per tenſionem, & duritiem tactui ſe manifeſtantes à depravata ventriculi concoctione dependent, dum portio craſſa alimentorum mutationis in ſanguinem incapaci in inteſtinis à bile attenuata, ut per lactearum orificia ingredi poſſit, in venis paulatim cumulatur, quæ diviſæ particulæ fuerunt à bile ibi denuo uniuntur, & in unum craſſum degenerant, quod per venarum, vel extremitates arteriarum decurrendo impediente curſu craſſitie in eis fixatur, & moram trahendo obſtructionem facit.

Bilis à temperamento calido, & ſicco totius acrimoniam, & ſubtilitatem acquiſivit, & ab eodem etiam conſervatur, non obſtante victus ratione in omnibus optima ſervata, cui adjungenda eſt ætas juvenilis apta bilem cum talibus conditionibus diſponere, & in his conſiſtit illa ventriculi inflammatio, quàm Diocles in Hypocondriaca melancholia voluit, & quæ malè explicatur per calorem ab obſtructione vaſorum Meſenterii excitatum, quæ à ventriculi orificio inferiori diſtant, & etiam ob rationes ſuperiùs dictas, & ſi deobſtruentia huic morbo conducunt, ut Tartarea, & Chalybeata, hoc præſtant principaliter, quia acrimoniam humorum modificant, licèt obſtructiones tollant, quæ potiùs ſunt producta, quàm principia horum affectuum Hypocondriacorum.

Ex his manifeſtè evincitur, quòd bilis ſolùm volatilitas, & acrimonia ſit modificanda, cùm ea ſolùm ſit tot malorum mater non prætermiſſa evacuatione ejuſdem, & obſtructionum reſſeratione tamquam quid productum, ſed independens in ſui conſervatione à bile.

Pro purganda Bile, ℞. Mirabolan. citrin. ℨ. i. ß., Diagridii gr. vi. m. poſteà fixabitur ejus volatilitas, & acrimonia demulcebitur cum ſucco Plantaginis, Portulacæ an. ℥. i. ß., Aquæ Nenupharis, Violarum an. ℥. iii., præmittendo bolum ex Philon. perſico ad ℈. i. per xv. dies, & in horum principio extrahendus ſanguis ad ℥. vi., & omni tertio die purgandus patiens cum ſolo pulvere Mirabolan., vel cum Syrup. de Cicor. cum Rhaub. His terminatis per xx. dies habeat in uſu lac Aſininum deſtillatum, in quo infuſa fuerint Plantago, Portulaca, Burſa Paſtoris, Polygonum ad ℥. x. cum ſpirit. Salis dulcif. ℈. ß., Tincturæ vitriol., Martis aperit. ℈. i., quæ ſic paratur. ℞. Vitrioli Martis facti cum ſpiritu vini, Crem. tartari an. ℥. iv. coquantur in ℔. 3. aquæ fontis ſenſim agitando ad Mellis uſque craſſitiem, tunc adde ſpirit. vini ℔. iii., per digeſtionem totum ſolvitur, decantetur relictis fœcibus, & liquor remanens per abſtractionem aliquantiſper incraſſetur m., & per tot alios dies ſumat ſuccum hordei diſſolutum cum aqua Plantaginis unà cum ſequenti Pulvere. ℞. Antimonii diaph. gr. xvi., Vitriol. Martis gr. viii., Ocul. Cancr. ℨ. ß. m. fixabitur magis bilis, & virtus ventriculi corroborabitur ſequenti remedio. ℞. Auri foliati ℥. ß., Sacchari candidis ſp. ℥. ii. in marmore mortario cum piſtello ex porfidio indeſinenter per xv. dies terantur, poſteà diſſolvatur totum in aliqua aqua refrigerante ad ℔. ii., de hac ſumat ℥. ii. omni mane, ex tali præparatione aperitur aurum, & ſuum ſulphur fixum ſaccharo imprimit. Per diem Lambitivi modo ſumat Tincturam roſ. factam cum Sero Caprino deſtillato ad ℥. vi., addito Sale prunel. ad ℨ. i., Syrup. Coral. ℥. i., Diaſcordii ℨ. i. m., & per intervalla reiteret purgationem cum Mirabolanis, Balneoque dulcis aquæ utatur. Quodſi non cedant ſymptomata ad Acidulas confugiendum, vel S. Mauritii, vel Spadanas. Opiata etiam convenire putarem pro ultimo remedio. Victus ratio omnibus his correſpondeat.

CONSULTATIO LXII.

De affectu Hypocondriaco conjuncto cum melancholia, & Epileſia.

Civis temperamenti melancholici, habitus carnoſi, ætatis annorum circa quinquaginta, cum optimo appetitu ſemper donatus fuerit, crapulæ etiam multum indulſit, modò flatus ferè continuos in ventriculo ſentit, quos aliquando maxima cum difficultate expellit, languorem tunc temporis ab his in ventriculo patitur, qui toti communicatur, ut vix pedibus ſtare poſſit, cum imminente deliquio, vomitus quandoque materiæ aqueæ acidæ ſuccedunt, flatus etiam cum frequenti rugitu in inteſtinis perſentit, & ſæpè cum torminibus auctis, his adjungitur alui ſtipticitas, durities in regione lienis, & Hepatis, & in ſpatio intermedio tactu percipitur, continuo ferè timore afficitur, quodcumque enim inexpectatum ſuperveniens timorem ei incurit, à quacumque motione corporis, tam interna, quàm externa inſolita imminentem apprehendit mortem. Has timoris ideas concepit Patiens à replicatis inſomniis terrore, & horrore plenis, in quorum conſideratione adhuc fixus manet, in hoc ſtatu conſtitutus in Veris præteriti initio ſenſit anxietatem quamdam in ventriculo cum languore, & paſſione, quam exprimere neſcit, unà cum quodam frigiditatis ſenſu, eodem tempore percepit vaporem caput aſcendere cum turbatione, & offuſcatione mentis, cui ſtatim ſucceſſit caſus cum tremore, & concuſſione totius corporis, bis trium menſium ſpatio ſub hoc ſymptomate cecidit.

Tria ſymptomata hìc occurrunt conſideranda, quibus deſcripti Patientis ſanitas herculeo conatu oppugnatur. Primum eſt affectus Hypocondriacus pendens primò à fermento ventriculi acido ſalſo depravato per aciditatis augmentum, & volatilitatis ei debitæ diminutionem, utrumque vitium à declinante ſuſcepit ætate, in qua ſpiritu vitali balſamico, & animali dulcificante in quantitate diminuto, & in actione debilitato tollitur volatilitatis inſtrumentum, & aciditatis moderator.

His conditionibus depravato acido fermenti alimentorum concoctio labefactatur, non ſuccedente in his fermentatione neceſſaria ob deficientem in fermento volatilitatem ejus activitatem debilitantem, ultrà oppreſſionem, quam patitur talis fermenti activitas à nimia ciborum quantitate, quam in ætate juvenili, & in principio conſiſtentiæ concoquebat, & fermentabatur à fermento volatili, & ſpiritoſo, pro minus volatili verò, & aliquo modo fixo prædicta quantitas eſt improportionata ad ſuſcipiendam optimam fermentationem à virtute debilitata, imò hanc opprimendo magis debilitat, & hæc eſt ratio illius dicti, quòd ventriculus frigidus plus appetit, quàm concoquere poſſit, quia in ventriculo frigido fermentum acido-ſalſum majori pollet aciditate, unde major famis appetitus, at ſecundùm volatilitatem deficit ex defectu caloris, & ſpiritus, unde minus alimenta fermentantur cum concoctionis diminutione. Alterum vitium ſuſcipit alimentorum maſſa in ventriculo hujus Patientis ab acidi fermenti augmento, & eſt nimia aciditas, qua tota coinquinatur, & ad hujus incrementa conſpirant effluvia ſanguinis incluſi in vaſis per ſubſtantiam ventriculi, & vicinarum partium diſſeminatis, quæ inſpirata in maſſam alimentorum, aciditate contracta à ſanguine acido, quia melancholico, aciditatem à fermento alimentis impreſſam augent.

Ab his duobus vitiis diminutæ fermentationis alimentorum, & aciditatis nimiæ ſequitur alterum, nempè craſſities totius maſſæ chyloſæ, à qua flatus continuò elevantur, qui craſſitie à ſua minera contracta difficilem exitum inveniunt per orificium ſuperius ventriculi, ubi detenti plexum nervoſum iſtius comprimendo, itaut compreſſio pertingat uſque ad nervos cardiacos cum diminutione motus cordis ab hac univerſo corpori languor impartitur denegata ſanguinis copia, & ſpirituum toti, cum ab hac robur virium, & facultatum conſtantia proveniat, & quia aliquando fit collectio quædam materiæ in ventriculo, hæc ob moram contracta majori aciditate vellicat fibras carnoſas

noſas ventriculi, quæ ad contractionem pro vomitu neceſſariam determinantur.

In inteſtino duodeno hæc vitia non corriguntur, quia bilis ab acido mortificatur, ſed majori aciditate perfunditur à ſucco pancreatico ſummè acido ob rationem ſuperiùs dictam de fermento ventriculi, & quia materiam pro ſui elaboratione dictus ſuccus ſuſcipit à ſanguine acido, ſic chylus acidus, & craſſus in ſanguinem recipitur, & tota iſtius maſſa etiam tranſmutata in ſua craſſitie, & aciditate melancholica conſervatur, cujus portio detenta in vaſis Hypocondriorum capillaribus, & in eis Hepatis, & Lienis, & in iſtarum partium poroſitatibus, factæ fuerunt obſtructiones.

A reliquiis materiæ, quæ tamquam fœces maſſæ chyloſæ in inteſtinis remanent, materia flatibus ſubminiſtratur, qui ſunt copioſi, quia materia eſt multa, & viſcoſa, & inteſtinis adhærendo calorem partium adiacentium immota cum majori efficacia ſuſcipit pro ſui attenuatione in flatus, qui de aciditate participantes propria ſuæ minerae vellicando inteſtina dolorem faciunt, excitatum etiam ab illis exhalationibus elevatis ab illa effervefcentia, quamvis parva accenſa inter bilem, & ſuccum pancreaticum, & chylum, quæ acido perfuſæ eodem modo dolorem pariunt. Alui ſtipticitatem materia craſſa fœces inviſcando, & detinendo inducit, ſicuti flatus eorum motui impedimentum ponentes majori conſtipationi, & exſiccationi occaſionem præbent.

Secundum ſymptoma eſt melancholia, in timore ſine cauſa manifeſta expreſſa, non poſſum verò eam ſententiam comprobare aſſerentem eſſe hoc ſymptoma per conſenſum ab Hypocondriis; nam cauſam manifeſtam hujus hebemus, inſomnia nempè apta timorem incutere, & conſervare, niſi intellectus advertentia impreſſas corrigat ideas, conſiderando inſomnia eſſe falſas imagines, & inania ſpectra nihil veri, & ſolidi continentia, ſive fælicitates, ſive miſerias nobis repreſentent, ab hac enim advertentia obliterantur impreſſæ timoris ideæ, cùm autem hanc advertentiam non adhibuerit Patiens relicta fuit impreſſa timoris ſpecies, quam fovet, & conſervat continua ponderatione inſomniorum, ad quam ſicut ad defectum advertentiæ non video quomodo Hypocondriorum affectiones concurrant, quodſi Acidum in iſtis redundans pro cauſa hujus melancholiæ adducatur cùm poſſit ſuis facultatibus in illam influere, ut ab omnibus Recentioribus admittitur, majori cum veritate refundenda eſſet cauſa hujus melancholiæ in acidum ſanguinis ei naturale ratione temperamenti melancholici, cùm continua circulatione cerebrum facultatum animalium ſedem perluat, & materiam pro ſpirituum generatione ſubminiſtret, & Hypocondriorum fermenta ſuam aciditatem excedentem ab hoc mutuentur, & ita melancholia hæc potiùs dicenda per conſenſum à ſanguine, quàm ab Hypocondriis.

A quolibet motu inexpectato timorem concipit, quia cùm ſpiritus in temperamento melancholico, & ætate declinante ſint parvi, & debiles ob craſſitiem & conſiſtentiam ſanguinis non permittentem à ſe in copia elici, à motu inexpectato intra cerebrum per nervos ſenſuum externorum intromiſſo perturbantur, & in confuſionem adiguntur, eo modo, quo contingit in vera, & rationabili cauſa timoris, ideò in hoc etiam caſu timoris paſſio excitatur, & eò magis, cùm ex ſpirituum perturbatione, & confuſione cordi ſubtrahatur ſpirituum portio, cum ſui motus diminutione, à qua ſuccedit ſanguinis in ſuis ventriculis ſtagnatio, & coagulatio, ſicuti in juſto timore, hinc anima nullam adhibens advertentiam percipiendo motum, & affectionem cordis ſimilem affectionibus iſtius à vero timore ortis, concipit paſſionem timoris, in audacibus vero, & fortibus, quia Anima à præconceptis ideis, cum magna advertentia dedecoris, vilitatis, & infamiæ à timore provenientis contrà hanc paſſionem munita fuit, ſpiritus etiam turbatos, & confuſos ab inexpectata objecti terribillis, ardui, & periculoſi repreſentatione in ordinem revocat, ut naturali fluxu per totum diſcurrant timoris paſſionem extinguendo, & ſi opus ſit, vires ad objectum ſupradictum aggrediendum ſubminiſtrat, & omnem conatum inſpirat, ut repellatur; Conditio etiam ſpirituum ad fortitudinem, & audaciam facit; nam ſi ſint copioſi, & inter ſe optimè cohærentes, parum, vel nihil à quocumque etiam inexpectato terribili turbantur, & ita omnibus facultatibus integritas conſervatur, permanente in anima advertentia ad rectè agendum juxtà præconceptas ideas, & in toto corpore nulla contingit paſſio efficax ad imprimendam in anima ſpeciem, per quam poſſit alienari à præconceptis ideis, à quibus ante munita fuit. Ab his confirmationem validam ſuſcipiunt dicta ſuperiùs de timore, cùm hic excitetur modo contrario, quo excitatur fortitudo, & audacia.

A quolibet motu corporis inſolito timorem mortis apprehendit, quia hi percipiuntur conjuncti cum illo præjudicio concepti timoris ſemper permanentis ob fixam, & continuam conſiderationem præteritorum inſomniorum, & quia dicti motus corporis alterationem oſtendunt, hanc timor ad amiſſionem magni boni, qualis eſt vita dilatat.

Tertium ſymptoma eſt Epilepſia demonſtrata à caſu cum concuſſione, & motibus convulſivis totius, quæ verè eſt per conſenſum à partibus inferioribus, ut certò perſuadent præcedentes ventriculi affectiones, & perceptio aſcenſus vaporis ad caput, poſt quem immediatè ſequitur caſus. Talis ſymptomatis cauſa eſt materia ſubtilis, ſpiritoſa, acido-ſulphurea, irritativa, fermentativa ſpirituum animalium, tam in ſuo Emporio exiſtentium, quàm eorum totum ſyſtema nervoſum irradiantium; idcircò ex melancholia acida facilis eſt tranſitus in Epilepſiam, ſi huic partes aliquæ ſulphureæ adjungantur, & ſua craſſities volatilizetur, & hoc docuit Hipocrates lib. 6. Epid. textu 59. ſcribendo atra-bile (quæ ſulphuris, & acidi unione conflatur) vexati, morbo quoque comitiali corripi maxima ex parte conſueverunt, & morbo comitiali laborantes atra-bile divexari, & in ſuperioribus Conſultationibus de motibus convulſivis, & de Epilepſia hujus fundamentum, & ratio allata fuit.

Difficultas in hoc caſu eſt ſolùm in determinanda, & cognoſcenda parte à qua præparetur ſupradictus humor ſpiritoſus, & ſ[?]ſarum partium multitudo difficultatem auget, quid ſentiam in hac re difficili breviter exponam, relinquendo aliorum judicio de dicti veritate judicare.

Certum eſt materiam Epilepſiam facientem eſſe volatilem, & ſpiritoſam, & quia humorum maſſa in hoc Patiente eſt craſſa, neceſſe eſt, ut hæc præparetur in parte, quæ poſſit volatilizare, & in ſpiritum quemdam exaltare materiam craſſam aptam Epilepſiam efficere, pars obſtructa ad hæc efficienda eſt maximè idonea, cùm humor ſtagnando in ea calore illi inſito poſſit attenuari, & medio fermentationis, vel inductæ, vel auctæ ſummè volatilizari, coadiuvante hoc motu proprio particularum humoris ſtagnantis, & quia hic humor ex ſui natura eſt acidus, cùm habeamus temperamentum melancholicum, volatilizatus eamdem retinet qualitatem, & in actu fermentationis uniendo ſibi particulas ſulphureas in humore ſtagnante latentes, quæ facilè volatilitatem adipiſcuntur, in materiam acido-ſulphuream volatilem facillimè tranſit.

At cùm multæ ſint partes obſtructæ, Hepar, Meſenterium, & Lien, pro hac determinanda perpendo materiam præparatam in parte obſtructa, ventriculo, & ejus orificio ſuperiori communicari, ut patet ex Hiſtoria deſcripta, unde communicatio colligitur inter partem affectam, & Ventriculum, hujus communicatio per vaſa utrique parti communia, & per quæ connectantur ambæ partes, debet fieri, non per venas, quia venæ nullæ reperiuntur, quæ materiam ad ventriculum deferant, omnibus à ventriculo revehentibus, data ſanguinis circulatione, non per arterias, licèt in his obſtructis humor poſſit præparari modo ſupradicto, cùm certum ſit ad hoc, ut ventriculo communicetur hæc materia, debere hanc exire ab arteriis obſtructis, & per alias arterias ad ventriculum deferri, quòd eſt impoſſibile ſtante obſtructione firmata in capillaribus arteriis, ſi enim contingeret in magnis ramificationibus, vel inflammatio, vel febris accenderetur, & hæ cùm multùm materiæ contineant, multùm etiam de morboſa præpararent ſufficiente ad dies ſymptomata prolongare, quòd cùm non eveniat, neque in magnis ramifica-

catio-

cationibus obſtructionem adeſſe credendum eſt, qua aperta non datum eſt humori exeunti alias arterias ingredi, obſervatione oculari demonſtrante nullas arterias capillares cum aliis conjungi, itaut una alterius humorem recipiat contraria via aliunde deferendum, & circulatio ſanguinis docet humorem ab arteriis exeuntem, à venis, non ab aliis arteriis excipi: Remanet ergo ſolùm concludere talem materiam morboſam per nervos ad ventriculum tranſire, & ita Meſenterium, & Lien habere ſolùm poſſunt partem in hoc ſymptomate cum harum partium nervi communionem proximam ſervent cum illis orificii ſuperioris ventriculi, quàm non habent illi Hepatis, & ab his duabus partibus ſolùm poteſt pendere prædictum ſymptoma, probabilitas tamen magis ſe tenet ex parte lienis, cum acido ſulphuream materiam præparare magis ſit idoneus, quàm glandulæ Meſenterii, & plexus nervorum hujus (cum hæ ſolum partes poſſint eſſe ſedes Epilepſiæ, de qua agimus, juxtà dicta ſuperiùs, cùm hæ ſolùm conſtent ex nervis, vel nervos in ſe recipiant) qui materiam ſulphuream nec exigunt, nec naturæ decreto recipere debent: nam glandulæ ad lympham acidam generandam, quæ non eſt niſi ſerum, ſunt deſtinatæ, plexus nervoſus ſolum ſuccum nerveum, minimè ſulpureum, quia alkalicum in ſe colligit. Lien verò à ſanguine in eo ſtagnante continente particulas acidas, & ſulphureas facillimè humorem cum his qualitatibus præparare poteſt; ſed quod magis me movet ad credendum Meſenterii partes nullam partem habere in hoc affectu eſt, quòd nullus motus ſentitur in hac regione ante inſultum paroxiſmi, qui certè deberet ſentiri; nam ſi materia recepta in nervis hujus partis, & translata ad illos ventriculi hos afficit, deberet etiam afficere illos menſenterii, quòd cum non faciat materiam etiam Epilepſiæ in hac parte nec generari, nec per ejus nervos ventriculo, & cerebro communicari nec eſt probabile, nec obſtat hos motus non ſentiri in liene, quia affectio nervorum lienis non eſt adeò ſenſibilis, ſicuti illa nervorum meſenterii ob ſuæ mollitiem ſubſtantiæ ſenſus incapacis, & laxitatem, quæ in nervorum motibus cedendo, illoſque faciliter ſequendo diſtractiones iſtorum, nec ſenſibiles, nec doloroſas reddit, è contra nervi meſenterii, cùm ſint membranis ſenſitivis infixi, & iſtæ motibus nervorum magis reſiſtant, non niſi cum violentia ab his diſtractiones patiuntur, & ideò magis ſenſibiles.

Stabilita ſede præparationis materiæ, modus agendi ex dictis etiam colligitur; nam præparata materia acido-ſulphurea in liene à ſanguine ibi ſtagnante, & potius a propria iſtius fermentatione, quàm à ſpecifico lienis fermento à materia obſtruente oppreſſo ab extremitatibus nervorum exugitur portio ejus volatilis, & ſubtilior, & per ramificationes conjunctas cum plexu nervoſo orificii ſuperioris ventriculi, ad hunc delata ibi paſſiones enarratas facit, nam aciditate frigiditatis ſenſum, & anxietatem vellicatione parit, per hunc plexum ad cerebrum perveniens ſpiritibus tam in hujus meditullio, quàm in emporio propè medullam oblongatam communicata epilepſiam facit modo loco citato explicato.

Indicationes curativæ ex dictis reſultantes ſunt obſtructiones tollendi acidum tam ventriculi, quàm Pancreatis, & ſanguinis modificandi, & Epileptico ſymptomati per ſpecifica ſubveniendi, harum indicationum executio erit difficilis ob humorem melancholicum morbos contumaces reddentem, & ob multiplices partes malè affectas.

Et quia jam factæ ſunt Purgationes univerſales ad obſtructiones tollendas, vires dirigere debemus ſequentibus Pilul. ℞. Croci Martis aperitivi ℈. 1. Salis tart. volat. ℈. ß. Sal. fulig. gr. v. Mercur. dulcif. gr. xv. Extracti ellebori nigri ℈. 1. m. cum ſyrup. de pomis f. b. ſuperbibendo poſt horam Jus decoctionis rad. Ari, Hirundinariæ, rubiæ tinct. Fraxini, Cetrach. Aſparag. per quadraginta dies in hoc remedio inſiſtendum, quod obſtructiones reſerabit, & acidum emendabit, ſi datum erit has minuere, ad decoctum Ligni ſancti, Viſciquercini, Corylini, Salſæ, cum aperitivis, & ſudorificis, & capitalibus deveniendum, quòd erit maximè opportunum pro melancholica cachexia extirpanda, & pro Epilepſia, & magis proficuum erit, ſi ſudores excitentur, in omni enim cachexia diaproretica, & decocta ad formam prædictam parata omnia alia remedia antecellere puto; Poſt decoctum dulcificandus ſanguis cum lacte deſtillato ad ℔. 5. omni mane cum ℥. ß. tincturæ Antimonii, pro Epilepſia videantur citatæ Conſultationes; nam meliora remedia non habeo eis ibi deſcriptis. Utatur per duas vices in hebdomada Syrupo Ellebori cum optimo victu.

CONSULTATIO LXIII.

De Melancholia Hypocondriaca, cùm variis ſymptomatibus ventriculi, cordis, & inteſtinorum.

Religioſus temperamenti aduſti, tetri coloris, & habitus corporis mediocris, ætatis annorum ſupra quadraginta ventriculi imbecillitatem per annos decem tranſactos paſſus eſt cum anxietate à cibo, reſpirandi difficultate, aurium tintinitu, cordis oppreſſione, ut deliquium animi immineret, anno præterito macies corporis cœpit cognoſci, & dolores ventris quotidie Patientem moleſtabant poſt ſeptem, vel octo horas à cibo cum magno æſtu in Hypocondriis, & ventris intumeſcentia, horumque moleſtia per totam noctem perdurabat, ut eam inſomnis traduceret, his adjuncta fuit mentis confuſio, in agendis ſuis rebus perplexitas, timor, & mæror continuus, cùm fixa imaginatione ſe graviter puniendum eſſe à ſuis Superioribus, quamvis nullos commiſerit errores, lacrymas ſæpè effundit cum ſuſpiriis, & ejulatu, macies fit quotidie major, & hæc in ventre magis obſervatur, dum in hoc nulla adeſt eminentia, ſed cavitas quædam obſervatur, & durities in regione lienis, & Hepatis.

Timor, & mæror continuus cum fixa imaginatione deſcripta hunc Patientem melancholia morboſa moleſtari ad evidentiam oſtendunt, & Hypocondriorum præternaturalis affectio declarat ſe huic morbo fundamenta poſuiſſe, itaut melancholia prædicta ſit per conſenſum à prædictis partibus, quomodo verò id factum fuerit, & alia emerſerint ſymptomata inveſtigandum.

Macies totum corpus occupans depravatæ ſanguinis craſis indicium nobis offert, per quam ad nutrienda membra inhabilitatem acquirit, depravationis hujus ſpeciem aperit temperamenti conditio aduſta à ſanguine fervido, & acri pendens, quibus qualitatibus auctis nutritionis privilegio privatur, cùm juxtà commune Axioma dulci nutriamur. Fervorem contrahit ſanguis ab efferveſcentia mediocritatem excedente intra naturæ limites, à qua aduſtionem etiam patitur colligentem multas particulas ſulphureas aduſtas, & ſalinas, & acidas, quòd contingit etiam in aduſtionibus artificialibus, cum dicta efferveſcentia copioſa humidi evaporatio conjungitur, & craſſities hanc tamquam famula ſequitur. Aucta fuit acrimonia ſanguinis in emaciationis initio per collectionem majoris copiæ partium ſalinarum, interdicta iſtis excretione à craſſitie ſanguinis cum cæteris particulis eas firmiter colligante, vel ab improportione ſuæ figuræ non correſpondentis poroſitatibus earum partium, per quas purgatio eſt conſueta, & determinata.

Ab hac ſanguinis determinata craſi, & conſtitutione deſcripta emerſere ſymptomata; nam ſanguine materiam ſubminiſtrante ventriculo pro ſui fermenti elaboratione, hæc fervore, & acrimonia ſupradicta infecta iſtius naturam alteravit, & actionem vitiavit ſuis particulis talem acrimoniam, & motum imprimendo, ut diſſolutionem, & fermentationem nullis naturæ legibus rectam in alimentorum maſſa inducere ſufficiant, per quam alimenta non corrumpuntur, ſed maſſa chyloſa ab iſtis reſultans in ſuis qualitatibus vitiatur, & fermentatione indebita alimentorum, exaltato nimis iſtorum ſulphure, & ſale medio ſui fluore, cum tali dominio ſuper alias particulas, ut renuent cum iſtis rectè miſceri, & augmento ſuæ activitatis, & virtutis (dum ab aliis non moderantur) tota maſſa ſupradicta indebitis afficitur qualitatibus non convenientibus optimæ alimentorum præparationi exigenti perfectam unionem omnium parti-

particularum maſſam chyloſam componentium, & attemperationem ſalis, & ſulphuris in ſuis facultatibus, & virtutibus, à quibus illi conciliatur virtus, ut ita dicam balſamica humanæ naturæ conſervativa, è contrà prædominante ſulphure, & ſale cum fluore in maſſa ſupradicta, hæc acredine coinquinatur incrementum ſuſcipiente à fermento acri, & à ſero forſan tempore fermentationis ciborum in ventriculum ab arteriis expreſſo.

Tali pacto à ſanguine acri, & fervido vitiatur alimentorum concoctio ſymptomata anxietatis inferens, dum alimenta ſua acredine tali vellicante ſunt moleſta ventriculo, ut triſtitiam inducant, & talem inquietudinem, per quam loco ſtare neſcit Patiens, in hac vellicatione affecti etiam nervi cardiaci ità contrahuntur, ut ſanguis in iſtius ventriculis ſtagnet cum oppreſſione ſenſibili ſuæ ſubſtantiæ, & à tali motu magis debilitato animi deliquium ſuccedit; tintinitus aurium, & difficultas reſpirandi pendet à fermentatione indebita vapores elevante, à qua pulmones opprimuntur, & aer auribus implantatus agitatur, & hæc indebita fermentatio non pervenit ratione debilitatis ventriculi, ſed ratione depravati fermenti, quamvis ſub hac conditione poſſet dici ventriculus debilis, cùm ei deficiat requiſitum ad concoctionem perfectam alimentorum, non poſſet verè dici debilis ratione deficientiæ caloris, dum à ſanguine fervido calor conſervatur, & cum aliquo exceſſu ſuppetias ferente diſſolutioni, & fermentationi indebitæ alimentorum.

Ax quo colligo calorem circa ventriculum, & præcipuè circa ejus orificium inferius non ab obſtructionibus pendere, ſed à ſanguine fervido intra vaſa per illius ſubſtantiam diſſeminata contento, per quæ tardè circulando ob craſſitiem ab aduſtione contractam ex mora concipit facilitatem ſuum calorem dictæ parti imprimendi cum aliqua intenſione.

Ab eadem ſanguinis aduſti depravatione ſequitur bilem, & ſuccum pancreaticum è ſuis viſceribus emanantem acredine, & aciditate majori naturali contaminari; quapropter effervescentia inter hos excitata, dum miſcentur, ferocior evadit, maximè quando adveniens chylus à ventriculo ab iſtis humoribus in ſocietatem admittitur, cùm ſua acredine valeat utriuſque actionem intendere pro validiori pugna, in qua fumi, & exhalationes ſurgunt de acredine, & calore ſui ſubjecti participantes, quæ ultrà æſtum ab eis accenſum in dicta regione à particulis calidis, & ſpiritoſis expirantibus in hac effervescentia, membranis meſenterii, & ſuis nervoſis ramificationibus impreſſæ utraſque corroſione velut lacerant cum doloris cruciatu, agitante non ſolùm ſpiritus animales in his partibus contentos, ſed etiam eos in cerebri emporio commorantes agitatione primis impreſſa, dum ſpiritus agitatus in meſenterio movet ſpiritus nervorum vicinarum partium, & ita per partem poſt partem illa agitatio communicatur ſpiritibus cerebri, ut continuò ſpiritus ad organa ſenſuum externorum ferantur cum vigilia continua, & ſomni prohibitione. In hac corroſione contrahuntur fibræ nervoſæ, & membranoſæ, & in contractione elevant totum ventrem, unde iſtius intumeſcentia, & arteriarum compreſſio cogens has exprimere à ſuis cavitatibus in meſenterii membranas majorem copiam ſeroſitatis acris, à qua dolor magis augetur. Expirantibus poſteà hiſce exhalationibus dolor ſedatur, & expirant, quia ceſſat illa immoderata, & ferox effervescentia, cùm chylo, ſucco pancreatico, & bile, quæ per tempus adeò longum perdurat, quia per contractionem nervorum, & membranarum etiam inteſtinorum motus periſtalticus minuitur, & ita chylus diu in inteſtinis moratur durationi longæ illius effervescentiæ contribuendo.

Et ne hæc fantaſticè gratiſque dicta videantur reflectat Lector ad æſtum illum in Hypocondriis, & ex conſideratione, quòd in noſtro corpore æſtus ab effervescentia, & hæc ab æſtu numquam diſiungatur, videbit neceſſitatem fatendi æſtum illum ab aliqua effervescentia pendere, & ſi ulterius perpendat hanc effervescentiam contingere eo tempore, in quo chylus moratur in inteſtinis, & hunc indigere effervescentia ad hoc, ut deponat ſuas fœces, & puritatem pro ſanguine conficiendo nanciſcatur, cùm non poſſit fieri talis depoſitio ſine motu particularum maſſæ chyloſæ, qui motus effervescentiam eſſentialiter includit; coactus etiam erit concedere prædictum æſtum pendere ab effervescentia chyli in inteſtinis, quæ ei ab extrinſeco advenit ob admixtionem fermenti validi activi, quòd non eſt niſi bilis, & ſuccus pancreaticus, quos humores chylo miſceri voluit provida, & ſemper ſapiens natura, non ut chylus coinquinaretur, quia non eſſet nec provida, nec ſapiens, ſed ut depuraretur, ad quòd cùm non poſſit pervenire niſi per effervescentiam, altera neceſſitas inſurgit admittendi ex admixtione ſucci pancreatici, & bilis cùm chyloſa maſſa, in hac effervescentiam excitari in ſuo motu majorem, vel minorem, prout iſtorum qualitates ſunt magis, vel minus activæ.

Nec poteſt dici à chylo in meſeraicis introducto effervescentiam ſanguini in eis exiſtenti immoderatam conciliari, quia chylus hanc non tenet viam, & ſi ſuis vaporibus communicatis prædicto ſanguini poſſet hanc influere, quam effervescentiam non inducent in maſſa chyloſa hi vapores, & partes ſubtiliores antequam exitum ab ea inveniant? & quam non conſervabunt illæ in dicta maſſa relictæ, & quibus libertas ab aliis particulis interdicitur? aſſerere obſtructiones eſſe in viis chyli, & hujus tranſitum impedire, & ex mora effervescere, & æſtum efficere eſt ratio nullius valoris, quia ſi obſtructio eſt totalis, & firma, neceſſe eſt, ut vaſa diſrumpantur, unde Hydrops, ſi eſt ſemiobſtructio, numquam poteſt fieri effervescentia inordinata, quia partes ſubtiliores à mora exaltatæ per ſemiobſtructam viam apertam facillimè tranſeunt, & ſubſtantiam, à qua diſcedunt in quiete relinquunt cùm inordinatam effervescentiam ſolùm ab his poſſet experiri, ſi miſcerentur ratione ſuæ ſubtilitatis, ſui motus perturbati, & violenti: & hoc confirmatum manet ab acceptatiſſimo illo Axiomate in Schola Galenica, ab obſtructione putredinem fieri prohibita humorum eventatione, in hoc caſu ſemiobſtructionis ventilantur humores per expirationem, & curſum liberum partis ſubtilioris, & vaporoſæ conſequenter, non poteſt ab hac fieri putredo, & ego addo neque effervescentiam inordinatam, quia hæc præcedit putredinem, & hæc illam neceſſariò ſequitur.

Cætera ſymptomata tàmquam à radice pullulant ab eadem ſanguinis conſtitutione, & craſi, cum craſſitie, acredine, & fervore, & ab æſtu Hypocondriorum pendente ab effervescentia bilis, & ſucci pancreatici dum ab hoc non ſolùm incraſſatur ſanguis in aliquibus vaſis, unde obſtructio iſtorum, ſed ſanguis aliorum vaſorum ita excaleſcit, ut copioſas evaporationes craſſas nebuloſas à ſe emittat, quæ unitæ cùm aliis, de quibus mox, explicanda pariunt ſymptomata, pariter dum ſanguis per membranas cerebri copiosè circulatur à copia aucto calore ipſius ſanguinis, copioſis effluxibus vaporoſis via aperitur, à quibus unà cum eis elevatis ab Hypocondriis mixtis cum ſpiritu animali, iſtorum puritas, & lucíditas obtenebratur, & tenuitas incraſſatur, cùm dicti vapores, & effluxus craſſitiem, & opacitatem ſubſtantiæ ſanguineæ, quàm ab aduſtione craſſam diximus, retineant, quomodo etiam ſecum trahunt acredinem propriam dictæ ſubſtantiæ, qua ſpiritus poſſunt irritari, & in motus inordinatos impelli, omne enim extraneum, & maſſæ ſanguineæ, & ſpiritoſæ, eſt efficax, ad ſtabiliendam occaſionem, per quam motus in iſtis excitentur inordinati.

Hoc modo ſpiritus animales depravati in opacitate, craſſitie, & motu irregulari, motus quos recipiunt ab objectis externis alterant, vel craſſitie diminuendo, vel irregulari motione augendo, itaut à ſenſu communi cui motus objectorum cùm dicta alteratione repreſentantur, horum natura niſi confusè percipiatur: Sic ſi fibra cerebri verſus organum ſenſus communis moveatur ad repreſentandum aliquod objectum, quod facit media modificatione, quàm recipit à motu dicti organi in illam, quando illud motum fuit ab objecto externo, vel à nervis motis ab iſto, per talem enim modificationem fibra habet ſe movere verſus organum ſupradictum cùm tali motu omninò ſimili illo, quem ſenſus communis recepit ab objecto externo, & ſicuti per iſtum ſenſus communis percepit omninò naturam objecti externi, ita etiam per illum fibræ modificatæ, ejuſdem objecti naturam

turam de novo percipit, & ita dicitur fibram ſuo motu repreſentare objectum, & ſi à ſpiritu intermedio inter fibram, & organum ſenſus communis alteretur ejus motus modo ſupradicto, tunc confusè percipietur objectum à ſenſu communi, quod etiam poteſt contingere ſi ſpiritus impingendo in unam, vel plures fibras ſua craſſitie, & motu alterato, modificationem in fibra alteret, ex tali enim alteratione non poteſt amplius diſtinctè objectum ſenſui communi repreſentare., his de cauſis oritur confuſio in operibus hujus Patientis, & ex confuſione perplexitas.

Fixa imaginatio de punitione accipienda à ſuis ſuperioribus facta fuit, dum hanc accidentaliter concipiendo fixit ſe in conſideratione hujus punitionis accipiendæ, & continuis actibus reflexis moto organo ſenſus communis verſus aliquam fibram cerebri, ita ab hujus motu modificata remanſit, ut ſi hæc impellatur in dictum, tali modificatione valeat in eo motum talem imprimere repreſentativum ſupradictæ punitionis, cùm verò omne malum timeamus, & fugere curemus, hinc eſt, quòd ſemper imaginatione tendimus in hujus mali conſiderationem, niſi adhibeatur advertentia, qua quandoque à tali timore, & triſti hujus rei perceptione ſublevamur, quæ cùm defecerit in hoc Patiente factum eſt, ut continuò ſpiritus in dictam fibram à percepto timore impellantur, quæ mota verſus organum ſenſus communis modificatione ſupradicta, ad hujus punitionis perceptionem determinatur, & quia à continuo fluxu ſpirituum verſus fibram dilatata eſt via, per quam ad illam tendunt, hinc eſt quod anima etiam à dicto timore non affecta, ſpiritus ad dictam fibram fluunt, cum efficientia eorum circa eam, & ſenſum communem ſuperiùs explicatorum, & ratione hujus facilitatis fluxus ſpirituum ad dictam fibram adhibita etiam quacumque advertentia non poteſt tolli illa imaginatio.

Timor & mæror à vaporibus craſſis quos diximus à ſanguine exhalare per cerebri membranas circulante ſui cauſam agnoſcit, craſſitie enim vaporum & ſpirituum, orificia nervorum impediuntur pro aliqua parte, ut ſpiritibus expeditus fluxus ad partes non permittatur, cor debito horum ſubſidio defraudatum parum movetur, eo modo, quo ei contingit in paſſione timoris, & quia talis motus, & paſſio cordis nervorum reflectitur in organum ſenſus communis, hic percipiens hos motus eſſe ſimiles eis, à præſentia alicujus mali excitatis timorem, & mærorem concipit.

De hoc, natura eſſentia timoris nos certos facit, quæ conſiſtit in depreſſione, vel contractione animæ ſenſitivæ, hoc eſt ſpirituum corporeorum ob opinionem, vel certitudinem mali præſentis; In hac depreſſione ſpirituum, horum debita quantitas non ſubminiſtratur partibus, unde dicitur Anima ſenſitiva decurtari, quod idem eſt, ac ſpiritus animales minui, ſicuti in lætitia, & gaudio dicitur dilatari, quia ſpiritus animales in ea expanduntur. Dum ergo à vaporibus fit iſta ſpirituum depreſſio & contractio; anima ex innatis ideis noſcens eſſentiam timoris eſſe ſpirituum animalium depreſſionem, & contractionem paſſionem timoris in hoc caſu percipit, à timore mæror ſtatim proficiſcitur, & hæ paſſiones dicuntur morboſæ, quia adveniunt ſine cauſa extrinſeca, & ſine reali objecti mali præſentia.

Ab eiſdem vaporibus ſpiritus animales depravantibus retentis in cerebri meditullio, & membranis, iſtæ unà cum cerebri ſubſtantia tenduntur, & ex tali tenſione exprimuntur in copia humores ſeroſi in ventriculos cerebri, qui ex his in proceſſus papillares, & os cribriforme transferuntur, & quia copia humoris, vel aliqua pars iſtius craſſa impedimentum ſibi ponit pro exitu libero per has partes, ſeroſior, & tenuior per anguſta foramina lateralia lacrymalia viam inveniendo, in oculorum angulos majores erumpit, cum lacrymarum effluxu. Hanc viam tenere humores per lacrymas effluentes confirmatur ex hoc, quòd qui lacrymantur, per nares copiam ſeri, & humoris etiam craſſioris effundunt.

In ſupradicta tenſione cerebri, & membranarum ſuccedit poroſitates cerebri, & nervorum orificia magis conſtringi, cum parvo fluxu ſpirituum ad partes ſpiritales, & diminuto motu pulmonum, diaphragmatis, & muſculorum intercoſtalium, quapropter reſpiratio læditur cum moleſtia patientis, à qua ſublevari intendens maximo cum conatu dictas partes movere contendit, ut dilatatam reſpirationem obtineat, & in hoc conatu, & valida diaphragmatis depreſſione ejulatum emittit.

Ab his clarè deducitur pro curatione ſanguinis maſſam eſſe refrigerandam, & edulcorandam, bilem & ſuccum pancreaticum eſſe modificandum, Hypocondriorumque æſtum ſedandum, obſtructioneſque reſerandas, & maciem auferendam, at hæc executionem prædictorum vanam fore prænunciat, non eſt deſperandus tamen Æger.

Facta Purgatione univerſali cum expiatione primarum viarum, & ſanguinis miſſione à brachio, & venis hemorroydalibus exhibendi per quindecim dies ſucci Malvarum, Endiviæ, Boraginis ad ℥. I. pro quolibet, in ℥. x. Decoctionis Violarum, Nenupharis, Graminis, poſteà purgetur cum Electuario Diaſebeſten ad ℥. I. his ſuccedat ſerum Caprinum cum ſucco Pomorum Apiorum, & Tinctura chalybis, & Antimonii an. ʒ. ß. per dies viginti, reiterato omni ſeptimo die ſupradicto Electuario Diaſebeſten in præſcripta quantitate. His peractis laudo Aquam Boraginis ad ℥. viii. cum gutt. vi. vel viii. olei Macis, & ſal. tartari volatilis ℈. ß. & Cinnabr. antim. ℈. I. vel addito liquore auri deſcripto in ſuperior. Conſult. & in hoc remedio inſiſtat per quadraginta dies. Ultimo loco ad uſum reducatur lac Aſininum more ſolito, & in quantitate proportionata ventriculo Patientis per dies quadraginta, vel per duos menſes toto hoc tempore purgationis utatur Decoctione longa hordei, rad. Graminis, & Malvarum, & pro qualibet libra adde ſalis nitri per tres vices liquefacti, & per totidem in aqua frigida extincti ad ʒ. I. & de hac bibat pro libito. Abdomini continuò epithema imponatur ex ſucco Cicor. Malvarum, vel illud inungatur Unguento Malvino: In caloribus æſtivis Patiens exerceat Balneum aquæ dulcis, ſi verò non poſſit hæc Purgatio longa tota ſimul perfici ad futurum autumnum deferat uſum aquæ Boraginis cum oleo Macis, & ſale tartari volatili.

Victus ratio ſit optima, & refrigerans, Vinum omninò fugiat.

CONSULTATIO LXIV.

De affectu Hypocondriaco cum tremore totius.

Religioſus temperamenti calidi, & humidi, ætatis annorum quadraginta quinque, ſtudio addictus, continua Hypocondriorum excandeſcentia æſtuans, cum rugitu in inteſtinis, obſtructione ex parte lienis, ubi adeſt durities quædam verſus coſtas mendoſas, tetris phantaſmatibus moleſtatur, & præcipuè ſcrupulis, tam anteactæ vitæ ſæcularis, quàm rerum quotidie agendarum excruciatur, quamvis ſit Theologus inſignis; huic ſupervenit tremor levis totius corporis, qui paulatim excreſcens, modò eſt magnus; Podagricis fluxionibus eſt obnoxius, operationes mentis liberas habet, cùm optimo diſcurſu, color faciei eſt optimus, habitus corporis pinguis ad mediocritatem; & appetitus ſemper vegetus, unde multùm comedit., & de ventriculo nullas umquam habuit querelas præterquam de ſiti.

Bilem in hoc Religioſo Patiente ſpiritu, & ſulphure nimis feracem, æſtus Hypocondriorum nobis manifeſtum facit, excitatus ab efferveſcentia bilis, cum ſucco pancreatico, qua particulis ſulphureis quibus ſcatet, libertas conceditur & caliditate, qua inſigniuntur, circumſtantes partes calefaciunt, & ſolutis ab eadem efferveſcentia particulis ſalinis volatilibus ventriculo, palatoque infixis ſitis exſurgit.

Ab hoc æſtu, & caloris exceſſu percuſſus ſanguis in exilibus vaſis circumaſtantium partium Meſenterii, & lienis craſſitiem acquirit, cùm à calore eam facilè excipiat humido evaporato, unde obſtructiones in dictis partibus, quæ gigni etiam potuerunt, ex eo quod à dicto æſtu accelerato exitu alimentorum in ventriculo pars cruda, & inconcocta rapta fuit, cum volatili magis cocta, & illa à bile attenuata, & in minimas particulas diviſa in inteſtinis ſubivit lactearum orifi-

orificia, ſed in maſſa ſanguinea rurſus particulæ illæ diviſæ ſimul coeuntes humorem craſſum denuò conſtituerunt, à quo dictæ obſtructiones, & præter aſſationem ſanguinis dictus æſtus, lienis ſubſtantiam calefaciendo illius fermentum acido-ſalſum nimis exaltavit ad acrem naturam ducendo, prout moris eſt caloris omnes ſales acres reddere, quo ſanguis etiam circulans acrior redditus, & hujus ſpiritoſa portio per nervos lieni implantatos attracta, ſpiritibuſque animalibus commixta ſicuti ingenii vigorem, & acumen, in quantum à ſpiritibus pendet conſervat in hoc patiente, ita excedens inordinationem quandoque in his inducendo ratione ſuæ acrimoniæ, & motus, phantaſmata perturbat, ſine rationis læſione, ob animæ rationalis advertentiam, quà corrigit Phantaſmatum inordinatorum repreſentationes, præterquam in ſcrupulis, quibus exui non poteſt, quamvis ſapiens in moralibus: nam anima rationalis concipiens ex una parte ſummum, & æternum bonum, illudque exiſtimans, prout eſt in ſe, & ex altera parte ad proprios reflectens defectus, & ad facilitatem illud amittendi, in omnium circumſtantiarum conſideratione confunditur, modò ex una reflexione unum judicium formando, & ex alia huic contrarium inferendo, unde ſcrupuli; Et licèt ſapiens hos extirpare nequit ſuo diffiſus judicio; & quia in circumſtantiatum varietate, & reflexorum multitudine confunditur, veritatem ad tantæ moleſtiæ levamen invenire nequit. Perſeverationis cauſa in his ſcrupulis, & imaginationibus eſt eadem explicata Conſult. ſuper.

A fermento hoc lienis naturaliter ſanguinis rarefactivo (cùm pateat liene obſtructo, & fermento ejus ſuppreſſo ſanguinem incraſſari, & Cachochimiam fieri) per exaltationem majorem facto diſſolutivo maſſæ ſanguineæ, hæc in copioſam abit ſeroſitatem, præcipuè cum auxilio fermenti bilioſi, chylum nimis attenuantis, tranſlata hac conditione ſecum, quando in ſanguinem tranſit, itaut ab eo ſanguis tenuis generetur ſeroſitatis copiam ſecum coniungens, ad quod concurrit etiam ſubſtantia ſalſa reſultans ex bile, & ſucco pancreatico, modo multoties repetito, unde non mirum, quòd ſanguis ſummè attenuatus in copioſam abeat ſeroſitatem, quam deponit in cerebro, unà cum materia requiſita pro confectione ſucci nervoſi, & hoc non ſolùm, quia ſeri quantitas à reliquis partibus per dictam diſſolutionem eſt ſeparata, ſed etiam quia ſanguis ab arteriis in corticalem cerebri ſubſtantiam exundans, ibi parùm concreſcens ſine fluiditatis amiſſione arterioſum ſerum abundantius exprimit ſui condenſatione, hinc multum etiam ſeri à confectione ſucci nervoſi reſiduum, quòd per ſubſtantiam nervorum diſperſum eam laxam reddit, & acrimonia acquiſita non ſolùm à diſſolutione ſalium diverſi generis totius maſſæ ſanguineæ, ſed etiam à fermento lienis, bilis, & ſucci pancreatici effervеſcentia parato, nervorum membranas irritando tremorem efficit; per irritamentum enim movetur pars ad illius excuſſionem, & à ſua laxitate impedita, ne ad majorem motum extendatur, decidit, & ſic contremiſcit, quamvis non ſit improbabile hunc tremorem oriri ab inordinato, continuo, & cum impetu facto ſpirituum motu ad nervos, cujus vi pars aliquo modo movetur, ſed voluntate non coadiuvante, non perficitur, nec motus ſpirituum in ſuo eſſe continuatur, unde pars ſuo pondere decidit, & renovatur motus partis à concurſu ſpirituum cum ſupradicta motus conditione, & ſic tremor fit continuus, hanc inordinationem ſpiritibus nervorum infert, tam acidum acre per nervos ad cerebrum delatum, quòd ſicut quandoque inordinationes parit in ſpiritibus inſervientibus operationibus animæ rationalis, ita poteſt parere ſimilem inordinationem in ſpiritibus animæ moventi deſtinatis, quàm à vaporibus per continuum æſtum Hypocondriorum ad cerebrum continuò elevatis, eo modo, quo iſti poſſunt etiam inordinatos reddere ſpiritus imaginationi ſervientes. In hoc caſu poſſet locum habere ſententia Vvarthoni de glandulis, nempè quod arteriæ bilioſum acidum-ſalſum humorem in glandulis Meſenterii deponerent, quem cumulatum à prædictis cauſis, & hunc à nervis cum ſucco nutritio exuctum ad cerebri emporium deferri, & in nervorum principiis depoſitatum Tragædias ſupradictas modo explicato efficere.

Pro curatione ergo talis affectus bilis minoranda, & ejus acrimonia, & volatilitas modificanda, æſtus extinguendus, Hypocondriorum obſtructiones reſerandæ, & humiditas ſeroſa diſſolvenda, nervique corroborandi, ſanguiſque totus dulcificandus, optimæque indoli reſtituendus, quibus ordo ſpiritibus utrique facultati inſervientibus conciliabitur.

In his conſequendis maximam video difficultatem ratione affectus inveterati, & contumacis, & etiam ratione contraindicantium; nam nervorum affectus volatilia exigit, quæ bilem magis volatilem reddere poſſunt, obſtructio acria, quæ bilis acrimoniam augebunt, vel acida incidentia, quæ hujus in atræ degenerationem promovere valebunt; Fixantia bilem frænabunt, ſed obſtructioni nocebunt, huic tamen incumbendum totis viribus eſſe cenſeo acrimoniam nempè, & volatilitatem modificando, quibus obtentis facilior ad alios affectus ſuperandos via parabitur.

Purgabitur bilis, primò cum Caſſia, Pulpa tamarind. an. ℥. ß. poſteà ſuccus Endiviæ depuratus, & Portulacæ an. ℥. I. ß. exhibeatur, cum aquis Boraginis, & Plantaginis an. ℥. iii. & ʒ. I. Salis prunellæ optimè rectificati, tranſacto ſeptimo die ab his alterantibus reiterabitur purgatio eodem medicamento, facta priùs miſſione ſanguinis in diebus antecedentibus, poſteà Aqua Nocera per ſeptem dies dejectoria cum additione Syrup. roſ. ſol. Aurei ſumatur, quibus peractis ſequens medicamentum ſumat ℞. Tincturæ roſ. ℥. ii Specier. trium ſantal. eodem modo parat. ℥. I. liquoris Coral. rub. præp. eodem pariter modo, quo diximus de Auro Conſult. ſuper. 54. ℥. ß. Seri Caprini ℔. ß. m. præmittendo bolum ex Confect. Hyacinth. s. o. ʒ. ß. Croci martis adſtring. gr. viii. Salis ſaturni gr. vi. Antimonii diaph. gr. x. m. continuet in his per menſem, poſt quinque horas à prandio ſumat omni die Emulſionem ſemin. melon. extractam cum aqua florum papav. errat. poſteà ad deobſtruentia deveniendum, quæ tamen non ſint volatilia valida, ut ℞. Aquæ Agrimoniæ, Capil. ven. an. ℥. iiii. Tincturæ martis aperit. vitriol. de qua ſupra ℈. I. Tinct. tartari ℈. ii. Tinct. antimonii ℈. I. m. vel ℞. Chalibis in porfido benè præp. ʒ. ß. Antimonii diaph. gr. xvi. Tart. volatilis ℈. ß. Caſſiæ n. t. ʒ. ii. ſuperbibat Decoctum rad. graminis, Pentaphili, fol. Capil. veneris, Boraginis, cùm ʒ. ß. tinct. tartari per viginti dies his inſiſtendum, & ſi aluus non reſpondeat omni tertio die purgandum cum ʒ. I. Pilul. agregat. vel ℥. ß. Caſſiæ n. t. & quia his peractis aderit Hyems remediis non opportuna, hoc tempore ſatis erit bilis accenſionem prohibere, & caput aliquo modo corroborare cum ſequenti Pulvere, ℞. ſpecier. trium ſantal. ʒ. ß. Ocul. Cancr. ʒ. I. Antimonii diaph. ℈. ß. Bezoart. lunaris gr. viii. accipiat cum jure, vel aqua lumbric. vel Liliol. Conual. & vino ex ſolis Santalis alterato à paſtu utatur. Vere adventante Decocto ex Viſco querc. Salſa, & Santalis cum Cicoraceis ſeri copia minuenda, nervique exſiccandi; de ſudore proliciendo in Hypocauſto, vel alio extrinſeco calefaciente valdè dubius ſum, cùm ab his bilis facilè exaltari poſſit, & caput etiam præcipuè ex Hypocauſto detrimentum accipere, ſi ſponte non procederet ſudor, minus nocuum exiſtimarem exhibere ʒ. I. Cinnabris antimonii per iteratas ſublimationes rectificati, diaphoreſim inſenſibilem poſt horum aſſumptionem procurando quiete in lecto, & ægro moderatè cooperto, dieta rigoroſa, Decocti activitas in exſiccando corroboranda erit, per triginta dies in Decocto perſeverandum, omni ſeptimo die purgatione inſtituta cum Caſſia. Ultimo loco tota Maſſa ſanguinis, & humorum, & ſpirituum dulcificanda, & calor reprimendus lacte Vaccino deſtillato unà cum foliis Roſarum, Plantag. Boragin. Nenup. fol. Roſmarini, & flor. Tiliæ ad ℔. I. Balſam. ſalis, de quo ſuper Conſult. gut. xvi. bilem namque mortificat, & ſanguini ſuam Craſim reſtituit à nimia diſſolutione alteratam per octo dies, & per alios quindecim ſit in uſu ſequens Pulvis, ℞. Marg. præp. Ocul. Cancr. an. ʒ. ß. Bezoartici lunaris ℈. I. Salis cranii humani, charab. an. ℈. ß. Ungulæ alcis s. p. ʒ. I. divid. in duas partes æquales, quæ inſerviet pro dictarum partium corroboratione, ſumpta in aqua lumbric. terreſt. & Meliſſæ an. ℥. I. ß. pro tremore pulverem ſalviæ in

umbra

umbra exſiccatæ ad ℥. ii. manè, & ſerò accipiat, nam ad ſimilem morbum, ſedandum eſt expertus. Interim ſervetur optima victus ratio.

CONSULTATIO LXV.

De Melancholia Hypocondriaca cum Cachexia, & principio Hydropis.

VEneris uſus excedens, & frigidorum potio nimia in hoc Patiente, tam exhauſtis ſpiritibus, quàm oppreſſis, effervescentiam, vel fermentationem ſanguini debitam impedivit, ex qua pauca materia retorrida in maſſa ſanguinea cumulata fuit, & parvis ſpiritibus illuſtrata, unde bilem ex illis originatam quaſi defeciſſe dicendum ſit, & ea, quæ adeſt nullius eſt activitatis, ob ſpirituum deficientiam, & volatilitatis carentiam à fermentatione ſanguinis diminuta, quem in ſuo ſtatu naturali multum ad volatilizandum conferre docent, & fermentationes liquorum artificiales, & etiam domeſticæ.

Ab hac bilis diminutione, & inertia, varia contigerunt huic Patienti ſymptomata, & primò chylificatio in inteſtinis depravata, ex eo quod bilis iners non valet alimenta fermentata, ſeu elixata in ventriculo attenuare, prout decet perfectam chyli generationem, quapropter fœcum, & inutilium partium præcipitatio totalis impeditur, cum depravatione chyloſæ ſubſtantiæ, non ſolùm ſecundùm craſſitiem, ſed etiam ob impuritatum admixtionem, & quamvis ſuccus pancreaticus ſua aciditate diſſolutioni incumbat, imperfecta tamen evadit, cùm natura hoc opus duobus artificibus commiſerit, idcircò uno deficiente neceſſaria eſt operis peragendi imperfectio ab uno tantùm; adde, quòd etiam ſi ſuccus pancreaticus poſſet ſe ſolo præſtare diſſolutionem materiæ chyloſæ, non adhuc ex bilis inertia ſequeretur vera ejus depuratio, pendens ab effervescentia bilis, & ſucci pancreatici, qua commotæ particulæ cum majori energia dictæ materiæ chyloſæ, perfectiores, & ſubtiliores coeunt ſimul, relictis craſſioribus ad communem cloacam demandandis; prohibetur etiam volatilitas partium, quæ à ſola fermentatione earumdem habetur, ideò chylus, quamvis à ſucco pancreatico diſſolutus, impuritatibus ſcatet, licèt attenuatis, & in liquamen redactis, & volatilitate ad ſanguinis naturam induendam maximè neceſſaria caret; hinc ſanguis ejuſdem naturæ cum chylo producitur fixus, impurus, & aquoſus cùm à ſanguine in arteriis exiſtente ſpiritu depauperato non poſſit corrigi chyli imperfectio, & bilis deficiat, quæ ſpiritualitatem addat, nec in eo colligitur fermentum illud ſalſum, ab effervescentia bilis, & ſucci pancreatici præparatum, & ſolitum per venas lacteas, & ductum thoracitum illi commiſceri.

A ſanguine his conditionibus depauperato univerſalis Cacochymia oritur, in quam conſpirant omnes partes defraudatæ ob dictas ſanguinis conditiones à conſervatione, & reparatione ſui fermenti, à quo in circulatione per eas, & præcipuè per lienem ſanguis naturaliter, velut renovatur ſpiritualizatione, & volatilizatione, qua defraudatur à cacochymiæ augmento lienari fermento debilitato, etiam acidum lymphæ ad cacochymiam augendam concurrit, dum abſente contrario bilis, effervescentia neceſſaria ſanguini interdicitur, qua excrementorum ſegregatio impeditur, & ſuo acido non correcto craſſitiem majorem ei conciliat inſervientem ad excrementa fortius colliganda cum reliquis particulis ſanguinis.

Sanguis ſic crudus, & immaturus multis tartareis, & fixis partibus coinquinatus, in ſuo motu circulari multas depoſuit in hepate, & liene, & vaſis Meſenterii, unde obſtructiones harum partium, & aquoſitatem viſcoſam multam relinquens in extremitatibus partium, nempè in cruribus, & etiam in capite œdema in his relinquit Hydropis Anaſarcæ principium, ibi enim concreſcit illa ſeroſitas viſcoſa exhalatione illius parvi ſpiritus concepti in tranſitu per cor, & à ſua rarefactione conſervati in vaſis arterioſis.

De dolore ventriculi, & depravata alimentorum elixatione conqueritur, quia licèt acidum ſuperabundet in hoc Patiente ob bilis diminutionem, & conſequenter illud ventriculi non poſſit ſtatui diminutum, attamen ob caloris debilitatem eſt fixum, nec volatilizatum, unde impotens etiam eſt ad exequendum ſuum munus modo perfecto, cum volatilitate diſſolutionem præſtet, præterquamquod materia, quæ ſuppeditatur glandulis tunicæ ventriculi interioris pro hujus fermenti acidi præparatione, quamvis acida, tamen aliis impuritatibus permixta ratione cacochymiæ univerſalis, non eſt apta in verum, & perfectum tranſire fermentum, imò impuritatum mixtarum qualitatibus ita depravari poteſt, ut ſit omninò inefficax ad alimentorum alterationem, unde depravata concoctio, in qua multi flatus elevantur, qui diſtenſione ventriculum aggravant, & dolorem faciunt; In fine verò temporis digeſtionis remanentibus craſſioribus alimentorum particulis acido auſtero perfuſis ob fuſionem ſui ſalis fixi à mora ibi contracta dolor augetur, & flatus ab hac materia elevati craſſiores difficiliùs erumpunt, & circa os ventriculi detenti compreſſione, & dilatatione ejuſdem moleſtiam, & anxietatem inferunt non diſſimilem à ſuffocatione hyſterica, eamdem ob cauſam oriuntur alui ſtipticitas, & rugitus in ventre ferè continui, dum materia illa craſſa, reliquia alimentorùm acida auſtera, ad inteſtinum deſcendens ſua viſcoſitate ibi adhæret, ſalivamque pariter continuò delabentem ſua aciditate incraſſat, & hujus craſſitie, & auſteritate alterius materiæ præparatur remora fœcibus ſeparatis cum ſtipticitate alui, quam coadiuvat motus periſtalticus inteſtinorum, fœcum expulſioni inſerviens debilitatus, vel impeditus à compreſſione fibrarum inteſtinalium facta à materia ſupradicta craſſa, cujus portio à calore partium naturali adiacentium, licèt debili, attenuata vapores emittit, & flatus, ſuo motu, & agitatione rugitus edentes, & fluctuationem quamdam ad inſtar aquæ contentæ repreſentantes.

Sanguis ſua aciditate nervoſas cordis partes aliquoties vellicando palpitationem infert, & etiam dum illius partes craſſiores citæ rarefactionis incapaces in ſuis ventriculis ſtagnant, oppreſſione ad motus inordinatos palpitationis illud cogunt ſtudens per eos opprimentem materiam excludere.

Vapores craſſi, & acidi ejuſdem ſanguinis caput attingentes luciditatem ſpirituum depravando mentis confuſionem efficiunt, ab eodem ſanguine parum ſpiritoſo, & impuro pauci ſpiritus generantur, & impuri, unde non mirum, ſi in fatuum timorem inciderit, dum ab omnibus objectis eidem repreſentatis metus incutitur, quia quilibet motus objectorum externorum ſpiritus agitat, & commovet, qui cùm ſint pauci, & debiles huic agitationi non reſiſtunt, ſed concentrantur, à corde, & ab organis ſenſuum derivati, eo modo, quo fit in paſſione timoris, unde à motu cujuslibet objecti affecti nervi præcipuè cordis, & cerebri affectione ſimili eveniente in juſto timore ſenſus communis, vel anima per innatas ideas, vel comparatione hujus affectionis cum illa, quam aliàs experta fuit in juſto timore, paſſionem timoris vani concipit.

Ex quibus colligitur hanc affectionem eſſe Hypocondriacam, ſed notham, ut cum communi Antiquorum loquar ſine caloris exceſſu, imò bilem eſſe augmentandam cum acidi prævalentis mortificatione, quòd præſtant eadem bilem generantia, obſtructiones reſerandas, & ſanguinis maſſam ab excrementis depurandam, ſymptomataque emergentia anguſtiæ ventriculi, difficultatis reſpirandi, Palpitationis cordis corrigenda, quando adveniunt, ultimo loco corroborabimus ventriculum, & caput, quod aſſequi difficillimum exiſtimo ob ætatem patientis à naturali valdè recedentem, cùm temperies ejus extaret calida, & humida, modò verò frigida ſit, hocque ob læſionem principalium membrorum.

Antequam verò propoſitis indicationibus incumbamus præmittenda eſt purgatio univerſalis cum Mellis roſ. ſol. ℥. v. Crem. tart. s. p. ℥. ß. diſſolutis cum s. q. aquæ Meliſſæ; Sanguinem non auderem in Cacochymi ad Hydropem jam tendente educere. Poſteà præparanda materia in ventriculo exiſtens cum ℥. iii. Oximel. compoſ. ʒ. ß. tart. vitriol. & ʒ. I. pulv. rad. Ari per tres dies, poſteà reinterandum antedictum purgans, deinde propinanda Aqua Tetutii per quinque dies ad ℔. vi.

omni

omni die; tranſeundum ulterius ad alia præparantia, ut Decoctum ex quinque rad. aper. & fol. Malvæ, Cicor. Abſynthii ad ℥. viii. cum ℥. I. Syrup. de Cinam. Quercet. addito ſale Abſinthii, Roſmarini an. ℈. I. per ſeptem dies, ultimo die purgandum Pil. Agregat. de Agarico an. ʒ. I. reformatis cum s. q. Melis roſ. ſol. His addendum Jus Galli veteris, in cujus ventre repoſita fuerint ligni ſaſſafras, Cort. Tamariſci, Rad. Enulæ Ari, Fœniculi, Cappar. Cariofil. Zinziberis, & fol. roſmarini, Salviæ, Rutæ; præmittendo bolum ex Ammoniaco diſſoluto cum vino malvatico ad ʒ. ß. Croci mart. aperient. ℈. ß. Salis gentianæ, Centauriæ an. ℈. ß. m. continuandum per xx. dies omni tertio die inſtituta purgatione cum ʒ. I. pilul. de Ammoniaco Quercet. & ſi obſtructiones his non tollantur utatur chalybe cum pil. Melangogis per menſem. Depurabitur maſſa ſanguinis cum pulv. Viper. ℈. I. Bezoart. min. gr. viii. Antim. diaph. gr. xii. m. & accipiatur cum aqua fœniculi ad ℥. ii. Cinam. ℥. ß. continuando per menſem. Poſt cœnam utatur Mitridato reiterando omni ſeptimana dictas pilulas de Ammoniaco. His peractis omni mane ſumat Aquam vitæ, in qua extent infuſa Baccæ Juniperi, Cinam, Macis, Ligni Aloes, Nux Moſchata ad quantitatem ℥. ß. cum quibus caput, & Ventriculus corroborabitur; Advenientibus ſymptomatibus occurrendum cum ſpiritu vini, in quo infuſa fuerint folia hederæ terreſtris hoc modo, ut per duos, vel tres dies in dicto ſpiritu relinquantur, poſteà eximuntur folia, & nova adduntur, uſquequo ſit ſatiatus virtute foliorum, de hoc ſpiritu per cochlearia ſumat, quia mirificè vapores, & flatus diſcutit, vel præcipitat, in hunc finem valet etiam Elixir proprietatis, Spiritus Citri, Tinctura Caſtorei, Aqua Cinam. Totius citri, Aqua Theriacalis, ex quorum mixtione varia poſſunt parari remedia. Exterius fomentetur Abdomen cum petia imbuta ſucco Maluarum, Abſinthii, Eupatorii; Victus denique ratio morbo correſpondens inſtituatur.

CONSULTATIO LXVI.

De Affectibus Hypocondriacis.

SYmptomatum acies, quæ variis modis, & continuis cruciatibus honeſtum Patientem affligit ſine ulla remiſſione, nec diminutione à medicamentis tam Chalybeatis tartareis, quàm Antimonialibus unà cum refrigerantibus, quæ ars ſubminiſtrare poteſt, & quæ in aliis cum fructu exercet; mihi ſuſpicionem inferunt à mala diſpoſitione Pancreatis provenire, non ſolùm quo ad alterationem ſucci pancreatici, ſed etiam ad vitium ſubſtantiæ; habemus enim apud Authores multas obſervationes, quod vitia Pancreatis morbos Hypocondriacis ſimiles intulerunt: nam ſuccus pancreaticus putreſcens, vel per confirmatas obſtructiones, vel tumores, vel ulcera Pancreatis auſteritatem, concipiens, & acrimoniam, vel in putredinoſum fermentum degenerans extincto ſpiritu dulcificante per putredinem, ſeu potius diſſipato, ineraſſatiſque terreis particulis, & acutis, non ſolùm dolores in regione lumborum frequentes, & ferè continuos, ut in hoc Patiente ſua mordacitate efficere potens eſt, verùm etiam bilem corrumpendo eadem auſteritate, & putredine, iſtius parte oleoſa, & ſpiritoſa ſtatim inito congreſſu diſſoluta, & enervata, bilis acrior redditur per admixtionem auſteri, cum ſale ſuo lixivo ſine dulcificante ſpiritu, & oleo, hinc dolores auget, ut ei videatur viſcera per uncinatos pectines dilacerari.

Ab hac depravatione horum duorum humorum chyli perfectio interrumpitur, tam ratione acrimoniæ, & auſteritatis illi impartitæ, quàm ratione diſſolutionis fœcum ad eam tenuitatem chylo propriam redactæ, per quàm illæ una cum chylo, per lacteas deſcendunt totam ſanguinis maſſam conſpurcantes, unde cacochimia univerſalis, accedente etiam ad hujus incrementum vitiata ventriculi operatione in elixatione alimentorum, & diſſolutione cum excrementorum cumulo, ob vapores à depravato ſucco pancreatico, & forſan à ſubſtantia corrupta Pancreatis ventriculo communicati, ejus tonum, & craſim alterantes, fermentumque vitiantes imperfectam concoctionem alimentorum reddunt.

Nervi pancreati impartiti acidum corrruptum, & auſterum humorem abſorbentes, & per fibras ſuas ad caput transferentes vigiliæ continuæ cauſam dederunt, cùm prædicti vapores valeant in continuo motu ſpiritus detinere, nec dubitandum eſt ab hac cauſa convulſivos motus frequentes ortos fuiſſe, & in hos concurriſſe etiam plexum Meſentericum dictos humores nervorum principio contribuentem, quos priùs colligerat à ſuis ramuſculis, per inteſtina, & Meſenterii glandulis diffuſis, in quos bilis, & ſuccus pancreaticus modo dicto depravatus decubuerat mediis lacteis, niſi magis placeret, quod irritatis nervis pancreatis, & plexus Meſenterii totum ſyſtema nervorum in paſſionem convulſivam vocatum fuerit.

Inordinata corruptiva, & præternaturali efferveſcentia ſucci pancreatici, & bilis, vaporibus craſſis, & acribus elevatis, vel ab offenſo Pancreate aſcendentibus ad cor, iſtius expanſione neceſſaria, & conſequenter debita rarefactione ſanguinis impedita animi deliquia, & acrimonia cor vellicante, inque motus frequentes, & inordinatos cogente palpitationi cauſa fuit, quam ſuſcitare potuit etiam Diaphragma ſecundùm partem nervoſam à vaporibus à Pancreate laceſſitum, & in ſpaſmodicas convulſiones irrumpens in eaſdem pericardium ei annexum trahens.

Difficultas in his ſymptomatibus auferendis demonſtratur ab hucuſque dictis, & à probabili ſuſpicione læſæ ſubſtantiæ pancreatis, cui occurrendum validioribus remediis, quæ vitium, vel ex Schyrro, vel ex corroſione emendare poſſint, in quem finem tria propono remedia.

Primò, Bezoarticum ſolare ex deſcriptione Hoffmani in Clavi Sckroderiana, & Arcanum duplicatum.

Secundò, Tincturam Antimonii factam cum floribus ejuſdem ſublimatis cum ſale armoniaco, & poſteà aqua calida edulcoratis, per ſalis liquefactionem; & in fornace Vitriariorum per menſem igne reverberii calcinatis, ubi rubedinem contrahunt, & ſpiritu vini tinctura extrahitur, quæ in Pellicano circulanda, vel ſulphur Antimonii paretur ſecundùm Elmontium, qui videndus.

Tertiò Elixir proprietatis ſecundùm Proceſſum ab eodem Elmontio deſcriptum.

Quibus addo etiam quarto loco Samech Paracelſi ab eodem Elmontio pariter relatum, qui videndus.

Ex his hujuſmodi Medicamentum componerem, ℞. Elixir. prop. ℥. ß. Bezoart. ſolar. ℈. ß. Tincturæ antimonii ʒ. ß. m. in hoc remedio per menſem continuarem poſteà eidem adderem Samech Paracelſi ℈. ß. Balſami ſulphur. thereb. gutt. viii.

CONSULTATIO LXVII.

De intenſo frigore circa ventrem.

NObilis Juriſconſultus annorum quinquaginta, temperamenti melancholici, ſed cum bilis mixtione, ſtudio continuo applicatus, nec ferè alio exercitio corpus exercens, quam illo in evolvendis libris neceſſario, quaſi continuò flatibus in inteſtinis, & ventriculo moleſtatur, cum ſenſu frigoris in ventre circa regionem lumborum ad anteriora etiam ſe extendens, itaut noctu pannis coopertus venter non incaleſcat, aliquando verò, ſed raro, & præcipuè poſt uſum calidorum alimentorum in eadem regione æſtum perſentit, qui toti corpori brevi temporis ſpatio communis evadit, in victus ratione non delinquit, & alvus non utitur quotidiano officio, & cum difficultate.

Conſiderando cujuſcumque ſalis genera aquæ mixta liquores vaſi etiam ſolido incluſos, in eaque immerſos ſummè refrigerare, ac in glaciem condenſare; & ex obſervatione Chabei cognito, quod ex fovea in niver ſali mixta facta à vaſe in ea depoſitata expirat aura frigida concludebam frigus, quod miro modo experitur prædictus Patiens, poſſe provenire ab aura ſalina nitroſa elevata, non ſolùm ex efferveſcentia bilis, & ſucci pancreatici valdè acidi, qui ratione Alkali, & ſulphuris bilis additi acido ſuo in unum nitroſum volatile degene-

generat, quod fluido ſalivæ mixtum, hoc valdè frigidum reddit, ſicuti aqua addito ſale nitro frigidior perſentitur, & à ſaliva hoc modo actuata aura tranſpirabili emiſſa, inteſtinorum, & peritonei membranas inveſtiente frigoris ſenſus in eis excitatur, eo modo, quo à fovea ſuperius deſcripta aura frigida expirat. Sed etiam ſcoriæ alimentorum ad univerſalem Cloacam deſcendentes, partibuſque craſſioribus dictorum humorum ſalnitroſorum refertæ, ſimili aura emiſſa eiuſdem frigoris ſenſum continuatum protrahunt, qui nec à pannis in lecto benè cooperto Patiente ceſſat, dum calor internus illorum fomento auram illam frigidam magis ſollicitat, & ſi aliquando contingat partes ſulphureas bilis in hoc humorum congreſſu eſſe copioſiores, in actu effervefcentiæ accenduntur calorem excitando.

Neque hoc cogitatum fictitium, & chymericum exiſtimandum, dato in bile ſale lixivioſo alkalico, & ſulphure, & acido in ſucco pancreatico, prout experientia, & horum humorum attenta conſideratio certo certius perſuadent, nulla exiſtente contradictione de eorum concurſu in eodem loco, per quem effervefcentia ſuſcitata, ſequitur neceſſariò uniri in ſalſum ſulphureum, quale eſt ſal nitrum, prout tot experientiæ à chymica petitæ ad evidentiam confirmant. In hoc verò Patiente Acidum ſuperat Alkali, & ſulphur bilis, ideòque ſal reſultans frigori magis idoneum; aciditas prævalet, quia à continuo ſtudio ſpiritus diſſipante aciditas humores corripit, ſtante quod ſpiritus ſunt illi, qui humorum acrimoniam dulcificant, & cibi abſtinentia in ſero huic exceſſui aciditatis contribuit, cibi enim dulciores, & ſuaviores partes acidi mortificationi operam darent.

Ab eadem aura frigida condenſatis reliquiis fœcum motui inteſtinorum reſiſtentibus alui ſtipticitas infertur, quæ fit major auxilio flatuum deſcenſum fœcum prohibentium, dilatatis inteſtinorum fibris motum vermicularem iſtorum minuentium, à quo fœcum exitus ſolet coadiuvari. Flatus oriuntur, dum acidum illud ſalſum jam dictum inteſtinorum muccum corrodendo, & attenuando more bilis, flatus ſuſcitat, vel humidum tenue ſalivæ, auxilio caloris interni diminuti è ſuo ſinu promit, quòd ſi nimis idealis videatur allata Doctrina ex fundamento frigoris, febriles acceſſiones antecedentis, & ex altero recentiorum Anotomicorum aſſerentium oculari inſpectione in inteſtinis eſſe innumeras glandulas, quarum munus eſt univerſale, acidum humorem præparare, poſſumus aſſerere hoc acidum glandularum factum nimis acre, vellicatione inteſtinorum eum frigoris ſenſum educere, qualem inducit in febribus, licèt in his ſit major, & ab hoc ſequi effervefcentiam illam ſupradictam, etiam cum cæteris ſymptomatibus.

Cùm ergo exuberans aciditas, horum affectuum cauſa videatur, in hujus correctione inſiſtendum, quòd efficiemus purgatione inſtituta cum ℥. vi. Caſſiæ, & gr. vii. Magiſt. Ialappæ, frequenti die miſſo ſanguine è brachio, & cum Decocto Agrimoniæ, Camedryos, Abſinthii pontici, rad. Acori, Galangæ, & fol. Roſmarini addito ſpir. ſalis Arm. ad gutt. v. & ſal. fix. tart. ℈. ß. præparabuntur humores acidi ſeptimo die reiterandum ſupraſcriptum medicamentum, & poſteà his pulveribus utatur ℞. Matris perl. præp. Oculor. Cancr. an. ʒ. ß. Antimon. diaph. ℈. ß. Salis roſmarini ℈. ß. m. ſuperbibendo aquam fœniculi, Meliſſæ an. ℥. ii. cum gutt. viii. Elix prop. per quindecim dies, vel viginti in hoc medicamento inſiſtendum; vel ℞. Mirrhæ, Croci Aloes an. ℈. ß. Salis Abſinthii, tartari, an. ℈. ß. m. f. b. ſuperbibendo dictas Aquas, & ultimo loco paretur Aqua vitæ cum infuſione Baccar. Juniperi, Ligni Aloes, & fol. Roſmarini, & Nucis moſchatæ, de qua ſumat ℥. ß. in ſerò ante ſomnum, vel paretur extractum Ligni Aloes juxtà formam deſcriptam in Clavi Sckrodeтiana Hoffmani, ubi de hoc ligno tractat, cujus accipe ℈. ß. Extract. baccarum Junip. ℈. I. Raſuræ Eboris ℈. I. m. hoc enim reficientur ſpiritus vitales. In optima victus ratione perſeveret, & habeat in uſu piper contuſum in Pulmentis.

CONSULTATIO LXVIII.

De tumore duro in regione abdominis cum pulſatione arteriæ.

MEercator ætatis annorum quinquaginta, temperamenti melancholici aduſti, anno præterito febre, & lienis obſtructione afflictus varias inivit purgationes pro hac tollenda, & repetiit etiam vere tranſacto cum aliquo fructu. In principio hujus Autumni, cum bene ſe haberet, & ab omni morbo liberum ſe crederet ſtante virium robore, & concoctionum perfectione, febris terriana ſimplex intermittens eum corripuit, & hac occaſione ſubtus mucronatam cartilaginem Medicus duritiem in tractandis Hypocondriis detexit, quæ ſe extendit ſubtus umbelicum, comprehendens latitudinem quatuor digitorum, & hoc in loco arteria pulſat, motu non ſolùm manui, ſed etiam oculis ſenſibili, durities ſtatim ſub cute ſentitur; Totum ex tranſacta febre emaciatum conſpicitur, & Hypocondria valdè extenuata obſervantur, cum cavitate poſt præteritos morbos, & purgationem relicta primo aſpectu inſigni, cum appetitu dejecto, & ventriculi languore. Hinc quæſitum fuit, an hæc durities cum aliquo tumore ſit in muſculis, vel in partibus interioribus Menſeterii, & quomodò tollenda, & tumor cenſendus ſit Aneuriſma?

Conſiderato caſu propoſito; Reſpondebam tumorem eſſe in Muſculis Abdominis. Et primò, quia ſe extendit juxtà rectitudinem muſculorum rectorum, ubi quando eſt in Meſenterio rotunditatem præfert, juxtà figuram glandularum illius, in quibus prædicti tumores fiunt; Secundò, quia ſtatim ex contactu in duritiem impingimus, quòd ſi interiores partes occuparet, non niſi compreſſione forti ſe manifeſtaret; Tertiò, ſi per medicamenta lienis obſtructiones ablatæ fuerunt, debuit etiam per hæc Menſeterium conſervari immune ab omni cumulo materiæ craſſæ, cum dicta medicamenta hujus generationem impediant, & generatam attenùent; Quartò, quia cum hoc tumore interno, nec vires conſervaſſet, nec concoctiones perfectas habuiſſet, cum praxi conſtet tumores meſenterii has depravare, & vires labefactare. Originem hujus tumoris puto fuiſſe emaciationem Hypocondriorum, ob reſolutam pinguedinem membranæ carnoſæ adhærentem, cum tranſpiratione nimis libera, non ſolùm ignei ſpiritus ſanguinis, ſed etiam illius ſalſi volatilis totam maſſam fluidam reddentis; unde ſanguine refrigerato, & ſolvente diſſipato, quid mirum ſi craſſeſcat, maximè ſecundùm eas particulas ad hoc maximè diſpoſitas, quæ in temperamento melancholico, quale eſt illud Patientis, non ſunt paucæ ob acidum ſuperabundans coagulativum, & iſtæ in muſculis rectis ob ſuorum vaſorum, & pororum anguſtiam detentæ tumorem, & duritiem effecerunt.

Eſt etiam probabile portionem illius materiæ obſtruentis lienem à medicamentis ſolutam curſum ſuum circularem renovaſſe, & per partes exteriores tranſeuntem amiſſo calore fundente, ibi coagulationem paſſam fuiſſe ob innatam diſpoſitionem, unde tumor, & durities, à quo compreſſa arteria cœliaca illam pulſationem ſenſibilem tactui, & viſui reddit ſine Aneuriſmate, cùm abſit ille tumor durus aneuriſmati proprius pulſans, dum ibi diſtinguitur tumor, & pulſus arteriæ tamquam duo ſeparata; præterquamquod arteria non ſolet dilatari per tam longum ſpatium, quale eſt illud à tumore occupatum, incipiens ſub mucronata Cartilagine uſque ſubtus umbelicum, & per quod ſpatium arteriæ pulſus obſervatur. Emaciatio facta fuit à ſanguine ratione ſui temperamenti aduſti, & à calore febrili reddito acri, ratione cujus carebat illa dulcedine balſamica ad nutritionem neceſſaria, & etiam quia acredine partes, per quas circulatur, corrodendo ad marcorem duxit, ut verè in hoc caſu Elluo dici poſſit. Hac partium corroſione facta, maſſa ſanguinis impura, craſſiarumque particularum ferax; ab his obſtructio in aliquo vaſe inducta febri tertianæ occaſionem dedit. Ab hac mala ſanguinis depravatione appetitus proſtratus fuit, non ſubminiſtrante nec acida, nec ſpiritoſa materia ad præ-

præparationem fermenti acidi appetitus excitativi.

Pro curatione ſanguinis acris conſtitutio primò, & principaliter modificanda. Secundò obſtructio febrem faciens tollenda. Tertiò omnes partes ex depravatione ſanguinis debilitatæ in ſuis fermentis corroborandæ,& renutriendæ. Quartò Tumor eradicandus. Iſta obtinere, ſi non impoſſibile, ad extremum difficile puto.

Præmiſſo parvo leniente in primis ex Caſſia, intermiſſaque ſanguinis miſſione, Jus Pullæ laudarem, in cujus ventre repoſita fuerint Radix Cannæ montanæ, China, Hordeum, Malva, Borago, Argrimonia, de hoc capiat ℥. viii. cum Tincturæ Chalibis ℈. I. & Tinct. tart. ʒ. ß. continuando per viginti dies in hoc remedio, quo modificationi ſanguinis initia ponentur, obſtructiones reſerabuntur, & materia acris ad vias urinæ ducetur. Non video tamen in vegetabilibus energiam ad hoc præſtandum ob morbi contumaciam, qua vegetabilium vires non multùm efficaces ſpernit, & ob ſui facilitatem ad alterationem ſuſcipiendam à viſceribus, & ſanguine. Aquæ convenirent, quæ omnem acredinem emendare poſſunt, ventriculo tamen labefactato hæ non correſpondent. Mineralia ſolùm poſſunt opem ferre, & inter cætera Aurum præparatum modo in ſuperiori Conſultatione quinquageſima quarta deſcripto, & ſolutum in aqua ſolari, nempè in aqua, quæ à radiis ſolaribus, vel horum potiùs medio colligitur, & huic conjungerem ſal tartari volatile, & per menſem in hoc inſiſterem. Tinctura Antimonii, & Coraliorum multùm valent in ſanguine depurando, & ex his parari poſſunt varia remedia ſecundùm Aſſiſtentis Medici prudentiam, & exhibenda, vel in aqua extracta à ſanguine Vituli, vel Lumbricorum; eſt enim in his ſpiritus volatilis ſummè modificativus, & his remediis omnes adimplentur indicationes propoſitæ. Exterius cavendum à Ceratis, ubi pulſat Arteria, ne cohibita tranſpiratione dilatatio arteriæ ſequatur, ſed fovendus tumor cum ſpongia Vino imbuta, in quo radices Malvæ, Altheæ, & Salſa bullierint, & fomentum ſit tepidum, poſtque fomentum inungatur locus affectus cum Cerato ex Eſippo diſſol. cum oleo Amygdal. Dieta non ſolùm vires reſpiciat, ſed maciem ea ſeligendo, quæ ſint valdè nutritiva.

CONSULTATIO LXIX.

De magno calore poſt cibum, & rubore in facie.

NObiliſſima Matrona temperamenti calidi, & humidi, ſed cum bilis abundantia, manifeſtata à ſubitaneis motibus ad iram, quotieſcumque contingunt uſus ſuis nobiliſſimis ideis adverſi, ætatis annorum quinquaginta, menſium adhuc beneficio gaudens, poſt cibum inſigni calore, & rubore in facie perfunditur, & per totum corpus, præcipuè verò in volis manuum, & pedum, & cum aliquali moleſtia, itaut in facie cutis diſtenſionem non doloroſam, ſed moleſtam pariat, maximè ubi in utraque parte naſi juxtà ejus ſummitatem puſtulæ erumpunt; & ferè ſemper apparent, pulſus tunc temporis etiam fit frequens, & magnus, nec remittitur ad ſuum ſtatum, niſi poſt octo, vel decem horas à cibo, & calor in facie hora tranſacta ceſſat, calorem in lumbis cum aliquo dolore continuo ſentit, maculæ rubræ, & latæ per corpus omni die apparent, cum tumore aliquo, ſed citò evaneſcunt, & hoc præcipuè poſt ſomnum, & à cibo. Hæmorroydes ſemper foras habet, aliquando verò dolent in exitu fœcum, tunc eidem videtur eas tranſire per locum laceratum, & corroſum; Sputum ſalſum patitur non copioſum, ſed in ea quantitate, quæ naturaliter excerni ſolet, quòd per intervalla, ſed rarò augetur.

A ſanguinis diſpoſitione non morboſa, ſed à bona deflectente oriri prædicta ſymptomata pluſquam certum eſt, quædam autem ſit, & in quo genere, eruendum eſt à ponderatione dictorum ſymptomatum. Pulſus frequentia, & magnitudo à cibo oſtendit aliquid iſtius ſanguini ſtatim communicari, per quod magis attenuetur, ut majorem in corde ſubeat effervefcentiam, unde pulſus frequentia, & magnitudo, cùm enim à majori effervefcentia in ampliorem extenſionem dilatetur ſanguis, ita etiam arteria in exitu hujus à corde, magis dilatatur, & cum majori impetu, & ſic dicta pulſus magnitudo, & frequentia, ex reiterata brevi tempore rarefactione ſanguinis, cujus aliqua diſpoſitio habitualis requiritur, ut habeatur iſta facilitas ad ſuſcipiendam majorem rarefactionem à cibo, quæ facilitas fundari non poteſt niſi in tenuitate habituali, quæ tantò major eſt cenſenda, quantò ex levi cauſa, qualis eſt illa, quæ ex cibis provenit, licèt etiam levioribus, & optimi nutrimenti effervefcentia accenditur.

Tenuitas iſta ſanguinis non eſt in alio quærenda principio, quàm in eo fluiditatem naturalem illi impertiente, ſed magis activo, & in agendi modo magis valido, cùm illud, quòd fluidum facit, ſi ſit magis potens majorem fluiditatem generet, quam ſumma tenuitas ſequetur, quòd verò fluiditatem ſanguini conciliat eſt ſpiritus ſalinus volatilis ex alkali, & acido compoſitus, de quo toties dictum fuit, & quod eſſe ſummè activum colligitur, quia bilis in hac Nobiliſſima Patiente eſt ſummè volatilis, ut ex propenſione ad iram colligitur, & etiam acidum Pancreatis ratione caloris in toto prædominantis talis conditionis cenſendum eſt, hinc evenit, quòd ſalſum ex eis genitum multum activum evadit, & maximè diſſolutivum, & attenuativum.

Talis etiam naturæ puto eſſe fermentum lienis, quo ſanguinem volatilizari, & attenuari omnes norunt, & ſanguinis coagulationes provenientes ab hoc fermento per obſtructiones imbelli reddito evidenter confirmant; & in noſtra patiente hoc fermentum eſſe ſummè activum probat bilis copia, quæ antequam in hepate ſecernatur à liene, diſgregatur, & ad ſecretionem diſponitur, itaut, quò fermentum lienis eſt validius, copioſior ſuccedat bilis ſeparatio, ab his fermentis valdè activis tenuitas ſanguini conciliatur, & facilitas ad effervefcendum per alimentorum aſſumptionem, & etiam ſalſedo ſanguinis, quæ ſero impertita, ſalivam ſalſam efficit.

Alimenta ſi ſanguinem effervefcere faciunt paulò poſt eorum aſſumptionem, prout certum eſt contingere in hac Patiente, non aliter poteſt fieri, niſi dum in eorum trituratione, & principio fermentationis ſolvuntur ſalini ſpiritus volatiles in eorum clauſtris reſerati, qui venas ventriculi pervadentes, unà cum ſanguine ad cordis dextrum ventriculum feruntur, paulò poſt ad ſiniſtrum tranſituri, in quibus actuati à calore, vel ſanguinis, vel cordis, prout ſuæ naturæ ſalinæ proprium eſt, & volatilitatis connaturale, ſanguinem fluidum, & tenuem valdè magis diſſolvunt, & attenuant, quapropter magis effervefcit, & citò cum majoris caloris conceptione, & per arterias rapido motu decurrens toti corpori calorem imprimit majorem, & ita pulſus alteratio à cibo, & calor totius originem ducit ab effervefcentia ſanguinis inordinata huic impreſſa à partibus ſalinis volatilibus alimentorum in corde actuatis, & à facilitate ejuſdem ſanguinis ad ſuſcipiendam dictam effervefcentiam dependenter à ſumma tenuitate à ſalſo volatili valdè activo effecta, ex quibus ſatis evidenter elicitur alterationis pulſus, & caloris totius radicem eſſe ſalſum volatile fluiditatem ſanguini naturalem impertiens in activitate nimis exaltatum, ab hac radice pullulant alia ſymptomata, dum per ſupradictam effervefcentiam ſanguinis ab hac pendentem hic exundat in faciem abundantiùs per arterias capillares, & illam rubore perfundit, & cutim diſtendit majori ſua copia, quo enim arteriæ magis elevantur, ſanguinem etiam in majori copia per ſua orifica diffundunt, idcircò accidit etiam in volis manuum, & pedum calorem magis moleſtum cauſari, dum ſanguis ab arteriis tranſfuſus immediatè cutim iſtarum partium tangit, à venis illius reaſſumendus, & præ exquiſito ſenſu earumdem caloris activitatem magis percipiunt cum moleſtia, quia actus, & acer; ab hujuſmodi etiam effervefcentia ſanguis abundantiùs in partibus aliquibus externis exprimitur, unde maculæ à cibo rubræ in eis apparent, ſicuti illæ in ſomno à calore in hoc majori facto, vel à calore lecti effervefcentiam conciliante majorem ſanguini promoventur modo prædicto; paulatim autem ſedatur illa effervefcentia, & calor remittit poſt horam à cibo unà cum rubore faciei, quia ſalini ſpiritus alimentorum paulatim diſſipantur, vel ab aliis partibus ſanguinis irretiti fixantur, & ita attenuante diſſipato, vel coercito, ſanguinis etiam

major

major effervefcentia ſedatur, & tum ea color ſummus, & rubor illius effectus.

Poſſent etiam hæc ſymptomata explicari per irritamentum ſpirituum animalium per nervos cordis decurrentium intruſum, à ſpiritibus ſalinis volatilibus alimentorum illis commixtis, dum adhuc in ventriculo manent, & elixantur particulæ alimentorum, & ferè ſtatim ab eorum aſſumptione nervis communicari confirmat experientia, qua conſtat vires animales ſtatim ab aſſumpto cibo reparari, & antequam chylus ſit confectus, quòd non poteſt explicari, niſi admiſſa communicatione partium ſubtilium alimentorum, cum ſpiritibus nervorum, ab his particulis ſalinis volatilibus alimentorum ſpiritus nervorum cardiacorum inordinatè moti, cordis etiam pulſationes frequentiores eduntur, ex quibus major, & celerior ſanguinis effervefcentia modo ſuperius dicto, & ſpiritus nervi ſecundæ diviſionis quinti partis circumligantis arterias per genas diſſeminatas, eodem modo affecti, ad contractionem ſui coguntur, qua arterias conſtringendo ſanguinem uberiori fluxu propellunt, & in genas transfundunt aucto rubore iſtarum, & irritamento paulatim ceſſante, per admixtionem benignarum partium alimenti, rubor cedit, quamvis non ceſſet pulſus alteratio; nam in principio (ut dixi) ſpiritus ſalini volatiles erumpunt, quorum efficacia ſanguis attenuatus, vel nervis cordis irritatis facilè, & majori impetu per arterias propellitur in majori copia, quam à venis poſſit excipi, unde ſua transfuſione per poros carnis ruborem facit, vel in tanta copia propellitur, ut arteriæ capillares ſubtiliſſimæ diſtendantur, & in deſtenſione raritate concepta permittunt rubicundum vividiſſimi ſanguinis colorem tranſpirare, unde ceſſante hac copia ſanguinis transfuſa in poroſitates genarum, quia à venis excepta, vel detumeſcentibus arteriis capillaribus ceſſat rubor, at quia poteſt perdurare talis fermentatio in ſanguine, quæ pulſum alteret, & non propellat cum impetu, nec in copia ſanguinem in arterias genarùm, ideò durat pulſus alteratio extincto in facie rubore, nec aliter explicari poſſe puto hujus ruboris cauſam conſiderata ejus parva duratione, nec aliter determinari poteſt ex parva duratione hujus ruboris.

In hujuſmodi effervefcentiis ſemper aduruntur particulæ ſanguinis, quæ collectæ unà cum craſſioribus ejuſdem maſſæ, in qua ſemper reperiuntur volatilizationi ineptæ, & quæ facilè ob tenuitatem ſanguinis diſgregantur ab aliis particulis, per venas hemorroydales circulatione delatæ amiſſo calore in corde concepto, & ſpiritu volatili ſalino evaporato, cui tenuitas, & fluxibilitas debetur, ibi incraſſantur, & venas in tumorem attollunt, cum dolore, ob fibrarum venarum nimiam extenſionem, (hic enim aliquam ſenſationem ineſſe demonſtrant atrociſſimi dolores hermorroydum extra anum pendentium) ſicuti ſuis partibus ſalinis aduſtis vellicando corroſionis ſpeciem inducunt, quæ à pertranſeuntibus fœcibus augetur, compreſſis tunicis venarum, & compreſſione humor in eis contentus acer, vel majores ferit partes, vel in eas intimiùs penetrat, unde vellicatio, major portio iſtorum humorum aduſtorum, & acrium ad latera niſi delata puſtulas ibi excitat. Calorem, & dolorem lumborum referimus in æſtum ſanguinis Aortæ decurrentis per regionem lumborum, à qua exhalantes tenuiſſimi halitus ſalini, & calidi vicinos muſculos lumbares impensè calefaciunt, & acrimonia vellicant eorum membranas, ſed tenuiter, unde dolor etiam levis, nec multum moleſtus, poſſunt etiam hæc ſymptomata prodire ab effervefcentia ſucci pancreatici, & bilis in inteſtino duodeno incæpta, & per jejunum continuata.

Ut ab iſtis ſymptomatibus Nobiliſſima hæc Patiens liberetur, quòd facilè ſpero, ſanguinis tenuitas moderanda, bilis, & ſucci pancreatici volatilitas fixanda, quæ duo iiſdem exequentur remediis, ſalſedo ſanguinis auferenda per dulcificantia; Partes faciei corroborandæ, ne adeò facilè ſanguinem ſuſcipiat, & puſtulæ extinguendæ unà cum hæmorroydibus.

Hæc omnia univerſalis præcedet Purgatio cum ℥. ß. Crem. tart. s. p. & ʒ. i. ß. Tartari vitriol. & Scamon. ſulph. gr. v. & præparabuntur humores cum Jure alterato ex Malva, Borag. Hordeo, Acetoſ. addito ſpir. Salis dulcif. ad gutt. viii. inter hæc fiat miſſio ſanguinis è brachio ad ℥. x. & poſt ſeptem ex his Decoctis reiterabitur ſupraſcriptum Purgans; poſteà ad ſuccum Portulacæ, Plantag. an. ℥. ii. ß. deveniat, cum Aqua Papav. errat. & Endiviæ addita pauca aqua Cinam. ad ventriculi conſervationem, præmittendo bolum ex ʒ. i. Diaſcordii. Conſumptis in his quindecim diebus lac Aſininum deſtillatum ab ℔. i. accipiet cum vitriol. mart. ℈. i. vel ſpirit. eiuſdem ℈. ß. ad divertendam ſeroſitatem ſalſam per urinam eodem tempore ante prandium per horam ſumat ſequentem pulverem ℞. Ocul. Cancr. ℈. ii. Matris perlæ præp. ℈. i. Antim. diaph. ℈. ß. quod ſi his non cedant prædicti affectus morboſi in æſtivis caloribus aquam Noceræ accipiat eo modo, quo Villenſis accipitur, cùm hæc, ratione mineræ boli ultrà refrigerium ſanguini adſtrictionem quamdam conciliet: Balnei aquæ dulcis poſt hanc erunt opportuni. In Autumno paretur vinum ex Santalis, & rad. Cannæ Montanæ, de quo bibat Cyathum manè, & ſerò in prima menſa; Pro facie antequam in lectum decumbat eam lavet flegmate vitrioli, & Aqua ſpermatis ranarum, quibus puſtulæ extinguentur, quòd faciliùs conſequetur, ſi eas aqua calcis per diem ſæpè tangat. Victus ratio ſit moderata, & ad frigidum vergens, Vinum aqua temperet, & poſt prandium, & cœnam Cyathum aquæ Noceræ accipiat præmiſſo pulvere ex Coriandis, ſem. Plantag. Acetoſæ, cum pauco ſpicæ nardi, & pulvis ſuper offam panis vino imbutam aſpergatur, & ſi hemerroydes ab his non accipiant ſolamen, ʒ. i. fol. Farfaræ in Majo collectorum, & in umbra ſiccatorum accipiat in vino per tres vices, & per quatuor horas ante cibum, vel pulvis ex radice Plantaginis aquaticæ ad ʒ. i. eodem modo ſumatur, & eſt arcanum pro hemorroydibus, colligenda eſt radix menſe Octobris. Efficaciſſimum etiam, & expertum remedium eſt Rana pinguis in oleo Lini cocta, ut ſupereminéat illud per duos digitos, & coquitur uſque ad conſumptionem Ranæ, colatur, & exprimitur, & hæmorroydes unguntur. Pinguedo Ranarum paluſtrium eſt rarum arcanum ad hæmorroydes dolentes, & doloroſas.

CONSULTATIO LXX.

De doloribus Hypocondriacis cum macie totius.

VEntriculum nullam habere partem in affectibus hujus honeſtæ Mulieris, ex eo licet coniicere, quòd optimè appetat, nec ullam de eo habeat querelam, ab excrementis etiam quotidie emiſſis compactione, & calore ſecundùm naturæ leges elaboratis colligimus in inteſtinis chylificationis opus perfici debito modo, venarum depletio, & detumeſcentia plenitudinem vaſorum adeſſe reicit, & conſequenter maciem non provenire à ſanguine ſolùm ſecundùm qualitates vitiato, & per has nutritioni inepto, oſtendit, alioquin ſi adeſſet hoc vitium in ſanguine, adeſſet plenitudo, cùm portio ejus non conſumeretur, quibus certò admiſſis remanet ſolùm concludere ſanguinem non generari, & per hoc alimentum deficere toti, & ideò ad maciem tendere, & cum ex dictis pateat fermentationem in ventriculo alimentorum perfici, & chylificationem in inteſtinis, ſuſpicandum eſt ſumma cum ratione chylum elaboratum in inteſtinis, non tranſire ad vaſa ſanguifera, quod contingere non poteſt, niſi poſito impedimento in venis lacteis, vel glandulis meſenterii, quod mihi probabile videtur tam ex multis obſervationibus ab auctoribus recenſitis, quàm ex victus ratione Patientis ordinaria, conſiſtente in acido condimento omnium alimentorum, & tempore veris in fructibus acerbis in magna quantitate; ab hac vivendi ratione humores acidi colliguntur, qui ad glandulas Meſenterii tranſmiſſi humorem proprium earum acidum magis, & auſterum reddunt, advenientem chylum per dictas glandulas percolantem aſpergendo, caſei inſtar coagulant remanente immuni parva ſeroſitate, (eo modo, quo ex coagulatione lactis in caſeum ſerum remanet fluxibile) quæ ſola ſurſum ad cor pergit, & aqua ſuſtentantur facultates debiliter, cùm aliquas particulas alimentales ſecum rapiat (eo modo, quo ſerum ex coagulatione caſei reſiduum, fœcum retinet partes à ſero alienas, ex quibus recocta conficitur) hinc deficit maſſæ ſanguineæ materia pro renutriendis partibus, & major glandulis relinquitur pro earum intumeſcentia, ita ut tota chili maſſa in glandularum augmento conſumatur,

matur, à quo diſtenſis membranis illarum, & in hac diſtenſione ſecum trahentibus membranas Meſenterii, quibus glandulæ adhærent, dolor excitatur, & durities illa ferè totius abdominis ad tactum percepta oritur.

Nec de menſium deminutione dubitandum, quòd ſint horum morborum cauſæ, cùm numquam copioſos habuerit. & in ea ſit ætate, nempè ſuprà quadraginta annos, in qua ſolent deficere; præterquamquod non adeſt capitis dolor, nec cordis affectiones, nec depravatus, vel diminutus appetitus, nec malus corporis calor, quæ retentorum menſium ſunt effectus, ultrà quod venarum plenitudo adeſſet ab eis retentis, & nutritio partium, quamvis mala, & imperfecta fieret, ut in Cachexia.

Pro curatione hujus affectus rebellis, & periculoſi extinguendum acidum auctum glandularum cum auſteritate illis medicamentis alkalicis fixis, & volatilibus, quæ acidum abſorbent, & per hoc partes ab humorum craſſorum infractu liberant; nam extincto, vel translato acido chylum coagulante in medicamentum alkalicum, chylus priſtinæ fluiditati reſtituitur; Poſteà generationi optimi ſanguinis, & renutritioni incumbendum.

Quod ſtatim executioni demandandum, cùm jam ſint peractæ purgationes univerſales. Parandum ergo Jus Columbi turrialis, in cujus ventre reponantur Lignum Saſſafras, Salſa, Hirudinaria, Cariofilata, Satureja, Roſmarinum, Calamintha, præmittendo bolum ex Ammon. Opoponac. an. ℈. 1. Spirit. fulig. gutt. v. Salis tart. fixi ℈. ß. continuet per xx. dies purgando omni ſeptimo die cum Pilul. de Ammon. Quercet. Poſt hæc ſumat ſalis tart. chalyb. ʒ. ß. Antim. diaph. gr. xv. Bezoard. ſolar. gr. vi. cum Decoct. Anagalid. aquat. Raphani Sylveſtris, Camedryos, cui ſi addatur cochlear. Elixir de Ammoniaco deſcripti ab Hoffmano in Clavi Sckroderiana: verbo Ammoniacum: erit efficacius. Pro renutritione primò utendum lacte Aſinino ad tollendum reſiduum obſtructionum, poſteà caprino, in quo aliquot gutt. Elix. prop. inſtillentur, vel eſſentia ligni Aloes, & meliſſæ, eorumque loco, Capra herbis odoriferis nutriatur, præmittendo frictiones totius corporis; Pro majori confirmatione omni verno tempore per totum id tempus utatur Decocto herbarum infraſcriptarum cum foliis, & Rad. Gram. Cicor. Petroſel. Aſparag. Urtic. Victus ratio ſit optima, omniaque fugiat Acida.

CONSULTATIO LXXI.

De Diarrhea, & Obſtructione Hepatis.

MIles egregius poſt inordinatam vivendi rationem multis annis peractam, & labores in itineribus perpeſſos, & moleſtias, in regionum mutatione, & ab aeris inclementia à frigore, & calore toleratas aeri nativo reſtitutus, pro ſuarum rerum familiarium curatione, incidit in febrem duplicem tertianam, quæ in vigeſima ceſſavit relicta duritie in regione Hepatis, & poſt quindecim dies fluxu alui cum excrementis varii coloris, ſed bile excedente correptus fuit, quæ adeò moleſtia eſt, ut decem, & duodecim curſus habeat in die, noctemque inquietam, & cum pauco ſomno ratione hujus ducere cogatur, & jam ſunt duo Menſes, quòd ab hoc ſymptomate affligitur.

Segregatam ab effervefcentia febrili materiam decubuiſſe in Hepatis parinchema cum tumoris præſentis formatione credo non eſſe dubitandum continuæ experientiæ innixus demonſtranti multas febres ſolui cum metaſtaſi humorum ad partem aliquam relicta in ea diſpoſitione, quæ morbi productum jure merito dicitur.

Deſcriptæ diarrheæ, quæ eſt immoderata excretio per alvum humorum ſine exulceratione inteſtinorum, cauſa debetur huic tumori, dum materia hunc generans glandulas miliares Hepatis bilis ſeparationi dicatas, vel obſtruit, vel comprimit, ut debita ſeparatio prædicti humoris exequi non poſſit, unde in venis retenta diſſolutionem inducit in aliquas partes ſanguineæ maſſæ, & fermentatione inducta ſimili medicamento catartico, ſegregationem continuam humorum facit, qui præter acrimonoiam ab eorum depravatione acceptam, à bile admixta aliam nanciſcuntur, & ita ſegregati per arterias inteſtinis infixas in horum cavitatem exundant, ubi irritamento inducto, per propriam acrimoniam ad expulſionem excitantur inteſtina, & eodem irritamento laceſſita vaſa lymphatica per inteſtina, & Menſenterium diſſeminata, & ductus pancreaticus, vel per immediatam dictorum humorum ſubſtantiam, vel per halitus ab eis emanantes, vel per corrugationem inteſtinorum à vellicatione factam, ſerum de ſe promunt, & ſuccum pancreaticum in fluxus augmentum, quo pacto irritari etiam poteſt ductus Colidocus ad deponendam illam portionem bilis, quæ ſeparatur in Hepate, cùm omnes glandulæ non ſupponantur obſtructæ, vel quæ generatur in glandulis Cyſtis fellis, ſi veritatem meretur ſententia talem generationem ſuſtinens.

Diuturnus eſt hic fluxus, quia obſtructiones contumaces, & quia ſanguinis mala diſpoſitio introducta fuit ab erroribus dietæ, à Cœli inclementia, & laboribus.

Obſtructiones ergo tollendæ, & Maſſa ſanguinis depuranda, & fluxus cohibendus, quòd non adeò facile erit, cùm corpus ſit, & morbo, & laboribus extenuatum, & ætas provecta non tamen deſperandum, quòd à generoſis remediis ad priſtinum ſalutis ſtatum reduci poſſit.

Præmiſſa univerſali purgatione ſine ſanguinis miſſione ob virum languorem; in electione deobſtruentium, ea fugienda in principio, quæ fermentationem augere poſſunt, ut ſunt volatilia valida alkalica, à quibus major fluxus excitari poteſt, non ſolùm augmento fermentationis, quo major perficietur humorum diſgregatio, & ſeparatio, ſed volatilitate majori bili impreſſa partes purgantis validioris exequetur, ſicuti acida valida, quæ acriorem bilem reddent, & atræ bilis generationem facient, unde, cautè in his procedendum, ex quo aptiora puto ea, quæ à Tartaro, Antimonio, & Marte parantur, ut ℞. Succi Abſynthii condenſati ℈. ii. Croci Martis ℈. ß. Salis tart. volatilis gr. vi. vel fixi hujus loco ℈. ß. f. b. cui ſuperbibat Vinum, in quo maceratæ fuerint ſummitates Abſynthii, Praſii, & Eupatorii, omni quarto die exhibeatur pulvis Mirabol. citrin. Indorum an. ʒ. 1. ad purgandum, & corroborandum, & per quindecim dies in hoc remediorum genere inſiſtat, poſteà per alios quindecim dies exhibeatur Tinct. antim. ℈. 1. Tart. ℈. ii. Chalybis vitr. deſcript. Conſult. 54. ℈. ß. Syrup. Coral. ℥. 1. Aqu. Capil. Vener. Abſynthii, Gram. an. ℥. ii. m. Ultimo loco per decem dies utatur Bezoardico martiali ad gr. x. Arcani duplicati ℈. 1. cum ſale Abſynthii, Spirit. vitriol. coagul. ℈. ß. Pulv. viper. ℈. ß. ſuperbibendo poſt horam jus Pulli, quibus reliquum obſtructionum auferetur, & maſſa ſanguinis corrigetur interpolatim ſumendo ſupraſcriptum pulverem Mirabolanorum. Ultimò pro Hepatis corroboratione ℞. Cinam. electi ℥. 1. Maſticis ʒ. ß. Specier. Diarodon. Abbatis ʒ. 1. ß. Coral. rub. ℈. 1. Salis Abſynthii ʒ. ß. cum Saccharo diſſoluto in aqua fœniculi f. Electuarium, de quo capiat ʒ. 1. omni mane. Optima dieta utatur.

Tartarum fit volatile, ſi ſal ejus optimè calcinetur, poſteà ei affundatur ſpiritus vini, & deſtilletur, exit enim aqua inſipida, novum ſpiritum vini adde, donec exeat ſpiritus vini, quomodo fuit affuſus. Tartari ſal ſpiritu vini imprægnatum retortæ committe, deſtilla, exibit ſpiritus tartari volatilis, quod in retorta remanet exime, & ei affunde novum ſpiritum vini modo ſuperius dicto, quando hoc ſatiatum fuerit, deſtilla per retortam, ut dictum eſt, & has operationes reitera, donec totum ſal tranſeat per retortam; Has deſtillationes ſimul junge in Pellicano, & per xx. dies permitte circulari, poſteà dephlegma, & habebis ſpiritum tartari volatile oleoſum.

CONSULTATIO LXXII.

De Diarrhea cum Febre.

NObiliſſimus Eques æſtate præterita febre tertiana duplici vexatus convaluit, intermiſſa Purgatione, ad quam Medici invitabant. Per Autumnum Scabies erupit, quæ accedente frigore Hyemis evanuit; diebus Baccanalibus hujus anni multos commiſſit errores in Venere, gonorheam contrahendo, & etiam in victus ratione, præcipuè in Oſtraceis, & vino generoſo, unde Diarrhea correptus fuit, materia erat aquea bile tincta, poſt duos dies febris invaſit cum typo duplicis tertianæ invadentis cum aliquo ſenſu frigoris, calor erat auctus, ſed parvæ durationis in ſtatu, ſitis moderata, urinæ turbatæ,

cum

cum Diarrheæ continuatione, in ſeptima febris ſine ſigno apparuit, & facta fuit continens cum alui fluxus continuatione, materia ejus erat bilioſa, craſſa, & fœtorem cœpit redolere, aliqua ſingultus prælaudia habita ſunt, ſed non frequentia, urinæ clariores apparuerunt.

A parva victus ratione cumulatæ cruditates, & auxilio venerei actus immoderatè exerciti magis auctæ debilitato calore, & facultate concoctrice, materiam præbuerunt primò Diarrheæ, deindè febri, materia cruda, & craſſa intra vaſa Hypocondriorum translata, cùm obſtructione vaſorum humor in his contentus depravari cæpit, acquiſita qualitate acri, & fermentativa, cujus vi obſtruente impedimento ſuperato, circulationis curſum reaſſumpſit humor priùs ſtagnans, & per reliqua vaſa ſanguinem continentia fluere incœpit, hunc fermentivi ad inordinatam in corde effervefcentiam ſuſcipiendam cogendo, & impedimento priori ſtatui redacto humori motum defendendo, quia non abraſum, ſed perterebratum fuit, humor ſtagnans depravationi condemnatus fuit, uſque dum qualitate fermentativa, & acri concepta, altera die impedimentum ſuperatum fuit, unde modo ſuperius dicto effervefcentia inordinata ſanguinis, & novus paroxiſmus, hoc enim ritu febres per acceſſiones redeuntes invadunt, vel in eodem loco renovata obſtructione omni die ſuperata, vel in diverſis, alternis diebus devicta.

Ab effervefcentia febrili ſanguis ſuæ compagis laxitatem adeptus, principiorum eum conſtituentium diſſolutionis initia ſuſcepit, & eò magis, cum in tali effervefcentia ſalinæ partes exaltentur, unà cum ſulphureis, quæ ſua corroſione, & impetu laxitatem, & diſſolutionem coadiuvare valent, in hac diſſolutione præceſſit, primò ſegregatio excrementorum à ſanguinis natura degenerantium, quæ relicta fuerunt à febre preterito anno excitata, purgatione eorumdem recuſata, & quamvis horum evacuationi natura providere cœperit tranſmittendo ad cutim, unde ſcabies, perfectè tamen exequi non potuit ob hyemalis tempeſtatis rigorem hunc motum humorum impedientem ad exteriora.

Secundò præter excrementa in ſanguine contenta ſegregantur etiam portiones ſanguinis, à præternaturali motu iſtius, & mala qualitate fermenti ſalini, & ſulphurei exaltati depravatæ, & in aliam naturam converſæ cum putredinis nota, quòd facilè contingit non ſolùm ratione motus, quo alia combinatio particularuum portioni ſanguinis impartitur, humorem à natura alienum conſtituens, ſed etiam, quia in tali motu inordinato ſanguinis hujus portiones ita laxantur, ut ſpiritum inſitum, in quo naturalis calor fundatur, fugam arripere permittant, putredine ſubeunte, quæ eſt interitus caloris in humido. Hinc diarrhea ab alimentis pravis, & à concoctrice debilitata incipiens, ſuæ continuationis progreſſum, & durationem ſuſcepit, à prædictis excrementis, & humoribus putridis ſegregatis, ope fermentationis febrilis, & in cavitatem inteſtinorum eructatis ab extremis orificiis arteriarum in eam deſinentium, & portio aliqua craſſa ſero mixta, cùm hoc per urinam excreta eas turbidas reddit.

Ab humoribus putridis, & de novo genitis, ab immoderato motu effervefcentiæ ſanguinis diarrheam foveri ex hoc colligo, quod hæc eſt copioſa, & perſeverans, & habitus patientis non eſt Cacochimus, unde ſi ſolùm excernerentur excrementa in ſanguine collecta à prædictis cauſis brevioris eſſet durationis, nec àdeò copioſa, exiſtimandum ergo eſt, ob ſui durationem, & copiam quotidie de novo excrementa generari, quòd fieri non poteſt, niſi bonus ſanguis in illa degeneret, cùm victus ratio, qua utitur ſit valdè inferior materiæ excretæ, & magis confirmatur à febre de intermittente in continentem mutata, cum indicio certo diſgregationis principiorum ſanguinis, & omnium ferè particularum ad iſtius conſtitutionem ingredientium; cujus ſemper comes eſt aliquarum portionum in putredinem degeneratio. A principiis, & particulis ſanguinis diſgregatis fit continens, quia ob laxitatem in tali diſgregatione contractam aptus eſt ſemper inordinatè effervefcere in corde eodem modo, & od alias rationes à Villiſio in ſuo tractatu de Febribus doctè, & eruditè expreſſas, ad quas Lectorem remitto.

Singultus apparens à tranſmiſſione materiæ ab arteriis in membranas ventriculi proficiſcitur, quæ acrimonia ſuſcepta à ſalinarum, & acidarum particularum exaltatione facta à motu ſanguinis, & calore febrili vellicando, eſt in cauſa, ut ſingultus in conatu ventriculi pro excuſſione prædictæ materiæ edatur. Urinæ clariores apparuerunt, poſtquam febris facta fuit continens, quia motu in ſanguine aucto, tota materia putrida ad inteſtina deicitur.

Pro curatione recenſitæ cauſæ, primò indicant humores excrementitios, & putredine cumulatos eſſe evacuandos; ſecundò febrilem effervefcentiam eſſe ſedandam, vel moderandam cum concentratione, vel expulſione fermenti ſalini ſulphurei exaltati; tertiò ſanguinis compagem eſſe conſtringendam, ne in totalem ruat diſſolutionem; quartò ejuſdem Maſſam acriorem factam dulcificandam; quintò obſtructiones, quæ febris duplicis tertianæ dederunt occaſionem, & quas perſeverare credimus ob diſpoſitionem malam ſanguinis referandas; ſextò ſingultui occurrendum, calori, & ſiti, quæ ſunt febrilia ſymptomata; ſeptimò vaſa corroboranda, quibus ſatisfacere arduum erit, pravo pronoſtico emiſſo.

Incipienda Curatio à Purgatione cum Caſſiæ ℥. ß. Rhaub. toref. ʒ. 1. Mirabol. citrin. ℈. iiii. pro effervefcentia minuenda proponebam ſanguinis miſſionem rejectam ab Excellentiſſimo Viro duplici fundamento; primò quia erat contrà vulgare præceptum Galeni expreſſum in illa decantata ſententia, fluente aluo venam non ſecabis. Secundò, quia non erat indicans miſſionem ſanguinis, cum diarrhea excrementorum abundantiam connotet, cui debetur purgatio, non ſanguinis miſſio indicata ſolùm à plenitudine.

Primo fundamento reſpóndebam præceptum Galeni valere, quando Patiens duas evacuationes ſuſtinere eſt impotens, ut in dictæ ſententiæ prolatione ſe expreſſit Galenus, non autem quando Patientem robuſtum præ manibus habemus, cum tali virium robore idonea ad ferendam talem evacuationem unà cum diarrhea, ut in caſu noſtro, conſequenter præceptum Galeni non habere locum, ſtante ejus limitatione in caſu noſtro non concurrente. Secundo fundamento reſpondebam falſum eſſe venæ ſectionem indicari à ſola plenitudine, cùm motus ſanguinis inter illa indicantia ab omnibus enumeretur; In caſu autem noſtro ex urina turbata in principio febris apparente motum ſanguinis inordinatum colligebam non minoris periculi, quàm quando ad aliquam partem etiam principalem fluit, cum eſſet motus ad diſſolutionem ſanguinis, & putredinem totalem tendens, ex quo concludendum erat, quòd ſi motus ſanguinis ad partem principalem, venæ ſectionem indicat, motus ad putredinem tendens eam etiam indicabit, cùm periculum non ſit minus in hoc, quàm in illo caſu, & ad rationem allatam, quòd humores peccantes erant excrementitii, quibus non debetur venæ ſectio, ſed purgatio, dicebam apud me valere, quando hujuſmodi humores actu ſunt in venis, conſtituentes cacochimiam univerſalem, vel particularem, quamvis adſint Authores etiam in hac ſanguinem mittentes, quorum fundamenta ratione, & experientia comprobata recenſet Hoffmanus in ſua Methodo medendi. In propoſita verò materia nihil concludere, & pro flocco excutiendam eſſe, humores per aluum excreti non actu exiſtebant omnes in maſſa ſanguinea, ſed à putreſcente ſanguine vi ſui motus inordinati, & fermentorum activitate proveniebant, unde vera indicatio erat motum ſanguinis ſiſtere, vel frænare, & fermenta diſſipare, ad hoc autem præſtandum tutior erat venæ ſectio, qua ſola motum ſanguinis inordinatum in ebullitione ejus ſedari innumeræ obſervationes teſtantur, & Medicorum dogmata perſuadent, illam præſcribentia, & eò magis, cum fermenta ſanguini mixta illo exeunte tranſpirent, ubi purgatio cum ſuum non obtineat effectum, niſi fermentatione, hac putredinem, & ſanguinis diſſolutionem accelerare poteſt, & ferociora reddere fermenta. Et hoc totum confirmabatur ex eo, quòd omnes practici in Diarrhea bilioſa à calore Hepatis non formidant ſanguinem mittere ad iſtius refrigerium, intendendo auferre cauſam Diarrheæ, cum motus ſanguinis inordinatus in hoc Patiente eſſet cauſa Diarrheæ, ut ſuperius oſtenſum eſt, hic erat ſedandus, & pro hoc ſolùm faciebat ſanguinis miſſio à motu ſanguinis indicata, & non ſolùm locali, ſed etiam fermenta-

mentativo, ut ſuperiùs dicebam de ebullitione ſanguinis, & oſtendunt vina fermentatione valida agitata, quorum portio, ſi educatur, minuitur.

His tamen non obſtantibus valuit Excellentiſſimi Viri auctoritas, & prætermiſſa fuit venæ ſectio uſque tranſacta quarta diminuto alui fluxu. In ſeptima verò facta febre continente cum duratione fluxus adhuc proponebam alteram ſanguinis miſſionem cum febris continens facta totam maſſam ſanguinis affectam oſtenderet, & conſequenter cum indicatione minorandi ſanguinem; nam hujus vitium cum redundantia etiam humorum excrementitiorum plenitudinem ſecundum quid conſtituit, præcipuè in habitu non perfectè cacochimo, ut erat illud Patientis noſtri, quæ ex omnium conſenſu miſſionem ſanguinis indicat, cui rationi accitæ ſuperiores apud me efficaciſſimæ nihil valuerunt ad movendos duos Archiatros ad hujus remedii executionem, ad quam in tali caſu promovendam nihil me retardaret, & pro maximo crimine haberem eam intermittere, adeò convictus ſum dictis rationibus, itaut ſi febris cum Diarrhea adeſſet continens, & in habitu perfectè cacochimo non prætermitterem ſanguinem mittere, & cenſerem cacochimiam ſolùm prohibere excendentem, & copioſam ſanguinis eductionem.

Pro ſedanda eadem effervefcentia unicum exiſtimabam remedium per ſudorem expellere fermenta ſalino-ſulphurea excitata, & volatilizata à febrili effervefcentia, ad quod exequendum propoſui ſequens remedium ℞. Bezoar. occid. gr. xx. Cinnabr. antim. optimè præp. ʒ. I. Bezoardici ſolaris gr. v. m. ſuperbibendo aquam Card. bene. Galgæ, Scerzonoræ an. ℥. iii. Theriacalis Saxon. ℥. I. ß. m. Salia volatilia in hoc caſu fugienda cenſebam, cùm valdè ſanguinem exagitent, & ſudore non educto diſſolutionem integram accelerare poſſint, quamvis his non proficientibus, nec intentioni correſpondentibus ab eis non abſtinerem, cùm melius ſit anceps, quàm nullum experiri medicamentum; dictum tamen remedium priùs per tres ſaltem vices exhibendum eſt. Ante prandium præbeatur ſequens Pulvis ℞. Marg. præp. Coral. præp. an. ℈. I. Antim. diaph. ℈. ß. Bexoartici martialis gr. vi. m. exhibeatur cum aqua cordiali Saxoniæ, addito Balſamo Salis ad ℈. ß. quibus tertiæ, & quartæ indicationi ſatisfactum erit; hæc enim medicamenta fermenta extranea mortificando ſanguinis compagem reſtituunt, ejus dulcificationis inſerviunt. Pro alterante ante prandium per quatuor horas utatur Decoct. Rad. Tormentillæ, Biſtortæ, Borag. fol. Scordii, Rutæ Caprariæ, Acetoſæ ℥. vii. cum Pulv. Bezoart. martial. gr. x. quibus obſtructioni, & vaſorum corroborationi ſatisfaciemus, & quamvis in Decoctione aliqua ſint adſtringentia, hæc tamen acidum coagulans, & obſtruens imbibendo obſtructionem auferunt. Pro ſingultu exhiberem Emulſionem Semin. melon. & Amygdal. dulcium factam cum aqua florum papav. errat. & Malu. an. ℥. iiii. Iulap. perlati ℥. ß. Nepentes gr. iiii. Confect. ex Hyacint. s. o. ʒ. I. Oculor. Cancr. ʒ. I. Antim. diaph. ℈. I. Sulph. aurati vitriol. ℈. I. m. Victus ratio his correſpondeat.

CONSULTATIO LXXIII.

De Diarrhea à bile vitellina, & Febre.

NObiliſſimus Eques, ætatis annorum quadraginta novem temperamenti calidi, & humidi cum melanchoJia, copioſæ ſpiritus vini potationi indulgens febre tertiana ſimplici intermittente correptus fuit, quæ per undecim horas ſua percurrebat tempora; poſt ſextum paroxiſmum facta fuit duplex tertiana, ſed intermittens, in decima quarta die à morbi principio continua apparuit, & fluxus alui erupit bilis vitellinæ ſinceræ in magna quantitate, & hic fluxus perdurat, nullius partis læſio apparet, præterquam in regione lienis quædam tenſio preſſioni cedens obſervatur.

Febris ab obſtructione vaſorum in Hypocondriis orta fuit, & in duplicem tranſivit, obſtructione alio in loco genita modo ſuperiori Conſultatione deſcripto, & in continuam degeneravit ex diſpoſitione mala ſanguinis, qua ſuſceptam à fermento febrili effervefcentiam in ſe continuare valet, quæ mala diſpoſitio ex dicendis eruetur.

Pro inquirenda cauſa fluxus bilis vitellinæ ſinceræ ſupponendum, ex ſapientiſſimorum Anotomicorum Sententia, bilem in liene à peculiari ejus fermento præparari, ex aduſtis retorridis ſanguinis particulis lixivio ſale, & ſulphure aduſto conſtantibus, quæ poſteà in Hepate ſeparantur, & pro talis fermenti acrimonia, & activitate bilis differentias conſurgere, conſiderandum modò per immoderatum uſum ſpiritus vini multas partes ſanguinis in hoc nobiliſſimo Patiente aduſtionem paſſas fuiſſe, & præ copias, lienis poroſitates ex aliqua ſaltem parte in interiori etiam ſua ſubſtantia impletas fuiſſe, unde ejus tenſio, locum verò circulanti ſanguini remanſiſſe credendum eſt ex carentia illorum ſymptomatum integram lienis obſtructionem concomitantium. Hæc materia retorrida lienem infarciens à calore febrili exaltata acre fermentum lienis reddidir, & ab eo magis attenuata, in bilem commutata fuit. Quo modo etiam ſeparatæ ab effervefcentia febrili portiones eiuſdem materiæ in ſanguine concentratæ, ab eodem fermento in bilem fuerunt elaboratæ, & hujus acrimonia puriores etiam, ſed craſſiores, & ſale refertæ particulæ ſanguinis, velut aduſtione torrefactæ in bilem degenerarunt, eo modo, quo Boreas ventus deferens partes ſalinas nitroſas acrimonia adurit arbores, fructus, & carnes ei expoſitas, unde maxima in corpore hujus redundantia, cujus incapax Cyſtis fellis, per vaſa ſanguifera circulando tamquam aliena à natura ſanguinis, & irritativa naturæ ab arteriis in inteſtinorum cavitatem evomitur, unde Diarrhea billioſa, vel dicendum fermentum lienis ſimpliciter à calore febrili auctum, & magis acre redditum maximam copiam particularum aduſtarum ab effervefcentia febrili collegiſſe, & ſeparaſſe, & ita fluxui huic bilioſo materiam, & occaſionem ſuppeditaſſe.

Bilis vitellina evadit, quia à calore febrili, & à fermento acri magis torrefacta minori humido ſcatet, unde craſſior, & in colore intenſior, & ab eiſdem majorem ſuſcipir acrimoniam, per quam à flava diſcriminatur.

Prius ergo curandum pro hujus Patientis ſalute fluxum moderare purgata materia in venis collecta, quæ purgatio inſerviet etiam pro materia febrili, vel concocta, vel ad fovendam febrem præparata evacuanda, modificato lienis fermento, cùm hoc ſymptoma ſit maximè periculoſum, & præcipuè, quia excretio eſt ſincera, ideò corroborantia vaſa ſunt adiungenda, non negligendo febrem, quæ effervefcentiæ ſedationem, obſtructionum reſerationem indicat.

Evacuabitur ergo bilis collecta cum ℥. vi. Syrup. roſ. ſol. & ℥. ß. Pulpæ Tamarind. diſſol. in aqua Plantag. ſuperbibendo ℔. iii. Seri caprini depurati, & chalybeati, poſteà in hora alterantis accipiat ſucci Boraginis ℥. iii. Seri caprini ſtillati ℥. vi. Tinct. tartari ʒ. ß. præmittendo bolum ex Diaſcordio ad ℈. ii. Cinnab. antim. ℈. I. m. quæ omnia pro bile moderanda, & obſtructione tollenda inſervient, & pro modificativo fermenti lienis. In febris ſtatu accipiat emulſionem ſem. melon. extract. cum aqua Plantaginis, & Portulacæ, addendo. Tincturæ Antim. ℈. I. ſola enim ſulphura mineralium puto in hoc caſu convenire, cùm fixent ſine mordacitate, & ſanguinem dulcificent, ſudorifera aliis non conferentibus opportuna cenſeo pro minuenda fermenti activitate; In tranſpiratione enim univerſali præternatura lienis fermentum expirare facilè eſt, & obſtructiones quandoque reſerantur, parentur ex Cornu Cervi, Bexoard. miner. vel Bexoar. Occid. & aquis appropriatis. Ante cibum capiat ſemper ſequentem pulverem. ℞. Coral. præp. Lapid. Ematitis an. ℈. I. Bezoart. mart. gr. viii. Margar. præp. ℈. ß. m. cum Aqua cord. Saxoniæ, Semina Coriandri ad ʒ. ii. & ad ℥. ß. pulveri, & cum aqua Plantag. epota pro arcano habentur ad fluxum cohibendum.

Clyſteres omni mane parentur cum lacte chalydeato, & ſucco Plantaginis, & lieni epithemata applicentur ex ſucco Sempervivi, Endiviæ, Plantaginis, & Abſynthii cum pauco aceto cedente fluxu deobſtruentia validiora exhibeantur ex ſale tartari vitriolato, vel chalybeato, vel volatili cum aqua Agrimoniæ, & Pulegii, conſtante fluxus vigore ſunt fugienda ratione acrimoniæ, & volatilitatis, quibus fermentum fluxum cauſans, vel acuitur, vel magis volatilizatur ſervata optima victus ratione.

CON-

CONSULTATIO LXXIV.

De fluxu Chyloſo.

Civis temperamenti frigidi, & humidi pituitoſi, frequenti fluxui ſalivæ craſſæ ſubiectus, & quandocumque vomitibus materiæ craſſæ, pituitoſæ, acidæ, diarrheam paſſus eſt per aliquot dies materiæ viſcoſæ, & ſpumoſæ cum aliis excrementis mixtæ, cui ſucceſſit fluxus albicantis materiæ fluidæ, poſt quem corpus cœpit emaciari, & febris lenta, ſed continua, pauci ſunt dies, quòd eum corripuit, cum antea ſemper immunis fuiſſet.

Salivam eſſe horum accidentium radicem cenſeo, non deſtillationem à cerebro ad inferiores partes deſcendentem, & quamvis illa à vaſis capitis defluat in os, & per Æſophagum, è cerebro tamen originem non trahit, ſed à glandulis parotidibus præparatur, & per vaſa particularia ſalivaria dicta in oris ſpatium affunditur, eſt copioſa, quia glandulæ ſuis poroſitatibus laxis, & ampliotibus abundantem humorem ſeroſum recipiunt à temperamento frigido, & humido copioſè collectum, craſſa, quia ſerum eſt acidum; temperamenti enim frigidi conditio acidum ſuperabundans ſecum trahit, unde ab Antiquis omnia acida frigida dicta fuerunt, & ventriculum frigidum plus appetere ratione aciditatis coniunctæ cum frigiditate, quàm concoquere, & in præparatione à fermento glandularum peracta acidum tam ſeri, quàm glandularum coagulat pauliſper ſalivam, unde craſſities.

Hæc ventriculum penetrans ſua craſſitie ei adhæret, & fermenti iſtius operationem impediendo depravatas reddit alimentorum concoctiones, cum excrementorum generatione, à quibus & aliquando Vomitus, modò Diarrhea originem traxit excrementis, & ſaliva per inteſtinorum viam delatis, & hæc in excretis unà cum ſaliva, tam in ventriculo, quàm inteſtinis collecta, in eis apparet ſub ſpecie mucoſitatis, viſcoſitatis, & ſpumæ.

Ab hac obſtructis orificiis venarum lactearum in ſuperficiem inteſtinorum, vel cruſtæ villoſæ apertis Chyloſo fluxui cauſa poſita fuit, materia enim illa alba, levis, fluxibilis, ceu Chylus à fœcibus ſeparatus in inteſtinis, ingreſſum pro majori ſui parte per lacteas non inveniendo, inteſtinorum viam, cum fœcibus alvinis proſequendo, unà cum eis excurrit, & excernitur, unde Macies corporis, deficiente huic alimento pro reſtauratione partium continentium, & contentarum, ſanguineæ etiam Maſſæ denegatis particulis chyli dulcibus, quibus ſuarum partium acrimonia, nempè ſalinarum dulcificatur, hæ continua effervescentia exaltatæ fermenti naturam induunt, quo illa diſponitur ad præternaturaliter effervefcendum in corde, unde febris, ſed lenta, quia ſanguis depaupetatus ſpiritu, ebullitionem inſignem ſubſtinere non eſt aptus.

Pro curatione ergo depurandus Ventriculus, & inteſtina à quantitate Salivæ, ſivæ Pituitæ, obſtructiones vaſorum lymphaticorum reſerandæ, febrilis effervescentia moderanda, & humorum acrimonia dulcificanda, ſeri copia alio divertenda, & aciditas mortificanda.

Primæ indicationi ſatisfaciemus cum Mel. roſ. ſol. ℥. v. diſſoluto cum aqua fœniculi ſuperbibendo poſt tres horas ℔. iiii. Seri Caprini depurati; ſi febris non prohiberet, Aqua Tetutii magis opportuna eſſet, & cum fructu majori ſumeretur, & per alios tres dies exhiberem ejuſdem Mel. roſ. ſol. ℥. iii. cum ʒ. I. Salis tartari fixi cum ſero Caprino depurato, ſuperbibendo reliquum, quod requiritur ad quantitatem quatuor librarum intra horam; præparandum quod remanet materiæ cum aqua Abſynthii, Fœniculi an. ℥. iiii. Syrup. de quinq. rad. ℥. I. Salis tartari fixi ʒ. ß. Abſynthii ℈. I., Pulv. rad. Ari ℈. I. m. & poſt tres dies reiterandum Mel. roſ. ad ℥. iiii. cum Seri Caprini depur. ℔. iiii. ſi pro febrili effervescentia opportuna exiſtimabitur ſanguinis miſſio in hoc tempore præparantium erit exercenda. Obſtructiones tollentur cum decoct. rad. Ari, Ariſtol. rot. Fœniculi, Petroſel. fol. Eupatorii, Agrim. Chamed. roſmar. cum gutt. xii. ſpir. Salis dulcif. præmitttendo bolum ex Gum. ammon. Extr. gentianæ an. ℈. I. Salis roſmarini, Salviæ an. ℈. ß. m. & hoc per xv. dies, interpolatè utendo Pilul. tart. Quercet. pro virium robore, à quo doſis, & frequentia eſt deſumenda, poſteà per octo dies exhibeatur Decoctum ligni Saſſafras cum gutt. vi. Elix. prop. Salis tart. volat. ℈. ß. Tempore medio inter prandium, & cœnam exhibeatur Emulſio ſem. melon. extracta cum aqua Agrimoniæ, quæ non ſolùm inſerviet pro febrili effervescentia, ſed etiam medicamentorum calorem corriget, licèt meo judicio non ſint timenda, quia conveniunt temperamento naturali frigido, cauſæ morbi, quæ eſt humor craſſus, & obſtructioni, & acido ſanguinis, cùm ſint, alkalica, & aromatica, quæ acidi vim enervant. Febris cum pro ſymptomatica habeatur ob defectum particularum alimentorum præparatorum, quibus maſſa ſanguinis ſolet dulcificari, aperta via chylo, ut ſanguini miſceatur eradicabitur, quod fiet medicamentis ſuperiùs deſcriptis, diverſio ſeri eſt procuranda per urinam cum pulvere ſemin. Dauci, Ocul. Cancr. an. ʒ. I. cum aqua aſparagor. & Petroſel. an. ℥. iiii. in qua diſſol. fuerit ʒ. I. Salis Prunellæ, & hoc quando fluxui proviſum erit. Acido naturali maſſæ ſanguineæ providebitur cum Vino medicato ex ligno Sancto, Saſſafras, Baccis Juniperi, fol. Roſmarini, Salviæ Lavendulæ, Origani, & rad. Ari, Ariſtolochiæ, Angelicæ, Zedoariæ, & Fœniculi, quo ſuperflua ſeroſitas etiam exſiccabitur, & poroſitates glandularum à nimia humiditate laxatæ, & dilatatæ reſtrictionem accipient ab exſiccantibus, & ventriculo tonus reſtituetur ſervata in ombibus optima Victus ratione.

CONSULTATIO LXXV.

De Diarrhea cum febre à toto.

Civis ætatis annorum quinquaginta quinque temperamenti melancholici, variis curis vexatus in principio æſtatis correptus fuit frigore, & tremore univerſali, cui poſt horam comes factus eſt alui fluxus materiæ ſeroſæ, flavo colore tinctæ, frigus per ſeptem, vel octo horas duravit, poſteà parùm incaluit, cum pulſu parvo, debili, frequenti, & cum magno virium languore.

Animi paſſiones moleſtæ à curis, & afflictionibus excitatæ, ſicuti ſpiritus noſtri corporis opprimunt, ita etiam illorum functiones depravant, unde non mirum, ſi hic Patiens à variis curis afflictus, depravatis concoctionibus, ſeroſas cruditates collegerit, eorum quotidianæ expurgationi, invalidis redditis fermentis, partium huic deſtinatarum; ab eadem ſpirituum oppreſſione; non enim operantur fermenta, niſi à ſpiritu corporeo excitata, unde hoc oppreſſo, illa languent, & debilitantur.

Has ſeroſitates in acido peccare perſuadent temperamentum melancholicum, acido generando opportunum, curæ per multum tempus moleſtantes, frigus validum præteritæ Hyemis; quæ ad acidi generationem facere experientia comprobat. Calor æſtatis liquefactionem majorem in maſſa ſanguinea inducendo, his ſeroſitatibus, reliquis particulis unitis libertatem conceſſit, cum diſgregatione ab illis, & acidum illarum potens magis reddidit, prout eſt ſolitum caloris, quapropter multas ſanguineæ maſſæ particulas coagulavit, juxta acidi naturam, à quibus obſtructio facta fuit in vaſis circa Hypocondria, qua alteratus humor in eis contentus modo alibi dicto de febrium generatione, & ab eodem vi acceptæ alterationis, ſuperato impedimento obſtructionis, ſecundùm doctrinam de febribus in aliis Conſult. expreſſam, febrem cùm rigore induxit, ex quo vitium humoris in obſtructo vaſe contractum in aciditate conſiſtere colligitur.

In paroxiſmo febrili, ab acida materia febrili coagulatus magis ſanguis, ex ſuis viſceribus majorem ſeri acidi quantitatem expreſſit, & arteriæ à frigore contractæ, per minori extenſione ſanguinis evomuerunt ſeroſitatem in cavitatem inteſtinorum, à cujus intenſa aciditate validè irritata, membranoſas totius corporis partes in conſenſum ſuarum contractionum induxerunt, à quibus tremor, & frigus in totum invaluit, eo modo, quo à re acri ſuſcepta vellicato ventriculo totum corpus rigores, & tremores patitur.

Eiſdem contractionibus inteſtinorum concuſſa Cyſtis bilis abundantius emiſſit contentum humorem, ſua flavedine ſeroſitatem tingentem; in eodem paroxiſmo ab acido ſuppreſſi ſpiritus in ſanguine, craſſitieque inducta, cum prævalentia acidi ſanguinei, ſemper in tali depreſſione ſunt detenti, & ſanguis in contracta craſſitie permanſit, unde pulſus parvus, & debilis impedita à dictis cauſis rarefactione magna ſanguinis, à qua pulſus magnus, & ab acido irritante additur ei frequentia.

Ab hujuſmodi diſpoſitione ſanguinis continua ſeri expreſſio fit, & aliquibus particulis per ſpirituum deficientiam mortificatis, & ſeparatis, eo modo, quo in lacte coagulato contingit, fluxus protrahitur, cyſtibilis ſemper in conſenſum ducta, & ita eadem ſymptomata perdurant.

Quando dico ſanguinem coagulatum, non intelligo de totali coagulatione, qualis cernitur in lacte, alioquin non flueret, & vita extingueretur; ſed quod ſanguis craſſitiem talem accipiat, cum conſervatione fluiditatis, per quam impotens evadat ad ſuſcipiendam rarefactionem magnam, vel naturalem, vel quod propter craſſitiem fluidam aliquæ particulæ ita coagulentur, ut lac, quæ à fluidis delatæ toti maſſæ fluiditatem non interdicunt, ſed diſiunctæ à cæteris, ſeri ſeparationem adiuvant, cordique conſignatæ pro irritamento inſerviunt ad citiorem expulſionem alterius ſanguinis, unde pulſus frequens, & parvus, quia non permittitur reliquum ſanguinis rarefieri, ut decet, & hic ſua craſſitie, & ſpirituum concentratione rarefactionis debitæ non eſt capax in tam brevi temporis ſpatio quale eſt illud, quod in corde moratur. Hinc patet ratio languoris virium, dum à concentrato ſpiritu, à craſſitie ſanguinis, & à rarefactione illius parva, ſpiritus pauci à ſanguine extrahuntur, & conſequenter vires redduntur debiles, cùm robur iſtarum à ſpirituum multitudine habeatur.

Acidum ergo in hoc affectu corrigendum, ſanguis coagulatus diſſolvendus, obſtructiones aperiendæ; quod unico remediorum genere efficitur; nam acidum corrigentia omnibus aliis indicationibus ſupplent; ultimo loco vaſa corroboranda.

Attenta virium proſtratione, & ſpirituum defectu, à purgatione, & ſanguinis miſſione abſtinendum judico, & pro acidi correctione exhibenda aqua Pulegii, Fœniculi an. ℥. iii. Syrup. de Sthœcade ℥. 1. præmittendo bolum ex Diaſcordio. Theriaca an. ʒ. ß. Salis viperini gr. vi. Spirit. Fulig. gutt. iiii. m. vel loco aquarum ſumat decoctum rad. Galangæ, Acori, Saſſafras, fol. Roſmar. Satureiæ, Calaminthæ, Cariofilatæ. Lambitivi loco utatur hac aqua. ℞. Aquæ totius citri, Meliſſæ, Pulegii an. ℥. ii. Aquæ Theriacal. Cinam. an. ℥. 1. Confect. ex Hyacintho ʒ. 1. Ambræ griſſæ s. p. gr. viii. Eſſentiæ ligni Aloes ℈. 1. Olei gariofilor. gutt. v. m. hæc remediorum genera communiter in febribus reprobata ob eorum calorem, mihi efficaciter, & ſine trepidatione perſuadentur à periculo minato ab acido coagulante, quod vidi in febrium acceſſionibus Mortem inferre, & niſi ei provideatur ſanguinem liberando ab hac coagulatione, imminet ejus corruptio, vel ut ita dicam, ſphacelus, quia extinguetur in eo calor, vel ſpiritus ſuffocabitur. Ante cibum utatur hoc Pulvere ℞. Margarit. præp. ℈. 1. Coral. præp. ʒ. ß. Terræ ſigil. ℈. 1. Ambræ gr. ii. m. cum aqua Theriac. Petri Salii. Refocillatis viribus, & pulſu ſuam elevationem recuperante, purgans Hydragogum exhibeatur, & poſteà relictis medicamentis deſcriptis utatur Sale tartar. volatili, vel Sali Roſmarini, & Gentianæ, & Tinct. Antim. vel Tartari pro reſerandis obſtructionibus. Quodſi fluxus alui operam medicam exigat, corroborabimus vaſa, Decocto tormentillæ, Biſtortæ, Plantag. cum Syrup. Coralor. optima ſemper ſervata in omnibus victus ratione.

CONSULTATIO LXXVI.

De Dyſenteria.

DYſentericus fluxus proponitur, prout excreta humorali ſanguine mixta manifeſtant. Hujus longitudo radicem in maſſa ſanguinea indicat fundatam, in fermento extraneo aliundè tranſmiſſo, vel ſanguini innato, ſimili eo principio naturali, cujus opera bilis naturalis, ex particulis ſanguinis generatur, iſto tamen in modo operandi magis efficaci: quapropter ſicuti bilis à fervido calore generatur etiam in ſtatu naturali, ita in hoc Patiente ab erroribus in violentis exercitiis, & in condimentis aromatizatis, auctus eſt calor, & cum eo fermentum cordis, & lienis, vel novum in ſanguinem introductum fuit, à quo copioſiores ſanguinis particulæ in bilem elaborantur cum acrimonia naturali majori, & hæ partim per arterias ad inteſtinorum Cloacam attractis ſecum aliis excrementis ſeroſis, & craſſis, partim per vas cholidocum depluentes, in primis Diarrheam bilioſam mixtam effecerunt, quæ durationem habuit, ex eo, quòd à dictis cauſis calefacientibus talis eſt inductus calor in ſanguine, ut adhuc perſeveret cum continua bilis acrioris generatione, itaut per dictas cauſas poſſit dici ſanguinem craſim bilioſam contraxiſſe, & quia à continuo tranſitu bilis ſuo ſale lixivioſo in aliqua parte deterſum fuit mucum inteſtina obliniens, unà cum membrana villoſa, uſque ad detectionem vaſorum parvorum à dicta membrana villoſa firmatorum, à continuo affluxu iſtius materiæ iſta abraſa fuerunt, ulcere inducto, unde in excrementis ſanguis, & ſanies, ſeù pus, quod non eſt niſi ſanguis alteratus; exierunt cum dolore, corroſionis ratione exacerbatæ à tranſitu continuo humorum acrium, horum cauſa fœces à chylo ſegregatæ liqueſcunt, dum acrimonia humorum eas diſſolvit, & fluxibiles reddit. Hinc eſt, quod ex craſſarum, & naturalium fœcum apparitione in fluxu, vicinam prædicimus ſalutem, quia ſignum habemus deficientis acrimoniæ diſſolventis in humoribus ad inteſtina confluventibus.

Pro curatione humores acres geniti evacuandi, & modificandi, fermentum extraneum calidum, ſeu temperies intensè calida extirpanda, ne alii generentur, Ulcus mundandum, detergendum, & conſolidandum, quod exequi poſſe ſpero, cùm febris nulla adſit, ex cujus defectu ulcus, & ſordidum, nec depaſcens eſſe colligimus, & cum ad hoc non pervenerit, ſpem concedit de ejus ablatione, & curatione.

Et quia multa remedia Lactis, & aquæ Tetutii ſunt adhibita ſine levamine, nec adſtringentia opem tulerunt, idcircò propono; primò Bolum ex Tamarindis ʒ. ii. Rhaub. torref. ʒ. 1. ſuperbibendo poſt horam lib. quatuor, vel quinque lactis Aſinini, & hoc per quinque dies, quo mundificabitur ulcus, & humores evacuabuntur, & hoc exemplo Hippocratis, qui ad evacuandum humores tenues, & acres prædictum lac ad plures fæminas exhibebat. Poſt hoc Diaphorect. exhiberem, confectum ex Bexoar. occid. gr. xxx. Bexoart. miner. gr. x. cum aqua card. b. nihil enim efficaciùs pro volatilibus fermentis extirpandis ſine magna agitatione, cum hæc ſola præcipitatione, non diſſolutione, ut volatilia humores ſegregent, & fixatione fermenta exaltata deturbent, ideò in hoc affectu non niſi dictis Diaphoreticis utendum, & Antim. diaph. & replicarem per aliquot dies, niſi ſudor copioſus prima vice adeſſet, quia tunc uno, vel duobus interpoſitis diebus reiterandum eſſet, veſpere circa duas horas ante cœnam exhibere ſerum Caprinum deſtillatum, in quo priùs per diem maceratæ fuerint rad. Biſtortæ, Tormentillæ, Conſolidæ, fol. Pyrolæ, Alchimillæ, Plantag. Portulacæ, Borag. flor. Papav. errat. ℥. viii. Syrup. coral. ℥. 1. præmittendo bolum ex Diaſcord. Conf. ex Hyacintho an. ℈. 1. Extracti Contrahiervæ ℈. ß. Antim. diaph. ℈. ß. m. Ante prandium ſumat pulverem ex Perlis, vel Matreperla, Ocul. Cancr. Raſura Eboris, Terra ſigil. an. ℈. ß. cum aqua Menthæ, & totius citri an. ℥. 1. In die utatur Gelatina Cornu Cervi; Omni die paretur Clyſter ex aqua Tetutii cum Mel. roſ. fol. & poſt horam ab hujus reſtitutione paretur alter ex Decoct.

coct.

coct. Rad. Conſol. Tormentillæ, & fol. Hyperici, Hederæ terreſt. Pyrolæ, Alchimillæ, Saniculæ maris ad ℥. viii. ſolùm, addito Balſamo ſulphuris therebint. ad ʒ. ß. his enim detergetur ulcus, & conſolidabitur, apparente diminutione fluxus, & etiam ſaniei, adſtringentia convenient, ideò prędictis pulveribus, vel bolis addatur, vel Croc. Mart. adſtring. vel Bezoard. mart. vel illis intermiſſis paretur Pulvis ex illis racemis cum granis ſimilibus uvæ, qui tempore veris ad radices quercus creſcunt, foris purpureo, intus candido colore tincti, hi exſiccantur, & facto pulvere, & ad ʒ. I. exhibito, optimè corroborantur orificia venarum. Acini granatorum, & Uvæ paſſæ optimè exſiccati, & in pulverem redacti ad ʒ. I. idem præſtant, & maximæ efficaciæ eſt roſæ Sylveſtris ſpongia ad ſolem exſiccata, & in pulverem redacta, & cum Decocto quinque folii ad ʒ. I. exhibita. Victus ratio prædictis correſpondeat indicationibus.

CONSULTATIO LXXVII.

De Dyſenteria cum Febre.

NObilis Vir temperamenti calidi, & ſicci ætatis annorum trigintaquinque hac æſtate multum exercitatus eſt in venatione, circa initium autumni eum invaſit Febris cum rigore, & horrore, cui ſucceſſit poſteà calor ingens, in declinatione mota eſt alvus cum ejectione materiæ biliofæ vitellinæ, & atræ cum doloribus, & torminibus ventris, hæc evacuatio erat frequens, & altera die novo revertente paroxyſmo priori perdurante, cum eiſdem ſymptomatibus auctus eſt pariter fluxus, non ſolùm in copia, ſed in excretorum conditione, quia ſanguis aderat cum excrementis mixtus, & præcipuè cum mucoſitatibus, dolor, & tormina ſummè urgent, & bilis atra eſt in majori copia.

Sanguis cum excretis exiens hunc fluxum dyſentericum demonſtrat, & ulcus in inteſtinis eſſe factum ab humore bilioſo, vitellino, & atrabiliario, ille à flava bile magis incraſſata efficitur, hic à bile cum acido humore conjuncta, & omnes hi humores à toto venoſo genere proveniunt, quod ex eorum copia, quę non poteſt à cyſti fellis, & à ductu pancreatico ſubminiſtrari, colligitur, & à copia ſeri, qua dicti humores commiſcentur, quod ſolæ arteriæ emittere valent, horum collectio in venis, & generatio debetur fermento calido extraneo in eorum penetralibus inducto, ab erroribus enarratis, particulas ſanguinis ſulphureas, & ſalinas adurente cito, & in copia, eaſque gradu quodam combuſtionis incraſſante, unde bilis vitellina, cui commixtæ acidiores lymphæ particulæ, in atram degenerat, & hæ duæ ſpecies bilis in vaſis genitæ tamquam excrementa ambæ ſegregatę, ad commune, & magnum emunctorium depulſę, ut ſanguinis depurationi conſulatur, in cujus detrimentum conjurabant dyſenterico fluxui viam pararunt, ſua acrimonia tunicam interiorem inteſtinorum corrodendo, & vaſa iſti annexa ęquali corroſione lacerando, unde tormina, & dolores, ſanguinis exitus, & ulcus. Factus fuit hic motus humorum in declinatione febris, quia ab effervеſcentia febrili portio excrementorum prędictorum priùs in vaſis exiſtentium ſeparata fuit à tota maſſa, & ad inteſtina demandata, & quia febrilis calor ſanguinis aduſtioni confert, huic addito fermento concepto, ideò humores de novo generantur durationi fluxui contribuentes, cui confert etiam colliquamentum partium effectum à ſanguine acri reddito non tam à ſupradicto fermento, quàm ab effervеſcentia febrili.

Febris ab eiſdem principiis excitata fuit; nam dum à fermento prædicto ſanguis alterabatur, & depravabatur, præcipitatæ fuerunt particulæ craſſæ, quæ in vaſis Hypocondriorum fixatæ à circulante ſanguine ibi delatæ obſtructionem in his pepererunt, in qua depravatus humor in naturam fermenti pręternaturalis de bile magis participantis, ſuis halitibus in exitu ſuo poſt ſuperatum impedimentum emiſſis in membranoſas partes, illis minùs acrioribus, & halitu humido per mixtis rigorem, acrioribus verò, & magis ſiccis horrorem effecit, à reliquo verò humore circulationi reſtituto, ſanguinique verſus cor redeunti mixto, ſua vi fermentativa, & diſſolutiva, quia de bilis natura, ſanguinea maſſa ad validam, & excedentem effervеſcentiam diſpoſita fuit, in qua partes ſulphureę, & calidę abundanter excitatę calorem magnum in toto accenderunt, à quo ſanguis, magis attenuatus continuam effervеſcentiam pręternaturalem ſuſtinet, ad quam concurrit illa fermentatio, & motus ſanguinis, cujus opera humores ſupradicti ſegregantur pro expurgatione, eo modo, quo fermentatio ſanguini inducta à medicamento purgante alterationem pulſus efficit, unde febris continua habetur: niſi credendum eſſet jacta eſſe priùs obſtructionum fundamenta, & à calore, & motu, rarefacto magis ſanguine, majuſque ſpatium exigente, rapido curſu, & turgeſcentia per vaſa diſcurrente, & perveniente ad ea aliquali obſtructione, ſed non integra deformata, ob turgeſcentiam, & rapiditatem, non potuiſſe totum pertranſire, ſed in illis anguſtiis à ſui portione aliqua detenta, & incraſſata ob moram, exhalante ſpiritu rarefactivo, integra obſtructio facta fuit, unde febris modo dicto invaſit.

Via ad curationem ducens erit humores pravos purgare; ſecundò fermentum calidum hos generans, cum depravatione bonorum extinguendum; tertiò humorum acrimonia moderanda, ulcus abſtergendum, mundandum, & conſolidandum; quartò habitu reſpectu ad febrem, effervеſcentia ſanguinis præternaturalis ſedanda, & obſtructiones tollendæ, & ultimò vaſa corroboranda.

Pro Purgante utendum erit dictis in præcedenti Conſult. unà cum lacte Aſinino, quod non eſt reiiciendum præſente febre etiam valida, quia Dejectorium, & hoc modo, nec venas ingreditur, nec longam moram trahit in inteſtinis, quodſi videremus aliquod detrimentum inferre, eidem ſubſtituatur eadem quantitas ſeri, & per quatuor dies hoc replicandum. Præparabitur reliquum materiæ cum Seri caprini deſtillati, in quo bullierint rad. Tormentillæ, Acetoſæ, Biſtortæ cum fol. Plantag. Portulacæ, Raſura Cornu Cervi, & fruſtum Bezoartici mineral. in petia ligat ad ℥. viii. cum ℥. I. Syrup. Coral. & ſpirit. Vitriol. dulcif. ℈. ß. dum hæc pro alterante in hora minoris afflictionis febrilis aſſumentur. In augmento febrili Diaphoretica exhibeantur ſuperiùs in præcedenti Conſult. deſcripta, cum eiſdem aquis, vel ~~cum~~ Emulſione ſemin. Aquilegiæ, & Napi, vel Decocto Milii, nec in horum uſu expectanda eſt totalis humorum concoctio: nam agitur de extinguendo fermento morboſo volatili, quod concoctione non eget, & inſenſibiliter poteſt diſſipari; præterquamquod pro hujus tranſpiratione ſenſibili ſufficit, quod per ſudorem eliciatur illa portio materiæ feroſæ, quæ in paroxyſmo febrili ſeparatur, & quæ ſeparatione coctionem eſt ſortita, in horum uſu ſervanda citata Conſult. adnotata. Ante cibum accipiat ſequentem Pulverem. ℞. Marg. præp. ℈. ii. Antim. diaph. gr. xv. Terræ ſigil. ℈. I. m. cum aqua Boragin. Pro ulcere non habeo meliora illis deſcriptis citata Conſult. niſi quod ſupradictis Clyſteribus poterit addi cum maximo fructu Balſamum Peruvianum diſſolutum cum vitello ovi: dum hæc aguntur poterit replicari aliquod medicamentum purgans, ſi fluxus perſiſtet; hoc verò minorato, & febre perdurante poterit ſupradictis remediis addi pro obſtructione tollenda tinctura Tartari, & Antimonii, vel Bezoardicum minerale; nam omnia volatilia violenta, & ſalſa acria fugienda. Vaſa erunt corroboranda cum Syrup. ex Maſtice, vel Coralior. addito Spirit. Maſticis. Servanda interim optima victus ratio.

CONSULTATIO LXXVIII.

De Fluxu Epatico.

JUvenis temperamenti calidi, & ſicci, & in toto bilioſi Venationi deditus, & potui vini meracioris Diarrhæam paſſus eſt bilioſam per quindecim dies, à qua ſummè debilitatus fuit cum appetitus proſtratione, & in hoc ſtatu excrementa fœtorem emittere cœperunt, remiſſo colore bilis in eis apparebant alba, nigra, cineritia cum magna feroſitate, quæ cœpit ſanguineo

guineo colore tingi, & ſanguis ſparſim diffuſus per multitudinem excrementorum nigricantis coloris apparet, & minimè coagulatus, nulla adſunt corroſionis ſigna ſicut nec tormina, nec dolores, febris lenta incœpit quando excrementa fœtere cœperunt.

Diarrhæa ſecum traxit fluxum hepaticum dictum, ut manifeſtum facit ſeroſitas ſanguine tincta, & portiones fluidi ſanguinis mixtæ ſparſim cum excrementis, hujus cauſa eſt; primò læſa ſanguificatio, prout Antiqui ſanxerunt, quamvis erraverint hepar culpando de morboſa ſanguificatione, cùm huic nihil contribuere poſſit, dum nullatenus ad tale opus naturaliter concurrit, officium enim hæmathoſis ſanguinis, & cordis eſt proprium, ab hoc accipit ultimas perfectiones, & à primo cætera neceſſaria ad ſanguinis naturam, ideò ſi malè chylus in ſanguinem tranſmutandus à ſanguine diſponatur, & alteretur, à corde non corrigitur, ſed in depravatum ſanguinem abit, etiamſi à vivifico illius calore actuetur, ex quo concludendum cum recentioribus fluxum hepaticum dictum à vitio ſanguinis hæmathoſim lædente originem cognoſcere, & in hoc patiente tale vitium à cauſa præcedentis Diarrheæ introductum fuit.

Hæc bilis extitit, quæ ſua acrimonia, & ſalſedine ſanguineam maſſam laxando, & velut corrodendo à ſua naturali conſtitutione deturbavit cum deſtructione principii operativi ſuarum functionum naturalium pendentis à determinata, & propria conſtitutione particularum eam conſtituentium, ratione hujus depravatæ conſtitutionis ſecundùm laxitatem ad putreſcendum facilitatem contraxit, permittente dicta laxitate calidioribus particulis maſſæ ſanguineæ exitum, unde paulatim ſuccedit caloris interitus (qui eſt formale putredinis) in aliquibus particulis illius, quæ cum aliis humoribus excretæ fœtorem reddunt, & ſanguis ab eadem laxitate acquirens aptitudinem ad celeriorem, & frequentiorem efferveſcentiam, pulſum celerem, & frequentem efficit cum febrili accenſione, ſed lenta, & diminuta ob defectum ſpiritoſæ, & ſulphureæ ſubſtantiæ, & illius viſcoſitatis ad extenſam efferveſcentiam concurrentis, ex quo ſequitur etiam ejuſdem ſanguinis depravata temperies ad frigidum inclinans, unde excrementorum varietas coloris diminutionem oſtendens, ab hujuſmodi diſpoſitionibus ſanguine vitiato, quis non videt in hoc impotentiam ad rectam ſanguificationem exequendam, & maximam debilitatem, in tota ejus maſſa non ſolùm pro exequendis operationibus in aliorum beneficium, ſed etiam pro ſeipſa regenda, & conſervanda.

Ab hac hæmathoſi depravata colligitur ſanguis ſeroſus fluidus, atque in talem degenerat tota maſſa à febrili efferveſcentia continuò labefactata, hinc aliquæ ejus portiones in tenuitate ſero æquales factæ, & diſgregatæ ab aliis illique unitæ viam eamdem tenent, ab arteriarum exilibus orificiis ob æqualitatem modi ſubſtantiæ, ſeu tenuitatis tranſitus æqualiter conceditur, unde ſerum unà cum ſanguine excernitur; poteſt etiam fieri talis excretio ſanguinis laxatis nimis dictis orificiis arteriarum, à continuo exitu materiæ acris, & irritativæ.

His ſtantibus mirum non eſt languorem totum corpus occupaſſe, cùm à ſanguine non ſuppeditentur ſpiritus pro conſervatione virium, & ſtante iſtius laxitate continuò inutiliter tranſpirent cum frigiditate reſpectiva totius maſſæ ſanguineæ omnes functiones corporis diminuente, & ſic bilis, quæ in venis cumulata ratione temperamenti calidi, & ſicci ſanguinem æſtuare faciebat, cum ſegregatione copioſa partium ſpiritoſarum, à qua in Diarrhæa bilioſa vires conſervabantur, unà cùm dicto æſtu ad majorem collectionem excrementi bilioſi determinabatur tota maſſa ſanguinis inducta caloris intenſione, itaut natura pro refrigerio iſtius, & noxii expulſione coacta fuerit per Diarrhæam à tali copia ſe exonerare.

Continuato æſtu, & ſua virtute diſſolvente, ad ſupradictam laxitatem ſanguinem duxit cum ſpirituum diſſipatione, & aliorum ſymptomatum excitatione, & appetitus proſtratione, tam ob ſpirituum defectum, à quo ventriculi fermentum ferè extinguitur, quàm ob acidi prædicti fermenti fundamentum, reſolutionem à ſale lixivio bilis productam.

Ab his depravatis conditionibus maſſæ ſanguineæ colligitur ejus laxitatem eſſe conſtringendam, ſpirituſque addendos, vaſa corroboranda, & bilem horum ſymptomatum cauſam eſſe frenandam, ſed huic indicationi ſatisfecit ſpirituum exhalatio, & diſſipatio, qua maſſa ſanguinis in calore talem ſenſit diminutionem, ut non valeat bilis generationi incumbere. Febris eſt auferenda.

Prætermiſſo ergo omni Medicamento purgante, & ſanguinis miſſione, exhibeantur ſucci Urticæ ℥. ii. tinct. Roſar. ℥. I. ß. Syrup. coral. ℥. ß. Aq. Cinam. ℥. ß. Tinctur. Antim. ʒ. ß. m. poſt octo dies pro majori ſanguinis corroboratione. ♃. Acet. deſtil. in quo priùs fuerint infuſæ rad. Biſtor. Tormentil. Conſolid. Equiſeti ℥. I. Syrup. Maſticis, Aq. ſumit. Querc. Plantag. an. ℥. ii. Balſam. ſalis gutt. xvi. m. & huic præmittat ſequentes bolos, ♃. Pulv. equiſet. ʒ. ß. Bezoard. martial. ℈. ß. Coral. præp. ℈. I. cum miva citoniorum q. ſ. f. b. Ante prandium uſu habeat hunc pulverem. ♃. Margarit. prep. Coral. ſem. Plantag. Maſtic. an. ʒ. I. divid. in quatuor partes æquales, & accipiat unà cum ℥. I. mivæ citonior. quibus non conferentibus, utatur pulvere equiſeti, & pulvere fructuum mororum celſorum in umbra exſiccatorum ad ʒ. I. cum Syrup. Coral. vel cum decoct. Agrimon. equiſet. eboris; Eſſentia Plantaginis habetur pro ſpecifico in hoc affectu, & ſi conjungatur cum Syrup. ex Maſtice majoris erit efficaciæ. His omnibus ſatiſfactum erit ſupradictis indicationibus, & etiam febri, ſuppoſito, quod à ſola laxitate ſanguinis eveniat.

CONSULTATIO LXXIX.

De Dolore Iliaco.

SAcerdos temperamenti calidi, & humidi, habitus quadrati ætatis annorum quinquaginta quinque, cum Amicis una die immoderatè comedens, & bibens, nocte correptus fuit dolore atroci circa regionem oſſis ilei in parte dextra, cum vomitu cibi præteriti, ſed etiam humoris bilioſi, & pituitoſi, huic dolori ſejunxit febris, omnia exhibita pro dolore leniendo evomuit, cum dictis humoribus, clyſteres nihil eduxerunt, niſi parùm materiæ induratæ, quamvis eſſent acres, altero die nigra, & fœtida per os exierunt.

Situs doloris cùm ſit in regione Ilei, eſt Iliacus, febris cauſam illius inflammationem oſtendit, hæc à cibo, & potu, multum ſanguinem excalefaciente, & turgeſcentiam in vaſis efficiente orta eſt, dum effuſus per hæc ſanguis in copia ab arteriis in inteſtini Ilei membranis, ibique à calore proprio iſtarum, & à concepto æſtu circa partes vicinas accenſus inflammationem peperit, à qua corrugatæ, & coarctatæ membranæ, exitum ad inferiora fœcibus occluſerunt, itaut nec clyſterium irritamento expelli poſsent, & ab acrimonia caloris, & à ſpiritibus accenſis irritatis partibus membranæ ſuperioris ejus motus periſtalticus major factus, contenta in cavitate ſua ſurſum impellebat, unde primò bilis, & ſuccus pancreaticus effuſi in dicta Cavitate rejecti fuerunt, unà cum pituita obliniente interiorem tunicam inteſtini, & à motu periſtaltico concuſſis violentiùs vaſis cholydocis, & Pancreatis, major copia humorum in eis contentorum expreſſa fuit, quæ vomitum continuum humoralem effecerunt, & tandem fœces à violentia motus inducta ab augmento inflammationis ſurſum delatæ per inconveniens orificium exierunt.

Inflammationi ergo occurrendum, impedito fluxu majori ſanguinis, & fluxui, coagulationem prohibendo, & factam diſsolvendo, calorque illius mitigandus, quo motus periſtaltici violentia moderabitur, & dolor anodynis demulcendus, quo minor fiet attractio humorum ad partem læſam, cum inflammationis majoris prohibitione, cum pauca ſpe ſalutis hæc ſunt exequenda, cùm inflammatio inteſtinorum in gangrenam facilè degeneret.

Mittendus ergo ſanguis, primò à brachio ad libram, & poſt paucas horas eadem quantitas extrahenda à pede. Pro impedienda ſanguinis coagulatione, & coagulati diſ-

ſolutione utatur Mixtura ſequenti Le-Boe, ℞. Aquæ Hyſopi, fœniculi an. ℥. ii. Spirit. vini rectif. vel cujuſvis Aromat. ℥. ß. Ocul. Cancr. ʒ. i. Sperm. cæti Mumiæ, Alexand. an. ℈. i. Laud. op. gr. iv. Syrup. de quinq. rad. ʒ. i. ß. m. & de hac parùm, & ſæpè capiat, nec reiiciendus horum calidorum uſus in inflammatione, ex eo quod calorem augeant; nam ſanguis diſſolutus ab eis iterum à venis abſorbetur, cum inflammationis curatione, ubi per refrigerantia coagulato magis ſanguine contumacior redditur, cùm exitio irreparabili patientis, neque hoc ab opio expectandum, cum ſuo amarore humores attenuet ſalſos, & acres leniat, & ſudores moveat, quæ in inflammationis curatione debent deſiderari, pro leniendo dolore fiat Decoctio in lacte Rad. Malvæ, Altheæ, fol. Meliloti, Fœnugræci, Violariæ, Parietariæ, & Spongiis locus dolens foveatur, & applicetur Omentum Vituli, vel Caſtrati calefactum in Oleo Amygdal. dulcium, Violar. & Roſ. compl. Si his non cedat morbus, Plumbum, Aurum, vel Argentum vivum exhibeatur, prout ab Authoribus conſulitur.

CONSULTATIO LXXX.

De Dolore Colico.

NObilis Vir omni virtutum genere Illuſtris, ætatis annorum quadragintaquinque, temperamenti calidi, & humidi cum bilis dominio, ut patet ex promptitudine ſuarum actionum, & à propenſione ad iram, in victus ratione, tum quoad cibum, quàm quoad potum intemperans, correptus fuit dolore in latere dextro circa lumbos, adeò fixo, ut clavo partem perforari quereretur, hic dolor aliquando ad partem interiorem ſe extendebat ejuſdem lateris ſubtus inguinem, aliquando totam regionem lumborum uſque ad ſiniſtram partem, tamquam cingulo doloroſo cruciabat, ſed non ita, ut in lumbo dextero. Vomitum multoties habuit materiæ viridis, flavæ, & vitellinæ, ab Ænemate ejecit ſimilia excrementa, ſed atris mixta, levamen ſenſit, ſed dolor poſt breve ſpatium recruduit, cum magna agitatione, ſiti, & calore in ventre, qui eſt diſtenſus cum difficultate flatus emittendi, & fœces.

Dolor Colico affici hunc Patientem apertè declarat ſitus ejus in regione lumbi dextri, ubi inteſtinum Colon reni dextro adhæret, & cingulum doloroſum utramque partem lumborum cingens, idem inteſtinum malè affectum oſtendit cum ad utramque partem ſe extendat ſubtus ventriculum, per quod facilè in conſenſum trahitur, & maximè cùm per nervos intercedat connexio inter utrumque, ad quod manifeſtandum concurrit etiam doloris extenſio, uſque ad inguen, circa quod dictum inteſtinum circumvolvitur, hujus cauſa à materia per vomitum rejecta, & per clyſterem evacuata demonſtratur, nempè plures ſpecies bilis ab intemperantia victus genitæ, dum ab hac non ſolùm bilis flava naturalis depravata fuit in exceſſu ſuarum qualitatum, ſed etiam ſuccus pancreaticus, ex cujus commixtione cum bile in inteſtino duodeno, bilis atra, vitellina, & porracea genitæ fuerunt; ex inæquali enim mixtione ſucci pancreatici nimis acris redditi, & à calore partium adjacentium diverſæ bilis ſpecies emergunt, & quamvis hoc videatur improbabile ex aſſerto recentiorum, per quod exiſtimatur bilem ab acido frangi, & mortificari, id verum eſt, quando acidum eſt blandum, nec bilis eſt ultrà ſuum naturalem ſtatum acrior, idcircò ſuccus pancreaticus datus ad mitigandam bilem eſt acidus ſubdulcis, quando verò excedit aciditas, tunc inita forti effervefcentia, cum bile flava, hæc corrumpitur, & degenerat in vitellinam, porraceam, & atram, & ſic in venis quando partes ſalis lixivioſi, & ſulphuris aduſti, cum acidis acrioribus particulis commiſcentur, idem contigit, ex quo deducitur omnes iſtas bilis differentias à calore procedere, cujus principium eſt effervefcentia ſupradicta. Ab acido mixto bili fieri atram bilem experientia comprobat, cùm acidum acre valeat bilis acrimoniam augere, quapropter bilis atra acidum ſpirat, quod à nullo negari poteſt, quod ſenſerunt etiam antiqui, dum atram bilem dixerunt, ex eo, quod bilis in melancholiam per aduſtionem degenerat, participando de natura bilis, & melancholiæ, & conſequenter de Acido iſtius proprio, & ab eiſdem illi conceſſo, & de acri lixivio illi connaturali.

Bilis hoc modo alterata in inteſtino Colon ſtagnans ſua acrimonia vellicat, & corrodit, unde dolor, & quia craſſitie donatur, partes ejus ſalinæ rigidiores factæ intimiùs penetrant ejus ſubſtantiam, unde dolor fixus, ſicut Clavus, in iſta doloroſa vellicatione contrahuntur fibræ inteſtinorum, & velut convulſione comparata, cum elevatione, cavitati eorum majus ſpatium concedunt, ad quod implendum, vel ſubit aer, vel humor contentus in vapores attenuatur, hinc ventris diſtenſio, à qua impedita fœcum, & flatuum ejectio, amiſſo ab inteſtinis per hanc diſtenſionem cum contractione fibrarum motu periſtaltico, illis inſerviente pro dictorum expulſione, & moto flatu incluſo, modò verſus inguen, modò per eam partem inteſtini à dextro lumbo ad ſiniſtrum excurrentem, cum illius diſtenſione, dolor ad inguen ſentitur, vel tamquam cingulum in regione lumborum moleſtans præcipitur, contractis fibris inteſtini colon convulſivum quemdam motum patiuntur nervi ejuſdem inteſtini, in quem vocantur fibræ nervorum plexus ventriculi conſenſum habentes, cum nervis inteſtino Colon implantatis, & hoc motu contenta in ſua cavitate expelluntur, & ejuſdem auxilio bilis, & ſuccus pancreaticus in duodeni ſpatio concluſi ſurſum rapiuntur, & per vomitum excernuntur.

Dolor poſt evacuationem à Clyſtere exacerbatus fuit, quia materia nova collecta etiam eſt intra membranas inteſtini, & hæc effuſa fuit ab arteriis irritatis à medicamento, à cujus virtute non evacuata dieta materia dolorem de novo inflixit, ſua acutie membranas penetrando, & rodendo, videbatur autem poſt clyſterem mitigatus; quia fibræ contractæ, per expulſionem humorum, & flatuum aliquantulum ſe remiſerunt, expulſo pro aliqua parte humore in cavitate inteſtinorum exiſtente, & qui erat cauſa doloris, unde ceſſante, vellicante ceſſavit, vel mitigatus eſt dolor, & quia humor à clyſtere attractus intra inteſtinorum cavitatem tunicis Colon modo prædicto infixus de novo remanſit, & fibras illius ad ulteriorem contractionem coegit, ideò exacerbatus fuit.

Dolori occurrendum Anodynis, cauſa purganda, & è corpore eiicienda, vel ſenſibiliter, vel inſenſibiliter, nec non acrimonia demulcenda, craſſitieſque attenuanda.

Et primò purgante medicamento, ut ℞. Rhaub. el. ʒ. ii. infund. in ℥. ii. aquæ Endiviæ, cum hac diſſolvantur ℥. iv. Melis roſ. ſol. poſt tres horas bibat quatuor, vel quinque libras aquæ Noceræ, ſerò per tres horas ante cœnam capiat ℥. iv. Olei Amygdal. dul. in ℥. iv. Aquæ Camomillæ, ſperma-cæti non rancidum ʒ. i. m. ſanguis, ad inflammationem prohibendam, mittendus eſt à brachio, & à pede, omni mane, & in meridie ſumat ſuccum hordei diſſolutum cum Aquæ Borag. ℥. vi. cui adde ℥. ß. aquæ Cinam. Spir. nigri gut. x. Tinct. Caſt. ℈. i. m. Fomenta exerceantur ex Decoctione Malvæ, Altheæ, Anathi, Meliloti, Parietariæ, Fœnugræci, quodſi non leniant dolorem, adhibeantur aquæ, in quibus nitrum, vel ſal. Ammon. diſſolutum fuerit, & aqua vel ſit pura, vel ſtillata, inungendo poſteà ventrem cum Unguento nervino m. Ducis, Oleo lumbricorum, & Ranarum, ſtercus Capræ emplaſtratum cum vino generoſo in regione doloris hunc tollit; Clyſteres parentur quotidiè ex lacte, ſaccharo rubro; Urina pueri, & Therebentina ſoluta. Mixtura ſeqens etiam erit in uſu, parùm, & ſæpè de ea lambendo. ℞. Seri Capr. deſtillati, Aquæ Camomillæ, Lumbricorum an. ℥. ii. Diacod. ℥. ß. Spir. ſalis Ammon. ℈. i. Tinct. Caſtorei ʒ. ß. Aquæ Cinam. ℥. i. Tinct. antim. ℈. ii. Confect. ex Hyacintho ℥. i. Aquæ vitæ Mathioli ʒ. ii. m. attenuat enim, & ſua oleoſitate corrigit acrimoniam, majorque forſan vis ſupradictæ adderetur, ſi illi gr. iv. Nepentes Quercet. miſcerentur. Poterit etiam adhibere dolore non intermittente Pulverem Teſticulorum Equi exſiccatorum in furno ad ʒ. i. cum ʒ. ß. pulv. aniſorum in Vino, vel in aqua Nenupharis, vel ſero caprino deſtillato; Certa experientia dolorem colicum ſedat ʒ. i. ſalis gemmæ pul-

mæ pulverizati exhibita cum vino Decoctionis, Ligni Aloes, vel membrana nucleum nucis ambiens exſiccetur, & de hac pulverizata accipiat ℥. ß. in vino, vel aqua carminativa, & dolor ceſſabit, eſtque hic pulvis pro ſecreto. Victus ratio ſit refrigerans.

CONSULTATIO LXXXI.

Pro præſervatione à doloribus Colicis ſupradictis.

Diuturnitas dolorum in hoc Nobili Patiente, quæ modò ad plures ſeptimanas extenditur, quando ab eis corripitur, Villiſii ſententiam mihi confirmare videtur, ſtatuentem dolores Colicos in plexu meſenterico ſuam ſedem habere, mihique magis confirmatur, ex eo quòd à Clyſteribus nullum, vel parvum ſentit juvamen, & de nulla quæritur acrimonia excretorum in eorum exitu, neque ex colore eorum, acrimonia dolori contumaci apta colligi poteſt, quibus accedit ſitus doloris circa umbelicum, ubi illius plexus meſenterici adeſt ſedes, ex quo colligendum eſt pro dolore colico non venire ſolum dolorem inteſtini Colon, ſed quemlibet partium abdominis dolorem fixum.

Fit dolor in hoc plexu, & ejus ramificationibus à materia vellicante iſtorum membranas, & quæ per eas delabitur cum ſucco nervoſo acribus particulis depravato, ſuſceptis à ſanguine bile fœcundo, & hanc accipit à chylo cui dum à bilis fermento perficitur, & à fœcibus depuratur miſcetur in majori copia, quam conveniat optimè chyli generationi, ex eo quod in hoc patiente ratione temperamenti abundat, unde chylus ad venas delatus ſecum rapit magnam bilis portionem, quæ augetur à copioſa iſtius generatione ducta ab ipſo ſanguine, & à chylo, non quatenus hic bilis ferax, & modo ſupradicto, ſed quia ab hac ita eſt attenuatus, & particulæ ejus ſpiritoſæ, & ſulphureæ, adeò exaltatæ, & in copia libertati donatæ, ut in fermentatione, & efferveſcentia maſſæ ſanguineæ, quando huic mixtæ ſunt promptam, & magnam patiantur accenſionem, unde bilis naturalis, quæ aduſtionem ſubeundo à continua ebullitione, & efferveſcentia ſanguinis in excrementitiam tranſit, & hoc modo chylus per ſui transmutationem in ſanguinem bili naturali, & excrementitiæ materiam ſuppeditat, ſanguis etiam vetus continua efferveſcentia particulas aduſtas colligit bili augmentum præbentes.

Bilis abundantiam in hoc patiente colligimus ab ejus temperie, volatilitatem ab æſtu ferè continuo in Hypocondriis, qui non poteſt refundi niſi in efferveſcentiam immoderatam bilis, cum ſucco pancreatico à ſola volatilitate emanantem, manifeſtatur pariter à vomitu quandoque bilioſo, aſcendente bile ſurſum ad ventriculum, quod non ageret, niſi eſſet volatilis.

Per temporum mutationes invaleſcunt dolores, quia hæ ſanguinem alterando, vel frigus, vel per calorem, vel per ventos ſegregationem hujuſmodi materiæ bilioſæ, cum ſero nutritivo efficiunt, quæ ſucco nervoſo ex illo elaborato infuſa, & dilabens unà cum eo ad dictum plexum, vel ad ejus ramos, in membranis eorum detinetur, ob naturalem diſpoſitionem iſtarum aptam tales particulas detinere, & exitum prohibere, unà cum reliquo ſucco, (eo modo, quo in percolatione alicujus liquidi ætherogenei, pro ejus configuratione aliquæ partes percolantur, aliæ detinentur,) & quæ detinentur exaltatæ magis per moram à calore, & attenuatæ, motuque violento donatæ, fibras nervoſas vellicando, acrimonia, & motu diſtendendo, & velut lacerando, dolorem iſtum, de quo quæritur præſens Æger, efficiunt, durationem tam longam ſuſcipiendo à continuo affluxu materiæ acris, & à tranſpiratione difficili materiæ etiam attenuatæ intimè membtanis prædictis infixæ.

Ad præſervationem ergo faciet ſanguinem maſſam mundare à recrementis bilioſis, non ſolùm purgantibus, ſed etiam diureticis cum illa à ſeroſitate diſſolvantur, unde facilè per viam urinæ purgabuntur. Secundò bilis volatilitatem figere, & ſanguinis efferveſcentiam nimiam frænare, quo bilis minor copia generabitur; Ultimò diſcutienda materia in nervis morboſa, & hi corroborandi.

Purgabitur primò corpus cum infuſ. Rhaub. & Syrup. roſ. ſol. vel cum Caſſia, & extract. Rhaub. poſteà ſequenti die præparantia ex aquis, vel Decoctis Cicorei, Endiviæ, Acetoſæ, Borag. cum Sal. tart. vitr. aſſumet per quinque dies, miſſo ſanguine in uno ex his è brachio, deinde replicet ſupradictum Purgans, & inde erunt in uſu aquæ Villenſes more ſolito per xii. vel xv. dies, quibus recrementa ſeroſa per urinam expurgabuntur, & bilis volatilitas figetur, ſanguiniſque efferveſcentia frænabitur, & poſteà per alios xv. dies utatur lacte Aſinino deſtillato cum gr. viii. Vitriol. mart. vel cum ſpir. ejuſdem, accipiendo ante horam ℥. ß. Ocul. Cancr. Antim. diaph. ℈. ß. Millepedum præp. ℥. ß. m. Nervorum genus corroborabitur cum tinctura Charab. Caſtorei, Antim. in aquis Liliorum Convallium, Lumbricor. & Peoniæ, vel cum ſal. Cranii humani, Raſuræ Ungulæ alcis, Extracto ligni quercini, & Bezoart. lunari; in quem finem poterit parari Vinum cum Santalis, Viſcoquercino, & Ligno Corolyno, rad. Zedoariæ, Veronicæ, Zenziberis Coſti. Victus ratio optima his omnibus adjungenda, & in omni hebdomada ſumat pilulas Cratonis ad ℥. I. ante cœnam per horam.

CONSULTATIO LXXXII.

De Doloribus Ventris in Convulſivos tranſeuntibus.

Dolores lancinantes, qui in ventris regione propoſitum Patientem maximo cruciatu torquent, ſedem habere in nervis Meſenterii, & præcipuè in maximo iſtius plexu à Villliſio in ſua nervologia deſcripto manifeſtant, dependentes ab his motus convulſivi, ſeu Epileptici, illis enim ingruentibus, dolores pariter lancinantes paulò poſt totum corpus apprehendunt, motibus convulſivis totius ſubſequentibus, cum ſpuma oris, & dentium ſtridore, & cùm pluries obſervatum fuerit à dolore ventris ſupracitata adveniſſe ſymptomata, certa ſigna dependentia iſtorum ab illo exhibentur; & cùm certi ſimus motus convulſivos eſſe nervorum paſſionem, eam partem in ventre judicare debemus eſſe dolorum ſedem, quæ cum nervis connexionem habet, nulla autem eſt pars hujuſce particeps, quàm nervi infimi ventris, dum hi ratione originis ſunt ſimul connexi, & paſſiones ad invicem communicare valent, aperta manente omnibus via ad materiam accipiendam, & tranſmittendam, vel pravæ, vel optimæ conditionis; præterquamquod nulla eſt pars ſenſus capax in ventre, quæ commercia teneat cum nervis totius, quam nervi per hunc diſſeminati.

Stabilita ſede horum affectuum, indagandæ ſunt horum cauſæ, ratio dependentiæ, & modus generationis explicandus.

Cauſa doloris eſt materia irritativa, & lacerativa partium nervoſarum, divulſione fibrarum eas componentium, dolorem efficiens. Hujuſmodi materia copioſè colligitur in hoc Patiente à ſuo temperamento aduſto, idoneo per ſanguinis aduſtionem multam ſulphuris, & ſalis aduſti particulas coacervare ratione ſalſedinis, & aduſtionis, valdè irritativas, mala victûs ratio habitualis ad hujuſmodi excrementorum collectionem concurrrit.

Horum excrementorum redundantiam oſtendunt urinæ hujus Patientis colore rubro ſaturatæ, à ſale, & ſulphure aduſto ſimul commixtis pendentes.

Transfunduntur in plexum meſentericum hæc retorrida excrementa à ſucco nerveo, horum particulas accipiendo à ſucco nutritio, cum quo miſcentur, & à quo ille tamquam à materia generatur, & per nervos, & iſtorum membranas dilabendo quieto, & inſenſibili motu, (eo modo, quo aqua per Canales, & aqueductus fluendo, arenam, & terram deponit, quæ poſteà eis adhærent,) prædicta excrementa in plexum meſentericum, & ſuis ramificationibus, & in utrorumque membranis deponit cum iſtorum omnium detrimento, dum ſua viſcoſitate prædictis partibus adhærendo, vel ſua craſſitie impediente ulteriorem curſum ibi fixatis, & novis advenientibus particulis ejuſdem naturæ fit congeſtio horum excrementorum, quæ innato ſuarum particularum motu, à calore adjacentium partium coadjuvato

juvato exaltata, in maximaſque particulas diviſa, & rarefacta, turgeſcentiam in ſucco dicto plexus, & ſuarum ramificationum inducunt, qua diſtenduntur membranæ iſtarum, unde dolor efficitur, & ſuo motu effræni, valdèque fermentativo ſuccum nerveum agitando, eamdem agitationem, & fermentationem per partem, poſt partem eidem ſucco nerveo in ſua origine intrà cerebri clauſtra imprimit, & cum magna energia, dum particulæ exaltatæ excrementorum, uſque ad cerebrum per ductus nervorum aſcendunt; in hac agitatione, & fermentatione ſucci nervei, particulæ ſalinæ ſulphureæ, in eo latentes explicantur, & per nervorum ductus deſcendendo, atque per fibras membranoſas nervorum medullam circumveſtientes ſe inſinuando, alias particulas excrementitias ſui generis latentes excitando, membranoſas fibras vellicando dolorem in toto corpore inducunt primò, & aucta vellicatione in convulſiones ſpaſmodicas impellunt, incrementa ſuſcipientes à motu inordinato ſpiritibus, & ſucco nervoſo intra meditullium nervorum labente impreſſo, & ab exploſionibus conceptis in tali motu à materia acido-ſulphurea, quibus aucta effervescentia, & energia nervi inordinatè moventur, & cum tali impetu, ut Æger detineri non poſſit, & vincula etiam ſolida diſrumpar, talem enim habet vim, & energiam ſpiritus, & ſuccus nerveus per effervescentiam, & irritantem materiam in furorem, ut ita dicam, & turgeſcentiam adductus, qualem nitratus pulvis in anguſto ſpatio incluſus ab accenſione ſuſcipit, vel aer condenſatus per calorem rarefactus, & extenſus per ſuarum plicarum extenſionem accipit, ut violentam in toto aere agitationem inferre valeat, unde non mirum tantam vim, ſicut deſcriptam, ſuccum nerveum, & ſpiritus animales exerere, continuante tali effervescentia ob continuam in plexu meſenterico paſſionem, & influxum materiæ in caput ſuccum nerveum in prædicto motu conſervantem, & à continua vellicatione, facta à dicti ſucci acrimonia circa membranam medullæ oblongatæ hæc in concuſſiones ſpaſmodicas rapitur, ex cujus concuſſione totum nervoſum genus ab ea dependens concuti cogitur non deficiente in ejus penetralibus effervescentia ſupradicta ſucci nervei, à qua talis concuſſio coadjuvatur; hoc modo affecti nervei mandibularum ſua convulſione ſtridorem dentium efficiunt, hos colliſione mutua movendo. Spuma os madet, dum ſaliva detenta, vel ab aere inſpirato, & expirato, vel ab effluviis in tali effervescentia ſucci nervoſi ita agitatur, ut ſpumeſcat.

In hujuſmodi effervescentia univerſali totius ſucci nervei excrementitiæ particulæ irritativæ, & fermentativæ paulatim ſegregantur, & tranſpirant, eo modo, quo per effervescentiam ſanguis ſua deponit inquinamenta, & excrementa ad emunctoria pro expurgatione, vel inſenſibiliter expellit ope fermentationis, unde ſequitur horum ſymptomatum ceſſatio, cum omnium ſenſuum abolitione, & motus defectu, dum in dicta effervescentia communi ſpiritibus tam cerebri, quàm nervorum incolis utrique diſſipati in magna copia faciunt, ut ſuperſtites non ſupplere poſſint, ad neceſſariam organorum ſenſuum illuſtrationem, ſtante etiam motu inordinato ſpirituum poſt quietem nervorum, in eis remanente, à quo avertuntur à dictis organis, eo modo, quo aqua mota in gyrum ab extraneo motore divertitur per aliquod tempus à ſuo recto curſu; addendum etiam, quòd in tali ſtatu Ægrotantis multæ evaporationes à ſanguine circulante exhalant in caput, quæ ſpiritibus commixtæ offuſcatione eorum habilitatem ad inſerviendum pro ſenſuum exercitio adimunt, & nervi motui ſervientes ſpiritu eos tendente depauperati, & à motu violento defatigati laxantur, & laxatione motum perficere non valent. Pro novi autem ſpiritus reparatione cum ſucco nervoſo latex ſpiritoſus in copia intra cerebri meditullium, à prætergreſſa tempeſtate ſpiritibus depauperatum, & ſucco nervoſo in vapores reſoluto, vel citatiori curſu extra nervos expulſo exinanitum recipitur (quo enim cerebrum plus ſucci nervoſi in ſua ſubſtantia continet, minùs de latice ſpiritoſo ab arteriis recipit, & quo minùs de eo habet, de iſto magis abſorbet, eo modo, quo ſpongia aliqua portione aquæ ſemiturgida, minùs de iſta bibit, quàm ſicca, & è contra) & cum tali copia laticis ſeroſi cerebrum intra ſui meditullium conjunctas admittit particulas, vel prædictorum excrementorum, vel ſpiritus acris, quæ deſcendendo per nervos ad omnes partes, ad dictum plexum meſentericum pluribus particulis ſalinis, & ſulphureis in dicta effervescentia præcipitatis gravidum, quę tamquam cineres ex prædicta effervescentia remanſerunt pervenientes, & dictis reliquiis conjuncta altera effervescentia renovata eamdem doloris in ventre primò, deinde in toto nervoſo ſyſtemate tragœdiam introducunt, & cum majori facilitate, cùm nervi à præcedente agitatione ſecundùm ſuarum membranarum fibras divulſi, à qualibet dilatatione, & tenſione per ſolum ſpiritus concurſum effecta divulſionem doloroſam faciliùs experiantur, unde doloris novus inſultus, & hac de cauſa pluries in diem prædicta ſymptomata revixerunt; neque hoc gratis aſſeritur, cum convulſivi motus in toto, præcedentem habuerint dolorem in ventre, qui cùm per aliquod tempus unà cùm convulſivis motibus remiſerit, novos inſultus reiterare non potuit, niſi acri materia de novo ad plexum meſentericum tranſmiſſa, nec alia huic via, quàm per nervos.

Dolores lancinantes continuò totum affligentes in exteriori parte puto provenire, & ab effluviis acribus ſanguinis, qui continuo effluxu ab eo continuam mordicationem membranæ carnoſæ inferunt, à qua dolor, cum ſit exquiſiti ſenſus, vel quia ſanguis per hanc circulans multas partes ſalinas in hac deponit, à quibus eadem operatio effluviorum efficitur.

Anxietas, & difficultas reſpirandi interpolatè affligens à ſucco nervoſo pendet, ſua acredine leves quaſdam contractiones in nervis cardiacis, & pulmonicis efficiente, quæ motum cordis minuendo ſanguinem circa illum in vaſis vicinis, & ejus ventriculis ſtagnare cogunt, à quo oppreſſus anxietatem experitur, & ab eodem ſanguine ſtagnante in pulmonum ſubſtantia, ob eorum motum diminutum à levi contractione nervorum pulmonicorum, & cordis, reſpirandi difficultas inſurgit, quamvis exhalationes ab Hypocondriis elatæ hoc efficere poſſint, & nervi contracti plexus meſenterici connexionem habentes cum nervo vago, & intercoſtali, à quibus nervi pulmonici, & cardiaci derivantur, in iſtis ſimiles contractiones inducere poſſint cum dictorum ſymptomatum productione.

Intellectus, & mentis operationes ferè oblitterantur, quia à frequenti concuſſione cerebri, & motu inordinato ſpirituum, & ſucci nervoſi deletæ, vel mutatæ fuerunt illæ impreſſiones, & modificationes fibrarum cerebri ab objectis jam impreſſæ, & quæ ad rectum, & expeditum diſcurſum faciebant, non ſolùm pro ratiocinio vero circa illa objecta à dictis modificationibus repreſentata, ſecundùm omnes ſuas proprietates, ſed etiam pro illationibus ab illis deducendis, quæ ſpatioſum campum ad diſcurſus perficiendos aperiunt; unde ſequitur ex deletione illarum modificationum remanere cerebrum tamquam tabulam raſam, cum defectu operationum rationalium; & ab eadem concuſſione cerebri, & motu ſpirituum, & ſucci nervoſi, fibrarum cerebri diſpoſitio, conſtitutio, & organizatio ita læditur, ut motus objectorum de præſenti recipere, & retinere non valeant, unde, nec circa objecta præſentia rectè diſcurrere poteſt; dicta verò diſpoſitio fibrarum mala, à laxitate per concuſſionem, & motum dictum contracta pendet, cùm videamus per concuſſionem, & motum violentum res molles ſummè laxari, & laxatas, impreſſiones non recipere, ex eo quod corpori obvio cædant; his adde cùm per dictos motus apertæ fuerint magis cerebri porroſitates, unà cum ſubtili latice craſſiores hujus admittunt partes, quę ſpiritum ab illo generatum offuſcando in ſua luce, & motum impediendo, inhabilem reddunt ad ſerviendum rationali animæ, vel particulæ cerebri temperamentum, vel fermentum conſtituentes alienam coordinationem ſumpſerunt inhabilem ad ſpiritualizandum laticem ſpiritoſum in ſuis penetralibus ſuſceptum.

Dolor capitis non aliter, ac dolor ventris materiam acrem, & vellicantem in membranis cerebri relictam, in illa agitatione pro cauſa habet, & febris lenta à ſanguine pro ſulphureis, & ſalinis particulis, quibus ſcatet facilè fermentabili pendet, niſi huic caſui placeret doctrinam Excellentiſſimi Borelli applicare, nempè à ſucco nerveo acri nervos cardiacos irritatos motum cordis frequenrem efficere, & cùm hoc pulſum etiam frequentem, qualem in febribus obſervamus.

Pro curatione horum immanium affectuum patet ſanguinem, primò eſſe depurandum ab excrementis ſulphureis ſalinis, aduſtis, & exaltatis; ſecundò ſuccum nervoſum corrigendum; tertiò nervos corroborandos; quartò cerebri conſtitutionem laxam eſſe firmandam. Hæc omnia præcedat primarum viarum expiatio.

Pro qua. ℞. Caſſiæ n. t. ʒ. vi. Rhaub. el. ſ. p. ℈. ii. Salis tartari fixi ℈. i. ß. m. reliquum præparetur cum Syrupo de Boragine, Capil. Vener. an. ʒ. vi. Aquæ Borag. Abſynthii an. ℥. iii. m. reiteretur dictum Purgans, & ſequenti die mittatur ſanguis juxta Patientis tolerantiam. Sanguis poſteà emendandus ſequenti Decocto ℞. Cherofolii, Scorzoneræ, Acetoſæ, Taraxaci, Eringii an. ℥. i. fol. Fumariæ, Hepat. Gramin. Cicorei, Eupatorii, Linguæ Cervinæ an. m. ß. coquantur in ℔. vi. aquæ fontis vaſe clauſo lento igne ad conſumptionem tertiæ partis, de hoc ſumat ℥. vi. bis, vel ter in die, ante doſim in mane accipiendam præmittat ſequentem pulverem in portione dicti Decocti ſolutam. ℞. Specier. Diarrodon. Abbatis, Raſuræ Eboris an. ℈. ß. Sal. tart. Chalybeati ℈. i. Antim. diaph. gr. x. continuet per viginti dies in uſu hujus decoctionis, & omni tertio die purgetur cum Decocto Epithymi meſue, & Syrupo de Cicorea cum Rhaubar. ad ſuccum nervoſum modificandum, ℞. Ligni Viſciquercini, Corylini an. ℥. i. Cornu Cervi, & Eboris in taleolas inciſi an. ℥. i. Rad. Peoniæ, Valerianæ ſylveſt. Fraxinellæ, Veronicæ an. ℥. ß. fol. Bettonicæ, Camepithios, flor. Conval. an. m. i. bulliant in ℔. iv. aquæ fontis vaſe clauſo, & lento igne ad conſumptionem tertiæ partis, in principio ebull. indatur in vaſe ſaccul. in quo repoſitum fuerit Antim. craſſo modo contuſ. ℥. iii. Cinnabr. nat. ℥. i. ß. de hoc capiat ℥. viii. omni mane cum ℈. ß. ſpirit. vitriol. Antepilept. Hartm. ex deſcript. Hoffmani in Clavi Sckrodheriana in tractatu de vitriolo, & præmittat bolum ſequentem. ℞. Extract. ligni Corylini ℈. i. Unicornû foſſil. Cinnabr. Antim. an. ℈. ß. pul. ungulæ Alcis, Cranii hum. præp. an. ℈. ß. Olei Charab. gutt. vi. m. f. b. per alios xx. dies continuandum hoc continuandum, & his tertiæ propoſitæ indicationi ſatisfactum erit. Ad majorem corroborationem his peractis poterimus uti tinct. Charab. extracta modo ab Hoffmano in cit. lib. tradito cap. de Succino ad ℈. i. cum ℥. i. aquæ florum Tiliæ, quæ creſcit etiam in noſtris regionibus, & dicitur vulgariter Ti . Quoad ultimam intentionem adſtringentiam cenſeo opportuna, & inter hæc aquam acidulam artificialem eligerem deſcriptam à dicto Hoffm. cit. lib. in capite de aquis ad ℥. ii. in aliqua aqua Antepilept. ad ℥. iii. quodſi non ſuccedat intentum, nihil præſtantiùs Vino medicato cum Ligno Sancto, Quercino, & Corylino cum refrigerantibus capitalibus temperatis ratione temperamenti calidi, per menſem. His peractis, pro majori præſervatione habeat in uſu ʒ. ii. Valerianæ Sylv. in aqua Antepilept. vel in aqua Tiliæ præparata ſecundùm methodum Chneuffelii in ejus Opere, Meſſi Medico-Spargiricæ addito, & cum Miſcellaneis curioſis Germaniæ edito, & per menſes duos, vel tres hoc utendum, & inter Novillunium, & Plenilunium ſal Vitrioli ad ʒ. i. utatur pro ciendo vomitu.

In actu doloris ventris, & ad avertenda hæc mala ſequenti ſedativo opiato inhærendum, à quo materia fixabitur, & effervefcentia impediri poterit. ℞. Vini Hiſpanici, vel Malvat ℔. ß. Opii ℥. i. Croci ʒ. ß. pul. Cinam. & Gariophil. an. ʒ. ß. infund. ſimul in b. m. per duos, aut tres dies, donec liquor debitam conſiſtentiam acquirat, hujus gutt. xvi. exhibeantur in aqua Lumbric. addendo Unicornu foſſilis ʒ. ß. Tinct. Caſtorei, Charab. Antim. an. ℈. ß. Extracti ligni Viſciquerc. ℈. i. Bezoart. min. gr. vi. m. quibus nervorum genus corroborabitur, & materia pro exaltatione in eis præparata emendabitur. Victus ratio his omnibus correſpondeat.

CONSULTATIO LXXXIII.

De Cachexia à ſanguinis profluvio.

QUi ſanguinem cum Harveo partem noſtri Corporis principem appellat, à vero puto non deflectere, illius neceſſitatem, & utilitatem in corpore ſpectando. Chylum enim in propriam tranſmutat naturam, vitalis ſpiritus primæ ſcaturigo, animalis materia, & principium, & his duobus omnium fermenta partium continuo motu exercet, quo ſua exequuntur munia; hinc ſpiritu vitali in ſanguine arterioſo commorante, & ſpiritu animali in ſucco nervoſo latente diminuto omnes corporis functiones debilitantur, prout evenit in noſtro Patiente, qui ex copioſa Hæmorrhagia in ætate annorum vigintiquinque in cachexiam delapſus, hoc eſt malum corporis habitum, qui contingit, dum à copioſo ſanguinis fluxu exhauſto immediatè ſpiritu vitali, & materia pro ſpiritu animali diſſipata, etiam excitativum, & conſervativum fermenti ventriculi debilitatum fuit, idcircò hoc iners, & quaſi ſine motu otians, depravatæ alimentorum ellaborationi occaſionem dedit, quæ nullam correctionem in inteſtino duodeno ſuſcipit, ſed potiùs ad majorem depravationem exaltata fuit, dum bilis cum ſpiritu deficiens volatilitate, nec chylum craſſum à ventriculo illius officinæ tranſmiſſum attenuare, nec exaltare, nec à fœcibus depurare potens fuit, ſed ita imperfecta, craſſa, & fixa, & aquea ex parte maſſa iſtius lacteas ingreſſa, ſanguinique commixta depravatè etiam ultimum ſuæ tranſmutationis gradum ſubivit, qui eſt ſanguinis naturam induere, & hoc non tantùm ex iſtius debilitate, qua redditur impotens ad tranſmutandum optimum chylum in perfectum, vel bonum ſanguinem, ſed etiam ex diſpoſitione ipſius chyli adeò imperfectè in præcedentibus concoctionibus elaborati, ut ſi ſanguis eſſet in ſuo eſſe perfectiſſimus, non valeret ex illo optimum elicere ſanguinem, ſic ſanguificationis adeò neceſſarium opus in hoc Patiente labefactatum fuit, ut ſolùm excrementa in ea cumulata fuerint, & etiam ſimul confuſa ſolum, & diſgregata.

A prava iſta materia ſine ſpiritu lucido malus ille color pallidus, & etiam tumor non ſolùm faciei, ſed & totius corporis, dum humor ab arteriis in extremas corporis parte diffuſus, exhalante ſtatim illo parvo ſpiritu calido, vel fermento ſalino, à quo fluiditatem accipiebat, concreſcit, ut per exilia venarum capillarium orificia ingredi non poſſit, ſtagnationi in partibus dictis condemnatus, ubi in dies magis craſſeſcit, & palleſcit, & à novo humore ſimili adveniente, præexiſtens ſecundùm quantitatem auctus, partes calore pallido tingit, & in tumorem attollit. Hinc in partibus compreſſis fovea relinquitur ob craſſitiem humoris, à quo replentur ſolùm, non nutriuntur.

Ob facilitatem ſegregationis humorum, & præcipuè ſeroſorum, (cùm non poſſint intimè miſceri cum craſſis, ex defectu debitæ fermentationis, ob ſpirituum deficientiam, & fermenti ſalini diſſolventis paupertatem,) dum pars ſanguinis per cerebrum circulatur, copia ſeri ſegregatur, quæ pro majori parte ſuperflua à confectione ſucci nervoſi, per ſolita emunctoria depluit in palatum, unde deſtillatio; & quia ſanguinis maſſa adeò craſſa, & parum fermentativa tardè per Pulmones movetur, illos opprimendo difficilem facit reſpirationem, & præcipuè in motu citatiori, & in aſcenſu ſcalarum, dum in his caſibus per motum major ſanguinis portio ad pulmones defertur, quæ cùm non poſſit circulare ea celeritate, qua neceſſe eſſet, ibi ſtagnando difficilis reſpirationis tunc evadit cauſa, quæ augetur quandoque cum tuſſi, materia à vaſis in bronchia exſudante, ubi naturam, irritando, tuſſim excitat, & ingreſſum neceſſariæ aeris quantitati pro libera reſpiratione impediendo, eamdem reſpirationem liberam prohibet.

Obſtructiones an fuerint cauſæ Hæmorrhagiæ, dum obſtructis partibus inferioribus ſanguis coactus fuit ad partes ſuperiores in magna copia fluere, à qua aucto impetu iſtius orificiis arteriarum vim inferente amplum ſpatium ſanguini aperiri potuit per ſuperiora vaſa, unde Hæ-

de Hæmorragia; An ſint productum depravatæ ſanguificationis, materia craſſa, in vaſis adhærente, & obſtruente, dubium eſt, nec de hoc poſſumus judicium ferre, cum non pateat an extiterint ante ſanguinis fluxum, vel poſt; Certum tamen eſt nunc foveri, & contumaciores reddi à prava ſanguificatione, translata portione materiæ craſſæ in vaſis, per quorum anguſtias cùm non poſſit progredi, ſtagnando obſtructionem, vel facit, vel auget.

Quamvis ex dictis multæ eſſent eruendæ indicationes, quia tamen ſanguine ſuæ naturali conditioni reſtituto omnes affectiones tollentur, præter obſtructiones, ideò ad tres tantùm redigo, nempè ad maſſam ſanguinis reducendam ad priſtinum ſtatum, quod antequam exequi poſſit mundanda, & expurganda ab excrementis, & ſecundo loco obſtructiones ſunt tollendæ, & ultimo loco partes corroborandæ, quæ concoctioni, & depurationi alimentorum præſunt, cum eorumdem fermentorum reſtitutione.

Et cùm ſit facta purgatio univerſalis, in qua rectè fuit intermiſſa ſanguinis Miſſio, Indicationibus prædictis primo loco ſatisfacere curarem cum Jure Galli antiqui, in cujus ventre repoſita fuerint Lignum Saſſafras, Cortex tamariſci, rad. Enulæ Aſtrolochiæ rot. Ari, Hirundinariæ, Raphani Sylveſtris, cum fol. Anagallidis aquat. Roſmarini, Salviæ, Chalamintæ, Pulegii, præmittendo bolum ex Ammoniaco, & Sagapeno an. ʒ. ß. Salis Abſynthii, Roſmarini an. ℈. ß. Spirit. fulig. gutt. iv. m. perſeveret in hoc remedio patiens per viginti dies, & omni tertio die purgetur, vel cum Syrupo Cachetico Fernelii, vel pil. de Ammon. Quercer. poſteà per alios viginti dies exhibeatur Pulvis Cacheticus Quercetani ad ʒ. 1. cum gr. vi. Salis tart. volat. ſuperbibendo Decoctionem ligni Saſſafras in jure cum ℈. ß. Tincturæ antim. iteretur purgatio lenis, modo ſuperiùs dicto. Hoc peracto tranſeundum ad Pulverem viperinum ad ℈. 1. cum gr. vi. Bezoart. ſolaris, & ſi non habetur, utendum ſimplici minerali, & continuandum per menſem cum decoctione Cinam. Caſſiæ ligni, & ligni Aloes additis gutt. iv. Elix. prop. purgationem omni ſeptimo die reiterando; his remediis, & ſanguinis integritati conſulemus, & obſtructiones auferemus; Partes corroborandæ erunt ſpiritu Vini deſcripti Conſult. ſuper. & verè Futuro leni purgatione peracta, Aquas Spadanas bibat, ſervando ſemper optimam, & congruam victus rationem.

CONSULTATIO LXXXIV.

De Suppreſſione Hæmorroydum, Tumore Lienis, & Cachexia.

Civis honeſtus temperamenti melancholici aduſti, ætatis annorum quadraginta circiter variis afflictus curis, per multos menſes defraudatus fuit beneficio hemorroydalis fluxus, qui omni ferè menſe ei ſuperveniebat, ex hoc cœpit tumorem, & duritiem in liene perſentire, in dies magis creſcentem, cum malo corporis habitu vertigine aliquando, & cordis palpitatione moleſtatur.

Animi paſſiones moleſtæ ſpiritus, vel diſſipando, vel concentrando, ſicuti vires enervant, ita ſanguinem ſpiritoſo diſſolvente naturali privant, unde coagulatur, & in motu tardus redditur, & ad conſervandas conſuetas, & ſalubres evacuationes impotens redditur, prout expertus eſt noſter Patiens, in quo excrementa cum quantitate ſanguinis ſolita per hemorroydes expurgari, impedito hoc fluxu regurgitarunt in maſſam ſanguinis, & præcipuè in Parynchima lienis, ubi ſua craſſitie iſtius poroſitates implendo, tumorem, & duritiem in eo effecerunt, & cellulas occupando fermenti lienaris præparationem, & officium impediendo, in depravationem ſanguinis conjurarunt. Eſt autem iſtius fermenti officium ſanguinis particulas craſſas, terreſtres, & ſalinas volatilizare, & aliquo modo dulcificare, ut citiùs in corde effervescant, & faciliùs partibus neceſſariam alimenti portionem contribuant, ab iſtarum partium attenuatione, tamquam à fermento inſpirato ſanguini energia, & vigor conciliatur, quibus chylum ſuſceptum ad ſuæ naturæ ideam efformat, vel primordia ſaltem ſanguificationis perfecta, & ad finem prædictum idonea ei imprimit. At impedito hujus fermenti officio nihil ex his habetur, ſed ſanguine cum particulis craſſis remanente, hæ paulatim ſpiritus, & partes ſubtiliores ſulphureas arripiunt, & ſibi uniunt mediante lentore, & craſſitie, & hac unione ablato motu, quo agunt, & munera ſanguinis præſtant, hic invalidus, impotens, iners redditur parum accenditur in corde, & per hoc parvos ſpiritus reddit, ex his parvi ſpiritus animales, & conſequenter facultatum animalium debilitas, unà cum imperfectione excitativi fermentorum partium, ut ſuperiori Conſultatione dicebam quale eſt ſpiritus vitalis, & animalis, & conſervativi eorumdem fermentorum, quod eſt ſanguis, à quo omnia fermenta, & temperamenta partium materiam exigunt pro reparatione deperditi in aſſidua operatione, unde cùm ſit malè diſpoſitus, perfectè non poteſt reparare, ſed depravata materia deſtruere, à quo labes omnium operationum membrorum, & præcipuè acidi ventriculi cum læſione chylificationis, quæ depravata ob fermenti inertiam, partim in craſſam, partim in aqueam materiam alimenta abire facit, & utramque inutilem: bilis, & ſucci pancreatici oritur labes ex ſanguine depravato, unde error in attenuatione, volatilizatione materiæ chyloſæ, & fœcum ſequeſtratione, quæ concurrunt ad ſummam chyli craſſitiem pro una parte, & aquoſitatem pro altera, & in omnibus ad ſummam imperfectionem, quam emendare ſatis non eſt ſanguinis activitas valdè debilitata ob rationes ſupradictas, cùm pars ſulphurea, & ſalina volatilis craſſioribus unita non poſſit agere motu deſtituta, & ita nec chylum in ſanguinem bonum tranſmutare, ſed quæcumque tranſmutatio ei contingit, eſt in naturam excrementorum, quibus tandem tota ſanguinis maſſa impletur, amiſſo colore lucido, & rutilo, qui ampliùs in carnes non transfunditur, ſed colore nigro, & pravo tincta externas partes eodem inficit, dum dicti humores in eis effunduntur, eo modo in ſuperiori Conſult. dicto ſine vera appoſitione, ſed ſolùm concretione.

Vertigo à multiplici cauſa poteſt pendere, & primò à vaporibus craſſis in cerebro aliqualem obſtructionem facientibus, qua impediti in ſuo recto curſu ſpiritus, retrocedunt, & in gyrum alios cogunt, unde Vertigo, vel quia nervis lieni implantatis partes excrementorum ibi volatilizatæ, ſed aſperæ, acres, & corroſivæ ob meram contractam (poſſunt enim volatilizari, & acrimoniam acquirere proprio, & inteſtino motu, qualis ſuccedit ſponte putreſcentibus) exceptæ, & ad caput tranſlatæ ſua acrimonia irritativa, & motu violento ſpiritus agitatione ſumma turbare valent, & in gyrum ducere.

Palpitatio pendet, vel à ſanguine craſſo, qui accenſionem in corde non patitur, unde gravando irritatur cor, & ad motus palpitationis cogitur pro expulſione, vel quia portio materiæ acris imbibita à nervis lienis defertur ad nervum pericardio implantatum, & cum ſplenicis connexionem conſervantem, quæ irritatione, & vellicatione illum ad motus velut convulſivos excitat, unde Palpitatio cordis.

Pro curatione itaque excrementa ſanguinis attenuanda, & evacuanda, & corroborantibus ſuæ indoli reſtituendus, tumor lienis extirpandus, & obſtructiones tam iſtius, quàm hemorroydum auferendæ, & conſueta Purgatio promovenda, quæ omnia, ſi non impoſſibilia, ſaltem ſummè difficilia.

Peracta purgatione univerſali cum ſanguinis miſſione per hyrundines à venis hemorroydalibus, exhibenda Aqua Tetutii per quinque dies, & poſt tranſeundum ad ſanguinis attenuationem, & obſtructionum reſerationem Jus Galli antiqui exhibendo per viginti dies, in cujus ventre repoſita fuerint Ligni Saſſafras, Cort. Tamari, Fraxini; Rad. Filcis, Eringii, Rubiæ tinct. Cappar. Polipod. Quercini, Raphani Syveſt. cum foliis Cytrach, Chamedryos, Praſii, Cent. min. Card. bened. Florum Geniſtæ, Cinam. Calam. aromat. Cort. aurant. & de hoc capiat ℥. x. omni mane cum ℈. 1. Tinct. chalybis, & Antim. ℈. ß. præmittendo bolum ex Ammon. Sagapeno diſſol. in vino malvat. an. ℈. 1. Extract. gentianæ, Tamariſci an. ℈. ß. Salis Abſynthii, Tamariſci an. gr. iv. m. purgetur omni tertio die cum Decocto Epithimi, vel Syrupo Cachetico Fernelii, vel cum

cum Pilul. de ammon. Quercet. poſteà pulvere Cachetico Quercetani utendum ad ʒ. 1. cum Antim. diaph. ℈. ß. Sal. tart. volat. gr. v. vel ejus loco ℈. 1. Salis Roſmarini cum aqua ſplenetica Sckrodheri parata juxta animadverſionem Hoffmani in Clavi Scrodheriana, & in hoc medicamento per alios viginti dies inſiſtendum, omni tertio die iterata Purgatione cum aliquo ex dictis medicamentis; quodſi his non cedat tumor, qui ſolet eſſe contumax, deveniendum ad Vinum medicatum cum Abſynthio, Citrach, & corr. rad. Fraxini an. m. ii. Limaturæ Chalybis ℥. ii. bul. in ℔. iv. Vini generoſi lento igne, & vaſe cooperto ad tertias, & de hoc capiat ℥. iii. omni mane, & eſt expertum in tumore lienis, præmittendo tamen bolum ex Extracto Gentianæ, Scolopendriæ, & ſucco Abſynthii an. ℈. 1. cum gutt. vi. ſpir. Fulig. vel Cornu Cervi, & Arcan. dup. ℈. ß. ſi aliquo modo obſtructiones cedant mihi arrideret decoctum ſudorificum ex ſalſa china cum decoctione galgæ Cardui Benedicti, Imperatoriæ, & Cornu Cervi in taleolas inciſi cui addi poſſunt radices aperitivæ ſpecificæ ſpleni exhibendo de hoc ad ℥. viii. vel decem præmittendo ʒ. 1. rad. Lappæ majoris irroratæ cum Elixir. prop. & aqua Cinam. pro ſudore eliciendo; puto enim à ſudorificis fundentibus, ſanguinem attenuari, & per ſudorem depurari, & à motu ſanguinis citato in actu ſudoris concepto obſtructiones viſcerum diminutas poſſe eradicari Extrinſecus admoveatur Emplaſtrum ex Tabacco, & foliis Cicutæ, corroborabitur ſanguis cum ſpec. Diambræ ℈. 1. pulv. Vip. ℈. ß. exhibitis in ℥. 1. Syrup. de Cinamomo cum gut. v. Elix. prop. Interim ſervetur optima Victus ratio.

CONSULTATIO LXXXV.

De Tumore lienis, & Hæmorroydum ſuppreſſione.

AN ſuppreſſa hæmorroydum evacuatio tumori lienis occaſionem dederit, vel tumor ſuppreſſioni ſine erroris nota, ambigi poteſt, cum ſanguis ſuppreſſus ab impedita vaſorum hæmorroydalium via regurgitatione in lienem fixari potuerit, cum hujus viſceris tumore. Poteſt etiam eſſe, quòd ſanguis ob ſuam malam qualitatem, vel ob vitium lienis in hoc detentus fuerit in copia, cum ſuppreſſione hæmorroydalis fluxus, dum ſuperfluitas ſanguinis in hæmorroydibus, his vim faciebat ad dictum fluxum, & ex retento ſanguine in liene ablata hujus ſuperfluitate à venis hæmorroydalibus, ablatum fuit etiam incentivum, & cauſa fluxus.

In hac dubitandi ratione erimus, donec innoteſcat, an tumor ſuppreſſionem, vel hæc tumorem præceſſerit, & tunc optimo judicio, præcedens erit ſtatuendum pro cauſa alterius; quocumque verò modo hoc contigerit in præfato Patiente cenſeo unica cauſa id factum, nempè craſſitie ſanguinis, quæ tàm potuit hunc in liene fixare, unde tumor, ex quo poſteà ſuppreſſio fluxus ob rationem ſuperius dictam, quam eidem impedire curſum per vaſa hæmorroydalia, unde poſteà tumor ex regurgitatione, & fixatione in lienem.

Craſſitiem contraxit ſanguis à temperamento naturali melancholico, & auxit inordinata victus ratio, & ætas declinans, & acidum ſuperabundans, in appetitu canino manifeſtatum, erumpens à glandulis totius, quæ ſpiritu animali in ætate declinante deſtitutæ pro ea copia, quæ requiritur ad dulcificandam lympham præparandam in earum ſubſtantia, ſunt in cauſa, ut hæc nimis acida remaneat, & ſanguini mixta craſſitiem majorem huic contribuat, aciditate bilem ſanguini tenuitatem conferentem mortificando, & ſalſum illud volatile ſanguinis attenuativum fixando.

His accedit, quod lien deſtinatus craſſiores, & acidas partes ſanguinis volatilizare, & dulcificare copia ſpirituum animalium, quibus ditatur, obſtructus à fœculentiis ſanguinis à naturali temperamento, & victus mala ratione congeſtis illas intactas relinquit, impediente pororum ſuæ ſubſtantiæ infarctu iſtis communicationem influxus ſui fermenti, & ſpirituum animalium commixtionem, à quibus attenuationem, & dulcificationem ſuſcipere deberent, hinc acidæ illæ particulæ in temperamento melancholico redundantes in ſero liquatæ, ſanguinique commixtæ totam maſſam acidam reddunt, cujus portio ſeroſa glandulis communicata lympham ſumma aciditate depravat aptam ſanguinem magis fixum, & craſſum reddere, non tam coagulatione, quàm bilioſi fermenti diſſolventis mortificatione, ut ſuperius dicebam, & quæ glandulis ventriculi impartitur ad talem eſt exaltata aciditatem, ut famem caninam excitet, continua vellicatione membranarum ventriculi, quam moderare non valent balſamicæ, & dulces alimentorum particulæ, & ab hoc acido ſuperabundante tota maſſa chyli acetoſa facta ſanguinem totum aciditate majori conquinat, & ſemen pariter acidum nimis factum irritamentum acquirit pro glandulis, vel veſicis, in quibus conſervatur, unde pollutiones frequentes nocturnæ, acido-ſeminis per calorem lecti, & per illum potius à ſomno auctum in interioribus partibus exaltato cum majori activitate, irritamenti, à quo laceſſitæ dictæ veſiculæ coguntur ſtimulanti ſemini viam aperire.

Ab hac ſanguinis conſtitutione parum ſpiritus prolicitur in cerebro, non ſolùm ob craſſitiem, ſed etiam ob ejus impuritatem; hinc eſt, quod iſti facillimè turbantur, & à connexione cum aliis diſtrahuntur, & tunc motu proprio relicti, vel eo accepto, qui à loci conditione, & diſpoſitione oritur turbatim, & velut in gyrum moventur, & cum ſimili alteratione ſuſcipiendo motus ab objectis extrinſecis provenientes, omnia in gyrum verti videntur.

Nec difficile erit credere à ſola objectorum externorum perceptione talem motum vertiginoſum ſpiritibus impartiri, ſi conſiderabimus tales perceptiones, viſus, & auditus fieri dependenter à motu ſpirituum in nervis horum ſenſuum hoſpitantium, & in motu eorumdem nervorum, ex quo habemus cauſam moventem ſpiritus in ſuo emporio, cùm motus dictorum ſpirituum, & nervorum terminetur ſemper in organo ſenſus communis, circa quod ſpirituum emporium adeſt, & hoc motu concepto ſemper movet circumſtantes ſpiritus, qui debilitate contracta à ſanguinis imperfectione, ab hoc motu parvo etiam in tumultus adiguntur, ex quo habemus integram talis ſymptomatis cauſam; & quod dictum eſt de motu objectorum dicendum eſt etiam de motu aeris magis liberi, cui expoſitus æger ſpirituum turbationem, & vertiginem experitur.

Pro curatione ergo ſanguis attenuandus acidi correctione, & ſuppreſſæ Hemorroydes excitandæ, & tumor lienis diſcutiendus emollientibus, & deobſtruentibus, caput, lienque corroborandus, præmiſſa univerſali Purgatione.

Quæ peragenda eſt cum mel. roſ. ſol. ad ℥. v. Crem. tart. ℥. ß. diſſol. in aqua Meliſſæ, poſteà reſiduum materiæ cum Decocto rad. Fœniculi, Petroſel. aſparag. ad ℥. v. cum Syrup. de duab. ℥. 1. ß. præparandum, Poſt quintum diem reiterandum ſupradictum Purgans, detergendus Ventriculus, & inteſtina cum aqua Tetutii ad ℔. v. per quatuor dies, ne uſu deobſtruentium materia craſſa in his partibus deliteſcens ad venas rapiatur cum majori incommodo Ægri; & poſteà mittendus ſanguis ab hæmorroydibus, & ſi adſit venarum plenitudo priùs à brachio, acidum corrigendum erit cum ſequenti remedio ℞. Succi Abſynthii condenſati ℈. ß. Chalybis limati, & ſuper marmore porfyrio optimè lævigati ℈. 1. Salis tart. fixi ℈. ß. Olei gariofilorum gutt. iv. vel ejus loco illorum pulverem ad ℈. ß. cum Aqua Cinam. ſtill. f. b. & ſuperbibatur Decoctum Ligni Saſſafras, Spicænardi, Calam. arom. Zinziberis, cort. aurantior. factum in aqua fœniculi ad ℥. vi. per viginti dies in hoc inſiſtendum, purgando omni tertio die cum pilul. tart. Quercet. ſecundùm reform. Hoffmani in Clavi Sckrodheriana addito Mercurio dulci poſt prandium, & cœnam ſumat ʒ. ii. Elixir. prop. præparati juxta regulam Helmontii, à quo mortificabitur acidum exuberans ventriculi, & prohibebitur, ne chylus tanta aciditate profundatur. Pro liene Vinum medicatum in ſuperiori Conſult. deſcriptum huic Ægroto tamquam arcanum exhiberem, Chalybe prætermiſſo, addendo Arcanum duplicatum Mynſichit ad ʒ. ß. Tinct. tartar. & Antimon. ad ℈. ii. vel Decoctum lienis bovis ex deſcri-

deſcriptione Quercetani, addito ſale Tart. volat. ad ℈. 1. & præmiſſo bolo ex Extracto tamariſci gentianæ an. ℈. ß. Spirit. gummi ammoniaci ℈. ß. Fuliginis gutt. iv. Salis Cornu Cervi gr. v. m. f. b. Spinæ Alicarum in umbra ſiccatarum, & pulverizatarum ſi ad ʒ. 1. exhibeantur, dicuntur pro certo tollere tumorem lienis, quod efficacius operabuntur, ſi addatur ſal volatile Viperarum ad gr. viii. Exterius lieni applicetur Emplaſtrum Tabacci, vel de Cicuta. Purgatio interim omni tertio die cum Pilul. de Ammoniaco Quercetani inſtituatur; Quòd ſi his non cedat tumor, conſulo, ut omni die ante cœnam, & prandium ſumat ℈. 1. pilul. Melangog. ex deſcriptione Lancelloti, his enim vidi contumaciſſimas obſtructiones extirpatas, præcipuè ſi addatur Crocus Martis aper. & Antim. diaph. præterquamquod aromaticis, quibus conſtanr, & alkalicis acidum ſuperfluum corrigunt his utatur per quadraginta dies. Pro corroborando Capite, & liene meliora non habeo pro hoc caſu, quàm ſpiritum vini aromatizatum deſcriptum Conſult. ſuper. Interim optima victus ratione utatur.

CONSULTATIO LXXXVI.

De Hepatis obſtructione, & Cachexia.

EX præterita febre trimeſtri, non ſolùm ſanguis depauperatus fuit ſpiritibus, ob longam adeò efferveſcentiam, qua diſſipari ſubtilem, & ſpiritoſam ſubſtantiam omnis liquorum fermentatio violenta docet. Hanc diſſipationem facilem reddidit ſpirituum [illegible]xilis copia inſeparabilis comes temperamenti pituitoſi, quale eſt illud iſtius Patientis, & ætatis provectæ, cùm quinquageſimum excedat annum; Sed etiam materia craſſa ab efferveſcentia febrili ſegregata, in Hepatis Parinchemate depoſitata fuit, unde tumor, & durities in hac parte, poſt febris intermiſſionem, & ab his duobus habetur fundamentum, & radix illius mali habitus, & cachexiæ, qua nunc cum totius languore, læſo appetitu, & intumeſcentia partium externarum affligitur, ſanguis enim ſpiritu deſtitutus craſſitiem acquirit, & excrementa non ſecernit, quæ continuò illum conſpurcant, & inhabilem reddunt ad ſubminiſtrandum partibus, & fermentis naturalibus materiam pro eorum conſervatione; cùm enim ex naturæ decreto debeant eſſe volatilia, & ſpiritoſa immunditieique neſcia, à ſanguine craſſo fixo, & immundo conſervari non poſſunt; hinc fermenrum ventriculi; bilis ipſa, & ſuccus pancreaticus, quæ pro fermento inſerviunt in chyli depuratione à fœcibus in inteſtinis, depravata, & à conditione naturali aliena generantur, unde mala alimentorum in ventriculo elixatio, pejor in inteſtinis depuratio, peſſima à ſanguine chylum recipiente ſanguificatio, cùm ſpiritu hujus operatore careat, & partes ſulphureæ, ac ſalinæ ad tale opus concurrentes, viſcoſis particulis ſanguinis irretitæ nihil operantur, unde ex omni capite depravata ſanguificatio, & ſolùm excrementorum collectio in vaſis, & hæc omnia eo infælicius ſuccedunt, cum fermenta acidi ventriculi, bilis, & ſucci pancreatici, præterquod imperfecta generantur, excitativo neceſſario careant, nempè ſpiritu vitali, & animali, qui in tanta parva generatur copia, ut motum neceſſarium dictis fermentis tribuere non valeat in executionem ſuarum operationum.

Pro majori ſanguinis, & totius calamitate accedit, quod obſtructo, & infarcto Hepate à materia viſcoſa, ob cauſam ſuperiùs dictam, ille ibi non accipit illam perfectionem, quam naturaliter deberet, ſed compreſſæ glandulæ iſtius, & compreſſione obſtructæ non recipiunt ſanguinem, ideòque non ſeparant totam portionem bilis pro cruoris depuratione neceſſariam, propter quod ea remanet in tota maſſa, cum partibus craſſioribus mixta, ſua ſalſedine totam maſſam inficiendo ineptam etiam reddit ad nutritionem partium, qua defraudatum totum corpus, unà cum ſpirituum paucitate languore labeſcit, & extravaſatæ in partibus externis portiones humorum, cùm nutritioni non ſufficiant, & pro tranſpiratione ſint craſſiores, ibi coagulantur tumorem in illis efficiendo.

Cauſa appetitus dejecti patet ex dicta ſanguinis depravatione, qua acidum ſtomaci non reparatur, & à bile in ſanguine relicta mortificatur.

Tentandum ergo humores maſſam ſanguinis conſpurantes attenuare, diſgregare, & purgare, ſanguinique robur addere, & obſtructiones Hepatis auferre, fermenta omnium partium corroborando, in quo exequendo extremam incurremus difficultatem, cùm morbus ſit contumax, & principes partes afficiantur, non tamen deſtituendus eſt Patiens, ſed efficacioribus remediis ſuccurrendus.

Facta Purgatione univerſali exhibeatur Aqua Tetutii cum ſuo vehiculo ad ℔. vi. per quatuor dies, poſteà ſequenti Decocto utatur per octo dies. ℞. Rad. Aſſari, Ari, Fœniculi, Petroſelini; Foliorum Cuſcutæ, Traxaci, Agrimoniæ, Hepaticæ, Camedryos, Sem. Aquilegiæ, Napi, Aniſi, addendo quotidianæ Portioni Syrup. de quinque rad. & Acetoſi Diarodon an. ℥. ß. Salis tar. fixi ℈. 1. Abſinthii cum ſpiritu vitrioli dulci coagulati ℈. ß. purgando poſteà Corpus cum Pilul. tart. Quercet. Huic medicamento ſuccedat ſequens Pulvis. ℞. Pulv. Chalybis ſuper Porfido optimè lævigati ℈. 1. ß. Bezoart. miner. gr. x. Mercur. dulcif. gr. v. habet enim hoc ſummam efficaciam in diſſolvendo, Salis tart. volat. gr. iv. ſi poterit haberi ambræ griſæ gr. ii. ſuperbibendo Decoctionem Cornu Cervi in talleolas inciſi, Urticæ mortuæ, quæ Lamium dicitur, & quæ in foliis habet maculam albicantem, radicis Filicis addendo, & Eſſentiam liquidam Abſynthii ad ʒ. ii. deſcriptam à Zuelpher. in ſua Pharmacopea Regia continuandum in hoc medicamento per triginta dies, purgando omni tertio die cum Pilul. de Ammon. vel Tartareis Quercetani, & ſi adhuc remanſerint reliquiæ ſequenti remedio locus dandus. ℞. Extract. eſſentiæ Abſynthii ſupradictæ ℈. 1. Theriacæ ℈. ß. Salis Hæpatici Mynſicht ℈. 1. Spirit. Urinæ gutt. vi. Salis Cachetici Chalyb. ex deſcriptione Hoffm. in Clavi Sckroderiana cap. de Nitro in fine ℈. ß. Mercurii dulcif. gr. viii. m. ſuperbibendo Decoctum Marrubii, Chelidoniæ, & Urticæ mortuæ. Ultimo loco acidulis ſpadanis, vel artificialibus utendum, quæ ſanguini ſuam temperiem conciliabunt naturalem, & reliquum humorum ducent per urinas, in quarum defectu utendum Arcano duplicato cum Calce ſolis ſecundùm deſcriptionem Hoffm. loco cit. Fermentum partium ad ſuam perfectionem reſtituetur conciliata ei volatilitate, & motu cum eis, quæ calorem confortant, & quamvis ad hoc ſufficienter faciant omnia ſupradicta deobſtruentia martialia, & tartarea; poterit addi Vinum Hipocraticum, vel Spiritus Vini, cui infuſa fuerint Cinam. Crocum, Lignum Aloes, Myrrha, & Nux moſchata. Victus ratio ſit his indicationibus congrua.

CONSULTATIO LXXXVII.

De Febre continua, & Cachexia.

NObilis Vir ſtudiis deditus, ætatis annorum quadraginta quinque, temperamenti calidi, & humidi æſtate præterita valdè ſe exercuit etiam in magnis laboribus motu violento, & continuo, multùm aquæ acido limonum conditæ, & nive refrigeratæ potavit; In principio Autumni correptus fuit febre duplici tertiana acuta, in decima quarta remiſit acuties, & continuavit febris lenta, obſtructio in regione lienis ſubtus coſtas apparuit, cum arteriæ pulſatione in medio ventris ſub cartilagine mucronata, febris perdurat, lenta, color cutis pallidus ad flavum declinans, alvus adſtricta, & quæ exeunt ad cineritium colorem tendunt mixta mucoſitatibus multis, vomitum frequentem habet materiæ acidæ in exitu corrodentis, & craſſæ, præcedente dolore velut corroſivo ventriculi, appetitus nunquam defecit, ſicuti ſomnus, qui ſolum difficulter capitur ob magnam pulſationem arteriarum in temporibus. Poſt cibum pulſus magnus evadit, & frequens cum elatione arteriæ valida, itaut ab ipſo Patiente uſque in extremo digitorum pedis perſentiatur, & continuat frequentia in pulſu ſemper, non cum tanta elevatione, ut à cibo, ſed minori, febris acceſſiones manifeſtas non habet, ſed ſolùm illa exacerbatio, & alteratio à cibo ſemper perdurat. Urina rubra, craſſa, ſedimentum craſſum,

craſſum, & copioſum, & arenoſum demonſtrat, & lateri matulæ vitreæ, & in ſuperficie veluti telæ araneorum adhærent, ſputa ſunt craſſa, nullius tamen ſaporis; multa expertus eſt remedia, ſed incaſſum, & ſunt decem octo menſes, quod in hoc ſtatu perdurat.

Difficilis, non minùs quàm periculoſus propoſitus fuit Caſus in Nobilis, & eruditi Viri indiſpoſitione, cujus cauſas, & naturam indagaturus à ſymptomatum ponderatione lumen impetrabo. Excrementa nulla tinctura colorata nos erudiunt bilis curſum ad inteſtina intercipi, & cauſam habemus in mucoſitate redundante in inteſtinorum cavitate; prout exitus illius in omni excretione oſtendit, facilè eſt enim hanc orificio vaſis biliarii adhærentem ipſum obſtruere. Hinc bilis impedita ſurſum ab hepate regurgitat, & ſanguini de novo confuſa, non unita flavo colore tingit, unde color in cute flavus, non adeò intenſus ſicuti in ictero, quia quod cuti impartitur non eſt ſincera bilis, ſed mixta aliis humoribus, & præcipuè ſeroſis flavedinem diſſolutione bilis imminuentibus, unde ab ictero ſolùm per hoc differt, ut mox demonſtrabitur.

Hujus mucoſitatis denſæ cauſa, ad acidum excedens eſt reducenda, quod auctum fuit in corpore, & ab acido limonum in aqua copiosè ingurgitata, & ab anni tempore, Autumno nempè, in quo acida prævalent, non ſolùm ob frigus aeris incipiens, quod ad acidi generationem facit, ſed etiam, quia à præterito æſtatis calore, & exercitio violento diſſipati ſpiritus ablatum fuit acidi modificativum, quapropter hoc magis prævaluit in ſaliva, & ſucco pancreatico, inducta in eis craſſitie, magis poſteà aucta in illa mucoſitate inteſtinali, quæ originem trahit à prædictis humoribus, augetur autem, dum ob moram, quam ducit in inteſtinis, acidum magis activum redditur, & conſequenter magis fixativum, & denſativum; obſervamus enim ſalivam in vaſe repoſitam incraſſari magis ſe ſola, ab acido interno, & occultò exaltato per inteſtinum motum particularum ſalivæ, vel à motu aeris, vel à calore ambientis, & hujus confirmationem habemus à vomitu craſſæ materiæ acidæ frequenter ſuperveniente.

Colorem flavum certum eſt à bile prodire, nec alium eſſe in corpore humorem aptum flavedine tingere, quàm bilem, & ad hoc ut tingat, debet eſſe multa, ſimul unita à cæteris diſgregata, vel ſaltem ſolùm conjuncta cum eis, quos inficere ſuo flavo colore poteſt, unde in tranſitu per partes eas flavedine coinquinat, relicta in eis ſui portione, ex quo certo colligimus ultrà obſtructionem in vaſe cholidoco impedientem curſum bilis ad inteſtina, eſſe bilem in venis diſgregatam à cæteris humoribus, & tamquam in ſuperficie illorum natantem cum ſero, vel parte aquoſiori, qua à bile in flavum tingitur, ſed non intenſum, dum diluitur, & ex dilutione fit color flavus remiſſus, ſicut ab aqueo, & parum ſpiritoſo pallidus, prout ſuperius innui.

Hanc bilis diſgregationem patitur, quia regurgitando à ducto cholidoco obſtructo in Hepar, venam cavam ingreſſa ſanguini de novo conjungitur, ſed non per unionem, & mixtionem, ſed ſolùm per confuſionem, & quia levior, quàm cæteri humores, juxtà Hippocratis ſententiam, iſtis ſupernatat tota, & unita, unde dicitur diſgregata; prohibetur etiam mixtio, à ſanguine mucilaginoſo, hujus enim naturæ corpora cum aliis mixtionem renuunt, cùm ob viſciditatem, & tenacitatem dividi non poſſint, ut corpuſcula alterius corporis ſuſcipiant, ſed confuſionem ſolùm ex motu admittant.

Sanguinis lentorem, & mucilaginoſum ſtatum deduco ab elevatione ſumma arteriæ à cibo, & à moderata, ſed præternaturali poſt cibum, pendente à rarefactione ſumma illius, unde neceſſe eſt concludere ſanguinem habere talem diſpoſitionem, per quam valeat ſuſtinere magnam rarefactionem frequentem, & diuturnam per decemocto menſes, ſola verò craſſa, & lenta videmus ſummè rarefieri, ut Mel, Lac, Therebentina, & ſimilia, quia ratione viſciditatis habent multum ſe dilatare, & ſolùm humidum craſſum eſt talis conditionis, ut à calore, vel ab effervescentia magnam accipiat rarefactionem, & diu hanc ſuſtinere valeat, unde ſanguine hanc patiente concludere fas eſt lentorem, & mucilaginem contraxiſſe, quæ ſe manifeſtat etiam in ſedimentis Urinarum copioſis, & craſſis, quorum materia cùm ſanguini eſſet mixta, ei non niſi lentorem, & craſſitiem contribuere poterat, prout oſtendunt etiam ſputa craſſa à materia in ſanguine latente prodeuntia; hoc lentore ſanguis reſpuit unionem cum bile perfectam, quæ licèt videatur facilis ratione viſcoſitatis idoneæ coniungere partes, non eſt tamen talis ratione ſuæ diviſionis in minima, ad quæ reduci Viſcoſitas difficultat, & ad mixtionem eſt ſummè neceſſaria dicta diviſio corporis miſcibilis ad minima: talis miſcella etiam impeditur, & ratione bilis, quæ juxtà doctrinam Le-Boe virtute ſui Salis, & Olei mixtionem recuſat cum aliis, & penetrationem, & mixtionis ſolùm rationem acquirit à ſpiritu volatili omnia pervadente, & penetrante, quem deficere in bile hujus Patientis credendum, ob morbi longitudinem, quæ ſicuti vires debilitavit, ita ſpiritum animalem peſſumdedit, à quo volatilitatem nanciſcitur.

A continua etiam effervescentia evolaſſe ſpiritum in bile credendum eſt, quo deſtituta, remanente ſolùm ejus ſale, & oleo, quibus penetrandi potentia pro mixtione deeſt, ſequitur etiam, quod ſi ſanguis non eſſet viſcidus, tamen ratione conditionis bilis non poſſet cum eo miſceri.

Sanguinis viſcoſitas, & lentor originem traxit à pituita inteſtinali à calore aeris, motu, & nimio potu aquæ fluxibili, & tenui reddita, ut facilè ingredi potuerit per vaſa lactea maſſam ſanguinis, in qua à frigore incipiente autumni condenſata, & etiam à latente aciditate coagulata viſciditatem, & lentorem toti maſſæ intulit, & quia ob reſolutos ſpiritus à febre ejus aciditas prævaluit, & eſt naturali intenſior, confuſa, cum ſale bilis, continuò effervescentia præternaturalis ab his excitatur, unde febris continua, & lenta, ob bilem inertem factam à ſua pinguedine, & à ſpirituum defectu, per quæ non eſt apta multùm effervescere, & ſine acceſſionibus, quia cauſa eſt in maſſa ſanguinea, & ſemper in actu febrilis effervescentiæ ob continuam applicationem acidi pituitæ, cum alkali lixivio bilis.

Poſt paſtum videtur accendi major, quia in illa lenta, ſed præternaturali effervescentia ſanguinis, dum ei miſcetur chylus partes hujus ſulphureæ, & in magna copia ſtatim accenduntur effervescentiam majorem excitando, vel ab eo bilis facta dilutior, eſt magis idonea ad effervescendum, & alkali volatile chyli cum acido pituitæ congrediendo effervescentiæ incrementa parant, à qua valida pulſatio arteriarum, & etiam diſgregatio multæ materiæ viſcidæ, & ſulphureæ, vitio continuæ effervescentiæ in copia aduſtæ, quæ ſimul cum ſero præcipitata, & in renibus à maſſa ſanguinis ſeparata, urinæ ſedimenta copioſa, & craſſa reddit, à quibus deciſæ partes aliquæ ſulphureæ ſubtiliores, & pingues, eò quia Urina in ſuis poris tantam iſtarum quantitatem continere non poteſt, hæ lateribus matulæ adhærent, & in ſuperficie natant in formam telæ araneatum, & quia portio materiæ tartareæ, ab acido, volatili in effervescentia ſanguinis facto, fixatur in arenulas, hæ pariter cum ſero præcipitatæ, arenoſum etiam reddunt ſedimentum.

Lienis obſtructio eſt producta à febre acuta præcedente, in cujus fermentatione partes excrementitiæ ſegregatæ, à natura ad univerſalem cloacam demittebantur, ſed ſuo fruſtrata fine in lienem decubuerunt, ibi fixatæ cum ejus tumore, à quo impeditus ſanguinis curſus per arteriam ſplenicam regurgitat, cum impetu in cæliacam verſus mucronatam cartilaginem extenſam, unde ejus pulſatio inordinata, & ſenſus viſibilis, & preceptibilis, in quam tractæ etiam temporales moleſtiam ſuo motu inferendo, ſpiritùſque animales à quiete interrumpendo ſomno difficultatem inferunt.

Pro curatione inſiſtendum in deterſione mucoſæ ſubſtantiæ inteſtinalis. Secundò in ablatione obſtructionis ductus cholidoci. Tertiò in attenuatione ſanguinis, & Pituitæ, & in acidi iſtius mortificatione. Quartò lienis obſtructiones auferendæ, quæ omnia exequi poſſe ſpero, ſed cum temporis diuturnitate, præſtita rigoroſa obedientia imperatis, ſine qua medicamenta ſuum non conſequentur effectum, & facilè Patiens in Hydropem tranſire poteſt.

Et quia jam præceſſerunt multæ purgationes univerſales, his relictis pro prima intentione capiet aquam Tetutii ad ℔. v. vel vi. cum ſuo vehiculo per ſeptimanam; & pro

& pro ſecunda utatur vino Marrubii deſcripto à Mathiolo in tract. de Marrubio cum ℈. i. ß. pul. Mileped. & ſal. tart. Chalyb. ℈. i. & hoc per xiv. dies, purgando omni tertio die cum ℈. ii. vel ʒ. i. pil. Agreg. cum ℈. i. Mercurii dulcis; Pro tertia utatur Pulv. cachetico Quercet. ad ʒ. i. addito Mercur. dulc. gr. iii. & Bezoart. min. gr. viii. & Salis tart. vol. ℈. ß. ſuperbibendo Decoct. rad. Chelidoniæ, Urticæ major. Gentianæ Marrubii, fol. Roſmarini, Salviæ, Chamedryos, & Anagallidis aquaticæ, purgando pariter omni tertio die cum Pil. de Ammoniaco Quercet. perſeverandum in hujuſmodi remedio per xxx. dies, quibus finitis, ſi remanſerit adhuc tumor lienis, auferendus cum Decoct. Ligni Saſſafras, Salſæ, rad. Caparorum, Gentianæ, Corticum tamariſci, & fol. Cytrach cum tinct. tart. Chalybis, & antim. an. ℈. ß. vel Pilul. Melangogis Lancelloti utatur modo in præcedenti Conſult. deſcripto. Exterius applicetur Emplaſtrum ex fol. Tabacci, & Cicutæ.

CONSULTATIO LXXXVIII.

De Hydrope Aſcite.

NObiliſſimus Eques, ætatis annorum quadraginta octo, temperamenti calidi, & humidi cum bile conjuncti, ut facilis in iram excandeſcentia oſtendit potui vini generoſi, & ſpiritus ejuſdem extremè deditus, facies ejus rubore intenſo, & continuo ſuffuſa paulatim apparuit, cum puſtulis rubris, quibus ſucceſſit deſtillatio humoris aquei ad fauces, appetitus dejectio, cum languore univerſali pedes, & crura intumeſcere cœperunt, & poſt aliquos menſes etiam venter, qui percuſſus aquæ incluſæ exundationes exhibet, rubor in facie eſt diminutus, & cum pallore mixtus, puſtulæ tamen adhuc ſunt multæ, & rubræ, in ventre tenſio obſervatur, non durities, nec tumor partium.

Errores commiſſi in potu Vini generoſi, & ejuſdem ſpiritus, Hydropi, qua affligitur hic Patiens, ut colligitur ex tumore pedum, & ventris, & exundationis ſenſu occaſionem dederunt, & à cauſa calida hunc morbum quandoque provenire notum fuit etiam Antiquioribus in Medicina peritiſſimis; prætermiſſis verò hic traditis ab eis circa modum generationis; ex noſtris principiis credendum eſt à Vino, & ſpiritu ejus volatilizatam fuiſſe bilem, ejuſque ſulphur, à ſulphure vini accenſibili auctum, quod augmentum facilè fuit, cùm bilis naturaliter in hoc Patiente ſit inflammabilis, & accenſibilis, ideòque ſulphure abundans, & quamvis ſpiritus vini ſalis lixivii bilioſi acredinem temperare valeat, ejus verò inflammabilitatem augere ſemper potens eſt, & ab hoc ſulphure bilis aucto ſuccedit, quod in cordis ventriculis ſummè accendatur, ut ſanguinem ſummè etiam inflammet, & rarefactione ſumma attenuet, calorem vividiorem ei contribuendo, prout patet in ſanguine arterioſo, qui volatilior, & magis accenſus venoſo, majorem etiam habet iſto fluiditatem, & colorem vivaciorem; hinc eſt, quod primo rubor faciei naturaliter floridus, & moderatus pulchritudinem concilians, moderatamque in bile naturali ſulphuris copiam arguens apparuit major deformitati conducens, quia major ſanguinis copia per arterias ad partes faciei decurrebat ratione tenuitatis, & fluxibilitatis ſanguinis à ſumma accenſione, & rarefactione acquiſitæ, & dictæ partes faciei laxæ eam recipiebant, ideò per cutem ſanguinis color ruber immoderatus tranſpirabat, ubi moderata illius copia colorem moderatum naturaliter efficiebat, & quia in aliquibus partibus faciei concreſcebant portiones ſanguinis, hæ congeſtæ puſtulas efficiebant rubri coloris, retinentes colorem ſuæ materiæ, vel quia à ſanguine penetrante ipſam ſubſtantiam coagulatam, vel cutim tumorem occultantem, ſangnineo rubore, prout aliæ partes faciei perfundebantur. Attenuata inde magis ſanguinea maſſa ſuæ compaginis ſolutionem ſenſit ſeroſitatem, quæ mixtione cum aliis particulis uniebatur libertati reſtituendo, utpotè ſua tenuitate ſeparationi magis aptam, unde ſeparatio iſtius à tota maſſa, quæ collecta in capite deſtillationi materia fuit, & ab arteriis in cavitatem ventris eructata Hydropem fecit.

Cur verò in has partes, & non in alias, utpotè renes expurgationi ſeroſitatis deſtinatos tranſmiſſa fuerit ſeroſitas, non ab alio poteſt dependere, quàm, vel à renum diſpoſitione tantam copiam ſeri non permittente in eorum ſubſtantia recipi, vel ab ejuſdem ſeri ſubſtantia non apta per poros renum tranſcolare, vel à diſpoſitione arteriarum capitis, & ventris, qua major copia ſeri his partibus impartitur, quàm aliis, ut venæ totam abſorbere non poſſint pro motu circulari, quæ diſpoſitio conſiſtet in majori orificiorum dilatatione, vel à vitio exiſtente in illis partium canaliculis, mediantibus inter arterias, & venas, quorum beneficio inter dictas partes communicatio conſervatur pro ſanguinis circulatione, ut excogitavit Le-Boe in tractatu de Hydrope, quod vitium non eſt niſi laxitas, vel ſoluta unitas illorum canaliculorum, quibus mediantibus ſeroſitas profunditur in viciniores partes, & per has dilatatur.

Sanguis, cum ſua compage ſoluta exitum ſpiritibus liberaliorem permittit, unde languor totius, & deſtillatio à capite defluens ventriculum ingreſſa fermentum ejus enervando appetitum proſternit, quamvis hoc etiam provenire poſſit ab eo, quod ſolvens ſanguinem, acidum illius compagem conſervans deſtruxit, ut non poſſit communicari ventriculo in ea portione, quæ ſufficiat pro elaboratione fermenti neceſſarii ad excitandam famem.

Solutionem compaginis ſanguinis fuiſſe hujus Hydropis cauſam, non depravatas concoctiones ex hoc colligo, quòd color optimus cutis hucuſque in hoc Patiente conſervatus fuit, quod certè non contigiſſet, ſi à cachochimia ſeroſa vitio partium concoquentium cumulata ortum traxiſſet, ideòque cenſendum eſt etiam ſpirituum vini non mortificatione ſalis lixivii bilioſi hunc morbum induxiſſe, quod utique poteſt contingere, ſed tunc primò incipit cachochimia, & malus color corporis, quod cùm non evenerit in hoc Patiente, excludenda etiam eſt prædicta cauſa, & magis confirmatur propoſita à ſulphure bilis in venis exiſtentis aucto, ſanguinis diſſolutionem modo explicato operante, cum colore intenſo rubro totius faciei; credendum tamen eſt nunc cachochimiam inſurgere, & vitiatas prodire concoctiones, quæ morbo augmentum ferent, cum à ſanguine diſſoluto, & in ſua compage læſo chylus non poſſit rectè præparari, nec fermenta partium conſervari, prout eſt verum officium ſanguinis.

Pro evitando hoc morbo difficili, ne dicam deſperato, juxta enodationem cauſarum; primò evacuanda ſeroſitas in cavitate ventris contenta; ſecundò compages ſanguini reſtituenda, volatilitate principiorum dempta fixantibus, & ſulphure bilis moderato, Ventriculus corroborandus, & caput.

Pro prima intentione, ſeu indicatione purgantibus utendum, inter quæ efficaciora cenſentur, vel Hercucules Bovii à Vvilliſio deſcriptus in Tract. de Vomitoriis, vel ſolutio Gummi guttæ in tinct. ſalis tartari, prout conſulit Vvillius in tract. de Aſcite, vel Magiſterium ejuſdem deſcriptum à Mynſichit in ſect. 1. fol. 36. Sambuci, & Ebuli ſemina, ſive grana ſiccata in pulverem redacta, & ad ʒ. i. exhibita, Jalappa, & ejus Magiſterium, horum uſus in hoc morbo ſolùm poteſt concedi pro purgatione ſeroſitatis, cum violentiam non inferant, quam ſanguis ad diſſolutionem tendens ſuſtinere non poteſt; Diaphoretica etiam, & Diuretica omninò ſunt prohibenda, cùm ſanguinem nimis fermentent, & volatilizent, quod omninò incongruum eſt ad hujus Patientis indiſpoſitionem tollendam, diuretica verò temperata in uſum revocari poſſunt; ſanguinis miſſionem nunc non laudo, cùm vires ſint debiles, in principio verò locum ei dediſſem. Pro ſervanda intentione paretur Decoctum ex rad. Torment. Biſtortæ, Serpentariæ, Plantag. folior. Poligoni, Burſæ, Paſtoris, Myrti, Antoræ Roſarum, & ad ℥. viii. propinetur, præmittendo bolum ex Diaſcord. ʒ. i. cum Croci Martis adſtring. ℈. ß. poſt octo dies purgetur uno ex dictis purgantibus levioribus, his ſuccedat Decoctum Santal. omnium, & Cornu Cervi uſti, in quo ebul. ligat. in petia lapis ſpongiæ, & Antim. crudum ad ℥. viii. addita aqua Pænotti ex Vitr. Martis, hujus enim acido puto poſſe coagulationem ſanguinis conciliari cum Syrupo ex Maſtice Quercetani per triginta dies, & omni die ante prandium per horam utatur

utatur ſequenti Pulvere. ℞. Coral. præp. ℈. I. Boli armenæ, terræ ſigil. an. ℈. ß. Sangu. Draconis, Acaciæ, Cap. mort. Vitriol. rubif. & dulcif. an. ℈. ß. m. & exhibeatur cum Syrup. coral. ℥. ß. his finitis per quindecim dies ſint in uſu Species Diamartis, vel Diaplantaginis Mynſichit, cum ℥. iii. ſucci Plantaginis, Portulacæ, & Burſæ Paſtoris, quibus repleatur Olla, & optima clauſa ponatur in furno poſt extractionem panis calido, & facto igne ad latera ollæ bulliant ſucci ad conſumpt. tertiæ partis, inter hæc medicamenta interponatur aliqua ex dictis purgantibus, & his peractis ſæpè, & omni die ad aliquod tempus utatur Aqua Sempervivi cum Tinctura coral. & Spirit. Maſticis. Victus ratio his correſpondeat.

CONSULTATIO LXXXIX.

De Hydroge Aſcite cum tumore Lienis.

REligioſus temperamenti melancholici, ætatis annorum quinquaginta Autumno præterito iter longum ſuſcepit, in quo aquæ multum ebibit, & tempore religioſi adventus cibis quadrageſimalibus nutritus, lien ei paulatim intumuit, neglecta hujuſmodi diſpoſitione, in vere factus eſt tumor in dicto membro magnus, & durus; febris ei ſucceſſit, à qua liberatus venter cœpit intumeſcere, & poſt menſem in magnam crevit molem, cum totius corporis emaciatione, exundationes in ventre percuſſo, vel ex uno in aliud latus ſe volvente perſentiuntur.

Errata in victus ratione lienis tumori cauſam dederunt, potus aquæ fluidam reddendo ſua copia pituitam inteſtinalem, hanc per venas lacteas in ſanguinem introduxit, quæ vel à frigore autumni condenſata, craſſitieique priſtinæ donata, vel ab acido naturali, quo abundant melancholici coagulata, & aliis humoribus craſſis, quibus abundat temperamentum ſupraſcriptum, & genitis à cibis quadrageſimalibus unita, ad tranſeundum per anguſtias capillarium vaſorum lienis impotens reddita fuit, ſed in iſtis retenta, & coacervata obſtructiones peperit, quæ ſtagnationi ſanguini concurrendo tumorem effecerunt. Hinc major proventum craſſorum humorum, impedita ab hoc tumore, & obſtructione actione fermenti lienaris, quo partes craſſæ ſanguinis volatilizantur, dum enim pori ſubſtantiæ lienis, & ejus vacuitates implentur, materiæ pro fermento præparando aditus impeditur, ex quo hoc deficit, & ſi generatur impedito ſanguinis curſu, ad lienem illius communicatione defraudatur, & eò magis hæc ſuccedunt ſtante inertia naturali prædicti fermenti, in melancholicis ab acido ſuperabundante, & fixante habita; fermentum enim lienis eſt acido-ſalſum, & volatile, & acido fixo ſuperabundante ſalſum minuitur, & volatile fixatur, ideò hujuſmodi conditionibus fermentum lienis iners redditur; hinc colligitur ratio, cur melancholici ſemper craſſis ſcateant humoribus. Sanguis prædictis humoribus inquinatus, horum portionem lymphæ ſubminiſtrat, à qua obſtructiones in vaſis lymphaticis per abdominis cavitatem ſerpentibus, à concurſu ad partem obſtructam novi humoris, dilatatio vaſorum, à dilatatione diſruptio tranſfuſa lympha in cavitatem abdominis, vel à tumore lienis compreſſa vaſa lymphatica ei circumſtantia, impedito à compreſſione curſu humoris, & novo advenien-te diſtenduntur, & diſrumpuntur modo jam dicto, cum effuſione ſeroſi humoris, vel ab humore tumorem faciente obſtructæ etiam venæ aliquæ circa ſuperficiem lienis repentes profuſioni ſeri in cavitatem ventris occaſionem præbent, eo modo, quo Vvilliſius in tract. de Aſcite notat, venis jugularibus exceptis, & filo ligatis inhibita ſanguinis reductione, totam capiat regionem aqua inter cute, & plane Hydropicam brevi intumeſcere, quocumque modo fiat ex dictis iſta profuſio ſeri, eſt cauſa emaciationis, & præcipuè in ea ſententia cenſente omnes partes ſero nutriri, concurrente etiam inquinamento ſanguinis à craſſis humoribus, quo impurus redditus, nutritionis opus perficere non valet.

Agendum ergo, ut tumor lienis auferatur, humores craſſi in ſanguine attenuentur, ſerum in cavitate ventris purgetur, & vaſa lacerata conſolidentur, vel nimis aperta conſtringantur, quod difficultatem maximam habebit, itaut parum ſperandum ſit de ſalute, ſine remediis tamen non eſt derelinquendus Æger.

Ideò cum peractæ fuerint Purgationes univerſales conſulo, ut utatur primo loco Decocto ſplenis Bovis Quercetani addita rad. Malvæ, Borag. Liquiritiæ, fol. Bugloſæ, Parietariæ ad emolliendum ad ℥. vi. cum ℈. I. tincturæ Chalybis, Mynſichit, & tinct. Antim. tartariſatæ ℈. I. purgando omni quinto die cum Pilul. de Ammoniaco Quercet. additis granis nonnullis Magiſterii Jalappæ, & hoc remedio utatur per viginti dies, poſteà accipiat Decoctum per menſem ad ℥. viii. manè, & ſerò ex Salſa, China, Tamariſco, & Fraxini cort. cum foliis Citrach, Camedryos, Camepithios, & flor. Geniſtæ præmittendo Bolum ex Ammon. diſſol. cum Vino malvatico, extract. rad. Filicis an. ʒ. ß. Salis roſmarini ℈. ß. ſpirit. Fulig. gutt. iv. m. & purgando modo ſuperiùs dicto. Emplaſtrum apponatur lieni ex Tabacci foliis deſcriptum ab Hoffmano in Clavi Sckroderiana, additis foliis Cicutæ; Si tumor minuatur lienis, decoctum paretur ſudorificum, ſudorem promovendo, vel cum pane recenter à furno tracto, vel lateribus excalefactis appoſitis, & pedibus, & lateribus ægrotantis, vel cum ſuffomigio ſpiritus vini in dolio pro ebullitione uvarum parato; & quamvis hæc medicamenta ſecundæ ſatisfaciant indicationi, his tamen peractis, quia exiſtimo, nec tumorem ex toto evanuiſſe, nec ſanguinem ſuæ temperiei reſtitutum eſſe, opportunum erit, vel pulverem cachecticum Quercetani adhibere, vel ſequentem. ℞. Antimon. diaph. gr. xvi. Croci Martis ℈. ß. Salis tart. volat. gr. x. vel fixi ℈. I. quam accipiat cum Syrup. de Cinam. Quercet. ℥. ß. cui inſtilletur Elix. vitæ, vel prop. gutt. viii. pro ultima indicatione exequenda accipiat Balſami ſulphuris thereb. gutt. vi. Balſami orient. gutt. ii. in Decoct. florum Hyperici, & rad. Conſolidæ major. & Biſtortæ, ſervata ſemper debita Victus ratione.

CONSULTATIO XC.

De tumore Lienis, febre continua lenta, & ſudore nocturno copioſo.

MOnialis temperamenti calidi, & humidi, ætatis annorum vigintiſeptem ex timore, & animi paſſione triſti contingente tempore menſtrualis purgationis, hæc ſuppreſſa fuit omninò, & per duos menſes hujuſmodi ſuppreſſionis, paſſa ſemper fuit dolorem ventriculi, & capitis, cum difficultate reſpirandi in aſcenſione ſcalarum, & motu concitato, tumor in liene apparuit, poſt hæc incidit in febrem ſub typo duplicis tertianæ, & vehementis, quæ remiſit poſt decimamquartam, cum majori tumore lienis, & per duos menſes à prima febre hæc durant, cum ſudore noctis tempore copioſo, & ſine ullo levamine.

Conſuetæ purgationes, ſicuti ſuo fluxu corpus in ſanitate, ut plurimùm conſervant, ita ſuppreſſæ innumeras ægritudines excitant, ut contingit huic Moniali, cui ex improviſo timore concentratis ſpiritibus ſanguini fluiditatem, & cordi motum conciliantibus illum velut coagulatio apprehendit, à qua ſuppreſſi fuerunt menſes fluentes, condenſato, & in ſuo motu debilitato ſanguine, non ſolùm ratione dictæ coagulationis à ſuppreſſione ſpirituum pendentis, ſed etiam ab acido ob ſuppreſſos ſpiritus prævalente, & ex illius cendenſatione occluſis vaſorum extremitatibus obſtructio inducta fuit, qua impoſterum prohibiti ſunt menſes antea optimè fluentes, & cum eis excrementorum è corpore ejectio, quorum retentio ſanguinis craſim perturbavit, novique generationem perfectam impedivit, ſed juvit ad craſſos, & excrementitios humores cumulandos, à quibus depravata fuerunt fermenta ventriculi, inteſtinorum, & Meſenterii, quæ concoctionibus ſemper magis imperfectis contulerunt, cum majori ſemper excrementorum proventu, & his in circulatione relictis in ventriculi ſubſtantia, & cerebri, dolorem in iſtis excitarunt. Sanguis ob craſſitiem tardè nimis circulando per pulmonum ſubſtantiam ibi in copia congeritur, unde ſpirandi quædam difficultas, quæ in aſcenſione ſcalarum augetur, quia à motu plus ſanguinis cum impetu in pulmones impellitur, quàm poſſit expelli, unde coactus ibi

ibi ſtagnare, pulmones opprimuntur, reſpiratioque magis impeditur, & eadem cauſa ſtagnans in liene tumorem effecit, & obſtructis aliquibus vaſis Hypocondriorum excitata fuit febris, modo dicto in ſuperioribus Conſult. cujus remiſſio poſt decimam quartam contigit ſegregata materia effervеſcentiæ majori, vel depravationi idonea, ſed in liene retenta vitio obſtructionis, tumor augmentum ſuſcepit.

Sequitur febris, quia vaſorum obſtructio, & depravatio ſanguinis, vel alterius humoris fermentativi commixtio cum ſanguine perdurat, à vehementia receſſit, quia ſanguinis maſſa ſpiritu depauperata à præcedenti effervеſcentia immoderata, ſulphureiſque particulis humoribus craſſis ſtrictè conglutinatis non eſt apta hanc ampliùs pati.

Huic ſanguinis, & fermentorum imperfectioni ſupradictæ debetur ſudoris nocturni eruptio, quia alimenta in primis concoctionibus in aqueam maſſam degenerant, quæ à ſanguine depauperato ſpiritu, non perficitur, nec ei aſſimilatur, id circò ab eo reicitur, & per ſudorem expellitur unà cum ſero per febrilem effervеſcentiam ſegregato.

Pro curatione horum affectuum ſcopus erit obſtructionem in liene, Utero, Hypocondriis tollere, quo tumor lienis, menſium ſuppreſſio, & febris curabitur; ſecundò ſanguinem corrigere à pravis humoribus purgando, & acidum prævalens mortificando, ſopitoſque ſpiritus excitando, & ultimò fermenta partium ſunt corroboranda, & remittenda, quibus indicationibus ſatisfacient omnia ſalia volatilia; vel ex eis conſtantia.

Quibus ſtatim utendum cùm præceſſerint Purgationes univerſales cum miſſione ſanguinis à pede, ut ♃. Extract. rad. Zedoariæ, Gentianæ, Torment. Tamariſci, fol. Sabinæ an. ℥. 1. Croci ʒ. ß. Salis Charab. ℈. 1. ß. Roſmarini, Sabinæ, Tamariſci, Salviæ an. ℈. 1. ß. Caſtorei, Tripheræ magnæ an. ʒ. ß. Trhocis de mirrha, Rhaun. an. ℈. ii. f. p., & cum Syrupo de Cinam. q. ſ. f. b. de quibus capiat ℥. 1. addendo ſpirit. fuliginis gutt. iv. m. ſuperbibat ℥. iv. Aquæ deſcriptæ à Riverio in Tract. de Menſium ſuppreſſione factæ ex pane, addendo totidem ℥. Decoct. rad. Capparorum, Tamariſci, rad. Hirundinariæ, Cariophil. flor. Geniſtæ, & fol. Roſmar. Anagal. Camedryos, & Salviæ, perſiſtat in hoc medicamento per viginti dies purgando omni ſexto die cum Pilul. Agreg. & de tribus cum Rhaub. an. ʒ. ß. vel cum Decoctione Epithimi Meſue, vel Extracto ſennæ, & Rhaubarbari, poſt quod tempus ad alia tranſeundum, quæ erunt ex Chalybe, Tartaro, & Antimonio parata, ut ♃. Croci Mart. aper. gr. xvi. Salis tart. vol. gr. vi. Charab. gr. viii. Antim. diaph. gr. xv. Bezoart. mineral. gr. v. arcani duplicati ℈. ß. Mercurii dulc. gr. vi. m. f. b. ſumendus cum ℥. ß. Syrup. de Cinam. ſuperbibendo Decoct. ligni Saſſafras, Rad. Zedoariæ, Caparor. Centauriæ, vel cum ſimplicibus aliis reſpicientibus obſtructiones Uteri, lienis, & aliorum vaſorum addita tinctura Antimonii tartariſata ad ℈. 1. continuet per menſem hoc remedium purgando omni tertio, vel quarto die cum Pil. Tartar. vel de Ammoniaco Quercetani, nec timendus uſus horum remediorum ratione febris, quia hæc cauſam febrilem auferendo illi conferunt, ſi verò febris augeretur refrigerantia erunt miſcenda, quæ adhibenda etiam ſunt in augmento febris, calidis in ſola declinatione uſurpatis. Ultimo loco proderit Pulvis Viperinus ad ℈. 1. cum Conſerva Abſynthii ſuperbibendo Aquam fœniculi cum ℈. 1. Tinct. Antimonii. Victus ratio ſit adæquata neceſſitati.

CONSULTATIO XCI.

De Inflammatione Lienis.

EXcelentiſſimus ætatis annorum ſexaginta trium, temperamenti calidi, & humidi, cum bilis abundantia, in itinere decem dierum omni ſollicitudine peracto, multùm incaluit, & aliqua errata in cibo, & potu commiſſit, reſtitutus loco, à quo diſceſſerat, correptus fuit rigore per totum corpus, cum horrore, & tremore per duas horas, quibus ſucceſſit calor magnus, quo declinante ſudor in copia apparuit, ſecundo die, cum eodem frigore, ſed ſine horrore reverſa eſt febris; in tertia invaſit cum parvo frigore, ſed cum magno ventriculi dolore, cum difficultate reſpirandi, & cordis palpitatione, quæ calore adveniente ceſſerunt, altero die cum febre ſine frigore; & horrore invadente, ſed ſolùm cum pauca pulſus contractione, & inæqualitate, omnia prædicta ſymptomata redierunt, adjuncto dolore ſiniſtri Hypocondrii cum tumore, aliqua pulſatione à Patiente ſenſibili, & difficultate ſupra latus illud decumbendi, itaut ſupra illud quieſcere datum non eſſet, ſitis magna, & inquietudo, & delirium hæc omnia concomitabantur, & impoſterum febris ad continentium regulam, cum magno calore viguit evaneſcente dolore ventriculi reſpirandi difficultate, & palpitatione cordis.

Inflammationem lienis hunc Excellentiſſimum Patientem affligere facilè eſt arguere à dolore, tumore, & pulſatione ſiniſtri Hypocondrii, & difficili decubitu ſupra latus dictum, & febre, quæ coniuncta cum dolore ventriculi, cordis palpitatione, & delirio, de dicta inflammatione magis nos certos reddunt, per nervos enim lienis proprios, omnes dictæ partes in conſenſum trahuntur ex communicatione prædictorum nervorum, cum nervis iſtarum partium, quod quomodo contingat, mox apparebit, inflammationis cauſa dilucidata, quam meo judicio exiſtimo fuiſſe febrem, quæ cum typo duplicis tertianæ invaſit, à qua ſanguis multùm, & inordinatè effervеſcens, magnaque copia per frequentes arteriæ pulſationes in lienem eructatus, eadem quantitate à venis abſorberi non potuit ob aliquam præcedentem diſpoſitionem ejus in obſtructione fundatam, unde coactus ſtagnare fermentatione ad putredinem vergente concepta, inflammationem peperit; ad hoc judicium me impellunt dolor, tumor, pulſatio ſiniſtri lateris, & difficilis in illud decubitus, tertia die à febris adventu, quod ſi inflammatio adfuiſſet, prima die certè apparuiſſet; hinc eſt, quod in tertia rigor, horror, & tremor non apparuerunt, eò quia à calore, ab inflammatione in totum diperſo vaporoſa illa materia à foco primæ febris elevata, & membranas afficiens cum dictis accidentibus diſſoluta illi afficiendi modum conſuetum abſtulit; hac de cauſa febris, acceſſiones ampliùs non ſervavit, ſed continua, & æqualis humorum in liene effervеſcentia continuam, & æqualem reddidit febrem more continentium, cum ablatione doloris ventriculi, difficultatis reſpirandi, & palpitationis, dum hæc ſymptomata inducta fuerunt in principio inflammationis à materia acida, & ſalſa volatili expirante ab inflammationis foco in liene, & laceſſente nervoſas ventriculi partes, cor, & pulmones, accenſa verò, & in flammam erumpente inflammationis materia, abſumpta fuit cum accidentibus materia acido ſalſa volatilis, utpotè prima, quæ in combuſtione exhalat, & hoc videtur confirmari ab eiſdem ſymptomatibus in principio febris apparentibus, & calore adveniente evaneſcentibus, dum etiam in initiis acceſſionum materiæ illæ irritativæ primò exhalabant, & magno febrili incendio apparente expirabant, vel ab hoc diſſolvuntur, & diſſipantur. A calore intenſo ſanguini, ſpiritus animales perturbati, & fibræ cerebri, in quibus impreſſiones objectorum externorum conſervantur inordinatæ agitatæ, & motæ delirium excitarunt, & conſervant, dum à dicto motu confuſo fibrarum objecta diſparata imaginationi offeruntur, & ſpiritus perturbatus modò hanc, modò illam, & unitim etiam plures movet fibras, cum diſcurſus confuſione, diminuto calore, & ſedato motu ſpirituum, delirium etiam ſedatur.

Pro curatione, reiteranda ſanguinis miſſio ab eodem latere affecto, præmiſſo clyſtere. Alterantibus præſcriptis, & refrigerantibus addatur Lingua cervina, quæ lienis tonum conſervare valet, & cum ex magna febri poſſimus judicare hunc labefactari, & ſanguineam maſſam etiam ad diſſolutionem tendere, idcircò his providendum eſt cum medicamentis adſtrictoria aliqua facultate pollentibus, ut ſunt Margaritæ, Coralla, Spodium, & ſimilia, ex quibus confecti Pulveres exhibeantur pluries in diem. Extrinſecus fervor lienis corrigendus cum emplaſtro facto ex Farina hordei, pulvere Roſarum rub. Abſynthii, & ſucco Portulacæ, & ſi fervor remiſerit, reſolventia, ut Camomillum, Melilotum, & Farina ſeminum lini addenda. Victus ratio ſit tenuis, & ad frigidum vergens.

CONSULTATIO XCII.

De Ictero.

Mercator temperamenti calidi, & humidi, ætatis annorum ſexaginta, vitam ab omni errore alienam degens, hac æſtate ſolùm frequenti equitatione uſus eſt, neceſſitate coactus. In principio Autumni nauſea correptus fuit, ut omnia alimentorum genera faſtidiret, cum ventriculi dolore ferè continuo. Urinæ croceum colorem repreſentabant, & paucis interpoſitis diebus tota cutis flavo colore tincta apparuit, cum duritie in regione hepatis, alvi excrementa ſunt alba, & amaritiem continuam in ore perſentit, ut omnia alimenta ei videantur amara.

Ictero ægrotare præfatum Patientem, ex allatis ſignis manifeſtè colligitur, ſicuti cauſa iſtius apparet in duritie Hepatis, ab humorum colluvie in eo ſtagnante orta, & obſtruente, vel acinos illius, in quibus ſegregatur bilis, vel radices porri biliarii, vel ductus cyſtis, itaut bilis non poſſit progredi ad ſuam ſedem, ſed retrocedere cogatur cùm alio ſanguine per venam cavam, in quo ad ſummam quantitatem collecta, à natura excreta fuit ad partes exteriores, quod facile fuit cùm confuſa, non mixta eſſet aliis partibus ſanguinem conſtituentibus, ob continuam diſpoſitionem à liene acceptam pro ſegregatione, ideò febrem non facit, quia non remanet in ſanguine, ſed continuò ab eo ſeparatur, & ab hac flavo colore tinguntur partes, aliæ etiam particulæ tunicis ventriculi adhærentes ſale lixivioſo eas vellicando dolorem excitant, & eodem ſale acido ventriculi ſuppreſſo appetitus extinguitur, & in renibus in copia eum ſero ſeparatæ urinam croceo colore tingunt, ſicuti fœces albæ remanent, quia ad inteſtina non depluit bilis; obſtructionis cauſa; ſicuti non poteſt eſſe, niſi humor craſſus, ita cenſendum eſt, licèt optima victus ratione utatur, ratione ætatis declinantis facultatum languori expoſitæ, chylum ſemper cum aliqua ejus portione craſſa ad ſanguinem per lacteas delatum fuiſſe, quæ coagulata magis ab acido interno ſanguinis, vel paulatim in quantitate cumulata obſtructioni occaſionem præbuerit; vel judicandum pituitam inteſtinam nimis incraſſatam, vel ab acido interno, & occulto ſalivæ, à qua proficiſcitur, vel ab acido pancreatici ſucci aucto, & illi mixto adhærendo parieti inteſtini, cui adaptatur orificium ductus Cholidoci in eo obſtructionem induxiſſe, quæ cùm in hoc Patiente ſit evidens ob excrementorum albedinem, tollit, quod poſſimus exiſtimare à volatilitate bilis Icterum produci, prout cenſet Sylvius Le-Boe, hæc enim ſententia locum habere ſolùm poteſt meo judicio, ubi cum Ictero excrementa tincta apparent, cùm bilis volatilitas non impediat iſtius in hepate ſegregationem, & in cyſti fellis depoſitionem, ex quo ad inteſtina deſcendere debet, quotieſcumque verò non tinguntur fœces indicium eſt ab obſtructione pendere.

Quarè in hoc caſu obſtructioni primò, & principaliter incumbendum, humorem craſſum attenuando, & evacuando, bilem ſegregatam, & in venis permanentem evacuando, & ſanguini ſuam craſim reſtituendo, coloremque cutis delendo, quæ optimè obtineri poterunt à medicamentis, dummodò rectè ſe agat circa ordinata.

Facta purgatione univerſali, mundanda inteſtina à pituita nimia ea obliniente aqua Tetutii per quatuor dies ad ℔. 5. vel 6. cum ſolito vehiculo adminiſtrata; huic ſuccedat ſequens Decoctum. ℞. Rad. Chelidoniæ, Marrubii, Rubiæ tinct. Gentianæ, fol. Abſynthii, hujus ℞. ℥. viii. Syrup. de Cicorea cum Rhaub. ℥. 1. ß. addendo Sal. tart. fixi ℈. 1. & Abſynthii ℈. 1. ß. per octo dies hoc remedio obſtructionibus minoratis, medicamento purgante, bilem, & pituitam reſpiciente purgandum corpus, in quem finem faciet infuſio Rhaub. Agar. ad ʒ. 1. ß. cujuslibet in aqua Endiviæ acida facta cum Cremore tart. vel ſpirit. Vitriol. addendo Syrup. roſ. ſol. & Mel. roſ. ſol. an. ℥. ii. ß. cum aquæ Cinam. ℥. 1. vel cum Pil. de Agarico, & tribus cum Rhaub. an. ℈. ii. Mercurii dulcif. gr. xviii. huic ſuccedat medicamentum cum Chalybe, & validioribus deobſtruentibus, ut ℞. Croci Mart. aper. gr. xvi. Antim. diaph. gr. xviii. Salis tart. fixi ℈. ß. Salis viper. gr. viii. Bezoart. min. gr. vi. m. ſuperbibendo Vinum deſcriptum à Mathiolo in deſcriptione Marrubii, & omni tertio die purgetur cum pilul. Agreg. ʒ. 1. Mercurii dulcif. ℈. ß. m. per viginti dies inſiſtendum in hoc remedio, à quo ſi morbus non ſolvatur pro unico remedio conſulerem Pulv. Milleped. præp. ʒ. 1. Croci gr. viii. Sal. tart volat. gr. v. m. cum aqua lumbricorum, Chelidoniæ an. ℥. ii. ante cœnam per horam ſumat pulv. Cornu. Cervi phil. præp. & raſuræ Eboris an. ℈. 1. & Charab. ſ. p. ℈. ß. m. cum Aquæ theriacalis ℥. 1. purgationem omni ſeptimo die reiterando cum extract. Rhaub. ʒ. 1. Sennæ ℈. 1. quo Maſſa ſanguinis à copia bilis mundabitur, & per quindecim dies utatur hoc remediorum genere, quo ſi utilitatem non percipiet, utatur ſequenti ℞. Stercoris anſeris verno tempore collecti, & in ſole exſiccati, Pulli gallinacei eodem modo præparati an. ʒ. 1. Salis Abſynthii ℈. ii. Urinæ volat. ℈. ß. Pulv. Cinam. ℈. 1. Sacchari ʒ. 1. dividatur in quatuor partes æquales, & ſummo mane de illis unam ſumat Æger per octo dies, ſumat pariter gutt. xii. Balſami ſalis in ℥. iii. aquæ Agrimoniæ, & Cinam. ℥. ß. ad reſtituendam ſanguini ſuam craſim, conjungendo his omnibus optimam victus rationem.

CONSULTATIO XCIII.

De Ictero nigro.

Sacerdos temperamenti melancholici, ætatis annorum triginta ſex, febre duplici tertiana afflictus, cum tenſione in utroque Hypocondrio, tranſacta ſeptima Urinæ ad nigrum tendentes apparuerunt, cùm excrementis alvi albis, & poſt duos dies tota cutis flavo colore ad nigrum accedente tincta fuit, cum perſeverantia tenſionum, & obſtructionum in utroque Hypocondrio, & febris remiſſione, Patiens multos commiſit errores in eſu ciborum craſſorum, & præcipuè carnis porcinæ.

Color cutis flavus ad nigrum vergens unicuique perſuadere valet indiſpoſitionem hujus Patientis eſſe Icterum nigrum, cujus cauſam communem cenſeo cum illa icteri flavi, nempè impeditam bilis ſegregationem in locis propriis, & convenientibus, per obſtructionem in illis factam à craſſo humore, proprio temperamenti melancholici, & à cibis craſſis, difficiliſque concoctionis congeſto, unde bilis retrocedere cogitur per vaſa; ſed differt in hoc à flavo, quòd in ictero nigro bilis continuò in ſanguineam maſſam regurgitans conjungitur ſero, in quo fœces ſanguinis nigræ in corpore melancholico abundantes, & præ lienis obſtructione majori exceſſu coadunatæ, & ab ejus fermenti actione pro volatilizatione ſuſpenſæ, diſſolutæ fuerunt, à quibus ſerum colorem flavo nigrum acquirit, & eodem cutim tingit, dum circulando ei adhæret, niſi magis arrideret exemplo aquæ, in qua diſſolutum fuerit vitriolum, & alterius, in qua decocta fuerit Galla, quæ ſimul mixtæ ex claris nigræ evadunt, hujuſmodi ſymptoma dilucidare, ſtatuendo ex alkali bilis retento in ſanguine, & ab acido melancholiæ ad vitrioli naturam tendente, & ſuperabundante, ſimul mixtis humorem flavo nigrum emergere, unde rectè ſtatutum fuit ab Antiquis icterum nigrum à melancholico humore fieri, quamvis modum generationis pro intellectus capacitate non explicaverint.

Hujus veritatem poſſumus accipere à fœcibus colore viridi tinctis, non alia cauſa, niſi quia bilis alkalica, & ſuccus pancreaticus acidus, & ipſa melancholia, ſecundùm partem ſui craſſiorem fœcibus miſcentur, & ab eis hujuſmodi colorem ſuſcipiunt; Et hoc magis probabile fit à febre præcedente, in qua ob effervefcentiam ſanguinis immoderatam ſeparatæ fuerunt portiones craſſæ, & acidæ ſanguinis, quibus melancholicus Patiens ſcatebat.

Huic febri, obſtructiones in Hypocondriis cauſam dederunt, depravando humorem per eas ſtagnantem, qui ſuperato impedimento ſuis qualitatibus fermentativis, in depravatione ſui, contractis, ſanguinem dum illi de novo

de novo miſcetur circulando inordinatæ fermentationi condemnat.

Per Icterum remiſſa fuit febris, quia cum bile ad cutim pulſa fuit illa portio excrementi, quæ erat maximè diſpoſita ad contrahendam fermentativam depravationem in loco obſtructo, unde non concurrente ad hunc humore in tanta copia, dum ejus portio expulſa fuit, nec exiſtens reſiduum ſanguinis ad locum obſtructum fluentis, ob ſuas conditiones meliores minimè ſubjectum depravationi prioris ſimili, minorem capacitatem etiam ad fermentandum præternaturaliter concipit, unde etiam febris minor; obſtructiones à materia craſſa, ut ſuperius dicebam dependent, & ab acido in temperamento melancholico prævalente humores coagulante, & fixante.

Curatio ergo harum indiſpoſitionum fundata erit in auferendis obſtructionibus, humores attenuando, & acidum ſuperfluum extinguendo, addendo quæ Hepar, & Lienem reſpiciunt, his enim ablatis bilem in ſuo curſu naturali remittemus, & febrem etiam extinguemus, qua de cauſa efferveſcentiam ſedantia ſunt adhibenda: Materiam præparatam poſteà evacuabimus, bilem nempè, & craſſum humorem.

Facta purgatione primarum viarum cum Electuar. lenit. & Extract. de Rhaub. vel cum infuſione Rhaub. & Agarici diſſolvendo in ea Mel. roſ. ſol. obſtructiones primo oppugnandæ cum ſequenti Decocto ex rad. Hepati, Ari, Filicis, Urticæ major. Taraxaci, Caparor., fol. Abſynth. Agrimon. Citrach. Linguæ cervinæ, Cicorei, Centauriæ, Boraginis de hoc ſumantur ℥. viii. addendo ℥. I. ß. Syrup. de duabus, Tinct. tart. ʒ. ß. & continuet uſque ad decimum quartum diem in hujus uſu, reiteretur poſteà ſupradictum medicamentum Purgans, de ſanguinis miſſione non loquor, dum primis diebus hæc executa fuit, & modò nullum adeſt hujus indicans. In hoc tempore, dum febris augetur, exhibeatur Aqua Agrimoniæ, Capil. Vener. Borag. cum ʒ. I. Salis Prunellæ, vel gutt. viii. ſpirit. vitrioli, vel ſalis dulcificati, & ante cibum capiat ſemper ſequentem Pulverem. ℞. Antimonii diaph. ℈. ß. pulv. rad. Ari ℈. ß. Salis Roſmarini ℈. ß. Salis tart. fixi gr. x. m. his peractis, & febre perſeverante ad aliam ſanguinis evacuationem non devenirem, niſi ipſa augmentum ſuſciperet: nam etiamſi ab hemorroydibus proliciatur, ſemper maſſa ſanguinis refrigeratur, & maximè in temperamento melancholico, & per hoc imbecillis redditur ad ſeparationem materiæ excrementitiæ, & ad faciendum impetum in obſtructiones, ſed efficaciora deobſtruentia ſeligenda, inter quæ aliqua erit ex aquis aperientibus deſcripta à Quercetano, vel Mynſicht, vel ſequens Decoct. ℞. Rad. Ariſtolochiæ rot. Gentianæ, Marubii, Hirund. Chelidon. Caparor. Cort. tamariſci, Fraxini, fol. Petaſites, Centauriæ, Abſynthii, Urticæ major. Acetoſellæ, raſuræ Cornu Cervi, & Eboris, & de hoc capiat ℥. viii. cum ℥. I. Syrup. de quinq. rad. addendo inſuper tincturæ Antimon ℈. I. cui præmittatur ſequens Bolus. ℞. Extract. cort. Tamariſci, Succi Abſynthii condenſati an. ℈. I. Salis Abſynthii imbibiti ſpirit. ſvitriol. dulcif. ℈. ß. Bezoart. min. gr. viii. Croci martis gr. x. Spirit. Fuliginis, vel Cornu Cervi gutt. v. Olei citri gutt. ii. m. (Febris enim lenta horum volatilium uſum permittit; vel horum vice ſal tartari volatile uſurpetur) omni tertio die purgetur cum Decocto Epithimi Meſue, addendo Decoctioni Rhaub., & Decocto præparato addatur ʒ. ß. ſalis tartari fixi; Quodſi horum remediorum uſu febris per quindecim dies non eradicetur ſequenti remedio efficaciori inſiſtendum. ℞. Decoctionis Marrubii, Chelidoniæ, Urticæ major. Raphani Sylveſt. Anagalidis ℥. viii. Syrup. de Stœchade ℥. I. cui adde Spirit. vitriol. viridis fixati gr. vi. Tincturæ chalybis ℈. I. Antim. ℈. I. Salis tartari volat. ℈. ß. m. Prædictus ſpiritus paratur hoc modo, in recipiente aptato retortæ pro extrahendo ſpiritu vitrioli ponatur aqua, itaut roſtrum retortæ immergatur in aqua, ut ſpiritum in ea profundat, deinde operandum eſt, ſicut in extractione ordinaria ſpiritus vitrioli, in hac enim operatione ſpiritus illi volatiles vitrioli figuntur, cum aliis in aqua, & poſteà extracta aqua in B. M. habebis in fundo ſpiritum vitrioli viridis coloris, cui adde ſpiritum ſalis armoniaci, hi duo ſpiritus in unum ſal coagulabuntur, ſpiritu vini edulcora, & habebis ſal fixum ſummæ activitatis in auferendis obſtructionibus, & in attenuando ſanguine. Huic remedio poterit præmitti pulvis Millepedum, & ſtercoris Anſerculi verno tempore collecti ad ʒ. I. Ultimo loco decoctione Artemiſiæ utatur per octo dies, quia icteritiam extirpat. Alvus ſemper ſervanda eſt lubrica, cum optima victus ratione.

CONSULTATIO XCIV.

De Teneſmo.

CIvis in ætate annorum ſexaginta quinque, temperamenti calidi, & ſicci aduſti, per menſem jam laborat alvi fluxu mucoſo, cum ferè continuo excernendi fœces ſtimulo adeò acri, & violento, ut non ferre poſſet illud, & poſteà nihil præter mucoſitatem excernit, aliquando copioſè, aliquando in pauca quantitate, & aliquando cum fœcibus, & frequenter hos ſtimulos ſentit; in victus ratione eſt ordinatus, & in nullo erraſſe, in quod culpa hujus affectus refundi poſſit, aſſerit.

Teneſmus eſt affectio moleſtans præfatum Patientem, dependens à pituita inteſtinali craſſa, & acri; nam ſua craſſitie adhæret valdè inteſtinis, & acredine violenter ſtimulat non ſolùm inteſtina, ſed muſculum inteſtino recto annexum, quo enim adhæſio corporis eſt intimior eo ſuæ qualitates ſenſibiliores redduntur corpori ſenſitivo cui adhæret. Hæ qualitates craſſitiei, & acredinis pituitam inteſtinalem affecerunt, quia tota maſſa ſanguinis ratione ſenilis ætatis craſſa evaſit, non ſolùm ob imperfectas concoctiones iſtius proprias, ſed etiam, quia deficit ſpiritus ille vitalis, ſanguinem in fluxibilitate proportionata detinens, Unde materia, quæ glandulis ſalivalibus, & Pancreati ſubminiſtratur cùm ſit craſſa, evenit ex ea ſuccum pancreaticum, & ſalivam craſſam generari, & cùm hi duo humores ad generationem muci in inteſtinis concurrant, ſequitur & hunc craſſum evadere, & ſi in ſanguine hanc craſſitiem ponere faceret difficultatem, temperamentum calidum ſiccum cum exceſſu bilis fundentis, fatendum eſt ob glandularum ſalivarium, & pancreatis indiſpoſitionem, ſalivam, & ſuccum pancreaticum craſſum generari; quæ indiſpoſitio facilè fundari poteſt in calore dictarum partium humidum humoris diſſolvente relicta craſſiori parte, vel quod in ſe plus juſto contineant humorem receptum cauſa alicujus impedimenti, unde ulteriori concoctione incraſſatur, vel quod acidum illarum partium (eſt enim in omnibus glandulis acidum dulce fermentativum) factum excedens humorem illum ſupradictum magis coagulat, quod magis probabile puto ob rationes de acrimonia mox dicendas, & hæc cauſa trahit poſteà antedictas, nam dum ab acido excedente coagulatur, & craſſeſcit, cogitur plus immorari in parte, unde concoctio protrahitur, acquirendo majorem craſſitiem per moram à calore partium adiacentium, materia magis actuatur, & evaporata ſubtiliori craſſior relinquitur.

Craſſitiei conjungitur acrimonia, & ſalſedo, dum in hac ætate ſenili deficiente ſpiritu balſamico ſulphureo totam maſſam ſanguinis dulcificante, humores acrimonia naturali donati, acriores præter naturam evadunt, ideò ſuccus pancreaticus acidior, & bilis acrior, deficiente in utroque ſpiritu illo volatili, quo contemperantur juxtà humanæ naturæ genium, & muneris præſtandi exigentiam, & ſicuti ætas ſenilis omnium imperfectionem facultatum ſecum ducit ob indigentiam ſpirituum, ita acrimonia humorum augetur; hinc eſt, quòd bilis, & ſuccus pancreaticus ſimul congrediendo ſua acrimonia, & aciditate aucta in unum ſalſum potens degenerant, quod mixtum cum muco inteſtinali craſſo hunc valdè ſalſum reddit, vel reſiduum reſultans reliquiis craſſis relictis poſt efferveſcentiam bilis, & ſucci pancreatici, & ſalſis ratione ſupradicta mixtum cum ſaliva delapſa ad inteſtina, craſſa pariter, hanc ſalſam reddendo, mucum inteſtinalem, quem componunt craſſum, & ſalſum faciunt, qui irritando inteſtina, & muſculum ſphinctrem infert illam continuam fœces deponendi cupiditatem.

Pro curatione ergo, detergenda ſuperflua inteſtinorum mucoſitas, ſucci pancreatici, & ſalivæ craſſities attenuanda, acido ſuperfluo correcto, & bilis, ejuſdemque

ſucci acrimonia excedeus corrigenda, quod non erit difficile obtinere.

Purgandum ergo, primò Corpus cum Mel. roſ. ſol. diſſol. in infuſione Agarici, & Turbith an. ℥. 1. ſuperbibendo poſt tres horas Aquæ Tetutii ℔. iv. poſteà capiat per quinque dies jus decoctionis Malvarum, Violarum, Boraginis cum ℥. 1. Crem. tart., & Syrup. de duab. ℥. 1. his terminatis reiteretur prædictum purgans cum Aqua Tetutii, ſanguinem miſſionem non ludo cùm ſimus in ſene, & etiam quia ſanguinis qualitates pravæ ſi quæ ſunt, non poſſunt corrigi per ſanguinis miſſionem, poſteà ad majorem, & ultimam deterſionem accedendum ad aquam Noceræ dejectoriam factam, in primo cyatho miſcendo Melis roſ. ſol. ℥. iii. & per quatuor dies perſeverandum. Ad correctionem acidi ſucci pancreatici, & acrimoniæ bilis ſufficiet lac Aſininum deſtillatum ad ℔. 1. cum Tinct. Antim. ℈. 1. & Spirit. Salis Armon. gutt. viii. quo attenuabitur etiam humor craſſus, & efficacior erit, ſi præmittatur pulvis ex Ocul. Cancr. ℥. ß. Cornu Cervi uſti ℈. 1. Coral. præp. ℈. ß. hæc acidum coagulans imbibendo humoribus fluiditatem conciliabunt, & per menſem in hoc medicamento perſiſtet, ſuffitus exercendo pro moderando ſtimulo acrimoniæ ad fœces expellendas impellente, ex foliis Verbaſci, Meliloti, & fœnugreci eiſdem herbis decoctis in ſacculo repoſitis foveatur anus, Unguent. roſ. cum Camphora, & ſaccharo ſaturni prodeſt; ſi illiniatur anus intus quantum fieri poterit: in æſtate ventura poterit etiam aquam Villenſem accipere more ſolito, & conſueto, & balneo aquæ dulcis uti, quibus duobus remediis optimè humorum excedentes qualitates temperabuntur ſervata optima victus ratione.

CONSULTATIO XCV.

De Hemorroydibus.

Nobilis Vir temperamenti melancholici, ætatis annorum quadraginta quinque, aſſuetus pati fluxum ſanguinis ab Hemorroydibus, cœperunt ei dolore, cum aliquo tumore extrà orificium ani, aucto dolore tumor adeo incrementum ſuſcepit, ut æquaret magnitudinem manus conſtrictæ, dolor intenſior evaſit cum magno calore, inquietudine, & vigiliis.

Conſuetum ſanguinis fluxum per Hemorroydes natura ad totius levamen intendens tranſmiſſo ſanguine ad illas, ſuo defraudata fuit fine ob ſanguinis craſſitiem ab admixtione humoris craſſi, & melancholici acidi contractam, per quam ſtagnans, & immobilis redditus circulationis curſum continuare non valuit, nec vim inferre orificiis venarum, ut exitum ſibi pararet, & eo magis in hoc imbecillis evaſit à craſſitie irretito ſpiritu impetum faciente, & craſſities ipſa, ſanguinis particulas reddens majores ſpatio orificio vaſorum, & ſine motu, impedit ne per illud exeat, & ad ſuperiora circuletur, unde facta ſanguinis collectione magna, neceſſe etiam eſt, ut venæ ad tantum tumorem deſcriptum extendantur, divellendo tali extenſione à ſuo ſitu etiam parte eis adhærentes, ex qua duplici extenſione violenta, & præternaturali dolor auctus, concurrente etiam qualitate ſanguinis mordicativa concepta in ſtagnatione, fermentationem concipiendo inordinatam, à qua calor intenſus, & acidi exaltatio ad vellicandum dolorificè apti, itaut quædam inflammatio hemorroydum dici poſſit.

Pro cujus affectus curatione ſanguis fluens quantum fieri poteſt divertendus, & fluxus attenuandus, & paulatim diſſolvendus, dolore mitigato, quod ſpero nos obtenturos remediorum efficacia.

Mittatur ergo, primò ſanguis à vena brachii dextri ad ℔. 1. & ſi opus eſt replicetur pro exigentia Patientis, & affectûs pertinacia ex altero brachio, poſteà ſanguinem fluidiorem reddemus cum aquis, quæ fervorem, & acrimoniam ſanguinis moderabunt, ut ſunt ſerum lactis deſtillatum cum ſucco Boraginis, & Malvæ præmittendo pulverem fol. Farfaræ ad ℥. 1. Purgantia non laudo, cùm humorum ductu ad partem affectam poſſint illam magis exaſperare, & augendo dolorem ſanguinis copiam trahere, alvus tamen ſervanda eſt lubrica, & hoc melius fieri non poſſe exiſtimo, quàm cum ℥. ii. Electuarii Diaſebeſten, vel Caſſiæ ante prandium, & cœnam aſſumptæ, attenuabitur etiam ſanguis externis, & præcipuè ſuffumigiis humidis, ut ♃. fol. Tapſi Barbati, Parietariæ, Malvæ, Hiperici, ſemin. Fœnugræci, Lini, Altheæ, florum Camomillæ, Polip. querc., Radicum Scrofulariæ, bulliant in æquis partibus aquæ, & vini, & Decoctum fervens ponatur in vaſe, ſupra quod in ſella ſedeat patiens fumum excipiendo per horæ quadrantem, & etiam mediam horam, à ſuffumigio, fiat inunctio pro dolore ſedando ex oleo nucum, in quo per ebullitionem diſſoluti fuerint millepedes, facta poſteà forti expreſſione, & dum oleum ebullit ponatur in eo Antim. ſ. p. ligatum in petia, oleo ſæpè inungantur hemorroydes, & calido, vel ſequenti. ♃. Fol. Sempervivi major., auſeratur prima pellicula, bulliant in oleo Olivarum uſque ad diſſolutionem foliorum, facta forti expreſſione coletur, & eo utatur, vel Unguento ex Scrophularia deſcripto a Mathiolo in tractatu de Scrophularia ad exſiccandum Hemorroydes, ſedato dolore utatur ſuffumigio ex pulvere ſulphuris cum pulvere ſcrophulariæ, ſem. trifolii hemorroydalis; & poſt ſuffumigium fiat inunctio cum Balſamo ſulphuris, & oleo Hypericonis, vitelliſque ovorum, & continuò foveantur cum ſpongia imbuta, & poſteà expreſſa in aqua calcis poſtquam Calx fundum vaſis, in quo diſſoluta fuit petierit, itaut clara maneat. His omnibus optima victus ratio ſuccedere debet.

CONSULTATIO XCVI.

De Fluxu Hemorroydali.

Mulier annorum viginti octo, temperamenti melancholici poſt primum partum paſſa eſt ſemper Hemorroydum dolorem, ſed per intervalla, in quinto Partu, qui fuit difficilis, & per plures dies dolores perpeſſa fuit, tandem enixo fœtu Hemorroydes illi ſummè intumuerunt, & per multum tempus in hoc ſtatu permanſerunt, tranſactis tribus menſibus à Partu apparuit ſignum menſium, & eodem tempore magis intumuere hemorroydes, & ruptæ cum evacuatione ſanguinis, ſed moderata, qui autem per menſtrua exivit paucus fuit, altero menſe inſtante multùm defatigata fuit per aliquos dies, præcedente renum dolore, venæ hemorroydales ultrà ſolitum tumefactæ, præmiſſo purgationis menſtruæ ſigno, ruptæ ſunt, cum magna, & frequenti ſanguinis effuſione, itaut in uno die (quamvis robuſta) vires ammiſerit.

Ex conatu pro excluſione fœtus dilatatas fuiſſe Venas hemorroydales in hac Patiente, præter experientiam, cum antea numquam hemorroydum paſſiones perſenſerit, & in partu eas experta fuerit, docet & ratio, nam in tali conatu per muſculos abdominis comprimuntur omnes partes circumſtantes, & etiam venæ hemorroydales, ex qua compreſſione ſanguis ſurſum liberè circulari impeditur, & ſtagnando, vel parvo motu ſurſum rependo, advenienti ſanguini ab arteriis locum neceſſarium pro ſui capacitate non relinquit, integra manente cavitate vaſis, unde cùm in hac colligatur plus ſanguinis, quàm ſecundùm ſui capacitatem naturalem continere poſſit, à copia vim faciente dilatatur, & pro copia majori dilatatio fit major, & hæc fuit cauſa, per quam in partus excluſione hemorroydes huic Patienti intumuerunt, ſicut eſt cauſa intumeſcentiæ venarum dictarum in viris, qui fœces non niſi cum magno conatu egerunt.

Venæ ita dilatatæ ſemper ſanguinem uberiori copia ſuſcipiunt, eo modo, quo aqua per plures, & inæquales rivos à flumine derivata in majori copia excurrit per magis capaces, quàm per anguſtos, & ſic tumor venarum durationem ſuſcipit, conferente huic natura ipſius ſanguinis melancholica craſſitiem, & facilem coagulationem ei præbente, unde ab arteriis in venas depoſitatus, in his condenſatur, vel ob deficientiam caloris arterialis, vel evaporata portione in ſui effuſione ab arteriis illius ſpiritus ſalſi balſamici fluiditatem conciliantis, quapropter motus illi minuitur, & tardè circulatur, itaut alia ſanguinis portio ſubminiſtrêtur ei parti venæ ab arteriis, dum præcedens ſecundùm totam ſui quantitatem eamdem partem non deſeruit.

Aucta

Aucta hoc modo copia ſanguinis in eadem parte venæ, & majus incrementum ſuſcipiens à novo ſanguine, impeditam capacitatem à prioribus portionibus inveniens vi locum ſibi parat, cum dilatatione vaſis, idcircò ſemper intumeſcunt venæ, & augetur tumor, vel quando copia ſanguinis major excipitur, vel quando craſſities majus impedimentum ponit circulanti ſanguini.

Tempore menſium ab hemorroydibus fluit ſanguis, quia ſicuti fermentatio ſanguinis ab hujus copia excitata, & à qua fit menſtrua purgatio, in tali tempore totam ſanguinis maſſam turgere facit, cum mutatione coloris, & excitatione variorum accidentium, ita facilè eſt ſanguinem in hemorroydibus contentum per hanc turgeſcere, ſolutis à fermentatione ſpiritibus per craſſitiem priùs ligatis, & otiantibus, à quibus impetum ſuſcipit, quo orificia venarum aperit, & in magna copia excernitur, derivata per hanc viam ea portione ſanguinis, quæ per menſes fluere deberet, unde iſti per naturalem ſemitam diminuto fluunt curſu.

Copioſa multùm fuit in hoc ultimo tempore ſanguinis ejectio, quia à præcedenti labore attenuata ſanguinis maſſa, exaltatoque, & volatilizato acido melancholici humoris excedente, non ſolùm ab arteriis in majori copia venis hemorroydalibus ſanguis fuit ſuppeditatus (quo enim ſanguis eſt fluidior, ubèrius ab arteriis eructatur) ſed ſua qualitate acida aucta, continuo ſtimulo aperta venarum orificia perſeverarunt, ad uberiorem ſanguinis profuſionem.

Pro curatione hujus affectus nunc inſiſtendum in ſanguine ſiſtendo, cum diverſione iſtius ad aliam partem pro majori ſui portione; Secundo orificia vaſorum aperta conſolidanda erunt; Tertiò cogitandum de præſervatione, quæ conſiſtit in hemorroydum exſiccatione, & in reductione ſanguinis ad ſuas vias naturales, in utroque exequendo magnam video difficultatem, cum venæ maximè dilatatæ ſint, & ea inſurgit difficultas, quæ adeſt ſemper in vaſe magno aperto; pro præſervatione nobis ſe offert illa exſiccandi hemorroydes, opus arduum ob continuum ſanguinis fluxum, & ob applicationem remediorum.

Pro prima indicatione extrahendus ſanguis à brachio parùm, & ſæpè, & cucurbitulæ applicandæ Hipocondriis, frictiones etiam partibus ſuperioribus faciendæ. Medicamentum purgans non videtur convenire, ſi tamen urgeret neceſſitas, ſolo pulvere Myrabolanorum, & Rhaub. torrefacto utendum. Pro ſecunda ℞. Aquæ ſummitatum. Quercus, Sempervivi, Portulacæ an. ℥. iii. Syrup. maſt. ℥. ß. Tinct. coral. ʒ. ß. Croci mart. aſtring. gr. vi. Infrà diem utatur ſequenti Lambitivo. ℞. Decoct. rad. Tormentillæ, Biſtortæ, Conſolidæ, Millefolii, Scrofulariæ, Galangæ, Maſticis, Gariofil., Camphoræ parum ℥. vi. Diaſcordii ʒ. i. ß. Specier. trium Santal. ʒ. i. Syr. coral. ℥. i. Spirit. vitriol. gutt. x. m. Ante cibum per horam capiat ſequentem Pulverem. ℞. Lapid. Æmatitis præp. ʒ. ß. Coral. præp. ℈. i. Terræ ſigil. ℈. ß. m. cum aqua Plantag., vel Burſæ Paſtoris, fotu etiam utatur cum vino aſtringenti, in quo ebullierint Tapſi barbati folia, radix Scrofulariæ, folia Myrt., grana Sumach, Balauſtia, & caveat ne calidum fiat fomentum, quod per horam continuabitur, & poſt inſpergatur ſuper venas ſequens Pulvis. ℞. Thuris, Sarcacollæ, Sangu. Drac. Balauſt, Stibii Aluminis an. ʒ. i. Vitrioli ad ſolem calcinati ʒ. ß. Pilor. Leporis combuſt. ʒ. i. Plumbi uſti ʒ. ß. Balſamum aliquod vulnerarium adhibendum. Pro tertia obſervavi pulverem fol. Farfaræ menſe Aprilis collect., & in umbra ſiccatar. Hemorroydas exſiccare, ſi ad ʒ. i. exhibeatur per aliquot dies in Decoctione Scrofulariæ; Fiat ſuffumigium ex ſulphure, Trhociſ. de Charab., Maſtice, roſ. rub., & Santalis, inunganturque cum Balſamo ſulphuris Rulandi, & per quatuor dies ante tempus menſium mittatur ſanguis à pede, & Peſſaria menſes moventia ad uſum reducantur cum optima victus ratione.

CONSULTATIO XCVII.

De Tabe Dorſali.

Virium languor, & emaciatio totius in deſcripto Pariente cum continuo fluxu per penem materiæ albæ, & ſeminalis ſine ardore, & dolore in urinæ emiſſione, mihi tabem deſignant dorſolem, cum continuo ſeminalis materiæ diſpendio, ex quo colligere licet partem affectam eſſe illam, quæ vel ſemen præparat, vel conſervat, hoc eſt Teſtes, Veſiculæ ſeminariæ, & ſecundùm aliquos, proſtratæ, quæ dictis veſiculis adhærent, quænam verò ex dictis afficiatur, vel an vitium ſit in omnibus, puto difficilis eſſe determinationis, poſito quod à Teſtibus in Uretheram transfundi poſſit ſemen, ut Graaff. vult, fundans ſe in experientia, qua per adſtringentia in Gonorrhæis uſurpata teſtes intumeſcere oſtendit, dum compreſſa, & anguſtata propria via ſemini qua à teſtibus ad uretheram deferebatur in his attmanere cogitur, quod ſi ab alia parte proveniret non deberent intumeſcere teſtes, ſed pars à qua ſemen procedit.

Meo judicio puto tam partem elaboratricem, quàm conſervatricem materiæ ſeminalis ad hanc affectionem concurrere, præcipuum tamen fundamentum hujus vitii, & quod ſolum conſiderari debet in curatione, (quia hoc ablato tollitur etiam ſeminis ejectio, ſive à vaſe conſervante, ſive à præparante proveniat) eſt in materia ſeminis, nempè in ſanguine ſummè bilioſo, & acri proportionato temperamento bilioſo in exceſſu propoſiti Patientis. Sanguis enim talis naturæ inſerviens pro materia ſeminis, ei ſuam acredinem communicabit, & cùm fermenta omnium partium à ſanguine particulas arripiant pro ſui conſervatione, ſanguis ſummè bilioſus non poterit niſi particulas volatiles calidas, & valdè activas teſtibus impartire, & præcipuè cum elaboratiorem, & magis floridam ſanguinis partem alliciant, dum pro ſemine conficiendo ſpiritoſiori indigent. Hinc eſt, quod fermentum teſtium redditum magis activum, & calidum ſanguinem in maximè calidam volatilem, & tenuiorem ſubſtantiam ſeminalem elaborando, acredinem iſtius auget calorem majorem impertiendo, cum omnia acria à calore ſecundùm ſuam qualitatem augeri praxi obſervemus, & à tenuitate idem augmentum ſuſcipiant, eo quia evadunt magis penetrativa, & ſecundùm motum magis violenta, penetratio autem, & motus violentus acredinem impropriè augent, dum ab utroque fit major divulſio partium, & qualitas moleſta, organo ſenſibili magis improportionata redditur. Semen elaboratum ſecundùm hanc acredinem, ad veſiculas ſeminarias delatum, eas vellicando, & titillando excitat ad expulſionem, & ſic paulatim tenuitate cooperante ab eis, vel tranſudat, vel experſitur in uretheram, & ſine ſenſu, & delectatione, quia guttatim, & interpolatè fit iſta exeretio, & lentè, cùm delectatio proveniat à copia humoris cum impetu excreti, à quibus habetur titillatio, ut ita dicam violenta, à qua illa delectatio in actu venereo. Sic obſervamus omnia organa ſenſuum ab objecto parvo lentè movente organum nullam fieri, vel parvam, & ferè imperceptibilem ſenſationem, & quia à continuo irritamento, & expulſione laxatæ fuerunt fibræ veſicularum, fluxus fit etiam ſine irritamento.

Quomodò verò ab hoc fluxu fiat emaciatio, non eſt difficile explicare obſervando partes, vel pro ſuarum cavitatum, vel pororum vacuitate, vel trahere, vel admittere humores, quos non recipiunt in ſtatu naturali, quando ſunt impletæ, ſic cùm ex continuo fluxu ſeminis à veſiculis ſeminariis ſemper vacuitas aliqua reperiatur in eis, ſemper etiam ſunt capaces novæ materiæ, cujus portiones à teſtibus ſemper recipiunt; & ſic Teſtes etiam ipſi continuo exinaniuntur humore, & locum pro novo recipiendo habent, quapropter continua, & nova ſeminis elaboratio perficitur, ex qua indeficienti elaboratione ſanguinis copia exhauritur, & magis ſpiritoſi, cum detrimento omnium partium, ſanguinis materia puriori tota in ſemen abeunte, reſidua remanere tamquam vappa, pro nutritione partium inhabilis, unde emaciatio illarum, quando enim, & capſulæ ſeminariæ,

riæ, & teſtes ſeminali materia ſunt impleti, ſanguis non habet locum, ut recipiatur in teſtibus, & ita circulando regreditur ad aliarum partium beneficium.

Pro curatione, bilis in ſanguine moderando, & purganda, eiuſque generatio prohibenda, fermentum teſtium corrigendum, & ultimò vaſa ſeminaria corroboranda maciſque tollenda; quibus ſatisfacere erit, ſi non impoſſibile, arduum tamen, attenta partium omnium læſione in ſolidis, & primitivis particulis.

Quo ad primum purgantia non admitto, aliqua lenientia ex neceſſitate adhibenda, & ſint Tamarindi cum Cremore tartari, vel cum pulvere Mirabolonorum citrin. Pro alteratione ſint ſuccus Plantag. Portul. an. ℥. i. ß. in aquæ Sempervivi ℥. v. præmittendo bolum ex Diaſcordio ad ʒ. i. addito vitriol. martis gr. viii. Sulph. antim. fixi gr. vii. vel Bezoart. miner. gr. totidem; Iterato leniente ad aquas Lucenſes tranſeundum pro ea quantitate, quæ Patienti non ſit gravis, poſt quas accipiat ſuccum hordei ſolutum cum aqua Plantag. addita tinctura Roſ. ad ℥. i. & ſpiritu terræ ſigillatæ deſcripto ab Hoffmano in Clavi Sckrord. in tract. de terris ad ℈. ß. Pro macie Lacte uterer Vaccino, ut ſanguini conſiſtentia concilietur, & cum eo admiſcerem Bezoart. ſolaris gr. x. Quod ſi deficiat utatur Perlarum, Corallorum, & Eboris pulvere cum ſale ſaturni; per diem aquam Limacum bibat, & Gambarorum cum Tinct. roſar. fiat Paſta, vel Morſul. cum Amygdalis Pineis, Piſtacis, & ſem. refrig. nec non pulpa Caponum, perdicum, & Phaſianorum, addendo pro virium corroboratione aliquid de ſpeciebus Diambræ aquæ Cinam. Pro fermento teſtium corrigendo foveantur Decocto Sempervivi, Plantaginis Lactucæ, Sem. Agni caſti, & Canabis, & ſimplicibus contuſis cum oleo violaceo fiat illis Emplaſtrum addita Camphora. Corroborabimus vaſa cum Syrupo Coral. Maſticis, vel pulvere ex coral. Bol. Armenæ terræ ſigil. rad. Torment. Biſtortæ, & Croco martis aſtring. ea accipiendo cum aqua Quercet. ad Gonorrhœam, optima Victus ratione adhibita.

CONSULTATIO XCVIII.

De Tabe Dorſali.

CIvis temperamenti aduſti ſupra ſexageſimum annum dolorem cœpit ſentire in regione lumborum, ut niſi difficulter ſe incurvare, & ad imum flectere poſſet, ſine ejus augmento; hic poſt aliquod tempus uſque ad os ſacrum ſe dilatavit, & in remediorum applicatione coxendicem dextrum dolor corripuit, itaut nullo modo ſe movere poſſet, cum continuo dolore, cui poſt aliquot menſes macies omnium partium inferiorum ſucceſſit.

A relatis ſignis habemus tamen dorſalem ab Hipp. in lib. de Glandulis deſcriptam, cujus cauſa cum eodem Hipp. eſt ſtatuenda in fluxu materiæ à capite per ſpinalem medullam, unà cum ſucco nerveo ad ramos nervorum vertebralium in regione lumborum, ob ſtagnationem ejuſdem in eis, cujus qualitates cùm ſint acræ, & mordicativæ, membranas dictorum nervorum vellicando dolorem lumborum efficiunt, & quia aucta dicta materia ad alias partes inficiendas ſe tranſtulit nempè ad nervos oſſis ſacri, & ad acetabula Coxendicis, dextri, in quibus vi ſuarum qualitatum dolores auget præcedentes novo excitato dolore, hanc materiam ſuccus nerveus ſuſcepit à ſanguine, in quo à temperamenti aduſti actione multæ colliguntur particulæ retorridæ ſale prægnantes, ob aduſtionem acri facto, quas ſerum alimentare ſecum mixtas traxit, ubi in capite contingit ejus ſeparatio à ſanguine, pro ſpiritus animalis fabrica, & in dies tanta congeſta fuit hujus materiei copia, ut in nervis ſupradictis facta fuerit obſtructio, per quam ſpiritus animales non niſi pauci per eos fluunt, itaut ſufficiant tantùm pro exiguo motu partium, quibus dicti nervi implantantur, tanta verò fluit ſpirituum copia per membranas nervorum, ut ſufficiat pro ſenſus conſervatione, & perceptione vellicationis moleſtæ à materia acri pendentis: dicta ſpirituum paucitas impar etiam evadit ad excitandum fermentum partium pro officio nutritionis, ad quod opus videntur deſtinati ſpiritus animales, & colligitur à partibus paralyticis, in quibus non obſtante fluxu ſanguinis arterioſi, materia nutritionis, & augmentationis fit macies.

Curationis ergo Scopus erit partes à dicta obſtructione levare, ſuccum nerveum ab inquinamento materiæ extraneæ mundare, & ei aptam miſceri, ad partes urinæ divertere, ſanguinemque, ne eadem congerat, & generet, quantum fieri poterit munire, dolor leniendus, & materiæ compactæ per exteriora lenimenta reſolutio tentanda.

Quoad primum opus non erit purgatione, cùm ſuccus nerveus non auſcultet medicamenta purgantia, erunt tamen neceſſaria pro mundando ſanguine ab excrementis, & ne in majori copia ſucco nerveo conſignentur; Unde infuſionem ex Rhaub. ad ℥. i. ß. cum Syrup. roſ. ℥. iiii. exhiberem, humores reliquos præpararem, cum decoct. Borag. Taraxaci, Cicorei, Bugloſſæ per ſeptem dies, & in uno ex his parum ſanguinis mitterem à brachio poſteà reiterato dicto Purgante ad Diaphoretica deſcenderem, quæ primas partes habent in mundando ab ingeſtis inquinamentis ſucco nerveo; Idcircò paretur Decoctum ex Ligno ſancto, Viſcoquercino, Salſa cum radice Serpentariæ, Virginianæ, Petaſitides, Card. ben. fol. Roſmarini, Lavendulæ, & Salviæ exhibendo ante Pulverem Cornu Cervi Philoſoph. ℈. ii. Antim. diaph. ℈. ß. Bezoart. miner. ℈. ß. m. per viginti quinque dies ſi vires ferè poſſint in hoc inſiſtendum, & omni arte curanda ſudoris extractio, poſt ſudorem emulſio ex ſeminibus Melonum exhibeatur ad temperandum medicamenti calorem in temperamento aduſto, ulteriùs habeat in uſu ſequentes Bolos. ℞. Extract. ligni Viſciquercini, Ivæ artet. an. ℈. i. Cinnabris antim. ℈. ß. Bezoartici Lunar. gr. v. Ungulæ alcis ℈. i. Olei Cornu Cervi gutt. iiii. m. ſumenda cum aqua Lumbricorum, vel aliqua Antiparalytica deſcripta à Quercetano, & Sckrodero, quæ ſi ſudorem non movebunt diaphoreſi inſenſibili majori excitata auxilium ferent. Poſt hæc ſi melius habebit diuretica uſurpanda, inter quæ acidulæ erunt efficaciores ad materiam aduſtam per urinam pellendam non ſolùm, ſed ad ſanguinem ab ejus generatione retrahendum, ſi verò non habeantur in promptu utatur Sero caprino deſtillato cum ſpirit. Martis acido, & Spir. tart. cum pulv. ex Ocul. Cancr. & Millepedum. Ultimò corroborabitur Sanguis cum aqua Agrimoniæ, cui inſtillentur Balſami Salis gutt. x. ſumpta per aliquot dies: exterius Oleo Lumbricorum, roſato completo, & Therebentinæ, & etiam Saponis, ex deſcriptione Hoffmani in ſuo Theſauro Pharmaceutico, utatur. Omnibus hiſce optima victus ratio correſpondeat.

CONSULTATIO XCIX.

De Gonorrhœa.

SAcerdos Clauſtralis, auſteræ vitæ, & ſuæ regulæ cum maximo exemplo obſervantiſſimus, ætatis annorum ſupra ſexaginta quatuor, temperamenti calidi, & humidi cum aliquo bilis exceſſu, ſunt multi menſes, quòd ſenſit horrorem quemdam circa lumbos, cum tremore, cui ſucceſſit in pudendis partibus motus quidam ad ſeminis excretionem impellens, qui quacumque arte, & cogitatione à ſua regulari virtute ſubminiſtrata, numquam potuit ſedari, ſed emiſſio ſeminis poſt longam luctam facta fuit ſine pudendi erectione, & omni die poſteà paſſus eſt hoc miſerandum ſymptoma, à quo multum debilitatur corpus, & Animus ſummè affligitur, nullos alios commiſit errores, quàm in ea victus ratione à ſua regula imperata, quæ ut plurimùm in cibis craſſæ ſubſtantiæ, & pauci nutrimenti conſiſtit; Sunt multi anni, quòd podagricis doloribus moleſtatur, & quando ipſi incipiunt hoc ſymptoma ceſſat, quando verò remittuntur, affligitur ab hoc ſymptomate.

Ex continua alternatione doloris podagrici ceſſantis, & ſeminis involuntariæ effuſionis incipientis puto ſine errore poſſe determinari ſeminis dictam effuſionem ab eadem materia pendere, à qua dolore podagtici proficiſcuntur, & cùm certum ſit illam acrimonia, quæ partes membrannoſas ſolas ſenſu præditas pungit, dolores

lores illos immanes excitare, ita eadem materia ad membranas veſicarum ſeminalium, vel proſtrata delata, contracta acredine eas partes ſtimulando, ad ſeminis ejaculationem promovere poteſt.

A quibus partibus tranſmittatur ad ſeminis conſervativum hæc materia, demonſtrare mihi videntur horror, & rigor cum tremore in regione lumborum, quæ partes nervoſas affectas demonſtrando ſuccum nerveum etiam in ſua craſi depravatum per eas fluere manifeſtant, depravatio conſiſtit in materia acida illi commixta, cùm hujus ſit proprium frigus, & alia ſymptomata prædicta inducere, prout febres quartanæ ab acido melancholico pendentes, in quibus dicta ſymptomata frigoris, & horroris maximè vigent, comprobant, & dum hujuſmodi particulæ per nervos harum partium, & præcipuè per membranam filamenta medulloſa inveſtientem, vel per membranarum fibras, quas idem ſuccus nerveus irrigat, diſcurrunt, ſua aciditate ita afficiunt, ut ſenſum frigoris, rigoris, & horroris eis imprimant, & ulterius progrediens dicta materia per nervum à vertebris erumpentem, qui & cum ramo intercoſtali unitur, & in ſphinctere veſicæ implantatur pro ejus occluſione, & reſeratione, ut adnotavit Villiſius in ſua Nervologia cap. 17. propè finem, fibras non ſolùm nerveas, ſed carneas, ſeu tendinoſas hujus muſculi vellicando ad contractionem impellunt, qua proſtratæ, & cum iſtis veſiculæ ſeminales comprimuntur, ut animadvertit Riolanus, & Diamembroch ampliat cap. 21. ſuæ Anatomes propè finem, & in iſta compreſſione coguntur veſiculæ ſemen profundere, non obſtante quacumque alienatione mentis ab obſcænis, & quacumque arte, vel per motum, vel admotionem frigidæ exercitata. Cùm hujus profuſione conſtrictis magis fibris muſculi, poteſt etiam excerni materia mordicans, & ita liberari à faſtidio hujus ſymptomatis, quotidie verò fit hujus materiæ communicatio partibus prædictis, quia acidum quotidie colligitur ab illis indiſpoſitionibus, à quibus podagra pendet, & hoc ſucco nervoſo communicatum quotidie hanc moleſtiam modo prædicto renovat; quare verò per hos nervos, & non alios diſcurrat hoc acidum, etſi eiſdem particulis ſuccus nerveus undique refertus ſit, & in his ſolùm hæc producat accidentia, dico nos certos eſſe de mala operatione ſucci nervoſi, quia verò in hanc, & non in aliam partem exerceatur, id non poteſt pendere niſi à mala partis diſpoſitione, per quam in ea congeruntur ſimul multæ particulæ depravatæ, quæ poſtea vi facta, & turgeſcentia concepta prædictam affectionem muſculo ſphincteri inferunt.

Video poſſe hujus Symptomatis cauſam refundi in ſeminis aciditatem contractam à ſanguine acido, à quo generatur; ſanguinem verò eſſe acidum podagrica diſpoſitio perſuadet, & retentæ fuligines in deficienti tranſpiratione ratione ætatis, in qua deficit caloris interni energia ad illam neceſſaria, prædictam acrimonia augere poſſunt, per quam irritata membrana ſemen conſervans noxium ſibi expellit, cum ſeminis effuſione, attamen ſenſus frigoris, & tremoris præcedens me faciunt inclinare ad priorem ſententiam, utraque tamen non variat curationem, cum dicta ſymptomata frigoris debeant ſemper refundi in vapores primò elevatos à ſemine, arguentes acidum iſtius in hoc effectu frigoris.

Ut liberetur Patiens ab hac moleſtia, & periculo acidum ſeminis, & ſanguinis modificandum, & omni arte divertenda hujuſmodi materia, vel per ſudorem, vel per urinam, quod aſſequi erit difficile, cùm meo judicio non poſſit eradicari hæc affectio niſi cum cauſa podagrici affectus, nihilominus tentanda eſt cura.

Et quia præmiſſæ jam ſunt evacuationes univerſales, Decoctum ex Ligno ſancto, Viſcoquercino, & Salſa pararem cum herbis Cephalicis, & Cicoraceis, præmittendo ad ſudorem promovendum Pulverem ex Cornu Cervi philoſ. præp. ad ℈. ii. Cinnab. antim. ℈. I. Bezoard. occid. gr. xvi. ſervando alvum lubricam cum Clyſteribus ex lacte, & Sacchàro rubro, & ſi ſudor ſpontè non exeat, arte procurandus, dummodò vires tolerare poſſint. Purgantia libenter non admitto, quia acidum hoc excedens, utpotè volatile medicamenta purgantia ſpernit, & etiam quia Patiens in ætate ſenili conſtitutus, & à frequenti ſeminis profuſione debilitatus ſudoris, & purgationis reiteratæ vim ſuſtinere non poterit, per viginti dies in hoc medicamento inſiſtendum, cui adnectetur ſequens Medicamentum ℞. Extract. ligni Viſciquercini ℈. I. Salis viperini ℈. ß. Bezoart. lunar. gr. x. Spiritus ſanguinis human. gutt. viii. m. ſuperbibendo aquam lumbricorum ad ℥. iii. Agrim. ℥. iv. per alios viginti dies hoc medicamento utatur poſteà ad lac Aſininum tranſeundum inſtillando ei ſpiritum Camphoræ ad gutt. vii. & per menſem iſtius uſus continuandus, quo, non ſolùm corrigetur acidum, ſed etiam Urina excitabitur. Adveniente paroxiſmo podagrico, ejuſque declinatione inſtante diureticis curanda diverſio reliquiarum acidi humoris hoc pulvere ℞. Ocul. Cancr. millepe d. præp. an. ʒ. ß. Salis tartari volat. gr. vii. ſuperbibendo Aquæ villenſ. ℔. I. ß. in qua bullierint ſemin. Dauci contuſ. ʒ. ii. quod ſi ad ſudorem tali tempore ſit proclivis, hic etiam promovendus cum Cornu Cervi phil. præp. vel Bezoart. miner. vel Cinnabr. antim. vel Bezoart. orient. cum Aqua Card. bened. Scorzoneræ, vel Pulegii, quibus ſi non cedat affectio Magiſter. Saturni (cujus deſcriptionem vide in Minſicht) ad gr. v. in aqua Nenupharis exhibeatur. Victus ratio ſit optima, & utatur pulvere, qui eſt in communi uſu pro Podagra.

CONSULTATIO C.

Pro præſervatione à Calculo.

CRaſſos humores, & tartareos, ſimulque acidos in Illuſtriſſ. Patiente propoſito ſuperabundare febris triplex tertiana per plures menſes perpeſſa anno præterito, & temperamentum melancholicum nobis perſuadet, à quibus jacta fundamenta Nephritici doloris, cujus ſævitiem hoc anno expertus fuit. Pro cujus præſervatione certam ſtatuere cauſam oportet, quæ adeò incerta apud Auctores, & quandoque improbabilis habetur, ut verò quæ apud me certitudinem habet aperiam; Suppono ſanguinem non minus, quàm Vinum ſuum cumulare tartarum, ipſumque ad vini ſimilitudinem per continuam efferveſcentiam deponeret, & à purioribus partibus ſegregare, hujus indicium ſatis probabile pro caſu noſtro urinæ præbent, in quibus etiam illa hominis cujuſcumque ſani, & perfecti temperamenti hujuſmodi tartarum exhibet adhærens fundo matulæ, ſi ibi per aliquod tempus relinquatur in formam cretæ, vel Gypſi, hæc materia à ſanguine pluſquam certum eſt provenire, cùm ſerum eam ſuo ſinu vehat, ut quid à maſſa ſanguinis, cum eo, tamquam tartarum à vino ſegregatum.

Si hoc tartarum ſanguinis, cum materia viſcoſa acida in hoc Patiente melancholico abundante colligatur, & ob conſtitutionem laxam pororum ſubſtantiæ renum in iſtorum cavitatem cum ſero admittatur, ſua viſcoſitate huic adhæret, & cùm eodem tempore à fermento renum multæ portiones alkalicæ materiæ à ſero diſgregentur (& quibus urinam ſcatere hujus analyſis docet) hæ ſuper materiam illam craſſam acidam tartarum involventem decidentes, ab hac tota illa maſſa in lapidem coagulatur vi dictæ aciditatis; huic meo Aſſerto favet experimentum Techenii, per quod obſervamus à deſtillato lapide à Veſica extracto humorem urinoſum alkalicum exire, & ſi reſiduum in Retorta remanens ſpongioſum, & friabile irroretur acido vitrioli optimè dephlegmato, & poſteà ſuperaddatur humor ille, ſive ſpiritus urinoſus in deſtillatione elicitus tota maſſa ſicut prius in lapidem durum, & minimè friabilem coagulatur, & verè ſi rem attentè conſideramus, alio modo non videtur poſſe contingere lapidis in corpore generationem; nam certum eſt hanc fieri per coagulationem humorum, omnis coagulatio vero ab acido, quod ſi incidat in humorem, vel ſpiritum alkalicum, & uterque mixtionem terrei corporis non patiatur coagulabitur quidem, ſed non in lapidem, ut experimentum habemus in mixtione ſpiritus urinoſi, cum ſpiritu vini, quæ ambo in corpus tenerum, & friabile coagulantur; Neceſſe eſt ergo quod terreæ particulæ cum uno ex iſtis copulentur ad contrahendam duritiem propriam lapidis per coagulationem, & hæc cum ob ſiccitatem in particulas

culas minimas ſit diviſa, ut arena, opus eſt craſſo, & viſcoſo humore ad plures particulas conjungendas; ut lapis fieri poſſit majoris magnitudinis, quàm cavitatis ſpatium uretherum, & ſi contingat non adeſſe hoc viſcoſum partes terreæ, & tartareæ in minima diviſæ excernuntur, & faciunt arenam etiam copioſam pro ſui multitudine, prout viſum eſt in hoc Illuſtriſſ. Patiente, cujus urinæ pro aliquo tempore multo ſedimento arenoſo ſcatebant, quarum portio tenuior, & mixta parti oleaginoſæ, ſed tenui lateribus matulæ adhærebat, altera levior urina per ſuperficiem ferebatur. Ex his patet calorem renum in calculi generatione nullam habere partem, & eſt etiam irrationabile calorem animalis ab humido temperatum humorem adurere, ut hunc in lapidem convertat, quod non faciet calor fornacis adurens, qui ſi terram in lapidem indurat, materiam actuandam habet duram, denſam, & aptam lapideſcere, non fluidam humoralem, præterquamquod debemus conſiderare differentiam caloris fornacis à calore renum, & ab hac conſideratione elicitur etiam improbabilitas talis ſententiæ ſtatuentis calculum à calore renum.

Ad curationem perficiendam neceſſe erit ſanguinem craſſum, & mucoſitatem attenuare, acidum ſuperfluum corrigere, & renes ab omni inquinamento mundare, mundoſque conſervare, quod ratione temperamenti naturalis erit difficile; attamen ſi ex toto liber non evaſerit per remedia, ſperandum, quod non niſi poſt longa intervalla affectionibus nephriticis moleſtabitur.

Antequam verò ad præſervativa remedia deveniamus præmittenda Purgatio univerſalis ex Melle roſ. ſol. & Manna an. ℥. ii. ß. cum ℥. ß. Crem. tart. vel cum Pil. de Agar. & Trib. cum Rhaub. an. ʒ. i. Pro alterante erit Aqua Abſynthii ℥. iii. ß. Crem. tartari ʒ. ii. rad. Ari ſ. p. ʒ. i. Syrup. de cort. citri ℥. i. ß. m. in ſecundo Syrupo mittatur ſanguis à brachio, accepto quinto reiteretur Purgans aliquod ex ſupradictis, & ſequenti die mittatur ſanguis ab hæmorroydibus. Uno interpoſito die ſumat Aquam Tetutii ad ℔. v. vel vi. cum ſolito vehiculo per quatuor dies, quo peracto ad attenuandam maſſam ſanguinis, & viſcoſitatem deveniendum, pro qua intentione ℞. Rad. Decoct. Gramin. Quinque folii, Eringii, Fœniculi, fol. Abſynthii, Agrimonii, Boraginis, Fumiterræ ℥. viii. Syr. de duab. de Pomis an. ʒ. vi. Tincturæ ſalis tartari ʒ. ß. m. Septimò ſyrupo accepto reiteretur Purgans, & per alios ſeptem dies ſumat ſequentes Bolos. ℞. Succi Abſynthii condenſati, Extracti gentianæ an. ℈. i. Salis roſmarini ℈. ß. Spirit. ſalis armon. gutt. vi. Fæculæ Aronis gr. viii. m. ſuperbibendo Aquæ Fœniculi, Pulegii an. ℥. iii. addita tinct. Antim. ℈. i. Reiteretur poſteà Purgatio, & poſteà ad uſum acidularum, vel Spadanarum, vel Ficoncellæ deſcendendum, quibus etiam renes detergentur, poſteà ad integram acidi mortificationem utatur ſequentibus Bolis. ℞. Lapis Judaici, Spongiæ, Lyncis, Ocul. Cancr. Oſſium meſpilorum, Teſtæ ovorum calcin. an. ℈. i. Chalybis ſuper Porfido benè lævigati ʒ. i. Therebentinæ venetæ q. ſ. ad excipiendos prædictos pulveres m. f. b. pro quatuor vicibus ſuperbibendo aquam Agrimoniæ ad ℥. iii. & per viginti dies in uſu harum pilul. inſiſtat purgando Corpus omni quarto die cum Pil. Cratonis ad ʒ. i. Ultimo loco utatur omni menſe pulvere ſequenti cum Aqua ſucci Veronicæ ℥. iii. ℞. Semin Dauci Sylveſt. Oculor. Cancr. an. ʒ. ß. rad. Filipendulæ ℈. i. ſ. p. & m. Antequam verò hanc accipiat, præcedenti ſcilicet die accipiat Pil. Cratonis ſuperius dictas; poſt prandium, & cœnam grana Maſticis electi quatuor deglutiat, quo humoris concretio prohibetur. Optima victus ratio ſervanda omnia alimenta craſſæ ſubſtantiæ, & Vinum generoſum, tartaroque refertum fugiendo.

CONSULTATIO CI.

De Calculo Renum.

CIvis honeſtus annorum triginta quinque, temperamenti calidi, & humidi, nullis legibus in ratione victus obſtrictus, ſed ab appetitu eas accipiens, cui ut ſatisfaciat plurimo cibo, & potu utitur, dolore circa lumbos correptus in latere dextro teſticulis correſpondente, & fœmori cum urinæ ſuppreſſione multum conqueritur, & agitatione, ac dolore laxatus impotens eſt ad ſe erigendum, Parens ejus doloribus hujus generis fuit ſubjectus, in principio doloris immanem paſſus eſt vomitum materiæ acidæ, & amaræ bilioſæ.

Non eſt dubitandum hujuſmodi dolorem eſſe Nephriticum ſicuti iſtius cauſam eſſe materiam craſſam, & indigeſtam collectam à depravata ſecundùm aliquam partem digeſtione alimentorum in ventriculo, ob nimiam eorum quantitatem; hæc materia ultrà malam excrementi naturam aciditatem contraxit ab acido excedente ventriculi in ejus appetitu, nonniſi magno cibo ſatiabili manifeſtato, quamvis aciditatem potuit contrahere à diutina mora contracta ob ſui craſſitiem in ventriculo, eo modo, quo alimenta cocta etiam diu ſervata aceſcunt, & in fermento contingere omnibus ſit manifeſtum per ſolam exaltationem acidi inſiti, & occulti à fermentatione inteſtina operatam, & forſan etiam ab acido vini copiosè ingurgitato hæc materia acida in prima concoctione genita, cum chylo in venas, & arterias admiſſa feroſitati poſteà tamquam inutilis conſignata tartaream ſanguinis in eo innatantem viſcoſitatem apprehendit, vel dum per arterias circulatur, vel in renum peluim deponitur, tartarum dictum pariter ſibi unit, & ibi ab alkali ſalis urinoſi actuata acido intrinſeco, & aliis in locis ſuſcepto in lapidem coagulatur, ut dixi ſuperiori Conſult.

Talis materia acida poteſt etiam in venis cumulari à lympha ex ſui natura acida, & in hoc Patiente majori aciditate donata, quàm ei conveniat naturaliter, quod videtur manifeſtari evidenter ab appetitu magno, & aucto, craſſitiem autem acquirit, vel quia lympha conjungitur cum materia craſſa, vel quia lympha à nimia aciditate condenſata craſſeſcit; hujuſmodi materia ad renes delata modo ſupradicto, & actuata lapidem conſtituit, lapis à motu membranarum interiorum cavitatis renum paulatim in uretherem depulſus, cùm ſit major cavitate illorum hanc dilatat, & in dilatatione diſtenſæ multùm fibræ membranoſæ continui ſolutione dolent, & ob inæqualitates forſan, & aſperitates lapidis vellicatæ in majorem contractionem vocantur, quàm à dilatatione, & ab hac impeditur munus commiſſum urinam expellendi, & eadem contractione ratione conſenſus affectis etiam vaſis alterius renis, ab eo Urina nec excernitur, nec expellitur: prædictus conſenſus, quo impeditur urinæ exitus in rene non affecto mihi videtur fundari in hoc, quod contracto urethere, contrahitur membrana interior renum, hæc papillas contrahit, papillæ vaſa annexa, ſeu tubulos in his infixos, urinamque deferentes, hi totam renum ſubſtantiam in ſuam paſſionem ducunt, & conſequenter etiam arterias, quæ communicantes cùm illis alterius renis eas contrahunt, & motum ſanguinis quodammodò impediunt, vel quod ex contractione uretherum contractis nervis ad renem dextrum tendentibus, & cum iſtis ramis ſiniſtris ſit contractio in omnibus vaſis membranoſis, & etiam tubulis, quibus tota renum ſubſtantia intertexitur, per quod non recipitur ſerum in ſubſtantia eorum ab arteriis eructatum, & ſic urina non excernitur.

Ob eamdem affectionem nervorum ſequitur etiam Vomitus ob connexionem nervi renalis cum ſtomaci nervo, & cum illo ad cyſtim fellis diramato, unde hi participes vellicationis affectus, & contractionis partes dictas ad exprimendum humorem in ſua cavitate contentum impellunt, hinc Cyſtis fellis bilem copiosè in duodeni cavitatem eructat, quæ ab hac in ventriculum aſcendens copioſo talis humoris vomitui occaſionem dedit, ſicuti ob compreſſionem muſculi Pſoas ſubſtrati uretheri, & cum muſculis coxæ communicantis dolor in motu ſentitur in ea parte, & ob conſenſum uretherum cum vaſis ſeminariis in teſticulo.

Quomodò autem iſtæ indiſpoſitiones nephriticæ à Patre in Filium deſcendant, dico id evenire, quia materia illa craſſa viſcoſa in eis calculo laborantibus ad renes cùm ſero fluit ob nimiam dilatationem extremitatum vaſorum ſerum extravaſatum ab arteriis excipientium, cum quo fertur & dicta materia viſcoſa uſque in

renum

renum penetralia, alioquin ſi non eſſent adeò dilatata vaſa, materia iſta foras remaneret, & quia iſta diſpoſitio, & vaſorùm conſtructio unà cum temperamento acidum congregante à Patre in filium traducitur, conſequenter etiam indiſpoſitio nephritica; ratio autem, quia in iſta dilatatione nimia vaſorum locus prebeatur materiæ illi craſſæ, & non ſanguini, eſt, quod ſanguis ab arteriis in ſubſtantiam partium expulſus per evaporationem illius ſpiritus, à quo dixi aliàs fluxibilitatem accipere, & qui forſan eſt ille exiens à ſanguine etracto in formam nubis aliquam condenſationem tunc nanciſcitur, qua non ſolùm ſerum à ſe ſeparat, eo modo, quo lac concretum, & cum eo materiam illam viſcoſam quam unitam ſecum conſervat, ſed craſſior etiam evadit, & compactior in ſuis poroſitatibus, ut non ſit locus illius in illa dilatatione vaſorum, præterquamquod poſſunt eſſe vaſa dilatata, & non conformia ſecundùm ſuam figuram ad excipiendas ſanguinis particulas ramoſas.

Pro curatione dolor leniendus, inflammatio ab hoc imminens avertenda, lapis expellendus, quod eſt negotium difficile, tamen benè ſperandum.

Antequam ad has indicationes explendas accedamus neceſſarium, & ſummè utile puto, uti medicamento Purgante, ut in diureticorum exhibitione non ſequatur raptus materiæ majoris ad partem affectam, & etiam quia quandoque motus inteſtinorum pro expellendis excrementis adiuvat motum uretherum ad expellendum calculum. *Sint* ergo pro medicamento Specier. Eleſcoph. ʒ. ii. in jure, vel vino, finita medicamenti operatione poſt duodecim horas mittatur ſanguis à pede ad ℔. I. ß. interim exhibeatur Olei Amygdal. dulc. & Amarar. an. ℥. ii. in ℥. v. Decocti Cicerum rub. Radicum Ononidis, ſemin. Nimpheæ, & Dauci Sylveſtris, vel hæc duo ſemina contuſa miſ. ad ʒ. I. cum Oleo, valent enim ad tollendam contractionem uretherum, & ad facilitandam expulſionem lapidis; Poſt quinque horas ab hoc medicamento facta jam ſanguinis miſſione capiat pulverem Ventriculorum Gallinæ exſiccatorum ad ʒ. I. rad. Filipendulæ ʒ. ß. cum aqua Ononidis compoſ. & ſe exerceat quantum poteſt, & ſurſum per ſcalas, vel loca montuoſa aſcendat, vel celeri curſu per loca aſpera, & inæqualia in curſu trahatur; quod ſi hæc remedia deficiant eis ſubſtituantur Sem. melii ſolis, Saxafragiæ, Lappæ, Ocul. Cancr. an. ʒ. ß. cum ſucco Raphani, & Limonum, ac vino, addito Saccharo, vel cum Aquæ ſtipitum Fabarum ℥. iiii. Cinam. ℥. I. cum gutt. viii. ſpiritus Salis. Sanguis Hirci etiam ad ʒ. I. cum Aqua Ononidis, vel Decocto Alchechengi, Hederæ terreſtris, Parietariæ, rad. Aſparag. Veronicæ ad idem valet, ſicuti Pulvis Millepedum. Exterius applicentur Cucurbitæ ſecundum curſum uretherum, & etiam fomenta ex Parietaria, Malva, Anetho, Althea, Sem. lini., Fœnugræci, Cæpa etiam ſub cineribus cocta cum foliis Parietariæ, Butiro recenti applicetur ad formam Emplaſtri cum Oleo Scorpionum reni affecto; Quod ſi hæc deſideratum non ſortiantur effectum Balneum olei inſtituendum ſumpto priùs uno ex ſupradictis medicamentis. Pro præſervatione nec meliora, nec æqualia habeo dictis in ſuperiori Conſultat. ſolùm addam aquam Betulæ à perforato arbore profluentem optimum eſſe præſervativum in ſimili dolore, poterit etiam experiri Syrupum ab Augenio deſcriptum in tom. ſuarum Epiſtol. I. lib. 12. Epiſtol. 2. Vino infundatur per diem ſemper antecedentem Lignum Nephriticum, & eo utatur in menſa Lapis Iſatis brachio lateris ſoliti affectionem pati ligatus, vel ſuprà renem affectum geſtatus experientia docente non modicam affert utilitatem; Modum conſervandi Aquam Betulæ vide in Zuelphero. Aroph. Paracelſi ab Helmontio in libro de Lithiaſi prædicatur pro ſingulari præſervativo. Optima tandem Dieta remediis conjungenda.

CONSULTATIO CII.

De Diabete.

HOneſtus Negotiator annorum circa quadraginta, temperamenti calidi, & ſicci aduſti ſcabiem contraxit ex equitatione longa, & potu vini generoſi in magna quantitate, hæc frigore adveniente evanuit, & urina copioſior cœpit mingi, adeòque acta fuit intra ſex menſes iſtius copia, ut per multas libras excederet quantitatem potus, quamvis hic ſit excedens ob magnam ſitim, à qua diu noctuque affligitur, emaciatio totius jam apparet valdè manifeſta, cum virium debilitate, ac proſtratione.

In hac Hiſtoria Diabetes ſymptoma in excretis urinoſis ſecundùm quantitatem, naturalem excretionem excedentem exprimitur, difficultas in perquiſitione adæquatarum cauſarum hujus ſymptomatis robuſtioribus etiam ingeniis vim intulit, in his indagandis, ſi aliorum veſtigiis pedem non figam, rationem tamen ſequar ductam ab obſervatione eorum, quæ in hoc affectu contingunt, qua notum eſt plus urinæ, & ſeri excerni, quàm ſit quantitas humidi, & fluidi, quod per potum aſſumitur, vel à cibis ſolidis poſſit ſeparari, unde ex hoc capite concludendum eſt illam quantitatem ſeri excedentem copiam potus, à corpore ſeparari, nec fluida in hoc contenta hanc quantitatem adimplere poſſunt, ex eo quod quotidie excreta urina per quatuor, & quinque libras, & plus potum ſuperet, & cibum, & ſi hæ deberent deſumi à ſanguine, quinque, vel ſex dierum ſpatio totus eſſet abſumptus, cùm in vaſis ſanguifluis liquoris vitalis quantitas non excedat pondus librarum vigintiquinque, cùm autem ſanguis per menſes perſeverante dicto urinæ fluxu in dictis vaſis conſervetur, concludendum eſt à ſanguine non ſecerni illam humiditatem excretam per urinam, & excedentem potus, & cibi quantitatem ſed à partibus ſolidis profluere, prout videtur convincere earum, & totius corporis emaciatio, quaſi à cauſa corrodente in humiditatem diſſolvantur, & hanc puto eſſe ſanguinem, qui corroſivis particulis imbutus circulatione per omnes partes harum portiones inſenſibiles abradit, & fluidas reddit, eo modo, quo Aqua fortis argenti partes imbibendo corroſione, pari fluiditate ſibi æquat, ut non ſint in ea diſtinguibiles, ſed aquam fluidam immittentur, unde ſanguis in hoc caſu verè poteſt dici Helluo: quidquid ſit de illorum ſententia aſſerentium hanc proprietatem ſanguini convenire etiam in ſtatu ejus naturali; nulla enim alia cauſa poteſt aſſignari partes ſolidas colliquans, & humiditatem aqueam reducens, quàm hæc; nam in hoc caſu non adeſt calor, ut in Hectica, cujus activitate partes reſolvantur cum marcore, cujus cauſa non eſt reperibilis neque in depravata ſanguinis craſi nutritionem prohibente, cùm manifeſtiorem habeamus in excretione urinæ, alimentorum, & potus quantitatem excedente, & ſanguinem in hoc Patiente colliquativa, & acri facultate præditum eſſe ſcabies retroceſſa demonſtrat, cùm humores illam generantes acredine polleant, unde in retroceſſu à ſanguine abſorpti acredinem ei communicaſſe non eſt dubitandum.

Modum quo fiat hoc Symptoma non eſt difficile ex præmiſſis declarare: dum enim ſanguis per aromata, & Vina generoſa corroſiva facultate depravatus ſua circulatione membra perluſtrat univerſa, vice nutrimenti debiti, & conſueti ea corrodit, & particulas abraſas eadem acrimonia comminuendo in liquidam, & fluxibilem ſubſtantiam reducit, non abſimilem à ſuo naturali ſero, unde ſeroſior factus ex copioſa abraſione membrorum per renes circulando copiam ibi deponit, eo pacto quo ſerum ſecundùm naturæ leges renibus conſignat, & quia abraſæ partes non ſolùm non reſtaurantur, ſed omni humido privantur, ideò Emaciatio, & ſitis in partibus huic ſenſui deſtinatis, & hoc confirmatur à dulcedine. quam dicunt habere urinas in diabete, cùm hanc recipere ſit facile à particulis pinguibus, & oleoſis abraſis à membris.

Quòd ſi quæratur cujus generis ſit hujuſmodi acrimonia, ſalſam eſſe reſpondeo, cùm in hac virtus corroſiva valdè reſideat, & hanc induxit in humoribus bilis alkalica, cum acido exaltato mixta, ad quod multùm conducunt Aromata, & Vinum generoſum, ut conſideranti patere poteſt; nam vinum habet acidum intrinſecum augmentativum acidi naturalis, & ſpiritus ſulphureos, & calidos bilem promoventes, & Aromata ſuo ſale alkali hanc augent, & ſi ſalſedo in urina non guſtatur, prout contingere deberet poſita ſanguinis ſalſedine, cujus naturam ſerum ſequitur, id tribuendum eſt particulis pinguedinis, & carnis liquefactis illi comixtis, quarum

rum benignitate ſeri acrimonia temperatur, eo modo, quo Aqua fortis per corroſionem corporum acrimoniam amittit, & hac ratione Diabericorum Urina dulcis eſt quamvis contineat partes ſalinas.

Ab hujuſmodi notitia cauſarum elicitur ſanguinis maſſam eſſe edulcorandam ſalſedinis contemperatione, & partium renutritione. Poſthabita omni purgatione præterquam lenienti niſi aluus reſpondeat per clyſteres, vel per benigniora medicamenta apta ſolùm fœces educere, & prætermiſſa etiam ſanguinis miſſione ad executionem memoratarum indicationum devenitem cum uſu lactis omnì alio eſculento excluſo, eo modo, quo aliquibus in uſu fuit pro podagræ curatione. Primo mane in aurora accipiat ℥. viii. lactis cum ſucco Malvæ, Boraginis an. ℥. i. ß. vel infundantur in lacte folia Malvæ, Boraginis, Violariæ, Nimphæ, rad. Altheæ, Liquiritiæ, Graminis, Conſolidæ, ſem. Papav. Pſylii, fructus Sebeſten, Jujubarum, poſteà deſtillentur cavendo Empyreuma, & de hoc accipiat ℔. i. cum gutt. viii. tincturæ Smaragdi deſcriptæ ab Hartmano, & eſſentiæ Croci martis Crolii gutt. x. m. Poſt quatuor horas ſumat pulmentum ex panne, vel Hordeo, vel Riſo, vel Fare in lacte cocto, & poſt ſex horas ℔. ii. lactis ſumat cum extracto, vel ſanguine rad. Simphyti à Quercetano deſcripti ad ℥. ii. cum ℥. ii. Syrup. de Hibiſco, & poſt quatuor horas aliud ſumat Pulmentum modo ſuperius deſcripto. Potus ſit Aqua pectoralis, vel Boraginis, vel Deſtillatum longum ex carne cum ſimplicibus ſuperius deſcriptis in deſtillatione lactis. Poterit poſt pulmentum uti pro cibo Gelatina ex Cornu Cervi, vel ex pedibus Vituli Caſtrati, & Caponum, & tempore intermedio inter cibum pro ſiti extinguenda Emulſione Amygdal. dul. longa cum aqua, Malvarum, Violarum, vel Boraginis, addendo Mucilaginem, ſem. Pſylii, Malvarum, & Coroneorum cum diſſolutione Gummi arabici, & Tragacanthæ, diu in hac regula perſeverandum, & tempore opportuno utendum Balneo aquæ dulcis. Minori exiſtente urinæ profluvio benedicente Deo medicamentorum virtutem lac coctum exhibendum pro renutritione, & etiam addenda pro victu contuſa carnium, & tunc poterit etiam addi pro medicamento aqua Calcis à Villiſio propoſita ad ℥. v. vel vi. ter in die, cùm efficacia ſui ſalis valeat reſolvere ſalia Sylveſtria ſanguinis, ut experimur in extrinſecis vulceribus, & Scabie, quæ extirpantur ab hujuſmodi medicamento ad cujus exemplum alkalica volatilia, ſed oleoſa erunt etiam proficua, ut ſunt Oleum Cornu Cervi, Charabe, & ſimilia, cùm videamus aquas fortes ab alkalibus demulceri.

CONSULTATIO CIII.

De Urina Lactea.

VIr ætatis annorum triginta quinque, temperamenti calidi, & ſicci ignei, poſt violentum exercitium, & compotationem frequentem cum Amicis, de calore, dolore, & debilitate quadam circa lumborum regionem conquæri cœpit, itaut pedibus ſtare non poſſet cum urinæ copia, quæ elapſa hebdomada lactis inſtar mingi cœpit, ſine dolore, fœtore, & cum pauca depoſitione tenui ſedimenti albi copia urinæ pariter quantitatem potus non excedit, ſiti moleſtatur, appetitus dejectus, & modò currit menſis ab horum ſymptomatum incurſu, cum virium languore, & macie.

Materiam ex qua Urina alba redditur non eſſe Pus ex abſentia fœtoris concludendum eſt, neque Pituitam ex parva, & tenui diſpoſitione ſedimenti colligimus, excluditur etiam ſemen cùm non adſit Gonorrhœa, multò minus poſſumus recurrere in hoc caſu ad aliquod acidum ſuperfluum in corpore redundans, quod ſero parvis particulis alimentalibus, vel alkalicis multis craſſiuſculis imprægnato mixtum, & per urinam ſecretum ei albedinem inferat, eo modo, quo videmus acidum aliquod, aquis à laticinoſis herbis extractis infuſum has ad lactis formam reducere, cùm in Patiente propoſito acidum ratione ſui temperamenti in parva copia colligatur, & à bile redundante mortificetur, prout oſtendit Appetitus proſtratio. Unde perſuaſus maneo prædictam materiam albam urinæ mixtam eſſe ſuccum nutritium alimentalem, ſeu chylum, & in hac opinione confirmòr à macie, qua incipit corripi Ægrotans proveniente à defectu alimenti per viam urinæ excreto.

Quomodò verò contingat hujuſmodi excretio chyloſæ materiæ per urinam poteſt explicari à triplici præſuppoſitione: primò Chylum ratione bilis nimis volatilizatæ, & acris redditæ à violento exercitio, & à vini quantitate ad maximam tenuitatem ab illa eſſe deductum correſpondentem teunitati ſeri, & cum hac figuram ſecundùm ſuas particulas ſimilem particulis ſeri acquiſiſſe. Secundò ab eiſdem cauſis maſſam ſanguinis fuiſſe ſummè rarefactam ejuſque texturam naturaliter ratione temperamenti ignei debilem, & facilè ſolubilem majorem contraxiſſe debilitatem, itaut cum magna facilitate partes ipſius poſſint ſegregari. Tertiò ab actione caloris exercitii, & Vini fermentum renum fuiſſe multum exaltatum, & in ſua actione intenſionem acquiſiiſſe, earumque ſubſtantiæ poros ultra terminos naturales ab ea fuiſſe dilatatos. Dum ergo ſanguis per renes circulatur ab harum fermento ita alteratur ſanguis, ut ob ſui tenuitatem, & compagem facilè ſolubilem ſinat à tota maſſa ſeparari unà cum ſero inutili chylum, quem ſuo ſinu recipit, & nondum mutationem in ſanguinem paſſus eſt, qui cùm habeat tenuitatem ſimilem ſero facillimè etiam, cùm eo in poros ſubſtantiæ renum dilatatos admittitur, & unà cum eo excernitur albedinem urinæ conferendo, eamdem ſortem chyli ſequitur ſerum illud alimentale maſſæ ſanguineæ in colore parum diſſimili à Chylo, quod inſervit pro ſucci nervoſi elaboratione, & nutritione partium ſpermaticarum vulgo dictarum, ex quo fit, ut in omni tempore, etiam ab alimentorum aſſumptione diſtanti urinæ ſemper albæ appareant; hinc languor corporis, & macies in tali excretione materiæ alimentalis, partibus omnibus defraudatis ſuo nutrimento, qua de cauſa ſitis etiam oritur exſiccatis fibris menbranoſis ventriculi à carentia alimentali, cui coadjuvant calor ſanguinis, à quo renum calor, & dolor non tam vellicatione acri partium ſenſitivarum, quàm ſolutione, vel diſtratione partium excitata à motu violento, & perturbato effluviorum calidorum.

Hinc patet pro Curatione, primò calorem eſſe moderandum, & bilis exceſſum reprimendum, ejuſque abundantiam minuendam. Secundò ſanguinis conſiſtentiæ majori conſulendum. Tertiò poroſitates renum conſtringendas, & fermentum earumdem reprimendum. Quartò maciem reparandam, his enim adimpletis, renum dolori, ſiti, & inappetentiæ ſatisfactum erit, quæ executioni mandare erit difficile, non tamen deſperandum.

Minuemus primò Bilem cum Caſſia, & Tamarindis, vel cum Mirabolanis citrinis, & Crem. tartari, ejuſque exceſſum, & totiuſque calorem emendabimus cum ſucco Plantaginis, Cicorei an. ℥. i. ß. Aquæ Sonchi, Portulacæ, Menthæ ad robur ventriculi ſuſtinendum an. ℥. i. ß. Quòd ſi Ventriculus hæc non patiatur paretur jus Pullæ in cujus ventre reponantur, hordeum Plantago, Portulaca Cicorea, & Mentha per quindecim dies hoc utatur, & reiteretur unum ex dictis Purgantibus in quantitate mediocri. ſanguinis miſſio à macie totius reicitur, ideò de hoc non loquor, Poſteà Decocto Santal. omnium, rad. Biſtortæ, Tormentillæ, Conſolidæ cum ſpirit. Alumnis dulcif. utendum per multos dies, præmittendo Bolum ex Diaſcordio, Philonio perſico an. ℈. i. cum Croco mart. aſtring. Magiſt. Coral. an. ℈. ß. m. f. b. hoc enim ſecundæ, & tertiæ Indicationi ſatisfactum erit, & ſi hæc non conferant tranſeundum ad ſanguinem Symphiti à Quercetano deſcriptum ad ℥. i. ß. ſpec. Diaplantaginis Mynſchit. in aquis Plantag. & ſumitatum Quercus an. ℥. ii. Syrup. Coral. ℥. i. Cadut mort. vitriol. rubif. & dulcif. ℈. ß. m. Macies alimentis optimi ſucci reparanda, & ſi ex aliorum ſymptomatum debellatione non remittat ad uſum lactis Vaccini deveniendum. Omni mane, & ſero corpus fricandum, & poſteà Unguento reſumptivo ungendum.

CON-

CONSULTATIO CIV.

De Ulcere Renum.

SAcerdos ætatis annorum ſexaginta quinque, temperamenti calidi, & ſicci à juventute venationi deditus, & variis erroribus in victus ratione, podagricis, & nephriticis doloribus in quadrageſimo anno cœpit laborare, nunc urinæ ardore, cum frequenti iſtius excretione, ſed parva moleſtatur, urina turbida apparet, ex improviſo duos calculos conſiderabilis magnitudinis ſpatio quatuor horarum emiſit ſine dolore, & turbatione, cùm multi eſſent anni, quòd non ſenſerat horum cruciatus, ab horum ejectione ardor in emiſſione urinæ ceſſavit, ſed hæc turbida adhuc eicitur cùm colore ad albedinem accedente, ſedimentum copioſum puri ſimillimum deponit, & fœtidum, appetitus omninò amiſſus eſt, & quandòque à cibo vomitus ſequitur, febris adeſt continua, & lenta, cum macie, ſanguinem per urinam nunquam tamen excrevit.

Ulcere renum laborare prædictum Patientem ad evidentiam oſtendit Urina alba cum ſedimento puri ſimillimo, copioſo, & fœtenti; Hujus morbi ſolutæ unitatis, cauſa immediata fuerunt calculi diù in renibus geſtati, ut colligitur ex ſpatio temporis, in quo immunis extitit à doloribus Nephriticis, & à magnitudine calculorum, quæ longam iſtorum moram in renibus arguunt, ſive cum illa generationem ſumpſerint, ut vult Helmontius, ſive paulatim per additionem novæ materiæ ad hanc pervenerint, à tali enim magnitudine non admittebatur quælibet cauſa pro motu, ſed pro leviori, & imbecilliori reſiſtentiam habebat, hinc pro deficientia cauſæ moventis longa in renibus ſucceſſit Calculorum mora, qui foveam in illis ſuæ magnitudini correſpondentem impreſſerunt, & paulatim ſua adhæſione, confricatione, & aſperitate renum ſubſtantiam corroſerunt, unde ulcus, & pars ulcerata ſanguinem per eam circulantem corrumpendo in pus convertit, quod per urinam excretum hanc turbidam reddit, quia intra urinæ poroſitates remanet ob æqualem gravitatem cùm hac, vel ſero, ita miſcetur per perfectam unionem, ut non poſſit ſeparari, à pure ſemper magis augebitur vulcus, non ſolùm quia ſua corroſiva qualitate abradet particulas partis, ſed etiam, quia ſua humiditate has macerando, ita diſponet, ut per ſe putredinem, & diſſolutionem accipiant. Ab halitu vulceris ventriculus renibus ſuppoſitus in ſuo fermento ita alteratur, ut à ſua naturali conditione degeneret, actionem qua appetitum excitat amittendo, & quandoque irritatus à dictis halitibus ad vomitum impellitur. Sanguis per ulceroſam partem circulans putrida corpuſcula imbibendo fermentum colligit, ad præternaturalem, ſed lentam effervefcentiam, unde febris, & ab iiſdem concipit acredinem, vel ſalſedinem, vel auſteritatem, per quas modum partes nutriendi amittit, unde Macies; Sanguis in principio hujus corroſionis nunquam viſus, quia incidit in partem capillaribus vaſis, & horum extremitatibus ultimis donatam, unde ſanguis ab his exiens parvus, & à calculo ſuperſedente detentus, non potuit exire ſtatim, & mora in pus converſus eſt; ex quo colligitur modus quo factum fuit vulcus ſine ſanguinis effuſione, quòd dubium incutere poterat, an eſſet vulcus in renibus, & ex data ratione, & ex ſignis ſuperius demonſtratis redditur evidens ulceris exiſtentia. A puris abundantia moti calculi, & ad uretheris principium præcipitati deſcenderunt per illorum cavitatem ſine dolore, quia ſenſim moti ſunt, & quia ſecum trahendo puris quantitatem, ab iſtius humiditate forſan ita emolitæ fuerunt fibræ horum Canalium, ut potuerint dilatari ſine divulſione violenta partium. Ardorem urinæ provenifſe à calculo certum eſt, cùm eo excreto evanuerit, cauſa autem fuit, quod tranſacto calculo ab uretheribus in veſicam, ibique per aliquod tempus detento ſua aſperitate fibras membranoſas, quibus incumbebat vellicando pruritum, cum mingendi deſiderio, efficiebat, & per membranoſas fibras taliter affectas urina tranſeundo, ſuæ acrimoniæ diſtractionem partium majorem conjungendo, & vellicationem ad frequentem urinæ ejectionem veſicam invitabat, doloroſumque ardorem cauſabat, ejecto verò calculo liberæ fibræ membranoſæ veſicæ ab illius compreſſione, & diſtractione, finis factus ardori Urinæ, & frequentiæ mingendi.

Quòd deſiderandum eſt in hoc Patiente, eſt ulceris curatio, quæ perficitur priùs abſterſione, & mundificatione deinde conſolidatione, cauſa cùm fuerit calculus, & hic jam excretus fuerit nullam exhibet indicationem, verum tamen eſt, cùm ſit ſubjectus doloribus, tam nephriticis, quàm podagricis humorum acrium quantitatem cumulare in ſanguine ex partium indiſpoſitione valet, unde hic dulcificandus, & indiſpoſitio acidum, & calculi, & podagræ cauſa præter naturam congregans alkalicis corrigenda, maciei etiam occurrendum.

Purgato corpore leni medicamento ex Manna, abſtergemus ulcus cum ℔. I. Seri Caprini depurati, & ℥. iii. Hidromelitis per decem dies, poſteà conſolidabimus illud cum Decocto vulnerario Quercetani præmittendo bolum ex Therebentina ad ʒ. ii. Balſami orient. ℈. ß. Trociſch. Alchechingi cum opio, & ſine an. ℈. I. Ocul. Cancr. ʒ. ß. cum pulvere fol. Hiperici f. b. per menſem in hoc inſiſtendum, quod acidi generationem etiam prohibebit: poſteà ad uſus lactis Aſinini Chalybeati deveniendum incipiendo ab ℥. v. & paulatim augendo quantitatem uſque ad ℔. I. & etiam ℔. I. ß. præmittendo tale Bolum. ℞. Aloes ſ. p. ℈. ß. Bezoartici mineral. igne reverberii fixati gr. viii. Balſami ſulphuris ſuccinati ℈. ß. Trociſch. alchechingi ℈. ß. cum ſucco Equiſeti q. ſ. f. b. per alium menſem, & etiam plus continuandum hoc remedium; quo & ſanguinis maſſa dulcificabitur, & ultimò poterit etiam uti Aqua ad Gonorrhœam Quercetani ad ℥. ii. & ſanguinis ſymphiti ejuſdem ℥. I. Maciei occurremus optimis alimentis, & præcipuè cum pulmento parato ex carnibus ranarum contuſis ſuoque jure diſſolutis, addendo amygdalas contuſas, & diſſolutas pro pulmento diſſolvemus eodem jure farinam Hordei, Ova, & Butirum Aqua ex Ranis deſtillata ſit pro potu, & pro inappetentia ante cibum ſumnat gutt. v. vel ſex Balſami ſalis.

CONSULTATIO CV.

De Sanguine Mictione.

NObilis Vir ætatis annorum ſexaginta, temperamenti aduſti, doloribus nephriticis ſubjectus menſe præterito, cùm valdè ſe exercitaſſet in motu, urinam ſanguinolentam emiſit, per quietem ſine ſanguine reddebat, & quotieſcumque quieſcit, vel parvo motu ſe exercet, urina nullam habet mutationem, ſed in motu parum citato, & longo ſemper ſanguini mixta redditur, in victus ratione temperatè vivit.

A renibus ſanguinem prodire hujus mixtio cum urina comprobat, & calculoſa affectio Patientem affligens idem perſuadere poteſt, hæc enim vitiatam renum ſtructuram ſecundùm poros connotat, per quam hi humores craſſos admittunt, ut ſuperiori Conſult. docui, & quæ pro admiſſione ſanguinis ſufficere poteſt, & hujus exitus per ſolum motum, à quo renes incaleſcunt, & defatigantur confirmare magis valet, & ſanguis poſt dictum motum exiens manifeſtum reddit talem excretionem exequi per aperitionem, ſeu verius dilatationem pororum ſubſtantiæ renum, per quos ſerum à ſanguine ſeparatum tranſcolat, quæ tanta ſit, ut ſanguinem unà cum ſero admittat.

Hujus dilatationis cauſam puto fuiſſe calculos antecedenter in renibus pluries induratos, & excretos, cum magno cruciatu, qui ſua preſſione fibras poros circumdantes laxarunt, eo modo, quo à preſſione corporis duri ſupra carnem, vel à contuſione, fibras carneas laxari obſervamus, talis pororum laxitas, ab attritione motum ſequente, à calore rarefaciente, ab eodem motu excitato, & ab impetu ſanguinis ab arteriis eructati in ſubſtantiam renum, incrementum ſuſcipiens fit major, ut apta ſit aditum per pororum cavitatem ſanguini unà cum ſero concedere, ut ſupra dictum fuit, & quia in quiete fibræ concidunt, nec adeſt attritio fibrarum, nec calor, nec impetus ſanguinis, & conſequenter pori magis conſtringuntur, ideò ſanguis non exit, quia hujus particulæ poroſitatibus hoc modo conſtitutis non configurantur.

Videò

Video locum eſſe ſuſpicandi ſanguini viam aperiri à calculo in renibus contento, qui in motu citato, & longo agitatus, & commotus ſuis inæqualitatibus, & aſperitatibus aliquas renum particulas confricando corroſionem in aliquibus vaſis capillaribus inducit, per quam ſanguinem profundunt, & hanc ſuſpicionem auget calculoſa indiſpoſitio reddens probabilem calculi exiſtentiam in renibus.

Tollitur verò hæc ſuſpicio conſiderando nullum adeſſe ſignum calculi ſua præſentia renes affligentis, qui eſt dolor obtuſus, & ſenſus gravitatis in renum regione, nec arenulæ, nec materia viſcoſa in urinis ſine ſanguine excretis apparent, quibus facilè poteſt confirmari dicta ſuſpicio, præterquamquod mihi perſuadere non poſſum vas aliquod eſſe exeſum, & ſanguinem continuò non profluere, cùm ſanguis continuò per corroſum vas circuletur, & à corroſione via pateat aperta. Idcircò in declarata ſententia hæreo, dum per hanc interpollatus ſanguinis fluxus à motu, perſuadenti ratione explicatur.

Ad tollendam hanc malam indiſpoſitionem, quæ majora minatur pericula corroborandæ fibræ ſubſtantiæ renum, humorum acrimonia, quæ ratione temperamenti eis impartitur demulcenda, ne fibræ laxatæ corrodantur, unde iſti minuendi prius, quod obtineri poſſe ſpero, maximè attenta in victus ratione Patientis temperantia.

Primò ergo lenita alvo cùm Mannâ ad ℥. iv. diſſoluta in aqua Violarum, & ℥. ß. Cremoris tartari; Præparantia humori acri adaptata propinanda, ex ſucco Malvæ, Boraginis, & Equi ſeti, ad adſtrictionem pororum an. ℥. j. cum Aqua Boraginis; Bugloſæ an. ℥. ii. per ſeptem dies continuandum in his, miſſo ſanguine in uno ex his diebus à vena baſilica ad quantitatem correſpondentem virtuti Patientis. Tranſactis his diebus reiteretur idem Purgans, & pro adſtrictione, & corroboratione ſequentes Boli ſint in uſu. ♃. Therebentinæ ℥. i. Balſami orient. ʒ. i. Lapidis Lincis, Judaici, Spongiæ an. ʒ. i. Ocul. Cancr. ℈. iv. Acaciæ, Hypociſtidis an. ℈. ii. Lapidis Ematitis ʒ. i. Caput mort. vitriol. rubif. & dulcif. ℈. iv. m. & cum ſucco Equiſeti q. ſ. f. b. num. xvi. de quibus capiat num. ii. omni mane ſuperbibendo Aquam Quercetani contra Gonorrhœam, per multos dies, in horum uſu perſiſtendum, & ultimo loco ſubſtituendæ Aquæ Villenſes more ſolito, quæ ſi non proficiant utatur ſucco Poliganii ad ℥. ß. cum ℈. i. Spir. terræ ſigillatæ. Curandum denique, ut à Calculo præſervetur cum Julepo ex Therebentia, cui admiſceantur ſem. Dauci pulv. vel cum Aroph. Paracelſi ab Helmontio deſcripto, & aliis remediis ſuperioribus Conſultarionibus deſcriptis, ſervata ſemper optima victus ratione.

FINIS.

S Y L A B U S
RERUM NOTABILIUM.

A

Acidum ſtomaci diminutum ſanguinis culpa. fol. 95
Acida debito frixiora non excitant famem. ibid.
Neque cibos diſſolvunt. 96
Acciditas humorum, quibus intendatur. 104
Quibus dulcificetur. ibid.
Quomodò in Glandulis præparetur. ibid.
Et præparata lædatur. ibid.
Acida non ligant ſanguinem, ſuperante Bile. ibid.
Acida glandularum lympha infert ſanguini conſiſtentiam. 108.
Acidum abundans in glandulis Meſenterii chylum coagulat, lactis ad inſtar. 163
Aeſtus hypocondriorum pendet à vitio bilis, & ſucci pancreatici effervefcentia. 152
Affectio hypocondriaca variis tentata remediis, ſed nullis profligata, ſuſpicionem infert quoad ſubſtantiam vitiari pancreas. 101
Alvus exoneratur naturæ congruenter, quatenus bilis fundendo, at ſolvendo fœces indurari non ſinit. 155
Anxietas oris ventriculi, cum frigiditatis ſenſu ab aciditate in liene concepta, indeque nervoſo ductu ad ſtomachum delata. 155
Animi deliquium provenit à ſpirituum deffectu in nervis ſtomaticis. Ex tali enim defficientia nervi prædicti contractiones paſmodicas patiuntur, quæ cardiacis communicatæ contrahunt ſanguinis motum, unde oritur animi deliquium. 167
Artheriæ valido Tuſſis motu convelluntur; convulſæ attenuantur, attenuatæ ſalſo defluente catharro nullo negotio fit ſolutio continui: unde corroſis, & laceratis artheriarum ramificationibus panditur via ad ſanguinis ſputum. 129
Artheria tumore compreſſa à mucronata cartilagine uſque ad umbilicum pulſat: per quam tam latam pulſationem ab aneuriſmate diſcriminatur. 162
Apoplexiæ cauſa detecta: 104
Curatio ejuſdem adequata. ibid.
Apoplexia à ſanguine intra poros cerebri coacervato, ita ut venæ nequeant illum revehere. 108
Cauſa cur potiùs in capite, quàm aliò plenitudo ſequatur. ibid.
Appetitu depravato adeſt materies circa ventriculi fibras acido auſtero terra, quæ duro, ac convellente eiſdem impreſſo charactere, atque ad communem ſenſum traducto: idea ibidem afficta percipit illam ab objecto factam impreſſionem, illam elicit, ac tuetur; delicatiori cibo foribus occluſis, intra ventriculi fibras à ſolida particularum congerie. 135
Apoplexiæ cauſæ recenſentur, & hæ ſunt ſulphurea narcoſis, vel ſalina præcipitatio. 105
Aſcenſus deſcenſuſque rerum cum aliquo ſenſu doloris relabentium ſupra infraque Eſofagum explicatur ſimilitudine petita à puerorum ampullis, ex aqua ſaporis diſſolutione incraſſata. 152
Aſthma à coaleſcentia pulmonum. 119
Cauſæ, ſigna, & differentiæ. ibid.
Periodica reſpirandi difficultas unde. ibid.
Aſthmata à Bile acrimonia ſalina peccante, atque cum ſucco pancreatico humorem ſalſum rodentem conſtituente, quæ nervorum extremitates vellicando eorumdem ductu contractæ irritationes ad pulmonem propagantur. 120
Atrophia ab eluvie ſeroſa aucta, atque depravata vitio bilis effervefcentis intra duodenum. 98
Atrabiliarius humor ab acidiore lympha unà cum bile conficitur. 169
Alvi ſtipticitas à ſolo deſcenſu Chyli tenuioris, & purioris ad inteſtina. 96

B

Bilis quatenus ſua poteſtate alkalica acidum imbibit, ſanguinem relaxat. 95
Bilis ſpiritu viduata non miſcetur ſanguini mucilaginoſo. 152
Supernetat cœteris humoribus ex Hippocratis doctrina. ibid.

C

Capitis integumenta debito ſicciora, aut conſtrictiora, ſtata, atque continens doloris cauſa. 97

Capitis dolore, immutatio fermenti quomodo inferat ſcephalagiam. ibid.
Capitis dolor cietur luce, ſono, & odore, motu particularum eorum naturam conſtituente. ibid.
Capitis dolor à coluvie ſeroſa acido ſalſa. 98
Capitis dolor per ſomnum magis ingraveſcens. 101
Calculi generantur à ſanguinis reſidentia, quæ tartarea vocitatur materies: hæc autem gignitur ex alkali fixo, non verò volatili, acido ejuſdem indolii copulata. 187 188
Calybeata in affectione hypocondriaca conducunt, quia humorum acrimoniam modificant. 153
Calores à paſtu exacerbantur ab effervefcentia chyli in inteſtinis, quæ illi advenit ab extrinſeco ob admixtionem fermenti validi activi, quod non eſt niſi bilis, & ſuccus pancreaticus, qui in ſegregatione fœcum, & depuratione Chyli pro ſanguine (cum ſine motu hoc fieri nequeat) hanc concipit effervefcentiam. 256
Calidorum uſus in inflammatione permittitur, quatenus ſanguinem concretum diſſolvunt; à frigidis verò humorum collectio magis inficitur. 170. 172
Cachexia laboramus, quoties principiis activis depauperata cruoris maſſa ſanguinis æmathoſis non perficitur. 178
Calor à paſtu ob effervefcentiam bilis cum acido pituitæ, à qua valida arteriarum pulſatio deducitur. ibid.
Cerebri diſpoſitio ad capitis paſſiones, dilatatio pororum. 102. 104
Convulſio ab extremis, & extimis partibus exorſa, totique corpori communicata. 103
Procedendi modus videatur. ibid.
Curationique animus intendatur. ibid.
Cordis palpitatio à defluo, refluoque ſpirituum animalium motu, remorantem ſuccum impellere tentantium. 107
Vel malè ſana intra cordis ſinus ſarcina eam mediis fibris eliminare ſtudentium. ibid.
Corpus habet, quia denegato ſpiritu partes concidunt, neque fermenta promoventur. 116
Coagulationis ſigna habentur ex pulſu parvo, calore miti, urina aquea, & tenui, ex pellicula alba in ſuperficie extracti ſanguinis concreſcente. 127
Corde reſtricto fit ſpirituum repercuſſio in organum ſenſus communis; hinc motus ſimilis illi percipitur, qui à præſentia alicujus mali excitantis timorem, ac mœrorem producitur. 157
Colicus dolor circa lumbos lateri dextero infixus. 172
Cauſæ quæruntur à rigidis ſalinæ particulis. 171
Crepitus circa orificium Ventriculi imitans pergamenæ contractionem, deducitur à muſculis intercoſtalibus, quorum tendines cùm eſſent indurati à calore ſubjacentis ventriculi eis communicato, dum moventur motu indirecto crepitum edunt. 152. 153

D

Deglutio læditur à frigido potu, quatenus ſpiritus, vel extinguuntur, vel repelluntur, itaut fibræ deglutioni dicatæ in contractione quadam, ac veluti inflatione non detineantur. 137
Deſtilatio conficitur à ſuperflua ſucci nervoſi elaborationis parte. 177
Diſtillationis ratio, & modus explicatur juxta circulationis leges tum ſanguinis, tum lymphæ. 99. 100.
Diabetis cauſa ab acido ſalſo volatili petita, per quod diſſolvitur ervor, ſalinis ſpiculis diſſecta ſanguinis maſſa. 128
Diarrhea attribuitur glandulis miliaribus clapſulę Bilis implantatis, quibus ob tumoris ſuperimpoſiti compreſſionem non permittitur Bilis ſeparationem inſtituere; unde in venis retenta ſanguinis diſſolutionem inducit, quæ demum per inteſtinorum artherias emiſſa, eorum tunicas velicando tam verſungianum, quàm calidicum emurgit humorem. 164
Diarrhæa cum febre ab univerſo corpore poſt leves curas, ac frigidiuſculum aerem æſtivum, quorum cauſa acidus humor intra corpus intenditur, qui ſanguinis conſtrictivus, febrem gignit cum pulſu parvo, frequenti, ac magno virium languore. 167. 168
Hic verò acidus humor (natura ſecretioni intendens) dum per Ventriculi, atque inteſtinorum tunicas traducitur, rigorem parit, atque ad exitum ſollicitat unà

com bile ſuccum pancreaticum. 168
Diabetis cauſæ quæruntur à ſanguinis maſſa, acrimonia ſalina univerſum corpus rodente. 189
Doloris ad occipitium graveſcentis cauſa. 121
Dolor in genu à motu ſanguinis craſſo ibi ſtagnare coacto. 99
Dolorum Ventris ſedes deſignatur in nervis meſentericis, ejuſdemque plicatura. 151
Dolores ceſſant ſecuta urinarum copia. ibid.
Dolor in genu à tardo ſanguinis motu, qui muſculorum interſticiis conſiſtere. 163
Dolores lacerativi tribuuntur ſucco pancreatico propter ſui ſtagnationem auſteriori facto, qui in ſui cum bile efferveſcentia oleoſas, ac ſpiritoſas illius particulas diſſerpit, atque diſſolvit. 160
Dolore intra ſtomachum adhuc perdurante poſt validam ejuſdem Ventriculi humorum expulſionem culpatur cyſtica bilis lateraliter ſtomacho connexa, quæ ingenti calore aculeata, tunicas Ventriculi perforando, triſtem efficit ſenſationem. 149. 150
Dolor iliacus ab inflammatione. 170
Dolores exacerbantur evacuatione ſecuta, quia per clyſteres nova elicitur materies. 171
Dolores Ventris in convulſivos motus tranſeuntes. 172
Dyſenteria fit ab atra, ac vitallina bile gradu quodam caloris incraſſata. 169

E

Epilepſiæ cauſa præfinita, particulæ eſſentialiter eam componentes adnotantur, acida ſcilicet una glandulis accerſita, altera ſulphurea à bile mutuata, quæ in unum volatile ſalſum intra ſanguinis maſſam coeuntes, atque in nervoſum genus delapſæ, nitrati pulveris ritu ingentes edunt exploſiones, unde habentur inſultus epiletici. 108. 109

F

Phantaſiæ depravatæ cauſæ quinque recenſentur, quæ ſunt opacitas ſpirituum, remiſſus concitatuſque eorumdem motus, præjudicia ſenſus communis ab ulteriori ondulatione laceſita, concordans motus malè præfiguratis cerebri fibris, atque ultimò continuus ſpirituum influxus ob præconceptum objectum ſponte delabentium, ob quorum omnium depravationem læditur animæ ſervitium. 156
Fames non minuitur aucto acrimonia ſalſa, quia ab acido ſanguinis melancholico appetitus conſervatur. 151
Faciei rubores, totiuſque corporis calor poſt cibum pendet à ſanguine nimia tenuitate affecto, ſuffragante bile ſucco pancreatico, ac lienis fermento. 162
Tum etiam ab inordinato nervorum ſpiritu, tenuioribus alimentorum particulis in excandeſcentia acto, itaut arteriarum extremitates, quibus aligantur nervi, plus juſto conſtrinctæ ſanguinem ulteriori fluxu ad genas propellant, quàm à venis revehi poſſit hinc, vel in poris carnium detentus, vel per arteriarum capillarium tunicas ſubtiliſſimè diſtenſas, vivida cruoris purpura translucet. ibid.
Febris autumnalis leni recurrente paroxyſmo, atque extremorum refrigeratione, miti calore ſubſequente, vide modum, ut quomodo hoc producatur. 110
Fermenta partium enervantur ſanguine debilitato; & è contra. 106
Febrilis increſcit color una atque altera poſt cibi aſſumptionem hora; qui à bilem ſanguini viſcoſitate affecto commixtam exagitant calidæ alimentorum particulæ, toties quoties cruoris maſſam ingrediuntur. 126
Febrium excrementa per ſanguinis depurationes ad Ventriculi orificium rejecta invios meatus nacta poroſitates terrebrando dolores gignunt, eòque fortius agunt, tum cùm alimenta digeruntur, quia dicta divulſio fit major à ciborum pondere fibras magis diſtrahente, & à particulis calidis, & ſpiritoſis in dicta fermentatione excitatis, quorum motus cùm ſit perturbatus, dubium non eſt, quin valeat dolorem augere. 138
Propagatur verò dolor, quia ſanguinis particulæ craſſæ ibi moram contrahere coactæ, novo ſanguine adveniente etiam tenui retento, ita inteſtinia replentur, ut diſtentæ lacerari videantur. ibid.
Febris, obſtructis hypocondriis, quomodo generetur. 169
Fermenta partium concitantur à ſanguinis maſſa ritè conſtituta. 175. 177
Fermenta lienis à poteſtate ſua deicitur à refluo hæmorrohidum, ac ſuperabundanti ſanguine obrutum. 175
Qua de cauſa tota animalis economia ſubvertitur. ibid.
Fermentum lienis nimia volatilitate donatum promovet in hepate copioſæ bilis ſecretionem. 162
Febris producta, & lentè ſubardens pendet à ſanguine muſcoſitate prædito. 178
Flatus generatur pituita in Ventriculo, atque in inteſtinis bile exagitata. 120
Fluxus cæliaco trahuntur in contrarium, non verò laxantur ſtomaci fibræ. 144
Flatus ſecundariò, & conſequenter progignuntur ſpatia vacua implere ſtudentes, membranis extenſis à ſpirituum animalium excandeſcentia. 149
Flatibus ob ſuam craſſitiem, exitu denegato per orificium ſuperius Ventriculi, ejuſdem nervoſos plexus comprimunt, quæ compreſſio nervis cardiacis communicata, cordis motus diminuitur; quare univerſo corpori languores imperiuntur, denegata ſpirituum, & ſanguinis copia, a qua virium robur, & facultatum conſiſtentia producitur. 153
Fluxus hepaticus pendet à læſa corporis ſanguificatione. 170
Hæc verò læditur ab acrimonia bilis, quæ ſanguinis maſſam corodendo, à ſua naturali conſtitutione deturbat, cum deſtructione principii operativi naturalium functionum ejuſdem cruoris maſſæ inſidentium. ibid.
Frigus quomodo vertiginem gignat. 100
Frigus initio febrium perſentitur, quoties humorum aucta craſſitie tenuiores particulæ non omnimodo explicantur, ſemiobrutæ verò comburuntur; unde provenit latica febris, 126
Frigus perſentitur intra meſenterii atque inteſtinorum tunicas ob conjugium ſucci pancreatici, atque bilis ſalino ſulphureæ, quæ unà cum illo elaboratur in nitrum. 161
Fructus horarii citò putreſcunt, eò quod laxa nimis eorum compages, partibuſque etherogeneis conflata; hæ ſe mutuò non implicant, nec implexu in ſubjecto retinentur. 151
Fœtus, qui intra paucos dies interiit, cauſæ narrantur. 103

G

Gallica luis habetur ab aciditate volatili. 150
Empiticis fixata remediis, non penitùs ſublata. ib.
Quo circa prædicta lues in ſanguinis ſinu fixata univerſam maſſam coagulat. ibid.
Proinde ab indebita efferveſcentia acrior facta, obſtructoque liene repercuſsa regurgitat per arteriæ cæliacæ ramos in Ventriculum, per quem diſſaminatur. ibid.
Gonorrhæa ſine pudendi erectione, quæ incipit deſinente podagra, originem ducit à ſucco nerveo acido humore perfuſum. 186

H

Hæmorrhoydum fluxus promovetur, non quia ſanguinis bile fit aculeatus, ſed quia multo ſero dilutus. 107
Hæmorrhoydes tument ob ſanguinis craſſitiem, ſpiritu volatili ſalino per aduſtionem evaporante. 163
Hæmorrohydum cura præſervativa. 385
Hæmorrohydum fluxus pendet ab acido ſucco melancholico nimis attenuato, ac ſummè volatilizato. ibid.
Hepatis incendium extinguit calorem Ventriculi, quatenus bilis, quæ copioſa ab eo ſecernitur, ea, qua polet alkali vi, ſtomaci fermentum imbibit. 95
Hydropica diatheſis calore producitur, eò quia ſalſo volatili diſſecta ſanguinis maſſa in ſeroſam coluviem deiſcit. 179
Ratio cur potiùs culpetur ſanguinis reſolutio, quàm depravata viſcerum concoctio. ibid.
Cur ſerum non ſecernatur in renibus. ibid.
Hypocondriorum æſtus, & præcipuè circa Ventriculi inferius orificium, non ab obſtructionibus pendet, ſed à ſanguine fervido intra vaſa per illius ſubſtantiam diſſaminata, ob craſſitiem, ab aduſtione contracta, in ſua circulatione ibi lenteſcere coacto. 156
Hypocondriaca affectio pendet ab acido ſalſo Ventriculi depravato ob aciditatis augmentum, & volatilitatis debitæ diminutionem. 153
Hypocondria an influant, & quomodo influant in melancholia. 154

I

Imaginatio alicui opinioni pertinaciter hæret, quoties per varios reflexionum actus in aliquo conceptu modificantur cerebri fibræ, atque identidem ſenſuum externorum motibus concitantur nulla adveniente ab extrinſeco prædictæ cogitationis cauſa. 157. 170
Incubi cauſa eſt ſpirituum animalium ſupreſſio ad cor, pulmones, diaphragma, ac thoracis muſculos. 113
Gravaminis verò cauſa non una, ſed duplex; præcordiorum namque obſtructorum lucta, atque ſanguis intra

cor

cor plurima ſtagnatione congeſtus. ibid.
Inertia ſpirituum animalium extaſim parit. 116
Inflammatio lienis præeunte febre. 181
Cauſæ diſcutiuntur, ſigna diſcriminantur. ibid.

L

LAſſitudo ulceroſa à quo derivetur. 101
Laxatis Ventriculi fibris alimentorum ſabura in cavitate reſiſtit, quæ tractu temporis in fluorem evecta ſtomacho moleſtiam infert; quare facultas expultrix materiam primò in capacitate contentam reicit, deinde bilem, emeatur cholideco expreſſam à motu inverſo, ac veluti convulſivo inteſtinis communicato. 137
Lienis munere læſo, ideò ſanguis incraſſatur, quia rectè conſtituto maſſa cruoris attenuatur. 176
Lypothymiæ cauſæ diverſæ, & quæ intus extraque paroxyſmum. 96
Lypothymia à cibo ob laſſitudinem fibrarum Ventriculi. 102
A particulis acido ſulphureis naturali labore revolutis. ibid.

M

MAcies totius corporis ob ſanguinis vacuitatem, ex eo, quod chylus in motu ſuo ſiſtitur, ſtagnatque in glandulis meſenterii. 163
Melancholia ſua virtute adſtrictoria ſanguini craſſitiem tribuit, uti & lympha. 114
Melancholici inquieta, ac indeſinenti cogitatione plurimos conterunt ſpiritus, unde humores dulceſcunt: hinc lien, glandulæque omnes, quibus nervi multi implantantur, ſpiritibus viduatæ aciditatem contrahunt. 113 114
Melancholia læditur ratiocinatio, læſa imaginatione. 114
Melancholicorum cerebrum à ſanguine nimia auſteritate reſtricto, vel paucos, vel nebuloſos prolicit ſpiritus. ibid. 154
Melancholia per ſomnum inducitur ob rationis inadvertentiam, quæ impreſſas nequit delere ideas. ibid.
Melancholia hypocondriaca, cum chacheſia, ac principio hydropis ob imminutam bilis quantitatem, unde acidum exuberans debita inteſtini duodeni fermentatio non peragitur; hinc ſanguis inconfectus ad univerſum corpus delatus, partes nec calore foventur, nec eorum fermenta reparantur; idcircò ſanguis hydropicam dyatheſim nactus affert ſymptomata enumerata. 159
Mentis imminutæ, & quaſi abolitæ operationes, ob laxitatem fibrarum à cerebri concuſſione productam. 103
Mens aberrat exhauſto memoriæ promptuario. 116
Menſium fit ſuppreſſio, eò quod ſubtiliores particulæ ad caput transferantur, atque ſpiritus diſſipentur, ita ut ſanguis attenuatione deſtitutus nequeat Uteri vaſa permeare. ibid.
Morboſa renum conſtitutio quomodo propagetur in filios. 189
Motus impotentia à ſeroſo decubitu primò circa cerebri corticem, dein intra meduloſa clauſtra, atque ultimò in nervoſum genus ſpirituum emanationibus fores occludente. 98
Motus convulſivi, unde habeant immodicam illam enormem virium energiam. 101
Unde exploſivam nanciſcantur materiam. ibid.
Quæ ſit ſubſtantiæ componentis natura. ibid.
Quomodo hæc elaboretur. ibid.
Quibus viis maſculorum ingrediatur ventres. ibid.
Qua ratione adeo mira celeritate, validoque conatu in actum proſiliat. ibid.
Quibus explicatis clariſſimè patet tumor ſubſultus, atque contentio muſculorum. ibid.
Prædicta verò Materies quæritur à triplici fonte; prima à ſpiritu animali indolis alkalicæ; altera à ſanguine nitro ſulphurea; tertia à triumvirali humore nitro ſulphureo. ibid.
Motus convulſivi à maximo calore, atque ingenti frigore. 101. 117.
Motus convulſivi, aucta urinarum copia, minuuntur. p. 27. Quo ritu hæc urinoſa materies derivetur in renes. ibid.
Motus timorem infert, ob paucitatem ſpirituum, qui in confuſionem aguntur. 154
Mucus inteſtinalis ab efferveſcentia bilis attenuatus, & inflatus reſolutus, ventroſos promovet rugitus. 149

N

NAuſea, ac inapetentia ciborum inducitur, ex eo quod Ventriculi fibræ nimis laxatæ ad eam corrugationem non reducunrur, quæ eſt neceſſaria ad famem excitandam. 137
Nervis circa cor ſpaſmodicè affectis, ſanguis inordinato motu percellitur, & per conſequens febris producitur. 117
Nervoſus ſuccus, quos præſtet uſus in naturali æconomia. 98
Nervoſi ſucci depravationis origo, & via qua ducitur ad concitandos motus convulſivos. 175

O

OBſtructo liene à reſtricta ſanguinis maſſa, humor acido-ſalſus producitur, qui, media ſtagnatione, concepto calore, ſummè volatilizatur, nervorumque ductu ad cerebrum porrigitur, & fit epilepſiæ cauſa. 154. 155
Obſtructiones venarum meſenterii tam lactis, quàm ſanguinis non ſunt cauſæ affectionis hypocondriacæ, hæ namque putredinem inferrent; illæ diſruptæ hydropi materiem ſuppeditarent. 156
Obſtructiones hypocondriorum quomodo producantur. 195
Opiatorum uſu humores non denſantur, quin potiùs eorum acrimonia diſſolvuntur. 171

P

PAlpitatio arteriæ hypocondriacæ habetur à fermento lienis nimis evecto, & ex falſo inteſtini duodeni plus juſto volatili, in proximum cæliace ſanguinem deſæviente. 152
A ſanguinis regurgitatione in arteriam cæliacam. 133
Ab arteria ſubtus habente partem obſtructione duratam, quæ cum motui ſuo reſiſtat, hujus vis tota dirigitur in partem exteriorem arteriæ. ibid.
Palpitatio pendet à ſanguine, qui accenſionem in corde non patitur; hinc cor aggravat, ſuaque gravitate irritat. 175
Pectoris anguſtiæ à ſanguinis retardatione, & mora intra vaſa Pulmonum ſpiritibus circularem ſanguinis motum non promoventibus. 116
Pituitæ inteſtinalis lentor, aut craſſities, debetur paupertati ſpirituum, auctæ glandularum aciditati, nec non ejuſdem craſſitiei. 183
Paralyſis ab impotentia ſpirituum, materiei vitio, quæ ſordida nimis, vel maturitatis expers, animalem geneſim nequit perennare. 110
Prudentiæ famulator humor dulcis, acido-ſalſus, qui nervorum commeatu ad cerebrum delatus ſpiritus animales exacuit; unde à liene mentis acumen, & ſagacitatem proficiſci vulgo fertur. 151
Pulſatio Ventris, quæ ad pectus, & ad os ſacrum perextenditur, eò quia vaſa ſanguifera, prædictis partibus inſervientia, nervis conſtringuntur, à prurigine bilis in contractionem excitis. 150
Pulmones in ſcalarum aſſenſu ægrè moventur ob cruditatem ſanguinis, quare ſi cruor ita diſpoſitus à motu citaciori in cordis ſinu ſolito plùs urgeatur, quia ſtatim totus non egreditur, ideò pulmonum nixu, & crebra agitatione opus eſt, quo foras exantletur. 174

Q

QUare dolores exacerbentur à Chlyſteris evacuatione. 171
Quomodo obſtructionem pariat ſanguinis efferveſcentia. 169

R

RAtiocinatio læditur viciato ſpiritu animali. 106
Cerebri fibris variis imaginibus impreſſis, atque contrariis motibus impetitis. ibid.
Renes quomodo diſponantur ad hunc potiùs humorum ſuſcipiendum, quàm alium. 188
Rene affecto, alteri intercipitur ſerum, vel nervis circumligatis arteriis, vel per conſenſum utroque rene contracto. 156
Reſpirandi difficultas ratione fibrarum Ventriculi, quæ nimis divulſæ ſanguinis motum nequeunt promovere. 143
Rerum aſcenſus, deſcenſuſque cum aliquo ſenſu doloris relabentium ſuprà, infraque eſofagum; modus, & ratio explicatur. 152

S

SAlium incurſionibus acidi, & alkali; Vertiginis motus explicantur. 109
Et hoc facili negotio conſideranti naturam humoris melancholici; atque ſpirituum animalium, quorum una eſt acida, altera alkalica. ibid.
Salſum inteſtinale nimia volatilitate donatum chylum inficit, ac potentiſſimè ſolvit, qui ad cor delatus, ibi magis attenuatur, adeout in cerebro facili nego-

tio in ſalſam deſtillationem faceſcat. 118
Salſa deſtillatio fit ex particulis acido-ſalſis in aqua ſolutis. 128
Sanguinis motus provenit à ſalſo volatili rectè conſtituto. 104
Sanguinis miſſio in apoplexia, nimio ſero obruto, oppletoque cerebro, ibid.
Sanguis ſi copioſior, quàm par eſt, effluxerit, reliqua cruoris maſſa depauperatur, quare fermenta partium enervantur, utpotè quæ à ſanguine rectè conſtituto foventur, hinc animali everſa œconomia, maſſa ſanguinis vim ſuam fermentativam ammittit, atque in laticem aquoſum pervertitur, qui dyatheſim hydropicam inducit. 123
Sanguis melancholicus aciditate, qua pollet, chylum inficit. 153
Sanguis acrimonia ſalina exaſperatus corpus depaſcitur. 161
Sanguinis maſſa licèt acri ſulphureo permixta; attamen ſuperante acido veram ſolutionem non patitur, quin potius maſſa conſtringitur, unde cruor minus idoneè in vaſis circulando, portiones illius ſpleni adhærere coguntur, quæ paulatim congeſtæ obſtructionem gignunt. 151
Sanguinis turgeſcentia obſtructionem gignit. 169
Sanguinis viſcoſitas, & lentor originem ducit à pituita inteſtinali calore aeris, motu, & nimio potu aquæ fluxibili, & tenui reddita, ut facilè potuerit per vaſa lactea ſanguinis maſſam ingredi. 178
Sanguinis miſſio, ſi vires permittunt, fluente alvo convenit, quatenus ſanguinis diſgregationem inhibet. 165 166
Sanguis mingitur reſerata renum ſubſtantia, præceſſo calculo facta pororum dilatatione. ibid.
Senſus communis agendi, modus, ſedes, & uſus. 106
Senſus quo ritu peragatur. ibid.
Senes acrimonia ſalina exaſperantur, quia ſpiritu balſamico viduati, corpora ſalina efferuntur. 153
Senes acri prurigine exaſperantur, eòquia perſpirabile, acri volatilitate affectum, diflari prohibetur. ibidem.
Seminis effuſa liberalitate, fermenta partium auferuntur, quibus univerſum corpus vitalizatur. 141
Seminis copia laſſitudinem inducit, eò quia ſanguinem per ſeminale effluvium ad talem turgeſcentiam inducit, ut plenitudinem conſtituat univerſo corpori gravoſam. 119
Semen acri ſucco perfuſum, ſi interpoſito fluxu intra urethram guttatim extillet, nullam efficit ſenſationem. 185
Serum ex ſanguinis attenuatione gignitur. 104.142
Fuſiori ſtylo. 158
Spiritus animalis indolis alkalicæ acidos nactus humores, inordinatè efferveſcendo, motus parit convulſivos. 101. 102
Spiritus animales à timore in confuſione acti, pori, ac meatus cerebri conſtringuntur, unde nervorum reſolutione in viſceribus facta, præcordiorum, ac arteriarum motus fatiſcit, hinc ſanguis intra cordis ſinus coagulatur, unde fermenta partium non excitantur pro chyli, & ſanguinis elaboratione, atque ſanguis ita concretus gravitat in organis reſpirationi dicatis, hæret uteri venis, nec ſuccum ſibimet infuſum ritè fermentat, ſed in laticem aquoſum abire ſinit. 130. 131
Spiritu diſſipato, ſalinæ, ac ſulphureæ particulæ exaltantur, ex quibus unum acre conficitur, per quod tota ſanguinis maſſa acredinem concipit. 138
Spiritu diſſipato, animali ſcilicet, non excitatur fermentum Ventriculi, ideòque multæ cruditates congeruntur. 146
Spirituum copia audaciam gignit, inopia timorem. 128
Spiritu diſſipato ſanguinis maſſa conſtringitur, 177. 184
Sitis exacerbatur tum lingua, tum ventriculo utraque humiditate depaupertatis. 136
A bilis efferveſcentia intra duodenum, quæ ſalina contagione palatum inficit. ibid.
A ſanguinis craſſitie, itaut nequeat ſalivares glandulas permeare. ibid.
Stomaci languores perſentiuntur, ſpiritibus animalibus tramite intercluſo, timoris vi compreſſo nervorum principio. 154
Stomaci fermentum aquarum largo pota dilutum, ac ejuſdem indolis ſanguine præterfluente debilitatum; alimenta in Ventriculo in mucidam degenerant putrilaginem, unde oritur inapetentia, & cibi faſtidium. 131
Sudores nocturni ſtomacho, & ſanguini tribuuntur. 181
Syncope corripiuntur, quoties ſuccus pancreaticus auſterior factus conſiſtentiam tribuit ſanguini firmiorem, ac ſolidiorem, quàm ut debitè ſatiſque poſſit rareſieri, 160

T

Tabes dorſalis à congeſto ſucco nerveo intra nervorum inter capedines. 186
Teneſmi cauſa, quæ inteſtinis adhæret, pituitæ inteſtinorum, auctæ tribuitur craſſitiei. 183
Timoris vi compreſſo nervorum principio, ſpiritibus animalibus interjcluditur via, unde ſtomaci, & cordis languores perſentiuntur. 151
Timore affectis, nervi conſtringuntur, quare animali ſpiritu repercuſſo cerebri clauſtra irrumpit, ibique inordinato motu cietur, unde oritur vigilia, mortiſque metus, ex imaginatione depravata. 151
Timor eſt decurtatio animæ ſenſitivæ. 157
Dignoſcitur ab Anima, idearum uſu. ibid.
Tremor totius corporis, ab acri ſuperſtiſte ſero, in confectione ſucci nervoſi, quo unà cum ſpiritu in nervos tranſgreſſio, animæ ſyſtatis tota ſuccutitur; vel ab inordinato ſpirituum motu, qui in nervos impetu facto, partes ſuo pondere deiciuntur. 158
Tumores muſculorum Ventris dignoſcuntur, ex lævi tactu, muſculorum ſitu, virium conſtantia, concoctionum integritate, ac præhabita cæterarum partium curatione. 161
Cauſæ deducuntur ab inanitione hypocondriorum, quorum culpa igneo ſalino evolante ſpiritu ſanguis frigeſit, quare ſuo motu deſtitutus in tumorem denſatur. ibid.
Ni mavis dicere fuſam præcedenti pharmaco materiem in hypocondriis conſtringi. ibid.

V

Ventriculus habituali ſicitate depaſtus, non ſecus ac pulmo ulcere confectus, indeſinenter excitat febrem. 162
Ventriculus frigidus plus apetit, quàm concoquat, quia in Ventriculo frigido fermentum acido-ſalſum majori polet aciditate. 153
Vertigo à ſeroſis incurſibus, temporum genio indulgentibus; quare prima ætate copia tantummodo peccant, vergentibus annis plus juſto craſceſcunt. 99
Violenta ſpirituum animalium circumrotatio muſculari machinæ motus inhibet. ibid.
Vertiginis cauſæ, vel reſilitio, vel ſpirituum interceptio, 100
Vertigo ab intercepto ſpirituum animalium motu. 175
A lienis impuritatibus in ſuis ſtagnationibus ad volatilitatem elatis. ibid.
Ob impuritatem ſpitituum, itaut nequeant inter ſe continuari. ibid.
Vires concidunt, quia ſanguis per humidum aerem, & potum reſolutus, ſpiritus nequit in ſua ſtatione detineri. 128
Vomitio quo pacto concitetur. 95
Vomitus identidem recurrit, quoties infigitur, vel infixa materies transfunditur. 146
Vomitu, & ſingultu culpatur diauphragma, quatenus neque ſpontanea, neque artificioſa evacuatio inverſam naturæ legem ademerit. 146
Urinæ lacteæ excernuntur, renum, & ſanguinis vitio. 179

F I N I S.

NOVUM SYSTEMA
MEDICUM
EX UNITATE DOCTRINÆ
Recentiorum, & Antiquorum.

BENEVOLE LECTOR.

Q*Væ olim unica principiorum devecta quadriga, obſcuraque qualitatum occultarum nube velata apud Seniores tutè per ſæcula perexit Medicina, Neothericorum indè labore, ac induſtria meliores induta veſtes, noviſque confidens ſedibus, vultuque ad clariorem, nobilioremque majeſtatem aptato fœlicior, ac utilior mox per annos proceſſit. Variæ attamen hæ Medicinæ facies, ac apparatus ipſam, ita inter ſe diverſam apud hæbetiores repræſentarunt, ut ipſis non meliorem, ſed novam ac inauditam Philoſophandi, & medendi methodum ediſcere, viſum fuerit, inoſpitamque ac inviſam provinciam vel novitate perterriti recuſarint, vel male judicata ad uſum practicum inertia, impudenter ſpreverint; hinc nova Saniorum inventa, theoremata, ac placita tamquam deleteria, & toxica traduxerint. Hujuſce rei cauſa non multis ab hinc annis tibi traddidi (Amice Lector)* Iridem meam febrilem *Antiquorum ſententias cum Recentiorum dogmatibus pacifico fœdere ſociantem, ut pro rei veritate quicumque Artis amator, non in rerum ſubſtantiis, primiſve, ſolidiſve indicationibus diſconvenire perſpiceret, ſed in hoc tantùm, quod hi rerum naturas, cauſarumque motus ſenſibus magis aperirent, ut clariùs ac tutiùs ultimum finem in praxi Medicus attingeret; illi verò caliginoſa quadam Metaphyſica genuinas morborum ideas reconderent; ideòque difficilior, ac incertior uſus Artis evaderet.*

Quod ut ita ſe haberet oſtenderem Studioſorumque juvenum animos tutam aſſequi methodum nitentes hoc ab errore vindicarem, Libellum *& alium exhibui* de Methodo medendi febres juxta principia Acidi, & Alkali; *cujus etiam cauſa paucos poſt annos* Conſultationes meas practicas ad ſaniorem ſæculi mentem *extricatas ſubdidi.*

Quæ omnia cum Tu humaniſſimo excepiſſes animo Benevole Lector, anſam mihi dediſti, ut continuò in id incumbens, non laudi meæ, ſed utilitati tuæ ſtudens, novos impenderem ſuaviſſimè labores, ut ſæculis perſuaſum relinquerem, varias Antiquorum, & Neothericorum de morbis Scholas diverſimodè in aliquibus forſitan theorematibus tantùm ſentire (cùm & etiam ſecundùm potiorem eorum partem conſentientes undequaque per hujuſce mei libri decurſum manifeſtè intelligenti demonſtrem); in executione verò, & Remediorum applicatione ita unanimes eſſe, ut una, & indiviſa omnibus medendi prodeat norma; Hincque ſuadeatur quiſque bonarum artium ſtudioſus, & præcipuè phyſicam, claram, ſtabilemque morborum, & cauſarum ſcientiam anhelans, ut eam deducendi amplectatur formam, quæ magis ſenſibus accomodatur, facilioremque ad præſcriptum finem viam ſternit, cùm hoc non ſit rerum eſſentias, ac paſſiones innovare, ſed meliùs penetrare, intelligere, ac exprimere.

Syſtema itaque hoc meum, quod tibi in præſentia offero, in hoc unum totum nititur, ut quamplurimùm ſenſus conformitatem in doctrinis, ſemper actionis unitatem in fine inter elapſos, & præſentes Medicos inveniat, ac exhibeat. Quem finem ſi me aſſecutum cognoveris Lector, bono tuo, & Ar-

tis plaude, & laboribus meis (mecum gratulabor) fruere; inania, ac verboſa detrectans diſſidia, quibus cœca ingenia diſtorquentur, nec illuminantur: Si verò me ex voto ad id non deveniſſe, videris optimam ſaltem animi mei ſollicitudinem grato excipe corde, hacque occaſione fretus ſtudio tuo, quod & ego hùc uſque tentavi, ad pacificam Artis utilitatem aſſequi tu nitere.

De hoc attamen te monitum volo me potiùs Auctorum innuiſſe, quàm retuliſſe ſententias multiplici de cauſa; tunc ne nimia ſcribendi prolixitate patientia tua abuterer, tum quia te has optimè calentem alloquor, denique quia apud eorum Patronos me juvente fuſiùs perlegi poſſunt. Hoc, & unum ſcias Opuſculum hoc meum innumeras inter Sæculi calamitates, aſſiduas inter domeſticas ærumnas, continuos inter morboſos corporis mei cruciatus, quibus ſeptem ab hinc annis indeficienter lecto affigor, enatum eſſe; idcircò, ſi meliorem omnem non induit ſpeciem, ne mireris? Infirmi hominis opus eſt. Firmum verò utilitatis, ac comodi tui mihi ineſſe deſiderium agnoſce, cui præcisè parens huic Syſtemati operam dedi, & cui numquam reluctaturus aptiorem in modum ſecundum mearum Conſultationum Volumen *poſtmodum tradam, ſi clementior, & longior ætas permittet.*

Interea laborem hunc meum, ut ſoles, placido, gratoque oculo ſolare, & ſi quid animadverſione tua dignum in doctrinis, aut in remediis (quorum mihi major cura fuit) exhibebit, utere: ſin verò nihil, quod delectet, erudiat, aut proficiat, invenies, optima ſaltem hac mea cupidine contentus acquieſce, & vale.

A D

AD ILLUSTRISSIMUM VIRUM.

POMPEUM SACCUM

NOVUM SYSTEMA MEDICUM.

Quò pax inter Antiquos, & Recentiores firmatur, edentem.

QUantum longa ſuis debet Medicina Magiſtris,
Tantum SACCE tuo debet & ingenio.

Antonius Bulſius
Patritius Parmenſis.

POMPEO SACCO

VIRO GENERE, ACTIS, ET SCRIPTIS PRÆSTANTISSIMO.

Præſens Syſtema Typis mandanti.

PRæteritis Medicis POMPEE par omnibus unus,
Cum facis unanimes, Unus, & Omnis eris.

Ludovicus Sacca
Patritius Parmenſis.

AD EUNDEM

Librum hunc inter longas adverſæ valetudinis ærumnas ædentem.

ÆGræ jaces? & adhuc tam docta volumina ſcribis?
Si ſtares ergo, SACCE quid efficeres?

Bartholomeus Bucius Parmenſis.

INDEX

INDEX
SECTIONUM, ET CAPITUM TOTIUS OPERIS.

SECTIO I.

De Facultate naturali. pag. 204

CAPUT PRIMUM.

De Facultate Naturali in genere. pag. 204

CAPUT II.

De Appetitu Famis, & Sitis, in quo conſiſtat, & quomodo excitetur. pag. 204

CAPUT III.

De præparatione Alimentorum in ore, & Ventriculo. pag. 206

CAPUT IV.

De Præparatione maſſæ Chyloſæ in inteſtinis. pag. 213

CAPUT V.

De loco Generationis ſanguinis, & de principio effectivo hujus generationis. pag. 216

CAPUT VI.

De Anatomia humorum, vel Maſſæ ſanguineæ à Natura intra Corpus humanum peractæ, & primò de Bile. pag. 217

CAPUT VII.

De Succo Pancreatico. pag. 226

CAPUT VIII.

De Saliva, & Pituita. pag. 233

CAPUT IX.

De Urina. pag. 236

CAPUT X.

De Succo nervoſo. pag. 240

CAPUT XI.

De aliis Particulis Maſſæ ſanguineæ. pag. 241

CAPUT XII.

De Nutritione, & Augmentatione. pag. 249

CAPUT XIII.

De Facultate Generativa. Quid ſit, & quænam ſint ejus principia, & quomodo fiat. pag. 257

CAPUT XIV.

Quomodo lædatur generatio vitio ſeminis Virilis, & Fœminei. pag. 259

SECTIO II.

De Facultate Vitali, & de Reſpiratione, & Uſu Pulmonum. pag. 265

CAPUT I.

Quomodo fiat Reſpiratio, & Expiratio. pag. 266

CAPUT II.

De Corde, & ejus Facultatibus. pag. 269

SECTIO III.

De Facultate Animali. pag. 272

CAPUT I.

In quo conſiderantur Cerebri ſubſtantia, Spiritus, Nervi quatenus ſunt Organa Facultatis Animalis. pag. 272

CAPUT II.

De Senſibus Externis in Genere. pag. 274

CAPUT III.

De Senſu in particulari, & primò de Viſu. pag. 275

CAPUT IV.

De Auditu. pag. 279

CAPUT V.

De Senſu Odoratus. pag. 280

CAPUT VI.

De Senſu Guſtus, & ejus Morbis. pag. 281

CAPUT VII.

De Organo Tactus. pag. 283

CAPUT VIII.

De Senſibus internis, & primò de Somno, & vigilia. pag. 284

CAPUT IX.

De ſenſu interno, & ejus læſione. pag. 287

CAPUT X.

De Rationis, & Memoriæ læſione. pag. 289

CAPUT XI.

De Facultate loco motiva. pag. 290

FINIS.

NOVUM SYSTEMA MEDICUM.

PRÆFATIO.

Difficultates emergentes in explicandis Cœli Phœnomenis juxta principia ſtabilita ab antiquiſſimis Aſtronomis, impellerunt poſteros ad excogitandum unum Syſtema, ex cujus poſitione, cum majori intellectus acquieſcentia omnia in Cœlis de novo apparentia explicarentur, & Planetarum motus inordinati declararentur. Ad hanc neceſſitatem ad quam præteritis ſæculis redacta fuit Aſtronomia, mihi videtur noſtro hoc ſæculo perveniſſe Medicinam, cui ſi debet in tot rebus pretioſiſſimum augmentum, ab eodem tot controverſiarum, & diſputationum tam in Theoricis, quàm in Practicis moleſtiam perſentit, itaut in omni parte conſciſſa, & diviſa potiùs miſerationem exigat, & pietatem, quàm gloriam. Tantæ enim inſurrexerunt ſectæ diverſis ſtabilitæ principiis, ut tota hominis vita brevis videatur ad ſolam illarum cognitionem acquirendam, quod ſi in earum veritate eſſet elaborandum, ex comparatione unius cum altera, & in ponderatione veritatis propoſitionum, axiomatum, & principiorum deſideranda eſſet Neſtoris ætas, ad cujus finem perveniremus ſine deſiderato incæpti laboris præmio. Hinc pro hujus facultatis incremento, & Profeſſorum utilitate, necnon pro univerſi bono optimum judicavi, & neceſſarium, ex publicatis ſectis unum peculiare Syſtema conſtruere, à quo via apperiretur ad demonſtrandam in medicis Principiis veritatem, & ad conſequendum facili Methodo ſuum principaliſſimum finem. Ad hoc collimat hujus operis intentio, quod ſi perficere datum fuerit, gloriabor publicæ utilitati inſerviſſe, & hanc gloriam agnoſcam à Patre luminum, à quo intellectus humani reguntur, eique tamquàm ſuam humillimè conſecrabo.

Pro hoc exequendo mihi propono medicinæ, finem atque meditatum Syſtema ad hunc conſequendum dirigam, non ad ponderationem ſingularum ſententiarum, quæ in medicina proponuntur. Finis enim ſicut omnes ſcientias, & facultates ſpecificat, ita etiam media ad ſui conſecutionem proportionata determinat: & quia Medicinæ finis eſt ſanitas, & ſanitas eſt diſpoſitio, per quam operationes integræ in humano corpore redduntur; hinc mihi videtur intentioni meæ ſatisfacturum eſſe, ſi in apertum ponam quomodò operationes hæ integræ reddantur, patefacto principio, à quo emanant, & declaratis omnibus conditionibus requiſitis ad earum integritatem eliciendo poſtea, quomodò lædantur cum ſanitatis læſione, & morbi origine; cùm morbus non ſit niſi læſio operationum, & ita, vel ex læſo principio, vel ex deficientia alicujus conditionis, vel ab alia non requiſita ſuperveniente, elicietur vera indicatio curandi, & introducendi ſanitatem amiſſam; vel recuperatam conſervandi, & ſi in hiſce conſequendis impoſſibilitas emerget ex evidenti ſententiarum contrarietate, conabor demonſtrare omnes ad finem Medicinæ ejſdem mediis cum principiorum diverſitate collimare, quod ad hujus Syſtematis integritatem, & veritatem contribuet, cùm ſit directum ad ultimum Medicinæ finem conſequendum per vera media. Dum in hoc elaborabo omni affectione pro aliqua ſententia me ſpoliabo, & in qualibet eligenda veritatem ſolùm quæram, & quia omnes noſtri Corporis operationes redducuntur tamquam ad prima Principia, ad tres decantatas facultates naturalem, vitalem, & animalem in hiſce explicandis totus ero, proponendo ſententias magis receptas, & eas eligendo, quæ veritati, & experientiæ magis conſonæ erunt, & has ad exoptatum Medicinæ finem dirigam ab iiſdem etiam mutuando lumen ad inquirenda media pro tanti finis conſecutione, cum quo comparando ſingulorum ſententias, ſpero etiam, quæ videntur in Theorica diſcordes, in hujus finis conſecutionem concordes eſſe, demonſtrare.

Ordo hujus operis erit. Primò operationes facultatis naturalis patefacere: Secundò vitalis: Tertiò Animalis: Unde ſit.

SECTIO I.

CAPUT PRIMUM.

De Facultate Naturali.

NOn intelligo hic facultatem naturalem, quatenus eſt animæ potentia, à qua nutritio, augmentatio, & generatio, quæ ſunt facultati naturali ſubordinatæ emanant; libenter enim intellectum meum Sacroſanctæ Eccleſiæ determinationi ſubiicio ſancienti animam rationalem eſſe formam totius, & tamquam formam omnes operationes Corporis efficere reijciendo in hoc Carteſii ſententiam, qui omnes operationes in noſtro Corpore effectas excepto intelligere, per ſolam corporis texturam explicat: Verùm hic, ut dicebam, non conſidero facultatem naturalem pro potentia animæ, quia eam conſidero, pro ut ſubiectam arti medicæ, à qua anima cum ſuis potentiis eximitur ratione ſuæ ſpiritualitatis; unde ſub hac conſideratione cadunt ſolùm organa, & inſtrumenta, quibus utitur anima pro exercitio facultatum naturalium, & quorum ipſa eſt actus, juxta definitionem animæ, quæ eſt actus Corporis organici potentia vitam habentis, & cum tali connexione anima tamquam actus Corpori organico unitur, tamquam materiæ, ut ſine iſto non poſſit humanas operationes exercere, nec Corpus organizatum ſine illa vivere. Corpus autem ſolùm Organizatum, vel iſtius organa animæ operationibus inſervientia ſola poſſunt eſſe obiecta medicinæ, dum eis læſis læduntur operationes, & eis benè conſtitutis perfectè eduntur; Medicina autem ſuo artificio, & remediorum inventione organorum depravatam conſtitutionem poteſt corrigere, & perfectam conſervare; idcircò medici munus eſt organa ſolùm hujus facultatis conſiderare, non potentiam iiſdem utentem; quare in genere poſſumus, ſecundùm ſenſum prædictum definire facultatem naturalem pro recta diſpoſitione Organorum corporis nutritioni, augmentationi, & generationi inſervientium unà cum materia proportionata ab ipſis organis diſponenda, ex quo elicitur facultatem medicè conceptam, non eſſe niſi organum, cum omnibus ſuis requiſitis, & conditionibus diſpoſitum, & materiam.

Organa facultati naturali inſervientia ſunt plurima, Ventriculus alimenta concoquens, Inteſtinum duodenum cum fluxu bilis, & ſucci pancreatici, quorum miniſterio fœces alimentorum à parte magis defœcata ſegregantur. Tertiò Venæ lacteæ, & glandulæ Meſenterii, illæ pro deferendo Chylo, iſtæ ad majorem illius volatilizationem inſerviunt, Ultimò ſanguis, cui miſcetur Chylus, & cor in quo purpuram perfecti ſanguinis induit, & hæc ſunt organa materiam pro nutritione, & augmentatione præparantia quibus additur à nonnullis os, dentium ope cibos triturans, & ſalivam, cum eis miſcendam ſubminiſtrans.

Materia hæc præparata magis diſponitur ad reparandum quod deperditum eſt, in quo conſiſtit nutritio, & ad augendum præexiſtens, effectus formalis augmentationis, à peculiari fermento, ſeù temperamento, & textura cujuslibet partis; idcircò quælibet pars eſt organum nutritionis, & augmentationis, præbendo materiæ jam aliundè præparatæ, ultimam diſpoſitionem, per quam determinatur ad converſionem in ſubſtantiam ſimilem parti diſponenti; Ideò dicebat Hippocrates, quilibet muſculus ſuum habet ventriculum, quia ſicuti ventriculus habet principium, ſeù fermentum, ſeù temperamentum alimenta concoquendi, vel fermentandi, ità quilibet muſculus habet principium, quo materiam præparatam ita diſponat, ut in ſui ſimilitudinem convertat.

Modum operandi horum organorum in ſequentibus inveſtigabimus, præmittendo priùs inquiſitionem appetitus famis, & ſitis, qui præcedit alimentorum aſſumptionem, poſteà ad generationem deſcendemus, hoc ordine ſervato, & ita tractatum de facultate naturali, explebimus, quæ verſatur circa individui conſervationem, & circa propagationem ſpeciei, operationes effectivè tributæ animæ vegetativæ eminenter contentæ in anima rationali.

CAPUT II.

De Appetitu Famis, & Sitis, in quo conſiſtat; & quomodò excitetur.

ARiſtoteles definivit appetitum famis, eſſe appetitum calidi, & ſicci, quæ definitio non videtur in totum verificari, ſi conſideremus ſiccum actu, & potentia; nam herbæ, & fructus, quibus major plebis veſcitur, licèt corpora ſolida, ſunt tamen in potentia humida, cum maximo turgeant humore manifeſtato in ſuccis à prædictis ſubſtantiis expreſſis, excedentibus portionem ſubſtantiæ ſiccæ ad earum compoſitionem concurrentis; ideò intelligenda eſt definitio de ſicco in actu, hoc eſt ſolido, potentia verò humido, quia ſolidus cibus debet per ſe in humorem fluvidum fundi pro nutritione; ideò humido potentiali abundare debet; ita prædictæ herbæ, & fructus, ſi in frigiditate ratione temperamenti excedant, famem ſedant, ex quo videtur, famem non eſſe appetitum calidi, & ſicci; tollitur tamen inſtantia ſtabiliendo Ariſtotelem, loqui de calido in potentia, quia alimentum debet in humorem calidum converti, ut calor partium, cum ſui appoſitione in nutritione conſervetur, in omni verò mixto etiam temperamenti frigidi, adeſt portio caloris, quæ præcipuè inſervit ad ſuſtentandum calorem influentem ſanguinis.

Sitim verò prædictus Philoſophus definivit per appetitum frigidi, & humidi, in qua definitione videtur etiam erraſſe, ut patet ex ſiti naturali, per quam appetimus aliquid, vi cujus cibus ſolidus poſſit ſolvi, elixari, & in ſuccum abire, hoc autem ab humido fluxibili, etiam calido habetur, unde nulla eſt neceſſitas frigiditatis, quod experimur etiam ſi ſitientes aquam, vel vinum calidum bibamus; nam per iſta ſitis ſedatur, verùm tamen tollitur impoſitus error, ſi conſideremus cum ſiti coniungi caliditatem, quia ſitis conſiſtit in ſicco, & ſiccitas à calore, humidum diſſolvente introducitur, & hoc modo alimenta in ventriculo ſitim excitant ſua fermentatione, à qua calor efficitur humido fibrarum ventriculi occaſionem præbens, ut exſiccetur, & ita oritur appetitus frigidi, & humidi, & in hunc ſenſum locutus eſt Hippocrates in libro de victus ratione num. 18. ubi reddendo rationem, quare panis calidus ſitim inducat, ait, quia caliditas conſumit humiditatem, & ſiccitatem efficit.

Videtur etiam definiri poſſe famem per appetitum ſolius ſicci actu, quatenus ſiccum ſoliditatem quamdam, & compactionem importat, à natura in cibo requiſitam, ut partes ſolidæ corporis à tali cibo firmitatem acquirant, & ita laboribus, & exercitiis reſiſtant, & ſi à natura infantes ſolo lacte proviſi fuerunt, id factum fuit, quia eorum fermentum ventriculi non eſt ita efficax, ut ſolvere valeat ſolida, & fibræ ejuſdem præ nimia humiditate, in prædicta ætate exuberante adeò ſunt laxæ, & teneræ, ut pondus, & inæqualitatem ſolidorum ciborum ſine moleſtia ſuſtinere nequeant.

Sitis verò natura, & eſſentia, conſiderata præcisè in ſuo conſtitutivo, quod eſt ſiccitas, ut patet in ſiccitate linguæ, & faucium moleſta, in ſiti valdè emicante, rectè poteſt exprimi per appetitum ſolius humidi, comprehendendo tàm actuale, quàm potentiale, cùm obſervemus utrumque ſitim extinguere, quòd & ſi quis vellet humidum ſolùm fluxibile à ſitiente appeti, & ſi ſolida humida ſitim extinguunt, hoc non facere, niſi quia per maſticationem exprimitur à ſubſtantia ſolida ſuccus fluxibilis actu, & cum hoc ſitis extinguitur, non contendam quamvis humidæ particulæ fluxibilitatem non adeptæ, poſſint etiam concurrere ad ſitis extinctionem.

Quomodò autem fames excitetur communiter ab antiquis ſancitum fuit pendere à corrugatione quadam orificii ſuperioris ventriculi, & hanc corrugationem oriri à ſuctione reliquarum partium corporis, quæ cibo indigentes, ſeu potiùs alimento pro ſui conſervatione humores ad ſe trahunt, donec iſta attractio per partem, poſt partem, terminetur in membrum præparans alimenta,

menta, quòd eſt ventriculus ſecundùm ſuam internam cavitatem, in qua ſi nihil reperiatur, ab illa attractione, & ſuctione fit corrugatio fibrarum nervoſarum ſui orificii ſuperioris, in qua conſiſtit fames. Ab hac ſententia diſceſſerunt recentiores ex una parte; corrugationem enim, & vellicationem moleſtam ſubſtantiæ membranoſæ admiſerunt cum Hippocrate lib. de flatibus num. 2. ubi ait quare, ubi fames moleſtat, morbus fit, quidquid enim homini moleſtiam, ac triſtitiam infert, hoc morbus vocatur, ex quibus verbis deducitur Hippocratem velle famem ab aliquo moleſtiam induvente oriri. Cauſam verò hujus corrugationis, vel moleſtiæ acido-ſalſum quoddam eſſe voluerunt, cujus mordacitate vellicatæ membranæ ventriculi corrugantur, & à corrugatione cum moleſtia fames excitatur, & in hoc ſecuti ſunt Galenum, & ejus ſequaces ſancientes acidum quoddam per vas breve à liene in ventriculum transfundi, ad prædicti appetitus accenſionem; ſed quia obſervarunt Recentiores ſtabilito circulationis ſanguinis principio impoſſibile eſſe à liene per vas breve venoſum, acidum quoddam deferri ad ventriculum, cùm venæ nihil deferant ad partes, ſed revehant, quod ſuperabundans eſt in partibus, ideò conſtantes in ſententia Galeni ab acido-ſalſo volatili famem excitari excogitarunt, unde hoc acidum proveniat; Aliqui cenſerunt ab arteriis in cavitatem ventriculi ſeroſam aciditatem transfundi: Alii præparari in glandulis ſubiacentibus membranæ villoſæ ejuſdem ventriculi: Alii à reliquiis alimentorum in ventriculo remanentibus, & acidis per fermentationem factis voluerunt hoc acidum ſubminiſtrari, eo modo quo fœces vini in fundo dolii, & paſta calori expoſita per fermentationem aceſcunt; Alii cenſerunt acidum hoc ventriculi nihil aliud eſſe, quàm ſalivam in ventriculum delapſam, ibique ope fermentationis aciditatem occultam in ea latentem foras tranſmittere, ut manifeſta evadat. Quidquid ſit de hiſce opinionibus circa cauſam acidi illius ad ventriculum tranſmiſſi, vel in eo geniti, certum eſt apud omnes ferè Antiquos, & Recentiores acidum eſſe cauſam famis, & hoc ſufficit pro Medicina, & pro curatione aboliti, vel diminuti, vel depravati appetitus famis; nam cibi appetitus à bile ut plurimùm aboletur, ſi Hippocrati credimus, qui in lib. de medicamentis purgantibus num. 4. ſcribit commota bile, nec purgata non ſorbere vult æger, nec bibere, ſed omnia abominatur, quia bilis ſuo ſale alkalico acidum extinguit famis excitativum.

Curabimus appetitum deiectum, ſi deficiens hoc acidum renovabimus acidis remediis, quæ & bilem mortificent, & extinguant; diminutum pariter appetitum augere debemus, cum acidi augmento, & utrumque præſtabunt ſpiritus omnes acidi ut ſalis, vitrioli, ſulphuris, vitrioli Martis, ſuccus limonum, citri, ribes, berberis, agreſtæ ab omnibus decantata pro famis excitatione, ſicuti & ſalſa, quia de acido participant, & talia medicamenta acida appetitum, & famem excitantia concurrunt ad confirmationem hujus ſententiæ, quod principium famis, & appetitus cibi ſit acidum. Et quia hæc appetitum cibi excitabunt in quacumque cauſa ex prædictis ſtabilita pro acidi generatione, hinc patet non eſſe medico neceſſarium pro curatione morboſi appetitus ſcire cauſam acidi illius effectivam, ſed ſufficit, quòd noſcat appetitum ab acido-ſalſo excitari; ita ſi acidùm depravetur, ut contingit in Mallacia, Pica, & Fame canina, indicium habemus acidum ad auſteritatem declinaſſe, vel aquæ-fortis naturam induiſſe. Unde pro curatione ſufficiet depravatas cauſas hujus acidi cum aromaticis corrigere juxta Hippocratis ſententiam, vini potio famem ſedat, quod intelligendum de generoſo, & aromatico; Depravatur etiam acidum ab excedenti aciditate, ut inferiùs demonſtrabimus.

Aliquando hoc acido-ſalſum non eſt depravatum, & tamen ejus actio impeditur, ut quando à copia pituitæ adeò oblinitur membrana ventriculi, ut activitas, vel ejus actio eam afficere non poſſit, quòd ſæpiùs contingere obſervamus in pituitoſis corporibus, & etiam erroribus commiſſis in craſſo copioſo. & frequenti victu. Unde temperamenti parùm calidi conditio pituitoſa, ſaliva copioſa, & craſſa, alimentorum craſſorum uſus, & errata in horum quantitate, hanc cauſam demonſtrabunt tollendam, incidentibus, & attenuantibus, ut Oximel. Saccharin. Squilitic. Compoſit. Sal. Tartar. Vitriol. Abſinthii, cum decoc. radic. aperient. vino alterato cum abſinthio Spec. Aromatici roſ. Diambræ, & rad. Zinziberis condita. Poſt attenuationem evacuandum phlegmagogis, & pro abſterſione maiori aqua Tetutii ad plures dies uſurpanda.

Sic ubi fibræ nervoſæ ventriculi à nimio Humido laxantur, etiamſi vellicentur, fames non excitatur, ex eo, quòd ob conceptam laxitatem, corrugationem talem concipere non poſſint, qualem requirit appetitus excitandi ratio. Deſtillatio frequens à faucibus ad Eſophagum hujus cauſæ excitativum deſignabit, ſicuti præcedens victus ratio humida & frigida, & nimius potus aquæ, temperamenti conditio ſeroſa, & remedium erit Hydragogis humidum, & ſeroſam ſubſtantiam minuere, & poſtea exſiccare, cum decocto ligni Saſſafras, Lentiſci, Fruſtulis Cinamomi, Baccarum Juniperi, & Herbarum capitalium, & cum aliis Aromaticis tam ſimplicibus, quàm compoſitis; inter quæ vinum hippocraticum factum ex infuſione Cinam. ℥. 1. Santal. citr. Piper. Alb. an. ℥. 1. Macis, Galangæ an. ℨ. 5. Gariofil. ℨ. 1. Zinziber ℨ. 1. granorum Paradiſi ℥. 5. omnia contuſa infundantur in ℔. 6. vini aromatici, & ad Solem, vel ignem per ſex, vel octo dies exponatur vaſe bene obturato, & poſtea coletur. Spiritus vini eiſdem aromatibus conditus primum locum tenet in exſiccando.

Acidum in ventriculo exiſtens, vel, fixum, vel quieſcens famem non excitat, quia quieſcendo non vellicat, nec pungit membranas; Hinc eſt, quòd multi ad menſam ſedent ſine appetitu, quibus eddendo excitatur, dum à ſuſceptis primis alimentis, acidum, quod otiabatur, agitatione movetur, & motu fames excitatur, hac ratione aliquibus calida, ut ſpiritus vini, & aromata, ut piper, pro famis irritamento inſerviunt, quia acidum, vel fixum, vel otioſum, vel volatilizant, vel ad motum promovent. Actio pariter hujus acidi depravatur, ſi humori aqueo in copia coniungatur, quia debilitatur ab humido ſua aciditas, eo modo, quo illa aceti à ſuperaddita aqua enervatur. Convenit hæc actio læſa in ratione cauſæ, cum illa fibras laxante; ideò eiſdem ſignis demonſtrabitur, & remediis curabitur.

Nec tota ratio appetitus famis conſiſtit in iſta vellicatione partis membranoſæ ventriculi, confectæ ab acido ſalſo volatili; aliud enim requiritur ad perfectam formationem appetitus, & eſt, quòd ex vellicatione fibrarum nervearum in ventriculo excitatur quidam motus, ſeù paſſio in nervis, in cerebro exiſtentibus, & qui correſpondent ratione continuationis fibris nerveis vellicatis, & dicta paſſio, ſive motus impreſſus nervis cerebri transfunditur, in eam partem, in qua ſedet ſenſus communis, & hic per ſolam ſenſationem dicti motus, eiuſdemque cum omnibus conditionibus perceptionem, tamquam per ſpeciem, vel ideam cognoſcit animal indigere alimento, & in hac perceptione ſtat ratio formalis appetitus alimentorum; quare alicui obiecto intensè applicati, etiamſi ventriculus ab acido vellicetur famem non ſentimus, quia talis motus vellicationis à ſenſu communi in conſideratione alterius obiecti immerſo non percipitur; ſic melancholici in depravata immaginatione quandoque famem non experiuntur, ob intenſam applicationem hujus potentiæ circa vanas, & depravatas apprehenſiones.

Sedatur appetitus per alimenta ſuſcepta tamquàm per proprium, & ſpecificum remedium, ut adnotavit Hippocrates lib. citato de flatibus, quia acidum hiſce permiſcetur; unde ampliùs non vellicat fibras nervoſas, & à vaporibus benignis ab alimentis elevatis demulcetur aciditas illa dictis fibris impreſſa, itaut non ſequatur illa vellicationis moleſtia, quæ quandoque ex prolongato alimento in animi deliquia inducit, vel torporem quemdam vellicatis fibris inſpirat, per ſpirituum diſſolutionem à dicta vellicatione operatam, ut non ſentiatur delectatio conſueta in ſuſcipiendo alimento; ab eodem torpore etiam fit, ut ſuſtentata diù fame vellicationis ſenſus non percipiatur immotis manentibus fibris etiam vellicatis ob dictum torporem, unde ſenſus famis evaneſcit, relicto ſolùm in univerſo corpore languore, vel ab illa vellicatione attracto ab arteriis, vel expreſſo humore acidum ventriculi retunditur, & fibræ nervoſæ à vellicatione jam contractæ ab humido ſupradicto diſtenduntur. Hæc omnia admiſſo acido

acido famis excitativo contradictionem non admittunt.

Pari modo fit appetitus ſitis, dum humido deficiente in ventriculo; quia à ſuſceptis alimentis abſorbetur, fibræ nervoſæ ventriculi exſiccatæ corrugantur, tali, & determinata modificatione, & hic motus modificationis correſpondens nervis in cerebro hiſce fibris annexis,eos movet ſicuti moventur fibræ corrugatæ, & dicti nervi, in hoc motu, movendo ſedem immaginationis, vel ſuâ ſubſtantia, vel appulſu ſpirituum in eam, hæc facultas ex perceptione talis motus elicit appetitum humidi, ita quacumque de cauſa fibræ ventriculi exſiccentur, & corrugentur, ſive ab alimentis ſalſis, calidis, & aromaticis cum illa modificatione determinata, ſivè à violento exercitio humidum diſſolvente, ſivè à calore febrili, ſemper ſitis excitatur cum affectione ventriculi. Hoc modo bilis, vel ſecundùm ſui ſubſtantiam intra ventriculum recepta, vel per ejus vapores, ad illum aſcendentes moleſtam excitat ſitim, eò quia ſua ſalſedine exprimit à fibris nervoſis humiditatem, unde illæ exſiccatæ corrugantur. Pari etiam modo fit ſitis ab exſiccatione partium in ore contentarum, & præcipuè membranoſarum, quæ cum continuò (natura ſic inſtituente) ab humore ſalivali irrorentur, ne hujus paſſionis moleſtia torqueatur animal, ſi impediatur talis fluxus, vel quia non generetur humor in glandulis ſalivam præparantibus,vel quia obſtruantur meatus, per quos in cavitatem oris effunditur, vel quia ita incraſſetur, ut humectare non valeat, tunc ſiccitas inducitur, & ſitis, & ferè ſemper, quæ faciunt ſiccitatem in ventriculo, faciunt etiam in palato, ope alicuius cauſæ ſupradictæ, quæ poteſt facere ſiccitatem in ore, non exiſtente in fibris nervoſis ventriculi, idcircò obſervamus ægros in aliquibus febribus conqueri ſolùm de ſiccitate, & de ſiti ab illa provenientc potum non appetendo, ſed ſola faucium ablutione cum aqua conteri, os humectando.

Hinc patet humidum eſſe ſitis remedium, quia ſolum humidum valet ſiccitatem extinguere, & corrugationem ſiccam tollere laxando, & hoc ita confirmatum eſt experientia, ut probatione non indigeat, & ab illa admonemur nos errare non poſſe humidum exhibendo pro ſiti demulcenda. Quod docuit Hippocrates in lib. de ſalubri dieta num. 13. præſcribendo ſitientibus vinum aquoſum, & frigidiſſimum aquoſum præſcribit ad humectandum, frigidiſſimum ad tollendam cauſam ſitis, ubi calor illam excitaverit.

Advertendum tamen eſt, quòd humidum ſincerum eſt magis aptum ad hoc exequendum, quàm ſi aliqua alia qualitate præter acida ſit donatum; ideò humidum, ſalſum, amarum, & auſterum ſitim non tollit, ſed potiùs auget concurrendo ad impreſſionem majoris ſiccitatis, quod videtur etiam facere humidum excedenti dulcedine donatum, per accidens dictam ſiccitatem inducendo, inducta obſtructione pororum impediente irrorationem faucium ab humore ſalivali exequendam; & humidum ſincerum in ſiti appetit ſenſus communis, quia cognoſcit ab hoc fibrarum paſſiones moleſtas remedium accepturas eſſe.

Ex quo colligo in Hydrophabia urgente ſiti humidum omne abhorreri, quia ſenſus communis, vel ex præjudicio concepto, vel cum veritate humidum majori moleſtia eſſe fibras affecturum concipit, & hoc quia à canino viru humores fibras ventriculi membranoſas, & nervoſas irrigantes, tali qualitate ſint affecti, ut ab humido irritamentum majus ſint accepturi, cum maiori moleſtia, quàm ſit illa à ſiti impreſſa; vel quia dictus humor irrorans dictas fibras infectus à veneno canino talem texturam acquiſierit ſimilem putridis, & malè olentibus ſubſtantiis, ex quarum imaginatione ſolùm, ventriculus ſubvertitur cum horrore, & quia à ſolo conceptu aquæ humor infectus agitatur, & commovetur cum ſubverſione, horrore, & moleſtia ventriculi, ideò aquæ abominatio, & ab ea fuga, niſi enim noxium fugimus, ſolo etiam animali inſtinctu, quo unico, affectum canem hujuſmodi veneno ſuam moleſtiam ratione fugæ moderare credendum eſt.

A Cibo verò non fit talis moleſtia, licet agitatione quadam ab ejus aſſumptione moveatur dictus humor, quia alimentorum particulæ virtutem modificandi illum humorem in ſe habent, eo modo, quo in vomitibus deſperatis in quibus cujuſcumque generis aſſumpta reiciuntur, aliquando unum peculiare alimentum reperitur; quod detinetur, quia familiare ventriculo, & modificativum irritamenti vomitum excitantis.

CAPUT III.

De præparatione Alimentorum in ore, & Ventriculo.

Alimenta antequam coctionis organo conſignentur, in Ore priùs aliqualem ſuſcipiunt præparationem conſiſtentem in trituratione eorumdem alimentorum, & in ſalivæ admixtione cum eiſdem.

Trituratio requiritur à natura tamquam prima diſpoſitio ad illam fermentationem, quam ſuſcipere alimenta in ventriculo inferiùs dicemus, dum trituratione affertur illa textura partes varias, & diſſimiles natura in unum uniens, & illa pereunte relinquuntur dictæ partes ſuæ libertati; idcircò ſuo motu integram diſſolutionem à toto mixtionis vinculo moliuntur, in quo motu conſiſtit fermentatio. Sic antequam fiat vinum, Vuæ calcantur, & ſua textura eis demitur, quod experimur etiam in aliis fructibus, ex quorum trituratione liquorem elicimus.

Huic triturationi inſervit ſaliva; nam ſolida humectata faciliùs à dentibus triturantur, hujus ope etiam organum guſtus, ſapores maſticatorum alimentorum percipit, nam iſtis ſaliva commixta eorum ſal diſſolvit, in quo rerum ſapores conſiſtunt, & ad intimiores linguæ ſinus defluendo ſalinis imbuta particulis ſaporis conditionem, & naturam ibi relinquit, à ſenſu communi percipiendam, ut explicabitur in tractatu de ſenſibus.

Ex his duobus colligere poſſumus, ſalivam non eſſe excrementum inutile, & ab hoc non puto receſſuros eſſe Galeni, & Hippocratis ſequaces, cùm experientia doceat in magna ſiccitate oris, nec alimenta conteri poſſe, & difficulter maſticari, nec eorum ſapores rectè diſcerni; præterquamquòd accuſanda eſſet natura, ſi permiſiſſet excrementum inutile miſceri cum alimentis,quod cùm non ſit afferendum ob ſummam ſapientiam ab eadem natura in fabrica humana demonſtratam, cogimur aſſentiri huic determinationi: ſalivam nempè non eſſe excrementum, inutile, ſed pro aliquo bono, & miniſterio neceſſario cum alimentis miſceri; & præter dicta videtur etiam probabile ſalivam inſervire pro fermento alimentorum in ventriculo, & hoc poteſt demonſtrari à modo generationis hujus humoris, & quia de hoc humore diſertè alibi diſcurrendum eſt, ſufficiat pro nunc innuere, quod generatur in glandulis maxillaribus, in quarum ſubſtantia arteriæ nervi, & vaſa excretoria inſeruntur; Unde credendum eſt arterias, & nervos materiam quamdam hiſce glandulis præparandam ſubminiſtrare, & quoad arterias puto non eſſe dubitandum eis ſuppeditare materiam ſeroſam acidulam, prout evenit omnibus aliis glandulis, ut alibi demonſtrabimus.

A nervis materiam iſtis propriam communicari in dubium pariter non eſt revocandum, & cùm hanc non ſuſcipiant pro motu perficiendo, cùm glandulæ non moveantur, quid aliud remanet credendum niſi quod à nervis glandulis prædictis elargiatur ſuccus proprius, ſeu ſpiritus animalis commiſcendus cum materia ab arteriis ſuſcepta, dum nervi non ſecundùm ſuperficiem glandularum diſperdantur, ſed per internas iſtarum partes diſſeminentur. Hujuſmodi materiam præparatam à glandulis ſalivalibus habere naturam fermenti probat ejuſdem animalis natura, & officium; eſt enim ſummè volatilis, & mobilis, materiamque, cui miſcetur agitare valet, conditiones requiſitæ principaliter, ad conſtituendum fermentum, quæ cùm reperiantur in ſaliva convincant etiam in hac eſſe fermenti naturam, & hæc fuit ſententia etiam Galeni à doctiſſimo Sanctorio in Commento in prima ſen. Avicennæ adducta, quæſtione 99. in qua citat hanc Galeni auctoritatem tertiò de facultatibus naturalibus cap. ſeptimo ubi dicitur habere vim ferè tranſmutandi cibum benè manſum, quia dum perfectè in ore maſticatione cibis permiſcetur, adeò illos attenuat, & detergit (Hæc eſt actio fermenti) ut facillimè in ventriculo cibi tranſmutentur in Chylum.

Quod verò ſaliva detergat patet ex ipſo Galeno, & experientia, quia loco citato inquit ſalivam ſanare lychenas,

& interimere ſcorpiones, & idem Sanctorius c. 1. doctrina 4. citati libri confirmat hanc ſententiam authoritate Avicennæ dum ait quod cibus in ore aliquam digeſtionem recipit, & deſumpta eſt à ſaliva, de ratione cujus eſt attenuare, & fermentare cibum, quando videlicet dentibus atteritur, & ſaliva omnibus cibi particulis benè permiſcetur: unde pro nomine fermenti hîc accipe lector illud, quod motum tribuit alicui, cui miſcetur, vel ineſt modificatum juxta exigentiam finis conſequendi, etiamſi ſit mutatio texturæ unius ſubſtantiæ in aliam texturam, & quod ſalivæ fermentum immutet, & alteret alimenta in ipſo actu maſticationis, patet ex ipſis alimentis maſticatis ororem, & ſaporem eis proprium ſincerè non ſervantibus, ſed aliquid extraneum etiam redolentibus. Hinc patet ex diverſa ſalivæ conditione alimenta variè poſſe diſponi ad chylificationem depravatam, vel perfectam de quibus agendum erit in ſequentibus.

Maſticato, & triturato alimento in ore deſcendit, per Oeſophagum ad ventriculum, in quo elaboratur in maſſam Chyloſam fluxibilem, & Priſanæ ſimilem, quomodo autem hoc fiat, diſcutiendum eſt.

Hic non conſidero facultatem animæ chylificam ab aliquibus admiſſam pro unica cauſa Chylificationis;nam ut in principio innui, aſſumo conſiderandas facultates corporeas, quæ non ſunt, niſi organa animæ inſervientia, cum materia, dum vitio iſtorum depravatur actio illa ab anima emanans determinata, à depravato Organo, & materia prava malè agere, quamvis ex ſui natura ſit inalterabilis.

Inſtrumenta ergo Chylificationi inſervientia ſunt ventriculus cum ſua temperie, & cum ſua fibrarum conſtitutione, prout ab Anatomicis, & præcipuè à Villiſio deſcribitur, & cum ſuis plicis, quæ concurrunt ad retentionem alimentorum, ad hoc ut ritè præparentur. Huic conſtitutioni ventriculi adjungitur calor ejuſdem, quem à ſanguine arterioſo per ejus membranas circulante ſuſcipit, & à circumſtantibus partibus, Hepate, Liene,& menſenterio ei imprimitur, cùm de inſito parùm participet ratione membranoſæ ſubſtantiæ, cui conſtitutioni poteſt etiam adjungi fermentum in eo præparatum quod eſt proprium, & ſpecificum opus ipſius ventriculi dum hoc præcipuè utitur pro chylificatione.

Quoad materiam eſt cibus trituratus, & maſticatus, & ſecundùm ſuam texturam diſſolutus, fermentoque ſalivali imbutus, ab his omnibus, quæ materiam reſpiciunt, conſtituitur illa facultas Chylifica quam organicam, & corpoream appello, & quam omnes debent conſiderare.

Temperies ventriculi eſt armonia, & concurſus in unum particularum elementalium, ventriculi fabricam ingredientium juxta communem medicorum ſententiam ſtabilientem elementa actu ſecundùm ſuas formas manere in Mixto; & admiſſo elementa manere actu in mixto debet admitti in minima reduci, & mixtione in quamdam texturam propriam mixti generandi abire, & cum textura armoniam ſuarum actionum conjungi, ex hac armonia, ſeu concurſu in unum particularum elementalium reſultat unum quod dicitur temperamentum, & per quod conſervatur ventriculi ſubſtantia, & hæc agit ſua officia, & operationes deſtinaras, & ſicut in omni mixto, à concurſu elementi prædominantis denominatur temperamentum, ita cum in ventriculi ſubſtantia parùm adſit calidæ ſubſtantiæ,dicitur prædominari iſtius contrarium, nempè ſubſtantia elementalis frigida, quapropter ventriculus ſecundùm rationem ſuæ ſubſtantiæ eſt temperamenti frigidi, ſicut omnes partes membranoſæ, & ex vitiato iſtius temperamento, vitiatur etiam ſua actio, ad cujus læſionis cognitionem, & curam facient ea omnia inferiùs dicenda de calore adjacentium ventriculo partium, concoctionem alimentorum, vel coadjuvante, vel depravante.

A fibris nervoſis, & plicis membranæ perfectè conſtitutis fit retentio alimentorum in ventriculo; Horum enim præparatio non alligatur tempori inſtantaneo, ſed ſpatio aliquarum horarum, unde neceſſe eſt, ut per tale tempus alimenta in ventriculo immorentur, pro quo opere excogitavit natura illas fibras, & plicas, quarum modus operandi in hunc finem rectè explicatur à dicto Vvilliſio in Tractatu de purgatione primarium viarum. Hinc habemus multoties chylificationem depravari vitio harum fibrarum,ſi laxentur, ut contingit in uſu copioſo fructuum humidorum, & in potu aquæ frigidæ, & in deſtillatione, vel defluxu materiæ ad dictam partem, vel ab animi paſſionibus præcipuè melancholicis, quæ ſemper orificio ſuperiori correſpondent, ope nervorum, ſpiritus in nerveis fibris iſtius partis diſſolvendo, vel concentrando, vel eorum fluxum impediendo, efficiunt, ut dictæ fibræ laxentur, eo modo quo videmus corpora membranoſa aere, & ſpiritu plena turgeſcendo dilatari, contracta longitudine, ita ſpiritu expirato laxari majori ſuſcepta extenſione. Fibris hoc modo laxatis in orificio ſuperiori demitur officium Antagoniſtarum, cum fibris ejuſdem generis orificii inferioris, quæ in ſtatu naturali exiſtentes mutua contractione, & energia ſe invicem in equilibrio veluti ſuſtinent, ut pars ſuperior non magis accedat ad inferiorem, nec inferior ad ſuperiorem, modo in muſculis Antagoniſtis obſervato, quorum fibræ rectè ſe habentes, & æquales in vi, & contractione exiſtentes partem in ſtatu tonico naturali detinent; ubi verò fibræ unius muſculi laxantur, hìc totus trahitur verſus muſculum Antagoniſtam cum diſtorſione partis, & mutatione ſitus naturalis, quod evidenter obſervatur in oris contorſione, ſic fibræ orificii ſuperioris laxatæ ab energia fibrarum orificii inferioris totæ ad ſe trahuntur, & in iſta attractione fundus ventriculi elevatur verſus orificium inferiùs, & ita alimenta indigeſta per hoc exeunt,ut in lienteria,quæ à Galeno de differentiis ſymptomatum cap. 4. definitur. Celer per ventriculum ad inteſtina eſculentorum, potulentorumque tranſitus, quo talia ejiciuntur, qualia fuere aſſumpta, quam à retentrice debilitata voluerunt Antiqui, expreſſa in fibris partis ſuperioris ventriculi reſolutis, quod demonſtrare voluit Hippocrates in lib. de Affectionibus num. 25.dicendo lienteriam fieri à defluxu Pituitæ in inferiorem ventrem. Pituita verò relaxat multùm,cùm multùm ſit humida, & lib. 3. de vic. raſ. circa finem, ubi habet cibus per alvum ſeccedit liquidus inconcretus qualis in inteſtinorum levitate, nullumque dolorem affert hæc autem præcipuè ſentiunt alvi humidæ, & frigidæ,quæ per frigiditatem minimè concoquent, ac per humiditatem dejiciunt. Humiditas verò relaxationem, & dejectionem promovet, in quo caſu patet exſiccantibus, & corroborantibus fibras utendum eſſe juxta Hippocratis præceptum citato libro num. 26. qualia ſunt omnia cœphalica, quæque nervoſum genus confortant, ut ſunt pulvis viperinus, Theriaca, vel ejus aqua deſtillata, aqua vitæ Mathioli, Balſamus Peruvanus, Balſamus Orientalis, Species Diambræ, Diamoſci, Diatrion, Pipereon, Tinctura Carabe, Ambra Gryſea, Eſſentia ejuſdem, Elixir. Proprietatis, ſecundùm Helmontii deſcriptionem, Tinctura ſuorum ingredientium, quæ ſunt Aloes, Mirrha, Crocus; Item Eſſentia Meliſſæ, & Citri, item Salia omnia Cœphalica, ut Succini, & aquæ Antiparaliticæ, ſyrupus ex Maſtice Quercetani, ſyrupus Corallorum, &c. quæ efficaciora reddentur additis adſtringentibus, ut decoctione Aluminis in aqua conſolidæ majoris, vel minoris, vel ejus ſpiritu dulcificato, ad aliquot guttas. Decoctum Quercetani ad lienteriam efficax valdè cenſetur Crocus Martis adſtringens magnæ etiam erit efficaciæ, & caput mortuum vitrioli rubificatum, & dulcificatum, ſicuti pulvis eboris, & cornu Cervi uſtum, cum Miva Cydoniorum, & Theriaca, & ſpecies trium Santalorum. Exteriùs juvat Emplaſtrum ſtipticum Mynſicht, & Emplaſtrum factum ex fermento cum pulvere Menthæ, & Abſynthii, Roſ. Rad. Conſolidæ Biſtortæ, Nuce moſchata, Maſtice, Garioſil.

Poteſt etiam intra fibras Orificii inferioris ventriculi, vel ſuperficiem iſtarum colligi (prout videntur ſentire plurimi è Recentioribus) humor irritans talis efficaciæ, ut eas determinet ad talem contractionem, per quam ad ſe trahant fibras, tam orificii ſuperioris, quàm fundi ejuſdem ventriculi; unde ſequitur dicta intempeſtiva excretio alimentorum, & tunc hujuſmodi excretio tribuitur facultati retentrici irritatæ, & coactæ exitum intempeſtivum aperire alimentis, & hanc cauſam Sennertus cap. de Lienteria colligit ex Hippocratis Sententia in Coacis prænotionibus deſcripta, & tota cura tam in fibris irritatis, quàm in facultate retentrice reducitur ad irritamenti modificationem.

Hujuſmodi irritamenti naturam debemus indagare à prodeuntibus humoribus, à conſtitutione naturali patientis, à dolore, ſivè moleſtia, quæ ſolet apparere in hac valida vellicatione, & juxta eam adhibenda ſunt, quæ irritamen-

tamentum demulceant, ut ſunt decoctio Malvarum, Parietariæ, Fœnugreci, Violariæ, Oleum Amygdalarum dulcium, cum aqua florum papaveris erratici, ſpecies Diamargaritionis frigidi, trium Santalorum, Syrupus de Hybiſco, Mucilagines Seminum, Pſylii Malvarum Altheæ, Emulſiones Seminum frigidorum, & de Papavere in aqua violarum, vel nenufaris, & hujuſmodi alia, &c.

Debet tamen præmitti lienis purgatio per medicamenta benigna, & demulcentia, ut ſunt Electuarium lenitivum, Diaſebeſtem, & Caſſia.

Viceverſa quando poſt alimenta ſuſcepta fibræ orificii ſuperioris trahunt ad ſe fibras orificii inferioris, tunc ſequitur vomitus, qui eſt rejectio illius, quod ventriculo eſt moleſtum per orificium ſuperiùs, & cum eo cibi indigeſti; fit autem hæc contractio à materia irritante dictas fibras, dum conantes moleſtiam inferrens expellere vi collecta ſe contrahunt orificium inferiùs trahendo verſus orificium ſuperiùs. Hujuſmodi irritamentum quandoque infertur à cibis, qui acri qualitate pollent, vel ex eo quod guſtui ſint contraria, nec omninò convenientia naturæ noſtræ, vel ventriculi conſtitutioni, ex quo colligitur ratio cur aliqui determinata abominentur alimenta, itaut ea deguſtare non valeant, niſi cum nauſea, & etiam animi deliquio; nam eorum particulæ talis ſunt conditionis reſpectu conſtitutionis orificii ventriculi ſuperioris, ut non valeant niſi vellicare, & ſenſu moleſto eum afficere, quibus ſuccedit contractio fibrarum ventriculi in ſuperiori parte, & conſequenter vomitus, & ſi ſenſatio moleſta ad nervos cardiacos perveniat animi deliquium ob connexionem iſtorum, cum nervis ventriculi ſuccedit.

Aliquando ipſa alimenta ſunt irritativa ventriculi ob deffectum illius mucoſitatis oblinientis ſuperficiem interioris membranæ iſtius, ut contingit in magnis evacuationibus, diuturnis fluxibus, & in copioſo vomitu, vel ab arte, vel à natura in morbis excitato, tunc enim alimenta immediatè membranoſam tangunt ſubſtantiam, & ſuis particulis diverſimodè acuminatis, vel ſolo pondere, ei ſerviunt pro irritamento moleſto, maximè cùm ſit exquiſitiſſimi ſenſus, cujus impatiens violenta fibrarum contractione illud expellere contendit; idem ferè contingit in Callo ventriculi, qui non eſt niſi ſuperficies ejuſdem membranæ pauliſper indurata cum exquiſitiſſimo ſenſu, vel caro laxa ſuccreſcens Polypi inſtar, quæ alimentorum pondere compreſſa dolorem concipiens, eodem modo vomitum efficit, alimenta etiam licèt quandoque benigna, & naturæ amica, conſtitutionique ventriculi omninò conformia vomitui cauſam præbent agitando humores acres in ventriculi cavitate quieſcentes, à quorum agitatione impulſi valido motu in fibras membranoſas, eas veluti lacerant, & ad contractionem impellunt, cum neceſſaria vomitus evacuatione. Acrimonia iſtorum reducitur, vel ad Acidam, Pituitoſam, & Melancholicam, ab omnibus Medicis admiſſam, vel ad alkalicam bilioſam ſalinam corrodentem, à nemine denegatam, & in has qualitates concurrunt, tam Recentiores, quàm antiqui humorum acredinem pro cauſa vomitus determinantes, & hæ qualitates cognoſcuntur à ſapore, quem reddunt evacuata alimenta.

Ab irritamento humorum Cholera, quæ eſt aſſidua, & immoderata humoris pravi per ſuperiora, & inferiora rejectio à facultate expultrice, ab eodem valdè irritata ortum habet, pravus humor irritans generatur in ventriculo ex corruptione ciborum, & præcipuè fructuum horariorum, qui ratione humiditatis, & virtutis fermentativæ illis inſidentis corruptionem facili negotio ſuſcipiunt, & in bilem degenerant, & ſua virtute fermentativa bilem à maſſa ſanguinis ſeparant in copia, quæ per vomitum, & & alvum excernitur, & bonos etiam corrumpunt humores, quando illis miſcentur; nam ex depravata fermentatione, & motu inteſtino particularum boni humoris tollitur illa textura, quæ bonitati confert, & per dictum motum exaltati ſales, & ſulphura fixa, acria, & corroſiva latentia, & fixa manentia in eo, humor de benigno tranſit in malignum, & corroſivum, & bilioſum, & hæc eſt ratio, per quam in cholera morbo plus humoris excernitur, quam potuerint ſubminiſtrare alimenta prædicta. Hoc etiam evenit in mulieribus gravidis, in quibus ſanguis à retentorum menſium excrementis purgatur, his ſeparatis, & per arterias in ventriculi cavitatem depoſitatis, ubi à cibo agitati irritando, vomitum poſt cibum efficiunt, ut plurimæ mulieres quotidiè experiuntur.

Multoties etiam alimenta in ipſo actu præparationis in ventriculo ratione fermenti maximè activi aciditatem excedentem concipiunt, quæ irritativa facta vomitum determinat modis ſupradictis, aliquando verò ratione caloris partium adjacentium excedentis, in nidoroſam degenerant cruditatem bilis naturam æquantem, & acrimonia ſaliva ſulphurea donatam, quæ inſervit pro ſtimulo, ad expellenda alimenta per vomitum.

Hæc omnia in conſtitutione ventriculi conſiderata, nullam patiuntur difficultatem, & pro certis ſunt habenda, juxta mox dicta de irritatis fibris, & facultate, cujus inſtrumenta dictæ fibræ ab omnibus Galenicis aſſeruntur. Affectæ partis ſigna habemus à vomitu, qui denotat fibras orificii ſuperioris affici, humoris irritantis conditionem colligemus à ſapore materiæ rejectæ per vomitum, & ab hoc, & à ſæpiùs dictis veras indicationes vomitum curandi eliciemus. Nam alimenta acria, & à natura abominata ſunt fugienda. Mucoſitas deffiiciens eſt reparanda, cùm pinguibus mucilaginoſis, & craſſis alimentis ut ſunt caput, & pedes animalium, gelatinæ, ex jiſdem paratæ, & medicamentis ut mucilaginibus ſem. malvarum pſylii altheæ ſuccis Boraginis, Portulacæ, Malvarum. Pro callo emollientibus priùs utendum, ut ſunt ſuccus Malvarum, Boraginis, & Sempervivi; quibus ſuccedere poſſunt Boli ex gummis amoniaci, & galbani vino diſſolutis, ſuperbibendo ſuccum Agrimoniæ, Pottulacæ, & foliorum ſalicis.

In humorum colluvie acri attemperata bilem, & ſuccum acidum ſunt uſurpanda. Primam frangunt omnia aquea frigida, & oleoſa, ut emulſiones ſeminum melonum, cum videamus ab aqueis ſalſa etiam condimenta temperari, & hoc nullum habet contradictorem in Schola etiam Galenica admittente, quæ melancholiam augent, bilem ſupprimere, quapropter docent temperamento melancholico donatos parvam habere bilem, & hoc concedunt cujuſcumque Sectæ Sequaces, itaut ab omnibus habendum ſit pro certiſſimo, quæ melancholiam generant bilem extinguere; acida verò ad hoc ſunt opportuna, cum ex omnium etiam conſenſu melancholia ſit acida, & ita acida bilem moderabunt ex omnium placito.

E contra acidum demulcent omnia, quæ ad bilis generationem concurrunt, cùm manifeſtum ſit, & ab omnibus admiſſum bilem eſſe melancholiæ, tam in aliqua prima, quàm in ſecundis qualitatibus contrariam, & inimicam; idcircò Salia lixivialia, & quæ hoc ſale alkalico, & ſulphure, prout aromatica abundant acidum corrigunt, quia bili Sale alkalico ſolvente, & ſulphure accenſibili conflatæ affinia.

Medicamenta huic operi contribuentia exprofeſsò deſcribentur, ubi de horum humorum depravatione; hìc ſolùm moneo, quod in gravidis ad avertendum hoc moleſtum Symptoma nihil efficaciùs miſſione ſanguinis in primis menſibus, quæ minuendo excrementa in vaſis, opem fert huic Symptomati. Degenerante alimento in cruditatem acidam, vel nidoroſam ab omnibus Antiquis decantatam eadem conveniunt, quæ dixi de acredine bilioſa, & acida, quibus ſemper ſunt miſcenda, quæ ventriculi tonum conſervant, ut ſunt aqua Menthæ, Zedoariæ, Abſynthii, Cinamomi, Eſſentia ejuſdem, Menthæ, Elixir proprietatis, Elixir panis, Tinctura Succini, Sal Abſynthii, Roſmarini, Syrupi de Cinamomo, de Maſtice, de Corticibus citri, & Cidoniorum, Nepenthes optimè elaboratum in omni cauſa convenit, cùm irritamenta omnia ſupprimat, ſicuti Sulphur anodynum Vitrioli.

Advertendum autem in vomitu humores acres eſſe purgandos, & præcipuè blandis vomitivis juxta Hippocratis præceptum in lib. 2. de morbis popul. Sect. 5. in illis verbis vomitus ſolutio, aquam calidam bibendam dato, & vomet, & in lib. de loc. in hom. num. 52. in illis verbis vomitus per vomitum ſedatur, ſi vomenti multam aquam (intellige tepidam) bibendam dederis; Vomitum movebunt, Aqua hordei tepida cum acetoſo ſimplici, Decoctum Camomillæ, & Radicum Raffani in aqua roſarum exhibitum, quibus non conferentibus ſal è capite vitrioli elicitum poteſt exhiberi.

In Cholera verò humores acres ſunt purgandi per vomitum ſi evacuatio ſit major per ſeceſſum, & purgatio per

alvum

aluum eſt inſtituenda, ſi evacuatio per vomitum ſit copioſior blandis tamen medicamentis pro utraque purgatione eſt utendum, pro vomitu aqua hordei tepida cum oleo amygdalarum dulcium, pro purgatione, per aluum pulpa Tamarindorum ad ʒ. vi. cum Mirabolanis citrinis ad ʒ. ii. nec his utendum niſi vires permittant, his declinantibus, & evacuata magna parte humoris irritantis adſtringentia adhibeantur, & præcipuè ſequens ℞. Succi Menthæ (& ſi viridis non reperiatur ſupplendum decoctione ſiccæ) ℥. ii. Mivæ Cydoniorum ℥. 5. Chryſtalli præp. ʒ. 1. Capuis mortui vitrioli rubificati, & dulcorati ℈. 5. Coral. præp. ℈. 5. Phylonii Perſié. ʒ. 1. M. Polenta facta cum farina hordei toſti cocta cum vino granatorum idem præſtat, exterius emplaſtrum ex cruſta panis, cui adiungatur ſuccus, vel pulvis Menthæ, alia adſtringentia conveniunt, quæ in Diarrhæa, & Dyſenteria proponentur, Clyſter ex Herbis adſtringentibus paratus cum ʒ. 1. Phylonii Perſici comendatur.

Laxitas Fibrarum tranſverſarum fundi ventriculi depravatæ alimentorum digeſtioni contribuit, ſecundùm iſtorum aliquam partem, cùm enim alimenta præparata expellantur à ventriculo in Pylorum, per contractionem dictarum fibrarum elevantium fundum ventriculi verſus orificium inferius, ſi contingat fibras dictas eſſe adeò laxas, ut non poſſint contrahi ad concipiendam illam vim neceſſariam pro expulſione materiæ craſſioris, & fæculentioris fundo prædicto adhærentis, & ſuo pondere renitentis motui, & exitui, neceſſe eſt, ut iſta in ventriculo remaneat, ibique fermentationis continuatione, in materiam putridam, & malè olentem degeneret, unde oris fœtor. Vel in acidam, vel nidroſam cruditatem, quæ irritando fibras ſuperioris orificii ſuo halitu, hæ contractæ, ſi renitentes etiam præ laxitate fibras fundi elevent, & ad ſe trahant, materiam in dicto fundo exiſtentem per vomitum expellunt, hinc evenit, quòd multi omni mane gaudeant beneficio ſpontaneo vomitus.

Si verò iſtæ partes craſſæ alimentorum fermentatione, & mora levitatem aquiſierint, & tenuitatem, ut à fibris etiam laxis fundi ventriculi poſſint expelli per orificium inferiùs, in vaſa unà cum Chylo deferuntur, & vitio ob moram in ventriculo contracto ſanguinem cui miſcentur coinquinant; acidæ enim eum coagulant, & incraſſant, nidroſæ inflammant, & diſſolvunt, & ab iſtis ſequuntur ea omnia, quæ cruditatibus ventriculi attribuuntur, & eſt mala ſanguificatio, obſtructio partium, feroſa colluvies, ſanguinis effervescentia major, & ad accenſionem facilitas, & alia hujuſmodi.

Harum fibrarum indiſpoſitionem cognoſcimus à ſignis humidam ventriculi temperiem demonſtrantibus, cùm talis fibrarum laxitas ab humido proveniat; Sunt enim raræ texturæ, & pororum amplorum, ideò facilè feroſitates aliquas ab arteriis in ventriculo reiectas in circulatione abſorbent ſuper abundanter, vel humidiorem ſalivæ partem, & fluxibiliorem intra poroſitatum capacitates recipiendo neceſſe eſt, ut laxentur. Sicuti enim à nimio humido laxantur nervi, ut motum exequi non poſſint, quod patet in pueris, ita etiam fibræ nervoſæ, & carnoſæ ventriculi ab exceſſu humidi laxatæ ſecundùm motum eis proprium depravantur, talis conſtitutio fibrarum tàm à natura, quàm ab erroribus externis oritur: eamdem etiam indicant dolores illi, qui in fine digeſtionis cruciant; ſicuti & flatuum commotio & agitatio in eodem tempore, quia uterque Symptoma reliquias alimentorum in ventriculo ſtagnantes indicat, acrimonia ventriculum pungentes, vel in flatus reſolutas; Ex his colligitur hanc fibrarum malam conſtitutionem jure meritò inter caufas debilitatis ventriculi, & depravatæ concoctionis alimentorum enumerari ab omnibus.

Ut huic depravationi occurramus neceſſe eſt ſuperfluam evacuare humiditatem, & exſiccare hydragogis, & calefacientibus Stomaticis; ut ſunt: Lignum Saſſafras, Cinamomum, Gariofoli, Nux moſcata, Baccæ Juniperi, Lignum Aloes, Cardamomum, Cubebe, Santali; Species Aromatici Roſati, Diambræ Triumſantalorum, Pulvis Stomacalis Poterii, Mynſicht, Scroderii, Aqua Theriacalis, Cinamomi, Vinum Hippocraticum, Vinum Abſyntiacum, Extractum granorum Juniperi, Eſſentia Corticum Citri, Melliſſæ, Menthæ, Salia omnia ex herbis Cæphalicis, & Stomaticis, ſicut jus columbi in cujus ventre dictæ herbæ aromaticę ſint repoſitæ, unà cum aliis ſtomaticis, Pulvis viperinus cum Scobe Eboris, & Cornu Cervi uſti ſummæ eſt efficaciæ pro obtinenda dicta exſiccatione.

Ultimò poteſt depravari concoctio alimentorum in ventriculo ratione conſtitutionis organicæ ejus, ſi fibræ orificii inferioris exſiccatæ, & corrugatæ illud adſtringant, & coarctent, ut alimenta præparata tranſire non poſſint tempore debito concoctione jam perfecta; Hinc coacta alimenta in ventriculo diù remanere à fermentatione propria, & illius fermenti ventriculi perſeverante ita diſponuntur, ut in excrementitiam degenerent maſſam, modò acetoſam, modò ſalſam, ſulphuream, & biliofam, prout particulæ chyloſæ ſalinæ acidæ, vel ſulphureæ exaltantur, & ad motum ſuper alias promoventur, actione dictæ fermentationis, & præcipuè ſi coadiuvetur à calore adiacientium partium, partem ſulphuream, & ſalinam Maſſæ Chyloſæ adurente, vel ſalem fixum volatilizante.

In hoc ſtatu præternaturali Maſſæ alimentorum, vel majoris portionis eorum ſtagnantis in ventriculo, & à calore ſupradicto, & fermentatione prædicta actuatæ, agitatæ, & commotæ plurimi flatus excitantur multùm, & moleſtè ægros torquentes; Hinc variæ de ſtomaco querelæ, à quibus poſtea in conſenſum partes aliæ trahuntur pro aliarum facultatum læſione, de quibus locutus eſt Hippocrates in lib. de Affect. in illis verbis; at ſi ventriculus non ſuperet, & flatus & tormina, cęteraque id genus contingunt. In Hypocondriacis ferè ſemper hæc contingit indiſpoſitio, quæ falſo in ventriculi debilitatem refunditur, cùm ex ſola adſtrictione ventriculi proveniat, & hujus cauſa eſt calor ſuprapoſiti Hepatis, à quo exſiccatum os ventriculi inferiùs adſtringitur, vel calor ille effluens ab effervescentia bilis valdè inflammabilis, cum ſucco pancreatico in inteſtino duodeno, à quo ſequitur prædictus effectus, & alii quos memorat Hippocrates ſecundo de Morbis ſub nomine morbi reficatorii pullulant, qui à Senerto lib. 3. prat. Cap. 6. pro melancholia hypocondriaca habentur.

Pro hujus effervescentiæ demonſtratione adverto hypocondriacos ferè ſemper æſtum in ventris parte ſuperiore pati, ubi autem æſtus adeſt ibi adeſt effervescentia, & in corpore humano non erit reperibilis primus, ſine ſecunda, nec hæc ſine illo, ut conſideranti patebit. Si ergo in hypocondriacis æſtuant partes ventris ſuperioris, in his etiam effervescere humores, & ebullire ſupponendum eſt, & quia humores effervescentiæ magis ſubiecti ſunt bilis, & ſuccus pancreaticus in inteſtino duodeno contenti, ideò in hos reffunditur dictus æſtus.

Adjungitur etiam aliud efficaciſſimum motivum, quòd bilis effervescens copioſis ſuis particulis calidis, & ſulphureis ſolutis per effervescentiam conceptam in congreſſu cum ſucco pancreatico ſit ſupra cœteros humores efficax ad calorem, & æſtum accendendum in hypocondriis, & in humoribus contentis in vaſis per meſenterium, & inteſtina diſſeminatis, quòd ſi hunc æſtum in humores incluſos intra vaſa Meſſenterii proprio calore, & interno fermento effervescentes refundere aliqui vellint, hoc non diverſificat neque media, neque finem curationis, nam in utroque caſu ſedandus eſt æſtus, calor, & effervescentia, & hoc præſtant refrigerantia, & fixantia, ideò à veritate non aberravit Diocles à Galeno recenſitus, & admiſſus ſtatuens, melancholiam hypocondriacam oriri ab inflammatione Pylori, ſi per inflammationem intelligamus ſolùm phlogoſim, ſeù calorem adſcititium, ſivè præternaturalem ei infixum, à quo ſit prædicta adſtrictio, cum prædictis ventriculi Symptomatibus.

Quibus adjungenda ſunt ea dependentia à dicta materia in ventriculo depravata paulatim, ſed tempore præternaturam protracto deſcendens per dictum Orificium, aperta ſibi via, cum prædictis qualitatibus acetoſitatis, ſalſedinis, acrimoniæ irritamento determinantibus fibras ad expulſionem contentorum à cavitate ventriculi, in eam inteſtinorum, ubi mixta cum bile, & ſucco pancreatico effervescentiam, & æſtum augent, & ſi intra vaſa ducantur ſanguinem fermentatione inordinata exagitant, & tanquam fermentum extraneum interno tumultu perturbant, cum caloris accenſione inordinatam effervescentiam concomitante. Ab eiſdem qualitatibus acribus, & corroſivis oriuntur dolores ventriculi, & inteſtinorum hypocondriacos in fine digeſtionis alimentorum torquentes.

Præter has qualitates acres chylus, vel ejus portio diù in ventriculo contenta lentorem, & viſcoſitatem contrahit evaporata copia humidi in flatus, & vapores à quibus ventriculus & diſtenditur, & opprimitur cum anxietate, remanente materia Chiloſa, viſcoſa, & craſſa à qua obſtructiones, quas in Meſenterio, & in aliis partibus in Hypocondriaco affectu obſervamus, & flatus cum rugitu inteſtina diſtendentes. & quandoque cum dolore, diſtenſione continuum ſolvente unà cum qualitate corroſiva contracta à materia acri à qua evaporarunt ope caloris partium agentis in materiam craſſam, & bilis inteſtinalis ſuo ſale diſſolutivo eam attenuantis in ſubtilem, & vaporoſam evaporationem, & activitate efferveſcentiæ ſucci pancreatici, & bilis cui ſubiecta dicta materia craſſa pro aliqua portione in flatus rareſcit, & in vapores ſubtiliatur, qui elevati ad Cor, & ad Caput illas oppreſſiones facultatis vitalis, ac cerebri offuſcationes, vertigines efficiunt, & alia ſymptomata, quæ ſæpè hypocondriaci experiuntur. Eadem materia craſſa non attenuata fœces involuendo, eaſque nimis compactas reddendo alui ſtipticitatem efficit, & maximè ſi viſcoſitati auſteritas condenſans, & exſiccans coniungatur;ſed de his, quæ ad hunc effectum ſpectant in ſequentibus alia ſubiungenda erunt; de hac ventriculi adſtrictione locutus eſt Aetius, Petrus Salius, Riverius, & Senertus,& omnes in hac adſtrictione depravatam concoctionem, & cruditates agnoſcunt.

Difficilis eſt cognitionis hìc affectus, & diſtinguitur ſolùm quando poſt ſeptem, vel octo horas à cibo flatus erumpentes cibum adhuc redolent, & ſitis adeſt cum calore in hypocondrio dextero.

Curatio non erit ita difficilis præſuppoſitis ſuperiùs dictis: humectantia enim, & refrigerantia adſtrictionem, & corrugationem humido emendabunt, & frigiditate cauſam calidam erradicabunt, in horum genere ſunt ſucci herbarum Boraginis, Cicoreæ, Endiviæ,Malvarum, Serum depuratum, vel deſtillatum, Aquæ herbarum refrigerantium, vel earumdem decocta, Aqua Nocere, Villæ, ſicuti ſpecies Diamargaritonis frigidi, Trium Santalorum, Balneum aquæ dulcis,&c.

His remediis corriguntur etiam ſymptomata ſuperiùs enumerata nempè æſtus, & calor ab humorum efferveſcentia inordinata productus, ſolvuntur etiam flatus, & tormina in inteſtinis, quæ cùm pendeant à bile inflammabili, & acri ſua accenſione, & acrimonia diſſolvente, & in vapores attenuante materiam craſſam, ideò extincta inflammabilitate bilis, & acrimonia modificata ab humidis, & frigidis medicamentis omnia ſedantur, & etiam dolores acrimonia corrodente humorum excitatos hac dulcificata à dictis remediis; paripacto prohibentur evaporationes ad cor, & Caput, & inducta ſymptomata extinguntur, ſi frigidis remediis adjungantur Cardiaca, vel Cæphalica, & etiam vulgo dicta hyſterica, ſic ab humido fluxibili materia craſſa attenuata, & in auſteritate moderata ſinit fœces liberiori curſu currere unde ſtipticitatis remedium; hæc tamen curandi methodus non eſt univerſalis in omni Hypocondriaca affectione, cùm meo judicio, à variis, & contrariis inter ſe cauſis iſta quandoquè pendeant; eſt tamen invariabile in omni melancholia Hypocondriaca eſſe ſemper calorem magnum, modis ſuperiùs dictis; unde pro hac facit etiam illud remedium à Le-Boe propoſitum, & compoſitum ex multa aqua, & pauco ſale volatili, & oleo, & huic correſpondere mihi videtur ſal tartari calcinatum, & ſpiritu vini imprægnatum, vel mixtura ſimplex inferiùs deſcribenda ad ℈. ii. cum aqua Sonchi, boraginis an. ℔. 5. vel aqua Cicorei, Malvarum, Agrimoniæ an. ℥. 4. ſpiritus ſalis Armeniaci ℈. 5. Tincturæ antimonii ʒ. 5. m. ſed de his aderit alia occaſio diſſerendi.

In recta ventriculi conſtitutione neceſſaria ad optimam Chylificationem conſideramus calorem, & fermentum, quia iſta duo integrant, & perficiunt ventriculum in ratione organi Chylificationis, his enim deficientibus tale organum non ederet ſuam operationem Chylificativam, idcircò neceſſariò iſta duo ſunt conſideranda in ventriculo tamquàm in organo deſtinato ad alimentorum præparationem.

Et quò ad fermentum puto, illud eſſe idem cum famis excitativo, nempè acido-ſalſum, quòd imbibitum ab alimento aſſumpto eſt remedium illius vellicationis à ſua acrimonia excitatæ in membranoſis fibris, ideòque famis ſedativum. Hujuſmodi fermentum pervadens alimentorum maſſam eam comminuit, attenuat, & diſſolvit, prout proprium eſt ſubſtantiæ acido-ſalſæ, à qua Chymica meliora depromit menſtrua diſſolventia, & univerſale diſſolvens in primam materiam omnia mixta, in hac ſubſtantia acido-ſalſa latet.

Præcedente comminutione, & diſſolutione fit mixtio omnium alimentorum ad invicem, quæ ſemper ſupponit miſcibilium ad minima reductionem, & adeò neceſſaria eſt iſta diſſolutio alimentorum, ut ſine ea haberi perfecta Chylificatio non poſſit, dum ad hujuſmodi opus requiritur, quòd alimenta evadant fluxibilia, & cum tali mixtione ſimul uniantur, ut non ſint diſtinguibiles partes alimentorum aſſumptorum, & ſine diſſolutione iſtorum ad minima nullum agens hoc aſſequi poteſt, ex quo colligitur etiam neceſſitas hujus fermenti diſſolutivi, cùm nullum aliud agens ad Chylificationem concurrens energiam habeat ad hanc diſſolutionem præſtandam;nam calor, qui eſt inter illa maximè activus, ad hoc impotens omninò eſt ratione conditionis etiam ipſorum alimentorum, quæ non permittit ea fluere actione caloris, ſed potiùs combuſtionem admittit, ut patet experientia, nam ſi alimenta ore maſticata humido adiuncto, cuicumque igni exponantur numquàm fluxibilia reddentur, ſed aduſtionem patientur.

Dari hoc acidum ſalſum diſſolutivum in ventriculo debent admittere, qui acidum famis excitativum cum Galeno in ventriculo cognoſcunt, de hoc enim verificantur, quæ ſupperiùs dicebam de alimentorum diſſolutione ab acido; pro aliis ulteriori experientia comprobatur, dum obſervatum fuit in ventriculo gallinæ grana frumenti, & leguminum humore quodam aqueo perfundi, à quo diſſolvebantur, eo ferè pacto, quo argentum ab aqua forti diſſolvitur, & in magnorum piſcium ventriculis reperti fuerunt piſces conſiderabilis magnitudinis, qui à calore valdè exiguo illorum non poterant ad fluxibilitatem reduci, unde licet admittere aliquod diſſolvens, quod coadiuvet ad integram illam maſſam in fluorem reducendam, & hoc non eſt niſi fermentum ventriculi, quod ritè conſtitutum comminutione, diſſolutione, & liquatione mixtionem omnium alimentorum perficit, & hoc in unam maſſam novam reducit, ſivè hoc faciat per tranſmutationem, ſivè per ſolam ablationem texturæ alimentis convenientis; nova introducta Chyloſæ maſſæ adaptata, & certè (re attentè conſiderata) iſta alimentorum diviſio in minima, non poteſt niſi ab aliquo diſſolvente effici, & mixtio diviſarum particularum, per quam in unum coeunt, nulla alimentorum ſpecie apparente ſolo motu exequitur, & fermenta ſunt talis naturæ, ut diſſolvant, attenuent, & motum imprimant.

Hanc virtutem fermenti proprii ventriculi coadiuvat fermentativa virtus ſalivæ cibis commixtæ, & etiam calor ventriculi, & adiacientium partium, à quo ſupradictum fermentum volatile, & mobile conſervatur. In ſaliva eſſe virtutem fermentativam ſæpiùs probatum fuit, ad ventriculum tranſmitti, & cibis miſceri omnibus apertum eſt, fermentum attenuare, & diſſolvere habet à propria natura.

Saliva ergo fermenti officium præſtare poteſt in alimentis aſſumptis, & maximè mixta acido famis excitativo etiam ſi ponatur, idem acidum à ſaliva originem deducere.

Hinc patet, quòd ſi hoc fermentum ſit debile, & iners concoctio etiam alimentorum erit imperfecta,unde apparet ratio illius dicti, ſtomachus frigidus plùs appetit quam concoquere poſſit, quia ab acido fames excitatur, activitate verò, & energia convenienti à frigiditate fixante, & motum minuente orbatur, unde parum contribuit alimentorum diſſolutioni, mixtioni, & concoctioni, quæ perfectionem ſuſcipiunt à fermento volatili, & ad motum prompto.

Hanc inertiam ſuſcipit, vel quia ſit nimis fixum, ut in corporibus Pituitoſis, & frigidis ratione temperamenti, vel quia ſit nimis aqueum, ut in eis qui multa ſeroſitate abundant, vel deſtillatione; unde ſublevandus eſt volatilibus acidis, & ſalſis, ut Spiritu vitrioli, Sulphuris, Balſamo ſalis, & calidis, ut Spiritu vini, Aqua Cinamomi, Theriacali, vino hippocratico, & alijs Aromaticis, ut nuce Moſcata, Gariofilis, Mace, Pipere, Cardamomo,&c. Hæc enim omnia ſua vi diſſolvente, & attenuante valent

fixum

fixum fermentum volatilizare, niſi in tanta copia exhibeantur, ut illud enervent; omnia enim Aromatica acidum retundunt, unde in hoc caſu ſunt exhibenda cum tali menſura, ut acidum poſſint volatilizare, & hanc menſuram ſervabimus advertendo, an appetitus, & fames conſervetur cum Aromaticorum uſu; nam tunc in eis perſiſtendum, ubi verò fames diminuta fuerit, vel ſuperſedendum ab eis, vel minoranda eorum quantitas; quòd ſi à nimia copia humoris craſſi in cavitate ventriculi exiſtentis ſit fermentum obrutum, hæc priùs incidenda acetoſis, ut Oximele Simplici, & Squilitico, acetoſo ſimplici, aceto deſtillato, cum aquis fœniculi Abſyntii Pulegii, Eupatorii, vel eorum decoctionibus, & poſteà evacuanda cum Pituitam educentibus, ulteriuſque detergenda cum aqua Tetutii, ex altera parte ſi hujuſmodi fermentum nimio ſero ſit dilutum, ſi fuerit deſtillatio alicujus partis vitio congregata, hæc avertenda, & exſiccanda proportionatis remediis; ſi verò ſerum in toto redundet, & purgantibus, & exſiccantibus minuendum, ejuſque cauſa generatrix auferenda.

Aucta hujus fermenti efficacia depravat alimentorum præparationem; nam aliquando adeò ea attenuat, humidumque ita rarum efficit, ut partes ſpiritoſiores avolens tota maſſa remanente tamquam Vappa, quod puto contingere in aliquibus corporibus, quæ multùm edunt, & tamen viribus languent, & pravi ſemper ſunt coloris, & à nimia attenuatione nimis fluxibilis, & fluida evadit maſſa Chyloſa, unde poſtea pro ſeroſa colluvie inſervit tot morborum, & Symptomatum origo.

Aliquando etiam ab aciditate fermenti valdè activa tota maſſa aceſcit cum depravatione multarum actionum; utrique vitio occurremus acidum corrigendo ſuperfluum, cum bolo armeno, terra ſigilata, oculis cancri, Sale tartari fixo, cornu Cervi uſto, pulvere Matriſperlæ, Ebore, Corallis, & Cortice ovorum præparato, & ſimilibus, & etiam Aromaticis ad enervationem dicti acidi inſerviunt.

Quoad calorem, eſt maximè neceſſarium ad Chylificationis miniſterium, & organi Chylificationis conditionem adimplet, quamvis non ſit ventriculo intimè unitus; quia ad integram perfectionem organi Chylificationis requiritur, ut ejus calor ſit liber, & poſſint particulæ calidæ ſe inſinuare alimentis, eorumque maſſam pervadere, quòd optimè perficit calidus effluxus à ſanguine in venis, & arteriis per ventriculi ſubſtantiam diſſeminatis emanans, & à circumſtantibus partibus exiens, (nullum enim alium habet calorem ventriculus operi chylificationis proportionatum, quàm illum à dicto effluxu ei comunicatum, cùm ſit pars membranoſa ex ſui natura frigida) quapropter talis effluxus, & calor ab eo dependes dicitur naturalis calor ventriculi, quia requiritur ad hoc, ut ventriculus uniat in ſe omnes perfectiones organi Chylificationis, quam calor totam non perficit, ut voluerunt Antiqui, non agnoſcentes acidi ventriculi, & ſalivæ virtutem fermentativam, principaliores tamen præſtat effectus, & primò totam maſſam Chyloſam dictis particulis calidis homogeneis naturæ, & temperamento individui fœcundat, & hæc tali modo excalefacta ita diſponitur, ut evadat proportionata materia ad præparationem alimenti convenientis naturæ, & temperamento individui, quia impregnata calido proportionato naturæ talis individui, & ſine hoc calore licèt maſſa illa præparetur non eſſet apta tali individuo, quia in ſe non conſervaret partes calidas, cum proportione debita temperamento individui, ideò in febribus, quò plus nutrimur, eò magis humores pravos augemus, eò quia alimentis in ventriculo imprimitur calor febrilis improportionatus naturali temperamento, & maſſa Chyloſa in quam alimenta vertuntur, evadit etiam materia improportionata pro conficiendo optimo ſanguine, pro reparatione deperditi, & ſi hujuſmodi calor debilis fuerit maſſa chyloſa hujus beneficio orbata, in perfectione deficit hanc etiam auferendo toti maſſæ ſanguineæ, cum ex imperfecto Chylo imperfectus ſanguis generetur.

Hinc evenit, quòd in maxima caloris jactura facta per nimias evacuationes, vel per morbos longos, vel per violenta exercitia, vel per immoderatum Veneris uſum concoctiones depravatæ apparent, vel imperfectæ, & inter cæteras cauſas adeſt etiam iſta, nempè partes ventriculo vicinas particulas calidas huic in parva quantitate comunicare: eò quòd à prædictis cauſis in magna copia fuerint diſſipatæ; idcircò in febrium acceſſionibus decretum fuit cum omni ratione abſtinendum eſſe à cibo, quia in his calor totus opprimitur, & concentratur, ut non poſſit fieri debita expiratio, & impreſſio particularum calidarum in aſſumpta alimenta, à qua veluti vivificantur, & diſpoſitionem ad optimam nutritionem accipiunt, ab hac caloris oppreſſione in dicto ſtatu febrili fermentum non excitatur, nec fermentatio ſubſtantiæ alimentalis promovetur, unde ſequitur neceſſaria iſtius degeneratio in excrementa.

Huic imperfectioni occurrimus cum eis, quæ calorem augent, ut ſunt calida, & Aromata.

Si verò hic calor nimis excedat, ut contingit in corporibus, bilioſis, & hypocondriacis, multiplicia circa concoctionem accedunt Symptomata, nam ab hoc alimenta velut aduruntur, & in nidroſam degenerant cruditatem aptam bilis copiam augere. Hac ratione optimè ab antiquis ſancitum fuit in augmento, & ſtatu febrium non eſſe exhibenda alimenta, quia à calore febrili in ventriculo velut aduruntur, & exaltato ſupramodum eorum ſulphure, & ſale diſponuntur ad mutationem in bilioſum excrementum, quòd quando intra venas, & arterias receptum erit, febrili effervescentia æſtuabit, & aduſtionem patietur, fermento febrili cum hac mutatione potiùs ſuppetias laturum, quàm viribus robur, & nutritioni materiam. A nimia etiam caliditate concepta tamquam à ſtimulo anticipatur ciborum exitus, & ſic ſemicocti excrementi potiùs, quàm optimi ſucci naturam redolent, & expelluntur cum detrimento maſſæ ſanguineæ, in qua hujuſmodi excrementa colliguntur.

Hinc eſt, quod omnia refrigerantia huic indiſpoſitioni opem ferunt, & obſervamus in praxi depravatam concoctionem calidis remediis quandoque non emendari, ubi à refrigerantibus ſæpè corrigitur, & in hoc errore conſiſtit ratio illius communis adagii, hæpar calidum facere ventriculum frigidum, dum exiſtimatur depravatam concoctionem provenientem à calore, ut ſuperiùs dicebam à frigiditate ventriculi pendere, & omnes querelæ ab hypocondriacis de ſuo ſtomacho vociferatæ, radicem habent in aucto hyponcondriorum calore, illum ventriculi augente; & in propoſito caſu fateor, me nunquam intelligere potuiſſe, quomodo calor partium ventriculum obſidentium, & ſanguinis poſſit refrigerare ventriculum, trahendo ad ſe calorem iſtius tamquam cucurbitulam; nam experientia irrefragabili conſtat ab omnibus corporibus calidis effluvia calida majora, vel minora juxta caloris exceſſum tranſpirare, & in vicina corpora impreſſa, hæc calefieri partibus; ergo ventriculum circumobſidentibus ſummè excalefactis expirabunt effluvia calida, & imprimentur ventriculo, & in ejus cavitatem diffundentur, & hæc calefacient, & ſubſtantiam ventriculi non refrigerabunt. Hanc tranſpirationem calidorum effluviorum à partibus internis ad evidentiam obſervamus, in recenter exenteratis animalibus, dum vaporem ab his in formam nubis denſam exhalare videmus, & tali calore præditum, ut medici pro corroborando calore partium, & pro diſſolvendis humoribus contumacibus in eis infixis partem affectam in exenteratis animalibus imponere jubeant. Talis evaporatio à ſanguine è ſecta vena emiſſo tranſpirat, & his ſtantibus, credendum erit hæc effluvia à partibus ventriculo circumſtantibus, & à ſanguine evaporare, & in ventriculum connexum, ſubiectum, & vicinum imprimi, & ab his non calefieri, imò potiùs refrigerari?

Harum cauſarum ſigna manifeſta à ſenſibili calore in partibus naturalibus, ſicuti caloris deficentia percipitur à temperamento frigido, vel ab illis cauſis præcedentibus ſuperiùs ennumeratis, quibus poteſt adjungi nimius frigidorum uſus.

Aliud etiam beneficium præſtat hic calor ventriculo ab adiacentibus partibus impreſſus, & eſt fermentum ventriculi volatilizare, ad motum excitare, & in hoc conſervare; In tali motu omnis actio fermenti conſiſtit, ſicuti omnis naturæ operatio, natura enim eſt principium motus, calorem volatilizare omnibus naturæ ſcrutatoribus perſpiquum eſt, cùm valeat in minutiſſimas particulas corpora divi-

dividere, à quo volatilizatio habetur; ad motum excitare, & hunc conſervare ipſius caloris eſſentia demonſtrat, quæ ſi, ſecundùm Ariſtotelem conſideretur, prout congregans Homogenea, & diſgregans ethærogenea, exprimit motum neceſſarium ad hanc congregationem & diſgregationem, ſi verò conſideretur, ſecundùm Recentiores, quatenus conſiſtit calor in motu rapido particularum ignearum, & ſulphurearum, patet in ſuo eſſentiali conceptu calorem motum includere; quapropter ubi calor hic erit parvus, & debilis, fermentum etiam erit minus volatile, & minus activum, quia cum minori motu, & conſequenter alimentorum præparatio diminuta evadet, quòd experiuntur omnes illi debile temperamentum à natura ſortiti, & etiam illi, qui errore aliquo calorem enervarunt cùm pro aliquo tempore concoctiones debiliter, & depravatæ exerceant, unde calorem augendo per Aromatica, & calida, fermentum etiam ad volatilitatem, & ad motum revocabimus, & concoctionem ad perfectionem exaltabimus.

E contra calor auctus, & immoderatus, vel fermentum diſſipat, ut contingit in febribus, in quibus inappetentia ſemper ferè reperitur, cum nauſea, & multoties cum ciborum abominatione, & degeneratione aſſumptorum alimentorum in excrementa, ob ſolam diſſipationem fermenti à calore febrili præternaturali, & in hac diſſipatione fermenti conſiſtit debilitas illa ventriculi excitata à calore intenſo partium ei circumſtantium, & quam antiqui voluerunt pendere à calore ventriculi valdè remiſſo; & penè extincto, ab intenſione caloris dictarum partium, quòd rationi videtur repugnare, nam calor habet intendere non extinguere alium calorem, cùm calor non ſit contrarius calori, & qualitates, niſi à contraria qualitate extinguantur in antiquorum ſententia, nec hujus rationis vim ſubterfugiunt dicendo à calore partium adiacientium, ventriculi poroſitates dilatari, ut per eas calor proprius, & nativus in copia expiret, cum diminutione ſenſibili, & morboſa remanentis; nam per pororum dilatationem non eſt minùs probabile calorem ventriculi in copia tranſpirare, quàm calorem partium in copia majori in illum ingredi, & per totam ſubſtantiam ejus diſperdi, qui dato etiam non ſit proprius ventriculi, ut illi aſſerunt, quamvis poſſet negari; tamen quia potior pars Chylificationis à fermento ventriculi ſpecifico operatur, & quilibet calor dummodò humanæ naturæ proprius poteſt ſupplere muneribus deſtinatis calori ventriculi, ſicuti videmus extrinſeca calida aſſumpta opem ferre, & ſicuti calor ventriculi conſervatur à calore ſanguinis, quem in ſui nutrimentum recipit, non quia calor iſtius ſit proprius ventriculi, ſed quia ab hoc ita diſponitur in proprii alimenti præparatione, ut calor iſtius fiat proprius, & innato ſimilis ſuſcepta modificatione naturæ hujus convenienti, ita eadem virtute calor impreſſus ventriculo à circumſtantibus partibus, per ſubtiliſſimas particulas calidas ei communicatas (ut cum eiſdem antiquis loquar) & à ſanguine effervеſcente earumdem partium elevatas, ita poteſt modificari ad normam caloris ſanguinis, ut proprius ventriculi evadat; Nec exemplum, quòd afferunt de candella, quæ apud magnum incendium extinguitur, nihil roboris habet ad eorum ſententiam confirmandam; nam non extinguitur flamma candellæ à flamma incendii, ut ſupponunt, ſed quia magnum incendium ſummè aerem agitat, & ab hac agitatione candellæ flamma extinguitur, non aliter, ac à vento, cui ſimilis eſt dicta agitatio aeris, & in calidis particulis ventriculo communicatis, non poteſt ineſſe talis impetus, ut valeat calidum illius extra pellere, cùm partes, à quibus expirant dictæ particulæ, non ſint in ſtatu morboſo, nec adſit in eis agens impetum ſimilem aeri validè agitato imprimens, & quia omnis expiratio, vel tranſpiratio effluviorum noſtri corporis eſt placida, & inſenſibilis, ut patet in tranſpiratione totius per cutem, quæ licèt copioſa, non eſt à ſenſu perceptibilis, quia ſine impetu, & violentia, ex quo potiùs credendum eſt, quod calidum ventriculi ab his effluviis calidis extrinſecis corroboretur, & augeatur.

Poſſunt quidem à motu dictarum particularum calidarum diſſipari illæ portiones acidi per ſolam ſuperficiem membranæ interioris ventriculi diſperſæ, quia non ſunt colligatæ cum partibus ſolidis ejuſdem membranæ, ſed ſolùm contiguæ, & his diſſipatis ob defectum fermenti concoctio alimentorum debilitatur, vel depravatur.

Hinc habetur etiam ratio, quare in æſtate appetitus minuatur, & concoctiones alimentorum, etiam imperfectiores ſequantur, quia ab æſtuante nimis ſanguine ventriculi fermentum debilitatur; in hyeme verò, in qua ſanguis minus fervet, acidum ventriculi eſt magis validum, & activum, ideò etiam magis appetimus, & majorem ciborum quantitatem perfectè concoquimus, & in hoc ſenſu explicandus Aphoriſmus ille, hyeme ventres calidiſſimi, reſpectu perfectionis concoctionum, itaut, calidiſſimi, non denotet exceſſum caloris, ſed modum iſtius operandi perfectum, quia calor internus corporis in hyeme ad talem gradum eſt redactus, ut fermentum ventriculi in ſumma perfectione conſervet, volatilizatione debita, & congruo motu, à quibus habetur perfectio concoctionis alimentorum, ideò dicuntur ventres hyeme calidiſſimi. Et ita Antiqui cognoverunt concoctionem lædi ab exceſſu caloris partium ventriculo vicinarum; modum verò hujus læſionis non rectè diſtinxerunt. Remedia verò opportuna cognoverunt, & præſcripſerunt, quòd ſatis eſt, ad medicinæ finem conſequendum, pro quo ſufficit cauſam læſæ operationis attingere, licèt modum, quo cauſa talem infert læſionem, verè non percipiamus. Quapropter cum antiquis refrigerantibus eſt utendum prò corrigenda concoctione depravata ab exceſſu caloris, quibus miſcendum Salnitrum ſæpiùs fuſum, & per totidem vices in aqua extinctum; eſt enim magis caloris excedentis, & acida ad reparationem fermenti, quæ frigida ab antiquis cenſentur.

Fermentum redditur etiam magis activum à calore, non quia illud diſſipet, ſed ob volatilitatem majorem, quam ei imprimit, unde alimenta nimis diſſolvit cum coctionis depravatione, & generatione excrementorum calidorum, vel alimentorum putredine. Idcircò etiam quæ calorem temperant, fermentum ad mediocritatem reducunt ſicuti diſſipatum reſtituunt, præcipuè ſi cum iſtis acida, de quibus ſuperiùs dixi miſceantur.

Ultimum requiſitum ad perfectam alimentorum præparationem in ventriculo eſt fermentatio propria; Per fermentationem propriam alimentorum intelligo motum particularum conſtituentium ipſorum ſubſtantiam, qui motus cùm eſſet repreſſus à textura propriæ ſubſtantiæ, hac ablata reſtituitur eiſdem particulis motus, qui dicitur fermentatio, expreſſus ab Hippocrate in lib. de Affec. in illis verbis; valentiores autem cibi cùm ventriculum ſubierint, tum intumeſcunt, tum plenitudinem excitant. Valentiores cibi dicuntur, qui particulis valdè activis abundant, undè imbecilles cibi paulò ſuperiùs in eodem loco dicuntur, qui calefacti in ventriculo, nec intumeſcunt, nec implent. Per intumeſcentiam autem, quis non agnoſcit fermentationem, cùm obſervari poſſit ab omnibus farinam fermentatam intumeſcere, & aptam eſſe ad implendum, & diſtendendum, & idem expreſſit in lib. de natura pueri, ubi habet. Atque non aliter quàm in homine ingeſtis in ventriculum cibis, qui dum concoquuntur calefaciunt; non poſſunt verò calefacere, niſi eorum particulæ calidæ moveantur per fermentationem, & talis motus, licèt tendat ad integram diſſolutionem texturæ, non tendit ad putredinem, cùm in aliam ducat texturam dictas particulas alimentorum, nempè in texturam maſſæ Chyloſæ, retentis ab hac particulis calidis, & ſulphureis, per quod excluditur putredo, cum hæc communiter deffiniatur caloris interitus in humido, hinc deducitur hanc fermentationem eſſe blandam, & humidam, & in hoc motu fermentativo, alimentorum materiam craſſitiem aliquam detinere, à qua irretiuntur illorum particulæ volatiles, & ſubtiliores, quæ per motum cum aliis miſcentur, & ſua penetratione craſſiores dividendo, & attenuando maſſam ad unam Homogeneitatem ſolo motu reducunt.

Verum quidem eſt, quòd humidum ſi non ità attenuatur, ut avolet, ita tamen rarefit, ut in parvas quaſdam bullas extollatur, eo modo quo ſpumma in aqua, vel albumine ovi conquaſſato apparet, ex quo infertur ratio albedinis, ſeù potiùs cineritii coloris maſſæ chyloſæ, quam coadiuvat etiam acidum fermenti, cum alimentorum parte alkalica unitum, eo modo quo videmus aquas ab herbis

lacti-

lacticinoſis extractas lateſcere, ſi acidum liquorem in eis inſtillemus. Hæc fermentatio coadiuvatur à calido, & à fermento ventriculi, unde quicumque errores induċti, vel à parvo, & inerti fermento, vel à debili, & excedenti calore, huic fermentationi etiam ſunt applicandi, & etiam corrigendi cum regula ſupradicta, nam calor debilis cum debili fermento, vel fermentum debile ſolùm inertem reddet fermentationem, & ita partes craſſæ à calore debilitato unà cum fermento parvam ſuſcipient alterationem, & Chylificationem depravabunt, & poſtea ſanguificationem.

Calor magnus, & fermentum valdè activum fermentationem validiorem efficient, unde, vel ad putredinem, vel ad cruditatem nidroſam, vel acidam pervenient alimenta, quandoque cum Diarrhæa bilioſa, & quandoque pituitoſa, vel aquea indigeſta. Adnotandum tamen eſt alimenta ipſa poſſe hanc fermentationem debilem reddere, ſi ſint nimis craſſa, & denſa, ut ſunt legumina, carnes bubulæ, porcinæ, carnes ſalitæ, & ſimilia, aliquando etiam majorem eam faciunt, ſi alimenta ſint ſpiritoſa, & multis volatilibus partibus donata, ut ſunt Aromata, ova ſorbilia, vel ſi alimenta ſint ex ſua natura valdè fermentativa, ut ſunt fructus horarii, quorum ſuccum expreſſum valdè fermenteſcere obſervamus, & hæc omnia contingunt etiam, ſi cætera ad alimentorum præparationem rectè ſe habeant; idcircò errores in hoc caſu contingentes dicuntur errores externi, ad quos reducitur etiam magna alimentorum quantitas improportionata virtuti fermenti, caloris, & fermentationis.

CAPUT IV.

De Præparatione maſſæ Chyloſæ in inteſtinis.

A Ventriculo in inteſtinum duodennum Maſſa Chyloſa deſcendit paulatim, & per iteratas vices, ut communiter ſentiunt Saniores Anatomici. In Inteſtino duodenno, advenienti Chylo occurrit bilis, per ducti Cholidoci Orificium, & ſuccus pancreaticus per ductus Verſungiani janvam in duodennum eructatus. Ambo hos humores ferè continuò inteſtini irrigare probabile videtur imò evidens data ſanguinis circulatione, per quam continuò bilis deponitur in veſica fellea, & ad pancreas materia in ſuccum proprium elaboranda defertur; unde ſtante continua elaboratione hujus ſucci, & ſecretione bilis, neceſſe eſt concludere nullo adveniente obſtaculo utrumque humorem continuò etiam expelli, cùm parva ſit capacitas Cyſtis, in qua continetur bilis, quæ perennem iſtius congregationem in ſe retinere non valet, & ductus pancreaticus hoc viſcus medium interſecans, & in quem humor præparatus in grandulis ejuſdem pancreatis colligitur, tam parvæ eſt capacitatis, ut pro receptione novi humoris de novo geniti præcedentem à ſe expellere cogatur: Si continuò hi humores inteſtina perluunt, neceſſe eſt etiam aſſerere Chylo deſcendenti confundi, & miſceri attenta iſtorum fluxibilitate facilem imò neceſſariam mixtionem coadiuvante, & cùm maſſa Chyloſa ſit fluxibilis, non videò quid prohibere valeat, ut ei non miſceatur & bilis, & ſuccus pancreaticus, imò firmiter credendum eſt hanc ſequi mixtionem; & hac ſecuta rogo Lectorem, ut depoſita omni affectione antiquitati conſecrata, & ei debita in rebus veritati conſonis, attentè perpendat finem à natura intentum in hac mixtione.

Si ſupponamus prædictos humores eſſe excrementa inutilia, nullique officio deſtinata, concludendum eſt naturam maſſæ Chyloſæ depravationem voluiſſe, excrementiſque coinquinandam eſſe decreviſſe, ſed cùm tantus error naturæ non ſit imponendus, quæ omnia ad animalis beneficium direxit, ejuſque conſervationi ſapienti induſtria ſua artificia, & miniſteria obtulit; idcircò judicandum eſt materiam, quæ pro alimento inſervire debet, potiùs depurandam fuiſſe ex naturæ decreto, pro ut exigebat ejus conditio, cùm à ventriculo maſſa Chyloſa ad inteſtina deſcendat fœcibus, in alimentis præexiſtentibus omninò inutilibus, & animali noxiis coinquinata, quam credere naturam voluiſſe materiam conſervationi totius neceſſariam, & depuratione indigentem excremenis conſpurcare, & cum de facto in inteſtinis perfecta Chylificatio operetur, quia in Iſtis exequitur ſecretio fœcum à maſſa Chyloſa, qua pars hujus utilior, & benignior depurata manet, ut in verum ſanguinem, & alimentum corporis converti valeat, quòd impotens eſt acquirere, niſi quando à fœcibus eſt purgata. At cum prædicti humores non ſint excrementitii, & inutiles, & huic maſſæ depurandæ miſceantur habemus maximum fundamentum ad aſſerendum, prædictos humores Chylo miſceri, ut fœcum ſequeſtratio fiat, & tale fundamentum magis efficax evadit, ex hac conſideratione, quòd non poſſit fieri iſta depuratio partium utilium ab inutilibus, niſi aliquo medio, & in hoc caſu non poteſt aſſignari aliud, quàm bilis, & ſuccus pancreaticus mixti cum maſſa chyloſa; nam fermentatio, ſive motus inteſtinus particularum conſtituentium Maſſam Chyloſam, licèt ſit potens depurationem ſupradictam perficere cum motu inteſtino particularum fieri poſſit ſequeſtratio utilis ab inutili, nihilominus fermentatio ſola maſſæ chyloſæ, vel motus inteſtinus ſuarum particularum non eſt habilis ad talem depurationem, quia hæc longo tempore indiget, ut videmus in muſto, ſuccis herbarum, & fructuum, in quibus non fit fœcum depoſitio fermentationis propriæ opera, niſi ſpatio multorum dierum, & fermentatio in his fortè eſt validior, quàm in maſſa chyloſa, & tamen breviſſimo tempore fieri ſecretionem partium utilium ab excrementitiis, à materia in ventriculo præparata obſervamus cùm poſt quatuor, vel quinque horas à cibo, in animali vivo ſecto venas lacteas Chylo perfecto plenas præcedente excrementorum ſequeſtratione obſervemus, & excluſa fermentatione prædicta ab hoc opere, non remanet aliud excogitabile hanc ſecretionem perficiens, niſi prædicti humores bilis, & ſuccus pancreaticus.

Et in medium afferre facultatem ſecretricem mihi videtur Chymericum quoddam exponi; nam iſta facultas ſecretrix debet poni in inteſtinis, non in Chylo, & quomodò ab inteſtinis ad hunc ſe extendat, cùm Chylus non ſit continuus, nec conjunctus cum inteſtinis, non poteſt explicari: Præterquamquod omnes facultates animæ, inter quas ſecretio connumeratur, pro ſuo miniſterio indigent ſemper aliquo medio, ſeù inſtrumento, à quo neque eximitur facultas rationalis in multis ſuis operationibus, vel ſenſibus, vel iſtorum organis, vel Phantaſmatibus materialibus utens; Attratrix enim retentrix, & expultrix utuntur fibris pro medio, & inſtrumento operis exercendi, in noſtro caſu non eſt aſſignabile nec medium, nec inſtrumentum aptum inſervire facultati ſecretrici conſequenter vana eſt iſtius aſſertio, & determinatio in ſecernenda parte Chyli pura ab impura: Quòd ſi pro tali medio, & inſtrumento aſſignentur prædicti humores, tunc eſſet idem cum Recentioribus ſentire ſtabiliendo facultatem ſecretricem habere ſedem in humoribus, nec aliud eſſe, quàm activitatem humorum ſe extendentem ad depurationem Chyli modo explicato, & ſi admittatur humores eſſe animatos, facultatem ſecretricem quatenus eſt facultas animæ, cùm humoribus eſſe conjunctam poſſet aſſeri.

Ulterius cùm pateat hanc ſecretionem breviſſimo tempore perfici, ex eo quod per ſectionem animalium vivorum inſpiciatur Chylus in lacteis, poſt quatuor horas à cibo, putandum eſt Chylum perfectum elaborari ea operatione, & miniſterio, quo brevi ſpatio ſegregatio partium conficitur, tale autem medium eſt ſola præcipitatio, cùm Chymicis notum ſit experientia, ſola admixtione præcipitantis, cum aliquo humido alienam ſubſtantiam diſſolutam in ſe continente, ſtatim dictam ſubſtantiam alienam præcipitari, ſic aurum diſſolutum ad formam auri potabilis admixtione boracis mineralis totum citiſſimè in fundo præcipitatnr nihil de ſuo pondere deperdens, ſic argentum ab aqua forti diſſolutum per admixtionem aquæ ſalſæ petit fundum vaſis, in quo continetur. Idem putandum eſt contingere maſſæ Chyloſæ per admixtionem bilis, & ſucci pancreatici, dum ab iſtis humoribus ſtatim fœces chyli præcipitantur remanente humore albo, puro, ſimplici, & defœcato.

Hanc præcipitationem poteſt coadjuvare fermentatio particularum maſſæ chyloſæ, & forſan etiam efferveſcen-

ſcentia accenſa ab horum duorum humorum concurſu.

Fit hæc præcipitatio, eo modo quo fiunt præcipitationes Chymicæ per unionem menſtrui ſolventis, cum liquore præcipitante; ex iſta enim unione neceſſariò ſequitur quòd ſubſtantia à menſtruo ſoluta ſit præcipitanda, ablata per ſupradictam unionem capacitate poroſitatum intra quas continebatur ſubſtantia ſoluta, unde ob deficientiam ſpatii, & loci cogitur diſſoluta ſubſtantia fundum vaſis cum præcipitatione petere, ſic bilis, & ſuccus pancreaticus mixti, cum illa portione Chyli, quæ paulatim ab inteſtinis deſcendit, uniuntur illi portioni magis ſubtili, tenuiori fluvidiori, & magis ſpiritoſæ, & in iſta unione intermediæ fœces expelluntur à conſortio iſtarum, & ſic fit ſeparatio utilis, ab inutili per præcipitationem. Miſcentur bilis, & ſuccus pancreaticus portioni maſſæ Chyloſæ ob tenuitatem, & volatilitatem ſuarum particularum, quibus habilitantur ad ſe inſinuandum, & penetrandum in alias ſubſtantias maximè poroſas, qualis eſt maſſa Chyloſa, velut ſpongioſa facta cum pororum amplitudine à fermentatione paſſa in ventriculo. Uniuntur verò ſimul prædicti humores, & pars fluvidior, & tenuior maſſæ Chyloſæ, ob ſimilitudinem ſubſtantiæ; faciliùs eſt enim ſubſtantias æqualiter fluvidas ſimul miſceri, quales ſunt prædictæ, quàm ſubſtantiam fluvidam, cum craſſa prout ſunt fœces alimentorum in maſſa Chyloſa exiſtentes, & hujuſmodi facilitas habetur à textura corporis magis fluidi, quæ facilè ſuſcipit admixtionem alterius corporis ob diſiunctionem ſuarum partium, per quam ſine difficultate ſpatium particulis alterius corporis paratur, itaut mixtionem inter ſe acquirant nulla vi contranitente prout patet experientia.

Bilis, & ſuccus pancreaticus facilè uniuntur prædictæ parti puriori Chyli ob naturalem tenuitatem, & fluxibilitatem, & hanc unionem coadiuvat bilis alkalica, & ſuccus pancreaticus acidus; nam bili per hoc uniuntur acidæ particulæ partis fluidæ Chyli, & ſucco pancreatico partes alkalicæ cùm notum ſit in Chymica partes alkalicas acidis uniri. Quòdſi admitteretur bilem, & ſuccum pancreaticum maſſæ Chyloſæ mixta ſimul effervescere tunc faciliorem habebimus præcipitationem partium craſſarum, quæ à dicto motu majori facilitate deturbarentur inferiùs. Bilem cum Chylo miſceri deducitur ab Hippocrate libro de aere, aquis, & locis num. 24. ubi docet bilem lacti miſceri. Lac verò à Chylo immediatè procedere docent multi, & ſi Chylo miſcetur bilis non eſt ratio, per quam poſſit negari admixtio ſucci pancreatici cùm hic concurrat in loco, in quo bilis transfunditur à ſua cyſti in inteſtinum.

Bilis Chylo admixta præter hoc, quòd fœces præcipitat eique puritatem conciliat, alia etiam beneficia impertitur, cum enim attenuat, & ſubtiliat, ut facillimè per venas lacteas, & Meſenterii glandulas tranſire poſſit, calorem etiam ſuo ſpiritu volatili, & ſulphure infundit, quo habilitatem ad accenſionem unà cum ſanguine inſtillat, cùm omne calidum, & ſulphureum ad accenſionem diſponat, ab his duobus calore, & facilitate ad accenſionem, ut ſuſcipiat ſanguinis purpuram, chylus præparatur, & à ſola bile hanc recognoſcere debet; & in hujus confirmationem videtur locutum fuiſse Hippocratem in lib. de veteri medicina his verbis, etenim venæ ex ventre, & inteſtinis, inque cibi, ac potus colliguntur, poſtquam ſi fuerint calefacti tenuiſſimum, ac liquidiſſimum trahunt, craſſiſſimum autem, & ex hinc relinquitur, ubi conſiderando illa verba, poſtquam fuerint calefacti, non poſsumus intelligere cibos calefieri in inteſtinis, quia eſsent frigidi, & tamen calorem receperunt in ventriculo; debemus ergo concipere cibos majorem calorem ſuſcipere in inteſtinis, & hunc non poſsunt ſuſcipere niſi per admixtionem calidi, quod eſt bilis, & per fermentationem, quæ peragatur in his; nec hæc tamquam nova ſunt reicienda; nam dato quòd Chylus ſit bile imbutus, per admixtionem ejuſdem bilis hæc omnia in eo præſtare debet. Miſceri autem patet ex ſuperiùs dictis, bilem verò attenuare à ſuo Sale habemus calefacere, & accendere à ſuo ſpiritu volatili, & ſulphure, his enim omnibus conſtare ejus ſolutio per chymicam demonſtrat, ſed ejus ſapor, etiam de ſuo ſale certos nos facit, & effectus quos in corpore parit nempè calorem, accenſionem ſanguinis in ira manifeſtata, & ſpiritoſa habilitas ad omnia agenda in temperamentis biliosis vigens, idem comprobant, ex omnium vero admittentium in qualibet ſecta hos bilis, effectus, & ſi prædictos effectus efficit in ſanguine bilis, debet etiam eoſdem in Chylo producere, dum huic miſcetur, in ſanguine verò tales effectus gigni à bile Auctor eſt Hippocrates lib. I. de morbis num. 28. in his verbis cum igitur bilis commota venas, & ſanguinem ingreſsa fuerit, ſanguinem ex conſueta compage dimovet, & feroſum facit, ac calefacit, conſequenter idem eveniet Chylo dum huic miſcetur bilis, & idem confirmavit lib. 2. de morbis dicendo, cum ſanguis in capite à bile, aut pituita fuerit calefactus, & commotus, bilis itaque Chylum calefaciet, & commovebit, dum huic miſcetur.

Succus pancreaticus æmulus bilis in exaltando Chylum ſua aciditate præter fœcum ſequeſtrationem, & præcipitationem, quadam viſcoſitate, nec ſubtilitatem, nec volatilitatem auferente munit, per quam cordis rarefactionem, & effervescentiam ſuſtinere poſſit ſine partium diſsolutione, de cujus rei veritate patebit, quando de Lympha.

Hinc patet lædi hanc depurationem Maſsæ Chyloſæ à craſſis fœcibus, quando bilis nullo modo ei miſcetur, quod evenit in ictero, obſtructo ductu cholidoco impediente transfuſionem bilis in cavitatem inteſtini; idcircò fœces in hoc morbo formam pultis ſemialbicantis referunt, & quandoque Ictero emaciatio totius coniungitur, ablato alimento partibus, dum impeditur à maſsa chyloſa ſegregatio utilis, ab inutili, tota ad univerſalem cloacam deſcendente, & tamquam maſsa excrementitia extra corpus pulſa in hoc caſu conveniunt ea omnia, quæ Ictero opitulantur, ut ſunt deobſtruentia martialia, & Antimonialia, & tartarea, præcipuum tamen locum tenet ſal tartari volatile, decoctum Marrubii deſcriptum à Matthiolo in tractatu de hoc ſimplici, ſtercus album Gallinaceorum, vel Gallinarum, quæ in Vere paſcuntur herbis, à Sole, vel in alio loco calido exſiccatum, maceretur in ℥. iv. vini per noctem ad quantitatem ʒ. i. & manè vinum per linteum traiiciatur, & exhibeatur, medicamentum ex Sapone deſcriptum à Silvio Le-boe, Pulvis Millepedum cum jure Cicerum rubrorum, Chylidoniæ major Radix, Centaureæ minoris, & radix Curcumæ ad ʒ. i. in aqua ſpecifica, frangit etiam lapidem obſtruentem ductum cho'idocum, & alia hujuſmodi, quæ alio in loco, ubi de bile agendum erit, recenſebimus.

Impeditur unio etiam bilis cum Maſsa Chyloſa ab iſtius craſſitie, impediente reductionem ad minima, pro mixtione neceſsaria, quod contingit, quotieſcumque craſſi, & pituitoſi humores abundant in corpore, & ſaliva valdè craſsa exiſtit, quæ in ſuo deſcenſu per Oeſophagum ad ventriculum, & inteſtina bilem inviſcat, & incraſsat, & tunc attenuantibus utendum, ut ſunt omnes radices aperientes, & ſalia omnia alkalica abſynthii, gentianæ, Tartari Vitriolati, & omnia ſalia, à Cæphalicis herbis extracta, idem præſtant etiam ſalia alkalica volatilia Cornucervi, Fuliginis, Carhabe, Salis armoniaci, Sanguinis humani, ſed quia ſalia fixa ſuperiùs deſcripta facilimè ſuas vires in inteſtinis exercere poſſunt, à volatilibus abſtinendum eſse judico, quæ continuo uſu perniciem Maſsæ ſanguineæ ſunt apta inferre; niſi videremus ab alkalicis fixis nullum ſequi juvamen, omnia etiam aromatica attenuare valent bilem, & præcipuè Elixir proprietatis Paracelſi, acida quoque attenuationi conferre aliqui volunt; ſed quia in hoc caſu aciditatem ſucci Pancreatici augere poſsunt cum bilis enervatione; ideò ab iſtis ſuperſedendum. Poſsent tamen cum utilitate coniungi cum ſalibus alkalicis fixis, ut ſi Spiritus Vitrioli, cum Sale abſynthii, & Gentianæ, vel aliis coaguletur.

Bilis etiam inertia ad depravationem ſecretionis fœcum conſpirabit, quando ex deficientia, vel nimia modificatione ſui ſalis; & ſulphuris paucitate, vel imbecillitate, & ſpiritus paupertate impotens erit penetrare Maſsam Chyloſam, quòd contingit, quando ab aqueo humore ſuperabundante retunduntur prædictæ particulæ, vel à temperamento frigido, vel à cauſa refrigerante, & diſsolvente earum particularum neceſsaria generatio prohibetur, & tunc oritur indicatio bilem augendi per aromatica acria, ut ſunt Zinziber, Sinapis, Semen naſturtii, Piper, Raphanum ſilveſtre, Naſturtium aquaticum, Arundinaria;

Abſyn-

Abſynthium, & ſimilia, & omnia ex Aromaticis compoſita, de quibus plenæ ſunt Pharmacopeæ.

His remediis uſi ſunt antiqui in Cæliaca Paſſione, quæ conſiſtit in hac impedita fœcum ſecretione, & in expulſione partium utilium, & inutilium maſſæ chiloſæ, cum à Lienteria diſtinguatur ſolùm per hoc, quòd in illa cibi immutati excernuntur, in iſta cibi cum aliqua alteratione expelluntur, ſed alteratio eſt imperfecta, & expulſio eſt partis utilis, & inutilis ciborum, & ideò per hujuſmodi medicamenta intentionem habuerunt Antiqui corroborandi facultatem retentricem, à cujus læſione per frigidam, & humidam intemperiem putabant oriri fluxum cœliacum, ex eo quod dicta facultas non valeret retinere alimenta præparata ad integram ſegregationem utilis, ab inutili, quæ ratio licèt ſit nulla ob alibi dicta de facultatibus; Syſtema tamen curativum non pervertit, & quamvis ſit error in cognitione cauſæ, non eſt in curatione, & hoc Medico Practico, & Ægro ſatis eſt. At ſi error in ſecretricem læſam refunderetur, eſſet conſenſus etiam in cauſæ determinatione, ob dicta de bile ſuperiùs, quæ tantùm inſtrumentum facultatis ſecretricis poſſet conſiderari. Hujuſmodi remedia Aromatica, & acria reſtituendo ſulphur, & ſpiritus bili Chylo etiam opitulantur calorem, & ſpiritum huic ſubminiſtrando, ſine quo in bonum ſanguinem mutari non poteſt, ſed in vappidum, & debilem, effetumque humorem tranſiret, in ſeroſam colluviem facilè abiturum, tranſpirante vi caloris cordis parvo ſpiritu, quo perfunditur, dum per hoc circulatur, & vi ejuſdem caloris rarefacta ad ſummum aquea humiditate, qua partes componentes colligantur.

Eadem Aromatica calida, & quæcumque remedia etiam acria ſal bilis augendo, ejuſque acrimoniam ad naturalem exaltationem efferendo opitulantur imperfectioni Chyli contractæ ex bilis inertia, qua non valuit Chylum attenuare, ſicuti convenit ejus naturæ, & bono totius corporis, & ita dictis remediis occurrimus morbis, qui oriri poſſunt à craſſo Chylo maſſam ſanguinis præter naturam incraſſante.

E contra verò à bile nimis exaltata, & acri reddita per redundantiam, & volatilitatem innati ſalis adeò attenuatur maſſa Chyli, ut ſanguis ab ea tenuiſſimus reſultet, cum facilitate ad efferveſcentiam præternaturalem, diſſolutionemque ſuſcipiendam, etiam à levi cauſa calefaciente, & diſſolvente; Et tunc fixantibus, & adſtringentibus bilis exaltata ſupprimenda, ejuſque acrimonia aqueis, & oleoſis dulcificantibus moderanda.

Et ſi bilis cum ſuo ſulphure Chylo conjungitur, ad hoc ut diſponat, ad accenſionem in corde, ſi à nimia copia hujus ſulphuris fœcundetur inflammabilem adeò reddit; ut uſtione depravetur, cum multiplicatione morboſa partium aduſtarum, & bilioſarum, in maſſa ſanguinea, & tunc opus eſt refrigerantibus, & acidis, ſulphuris copiam, vel minuere, vel debilitare.

E contra, ſi ob hujus ſulphuris defectum in bile, Chylus, in ſanguinem mutandus, parum accenſibilis reddatur, ut contingit in frigidis pituitoſis, & melancholicis temperamentis, tunc ſulphureis remediis augendum eſt ſulphur bilis, inter hujus conditionis remedia primum locum tenent, ſpiritus vini cum Aromatibus alteratus, vinum hippocraticum, Crocus Martis aperitivus, Nux Moſchata, Ambra, & ſimilia.

Succus Pancreaticus ſi aciditate bilem ſuperabit, craſſam, & acidam reddet Chyli maſſam, quod evenit in melancholico temperamento, in quo acidus humor melancholicus prævalet in copia, & virtute bili, ideòque tam Chylus, quàm ſanguis cum aliis humoribus nimia craſſitie denſantur, & in hoc caſu alkalica ſunt exhibenda tàm fixa, quàm volatilia, quæ acidum enervant, & abſorbent, Aromatica, quæ illud frangunt, & ſunt ea omnia quæ recenſuimus, de acido excedenti ventriculi, & dicenda ſunt, ubi de ſucco Pancreatico, & ejus vitiis erit ſermo, & ab Antiquis deſcribuntur pro moderatione humoris melancholici, vel activitate, vel copia, ad immoderationem elati: Cognoſcemus hoc vitium ſucci pancreatici à temperamento melancholico, vel præcedenti victus ratione in aciditate excedente.

Si hoc acidum deficiat, vel ſit nimis parvuum denegata Chylo debita conſiſtentia, à bile nimis fluxibilis redditur cum copia ſeroſitatis, & hoc accidens quotidiè obſervamus in valdè bilioſis, in hoc caſu aciditas augenda eſt acido limonum, aceto ſtillato, ſucco ribes, Berberi, *Spiritu Vitrioli, Salis,* vitriolo Martis.

Præparato Chylo in inteſtinis modo ſupradicto vaſa lactea ingreditur exiſtentia ſubtus cruſtam villoſam illorum, talem ingreſſum promovent orificia dictorum vaſorum aperta à motu periſtaltico inteſtinorum, & à motu muſculorum abdominis, à quo compreſſa inteſtina ſuccum Chyloſum in eis contentum intra dicta vaſa exprimunt, quæ ſi obſtructa fuerint, fluxus albus Chyloſus ſupervenit, ſequente Chylo, jam perfecto; & depurato viam fœcum, dum illa lactearum venarum obſtructione interdicitur. In quo caſu non eſt culpanda retentrix facultas, quia debilitata non valet retinere Chylum, ſed inſolito, & præternaturali curſu ſinit exire per extremum inteſtinorum orificium, cum fœcibus, ſed tale vitium, & Symptoma refundendum eſt, in impedimentum prohibens tranſitum Chylo præparato per lactea vaſa.

Obſtructio horum vaſorum pendet ab humoribus craſſis, & viſcidis, quapropter iſti ſunt attenuandi, & incidendi, quod præſtant omnia alkalica tàm fixa, quàm volatilia, & omnia medicamenta ab Antiquis, in deobſtruentium numero recenſiti, aromatica etiam poſſunt conferre, quia ſale alkali, quo abundant, & particulis calidis, & ſpiritoſis, quibus ſunt referta, deobſtruunt, & attenuant, & per hoc forſan cenſuerunt aliqui Antiqui talem fluxum à debilitata retentrice oriri, quia obſervarunt Aromatica, & deobſtruentia calida tale Symptoma curare, exiſtimando à calore dictorum remediorum virtutem retentricem corroborari, & hac corroborata enarratum Symptoma tolli; idcircò à contrario arguebant fluxum Chyloſum à debilitata retentrice originari, ſi hac corroborata curatur, quòd ſi cognoviſſent hanc lactearum viam in recentiorum ſententiam conveniſſent, nec rationem haberent ab hac diſcedendi, ſicuti non diſceſſit *Sennertus in lib. 3. prac. par. 2. ſec. 2. cap. 6.* ubi obſtructionem, hujus Symptomatis cauſam admittit.

Aliquando à nimia ſiccitate conſtringuntur dicta lactearum orificia ſine ullo humorum concurſu, ut Chylum præparatum intra ſe non admittant, quòd contingit in longa inædia, & in longo medicamentorum exſiccantium uſu, & in morbis diuturnis, & in magnis evacuationibus, & tunc per ſola emollientia, & humectantia tollitur prædictum Symptoma. Unde uſus lactis eſt valdè proficuus, decoctio malvarum, violariæ parietariæ Boraginis, Pſylii, & ſuccus hordei conveniunt, & etiam fomenta exteriùs ventri applicata, & facta cum decoctione dictorum ſimplicium.

Ingreſſus venas lacteas Chylus in Glandulas meſenterii harum medio introducitur, ut patet experientia, cum omnes lacteæ in dictas glandulas per multiplicatas ramificationes ſe inſinuent, & ab eiſdem vaſa ſimilia proficiſcuntur, quòd apertè demonſtrat glandulas à lacteis Chylum ſuſcipere, & poſtea per alia vaſa ab eis egredientia, aliò tranſmittere, & quia de his dubitandum non eſt, remanet ſolùm inquirere finem naturæ in hac depoſitione Chyli intra glandulas meſenterii.

Talem finem colligere poſſumus ab obſervatione, per quam nobis apertè innoteſcit, Chylum glandulas Meſenterii ingredi, & ab eis etiam exire non immutata ſubſtantia, neque colore, unde ne ſuperfluum exiſtimemus hunc tranſitum à natura inſtitutum, aſſerendum eſt, ſubſtantiam Chyloſam in glandulis Meſenterii aliqualem accipere perfectionem neceſſariam ad tranſmutationem in Maſſam ſanguineam, vel ſuccum nutritivum, & probabile eſt, hanc perfectionem conſiſtere in acquiſitione majoris tenuitatis, quæ facillimè poteſt imprimi à ſolo tranſitu Chyli, per ſubtiliſſimos poros dictarum glandularum.

Ad hanc concurrunt etiam ſpiritus animales, quos ad glandulas tranſmitti manifeſtant nervi in qualibet glandula implantati, & ab horum mixtura cum Chylo facilè eſt hunc ad tenuitatem, & volatilitatem reduci, cum his duabus conditionibus egeat materia in ſanguinem tranſmutanda, cùm debeat accendi, & in ſpiritus pro aliqua parte attenuari, unde tenuitas, & volatilitas ad hæc exequenda erit maximè opportuna. Idcircò obſervamus ſanguinem craſſum, & fixum parum accendi in corde, & paucos etiam ſpiritus reddere.

Ab eodem ſpiritu animali, & à ſpiritu arterioſo, qui pariter per arterias glandulis inſertas eis communicatur, calorem recipit Chylus, per quem redditur maximè fluxibilis, facilè inflammabilis, quotieſcumque accedet cauſa iſtius accenſionis excitativa, quòd continget in ventriculis cordis, quando per illos cum maſſa ſanguinis circulabit.

Hæ rationes ſuſpectam mihi reddiderunt illorum ſententiam ſtabilientem ab iſtis glandulis acidum aliquod generari, quod Chylo tranſeunti inſtillatur, ejus depurationi inſerviens; nam acidum ſimplex coagulationi, & condenſationi potiùs contribueret, quàm purificationi, & ita tranſitum per anguſtas poroſitates impediret, cum maximo animalis detrimento. Quòdſi fermentum aliquod acido-ſalſum, vel acidum volatile in dictis glandulis ſtatuant generari ex concurſu ſpirituum animalium, & humoris acidi ab Arteriis evecti, per quod Chylus ſpiritualizetur, & ad humanæ naturæ indolem elaboretur, non erit improbabilis ſententia concurrens in tribuendo Chylo illos effectus, quos jam dixi impertiri à ſpiritu animali, & arterioſo.

Si venæ lacteæ Chylum ad glandulas Meſenterii deferentes obſtruantur, tunc Chylus non poteſt perfici, nec deferri ad maſſam ſanguineam, & ſequitur Atrophia, quæ plerumque obſervatur in Hippocondriacis à ſimilibus obſtructionibus malè affectis; ab hoc impedito Chylo fit etiam fluxus chyloſus, & tota cura tunc verſari debet circa obſtructiones auferendas per medicamenta ex tartaro, calybe, & Antimonio parata.

Si ab Arteriis in Glandulas prædictas vitio maſſæ ſanguineæ inſtilletur aliquod acidum ſalinum fixum, & accedens ad Auſterum, tunc ab hoc chyloſa ſubſtantia coagulatur, & in caſeoſam tranſmutatur, cum tumore dictarum Glandularum, prout à pleriſque Auctoribus obſervatum fuit. Hoc modo in Meſenterio Schyrri proveniunt, Scrofulæ, Sterromata, Atheromata, Meliceriides, quorum ſuſpicionem nobis tribuit durities hypocondriorum, & morbi contumacia, horum cura pendet à correctione acidi ſuperflui, & auſteri Chylum coagulantis, quæ perficietur ab aqueis dulcificantibus, ut ſunt ſerum, aquæ Boraginis, Malvarum, Endiviæ, Violarum, Nenupharis, Papaveris erratici, Roſarum, & ſucci eorumdem ſimplicium, lac aſininum, & caprinum ſuſpecta mihi ſunt in aciditate excedenti, quia hæc propenſionem habent, ad incraſſandum, & ad aceſcendum, cùm obſervemus per diem ſolum lac reſervatum aciditatem contrahere, & ſic plus poteſt obeſſe quàm ſua aquoſitate juvare; Omnia enim ſimplicia alkalica conveniunt, ut ſunt illa vulneraria dicta, quæ mirificè totum acidum abſorbent, quod perficiunt etiam Aromatica, & Terracea, & Teſtacea, & Margaritæ, Coralla oculi cancrorum, Cornu cervi uſtum, Raſura eboris, Antimonium Diaphoreticum, & omnia medicamenta, ex calybe præparata, & his remediis medella ſuppeditabitur eiſdem Symptomatibus à præcitatis tumoribus ſuccreſcentibus, ut ſunt dolores in regione Meſenterii, emaciatio totius, & maſſæ ſanguineæ depravatio.

CAPUT V.

De Loco Generationis Sanguinis, & de Principio Effectivo Hujus Generationis.

A Venis lacteis in Glandulam magnam meſenterii deſinentibus transfunditur tota Chyli maſſa, quæ per ductum Thoracicum paulatim aſcendendo, in venas jugulares, & ſubclavias deponitur, & ſanguinis curſum ſequendo venæ cavæ ſinum penetrando in dextro cordis ventriculo conſignatur, ubi efferveſcit, rareſcit, & accenditur unà cum alio ſanguine perfecto, cui miſcetur, & ita rudimenta, quæ à ſanguine ſocio ſuſcepit, à cordis artificio perficiuntur; Eſt enim probabile à ſanguinis calore, & à ſua activitate ſanguinis principia Chylo inſtillari, eo modo quo volebant Antiqui Chylum venas meſeraicas ingredientem à ſanguine in iſtis contento hujus naturæ rudimenta ſuſcipere.

A dextero cordis ventriculo per venam arterioſam Chylus ſanguini mixtus Pulmonus ingreditur, & innumeras iſtius vaſis ramificationes implendo, totam pulmonum ſubſtantiam pervadit, eamque pleno fluxu irrigat, in hoc viſcere intimè miſcetur Chylus cum cæteris ſanguinis particulis, & de hac miſcella certos nos reddit continuus motus pulmonum, à quo commota, & exagitata ſanguinis maſſa, per eos fluens, facilè eſt dicta agitatione Chylum ſanguini confuſum huic intimè miſceri, eo modo quo ab agitatione artificiali duorum liquidorum amborum mixtio reſultat. Attenuatio, & rarefactio à ſanguine ſuſcepta in dextero cordis ventriculo, cum ſui diviſione uſque ad minima prædictam mixtionem à motu pulmonum exequendam coadjuvat. A pulmonibus per arteriam venoſam in eis diſſeminatam in ventriculum ſiniſtrum cordis Chylus ſanguini mixtus tranſit ibique magis, quàm in dextro efferveſcit, rareſcit, & accenditur, ideòque ultima ſanguinis perfectione ibi inſignitur, ſi non prima vice aliis ſubſequentibus, quando circulari motu ad ſiniſtrum cordis ventriculum revertitur, ubi albedine derelicta purpura illuſtratur, pro quo effectu explicando ab illo experimento rationem efficaciſſimam mutuabor, per quod apparet lac, cui ſit mixtum ſal Tartari per ebullitionem rubeum colorem ſuſcipere, ita Chylus ſanguini mixtus, in quo ſalſum illud fluviditatem in ea conſervans inhabitat, cum hoc ebulliens, & excoctus ab albedine, ad rubedinem tranſit. Hoc modo Chylus in ſanguinem excoquitur contra Antiquorum decreta à Galeni auctoritate firmata, Ariſtoteles verò, & Hippocrates ſupraſcriptæ ſententiæ patronos ſe fecerunt, & hic in libro de ſtructura hom. num. 2. Scribit Arteriæ à corde ſanguinem purum, & ſpiritum recipiunt, venæ autem à corde ſanguinem ſummunt, & lib. 4. de morbis dicit cor eſſe ſanguinis fontem; unde tantorum virorum auctoritate ſuffulti Recentiores non ſunt increpandi de novitate in Schola medica introducta; nam & ſequaces Galeni coacti fuerunt ſtabilire cor ultimis ſanguinem perfectionibus illuſtrare.

A deſcripta via Chyli uſque ad cor relicto hepate, & à principiis circulationis deducitur erroneam eſſe Galeniſtarum ſententiam determinantem, hæpar ſanguinem conficere, nam certum eſt ſolum ſanguinem arterioſum totius calorem fovere ſuo ſpiritu, & ſua ſubſtantia calido vitali, humanæque ſpeciei proprio perfuſa, partibus Omnibus Materiam pro nutritione ſuppeditare, & è ſuo ſinu decerpi ſubſtantiam illam, quæ ſpirituum animalium generationi inſervit, ſed pars illa eſt cenſenda ſanguinis elaboratrix, quæ iſta omnia contribuit cum genuina ſanguinis natura in his fundetur, & ſanguis arterioſus prædictas omnes conditiones ſuſcipit à corde, conſequenter cor eſt principium ſanguinis. Et ſi Galenus calluiſſet doctrinam de circulatione, cognoviſſet venoſum ſanguinem, non eſſe niſi arterioſum à ſuis perfectionibus declinantem, nihilque noſtro corpori contribuere, ſed ſolùm per venas fluere, ut cordi harum auxilio conſignetur, ad augendam ſuam efferveſcentiam, rarefactionem, & ad accenſionem diminutam reſarciendam, & ita verum ſanguinem, arterioſum, exiſtimaſſet, quem & ipſe à corde confici, & perfici determinavit.

Hanc ſententiam ad evidentiam comprobant experimenta circa generationem animalium facta, intra quæ eſt illud de puncto ſaliente, quod tractu temporis cordis formam attingit, & intra quod generatur ſanguis per ſubtiliſſima vaſa filamina æmulantia diſcurrens, antequam cujuſcumque membri rudimenta appareant, cùm ergo prima pars ſit punctum ſaliens cor imperfectum exhibens, & in hac ſanguis reperiatur, hunc ab illa elaborari pluſquam certum eſt, quomodò verò à corde ſanguis perficiatur, non eſt adeò inter Recentiores certum imò ſententiarum diverſitas in obſcuro adhuc latere ſinit principium, quo cor ſanguinis elaborationem perficit.

Carteſius voluit in corde implantatam eſſe à natura flammam quamdam, qua ſanguis rarefit, accenditur, & efferveſcit, & in hoc uniformem ſe reddit Galeno.

Higmorus cenſuit fermentum in ſiniſtro cordis ventriculo eſſe depoſitatum, cujus vi prædicta omnia ſanguini contingunt.

Bakius determinavit ſanguinem rarefieri, & accendi per ſolum motum cordis.

Syl-

Sylvius Le-boe voluit ex concurſu bilis, & lymphæ acidæ in ventriculis cordis effervefcentiam excitari cum æſtu, & fervore quodam in dictis cavitatibus, ſanguinem accendentem, & rarefacientem.

Harum ſententiarum veritatem examinare nolo, & ſufficit mihi pro intento operis animadvertere, quòd enarrata ſanguificationis principia licet diverſa has conditiones ſanguini tribuere, rarefactionem, & effervefcentiam, & accenſionem cum calore, & verè in arterioſo ſanguine has omnes conditiones obſervamus, & per has ſua exequitur munia, ut conſideranti patebit; Unde infero perfectionem ſanguinis conſiſtere in moderata rarefactione, effervefcentia, & accenſione, & ſi hæc à tali moderatione per exceſſum, vel defectum receſſerint, ſanguificationem depravari, & remedia pro corrigenda ſanguificatione ab immoderata effervefcentia, rarefactione, & accenſione eſſe ea omnia quæ refrigerant, & fixant, & è contra quæ depravatam ſanguificationem ex defectu dictarum conditionum eſſe ea omnia, quæ calefaciunt, exaltant atque volatilizant, & iſta omnia remedia conveniunt poſito quocumq; ex ſupradictis principiis ſanguificationis. Nam ſi ſtatuatur flammam eſſe cordi implantatam immoderata effervefcentia, & accenſio ſanguinis erit ab hac flamma aucta, & per augmentum maximè activa, & refrigerantia hoc augmentum diminuent, & fixantia agendi præpotentiam moderabunt. Sanguificatio læditur propter defectum effervefcentiæ, accenſionis, & rarefactionis ſignificat hanc flammam eſſe diminutam, & in actione inertem, unde omnia calefacientia erunt idonea, dum calorem contribuendo flammæ augmento opitulabuntur, & eiſdem virtus dictæ flammæ iners exaltabitur.

Si fermentum nimis activum, quia auctum ſupponamus lædere ſanguificationem, cum immoderatione accenſionis, & aliarum qualitatum, refrigerantia, & fixantia tale augmentum deſtruent, & actionis prævalentiam fixatione moderabunt. Quòd ſi ſanguificatio erit depravata ex defectu hujus fermenti calida omnia iſtud remittent, & efficax volatilizatione reddent; nam cùm ſit fermentum deſtinatum ad rarefactionem, & accenſionem, à calidis talis potentia poteſt ſubminiſtrari; quorum particulæ debent poſtea ab ipſo fermento juxta exigentiam ſuæ naturæ modificari.

Si verò admittatur ſanguificationem lædi per immoderationem motus cordis promoventem exceſſum, rarefactionis, effervefcentiæ, & accenſionis ſanguinis, cùm talis motus immoderatio habeatur à ſpirituum animalium excandeſcentia, & fervore, refrigerantia, & fixantia utrumque eradicabunt, & ſi ſanguificationis læſio erit cum defectu rarefactionis, effervefcentiæ, & accenſionis ſanguinis manifeſtabit ſpiritus animales eſſe paucos, & inertes ad motum, vel fixos, & per calefacientia, quantitatem augebimus maximè ſi ſpiritoſa ſeligamus, cum experientia nos doceat hujuſmodi remediis in animi deliquiis ſpiritus refocillari, ab iiſdem calidis, & ſpiritoſis ſpirituum fixitas, volatilizatione emendabitur, & inertia eradicabitur.

Si effervefcentia à bile, & lympha excitata in ventriculis cordis erit cum exceſſu, immoderatam effervefcentiam, & accenſionem promovendo, refrigerantia hanc effervefcentiæ inordinationem ad mediocritatem reducent, ſicuti calida effervefcentiam majorem excitabunt, quando ex ejus defectu ſanguificationis depravatio prodeat.

Ex his videat Lector diverſitatem principii ſanguificationis, non variare remediorum electionem, pro corrigenda iſtius depravatione, & hoc arti medicæ ſufficit, pro conſequendo ſuo fine, imò nec principium ſanguificationis habito reſpectu ad effectum non variari; nam à quolibet principio ex enumeratis, introducitur rarefactio, effervefcentia, & accenſio.

Convenimus etiam cum antiquis, qui læſam ſanguificationem in exceſſu, vel defectu caloris poſuerunt.

Remedia tam calida, quàm frigida adhibenda in deſcriptis caſibus, ſint illa ab Auctoribus Cardiaca dicta, quæ ſpecificè cor reſpiciunt. Ubi aliquorum, imò plurimorum error eſt adnotandus, qui cardiacorum uſu indiſcriminatim calidis, & ſpiritoſis utuntur, etiam in febribus ardentibus, cum maximo ægrotantium detrimento, non perpendendo ab horum uſu cordis vires magis labefactari, dum cardiaca calida effervefcentiam majorem concitando, ſpirituum diſſolutioni contribuunt, ubi refrigerantia, & fixantia effervefcentiam moderando, & ſanguinem conſtipando; ſpiritus in maſſa ſanguinea detinent, cum corroboratione facultatis vitalis, & cordis.

CAPUT VI.

De Anatomia humorum, vel maſſæ ſanguineæ à natura intra corpus humanum peracta, & primò de Bile.

SCio à Recentioribus tentatam fuiſſe ingenioſo auſu, & artificio ſanguinis Anatomiam, & inferiùs videbimus an fœlici ſucceſſu id fuerit obtentum, & an talis diſcretio partium ſanguinis fuerit medico ſanitati ſtudenti neceſſaria.

Illa, quam nunc deſcribere intendo, à naturæ artificio, & ingenio in corpore humano, eſt elaborata, & ad hoc me impellit conſideratio, quod ſit maximè utilis, & neceſſaria medico curanti, pro indagandis morborum cauſis, quæ, ut plurimum, ſuam ſedem in humoribus habent.

Inter humores, quos natura ſeparat à tota maſſa ſanguinea perfectiori miniſterio, eò quo utitur Anatomicus in diſtinguendis, & ſeparandis partibus, eſt bilis, quæ in cyſti felis ſub cava hæpatis recondita conſervatur ad varios, & præcipuos animalis uſus.

Pluribus Ætherogeneis partibus conſtituitur hic humor, qui ad ſenſum Homogeneus apparet, ſal ei ineſt, ut oſtendit Acrimonia, & Amarities, qua pollet, & perfunditur, & utraque qualitas à ſale pendet; nam omnes ſapidæ qualitates inter quas amarities connumeratur, à ſale originem ducunt, ut cap. de ſen. guſtus demonſtrabimus. Acrimoniam in ſubſtantia ſalina deliteſcere manifeſtant omnia acria copioſo ſale abundantia, à quibus ſi ſeparetur, acrimoniam amittunt, ſic fruſtum cinamomi in aqua per debitum tempus ebullitum Aromaticam illam acutiem, quam priùs habebat, amittit, etſi incineretur, nihil ferè ſalis exhibet, qui proprius erat Cinamomi; Ex quo certiſſimum Argumentum deducitur oſtendens ſal cinamomi exiſtens in aqua, per decoctionem fuiſſe diſſolutum.

Hoc ſal in bile Galenus cognovit, quando de facultatibus naturalibus lib. 2. cap. 9. ſcripſit bilis generationem fieri ab Aſsato Chylo, & quæ aſsantur, & incinerantur, ſal magis activum in ſe uniunt, vel colligunt, per uſtionem, & aſsationem has qualitates ſalinas huic humori natura donavit, ut irritamenti qualitatem ei praberet, ubi utilitas humani corporis exigeret, ut inferiùs demonſtrabimus, & ut hac ſubſtantia ſalina alkalica aptitudinem contraheret unà cum aliis particulis, ad perficiendum magnum Chylificationis opus, dum illius acrimonia chyloſam maſsam in ventriculo præparatam majori diſsolutione attenuat, & utile, ab inutili diſgregat, & ut proprietate alkalico ſali inſita, debitis modis à Natura determinata efferveſcat, cum ſuo contrario acido, pro elaboratione cujuſdam ſalſi maximè neceſsarii ad beneficium maſsæ ſanguineæ, ut inferiùs patebit.

Materia oleoſa, & pinguis à recentioribus nomine ſulphuris appellata bilis conſtitutionem ingreditur, ita docente Hippocrate lib. 4. de morbis ſub illis verbis, relinquitur autem pinguis, & levis, qui eſt bilioſus, & febri maximè nutrimentum eſt, quod confirmavit lib. de morbis popularibus Sec. 6. & quibus quidem pingue bilis flava, quibus autem ſanguis atra, quod experientia ab omnibus accepta comprobatum manet, dum obſervamus in corpore humano bilem facillimè accendi, & accenſam ubique calorem diffundere, quòd demonſtrat bilem ſulphureis, oleoſis, & calidis particulis conflari, quæ caliditatem iſti tribuunt, unde in temperamento dicitur calida, & ab eiſdem particulis oleoſis, proprii ſalis lixivii, & alkalici acrimonia moderatur, cùm proprium ſit omnis oleoſi, & pinguis cujuſcumque agentis acrimoniam retundere, & extinguere, prout quotidiana nos docet experientia, & quia in ſulphure, & oleo inſita latet aciditas, ut alibi demonſtravi cum Thechenio, & recentioribus, hæc modificationi prædicti ſalis al-

lis alkalici magis contribuit; ſtante contrarietate, intercedente inter alkalicum; & acidum, per quam ad invicem ſe contemperant. Et tali modificativo indigebat humor bilioſus, ne ſui ſalis alkalici acrimonia, ſine moderatore, effræni reddita in perniciem animalis deſæviret. Hoc ſulphur ſivè oleum in bile naturaliter minor eſt ſale, ne huic tota activitas cum acrimonia neceſſaria auferatur.

Spiritus animales concurrere ad bilis compoſitionem ex multiplici capite colligitur, & quidem ab ejus volatilitate, quæ ſemper à ſpirituum motu, & activitate ſubtiliante oritur, horum ſpirituum communicatio huic humori eſt facilis per nervos, qui cyſti fellis inſeruntur, & quia, ut ſuperiùs dictum eſt, oleoſam ſubſtantiam bilis in ſe admittit, perfectam cum aliis mixtionem recuſantem, niſi ſpiritus volatilis huic adjungatur, quo dicta ſubſtantia potentiam acquirit omnia pervadendi, & penetrandi, & cum facilitate aliis corporibus ſe miſcendi, quod ex Chymicis experimentis ad evidentiam patet, unde ſi bilis, ex oleoſis particulis ſulphureis, ſalinis mixtis reſultat, ad hoc, ut iſtæ talem mixtionem ſubeant, opportet ſocios eis adjungere ſpiritus animales volatiles, quorum medio omnium particularum mixtio obtinetur; neceſſaria etiam videtur talis communicatio ſpirituum, ad hoc, ut aliquo modo ſalis lixivii bilioſi Acrimonia demulceatur, docente experientia à ſpiritibus omnia acria dulcificari.

Fluiditas bilis propria aquæ admixtionem hujus in ſua compoſitione admittere oſtendit, ſicuti craſſities aliqua fluiditati conjuncta, parvam terræ portionem uniri aquæ probabile reddit & tamquam certum demonſtratur à deſtilatione ipſius bilis, per quam reſoluta in omnes ſupradictas particulas diſtinguitur.

Nec diſſimiles in hac bilis conſtitutione ſe reddunt recentiores ab Antiquis; nam omnes acrimoniam in ea agnoſcunt, quam in ſubjecto ſalino determinato ponunt Recentiores. Antiqui verò totum bilis mixtum hujus ſubjectum eſſe credere poſſunt, quo etiam illis conceſſo ſpreta omni conſideratione rationum adductarum, pro demonſtranda bilis acrimonia, à ſale pendere, nihil variat curationem traditam ab Antiquis pro augenda, vel minuenda bilis acrimonia, præternaturaliter excedente, vel diminuta, à qua ſanitatis læſio habetur, & pro curatione ſola conſideratur, prætermiſſo, quod ſit in hoc, vel illo ſubjecto: nam illi ubi excedit dulcificantibus, & modificantibus aqueis, & oleoſis excedentem moderant acrimoniam, vel acribus, & Aromaticis diminutam augent, quod exequuntur etiam Recentiores, & ita quocumque in ſubjecto prædicta acrimonia ſemper ſubjectetur in ejus exceſſu, vel defectu talia remedia ſunt executioni demandanda, verùm tamen eſt per ſalinam ſubſtantiam acrimoniam bilis à Recentioribus clariùs explicari, cùm videamus omnia acria eſſe talia per ſal intra ſe reconditum, ut ſuperiùs dicebamus.

Bilem eſſe in temperamento calidam docuit Hippocrates in libro de Humoribus, quando dixit æſtas bilem gignit, exprimendo calorem temporis Anni, bilem generare, quæ ſi correſpondere debet ſuæ cauſæ, neceſſe eſt, ut in temperamento ſit calida, & bilem in æſtate abundare magis docuit in lib. de ſalub. vict. rat. & bilis copiam generari à cibis amaris, & bilioſis, qui ab omnibus calidi determinantur docuit in lib. 4. de morbis.

Facillimè accendi, & calorem intenſum per corpus diffundere docuerunt Antiqui, quando febres ardentes, & tertianas acutas per accenſionem bilis, & ejus calorem explicaverunt, & temperamenta bilioſa in caliditate excedere voluerunt, cum propenſione ad iram, ob facilem excandeſcentiam bilis.

Aquam hujus ingredi compoſitionem apertis verbis docuit Avicennas in Trac. de Humoribus, & Galenus multis in locis.

De ſpiritu animali pro bile componenda, nihil verè dixerunt antiqui, ſed rationes ſupradictæ id convincunt, ſicut etiam explicatio multorum effectuum à bile pendentium, qui niſi admiſſa ſpiritoſa ſubſtantia in ea, non poſſunt explicari.

Ad bilis perfectam conſtitutionem non ſolùm requiritur quòd ſupradictæ partes componentes ſimul uniantur, ſed oportet, ut unio ſequatur cum tali determinata quantitate cujuslibet partis, & cum tali textura, ut reſultet humor acris, ſed in ſua acrimonia beneficus, & ideò aptus ea perficere omnia, quibus à natura eſt deſtinatus.

Cauſam efficientem hujus humoris Hippocrates, Galenus, eorumque ſectatores hæpar ſtatuerunt, à cujus calore voluerunt portiones ſanguinis aduri, & in bilem flavam degenerare, & hoc expreſſit Hippocrates lib. 4. de morbis num. 23. in his verbis calefcente ſanguine exhalat maximè per hunc humor aquoſus, qui febri eſt infeſtiſſimus, relinquitur autem pinguis, qui eſt bilioſus, & quis per exhalationem humoris aquoſi non cognoſcit aduſtionem; & ſi in febre hoc modo bilis generatur præter naturam, eodem modo bilis ſecundùm naturam debet generari à minori calore, ſed tamen adurente minorem portionem aquoſitatis; hæc portio aduſti ſanguinis bilioſi in hæpate ſegregata, ab utilioribus, & perfectioribus maſſæ ſanguineæ particulis in Cyſti prædicto viſceri implantata colligitur, ut docet Hippocrates in lib. 4. de morbis dicendo bili locus folliculi in hæpate.

Recentiores ſanguinem ipſum vitali flamma accenſum, & exardeſcentem, vel cor, ſuo calore fervido bilem efficere determinaverunt, juxta præcitatam Hippocratis ſententiam; tam enim à ſanguinis accenſione, & exardeſcentia, quàm à calore cordis partes aliquæ ſanguinis ſubtiliores particulas ſulphureas, & ſalinas ſibi unientes aduſtionem pati poſſunt, quæ poſteà poſt multas præparationes in aliquibus partibus, & præcipuè in Liene, & poſt tortuoſos motus per hæpatis ſubſtantiam, in eo ſegregantur mediis acinis quibuſdam, numeroſa ſerie per eam diſperſis, quibus annectuntur rami quidam vaſorum diverſæ ſpeciei à venis, arteriis, & vaſis lymphaticis, quæ vaſa per multas ramificationes divaricata, per Hæpatis ſubſtantiam in porum biliarium veſciculæ fellis annexum terminantur, in iſtius cavitatem bilem ſegregatam deponendo, & hanc ſententiam Recentiores ab Hippocrate receperunt, qui in lib. 4. de morbis ſcribit. Quòd verò in loco quidem, qui eſt in hepate ex cibis, & potionibus ſola bilis ſecernitur, ita etiam ſe res habet; venulæ enim cùm debiles, & tenues exiſtant, alium humorem craſſiorem, & graviorem attrahere nequeunt, ſimulque ea non eſt loci capacitas, ut ibi alius humor conſiſtat; hicque locus bili natura maximè familiaris eſt.

Perpendatur rectè iſta ſententia, & diſcemus bilem in hepate non generari, ſed ſecerni, & ſecretionem fieri, quia vaſa ſecretoria, ob ſui tenuitatem, bilioſo humori tenui correſpondent, non craſſo, ideòque dicitur talis locus natura familiaris bili, quia à natura talis locus correſpondet configurationi particularum bilis, per quam hunc recipit, non alium humorem, & per hoc dicitur à tali loco attrahi hunc humorem, non alium, in hac etiam ſententia obſervandum eſt Hippocratem docere modum quo ſit ſecretio nempè per conformitatem humoris ſecernendi, cum vaſe, per quod humor ſecretus debet fluere, & aliundè tranſportari, & tale documentum continetur in illis verbis; venulæ enim cùm debiles, & tenues exiſtant, alium humorem, & craſſiorem attrahere nequeunt, & hunc modum ſecretionis univerſaliter amplexi ſunt Recentiores, ejecta facultate ſecretrice cum Hippocrate. Poſſet etiam dici huic ſegregationi reſpexiſſe Hippocratem, & Galenum, quando dixerunt in hæpate bilem generari, quia tunc ſolùm fit conſpicua, quando in dicto membro ſegregatur, & tunc ſolùm quoad ſenſum videtur tranſire de non eſſe, ad eſſe, tamquam ſi de novo generaretur, quia licèt in maſſa ſanguinea extiterit bilis in hepate ſegregata, ob mixtionem cum aliis humoribus non erat conſpicua, & tunc ſolùm talis evadit, quando ſegregatur, ideò etiam ſi antecedenter eſſet, quia tale eſſe apparet ſolùm facta ſegregatione, dicitur per hanc aliquo modo generari; & hanc ſententiam videtur Galenus ſuſtinuiſſe, quando, de uſu partium bilis generationem indagando, utitur exemplo vini, quod proprio calore ſegregare, & deponere ait excrementa varia, craſſa, & ſubtilia, quaſi velit ope caloris hepatis ſegregari bilem in ſua ſubſtantia, & deponi in veſicam biliariam, tamquam in proprium receptaculum, cùm vinum excrementa in ſe collecta per ſolam ſegregationem à ſuo calore, ſeu fermentatione operatam reponat, ita ſanguis vi hujus exempli à Galno dati videtur deponere excrementum bilioſum in eo priùs præexiſtens, in hæpatis ſubſtantiam per ſegregationem.

Non

Non deſunt tamen inter Recentiores, qui bilem credunt in hæpate generari, ut *Sylvius* Le-boe, conſtanter ſuſtinens bilem à membrana interna cyſtis fellis effici, dum Arteriæ materiam proportionatam pro hujus humoris generatione in glandulis diſperſis per ſupradictam membranam deponunt. Hinc multi medicinæ ſectatores occaſionem arripuerunt credendi duplicem in humano corpore debere diſtingui bilem, unam ex aduſtis ſanguinis particulis in ejus maſſa collectam intra arterias, alteram à ſupradicta membrana de novo genitam, quæ in qualitatibus verè ſunt ſimiles.

Segregationis bilis in hæpate, rudimenta priùs jaciuntur in Liene, ut ſuperiùs innui, dum peculiari fermento hujus viſceris effervеſcente, & fermentante ſanguine, per hoc circulante excrementitiis particulis ſulphureo-ſalinis aduſtis, in eo collectis, tali motu fermentationis libertas quædam conceditur, & à cæteris particulis ſeparari permittitur, & hoc modo per venas ad hæpar delatæ in iſtius intimiori ſubſtantia acinis glanduloſis contexta ſeparantur, modo ſuperiùs dicto.

Quocumque modo ſe habeat generatio bilis certum eſt, & tamquam inconcuſſum in medicina tenendum, à calore particulas ſanguinis adurente originem ducere, & ita vel calor hæpatis, vel ſanguinis, hoc præſtare poſſunt, & ſi impediatur hujus humoris generatio neceſſaria, medico repræſentatur indicans augendi calorem, per medicamenta calefacientia, ſicuti ſi nimis excedat hujus humoris copia ſupponendo exceſſum caloris, ſive in ſanguine, ſive in hæpate: ſive in corde, indicationem habebit medicus calorem remittendi per refrigerantia, & de omnibus his remediis inferiùs agemus.

Humori bilioſo in Cyſti fellis ſeparato tribuitur à Recentioribus circulationis motus, quia indeſinenter bilis in duodennum effunditur neceſſitate inducta à compreſſione abdominis in omni expiratione facta, & tamen ſemper veſicula bile impleta inſpicitur, qua propter credendum eſt bilem à dicta Cyſti in duodennum exeuntem, traduci de novo ad eamdem Cyſtim cùm tanta copia in hæpate non poſſit ſegregari, quanta ſecernitur à Cyſti; idcircò.

Excellentiſſimus Borellus judicat hunc humorem vacuis cibo inteſtinis, per iſtorum tunicam venas meſeraicas ingredi, & ab iſtis in portam tranſire, à qua de novo ad Hæpar defertur, & ad cyſtim; nullam certè video rationem per quam poſſit in dubium revocari hic continuus fluxus bilis in inteſtina, quia præter dicta à Borello, ad hunc probandum confirmari poteſt, ex eo quòd bilis, præparationi Chyli inſerviens, ita provida natura diſponi debuit, ut continuò fluxus ſemper Chyloſæ maſſæ miſceretur, cùm autem nullum ſit deſtinatum tempus animali ad cibum ſummendum, debuit etiam ſemper, & continuò fluxum permittere hujus humoris ad inteſtina, ut quocumque tempore cibus accipiatur poſſit maſſa chyloſa in ventriculo præparata, in inteſtinis perfici, & depurari, ope hujus humoris. Mihi tamen videtur poſſe bilem tenere viam Chyli, & ſi hunc non inficit, dum ei miſcetur pro ſui depuratione, nec ſanguinem inficiet, imò huic poterit afferre eas utilitates, quas Chylo impertitur, ut ſuperiùs expoſuimus. Quocumque verò modo fiat hic motus bili neceſſarius, ſi impeditur, vel ab obſtructione poroſitatum inteſtinorum, vel orificiorum lactearum, cum detrimento animalis hoc evenit, & in quolibet caſu conveniunt deobſtruentia, & attenuantia, quæ etiam adiuvabunt hunc motum, ſi impedimentum efficiatur à craſſitie hujus bilis, & ſic diverſitas ſententiarum non ponit diverſitatem medii pro reſtituendo bili motum circularem.

Ab hoc motu circulari bilis colligitur huic humori eſſe naturale ad inteſtina deorſum moveri, & ſic quotieſcumque ad ſuperiora, & ad ventriculum tendit id præternaturali motui illius deberi, quod contingit in omni vomitu materiæ bilioſæ in doloribus acutis ventriculi, cum oris amaritie, in Cardialgia, in appetitu dejecto, cum faucium ſiccitate, calore, & amaritie, bile ſuo ſale alkalico enervante acidum, à quo appetitus, & fames excitantur.

Læduntur etiam per hunc motum bilis ad ventriculum, concoctiones alimentorum, non ſolùm quia tota maſſa iſtorum amarore præternaturali perfunditur, ſed etiam quia à ſale bilis diſſolvente, plus attenuatur, quàm maſſæ chyloſæ conditioni conveniat, & ab hac tenuitate, vel multa ſeroſitatis copia colligitur, vel ſpiritoſæ ſubſtantiæ alimentorum copioſa exhalatio promovetur, quæ omnia imperfectam maſſam chyloſam reddunt, excrementorum generationi magis idoneam, quàm mutationi in perfectum ſanguinem, etiam vitium ſuſcipiet maſſa chyloſa, ſi à bile acri laceſſitus ventriculus determinabitur intempeſtivè ad expulſionem alimentorum, non adhuc præparatorum, quia ſine debita concoctione tranſibit ad vaſa ſanguiflua, materia cruda inhabilis ad ſanguinis optimi caracterem ſuſcipiendum, quæ omnia de antiquitate ſatis ſapiunt.

Cauſa hujus aſcenſus non aliundè eſt quærenda quàm in bilis volatilitate, contracta à nimia illius volatilitate, à calore interno, vel externo in eam introducta, vel à ſpirituum copia ei commixta, & ab acrimonia ipſius eccedenti qua inteſtinum duodennum acutè feriendo motum ſuum augere cogit, cum magna ſui elevatione, per quam contentam in ſua cavitate bilem, per orificium inferius ventriculi in hujus cavitatem tranſfundit, & volatilitas coadiuvat hanc bilis transfuſionem ſurſum.

Hic bilis motus depravatus emendabitur cum purgantibus bilem, quæ conveniunt etiam Cardialgiæ in principio febrium factæ exhibendo purgans per tres, vel quatuor horas antè acceſſionem, etiam volatilitatem moderans, quale eſt Tamarindus Mirobolanum citrinum, adſtringentia poſteà conveniunt pro fixanda bile volatili in quorum genere ſunt omnia Terracea, & cruſtacea, ut Bolus Armenus, Terra ſigillata; coralla, Margaritæ, Spodium, & inter vegetabilia biſtorta, tormentilla, conſolida, plantago, Poliganum, portulaca, Sir. Coral. Ex maſtice, Quercetani *Sir.* Mirtinus, omnia acida toties recenſita bilem enervantia Spir. vitrioli, Salis, Salis nitri, Succus Citri, Limonum, Auranciorum, Cotoneorum Conditus, ut eſt Miva Cotoneorum, Acetum deſtillatum, Sir. de Agreſta, & omnia adſtringentia convenient ratione volatilitatis fixandæ.

Acrimonia emendabitur aqueis, & oleoſis refrigerantibus, ut ſunt emulſiones Sem. Melonum, cum Sem. Papaveris, Aqua Papaveris Erratici, Aqua Malvarum, Decoctum Liquiritiæ, Sebeſten, Altheæ, Parietariæ. Confec. Diacodion. Sir. de Papavere, de Hybiſcho Ferneli. In Cardialgia præter iſta temperantia acrimoniam bilis, & acida iſtius vim frangentia, quia ſpiritus à dolore diſſipantur, & fibræ nervoſæ plexus oris ventriculi convelluntur, ſpiritoſa, & oleoſa convenire praxis me docuit, ut eſt mixtio ſpiritus vini, cum aqua totius Citri, & Syrup. de Cort. Citri, vel Cinamomi edulcoratus ad medium chocleat per intervalla ſumpta, vel ℞. aquæ Theriachalis, Cinam. an. ℥. i. *Scorzonaræ* ℥. iii. Spec. Diambræ ʒ. i. Confec. ex Hyacinto, Alchennes an. ʒ. i. *Syrup.* de *Stæcade* ℥. i. m. & ſummatur per Cochlearia, iteratis vicibus, hæc enim ſpiritus refocillant, nervoſis fibris vigorem addunt, ad expellendum humorem acrem moleſtantem.

Non inconſultò hujus humoris generationem natura peragit, ſed ad multas neceſſitates, & ad multa munia exequenda deſtinavit.

Primum & principale ab antiquis cognitum, & decantatum, & à Recentioribus receptum eſt, ſua acrimonia inteſtina irritare pro fœcum depoſitione, & excretione, quapropter enervata bile, vel à ſalis acris paucitate, vel à nimio humido acrimoniam diminuente, vel à Pituita hanc retundente, alvi ſtipticitas contingit.

Secundum officium eſt chylificationi inſervire, ut ſuperiùs demonſtravi Hippocratis ſententiæ adhærendo ſcriptæ in libro de alim. principium alimenti humidi, & ſicci os, gula, venter eſt, & pro ventre intelligenda etiam inteſtina, cum ventriculo, inteſtina verò non poſſunt alimentum perficere, niſi mediante bile, & ſucco Pancreatico in iſtis contento modo ſuperiùs demonſtrato.

Tertium officium eſt concurrere ad generationem cujuſdam ſalis nitroſi, unà cum ſucco pancreatico, quod per vaſa lactea penetrando venas, & arterias, ſanguinem in fluxibilitate, & tenuitate continet, atque ab hujus activi-

activitate circulationis opus conſervatur, & quamvis ab Antiquis hujuſmodi doctrina, nec cognita, nec docta fuerit, eò quia concurſum horum duorum humorum in inteſtinis non cognoverunt, & caruerunt lumine à circulationis veritate, & à venarum lactearum cognitione accenſo, videtur tamen prædicta doctrina rationi eſſe maximè conſona; nam etiam vacuvis ab omni alimento inteſtinis, bilis, & ſuccus pancreaticus in cavitatem inteſtini duodenni defluunt, quia in qualibet expiratione, ut ſuperiùs dicebam muſculi abdominis comprimendo partes ſibi ſubiacentes, ut hæpar, & Pancreas, ab utroque hoc viſcere contentum humorem continuò exprimunt; ab hac continuata ſcaturigine horum duorum humorum colligo continuum eſſe concurſum eorum, cujus interventu excitata quadam efferveſcentia, terminatur cum unione iſtorum, ſalſum quoddam efficiente, cum ex unione acidi prout eſt ſuccus Pancreaticus, & ſalis lixivii, qualis eſt illud bilis, ſalſum reſultare experimenta doceant Chymica, quod ſalſum de nitro participat, cùm in ſe colligat partes ſulphureas inflammabiles bilis, non abſimili modo, ac colliguntur in Nitro.

Hoc ſalſum à ſupradicta efferveſcentia ſecundùm aliquam ſui portionem ſummè attenuatur, & volatilizatur, & per inteſtina deſcendendo cùm habeat tenuitatem proportionatam ad ſubeunda Orificia lactearum, neceſſarium etiam video hujus ingreſſum in dicta vaſa, nec alium finem talis ingreſſus excogitare poſſum, niſi ſupradictum.

Et hæc omnia magis confirmantur ex eo, quòd natura nihil faciat fruſtra, & ſi permittit hunc confluxum humorum, etiam extra tempus chylificationis, in aliquem finem id permittit, & in bonum ipſius individui, & ſupradictus finis eſt magis conſonus naturæ, & conditioni humorum, conſequenter ſtabiliendum eſt in prædictum finem naturam deſtinaſſe congreſſum horum duorum humorum.

Pars verò craſſior, quæ remanet tamquam incineramentum à dicta efferveſcentia, ſalivæ craſſiori parti commixta, per inteſtina recto tramite deſcendit, & mucoſitatem inteſtinis adhærentem continuò conſervat, quæ fœcibus lubricam parat viam, pro faciliori deſcenſu, & exitu, ex quibus habetur tertium munus, ſive officium ipſius bilis de hoc autem ſalſo, & exiſtentia ejus ex profeſſo diſcurrendum erit inferiùs, ubi de ſucco Pancreatico.

In hanc ſententiam conveniſſent etiam antiqui, ſi ſucci Pancreatici exiſtentia, & natura cognita fuiſſet, & licet novum ſit inventum, talis humoris in corpore permanentia, tale inventum non eſt error, nec Chymericum, ut communiter ab Antiquorum ſequacibus omnia nova nuncupantur, quia ocularis inſpectio tactus, guſtus, nos certos reddunt de hujus exiſtentia; Poteſt ſolùm error contingere in determinando fine ſupradicto, qui tamen perſuadetur à concurſu horum duorum humorum, ab experientia, quam in Chimicis habemus alkalica nempè, cum acidis mixta in ſalſum tranſmutari, & per hanc aſſertionem prædictis fundamentis ſtabilitam non contradicitur Antiquis, ſed aſſeruntur, quæ ipſi non cognoverunt, & ſicuti injuria eis non infertur per detectionem alicujus rei ſuis temporibus incognitæ, ita nec contra eos iniuriosè proceditur, indagando naturam, & finem rei noviter detectæ. Præterquamquòd debent ipſi aſſignare cauſam, per quam ſanguis, qui ad concreſcendùm habet naturalem inclinationem, cùm ſtatim, ac è vena egreditur, concreſcat, in venis fluiditatem conſervet, & ad hanc efficiendam non ſatis eſt calor cordis, & membrorum, imò impotens, quia ſanguis extractus è vena adhuc fluiditatem conſervans, cuicumque gradui caloris exponatur, in ſua fluiditate non detinetur, & tamen ſi per calorem fluidus in venis evaderet, à calore externo deberet ſaltem per aliquod tempus in fluiditate perſeverare, & tamen non obſtante caloris activitate, cum eadem celeritate concreſcit; poſito autem hoc ſalſo in ſanguine habemus ſufficientem, & proportionatam cauſam pro efficienda, & conſervanda fluiditate in ſanguine.

Nec hujus ſalſi inſubſiſtentia demonſtrat coagulatio contingens in mixtione liquidi acidi, & alkalici poſt efferveſcentiam, à qua in unum ſolidum indurantur, ut patet in oleo Tartari, & Spiritu Vitrioli, ex quorum mixtione reſultat, corpus ſolidum, & in ſpiritu vini, & ſpiritu urinæ, mixtione concreſcentibus in Offam ſolidam omni fluiditate amiſſa. Quia ſi ars noſcit acidum, & alkalicum, in menſtruo univerſali unire, ſine coagulatione, naturæ ſapientiſſimæ non eſt deneganda talis cognitio, nec artificium uniendi acidum, cum alkali ſine coagulatione, quod experientia etiam confirmatur: nam ſpiritus urinæ alkalicus mixtus cum ſpiritu aceti deſtillati acido, ad invicem non coagulantur, imò Thechenius in Hip. Chym. cap. 11. ait hos duos ſpiritus volatiles, numquam concreſcere, licèt ad invicem uniantur, & ex his duobus reſultare liquorum penetrantiſſimum, ſubtiliſſimum, & ſummè deobſtructivum, præterquamquòd quæ obiiciuntur de acido, & alkali, fixo verificantur non de volatili, quale eſt illud de quo loquimur; hoc enim ſemper fluxibilitatem, & tenuitatem conſervat, tamquam proprietatem debitam humori vitali.

Hæc ſunt officia, ad quæ deſtinatur bilis in inteſtinis defluens, & quæ recte exequuntur, quotieſcumque proportionata partium componentium textura donatur. Nam ſi in acrimonia exceſſerit alvi fluxus eſt cauſa, corroſiva ſua ſubſtantia alimenta corrumpendo, vel vaporibus acribus orificia vaſorum per inteſtina diſſeminatorum irritando, cum determinatione aperitionis eorumdem, per quam humores contentos intrà ſuas cavitates, ſeroſos, vel birioſos, in inteſtinorum ſpacia diffundunt; unde fluxus alvi климиoſi, vel ſeroſi, qui diarrhæam conſtituunt, quæ definitur alvi fluxus quem immoderata humoris alicujus, præter alimentum crudum, & ſanguinem, ſine exulceratione inteſtinorum, per alvum excretio excitat.

Hæc abradendo etiam ſua acrimonia aucta mucoſitatem inteſtinorum, qua teguntur glandulæ per ea diſſeminatæ orificia vaſorum in his fixa corrodit, & quaſi exulcerat, effluente ſanguine, unà cum excrementitiis, & alteratis humoribus, unde dyſenteria, & hæc fuit ſententia Hippocratis lib. 3. de diæta num. 12. ſcribendo ubi autem corpore calefacto purgatio acris fiat, tunc & inteſtinum raditur, exulceratur, & ſanguinolenta egeruntur, unde cum ratione definitur dyſenteria dejectio alvi frequens, & cruenta, cum dolore ventris, & inteſtinorum exulceratione à materia acri, & corrodente.

Hos fluxus efficere etiam valet bilis nimis acris reddita, dum ab effluviis ſuis calidis acribus, & fermentativis ſanguini circulanti per inteſtinorum ſubſtantiam impreſſis, in tota maſſa ſanguinea efferveſcentia, & æſtus introducitur ſimilis illi, qui à medicamento electivè purganti ſanguini imprimitur, itaut bilioſa, vel ſeroſa excrementa ſeparentur ope dictæ efferveſcentiæ, quæ ſegregata naturæ moleſtiam inferendo, ab hac pro expulſione in inteſtinorum cavitatem deponuntur, & hujuſmodi cauſam explicavit Hippocrates in libro de Affect. num. 24. his verbis morbus hic fit, ubi bilis, & pituita in venas, ac alvum incubuerint, ægrotat autem ſanguis, & corruptus ſeccedit, ægrotat autem inteſtinum, & raditur, ac exulceratur.

Hæc acrimonia in bile aucta poteſt pendere à quantitate ſalis in ea ſuperabundantis, & tunc purgato humore acri, cum mirabolanis Rhaub. pulpa Tamarind. & ſimilibus, & etiam vomitu excitato pro humoris revulſione juxta Hippocratis præceptum, in fluxibus, reſidui humoris corrigenda eſt acrimonia, cum medicamentis refrigerantibus, aqueis, & oleoſis, quæ valent retundere cujuſcumque acris activitatem, ut ſunt emulſiones quinque ſeminum refrigerantium, & etiam amygdalarum extractæ cum aquis Malvarum, hordei, violarum, papaveris erratici, & boraginis, valent etiam alia mucilaginoſa, & mucoſa, ut ſuccus hordei, & gelatina cornu Cervi. Lac coctum, modo à Saxonia in ſua Praxi deſcripto eſt unicum remedium, quod mihi videtur deſumptum ab Hippocrate lib. de affect. num. 2. ubi pro curatione Dyſenteriæ ait, & alvum lacte cocto elveris, quod poteſt etiam intelligi de lacte bibito, & non ſolùm de infuſo per chlyſteres in alvum, qui ſunt maximi juvamenti in alvi fluxibus ab Acrimonia humorum; huic etiam conducunt omnia Terracea, & Acida præcipuè dulcificata, ut ſunt ſpiritus Vitrioli, & ſalis. Etiam medicamenta, quæ refrigerant, & adſtringunt bilem fixando, & conſtipando ſuique ſalis aculeatas partes implican-

plicando ſimul activitatem acrimoniæ retundunt, inter hæc ennumerantur Sem. Acetoſæ, quod eſt ſpecificum, Anſerina, quæ cum ſale, & aceto contuſa, & plantis pedum applicata Dyſenteriam ſiſtit. Auricula muris, ſeu Piloſella Major, Semen Lapathii, vel ℞. Sem. Plantag. Acetoſæ portulacæ, an. ʒ. v. Cornu Cervi uſti, Spodii, Chryſtal. præp. Coral. Rub. Lapid. emat. Sanguinis Drac. in lacryma an. ℈. I. Pul. Sub. & ʒ. I. exhibeatur in dec. facto in aqua pluviali, vel Chalybeata, Burſæ Paſtoris Planraginis. Valet etiam Boli Armenæ Decoctio, radicis acetoſæ, & biſtortæ cum Cornu Cervi ad ℥. viii. pulvis Cinosbates, & pulvis ex granis, & racemis ad radices quercus enaſcentibus tempore Veris, & præbentur in aqua Plantaginis, vel in ejus ſucco cum Croco Martis adſtringentis Chriſtallo præp. valent etiam ſpecies diaplantaginis, & diamartis Minſincht. & hæc eſt curatio Dyſenteriæ, & Diarrheæ, ab humore acri, & bilioſo.

Curatio verò Diarrheæ ab humore ſeroſo à cibis corruptis in ventriculo eamdem exigit curationem deſcriptam ſuperiùs de Lyenteria juxta documentum Hippocratis lib. de Affect. num. 26. quo nos moner alvi profluvium, quod Diarrheam nos dicimus eamdem habere cauſam cum inteſtinorum levitate, hoc eſt Lyenteria; ſi verò Diarrhæa cum febre coniungatur nihil meliùs liquore ſliptico ſequenti deſcripto ab Hoffmano in Clavi Schroderiana lib. 3. cap. 2. ſub §. 21. ℞. Terræ ſigillatæ affunde Spir. Vitrioli digere Abſtrahe, iterum affunde, idque rer repete, & videbis materiam coagulari in lapidem durum, pulveriza, & ſolve in cella in liquorem, doſis ad gut. xv. ad xxx. in decocto ex herbis cicoraceis, & febrifugis.

Cognoſcemus ſal abundare in bile ab anteacta victus ratione, in ſalſis, & Aromatibus excedente, à temperamento valdè bilioſo, cum magna ſiccitate coniuncto.

Aqueæ ſubſtantiæ deficientia in bile eam magis acrem reddere poteſt, cùm videamus acria valida in pauca aqua diſſoluta ſuam activitatem retinere, quæ à copia aquæ retunditur; idcircò in hoc caſu aquea ſubſtantia eſt remittenda, cum aquis, vel decoctionibus ſimplicium refrigerantium, & modificantium.

Nobis innoteſcet bilem acriorem factam fuiſſe ob deficientiam humidi, ſi præceſſerit copioſus urinæ fluxus, ſudor multus Diarrhæa ſeroſa, & exſiccantium medicamentorum uſus, ob hanc cauſam forſan urinæ in hydropicis valdè ſaturatæ, & tinctæ apparent ob ſal urinoſum parum dilutum à ſeri paucitate per urinam tranſeuntis cùm major pars iſtius in ventris cavitatem exundet.

Spiritus volatilis moderationem aliquam ſali bilioſo tribuens ex ſuperiùs dictis, ſi minor ſit, quàm conveniat neceſſitatem imponit; pro acrimonia augenda, & tunc hæc eſt moderanda per ea, quæ ſpiritus reficiunt, & ſubminiſtrant, ut ſunt ſpiritus Cornu Cervi, Fuliginis, Carabæ, Sanguinis humani, Aqua vitæ Matthioli, Tinctura Caſtorei, & ſpiritus vini Aromatizatus.

Cognoſcemus verò à ſpirituum deficientia auctam fuiſſe bilis acrimoniam, ſi præceſſerint cauſæ ſpiritus diſſolventes, ut ſunt animi paſſiones moleſtæ, intenſa applicatio rebus arduuis, & difficilibus, ſtudium intenſum, exercitium violentum, evacuationes copioſæ, & immoderatus Veneris uſus.

Oleoſa, & ſulphutea ſubſtantia in bile diminuta acrimoniæ incrementa parat, diximus enim ſuprà mixtam fuiſſe hanc ſubſtantiam cum aliis particulis bilem componentibus, ad hoc ut ſui ſalis acrimonia temperaretur, unde deficiente moderatore, non eſt mirum, ſi illa debachetur, & deſæviat corroſione ſupradicta. Hinc ſulphur remittendum eſt cum cibis optimi nutrimenti, cum ſpiritu vini, Nuce Moſcata præparato, cum ſulphure Antimonii, & Vitrioli, cum tinctura ſulphuris, Caſtorei, Belzoin, & ſimilibus.

Cognoſcemus ſulphur in bile defeciſſe, à ſiccitate corporis, & à calore diminuto in corpore, & à difficultate ad iram concipiendam.

Sal verò bilem componens cum parva ſui quantitate acrimoniam illius reddet parvam, & diminutam, & deficiet irritamentum, pro fœcibus cum alvi ſtipticitate, hinc obſervamus multos frigidi temperamenti, & parvi caloris inobedientem alvum hebere, non alia ratione, niſi quia à debilitate caloris ſanguinis particulæ in parva quantitate aduruntur, quapropter parum ſalis colligitur, nullam, vel parvam bilis acrimoniam contribuentis, qua inteſtina irritare valeat ad fœcum expulſionem.

Unde pro acuenda bile, & pro copioſa generatione ejus promovenda calida, acria, & Aromatica medicamenta, & alimenta ſunt ſubminiſtranda, & temperies ipſa ad frigidum, & humidum inclinans ſalis deficienciam connotabit.

Ratione ejuſdem temperamenti colligitur etiam in corpore parva copia ſalis, & excedens pituitæ, ſua humiditate, & viſcoſitate debilem ſalis bilioſi activitatem magis in fringentis, prout faciunt omnia viſcoſa, & humida, quæ emolliendo rigidas ſalis particulas prohibent, ne iſtius acuties ſecundùm ſui naturam ſenſibiliter imprimatur in ſubiecta ſenſibilia expoſita, & ab humido excedenti congregato à virtute dicti temperamenti laxantur fibræ inteſtinales, motum inreſtinorum periſtalticum languidè promoventes, qua propter ex defectu ſtimuli, & à motu inteſtinorum languido, expulſio fœcum debito tempore non exequitur, ſed retardatur.

Unde emendanda venit aquæ Copia, & Pituitæ proventus, purgantibus Hydragogis, & Phlegmagogis, & prohibendum, ne cumuletur talis quantitas, quod perficient ſupradicta medicamenta acria, & Aromatica, ut ſunt nux moſcata, Cinamomum, Calamus Aromaticus, Zinziber, Cardamomum, Lignum Aloes, Saſſafras, Tamariſci, quinque rad. aperienres Naſturcium Aquaticum, Raphanum Sylveſtre, Centaurium Min. Rad. Gentianæ, Enulæ Campanæ, Valerianæ, Cariophilatæ, Zedoariæ, &c.

Temperamentum calidum quandoque contribuit tardæ fœcum expulſioni, eò quia ſpiritus animales in copia colligit, & ſulphuream ſubſtantiam in ſanguine copiosè redundare facit, & hujuſmodi ſubſtantiæ ad bilis generationem abundanti ſuo proventu concurrentes, hujus acrimoniam maximè retundunt, prout pater ex dictis ſuperiùs, & ab hoc deducitur ratio explicans, quare multa corpora plethorica ſanguine benigno, & ſpiritu animali referta, niſi poſt multos dies alvi beneficio gaudeant.

Hujus Symptomatis curatio exigeret, ut minueretur copia ſulphuris, & ſpirituum, ſed puto inconveniens eſſe pro curatione hujus Symptomatis has ſubſtantias ad vitam adeò neceſſarias, & omnibus facultatibus corpori inſervientes diminuere, niſi adſit plenitudo periculum minans, & refrigerantibus contenti erimus pro minuendo calore ſulphuris copiam congregante.

Er magis conveniens erit pro fœcum expulſione, vel Clyſteribus, vel ſuppoſitoriis ſtimulare inteſtina ad iſtarum depoſitionem, & ſi caliditati jungatur ſiccitas fœces adeò indurans, ut motui inteſtinorum reſiſtant citam expulſionem non patiendo. Tunc refrigerantibus, & emollientibus utendum malva, Mercuriali, Sebeſten, Paſſulis, Butyro recenti, Caricis.

Quoad vitia contingentia circa ſecundum officium bilis propoſita fuerunt ſuperiùs in cap. de elaboratione Chyli in inteſtinis, ubi etiam remedia pro eorumdem correctione deſcripta fuerunt.

Tertium officium bilis diximus eſſe cujuſdam ſalſi generationem unà cum ſucco Pancreatico.

Hoc ſalſum poteſt reddi vitioſum ratione ſucci Pancreatici, & bilis, hoc in loco ponderanda aſſumo vitia, quæ ratione bilis præternaturaliter conſtitutæ contrahit; nam ea, quæ ſuccus Pancreaticus ei imprimit, cap. ſequenti, ubi tractatio erit de hujuſmodi ſucco, ennumerabuntur.

Vitio bilis depravatur hoc ſalſum, vel quia bilis eſt nimis acris ratione copiæ ſalis, & inflammabilis valde ratione copiæ ſulphuris, quam ſecum trahit in coniunctione cùm ſucco pancreatico pro compoſitione hujus ſalſi, cum ab hoc ſulphure inflammabili nitri naturam ſuſcipiat, vel quia ſal bilis eſt nimis debile, & paucum, & ſulphur minimè accenſibile, & in parva quantitate.

Salſum prædictum à copia ſalis bilioſi, vel ab iſtius acrimonia aucta ultrà modum acre redditur, ut non ſolùm potens ſit ſanguinem, cui miſcetur, ſubtiliare, & in naturali fluiditate conſervare, prout natura exigit, ſed colliquare, & fluiditatem ad morbos diſponentem

conci-

conciliare, naturamque ei minimè convenientem imprimere, quia ad ſeroſam colluviem, tot morborum originem congregandam conducit, quod expreſſit Hip. Quando in lib. 1. de morb. num. 28. ſcripſit cùm bilis commota fuerit ad venas ingreſſa ſanguinem ex conſueta compage, ac motione dimovet (ecce nimia attenuatio, & colliquatio ſanguinis) ac ſeroſum facit, (ecce ſeroſa colluvies, ab excedenti attenuatione prodiens.) Congregatur verò iſta ſeroſa colluvies, dum ab acrimonia excedenti dicti ſalſi, ſanguis veluti corroditur, & in minutiſſimas particulas dividitur, & in hac corroſione humidum, quod plures particulas ſanguinis uniebat, iſtis diviſis à corroſione, ſuæ libertati relinquitur, & fluit ſimplex in augmentum alterius ſeroſitatis in maſſa Sanguinea exiſtentis, eo modo quo è ſubſtantia ſolida putreſcente videmus humidum fluere, quia per putredinem ſeparatæ ad invicem particulæ dictam ſubſtantiam componentes, humidum, quod iſtas uniebat, ab eiſdem ſeparatur, & fluit, prout exigit natura humidi, hac ratione ſanguis arterioſus majori ſero abundat, quàm venoſus, quia in hoc particulæ ſanguinis ſunt magis craſſæ, & ex aliis particulis conſtitutæ medio glutine humidi, in arterioſo verò particulæ iſtæ craſſæ ſubtiliantur, & ita humidum, quod uniebat illas particulas ſub majori quanto, in ſanguine arterioſo ſuæ libertati relinquitur, ſeroſitatem augendo.

A cauſa hac corrodente, & diſſolvente poteſt etiam aliqua portio ſanguinis in ſua prima principia, vel elementa reſolvi, cum aqueæ ſubſtantiæ ſegregatione, augentia ſeroſam colluviem.

Humidum etiam illud, quod in ſanguine naturaliter hoſpitatur, craſſitiem, & viſcoſitatem quamdam à natura obtinuit, ut his qualitatibus perfectiori vinculo particulas Sanguinis uniat, modo fluidis requiſito, & ut reſiſtentiam continuatæ effervefcentiæ, & fermentationi ſanguinis tribuat, & diſpoſitionem ad nutriendas partes largiatur, quæ conſiſtit in viſcoſitate quadam, per quam humor adhæret parti, iſtius influxum ſine impedimento ſuſcipiens, ideò videmus ea corpora ſecundùm carnis, & pinguedinis molem augeri, quæ humores cum aliqua viſcoſitate habent, ea verò, quæ humores valdè tenues obtinent emaciata, & extenuata apparere.

Hinc eſt, quod à diſſolvente ablata viſcoſitate, & craſſitie à prædicto humido, hoc attenuatum magis fluidum evadit, & extenſionem ſecundùm ſui quantitatem majorem occupat, eo modo quo nix liquefacta in aqua fluit majus ſpatium occupando. Totam hanc doctrinam de ſeroſitate à corrodente cauſa factam confirmat Hippocrates in libro de Inter. affect. ubi explicando quomodo aqua inter cutem congregetur, à pituita, ait, colliquatur pinguedo, & à Pituitæ ardore aqua fit, ardorem autem non habet niſi pituita ſalſa corrodens; & inferiùs reddendo cauſam, cur ex multa potatione aquæ oriatur aqua inter cutem, ait ubi æſtatis tempore ſiti preſſus copioſam aquam biberis, quandoquidem indè ferè gigni ſolet, & pulmo expletus rurſus in pectore dimiſerit, tuncque in pectore extiterit, vehementem ardorem excitat; itaut pinguedinem, quæ in arteriis ineſt liquefaciat, at ſi ſemel pinguedo liquefieri cœperit longè citius aquam inter cutem efficit, ubi nota illa verba pinguedinem, quæ in arteriis ineſt, & non poteris concipere niſi humidum pingue ſanguinis fluentis per arterias, ſicuti per liquefieri, illius humidi diſſolutionem, & corroſionem, quæ ſicuti in hoc caſu fit à calore nullus negare poterit, quod non poſſit fieri à diſſolvente ſalſo, cùm majoris ſit efficaciæ, quàm calor; nam hic fundit, & liquefacit argentum, quod ab aqua forti, quæ eſt acris, & corroſiva magis liquefit, & diſſolvitur, & ſi humores acres corrodunt partes ſolidas ex Hippocratis etiam documento, quanto faciliùs corrodent, & diſſolvent fluidas, & maximè cùm qualitates ſecundæ ſint validiores primis juxta doctrinam Hippocratis in lib. de veter. medic. quapropter ſi caliditas eſt potens diſſolvere, & colliquare, id facilius, & potentius faciet ſalſedo, & acrimonia, quare ſi bilis cùm calefaciat, erit potens fundere ſanguinem, & magis hoc faciet ſua acrimonia, & experientia docet billioſos ſanguine tenuiori, & ſero magis abundare, quod ulteriùs demonſtravit Hip. de affect. num. 48. in illis verbis, ſalſa urinam cient, quæ verò urinam movent, ſerum diſgregant, & ſecernunt ab aliis humoribus. Et lib. 2. de diet. num. 11. ubi ait, ſalſamenta ſiccant, & attenuant attenuando verò ſeroſitatem congregant, & majorem faciunt, ut patet ex ſuperiùs dictis.

His de cauſis è ſanguine ſeroſa emergit colluvies, unde hydrops, membrorum intumeſcentia, fluxiones ſeroſæ, ad varias partes, cum Paralyſi quandoque Appoplexia, & tremore, prout ſeroſa colluvies in hanc, vel illam partem deponitur, vel ob iſtius diſpoſitionem ad recipiendum humorem, vel ob motum humoris inclinantis ad illam.

Pari pacto ab eadem ſeroſitate copioſa, & vomitus, & alvi fluxus ſeroſi oriuntur tranſmiſſo dicto humore, vel ad inteſtina arteriarum medio, vel in ventriculi cavitatem, ſudores copioſi ob hanc cauſam etiam contingunt, ſero ad cutem expulſo, & omnes hi morbi à ſeroſa colluvie frigida, quia aquea, cauſam habent calidam, nempè illud ſalſum ſanguinem fundens, & corrodens, quia de natura bilis nimis participans in calore, & Acrimonia peccans, & hoc ſtabilitum manet ab Hippocratis documento in lib. de veteri medicina erudiente fluxiones à ſeri diſgregatione emanare, quæ diſgregatio ſeroſam importat colluviem, & diſgregationem non ſolùm à cauſa calida, ſed ab amaro ſalſo acido, & aliis qualitatibus ſecundis magis potentibus, quàm qualitates primas fieri inſinuat.

In hanc ſententiam convenerunt Antiqui, Hydropem à cauſa calida ſtabilientes, aſſerendo calorem temperamenti billioſi ſanguinem fundere poſſe, & in ſerum commutare, vel à calore excedenti billioſi ſanguinis, vel humoris calorem naturalem partium ſanguificantium debilitari, & quaſi opprimi, itaut materia in ſanguinem elaboranda non poſſit rectè perfici, ſed in ſerum degeneret, & pro hac ratione mihi videtur hoc ſymptoma rectius explicari poſſe, per acrimoniam bilis in corpore prædominantis à qua, vel materia in ſanguinem mutanda, vel ſanguis ipſe diſſolvatur, & corrodatur, cum congregatione majoris ſeroſitatis modis ſuperiùs dictis, & hujuſmodi ratio eorum ſequacibus perſuaderi poſſet, ab Acrimonia ipſius bilis, ab ipſis cognita, & ab experientia à qua docemur omnia acria vi diſſolutiva, & corroſiva pollere, & à citatis Hippocrat. auctoritatibus.

Quod ſi ab hac ratione perſuaſi non maneant, in curatione hujus ſeroſæ colluviei à cauſa calida conſenſum cùm illis invenient recentiores, nam non aliter curabunt hanc ſeroſam colluviem à cauſa calida, niſi cum medicamentis, quæ bilem in ſuis qualitatibus excedentem reſpiciunt incraſſando, & conſtipando ſanguineam maſſam, & huic modo curandi adhærent etiam recentiores in prædictis affectibus à prædicta cauſa, & pro hac extirpanda utuntur refrigerantibus ratione caloris ſalſi prædicti, & demulcentibus ratione acrimoniæ illius, & corroborantibus, & conſtipantibus ſanguinem ratione laxitatis à corroſione contractæ. Refrigerantia, & demulcentia acrimoniam ſalſi, & bilis pluribus in locis ſuperius ſunt recenſita; ſanguinem conſtipantia præter refrigerantia ſupradicta erunt decoctum ſantalorum omnium, Radix Chinæ cannæ montanæ cum herbis plantaginis, conſolidæ, tormentillæ, Biſtortæ, Burſæ Paſtoris, Tinctura roſarum, omnia acida ſuperius enumerata, & præcipuè Balſamum ſalis, ſicut etiam omnia Terracea, & cruſtacea ibidem deſcripta, aquæ Minerales diureticæ, Villæ, & Noceræ videntur eſſe prædictæ cauſæ appropriatæ, quia ſeroſam colluviem per urinam minuere valent, & etiam ſanguinem corroborare, poſſunt tamen pro hoc effectu efficatiores reddentur ſi admiſceatur aqua Penoti, vel ſpiritus à vitriolo Martis elicitus; Opiata multùm conferunt pro laxitate ſanguinis corrigenda, & ſalſo frænando, ut ſunt Philonium perſicum Nepenthes, Pilulæ de Cinoglosſa, Pilulæ de Laudano, vel ſequens Opiatum valdè efficax. ℞. Tinctura roſarum, & florum papaveris eratici ℥. ii. Tincturæ Santalorum ℥. 1. Tincturæ Coral. ʒ. 1. Salis prunellæ ʒ. 5. ſedativi ordinarii deſcripti à Bonetto in medicina ſeptentrionali in Tractatu de vigiliis ℈. 5. ſuperbibendo decoctum malvarum, & plantaginis, & hordei.

Ab acri ſalſo corrodente fit diabetes, quatenus Carnes per quas ſanguis ſalſus tranſit corrodit, & liquat in ſerum-

ſerumque diſſoluit tamquam aqua fortis argentum, ut demonſtravi in meis conſult. Conſul. 10. fol. 365. & præter remedia ibi deſcripta optimam judico ſequentem decoctionem. ℞. Rad. Cannæ ℥. iv. Santal. alb. ℥. iv. præp. ſ. a. & infund. in lib. xxx. aquæ fontis per diem poſtea bul. ad conſumptionem tertiæ partis in principio ebul. ponatur in vaſe ſacculus in quo ℥. iv. Antimonii crudi craſſo modo pulverizati includantur, & alius ſaculus in quo ſint Chalibis limati ℥. iv. Addantur etiam in fine ebullitionis malvarum ſemen, acetoſæ, Pſylii, Plantaginis an. ℥. 1. poſtea coletur, & decolatura bibat in menſa, & extra menſam lib. octo, vel decem omni die, ab hoc enim remedio copioſè ſumpto maſſa Sanguinis ſalſa poterit dulcificari.

Si diſſolutio ſanguinis ab hoc ſalſo effecta ſit major, quàm in ſeroſa colluvie, ob acrimoniam excedentem febres malignæ fiunt ſanguine nimis diſſoluto, cum ſpirituum expiratione, & caloris innati deperditione, quod præcipuè contingit ſi illud ſalſum ſit nimis acre redditum, non ſolùm ob ſalis bilioſi excedentem acrimoniam, ſed ob immoderatam ſucci pancreatici aciditatem, quia ob uttamque acrimoniam auctam ſalſum illud in atram bilem corrumpentem degenerat, ut demonſtrabimus inferiùs, & docuit Hip. in lib. de rat. victus in morbis acutis com. 4. parte 27. ubi loquendo de atra bile ſcribit, & repleta fluxionibus, qua afficitur, & corrumpitur in primis ſanguis. Et ab acrium humorum defluxu in arterias ſanguinem corrumpi docet Martianus ex Hippocr. ſententia incomm. lib. 2. de morb. núm. 64.

In hac extrema ſanguinis diſſolutione conſiſtit vera putredo, & inſignis gradus iſtius, ab Antiquis adeò decantatus pro explicanda febrium malignarum natura. Ab hoc gradu putredinis volunt emanare qualitatem illam occultam, quam malignam, & venenatam vocant, ſuperfluè, tamen, quia pro explicanda hac malignitate clarè per cauſam manifeſtam, ſufficit diſſolutio ſanguinis ſupradicta, involuens inſignem gradum putredinis, cùm in diſſoluto ſanguine contingat interitus caloris, & ſpirituum, ſtabiliens formale conſtitutivum putredinis, idcircò per ſanguinis diſſolutionem clarè explicatur, & declaratur natura febris malignæ, & qualitatis venenatæ, quæ non occulto modo operatur, ut ſentit major pars medicorum, ſed ſatis manifeſto, nam admiſſa dicta diſſolutione ſanguinis, in hac includitur qualitas venenata, & omnes effectus iſtius, virtutis occultæ aſſignati, per dictam ſanguinis diſſolutionem explicantur.

Calor parvus in febre maligna apparens, non à qualitate venenata incognito modo facultatem vitalem, & calorem cordis minuente proficiſcitur, ſed à ſanguinis diſſolutione, ſpiritibus libertatem concedente extra maſſam ſanguinis, quibus deficientibus parvo calore etiam in febrili effervefcentia perfunditur, idcircò parvum etiam toti corpori calorem communicat, & pulſus parvus, qui in dictis febtibus ſemper obſervatur, non ſit à facultate pulſifica à qualitate occulta debilitata, ſed à debili effervefcentia ſanguinis concomitante ejuſdem diſſolutionem, dum enim in hac ſpiritus in copia exhalant à ſanguine, huic deficit illud, impetum faciens, cujus virtute arteria validè, & cum energia dilatatur, unde ex hujus defectu parva, & debilis arteriæ dilatatio ſequitur.

Huic adiungenda altera cauſa deducta ab effervefcentia ſanguinis, & hujus rarefactione, quæ in dicta diſſolutione non eſt valida, nec violenta, licèt febrilis, deficiente in ſanguine diſſoluto capacitate ad magnam rarefactionem, etiam febre dominante, & cum ea vim ad elevandam arteriam, cum magna diſtenſione, & impetu, ideò parùm, & debiliter, hanc dilatat, unde pulſus parvus.

Vires ſubitò concidunt in febre maligna, non quia extinguantur ſpiritus, à qualitate venenata occulta, ſed quia à diſſoluto ſanguine turmatim tranſpirant.

Hæc ſunt majora Symptomata, quæ obſervantur in febre maligna, & explicantur manifeſtè, modo ſupradicto, & cætera Symptomata, quæ ſequuntur dictam febrem, cum à prædictis cauſis pendeant, eodem modo etiam explicanda ſunt, ſine admiſſione qualitatis occultæ, ſed per inſignem gradum putredinis maſſam ſanguineam occupantem, ſeù per ejus diſſolutionem validam, à valido, & acri diſſolvente effectam.

Prædictum ſolvens maſſam ſanguineam in febre maligna coguntur admittere antiqui, concedentes inſignem gradum putredinis, qualitatis occultæ, & venenatæ eſſe principium, quia hic inſignis gradus putredinis ſanguinem afficiens, diſſolutionem iſtius in ſuas partes involuit, cùm non poſſit excogitari diſſolutio alicujus in ſua prima principia, ſine putredine, nec putredo inſignis ſine diſſolutione, in prima principia corporis putreſcentis, & cauſa putredinis non poteſt eſſe, niſi quoddam diſſolvens ab omnibus cum Ariſtotele in hac admiſſum; omne verò ſalſum acre inter diſsolventia eſt maximè efficax, conſequenter hoc multoties in ſanguine congregetur à cauſa inſignis gradus putredinis, vel diſsolutionis ſanguinis non eſt eliminandum, per quòd ſtabilita manent hucuſque dicta.

Pro curatione patet extinguendum eſse hoc acre ſalſum diſsolutivum ſanguinis, vel præcipitandum, vel fixandum, quod præſtant omnia antimonialia, Diaphoretica, ut ſulphur Antimonii fixum, Antimonium diaphoreticum, illius tinctura, cinabrum Antimonii, Bezoarticum minerale, & præcipuè Bezoarticum ſolare, quæ nulla cum violentia agunt. Obſervatum enim eſt iſta Bezoartica, nec cum acidis, nec cum alkalicis efferveſcere, ſulphur etiam vitrioli, cujus præparationem alibi demonſtravi, in hoc caſu eſt maximè opportunum aurum etiam præparatum modo deſcripto in lib. Conſult. adimplet efficaciſſimè hanc indicationem ſi aliis ſupradictis remediis coniungatur. Hæc enim omnia poſsunt ſudorem movere, & præcipitare acre illud diſsolutivum, abſque eo quòd ſanguis ulteriori diſsolutioni ſubiiciatur, & quam promovere poſsunt diaphoretica illa ſale volatili conſtantia, ut ſpiritus cornu Cervi, fuliginis, urinæ, & ſimilium, ideò valdè errant medici illi in tali caſu his ſpiritibus volatilibus utentes, pro emendanda malignitate, & promovendo ſudore, qui poteſt provocari cum ſupradictis magis tutis, & cum decoctione milii, ab Antiquis decantata, additis ſeminibus aquilegiæ, & Nappi, cum in his non ſit violentia, qua pollent ſupradicti ſpiritus volatiles; eſt etiam error potionibus illis calidis, & Aromaticis uti, quæ calore, & ſale acri majorem diſsolutionem, & accenſionem coadiuvare poterunt.

Hinc multoties conſideravi proficuam fore, pro ſudore excitando, decoctionem Milii, Carduibenedicti, & Petaſitidos, cum Bezoartico minorali in Petia ligato, & hujus decoctionis pluries in diem aſsumere ad quantitatem lib. 5. pro vice, & per octo, vel decem vices. Hujuſmodi decoctio poteſt vigorari, addendo in quolibet Cyatho ℈. v. mixturæ ſimplicis ℞. Spir. Vitriol. Correc. part. 1. Spir. Tartar. Correc. ſeù à ſuo capite mortuo rectificati part. 3. Spir. Theriac. Camphor. part. 5.

Excedens verò ſulphur in hoc ſalſo à bile conſtituto facilè accenſibile redditur à calore ſanguinis, cui miſcetur, & hoc accenſo ſulphureæ particulæ ſolutæ, & per maſsam ſanguinis diſcurrentes ſimili accenſione inflammantur, eo modo, quo unum granum pulveris tormentarii accenſum, granum alterum ſibi contiguum accendit. Illud verò ſalſum ſulphure bilis accenſibile redditur eo modo, quo ſulphur ſali nitro mixtum, hoc ad facilem diſponit accenſionem.

Ad accenſione ſalſi ſulphure bilioſo fœcundi introducta in maſsa ſanguinea immoderata iſtius efferveſcentia proficiſcitur, & quandoque tale ſuſcipit incrementum, ut in febribus efferveſcentias violentas acutarum febrium proprias eam præcipitet, cum periculo diſsolutionis, & corruptionis dictæ maſsæ ſanguineæ, & ad hoc reſpiciunt dictum illud Medicorum Antiquorum bilem ſua accenſione, & fervore magna acutarum febrium incendia ſuſcitare. Et omnes morbi pendentes ab æſtu, & efferveſcentia inordinata ſanguinis ab hac ſulphuris abundantia in prædicto ſalſo; & in maſsa ſanguinis exiſtente multoties gignuntur.

Ab hoc fonte ſcaturiunt æſtus illi poſt cibum magna cum moleſtia multos cruciantes, partes enim ſpiritoſæ calidæ, & accenſibiles alimentorum ingeſtorum raptæ intra vaſa ſanguiflua dicto ſulphuri alimentum ſuppeditando, accenſionem majorem in ſanguine pariunt, quàm totus æſtuat, & excandeſcit, & cum eo univerſum corpus, & hoc expreſſit Hip. lib. 4. de morbis n. 10. in illis verbis,

verbis, & cùm ederit, aut biberit homo quid ſanguinei, ſtatim venæ jugulares attolluntur, & facies rubet. Nota illud verbum attolluntur ſtatim, quod exprimit verè æſtum, per quem venæ turgent, & attolluntur, nam non poſſunt ſtatim attolli à ſanguine de novo genito, quia alimenta adhuc in ventriculo commorantur, ergo ſi venæ attolluntur, id evenit, quia ſanguis in eis æſtuat, & fervet.

Diſponit etiam hoc ſulphur maſſam ſanguineam ad fluxus bilioſos, hanc calefaciendo magis per impræſſam accenſionem, qua particulas ſuo ſinu contentas, & aduſtioni diſpoſitas in majori copia adurit, quàm natura exigat.

Ab hac copia particularum aduſtarum exuberat bilis, quæ ſua virtute fermentativa ſegregationem à cæteris partibus primò ſibi parat, deinde ſecretionem, ſeù diſceſſionem à maſsa ſanguinea, bilis ſecreta, quia naturæ moleſta ab hac expellitur per alvum, via eſt, ab extremis arteriarum ramis inteſtina pervadentibus ad glandulas per hæc diſseminatas, & mediis vaſis iſtis appenſis in inteſtinorum cavitatem in quam terminantur: & ſi ab expulſi humoris acrimonia vaſa ſanguinis dictas glandulas ingredientia, vel per inteſtina diſseminata corrodantur, ſanguis cum humore bilioſo excrementitio per alvum excernitur, & dyſenteria talis fluxus dicitur, ſicuti Dyarrhæa, quando ſine ſanguinis mixtione prædicta excrementa bilioſa exeunt, & hæc omnia expreſſit Hip. in lib. de affec. hac ſententia loquendo de Dyſenteria morbus hic fit ubi bilis, & pituita in venas, & alvum incubuerint, ægrotat quidem ſanguis, & corruptus ſecedit: Ægrotat autem inteſtinum, & raditur, & exulceratur.

Nec aliter Antiqui explicant cauſam Dyarrheæ bilioſæ, & Dyſenteriæ à toto provenientis, dum in copiam bilis intra venas, & arterias contentam horum morborum cauſam refundunt. Bilis verò copia, ex eorum teſtimonio non cumulatur niſi per exceſsum caloris, cujus activitas ad accenſionem, & aduſtionem humorum ſe extendit; unde ſi bilis eſt copioſa neceſse eſt, ut aduſtio, & accenſio ſit violenta multas ſanguinis partes uſtione depravans, & expreſſiùs hoc confirmant in his affectibus caloris intenſionem in maſsa ſanguinea admittendo, & in partibus hanc præparantibus, & in materia, ex qua generatur, talis autem intenſionis, caloris effectus ſunt immoderata accenſio ſanguinis, & aduſtio, ſecundùm aliquas ſui partes huic magis diſpoſitas.

Sulphuris abundantiam arguemus à calore, & æſtu inordinato ſanguinis, & membrorum tàm internorum, quàm externorum, & à temperamento ſanguineo, cum ſubdominio bilis.

His vitiis à ſulphure occurremus cum refrigerantibus validis, ut ſunt aquæ Nenupharis, Sonchi, Fragorum, Lactucæ, Violarum, Endiviæ, Florum papaveris erratici, ſucci herbarum Cicorei, Boraginis, Endiviæ, & ſimilium, inter quæ enumerantur etiam emulſiones quinque ſeminum frigidorum, lac coctum, vel deſtillatum unà cum ſuccis prædictarum herbarum, vel cum iſtis in dicto lacte ſolùm maceratis, ſerum lactis caprinum, vel vaccinum, aqua ex decoctione hordei, acetoſæ, plantaginis, cum Sale Nitro ſepties fuſo, & in aqua frigida extincto, & hæc decoctio pluries in die eſt exhibenda. Fixantia ſulphur prædictum conſtipando, ejuſque motum prohibendo illius activitatem minuunt. Fixant autem ſulphur. Omnia accida ſalina præcipuè dulcificata, ut ſunt Spiritus Vitrioli, Salis dulcificati. Obſervatum enim eſt aurum fulminans, quod leni etiam tactu in flammam violenter erumpit, ſi aliqua ſubſtantia acida irroretur, accenſionis potentiam deperdere, quod contingit etiam Pulveri Pyrio. Acida bilem unà cum ſuo ſulphure enervare, cognovit etiam Hip. dum in lib. de rat. Vict. in Acut. Scribit, ut autem in ſumma dicatur aceti aciditas bilioſis naturis magis confert, quàm melancholicis; amara enim diſſolvuntur, & in pituitam tranſeunt, dum ab ipſo in ſublime attolluntur, à qua Sententia deducitur acetum totam bilis ſubſtantiam immutare, & in pituitam convertere. Omnia etiam Terracea fixationem inducunt, & ex iſtis compoſita Pharmaca, ut Diaſcordium, confectio ex Hiacintho ſ. o. & pulveres compoſiti pro ſiſtendo omni fluxu, de quibus ſuperiùs.

In æſtu verò poſt cibum immediatè excitato, valet aqua bibita, vel decoctio coriandrorum facta in aqua Plantaginis, conſerva Cotoneorum, vel iſtorum ſuccus conditus.

Enervatur hujus ſalſi activitas ſecundùm acrimoniam, vel à bile deficiente, vel minorata unà cum ſuo ſale acri, & in hoc caſu remittenda bilis generatio in debita copia cum acribus, & aromaticis remediis, quæ pituitam, & melancholiam corrigunt, cùm ab his bilis defectum patiatur, & alimentis proportionatis.

Ab acido pancreatico ſuperabundante cum multo damno maſſæ ſanguineæ poteſt minui acrimonia diſſolvens hujus ſalſi, ut explicabimus ſequenti Capite, ubi proponemus remedia pro corrigenda dicta aciditate.

Si ſulphur hujus ſalſi deficiet ob bilem deficientem, vel ab acido ſuperabundante mortificatam, accenſio ſanguinis erit diminuta, ſicut & ſua efferveſcentia à quarum defectu maſſa ſanguinis ſuarum perfectionum decrementum ſuſcipiet; deficiente enim accenſione, & efferveſcentia, partes ejus non attenuatæ, nec volatilizatæ, remanent craſſæ, & excrementa non ſeparantur, hinc malus corporis habitus, obſtructiones viſcerum, cordis oppreſſiones, palpitationes, & tremores, quia ſanguis, dum non accenditur, in corde ſtagnat, ab hac ſtagnatione opprimitur, & ſi modum exceſſerit oppreſſio, irritamentique naturam induerit, fit cordis palpitatio, ſatagente iſtius ſubſtantia, quod eſt moleſtum interrupto, & irregulari motu excutere. Tremor cordis à dicta ſtagnatione procedit, quia ſanguis craſſus ſtagnans in ventriculis cordis ponit impedimentum novo ſanguini fluenti, prohibens ingreſſum in dictos ventriculos, & cogens regurgitare verſus vaſa coronaria, in quo motu diſtendendo, & concutiendo baſem cordis hujus tremorem efficit, prout deſcribit Vvilliſius.

Hac occaſione fit etiam difficultas reſpirandi in quolibet motu progreſſivo, etiam leni, quia ſanguis ob craſſitiem ad accenſionem difficilis, per aliquod tempus cogitur in corde ſtagnare, ut eam accipiat accenſionem, & rarefactionem, cujus eſt capax, & in hoc tempore ſanguis in magna quantitate per vaſa Pulmonum diſcurrens, in hæc à motu copioſo impulſus, quàm in quiete, in iſtis ſiſtitur, impedito ejus motu à ſanguine in corde detento, in cujus locum ſuccedere debet, nec poteſt in pulmonibus moram trahere; niſi cum oppreſſione motus iſtorum, unde difficilis reſpiratio.

Sanguis etiam ob ſuam craſſitiem tardè per pulmonum ſubſtantiam circulans in magna copia cumulatur intra vaſa pulmonaria, & à motu major quantitas ſanguinis impulſa prædictum cumulum auget, ut pulmones omninò opprimantur, cum motus dilatationis, & conſtrictionis diminutione.

Cognita per temperamentum pituitoſum, & melancholicum, & per victus rationem pituitam, & melancholiam congregantes, hujus ſulphuris in corpore deficientia, per quam ſanguis accenſione, & efferveſcentia debita privatur, cum defectu optimæ ſanguificationis, & redundantia multorum excrementorum, quæ clarè ſe manifeſtant, cognoſcimus ſtatim prædictorum Symptomatum cauſam auferendam, cum eis, quæ accenſionem, & efferveſcentiam augent, reſtituendo bili ſuum ſulphur, & pinguedinem, ut ſunt ſal Nitrum Antimoniatum, Aqua vitæ Mathioli, Aqua Theriacalis, Spiritus vini Aromatizatus, Vinum Hippocraticum, Elixir, proprietatis Paracelſi juxta deſcriptionem Elmontii, Ambra, & ejus eſſentia, & ſpecies ex ea compoſitæ, omnes ſpiritus volatiles oleoſi, ut Salis Armoniaci, Cornu Cervi, Fuliginis, Charabæ, Sanguinis humani. Hæc tamen medicamenta debent præcedere aliqua attenuantia, vel iſtis miſceri, ut ſubtiliato ſanguine faciliùs in hunc operari poſſint, accenſionem, & efferveſcentiam debitam introducendo, inter hæc magnæ efficaciæ ſunt Antimonialia Chalybeata, Tartarea, Nitroſa, ut Antimonium Diaphoreticum, Tinctura Antimonii, Crocus Martis aperitivus, Tinctura Chalybis, Tinctura Tartari, Tartarus Chalybeatus, Spiritus Tartari, & Spiritus Salis nitri, & Sal prunellæ, Pulvis cachecticus Quercetani. Aquæ acidulæ naturales, & artificiales Salia cephalica, & alkalica à ſimplicibus attenuantibus, & calidis elicita, quæ exhibenda ſunt cum decoctione ſimplicium attenuantium, quæ pluries fuerunt deſcripta, & præcipuè Centaur. Min. Abſinthii, Agrimoniæ, Scolopendriæ, Acetoſellæ, Eupatorii, Serpentariæ, inter cætera verò mihi

mihi videntur anteponenda eſſe in hoc caſu cephalica calida, quæ ratione ſalis volatilis, quo abundant, habent maximam activitatem in attenuando ſanguine.

Hæc omnia ſunt accipienda, ſi unà cum ſulphure deficiat etiam Sal; nam ſi hoc fuerit cum debita acrimonia, prædicta Symptomata erunt valdè diminuta, vel non aderunt, quia attenuato ſanguine à ſufficienti acrimonia ſemper ſequetur efferveſcentia, & accenſio, per quam intra naturæ limites permanebit, quia in illa attenuationem ſemper ſeparantur particulæ calidæ, quæ fermentationem ſuſtinent, & ſulphureæ, quæ accenſionem conſervant, ratione quarum prædicta Symptomata debiliora evadunt.

Quæ dicta ſunt de ſulphurebilioſo conjuncto cum ſalſo conſurgente ex mixtione bilis, & ſucci pancreatici, dicenda etiam veniunt de ſulphure bilioſo, proprio bilis ſeparatim acceptæ; hujus enim particulæ in ſanguine exiſtentes antequam in hæpate ſecernantur, à continua ſanguinis fer mentatione ad motum excitatæ, attenuatæ, & volatilizatæ accenſioni in ſanguine conſervandæ contribuunt, eoſq; omnes videntur præſtare effectus, quos enumeravimus in diſcurſu ſulphuris proprii prædicti ſalſi. Unde etiam ejus defectus, vel exceſſus eſt corrigendus modo, & remediis deſcriptis pro correctione vitiorum ſulphuris in ſalſo latitantis, cùm enim ſalſum prædictum mutuetur ſuum ſulphur à bile, quale hoc erit, vel in qualitate, vel in quantitate naturali, vel præternaturali, tale erit illud. Eſt enim eadem ſubſtantia, ſed cum diverſa mixtione, ideòque utriuſque operationes ejuſdem erunt conditionis, & vitia non erunt diſſimilia. Ideò horum correctio uniformis eſſe debet, cùm dictum ſulphur ſub diverſa etiam mixtione propriam ubique retineat naturam.

Nec poſſumus aſſerere hanc ſulphuris ſubſtantiam tàm in bile, quàm in ſalſo prædicto exiſtentem, non fuiſſe ab Antiquis demonſtratam, ideòque novum eſſe inventum recentiorum; nam à ſententia Hippocratis ſuperiùs citata in principio hujus capitis colligimus, eum oleoſitatem quamdam in bile cognoviſſe, quæ eſt eadem, ac ſubſtantia ſulphurea Recentiorum, quod confirmavit etiam in libro de morb. ubi explicando, quomodo à bile fiat febris, ait, quod aqueum eſt primò reſolvi, & pingue remanere, quod eſt febris nutrimentum, & per pingue intelligit bilem; ad hujus confirmationem faciunt etiam ea, quæ diximus in citato principio hujus capitis agentes de ſulphure bilis.

Et quia effectus enumerati prodeuntes à defectu, vel ab exceſſu ſulphuris optimè poſſunt reduci ad hanc oleoſam ſubſtantiam, ideò doctrina Recentiorum de novitate non ſapit, & qui inter Antiquos de hac oleoſa ſubſtantia mentionem non fecerunt, ſtatuerunt tamen bilem calida, & ignea ſubſtantia ſanguinem æſtu, & accenſione inflammare, & oleoſa, vel ſulphurea ſubſtantia nihil aliud eſt, quàm particulæ igneæ, & inflammabiles, cum humido ad craſſitiem olei, & pinguedinis excoctæ.

Unde Recentiores nihil Antiquis addiderunt, niſi hoc humidum particulis prædictis inflammabilibus uniri, pro conſtitutione oleoſæ, & ſulphureæ ſubſtantiæ.

Quod verò pertinet ad naturam dictarum particularum accenſibilium, & ignearum, cum eis convenerunt, & quod dictum eſt de excedenti ſulphure in bile, dicendum eſt etiam de deficiente.

Hoc ſalſum ſi à bile, & ſucco Pancreatico præternaturali acrimonia donatis reſultet ſalſedine nimis pungente, totam maſſam ſanguinis inficere poteſt, & etiam ſupradictam corroſionem ſanguinis inducere, unde deſtillationes ſalſæ, & acres, & hanc corrigunt præter refrigerantia ſupradicta Malva, Althea, Branca Urſina, Parietaria, Violaria, Verbaſcum, Hordeum, quinque Sem. frigida. Et hac ſalſedine poteſt infici ille humor viſcoſus, & craſſus, qui remanet poſt deſcripti ſalſi generationem, & à quo dixi lubricam reddi inteſtinorum viam, pro fœcum faciliori expulſione, & ſi in hoc humore relinquatur copia ſalſi prædicti, ut ſalſedine irritativa, & corroſiva inficiatur, fit Teneſmus, qui eſt aſſidua per alvum dejiciendi cupiditas, cum dolore, & in qua vel hihil, vel pauca mucoſa, cruenta dejiciuntur. Salſedo moderanda ſupradictis ſimplicibus, & Clyſteribus educendus humor mucoſus, & hi componantur aqua Tetutii, & Villæ æquali portione, vel cum decoctione hordei, lacte, & jure carnium pingui. Suffumigium etiam paretur ex verbaſco, ſulphure, & foliis Caulium in aqua dedoctis, & calente decocto ſuffumigetur anus.

Hucuſquè bilis flavæ vitia à ſuis officiis aberrantię explicavimus, & eis convenientem medellam adaptavimus. Modò iſtius humoris differentiæ perpendendæ, quæ ab Auctoribus multæ recenſentur, & in praxis tales obſervantur.

Prima eſt bilis pallida ex admixtione multæ ſeroſitatis cum flava conſurgens, prout ſenſit Avic. dicendo hanc bilem denotare temperamentum frigiduſculum, quale eſt pituitoſum intendens denotare cum bile flava miſceri pituitam, ſed tenuem, & fluxibilem ſeroſitati æqualem, & per hanc mixtionem bilem pallidam reſultare inertem in ſua activitate fracta à ſeroſitate, & ita vitium hujus bilis pallidæ eſt commune cum illo ſuperiùs deſcripto pendente à copia ſeroſi humoris in bile, & conſequenter ei erunt communes morbi ibidem explicati, qui eadem poſtulabunt remedia.

Secunda eſt bilis vitellina ex bile flava magis incraſſata per reſolutionem aquei humoris conſtituta, hinc eſt, quòd deficiente humido modificante majori acrimonia dometur hujuſmodi bilis, quàm flava, & hoc deducitur à Gal. in lib. de facul. natur. 2. cap. ult. & in lib. de atra bile dicente bilem vitellinam ab aduſtione pallidæ, & citrinæ bilis generari, & hæc vitioſa differentia correctionem accipiet ab aqueis, à quibus dilutior reddetur, cum modificatione conceptæ acrimoniæ, quapropter convenient etiam huic, ea omnia medicamenta ſuperiùs propoſita pro corrigenda excedenti bilis acrimonia.

Tertia eſt bilis Porracea, non illa, quam multoties obſervamus in praxis per vomitum excerni poſt eſum fructuum, & herbarum; hujuſmodi enim humor propriè non eſt bilis, cùm generata ſit in ventriculo, & huic non inſit potentia ſimilem; humorem generandi, prout ſentiunt omnes Medici, ſed potiùs eſt materia alimentorum, per concoctionem depravatam in ventriculo collecta, & ab herbarum, & fructuum ſuccis progrediens, ſed pro bile porracea illam accipimus, quæ vel in inteſtinis, vel in vaſis generatur. Dixi in inteſtinis, quia cenſeo, hanc bilis differentiam poſſe oriri ex concurſu bilis flavæ magna Acrimonia alteratæ, & ſucci Pancreatici ſimiliter affecti. Hujus cogitati fundamentum deduco ex eo, quòd color naturalis fœcum ad viridem tendat, & talem colorem fęces ſuſcipiunt à dictis humoribus, quorum ope à puriori Chyli parte ſecernuntur, & eis etiam intimè miſcentur, ex tali enim mixtura bilis ſucci pancreatici, & fœcum oritur color viridis, nec eſt aſſignabilis altera cauſa hujus coloris, niſi dicta mixtio, & experientia etiam nos erudit à mixtione diverſorum Corporum colorum diverſitate tinctorum medium quemdam colorem reſultare, quapropter ſi color viridis fœcum eſt à bile, & à ſucco Pancreatico cùm fœcibus mixtis, non erit etiam improbabile bilem porraceam viridem ab unione horum humorum alteratorum in inteſtinis generari, huic probabilitatem tribuit activitas cum exceſſu corroſiva bilis porraceæ, quæ non videtur ab alia cauſa progredi poſſe niſi ab acido intenſo, bili multùm acri addito; acidum enim ſalſo unitum Acrimoniæ vires corroborat, ut experimur in Muria facta ex ſale, & aceto.

Generatur etiam in venis bilis porracea, ut patet ex ſero viridi apparente in ſanguine è vena ſecta emiſſo, & in iſtis generatur, quando ab excedenti calore ſanguinis, bilis valdè acris producitur, cui conjungitur acidum, vel Lymphæ, vel alterius acidi in ſanguine latentis, ab hac enim miſcella bilis porracea in colore viridis, & ſecundùm acrimoniam morboſam valdè efficax, itaut vitellinæ acrimoniam excedat. Idcircò Symptomata ab hac emergentia ſunt majora, & periculoſiora, quàm ſint ea, quæ bilis vitellina efficit.

Quocumque modo fiat hæc bilis porracea certi ſumus de iſtius acrimonia excedente illam flavæ, & vitellinæ cum majori activitate ſuperante, & Medico hoc ſatis eſt ad hoc, ut excogitet, & inveniat remedia ad demulcendam hanc acrimoniam, & ſunt eadem propoſita ſuperiùs ad extinctionem acrimoniæ bilioſæ, pro debellanda verò cauſa bilem porraceam generante ſufficit noſcere hanc eſſe calorem excedentem, cum Avicenna Fen. 1. Doctr. 4. cap. 1. docente billem vitellinam aduri, & porraceam per aduſtionem reſultare, & hunc calorem exprimunt Recentiores in effervefcentia, quam volunt con-

currere in mixtione ſalſi bilioſi, & acidi pancreatici, & hæc ſicuti calor à refrigerantibus moderationem ſuſcipit, iſta verò debent eſſe maximè efficacia, & in majori quantitate exhibenda, & miſcenda cum Epiceraſticis, quæ maximam habent energiam in acrimonia demulcenda.

Quarta differentia bilis eſt æruginoſa, quæ fit per majorem aduſtionem bilis porraceæ, quod confirmat Avicenna loco citato, quæ aduſtio ultra evaporationem humidæ ſubſtantiæ majorem infert acrimoniam, & eiſdem emendatur remediis modificantibus, & humidam ſubſtantiam remittentibus.

Quinta differentia eſt bilis atra, cujus generatio eſt ab admixtione acidi potentis cum bile flava majorem poſteà aduſtionem paſſa. Acidum in bile atra reperiri, manifeſtatur ex odore, quem ab ea rejecta percipimus acidum quoddam redolente, & etiam ex eo quod in terram projecta, vel ſuper lapide coctos hos fermentare facit, eo modo quo acida faciunt. Nigredinem concipit, quia aduſta, & omnia aduſta nigreſcunt in hac aduſtione ſpiritus proprii evolarunt, & pars ſalina evaſit craſſior tamquam incineramentum quoddam de ſale acri, & acido participans, quod cùm ſit ſine humido aqueo ſufficienti, & ſine ſpiritu volatili multum acre, & corroſivum evadit, deficientibus corroſionis, & acrimoniæ moderatoribus nempè aqua, & ſpiritu volatili. Aduſtio fit per immoderatam effervescentiam acidi humoris cum bile, per quam evaporant partes humidiores, & relinquuntur craſſiores tamquàm incineramentum, & hoc modo bilis atræ generatione explicata clariorem antiquorum ſententiam reddimus, & cum ea convenimus, qua voluerunt bilem atram ab aduſtione fieri. Et hujuſmodi aduſtio clariùs intelligitur, ſi concipimus bilem, cum admixtione acidi alterati modo ſuperiùs dicto intensè ſimul effervescere, itaut effervescentia terminetur, cum incineramento ſupradicto; qualibet verò cauſa aſſignata locum habet doctrina ſuperiùs allata de bile porracea.

Ultima bilis differentia eſt cærulea, quæ ab aliquibus pro figmento habetur, & ſi datur acrimonia, & craſſitie cœteras vincit differentias, quod Galen. docuit lib. de ſimplici Medic. 1. cap. de fele aſſerendo cæruleam bilem, & atram à ſumma aduſtione fieri nempè à bile flava ſuperaſſata, unde niſi à majori activitate cauſarum bilem cauſantium, & cumulantium hujus bilis generatio habetur.

Hujuſmodi bilis ſpecies à flava bile, & ſucco pancreatico generari poſſunt in inteſtinis, ut ſuperiùs de bile porracea, & demonſtravit Hippocrates 1. de morb. num. 27. his verbis, & contigerit, ut venæ, & ſanguis attrahant bilem, & num. 28. cùm bilis commota ad venas, & ad ſanguinem ingreſſa fuerit, & in lib. de vict. rat. in morbis acutis com. 4. part. 1. inquit cum venulæ tempore æſtivo exſiccatæ acres, & bilioſas, quæ tenues ſunt, ad ſe attrahant humiditates attractio verò iſtorum humorum intra vaſa ſupponit hos exiſtere priùs extra illa: Via autem qua ad vaſa ſanguinis tendunt, non poteſt alia aſſignari niſi venæ lacteæ, ubi autem intra venas extiterint hi humores, ea mala inferre poſſunt, quæ diximus de aucta acrimonia, & ſulphure ſalſi ſupradicti à bile conſtituti, & prout excedens fuerit acrimonia, & inflammabilitas, acutiores ſuccedent morbi, non eſt tamen deneganda horum humorum generatio in venis, quia hæc continent materiam bilis nempè particulas ſalino-ſulphureas aduſtas, cauſa generans bilem in eiſdem vaſis inhabitat, cùm ſit calor ſanguinis, vel iſtius fermentatio, vel effervescentia excedens.

Ab his acris redditur ſanguis, unde multoties ulcera, herpetes miliares, ignes ſacri, puſtulæ, ſcabies, lepra, cancri, & hujuſmodi morbi, alvi fluxus etiam ſuccedunt, hac bile ad ventriculum per arterias tranſmiſſa alimenta corrumpuntur, & effervescentia, & æſtus quidam in maſſa ſanguinea inducitur, à qua particulæ bilioſæ multiplicantur, & multiplicatæ ſegregantur, & modo ſuperiùs dicto ad communem Cloacam tranſmittuntur, dum congregatam bilis copiam, vel aliorum, humorum, dicta effervescentia præcipitat, & diſgregat, eo modo quo medicamenta purgantia fermentando maſſam ſanguineam, excrementitios humores ab ea ſeparant, & educunt.

Ab his patet, omnia hæc à bile operari ratione ſuæ acrimoniæ, & caloris, in quo tàm Antiqui, quàm Recentiores conveniunt, licèt in explicando modo harum qualitatum poſſit eſſe aliquis diſſenſus. Aliam curationem non exigit hæc bilis intra vaſa generata quam traditam ſuperiùs uniformem antiquorum dogmatibus ſolùm hoc addo, quod in Dyſenteria modo ſupradicto facta eſt ſummæ efficaciæ infuſio baccarum ſolani in vino.

CAPUT VII.

De ſucco Pancreatico.

SUccus Pancreaticus talis dicitur à Pancreate, in cujus glandulis elaboratur. Eſt excrementum, quia nulli parti nutrimentum ſuppeditat, eſt tamen utile, multa beneficia animali præſtando. Antiquis ignotus fuit, quatenus à dicta parte provenit, quia Hippocratis dicta non animadverterunt, nec ejus mentem penetrarunt, habuit enim Hippocrates hujus humoris rudem cognitionem, ut inferiùs videbimus.

Hunc humorem clarè poſteritati Hippocratis expoſuit Verſungius inſignis Anatomicus, qui priùs ductum hujus partis in inteſtinum duodennum deſinentem detexit, unde talis ductus Verſungianus à poſteris fuit appellatus; humor per hunc ductum fluens medicorum, & Anatomicorum ingenia ad ſe traxit, & reiteratis ſpeculationibus, & experimentis ejus natura & qualitates, & generationis modus ad judicii trutinam redactæ ſunt, unà cum ejus uſu, & ſine à natura intento in hujus humoris generatione, de quibus ſigillatim agemus nulla habita reflexione ad Antiquorum dogmata, cùm agatur de re illis ignota.

Eodem tempore quo ſanguis, per Hæpatis ſubſtantiam circulatur, & ibi relinquit ſuas partes ſulphureas aduſtas, & ſalinas Bilem conſtituentes, pari motu circulari, per Pancreatis ſubſtantiam, & glandulas multiplicatas, & conglomeratas mediis arteriis diffundit in his ſeroſam ſui partem acidam, huic conjungitur Spiritus animalis per nervos ad hanc partem derivatus, & ita à ſale Acido ſero, & Spiritu Animali in debita proportione, & à proprio fermento dictarum glandularum ad acidum inclinante, præparatur ſuccus pancreaticus concoctione, fermentatione, & exaltatione depuratus. A fermento etiam aciditatem ſuſcipit ultrà eam, quam traxit à materia, à qua elaboratur, & hæc dulcificatur à Spiritu animali volatili, itaut ſuccus Pancreaticus dicta elaboratione acido-dulcis evadat virtute ejuſdem Spiritus Animalis.

Acidum eſſe ſuccum Pancreaticum docet experientia, qua demonſtratum fuit ſuccum Pancreaticum lacti mixtum coagulationem inſpiraſſe, ut in caſeum tranſierit, non aliter ac ſi coagulum acidum in lacte fuerit diſſolutum, talis autem coagulatio facta à ſucco Pancreatico iſtius aciditatem manifeſtè declarat.

Et ſi objiciatur aciditatem ſucci pancreatici à guſtu etiam ſenſibiliter demonſtratam eſſe morboſam, & præternaturalem, non naturalem. Reſpondebitur hoc gratis aſſeri, & ſi præter naturam ſit acidus, neceſſe eſt, ut naturaliter aciditatis ſemina in ſe contineat, nihil enim manifeſtè aceſſit ſine admixtione acidi extrinſecus adveniente, quòd occultam in ſe aciditatem non habuerit. Sic vinum fit acetum, quia occultam in ſe continet aciditatem, ſuccis fructuum acorem contrahunt, quia acidum ſuo ſinu occultant, quod deducitur ex eo, quòd ferè omnes fructus immaturi ſint acidi, jura carnium acidum manifeſtant in ſuæ putrefactionis principio, quia illud intimè claudunt, & hanc acidi occultationem agnovit Hippocrates in lib. de Veter. Medic. quando dixit acidum, ſalſum unitum cum aliis nullam moleſtiam inferre, quia occultum, ſecretum moleſtat, quia manifeſtum fit. Dulcificari acidum Pancreatis à ſpiritu animali, patet rationibus adductis ſuperiùs, de bile cujus ſal diximus dulcificari à ſpiritu animali, à dicto ſpiritu volatilitatem etiam, & penetrandi facultatem ſuſcipit.

Hoc modo præparatus hic ſuccus in prædictis glandulis, per vaſa excretoria dictis arteriis appenſa in ductum illum magnum Pancreas per medium ſeccantem defluit, & ab hoc ad inteſtinum duodennum, ab orificio hujus vaſis perforatum adverſus orificium ductus Colidochi, & per illud in inteſtinum duodennum defluit.

Hujus humoris generationem cognovit Hippocrates in lib.

in lib. de glandul. num. 1. dicendo ſi verò glandulam diſſecet, quis, ſanguis largus erumpit, ſpecie albus, & velut pituita : Quæ ſententia certè demonſtrat à glandulis humorem album præparari, & confici, qualis conficitur à glandulis Pancreatis, & ab aliis, quæ lympham emittunt, integram tamen cognitionem iſtius humoris, quam ingegnioſiſſimi hujus ſæculi viri dederunt, non habuit Hippocrates, ideò dixit eſſe veluti pituitam, percepit tamen non eſſe pituitam.

Finis à natura intentus, pro generatione hujus humoris, eſt communis cum eo, de bile ſuperiùs adducto, nempè perfectio Chyli in inteſtinis, dum & hic concurrit ad adjuvandam fœcum præcipitationem modo ſupra deſcripto, ubi de Chylo, quod opus uterque humor perficit media effervefcentia excitata ex congreſſu, & miſcella eorumdem, & talis motus effervefcentiæ, communicatus maſſæ Chyloſæ, vel ejus portioni contribuit ſegregationi, & præcipitationi expeditiori fœcum, eo modo, quo effervefcentia in muſto ad deponenda excrementa, & feces conducit. Rationes hunc finem comprobantes ſunt eædem cum illis de bile adductis, ubi actum eſt de chylificatione.

Effervefcentiam ab humoris biliosi, & pancreatici congreſſu accendi comprobat horum natura. Bilis ob ſuum ſal lixivioſum alkali naturam induit, exigens neceſſariò effervefcere quotieſcumque acido miſcetur qualis eſt humor pancreaticus, & hoc obſervamus in Chymicis experimentis demonſtrantibus, per miſcellam cujuſcumque alkalici cum acido effervefcentia excitari.

Colligitur etiam neceſſitas hujus effervefcentiæ; nam ſi debent maſſam chyloſam depurare, hoc non poſſunt exequi, niſi aliquo motu in dicta maſſa introducto, cùm omnis præcipitatio, & ſegregatio pendeat à motu, & hunc motum non poſſunt inſpirare, niſi & ipſi humores moveantur, cùm omne quod movet, debeat eſſe in motu, motus quo moventur, eſt localis internus ſuarum particularum, & etiam validus prout exigit dictum officium, eſſe localem motum particularum in effervefcentia humorum demonſtratur, quia dum particula humoris movetur, transfertur de vicinia unius particulæ, cui contigua, ad viciniam alterius particulæ, à qua diſtabat, at hæc eſt eſſentia motus localis, & corpora, quæ hoc modo mota dicuntur moveri motu locali, conſequenter in motu effervefcentiæ particulæ motæ, localiter moventur; quòd adevidentiam oſtendit muſtum effervefcens, & aqua ebulliens, cùm iſtorum particulæ modò ad unam partem vaſis, modò ad aliam ferantur, modò furſum, modò deorſum, quod eſt moveri localiter. Talis autem motus validus partium internarum importat effervefcentiam, conſequenter ad hoc, ut rectè iſti humores ſuo fungantur officio, neceſſe eſt quod effervefcentiam concipiant, adeò neceſſariam pro Chyli elaboratione, & pro fecum præcipitatione. Alias rationes hanc effervefcentiam comprobantes conſiderare poterit Lector in Regnero de Graaff in ſuo tractatu de ſucco Pancreatico.

Nec obſtat ſuccum pancreaticum, & bilem à multitudine Chyli dilutam effervefcendi potentiam amittere, ſi eam etiam haberent; quia mixtio fluidi non tollit effervefcendi potentiam, oleo vitrioli, multa aqua diluto, & mixto cum limatura Chalybis, & lacte Vaccino, in quo diſſolutum fuerit Sal tartari, ſi ſuperaffundatur Spiritus vitrioli, excitatur effervefcentia per longum tempus durans, conſequenter liquidi conjunctio non impedit effervefcentiam alkalici, & acidi.

Ab hac effervefcentia colligitur etiam alterum munus ſucci pancreatici, dum enim ſimul effervefcunt, hic humor, & bilis alterius ſubſtantiæ indolem nanciſcuntur, tranſeundo in ſalſum quoddam, & volatile, de quo ſuperiùs locuti ſumus de bile; ut non liceat alia addere, quæ evaderent inutilia huic operi.

Ab his naturæ ſcopis aberrabit ſuccus pancreaticus, quando à recto tramite ſuæ generationis deviabit, & in partibus componentibus vitium aliquod aderit, & quia diximus ab acido ſale, & à ſero, & à ſpiritibus animalibus componi vitia à componentium alteratione inveſtigabimus.

Et primò acidum ſi fuerit debile, vitiabit effervefcentiam cui ſubmitti debet cum bile hanc debilem, & inefficacem reddendo ad ea præſtanda munia, & beneficia maſſæ chyloſæ, de quibus ſuperiùs egimus, & ſic totus Chylus ſub dominio bilis relictus vitioſo amarore perfundetur prohibendo optimam tranſmutationem Chyli in ſanguinem, & ſuo ſale lixiviali, & corroſivo non modificato ab acido ſucci pancreatici ſummè attenuabitur Chyli textura, & ſpiritoſis partibus via aperietur, relicta dicta maſſa, ſi non calido nativo deſtituta, ſaltem à parvo vivificata.

Salſum etiam illud à dicta effervefcentia horum duorum humorum reſultans, plùs de ſale lixivio, quàm de balſamico participabit, & ita non tantùm fluiditatem, verùm etiam diſſolutionem ſanguini conciliabit, per quam aquiret facilitatem ad effervefcentiam febrilem, vel multam ſeroſitatem ſuo ſinu congregabit, modo alibi ſuperiùs deſcripto, à qua innumerè morborum phalanges à ſero copioſo excitatæ erumpunt.

Hoc acidum deficere poteſt, vel quia non adſit in maſſa ſanguinea, vel quia non ſubminiſtretur glandulis, ex eo quod arteriæ ramificationes iſtis implantatæ obſtructione claudantur, vel quia ſpiritus animales in copia fluant ad dictas Pancreatis glandulas, cum maxima enervatione acidi, cùm ſpiritus animales dulcificent acidum, & omne acre, unde iſtorum copia erit ſufficiens ad enervandum, & extinguendum acidum, vel quia à nimia ſeroſitate diluatur hoc acidum, ut in tanta quantitate vix ſit ſenſibilis.

Cognoſcemus acidum in ſanguine deficere à temperamento valdè bilioſo, vel à præcedenti victus ratione apta copiam bilis generare, & à continuato Aromatum uſu, à quibus acidum efficaciter infringitur. Vaſorum Pancreatis obſtructio humoris acidi ab Arteriis ſuſceptionem prohibebit, & ſucci pancreatici generationem impediet, licèt ſit imperceptibilis obſtructio prædicta, nobis tamen manifeſta evadet, ſi à temperamento, vel ab ante acta regula vivendi innoteſcat acidum in corpore, & in ſanguine adeſſe; nam tunc licitum erit inferre ſi adeſt acidum, & in ſucco pancreatico deficit, ſignum eſt ad membrum talem ſuccum præparans, non deferri.

In ſucco pancreatico ſpirituum animalium copia, acidum enervari cognoſcemus, à corporis habitu plethorico à virium robore ſupra ſolitum aucto, à victus ratione lauta, & apta optimum ſuccum, & in magna copia congregare.

Seri copia patefiet ex præcedenti victus ratione idonea ad ſeroſitatem generandam à vita ſedentaria, & à diminutione urinæ.

In defectu acidi hujus generationi incumbendum, per alimenta acidis condimentis præparata, & ultra hæc acetum ſtillatum aqua Penoti, Vitriolum Martis, Spiritus Vitrioli, Salis Nitri uſurpentur, cum ſuccis limonum, Berberis, Rabes, Acetoſæ, & Portulacæ.

Si adſit obſtructio hæc reſeranda deobſtruentibus efficaciſſimis, quia pars eſt intima, & valdè diſtans à partibus per quæ remedia aſſumuntur, ideò volatilia in hoc caſu antecellunt omnia alia remedia, ut Spiritus Tartari volatilis, Spiritus Cornu Cervi, Spiritus Salis Armoniaci, Arcanum duplicatum Mynſicht. & Spiritus deſtillatus à Tartari Sale, & Vitriolo calcinatis, & tribus partibus Carbonis craſſo modo pulverizatis unitis, exhibendi in decoct. deobſtruente ex agrimonia, Eupatorio Rad. Gentianæ, Emulæ Campanæ, Ariſtolochiæ rotundæ, & aliis quinque aperientibus, idem præſtat mixtura ſimplex ſuperiùs deſcripta de febre maligna, cum decocto aliquo aperienti, addita tinctura Antimonii Tartarizata; Omnia enim Antimonialia Tartarea, & Chalybeata obſtructioni auferendæ conducent.

In Spirituum animalium copia enervante acidum, hæc eſt minuenda miſſione ſanguinis, exercitio, & diæta, & acidum augendum ſuperiùs deſcriptis remediis.

Serum abundans, & aciduum pancreatici ſucci debilitans minuendum hydragogis, ſudoriferis, diureticis, & etiam inſenſibiliter evacuantibus.

Acidum hujus ſucci auctum ultra naturæ limites ſi uniatur in inteſtinis bili ſalſæ, & acri valdè ab hac unione effervefcentia augmentum ſuſcipiet, & cum tali ardore, & æſtu ut in miſcella cum Chylo, hic aduſtionis ſpeciem patiatur, ſubminiſtrando poſteà materiam maſſæ ſanguineæ humoribus aduſtis acribus corruſivis.

Ab hac immoderata Chyli effervefcentia pendent omnia illa atrocia Symptomata, de quibus Hipocondriaci conqueruntur in fine (ut dicunt) alimentorum digeſtionis, dum vapores, & flatus ab hac effervefcentia, & æſtu elevati motu valido, & perturbato in inteſtina impingentes, ultra divul-

divulſionem fibrarum membranoſarum, quam dicto motu efficiunt, laceratione quadam eas diſtrahunt, & divellunt, & vellicant, & mordent qualitate acida, & ſalſa mutuata à bile, & ſucco Pancreatico, unde pungitivi, & lacerantes dolores, & flatus, qui non impingunt in inteſtina hùc, illùc diſcurrentes rugitus, per totam abdominis regionem edunt, caput aſcendentes dictæ evaporationes membranas cerebri inſita acrimonia feriunt, & dolorem capitis efficiunt, ſuo motu perturbato ſpiritus exagitando mentis offuſcationem pariunt, os ventriculi petentes dolore, & anxietate torquent, & ab his in conſenſum tractum cor oppreſſione gravatur, cum vitium languore, & ſi ſuam ſubſtantiam attigerint dictæ evaporationes irritamento prædictarum qualitatum, ad palpitationem, & motus inordinatos, cogunt, & à calore excitato in Chylo ab effervеſcentia ſucci pancreatici, cum bile, poſſe dictos flatus elevari, magiſtrum babemus Hip. lib. de inter. affec. ubi habet ab Hæpate fit Hydrops, cum hæpar pituita acceſſerit, & hæpar ipſam ſuſceperit & humectum fuerit ſtatim igitur huic calorem exhibet, & flatum inducit, ecce quomodo vult calorem priùs excitari in hæpate, prout à fermentatione ſupradicta excitatur, & poſteà hoc agente in pituitam ſuſceptam flatus elevari. Eadem proportione afferi poteſt calorem effervеſcentiæ, agendo in Chylum, flatus excitare, nec mirum eſſe debet à flatibus tot Symptomatum varietates oriri, cùm nos doceat Hipp. lib. de flatibus n. 4. morborum omnium unum, & idem modum eſſe, locum verò ipſum, eorum differentiam facere, ita flatus ratione diverſæ partis, quam afficiunt differentia Symptomata, pariunt.

Quarè advertant practici, quantum diſconveniens ſit uſus remediorum calidorum in flatibus, cum æſtu, & calore Hypocondriorum conjunctis, & quantum ſint propria remedia refrigerantia, & effervеſcentiam reprimentia, utpotè cauſam flatuum corrigentia, ideò emulſiones Sem. Melonum, Aqua Cicorei, Acetoſæ, Hordei, Papaveris Erratici, ſunt ſummè proficua, ad differentiam flatuum, qui oriuntur à materia craſſa reſidua in coctione alimentorum, & incocta remanente in ventriculo; nam in hoc caſu, cùm nullus perſentiatur æſtus, & nullum ſit ſignum immoderatæ effervеſcentiæ, calida conveniunt, quatenus promovent ulteriorem digeſtionem materiæ craſſæ, & flatus ab ea elevatos diſſolvunt.

Ab hac effervеſcentia Chyli inordinata, vel ſeparatur, vel reſolvitur humiditas à fœcibus alimentorum, itaut exſuccæ maneant, alvi ſtipticitatem inferendo, quam cum antiquis à calore pendere poſſumus afferere, reſpectu effervеſcentiæ inordinatæ calorem accendentis, & humidum reſolventis, quare in hoc æſtu pro alvi eductione refrigerantia, & humectantia conveniunt, ideò Clyſteres ex lacte ſummæ ſunt utilitatis.

Præter lapſo Chylo, & perfecta totali ejus depuratione, in Chylo, & ſucco pancreatico alteratis modo ſupradicto non ceſſat dicta effervеſcentia inordinata, quapropter in tali tempore æſtus mordax in Hypocondriis perſentitur, cum calore velut febrili per totum corpus diſperſo, & ab hoc æſtu probatur effervеſcentia ſucci pancreatici, & bilioſi in inteſtinis, ut ſuperiùs probavi, orificium inferiùs ventriculi, & ſanguinem in vaſis circumſtantibus calore præternaturali afficiens cum morboſa indiſpoſitione.

In hunc caloris exceſſum circa ventriculum pro determinanda melancholiæ hypocondriacæ cauſa concurrunt etiam omnes antiquorum ſequaces; Differunt verò in origine hujus caloris quam non in prædicta effervеſcentia, ſed in obſtructiones refundunt. Unde pro veritate indaganda rogo, ut animadvertant in multis adeſſe obſtructionis hypocondriorum, meſenterii nempè, lienis, & hæpatis ſine æſtu, & calore, & ſine melancholia hypocondriaca, ex quo habemus fundamentum determinandi obſtructiones humorum effervеſcentiam, & æſtum ſemper non gignere, nec eis eſſe ita proprium, ut non poſſit dari obſtructio ſine ſupradictis effectibus. Perpendant etiam, quod ſi obſtructio in præcitatis vaſis, eſſe totalis, itaut humor contentus ſuum curſum progredi non poſſit, & ſi effervеſcit, quia non movetur, impoſſibile eſt quod non putreſcat, & inflammationem non pariat, & febrile incendium ſuſcitet: ſi verò vaſa non ſunt ex toto obſtructa, ſed relinquatur anguſta via præbens aditum ſubtiliori partis humoris, & vaporoſæ ab ea exhalantis, tunc non poſſe fieri inordinatam effervеſcentiam humorum, cum inſigni æſtu in dictis vaſis ſemiobſtructis, quia hæc fiunt dependenter à fuliginibus à ſtagnante humore exhalantibus, & retentis, quæ dum retinentur ſua ſubtilitate, & motu ſtagnantem humorem effervеſcere, & ebullire faciunt cum æſtu, dum autem in vaſis ſemiobſtructis anguſta patet via fuliginibus, hæc paulatim expirant quietum relinquendo humorem detentum in dictis vaſis, & ita non ſequitur in eo effervеſcentia, neque æſtus, nec caloris veſtigia in parte relinquuntur; & hac de cauſa puto in obſtructionibus alicujus viſceris ſenſibilibus, nec inflammationem, nec febrem excitari, quia fuligines, & exhalationes tranſpirant, ſi ab humore ſtagnante per ſui fermentationem elevantur, vel tales exhalationes non emittit humor ſtagnans, eò quia nullum inteſtinum fermeutationis motum experitur, & in hoc ſenſu poſſunt concedi obſtructiones ſiccæ in hypocondriis à celebratiſſimis viris decantatæ pro cauſa efficiente melancholiæ hypocondriacæ; nam humor in vaſis obſtructis ad talem craſſitiem redigi poteſt, ut neque evaporationes, & fuligines de ſe emittat, ac ſi eſſet corpus ſiccum, cujus proprium eſt nulla, vel parva à ſe effluvia diffundere, non poteſt verò admitti, nec intelligi, quomodo humor ſit velut exſiccatus, vel tali modo incraſſatus, ut nullum motum inteſtinum ſuarum partium retineat ob unionem valdè ſtrictam earumdem à craſſitie introductam, & caloris effervеſcentiæ, & æſtus ſit principium, & ſi afferatur humorem craſſum, vel exſiccatum, non eſſe caloris principium, quia effluvia calida diffundat, ſed quia obſtruendo prohibet eventationem humorum, & expirationem fuliginum recurrit argumentum ſuperiùs allatum de obſtructione.

Hæ rationes tantæ ſunt efficaciæ apud me, ut coactus ſim omni affectione, & paſſione derelicta hanc obſtructionum ſententiam deſerere, & ſupradictæ huc uſque explicatæ adhærere, cenſendo obſtructiones in melancholia hypocondriaca eſſe aliquid productum à cauſa illam generante, non autem eſſe cauſam producentem.

Generantur culpa ſupradictæ effervеſcentiæ obſtructiones, dum à calore ab ea excitato ſanguis in minoribus ramificationibus arteriarum, vel venarum incraſſatur, humido illius fluxibili reſoluto, ut per anguſtum illarum ſpatium progredi non poſſit, unde motu in iſto ceſſante, impedimentum objicitur advenienti ſanguini, ulteriorem progreſſum prohibens, quapropter ſtagnare cogitur caloris incraſſantis activitati expoſitus, unde materia obſtructioni apta multiplicatur, & ita paulatim à minimis, & capillaribus vaſis obſtructiones ad majora tranſeunt. Ab eodem calore irritante cogitur maſſa chyloſa antè perfectam elixationem à ventriculo exire, ſecum trahendo partes incoctas, & craſſas, quæ in ſanguineam maſſam introductæ, & paulatim congeſtæ in vaſis capillaribus Meſenterii obſtructiones pariunt, & materia craſſa colligitur etiam ab eadem effervеſcentia, in qua particulæ aliquæ aduruntur, & aduſtione craſſitiem contrahunt, & hoc modo maſſa ſanguinis humoribus craſſis repletur, à quibus poſteà obſtructiones multorum morborum cauſæ, & ſanguinis coinquinamentum.

Adnotandum tamen eſt, non obſtante majori probabilitate deſcriptæ ſententiæ, non variari curationem affectuum hypocondriacorum, altera recepta quamvis improbabili, cùm Medicus certus ſit per ſenſus, in hoc infallibiles, calorem excedentem, & obſtructiones reperiri in his affectibus, & utrumque pro curatione eradicandum eſſe, initio ſumpto ab obſtructione etiam ſi ſit productum caloris, quia per refrigerantia à calore indicata obſtruens humor contumacior reddi poteſt, & augeri, ut totalem in vaſis perficiat obſtructionem, quapropter ad evitanda majora mala, in curatione obſtructio debet conſiderari tamquam primum indicans, & calor tamquam ſecundum, non obſtante ſuo primatu in morbi generatione, juxta tritum Axioma, quod eſt primum in intentione, eſt ultimum in executione, ex quo deducitur pro curatione nullius eſſe utilitatis determinare, an calor ſit cauſa obſtructionis, vel obſtructio ſit cauſa caloris, cum quolibet determinato etiam irrationabili, curatio modo prædicto ſit dirigenda inter deobſtruentia illa ex Antimonio Calybe, Tartaro præparato eligantur, quia ſine calore, prout opus eſt, vaſorum aperitionem, & humorum attenuationem operantur, accipiendo iſta cum aliquo humido, nempè jure carnis, & præcipuè parvæ pullæ, utpotè parvo calores dotatæ, & multa humiditate, ex quo evadit maximè utile, poſteà refrigerantia his remediis ſuccedant, quæ toties ſunt deſcripra, & hic mihi videtur modus unicus curandi

melan-

melancholiam hypocondriacam, remedium autem utrique indicationi ſatisfaciens eſt decoctum cum radice, & foliis Cicorei, Petroſelini, Aſparagi graminis ad lib. 1. cum. ℥. 1. Tartari Chalybeati, & per 40. dies vernali tempore ſit in uſu, eſt enim efficaciſſimum in hypocondria remedium.

Acidum in ſalſo ſupradicto auctum opprimit bilis activitatem, itaut in eo ſola aciditatis virtus dominetur eas ſanguini imprimendo affectiones, quas de Lympha enumerabimus inferiùs.

Liceat hic per digreſſionem à ſupradictis conditionibus colligere hujus humoris pancreatici convenientiam, & naturæ ſimilitudinem, cum humore melancholico Antiquorum, in quo aciditatem agnoſcebant, & cum bile contrarietatem, à qua vel ſupprimi, vel debilitari voluerunt, ſi ſuperior ſit iſti in actione. Sanguinem incraſſare, ſpiritus debilitare, facultates enervare, ubique inculcant, quod præſtat etiam acidum ſucci pancreatici. In effectibus ergo, in qualitatibus, & in modo operandi, qui eſſentiam ſequitur, ſuccus Pancreaticus cum melancholia convenit. Neoterici etiam in exprimendi ejus qualitatibus omninò conveniunt cum Antiquis, ut deſcripta conſideranti apertiſſimè parebit; diſcrepant ſolùm in determinatione membri generantis talem humorem melancholicum; nam Antiqui lienem ſtatuerunt, Recentiores pancreati tale officium tribuerunt, & meliori cum ratiocinio; nam in hoc viſcere ſunt aſſignabiles partes recipientes materiam pro generatione, & ſunt glandulæ componentes pancreatis texturam, in quibus latet principium effectivum, & præparativum hujus humoris. Adeſt vas humorem præparatum accipiens, & excernens in inteſtinum duodennum. E contra in liene nihil horum eſt demonſtrabile, conſequenter cum majori fundamento aſſeritur, humorem melancholicum in Pancreate generari, quam in liene. Hæc autem diſcrepantia parùm conſideratur in curatione morborum ab humoris melancholici depravatione, cùm iſtam corrigere ſit intentum, non partem, in qua generatur, determinare, & ſi à partis vitio depravationem ſuſcipiat, ea quæ dicunt Antiqui tollere vitium lienis humorem malencholicum depravantis, eadem tollent vitium pancreatis hujus depravationis cauſæ. Et ſciat Lector omnes affectiones, & depravationes ſanguinis, quæ ab Antiquis tribuuntur humori melancholico à Recentioribus refundi in ſuccum pancreaticum acidum, & remedia, quæ ab Antiquis uſurpantur pro corrigenda melancholia, à Recentioribus in uſum deduci, pro ſucco pancreatico demulcendo, & ad naturalem ſtatum reducendo.

Aciditatem excedentem contrahit ſuccus Pancreaticus à frequenti uſu alimentorum acidorum, & ſpirituum animalium inopia, idcircò paſſionibus animi vexati, & aſſiduis applicationibus intenti talem aciditatis exceſſum ſuper alios experiuntur, & ab his præcedentibus habebimus ſigna demonſtrantia aciditatem ſucci pancreatici mora etiam, quam trahit ſuccus pancreaticus, in vaſis, ubi præparatur hujus aciditatis incremento contribuit, ideò obſtructiones dictorum vaſorum ita illum depravant, ut aptitudinem ad febres excitandas acquirat, & hæc eſt illa putredo ſecundum quid, pro febris cauſa generante ab Antiquis admiſſa, de qua alibi diffusè tractavi, & per depravationem qualitatum ſecundarum à Recentioribus explicata, cum uniformi conſenſu, dum illa putredo ſecundum quid nihil aliud, quàm alterationem humoris, in qualitatibus involuit.

Modum per quem generatur febris ab hoc humore ſic alterato non deſcribo, ne acta agam, ſolùm in ſolutione unius difficultatis hic inſiſtam, & eſt quomodò ab efferveſcentia illa magna ſuperiùs deſcripta à qua tot Symptomata excitantur, non generetur febris, & ab eodem humore in vaſis obſtructis depravato excitetur, & ratio eſt, quia in his vaſis obſtructis præter depravationem in aciditate, fermentativam indolem contrahit, conſiſtentem in ſumma volatilitate particularum, cum motu earumdem citato, & violento, itaut non ſolùm valeat maſſam ſanguineam penetrare, ſed etiam violenter exagitare, non ſolùm ſecundùm partes ſubtiles, & ſpiritoſas à ceteris laxatas, & intra maſſam ſanguinis libero curſu diſcurrentes, ſed partes etiam quæ dicuntur dictæ maſſæ principia conſtituentia, & quæ ſua determinata textura, & conformatione maſſam ſanguinis componunt, ex quarum inordinata agitatione, & efferveſcentia febris exurgit, ubi in ſupradicta efferveſcentia bilis, & ſucci pancreaticis immoderatè acidi, licèt eleventur vapores, qui ſanguini communicati efferveſcentiam in eo ſuſcitant, & ebullitionem quamdam, & pulſus alterationem, at non perveniunt ad talis agitationis, & commotionis impræſſionem, qualis à febris eſſentia exigitur, quia deficit eis virtus fermentativa valida, nempè volatilitas, & motus ſupradictus, & eam ſolùm imprimunt alterationem, quam motùs etiam mediocris, & alimenta aſſumpta ſanguini communicant, ſed ubi de ſanguine, hæc materia diffuſiùs pertractabitur, cùm ſit propria iſtius.

Quantitas excedens ſucci pancreatici aciditatis incrementa in hoc humore ſubminiſtrat.

Hanc acrimoniam ſummè acidam in ſucco pancreatico emendabimus purgato hoc ſucco, cum hydragogis, interdictis omnibus alimentis acidis, & ſpiritus animalis copioſiorem generationem promovendo, exulatis priùs ab animo curis, & omni intenſa applicatione derelicta, & præſcribendo ſpiritus volatiles Cornu Cervi, Fuliginis, Carabe, &c. & etiam ſpiritum vini, aquam Theriacalem, Theriacam, Mithridatum, & Species Diambræ, Simplicia omnia Cephalica calida, & ab iſtis extracta ſalia, & ſimilia.

Obſtructiones hunc ſuccum depravantes, ſunt tollendæ, deobſtruentibus toties dictis, & ſalibus fixis Tartari, Abſynthii, Gentianæ, & Centaureæ Minoris.

Copia erit minuenda hydragogis, Diureticis, vel ſudorificis, & cum uſu alimentorum optimi ſucci, & facilis digeſtionis.

Ubi autem adeſt illa inſignis efferveſcentia, & eo tempore, quo viget omnia ſalia, & volatilia ſunt evitanda, quia hæc efferveſcentiam majorem immediatè faciunt, attenuando, & volatilizando, illa acrimoniam utriuſque humoris augendo, inordinatæ efferveſcentiæ mediatè contribuunt, & in hoc caſu cum Antiquis pro modificatione bilis atræ, in qua adeſt ſumma acrimonia, utendum refrigerantibus, & emollientibus, ut ſunt ſucci Malvarum, Buglosſæ, Boraginis, Endiviæ, & decocta earumdem herbarum, cum ſeminibus, acetoſæ, Pſylii, Papaveris cum aquis eorumdem ſimplicium, & eiſdem unienda medicamenta illa blanda ab Antiquis pro acidi extirpatione uſurpata, ut ſunt Coralla, Margaritæ, Oculi Cancrorum, Creta, Terra Sigillata, Bolus Armena, Cortices Ovorum, Mater Perlarum lapis Ematites, Antimonium Diaphoreticum, Chalybis limatura, in impalpabilem pollinem redacta, à quo mirificè omne acidum ſuperfluum abſorbetur, & ſalnitrum ſexties, vel ſepties fuſum, & poſtquamlibet fuſionem in aqua extinctum, ultra id quod acidum ſine alteratione imbibit, dicitur etiam magnes caloris, multum conferens ad efferveſcentiam inordinatam ſedandam, & hæc ſunt remedia, quæ in hypocondriaca melancholia cum æſtu ſuperiùs deſcripto præcipuè conveniunt.

Si hiſce remediis regulam, & modum efferveſcentiæ imponemus, tunc poſteà conceſſum erit volatilibus uti, & etiam ſalibus fixis, & Aromaticis, ſuperiùs toties repetitis, ut efficaciſſima ad extinguendas reliquias hujus acidi ſuperflui, & ad tollendam innata attenuandi virtute ſanguinis craſſitiem, totius facultatem labefactantem, & iſta remedia non differunt ab Antiquitate deſcripta in emendatione melancholiæ, cùm ea omnia, vel de volatilitate, vel de Sale acri, vel de Aromatico participent, ut conſideranti patebit.

Succus pancreaticus evadit aliquando auſterus per miſcellam, & unionem partium terreſtrium, quæ ſua rigiditate, cum particulis acidis auſterum reddunt ſaporem, ut apertè patet in fructibus immaturis; quorum auſteritas habetur ſolùm à particulis acidis rigidis, ſe manifeſtantibus in duritie fructuum immaturorum, qui ubi à calore Solis, vel alterius agentis maturitatem ſuſceperint, emolleſcunt, & auſteritatem amittunt.

Talis Auſteritas in ſucco Pancreatico cum bile efferveſcent atrociora reddit Symptomata, & pro medella ſupradictæ auſteritatis, faciunt omnia refrigerantia, & humectantia ſuperiùs enumerata, quibus ſi præmittatur per horam aſſumptio alicujus ſalis volatilis Aromaticis, ut eſt oleum Citri, Cinamomi Gariofilorum, habebimus præſtantiſſimum remedium ad Auſteritatis emendationem, quod adnotavit etiam Sylvius Le-Boe aſſerendo, ſe nihil

nihil præſtantiùs inveniſſe, in dicta Auſteritate, quàm ſupradicta Salia Aromatica.

Aliquando in ſalſedine peccat vitio illius ſeroſitatis glandulis pancreatis per arterias ſubminiſtratæ, quæ ſalſedinem à ſanguinis maſſa deduxit, & in hoc caſu deficit illa fermentatio ſucci pancreatici, cum bile ad tot uſus, & ad tantas utilitates neceſſarias; nam nullum ſalſum, cum ſale lixivio effervеſcit, ideò Chylus ab hoc ſalſo pancreatis, & ab acredine ſalis lixivii bilis extremam ferè patitur diſſolutionem partium, & in ſeroſam abit colluviem, à qua paulatim totus ſanguis inficitur; Idcircò obſervamus, qui ſalſo abundant, deſtillationes etiam maximas, & feroces pati, & in ſanguinis maſſam, poſteà introductus dictus ſuccus ſalſus, per viam lactearum totam ſalſedine coinquinat, unde nutritio etiam partium depravatur ſcabies, lepra, ulcera depaſcentia, ignes ſacri, & ſimilia oriuntur.

Curabimus hanc ſalſedinem in ſucco pancreatico omnibus refrigerantibus ſupradictis, addito ſero caprino, aqua noceræ, lacte aſinino, quibus adjungendum ſemen Papaveris, Hyoſciami, Alchechengi, Sebeſten, Gummi, tragacanta, Arabicum, Maſtix, Thus, Stirax, & inter compoſita pillulæ de ſtirace, & Cynogloſa valent.

In motu peccat etiam, quando ſurſum fertur, quod ſemper contingit ratione ſuæ auctæ acrimoniæ, qua motus periſtalticus inteſtini duodenni elatior, & citatior fit, cum aliqua violentia, & per hunc ſuccus pancreaticus in ventriculum per orificium inferiùs deponitur, unde vomitus acidi, & etiam appetitus Caninus, & dolores ventriculi, quorum Symptomatum ablatio pendet à remediis ſupradictis propoſitis in aucta acrimonia hujus ſucci.

Ejuſdem naturæ cum ſucco pancreatico eſt Lympha, & cum Antiquorum melancholico humore omninò ſimilis in qualitatibus.

De hujus humoris exiſtentia, Nemo eſt, qui dubitare poſſit, & vaſa lymphatica, per quæ diſcurrit ab aliis vaſis ſanguinem defferentibus diſſimilia, hujus humoris exiſtentiam comprobant, & etiam ipſius conditio ab aliis differens in limpiditate, fluiditate lymphæ verè ſimili, ejus diverſitatem ab aliis humoribus confirmat.

De ejus origine diù eſt dubitatum, modò tamen videtur apud omnes Anatomicos eſſe receptum à glandulis conglomeratis per totum corpus diſperſis parenni fluxu emanare. Materia, à qua elaboratur hic humor, eſt eadem cum illa ſucci pancreatici, nempè ſeroſus humor ſubacidus ab Arteriis glandulis ſubminiſtratus, & ſpiritus animalis eiſdem à nervis communicatus, in omnes enim glandulas hæc vaſa implantantur. Hujuſmodi materia à proprio glandularum fermento, vel temperamento in humorem ſubacido-dulcem præparatur, volatilitate à ſpiritu animali recepta, à quo etiam dulcedinem nanciſcitur. Præparata à glandulis materia, in vaſa lymphatica iſtis appenſa expellitur, & per iſta diſcurrendo una portio ad Cyſtim magnam lumbalem defertur, quæ per ductum Thoracicum aſcendendo, in venas ſubclavias transfunditur; Altera à ſuperioribus partibus ſupra Diaphragma fluens, in venas jugulares depoſitata, unà cum ſanguine ad dextrum cordis ventriculum tendunt.

Talis Lymphæ motus eſt manifeſtus, non ſolùm per ocularem inſpectionem, ſed etiam per valvulas nuperrimè in dictis vaſis detectas, quæ motum verſus dictam Cyſtim, & venas jugulares adjuvant; A venis verò, & à Cyſti magna ad vaſa Lymphatica cujuslibet humoris curſum impediunt, & regreſſum humoris lymphatici prohibent.

Non improbabilis tamen videtur modus generationis portionis talis humoris ab aliquibus deſcriptus, nempè dum ſanguis arterioſus valdè vaporoſus ob ſui effervеſcentiam, ab Arteriis in partium poroſitates circulatione deponitur, vapores prædicti ſanguinis ſpiritibus turgidi, locum minus calidum adepti, in aquam condenſantur, quæ à vaſis lymphaticis abſorpta denuò ad Arterias reducitur ſanguini in eis contento ſpiritum vitalem reſtituendo.

Cùm ergo certi ſimus hunc humorem ſanguini intra venas miſceri, in cordis ſinibus actuari, & per arterias in univerſum corpus diſcurrere, certi etiam eſſe debemus Naturam in aliquem finem, & bonum totius hoc decreviſſe, & quamvis in hoc fine determinando hucuſque Anatomicorum, & Medicorum ingenia deſudarint, nihil tamen certi ſtabilitum fuit, ſed pro ingeniorum varietate variæ emanarunt ſententiæ, inter quas magis probabilis videtur illa aſſerens lympham à natura fuiſſe determinatam, ut ſanguini aliqualis conſiſtentia donaretur, & hæc probabilitas à duplici deducitur fundamento.

Primò à natura ipſius humoris, quæ eſt acida, ideòque apta conſiſtentiam tribuere, cùm de acidi natura ſit condenſare, & coagulare, conſequenter lymphæ aciditas dulcificata aliqualem conſiſtentiam tribuere poterit.

Alterum fundamentum eſt neceſſitas talis conſiſtentiæ in ſanguine, cùm enim continuò per cor circuletur, continua effervеſcentia, & rarefactione cruciatus, harum tormentum diù ſuſtinere non poſſet, imò certiſſimè diſſolveretur, vel in cineres abiret, eo modo, quo metalla reiteratæ liquefactionis condemnata, in cineres brevi tempore reducuntur, niſi ab aliquo unionem partium, cum aliqua craſſitie acquireret, ſolum verò acidum potens eſt prædictas conditiones ſanguini tribuere, nec ullum aliud huic miſcetur, quam illud lymphæ, conſequenter lympham dulcem acidam pro prædicto fine intentam fuiſſe cenſendum eſt.

Et hæc fuit etiam Avic. Sententia Fen. p. doct. 4. & c. 1. per quam determinavit melancholiam, craſſitiem, & viſcoſitatem ſanguini tribuere, ſicuti bilis fluiditatem, & quamvis melancholia in liene, ſicuti bilis in hæpate tamquam in propria ſede Antiqui collocaverint, per hoc tamen non rejecerunt melancholiam in ſanguine habitare, loquendo de illa, quam excrementitiam, ſed utilem vocant, quia priuſquam à liene ſegregetur, ſuam ſedem habet in maſſa ſangininea, & hoc videtur confirmaſſe Hippocrates, ubi probando quaternarium numerum humorum, uſus eſt argumento à ſuperpurgatione deducto, dicendo primò excerni bilem, deindè pituitam, poſteà melancholiam, & ultimo loco ſanguinem; purgatio verò talis educit humores in venis exiſtentes, conſequenter omnes iſtos humores intra vaſa exiſtere cenſuit Hippocrates, & hoc argumento dilucidè demonſtratur Hippocratem inter primos hanc humorum Anatomiam percepiſſe ab Arte, & Natura factam, & deſcripſiſſe, unde diverſitas inter Recentiores, & Antiquos conſiſtit in determinando principio illarum conditionum, per quod Antiqui ſtabiliunt melancholiam: Recentiores Lympham dicunt, & ſi lympha accipietur pro melancholia unà cum ſucco pancreatico, erit ſolùm diſſenſio de nomine.

Bile, & Lympha ſuos naturales terminos ſervantibus ſanguinis talis fluiditas, & conſtitutio impertitur; qua perfectionem acquirit, bile enim moderante virtutem condenſativam, vel coagulativam melancholiæ, ſeu lymphæ, & hac temperante virtutem diſſolutivam bilis, una temperata conſtitutio media intra craſſum, & rarum ſanguini conciliatur ei inſerviens pro ſummo animalis beneficio; per raritatem enim à bile acceptam Spiritus in eo latentes excitantur, & per craſſitiem moderatam à melancholia impartitam eorum diſſolutio, & tranſpiratio impeditur, & per hanc admittitur talis rarefactio, quæ ſpiritui motum præbeat, ſed ſolùm per clauſtra ſanguinis, illius enim conſervationi maximè ſtudet natura cum in eo vita animalis præcipuè ſundetur. Idcircò illius explicationem, & motum per maſſam ſanguineam intendit, ita tamen, ut non poſſit evolare, nec diſſipari, idcircò ſanguinem conſiſtentia, & craſſitie munire tentavit, quæ ſi non ſufficiat, quia à rarefactione cordis minis laxetur ſanguinis conſtitutio, ut ſpiritus evolare poſſint, ſagax natura Arteriis, per quas ſanguis exiens à corde diſcurrit, duplicem dedit membranam, ut ſpiritus detinerentur, & impetum in eas facientes à reſiſtentia earumdem repercuſſi de novo ſanguinem ingrederentur. Ab Arteriis verò, in venas ſanguis arterioſus rarefactus in corde tranſiens, amiſſa in via, & curſu illa tenuitate, & raritate in corde accepta, & quæ activitatem Lymphæ in aliqua parte ſuperabat, hæc ſuo robori reſtituitur, & craſſitiem imprimendo ſanguini, ſpiritus evolaturos comprimit, & tamquam vinculis contringit, eos reſervando ad idem munus, quando intra cordis ſinus à venis depoſitati fuerint,

Hic

Hic eſt finis lympæ à glandulis elaboratæ. Quæ congregatur à partibus per ſolam condenſationem vaporis à ſanguine arterioſo exhalantis, puto non eſſe lympham, quia nec conſtat eſſe acidam, nec habetur ratio aciditatem in ea perſuadens. Sed cenſeo condenſationem vaporis exhalantis à ſanguine extravaſato ab Arteriis in partes, eſſe ingenioſum naturæ Artificium, non pro generatione lymphæ, ſed pro reductione ſpiritus vitalis in illo vapore contenti, ad cor, & pro nova mixtione ejuſdem ſpiritus cum ſanguine arterioſo, & talis reductio non fit per vaſa lymphatica repugnantibus valvulis ſupradictis, ſed eſt magis probabile fieri per venas dictam reductionem ſpiritus vitalis cum aqua colligati.

Hinc patet, ſi aciditas in lympha exceſſerit, bilis activitatem mortificatam iri, ſanguinemque morboſa craſſitie depravari, quia obſtructiones membra vitiantes, cum ſuarum facultatum detrimento, & quandoque cum inflammationis excitatione, prohibito ab obſtructionibus, & craſſitie ſanguinis curſu, & ſtagnatione indicta, per quam putreſcit cum fervore inflammante partem, in quo caſu qualibet inflammatione urgente, non ſolùm larga ſanguinis miſſione revellendus ſanguis, per ſectionem venæ in parte longinquiori à membro inflammato, ſed etiam derivandus per ſectionem venæ in parte propinqua inflammationi, ut fluxus ſanguinis à parte affecta, quantum fieri poſſit, divertatur, & motus ſtagnanti ſanguini concilietur per dictam miſſionem ſanguinis, ut concepto motu impedimentum eum determinans ad ſtagnationem ſuperet, ſed etiam deobſtruentia, & diſcoagulantia volatilia conveniunt in omni inflammatione.

Hinc Pleuritis ab humore à frigore, & acido Lymphæ condenſato obſtruente vaſa Pleuræ proficiſcetur, cum ab obſtructione, vel craſſitie impeditus motus ſanguinis hic ſtagnans, & fixatus inflammationem pariat; eſt enim Pleuritis inflammatio membranæ coſtas ſuccingentis ex affluxu ſanguinis ortum habens cum febre continua acuta, dolore lateris pungente, tuſſi, pulſu duro, & difficultate ſpirandi, & hanc ſtagnationem ſanguinis in pleuritide aſſeruit Hippocrates in lib. 1. de morb. numero 23. quando deſcribendo modum generationis pleuritidis dixit, & quantum ipſa carne ineſt bilis, ac pituitæ, aut in venis, quæ in ipſa carne ſunt, id magna ex parte haud totum ſecernitur, introque compellitur, ad caliditatem carne extrinſecùs condenſata, atque id ad latus affigitur, & dolorem vehementem exhibet, & percaleſcit, & per caliditatem trahit ad ſe ipſum à vicinis venis, ac carnibus pituitam, & bilem, ubi nota verbum, affigitur, connotans fixationem, & ſtagnationem humoris, & illud percaleſcit, quod innuit inflammationem, & præcipuè quando incaleſcentia, eſt conjuncta cum dolore, ut ex dictis verbis habetur, & ad Hippocratis exemplum, omnes Antiqui etiam ſanguinem fixum, & ſtagnantem in omni inflammatione admiſerunt, non ſemper tamen in pleura fieri pleuritidem, ſed quandoque in pulmonibus docuit idem Hippocrates lib. de locis in Homin: num. 24. ſcribendo pulmo tamquam natura, & rarus, & ſiccus trahit in ſe humorem quantum ejus capere poteſt, & ubi influxerit major fit, & ubi quidem fluxerit in totum extremitas ejus major reddita utrumque latus contingit, & peripneumoniam pulmonis appellatum morbum facit, cum verò alterum tantùm pleuritis; ex quo colligitur Zechium in ſuis conſultationibus ſumma cum ratione ſtabiliſſe, Pleuritidem eſſe affectionem pulmonum, & ab hac ſententia Hippocratis motus, judicio practicantium ſubmitto conſiderationem hanc, nempè peripneumoniam eiſdem remediis eſſe curandam, quibus curatur pleuritis, cui præter ſanguinis miſſionem tamquam principale remedium, volatilia, deobſtruentia proficua ſunt, ad imitationem Hippocratis, qui in curatione pleuritidis lib. 2. de morb. num. 40. milium, & ejus decoctionem exhibet, milium autem Diaphoreticam virtutem obtinet, & per hanc deobſtruit, attenuat, & diſcoagulat, ut radix lappæ majoris ad ℨ. 2. Pulvis in meis conſultationibus deſcriptus, ſanguis Hyrci, & deſcriptus ab Helmontio, Cornu Cervi Philoſoph. præp. ℨ. 1. cum aqua Rutæ Caprar. Flores Malvæ hortenſis rubei, & duplicati, exſiccati, ligni Viſciquercini an. ℨ. 1. M. F. pulvis exhibeatur in jure, Pix navalis in aqua communi lota, ad ℨ. 2. & in pilulas cum Sacch. redacta, & exhibita, valet injunctio ex Theriaca cum Oleo Cucurbitæ diſſoluta in formam linimenti, humectata priùs parte cum ſpiritu vini, pix navalis part. 1. picis grecæ part. 2. ſolvantur, & diſtendantur ſuper pannum lineum novum craſſæ texturæ, & unguentum factum cum pulvere caudicis caulium exſiccati, & mele.

Fiunt etiam à dicta craſſitie ſanguinis ab aciditate lymphæ aucta promanante obſtructiones ſine inflammatione, ob rationem dictam de melancholia hyppocondriaca: Vitiantur tamen facultates partis obſtructæ, ut ſi lien obſtruatur admiſſo humore, vel ſanguine ab aciditate lymphæ incraſſato intra ſuas poroſitates, & cellulas, & intra extremitates vaſorum capillarium, itaut ſanguis non totus circulari motu libero, & expedito deferatur, ſed tardo, diminuto, & ſecundùm tenujorem partem ejuſdem, cum ſola agitatione, &, ut ita dicam, trepidatione craſſi impedientis liberam viam, per quem motum parvum à putredine conſervatur, certè in hoc ſtatu Lien non poteſt elaborare illud fermentum, quod inſpiratum in Maſſam ſanguinis, quæ per illud circulatur, hanc attenuat, & volatilizat, & ad ſeparationem excrementorum in locis propriis diſponit, & hoc à nemine eſt negandum, cùm experientia conſtet obſtructo liene ſanguinem depravari, incraſſari, & excrementis repleri, conſequenter fatendum eſt ab omnibus virtute lienis ſanguinem attenuari, conſervari, ad excrementorum depoſitionem diſponi, hanc virtutem volunt Antiqui conſiſtere in temperamento innato lienis, & ejus organizatione, & his duobus inſtrumentis lienem conſervare ſanguinem, & ab humore melancholico depurare. Recentiores volunt prædictam virtutem conſiſtere in perfecta organizatione, & fermento lienis, cui præter particulas elementales temperamentum Antiquorum conſtituentes addunt Recentiores his particulis corpuſcula ſalina ſulphurea volatilia, elementorum etiam mixtione compoſita, à quibus vigoratur actio qualitatum elementalium, & lienis virtus perficitur, cui ſal, & ſulphur habeant maximam efficaciam attenuandi, volatilizandi, & depurandi ea, cui miſcentur, & cum majori efficacia, quàm qualitates elementales, & hujus ſimilitudinem exhibet aqua fortis, quæ argentum magis comminuit, & diſſoluit, quam ignis, & hoc niſi ratione ſalium cum aliqua portione ſulphuris mixtorum, & certè non alia ratione, quam illa allata ab Hippocrate in lib. de vet. med. nempè qualitates ſecundas acidas, ſalſas, amaras, dulces proprias ſalis, & ſulphuris eſſe magis potentes, quàm caliditatem, & frigiditatem. Quidquid ſit tamen de his opinionibus, & earum unitate, vel diſcordia; certum eſt pro conſequenda ſanitate ab obſtructione lienis labefactata convenire, tàm Recentiores, quàm Antiquos in auferendis obſtructionibus, & concordes eſſe in remediorum electione, quia ablatis obſtructionibus lien rectè ſuo fungetur officio ſive hoc exequatur per ſolum temperamentum, ſive per fermentum; de organizatione enim nulla eſt inter hos difficultas, quòd requiratur ad ſuarum functionum exercitium.

Inter ea ergo, quæ lienis obſtructiones ab acido lymphæ dominante productas, vel ab humore melancholico tollunt, ab Antiquis, & recentioribus, admittuntur Spica Indica, ſeu Nardus Indica infunditur in aceto, & addito Saccharo exhibetur ad ℥. 4. Urtica mortua, Scolopendrium, Chelidonia Mai. Naſturtium aquaticum, radix Filicis, Gentianæ, Rubiæ tinctorum, Capparorum, Curcumæ flores, & ſem. geniſtæ gummi Amoniaci, lacca, Cortex Tamariſci, hæc enim ſuo ſale volatili, acri, & alkalico imbibunt acidum, & craſſitiem attenuant, ideò etiam ſpiritus volatiles ſalis Armoniaci, Cervi, Fuliginis, Carabe ſummè valent, ſicut & Aromatica omnia, & Cæphalica, ut Cinamomum. Nux moſcata, Macis, Cariophili, Cardamonum, ſpica celtica, Zinziber, & alia hujuſmodi, in quorum cenſu reponitur aqua vitæ Mathioli, Spir. Carminativus Sylvii, Elixir proprietatis Paracelſi, Elixir vitæ, ſpecies Aromat. Roſ. Diambræ, Diamoſchi Pliris Arcoticon, Tinctura Myrrhæ, quæ ſummæ eſt efficaciæ in debellando acido, & attenuanda humorum craſſitie, ſicut elixir Polycreſton Dolei compoſitum ex Myrrha, Aloe, Croco cum ſpiritu vini Tartarizato, & Ol. Tartari per deliquium paratum, & mixtura ſimplex ſuperiùs deſcripta, valet tinctura Chalybis, Crocus Martis aperitivus, Tartari tinctura, Tartarum Chalybeatum, Antimonii Tinctura, & Antimonium Diaphoreticum ex quibus

bus parari poſſunt varia remedia, ſub quacumque forma inter alia laudo ſequens decoctum ♃. Cort. Tamariſci, Fraxini an. ℥. 2. Rad. Capar. Curcumæ, Rubiæ Tinctorum, Zedoariæ an. ℥. v. Cornu Cervi in Talleolas inciſi ℥. 1. bul. in ℔. 4. aquæ fontis vaſe clauſo ad conſumpt. medietatis, poſtea coletur de colat. ſummantur ℥. x. Elixir Polycreſtum Dolei ℈. 1. ſummentur per quatuor horas antè prandium, & per tot horas ante cœnam præmittendo bolum ex ʒ. 1. Gum. Amoniaci, Croci Martis aperitivi. gr. 16. Spir. Sal. Armoniaci gut. 8. & omni tertio die purgetur, pil. melanagogis, vel tartareis, vel Syrup. Cachectico Fernelii, exteriùs valet Empl. de Tabacco, & Cicuta deſcripto in *Meſſe Spatgirica*.

Si verò acidum Lymphæ occupaverit hæpar, humoreſque in ejus poroſitatibus, & vaſis capillaribus fixaverit à ſuo officio aberrabit, quod præcipuum eſt ſanguinem à bile depurare quo intermiſſo totus ſanguis depravatur, ut patet in obſtructionibus hæpatis, & ad reſtituendum huic ſuum officium valent omnia ſupra memorata remedia. Aromatica, Chalybeata, Tartarea, & Antimonialia, ſimplicia verò ſpecifica ſunt eligenda, inter quæ ſunt abſynthium, quòd primum locum tenet in hæpatis obſtructionibus, Chalaminthum, Chelidonia major, Hæpatica, Marubium Quinquefolium, Naſturt. Aquat. Rad. Aſparagi, Acori, Eringii, Gentianæ, Rhapont. Ruſci, Valerianæ, ſpec. Dialaccæ, Diacurcumæ, Trocis, de Rheub. Eupatorio, Pul. Cachecticus Quercetani, ex quibus parari poſſunt decoctiones Syrup. Electuaria Pul. & alia hujuſmodi, purgantia epicraticè pituitam, & humorem craſſum omni tertio die ſummantur Pulvis Hæpaticus ruber deſcriptus in theſauro Pharmacetico Hoffmani eſt valdè efficax in Hæpate obſtructo. Obſtructiones Meſenterii, & ejus glandularum eiſdem remediis tolluntur, & aliis deſcriptis ubi de melancholia hippocondriaca. Perpendat, unuſquiſque hæc remedia acidum lymphæ auctum debellantia in recentiorum ſententia, quod eſt cauſa incraſſationis humorum, & obſtructionum, & inveniet, non differre ab eis quæ ab Antiquis proponuntur pro corrigendo humore melancholico incraſſante humores, & obſtructiones viſcerum pariente.

Lympha nimis acida in glandulis ſtrumas, & cancros efficit occultè latentes, cum ſimplici tumore, donec materia ab aciditate coagulata corrodentem acrimoniam non acquiſiverit, ad quam cùm pervenerit ob acidi volatilitatem, & acredinem conceptam, vel à calore, à quo volatilixatur, vel per admixtionem alterius ſalis lixivialis bilioſi, per quem naturam humoris aduſti ſalſi, & corroſivi, ut loquuntur Antiqui, adipiſcitur, tunc in propatulum effertur, corroſa parte, cujus nuntia præmiſſa fuerunt in punctutis, & lancinationibus ſæpè cum dolore reiteratis in parte, ab humore acredinis corroſivæ initia ſuſcipiente, ex quo patet aromatica acidum infringentia, non eſſe in hoc caſu uſurpanda, etiam conſilio Antiquorum, quia acredinem corroſivam per accidens augent, humorem acidum fixum, & craſſum exaltando, & volatilizando, ſed demulcentibus utendum, inter quæ præcellit ſulphur Antimonii fixum, & illud vitrioli Anodynum, & Cinabris Antimonii paratum modo ab Helmontio deſcripto, & exhibentur cum aquis maluarum, boraginis, hordei, cum lacte exhibere formidarem ob facilitatem, quam habet ad aceſcendum, nec mineralia hæc damnanda quia modo prædicto præparata ſunt innoxia, & Galenica ſchola non habet unde depromat efficaciora, maximum dulcificans ſanguinem in ſtrumis, & Cancro puto eſſe aquas Antimoniales, cujus deſcriptio eſt ♃. ſalſæ, ligni Viſci Quercini an. ℥. 4. Cornu Cervi in Talleolas inciſi ℥. 2. infund. in ℔. 30. aquæ fontanæ per diem poſteà cum iſtis in vaſe ſuſpendatur ſacculus, in quo includatur Antimonium crudum craſſo modo pulverizatum ℥. 4. & alter ſacculus, cum limatura Chalybis ad ℥. 4. bulliant ad conſumptionem tertiæ partis, de hoc decocto accipiantur omni die lib. 8. & etiam decem in prandio, in cœna, & per diem, & per quindecim dies hujus decocti uſus continuandus.

Ad ſtrumas ſpecificè valet ſequens remedium ſumat æger de propria urina ad ℥. 6. & incipiat à principio lunæ uſque ad ultimam quadraturam, & poſteà per totum tempus hujus omni die lapidis ſpongiæ ʒ. 1:5. ſalis communis, tartari, Gemmæ an. ʒ. 1. f. p. & capiat in vino, idem præſtat ſpongia uſta, extrinſecus pro ſtrumis accipiatur ſuccus ſcabioſæ minoris, Bettonicæ, & perſicariæ maculatæ ad lib. unam, & ad ſolem inſpiſſentur, eo modo quo fit ſuccus Cicorei condenſatus, & pro ſingula uncia hujus ſucci addatur ℥. 1. præcipitati ſecundùm regulam Joannis de Vico, & poſteà ſtrumis hoc remedium applicetur ſi ſint ulceratæ, non ulceratæ illiniantur ſucco Tabacci, & ſuper eas imponantur folia ejuſdem, vel Emplaſtrum Diaſulphur, pro Cancro non ulcerato mitioribus, & dulcioribus utendum ob rationes ſuperiùs dictas nempè unguento roſato malvino, ſi ulceratus fuerit Cancer ſuper illum diſtendantur petiæ imbutæ ſucco Artemiſiæ optimè depurato, & tepido.

Hydrops Aſcites, & Anaſarca Cachexia, & ſimilia Symptomata poſſunt ortum habere ab eadem lympha acida, quæ obſtructionem ſua craſſitie pariendo in vaſis lymphaticis facit, ne lympha liberè diſcurrere valeat, unde detenta, & à novo fluxu lymphæ aucta iſtius copias, vas lymphaticum obſtructum adeò diſtendit, ut rumpat defluente in venrris capacitatem per apertam rupturam lympha, à qua hydrops aſcites, & hoc expræſſit Hipp. in lib. 4. de morb. circa finem, quando explicando modum quo fit hydrops ait, etenim, ubi acervatim aqua acceſſit, & via in principiis non pateat ad infernas partes, ſed acervatim in venis concludatur nimirum, ut quæ reſpirationem non habeat, neque ſurſum, neque deorſum inniti poterit (clariùs non poteſt explicari obſtructio venarum in hydrope,) & poſteà ſubjungit. Sin minus iſtic ſolùm volutatur (nempè aqua) circa ventriculum, (& per hoc explicatur vis, quam aqua concluſa concipit,) & viam ſibi aperit in ventrem, ex volutatione, vel rumpendo vaſa in quibus continetur præternaturaliter, vel eorum orificia aperiendo, non poteſt enim à vaſis in cavitatem ventris aqua deſcendere, niſi per aperitionem, vel diſruptionem vaſorum. Lympha incraſſata in pituitam facit Anaſarcam.

Cachexia ab eadem lympha acida provenit dum ſanguinem incraſſando, & ad efferveſcentiam inhabilem reddendo, impedit, ne excrementa ab eo ſeparentur, qua propter retenta illum depravant, coinquinant, & ineptum ad omnes functiones corporis reddunt, de his alibi diffuſiùs.

Acidum horum Symptomatum cauſam emendabitur cum remediis illud infringentibus toties repetitis, & cum omnibus illis ab Antiquis præſcriptis pro emendatione melancholiæ inter cætera verò antecellit Chalybs; & præcipuè ejus ſulphur, quod in Croco Martis aperitivo abundat, Antimonium etiam eſt ſummi roboris in hac aciditate extirpanda, ſive ſulphur ejus auratum, ſive fixum vulgari ſulphuri valdè ſimile. vel diaphoreticum commune exhibeatur. Tartarum etiam, & ex eo compoſita remedia valent, & Antimonii tinctura Tartarizata ſuper alia antecellit. Pulvis Cachecticus Quercetani, ſi addatur ſal tartari volatile mira præſtat, in his affectibus ſicuti etiam omnia diaphoretica, & decocta, quæ in deſtillationibus, & morbo Gallico exhibentur, & iſta meo judicio ſunt efficaciſſima, pro acido debellando, & ſanguine ſolvendo, & horum efficacia corroborari poteſt addendo ſupradicta remedia, vel ſalia volatilia, vel fixa alkalica, valent etiam ex mente Hip. quarto de ratione vict. in morb. acut. Diuretica, quæ ſerum divertunt à ventre, & ad veſicam deferunt, hac de cauſa urina in aliquibus profuit. bibita, & per hoc ſal urinæ volatile proficuum videtur, pulvis etiam Buffonum exſiccatus, quia urinam promovet, & pro arcano habetur, & aqua Penoti aperitiva, lixivium paratum cum vino injecto ſupra cineres corticum fabarum, ſarmentorum vitis. Alia remedia vide Cap. de nutritione læſa in propoſito verò caſu in quo ſupponuntur orificia vaſorum lymphaticorum aperta, vel ipſa vaſa diſrupta, decocta vulneraria conveniunt ex Agrimonia, Braſſica, Cherefolio Calcatrippa, Hyperico, Nicotiana, Quinquefolio, Taraxaco, & Ulmaria hujus decocti ℥. 8. addatur Opobalſamum ad ʒ. 1. vel balſamum ſulphuris, & bis in die ſummatur præcedente tamen ſeri eductione per alvum, vel per urinam, quoad cachexiam pro ejus cauſa, & curatione videnda, quæ inferiùs dicentur de motu fermentationis, & circulationis ſanguinis, & quæ dicta ſunt de ſucco pancreatico nimis acido, & c. 11. de ſanguinis intemperie frigida.

Si acidum lymphæ erit debile, & enervatum, ſanguis à medio-

à mediocritate ſuæ conſtitutionis inter rarum, & denſum eiicietur, & prævalente bilis activitate ea eveniunt damna quæ ſuperiori capite recenſuimus de bile nimis activa, quæ eiſdem remediis ibidem deſcriptis erunt avertenda remittendo acidum lymphæ.

Si nimis auſtera erit, majorem, & craſſiorem, & extremam ferè craſſitiem in ſanguine inducet, eiſdem tamen remediis ſupradictis de acido aucto, & auſtero ſucci pancreatici erit modificanda.

Acidam lympham præternaturam, cognoſcimus à morbis in craſſitie humorum conſiſtentibus, ſicuti bilem peccantem arguimus à morbis à raritate, magna effervescentia, & diſſolutione humorum pendentibus.

Vitiatus ſanguis ab hac lympha, ſicut ab acida, totus aciditate, & auſteritate coinquinatur, quibus febres illas longas, & lentas, & parvas vocatas ſine calore, & virium notabili diſſipatione parit, quia non per morboſam effervescentiam in ſanguinea maſſa accenſam fiunt pulſus celeres, & frequentes, pluſquam eorum conditioni naturali conveniat, ſed per aciditatem, cujus acrimonia laceſſitæ fibræ ventriculi cordis contractione ſuſcepta determinantur, ad ſanguinis contenti expulſionem, in brevi tempore, cum pulſus celeritate, æquanda celeritati eidem communicatæ ab effervescentia cum fervore, & æſtu febrili ſanguinis, quapropter à febre dicitur illa pulſus alteratio, quia ſimilis illi, quæ à febrili effervescentia provenit, eadem pericula minans pravis humorum qualitatibus, quæ illa ab effervescentia inordinato.

Corporis extenuatio cum his febribus lentis conjungitur, non ob calorem præternaturalem colliquantem, ſed ob aciditatem alimentum depravantem, in qualitate nutritioni improportionata; & ſubſtantia nimis incraſſata, ut partium nutriendarum poros ingredi non poſſit, impediendo illarum nutritionem, ut inferiùs de hac agendo patebit.

Ab hac ſententia non credo diſceſſuros Antiquorum ſequaces, has febres lentas ab humore craſſo, & melancholico admittentes, & ſi huic, aciditatem conjunctàm fatentur, prævalendo in maſſa ſanguinea, & tranſeundo per cor ſua acri qualitate hoc pungere eſt valdè probabile, & ex puncturæ moleſtia cogi ad celeriorem ſanguinis expulſionem, eo modo quo alteratum cordis motum in palpitatione, per irritamentum explicant; Remedia pro his febribus ſunt, quæ aciditatem, & auſteritatem hanc tollunt, & quæ pariter ſunt deobſtruentia ſuperiùs recenſita, & quibus utuntur antiqui in obſtructionibus, & in præparando humore melancholico.

Si ſalſa evadet vice conſtrictionis, & craſſitiei ſanguini majorem impertit diſſolutionem, & bili non inſervit pro fræno, ſed pro auxilio, in extremum ſanguinis detrimentum, in quo caſu ea omnia ſunt adhibenda, quæ ſuperiùs recenſuimus de ſucco pancreatico ſalſo.

Atræ bilis generatio, & modus iſtius pendens à mixtione Bilis, cum Lympha acida unitim effervescentibus; non eſt diſſimilis ab eo quem docuimus de bile in tractatu ejuſdem; nam ſicuti bilis in melancholiam degenerat per admixtionem acidi, coadjuvante effervescentia inordinata utriuſque humoris, ita melancholia, ſeu Lympha in atram commuttatur, per admixtionem bilis, cum ſupradicta effervescentia, & hoc poteſt contingere, non tam in inteſtino duodenno; ubi ſuccus pancreaticus melancholicus, cum bile congreditur, ſed etiam in venis lympha acida, melancholica effervescente cùm particulis ſalino-ſulphureis lixivioſis in maſſa ſanguinea exaltatis.

Hac occaſione adnoto, quod licèt lympha ratione innatæ aciditatis naturali neceſſitate cogatur effervescere cum particulis alkalicis, & bilioſis in maſſa ſanguinea redundantibus, non tamen per hanc effervescentiam tenuitatem, & raritatem acquirere; nam ſi excedat in aciditate bilis, & cujuslibet alkalici virtutem diſſolventem opprimendo ſanguinem conſtipat, ſi verò æquali activitate, & virtute uterque humor alkalicus, & acidus polleat, poſt levem effervescentiam uniuntur, & velut coagulantur partim in ſalſum volatile fixum ſecundùm partes magis ſubtiles, & in ſalſum fixum ſecundùm craſſiores, quòd ſi ſocias in hac unione admittat alias particulas craſſas, ſanguinis craſſities aliqua, & viſcoſitas in tota maſſa paulatim introducitur, irretito paulatim ſpiritu, & ſulphure ejuſdem, ac etiam apprehenſis particulis volatilibus tam acidis, quàm alkalicis à viſcoſitate prædicta, ex quo neceſſariò ſequitur totius maſſæ ſanguineæ condenſatio.

Ab acido excedenti bilem optimi, docuerunt Antiqui, quando pro bilis correctione acida præſcripſerunt, & temperamentum ex proportionata bilis, & melancholiæ quantitate temperatum vocarunt, quia ex tali proportionata mixtione conſurgit in ſanguine temperata conſtitutio inter calidum, & frigidum inter rarum, & denſum, ideò idonea ad actiones ſine exceſſu edendas, cum perfectione talis temperamenti, per hanc moderationem accedentis ad temperamentum ad pondus in humoribus, & certè iſta moderatio bilis, & melancholiæ æqualiter dominantis, maſſam ſanguineam in perfecta moderatione detinet, dum bilis, impedit, ne ſanguis à melancholia nimis incraſſetur, & melancholia prohibet, ne bilis ſanguinem magis attenuet.

Hanc moderationem fundari in caliditate bilis, & frigiditate melancholiæ ad invicem ſe temperantibus docuerunt Antiqui, Recentiores verò in effervescentia utriuſque humoris per quam activitas bilis, & melancholiæ remittitur, & per talem remiſſionem bilis nimis acris, & calida, ab aciditate melancholiæ temperata, dicitur à cauſa frigida remitti, cùm decretum fuerit ab Antiquis aciditatem à frigido oriri, & Recentiores ad acidum corrigendum ſicut Antiqui Aromaticis incidentibus, & calidis utuntur, ex quo ſalvatur integer apud utroſque Medicinæ finis. E contra aciditas melancholiæ remittitur per virtutem ſalinam, & ſulphuream bilis de qua ſtatutum fuit ab Antiquis melancholiam corrigere per calorem, & quidem Recentiores, cum iſtis ad corrigendam bilem excedentem in ſuis qualitatibus, frigidis, & acidis utuntur.

Et prò demonſtranda integra unione Recentiorum, cum Antiquis circa naturam hujus humoris lymphatici melancholici, ejuſdem naturæ cum ſucco pancreatico, cùm uterque à glandulis præparetur, & ad ſtabiliendam huic Syſtemati veritatem adverto Sylvium Le-Boe admittere unam differentiam lymphæ craſſæ, & acidæ, quam melancholiam appellat, & in hoc ſequitur veteres hunc humorem craſſum determinantes. Ex altera parte perpendendo ſententiam Hippocratis docentis lienem eſſe ſedem aquæ, quòd membrum ſtatuitur etiam receptaculum melancholiæ judico recentiores ab Hipp. non diſſentire deſcribendo aliam differentiam melancholiæ fluidam, & tenuem ſub nomine lymphæ, quæ à liene ſuam originem, & principium trahere non eſt dubitandum, etiam in ſententia Recentiorum determinantium in Liene ſanguinem per hunc circulantem, ſubtiliatur, & volatilizatur, unà cum ſuis excrementis utilibus, quæ per dictam fermentationem quodammodò diſgregantur à partibus utilioribus, itaut facilis poſtea evadat eorum ſegregatio, quapropter ſanguis circulans per Hepar ibi relinquit partes bilioſas, amaras, & per glandulas partes ſeroſas acidas, & ita poteſt dici lienem eſſe principium humoris lymphatici, & melancholici, quia ab eo diſponitur, ut in ſuis locis determinatis ſeparetur ad animalis beneficium.

CAPUT VIII.

De Saliva, & Pituita.

SAliva eſt Humor à glandulis parotidibus præparatus, & per ductus ſalivares in oris cavitatem continua emanatione transfuſus; Materiam pro hujus humoris præparatione ſuſcipiunt glandulæ ab Arteriis, quæ iſtis inſeruntur; aliquali aciditate hanc materiam perfundi perſuadent dicta ſuperiùs de ſaliva aciditate perfuſa, & glandularum natura, quæ inſtitutæ videntur ad ſuſcipiendam, & præparandam Materiam ſeroſam acidiuſculam, ut ſuperiori capite adnotavi, & morbi, qui communiter glandulis eveniunt efficaciter hoc videntur confirmare: ſunt enim intumeſcentiæ ab humore condenſato, & tumores duri, vel moles, ſed ambo coagulationem humorum repræſentantes, quæ acidum naturaliter in glandulis dominans ſupponunt. Ulteriùs ſaliva in Vaſe collecta, & ibi relicta per aliquod tempus

pus craſſeſcit non alia ratione, niſi in virtute intrinſecæ aciditatis, quæ latens eſt, & occulta, eo modo quo in Saccharo, & mele occultatur virtus corroſiva, Per deſtillationem horum corporum manifeſtata.

Dictæ glandulæ parotides ſpiritum animalem à nervis quorum ramificationes eis inſeruntur ſuſcipiunt, quorum ope humor volatilis, & fermentativus ab his glandulis præparatur, prout dictum eſt de glandulis pancreatis, & aciditatem etiam Materiæ à glandulis prædictis ſuſceptæ dulcificant, unde magis occultatur.

Hanc virtutem fermentativam in ſe continere præter dicta in ſuperiori capite de præparatione alimentorum in ore experientia comprobatur; nam ſi panis fruſtulum optimè teratur multæque ſalivæ miſceatur, deindè in competenti Maſſæ farinæ indatur, & hanc fermentare facit, pari pacto, ac fermentatur à fermento ordinario. Materia prædicta ope fermenti, vel temperamenti glandularum ſupradictarum præparata per ductus ſalivales ab Illuſtriſſimo D. Franciſco Boldrino in Accademia Parmenſi profeſſore publico Anatomiæ, & Chirurgiæ detectos, in oris cavitatem transfunditur.

Hic humor prædicto modo præparatus difert à lympha, & à ſucco pancreatico, quamvis à glandulis elaboratus, ex materia ſeroſa ſanguinis, prout illi, quia in ſaliva non eſt aciditas manifeſta, nec tenuitas, ſicuti in ſucco pancreatico, & lympha, ſed eſt magis craſſa, & manifeſtè inſipida, ideòque pituitæ in qualitatibus eſſentialibus ſimilis, quapropter pituita juremeritò nuncupatur.

Finis à natura intentus in generatione hujus humoris, eſt multiplex. Primò facilem reddere deglutionem alimentorum, quibus miſcetur; nam ſitientes ob iſtius humoris defectum difficilem experiuntur deglutitionem. Secundus eſt interiora oris, & loquellæ organa continua irrigatione lubricare ad vocem edendam, cum facilitate, quam non experiuntur, quibus fauces in hujus humoris defectu exſiccantur. Tertius eſt ad ſitim moderandam, quapropter impedito hujus humoris curſu in oris cavitatem, vel exſiccato prædicto humore, ut in febribus intenſis, & in violento exercitio, & curſu, ſitis valdè excruciat. Quartus eſt à corporibus ſiccis maſticatis, & dentibus trituratis ſaporem attrahere per diſſolutionem ſalis dictorum Corporum, huncque Organo guſtus communicare. Ultimus eſt inſervire pro fermento alimentorum in ventriculo, ut ſuperiùs dixi.

Ex his colligitur ſalivam non eſſe inutile excrementum, cùm ad tot fines à Natura ſit deſtinata, & per rationes ſuperiùs allatas.

Hæc ſaliva Recentiorum non differt ab Antiquorum pituita cujus ſedem cerebrum, ventriculum, & inteſtina ſtatuerunt, quia plurimùm de hac ſub ſpecie ſalivę à cerebro ad palatum defluere crediderunt, & multam per vomitum, & inteſtina excerni obſervaverunt; Anatomicæ tamen obſervationes demonſtrant Antiquos erraſſe in ſtabiliendo deſcenſu ſalivæ à cerebro, cùm per ductus ſalivales à Parotidibus derivatos conſtet ſalivam in os depluere; Quæ per vomitum, & ſeceſſum excernitur, eſt eadem ſaliva deglutita, quæ in ventriculo remanendo, qualitates inferiùs dicendas contrahit, niſi eas ſecum traxerit à ſuo principio, & quæ in inteſtinis obſervatur, eſt eadem ſaliva à ventriculo in inteſtina dilabens, ab efferveſcentia bilis, & ſucci pancreatici reſidua, & incraſſata, congrediendo enim, & ipſa in hac Pugna neceſſitate naturali, quod reliquum ſupereſt in craſſum, & mucoſum humorem tranſit; Neceſſitas hæc apparet à confluxu ejuſdem ſalivæ in loco congreſſus bilis, & ſucci pancreatici, & dicta mucoſitas reſidua inſervit pro tegenda ſuperficie interna inteſtinorum; in reliquis ſi comparabimus qualitates pituitæ ab Antiquis tributas, cum qualitatibus, quæ inſunt ſalivæ, videbimus recentiores cum eis convenire in ratione humoris pituitoſi.

Vitia Pituitæ, & ſalivæ à Recentioribus eadem ſtatuuntur, cum eis quæ Antiquorum conſenſu determinata fuerunt, & conſiſtunt in alteratione partium componentium à quibus, vel ſaporis defectus, vel alicujus exceſſus oritur in hoc humore, vel à tali textura partium componentium, à qua alteratur ejus modus ſubſtantiæ, cum diſpoſitione ad lædendas aliquas operationes noſtri corporis, quæ diſpoſitio conſiderari debet in omnibus vitiis, ad hoc, ut talia debeant dici, & ab his varias pituitæ differentias colligunt Antiqui, quas admittunt Neoterici.

Inſipida fit pituita, & ſaliva, quando nihil de ſale acido ei miſcetur, ex eo quod parùm in venis de hoc reperiatur ob bilis ſuperabundantiam, acidum omne mortificantis ſua prævalenti activitate, vel quia ſerum, & aquea ſubſtantia in excedenti copia ad iſtius compoſitionem concurrerit, acidum ab Arteriis acceptum opprimendo, & ſuffocando.

Ab hac ſalivæ conſtitutione depravatur, imò tollitur illa alteratio, ſeu fermentatio, quam alimenta in ore maſticata à ſaliva commixta ſuſcipiunt, ex cujus defectu eorum concoctio in ventriculo poteſt depravari, ſicuti minui poteſt à ſaliva inſipida, & nimis aquoſa acidum ventriculi famis excitativum enervando, qua de cauſa dixit Hippocrates in lib. de Coa. prænot. num. 1. quibus ſalivæ multùm, & cibi faſtidia ſunt, & ſi verum eſt, quòd ſaliva inſerviat pro fermento alimentorum in ventriculo ab hac vitiata ſui conſtitutione in acidi defectu; vel oppreſſione, læditur dicta fermentatio, & concoctio alimentorum, & etiamſi concedamus ad hanc non concurrere, adhùc partem poteſt habere in depravatione dictæ operationis, ſua aquoſitate ventriculi fibras laxando fermentum concoctionis operativum diluendo, & qualitatem acido-ſalſam fermentativam nimia humiditate debilitando, eo modo quo videmus ab humore aqueo excedenti omnes qualitates ſapidas infringi, & præcipuè hæc ſuccedent, ſi hujuſmodi ſaliva in quantitate exceſſerit, & nihil famoſiùs in Antiquorum Schola, quam ab humore deſtillante in os, & dilabente ad ventriculum concoctionem alimentorum vitiari, excrementa cumulari in ventriculo, & inteſtinis, quod magis verificatur per Recentiores, cùm ab aquoſa ſaliva copioſa enervetur fermentum bilis, & Pancreatis, cum degeneratione Chyli depurandi ab his, in Naturam ignobiliorem, & excrementitiam.

Huic vitio occurrendum eſt cum eis, quæ acidum remittunt juxta præcepta Antiquorum acida in appetitus deficientia præſcribentia; & talis deficientia ſemper obſervatur in ventriculi fermento debilitato; conveniunt etiam, quia bilem appetitum extinguentem minuunt juxta ſancita ab Antiquis demonſtrantibus à bile appetitum infringi, & coctionem lædi; minuunt etiam ſeroſitatem acida, hanc per vias urinæ è corpore expellendo, & hoc docuerunt etiam Antiqui inter diuretica, acida connumerando.

In abundantia ſeroſitatis ſalivam depravantis conveniunt ultra acida, ea, quæ exſiccant, & reſolvunt, & ſunt omnia calefacientia, & hæc, & acida multis in locis deſcripta manent.

Cognoſcemus ſalivam inſipidam provenire à defectu acidi, obſervando bilis exceſſum in corpore, & ſeri abundantiam, quæ ex temperamento, habitu corporis, & ab erroribus antecedentibus demonſtrantur.

Acida quandoque evadit ſaliva, ut dentes ad inſtar ſucci limonum ſtupidos reddat, & tunc acidum in ea ſuperabundat pluſquàm conveniat illius conditioni naturali; ex eo quòd acidum in ſero, vel lympha arterioſa ſit excedens, vel ratione temperamenti melancholici, vel ratione alimentorum acidorum in copia aſſumptorum, quæ maximè conducunt ad melancholiæ copioſam generationem, vel ratione fermenti glandularum ad acidum vergentis, quod nimis exaltatum, aciditatem adeò ſenſibilem ſalivæ imprimit præter eam, quam contraxit à Materia, à qua generatur. Exaltatur autem prædictum fermentum acidum à calore excedenti, & à deficientia ſpirituum, quorum virtute acida modificantur, & ex his duobus confirmatur Antiquorum ſententia de generatione acidi, qua ſtabilitum fuit à frigido provenire; nam calor acidum efficit, partes ſulphureas Materię diſſipando, ut contingit vino in acetum degeneranti, à calore enim ebullit, efferveſcit, & poſteà acceſſit evaporantibus ab eo ſulphureis particulis, & exaltatis ſalinis acidis, & per hoc acetum ab Antiquis dicitur frigidum, & nihil communiùs, & magis vulgare in ſchola medica, quàm calorem hæpatis frigiditatis ventriculi cauſam eſſe, unde non damnandi Recentiores, aſſerentes acidum, quod eſt frigidum,

à calore

à calore operari, cùm id ſit intelligendum occaſionaliter, & de conſequenti, non effectivè, & principaliter, ut Antiqui dicurrunt de Hydrope, qui eſt morbus frigidus, & quandoquè in eorum ſententia à calore excedente proficiſcitur; ſed magis apertè in hac ſententia Neotericos erudierunt, quando cruditatem acidam conjunctam cum hæpatis incendio, & æſtu hypocondriorum, à calore dictarum partium, tamquam à cauſa pendere determinaverunt modo explicato de hæpate calido, ventriculum refrigerante. Materia verò ſine partibus ſulphureis frigida dicitur, pari pacto quę ſpiritibus privantur, frigida fiunt, & ideò ad aciditatem diſponuntur juxta Antiquorum ſententiam; frigiditatem induci à ſpirituum defectu, illi priùs docuerunt, in ſpiritu calorem ponentes, qui ab eorum diſſipatione debet minui, & cum tali proportione, ut quantum de calore deperditur, tantum de frigiditate acquiratur, & quamvis hæc doctrina propriè ſpiritibus vitalibus applicetur debet etiam applicari ſpiritibus animalibus, à quibus non parum ſubſidii habet calor pro ſui conſervatione, & ab eorum diſſipatione humorem acidum melancholicum augeri, nórunt etiam in antiqua medicina Tyrones, cùm inter cauſas melancholiam, augentes enumerentur Animi paſſiones, & curæ, quæ hoc poſſunt præſtare per diſſipationem etiam ſpirituum animalium, qui ab eis maximè patiuntur, & cum his loquuntur Neoterici, quando docent curas, & animi paſſiones aciditatem in humoribus, augere quamvis diverſo modo hoc explicent: Nam Antiqui dicunt animi paſſiones acidum augere, quia frigiditatem inducunt concentrando, & ſpiritus diſſipando, Neoterici verò aſſerunt ſpiritus humores dulcificare, & ubi diſſipantur, dulcificationis effectum ceſſare, & humores acredinem concipere dum cauſa diſſipans ſpiritus exaltat acidum, vel iſtis diſſipatis hæc fit ſenſibilior, ſigna demonſtrantia prædictas cauſas præceſſiſſe, aciditatem ſalivæ demonſtrabunt.

In cura aciditatis ſalivæ conveniunt calida, & Aromatica, utpotè acidum infringentia, & quæ acidum imbibunt toties repetita, quæ conveniunt etiam in fermento acido nimis exaltato. Etſi calor huic exaltationi, & aciditati humorum contribuat, ad frigida omnes recurrunt, nec alio modo cruditatem acidam à caloris exceſſu curant antiqui, & aciditas à diſſipatione ſpirituum, & à curis ab omnibus lætificantibus, & à ſpiritus reparantibus, ut ſunt ſpiritoſa, cæphalica, curatur, cauſæ calefacientes ſi præceſſerint, aciditatem à calore connotabunt.

Pituita inteſtinalis, eſt ipſa ſaliva, quæ à ventriculo ad inteſtinum, deſcendit, & in his craſſitiem acquirendo in mucoſitatem pituitoſam tranſit, unde ſi ſaliva fuerit acida, hæc mucoſitas de aciditate participat, ſalivam ad inteſtina deſcendere mihi videtur ab omni dubitatione alienum; nam ſi tota ſaliva, quæ deglutitur, intra ventriculi limites contineretur, quàm citiſſimè iſtius cavitas impleretur, vel in ea ſaltem copiosè exundaret, quod cùm non ſuccedat, ſtabiliendum eſt, à ventriculi cavitate ad eam Inteſtinorum ſalivam deſcendere, & præter aciditatem excedentem, quam poteſt in ſe colligere in ſui generatione nempè in glandulis, ubi conficitur, quandoque nimia aciditate vitiari poteſt per miſcellam ſucci pancreatici nimis acidi.

Ab hac dolores omnes inteſtinorum proveniunt, qui conjunguntur cum ſenſu frigiditatis, & horum dolorum cauſam omnes Antiqui tribuerunt pituitæ vitreæ de acido participanti, ideò omnia Aromatica calida in his doloribus conveniunt, ut ſunt aqua Theriacalis, Cinamomi, ſpiritus carminativus, ſpiritus nitri, Oleum Gariofilorum Confec. Diacymini Diatrion, Pipercon, Theriaca, Mithridatum, & ſimilia debent tamen præcedere evacuantia pituitam inteſtinalem.

Pituita, vel ſaliva acida in ventriculo collecta, & alimentis permixta in horum præparatione ea contingunt mala, quæ citato capite acido ſuperfluo ventriculi tribuimus, quæ aliam curationem non exigunt, quam ea, quæ acido ſuperfluo convenit, & perficitur per medicamenta ibidem deſcripta.

Salſedine peccat ſaliva, quia materia, à qua originem trahit, nempè ſerum copioſo ſale abundat; hoc vitio multa infert damna, partes oris, per quas tranſit, corroſiva ſalſedine corrodendo, & ulcerando; In ventriculum verò admiſſa unà cum alimentis, hæc ſalſedine præternaturali inficit, & nimia diſſolutione attenuat, unde ſanguis poſteà tenuis, & ſalſus multorum malorum cauſa generatur, libero ab alimentis ventriculo collecta ibi ſaliva, hac ſalſedine dolores in eo excitare ſolet, & lethales corroſiones inteſtinales.

Pituita ſalſedinem poteſt contrahere à ſaliva modo ſuperiùs dicto de vitio bilis, & ſucci pancreatici in ſuis qualitatibus excedentibus, dum ob auctam eorum acrimoniam plus ſolito in congreſſu mutuo effervſcentes, partim in ſalſum volatile, & partim in fixum tranſmutantur, & hoc remanens unitum partibus craſſis à dicta effervеſcentia reſiduis, & mixtum cum ſaliva deſcendente pituitam inteſtinalem magis vitioſam ſalſedine reddit; & hoc confirmatur Antiquorum doctrina de ortu ſalſedinis à calore; nam inordinata effervеſcentia ſupradicta eſt cum calore ſtatum naturalem excedente, prout demonſtravimus etiam ſuperiori capite quarto, de præparatione maſſæ Chyloſæ in inteſtinis, & capite de bile, & ſucco pancreatico, & ex bile, & ſucco pancreatico ſalſum fieri ab Avicenna. Recentiores deſumpſerunt, qui pituitæ ſalſæ generationem explicando ait fieri, ſi pituitæ tenui, & exigui ſaporis miſceatur bilis amara eſt alkalica, & ſalſa à Recentioribus illud exigui ſaporis exiſtentis in ſaliva explicatur per acidum ſalivæ, quod exiguum ſaporem huic conciliat, quia eſt occultum, nec talem explicationem ſine ratione concluſerunt docti ab experientia acidum alkalico unitum in ſalſum migrare.

Hujus pituitæ ſalſæ vitio teneſmus inducitur frequenti irritamento ſalſedinis ſphinctere ani irritato, ac ſi neceſſitas eſſet fœces deponendi; Poſſunt etiam ab hac pendere fluxus Alvi, dum ſalſedine abſtergente mucoſitatem, qua teguntur innumeræ glandulæ per inteſtina conglobatæ ab eadem dicta vaſa vel irritantur, vel corroduntur, cum copioſa humoris profuſione, à qua Alvi fluxus, & alii morbi, quos diximus oriri à ſalſo in ſanguine exiſtente cap. 7.

Pituita ſalſa facit etiam ulcera, pruritus, ſcabies; Hoc vitium corrigendum eſt cum aqueis, & mucilaginoſis ſuperiori etiam capite ſeptimo de ſucco pancreatico recenſitis, & hæc adeò certa ſunt in quacumque ſecta, ut nulla indigeant ponderatione; qualitas hujus humoris ſalſa in fluxibus patet à mucoſitatibus, excretis etiam in principio morbi, & ubi peccat ſalſedo ſunt magis copioſa, quàm in fluxu bilioſo, in quo niſi poſt aliquos dies apparent corroſiones, pruritus, ulcera ſalivæ ſalſedo erit hujus ſalſedinis ſignum demonſtrativum.

Dulcis aliquando apparet ſaliva, ſed dulcedine nauſeabunda, qualis eſt in liquiritia, & ejus ſucco, & hujus cauſa eſt portio ſulphuris multa ſeroſitate perfuſa, unà cum unione ſalis lixivioſi; à ſulphure enim cum oleoſitate habetur dulcedo, & à ſale lixivioſo, ratio per quam nauſeabunda evadit, ſicuti enim ſalia acria ſubtiliſſimis exhalationibus ſulphureis mixta odores ingratos, & nauſeabundos efficiunt, ita pari pacto ſalia lixivioſa, cum ſulphure oleoſo mixta ſapores nauſeam excitantes reddere poſſunt, materiam refertam ſulphureis particulis, craſſis, oleoſis, & ſalſis ſanguis ſuppeditat ad productionem hujus humoris. Vitia hanc ſalivæ differentiam concomitantia ſunt nauſea, quæ ferè continua ab hoc humore infertur, & impedita alteratio alimentorum in ore ſalivæ debita, dum per hanc dulcedinem amiſit rationem fermenti, quæ in acido ſpiritoſo, quamvis occulto fundatur; Hac dulcedine etiam fermentum ventriculi enervatur, cùm videamus omnia dulcia pinguia, & oleoſa, acida mitigare, & minuere, unde alimentorum concoctio depravata ob fermentum acidum, enervatum de qua mentionem fecimus in capite tertio de aliment. præpar. in ventriculo, unde patet acidis hoc vitium ſalivæ eſſe corrigendum de quibus auctum eſt ſuperiùs multis in locis.

In inteſtinis poteſt cumulari hujuſmodi pituita à ſaliva, quæ & bilis, & ſucci pancreatici actionem lædere poteſt eorum acrimoniam nimis demulcendo, cum depravatione chyli, impedita fœcum ſequeſtratione à debilitata utriuſque humoris actione, & etiam huic acida ſuperiùs dicta pro emendatione conveniunt. Is enim

nim ad ſuum naturalem ſtatum reducetur, & ſanguinis conſtitutio hanc materiam vitioſam ſubminiſtrans emendabitur.

Si ſuccus pancreaticus in magna copia pituitæ viſcidæ ſeu limpidæ, ſeu ſalivæ in inteſtinis miſceatur, reſultat altera ſpecies pituitæ, vitrea dicta, eò quòd vitro fuſo ſit ſimilis, & hanc ſimilitudinem optimè recipit à ſaliva craſſa, quæ ſit limpida, & à ſucco pancreatico pariter limpido ſimul mixtis, ab hac pituita atrociſſimi inteſtinorum dolores ſuſcitantur, à quibus videntur inteſtina quaſi perterrebrari, eò quia per aciditatem ſucci pancreatici intenſam corrodit, & per craſſitiem, ita adhæret, ut dolor ſemper fixus parti inhæreat; unde patet Aromaticis oppugnandam eſſe malitiam hujus humoris, cum aciditatem infringant, & partes craſſas attenuent, & ſi acrimoniam hujus humoris ſpectemus, à qua dolores adeò atroces oriuntur, percipiemus Recentiores melius naturam hujus explicare, quàm antiquos, qui volunt vitream pituitam à frigido excedenti condenſari, & ab eodem dolores illos intenſos, quos cauſat hic humor, oriri; nam non eſt reperibilis talis frigiditas in corpore vivente, & in humoribus in internis partibus exiſtentibus, ut valeat condenſare humores ad vitri fuſi ſimilitudinem, & dolores adeò atroces generare, niſi per frigidum acidum intelligant, vel frigiditati conjunctum admittant.

Si huic pituitæ acidæ terreæ partes admiſceantur amiſſa limpiditate, & aciditate auſteritatem concipit, & reſultat illa differentia ab Avicenna pontica dicta, cujus generationem explicat ex eo quòd in terreſtreitatem ſenſim mutata ſit, unde Recentiores hujus Auctoris ſenſum ſequentes à particulis terreis auſteritatem ſumere pituitam ſtabilierunt, quæ in melancholia hypocondriaca ſæpè obſervatur, & à qua alvi ſtipticitas, dum ſua auſteritate fœces condenſat, & reſiſtentes motui inteſtinorum reddit; ab hac etiam dolores atrociſſimi, quales hypocondriaci experiuntur in inteſtinis, eò quia rigiditate ſuarum particularum intimè membranoſam inteſtinorum ſubſtantiam vellicat, unde dolor magis acutus, & fixus. Corrigetur hic humor, cum eiſdem Aromaticis, ſed oleoſis, vel oleo aliquo mixtis.

Et ſi objiciatur, explicatio operationum humorum, per particulas eorumdem, vel rigidas, vel flexibiles, vel acutas diſſenſionem ab Antiquis includit, quibus placet humorum actionem per qualitates determinare.

Reſpondemus per actionem particularum in aliquod ſubjectum dependenter à figura, vel motu illarum, dici ſubjectum illud tali, & tali modo qualificari; Idcircò cum ratione etiam ab Antiquis actiones iſtarum particularum generico nomine qualitatis appellatæ fuerunt, & Neoterici ſpecifico magis uſi ſunt, determinantes ſubjectum à particulis corporis agentis qualificari ratione acutiei, acrimoniæ, rigiditatis, & duritiei, & ab his materiæ modis morboſam ejus naturam dilucidarunt, quia eatenus eſt morboſa ſupradicta pituita, quia eſt pontica, & eſt talis per dictos materiæ modos eſſe morboſam, quia ſit pontica, deducitur primò ex ejus denominatione; ſecundò quia fuerunt ſoliti Antiqui humores pravos denominare à qualitate per quam ſunt Noxii.

CAPUT IX.

De Urina.

URina naturali ſeparationi ſubjacet pro maſſæ ſanguineæ depuratione, & purgatione à ſuperfluo, & inutili ſero, extrà enim corpus relegatur urina ſolùm, ut ſecernatur non ad alicujus operis finem, eo modo quo ſemen extra corpus ejaculatur ad generationem perficiendam principaliſſimum, & admirandum naturæ operantis miraculum.

In urina ergo præter excretionem excrementi nihil eſt, quòd humani corporis beneficio contribuere poſſit, cùm ſit ſubſtantia depauperata ab omni eo, quod poteſt inſervire nutritioni partium, vel ſpirituum generationi, quamvis in hujus ſubſtantia utrumque latuerit, quo Natura uſa remanet tantùm inutile ſola expurgatione dignum.

Secernitur urina à maſſa ſanguinis in renibus, per virtutem iſtorum ſecretricem, ſi Antiquis credimus quamvis ſit difficile creditu, prout ſuperiùs innui facultatem ſecretricem intimam ſubſtantiæ renum operari in humorem illi ſubſtantiæ, ſecundùm ſuperficiem ſolùm adhærentem, prout eſt ſanguis, à quo urina ſecernitur Recentiores hanc facultatem ſecreticem explicarunt per proportionem porroſitatum ſubſtantiæ renum cum particulis, inutile ſerum componentibus, unde transfuſo ſanguine ab Arteriis in ſubſtantiam renum ab iſtorum porroſitatibus excipitur, refluente reliquo ſanguine per venas, prout exigit circulationis ordo, quia iſtius particulæ ſecundùm figuram non ſunt proportionatæ dictis porroſitatibus, idcòque ab eis non admittuntur, ſed excluduntur, & hoc modo ſecernitur ſerum inutile à maſſa ſanguinis, & rectè etiam, & ſenſibiliter concipitur, quid ſit virtus ſecretrix, in quo conſiſtat, & quomodò operetur, hæc fuit mens Hippocratis expreſſa in ſententia deſcripta, ubi egimus de ſecretione bilis à ſanguine.

Aliqui admittunt ultra hanc proportionem porroſitatum cùm particulis ſeroſis, fermentum quoddam in renum ſubſtantia, cujus afflatu tacta ſanguinis potio per renes circulans condenſationem quamdam patitur, à qua exprimitur dicta ſeroſitas eo modo, quo per conſtrictionem aquæ in ſpongiæ porroſitatibus exiſtens, exprimitur, & lac coagulatum, & ſanguis concretus ſeroſitatem ab aliis partibus ſeparatam profundunt, non alia ratione, niſi quia per coagulationem condenſatis particulis componentibus ſanguinem, pori ſubſtantiæ hujus magis conſtringuntur, & quidquid in eis eſt liquidi, exprimitur; præterquamquòd à condenſatione premuntur undequaque partes corporis condenſati, tamquàm à manu conſtringente ſpongiam, & ita undequaque ſeroſitas condenſationis neſcia expellitur; Hinc facile eſt credere, fermentum renum eſſe tamquam coagulum, quod ſanguinem non coagulat, ut motus auferatur, ſed condenſat, & inſpiſſat, ut ſeroſitatem modo dicto à ſuis viſceribus profundat, ſalvo motu fluxibilitatis, ſed tardo. Idcircò pluries in mentem venit renes ſuccenturiatos refluum à renibus ſanguinem ſuſcipientes à Natura donatos fuiſſe fermento diſſolutivo, ut corrigerent craſſitiem, & inſpiſſationem à ſanguine ſuſcepta in renum ſubſtantia ad hoc, ut faciliùs, & toto curſu ſuam viam per ſuperiora perficere poſſet, ex quo patet, hanc fermenti conditionem magis manifeſtè facultatis ſecretricis potentiam explicare, quòd ſi rejiciunt Antiqui, non poſſunt rejicere ſupradictam proportionem porroſitatum, cum particulis ſeroſis, quia ſi per eos etiam ſerum transfcolatur per dictas porroſitates ſtante ſanguinis circulatione, debet eſſe proportio inter has, & particulas ſeri, & ſi rejiciuntur aliæ in ſanguine exiſtentes, id contingit, quia non ſunt proportionatæ dictis porroſitatibus, & ſicuti poculum cereum ſubtiliſſimo acu perforatum, & plenum aqua ſalſa ſinit per dicta foramina abire ſimpliciſſimam aquam, retentis ſalinis particulis, quibus aqua privata ſuæ naturali dulcedini reſtituitur; quia à foraminibus acu factis admittuntur particulæ aqueæ, non ſalinæ, & hoc modo dicuntur iſtæ ab illis ſecerni, ita Antiquitatis ſectatores ſine iſtius contemptu, ſed veritate, & experientia perſuadente debent admittere virtutem ſecretricem urinæ in prædicta proportione porroſitatum renum, cum particulis ſeroſis, experientia etiam docente poculo hederæ aquam vino mixtam ſeparari, per ſolam proportionem, quam particulæ aquæ habent, cum porroſitatibus hederæ, qua deficiente in particulis vini, non ſeparantur, ſed à poculo retinentur, & à Percolatorii denſitate, ejus porroſitates anguſtas reddente liquidum, & tenuem humorem deſcendere ſecundùm ſuam figuram anguſtiæ prædictæ correſpondentem, craſſiorem, & denſiorem, utpotè amplius ſpatium exigentem retineri obſervamus, & hujus opinionis fautorem habemus Hippocratem in lib. de oſſium Natura circa initium, ubi adamuſſim hanc ſententiam exponit, dum ſcribit, ren autem cavitate ſua ad magnas venas ſitus eſt, unde procedunt ex ipſo in veſicam, qua parte potus per venas ad renes trahitur, deinde per renes aqua velut excolatur, & per ipſa inteſtina, per quæ ſimul emittitur. Spongiæ enim eſt ſimile, quod ab his ad veſicam tendit, illicque urina à ſanguine percolatur, & ſecernitur.

Impe-

Impeditur hæc urinæ ſecretio, vel vitio arteriarum, quæ ſerum non perfundunt in ſubſtantiam renum, ut contingit, quando arteriæ emulgentes valdè turgent, & diſtenſæ ſunt à copia ſanguinis, quia à magna turgeſcentia fibræ membranæ, arteriæ, non contrahuntur verſus cavitatem, pro expulſione ſeri, & ſanguinis, ſed remanent ſemper extenſæ extrorſum, & hoc, vel præcedentem, vel jam factam ſupponit inflammationem, vel vitio porroſitatum ſubſtantiæ renum, quæ ſero profuſo locum non præbent pro ſegregatione, & in his duobus caſibus, ſivè ſeparatio ſeri in renibus fiat per facultatem ſecretricem, cum Antiquis, ſivè per fermentum ſpecificum renum, cum Recentioribus, ſivè mechanico modo per configurationem porroſitatum renum, cum particulis ſeroſis ſemper debemus vitium ſupradictum arteriarum avertere, cum ſanguinis miſſione larga à bracchio primò, & etiam à pede cum eis omnibus, quæ inflammationem imminentem prohibere poſſunt, vel factam curare, de quo alibi. Adnoto ſolùm multoties hoc Symptoma in febribus contingere, quod cognoſcimus ab eo quod ſupprimitur urina, & in veſica non animadvertimus, nec extenſionem, nec dolorem, nec ſtimulum ad urinæ excretionem, & ſtatim apparente urinæ ſuppreſſione poſt decem, vel duodecim horas mittendus copioſè ſanguis à bracchio ad libram unam cum dimidio, & poſt ſanguinis miſſionem exhibenda potio, quæ urinam moveat, & acidum ſanguinem condenſans, & tardum ad motum efficiens imbibat, vel diſſolvat, qualis eſt ſequens. ℞. aquæ Ononidis ℥. ii. Aſparagorum ℥. vi. ſalis prunellæ ſ. p. ʒ. 1. m. & potioni præmittat pulverem ex oculis cancrorum ʒ. 1. ligni Nephritici ʒ. v. m. vel ex radice Plantaginis aquaticæ ad ʒ. 1.

Porroſitates verò renum obſtructæ, & impeditæ à materia craſſa ſunt liberandæ aperientibus, & attenuantibus diureticis nuncupatis, ut ſunt quinque radices aperientes radix Ononidis Filipendulæ, ſemina Dauci, lappæ majoris, pulvis millepedum, ventriculorum gallinæ præparatorum fit horum præparatio tali modo tempore hyemali in majori rigore frigoris accipiantur ventriculi gallinarum, vino malvatico, abluantur in furno leni calore exſiccentur, & in pulverem redigantur, ſal Tartari volatile, pulvis factus ex capſula limacarum, quæ in hoc caſu pro Arcano habetur, &c. Refrigerantia ſunt vitanda, quia materiam craſſam magis condenſant, & impedimento obſtruenti contumaciam addunt; Acida verò volatilia non prohibentur, ut ſpiritus vitrioli & ſalis; nam acedine, & volatilitate humorem fixum craſſum acido fixo imbutum, & coagulatum, in minimas partes diſſolvere valent, etiamque fermentum renum ſi in his hoſpitatur corroborare, cùm ad acidum vergat. Acidum condenſare, & diſſolvere, non eſt novum in Schola Philoſophica Chymicorum, & multis experimentis comprobatum manet, & rationem hujus alibi expoſui, & ſic inconcuſſum manet, quacumque data ſententia ſecretionis urinæ hujus læſionem modo deſcripto eſſe curandam his medicamentis, & remediis, unde etiam infallibile pro hac parte evadit hoc Syſtema.

Poteſt etiam à calculo in renibus genito talis ſecretio Urinæ vitiari, quod continuò in Praxi obſervamus; nam exiſtente dolore in uno rene urina omninò ſupprimitur, vel parum ſecernitur, licet alter ren, vel ei annexus Urether, non doleat, & hujus ratio eſt, quia in præfato dolore nervi, & membranæ renis affecti conſenſum ſervantes cum Urethere membranoſo à Calculo puncto, & dilatato, & in dilatatione ſecundùm ſuas fibras contractionem patiente, & convulſionem convelluntur, & in hanc convulſionis affectionem trahunt membranas, & papillas alterius; renis ob connexionem, quàm habent inter ſe, per quas debet tranſire urina, & in hac contractione, & convulſione, ita conſtringuntur ut particulas ſeroſas omninò excludant.

In hoc caſu expellendus eſt calculus remediis à Ceſſofelio in ſuo theſauro pharmaceutico deſcriptis, vel cum ʒ. 1. radicis virgæ Aureæ, cum ℈. 1. ſalis radicis lappæ majoris, vel cum Pulvere ex ventriculis gallinarum præparato, vel cum pulvere radicum filipendulæ rubræ, & ſeminum Saxifragiæ, & lappæ majoris ℈. ii. in decocto Cicerum rubeorum, & radicis Ononidis. Pulvis Artemiſiæ collectæ menſe Maji Luna exiſtente in ſigno Gemini die duodecima, vel decimatertia Lunæ ad ʒ. ii. exhibitus cum vino calculum expellit, quod facit etiam ad ℔. v. ſuccus ejuſdem, & capſula limacatum optimè in pulverem redacta, & pulvis lotus optimè in vino, & exſiccatus ad ʒ. 1. vel ad ʒ. ii. exhibeatur Borax mineralis ad ʒ. 1. in decocto diuretico, & ʒ. ii. Plantaginis aquaticæ calculum expellunt.

Poteſt etiam lædi hæc urinæ ſecretio vitio aliarum partium, ut in hydrope ventris, & Thoracis in magno & continuo ſudore, & etiam ob magnam ſanguinis craſſitiem, quæ non ſinit ſeparari ſeroſitatem ſuperfluam, & excrementitiam, quia eam intimè unit ſuo lentore cum aliis particulis ſanguinis, & tunc remedia erunt illa proportionata dictis indiſpoſitionibus.

Non minoris conſiderationis eſt in Medicina urinæ profluvium, ac ſit ejus ſuppreſſio, accidit enim illud, quando urina excreta excedit quantitatem humidi, quod à cibis ſolidis ope concoctionum, & potu exprimitur & ſecernitur, & tale urinæ profluvium Diabetes dicitur, cujus cauſa ab Antiquis in calorem fundentem Maſſam ſanguinis, per quam fuſionem in copioſam reſolvitur ſeroſitatem, quæ renibus impartita copioſum etiam urinæ fluxum efficit, vel in renes intenſè excalefactos, & calore copioſam ſeroſitatem attrahentes refunderunt: re tamen conſiderata hæc attractio per calorem non videtur ſubſiſtere, & repugnat modo ſuperiùs explicato de ſecretione urinæ à maſſa ſanguinea Calor fundens ſanguinem à me pro cauſa Diabetis admittitur, ſi ei conjungatur ſalſedo, quæ facilè ab exceſſu caloris ex Antiquorum placitis introducitur: Ab hac ſalſedine ſanguinem inficiente, dum hic ſua circulatione partes abluit multæ particulæ iſtarum partium abraduntur, & comminuuntur in liquidam, & fluxibilem ſubſtantiam, eo modo quo ab aqua forti comminuitur argentum, ut ejus fluxibilitatem æmuletur ab his particulis abraſis, & ad ſeri formam redactis: augetur in vaſis ſeroſitas, quæ pro aucta copia per renes expurgatur, & hoc modo mihi videtur rectè explicata cauſa Diabetis multiplicatæ ſeroſitatis, & Maciei, ad quam ſemper tendit, & in quam terminatur, quod etiam ſuperiùs adnotavi, ubi de ſalſo à ſucco pancreatico, & à bile proveniente egi.

Pro hujus curatione non poſſum excogitare melius remedium eo propoſito in meis conſultationibus nempè lac exhibitum, ea forma ab aliquibus laudata pro curatione podagræ admiſcendo lacti prima vice illius aſsumptionis ʒ. iii. ſequentis pulveris. ℞. Gummi Arab. Bol. Arm. Balauſt. Sumach. Gand. an. ʒ. v. Amylii Gummi Tragacant. Seminum Lactucæ, Portulacæ, Malvarum, Pſylii an. ʒ. iii. Santali albi ʒ. 1. m. fiat pulvis. Poteſt etiam parari decoctio longa cum hordeo Radicibus Altheæ, Malvæ, fruct. Alchekengi, & pluries per diem haurienda; hinc poteſt etiam unà cum dictis ingredientibus miſceri ʒ. 1. Salis ſaturni, cum hac decoctione, per duas vices omni die capiat Terram Catechu præparatam ad ℈. ii.

Præter aqueam ſeroſitatem excrementitiam, & corpori inutilem alias partes in ſe continet urina, à quibus colorem, conſiſtentiam, & ſedimentum ſuſcipit. Has partes in duas diſtinxerunt Antiqui in bilem primò à qua volunt colore flavo paleari naturaliter tingi. Secundò in reliquias alimenti, poſt exactam partium nutritionem in his remanentes, quæ intra ſanguinem de novo receptæ, & ſeroſitati inutili commixtæ cum hac per urinam expurgantur, & hujus ſedimentum conflant, ab hoc principio medico perſuaſi practici ab urinæ ſedimento conditionem concoctionis deducunt, & hujus perfectionem, vel imperfectionem à ſedimenti perfectione, vel imparfectione colligunt. In febribus ſedimentum fieri à morboſa materia concocta, & ſegregata, & ad vias urinæ tranſmiſſa determinarunt.

Harum partium numerum, & conditionem nobis manifeſtè notificat experimentum ab Excellentiſſimo, & Doctiſſimo Bellino in ſuo Tractatu de urinis expoſitum, & eſt, quod ſi urina lento igni evaporanda exponatur, evaporante paulatim aquea ſubſtantia color urinæ flavus magis intenditur, & pro majori iſtius reſolutio-

ſolutione majorem ſemper acquirit intenſionem, itaut ad nigredinem accedat, humido evaporato, & ad paucam quantitatem redacto, quo reſoluto remanet in fundo vaſis materia craſſa, nihil aliud repræſentans, niſi ſalem, & terram, & in hoc ſale deprehenditur ſumma activitas; & acrimonia, dum verò actione ignis aqueum urinæ evaporat, fœtidiſſimus exhalat odor omninò ſimilis illi, qui ſentitur in urinoſo Spiritu ab urina per deſtillationem elicito, & quem exhibet etiam ſpiritus ſalis Armoniaci deſtillatus, qui odor conſiſtit in aliqua portione ſulphuris, cum ſale alkalico, & volatili commixta. Si dictis reliquiis urinæ addatur aqua communis paulatim, & in ea proportione correſpondenti illi quantitati ſeri evaporati, ſub qua urina colorem mutabat, obſervamus aquam ſuperfuſam eiſdem coloribus omninò tingi, itaut quando additum fuerit tantum aquæ, quantum ſeri evaporatum fuit, tunc urina omninò talis apparet, ac quando excreta fuit.

Ab hoc experimento evidenter comprehendimus in urina præter ſerum, ſeu aqueam ſubſtantiam adeſſe ſalem fixum, & volatilem, cum aliqua portione ſulphuris, & terræ à quibus colorem, conſiſtentiam, & ſedimentum mutuatur, & hoc experimentum debet etiam ab Antiquis recipi, & cum Recentioribus convenire, & maximè cùm certo conſtet ex Antiquorum decretis varia excrementa corporis per urinam ſecerni, non tàm tempore ſanitatis, in quo & excrementa generantur, non ſolùm materialiter ab alimentis pravis, ſed etiam effectivè, vel à partium vitio levi, vel à fermentis earum alteratis, vel à ſanguinis fermentatione mediocritatem excedente, vel in exceſſu, vel in defectu. Placuit etiam illis, hæc excrementa varia à natura provida per urinam excerni, pro ſanguinis depuratione, quàm in morbis in quibus urinas excrementis morboſis turgidas oſtendunt, & criſes per urinam factæ perſuadent, & tot morborum curationes, quæ ſuccedunt, per paulatinam morboſæ materiæ evacuationem per urinam, cùm per Antiquos urina tam in ſanis, quàm in ægri ſit excrementis plena ſequaces in hoc habent Recentiores, qui majoris claritatis gratia, hæc excremento in ſero ſale ſulphure, & terra, ſeu tartaro tamquam ſub genere colligunt, & in hac determinatione veritati adhærent patefactæ à ſupradicta experientia, & emicanti in ratione à dicta experientia deſumpta, per quam rectè explicant varietates urinarum contingentes tam in ægris, quàm in ſanis ſecundùm colorem, conſiſtentiam, & ſedimentum.

Quo enim plùs participant de aquea ſubſtantia, & minùs de craſſa, ſunt minùs coloratæ parum conſiſtentes, & cum minimo ſedimento. Ubi verò major quantitas ſalis, & terræ cum parvo ſero conjungitur, color in urina eſt magis intenſus, cum craſſitie ſubſtantiæ, & ſedimento copioſo, & cum hoc principio explicantur omnes differentiæ urinarum, tam ſecundùm colorem, quàm ſecundùm ſubſtantiam, & ſedimentum, pro quibus rectè concipiendis videndus, citatus auctor, qui ingenioſiſſimè has omnes differentias explicat.

Deſcriptas partes, ſeu ſubſtantia ſuſcipit ſerum urinoſum à maſſa ſanguinea, & à toto, dum circulando, cùm hoc omnes partes irrigat, & perluit, particulas ſalinas ſulphureas excrementitias in illis quieſcentes abſtergendo, imbibendo, & ſecum unitas rapiendo. A maſſa ſanguinea terram abſorbet, quæ nihil aliud eſt, quàm tartarum ſanguinis, huic enim evenire puto, quod vino contingit in ſua fermentatione, per quas partes tartareas in fundo dolii deponit modo mox declarando, ſic ſanguis ab alimentis ingeſtis licèt fermentatis, & depuratis partes terreas, & tartareas virtutem fermenti depurantis, vel fugientes, vel ſpernentes ſuo ſinu colligit, & has aſſidua fermentatione tandem deponit, & ſero excrementitio pro expurgatione conſignat, & huic tartaro ſanguinis applicanda ſunt ea omnia, quæ dicuntur de Tartaro vini, & ſicut Tartari portio in vino generatur ex congreſſu alkalicarum, & acidarum particularum, quæ poſt effervescentiam in dicto congreſſu ſuſceptam ſimul coagulantur, & in Tartarum abeunt, ita in ſanguine ex congreſſu, & effervescentia particularum in ſuis viſceribus latentium, per coagulationem earumdem poſt innatam effervescentiam tartarum ſanguinis reſultat, quod ſegregatum à ſanguine, eo modo quo tartarum ſegregatur à vino, & ſeroſitati inutili commixtum, unà cum iſta per urinam excernitur, tartaro terra unitur in ſanguine exiſtens, & pars alimentorum, à quibus ſuum eſſe recognoſcit, & quæ tota cum fœcibus præcipitari renuit, ſed ſanguinis conſortium retinuit, uti etiam debitum, quia ut mixtum Elementa componentia in ſe retinere debet, & quamvis hic modus explicandi compoſitionem urinæ, & ſui Tartari videatur novus, nec Antiquis uſitatus, non deſtruit, nec eſt contrarius ſuis aſſertis ſtabilitis in declaranda urinæ generatione, imò ab eis eſt admittendus perſuadente experientia urinæ ſal ineſſe, à quo ſalſedinem ſatis manifeſtam nanciſcitur, qui magis fit conſpicuus in iſtius deſtillatione, & ſulphur manifeſtatum ab odore fœtido urinæ; ſubſtantia enim odoroſa à Chimicis ſulphur dicitur, & tartarum quod oſtendit cruſta illa, quæ fundo, & lateribus vaſis in quo conſervatur adhæret, tartaro vini correſpondens. Tartarum urinæ generari eo modo, quo generatur Tartarum vini, non video, quid abſurdi contineat, imò modus generationis Tartari multam lucem communicat ad indagandum, & explicandum modum generationis Tartari in urina, prout colligitur à ſuperiùs dictis, & in tartaro vini adeſſe unionem particularum acidarum, & alkalicarum demonſtratur, quia in tartaro vini adeſt acidum, & ſalſum, acidum guſtu percipitur, & ſi incineretur tartarum, & cum aqua fiat lixivium, facta iſtius evaporatione ſal lixivioſum manifeſtatur, & ab organo guſtus tale diſtinguitur, & percipitur: Si ergo in tartaro eſt acidum, & ſalſum, neceſſe eſt, ut iſta duo ſimul concurrant effervescendo, ut coeant in unum pro generatione tartari, cùm experientia habeamus acida, & ſalſa alkalica ſimul mixta effervescere, pari pacto diſcurrendum eſt de tartaro urinæ, & ſicut ea, quæ dicuntur de tartaro vini vera experimentis probantur, ita vera cenſenda ſunt, quæ de Tartaro urinæ dicentur.

Sedimentum conſtat ex particulis alimenti reſiduis à nutritione omnium partium, in hoc enim operæ quælibet pars invenit in materia alimentali aliquam portionem improportionatam ad ſuſcipiendas conditiones ſuæ naturæ proprias, ideòque rejicitur, & intra poroſitates dictæ partis tamquam inutilis relinquitur: verum tamen eſt, quòd unà cum materia utili partis influxus recipit, & cum hoc alterationem quamdam per quam calorem mutat, vel levitatem acquirit, vel texturam diſſimilem ab ea, quam in ſanguine recipiebat ſuſcipit. Pari pacto etiamſi materia utilis ad partes deferatur, pluſquàm conveniat pro reparando deperdito, ſuperfluum alteratum ad influxu partis intra ejus porroſitates modo dicto remanet, hæ alimenti reliquiæ, tam quæ ſunt inutiles ad nutritionem, quàm quæ ſuperſunt in ea, conſtant ferè omnes ex materia craſſa unà cum ſalina mixta; nam ſi alimentum ſit ſuperabundans ſeligunt illud, quod ſuæ naturæ eſt magis conveniens, relicto eo quod minùs convenit.

Serum unà cum ſanguine motu circulationis omnes partes irrigando dictas particulas in eis commorantes diſſolvit, & ſecum rapit, & ratione conditionis ſalinæ facillimè ſibi unit. Idcircò etiam unà cum eo in renibus ſeparantur dictæ particulæ, & per veſicam excernuntur, & quia ſero ſunt graviores poſt aliquod tempus ab urinæ excretione ſeparantur, & invicem ſibi cohærentes ſedimentum componunt, & hoc fundum vaſis petit, ſi gravitas particularum componentium ſuperet gravitatem cujuslibet partis ſeri, & in medio vaſis conſiſtat ſedimentum, ſi earum gravitas ſit minor gravitate partium ſeri fundum vaſis occupantis, in ſummitate urinæ colligitur ſedimentum, quando dictæ particulæ minorem, quam ſerum habent gravitatem, ſeu ſunt leviores ipſo ſero reſpectu majoris partis illius, & ſic pro differentia ſitus, qui in urina occupatur, ab his particulis ſedimenti, tres differentiæ iſtius reſultant, quando in ſummitate urinæ colliguntur, dicitur nubes, quando in medio hipoſtaſis, quando in fundo ſedimentum.

Materiam etiam ſedimento præbere poteſt maſſa ſanguinis dum partes ſalinas, & craſſas in ſuo motu, & fermentatione ſegregatas à reliquis partibus cum conſtituen-

ſtituentibus ſero excrementitio conſignat, & hoc modo fiunt ſedimenta in ſtatu naturali.

Probabile eſt etiam ſedimentum à materia morboſa à ſanguine ſegregata recipere ſuum eſſe, ut ſuperiùs dicebam, quod docuit Hippocrates de inter affect. quando ſcripſit urina autem ob pituitæ copiam, vel craſſitudinem vix egreditur. Quod ſiquidem depoſitam quoad reſederit parvo tempore, quo ſubſidet, craſſam velut ſatinam videbis, ac ſiquidem bilis ſuperaverit ipſum ſubfulvum videbis, ſi verò ex pituita morbus album, & craſſum erit. Ecce quomodò vult à materia morboſa ſedimenta fieri.

Hinc deducitur ratio explicans, quomodò ſedimenta in urinis ſint ſigna concoctionis febre exardeſcente, quia oſtendunt, vel materiam morboſam, & fermentativam maſſæ ſanguineæ, ab hac paulatim ſecerni, & per urinam expurgari, & talis ſecretio ſupponit concoctionem materiæ, quæ in morboſa conſtitutione conſiſtit; in ſegregatione depravati humoris, & in unione boni, & ſi continua ſit, & copioſa hujus materiæ ſedimentalis ſecretio, & excretio per urinam, morbum citò terminaturum præſagit: Vel oſtendunt partes opus nutritionis modo naturali perficere, cùm ſedimenta ſanis communia in urinis appareant, & oſtendunt optimam ſanguinis conſtitutionem, aptam partes nutrire, & ab hac ſanguinis conſtitutione concoctionem humorum pravorum arguimus, unà cum virtute, & energia expulſiva fermenti extranei, & ſecernente purum, ab impuro, & unitiva partium totum ſanguinem conſtituentium ſub figura, & textura naturali, in quibus omnibus concoctio conſiſtit.

E contra ſedimenta in urinis deficientia humorum cruditatem in febribus arguunt, oſtendendo à maſſa ſanguinea excrementa, & materiam febrilem non ſegregari, nec partes nutritionem peragere ob depravatas ſanguinis qualitates, vel ob ſuorum fermentorum alterationem, dum excrementa in ſuis porroſitatibus à ſero diluenda non relinquunt, & hæc omnia humorum, & maſſæ ſanguineæ cruditatem prædicunt.

Si terra in urina contenta conjungatur cum materia craſſa acida, quæ in renum cavitate colligatur hac cadente ſuper alkali urinæ, quo abundanter imprægnatur, ut patet ex ejus deſtillatione, in calculum induratur, quod experimento ſatis evidenti comprobat Thechenius facto in deſtillatione lapidis à veſica extracti, primò enim elicit humorem urinoſum, & in fundo vaſis remanet reliquum lapidis ſpongioſum friabile, quod acido vitrioli optimè dephlegmato irroratum, & poſteà ſuperaddito huic ſpiritu urinoſo per deſtillationem primo loco elicito, tota maſſa illa ftiabilis, & ſpongioſa ſicut priùs in lapidem durum, & minimè friabilem coagulatur, hoc experimento ad evidentiam confirmatur illud, quod mox dicebam, itaut nulla alia ſit indaganda ratio pro comprobatione talis aſſerti, cujus Hippocratem habemus Authorem in lib. 4. de morbis, ubi explicando modum quo in pueris lactantibus fit calculus, hæc ſcribit, atque ubi lac minimè putum, ſed terrenum (ecce terra requiſita ad generationem calculi) ac pituitoſum ſuxerit (ecce materia craſſa) inferiùs verò ſubjungit, pituita enim ſedimento permixta in glutinem evadit, ac primum parva lanugo accreſcit (à Petro Salio Diverſo in Com. hujus ſententiæ lanugo explicatur pro acus, & acus dicitur frumenti purgamentum leviſſimum quod ventilabris extra aream ejaculatur) deinde quod accedit arenoſum adjungitur, cum pituita, quæ de lacte in veſica remanet pro glutine, ſit & increſcit, hoc eſt augetur, & quidquid quidem humoris in conglutinatione acceſſerit per urinam redditur, hoc eſt, ut explicat cit. Diverſus quidquid humoris tenuis in agglutinatione acceſſerit emingitur, ab hac ſententia Hippocratis colligitur in generatione calculi admittere unionem ſubſtantiæ terreæ arenoſæ, cum ſubſtantia craſſa viſcida pituitoſa, quomodo verò iſtæ duæ ſubſtantiæ abeant in lapidem, ibi dicit per conglutinationem; inferiùs verò ubi explicat modum, quo fit calculus exemplo confectionis ferri ait, ipſum verò ſedimentum ſubſidet, condenſatur, ac ſolideſcit, velut ferrum, & per hæc verba ſignificat ſubſtantiam terream, & craſſam, ultra conglutinationem condenſari, & ſolidari, velut ferrum: quomodo verò fiat talis condenſatio, ſolidatio, & induratio ſimilis denſitati ſoliditati, & indurationi ferri: verè non explicat Hippocrates, ſed à præfato experimento manifeſtatur, cùm ab acido vitrioli, & ſpiritu urinoſo, ſuper affuſo maſſæ calculoſæ friabili durities, & ſoliditas huic impertiatur friabilitatem tollens. Veritatem ab hoc experimento exhibitam confirmant omnia remedia pro calculi præſervatione ab Authoribus propoſita, quæ vel acidum extinguunt, ut ſunt omnia calida, & Aromatica, vel enervant, ut demulcentia, vel imbibunt, ut Cruſtacea, Terracea, & oſſea.

In Sale Alkali urinoſo eſſe potentiam ſe coagulandi, cum acido manifeſtatur à ſequenti experimento Helmontii. Urinæ ſpiritus, qui eſt alkalicus miſceatur, cum ſpiritu vini de acido participante, & ſtatim hi duo ſpiritus in unam ſubſtantiam denſam coagulantur.

Ab his fundamentis elicitur ratio magis probabilis de modo generationis calculi, quam ſit illa Antiquorum determinantium calculum fieri à calore materiam craſſam exſiccante, & in lapidem indurante, cùm videatur maximè improbabile humorem à calore viventis in lapidem indurari, quòd certè non operaret ignis fornacis ardentis, præterquamquòd humor ſimplex ſine admixtione ſalis, & terræ non videtur poſſe in lapidem concreſcere.

Quacumque verò ſententia admiſſa neceſſe eſt ſtatuere in renum porroſitatibus dilatationem, per quam humor craſſus in eorum cavitatem introducatur; & ſimul admittere humorem craſſum tamquam materiam calculi, ſivè hanc craſſitiem habeat ab acido ſuper abundanti, vel ab alia cauſa, unde pro curatione indicatio reſultat ſupradictas porroſitates dilatatas conſtringendi, & quia calor, & renum, & partium adjacentium, huic dilatationi magis concurrit, quàm alia cauſa, niſi porroſitates dictæ ſint ex naturali conſtitutione, cum tali dilatatione conformatæ, patet refrigerantia conducere ad porroſitatum conſtrictionem, & rectè Antiquos, & Recentiores agere dum unanimi conſenſu pro præſervatione à calculo ad refrigerantia recurrunt. Naturalis etiam dilatatio à refrigerantibus modificationem quamdam poteſt recipere, cùm ſit proprium eorum condenſationem inducere, & cùm humor craſſus ab utraque ſententia admittatur unanimi conſenſu hic erit attenuandus, & abſtergendus diureticis calidis, ſeu potiùs temperatis, ne illorum calore porroſitates renum magis dilatemus.

Pro præſervatione à calculis ſequens remedium temperatum prædictis indicationibus correſpondens propono. ℞. Lapidis Judaici, Lyncis, Spongiæ, Ocul. Cancr. Succini an. ʒ. v. Sem. Milii, Solis, Lappæ majoris, Hyperici an. ʒ. I. m. & cum duabus partibus Therebentinæ, & una ex ſuccis Veronicæ, & hederæ terreſtris fiat maſſa de qua ʒ. iii. ſumantur per vigintiquinque dies in Vere, & Autumno ſuperbibendo aquam Veronicæ, & præmiſſa leni purgatione. Vinum etiam in quo ſilices candentes extincti fuerint à calculo præſervare poteſt, ſicut etiam decoctum, vel ſuccus Veronicæ per menſem omni Vere epotus, ſed pulvis Artemiſiæ collectæ modo ſuperiùs explicato, & per novem dies cum vino bibitus præſervat à calculo; Doſis eſt ℈. I. ad ʒ. ii. & dictis remediis utraque ſententia ſtabilita eſt utendum, pro præſervatione à calculo, licèt diverſa ratio aſſignetur pro explicando modo, quo dicta remedia præſervationis effectum operentur, pro manifeſtanda, & explicanda actione, qua cauſam calculi arcent, & profligant; nam Antiqui aſſerunt, id fieri quia prædicta remedia humorum craſſum attenuant, & fluxibilem reddunt, quapropter non detinetur in ſubſtantia renum, ſed unà cum partibus fluidis urinæ curſum ad veſicam continuat, & cum ea excernitur, & non detento humore in renibus, nec poteſt incraſſari, nec in lapidem coagulari, huic rationi addunt aliam deſumptam à qualitate occulta, per quam docent præſervationem à calculo obtineri. Recentiores verò aſſerunt dicta medicamenta acidum humoris abſorbendo, vel corrigendo craſſitiem ab hoc illatam auferre, & tenuitatem etiam conferre, ratione Salis alkalici quo ditantur, & in quo virtus diſſolutiva valdè efficax viget, lectori relinquo ponde-

ponderationem harum rationum, & libertatem eligendi illam, quæ rectè rationi magis correſpondet, & intellectum majori energia convincit. Utraque etiam ſententia in hoc concurrit, quòd conſtrictis porroſitatibus tenuum intra eas humor craſſus non admittatur, & ſic à calculo præſervatio habetur, unde etiam unanimi conſenſu in uſum aquarum mineralium refrigerantium conveniunt.

Salis copia in ſedimento urinæ redundans modificationem non recipiens à ſubſtantia aquea, ſed hanc cum exceſſu acrem, & corrodentem reddens, urinæ ardorem, & ſtranguriam efficit, quas affectiones à materia acri, & ſalſa corrodente oriri unanimi conſenſu ab omnibus ſectis ſtabilitum eſt. Cum hac ſolùm differentia, quòd in ſtranguria guttatim cum dolore urina redditur, quia à qualibet minima quantitate hujus nimis acris, moleſta vexatione cruciata veſica, ut moleſtiam excutiat, urinæ expulſioni innititur, & quia guttatim in ea recipitur, cum moleſtia guttatim etiam expellitur, & ſtante hac moleſtia, continuum meiendi deſiderium adeſt, cum interrupta, & guttatim facta expulſione urinæ. In ardore verò hujus adeſt quidem dolor, ſed cum continuato urinæ exitu, & dolor adeſt, quia ſua acrimonia partes membranoſas, & muſculoſas veſicæ ſalinis particulis immoderatè vellicat, cum triſti ſenſatione, disjuncta ab illa vehementia, quæ cogat ad ſphyncteris contractionem, & aperitionem, unde urina detinetur, licèt cum pruritu, in exitu verò dolorem, & ardorem infert.

Tolluntur hæ doloroſæ affectiones, acrimoniam ſalis urinoſi emendando, atque cauſam generantem, quæ vel eſt bilis ſola, vel ſuccus pancreaticus, vel lympha cum bile, prout docuimus capite de ſucco pancreatico, corrigendo cum remediis ibidem propoſitis, quibus poſſunt addi Terebentina, & ejus ſpiritus, vel ad formam Julapi redacta, cum decoctione Alchekengi, ſem. Papav. Mal. Sebeſten. Jujubarum, & pulvere ſuperiùs deſcripto de Diabete.

Nec obſtat Antiquos, hanc cauſam mordacitatis urinæ refundere in intemperiem calidam, de qua mentionem non faciunt Recentiores; nam citato capite demonſtravimus quomodo ſalſedo à calore dependeat, nulla amiſſa varietate inter Recentiorum, & Antiquorum dogmata; Præterquamquòd, admittendo à ſale lixiviali ſanguinis, urinæ mordacitatem impertiri, ſtabilitur in ſanguine intemperies calida; nam talis ſalis proventus non habetur, niſi ab excedenti effervefcentia ſanguinis, quæ excedentem involvit calorem adjuvantem aduſtionem particularum ſanguinis in magna copia, à qua aduſtione ſal lixiviale in magna copia etiam elicitur, quod ſi ab acido acrimonia urinæ proveniat, calor in hoc partem habere poteſt dum acidum exaltando, & humidum hoc attemperans reſolvendo acriorem reddit aciditatem majorique activitate, & vi munit.

Ulcera, & renum, & veſicæ, ab hoc acri ſale urinæ excavantur, & in modo agendi hujus acris concurrunt, & præſentis, & præteritorum ſæculorum ſcriptores, ſicuti etiam in modo curandi; à Recentioribus verò commendantur herbæ vulnerariæ dictæ, & etiam balſamica omnia ab Antiquis pariter cognita, ut ſunt Terebentina, Oppobalſamus, thus, maſtix, & Myrrha, & inter compoſita balſamum ſulphuris, Terebentinatum, & ſuccinatum, & ſpiritus vini camphoratus, & in hoc caſu mihi placeret decoctionem longam parare herbis vulnerariis, & addere ſpiritum vini camphoratum, & de hac bibere pluries in diem; ab hujuſmodi enim remedii continuatione, & frequenti aſſumptione ſperanda eſt aliqua utilitas.

Hùc refertur veſicæ ſcabies, in qua ſedimenta furfuracea apparent, cum graveolentia urinæ, cujus cauſam humores acres huic mixtos communiter refertur, qui veſicam corrodendo ejus membranam abradunt, unde ſedimenta conditionis ſupradictæ, quæ ſententia videtur maximè improbabilis; nam citiſſimè hac abraſione conceſſa veſica tota ex tenuiſſima membrana conſtans, perfoderetur, & corroderetur accellerato interitu, & tamen experientia oſtendit, diù ægro in hoc morbo perſeverare, unde mihi videtur magis conſonum ſtabilire urinam dictis ſalibus ad ſatietatem ſaturatam ſua mora in cavitate veſicæ hujus fermentum, vel temperamentum ad acre, & ſalſum immutare, ut alimentum ſuppeditatum adurat, & velut in cineres reducat, cum pauca illius appoſitione, unde quod inhabile eſt redditum pro appoſitione, in ejus cavitatem præcipitatur cum ſedimenti furfuracei forma.

Cura verò eodem modo eſt perficienda, quo dirigitur illa ardoris, & ſtranguriæ, & ulceris veſicæ, cùm ſcabies hujus ſint ulceris primordia, & hoc modo etiam curata fuit Antiquorum conſilio.

Si cùm ſale urinoſo conjungatur materia craſſa, & viſcoſa fit Iſchuria, ſeu urinæ ſuppreſſio obſtructo à craſſitie materiæ Orificio colli veſicæ exitum illi denegante. Unde purgata priùs copia prædictæ materiæ incidentibus diureticis inſiſtendum pro reſeratione occluſæ viæ, medicamentis ſuperiùs de impedita urinæ excretione per renes recenſitis, & hoc nullam patitur difficultatem.

Quòdſi contigerit hanc materiam craſſam in venis aciditatem contraxiſſe, cum arenæ, vel Tartari mixtione, & huic uniri ſal alkale urinoſum, coagulatur in lapidem in veſicæ cavitate, pro quo nec præterita, nec præſens ætas aliud cognoſcit remedium, quam Chyrurgica operatio, cùm utraque ætas defraudata fuerit beneficio illorum remediorum, quæ ab aliquibus pro minutione lapidis decantantur, & ſine commiſeratione humanæ miſeriæ occultata fuerunt.

CAPUT X.

De Succo nervoſo.

ANatomicæ diviſioni, & ſeparationi humorum à Naturæ artificio peractæ ſubjacet etiam ſpiritus animalis, quem à ſucco quodam nerveo dicto colligari volunt Recentiores. Putant enim à ſanguine in ſubſtantia corticali cerebri ſeroſitatem craſſiuſculam ſpiritu turgidam; quam ad ignem concreſcere dicunt deponi, quæ recepta à glandulis ejuſdem ſubſtantiæ corticalis intra ſuas porroſitates, à Natura excavatas ibi præparatur, & exaltatur in ſubtiliſſimam, tenuiſſimam, ac ſpiritoſiſſimam ſubſtantiam virtute fermenti implantati à ſagaci Natura in dictis glandulis. Hac ſeroſitatis præparatione peracta, beneficio preſſionis membranarum cerebri conſtringentis totam hujus ſubſtantiam expellitur à glandulis corticalis ſubſtantiæ, in medullares porroſitates, & per has deſcendendo majorem volatilitatem, & ſpiritualitatem adipiſcitur, & hac via ad nervorum principium tendit, ubi horum ſubſtantiam ingreditur, & tam fibras medullares iſtorum, quàm nerveas membranæ eos circumveſtientis penetrando irrigat, itaut ab hoc humore ſpiritoſo turgidi, & tenſi fiant nervi.

Hujus Liquoris finem à natura intentum ajunt eſſe, primò unire ſpiritus animales, & aliquo modo ad invicem colligare; nam hac unione, & vinculo deficiente, nimis prompta ſpiritibus animalibus ſubtiliſſimis, & volatilibus ad exitum è corpore pateret via, cum detrimento irreparabili totius animalis. Secundò ut ſervetur unio, & continuitas inter eos adeò neceſſaria, ad hoc ut motus nervis, & ſpiritibus impreſſi, non tam àb Anima, quàm ab objectis externis, ſine diſcontinuatione poſſint per eos propagari, data enim aliqua intercapedine (quæ neceſſariò deberet admitti conceſſis ſpiritibus ſine humore) non ſuccederet motus propagatio, quia in intercapedine ceſſaret. Tertiò ut partes nutriantur, & rationes pro determinanda, ac ſtatuenda hujus neceſſitate in nutritione afferentur, ubi de nutritione partium.

Fluit hic liquor nervoſus per nervorum tubas, non ad modum torrentis, ut ſanguis in arteriis, ſed leni, & inſenſibili motu per dictas fibras deſcendit, eo modo, quo per arborum fibras nutritivus humor à radicibus ſubminiſtratus movetur, & tali motu, quo arborum folia à coſtula intermedia ſuum recipiunt alimentum, qui motus in duobus hiſce ſubjectis eſt certus, & tamen eſt inſenſibilis. Hinc eſt, quod ligati nervi non intumeſcunt, cùm motus ſuus à ligatura non impediatur, & ſicuti ſi coſtula foliorum vinculo intercipiatur, tumore non turgeſcit, quamvis humor nutritivus

vus totius foliæ per illam illabatur, ita per nervorum ligaturam non obſervatur intumeſcentia, quamvis ſucco nerveo madefiant, eadem ratione ſecti nervi humorem non profundunt, eo modo, quo nec fibræ arborum præciſæ non dant humorem, licèt per eas ſine dubio ad Plantæ alimoniam excurrat.

Præcipuus verò uſus hujus liquoris, & ſpiritus animalis à nemine controverſus, nec in dubium revocatus eſt motus, tàm ſpontaneus, quàm involuntarius, certum enim eſt hos motus perfici per nervos, eo quod ipſis reſectis, aut ſtrictè ligatis ceſſet quicumque motus muſculorum recipientium motivam facultatem à nervis ſpiritoſo ſucco, ſeù ſpiritu animali turgidis: non poſſunt verò nervi contribuere talem facultatem muſculis, niſi moveantur ſpiritus in eis contenti, unde eſt neceſſariò admittenda aliqua virtus impulſiva à cerebro emanans, quæ pro executione motus volontarii, cujus principium eſt in cerebro, impellat ſpiritus contentos in determinato nervo, coniuncto cum parte voluntariè movenda, & quod dicitur de motu ſpontaneo, aſſerendum etiam eſt de motu non ſpontaneo, cujus principium in cerebro reſidet: Ab hac certiſſima expoſitione motus volontarii, & involuntarii colligitur, ſuccum nervoſum, & ſpiritum animalem à cerebro deorſum verſus partem movendam impelli; in ſenſu verò contrarium accidit prædicto ſucco, & ſpiritui, nam ut de facultate ſenſitiva videbimus, fit ſenſus, ex eo quod nervi inſervientes pro organo ſenſuum externorum ab objectis externis moventur, & in hoc motu ſuccus nerveus, & nervi undulationes quaſdam concipiunt, quæ una poſt aliam citiſſimè, & in momento ab earum extremitatibus, ſurſum ad principium nervorum in cerebro, & ſedem ſenſus communis perveniunt, quæ recipiendo determinatam impreſſionem motus juxta modificationem dictarum undulationum, ſenſus communis naturam externi moventis, unà cum omnibus ſuis proprietatibus dependenter à dicta impræſſione motus percipit. Idcircò ab hac certiſſima dilucidatione modi, quo ſenſus peraguntur, alterum colligitur, nempè quòd dictus ſuccus, vel ſpiritus in ſenſu movetur ab extremitate nervi ſurſum, verſus ſuum principium, per quod concludendum in hoc ſucco, & ſpiritu duos motus reperiri, unum in motu à principio hujus, qui in cerebro exiſtit, verſus extremitates nervorum partibus implantatas deorſum; alterum in ſenſu ab extremitate Nervorum verſus principium ſenſus in Cerebro pariter exiſtens.

Pro explicando modo, quo ſuccedit hic motus, animadvertit ingenioſiſſimus Borellus in lib. de mot. animal. fibras medullares nervi, neque eſſe omninò ſolidas plenas, & impermeabiles, neque eſſe tubulos cavos, & inanes, ſimiles cavis arundinum, ſed eſſe canales repletos ſubſtantia quadam ſpongioſa ſimili medullæ ſambuci, & talem fibrarum, medullam ſpongioſam facilè à ſucco ſpiritoſo cerebri, cui annectitur continua irrigatione madefieri, & ſaturari uſque ad turgeſcentiam; ſicuti videmus ſpongias, & filtra ab aquæ continuo fluxu ſaturari, quæ omnia explicant illam motus tarditatem, & lenitatem dicti ſucci per nervos, quam ſuperiùs deſcribebamus, poſteà obſervat idem auctor, quod inteſtinum ovillum perindè turgidum redderetur, ſi ſola aqua repleretur, ac ſi ejus cavitas contineret æquè amplum funiculum ſpongioſum, & hoc ab aqua imprægnaretur, utroque enim modo turgeſceret inteſtinum; & à qualibet leni compreſſione, aut ictu illato in una inteſtini turgidi extremitate, momento concuſſio communicaretur alteri extremitati: Unde arguit eodem modo fibrarum nervearum tubulos habentes medullam ſpongioſam ſaturari poſſe uſque ad turgeſcentiam à ſucco ſpiritoſo, humido; & fluxibili cerebri; & tunc ſi una ejus extremitas comprimatur, impellatur, percutiatur, aut vellicetur, ſubitò commotionem concuſſionem, aut undulationem uſque ad alterum extremum pervenire, eò quod prima pars mota, partes contiguas communicatione motus urgendo continuata ſerie per partem, poſt partem, motus ad ultimam extremitatem medullæ ſpongioſæ nervi producitur.

Ex his percipitur, quomodo ad imperium voluntatis mota parva portio ſpiritus verſus aliquem nervum motui alicujus partis deſtinatum ab illius impulſu moveantur fibræ ſpongioſæ ſucco nervoſo turgidæ, orificium dicti nervi conſtituentes, & per iterratas undulationes in momento temporis motio Orificio nervi impreſſa communicatur ejuſdem extremitatibus, in muſculis movendæ partis implantatis, quorum fibræ, vel contractæ à tali motu movent partem, vel expulſa à prædicto motu aliqua guttula ſpiritoſi ſucci à dictis extremitatibus nerveis intra muſculi fibras carnoſas, & unita arterioſo ſanguini, vel ſpiritui muſculoſas fibras illuſtranti ab horum unione fit ebullitio, & diſploſio, qua muſculus contrahitur, & tenditur cum motione partis.

De hoc ſucco Antiqui nullam mentionem fecerunt, quia tamen ſpiritum animalem admiſerunt in cerebro præparatum, & totum nervoſum genus irradiantem; ideò Recentiores cum ſucco nervoſo nihil novi in Medicinam introduxerunt, quod poſſit iſtius præcepta, & dogmata ab Antiquis etiam tradita, circa curationem morborum à ſpiritu animali vitiato pendentem evertere; Nam hic ſuccus ponitur tamquam vehiculum ſpiritus animalis pro motu, & ſenſu.

Motus contrarios in ſpiritu animali nempè in ſenſu ab extremitate nervorum ad ſuum principium ſurſum, & in motu à principio hujus ad extremitatem nervi deorſum admiſerunt etiam Antiqui cum Ariſtotele in lib. de ſenſu, & ſenſibili, & in lib. 2. de Anima, ut magis patebit de facultate ſenſitiva, & loco motiva, ubi etiam agemus de morbis à vitiato ſucco nervoſo, vel ſpiritu animali pendentibus.

CAPUT XI.

De aliis particulis maſſæ ſanguineæ.

Huc uſque ennumeratas ſanguinis partes à Natura ingenioſiſſimo artificio ſeparatas tales agnoſcere debemus, cum conſtet has in ſanguine priùs extitiſſe, & ab eo diſgregatas fuiſſe, & in hac obſervatione fundavit Hippocrates ſuum aſſertum de quaternario humorum numero, & probavit deſumpto Argumento à ſuper purgatione, in qua ait primò exire bilem, quæ eſt illa contenta in Cyſti fellis. Secundò mucoſitatem, ſeù pituitam; quæ eſt ſaliva in ventriculo, & inteſtinis collecta, & incraſſata. Tertiò melancholiam ſub forma humoris nigri, & craſſi, & qui poteſt dici eſſe fœcem ſucci pancreatici, & bilis reſiduam poſt effervescentiam ex congreſſu eorumdem excitatam, quæ fæx in colorem nigrum ad viridem tendentem ex tali mixtione degenerat. Ultimo loco ait exire ſanguinem, ex quo patet bilem, pituitam, & melancholiam ſupradictam, quæ ab Auctoribus tamquam excrementitiæ nominantur ab Hippocrate tamquam humores neceſſarios ad animalis conſervationem exiſtimari; cùm ab his quaternarium numerum humorum compleri cenſeat; Quapropter Recentiores Hippocratem ſecuti horum humorum dignitatem jam collapſam erexerunt, eorumque utilitates patefecerunt.

Reliquum eſt modò, ut perſcrutemur, an in parte illa rubra, quæ remanet ab horum ſegregatione, adſint alii humores, qui dicantur Alimentales, ad diferentiam ſupradictorum, quos propria conditio, & natura à Nutritionis officio excludit.

Tentatum fuit ſanguinis ſupradicti partes mechanico artificio diviſas indagare, obſervando in ſui coagulatione in vaſe, paulò poſtquam à vena eſt extractus, ſerum apparere à reliquis partibus diviſum, cujus ſubſtantia leni calore in Gelatinam adinſtar albuminis ovi concreſcit, tota verò maſſa rubicunda in aqua immerſa, & parùm agitata Ichorem rubri coloris in aquam deponit, remanente fibroſa parte tenuiſſimis filamentis ad retis formam contexta, cujus intercapedines à ſupradicto Ichore replentur, & quando Gelatina craſſa, tamquam cuticula ſanguinis ſuperficiem occupat, obſervatum eſt, has fibras huic uniri. Ab hac obſervatione perſuaſi fuerunt aliqui, maſſam ſanguinis rubram tribus partibus conſtare ſeroſa, alba, fibroſa, & rubro Ichore. Alii addiderunt partes alias microſcopio detectas tenues continuo motu agitatas, & rubro colore præditas, quas in chryſtallino, & limpido humore natare, & liberè hùc, illùc moveri obſervarunt; in his ſphæricam figuram microſcopio detexerunt, cum qua gravitatem uniunt majorem

majorem gravitate fluidi ſeroſi, per quam ſubtus hoc decidunt in fundo vaſis, ubi mutua compreſſione ad invicem ſe impellentes atro purpureum colorem repræſentant. In eodem ſanguinis liquore obſervatum eſt etiam ope microſcopii alia minutiora corpuſcula innatare figuræ quadrilateræ, quæ ſalis particulæ eſſe dicuntur. Halitus etiam ſalſus, & acris è recenti extracto ſanguine expirans palatum, linguam, & Nares feriens videtur demonſtrare aliam partem maſſam ſanguinis conſtituentem, ſal nimirum volatile.

Conceſsa hac partium diviſione in tota maſſa ſanguinis, ut debita ſapientiſſimis, & ſtudioſiſſimis viris fides ſervetur, noſtro fini intento nihil conducit, quamvis accurata, & ſincera credatur, cùm non habeamus diſtinctam notitiam Naturæ, & proprietatis iſtarum partium, & præcipuè illarum ſphericæ figuræ, & quadrilateræ ex eo quod, quæ dicuntur de iſtis, nitantur indiciis, & coniecturis, nec levem proprietatem probabilem manifeſtantibus, ergo licitum eſt hac diviſione relicta, non contempta, alio modo medicinæ fini magis accomodato, partes Maſsæ ſanguineæ rubras indagare.

A paſſionibus, & ab effectibus ſanguinis, ſeù ſubſtantiæ hujus rubræ medium exhibetur ad indaganda principia, ſeù partes, à quibus tota illa Maſsa contexitur. Obſervamus enim primò ſanguinem in ventriculis cordis, vel pulmonibus accendi, & ab hoc demonſtratur ſanguini, ſeù ſubſtantiæ iſtius rubræ ineſse partem ſulphuream accenſibilem, & inflammabilem ſpiritu, & calidis particulis plenam.

Secundò obſervamus, & certi ſumus ſanguinem in arteriis eſse tenuiſſimum, & rubicundiſſimum, ab his verò in venas derivatus craſseſcere, & atro purpureo colore tingi, & ab hoc indicatur ſanguini inexiſtere partem aliquam, cujus ope craſſitiem in pulmonibus vel ventriculis cordis attenuatam, & rarefactam ſibi reparat, & eſt forſan illa ſubſtantia fibroſa ſuprà memorata, & ſi Hippocrati credimus, pro certo eſt hæc habenda pro ea parte, quæ ſanguini craſſitiem, & coagulationem, unà cum acido tribuit lib. de carnib. num. 9. ubi ſcribit, donec ſanguis calidus fuerit, liquidus eſt, poſtquam autem refrigeratus fuerit, ſi quis ipſum conquaſset, & fibras eximat, non congelatur, fibræ enim frigidæ, & glutinoſæ ſunt, & ab hac Hippocratis ſententia deducitur etiam ratio explicans cauſam deficientis coagulationis in ſanguine extracto, ut multoties in febribus malignis obſervatur, & eſt, quia ab aliquo humore corroſivo in minimas particulas iſtæ fibræ dividuntur, & fluxibiles cum aliis particulis fluidis ſanguinis evadunt. Aliquando verò ab excedenti humido iſtæ fibræ ita emolliuntur, ut à ſolo motu circulationis lacerentur, & in minutiſſimas particulas dividantur; Ideò ſanguinem è corporibus ſeroſitate ſcatentibus extractum non coagulari obſervamus.

Tertiò obſervamus ſerum ſponte à maſsa ſanguinis coagulata diſcedens, & cujus vera eſt pars, alimentum membris præbens, & præcipuè illis quæ ſimilaria dicuntur, & albo colore tinguntur, & hujus indicium habemus, ex eo quòd ſerum à ſanguine ſeparatum ope caloris in gelatinam, albumini ovi cocti ſimilem concreſcit, & ita in ſubſtantia ſanguinis rubra tres partes diſtinguimus, ſpiritoſam, calidam, & accenſibilem, craſsam, & aqueam, quos humores non dico, quia quilibet humor eſt ens completum, iſtæ partes ſunt entia incompleta, quia determinatæ ad conſtitutionem ſanguinis, & harum miſcella unum totum exhibet, quod ſanguinem appellamus, juxta aliquorum ex Antiquis ſententiam, negantium dari ſanguinem quatenus eſt quartus humor, & admittentium ſanguinem eſſe ſolum agregatum dictorum trium humorum, quod ſi quis diſceptationis avidus vellit partem accenſibilem, & calidam eſſe bilem naturalem, craſſam eſſe melancholiam, & aqueam eſſe pituitam, quia in qualitatibus conveniunt ei libenter concedam ad dirimendam contentionem nullius momenti.

Salſum aliquod in hac maſſa ſanguinea admittimus, prout dictum fuit capite de ſucco pancreatico, ſed an hoc ſit dicenda pars iſtius valdè ambigo, cùm originem non trahat ab eodem principio: Salſum enim iſtud in duodenno generatur, & ſanguis in corde, nec materiam generationis eamdem cum ſanguine ſortitum eſt; nam hic à Chylo, illud à ſucco Pancreatico, & bile, vel à lympha acida, & partibus alkalicis ſanguinis in venis materiam pro ſui generatione ſuſcipit, ex quibus credibile redditur ſanguini ineſſe non tamquam partem, ſed tamquam quid adiunctum, ſed neceſſarium pro fluiditate in eo conſervanda, ut citato loco dixi, reperiri etiam in hac maſſa ſanguinis ſalia quædam ei propria, & ab alimentis ſuſcepta, ſed ad ſanguinis texturam efformata non dubito, & deſtillatio ſanguinis comprobat.

In hoc complexu humorum maſſam ſanguinis conſtituentium tria præcipuè ſunt conſideranda ad illius perfectionem concurrentia, qualitas, quantitas, motus.

Inter qualitates præcipuum locum tenent illæ, quæ primæ dicuntur, & iſtarum duæ tantummodò conſiderandæ veniunt, nempè caliditas, & humiditas. Frigiditas enim, & ſiccitas in humoribus corporis viventis ſolùm reſpectivè inſunt: ſanguinis enim maſsa in animali vivente calore ſemper perfunditur, cœteras qualitates excedente; in quocumque enim ſtatu etiam morti proximò mittatur ſanguis, vel ſponte exeat, caliditas in eo ſenſibilis redditur, ſicut humiditas, non verò frigiditas, & ſiccitas, & ſi dicimus maſsam ſanguinis eſse frigidam, & ſiccam loquimur ſemper, cum reſpectu ad majorem caliditatem, & humiditatem, ex naturæ inſtituto, ei competentem, à quibus quando declinat dicimus reſpectivè ad iſtas frigiditatem, & ſiccitatem contraxiſse.

Caliditas in hac maſsa debet eſse temperata per admixtionem humidi: talis enim temperies eſt propria naturæ humanæ, quæ cùm ſit perfectior illa cœterorum animalium æquum etiam fuit, ut perfectiori donaretur temperamento, quale eſt calidum, & humidum, eò quia in hoc radicantur vitæ primordia, & principia iſtius conſervationi adæquata, & eſt tamquam medium inter cœtera temperamenta.

Calorem tribuit maſsæ ſanguineæ illa pars ſulphurea, & ſpiritoſa principium ſuæ accenſionis in corde, vel in pulmonibus, humiditatem verò ſerum, quo tota maſſa diluitur, & fit fluxibilis fluxibilitate actuali, & aquea, & etiam diviſio ſuarum partium componentium in minimas particulas ad invicem diſiunctas, in quo conſiſtit ratio eſsentialis fluidi.

Unde ſi à maſsa ſanguinea in tali portione ope caloris cordis, & propriæ fermentationis extrahantur particulæ ſulphureæ ſpiritoſæ, & calidæ, & hæ mixtæ cum proportionata quantitate humidæ ſeroſitatis in vaporem redactæ attemperantur, ut efficiatur calor mitis, & ſuavis, per quem maſsam ſanguinis temperamento calido, & humido gaudere dicimus.

Talis temperamenti conditio in ſanguine exiſtentis toti communicatur, hujus enim temperamentum univerſale illud totius maſsæ ſanguineæ ſequitur, diffuſis in circulatione per totum æquali communicatione ſuis qualitatibus, cum expanſione ſubſtantiæ ſpiritoſæ attemperatæ ab humido vaporoſo, & hoc modo temperamenti ſimilitudinem toti imprimit, ut inferiùs magis patebit.

Hæc temperies ad ſtatum præternaturalem tranſit, ſi æqualis ſit exceſsus præternaturalis calidi, & humidi, quod contingit præcipuè in febribus ſynochis, & aliis, in quibus calor humidus, & mitis ſentitur cum elevatione, & undulatione pulſus, & quandoque tale febres in malignas tranſeunt, humido acuto præparante viam diſsolutioni ſanguinis; Ab humido enim ſuperfluo redditur ejus conſtitutio nimis laxa, & à calido excedente laxitas ad ſolutionem ducitur.

Sine febrili effervefcentia poteſt augeri hæc temperies, & tunc fluxionibus, & deſtillationibus ortus paratur, dum aucta à calore fermentatione ſegregatur copia humidi, & ſeri, quæ decumbendo in aliquam partem, ibi pro conditione hujus varios excitat morbos.

Ex quibus deducitur hujus intemperiei curam pendere à remiſſione caloris, & à diminutione humidi, & ne refrigerantibus humidis augeamus potiùs humidum, ea ſunt ſceligenda, quæ urinam movent, vel miſcenda diuretica caloris expertia, ut dum iſta ad vias urinæ naturali inclinatione tendunt, humidum ſuperfluum

ſocium

ſocium ſibi faciant in eadem via, in quo genere erunt ſal prunellæ, ſpiritus vitrioli, & ſalis, & oculi Cancrorum.

Eiſdem particulis ſulphureis, & calidis in exceſſu à ſanguine ſolutis cum tali proportione, ut non poſſint ab humido ſeroſo in maſſam ſanguinis exiſtente moderari modo ſupradicto, redditur magis ſenſibilis calor dictæ maſſæ, cum acrimonia, & conſtituit temperiem illius cum exceſſu caliditatis, & ſiccitatis reſpectivè, quia deeſt illa copia humidi neceſſaria ad modificationem particularum calidarum, non adeſt vera ſiccitas, quæ importat ablationem fluxibilitatis, quia hæc conſervatur in dicta maſſa, cum exceſſu caliditatis, & diminutione humiditatis, & talis temperies dicitur ab Antiquis biliosa, excedente ſuper alias partes humore illo ſulphureo accenſibili de natura bilis participante.

Ab hac conſtitutione maſſæ ſanguineæ emanat temperamentum totius calidum, & ſiccum, & proveniunt diſpoſitiones, & cauſæ antecedentes à Scholis dictæ morborum à calore ſanguinis pendentium, & qui communiter referuntur ad bilem.

Limites à Natura præfixos pro caloris naturalis conſtitutione, ſi exceſſerit pars iſta ſulphurea, multitudine ſuarum particularum nullam moderationem accipiens ab humido, accendit, calorem præter naturam, & febrilem, pro varietate exceſſus, & moderatoris humidi majoris, vel minoris, varias febrium differentias conſtituentem, & etiam illas partium intemperies morboſas per exceſſum caliditatis, quas inducit ſanguis non ſimplici ſua qualitate calida, ſed imprimendo in parte affecta ſubſtantiales ſuos effluxus ſulphureos, & calidos, quos pars retinendo, & ſuo innato calori adiungendo intenſionem caloris concipit, operationes proprias lædentem, ex quo colligitur non dari intemperies morboſas, niſi cum materia, prout aliqui ex Antiquis cenſuerunt.

Cura in hoc caſu conſiſtit in refrigerantibus maſſam ſanguinis, & partem particularem, quibus particulæ calidæ excedentes reprimuntur eis concentratis, vel extinctis, vel intermediatione particularum medicamentorum refrigerantium cum particulis calidis ſanguinis, harum activitas minoratur, & ad naturalem ſtatum reducitur. Mirificè autem conducunt huic indiſpoſitioni acida omnia dulcificata, aquæ acidulæ naturales, & artificiales paratæ ex ſpiritu vitrioli Martis, idem præſtant etiam aquæ, quæ de bolo participant, ut aqua Noceræ, vel de Minera ferri, ut aqua Villæ ſerum Caprinum, Balneum aquæ dulcis.

A particulis ſulphureis, & calidis in minori copia à maſſa ſanguinis ſuſcitatis, quàm in temperie calida, & humida ſupradicta conſurgit iſtius temperies frigida reſpectivè, quia minùs caloris adeſt in hac, quàm in aliis, & ſi humiditas æquali menſura calido minorato proportionetur, vel excedat, quod ſæpiùs contingit, debilitata caloris activitate à copia humidi temperiem facit frigidam, & humidam propriam temperamenti, vulgò dicti pituitoſi, in quo calor eſt diminutus, vel abſolutè, vel per exceſſum humiditatis, & ab hac conſtitutione ſanguinis derivatur temperies totius frigida, humida, ſeu pituitoſa, modo ſupradicto. Emanant etiam omnes diſpoſitiones, & ſemina morborum frigidorum, & intemperies morboſæ frigidæ partium deficiente calore neceſſario pro recta, & perfecta executione operationum illis convenientium, quapropter in læſas, & depravatas operationes erumpunt; ex defectu enim calidarum particularum in ſanguine calor nativus partium præcipuum operativum ſuarum functionum, non reparatur, nec manutenetur ab eiſdem particulis in eo motu neceſſariò ad agendum in materiam ſubminiſtratam, cum tali activitate, & modificatione requiſita ad reparationem, & nutritionem dictarum partium, quibus præſidet. Hinc ſemper majorem calor experitur depravationem, & excrementorum multitudinem pars colligit, ſuam conditionem deteriorem reddentem, & majoris morbi fundamenta jacentem. Hic rogo lectorem, ut perpendat, an hæ intemperies poſſint dici cum exceſſu materiæ poſitivè frigidæ, nam ſanguis totus calidus hac caret, vel potiùs per defectum materiæ calidæ, per quem pars frigida reſpectivè dicitur.

Curatio hujus indiſpoſitionis ſanguinis factæ à defectu calidi perficitur, cum eis, quæ huic calidas particulas addant, ut poſſit debitam particularum calidarum quantitatem partibus affectis ſubminiſtrare pro reparatione caloris naturaliter ſibi debiti, & morboſæ affectionis contractæ curatione.

Si humidum craſſum calori coniunctum exceſſerit craſſitie opprimendo calorem, oritur cacochymia pituitoſa, melancholica cum viſcerum obſtructionibus.

Pro hujus affectus explicatione, ſciendum in hac ſanguinis conſtitutione frigida, ſeù minùs calida paucas particulas aduſtionem pati, quia accenſio ſanguinis, & efferveſcentia eſt debilis, unde bilis in quantitate diminuta colligitur, & fibræ ſanguinis non comminuuntur, nec ad fluxibilitatem reducuntur ſimilem aqueæ ſubſtantiæ ob dictam efferveſcentiam, & accenſionem debilem, quod eſt idem, ac humorem melancholicum, pituitoſum, & acidum exaltari cum bilis diminutione, maſſam ſanguineam condenſantem, & impedientem totalem excrementorum ſeparationem, quæ paulatim in ſuo ſinu collecta, eam totam coinquinant, & imputam reddunt, inhabilemque conſtituunt ad nutriendas optimo alimento partes, & ad Chylum rectè diſponendum, & ad ſpiritus puros, & lucidos generandos.

Hinc eſt, quòd hæc mala ſanguinis conſtitutio in totius damnum redundat, & præcipuè partium naturalium alimenta præparantium, non ſubminiſtrante ſanguine glandulis ſalivalibus, & ventriculo, pro elaboratione fermenti acidi, & ſalivæ, adeò ventriculo neceſſarii ad alimentorum fermentationem materiam iſtis proportionatam, quamvis acidam, quia acidum in hac contentum eſt fixum, & fermentum ventriculi, & ſalivæ acidum volatile exigunt, ideòque cum tali fixatione acidi, dicta fermentatio alimentorum malè perficitur, & hac malè peracta cruditatum, & excrementorum cumulus colligitur, cujus correctio exequi non poteſt in inteſtino duodenno, ubi fit ſeparatio excrementorum, & fœcum à Chyloſa maſſa à ventriculo deſcendente, ob defectum bilis, hac enim deficiente, vel diminuta, non attenuatur maſſa Chyloſa, non ſeparantur excrementa, ſed portio Chyli venas ingreditur ad augendum inquinamentum ſanguinis, & hoc pacto damnum iſtarum partium à ſanguine illatum in majorem ſui calamitatem reflectitur, in quam conſpirant fermenta aliarum partium, & præcipuè lienis, eodem modo à ſanguinis impuritate depravatum, relinquens maſſam ſanguinis ſine volatilizatione, attenuatione, & excrementorum ſuis in locis ſecernendorum diſgregatione, per quæ natura lienem ſpecifico illuſtravit fermento.

Acidum ſolùm in hac partium, & ſanguinis indiſpoſitione vires acquirit, ſed contrà naturæ finem, quia ſpiritus, & fermentum falſam fluiditatem ſanguini impertiens, & quæ natura determinavit tenuia, volatilia, & defœcata condenſat, fixat, & coinquinat. Hoc modo ſanguis alteratus per multitudinem excrementorum, & condenſationem, lentè circulando, per vaſa in iſtis etiam mediocris capacitatis relinquit partem dictorum excrementorum craſſam, à qua tranſitus ſanguini impeditur, & hoc modo contingit obſtructio in partibus.

His ſanguinis indiſpoſitionibus occurrendum medicamentis; quæ accenſionem, & fermentationem augent, & craſſitiem minuunt, volatilitatem ſpiritibus fermentis, & ſanguini tribuendo, qualia ſunt omnia aromatica, & herbæ aromaticæ, & cœphalicæ, ut ſunt Rad. Angelicæ, Aronis, Apii, Ariſtolochiæ, Curcumæ, Filicis, Gentianæ, Imperatoriæ, Petaſitidis, Raphani, Sylveſt. Naſturtii Aquaticii, Valerianæ, Zinziberis, Cortex tamariſci, Fraxani, lignum Saſſafras, Fol. Abſinthii, Agrimoniæ, Calaminthæ, Cardui benedicti, Eupatorii, Origani, Pulegii, Satureiæ Serpili, & alia, ex quibus poſſunt parari decoctiones Syrupi, Pulveres, & electuaria; Spiritus volatiles ſæpiùs ennumerati inter hæc efficaciſſima ſunt Arcanum duplicatum Mynſulet, vel ſequens ſpiritus. ℞. ſalis Tartari, vitrioli, Salis communis an. lib. 5. Calcinentur leni calcinatione, poſteà addatur pulvis carbonum craſſo modo pulver. in trina proportione, omnia mixta indantur retortæ, deſtillentur ſ. a. & ſpiritus exiens poſt phlegma acutus, & penetrans ſine aciditate ſervetur, & de hoc exhibeatur ℈. v. in aliqua aqua, vel decocto

decocto aperienti ex ſupradictis herbis, & radicibus confecto, conveniunt & ſalia alkalica, volatilia, & fixa, à quibus aucta aliquo modo accenſione, & effervescentia, excrementa paulatim ſeparantur, & purgantibus hæc ſunt educenda per Epicraſim, & hoc mirè præſtant pillulæ melenagogæ, & Tartareæ ad ℈. v. vel ad ℈. i. antè cibum manè, & ſerò ſumptæ, vel aliquod Apozema ſolutivum cum ſupradictorum ſimplicium decoctione paratum, & ultimo cum Calybeatis, Antimonialibus, & tartareis, remittenda ſanguinis conſtitutio, & obſtructiones eiſdem tollendæ, vel cum pulvere Cachectico Quercetani, vel cum ſequenti pulvere. ℞. limaturæ calybis quantumvis irroretur aqua Abſinthii, & Fraxini, in quibus iſtorum ſimplicium ſales ſint diſſoluti, relinquatur tamdiù, donec rubiginem contrahat, hujus Croci. ℞. ℥. iii. Cornu Cervi philoſoph. præp. ℥. v. ſalis Tart. fixi ℥. ii. Antim. Diaphor. ℥. i. v. Salis armoniaci ℥. i. fæculæ rad. Aron. ℥. ii. Salis roſmarini Lavendulæ, Salviæ, Abſinthii an. ℥. v. irrorentur omnia ſ. p. aqua Cinamomi ſtil. & ſpir. Vini exſiccentur ad umbram, & per tres vices hoc repetatur, hujus doſis erit ℥. i. cum decoc. facta cum aliqua ex dictis radicibus, & herbis. Aquæ minerales acidulæ, & maximè ſpadenſes valent, & loco iſtarum ſubſtituendæ artificiales in meſſe medico Spargirica lib. 3. cap 3. & in Clavi Schroderiana lib. 3. cap. 3. deſcriptæ, his remediis non ſolùm obſtructiones tolluntur, ſed ſanguis craſſus, & fermenta partium fixa attenuantur, & volatilizantur ideòque ſuæ integritati, & perfectioni reſtituuntur, & conſequenter alimentorum optima concoctio renovatur.

Hæc verò deobſtruentia univerſalia miſcenda ſunt cum eis quæ reſpiciunt partem affectam, obſtructam, ut ſi lien obſtructum ſit, ſplenica adjungenda, ſi uterus uterina, & hæc vel in forma ſalis, vel extracti, vel tincturæ, vel decocti idem dicendum de obſtructionibus in Meſenterio, & Hypocondriorum Regione; His medicamentis eſt etiam optimum unire purgantia ad mundandam maſſam ſanguineam à ſuis impuritatibus, vel hæc omni tertio die exhibenda, & pro hoc exequendo præter ſuperiùs dicta valet Syrupus Cachecticus Fernelii, & Syrupus de Cicorea cum Rhabarbaro.

Si adhuc portio materiæ ſulphureæ, & calidæ minoretur, & humidum ad moderationem datum, fuerit valdè craſſum, oritur temperies ſanguinis frigida, & ſicca, frigida ob paucitatem partis calidæ, ſicca ab humidi craſſitiem à qua conſiſtentiam tota maſſa acquirit, non ablata fluxibilitate, ſed talis conſiſtentia reſpectu tenuitatis ei debitæ, dicitur ſicca.

Hæc conſtitutio diſponit maſſam ſanguinis ad morbos melancholicos, quia talis temperies eſt eadem in ſuis qualitatibus, cum temperie melancholica, ab Auctoribus deſcripta, & ſi præter naturam evaſerit hæc temperies ob majorem craſſitiem humidi, & minorem calidi conſurgit cacochymia, & depravatio facultatum totius corporis.

Hoc modo explicantur temperamenta maſſæ ſanguineæ non diſcedendo ab Antiquorum dogmatibus, niſi in hoc, quòd iſti calorem per ſimplicem qualitatem ſui propagativam explicant, ubi Neoterici calorem in effluxu ſubſtantiali à corpore calido emanante cognoſcunt, qui dum recipitur in aliud corpus, vel in proprium, in quo latebat, perturbato motu excurrit, dicitur calefacere, & ſubiectum calore qualificare; qui verò Antiquitati conſecrati Avicennam, & alios Antiquos ſecuti ſunt; ſuſtinendo elementa actu in mixto, temperamenta non alio modo explicarunt, nec qualitates propagari, niſi per communicationem ſubſtantiæ elementalis.

Temperamenta etiam totius, ut ſuperiùs innui, ab hoc eruuntur; eſt enim ſanguis ille, qui toti temperiem communicat; ſic dicimus temperamentum totius calidum, & ſiccum, quia bilis in corpore ſuper alios humores excedit, frigidum, & humidum, quia partes calidæ ſunt minores in hoc, quàm in præcedenti temperamento, & humidum eſt majus, frigidum, & ſiccum, quia melancholia abundat, quæ de calore parum participat, cum craſſitie modo mox explicato, calidum, & humidum, quia partes ſanguinis maſſam conſtituentes magno exceſſu inter ſe non differunt, ſed calidæ, & humidæ ſuper alias eminent.

Sanguinem toti temperiem dare, ex hoc deducitur, quod totius temperamentum debet emanare à ſubſtantia, quæ ſit communis toti, huicque ſuarum qualitatum influxus diſpenſet, & in noſtro corpore nulla alia eſt ſubſtantia huic communis, niſi ſanguis, conſequenter huic origo univerſalis temperamenti corporis, eſt tribuenda, & inducere in Scholis unam qualitatem reſultantem ex unione qualitatum partium principalium, eſt potiùs ſomnium ennarrare, quàm dogma utile docere.

Ex quo elicitur morborum cauſam, quaſi ſemper in ſanguine eſſe requirendam, & præcipuè in morbis in intemperie, cum hæc ſemper à ſanguine alterato proveniat, & illud, quod dat, & conſervat temperamentum naturale, ſi alteretur, efficit præternaturale, & quamvis ab extrinſecis cauſis temperamentum alteretur, tamen cùm earum influxus non ſit continuus, ſed ceſſet, videntur non poſſe habitualem intemperiem efficere, niſi in earum auxilium ſanguis concurrat fovendo, vel augendo intemperiem à cauſa extrinſeca in parte introductam, & ſic diſcurrendo etiam de aliis morborum generibus, percipiemus, pro majori parte à mala ſanguinis diſpoſitione, vel in quantitate, vel in qualitate provenire, quod novum non eſt, cùm obſervem Antiquos cauſam antecedentem morborum in ſanguinis depravationem refundere, & ſi intemperies à partibus contractas prædicent ſanguinem alterare, advertant practici hanc intemperiem ab aliqua cauſa externa, vel interna provenire; Interna non poteſt eſſe niſi ſanguis; externa ſi alterat partem ſolidam, multò magis poterit alterare fluidam, qualis eſt ſanguis, eo quia ſuo influxui minus reſiſtens, & ſanguis alteratus fovet alterationem à cauſa extrinſeca in parte inductam, eamque habitualem reddit, verum tamen eſt partem intemperatam ſanguini per eam circulanti ſuos influxus morboſos reſtituere, & ita ad invicem ſanguis, & partes malè affectæ fovent ſuas morboſas affectiones, prima tamen radix in depravato ſanguine reperitur; Unde etiam huic remedia ſecuriùs erunt applicanda, quòd inadvertenter etiam à practicis exequitur ſtudendo primario intemperiei correctioni, nam cùm ſanguinis, & partis alteratio ſit ſimilis in qualitate remedia uni applicata, alteri medellam ſuppeditant, ut ſi intemperies ſit calida in parte, & in ſanguine, exhibendo refrigerantia pro partis curatione refrigerabitur etiam ſanguis.

Præter qualitates primas perpendendæ veniunt in maſſa ſanguinea qualitates ſecundæ tamquam majoris efficaciæ in morbis generandis, quàm primæ qualitates, idcircò à Medicis etiam debent cum ſumma diligentia indagari.

Qualitates ſapidas in ſanguine, ſivè ſubſtantiam ſapidam ſanguinem extraneo ſapore inficientem, vim habere ad excitandos morbos non eſt recentiorum, nec inventum, nec figmentum, ſed à divino Hippocrate hoc dogma rationi conſentaneum acceperunt, qui in libro de veteri Medicina docuit acidum, ſalſum, & amarum, quando diſgregationem patitur à cœteris humoribus, moleſtiam, hoc eſt morbum inferre, & in hoc plus valere, quàm primas qualitates.

Extraneis ſapotibus ſanguinem multoties infici docent Salſedo, Auſteritas, & Aciditas, quæ in ſaliva percipiuntur, & ſanguinem eiſdem infici connotata, ſubminiſtrante iſto materiam pro elaboratione ſalivæ, materiæ qualitates conſervantis.

A paſſionibus etiam, & diſpoſitionibus conſtitutionem maſſæ ſanguineæ vitiantibus arguimus, hanc varios ſapores contraxiſſe ſuæ naturæ minimè convenientes.

Multoties enim ſanguis ſalſedinem concipit ſale fixo in eo exiſtente ad fluorem evecto, & tunc ulcera, ſcabies, vaſorum corroſiones, à quibus ſanguinis fluxus. In ſanguine ſalia diverſi generis volatilia, & fixa exiſtere probat ejus deſtillatio, confirmat ſalſedo, quæ in eo perſentitur, quando ſanguinem è venis linguæ detrahimus, ſupradicti morbi à corroſione, & acrimonia ſalina geniti id magis perſuadent. Si contingat ſalia volatilia ab humore craſſo tartareo inviſcari, ſalſum volatile fit fixum, juxta illud Axioma Chymicorum fixum additum volatili, hoc fixat, quia à fixo motus, & activitas volatilis extinguitur, & aufertur, &

ab ejus

ab ejus craſſitie ligatur, & condenſatur ſal volatile fixatum, & fixum ex ſui natura, ſi fluorem adipiſcantur, hoc eſt ſi fluiditatem acquirant, eo modo, quo ſal fixum, vel ab aqua, vel humido liquefactum fluit, ſine deperditione fixitatis, tunc maſſam ſanguinis, per quam fluit, depravat, ubique ſalſedinis veſtigia relinquendo, & eas affectiones parit quas fieri, diximus à ſalſo, à ſucco pancreatico, & à bile reſultante nimis activo in ſalſedine excedenti, & à bile nimis acri ſanguinem acredine præternaturali inficiente, unde iiſdem remediis, quibus iſti humores corriguntur, ſalſedo ſanguinis orta à ſalſo fluorem patiente corrigenda, & pro vaſorum corroſione, ea ſunt adhibenda, quæ de phtiſi inferiùs ſunt deſcribenda.

Aliquando ab hoc ſale, ſed fixato ſine fluore depravatur tota maſſa ſanguinis, cum magna fixatione, & conſtipatione huic impartita modo præternaturali, ſal enim fixum ex admixtione particularum terrearum, & fœculentiæ Tartareæ arcto vinculo unionis partes ſanguinis ad invicem conſtringit, cum condenſatione, ſeù coagulatione liberæ circulationi reſiſtente, & tenuitatem illius conditioni, & officio adaptatam auferente, redacta maſſa ſanguinis ad muſti, vel Cereviſæ novellæ Naturam, ſine ſpirituum explicatione, caloris expanſione, & excrementorum colluvie, vice illius exaltationis, volatilitatis, & depurationis debitæ ſanguini ſecundùm Naturæ leges elaborato, quæ in prædicto ſtatu impediuntur, & à quo proveniunt Malatia, Leucophlegmatia, Hydrops, Hyppocondria melancholia, & Scorbutus quandoque.

Nec mirum erit ſal hanc craſſitiem, & condenſationem ſanguini communicare, ſi illius fixitatem terreſtrem, & fœculentam perpendamus; obſervamus enim in Chymicis particulas corporis fixi acceptas intra poroſitates corporis volatilis hoc fixare, & ſal lucernæ ardentis Lychinio impoſitum flammæ expanſionem impedire, & extinguere, & efficaciùs ſalis fixi activitas demonſtratur in congelatione vini ab eo cum nive commixto facta.

Hinc patere poteſt omnia ſalia volatilia, toties repetita, huic indiſpoſitioni ſanguinis juvamento eſſe futura, ſicut & omnia ſimplicia eodem ſale abundantia, qualia ſunt Cortex abietis iſtius ſummitates, & eſſentia ab iſtis parata, hyrundinaria, Dracunculus, Hydropiper, Rafanum ſylveſtre, Naſturtium aquaticum, Enula Campana, Ariſtolochia Rotunda, Radix lappæ majoris, quæ unienda ſunt cum Antimonialibus Chalybeatis.

Aliquando maſſa ſanguinis per fervida variiſque tumultibus, ac effervеſcentiis obnoxia eſt, cum impuritatum redundantia, & tunc ab iſtis effervеſcentiis partes ſalinæ latentes, & otiantes ad motum evocantur, ſulphurque exaltatum, & aliqualiter aduſtum ſibi uniendo ranciditatem contrahunt, quæ ſaporem adeò ingratum præbent, ut patet in lardo, pinguedine, & nucibus rancidis, & eadem totum ſanguinem inficiunt, & unà cum ranciditate aliqua irritativa qualitate depravatur, per quam cum alterata craſi maſſa ſanguinis inepta evadit pro nutritione, unde macies, & circulatione deponendo in ventriculum, & membranam meſenterii particulas irritativas dolores in his partibus excitat, quòd peragit etiam in externis muſculoſis, & membranoſis, ſi ibi dictæ particulæ relinquantur, quòd ſi inteſtinis adhæreant, vel vaſis ab eorum glandulis derivantibus, alvi fluxus proficiſcuntur irritatis ad expulſionem humorum contentorum, iſti effectus ſi conjungantur cum macie totius præternaturali, & aſcititia, cenſendum eſt ab hac ſanguinis ranciditate progigni.

Pro hujus indiſpoſitionis curatione conveniunt refrigerantia, & ſanguinem depurantia, ut Cicoriam, Gramen, Taraxacum, Endivia, Scabioſa, Borago, Fumaria, China, Radix Cannæ, & ſimilia, Lac Aſininum cum ſucco Taraxaci, & aquæ Acidulæ.

Multoties craſſitiem contrahit ſanguis ſine cruditate, & ſalſedine, ſed ab aciditate in eum introducta à ſale acido copioſo fluorem adepto; e contra verò diſſolutionem magnam ſæpè patitur cum maxima tenuitate, & fluxibilitate unitis acrimoniæ, vel ſalſedini excedenti, & hæc nobis ſunt indicia ſalſi cujuſdam volatilis maſſam ſanguinis depopulantis.

Et de his omnibus vitiis, & eorum emendatione actum eſt, ubi de ſucco pancreatico, & bile egimus, ibique etiam remedia pro horum curatione expoſuimus.

Hic præterire nolo ab aciditate ſanguinem coagulante febres malignas fieri, æmulas illarum à diſſolutione ſanguinis provenientium, de quibus ſupra egi, & eis omninò ſimiles præterquam in præcipiti virium lapſu, quæ in febribus malignis à coagulatione conſervantur, & licèt pulſus ſit in iſtis parvus, quia ſanguis ob condenſationem ritè non accenditur, nec rareſit, nec ſpiritus, niſi parvi ab eo explicantur, remanente ſanguine ſine energia, & impetu, qui à ſpiritu communicatur, quare Hippocrates ſpiritum impetum facientem vocavit, ideò nec mirum, ſi arteria cum vi non elevatur, nec cum impetu dilatatur, ſed parum extenditur, & cum parvo impetu, unde pulſus parvus, aliquam tamen conſiſtentiam habet, quam illi tribuit ſanguis conſiſtens ſua denſitate, & ut ita dicam duritie coadiuvante, ad ſuſtinendum motum Arteriæ extrorſum, itaut hic perficiatur, etiam ſi Arteria comprimatur.

Ab hac coagulatione opprimente Spiritus, & particulas igneas in ſanguine, explicatur qualitas occulta dicta venenorum frigidorum, à qua dicunt ſpecifico, & incognito modo extingui, & diſſipari ſpiritus vitales, cum facultatis ejuſdem generis debilitate, quamvis ſola coagulatione irretiantur, itaut ablato motu calorem toti non communicent, nec Organis, in quibus vitalis facultas fundatur, robur tribuant. Ab hac coagulatione ſanguinis fit febris, dum partes iſtius coagulationem non patientes, vel ab eodem coagulato expreſſæ, citiſſimè accenduntur, & febrilem effervеſcentiam concipiunt, cum pulſus frequentia, & celeritate, coadiuvata ab aciditate irritante, & determinante cor ad frequentem, & celerem motum, & licèt in hac febris differentia imaginari concurſum eorum omnium, à quibus acceſſio febrilis, cum contractione, & parvitate, frequentia, & celeritate pulſus efficitur, cum hac ſolùm diverſitate, quòd cauſa prædictos effectus in acceſſionibus febrium producens, non eſt permanens, ſicuti eſt in febre maligna, hujuſmodi febris à coagulatione differt, ab illa à diſſolutione, quia in hac vires deperduntur, in illa conſervantur, Urinæ à diſſolutione turbidæ, ut plurimum evadunt, à coagulatione tinctæ, ſed claræ, & quandoque aqueæ, in diſſolutione appetitus proſternitur, in coagulatione conſervatur, in diſſolutione facies concidit, & ad hippocraticam tendit, in coagulatione forma aſpectus ſani conſervatur.

Curabitur hæc febris ſalibus volatilibus oleoſis, Cornu Cervi, Fuliginis, & ſimilibus, quæ unicè in hac febre conveniunt, & potionibus ex ſimplicibus Aromaticis, & acri ſale præditis, ut ex contrayerva, petaſitide, Zedovaria, Angelica, Imperatoria, Vincitoxico, & ſimilibus, & uſus horum decoctorum ſit per plures vices tres V. G. & quatuor omni die. Diaphoretica omnia ſunt efficacia in ſanguine diſcoagulando, inter cætera autem ex ſimplicibus parata antecellit radix Lappæ majoris exſiccata, & cum aqua Cardui benedicti, ſpiritu Sulphuris acetoſa reddita pluries imbibita, & exſiccata ad ℨ. ii.

Hæc vitia ſanguinis paſſim in Antiquorum ſcriptis legimus, dum pro reddenda aliquorum morborum cauſa allegant modò craſſitiem ſanguinis à pituita, vel à mælancholia acida introductam, & pituitæ ponticæ auſteritatem, & aliorum morborum cauſam in pituitam dulcem, & bilem amaram refundunt.

Quantitas ſanguinis à vaſorum capacitate, per quæ fluit, determinatur; talis enim eſſe debet, ut vaſorum capacitatem impleat, & etiam cum aliquali diſtenſione, prout à neceſſitate operationum exigitur, quod contingit in arteriis, quarum cavitates ab impulſo ſanguine, non ſolùm implentur, ſed etiam latera earum dilatantur, & extrorſum impelluntur, quod non fit tantùm ab impulſu ſanguinis à motu cordis ſuſcepto, ſed etiam à copia ejuſdem, quæ eſt major ſpatio intra cavum Arteriæ præparato, pro receptione expulſi ſanguinis extra cordis ventriculos.

Angetur ſanguinis quantitas quandoque ultrà vaſorum capacitates, cum tali diſtenſione, ut parùm extrorſum

trorſum dilatari poſſint, unde eorum motus fit parvus, & etiam circulatio diminuta, cum periculo diruptionis vaſorum: nam vaſa ſummè diſtenſa à plenitudine ſanguinis contenti diſtenſionem à nova quantitate in ea impulſa, & ab impetu, quo impellitur, ferre vix poſſunt, & ſi ad extremum ducantur fibræ extenſæ diſrumpuntur, cum ſanguinis profluvio, prout evenit multoties in ſputo ſanguinis, in vomitu ejuſdem, in Hæmoragia, fluxu immoderato Hæmoroydali, & Menſtruo; nam licèt plenitudo ſit univerſalis, major quandoque contingit in arteriis alicujus determinatæ partis, unde in hac potiùs, quàm in alia diſrumpuntur, quandoque Arteriæ minùs ſunt reſiſtentes diſtenſioni prædictæ in una parte, quàm in alia, ideò in hac diſrumpuntur, & ſi in tali plenitudine ſupradicta non diſrumpantur vaſa, nec exeat ſanguis, ſed integris remanentibus, non paretur locus ei, qui à corde continuò in arterias transfunditur, ob illius deficientiam retropellitur, & exitum non inveniendo in cordis ſiniſtro ventriculo quieſcit, & huic addita alia portio de novo infuſa per arteriam venalem in dicto ventriculo, ita augetur ſanguinis copia in corde, ut impediat motum iſtius, unde animalis interitus. Et hoc modo verificatur illud medicum dictum, à copia ſanguinis calorem naturalem extingui.

Eodem modo diſcurrendum eſt, ſi ſanguinis accenſio, & fermentatio in pulmonibus excluſo corde ab hoc officio admittatur; dum à ſanguine per effervescentiam turgeſcente, & vaſa pulmonaria implente, & diſtendente impeditur motus pulmonum, & ſuſpenditur impulſus ſanguinis ad ſiniſtrum cordis ventriculum, cum pulſus ſenſibili læſione, & reſpirationis diminutione, & attractione ſpiritus Nitro Aerei fermentatione, & accenſione ſanguinem vivificantis, quod aliquando contingit in ſuffocatione uterina ob vapores ab utero ad pulmones elevatos, & contentum in eis ſanguinem effervescentia inordinata alterantes cum ſymptomatibus prædictis.

Alia eſt ſpecies plenitudinis univerſalis non à ſanguinis quantitate abſoluta, ſed à ſanguinis turgeſcentia, concepta ab aucta ſui fermentatione, omnia mala minans à vera plenitudine dependentia; turgente enim ſanguine vaſa implentur, & diſtenduntur cum tali impetu, ut diſruptione cedant, eo modo quo vinum effervescens in dolio clauſo, cum tali impetu turgeſcit, ut dolium ſatis craſſum, cum ferramentis frangat.

Pro corrigendo ſanguinis fluxu à quantitate, mittendus ſanguis in copia, & poſteà parti affectæ applicanda aqua ſtiptica ab Hoffmano in clavi Schroderiana deſcripta, & per os exhibendus, ſi oportet liquor ſtipticus, cujus præparatio eſt hæc. ℞. Vitriol. Ungar. Alumin. an. lib. 5. phlegmat. Vitriol. lib. 4. agita in loco calido, donec omnia fuerint diſſoluta liquorem frigefactum filtra, & à Chryſtallis ſubindè nactis ſepara, adde ſingulis libris liquoris Olei vitrioli ℥. 1. & ſerva pro uſu, & exteriùs applicatur ruptæ venæ, & arteriæ, cum petia pluries implicata, & dicto liquore imbibita, & ſtrictè ligata; ſequens remedium experientia docuit eſſe efficaciſſimum ad ſiſtendum ſanguinem à qualibet parte. ℞. Vitrioli albi, aluminis an. ℥. 1. contundantur in mortario ligneo, cum piſtillo ligneo ſubtiliter, poſteà in ℥. xxx. aquæ fontis initiantur optimè agitando cum ligno, donec aqua mutet colorem, & diſſoluta maneant dicta ingredientia, deindè per chartam emporeticam coletur, colaturæ adde ſpiritus vitrioli ℈. v. doſis, ℥. 1. 5. vel ℞. Opii in Talleolas inciſi ℥. ii. ponantur in vaſe Terreo vitriato ſuprà carbones ad defumandum, aliquoties irrorentur vino, ne torrefiant, & quando pro medietate ſui ponderis erunt defumatæ, ab igne removeantur, & pulverizentur. Doſis à gr. vi. ad viii. Ad immoderatum fluxum menſium valet remedium Septalii, quod eſt. ℞. aquæ lib. 7. coquantur in his cortices trium aurantiorum acidorum adhuc ſub viridium, ad conſumptionem duarum partium, & facta colatura exhibeantur ℥. viii. omni manè. Ad fluxum ſanguinis è naribus accipiatur ſtercus muris ſ. p. & in nares inſufletur, quod facit etiam ſtercus aſini nigri, vel rubei in furno exſicatum, & poſteà pulverizatum, & cum acero fortiſſimo mixtum, & ſuprà frontem emplaſtratum, & turundæ eodem emplaſtro oblinitæ intra nares imittantur. Fluxum ſanguinis ab hæmorhoidibus ſanat ſacculus impletus glandibus, & foliis quercus coctis in aceto, & hæmorhoidibus impoſitus, & burſa paſtoris contuſa, & cum albumine ovi ad emplaſtri formam redacta, & hæmorhoidibus ſuper impoſita, & aqua ſtiptica Hoffmani ſuperiùs citata. Hæc enim duo remedia ſuperant omnia alia huic ſymptomati appropriata.

Si Arteriæ per membranas Cerebri diſſeminatæ à plenitudine, ita extrorſum diſtenduntur, ut motum ſuum introrſum neceſſarium ad expulſionem ſanguinis contenti perficere non poſſint, excludendo novum ſanguinem à corde in eas impulſum, & cogendo deorſum regurgirare verſus cor, in hoc mox dicta eveniunt; Si verò plenitudo adſit in venis diſperſis in dictis membranis ſanguinem ab Arteriis diffuſum per membranarum ſubſtantiam, & corticalem cerebri non valent recipere intra ſuas cavitates, & ille diffuſus per ſubſtantiam cerebri hujus meatus obſtruendo, curſum ſpirituum ad principia nervorum intercipit, cum ablatione motus, & ſenſus, in quo conſiſtit apoplexia, quam hoc modo ſuccedere determinavit Hippocrates, quando docuit fieri ob ſanguinem coagulatum in venis jugularibus, quia per has revehitur ſanguis à capite, & ſi in his non movetur, neceſſe eſt, ut in capite remaneat modo jam dicto, & ex his patet à plenitudine ſanguinis emergere illa duo ſymptomata ab Hippocrate recenſita, nempè vel diſruptionem vaſorum, vel calidi innati ſuffocationem.

In hac plenitudine nullum opportunius, & efficacius remedium, quàm venæ ſectio ab Hippocrare imperara in 3. Aphor. ſect. 1. quæ ſtatim eſt exequenda, eo ſic conſulente, quia procraſtinare periculum eſt, cum modo ſuperiùs dicto ſuccedant deſcripta ſymptomata. Poſt miſſionem ſanguinis Cardiaca, & Cœphalica remedia temperata pro corroboratione cerebri, & cordis exhibeantur; calida enim, & valdè volatilia fugienda, ne immoderatè fermentando ſanguinem, plenitudinem renovent, cum periculo ſupervenientiæ dictorum ſymptomatum.

A quantitate ſanguinis fiunt inflammationes, vel quia vaſa capillaria ita diſtenduntur, ut illorum fibræ non poſſint ſe contrahere pro expulſione, & tunc ſanguis cumulatur in dictis vaſis capillaribus, & ſtagnat tumorem faciendo, & concepta putredine, & effervescentia inflammationem parit; aliquando verò à copia ſanguinis motus Arteriarum, & pulſus accelleratur, ut in poroſitates carnium deponatur ſanguis in majori copia, quàm à venis poſſit abſorberi, quapropter remanet portio ejuſdem ſanguinis in dictis poroſitatibus, cui ſemper nova adiungitur, ut fiat cumulus ad elevandam partem in tumorem ſufficiens, & ſi ſanguini dicto coniungatur aciditas, coagulatur, & condenſatur, & renitens circulationi redditur, unde putreſcit febrem, & inflammationem efficiendo, quod demonſtraſſe videtur Hippocrates in libro de morb. num. 23. Pleuritis generationem deſcribendo, ubi ait, & cùm riguerit, & perfrigeratum fuerit, tum caro, quæ eſt in latere, tum venæ contrahuntur, & convelluntur, & quantum ipſa carne ineſt bilis, ac pituitæ, aut in venis, quæ in ipſa carne ſunt, id magna ex parte, aut totum ſecernitur, introque compellitur, ad caliditatem carne extrinſecùs condenſata, atque id ad latus affigitur (ecce quomodo illud, quod in partem affunditur ei affigitur per condenſationem, & amiſſionem motus) & dolorem vehementem exhibet, & ſuperiùs explicando generationem Peripneumoniæ ait. Cùm verò ad ſe traxerit, tumque bilis, tum Pituita ſedem in pulmone fixerit, putreſcit, & in pus vertitur, in qua ſententia manifeſtatur, mentem Hippocratis in Peripneumonia eſſe humores in pulmones attrahi, & figi, quod non poteſt fieri, niſi per coagulationem, & condenſationem, & poſteà putreſcere. Quomodò verò fiat attractio, quæ in inflammationibus, adeò ab Antiquis decantatur, explicat Hippocrates in lib. de loc. in homine num. 24. dicendo Pulmo tamquam natura rarus, & ſiccus in ſe humorem trahit, quantum capere poteſt, ab hac ſententia colligitur attractionem fieri, quia per raritatem pulmo eſt capax humorem recipiendi, cùm raritas, & ſiccitas non ſit attractiva ſicuti magnes, & corpus rarum, & ſiccum non poſſit attrahere niſi, eo modo, quo ſpongia dicitur attrahere aquam, quia per poroſitates amplas illius, aqua ingreditur, pari pacto cum pars aliqua vi alicujus cauſæ poroſi-

poroſitates ampliores acquirit, humorem ad eam fluentem in magna copia colligit, & dicitur per hoc attrahere juxtà Recentiorum doctrinam ab Hippocrate deſumptam, & attractus humor fixatus, & putreſcens inflammationem parit. Hoc modo fit etiam Eriſipelas; nam omnes inflammationes fiunt eodem modo, licèt ratione loci ſint diverſæ, cùm ab hoc ſolùm diverſificentur morbi, juxtà ſententiam Hippocratis ſuperiùs allatam, & deſcriptam lib. de flatibus.

Unicum remedium in his inflammationibus eſt copioſa ſanguinis detractio adminiſtrata, refrigerantibus poſteà, non actu, ſed potentia, vel temperatis ſanguinis motus reprimendus, & coagulatio humoris tollenda cum eis, quæ acidum imbibunt, & reſolvunt, & ſunt ſuperiùs recenſita de pleuritide, & omnia diaphoretica, & cæphalica calida, & volatiles ſpiritus. Diſcoagulato humore, & fluxibilitate adepta à venis reaſorbetur, & quod reliquum eſt, reſolventibus eſt diſſipandum, & ſi renitens ſit diſcoagulationi humor ſuppurandus, cum remediis calidis, & humidis, prout doctè ab Antiquis ſancitum fuit, & à Recentioribus admittitur.

In Eriſipelate verò reprobatur ſanguinis miſſio ab aliquibus, eò quia expulſionem humoris noxii ad exteriora impediat trahendo ad interiora, & extrinſecis quibuſdam huic occurrendum eſſe inſinuant, nempè ſpiritu vini camphorato, cum aqua florum ſambuci, & aqua è ſpermate ranarum deſtillata, & ſi in parte nobili, ut in capite, contingat Eriſipelas video omnes ferè practicos concurrere in ſanguinis miſſionem; putarem ego tamen perpendendum eſſe, an Eriſipela tangat tantùm partes exteriores capitis, & tunc mihi videtur procedendum eſſe, ſicut in Eriſipelate in aliis partibus ignobilioribus; ſi verò adſit dolor capitis internus, & aliqua delirii rudimenta plethora, & aliquod initium fluxionis ad guttur, tunc noxium humorem partes internas etiam moleſtare nobis demonſtratur, & opus eſt pro revellendo, & evacuando humore fluente, & fluxo ad partem nobilem, nempè ad caput, & guttur ſanguinem copiosè mittere à pede primò, deindè à brachio multi laudant, & imperant, & in hoc caſu rogo practicantes, ut perpendant, an magis conveniat venæ ſectio, humorem ad exteriora impulſum retrovehens, & intùs relinquens, quàm purgatio humorum, eodem modo intùs trahens, ſed foras per alvum expellens, video Aquam Pendentem lib. 1. de tumoribus cap. 8. in Eriſipelate partes occupante, præter caput, purgationem anteponere ſectioni venæ, & Sennertum idem ſentire in lib. 2. de feb. cap. 16. niſi adſit plenitudo, & ſi determinatio maneat pro venæ ſectione, hæc copioſa ſaltem inſtituatur, ut plenitudo particularis partis minui poſſit, & humoris ſtagnationem in parte prohiberi.

Si minuatur copia ſanguinis, ut non impleantur vaſa, ſive vaſorum cavitates, multa contingunt animali damna, nempè caloris debilitas in toto, à quo enervantur concoctiones alimentorum in ventriculo, & perfectio eorumdem in inteſtinis prohibetur, prout dictum fuit ſuperiùs de alimentorum præparatione, & chylificatione. Partium particularium concoctiones etiam depravantur, ut dicemus de nutritione ſpiritus animalis, in parva copia generantur, cum ſenſus, & motus diminutione, ut patebit de facultate ſenſitiva, motus cordis, & pulſus fit valdè debilis, ut demonſtrabimus de facultate vitali.

His omnibus proviſum erit, ſi curabimus maſſam ſanguinis augere cum cibis optimi, & ſpiritoſi nutrimenti fruſtraneum eſt addere ſigna horum morborum à plenitudine cùm hæc per ſe pateant.

Duplex motus in ſanguine conſideratur, unus eſt circulationis, alter fermentationis. Primus eſt continua motio ſanguinis à corde in Arterias, ab his in venas, & à venis ad cor; adeò certa eſt hæc ſanguinis circulatio per demonſtrationes evidentes, & ſenſibiles, à quibus demonſtratur, ut deridendi ſint, qui eam in dubium revocant.

A natura ſanguini data fuit, ut hoc motu à ſtagnatione, & à putredine conſervaretur, & omnia membra eo frui poſſint ad ſui reparationem in locum deperditi, ab actione cauſarum internarum, & externarum diſſoluti.

Ideò hæc impedita in aliqua parte ſanguis putreſcit, prohibito enim motu circulari fixatur in parte, cui ineſt impedimentum, & ibi motu inteſtino fermentationis agitatus diſſolutionem ſuarum partium patitur, cum putredine, & hoc modo fiunt tumores, & inflammationes, tàm in partibus internis, quàm externis, ex quo colligitur etiam cauſam impedientem circulationem eſſe humorem craſſum excrementitium, vaſorum cavitatem implentem, & vi ſanguinis impulſi à motu cordis, & arteriarum reſiſtentem, ut ulteriùs progredi non poſſit.

Craſſities etiam ſanguinis alimentalis eamdem vaſorùm obſtructionem parere poteſt, vel aliqua pars ejus craſſæ qualis eſt portio illius materiæ, quæ in filamenta in ſanguine, extravaſato, & concreto ad retis formam concreſcit, & quæ paulatim coacervata per diſcretionem, vaſorum anguſtiam ſua copia implendo circulanti ſanguini tranſitum impedit.

Craſſitiem in humores inducit acidum condenſativum, & coagulativum, & omnes inflammationes ab hac cauſa remota originem trahunt, nam proxima eſt humor impeditus à ſua circulatione, & coactus ſtagnare, vel intra poroſitatum ſpatium, vel in extremitatibus vaſorum capillarium.

Hac data ſanguinis circulatione non poſſunt negari, quæ ab illa dependent, & à ſectatoribus veterum prædictæ circulationis principio illuminatis debent admitti, & ab hac cauſa inflammationum, & tumorum non diſceſſerunt Antiqui ſtagnationem ſanguinis, & extravaſationem in eis agnoſcentes ab Hippocrate edocti lib. de morb. qui deſcribendo, quomodò fiat tuberculum pulmonis, ait, cum pituita, aut bilis collecta fuerit, putreſcit, & quamdiù quidem adhuc crudum fuerit; tùm dolorem tenuem, tum tuſſim ſiccam exhibet, ubi verò mutaverit anteriore, & poſteriore parte dolor gravis oritur, & eodem libro hoc clariùs expreſſit dicendo ſiquidem igitur rupta fuerit vena, confeſtim ſanguis ex vena effuſus putreſcit. Quodſi convulſio in vena facta ſit, hæc quidem per exordia dolorem excitat, & pulſat, progreſſu verò temporis ſanguinem ad carnem tranſmittit, qui in carne putreſcens in pus vertitur; unde colligitur etiam pro tollenda cauſa inflammationum humorem craſſum eſſe attenuandum calidis, & eis, quæ acidum incraſſans abſorbent diſcoagulandum, quæ etiam coagulatum ſanguinem extra vaſa fluidum reddunt, ut hæc de novo ingredi poſſit, & qui fluiditatem non acquirit ad ſuppurationem ducendus.

Et quia dixi à ſtagnatione ſanguinem putredinem concipere in inflammatione, ideò hanc etiam febres ſemper ſequuntur, vel ſi febris occaſionem dederit inflammationi, ab hac magis exacerbatur, cùm à vaporibus putridis à putreſcente ſanguine exhalantibus, & in maſſam ſanguinis receptis præternaturalis fermentatio in hunc inducatur formale conſtitutivum febris; Et quia vapores putridi acrimoniam coniunctam habent, ab hac laceſſita moleſta vellicatione pars, in qua contingit putredo, dolor in hac promovetur, & facile eſt putreſcentem humorem acrimoniam concipere, cùm per putredinem exhalent primò partes Balſamicæ, & benignæ humoris, quæ aliarum partium mordacitatem contemperare valent, unde his exhalatis, ſalia in omni corpore, & præcipuè ſanguine exiſtentia, ſuam acrimoniam naturalem exercent, amiſſo omni dulcificante.

Aliquandò impeditur motus circulationis per aliquam partem, nullo ſuccedente Tumore, vel inflammatione, ex eo quòd ſanguis invento impedimento regurgitat, & per alias vaſorum ramificationes ſuum proſequitur curſum, & ab hac cauſa multoties pendet pulſatio arteriæ cæliacæ in hypocondriis, ſi obſtruatur ramus arteriæ ſplenicæ, dum ſanguis in hanc ingreſſus per impedimentum ulteriùs progredi non poteſt, & regurgitando ramum Cæliacæ ingreditur, qui cum ferè ſit impletus à ſanguine ab alia parte adveniente ad hoc ut locum intra ſuam cavitatem paret ſibi, impetu proprio ſanguinis arterioſi, Cæliacæ arteriæ tunicas diſtendit tali vi, ut ejus motus ſenſibilis oculis fiat.

Per obſtructiones partium, vel vaſorum impeditur libera circulatio ſanguinis ſine febre, & inflammatione, quando obſtructio non eſt totalis, ſed patet aliquod exiguum foramen, & ſpiraculum, per quod poſſit pars ſubtilior habere continuationem ſui motus, & exhalationes fermentativæ ab humore detento ſolutæ expirant, relicta

relicta parte craſſiori inepta ad putredinem concipiendam ob unionem ſuarum partium, nec ad fermenti naturam induendam, quia fixis particulis conſtituta, & particulæ, quæ paulatim ſeparantur ab humore, dicto modo ſtagnante, vel à motu inteſtino, vel à calore partium adiacientium viam partis ſubtilioris ſequentes, & aliundè translatæ prohibent, ne reſiduum materiæ in parte obſtructa latente putreſcat, ſed ad incineramentum quoddam deveniat, inhabile ad febrem excitandam.

Hac ratione multæ partes obſtructæ à febre, & inflammatione immunes evadunt.

Obſtructione verò totali vaſorum facta in partibus internis, & præcipuè abdominis febris accenditur; Quotieſcumque humor in obſtructis vaſis reſtrictus fermentatione præternaturali concepta exaltatis in hac, & volatilizatis partibus ſalinis, & ſulphureis extraneas acquirit conditiones fermentativas unà cum acrimonia, qua perterrebrando obſtruentem materiam vi ſemitam ſibi apetit, & circulationis curſum reaſumit, unà cum reliquo ſanguine, cui admixtus ſua virtute fermentativa in totum diſperſa præternaturalem effervеſcentiam in tota univerſa maſſa ſanguinea excitat, unde febres periodicæ, per determinatas acceſſiones redeuntes, dum impedimento ſuperato ſola perterrebratione, non eroſione primævo ſtatui propria virtute remittitur, impediendo curſum alteri humori, & diſponendo illum ad prædictas conditiones morboſas ſuſcipiendas, quarum auxilio ſuperato de novo impedimento, modo ſupradicto de novo accenditur paroxiſmus.

Motus circulationis nimis expeditus morborum cauſa exiſtit, & præcipuè inflammationum, dum ab arteriis frequenti pulſatione ſanguis in partes in tanta copia expellitur, ut venæ illam abſorbere non poſſint, quapropter in parte remanens in ea tumorem, & inflammationem parit.

Hinc deducitur cauſa, per quam poſt violentum exercitium in caleſcente corpore ab hujus refrigeratione nimis celeri, & violento modo tentata inflammationes ſuccedunt, nam à violento exercitio ſanguis nimis expeditè circulatur, & ità in parte exundat copioſo affluxu, ut ſuccedente frigore in partium poroſitatibus adhuc detentus fixetur, & impotens reddatur ad venas capillares ingrediendas, idcircò remanendo in parte, eam inflammat. Hoc modo etiam à febribus acutis inflammationes fiunt ob ſanguinem in copia per partem aliquam circulantem ob febrile incendium, & in ea remanentem acquiſita fixitate.

Motus hic circulationis expeditus nimis, & celer pendet ab excedenti hujus fermentatione, vel ab admixtione alicujus extranei; Unde miſſo ſanguine, ut hujus concurſus ad partem affectam minuatur, exhibenda, quæ effervеſcentiam ſedant, vel extraneum debellant, prout inferiùs dicemus. Sanguini extravaſato reſolventia, & ſuppurantia applicanda.

Ab hoc motu ſanguinis fiunt etiam hujus fluxus, à circulatione enim celeri, impetu concepto, hoc orificia vaſorum aperit cum ſui effuſione, cui occurrendum, vaſa occludendo aqua ſtiptica, vel liquore ſtiptico, & aliis ſuperiùs deſcriptis effervеſcentiam, & fermentationem excedentem, & extranei mixti actionem ſedando, cum refrigerantibus, & opiatis, & acidis.

Ratione hujus motus aucti ſanguis fluit ad aliquam partem cum impetu, & in copia, ut in febribus ardentibus delirium excitando ſuis copioſis effluviis, & intenſione ſui caloris febrilis ſpiritus, à quibus Phantaſmata perturbantur, ex quo colligitur invadente delirio in magnis effervеſcentiis meliùs eſſe mittere ſanguinem, quàm veſicantia applicare partibus, prout inexpertè, & ſine ratione aliqui medentes faciunt; nam à ſale acri, & volatili chantaridum ſanguinem ingrediente, (prout oſtendit urinæ ardor, poſt veſicantium applicationem ſuccedens,) iſtius fermentatio, & effervеſcentia intenditur, in magnis etiam doloribus incaleſcente parte, hujus poroſitates dilatantur, aptæ ſanguinem in copia recipere, & hic à calore partis æſtum concipiens pleno gurgite in eam exundat, cum plenitudine particulari affectæ partis, quia poroſitates iſtius dilatatæ omninò implentur, cum periculo inflammationis, & Sphauli ejuſdem, unde in his doloribus Antiquorum etiam conſilio, copioſè mittendus ſanguis pro præſervatione ab inflammatione.

Ex quo detegitur etiam error eorumdem Antiquorum aſſerentium, dolorem ſanguinem attrahere, nam non attrahitur, ſed per dolorem paratur ei ſpatium amplum in parte implendum à circulante ſanguine, cum inflammationis periculo.

Motus fermentationis ineſt ſanguini, & perſuadetur à ſua natura ab Hippocrate multis in locis calidiſſima dicta, & in caliditate cœteros humores ſeparans, quæ autem tali caliditate ſunt prædita, motu fermentationis valido donantur, quia eſt proprium caloris, ſeù particularum calidarum ſe movere, & ſocias particulas agitare. Fermentatio verò conſiſtit in motu particularum componentium mixtum, ſanguis in corde, vel pulmonibus continuò rareſit, & effervеſcit, quæ verò effervеſcunt, fermentationem experiuntur. Idem probant Fuligines, quas medici unanimiter dicunt à ſanguine tranſpirare, Spiritus animales à ſanguine extracti, & in cerebro præparati, pro omnium operationum animalium, & rationalium exercitio, quapropter Hippocrates libro de flat. num. 20. ſcriptum reliquit, nihil magis ad prudentiam conferre, quàm ſanguinem ſi in conſtanti habitu perſiſtat; ſanguine verò permutato concidere ſimul, & prudentiam, quod confirmavit etiam in lib. 1. de morb. num. 28. Quia Fuliginum expiratio, & facilis extractio ſpirituum à ſanguine ſupponit motum inteſtinum particularum in ſanguine, qui aliud non eſt, quàm fermentatio.

Datus eſt à natura ſanguini motus fermentationis in plures uſus. Et primò, ut hoc motu continuò excrementa ſepararentur, eo modo quo à vino per fermentationem fœces ſecernuntur, & ſic libera ab excrementis maſſa ſanguinea purior, & perfectior evadit, & ſua munia rectiùs exequitur, tàm quoad nutritionem partium, quàm pro ſpirituum generatione, & pro conſervando calore totius.

Secundò, per fermentationem ſubtiliantur magis partes, ſanguinem conſtituentes, & ſubtilitatem ſuſceptam liberiùs circulantur, & particulæ componentes ad unionem perfectiorem inter ſe acquirendam habilitantur, ad hoc enim, ut mixtio ſuccedat perfecta, debent miſcibilia in partes minimas redigi, & agitari, quod facit motus fermentationis.

Tertiò, ut continuò motu à fermentatione præſtito, partes ſpiritoſæ, & calidæ ſanguinis excitentur in copia ſufficienti ad conſervandum calorem in eo, & in toto.

Diminuto hoc motu fermentationis ſuſpenditur excrementorum ſecretio cum univerſali inquinamento maſſæ ſanguineæ, & detrimento omnium partium, ut contingit in Chachexia, quæ ſemper ſui primordia deſumit ab excrementis in ſanguine retentis craſſitie, & aciditate motum fermentationis impedientibus, & excrementa in ſanguine conſtringentibus, ſpiritibuſque fontem caloris fixantibus, & diminuto motu prædicto attenuante ſanguinem craſſitiem hic contrahit cum vitio circulationis ejuſdem, in tarditate conſiſtente, à quo aliquando etiam provenit reſpirandi difficultas, oppreſſis pulmonibus à copia ſanguinis ex retardata circulatione in ſuis vaſis cumulata, cordis tremor, & palpitatio ab eadem copia ſanguinis craſſi cor gravante, quod docuit Hip. in lib. de morbo ſacro num. 7. ſcribendo, cum deſcenderit pituita frigida ad pulmonem, aut ad cor, perfrigeratur ſanguis, venæ autem violenter perfrigeratæ ad pulmonem, & cor aſſiliunt, & cor palpitat, ut præ hac neceſſitate anhelationis incidant, & ſpiratio cervice erecta, non enim ſpiritum ſuſcipere poteſt, donec id, quod influxit, à ſanguine fuerit ſuperatum, & calefactum, in venas fuerit diffuſum.

Ab eadem craſſitie vaſorum obſtructione partes depravantur, & earumdem nutritio diminuitur, ſanguine ob ſui craſſitiem poroſitates earum non ingrediente cum nutritionis diminutione, ſublata materia alimentali.

Caloris defectum morboſo proximum concipit ſanguis ex diminuto motu fermentationis, cum languore omnium operationum corporis, dum deſtituuntur principali inſtrumento, quod eſt calor neceſſarius, non ſolùm ad ſanguinis perfectionem, & ad ſui muneris executionem, ſed ad perfectum actionum exercitium, & præcipuè pro excitandis, & adiuvandis fermentis partium, principia dictarum actionum, & quæ ſolo motu eaſdem perficiunt: unde diminutis particulis calidis in ſanguine ſuo motu perturbato fermen-

fermenta partium continua, ſed adæquata commotione agitantia iſta otiantur, vel diminutè ſuos motus exequuntur, cum damno totius corporis, & etiam cum vitæ deperditione, juxtà Hip. ſententiam lib. 2. de morb. num. 8. ſub his verbis, cùm atra bilis in capite commota fluxerit maximè in partem, in qua plurimæ ſunt venæ in collum inquam, ac pectus, ſyderatus fit homo, ac impotens ſanguine nimirum perfrigerato, & ſi ſuperior evaſerit, itaut ſanguis caleſcat ſivè ab his, quæ exhibentur, ſivè à ſe ipſo (hæc verba deſignant ſanguinis fermentationem propriam) attollitur, ac movetur, ac diffunditur, & ſpirationem inducit, & ſpumeſcit, & à bile ſeparatur, & ſanus evadit. Si verò ſuperior non evaſerit, adhuc magis perfrigeratur, & ubi penitus perfrigeratus fuerit, & calor ex ipſo defecerit, congelatur, & moveri non poteſt, ſed moritur, & idem confirmavit eodem libro num. 8. hac ſententia; cùm venæ in capite fuerint calefactæ, trahunt in ſe ipſas pituitam, deinde neceſſe eſt præ pituitæ frigiditate ſanguinem nunc magis ſiſti, & perfrigeratum eſſe, quàm priori tempore, dum autem ſanguis non movetur, fieri non poteſt, ut non etiam corpus quieſcat, ac torpeat, & ſiquidem ſanguis, ac reliquum corpus ſuperarint, itaut caleſcant, homo evadit, ſi verò pituita prævaluerit, ſanguis magis perfrigeratur, ac congelatur, & ſi frigiditas, & congelatio augeſcant, penitus congelaſcit, & perfrigeratur homo, & moritur, quæ omnia indicant fermentationem ſanguinis, qua ceſſante ſanguis refrigeratur, nec movetur, & mors imminet, & hoc eſt, calorem partium à ſanguine depravato vitiari, & temperamentum; & calorem innatum partium à ſanguine optimo conſervari.

Motum fermentationis diminutum maſſæ ſanguineæ augent præcipuè omnia ſalia volatilia, ut ſpiritu cornu Cervi, & ſalis ejuſdem, fuliginis, charabæ, ſanguinis humani, urinæ, & ſalis armoniaci; ſalia etiam fixa, & præcipuè cæphalica, ut Roſmarini, Salviæ, Lavendulæ, Majoranæ, & ſimilia, quæ attenuando, & viſciditatem ſanguini auferendo, fermentationis motum adaugent, quòd præſtant etiam omnia Aromatica, & aquæ ab his extractæ, vel decocta ex his parata, & omnes herbæ ſale volatili, & acri præditæ, & omnia remedia ſuperius recenſita pro acido Lymphæ aucto, & pro ſucco Pancreatico ab aciditate nimia depravato, quæ conveniunt etiam in Cachexia ab acido exuberante, ab iiſdem etiam remediis calor ſanguini reſtituitur, & excrementorum facilis ſegregatio coadiuvatur. Dum enim viſciditas ſanguini aufertur unà cum cœteris partibus hunc conſtituentibus; excrementa ſubtiliantur, & etiam vinculum illud, quòd arctè hæc cum aliis partibus uniebat, laxatur, & facilè ſolubile evadit; idcircò ob contractam ſubtilitatem, & vinculi laxitatem facilè diſgregantur, & à cœteris ſeparantur, pari pacto calor augetur cum ablata viſciditate per fermentationem particulæ calidæ ſpiritoſæ in majori copia explicentur, cum renovatione debitæ fermentationis; & ita in correctione illius viſciditatis corriguntur omnia vitia ſupradicta, & præcipuè Cachexia.

Motus fermentationis à naturæ inſtituto deflectit, quando modum excedit, hac enim via ad diſſolutionem, & putredinem tendit, à valido motu diſſoluto vinculo partes ad invicem connectente, vel ablata illa textura, quæ maſſæ ſanguineæ dat eſſe, & ex cujus ablatione, dictum eſſe, amittit.

In hoc motu fermentationis aucto, & præternaturali conſiſtit febrium Natura, & eſſentia, de qua alibi; ab hac conſtituitur plenitudo quædam vaſorum, quæ quandoque fluxui ſanguinis occaſionem præbet, quòd innuit Hip. lib. 2. de morb. num. 5. dicendo, cùm igitur calefactæ fuerint venæ, & ſanguis in ipſis efferbuerit (ecce fermentatio aucta) quæ quidem in capite ſunt, Venæ diſtribuunt ipſum ad nares, & ad os, loca verò, per quæ fluit ſanguis, ſunt os, nares, uterus, &c. & poſt cibum hujus vitio in toto corpore magna accidit incaleſcentia cum dolore capitis.

Huic motui inordinato fermentationis febrem conſtituenti occurrendum eſt cum febrifugis refrigerantibus, de quibus jam dictum fuit in aliis caſibus eadem refrigerantia cum incraſſantibus conjuncta, ſunt unicum remedium pro ſedando dicto motu ſine febre, per incraſſantia intelligenda ſunt etiam acida, quæ figunt, & condenſant, opiata etiam mirificè motum fermentationis ſanguinis inordinatum ſiſtunt.

CAPUT XII.

De Nutritione, & Augmentatione.

Definitur ab Ariſtotele facultas nutritiva, quod ſit principium, quo vivens poteſt conſervare ſe ipſum, quatenus eſt tale, reparando partes deperditas. Et quia non poteſt vivens reparare partes deperditas, niſi convertendo alimentum in ſuam ſubſtantiam, ideò vivens indiget alimento, tamquàm materia, circa quàm operetur pro ſui conſervatione, qua ſi careat, conſervari non poteſt.

Ad nutritionem tria concurrunt ſecundùm prædictum Ariſtotelem in lib. 2. de anima cap. 6. primò id, quod nutrit, ſecundò, quod nutritur, & tertiò id, quo nutritur. Id, quòd nutrit, primò, & principaliter eſt anima vegetativa in plantis, ſenſitiva in animalibus, rationalis in homine eminenter continens vegetativam, & ſenſitivam; videntur enim convenire principium nutritionis, & principium generationis, cùm principium nutritionis materiam pro conſervanda parte præparatam diſponat, eadem organizatione, & textura, qua diſpoſita fuit à principio generante pro partis conformatione, cùm autem principium generationis ſit anima, dirigens in materia ſeminali particulas diſpoſitas ad generationem cujuslibet partis, deciſas à generante, & fermento generativo, à teſtib. maſculi ſemini communicato imprægnatas, pari pacto cenſendum eſt, principium nutritionis eſſe eamdem animam, dirigentem materiam diſpoſitam à calido innato partis, & vi talis diſpoſitionis redactam ad Naturam materiæ ſeminalis, à qua pars nutrienda ſuam trahit originem, & eò magis videtur hoc ratione ſtabiliendum, cùm conſervatio non ſit, niſi continuata generatio, quapropter cùm per nutritionem animal conſervetur, continuò per hanc facultatem generatur, & conſequenter principium effectivum generationis, & nutritionis in unum convenient, & finis non valdè diſſimilis, quia in generatione hominis totum Corpus organizatur, in nutritione ejus parva portio, quidquid enim additur in locum deperditi, ad hoc, ut verè fiat pars, debet organizari juxtà partis organizationem.

Aliud eſt principium nutritionis, ſed ſolùm diſpoſitivum, & eſt calidum illud innatum à primordio generationis ex materia calida, & humida ſeminali, & ſanguinea conflatum, & juxtà cujuslibet partis exigentiam, & officium diſpoſitum, & diverſimodè contextum, cujus activitate conſiſtente non ſolùm in caliditate, & humiditate, ſed in ſpecifica virtute fermentativa, quæ inerat in particulis ſeminalibus, ex quibus contextum fuit, materia diſponitur ad ſimilitudinem partis ei ex toto imprimendam ab anima. Sub his conſiderationibus hoc calidum innatum conſtituit temperiem partium, cùm in ſe uniat prima elementa, unita particulis ſalis, & ſulphuris, & ab aliis nomine fermenti appellatur, quia motu quodam fermentativo materiæ actuandæ aliquas particulas movet, agitat, improprias expellendo, cum tali modificatione neceſſaria ad talem configurationem, organizationem, & calidas, & humidas vi talis modificationis reducit, ad talem texturam ſimilem illi, quam habet, itaut calidum, & humidum in materia pro nutritione exiſtens, cùm tali textura evadat calidum innatum, quoad eſſentiam, & efficaciam, ſi non quo ad originem, nec alio modo poteſt explicari, quomodo pars in nutritione addita calido innato informetur. Verum tamen eſt hujuſmodi calidum innatum pro ſupradicto officio, & munere indigere ſemper calido influente, hoc eſt ſpiritu, vel ſubſtantia calida ſpiritoſa in ſanguine latitante, hic enim dum circulariter per corpus movetur, partes perluſtrando ſua ſubſtantia fluxibili ſpiritoſa, intimiores partium receſſus penetrat, & hac non ſolùm deperditas calidi innati particulas reparat, ſed etiam illud ſuo motu excitat, & agitatione movet, ut ſuas actiones in ſolo motu conſiſtentes exerceat, huic addunt ſpiritum animalem

malem recentiores convicti ab experientia demonſtrante, paralyticas partes deſtitutas ſpiritu animali non nutriri, ſed emaciatas exſiccari.

Organizatio, & partis conſtitutio concurrit etiam ad ipſius nutritionis opus, ſi non inſtrumentaliter efficiendo, ſaltem conditionaliter, & videtur experientia adeò certum, ut probatione non indigeat, cùm obſervemus partes malè organizatas, vel læſas, ut ulcere, tumore, & aliis morbis organizationem lædentibus in nutritione lædi, eſt enim neceſſaria organizatio pro recipienda materia, & pro ejuſdem præparatione.

Secundum, quòd requiritur ad nutritionem, eſt alimentum, quòd ab Ariſtotele loco cit. determinatur eſſe contrarium alito, quia in ſubſtantiam iſtius convertitur, ſed converſio eſt mutatio contrarii in contrarium, & conſequenter alimentum debet eſſe contrarium alito, & talis contrarietas à Recentioribus rectè explicatur per diverſimodam, & contrariam texturam particularum: nam alimentum, prout alimentum, manet ſub textura fluidis debita, & ſub illa debita v. g. ſanguini, & per quam ſanguis eſt ſanguis, & ad hoc ut fiat pars aliti textura ſolidis convenienti, neceſſe eſt, ut exornetur, & illa propria ſuæ conditionis ſpolietur. Hanc texturæ rationem explicarunt Antiqui per formam, dantem eſſe fluidi, vel ſolidi, & ſanguinis, quod eſſe ſola textura particularum præbet.

Alteram conditionem voluit Ariſtoteles in alimento, nempè, quòd hoc non ſolùm ſit contrarium alito, ſed etiam ita ſit contrarium, ut alitum non ſolùm poſſit nutriri, & augeri ex tali contrario, verùm etiam generari, & tertiam addit conditionem alimento, quæ eſt, ut poſſit ab altero præexiſtente converti in ſe ipſum, ad ſe ſe conſervandum, & augendum, & explicat ignis, & aquæ exemplo, nam licèt ignis convertatur in aquam, & aqua in ignem, adhùc ignis non dicitur alimentum aquę, ſed aqua, vel potiùs corpora humida dicuntur alimentum ignis, quia ignis præexiſtens videtur convertere humidum in ſuam ſubſtantiam ad ſe conſervandum, & augendum.

Hujuſmodi contrarietas in ſupradicta textura poſita, (nam ſecundùm qualitates non poteſt reperiri contrarietas, dum alimentum, quòd eſt ſanguis, & calidum, & pars nutrienda eſt pariter calida,) tollitur à parte actuante alimentum delatum, & in iſta actuatione ſimile ſibi reddit, ex quo colligitur, quòd ſi conſideremus alimentum à parte non actuatum, vel in principio actuationis, eſt verè contrarium parti, ſi verò conſideremus alimentum à parte diſpoſitum, licèt non adhùc ei conglutinatum, tunc debet dici ſimile parti, & ita ſecundùm hanc diverſam conſiderationem alimentum dicitur contrarium, & ſimile alito.

Tertium, quòd requiritur ad nutritionem eſt id, quòd nutritur nempè animal, quòd ſi debet rectè nutriri, debet etiam eſſe inſignitum conditionibus ſupradictis ad perfectam naturæ regulam cuicumque parti deſtinatam.

Fit ergo nutritio, dum particulæ ſanguinis, per partem circulantis motu circulationis impelluntur intrà cavitates ejuſdem partis relictas à materia expirata, vel diſſoluta ejuſdem partis, & hoc modo tollitur neceſſitas attractionis, quæ aboletur à ſtabilita ſanguinis circulatione, per quam alimentum defertur ad partes, idcircò hæ non indigent illius attractione, & ita ſenſiſſent Antiqui, ſi circulatio prædicta illis nota fuiſſet, ſanguis intra has cavitates incluſus à calore innato ejuſdem partis ab influente actuato afficitur, & à motu ejuſdem calidi innati diſponuntur particulæ materiæ nutritivæ ad eam conſiſtentiam acquirendam, quæ debetur parti, & cum eadem figura, ſitu illi conveniente, per quæ fit ſimilis parti nutriendæ. Sic mechanicè experimur, plures partes diſparatas materiæ per ſolam diſpoſitionem ſitus, cum tali ordine, numero, & figura repræſentare rem illam, ad cujus ideam diſponuntur, illæ variæ partes diſiunctæ, & diſparatæ. A particulis pariter ſubtiliſſimis ab ejus ſubſtantia expirantibus tali calore perfunditur ſimili calori partis, cujus eſt calidum innatum, & calidæ particulæ in materia exiſtentes accipiunt ab his texturam calidi innati, ut ſuperiùs dixi.

Dependenter ab hac diſpoſitione alimentum fit pars aliti, accipiendo temperiem, organizationem debitam parti, quæ alitur, cum unione, per quam evadit pars, non aliter, ac illud quod deperditum fuit, erat pars eò quia informatur anima totius (præſertim in homine) & tunc eſt perfecta nutritio, ideòque dicitur animam eſſe principium effectivum nutritionis, dando parti ſanguinis præparatæ, & membro appoſitæ eſſe formale partis, in homine hoc modo eſt diſcurrendum in aliis animalibus, & vegetabilibus alio modo Philoſophus poſſet procedere.

Ab hoc motu impreſſo â calido innato partis materiæ alimenti fit quædam ſegregatio, & depoſitio materiæ non idoneæ ad nutritionem, & ita materia depuratur, & defœcatur.

Hoc modo peragitur nutritio in qualibet patte, & hæc omnia tàm à Recentioribus, quàm ab Antiquis (quia Ariſtotelis menti conſona) ſunt recepta; calorem enim inſtrumentaliter concurrere ad nutritionem citato loco docuit Ariſtoteles, afferendo exemplum de nauta, qui manu, & temone navim gubernat, manu tamquam inſtrumento ſibi conjuncto, temone tamquam ſeparato; pari pacto concludit animam nutritionem perficere calido innato, tamquam inſtrumento ſibi conjuncto, alimento tamquam ſeparato, & ita facultas nutritiva corporea medicinæ ſubiecta completur calido innato, influenti, & materia, & organo, anima verò non conſideratur, quia morbo non ſubiecta, ut ſuperiùs expoſui.

Dixi alimentum eſſe ſanguinem intelligendo de partibus eum conſtituentibus, vel ab eo derivantibus, & ſic ſivè ſit ſerum, quod nutriat partes, ſive ſuccus nerveus, ſivè ſit ſubſtantia illius rubra, ſemper verum eſt ſanguinem eſſe ultimum alimentum aliti, & quamvis probabile exiſtimem partes, vulgo dictas, ſpermaticas alibi coloris à ſero nutritivo reſtaurari, tamquam à magis proportionato alimento, & carnoſas à rubicunda maſſæ ſanguineæ parte, de his nullam determinationem quęro, cùm hanc putem ſuperfluam medicinæ fini, qui eſt errores in alimento contingentes corrigere, & hos corrigit, tàm ſi alimentum ſit ſolum ſerum, quàm ſi ſit ſola ſubſtantia rubra, vel utraque; nam dato, quòd alimentum ſit depravatum in exceſſu caloris, & per hanc depravationem nutritio totius, vel alicujus partis lædatur, certè, quòd medicamentis refrigerantibus tolletur calor, ſivè exiſtat in ſero nutritivo, ſivè in rubra portione cruoris.

Ab hac materia ſanguinis omnes partes corporis diverſæ naturæ, & temperamenti, & quandoque contrarii nutriuntur, quia hoc nutrimentum ex ſui natura eſt aptum ſuſcipere quaslibet diſpoſitiones proprias cujuslibet partis, & verti in quamlibet partem, tales verò diſpoſitiones ſuſcipit à calido innato, vel fermento partis, quòd ſe habet tamquam forma determinans alimentum, tamquam materiam primam ad mutationem; vel in hanc, vel in aliam partem, quod docuit etiam Hippocrates in lib. de alim. num. 2. ſcribendo, facultas alimenti pervenit & ad oſſa, & ad omnes partes in venam, arteriam, nervum, muſculum, in pelliculam, in carnem, pinguedinem, medullam, cerebrum, & confirmavit in libro de carnibus num. 13. dicendo alimentum, ubi acceſſerit unumquodque talem ſpeciem unicuique reddit, qualia ſanè erant, ſingula enim irrigata ab alimento augmentum capiunt calidum, & frigidum, glutinoſum, & pingue, amarum, & dulce, & oſſa, & alia univerſa, quæ in homine inſunt.

Si facultas nutritiva corporea hæc organa, & inſtrumenta nutritionis malè ſe habeant, & ſint ſuo muneri improportionata, læditur facultas, & ejus operationes, quarum læſionem deſumo ab inſtrumenti depravatione, ſicut feci in aliis operationibus, hucuſque recenſitis, & declaratis, ob rationes alibi dictas.

Cùm ergo calor innatus ſit præcipuum nutritivæ facultatis inſtrumentum, in hujus læſione quærenda eſt cauſa depravationis, circa nutritionem contingentis, & quia calor innatus poteſt lædi, & ab intrinſecis, & ab extrinſecis, idcircò immorandum eſt in indagando modo, quo ab his læditur, & in eo, per quem corrigi, & ad ſuam perfectionem reſtitui poſſit.

Læditur ab intrinſecis calor innatus, quando à calore influente, in ſanguine exiſtente, à quo deberet conſervari, & foveri per ſua vitia depravatur, & ab optima conditio-

ditione naturali alienatur, hoc autem contingit, quando calidum ſanguinis, ſeù ejus ſpiritus intensè fervet, & perturbato, ac violento motu agitatur, quo pariter calidum innatum, & contra ſuæ conditionis inſtitutum movet, & fetveſcere facit, cum læſione operationis nutritivæ in ea parte, in qua prædicto modo afficitur calidum innatum; nutritio enim perfecta eſt alligata tali determinato motui, & calori agentis, quibus diſponit materiam juxtà exigentiam partis nutriendæ, quapropter, ſi agens ab hoc motu, & calore recedat, vel per exceſſum, vel per defectum, neceſſe eſt, ut nutritio depravetur, talis enim ratio motus non eſt, niſi actio à peripateticis agenti tributa, per quam paſſum aſſimilatur agenti, & per motum exequitur, ut ſuperiùs de modo, quo peragitur nutritio, explicavi, quam actionem eſſe motum ultrò concedunt, & ſicuti per actionem, vel debilem, vel excedentem decretum naturæ infertur effectus à natura non intentus, ita per Neotericos ratio motus depravata in agente, operationem in effectu depravatam inducit, ſic à motu excedente calidi innati fiet depravata nutritio, quia materia, quæ pro nutritione à parte recipitur, vi talis motus pro majori parte diſſipatur, & quod additur, eſt minus, quàm quod deperditum fuit, & nutritio imperfecta evadit, ratione quantitatis diminutæ, cum aliquali emaciatione partis.

A motu nimio poteſt etiam materia magis incraſſari, cùm habeat aliquid pinguis, eo modo quo pars pinguior lactis per motum, & agitationem in ſubſtantiam ſolidam butyri condenſatur, & talis incraſſatio erit improportionata parti nutriendæ, & quod apponetur non erit conſimile illi, & conſequenter nutritio evadet imperfecta, ab eodem motu perturbato, poteſt variari diſpoſitio particularum materiæ ad talem ſitum, & configurationem, cum depravatione organizationis ejuſdem, vitiantis nutritionem partis, cum multorum morborum generatione, de quibus inferiùs fusè tractabimus. Fervore, & caloris intenſione peracta à calore excedenti ſanguinis, calidum innatum exardeſcit, & materiam actuatam pro nutritione hac caloris intenſione afficit, ejuſque calidas particulas ad texturam calidi innati redactas, additione aliarum particularum calidarum ad excedentem activitatem calidam exaltat, ut cogatur diſcedere à perfectione nutritioni debita, cum intermiſſa reparatione deperditi in parte.

Ab his deducitur ratio, cur in febribus fiat mala, vel nulla nutritio, quia calor febrilis ſuas actiones intemperatè edendo, nutritionem lædit etiam, vel aduſtione alimenti, vel diſſolutione ſpiritoſæ ſubſtantiæ, vel exaltatione ſalis acris in materia exiſtentis, à quo poſteà corroditur pars, vel exſiccatur cum macie. Hanc læſionem nutritionis derivarunt Antiqui ab intemperie calida partis, inducta à calido influente excedenti ſanguinis, quæ intemperies fundatur in ipſo calido innato, verum temperamentum partis conſtituente, quod in ſententia eorum admittentium elementa actu in mixto conſtituitur per eorum ſubſtantiam ad minima reductam, & hujus exceſſus ſecundùm aliquam qualitatem non introducitur, niſi per additionem ſubſtantiæ tali qualitate affectæ, & in minimas particulas diviſæ, ſicuti actio ejuſdem temperamenti, non explicatur, niſi per motum ſubſtantiæ præcipuè ab eis, à quibus elementorum qualitates pro formis habentur, & qui actionem per ſubſtantiales effluxus ab agente emanantes explicant, prout multoties facit Ariſtoteles libro de meteor. de gener. & corrupt. & in lib. problem. & hanc rationem temperiei, & intemperiei Neoterici dictatis Antiquæ ſcholæ ſe accomodantes non renuunt, ſicut modum agendi explicatum ſequuntur, nec alio modo videntur loqui Recentiores, qui intemperiem calidam partis agentem explicant, per motum violentum, & perturbatum inhærentem ſuis particulis ſulphureis, & accenſibilibus, quæ calidæ cenſentur, & auctis à novis particulis calidis, & ſulphureis prædicto motu prædictis, & præexiſtentibus additis, & etiam ſi in his ſpeculativè diſſentirent, practicè tamen in unum conveniunt, dum antiqui pro extinguenda, vel moderanda intemperie calida, refrigerantibus utuntur, quæ his inſerviunt pro modificando motu inordinato, & perturbato particularum, à quo habetur calor excedens, & intemperies cum exceſſu calida. Omnibus enim notum eſt, quantum frigiditas valeat, ad frænandum motum ſpirituum, non tam in corpore humano, quàm in extractis ſpiritoſis, chymicè peractis.

Ubi ergo cognoſcetur hic exceſſus caloris per temperamentum naturale, per errata, & per Symptomata, refrigerantia in uſu erunt, & ſpecifica parti affectæ, quòd ſi totum, vel ſanguinis maſſa nimis incaleſcat, omnia refrigerantia toties repetita convenient.

Calore ſanguinis influente, debilitato ab aqueis, & frigidis particulis abundantibus, pari pacto calor innatus partis enervabitur juxtà proportionem illius languoris, tàm in motu, quàm in calore, itaut materia actuanda ab eo, nec per motum illi impræſſum recipiat diſpoſitiones configurationi, & organizationi perfectæ debitas ad hoc, ut nutriat, quibus deficientibus nutritio ex materia taliter diſpoſita, non poterit dici vera, & perfecta, & hoc in debili motu facilè ſuccedet, dum materia aliquo modo reſiſtens deludet debilitatem motus agentis, ad hoc ut diſponatur in debito ſitu, cum convenienti numero particularum, & figura decenti; & ſic diverſimodè diſpoſita vitiatam dabit organizationem.

Ab eodem motu debili non exequetur ſegregatio excrementorum materiæ, & particularum, non idonearum ad conſervationem talis determinatæ partis (licèt per ſe ſint idoneæ ad alterius partis perfectam conditionem ſtabiliendam) unde ſuccedente appoſitione actuatæ materiæ degeneris, ab illis qualitatibus perfectionem nutritioni contribuentibus, quarum præcipua eſt, ut materia nutritiva ſit defœcata, & mundata ab excrementis, & apta recipere diſpoſitiones agentis, non perficietur opus nutritionis, eò quia materia appoſita parti numquam evadet ei ſimilis, ideòque nutritio, depravata ſuccedet.

Idem eveniet etiam pro conſervatione caloris innati, cujus activitas refracta ab imperfectione ſui conſervativi, & excitatiti, nempè à frigidis, & aqueis particulis in eo excedentibus, erit impotens ad imprimendam regulam calidis particulis materiæ, per quam deberent conformari texturæ calidi innati, præexiſtentis in parte, & qua non accepta numquam pars addita calido ſimili huic caleſiet, nec ſimilitudine cum eodem exornabitur.

Hoc modo explicant recentiores nutritionis depravationem, ob vitium calidi innati contractum à calido influente debilitato, à quo vitiari calidum innatum ultrò concedunt Antiqui, & nihil frequentiùs exagerant, modum verò hujus læſionis deducunt à ſola imbecillitate caloris influentis, & innati impotentis; ad aſſimilandam materiam, juxtà ideam partis, & imbecillitatem, in qualitatem calidam diminutam in ſanguine, & partibus refundunt, & quia recentiores explicant hanc impotentiam modo ſupradicto experientiæ, & rationi conſono, ut ex dictis ſuperiùs patet, deridentur, quamvis tota differentia conſiſtat in explicando calore per qualitatem, vel per effluxum ſubſtantialem, quàm differentiam ſuperiùs etiam componere ſtudui. In curatione verò hujus depravatæ nutritionis ab hac cauſa manifeſtata, per ſanguinis vitium in calore debili, qui per ſe clarè manifeſtatur, non ſunt deridendi cum calidis Aromaticis, exemplo, & documento Antiquorum prædicto vitio occurrant, quibus reficitur languor caloris influentis, & reſtituitur ſuæ naturæ, & virtuti, à qua perfectè actuatum calidum innatum partis, in motu, & calore, nutritionem peragit ad ideam naturæ rectè operantis.

Ex dictis pendet ratio intemperiei calidæ, & frigidæ, conveniendo Recentiores cum illis antiquis determinantibus non dari intemperiem nudam, ſed omnem eſſe cum materia, pars enim in calore diſtemperata manet, quia ſpiritus, & particulæ calidæ illi ſubminiſtrantur in majori quantitate, quàm conveniat ſuæ naturæ, & hoc videtur eſſe maximè rationi conſentaneum, cùm notum ſit ſanguinem corpus calefacere per ſubſtantiam ſpirituum, & hos eſſe ſubſtantiam caloris ſedem, & receptaculum; eſt in confeſſo apud omnes, & per ſubſtantiam calidam corpora calefieri, pluries docuit Galenus, & Hip. Et idem dicendum de intemperie frigida; nam frigus in febribus oritur à vapori-

vaporibus aqueis, & acidis ſalinis, fontem caloris refrigerantibus, & flammam vitalem opprimentibus, ut docuit Hip. lib. de flat. ubi hanc, vel ſimilem affert rationem pro explicando frigore, poſt cibum corpus occupante.

Ab intemperie calida, ſicca, etiam ſi illa fuerit excedens introducitur, per quam læditur nutritio conſtrictis à ſiccitate poris partis, vel totius, ut non admittatur materia nutritiva, & præ ſiccitate pars non permittit ſibi conglutinari materiam, quo in caſu cum Antiquis frigidis humida nutritiva, ut lac; & Ptiſana unienda humidum excedens minuit dictum calidum, remittitur exſiccantibus.

A cauſis extrinſecis læditur calidum innatum, quando ab eis, vel intensè calefit, vel refrigeratur, eo modo quo dictum fuit de ſanguine in idem calidum prædictum operante, cauſa contundens calidum enervat, non ſolùm, quia à concurſu humorum ad partem contuſam opprimitur, ſed etiam quia textura ejuſdem calidi aliquo modo à corpore contundente laxatur, ſi non dirumpitur, cum detrimento illius modificationis, per quam tales, & determinatas exercet operationes partis talis proprias, & non aliarum, à vulnere, in quo diſcontinuatur pars, ſi ab aere frigido afficiatur, virtus iſtius innati calidi enervatur, itaut alimentum pro nutritione ei ſubminiſtratum in pus convertat; tubuli etiam partis diviſæ per diviſionem in ſe contorquentur, & humori advenienti liberum aditum impediendo, moramque ibi trahenti, pluſquam conveniat, aceſſit, & in pus abit, aciditate depravando calidi innati virtutem, unde adiuvatur puris ejuſdem generatio, idcircò balſamica in vulneribus, quæ calidum fovent, & conſervant à ſanioribus Chirurgis adhibentur relictis unctioſis, & digerentibus, calidum enervantibus. Idem dicendum de ulcere, à cujus putridis exhalationibus textura ejuſdem calidi innati magnæ ſubiicitur læſioni præter naturalis fermenti ideam, & vim illi inſpirantibus cum ſui depravatione, excedenti, per quam multa ulcera ſunt inſanabilia, & aliqua curata non perſiſtunt in curatione, quia calidi textura, & vitiata conditio non poteſt remitti, vel remiſſa aliquo modo non poteſt conſervari, remanente portione fermenti præternaturalis ſupradicti, à qua de novo corrumpitur textura, ſimilis naturali introducta.

Spirituum animalium influxus impeditus, vel nimius eorum motus, vel debilior, partis nutritionem depravat, eò quia à ſpiritibus eadem fomenta ſuſcipit calidum innatum, quæ ei ſanguis impartitur, unde, quæ de hoc dicta ſunt, illi applicari debent, non ſolùm quoad Theoricam, ſed etiam quoad practicam, cum hac animadverſione, quòd calida, quæ uſurpantur pro ſpirituum reparatione, cui multùm conducunt, debent eſſe volatilia, ut ſunt omnia cœphalica, & eis admiſcenda veniunt volatilia naturæ ſpirituum maximè conformia, ut ſunt ſpiritus cornu Cervi, fuliginis, ſanguinis humani, Charabe, ſeù ſal volatile iſtius, ſpiritus urinæ, & ſalis Armoniaci, ſpiritus vini, & ſi hanc doctrinam liberè, ſicut Recentiores non docuerunt, Antiqui obſervarunt, tamen in læſione nervorum, partium nutritionem aboleri, nec culpandus pro hoc vitio, niſi impeditus influxus ſpirituum animalium ad partem, cùm ſanguinem per arterias ad partes tranſire negare non potuerint, venis ſanguine turgidis apparentibus in parte læſa.

Alimenti ratione depravatur nutritio, quando ſanguis ſua copia partem innundat, opprimendo calidum innatum partis, & fermentum, ut non valeat præparare, nec portionem ſibi debitam pro nutritione, & quia totus non poteſt in ſubſtantiam partis converti, nec à venis abſorberi, ſtagnando, putreſcit, & inflammationem parit, à cujus fervore alteratum calidum innatum partis, nutritionis actus ſuſpenditur, vel depravatur, & remittitur ſola curatione inflammationis, per largam ſanguinis miſſionem à parte contraria affectæ, & refrigerantium uſu, quibus motus ſanguinis reprimitur, ne fluat in quantitate, & cum impetu ad partem affectam, & in hoc caſu deobſtruentia ſunt ſuperflua, quæ in alio caſu inflammationis ab obſtructione ſunt maximè proficua, quia nulla eſt neceſſitas in ſupradicto caſu deobſtruendi, cùm à ſola quantitate ſanguinis pendeat inflammatio, imò re attentè conſiderata, eſſent valdè nociva, cùm calore motum ſanguini imprimant majorem, quo cùm impetu ad partem flueret, quantitatem ſui in ea augendo, & inflammationem. Unde colligitur in inflammationibus diſcernendum eſſe, an à ſola quantitate ſanguinis, vel ab obſtructione proficiſcantur, ſignum prioris cauſæ eſt Plethora, ſecundæ ſunt abundantiæ humoris craſſi, & acidi, & præcedens cauſa coagulans, & condenſans, at de hoc alibi dictum.

Si verò ſanguinis excedens quantitas in ſubſtantiam aliti convertatur ſecundùm partem carnoſam, rectè organizatam, itaut corporis moles ordinarios naturæ limites multùm excedat, nutritio dicitur depravata, quia deforme corpori augmentum à natura minimè intentum tribuit, morbum in mala conformatione conſtituendo, & huic vitio apponenda eſt victus tenuis ratio, qua ſanguinis copia minuitur, ſicut venæ ſectio, pluries in anno reiterata, exercitia continua, & valida, & refrigerantia, & ſiccantia, quæ debilitent calidum, & humidum principium cumulans ſanguinem in copia, & totum apponens.

Multæ ſunt excreſcentiæ ſine organizatione, & delineatione debita luxuriantes à vitio, tàm ſanguinis, quàm agentis prodeuntes, in quarum conſideratione, cùm nulla appareat diſcrepantia, reſultans ab Antiquorum, & Recentiorum dogmatibus Syſtematis regulis non eſt ſubiicienda, ideò libenter harum tractationem prætermitto, ne lectori tædio ſim.

Præter Carnis exceſſum, contingit aliquando ille pinguedinis prodiens à copia ſanguinis pinguis, & oleoſi intra ſtamina pinguia determinatis partibus affixa, à primordio generationis, è ſemine efformata illabente, ſpaciaque à textura dictorum ſtaminum relictam implente, in quibus à calore innato partis, & influente concoctus, & incraſſatus in pinguedinem concreſcit, inducta à prædicto calore tali agitatione, per quam ſoliditatem, & conſiſtentiam acquirunt dictæ particulæ ſanguinis oleoſæ, & pingues eo modo, quo oleum agitatione valida, ad unguenti conſiſtentiam reducitur, & lac in butyrum trahitur, hic exceſſus pinguedinis conſtitutionem corporis vitiando, & deformitatem quamdam inducendo, vitiatam nutritionem ratione copiæ materiæ oſtendit, & licèt ſit diſcrepantia inter Authores, an ſit pars Spermatica pinguedo, & an concreſcat à frigore, vel calore; conveniunt tamen omnes in hoc, quòd materia ejus ſit pars oleoſa, & pinguis ſanguinis, & pro curatione hoc ſufficit, nam diminuta hac oleoſitate, & pinguedo minuetur, hinc omnia acida, ut acetum ſimplex, & ſtillatum, ſuccus limonum, & ſimilia ſunt proficua, ſicut Cremor Tartari antè prandium ſumptus, omnia etiam amara hoc perficiunt, ut ſemen Rutæ, Agreſtis, Ariſtolochia rot. Centaurea, Gentiana, Polypodium, & Sandraca dicuntur extenuare omnem pinguedinem, ut ſequens pulvis ad ℥. 1. in aceto ſimplici, vel deſtillato, vel ſucco granatorum. ℞. laccæ lotæ, Sandrachæ miner. an. ℥. 4. Majoranæ ℥. 5. aluminis, Ariſtolochiæ rot. an. ℥. 5. m. f. p.

Sicuti nutritio per materiæ quantitatem læditur, ita per deficientiam aboletur, deficit, autem, quia non generatur talis materia nutritioni apta, vel quia generata abſumitur, vel quia ſecundùm ſuas particulas non eſt apta ingredi poros partis, vel quia eſt pravæ qualitatis, vel quia non tranſmittitur, & impeditur ejus tranſitus ad partem, vel quia pars non eſt apta eam recipere.

Non generatur in mala conſtitutione ſanguinis cum fervore, à quo diſſolvitur potiùs, quàm generetur materia nutritiva, & per nimiam efferveſcentiam in vapores, ferè totus conſumptus Chylus, præcipuè ſecundùm partes nutritivas, de eo non remanet niſi craſſum quid minimè balſamicum, & nutritioni ineptum, ideò in febribus nulla fit nutritio, quia nulla materiæ nutritivæ generatio perfecta, & ſicuti omnes Maciem in Hæctica refundunt in calorem habitualem præternaturam, tàm partium ſolidarum, quàm fluidarum, à quo non ſolùm pervertitur natura agentis nutritionem, ſed etiam conditio materiæ iſti inſervientis depravatur, ita calor ſani-

tatis

tatis limites tranſcendens in ſanguine poteſt accendi, & alienari à peragenda optima alimenti Chyloſi præparatione, imò idoneus fieri, ad imprimendas illi qualitates extraneas, nutritionis opus impedientes, hinc eſt, quòd obſervamus homines obæſos, & carnoſos in ſanitate conſtitutos, cum virium robore, & optimis alimentis utentes in quantitate ſufficienti, ſenſim emaciari, non alia quidem ratione, quia ſanguis ſua mala conſtitutione, & diſcraſia cum acrimonia ſuccum alibilem, ſeù Chylum in ſe ſuſceptum in ſui Naturam ab alimentali alienam convertit, & quia ſanguis ita conſtitutus non ſolùm pervertit alimentum, ſed etiam ſua mala qualitate circulando, ſolidarum particulas arripit, & corrodit, quas vel per emunctoria expurgat, vel inſenſibiliter expellit, ideò maciei cauſam præber, & carnium conſumptio obſervatur, & ſicuti in hæctica reparare conantur Maciem cum frigidis, & humidis, pariter hæc locum habent in hoc caſu, in quo præter lac caprinum, & aſininum, & ptiſanam, videntur eſſe accomodatæ aquæ nocer æ, & villæ cum ſucco Malvarum, & aquæ etiam acetoſæ, & ſucci herbarum refrigerantium.

Impedito ingreſſu materiæ nutritivæ in poros partis læditur nutritio, quia defficit iſti materia, & quamvis materia nutritiva motu circulationis difundatur per ſuperficiem partis, hoc non ſufficit ad nutritionem, ſed neceſſe eſt, ut ingrediatur poroſitates adhoc, ut rectè poſſit præparari. Non ingreditur autem iſtas, quia particulæ materiæ nutritivæ ſunt valdè craſſæ, & ob craſſitiem non proportionantur cum poris partis, & exemplum hujus habemus ex Galeno in Hiſtoria illius mulieris ad maciem tendentis, cum venis ſanguine turgidis, & ſanguis emiſſus craſſus, & atramento ſimilis, apertè manifeſtavit ſola craſſitie nutritionem impediſſe, & ad maciem promoviſſe, hinc rectè miſſio ſanguinis in hoc caſu cum abundantia iſtius imperatur, ut novo ſanguini tenuiori ex alimentis optimi, & tenuis ſucci genito locus paretur, & non unica miſſione contenti eſſe debemus, ſed pluries, & interpolatis vicibus eſt exercenda, ut ſanguis nutritioni ineptus, hoc modo minuatur, & attenuantibus poſteà, & diſſolventibus medicamentis utendum, in quo genere prævalent omnia ſalia volatilia, & omnia ſimplicia, acri ſale donata, ut hydropiper, Hirundinaria, radix enulæ Campanæ, Ariſtolochia rotunda, & ſimilia, quæ craſſum humorem valent incidere, juxtà Antiquorum ſententiam, & acidum craſſitiei cauſam enervare, juxtà Recentiores.

Ab alio fonte deducitur cauſa Maciei naturalis, & decrementi partium in ſenio, conſtrictis enim poris à ſiccitate ſenium concomitante, non recipitur materia pro partium reparatione, & operationum exercitio, & huic doctrinæ quadrat in ſui confirmationem locus Hippocratis in lib. 3. de diæta num. 16. in quo habet, deinde caro denſa exiſtens alimentum non ſuſcipit. Curationem non admittit hæc macies ſenilis, ſi verò ſenium anticipet humectantibus tollitur, & præcipuè balneo aquæ dulcis medicato cum malva, violaria, parietaria, Althea, & ſimilibus, & cum decoctionibus in jure factis cum eiſdem herbis, & aſſumptis pluries in die, & cum cibo humido.

Materia nutritiva conſumpta in alios uſus, vel præternaturaliter è Corpore excreta Macies inducitur, abſumitur in alium uſum, quando tota ferè in ſeminis elaborationem conſumitur, ut contigit immoderatè Veneri indulgentibus, à qua exinanitis continuò veſiculis ſeminariis, locum ſemper aperiunt novo ſemini, à teſtibus continuata actione elaborato, ob continuum materiæ ſeminalis fluxum, ad eos delatæ, per numquam interruptam circulationem, & in eorum ſubſtantia receptæ, in locum illius ſeminis elaborati, & ad veſiculas ſeminarias tranſmiſſi; quotieſcumque enim ſemine elaborato turgent, quia veſiculæ eo ſunt impletæ, ſanguinem non recipiunt, ſed ubi eo exinanite ſunt, ſanguinem admittunt, & quia exinaniuntur per immoderatam Venerem, ideò etiam ſanguinem recipiunt, & quidem eam portionem oleoſam, & pinguem, & ſpiritoſam, quæ ſola ſufficit pro nutritione, unde hac conſumpta in elaborationem ſeminis partes alimenti neceſſarii penuriam patiuntur, & Macies advenit.

Præternaturaliter excernitur in longis alvi fluxibus, & in ſanguinis profuſione, tam per uterum, quàm per Hemoroydes continua, & in diuturno fluere albo in mulieribus, in quo dum Macies inducitur, non ſolùm excrementa totius ſanguinis per illum foras emandantur, ſed neceſſe eſt, ut ab uteri mala conſtitutione ſanguis depravetur, & in excrementa alba degeneret, & in tanta copia, ut ſubtrahatur alimentum neceſſarium toti, modo ſuperiùs dicto de ſeminis copioſa effuſione, & has omnes cauſas Maciei viam ſternere docent unanimi conſenſu ſcholæ, nec in modo diſſentiunt, unde unanimis conſenſus in cura, providendo ne ſanguis in alienos uſus abſumatur, & ſanguinis, & alvi fluxui, de quibus alibi ſatis dictum, ſicuti fluori albo medicas applicando manus, juxtà regulam inferiùs tradendam.

Prava conditio materiæ nutritioni obeſt, ut ſi fuerit nimis acida, vel ſalſa, vel amara, vel auſtera, quod comprobatum manet ab illo decantato principio antiquorum, niſi dulci nos nutriri, quomodo verò ſanguis has qualitates ſuſcipiat, patet ex dictis de humoribus, ſuperioribus in locis, ubi etiam curandi ratio exponitur.

Tranſitus ad partem alimento impeditus, nutritionis opus in ea deſtruit, hoc impedimentum in Arteriis, alimentum ad omnes partes deferentibus, invenitur, licèt alii vellint eſſe in nervis, ſtabilito partes nutriri per ſuccum nervoſum, ad quamlibet verò partem declines, ſemper pars deferens ab impedimento eſt liberanda eiſdem remediis: nam impedimentum, ut plurimùm eſt obſtructio, facta ab humore craſſo, quæ volatili ſale prædictis, & attenuantibus tollitur, tam in Arteriis, quàm in nervis, vel à tumore comprimente vel Arterias, vel nervos, quod ſæpe obſervatum eſt in Praxi, per tumorem alicujus partis hanc emaciari, niſi impedito per compreſſionem fluxu alimenti ad dictam partem, & in hoc caſu ablato tumore parti reſtituitur nutritio, ſivè compreſſio tetigerit nervum, ſive Arteriam.

Partis vitio Macies introducitur, calido ejus innato in ſua textura naturali depravato, & inhabili facto ad materiæ nutritivæ præparationem, & appoſitionem, quòd præcipuè contingit, ubi hoc calidum debilitatum eſt, ut contingit in magis morbis, & in ſenectute, & in putredine alicujus partis ratione ulceris, vel fiſtulæ ſordidæ, quòd quotidiè experimur ulcere ſordido in aliqua parte exiſtente, & hanc depaſcente, etiam ſi pars non ſit nobilis, ſed externa, & nullius neceſſitatis ad vitam, cùm videamus dicto ulceri Maciem partis accedere, quia à putrida ſanie in eo collecta exhalantes efluxus calidum innatum partis affectæ pervertunt, coinquinant, & in aliam naturam vertunt.

Anguſtia pororum partis ad Maciem iſtius confert, hac non permittente ingreſſum materiæ nutritivæ, etiam optimæ, unde pars irrigatione ſolùm humidi gaudet, qua aliquamtiſper refocillatur, ſed non quantum ſufficiat pro reparatione ſolidæ ſubſtantiæ, & remiſſione deperditi, quapropter Maciei additus aperitur, & ab hac pororum conſtrictione calidum innatum partis, etiam diminutionem in ſe experitur, nam recipit quidem particulas ſpiritoſiores, & calidiores, quibus non reſiſtit pori anguſtia, ſed humidas, craſſas, quibus pariter indiget (eſt enim calidum innatum in ſua eſſentia calidum, & humidum) pro ſui conſervatione, utpotè craſſiores, & anguſtiæ pororum improportionatæ in ſua ſede non recipiuntur, humidum enim calidi innati, cùm debeat irretire partes ſpiritoſas igneas, valdè ſubtiles, & exitum affectantes, debet eſſe craſſum, & viſcoſum, & hæ qualitates tali humido ingreſſum impediunt per pororum anguſtias, & ita deficiente hoc humido calidum innatum non reparatur, nec ejus particulæ calidæ firmiter irretiuntur, unde paulatim diſcedunt, & paulatim calidum minuitur, & hujus ſententiæ probabilitatem deduco ex eo, quòd pueri, qui multùm creſcunt, ſunt valdè humidi, & per hoc etiam ſecundùm partes oſſeas, molles, & ab hac humiditate, & mollitie pororum fit dilatatio receptiva, non ſolùm materiæ nutritivæ, ſed etiam humidi craſſi reparativi, & augmentativi calidi innati, & ab hac ratione deduco poſteà aliam rationem à contrario demonſtrativam cauſæ Marcoris, & interitus naturalis; nam ſi pueri creſcunt, & calor partium illo-

illorum conſervatur, & augetur, id contingit ob humidum, à quo laxati pori recipiunt ſufficientem materiam pro dictis effectibus; Ergo à contrario concludere debemus, Senes maciem pati, cum caloris innati penuria à ſiccitate, & Anguſtia pororum, per quam ſufficientem materiam pro ſui reparatione, nec partes, nec calor ſuſcipiunt.

Hanc ſiccitatem, & anguſtiam efficit calor influens, in juventute auctus, & per totam ætatem conſiſtentiæ in eodem augmento perdurans, eſt enim calor tunc temporis inſignis, & ideò hanc ſiccitatem partium inducere aptus perdurantem per ætates ſubſequentes, & augmentum ſuſcipientem à continua deperditione humidi.

Per ſiccitatem autem non intelligo omnimodam privationem humidi in partibus, ſed carentiam illius humiditatis excedentis, per quam pori in ſumma dilatatione continebantur, & per quam carentiam conſtringuntur, & quo plus humidi exalat, anguſtia ſemper fit maior, idcircò ſenes ſicci dicuntur, & ab hac denominatione temperamenti ab omnibus recepta; confirmatur hæc ſententia à nullo reiicienda, quia ſi ſenes ſunt ſicci, & ſunt, quia humiditate, per quam fuerunt humidi in pueritia, carent, & ab hac carentia ſequitur ſemper Anguſtia pororum omnium partium, & ab Anguſtia prohibita receptio materiæ nutritivæ,& ab hac prohibita receptione nutritionis diminutio, & caloris innati debilitatio.

Suppoſita macies ab hac cauſa in ſenio eſt immedicabilis, in alia ætate humectantibus ſuperiùs dictis à quibus dilatari poteſt, poteſt emundari.

Materiæ excrementitiæ confluxus ad partem in quantitate ejus nutritionem, & craſim depravat, ut in Anſarca Leucophlegmatia, & pituita, per ambitum cutis, & circa alias partes ſubiectas ſparſa, tumorem efficit totius palidi coloris.

Nec pituita generatur à mala partium naturalium conſtitutione depravata, per quam alimenta, nec attenuare, nec in ſpiritoſam ſubſtantiam exaltare, nec fermento vitali vivificare, nec ab excrementis mundare valent, ideò remanet materia alimentorum ſaltem ſecundùm majorem ſui portionem indigeſta, incocta, & craſſa, à ſanguine minimè corrigibilis, & in optimam ſubſtantiam nullatenus mutabilis, & hoc modo læditur ſanguificatio, ſive hæc fiat in hæpate, ſive in corde, & hæc læſio deduci debet à debilitate fermentorum partium naturalium, ſeù calido earum innato, & à bile, quæ non valet attenuare materiam alimentalem, prout convenit naturæ optimi Chyli, quæ omnia uberiùs in ſuperioribus demonſtrata ſunt.

Talis materia ſolùm in corde aliqualem ſuſcipit fluxibilitatem, cujus opera unà cum fluidioribus particulis ſanguinis circulationis curſum peragit, intra Arterias remanendo, in his fluxibilitatem in corde conceptam conſervat; ubi verò ab Arteriis in partes exteriores talis humor defluxerit, amiſſo calore in corde ſuſcepto, & per denſitatem Arteriarum conſervato, cooperante minori caliditate partium externarum concreſcit, ut à capillarium venarum ramificationibus non poſſit exſugi, & ſua craſſitie partibus adhærendo tumorem efficit, & calorem pallidum ei naturalem parti conciliat, & quia craſſitiem magnam conſervat preſſa pars externa digito, fovea in dicta parte relinquitur. Ab hoc humore oppreſſa pars debilitatur, proprium calidum innatum, & hanc materiam, utpotè improportionatam diſponere non poteſt in ſui naturam, nec aliam aptiorem ſuſcipere valet, quia in tali indiſpoſitione non generatur, & ſi adeſſet à prædicto impediente ingreſſum in partes, arcetur ab his, & quamvis nutritio non ſequatur, macies non apparet, quia adhæſio humoris craſſi partibus debitam molem in iſtis conſervat; præterquamquod humoris hujus craſſities impedit tranſpirationem partium, & conſequenter diminutionem earum; particulæ enim deciſæ à membro impingentes in hunc humorem craſſum retropelluntur, & partem penetrantes, ſupplere poſſunt defectui materiæ optimæ, per novam appoſitionem parti à quo deciſa fuit.

Hujus effectus ablatio, & nutritionis læſæ curatio pendet à læſa ſanguificatione remiſſa, & à reſtitutione fermentorum partium naturalium, & ſanguinis pro qua præter dicta ſuperiùs, ubi de Chylificatione, & ſanguificatione pro partium naturalium calefactione, exſiccatione, & materiæ reſolutione meo judicio efficaciſſimum evadet decoctum ex ligno Sancto Saſſafras, & Juniperino cum Hyrundinaria, Hydropipere, Naſturcio aquatico, Enula Campana, Gentiana addita nuce Moſchata, Cinamomo, & ligno Aloes, & per quindecim dies fiat ſolutivum cum Turbith. Agarico, Senna, & Polipodio, per alios quindecim dies purgantibus ſuſpenſis ſudor provocetur arte, & exhibendo ʒ. 1. Cornu Cervi philoſ. præparati, vel ʒ. 1. Cinabris Antimonii, vel uterque ſimul miſceatur ad ʒ. 1. hoc totum applicetur, ubi vires evacuationem ſudoris, & alvi ferre poſſunt, majorem corroborationem fermentis, & ſanguini addemus, ſummendo omni mane ſpecies diambræ ad ʒ. 1. cum ℈. 1. pulveris viperini, & poſt prandium, & cœnam ſpiritum vini ad ℥. 5. Aromatizatum cum Nuce moſchata, Cinamomo, Cubebo, ligno Aloe, Spica nardi, maci; & granis Juniperi, & his inſiſtendum per 40. dies per intervalla purgando corpus cum pil. melanagogis.

Huic læſioni nutritionis à materia improportionata affinis eſt illa, quia ſanguis, & tota illius maſſa vitiatur, ſeri copiam in ſe colligendo, ab hac enim inhabilis redditur pro nutritione peragenda, & ſi ab illa ſeparetur, & in aliquam partem determinatam copiosè deponatur, ut ad caput facit hydrocephalum, ad cavitatem pulmonum, Hydropem pulmonum, ad cavitatem ventris, Hydropem ventris, ad uterum, & Hydropem uteri facit, ad ſcrotum habemus Herniam aquoſam, & ſi ad vaſa Umbilicalia Hydropem Umbilici, & ſi ad oculum Ophtalmitem, hoc eſt oculi Hydropem.

Ab hoc humoris aquei concurſu ad partem vitiatur ejus nutritio, quia materia eſt improportionata, & quia ab humido aqueo, virtus, & efficacia calidi innati partis enervatur, & ab eodem implentur poroſitates partis, ut non poſſint occupari ab humore bono, ſi adeſſet, pro optima partis nutritione, & laxitas parti introducitur, à qua ejus conſtitutio organica vitiatur.

Generatio hujus ſeroſi humoris à multiplici deducitur cauſa, nempè à frigida intemperie partium præparationi alimentorum inſervientium, quam recentiores fermentum debilitatum vocant, fermentis enim tribuunt, quidquid temperamento donant Antiqui, pro quo videnda, quæ ſuperiùs dixi de ventriculo, bile, & ſucco pancreatico, ubi etiam expoſita fuerunt remedia, per quæ corrigi poſſunt, & à ſua debilitate, & frigiditate morboſa removeri.

Pars mutans Chylum in ſanguinem, vel in ſuccum nutritivum elaborans, ſi debilis evadat, totum in aquam vertit, & parùm refert, an tale opus ſanguificationis, vel ab hæpate, vel à corde, vel à pulmonibus, vel à ſanguine ipſo perficiatur, quia cujuſcumque partis ſit opus à calore ſemper earum coadiuvatur, unde calefacientibus ſemper remittitur diminutum opus ſanguificationis, & quamvis calidum dictarum partium, non ſit idem, ſed in omnibus diverſam habeat temperiem, & gradum, ſeù modificationem; per hoc tamen non requiritur diverſi calefacientis electio, pro diverſitate partis affectæ, prout aliquibus videtur neceſſarium. Ego tamen judico poſſe etiam ſuſtineri omnia calida eſſe huic operi idonea: nam quælibet pars particulas calidas cujuslibet medicamenti ſuſcipiendo habet potentiam, eas diſponendi modificatione ſuæ naturæ accomodata, & neceſſaria ad exequendum opus, ſibi debitum, & hoc modo quælibet pars, ex quolibit medicamento calido ſuſcipit materiam reſtaurativam ſuæ temperiei, vel fermenti, ſi verò particulæ ſint modificatæ cum aliis particulis elementalibus, vel ſalis, & ſulphuris modificatione convenienti particulis calidis conſtituentibus temperiem partis, tales particulæ dicuntur ſpecificè partis, hoc tamen non tollit calorem partis non poſſe remitti à particulis ſimplicibus calidis modo ſupradicto.

Diſſolutio ſanguinis ſecundùm aliquas ſuas partes, à bile facta, ſeroſitates in copia cumulat, ut de bile ſuperiùs

periùs demonſtravi, cum diſſolutis partibus ſanguinis in minima imperceptibilia illa humiditas, quæ hæc minima ſub craſſiori particula uniebat, ſolvatur, & ſero ſanguinis mixta illiùs copiam auget, & hoc modo ſuſtinetur opinio Antiquorum ſerum Hydropem facientem à cauſa calida generari, & ſi illi voluerunt, à calore extraneo calorem naturalem ſuffocari, & extingui, vel ſanguinis, vel partis ſanguificatricis, & in diſſolutione à bile facta habetur ſuffocatio, & extinctio caloris, in parte illa diſſoluta, evaporante in actu diſſolutionis calido in parte diſſoluta exiſtente, & in bile adeſt calor extraneus dum hanc diſſolutionem molitur, cùm videamus à calore liquefieri ſolida, ſed actio caloris à bile coadiuvatur à ſale ſuo lixivio, & corroſivo, Antiquis non ignoto, & ſic cognita cauſa hujus diſſolutionis per cauſas Antecedentes excalefacientes, & per bilis exceſſum juxtà dicta de bile ſuperiùs refrigerantibus utendum, & adſtringentibus, ut calor, & acrimonia bilis remittatur, & ſanguini adſtrictio concilietur, qua diſſolutioni magis reſiſtat, ut ſunt plantago, portulaca, poliganum, burſa paſtoris, & ſimilia, terra ſigillata, coralia horum Syrupus, & tinctura, ſpecies ſantalorum, Diaplantaginis Mynſcht. Crocus Martis adſtringens diaſcordium confec. ex Hyacintho ſine odore, tinctura Roſarum, & Santalorum rubrorum. Sequens remedium implet omnes indicationes in hoc caſu. ℞. ſuccum plantaginis, & Hepaticæ an. ℔. 2. ponantur in olla, cooperiatur cum pelle tenui, vel cum tela lini quater duplicata fortiter ligetur, & cineres ſuper ponantur, collocetur olla in furno calido pane extracto, & fiat Ignis ad latera ollæ debilis, & ibi relinquatur, uſque ad conſumptionem medietatis dicti ſucci, poſteà diſcooperiatur olla, colletur ſuccus, de hoc capiat æger manè, & ſerò ℥. 4. cum modico Spicæ Nardi, & ſi nihil aliud potetur, erit meliùs, & hoc remedium eſt expertum in Hydrope à cauſa calida.

Tumor lienis aquarum, & ſeri collectioni inſervire docent Authores, & experientia demonſtrat, dum Lienoſi Hydropici facillimè evadunt, cujus cauſam Antiqui refunderunt in ſerum, ex cibo, & potu, in ventriculo genitum, quòd ex tunicis ventriculi exſudando; excipitur à venis meſeraicis, & ab his ad lienem deferentur, & portionem etiam dicti ſeri per vas breve ventriculo implantatum, ad lienem deportari exiſtimarunt. Ab hujuſmodi confluxu ſeri ad lienem, hunc in tumorem extuberare neceſſe eſt, poſita dicti humoris copia, cujus quando non eſt ampliùs capax lien, alium ſibi quærens locum, & facta vi venis, in quibus cōntinetur, has dilacerat, & aperta via in cavitatem ventris dilabitur. Sed corruit, & falſitatis arguitur, hæc ſententia à doctrina circulationis, à qua docemur venas meſeraicas non ferre, ſed revehere humores à liene, ſicut etiam vas breve, ita principio circulationis deſtituta Antiquitas in errores incidit, qui non poſſunt deffendi hac ætate, in qua dictum principium eſt ſtabilitum, niſi cum nota, vel inſcitiæ, vel dementiæ.

Demonſtrata falſitate prædictæ doctrinæ imponitur neceſſitas Recentioribus, cauſam indagandi, per quam Hydrops à tumore lienis proveniat, non repugnantem ullo medicinæ principio, & quomodo ſerum copioſum, & humores craſſi, & pituitoſi in liene colligantur, hunc vel obſtruendo, vel tumefaciendo, cum depravatione nutritionis partium, & Hydropis generatione.

Idcircò ſtatutum eſt à Recentioribus liene tumore affecto hujus fermenti præparationem impediri, cujus officium eſt, ſanguinem per eum circulantem fermentare, nova exaltatione, & rarefactione inſpirata, qua partes craſſiores volatilizantur, & mixtio iſtarum cum ſubtilioribus peragitur, addendo ſanguini perfectionem majorem. Hinc impedita præparatione talis fermenti ſanguis craſſeſcit, parùm fermentatur, excrementa in ſe retinet, & ſpiritus concentrantur; Nam hi ſolo motu fermentationis explicantur, & excitantur, & excrementa per eumdem ſegregantur, & tota maſſa attenuatur: his vitiis depravatus ſanguis culpa lienis, abit in ſeroſitates à condenſatione ſui expreſſas, eo modò quo videmus è panno aqua imbuto per condenſationem illam ab eo exprimi, pari pacto ſeroſitates ſanguineis particulis commixtæ à condenſatione iſtarum extra maſſam exprimuntur, & libertati conſignantur.

Spiritus eodem modo concentrati, & colligati totam maſſam ſanguinis in ſua unione perfecta regere non valent, idcircò tenuiori parti, hoc eſt ſeroſæ, ſegregatio permittitur, utpotè ad hanc magis diſpoſitæ.

Sanguine condenſato, & ſpiritu in eo exiſtente fixato depravata Chyli ſuſcepti concoctio ſequitur, dum cauſa dictæ condenſationis chylus non poteſt cum ſanguine miſceri, prout requiritur ab optima ſui concoctione, nec à ſpiritu vitali pro majori parte ſui quieſcente, & otiante diſponitur ad mutationem in perfectum ſanguinem, quapropter Chylus, cum dictis impedimentis, in ſeroſam degenerat colluviem, & hoc modo paulatim tota maſſa ſanguinis ſero exundat, cujus excretionem natura intendens, tamquam alicujus excrementitii, & noxii, in alias partes profundit, à via renum propria pro excretione ſeroſi humoris nutritioni inutilis deflectens, vel ob hujus partis incapacitatem, vel ob culpam aliarum habentium morboſam diſpoſitionem, ad ſuſcipiendum talem humorem.

Hoc modo à tumore lienis læditur ſanguificatio, maſſa ſanguinis ad nutritionem inhabilis redditur, & copia ſeri in hac congregatur, quòd transfunditur aliquando in thoracem ſcrotum, in ventrem, in pedes, & crura, ubi frequenter fit Oedema, in Hydropem degenerans, dum ſerum in copia ab Arteriis depoſitatum in dictis partibus à venis non abſorbetur, & ibi relictum per poroſitates dictarum ſpargitur, ibique ammiſſo calore concepto à corde, & ab ambientis frigore ſaltem reſpectivè concreſcit, partes, in quas decumbit in tumorem elevando, qui foveam conſervat, ſi digito comprimatur, & quia humor ibi collectus, omnes implendo poroſitates non relinquit locum quantitati novi humoris per circulationem advenientis, & arteriæ à tumore compreſſæ non recipiunt ſolitam ſanguinis quantitatem, hic reducitur pro majori ſui parte ad partium ſuperiorum Arterias, à quib. facta ejuſdem copioſæ quantitatis ſeri depoſitio, in partibus iſtis idem contingit, quod de cruribus dictum eſt, & ſic proceditur, donec in ventre eadem contingant.

Aliquando evenit per motum diurnum pati tale Oedema pedes, & crura, quia à motu concitatior fluxus ſanguinis evadit ad dictas partes, & cum magna copia, unde fit tumor modo ſupradicto, nocte verò in lecto evaneſcit, & per quietem, quia tunc minor copia ſanguinis fluit, & materia fluxa à calore lecti attenuata, reſorbetur à venis, & ſic tumor evaneſcit.

Per digreſſionem collige ab eodem tumore lienis fieri Hydropem, compreſſis vaſis lymphaticis circumſtantibus, ut liberè lympha per ea diſcurrere impediatur, ab hoc impedimento detentus humor vaſa diſtendit, & à novi humoris afluxu magis intumeſcendo diſrumpuntur, transfuſa lympha in cavitatem abdominis. Venæ etiam circumſtantes compreſſæ poſſunt id præſtare, impedito per compreſſionem libro curſu ſanguini, qui coactus ſtagnare venas diſtendit, & poroſitates earum dilatando, ſero aditum concedunt, ut exeat in cavitatem ſupradictam, poteſt etiam fieri, quando in lienis membrana veſiculæ aqua plenæ attolluntur, à quarum diſruptione aqua in ventrem profunditur, & hoc modo Hip. explicavit cauſam Hydropis pulmonum, quocumque in loco recipiatur hujuſmodi ſeroſitas in copia, læditur ſemper nutritio partis recipientis, nec poteſt in priſtinum reſtitui, niſi dicta ſeroſitas auferatur, iſtiuſque cauſæ occurratur.

Et ſi Antiqui errarunt in declaranda cauſa copioſæ ſeroſitatis à tumore lienis, non errarunt in cura à Recentioribus ſectata deobſtruentibus univerſalibus, & ſpecificis tumorem eradicare conantibus, inter quæ Antimonialia, Chalybeata, & Tartarea ſunt præſtantiora, & præcipuè tinctura Antimonii tartarizata, addendo tincturam chalybis, & ſal tartari volatile, valent Arcanum duplicatum, ſales volatiles multoties repetiti, herbæ ſale volatili præditæ, & ſunt omnes Aromaticæ, & cœphalicæ; diuretica cum iſtis etiam conveniunt ut lixivium ex Vino paratum, cum cineribus Stipitum fabarum, pulvis buffonis exſiccati multùm valet, in Hydrope valet ſequens lixivium. ℞. cinerum geniſtæ, virgineæ ſiliquarum fabarum, vitis albas vuas proferentis, caprifolii

folii an. m. 1. vini ℔. 4. ter cola per dictos cineres, & erit factum lixivium, adiice nucem Myriſticam, cinamomum ad pondus hujus, baccas lauri n. 6. cyminum ℥. 2. ſem. Aniſi, & fœniculi tantumdem, ſemina craſsè contundantur, adde ſacchari ℥. 4. ter in die bibat, per ſpatium menſis de hoc lixivio ad ℔. 5. omni vice. Sequens eſt magis ſpecificum pro liene. ℞. cineres ligni Quercus, Fraxini, & Tamariſci, his ſubſterne folia ſcolopendriæ, & Menthæ ſuperaffunde aquam pluvialem, vel fontanæ, & fiat lixivium, de quo bibat æger, quantum poteſt per diem, & mane ℔. 5. in Aurora, hoc lixivium poterit Aromatizari cum nuce Moſchata, Cinamomo, Spica Nardi, & ſimilibus, & utendum per dies quadraginta, vel ℞. ſummitatem Juniperi, Pini, Geniſtæ, Volubilis magnæ, & Ononidis, fiat lixivium cum vino, in quo ſuſpendatur ſacculus cum iſtis pulveribus. ℞. Calami Aromatici Hermodactilorum an. ℥. 5. Rad. Ireos ℥. 1. 5. Rad. Aſſeri, Brioniæ an. ℥. 1. Ciperi ʒ. 6. Cinam. Schænanthi, Zinziberis an. ʒ. 1. Croci. ℈. 1. omnia mixta pulverizentur. Propoſitis remediis aperientur obſtructiones, & ſeri copia per urinam divertetur, quo facto ſanguinis maſſa erit corroboranda, ſpiritus exaltandi, & fermentum lienis reparandum, quod efficient omnia Aromatica ſpiritoſa, & volatilia cum ſimplicibus ſpecificis ſplenicis mixta.

Serum in ſcroto collectum partium contentarum nutritionem, vel impediens, vel depravans, illius inciſione extrahendum, & poſteà pars exſiccanda, & corroboranda Cerato Diapalma Croceo, & ſacro ſuper impoſito, vel cum emplaſtro ex foliis Abſynthii, Bettonicæ, Camomillæ Roſarum parato, cum farina fabarum, & oleo Camomillæ, & Mirtino; poteſt etiam fomentari pars cum vino, in quo Antimonium crudum ebullierit, vel cum aqua calcis, vel cum lixivio parato ex Cineribus vitis mixto cum æqua portione vini generoſi, addito Sale Nitro. Eiſdem remediis opem feremus oedemati crura, & pedes depravanti, & ſi non habeatur intentum, ſcarificationes, vel inciſiones pedum, & crurum ſunt exercendæ, ut per has collectus humor exitum inveniat, & locum advenienti de novo ſubminiſtret, hoc remedii genus antiquis uſitatum, in hoc caſu ab aliquibus reprobatur ob timorem ſphaceli, quod puto evitari poſſe, ſi pars ſcarificata ſpiritu vini quotidie fomentetur.

A tumore Hæpatis poteſt fieri ſeri collectio, non quia generet ſeroſum humorem, dum ſanguificatio non fit in ſua ſubſtantia, & Sennertus ſeri generationem Hæpati denegavit, ſuo tamen fermento, ſeù temperamento vitiato poteſt forſan talem labem ſanguini circulanti imprimere, ut in ſeroſitatem copioſam abeat, vel reſolvatur, per quam maſſa ſanguinis inficitur, & pro nutritione inhabilis evadit, quæ, ſi in cavitatem ventris erumpat, præter nutritionis læſionem Hydropem parit; Quamvis probabiliùs exiſtimem Hæpar ſui tumore Hydropem generare, ſi hoc comprimat, vaſa lymphatica, & venas modo ſupradicto de lienis tumore.

Copioſius potus in vaſis ſanguifluis copioſam congregat ſeroſitatem, à qua non ſolùm temperies ſanguinis vitiatur, ſed etiam ejus textura depravatur, itaur in aqueum humorem ſine ſpiritu, & calore degeneret, contrahendo impotentiam pro nutritioni optimæ exercitio, & Hydropi fundamenta ponendo, & hac de cauſa magni potatores in Hydropem incidunt.

In his caſibus pro nutritionis reparatione, & pro tollenda Hydropis cauſa, humor ſeroſus eſt minuendus hydragogis diureticis, & diaphoreticis, & ubi adeſt obſtructio tollenda deobſtruentibus, inter quæ præcellit ſuccus Ireos, quantum teſta ovi capere poteſt, & altero die ſuccus morellæ, ita reiterrando per plures dies, & ſuperbibendo ſemper poſt ſuccum ℥. 6. ſequentis vini. ℞. lapatii acuti m. i. ſ. Sem. Petroſel. Maced. ℥. 1. Sabinæ ℥. 1. decoquantur in vini optimi ſufficienti quantitate ad conſumpt. tertiæ partis. Valet & hæc potio ſudorifica. ℞. florum ſambuci probe exſiccatorum m. 4. infund. in ℔. 3. vini, aceti roſ. acerrimi. ℔. 1. Theriacæ veteris ℥. 3. ſem. fœniculi Aniſi an. ʒ. 2. m. & omnia in olla nova vitriata imponantur, & benè lutata igni exponantur, & lentè concoquatur vinum ad conſump. mediet. de hoc bibat æger hauſtum unum bonum calidum, & poſteà benè coopertus in lecto ſudorem expectet. Decoctum Urticæ fatuæ valet in hydrope, lunaria, quæ facit racemum longo tempore eſa, ſanat hydropem, aqua deſtillata à nucibus viridibus parùm contuſis in mortario marmoreo, piſtillo ligneo igne lento in vaſe vitreo ad ℥. 2. cum ʒ. 1. Tartari albi, & Sacchari, cum vino per menſem ſanat Hydropem, & ſanguinem ab omni ſeroſa colluvie purgat, ſicut faciunt alia ſupradicta remedia, ex quo intermiſſum ob dictam colluviem nutritionis opus à facultate nutritiva partium reaſſumitur. Pro quo vide, quæ dicta ſunt de Limpha, & de ſanguificatione.

Non diſſimili modo lædunt nutritionem partium collecti flatus in iſtis ut tumorem efficiant, hoc enim opprimendo vaſa, poros occupando prohibet, ne humor partem tumefactam irriget, & conſequenter nutritionem iſtius tollit, pro quibus reſolvendis, carminativa, tàm interna, quam externa conveniunt, huc refertur Hydrops Tympanites, cujus cauſa multis difficultatibus implicatur, tam in Antiquorum, quàm recentiorum ſchola, unde omnibus relinquitur locus adhærendi illi opinioni, in qua cujuslibet intellectus majorem invenit probabilitatem, & quia huic magis mihi videtur accedere ſententia Viliſii, tam in Theorica, quàm in Practica, ideò hanc eſſe præferendam aliis, exiſtimo, quapropter Lectorem huic auctori remitto.

Organizatio partis læſa nutritioni obeſt, ut poſſumus colligere ex dictis; pororum enim conſtrictio, & tumor, & impedita vaſa materiam deferentia, à quibus lædi nutritionem diximus, ſunt vitia organizationis, & conſtituunt morbos in mala conformatione, de quibus cum ſufficienter actum ſit ſuperfluum, eſt alia addere.

Augumentatio differt à nutritione ſolùm per hoc, quod illa apponit parti, pluſquam deperditum eſt, hæc reparat deperditum tantùm, unde definitur augmentatio principium, quo animal auget ſe ipſum, quatenùs eſt tale, quod facit ope alimenti benè diſpoſiti, & ope quantitatis ejus, quæ reſpectu augmentationis præcisè videtur eſſe magis conſideranda ob principalem, quam in hac habet rationem, eatenùs enim alimentum eſt augmentativum, quatenùs eſt quantum, quapropter augmentatio à quantitate pendere aſſerendum eſt, & alimentum majus facit alitum, quia eſt quantum, & ſic alimentum erit augmentativum, quatenus erit magis quantum, quàm in nutritione.

Alimentum in augmentatione diſponitur eo modo, quo in nutritione, per quod ſervatur ſemper organizatio in alito, à primordio generationis contracta, in quantitate addita, unde ea omnia, quæ de nutritione dicta ſunt, augmentativæ potentiæ ſunt applicanda. Supereſt ſolùm explicare, quomodo fiat augmentatio.

In augmentatione mihi videntur conferre oſſa magis, quàm reliquæ partes, quæ omnes his connectuntur, & hoc explicatur ſequenti modo. Oſſa ſuum recipiunt alimentum intra ſuas poroſitates efformatas à fibris, & ſtaminibus, quibus inter texuntur, & alimentum ſuſceptum intra has ſuo motu, & energia impellit partes poroſitatibus dictis confines ſurſum, & ad latera, unde fit extenſio oſſis in longitudinem, & latitudinem, neceſſe verò eſt ad hoc particulas oſſis humido eſſe refertas, ut huic motui alimenti obediant; Quod probatur in pueris, in quibus ob humiditatem oſſa ſunt maximè flexibilia, ideòque magis, viſu judice, creſcunt, & quibus oſſa cito exſiccantur, ut ab alimento non poſſint moveri, his augmentum deficit, & parvæ ſtaturæ remanent, hæc ſententia comprobatur etiam ab augmento ungis priùs abſciſſæ à digito, hæc incipit augeri, ubi digito radicatur, & ejus pars prima aucta ſemper ſurſum impellitur, prout convincitur à macula in ungue, tunc caſu apparente, nam hæc in radice unguis primò apparens, per unguis augmentum ſurſum rapitur, non quia macula ſurſum ſola impellatur, ſed quia pars, cui ineſt macula, ſurſum cum impulſu movetur, & magis confirmatur in ungue excreſcente ſupra longitudinem digiti; nam pars unguis ſupra digitum non recipit ſui augmenti materiam à parte ſuperiori, quia ibi nulla eſt, ergo ab inferiori, & à materia inferiùs adveniente, non poteſt augmen-

mentum hoc explicari meliùs, quàm per impulſionem partium ad ſuperiora, hoc modo extenſis oſſibus ſecundùm longitudinem trahuntur ad hujus menſuram partes annexæ, & in tali tractione illarum poroſitates dilatantur, & capaciores factæ majoris quantitatis alimenti, hanc recipiendo, & ſibi apponendo augmentum ſuſcipiunt.

CAPUT XIII.

De facultate generativa. Quid ſit; quænam ſint ejus principia, & quomodo fiat.

Generatio eſt principium, ſeu potentia, qua vivens ſibi ſimile producit, medio ſemine ab eodem vivente deciſo.

Generatio animalium perfectorum, & omnium eorum, quorum ſpeciem natura diviſit in diverſum ſexum, fit ex concurſu maſculi, & fœminæ, & in hunc finem prædictam ſexuum diverſitatem natura inveſtigavit; quomodo ergo mas, & fœmina ad generationem concurrant, inquirendum.

Maſculum tamquam efficientem, & principalem cauſam ad generationem concurrere ab omnibus admittitur, & hoc agit ſolo ſemine ab eo deciſo, in cujus ſubſtantia videtur compendiari animal in potentia, unde perceptio modi, & actionis, qua vivens in generationem alterius erumpit, pendebit à perceptione modi, ſecundùm quem elaboratur ſemen, & eorum, quæ ab animali huic ſubſtantiæ ſeminali contribuuntur, & hæc facilè percipientur, ſeminis definitione explicata.

Eſt ſemen corpus humidum ſpumoſum, & album ex reliquiis alimenti ultimi, & optimi, cum ſpirituum calidorum, ubique oberrantium permixtione confectum, vi prolifica teſtium ex coctum, & elaboratum.

Dicitur primò corpus, quia eſt quantum debuit eſſe humidum humiditate actuali, fluxibilitatem actualem importante, quia debebat ejaculari in uterum fœminæ, quod ſine fluxibilitate fieri non potuiſſet. Fit ſpumoſum, quia eſt ſpiritu plenum, & ſicuti ſpuma fit ſolùm ab aere mixto cum corpore liquido, ſed craſſo per agitationem, ita ſemen ſpumoſum evadit per abundantiam ſpirituum, in ſubſtantia ſeminali efficientium id, quod efficit aer in lacte, vel ovi albumine agitato. Hanc agitationem, per quam ſpumoſum evadit ſemen, puto accipere ſolùm in actu concubitus, ubi ab incaleſcentia partium genitalium, quæ in tali actu eſt magna, & à concurſu ſpirituum in copia à toto corpore ad vaſa ſemen conſervantia, maxima agitatio ſeminalis ſubſtantiæ in his contentæ excitatur, per quam in parvas bullas elevatur, & ab harum multitudine fit ſpuma, quòd expreſſis verbis docuit Hip. lib. de genit. num. 4. ſcribendo, at verò pueris venulæ tenues, & repletæ exiſtentes genituræ tranſitum impediunt, & pruritus ipſis ſimiliter non accidit, & proptereà neque conquaſſatur in corpore humidum ad geniture ſecretionem, & magis clarè num. 1. ejuſdem lib. ſub his verbis; quum verò pudendum territur, & homo movetur humidum in corpore caleſcit, ac diffunditur, & à motu conquaſſatur, ac ſpumeſcit, quemadmodum etiam alii humores omnes conquaſſati ſpumeſcunt. Eſt corpus ſeminale album, quia ex ſucco nutritivo albo confectum, & in ſubſtantia teſtium alba elaboratum.

Dicitur ſecundò ex reliquiis alimenti ultimi optimi, hoc eſt ſemen fieri ex reliquiis ſucci nutritivi, quæ ſuperſunt pro nutritione, & augmentatione partium; natura enim non tantùm individui, quantùm ſpeciei conſervandæ ſtudioſiſſima, uberrimum alimentum parari voluit in tali determinata ætate, ut potiùs exuberaret, quàm deficeret, & quod exuberat ultra individui conſervationem, in ſemen elaborat, pro ſpecie propaganda. Hinc non immeritò ſemen dicitur excrementum, quia eſt ſuperfluum, non quia ſit inutile, & noxium.

Dicitur tertiò ex ſpirituum calidorum, ubique oberrantium permixtione confectum, ſunt autem iſti ſpiritus vitalis, exiſtens in ſucco nutritivo, ex Chylo confecto, vel in reliquo ſanguine, prout determinatum eſt, vel ſanguinem, vel dictum ſuccum materiam ſemini præſtare; parum enim referre cenſeo intentui noſtro, & medicinæ fini, quamcumque ſententiam aliquis amplexetur. Spiritum animalem etiam concurrere illi contendunt, qui cum Uvarthono ſuccum nervoſum ſolùm ſeminis elaborationi materiam contribuere exiſtimant; non eſt negandum tamen aliquam portionem ſpiritus animalis ſemini miſceri, cùm certum ſit nervos ad teſtes concurrere, qui talem ſpiritum materiæ ſeminali inſpirare poſſunt, & hoc etiam videtur eſſe maximè rationi congruum ex eo, quòd ſemen ſit compendium totius animalis, ita etiam quidquid ad illius conſtitutionem concurrit, continere debet, & cùm ſpiritus animalis ſit inter præcipua, quæ animal conſtituunt, ad ſeminis elaborationem concurrere credendum eſt, & in hanc ſententiam Hip. conveniſſe colligimus ex illius verbis in lib. de genit. n. 3. per quæ oſtendit materiam ſeminis à cerebro in medullam ſpinalem derivari, & ab hac in renes, & teſtes; materia verò, quæ per ſpinalem medullam fluit, eſt ſuccus nerveus, verba Hip. ſunt, ſic autem in homine ab humido ſpumeſcente id, quod robuſtiſſimum eſt, ac pinguiſſimum ſecernitur, ac ad medullam ſpinalem venit, tendunt enim in hanc ex omni corpore viæ, & diffundunt ex cerebro in lumbos, ac in totum corpus, & in medullam, & ex ipſa medulla procedunt viæ, ut ad ipſam humidum perferatur, & ex ipſa ſuccedat, poſtquàm autem ad hanc medullam genitura pervenerit, procedit ad renes, hac enim via tendit per venas, & ſi renes fuerint exulcerati, aliquando etiam ſanguis ſimul defertur, à renibus verò tranſit per medios teſtes ad pudendum. Præter ſpiritum vitalem, & animalem, concurrit etiam ab omnibus partibus ſpiritus proprius, & ſpecificus illarum, & repræſentativus naturæ, formæ, & organizationis cujuslibet partis, ideòque tales ſpiritus dicuntur ideam omnium partium, & totius in ſe continere, per quod explicatur tota doctrina illorum, qui per ideas in ſemine latentes, generationis myſterium explicant.

Concurſus iſtorum ſpirituum meo judicio contingit, quando in actu Venereo totum copus incaleſcit; œſtroque venereo turget, tunc enim ope caloris, & turgeſcentiæ, dilatatis poroſitatibus totius, ſpirituque omnium partium attenuato, & ad motum citatiorem, & quaſi violentum excitato à partibus, in quibus uſque tunc incluſus fuit, ſolvitur, & ad partes genitales, & præcipuè ad veſiculas ſeminarias, per actum venereum maximè incaleſcentes concurunt, eo modo, quo dicunt ad partem aliquam intensè excalefactam humores confluere, dictarumque veſicularum cavitatem ingredientes, partem ſemini ab œſtro venereo agitatam, expulſionique magis aptam pervadunt, eique miſcentur, ſpiritibuſque vitalibus, & animalibus in ſeminali ſubſtantia contentis vim, & energiam addunt, dictam partem agitando, & ad expulſionem diſponendo, ex qua agitatione ſpumeſcit ſemen, ut ſuperiùs dicebam, & calorem ſuſcipit proprium, & adæquatum animali, & energiam quamdam, per quam vi facta in poroſitates membranæ veſicularum ſeminalium ab eis cum impetu exit, & per hunc motum, & per calorem contentum, dictas veſicularum membranas titillando, delectationem illam, quam in ſui profuſione experitur, animal efficit, quod expreſſit Hip. in lib. de oſſium natura num. 23. ſcribendo, voluptas verò accidit vena hac genitura expleta. Spiritus autem in ipſa exiſtens, & præſens violentia, & caliditas, & venarum undequaque concitatio titillationem inducit, & hoc modo dicitur ſemen ſecundùm partem ſpiritoſam decidere ab omnibus partibus corporis, hocque totum nobis demonſtravit Hip. lib. de genit. & hujus dictis fundamentum colligimus etiam à caſtratis, qui in concubitu delectationem experiuntur, cùm nihil ſeminis emittant, & hanc à ſola ſubſtantia ſpiritoſa habent, quæ eſt judicanda illa deciſa à toto, ratione cujus à frequenti coitu emaciantur, & contabeſcunt.

Huic opinioni affinis eſt illa, ſtabiliens omnes partes à natura ſic eſſe determinatas, ut continua irradiatione teſtes, & materiam in eis elaboratam perluſtrent, & hæc irradiatio fit per ſpiritoſum effluxum emanantem à partibus, cum tali textura, & modificatione propria quarumlibet partium, unde impreſſio talis effluxus in mate-

materia, à teſtibus elaborata facit, ut hæc in ſe contineat omnes partes corporis.

Hanc deciſionem ſeminis à toto docuit Hip. in lib. de genit. n. 5. ſcribendo: Porrò genituram dico à toto corpore ſecerni, & à ſolidis, & à mollibus partibus, & ab humido omni in toto corpore, & confirmat ſimilitudo cum parentibus: Videbimus enim ex mancis mancos, ex cœcis cœcos, procreari, & cicatrices, & nævos à Parentibus in filios tranſmigrare, & morboſas parentum indiſpoſitiones tamquam per hæreditatem in genitos tranſmitti; Ulteriùs Venus moderata totum corpus alleviat, at quomodo id fieri poteſt, niſi à toto cum ſemine aliquid ejaculetur. E contra immoderata totum debilitat, pluſquàm larga ſanguinis emiſſio, unde ſi ex partibus genitalibus ſolùm aliquid effiueret, deberent illæ ſolùm reddi debiles: tantillæ ſeminis particulæ quidnam commercii cum toto, ut illud ita enervent, ſi ab eo nihil accipiunt? & ſi ſemen ex omnium conſenſu generatur ex ſuperfluo alimento; partes per carentiam ſuperflui, non deberent debilitari, & ſic neque per tres, vel quatuor coitiones enervari, cùm materia pro his in veſiculis ſeminalibus contineatur, tamquam quid toti ſuperfluum, & pro ſuarum virium conſervatione minimè neceſſarium, & tamen per has coitiones animal debilitatur, conſequenter aliquid à toto neceſſe eſt proveniat, præter materiam in veſiculis ſeminalibus contentam? ſic equus ſemel tantùm in anno ad libidinis voluptates admiſſus, tantas amittit vires, ut per aliquot menſes eas etiam largiori cibo vix recuperet. Ab immoderata venere paralyſes, appoplexiæ, epilepſiæ, ventriculi affectus, macies proveniunt, quos morbos etiam à larghiſſima ſanguinis effuſione nullus experietur. Neceſſe eſt itaque, ut ſimul cum ſemine è toto corpore nobilis, & ſpiritoſa ſubſtantia effundatur, cujus jactura tantas poſt ſe relinquit calamitates.

Dicitur quartò vi teſtium prolifica elaboratum, ad explicandum locum, in quo generatur ſemen, & cauſam, à qua perficitur; ſanguis enim per arterias, & ſpiritus animales per nervos ad teſtes tranſit, ibique deponitur, vel ſuccus nutritivus, vel ſuccus nervoſus, vel ipſa ſubſtantia ſanguinis, quæ poſteà à virtute prolifica teſtium, hoc eſt à proprio ejus fermento ſpecifico in ſemen elaboratur, & huic à teſtibus proprium fermentum inſpiratur, maximè neceſſarium ad generationem perficiendam, ut videbimus, quando modum, quo generatio perficitur, explicabimus.

Fermentum proprium, & ſpecificum teſtibus ineſſe ex hoc colligo, quòd amputatis teſtibus alicui animali ejus temperamentum totum mutatur, & à virili in fœmineum tranſit, cum debilitate operationum totius, ex quo exiſtimandum venit à teſtibus in totum corpus fermentus quoddam inſpirari, per quod virilitas, temperamenti robur, & actionum energia conſervetur, & hoc fermentum ſubſtantiæ ſeminali ab eis elaboratæ communicatur in uſus citato loco dicendos, & talis fermenti vim experiuntur mulieres, alterationem quamdam in toto ſentientes àprimis conceptionis diebus.

Ab hac ſeminis conſtitutione colligitur veram rationem cauſæ efficientis generationem in ſe colligere, dum omnes partes individui ſimul continet, à quibus poteſt verum animal efformari, non deficientibus pro tanto opere ſpiritibus vitalibus, & animalibus, nec fermento, quod partes in ſemine latentes, tamquam in potentia ſuo motu excitativo ad actum reducere valet, in his enim omnibus vera cauſæ efficientis generationem ratio conſiſtit.

Conſiderata natura ſeminis maſculini, oportet pro integra generationis animalis cognitioni fœminei ſeminis conditionem perpendere; ſunt, qui cum Ariſtotele ſuſtinent fœminam ad generationem concurrere ſolùm paſſivè, præſtando locum virili ſemini, hocque fovendo, ut in actum ſuæ potentiæ erumpat, & pro fœtu jam organizato materiam ſubminiſtrando. Negato tamen fœmineo ſexui ſemine, non poteſt explicari quomodo fœminæ ex virili ſemine generentur. Semen enim eſt repræſentativum, & productivum illius, cujus eſt ſemen, unde ſemen maſculinum erit ſolùm repræſentativum, & productivum maſculi, & hunc debet ſemper producere, non verò fœminam, nec valet dicere, ſemen maſculinum, quando deficit in caliditate, generare fœminam, quia calor debilis de ſe, & eſſentialiter habet ſolùm facere partes minùs calidas, non verò organizare partes fœmineo ſexui debitas: Præterquamquòd dantur aliquæ fœminæ viros in calore excedentes, conſequenter falſum eſt, maſculos à robuſtiori calore, fœminas à debiliori progigni. Hanc veritatem confirmat ſimilitudo filiorum cum matribus, quæ aliunde non poteſt haberi, niſi ex eo, quòd partes ſimiles in filiis ſint generatæ à ſemine deciſo à parte ſimili matris, nec poteſt refundi talis ſimilitudo in alimentum, à matre ſuppeditatum; nam ſimilitudo conſiſtit in conformatione, & organizatione partium, alimentum verò non habet partes conformare, nec organizare, ſed organizatas nutrire, & harum organizationem ſuſcipere, non propria virtute, ſed illa partis, à qua diſponitur, ſic ſi Canis pane, & carne, & aliis alimentis propriis hominis veſcatur, non acquiret cum homine ſimilitudinem, licèt ſimili nutriatur pabulo; præterquamquòd cùm mater præſtet toti fœtui alimentum, hic etiam deberet eſſe ſimilis matri ſecundùm omnes partes, & ſi ex ſemine partes eformantur in fœtu, quia in ſemine continentur, partes genitales mulieris non poſſunt generari, niſi adſit ſemen, quod eas contineat, ſolum verò ſemen fœmineum poteſt has partes continere, conſequenter ſemen fœmineum pro conſervatione ſpeciei ſecundùm hanc ſexus differentiam debet ad generationem concurrere. Ulteriùs cauſa, cur homo generetur, eſt humanum ſemen; cùm autem homo in duplicem ſexum diſtinguatur, nempè in marem, & fœminam, debet etiam dari diſtinctio ſeminis, cujus ope mas, & fœmina generari poſſit. Hiſce rationibus experientia favet; nam Sves fœminæ, & gallinæ caſtrantur, & tunc nec appetunt mares, nec cum eis congreſſæ concipiunt, & ſi vulpis fœmina cum cane commiſceatur, naſcitur canis vulpi in conformatione ſimilis, & ſi canis fœmina cum vulpe conjungatur, naſcitur vulpis cani in conformatione uniformis, cujus eventus ratio non poteſt explicari, niſi fœmina de ſe tribuat ſemen proprium, per quod partes ſibi ſimiles conformentur, & ita ſemen fœminæ dicendum eſt activum eo modo, quo illud maſculi.

Fœminæ ſemen generari in teſtibus earum, & ejaculari eo modo, quo virile ſub forma humoris liquidi, hùc uſque creditum eſt; Recentiores tamen ab hac ſententia receſſerunt, & ſemen fœminæ Ovum ſtatuerunt, quod in earum teſtibus, tamquam in Ovario elaboratur, creſcit, & ab eo deciditur, maturitate accepta, & impulſu maſculi ſeminis, & tale Ovum vidit Hippocrates, prout teſtatur in lib. de Nat. puer. ubi deſcribendo, quæ obſervavit in abortu cujuſdam mulieris, ait, qualis autem erat, ego referam, veluti ſi quis ovo crudo externam teſtam circumcirca adimat, in interna verò pellicula incluſus liquor pelluceſcat. De hujus ovi natura, & modo, quo fœcundetur, & de aliis ad hoc ſpectantibus nihil dicam, ſed Lectorem remittam ad Reynerum Graaff, à quo diſertè, & eruditè omnia ad ovum muliebre ſpectantia pertractata, & dilucidata fuerunt.

Illa verò ſubſtantia aquea, quæ cum delectatione in coitu à muliere profunditur, & quæ, ſemen illarum credebatur ab hujus natura excluditur, & ſtatuitur ad generationem nihil conferre, & de ſeminis natura nihil participare, ſed datam eſſe tantummodò à natura pro delectatione, à qua mulier alliceretur ad concubitus deſiderium, & executionem, & talis humor non à teſtibus, ſed à lacunis uteri provenire, à Recentioribus ſtabilitum eſt, ex quo elicitur etiam ratio ſententiam de ovo confirmans, dum aliquæ mulieres, quandoque concipiunt ſine ullo delectationis ſenſu, & abſque profuſione hujus ſubſtantiæ, quod utique non eveniret, ſi hæc eſſet verum ſemen, cum ad conceptionem non tam ſit neceſſarium virile ſemen, quàm fœmineum, ex his enim duobus mixtis fit verum, & adæquatum ſemen, pro animalis generatione, & diſtincta hæc ſemina ſunt ſolùm talia inadæquatè.

In ſemine muliebri ſunt etiam omnes partes fœminæ in potentia, prout in ſemine virili, ſivè ſtabiliatur ſemen fœminæ eſſe ovum, ſivè humor ille in concubitu emiſſus,

ſivè

ſivè ſanguis, ut alii cenſuerunt, quamvis probabile ſit ſemen eſſe illud, quod per vaſa deferentia præparantia, & teſtes elaboratur eo modo, quo in viris.

His poſitis non eſt difficile modum generationis explicare; ejaculato enim ſemine virili intra cavitatem uteri, & ab iſtius calore liquefacta ſubſtantia craſſa, & viſcoſa, quæ ſpiritus partes humani corporis repræſentantes, & fermentativos illos à teſtibus ſuſceptos unit, iſti libertatem nanciſcuntur, & directa via ad Ovarium tendentes, ſubſtantiam illius ovi, è ſuo calice magis protuberrantis penetrant, atque irradiant eique imprimunt cum ſua ſubſtantia virtutem generativam maſculi, cùm contineat in ſe ſpiritus repræſentativos omnium maſculi, & ab his fermentatus magis humor in ovo contentus dilatatur, unà cum membrana eum continente, & in iſta dilatatione è ſuo calice exit, & per tubas uteri in cavitatem deſcendit, ibi per porroſitates membrana ſuſcipit humorem albugineum, quem uterus à fermento ſeminis virilis alteratus attraxit, & elaboravit, & per hunc humorem creſcit ovum, & ejus membrana, & humor in eo contentus. Interim fermentum virilis ſeminis à teſtibus ſuſceptum, totam maſſam, in quam inſpiratum fuit, fermentat, & motu quodam leni exagitat, itaut ſpiritus repræſentativi partium, tam mulieris, quàm maris ad motum excitentur, & à potentia ad actum reducantur. In hoc motu ſpirituum utriuſque ſeminis, ſi unus ſit potentior alio, nempè virile fœmineo, ſpiritus virilis modificando ad normam ſui motus illos fœminæ, diſponitur tota maſſa ad generationem maſculi, in ſimilitudinem parentis, à quo deciſum fuit ſemen; E contra ſi mulieris ſpiritus in motu prævalent, illis virilis modo ſupradicto jaciuntur neceſſaria fundamenta pro generatione fœminæ. Quod dictum eſt de toto, dicendum eſt etiam de qualibet parte, qua de cauſa aliquando contingit fœtum fœminam eſſe, & in aliis partibus ſimilitudinem patris contrahere, quia ſpiritus partium genitalium Patris ceſserunt ſpiritibus partium genitalium matris, ideò facta fuit fœmina, quia verò ſpiritus paterni ſeminis prævaluerunt ſpiritibus materni, quoad reliquas partes, ideò fœtus ſimilitudinem contraxit cum patre, & à fœmina prodire ſemen, & effectivum docuit Hipp. lib. de genit. ubi docet fœminam generari, quando ſemen fœmineum prævaluerit.

Diſpoſitio partium in ſubſtantia ſeminali intra membranam incluſa habetur, vel à determinato motu ſpirituum deciſorum à ſubſtantia Patris, & Matris, per quem habent ſe firmare in tali determinato loco, & cum tali configuratione ſe diſponere, ſic deciſi à Capite Patris, & Matris ſuperiorem affectant locum, & illi deciſi à corde, & à pulmonibus inferiorem in Thorace, eo modo quo videmus in mixtione olei ſpiritus vini, aquæ, & vini, has ſubſtantias ſimul mixtas proprio motu ſe agitare, donec quælibet cum particulis Homogeneis uniatur ab aliis ſeparata, & diſtincta, ſe ſtabiliendo in tali determinato ſitu, ut locum leviori ſuperiorem concedat, graviori verò inferiorem permittat, vel talis diſpoſitio partium in animam poteſt refundi, quæ à cognitione naturali à Deo inſtructa, & obſequendo fini ab eodem deſtinato in generatione animalis, diſponat partes in ſitu convenienti, eaſque ducat ad configurationem, & organizationem eis neceſſariam, pro ſuorum munerum executione; anima enim rationalis creatur à Deo ſtatim, ac materia in Ovo exiſtens eſt ultimo diſpoſita pro organizatione fœtus, & anima tunc incipit organizationem, & hæc ſententia deducitur à D. Thoma in Sum. par. 1. q. 76. art. 6. Et hoc admiſſo debemus ſtatuere, animam eſſe primum principium generationis, ſemen maſculinum, & fœmineum, & uterum inſtrumenta animæ inſervientia, & hæc conſtituunt facultatem generativam corpoream, ex quorum læſione læditur etiam generationis opus.

Ex his colligitur ratio, quare fœmina non poſſit ſe ſola concipere, cùm in ſuo ſemine adſint omnes partes, quibus animalis corpus conſtituitur, quia deeſt fermentum excitativum iſtarum partium, quod eis tribuat motum ad hoc, ut è potentia ad actum reducantur, & tale fermentum habetur ſolùm à ſemine virili, & huic à teſtibus communicatur, ideò ſine iſto non poteſt fieri generatio, & per huic tribuitur ratio cauſæ efficienti generationem; videmus enim ova à Gallina elaborata, quæ Galli congreſſum non admiſit, nullo modo eſſe apta ad generationem pulli, & ſubventanea evadere, licèt contineant in ſe omnes partes Gallinæ, & illud ovum non ſit, niſi Gallina in Potentia, quia deficit fermentum illud in ſemine Galli contentum, per quod partes iſtæ poſſint ad motum pro generatione neceſſarium excitari, & à confuſione propria Chaos, ad diſtinctionem animalis generationi adæquatam reduci.

Quod dictum eſt de ovo, & ſemine maſculino dicendum, & applicandum cuilibet materiæ, quæ ſtatuatur pro ſemine muliebri.

C A P U T XIV.

Quomodo lædatur generatio vitio ſeminis Virilis, & Fœminei.

Diximus præcedenti Capite, ſanguinem cum ſpiritu arterioſo, & animali ſemini materiam præſtare, & omnes partes corporis contribuere ſpiritus proprios, & ſpecificos ſui repræſentativos, quod eſt formale, & eſſentiale conſtitutivum ſeminis, & teſtes elaborationem materiæ pro ſubſtantia ſeminali efficere, huicque fermentum inſpirare neceſſarium ad generationem, perficiendam, unde ex his poſſumus colligere generationem, quæ per virile ſemen efficitur, impediri ob iſtius vitium, quod ſit, vel in materia ſeminis, vel in teſtibus, vel in partibus corporis.

Vitium in materia conſideratur, vel ratione quantitatis, vel ratione qualitatis, eſt vitium in quantitate, quando nulla materia ſuppeditatur pro ſeminis generatione, ut contingit in Emaciatis Corporibus, & in ſenibus naturali maraſmo occupatis, defectus enim talis materiæ, qui in pueris contingit, vitium eſſe non puto, ſed neceſſitatem, per quam Natura determinatur totum ſanguinem, & ſpiritus in aliarum partium nutritionem, & augmentationem impendere nihilo ſuperflui iſtius remanente pro ſeminis elaboratione. Dicitur etiam aliquando deficere materia ſeminis non propriè, ſed impropriè, quando vaſa, quæ hanc debent deferre ad locum ſuæ elaborationis, vel ſunt obſtructa, vel in teſtes, atque Epididimas non implantantur, vel quando teſtes deficiunt, in quibus duobus ultimis caſibus ars nulla ſuppeditat remedia. In Atrophia ſi aliqua locum habent, ſunt ea, quæ deſcripta fuerunt de læſa nutritione, & in obſtructione vaſorum, in qua conveniunt omnia deobſtruentia multoties repetita, & ſi ab aliquo tumore comprimente ſuccedat obſtructio, hujus cura eſt aggredienda nulla indicatione ſumpta à materia ſeminali.

Paucitas materiæ ſeminalis poteſt generationem impedire, cùm ſemen more omnium agentium, pro ſuæ actionis exercitio talem determinatam quantitatem materiæ exigat, per quam poſſint ſimul colligari tot ſpiritus ad hoc opus generationis neceſſarii, unà cum ſpiritoſo fermento teſtium, unde deficiente hac materiæ quantitate, ſemen inhabilitatem contrahit ad generationem perficiendam.

Contingit hæc paucitas materiæ, quando vaſa hanc deferentia ad teſtes ſunt maximè anguſta, per naturalem conformationem vitiatam, in quo caſu remedia deficiunt, aliquando verò à ſupercreſcente pinguedine dicta vaſa coarctantur, ex quo colligitur ratio, cur animalia, quæ pingueſcunt ultra limites convenientes, ſterilia evadant, & tunc remedia ſterilitatis conſiſtunt in eis remediis, quæ pinguedinem minuunt, de quibus actum eſt ſuperiori capite de nutritione læſa.

Minuitur etiam materia, quando hæc aliò tranſmittitur, quod contingit in magno ſanguinis effluxu, & magnis animi curis, & applicationibus, in quibus ſpiritus animales, & etiam vitales aliò avertuntur, & tunc fluxus ſanguinis ſiſtendus, & nova materia pro ejus generatione ſubminiſtranda, & removenda, quæ ſpiritus divertunt, iſtique ſpiritoſis aromaticis, & volatilibus medicamentis refocillandi.

Quantitas excedens materiæ ſeminalis poteſt veram, & perfectam ſeminis elaborationem impedire, opprimendo facultatem teſtium, huic operi deſtinatam, & huic facillimè occurrimus copiam ſanguinis minuendo, vel

per venæ ſectionem, vel per inædiam, vel per magna exercitia, vel per alimenta parvi ſucci.

Qualitas materiæ ſemen vitiat, tam ſi hæc primis, & ſecundis qualitatibus depravetur. Hoc accidit à primis qualitatibus, quando calor in materia generationi ſeminis deſtinata excedit, tunc enim hujus actione rarefacta nimis dicta materia, magna cum facilitate tranſpirant ab ea ſpiritus, & fermentum, à quibus fœcunda redditur, etiam ſemine adhùc, in ſuis veſciculis exiſtente, vel ejaculato in uterum, unde generationi minimè ſufficiens evadit. Ab eodem calore excedenti, cum quo conjungitur motus perturbatus, & violentus particularum calidarum, adeò agitantur ſpiritibus à partibus deciſi, & materiæ ſeminali implantati, ut iſtorum modificatio, & textura oblitteretur, itaut non ſint ampliùs repræſentativi partium, à quibus deciſi fuerunt, nec iſtarum ideam conſervent, ideòque pro generatione ſunt inefficaces. Hac ratione bilis in eadem materia ſeminali ſuperabundans generationem ſuo calore impedit, & etiam ſuis particulis ſalinis, ita totam materiam diſſolvit, ut in actuatione ſeminis in utero ſpiritus ſemen fœcundantes avolent (Si admittatur ſententia, in generationem fieri è ſemine virili, & fœmineo ſimul mixtis in utero) ex quo generationis opus prohibetur, cui neceſſarius eſt quidem motus ſpirituum in ſemine contentorum, quoad actionem promoventur, intra tamen materiæ Clauſtra, cum concepto motu contineri neceſſe eſt, ſi generationem ad prædeſtinatum finem ducere velint; Ubi verò materia ſui raritate, & diſſolutione iſtorum fugæ viam aperit, ſuo fruſtrantur fine, prout contingit bile in materia ſeminali ſuperabundante. Si verò admittatur fœminam ovum pro ſemine ſubminiſtrare, neceſſaria quidem eſt ſpirituum, & fermenti ſeminalis ſeparatio, ad hoc ut ovarium attingant, & ovum jam diſpoſitum ad fœcunditatem plaſtica irradiatione illuſtrent, ſed à bile diſſolvente aliqua portio dictorum ſpirituum, ita attenuatur, & membranoſa uteri ſubſtantia non ſit ſatis pro eorum retentione, quapropter extra eam tranſpirando diſſipantur, & qui ſuperſunt ſpiritus in utero, ammiſſo aliorum conſortio in actione enervati, & in modificatione alterati conditionem inſtrumenti, generationem efficientis amittunt. Ab eodem calore ſemen aliquando æſtuat, & Orgaſmum concipit, à quo elevati vapores ad caput valdè calidi, & perturbativi delirium ab his excitatur, cui ſuccurrendum cum eis remediis, de Satyriaſi convenientibus, & ſunt omnia refrigerantia, & acida.

Pro tollendo hoc vitio à ſeminali ſubſtantia, refrigerantia ſunt uſurpanda, ut viola, Nenuphar, Roſa, Lactuca, Semina frigida majora, & minora, Tinctura roſarum, Santalorum, Aqua Noceræ, Villæ, Serum Caprinum, Camphora, & iſtius ſpiritus, Nitrum, & Sal Prunellę.

Materia frigida generationem vitiat condenſando dictos ſpiritus, & iſtorum texturam condenſatione alterando, & eorumdem motum ad ſui operis executionem neceſſarium impediendo; principaliter tamen generationi obeſt ob defectum ſpiritus animalis, & vitalis primariò ad generationem requiſiti, ideò enim materia dicitur frigida, non quia actu ſit talis, ſed ſolùm reſpectivè per paucitatem dictorum ſpirituum, à qua debitum calorem pro generatione materia ſeminalis non recipit. Hac ratione melancholici, & frigidi temperamenti ſteriles evadunt.

Aromatica erunt pro remedio hujus vitii, & præcipuè Nux moſchata, Zinziber conditum, Gariofili, Macis, Cinamomum, Ambra, Moſchus, conveniunt etiam ſtinchi Marini, Cantarides, Piſtacia, Pinei, & iſtorum oleum, ſpiritus vini Aromatizatus, Vinum Hipporaticum, & ſimilia. Externa etiam calida partibus genitalibus applicata juvant, ut oleum formicarum, Nucis Moſchatæ, Gariofilorum.

Nimia humiditas, ſeu aquea, & ſeroſa ſubſtantia copioſè materiam ſeminalem irrigans, adeò fluxibilem, & tenuem reddit, ut contingant ea, quæ de raritate à colore introducta diximus: Præterquamquòd à copioſa humiditate ſuffocantur ſpiritus, quibus materia ſeminalis perficitur. Pro curatione exſiccanda nimia humiditas, cum herbis cœphalicis, ligno ſancto, ligno viſcoquercino, ſalſa, & ſimilibus, vel Diureticis per vias urinæ expurganda.

Siccitas poſitiva non habet locum in alteratione vitioſa ſeminis, ſed ſolùm reſpectiva, conſiſtens in viſcoſitate excedenti ſeminalis ſubſtantiæ, per quam reſiſtit debitæ attenuationi, & rarefactioni, quæ à calore uteti dictæ materiæ ſeminali deberet, imprimi; quapropter ſpiritus non excitantur, ſed irretiti quieſcunt, & otiantur ſine generationis effectu. Talis viſciditas auferenda attenuantibus, qualia ſunt quinque radices aperitivæ dictæ, Radix Gentianæ, Angelicæ, Imperatoriæ, Zedoariæ, & ſi viſciditas à nimio calore incraſſante proveniat, refrigerantibus utendum, quibus humida fluida miſcenda.

Aciditas, & auſteritas materiæ ſeminalis contracta à ſanguine talis conditionis, tamquàm qualitates ſecundæ generationem vitiant, quia ab iſtis figuntur, & coagulantur ſpiritus, prout eſt proprium dictarum qualitatum, tali modo, ut in materia concentrati non valeant illum motum ſuſcipere, convenientem ſuo operi perficiendo. In tali fixatione læditur etiam textura, & modificatio dictorum ſpirituum, & confuſionem quamdam patiuntur, itaut impoſſibilis evadat generatio. Hæc materia ſeminalis acida, vel auſtera in uterum ejaculata inſtante menſium fluxu, vel in eorum fine ſanguinem in uteri cavitate coagulat, & molam efficit. Corrigentur iſtæ qualitates vitioſæ ſeminis, omnibus illis remediis, ſuperiùs propoſitis pro correctione ſanguinis acidi, & auſteri, & pro correctione ſucci pancreatici, vitiati ab aciditate, & auſteritate.

Salſedo materiæ ſeminali conjuncta generationem lædit, eos effectus in ſemine producendo, quos diximus à bile nimis acri in ſemine producere modo, quo diximus de bile, & hæc prava qualitas evincetur remediis propoſitis pro debellando ſalſo in bile aucto, & ſuccum pancreaticum, & ſanguinem inficiente.

Hæc omnia ſine contradictione ab omni ſecta ſunt admiſſa, & ſi aciditas, & auſteritas materiam ſeminalem inficiens, aliquid novitatis videatur introducere, tollitur talis ſuſpicio ab Authoritate Hippocratis, qui ſanguinem ſalſum, auſterum, & acidum admittendo, ſuos etiam ſequaces inſtruxit, ut non rejicerent, ſemen dictis qualitatibus infici, cum iſtius materia à maſſa ſanguinea deſumatur, & conſequenter poteſt eiſdem qualitatibus depravari, quibus ſanguis vitiatur.

Præter enumeratas qualitates generationem lædentes, reperitur illa luis Gallicæ ſocia, per quam generationis opus omninò evertitur, hanc qualitatem tranſacti ſæculi Doctores occultam dixerunt, quia occultus illis erat modus operandi iſtius. Dato tamen, quòd explicari poſſit eſſentia luis Venereæ per aliquod manifeſtum, manifeſta etiam erit cauſa in hac generatione lædens.

Clarè explicatur lues Venerea per auram frigidam, volatilem, & ſpiritoſam acido aſperſam, quæ ab infecto corpore in aliud tranſmiſſa ratione contactus, & concubitus horrenda illa excitat ſymptomata, quæ Veneri deditos excruciant in pœnam peccati, & rem ita ſe habere, dictamque auram eſſe hujus luis germanam cauſam demonſtratur, quia facillimè ad hanc, tamquam ad principium reducuntur omnia Symptomata hunc morbum concomitantia. In primis languor ille virium, quo infecta corpora debilitantur, non aliundè provenit, quàm à ſpirituum deficientia, & paupertate ab aura frigida effecta, vel ſpiritus in ſanguine exiſtentes diſſipando, vel opprimendo, vel coagulando. Chacochimia illa ſanguinis, quæ lue Venerea infectos opprimit, cum pravo cutis calore certè non aliundè ſuam trahit originem, quàm ab aura frigida acido aſperſa, quæ ſanguinem conſtipando, & coagulando liberam iſtius fermentationem, per quam excrementa ſecernuntur, virtute motus fermentativi impedit, unde talia excrementa in ſanguine detenta chacochimiam conſtituunt, & totam illius craſim depravant, quæ indè magis augentur, ex eo quòd ſanguis ita depravatus, non ritè Chylum ſibi aſſimilat, ſed in excrementa convertit, unde Chacochimia ſemper major, cui conjungitur fœtor, totam maſſam humorum coinquinans, & ſe manifeſtans in ſudore, & in ſaliva ægrorum, quæ eliciuntur arte per Diaphoretica, & per inunctionem cum unguento Mercuriali, ex eo quòd à prædicta aura cum

prædi-

prædictis conditionibus diſponitur tota maſſa ſanguinis ad putredinem, cujus indicium eſt fœtor ſupradictus, quòdſi conſideremus dolores afflictivos corporis, Gallica lue infecti, majorem evidentiam habebimus de dicta aura frigida acido aſperſa, quæ ab eadem aciditate maſſam ſanguinis, & ſuccum nerveum aſpergendo, mordacem reddit, & vellicativum, unde ſuccus nerveus per membranas, & fibras nervoſas delatus ſua aciditate vellicando, dolores illos contumaces, & atroces in partibus, & præcipuè juncturis, & articulis excitat, & dictus humor, in Oſſium perioſtiis ab aciditate, & frigiditate dictæ auræ fixatus, in tumores, Tophos, & gummas indureſcit, cum magno patientis cruciatu, in aliis verò partibus carnoſis, vel glanduloſis ſanguinem fixando, & ſtagnationi deſtinando, hic aciditate contracta à dicta aura paulatim fibras carnoſas corrodendo, ulcera excitat, & hoc modo Gonorrhæa efficitur ex multorum ſententia, dum ſemen in capſulis ſeminalibus contentum, aciditate iſtius auræ aſperſum, corroſivam acquirit facultatem, qua carunculam in dictis capſulis perforando, continuatim exitum ſemini parat. Mihi tamen probabilior videtur ſententia determinans, Gonorrhæam fieri à ulceratis proſtratibus ex eo, quòd multis poſt mortem inventæ ſint dictæ partes ulceratæ, & in caſtratis nullum ſemen in capſulis ſeminariis conſervantibus, obſervamus Gonorrhæam, quæ niſi ab exitu humoris in proſtratibus contenti pendere poteſt. In hujus ſententiæ confirmationem addo, ex obſervatione inſignium medicorum practicantium, luem Veneream quandoque corpus infeciſſe per ſolum uſum Veneris immoderatum, & hujus cauſa non poteſt refundi, niſi in frigiditatem totius, à nimia ſpirituum conſumptione contractam per immoderatam ſeminis effuſionem, & poteſt etiam hæc aſſertio ultimo loco corroborari, & omnia hucuſque dicta, à medicamentis, luem Veneream extirpantibus, & ſunt, vel calida, ut Lignum Sanctum, Salſa Parilia, Lignum viſcoquercinum, vel diſcoagulantia, & acidum debellantia, ut Mercurius, qui vel ore ſumptus, vel unguento mixtus, & eo juncturis illinitis, maſſam ſanguinis ita attenuat, & diſcoagulat, ut per ſalivationem omnia ſanguinis excrementa, cum qualitate virulenta expellat; cùm ergo medicamenta, luem Veneream extinguentia ſint calida, & diſcoagulativa, cauſam talis luis aliam ſtatuere non debemus, quam frigidam, & acidam, cui coagulandi virtus ineſt, in cujus confirmationem addo, omnia Symptomata luis Venereæ à frigido externo exacerbari, quod manifeſtat à frigore cauſam luis Venereæ intendi, & conſequenter in aura frigida ſupradicta conſiſtere.

Ab his deducitur, quomodo generatio in lue Gallica depravetur, nempè ob depravationem ſanguinis ſupradictam, à qua neceſſariò ſequitur depravatum ſemen, cujus vitium extingui poteſt, debellata cauſa luis Venereæ, & hoc nobis dabit ſequens decoctum pluries expertum. ℞. Salſæ, ligni Viſciquercini an. ℥. iv. præp. ſ. a. infund. in ℔. xxx. aquæ, poſteà bulliant, in principio ebullitionis ſuſpendatur ſacculus, in quo ſint repoſitæ ℥. iv. Antimonii crudi, craſſo modo contuſi, & pariter alter ſacculus, in quo recondantur ℥. iv. pumicis, craſſo modo pulverizati, continuetur ebullitio vaſe clauſo, uſque ad conſumptionem tertiæ partis, poſteà coletur, & de colatura accipiantur ℔. viii. vel x. omni die, manè, in prandio, poſt prandium, & in cœna, & continuandum hoc modo in uſu hujus decocti per xv. vel xx. dies, in tempore hujus decocti alvus lubrica ſervetur, & poterit etiam, omni ſexto die tranſacto, æger accipere aliquod medicamentum ſeroſitatem purgans, valet etiam ſequens decoctum purgans. ℞. aquæ fontis ℔. vi. imponantur in olla vitriata, donec ebulliant, & ſtatim infunde ſalſæ pariliæ ℥. ii. Corticis ligni ſancti ℥. 1. 5. aſſeri rec. ℥. 1. poſteà extrahatur aqua ab igne, per horas xxiv. denuò igni exponatur, & bulliat uſque ad conſumptionem tertiæ partis, in fine adde Sennæ ℥. iv. pauliſper buliat, & ſtatim ab igne tollatur, & refrigerata aqua coletur, uſus eſt in prandio quotidiè, & cœna bibere primum cyhatum hujus decocti, ita tamen, ut accipiat æger plus libræ unius hujus decocti pro die, & ſi non ſequatur violenta purgatio, poteſt etiam accipi unus cyhatus poſt paſtum, ſi patiens calculo ſit ſubjectus, demendum eſt lignum ſanctum, & hujus vice radix Chinæ eſt ſubſtituenda. Optima victus ratio eſt in utroque decocto deſcripto ſervanda, non limitatur tamen quantitas, nec qualitas cibi, dummodò ſit optimi ſucci, & ſatis ſit ad appetitum ſedandum, & ad vires ſuſtinendas, vinum in primo decocto omninò interdicitur, in ſecundo poſt cyhatum iſtius permittitur ad virium conſervationem in moderata tamen quantitate, & in qualitate temperata; continuandum enim eſt per novem dies in uſu hujus decocti purgantis, quo tempore fit notabilis virium reſolutio. Valet etiam decoctum ſimplex, & commune ligni ſancti, in quo infraſcripti ſalis ℈. ii. vel ʒ. 1. diſſolvatur. Sal paratur tali modo; perforetur lignum ſanctum ad fiſtulæ, ſeu cannæ modum, hanc cavitatem imple ſale ex eodem ligno per incinerationem extracto, poſteà occlude foramen cannæ, & hanc accenſis carbonibus tege, ut comburatur, ſal in ea contentus in lapidem cogetur. Non inferioris efficaciæ pro debellanda lue Venerea eſt electuarium compoſitum ex ligni ſancti ℥. ii. ſalſæ, viſciquercini an. ℥. 1. Theriacæ, Mithridati an. ʒ. vii. Salappæ, Mecheocham an. ℥. iii. Scamoneæ ſulphur. ʒ. 1. Mercur. dulcif. ʒ. iii. cum mele quantum ſufficit, fiat elect. cujus doſis erit ʒ. ii. vel iii. quæ erit augenda, vel minuenda juxta purgationem parvam, vel magnam ab eo peractam, continuandum per octo, vel decem dies in hujus remedii uſu, & per totidem dies utendum eodem electuario demptis purgantibus.

Si gallica lues nullis cedat remediis, & adſint gummæ reſolutioni renitentes, deveniendum ad unctionem mercurialem ſequenti unguento. ℞. Butiri rec. ℥. 4. adipis porcini ℔. 1. Theriacæ veteris ℥. 1. 5. Litargirii aurei, ſalis communis an. ℥. 1. Mercurii ℥. ii. 5. Mithridati ℥. 1. 5. m. f. ung. diſſolvendum cum ſufficienti quantitate aquarum ſcabioſæ, & fumiterræ.

Aliquando Gonorrhæa rebellis redditur omnibus remediis, cum depravatione nutritionis totius corporis, & generationis extinctione, pro qua debellanda, docuit experientia efficaciſſima eſſe hæc duo ſequentia remedia. ℞. Extr. ligni ſancti, ſalſæ an. ʒ. iii. Gummi ligni ſancti ʒ. ii. Therebentinæ claræ ℥. vii. Sacchari candidi pul. ℥. vii. olei ſuccini ʒ. ii. 5. Balſami orientalis ʒ. 1. 5. herbæ The ℥. ix. Croci Martis aſtring. ʒ. iii. Antim. diaph. ʒ. ii. Coral. præpar. Marg. præp. an. ʒ. 1. 5. m. f. a. fi. elect. doſis ʒ. ii. cum emulſione ſem. melon. plantaginis, & acetoſæ, extracta cum aqua conſolidæ majoris. ℞. aquæ calcis vivæ, factæ ſecundùm uſitatum modum ℔. iii. viridis æris perfecti, ſalis gemmæ ʒ. ii. ſalis Armoniaci ʒ. 1. ſalis Saturni ʒ. ii. omnia p. ſ. & ponantur in dicta aqua, in qua relinquantur per horas xxiv. ſæpè digitando dictam aquam, poſteà filtretur, per cartam emporeticam hujuſmodi aqua per quinque, vel ſex vices omni die initiatur cum Syringa in virgam, & intra decem dies liber erit æger. Inveteratam etiam gonorrhæam ſanat decoctio florum balauſt. Bol. Armen. an. ℥. ii. facta in ℔. vi. vini optimi ebulliendo uſque ad conſumptionem medietatis, poſteà coletur, & de colatura accipiantur ℥. iv. omni mane.

Si ulcera gallica patientem infeſtent, & nutritionem partium, & generationem, ſanguinem inficiendo, impediant, ſequens aqua eſt efficaciſſima pro extinguendis dictis ulceribus. ℞. Theriacæ optimæ q. vis ponatur in alembico vitreo, cum pari quantitate ſpiritus vini, & aceti, ac deſtillentur, exhibit enim aqua limpidiſſima eximia virtutis cum aqua bolo armeno mixta, tangantur partes rubentes, & exulceratæ dicti morbi cauſa, ſanabuntur enim, dummodò optima victus ratione utatur, & debita purgatio præceſſerit. Non minoris virtutis eſt ſequens oleum. ℞. olei Antiq. ℥. xiv. litarg. auri pul. ℥. ii. boli armenæ Or. ℥. ii. vitrioli Rom. ℥. iii. ligentur in petiis albis, & ſuſpendantur in olla vitriata, ita cooperta, ut non reſpiret, & Soli in Leone exiſtenti exponantur, & per alios decem dies poſt relinquendo ſemper in eodem oleo dicta, hoc mane, & veſperi inungantur partes affectæ, valet etiam ad omnia ulcera cujuſcumque generis.

Vitio partium, ſeminis ſubſtantia ad generationem reducitur inhabilis, ſi iſtæ ſint alteratæ in ſua temperie, vel per exceſſum, vel per defectum qualitatum eam conſtituentium. Ab hac enim læditur, & alteratur illa textura, & modificatio, quam diximus eſſe neceſſariam in ſpiritus ab eis deciſis, hinc eſt, quòd in macie, ma-

raſmo, hydrope elephantiaſi, & aliis ſimilibus morbis generationis potentia ſuſpenditur, & pro hac remittenda, neceſſe eſt dictos morbos extinguere.

An conformatio partis depravata generationem impedire valeat, valdè dubito, cùm videamus à malè conformatis patribus, filios malè conformatos gigni; unde potiùs videtur malam conformationem partium generationis opus imperfectum, & vitiatum reddere, non impedire. Pro hoc vitio generationis auferendo, opus eſt vitiatam conformationem tollere, dummodò ars hoc poſſit attingere, cum ſæpè vitia malæ conformationis maximè à primordiis generationis contracta ſint incurabilia.

Teſtes ſicuti habent à natura ſeminalem ſubſtantiam conficere, eique fermentum generativum inſpirare, ſi ſecundùm illius leges ſint in temperamento, & conſtitutione conformati, ita ſi ab his deflexerint, error in ſeminis elaboratione, & in ejus fermento continget. Hinc ſi nimio calore æſtuent teſtes, raram adeò reddunt materiam ſeminalem, ut ſpiritus animales, & vitales in ea contenti tranſpirent cum diſſipatione principalis inſtrumenti, ad generationem neceſſarii, vel à particulis calidis in dictam materiam impreſſis tali motu inordinato, & perturbato ſpiritus in ea contenti, exiſtente etiam ſemine in loco generationis, agitantur contrario, vel minimè requiſito motu generationis proprio, quæ motum lenem, & moderatum requirit, per quem meliùs principia generationis in materia exiſtentia diſtinguuntur ad invicem pro operis artificio, ubi à motu perturbato ſupradicto confunduntur ſeminali ſubſtantia ſterili reddita, non ex defectu principiorum, ſed ex eorumdem confuſione à nimio calore teſtium. Materia ſeminalis aduſtionem quamdam pati poteſt, relicto ſolùm quaſi quodam incineramento, ad generationem minimè apto, quod credendum eſt contigere in nimia ſeminis craſſitie, per quam reducitur ad illam conditionem, quam contrahunt corpora, veram aduſtionem paſſa, præterquamquòd in aduſtione tranſpirant ſpiritus, ordo, & textura iſtorum remanentium, & materiæ ſeminalis pervertitur, ablata ab ea potentia generationi inſerviente.

Frigiditas teſtium contrario modo à caliditate generationem vitiat, dum ob hujus prævalentiam teſtes ad concoctionem perfectam non reducunt materiam ſeminalem, nec ſpiritus in ea contentos convenienti mixtione uniunt, quapropter remanente materia aquoſa, & ſpiritibus ſuam libertatem conſervantibus, ob defectum unionis, iſtis tranſpiratio copioſa conceditur, materia ſeminali relicta, tamquam Vappa.

Nimia humiditas in teſtibus materiæ ſeminali depravationem tribuit, per quam excluditur ab Opificio generationis, ab hac enim dilatati magis tubuli, vel interſtitia, vel porroſitates teſtium, concedendo liberiorem viam materiæ ſeminali, impediunt, ne hæc intra teſtes neceſſario ad ejus præparationem tempore detineatur. Hinc incocta, & imperfecta ab eis exit cum inhabilitate ad ſuum munus præſtandum. Humiditas etiam ſuperflua teſtium in vapores ſubtiliata, materiæque ſeminali commixta, dividendo ſua intermediatione particulas ſpirituum ab aliis particulis eorumdem activitatem enervat, quæ ab unione earumdem particularum validiſſima proficiſcitur; præterquamquòd ab admixtione humidi vaporoſi in copia cum particulis ſpiritoſis iſtarum motus ad generationem peragendam, vel reprimitur, vel acceleratur, vel à ſua modificatione diſtrahitur, cum detrimento generationis. His vitiis teſtium, remediis propoſitis ſuperiùs pro correctione materiæ ſeminalis medella donatur, & illis deſcriptis, pro intemperie ſanguinis humida.

Mala conformatio teſtium, ſeminis vitiat elaborationem, ab illorum textura non minùs, quàm à virtute, & fermento eis implantato pendentem. Obſervamus enim naturam pro diverſitate operis peragendi, diverſam partibus ſtructuram dare, quo erudimur conformationem, & ſtructuram partium particularis operis executioni concurſum præſtare. Sic teſtium ſubſtantiam natura contexit, prout Anatomica obſervatio ſenſui demonſtrat ex innumeris candidis, columnaribuſque filamentis adinſtar vermiculorum extenſis, nullatenus cavis, ut ſunt venæ, & arteriæ, ſed repletis ſubſtantia ſpongioſa demonſtrata ab hoc, quòd à filamentis prædictis ſuſpenſis non defluit ſponte ſuccus lacteus, in eis contentus, ſed compreſſione ſolùm eorumdem filamentorum manifeſtatur, quia neceſſe erat ſubſtantiam in ſemen elaborandam ad minima redigi, ut partes ejus diverſæ perfecta mixtione in unum coaleſcerent, quòd facit tranſitus per loci anguſtiam, neceſſe etiam erat eamdem materiam ad ſpiritualitatem exaltare, craſſioribus particulis depoſitis, cui conducit longa circulatio per tortuoſos canales lentè peracta, qualis eſt illa ſubſtantiæ ſeminalis, per filamenta ſupradicta teſtium corpus varia, & labyrintea implicatione componentia, & per moram in his implicationibus, & anguſtiis filamentorum contractam, materia à fermento, vel virtute, vel facultate plaſtica perfectiùs elaboretur, & eſt altera neceſſitas à ſeminis fine derivans.

Hinc patet vitiata teſtium textura, vitia intrudi in ſeminis ſubſtantiam. Vitiatur autem textura, ſi filamenta prædicta ſint nimis anguſta, ut materiam illam viſcoſiorem, ſpiritus ſeminales irretientem, admittere non valeant, quod evenit in Hernia præcipuè carnoſa, à ſupercreſcente carne compreſſis filamentis ſupradictis. Pro cujus curatione (quæ valdè difficilis eſt, & forſan certò non exequitur, niſi teſtium amputatione) laudatur ab Authoribus pulvis Ononidis, & ſequens Ceratum eſt expertum. ℞. Cer. Sacr. Diachilon. an. ℥. v. Sulph. vivi Centaur. minoris, Ster. columb. an. ℥. v. ol. Maſticis Camomillæ, & Tereb. an. g. v. cum cera virg. f. Ceratum applicandum parti affectæ ſi major reſolutio deſideretur, & adſit gallici morbi ſuſpicio poterit addi Mercurii ℥. 1. Hernia verò aquoſa laxando nimis tubulos teſtium, prohibet, ne ſemen detineatur in eis eo temporis ſpatio neceſſario ad ſui elaborationem, per quod imperfectè etiam elaboratur, & providetur huic aquam intra ſcrotum contentam iſtius ſectione extrahendo, & exſiccantibus internis copiam ſeri, ſi eam in toto redundare agnoſcimus exſiccando, & adſtringentibus partem corroborando, ut ex pororum, & vaſorum adſtrictione, nec transfundatur, nec admittatur copia ſeri.

Non ſola ſeminis perfecta elaboratio ad generationem requiritur, ſed ejuſdem ejaculatio in uterum, tamquam in locum deſtinatum à natura pro ſeminis receptione & actuatione, & pro fœtu organizatione deſideratur; ſeminis autem ejaculatio non poteſt fieri, niſi membro virili erecto, quapropter impedita iſtius erectione ſemen non ejaculatur in locum deſtinatum, conſequenter nec generatio perfici poteſt, & provida natura conſervationi ſpeciei intendens membri virilis erectionem, & erectionis modum ſtabilivit, ut hoc erectum poſſit intra membra mulieris genitalia penetrare, & è loco propinquiori ſemen in uteri cavitatem ejaculare, ex quo patet dempta membri virilis erectione, demi iſtius intromiſſionem in vulvam, & ejaculationem ſeminis in uterum, & generationem omninò impediri, ut verò dictæ erectioni impeditæ medella exhibeatur, videndum eſt, quænam ſit cauſa membri virilis, erectionem efficiens; ex ejus enim cognitione reſultabit altera cognitio per legem contrariorum, oſtendens cauſam impedientem dictam erectionem, & etiam remedia, ad hanc tollendam, nobis manifeſtè demonſtrabuntur.

Inter varias ſententias à practicis deſcriptas, determinantes cauſam ſupradictæ erectionis, mihi magis arridet illa Reyneri Graaff in ſua Anatomia de virorum organis, generationi inſervientibus, per quam rationibus, & experimentis concludit, penis erectionem pendere à ſanguinis arterioſi concurſu implente, & in tumorem attolente ſpongioſam Urethræ partem, & Corpora nervoſa, ab hoc tumore iſtarum partium fit erectio penis, ut verò fiat hæc intumeſcentia, neceſſe eſt, ut ſanguis copioſè per arterias in dictas partes exundans impediatur, ne refluat per venas, hoc exequuntur muſculi ab oſſe coxendico, & ab ani ſphinctere prodeuntes, & in penis ſubſtantia circa corpora nervoſa, & Urethram implantati, dum enim hi intumeſcunt venereo æſtu inflati poros, & venas per quas ſanguis refluere debet comprimunt, & ita ſanguinis regreſſum, & circulationem impediunt, cum penis intumeſcentia; ſpiritus animalis concurſus etiam admittitur in penis erectione, non tam ad hos muſculos pro intumeſcentia, & inflatione, ſecundùm ventrem eorum, quàm ad partes mem-

membranoſas, quarum fibræ horum concurſu inflatæ, & tenſæ ſummè coadjuvant penis erectionem. Spiritus; & ſanguis ad partes genitales concurrit in copia, dum ab objecto venereo exhilarata anima ſenſitiva, hoc eſt ſpiritus animalis alacriori motu excitatus in majori copia, cum majori energia ad partes totius defertur, in corde celeriorem motum, & validiorem promovendo, rarefactioni majori ſanguinis, & citatiori motui iſtius contribuit, aucto à nervis vaſa ſanguifera circumligantibus, dum validiori conſtrictione ea comprimendo, circulationis motum in ſanguine accellerant, quo ſanguini tenuitas acquiſita in corde conſervatur, & ſpiritus prædicti copioſiùs in partes genitales irruentes pro concepti, & concupiti finis conſecutione mediis nervis dictis partibus implantatis calore ſuo porroſitates dilatat, quæ majoris copiæ ſanguinis capaces hanc etiam recipiunt ſtante ejus tenuitate, & motu celeriori ſupradicto, & à dictis ſpiritibus tumefactis muſculis penis prohibito motu refluo hujus erectio ſequitur modo ſupradicto.

Hunc concurſum ſanguinis, & ſpirituum promovet etiam ſeminis copia ſuis effluviis fermentativis, ſanguini effervescentiam majorem communicando, qua tenuior, & rarior evadit modo dicto ſuperiùs, & partibus genitalibus ejuſdem effluviis calor imperritur, unde fit major ſanguinis coadunatio in his, & penis erectio modo explicato, & ſi accidat corpora nervoſa, & muſculos ab hac erectione, & copioſo affluxu ſanguinis convelli, fit Satyriaſis, & Priapiſmus, & convulſione circumvicinæ parti inducta, & inflammatione à copia ſanguinis oborta moriuntur patientes.

Penis detumeſcentia, & flaciditas ſuboritur, ſpiritu animali muſculos iſtius inflante cum ſemine diſperſo, vel ſatiato appetitu aliunde derivato, vel energia concepta, unà cum ſui copia deficiente, & debilitato totius vigore in ſeminis effuſione, unde muſculis detumeſcentibus aperitur ſanguini retento circulationis via cum penis flaciditate. His principiis rectè explicantur omnia accidentia, quæ in hac parte eveniunt pro actu venereo.

Poſita cauſa ſupradicta, patet penis erectionem impediri à ſanguine frigido, ad motum tardo, & à paucitate, & debilitate Spirituum animalium, & vitalium, quapropter remedia erectionem penis coadjuvantia erunt calida, & ſpiritoſa, quæ ſanguini motum, tenuitatem, & energiam tribuere poſſunt, ſpiritusque Animales, & vitales augere, & corroborare. Inter hujuſmodi remedia ſequentia primatum obtinent. ℞. Caſtor. Galang. Gariofil. Macis, Aniſi, Piper. long. Borac. Venetæ an. ℥. ii. Satyrionis, Valerianæ an. ℥. i. Rad. Aron. Card. an. ℥. v. Stinchi Marini ſine cauda ℥. v. Galliæ muſchatæ ℥. v. m. redigantur in pulverem, cum eſſentia Ambræ tertia parte diſtempera, & fac pillulas, doſis à ℈. v. ad ℈. i. uſus eſt has pillulas in ore detinere, & diſſolutas leniter deglutire. ℞. Extrac. Satyri. ℔. v. ſal. Margar. ℥. ii. olei nucis moſchatæ, Aniſ. & Cinam. ſtil. an. ℥. v. doſis uſque ad guttas viginti, cum oleo pinearum, vel piſtaciorum, Aloes in uſu frequenti, ut non purget, Venerem excitat, ſicut oleum nucis moſcharæ, in umbillicum introductum, Aqua vitæ Mathioli, cui infundantur fruſta radicis Satyrion. His adde remedia ſuperiùs deſcripta, erectio morboſa curatur ſanguinis miſſione purgantibus abdicata, quia irritando ſanguinem ad dictas partes impellunt. Valet Camphora, & opium decoctum lætium cum ſemine agni caſti.

Vitio ſeminis muliebris læditur generatio, quando ab eiſdem qualitatibus ſemen virile depravantibus depravatur, & parùm à medico perpendi debet, an iſtæ qualitates malè afficiant Ovum, in fœmina generatum, ad ſubſtantiam liquidam in actu venereo expulſam, & quæ hucuſque pro fœmineo ſemine conſiderata fuit; nam in quacumque ſubſtantia reponatur ſeminalis virtus muliebris, non poteſt hujus potentia prohiberi, ne in actum exeat ſecundum, niſi à ſuperdictis qualitatibus primis, & ſecundis, quæ curationis fundamentum pro ſterilitate ex parte mulieris ponunt, indicationes medico proponendo pro medicamentorum electione, nec aliter curari poterit ſterilitas, niſi medicamentis dictis qualitatibus oppugnantibus, in quamcumque ſententiam noſter trahatur intellectus, quomodo dictæ qualitates ſeminalem virtutem labefactent, ex dictis de virili ſemine facilè colligere poſſumus, & etiam ibidem remedia accipere quibus earumdem qualitatum activitas retundi poſſit. Signa qualitatem peccantem demonſtrantia debent decerpi præcipuè à temperamento, & ab erratis.

Aberrat quandoque à ſuo fine Natura molas in utero efformando vice fœtus, & hoc vitio virtutis ſeminalis, quàm Antiqui virtutem formatricem appellarunt, & in hoc caſu prædictum vitium conſiſtit in ſuperflua aciditate ſalina coagulativa, propria humoris melancholici itaut idem ferè ſit dicere, molam fieri ab acido ſuperfluo coagulativo, & ab humore melancholico.

Si ergo muliebre ſemen acido hoc excedenti labefactatum vel à propria natura, vel à vitio ſeminis virilis, copiæ ſanguinis conjungatur, ab hac aciditate coagulatur ſanguis in molam, ideſt carneam maſſam ſine oſſibus, & viſceribus, & hoc nobis demonſtravit Hippocrates libro 1. de morb. mulier. ubi ſeminis depravati cum ſanguine conjunctionem expreſſit, pro cauſa molæ ſub his verbis. Molæ conceptus hæc cauſa eſt, cùm multi menſes exiguum, & morboſum ſemen exceperint, & idem repetit in lib. de ſterilitate ſcribendo molam in utero fieri, cùm menſium copia exiguum, & minimè robuſtum ſemen virile exceperit, aut etiam muliebre. Aciditas autem ſuperflua minimè robuſtum, ſed maximè debile reddit ſemen, dum particulas ſpiritoſas ſeminales figit, ut ad motum explicari non poſſint, cum impedimento perfectæ generationis in libero, & expedito motu dictarum particularum conſiſtentis, & hoc modo verificatur ſententia Ariſtotelis lib. 4. de gener. anim. Cap. 7. ubi ſcribit molam non per calorem ſed potiùs propter caloris debilitatem efformari, acidum verò hoc melancholici humoris naturam importans frigiditatem connotat, talis humoris propriam; unde colligimus, quantùm Recentiorum ſententia qualitatibus ſecundis inhærens, Antiquorum placitis cohæreat.

Licèt ſit facile explicare modum generationis molæ vitio virilis ſeminis ſtabilita ſupradicta aciditate, à qua ſanguis in uteri cavitatem incaleſcens in actu concubitus tranſmiſſus coagulatur, vel ſanguini menſtruo in principio menſium, vel in fine in utero collecto mixta prædicta coagulatio imprimitur, quod poteſt etiam optimè applicari ſemini muliebri, in Antiquorum ſententia admittente iſtius ſubſtantiam fluidam à nulla membrana comprehendi; ex mixtione enim hujus ſeminis cum ſanguine ſupradictis modis ad uterum fluente poteſt ſuccedere iſtius coagulatio prævalente aciditate in eodem ſemine.

Admiſſo verò muliebre ſemen ovum eſſe, non eſt adeò facilè explicare, quomodo vitio iſtius mola generari poſſit: Dupliciter tamen id contingere puto, vel vitio materiæ in ovo contentæ, & à primordio ſuæ efformationis intra illud incluſæ, quæ aciditate ſalina, & excedenti contaminata, dum in cavitatem uteri concubitus ope à teſtibus muliebribus per tubas Falopianas tranſmiſſum fuerit ovum, virilis ſeminis ſpiritoſo fermento imbutum, ab hoc fermentatur materia acida in ovo contenta, & in iſta fermentatione exaltatæ particulæ illæ acidæ priùs otiantes, & quieſcentes ſuum effectum præſtare incipiunt in Materiam, intra membranam ovi incluſam, eam coagulando, & fixando ſpiritus illos à toto deciſos, quos muliebris materia pro ovo in ſe continet, & quos virile ſemen in uterum ejaculatum eidem materiæ impreſſit, ex quo contingit, ut impediatur virtutis formatricis, ſeu animæ operatio ſiſtens, & prævalente acido ſupra illorum activitatem, unà cum materia, à qua colligebantur, coagulationem patiuntur, & quia materia illa eſt ſerum albugineum, coagulatio etiam ejuſdem abiit in membranoſam quamdam ſubſtantiam, ut obſervamus in aliquibus molis, quæ nihil aliud repræſentant, quàm cumulum membranarum, una ſuper aliam extenſarum, & dum materia à maſſa ſanguinea in utero ſeparatur, pro augmento colliquamenti in ovo contenti. Hæc ab eodem acido coagulante primam ovi Materiam, aliqualem accipiens coagulationem, molæ incremento inſeruit.

Alter modus, quo poteſt fieri mola conſiſtit, in hujuſmodi materia ab utero ſeparata, & ad ovum tranſmiſſa pro ſui augmento, quæ aciditate ſupradicta peccans coagu-

coagulationem in tota colliquamenti maſſa inducit, cum molæ efformatione modo ſupradicto.

Mola carnoſa vitio Mulieris in utero generatur, quando unà cum ſero, vel materia albuginea in utero ſeparata pro augmento colliquamenti in ovo contenti defluit ſanguis in uteri cavitatem, & materia albuginea per membranam ovi intus abſorpta ſanguis foras relinquitur, cujus propenſio ad coagulationem, quando à propriis vaſis eſt ablegatus, augetur ab aliqua aciditate in eo contenta, quæ coagulationis effectum accellerat, & cum majori efficacia producit, unde ſanguis hoc modo coagulatus, & fibris, quibus naturaliter donatur, colligatus, & intertextus in carnoſam molam tranſit, coadjuvante calore uteri in gravidis ſatis aucto ad majorem illius ſanguinis coagulati conſtipationem, & condenſationem humidioribus partibus, vi dicti caloris reſolutis.

Hoc pacto generatur etiam mola carnoſa ſine fœtus conceptione, quando in concubitu exprimitur ſanguis in cavitatem uteri, eadem aciditate perfuſus.

Ad hanc cauſam nempè aciditatem reduxerunt etiam Antiqui molæ originem, dum ab humore melancholico, ut plurimùm eas fieri determinaverunt, talis autem humor eſt acidus.

Hinc patet pro curatione, ſeu potiùs præſervatione ab hac indiſpoſitione generationis effectum, ut plurimùm interrumpente, & mulieres in magno diſcrimine exponente, moderandum eſſe acidum hoc alkalicis volatilibus, ut ſunt omnes herbæ capitales calidæ exiſtimatæ, & omnia ſimplicia acri ſale donata, ut Ariſtolochia longa, rotunda, Enula campana, Hydropiper, naſturtium aquaticum, Raphanum Sylveſtre, Hyrundinaria, & ſimilia, & efficaciſſimè idem præſtant ſalia volatilia Fuliginis, Cornu Cervi, & ſimilium pluries deſcriptorum pro acidi correctione.

Poteſt impediri generationis effectus, mulieris culpa, quando ejus ſanguis eſt depravatus, nec fluit ad uterum, debito modo à natura requiſito, per quod menſes etiam ſupprimuntur, & ratione loci, in quo fit generatio, & eſt uterus.

Vitio ſanguinis poteſt aboleri generatricis facultatis opus eo non fluente ad uterum, & deficiente materia pro augmento ovi, & fœtus, ut contingit in mulieribus menſium ſupreſſionem patientibus, quæ ſteriles ferè ſemper evadunt, & puto hoc contingere præciſè ex prohibito fluxu ſanguinis ad uterum, non conſiderata ſanguinis mala affectione, quæ ſemper cum ſupreſſis menſibus conjungitur; nam non poteſt fieri generatio, niſi ovum à muliebribus teſtibus deciſum augeatur per materiam in ſubſtantia uteri ſeparatam à maſſa ſanguinea, & niſi talis materia ſeparetur in tali quantitate, ut ſufficiat pro nutrimento fœtus, eo jam intra ovum efformato, unde ſi ſanguis non fluit ad uterum utrumque deficit, conſequenter præciſè per prohibitum fluxum ſanguinis ad uterum impeditur generatio, etiamſi ſanguis ſit optimæ ſubſtantiæ, ut obſervavi in aliquibus mulieribus de viraginum indole participantibus, quæ optima fruebantur ſanitate, cum integra omnium operationum executione, cum florido colore totius, & menſes numquam eis apparuerunt, & nuptæ ſteriles extiterunt. Fluxum ſanguinis ad uterum prohibitum intelligo eſſe talem, ut menſium fluxui non ſufficiat, nec ſatis ſit ad contribuendum calorem utero, & partibus genitalibus ei annexis, nempè ovario neceſſarium pro ovi efformatione perfecta, & pro incaleſcentia illa in concubitu proveniente, & quæ forſan ovum diſpoſitum ad ſeparationem ab ovario turgeſcentiam in eo inducta eſt in cauſa, ut à ſua cellula abſcindatur, & in uterum emittatur, & per quam uterus ſecundùm ſuas porroſitates dilatatus capacitatem acquirit ad ſuſcipiendam materiam à maſſa ſanguinea, pro opere generationis perficiendo, & ab hac incaleſcentia utero impreſſa ex concubitu obſervamus nuptis, quibus anteà ſupreſſi fuerunt menſes, fluere, calore vias dilatante, ſanguinemque ad majorem fuſionem, & fluxibilitatem reducente.

Fit talis ſuppreſſio menſium, & prohibetur ſanguinis fluxus ad uterum vitio ſanguinis, & vitio vaſorum; primùm contingit, quando ſanguis eſt nimis craſſus, prout reperitur in Cacochymia pituitoſa, & melancholica, cujus cauſas alibi explicavimus. Hæc ſanguinis craſſities prohibet fluxum ſanguinis menſtrui, vel vaſa Capillaria uteri obſtruendo, itaut per ea tranſire non poſſit, vel non admittendo illam efferveſcentiam, & fermentationem, quæ meo judicio eſt primaria menſtrui fluxus cauſa, liquida enim quo magis craſſa exiſtunt minùs ſunt ad fermentationem apta, conſtrictis à craſſitie particulis ſubtilioribus, & ſpiritoſis, quæ ad libertatem provocatæ, & motu agitatæ fermentationis opus peragunt. Talis fermentatio ſanguinem ad menſtrualem fluxum determinans oritur à quantitate ſanguinis, quæ per menſem intra vaſam mulierum colligitur, pluſquàm conveniat earum nutritioni, & aliarum facultatum executioni. Auctus in quantitate ſanguis in eo plures cumulantur particulæ ſpiritoſæ, & calidæ, quæ valent fermentationem ejus naturalem augere, hæc aucta, vaſa dilatando, & extendendo per conceptam turgeſcentiam à fermentatione, orificia etiam eorumdem, præcipuè in utero aperit, ſic natura dirigente, & orificia dictorum vaſorum in utero ad hunc finem diſponente, unde ſanguinis fluxus per eam partem.

Vitio vaſorum impeditur ſanguinis fluxus ad uterum, quando vaſa ſunt nimis exilia à naturali conſtitutione, quando capacitas eorum tollitur per compreſſionem ab aliquo tumore ſupraſtante, vel quando ſunt obſtructa à materia lenta mucilaginoſa.

Hæ omnes cauſæ, tam vitium ſanguinis, quàm vitium vaſorum reſpicientes ſine ulla trepidatione univerſaliter ab omnibus recipiuntur, ſola cauſa menſtrui fluxus ſuperiùs expreſſa non concordat cum Antiquorum determinationibus, ſed quia & hi ſunt varii in ſtabilienda menſtrualis fluxus ſanguinis cauſa, ideò videtur etiam unicuique relicta libertas ſuam proferendi ſententiam. Præterquamquòd aſſignata qualibet cauſa menſtrui fluxus ſemper hujus cauſæ effectus, & activitas, & in actum ſecundum emanatio impedietur, vel à ſanguinis vitio, vel à vaſorum præternaturali conſtitutione, unde tota curationis ratio in his duobus conſiſtet, & ſic parùm videtur conferre ad curationem vera determinatio, vel cognitio cauſæ menſtrualis fluxus.

Impeditus ſupradictus fluxus ſanguinis ad uterum vitio ejuſdem, ad illum revocabitur craſſitiem emendando, conciliataque ei tenuitate naturali ad fermentationem naturalem diſponendo, & utrumque celeriùs obtinebimus evacuata, per epicraſim excrementorum copia, ſanguineam maſſam coinquinante, & incraſſante. Præterquamquòd purgantia fermentationem quamdam in ſanguinem inducendo, ſubtilitatem ei conciliare apta videntur; idcircò optimum eſt purgantia admiſcere cum eis, quæ ſubtilitatem, & tenuitatem ſanguini imprimere valent, & recenſita fuerunt, ubi de habitu cacochymo actum fuit, eis tamen adjungere poſſumus, quæ pro menſium eductione appropriata videntur, ut ſunt radix Zedoariæ, Rubiæ, Tinctorum, Dictamum Cretenſe, Artemiſia, Caſtoreum, Crocum, Carabe, Myrrha, Sagapenum, &c. omnia ſalia alkalica volatilia, ſicut & fixa multùm operis, & efficaciæ contribuunt in hoc affectu.

Diminuta per purgationem humorum excrementitiorum quantitate, poſſumus poſteà uti attenuantibus ſubtiliantibus, & menſes educentibus, inter arcana huic morbo appropriata enumerantur nuces, ſi priùs per aliquot dies integræ unà cum cortice in aqua maduerint, itaut à nucleis extractis poſſit pellicula eos inveſtiens ſeparari, & hac ſeparata nuclei infunduntur in ſpiritu vini, & de his accipiuntur per aliquot dies tres, vel quatuor, cum mirabili effectu. Idem dicuntur præſtare Catti Nucum tempore veris collecti in umbra exſiccati, & per ʒ. v. uſque ad ʒ. ii. exhibiti in aliqua decoctione Uterina appropriata pro menſium eductione; valet etiam pulvis dictus dominarum à Foreſto in ſuis obſervationibus deſcriptus, vel ℞. Aloes ſuccotrinæ ℥. v. Myrrhæ ʒ. ii. Croci martis aperit. ℈. ii. Boracis Miner. ʒ. i. Salis Armoniaci ℈. ii. Salis Sabinæ, Artemiſiæ an. ʒ. v. fœculæ Aron ℈. ii. Croci ʒ. v. f. p. & cum Syr. de ſthœcade, & quinque Rad. f. m. cujus ʒ. i. v. omni mane per quindecim dies ante tempus menſium accipiatur cum decoctione aliquorum ſimplicium ſupradictorum; ſequens pulvis eſt expertus. ℞. Caſtorei, Acori, Aniſi ſem. apii an. ʒ. i. terrecribra, & da ʒ. i. in potu cum vino per ſex dies ante Men-

ſes

ſes movent ſal Cortic. Auranciorum, & Citriorum ad. ℈. 1. pro quolibet exhibitum in decoctione Corticis, Salicis, Minoris, Croci, & Soli ſequii, & Marubii; Idem efficacirer præſtant & ſequentes pillulæ. ℞. Aleos Succotrinę ℥. 5. Croci ℥. 5. cum aqua herbæ mercurialis fiat extractum de quo recipe ℥. 4. ſalis artemiſiæ ℥. 1. ſucci Mercurialis depur. ℥. 8. M. & ponantur omnia in Matula Vitriata, & fiat evaporatio in B. M. lento igne, donec veniat ad conſiſtentiam extracti, de quo accipiatur per octo dies antè tempus Menſium ʒ. 1. per quatuor horas ante prandium, & per quatuor horas poſt cœnam, & emplaſtrum factum ex farina volatili, Croco, & vitellis ovorum applicatum ſubtus umbilicum.

Vitium vaſorum, ſi eſt ex naturali anguſtia, immedicabile evadit, ſi ex compræſſione à tumore, hic eſt auferendus per medicamenta qualitati tumoris convenientia, ſi ab obſtructione eadem conveniunt remedia, quæ dicta ſunt ſuperiùs de vitio ſanguinis pro attenuanda, & diſſolvenda materia obſtruente, & in hoc caſu efficaciſſima ſunt ſuffumigia in uterum introducta, qualia ſunt ea facta ex ſcoriis reguli Antimonii, & ex ſale Armoniaco.

Fluor albus uteri vaginam lubricans, & cavitatem ſterilitatem efficere poteſt, virile ſemen alterando, vel ejus permanentiam in utero prohibendo, itaut actuari non poſſit, nec ſpiritus ſuos ad ovi fęcunditatem neceſſarios, & ad uteri illuſtrationem, & alterationem requiſitos diffundere.

Hunc fluorem communiter à duplici cauſa pendere ſtatuunt medici una à toto, & ab hac fit, quando maſſa ſangninea multis eſt depravata excrementis, à quibus ſe exonerat in uteri ſubſtantiam relinquendo, dum per iſtam circulat, & ab utero continuato fluxu extra pelluntur, hinc pro varietate excrementorum prædictus fluor variat; nam vel excrementa ſunt acria, & bilioſa, & fluxus tunc eſt flavi coloris mordax, & corroſionem circa uterum, & in uteri ſubſtantia minatur, unde quandoque ulcera læthalia fiunt, aliquando verò omni mordacitate caret, in hoc caſu videtur ſolam ſeroſam colluviem peccare.

Sanguis hæc excrementa in ſe colligit, vel vitio partium alimenta præparantium, vel vitio lienis, vel vitio ſui, quando ſecundùm qualitates eſt nimis acris, & bilis copiam in ſe cumulat, vel ſalium acidorum fluorem experiendo aciditate morboſa perfunditur, vel ſalſedine inficitur.

Hæ cauſæ ſunt rectè perpendendæ, in hujus fluxus curatione eſt perquirenda pars affecta, ejuſque vitium indagandum, & juxtà indicationes ab his propoſitas; medicamenta ſunt præſcribenda in ſeroſa colluvie ſimplici exſiccantia videntur convenire, & diuretica, pro materia ab utero avertenda, ubi bilis conjungitur exſiccantibus unienda, quæ bilem frangunt, ſicuti ubi acida cum ſero colliguntur, quæ hoc mortificant, & in hoc caſu valet ſequens decoctum. ℞. ligni ſancti ℥. 2. Cort. ejuſdem ℥. 1. 5. liquiritiæ ℥. 1. coquantur ad medietatem in aqua ℔. 6. 5. deindè adde ſem. Portulacæ ʒ. 2. glandes cum calicibus num. 6. ſumach. ʒ. 2. Rad. Tormentillæ ʒ. 4. conſolidæ ʒ. 1. denuo coque benè cooperto vaſe ad remanentiam ℔. 2. colaturæ accipe ℥. 4. cum Syr. myrtino ℥. 1. & per triginta dies ſit uſus hujus decocti.

Si à toto proveniat dictus fluor, cum iſto conjungetur Macies, & pravus corporis color, ſi verò vitio alicujus partis excitetur, hoc nobis patebit per ſigna propria vitii, partem depravantis.

Alius modus, & cauſa, à qua fit hic fluor, eſt uteri affectio ſanguinem, per ejus ſubſtantiam circulantem, ſecundùm aliquas ſui portiones corrumpens, & in excrementum paulatim commutans, quòd paulatim etiam expellitur.

Hanc affectionem uteri, ſanguinem in album excrementum corrumpentem, puto in acido quodam excedenti conſiſtere, cùm videamus ab acidis ſanguinem dealbari, ut patet ex illa celebri experientia ab aliquibus relata circa lac, cui ſi incoquatur ſal tartari rubedinem concipit, & huic rubenti ſi inſtilletur ſpiritus vitrioli, naturalem concipit albedinem, ſic ſanguis (ſi verum eſt eſſe materiam lactis) in glandulis mammarum collectus, ab harum acido dulci conaturali in hac album elaboratur, unde non eſt improbabile ab acido ſuperabundante, in ſubſtantia uteri ſanguineam ſubſtantiam corrumpi, & in excrementum album tranſmutari.

Hoc acidum ſuſcipit uterus, vel à ſanguine melancholico, quia ab eo nutritur, quod eſt idem, ac contraxiſſe temperiem frigidam, ab Antiquis, pro cauſa hujus fluoris ab uteri vitio provenientis, recenſita; hac ratione forſan frequenter poſt partum hi fluores relinquuntur, ſpiritibus temperiem ejus conſtituentibus debilitatis, vel diſſipatis pro aliqua portione, propter quod acidæ particulæ forſan ad temperamenti ſui conſtitutionem concurrentes exaltantur, non aliter ac in vino, à quo evaporantibus ſpiritibus, & particulis ſulphureis calidis acceſſit. Poteſt etiam eſſe alia ratio, cur à partu relinquatur hic fluxus, nempè ſi Carunculæ illæ, vel aliqua, per quam annectitur placenta utero, permaneat etiam poſt partum; Et ſicuti tempore gravidationis ab his carunculis humor albugineus præparatur, in alimentum fœtus ceſſurus, ita poſt partum in utero permanens contracto vitio humorem albugineum, ſed excrementitium ſubminiſtrare poteſt.

Hoc acidum vitians uteri ſubſtantiam ad temperamentum, tollendum medicamentis illud infrigentibus toties repetitis, & præcipuè vulneralis, quæ in hoc affectu multùm æſtimo, præcipuè ſi miſceantur cum uterinis, & ex eis inectiones, & ſuffumigia parentur.

Altera etiam via mihi videtur poſſe fluere hunc humorem album, nempè ex lacunis in vagina uteri exiſtentibus, & ex meatibus in uteri collo copiosè apertis; Experientia enim demonſtrat ex diſſecti mulierum Cadaveribus à dictis partibus humorem album copiosè exprimi, & hunc recipiunt à membranoſa colli uterini ſubſtantia, prout demonſtrat Graaff in libro ſuo de mulier. Organis. Poſſunt enim hæ partes alteratione depravari, & diſponi ad copioſum humorem recipiendum, & laxitate debilitari, ut illum detinere non valeant, ſed profundere cogantur; Hinc eſt quòd tales fluxus in gravidis copioſiores evadunt, quia tunc temporis humorum confluxus ad uterum eſt copioſus.

Pro hac cauſa extirpanda, corroborandi ſunt meatus prædictis exſiccantibus non ſolùm internis, ſed etiam externis, ſuffumigiis nempè injectionibus. Inter remedia huic cauſæ propria enumerantur ſequentia. Cortex ovi incubati, poſt exitum pulli pulverizatus, & ad ℥. 5. exhibitus in aqua ferrata, Membrana Caſtanearum interior rubens, ad ʒ. 2. cum totidem pul. Eboris in vino meraco, vel cum decoctione Roſmarini, filipendulæ radix pul. ad ʒ. 1. in paſtinace Sylveſtris decocto, & Dauci, & ſequens pulvis. ℞. Herbæ veronicæ ſem. Ameos an. ℥. 5. Cardamomi, Cinamomi an. ʒ. 2. Croci Martis aſtring. ℈. 1. 5. Spodii, Charabe an. ℈. 2. 5. ſem. Plantag. Portulacæ an. ʒ. 5. m. f. p. & exhibeatur ʒ. 1. cum decoctione Roſmarini. Decoctum Antimoniale deſcriptum in cap. de lympha fluorem album in mulieribus eradicat. Multoties decipiuntur Medici in hoc affectu, qui aliquando eſt Gonnorrhæa, ne decipiamur, advertendum eſt in vero fluore lumbos dolere in gonnorrhæa non apparentibus menſibus ille ceſſat, iſta perdurat, & circa meatum urinarium mucoſa materia mucoſa colligitur, quia ibi lacunarum meatus, in quibus humiditas in concubitu cum delectatione emiſſa colligitur, terminatur, & quandoque partes circa dictum locum exiſtentes ulcerantur. Si Gonnorrhæa certi erimus, curanda modo ſuperiùs tradito.

SECTIO II.

De facultate vitali. Et primò de Reſpiratione, & uſu Pulmonum.

ADeò diſcordes in reſpirationis uſu ſunt authores, ut impoſſibile ſit eos ſimul conciliare, quamvis pulmonum fabrica, & ſtructura diligenter ſit ab Anatomicis delineata, & demonſtrata. In modo etiam, quo fit reſpiratio, adſunt etiam diſcordiæ, & in utroque receſ-

receſſus, ab Antiquorum documentis, unde in his ambagibus remanet ſolùm perſcrutari, quæ rationi magis ſunt conſentanea, & naturæ fini adaptata hæcque pro certis ſtabilire, & ad medicum finem adaptare, & primò inquirendum.

CAPUT I.

Quomodo fiat Reſpiratio, & Expiratio.

PLures ſunt circa harum operationum inquiſitionem ſententiæ, Aliqui in virtutem attractricem refundunt, quæ aerem ſua vi in cavitatem pulmonum attrahat, alii contendunt eſſe vacui fugiendi neceſſitatem, quod per dilatationem Thoracis introducitur, cui neceſſitati, ut provideat natura aerem extrinſecum allicit. Alii in motum pulmonum ſuæ ſubſtantiæ proprium refundunt, dum tali motu dilatantur Bronchia aſperæ arteriæ, quibus contexitur, & ex tali dilatatione facta capacia alterius corporis, vel majoris aeris, hic ea ingreditur, & implet, unde ab aliquibus ſancitum fuit, ideò pulmones impleri, quia dilatantur, & quia impleti pulmones aere, à motu Coſtarum introſum comprimuntur, aer inclusus in eorum ſubſtantia expellitur cum motu expirationis.

Hæ tamen ſententiæ rationi potiùs contrariantur, quàm eam fautricem habeant; nam hæ facultates in materiam ſuperficiei corporis ſolùm contiguam, quale eſt aer, agentes alibi demonſtravi eſſe Chymericas, ratio à vacui neceſſitate petita ab experimentis à Recentioribus in publicam lucem datis, improbabilis redditur, vel aboletur. Experimenta enim intendunt demonſtrare aerem non currere ad implendum vacuum, ob præciſam neceſſitatem, à vacuo determinatam, ſed aerem vacuo ſpatio contiguum à ſuperſtante aere premi, & preſſione impelli ad implendum ſpatium vacuum; nec ſubſiſtit doctrina allata de motu pulmonum eorum ſubſtantiæ naturaliter debito; nam in pulmonibus non adſunt fibræ, neque carnoſæ, neque nervoſæ, pro motu, cujus ſunt principalia inſtrumenta, ſufficientes. Videmus enim omnes partes, quæ moventur, fibris ſupradictis eſſe contextas textura convenienti motui exequendo, unde ſi motus naturaliter eſſet pulmonibus debitus, his etiam fibris deberent eſſe contexti.

Recentiores viſi ſunt meliori judicio determinaſſe inſpirationis cauſam ſtabiliendo, pendere à motu Thoracis, per muſculos, intercoſtales, tàm internos, quàm externos exercitus, cujus beneficio coſtæ attolluntur, cavitaſque Thoracis amplior redditur, & pulmones priùs à depreſſione Thoracis, quaſi compreſſi, in hac dilatatione ſe dilatant, & aer, qui ſuperſtabat aeri exiſtenti intrà aſperam arteriam, & Bronchia, & qui hunc unà cum pulmonibus, & ſuis bronchiis præmebat, itaut iſtis reſiſtentibus dictæ preſſioni aer preſſus ulterius progredi non poterat, premebat in pulmonum dilatatione ſequente dilatationem Thoracis aer preſſus aeri prementi cedens pulmonum ſubſtantia non reſiſtente, & ob ſpatium dilatatum, quod cùm impleri non poſſit à præexiſtente aere, aer premens unà cum iſto dictum ſpatium occupat, & bronchia pulmonum ſuo ingreſſu implet, eaque diſtendit, & ita fit inſpiratio, unde verificatur in aliqua parte ſententia ſuperiùs dicta pulmones aere impleri, quia dilatantur, ſed iſta dilatatio, nec motum aeris præbet, nec hanc attrahit, ſed locum parando aeri, hic impulſu preſſionis à ſuperſtante aere, in ſpatium præparatum à dilatatione impellitur.

Per dilatationem Thoracis pulmones moveri, multi ex Antiquis aſſeruerunt, licèt rationem veram non reddiderint talis motus.

Quomodo fiat hic motus Thoracis, explicant Anatomici, ad quos lectorem remitto, & ſolùm obſervo, cum aliquibus ex Recentioribus hanc dilatationem fieri, tàm ope Diaphragmatis, muſculorum internorum, quàm externorum, contra ſententiam eorum exiſtimantium ſolùm muſculos externos dilatationi conferre, internos verò depreſſioni; nam hujuſmodi depreſſio ſine alicujus inſtrumenti miniſterio exequitur, per virtutem propriam, elaſticam coſtarum, qua ſuo ſtatui naturali remittuntur, eo modo, quo lignum incurvatum ſibi derelictum, ſine alicujus auxilio, ſed ſola virtute elaſtica ſuam rectitudinem recuperat.

Hujus inſpirationis uſus, & ingreſſus aeris in pulmones varius ab Antiquis, & à Recentioribus determinatur, communis fuit opinio inter Antiquos, aerem à Natura in pulmonum ſubſtantiam permitti continuo ingreſſu, & regreſſu, ut ab aerem ingrediente cordis, & ſanguinis calor miti refrigerio attemperaretur, cum aere verò egrediente fuligines ab æſtuante ſanguine erumpentes, unà cum illo expellerentur. Secundò, ut aer attractus ſanguini in pulmonibus exiſtenti miſceatur, unà cum iſto in ſiniſtro cordis ventriculo in ſpiritum vitalem excoquendus. Tertiò, ut ex admixtione aeris ſanguis ſubtiliaretur, & attenuaretur, in minutioreſque partes divideretur, ut anguſta quæque vaſa, & partium poroſitates, pro individui conſervatione penetraré poſſet.

Inter Recentiores Joannes Mayovu exiſtimat ſpiritum Nitro-aereum aeri commixtum in inſpiratione ſanguini per pulmones circulanti commiſceri, particuliſque ſalino-ſulphureis hujus liquoris uniri, & ab hac unione ſpiritus nitro aerei, & particularum nitro-ſulphurearum ſanguinis fermentationem vitalem in hoc excitari.

Hujus opinionis fundamentum deducit ex eo, quòd quemadmodum particulæ Nitro-Aereæ, terræ ſpiracula lentè ſubeuntes, ibidem cum particulis ſalino-ſuſphureis immaturis terræ æſtu obſcuro congredientes fermentationem, & cum hac calorem accendunt, à quo vegetabilium vita dependet, ut idem Author oſtendit in ſuo tractatu de ſale nitro Cap. 5. ita particulæ eædem Nitro aereæ in cruoris maſſam pulmonum Miniſterio introductæ, particuliſque iſtius Salino-ſulphureis ad juſtum vigorem evectis, quoad minima admixtæ, fermentationem ſatis inſignem, ad vitam animalis requiſitam, in eo efficiunt. Unde ſtatuit, ſanguinem à terreſtri gleba non eſſe diſſimilem, illumque iiſdem particulis, ſed magis exaltatis conſtare, quibus terra ipſa ſcatet, & ſicut ſulphur immaturum, cum ſeminibus ſalis fixi ſtrictè combinatum, materiam terreſtrem componit, ita cruoris maſſa à particulis ſalino-ſulphureis ad volatilitatem juſtam evectis conflatur, unde fit, quod & terræ, & ſanguinis idem color, ſcilicet atro-purpureus maneat.

Sanguini fermentationem contingere ſicut, & omnibus aliis rebus, naturalibus à ſpiritu nitro aereo videtur convinci ex eo, quòd impedito aeris, à dicto ſpiritu nitri imprægnati ingreſſu in pulmones, cum reſpirationis ſupreſſione efferveſcentia cruoris mox concidit, animaliſque vita extinguitur.

Majorem confirmationem huic ſententiæ addit ab obſervatione facta, demonſtrante ſanguinem, qui ſub atro colore pulmones intrat, magis floridum, rutilumque qualis eſt ſanguis arterioſus ex iiſdem redire, quod obſervatum etiam fuit à clariſſimo Louvero in vivorum ſectionibus, idemque oſtendit mutationem iſtam in cruoris maſſa factam, non tàm à comminutione hujus in pulmonibus, quàm ab aere ei admixto provenire; etenim ſanguinis venoſi in vaſe excepti ſuperficies ſumma, quæ aeri expoſita eſt, colorem cocineum floridumque acquirit, è contra ſanguis in fundo vaſis ſub colore atro purpureo apparet, qui eidem aeri expoſitus, poſt breve temporis ſpatium colorem rutilum induit, ideòqne mirandum non eſt, ſi ſanguis in pulmonibus, ubi aer per particulas ejus diffuſus, cum eodem intimè permiſcetur, per totum floridus reddatur, ſed pro certo tenendum, aerem ſanguini admixtum colorem rutilantem eidem communicare, & quidem quatenus à ſpiritu nitro-aereo fermentatio in cruoris maſſa excitatur, quippè ſanguis arterioſus, qui ſub florido colore conſpicitur, particulas ſuas valdè mobiles habet, & inſigniter efferveſcit, ſanguis verò venoſus atrior, obſcuriorque ob fermentationem ejus imminutam, ideòque magis grumoſus, citiuſque coagulatur,

Fermentationem ſanguinis à ſpiritu nitro-aereo huic commixto probat idem Author duplici experimento. Primum ſi ſanguis in vaſe aliquandiù ſervatus in vitrum collocetur, ex quo aer per antliam aeream exhauriatur, ſanguis iſte in ſuperficie, in qua colorem floridum obtinuit, leniter efferveſcet, & in bullas aſſurget. Sin autem ſanguis arterioſus adhùc incaleſcens in loco aere vacuo poſitus fuerit, mirum in modum expandetur, & in bullulas penè infinitas elevabitur, idque partim à particulis eJus exæſtuantibus, inque motum poſitis, partim ab aeris

particulis nitro-ſulphureis illis commixtis oriri verò ſimile eſt. Secundum ſi ſpiritus nitri liquori ſale volatili, ſulphureque referto, veluti ſpiritui cornu cervini, oleo proprio imprægnato affundatur, effervеſcentia mox inſignis cum colore cocineo admodum rutilante in liquore excitabitur, qui tamen color floridus æſtu liquoris ceſſante in atro purpureum comigrat, & ita particulæ nitro-aereæ (quibus ſpiritum nitri abundare alibi oſtendit) cum particulis liquoris prædicti ſalino-ſulphureis exæſtuantes, colorem cocineum ſanguinis arterioſi æmulum efficere videntur, ea enim eſt particularum nitro aerearum natura, ut eædem in motu poſitæ, rebus, quibus inſunt, colorem rutilum inducant, prout in ſpiritu nitri inter diſtillandum rutilante contingit.

Perennari hanc fermentationem in ſanguine vult, quia particulæ nitro-aereæ iſtius fermentationem efficiunt, & hæc alias particulas nitro-aereas à ſanguine elicit, à quibus æſtus in hoc de novo inſtauratur, & ab aere ſanguini commixto per ejus fermentationem elici particulas nitro-aereas probat in eodem tractatu de ſale nitro cap. 8. in initio, & quia ſpiritus nitro-aerei in pulmonibus maſſæ ſanguinis immixti, in corporis habitu maxima ex parte à ſanguine ſecernuntur in aliquos uſus, ita cruoris æſtus, & fermentatio decreſcit, itaut cruor ad pulmones reverſus ob dictorum Spirituum defectum ſecundùm fermentationem ſit valdè imminutus, & remiſſus, neque tamen fermentatio penitùs ceſſat, quia à particulis nitro-aereis ab aere intra ſanguinem exiſtente, & per habitum corpus admiſſo elicitus ſuſtentatur, licèt minor ſit ea in pulmonibus ſuſcepta, quia ſpiritus ibidem ſuſcepti deficiunt, ut diximus, & qui eliciuntur ab aere, in ſanguine latente ſunt minores iis, in pulmonibus ſuſceptis.

Sicuti fermentationem ſanguinis à ſpiritus nitro-aereo oriri probavit præcitatus Author, ita etiam ejuſdem incaleſcentiam à particulis nitro-aereis cum particulis cruoris ſalino-ſulphureis oriri cenſet. Hanc ſuam ſententiam probat à Minera qualibet ſalino-ſulphurea, cujuſmodi ſunt Marcheſitæ Vitriolicæ, quæ recenter effoſſæ, aerique humido expoſitæ æſtum, caloremque intenſum concipiunt, in quantum particulæ aereæ, cum particulis ſalino-ſulphureis mineræ congreſſæ effervеſcentiam inſignem excitant; Quantò ergo major exiſtimandus eſt ſanguinis æſtus, fervorque, dum particulis iſtius ſalino-ſulphureis ritè evectis ei miſcentur particulæ nitro-aereæ. Hinc deducit per motum animalia ſummè incaleſcere, non per attractionem patrium, impotentem tantam particularum calidarum copiam ab eis extrahere, ut calorem intenſum efficiant, ſed ob frequentem reſpirationem, à motu violento excitatam, per quam ſpiritus nitro aerei in magna quantitate per inſpirationem attrahuntur, & ſanguini miſcentur, congredientesque cum particulis ſalino-ſulphureis iſtius effervеſcentiam majorem excitant, & cum hac incaleſcentiam, & æſtum à frequenti reſpiratione calorem excitari, probat etiam, quia quilibet exiſtens quietus, & pro voluntatis imperio frequenter reſpirans calore ſolito majori incaleſcit.

Hæc eſt inſpirationis Cauſa, & finis, juxta ſententiam Excellentiſſimi Joannis Moyovu; expirationis verò cauſa eſt deſcenſus Coſtarum in ſuum naturalem ſitum, per quem thorax coarctatur, & pulmones conſtringuntur, coacti aerem contentum expellere. Ad violentas autem expirationes conducunt muſculi abdominis obliqui deſcendentes, & aſcendentes, quorum tendines Coſtis inferioribus inſeruntur, unde in horum contractione non poſſunt coſtas non deorſum trahere, & pectus conſtringere.

Hinc dictus Author ait, aerem inſpiratum guſtui, & olfactui, expulſum loquellæ, voci, tuſſi, ſternutationi, ſputi excrementitii, & ſalivæ excretioni, retentum urinæ, & fœcum egeſtioni, fœtus expulſioni, chyli, lymphæ, atque ſanguinis motui inſervire. Negat reſpirationem pro cordis refrigerio peragi, ſed potiùs calorem excitare, neque inſervire pro motu ſanguinis per pulmones à dextro cordis ventriculo in ſiniſtrum; neque vult per expirationem ſanguinis comminutioni in pulmonibus contribuere.

Putat hic Author ſpiritum nitro aereum nihil aliud eſſe, quàm particulas minimas ignis intra aeris circumuolutiones latentes, & à Sole mutuari, quem ignis ſferam ſtatuit, & quando particulæ aeris circumvolutæ igneis particulis privantur, quòd contingit in ſuſtentanda flamma in alimentum iſtius conſumptis, vel ab aere ſeparatis dictis particulis igneis, & quia tunc particulæ aeris leviores factæ ſupremam aeris regionem aſcendunt, ubi de novo igneas particulas Solis in ea regione abundantes recipiunt; Vocat has particulas igneas nitroſas, eò quia à Salibus fixis terræ inhærentibus, & ſulphure mixtis attractæ Salnitrum in terram efformatur, & pro hujus conſtitutione aliquid ab aere trahi probat experimento.

Si terra, à qua extractum fuerit ſalnitrum aeri exponatur, Salenitro de novo imprægnatur, quod non poteſt recipere, niſi ab aere pro aliqua ſaltem portione neceſſaria ad conſtitutionem Saliſnitri, ſal fixum in nitro hoſpitans in aere volitare poſſe non putat, ſicut nec ſulphur fixum, quale eſt illud, quod ingreditur conſtitutionem ſaliſnitri, conſequenter ab aere non poteſt terra recipere ſal, & ſulphur fixum, neceſſarium pro ſalenitro, remanet ergo, ut ſolùm ab aere particulas igneas in ſalenitro exiſtentes attrahat. Has particulas igneas nitroſas, cum ſulphure, & ſale congredientes vult ignem exhibere, quia dictæ particulæ igneæ accenduntur, & motu perturbato celeri, & violento moventur, quod probat, quia ſalnitrum numquam flammam concipit, niſi ſulphuri mixtum, ſic hæ particulæ aeris igneæ unitæ cum particulis ſalino-ſulphureis ſanguinis ad invicem fermentantur, & accenſionem in eo introducunt.

Inter Recentiores Ill. Malpigh in Epiſt. p. ad Borellum vult pulmones, & reſpirationem à Natura eſſe fabrefactos, & inſtitutam non ad refrigerationem ſanguinis, & cordis, ſed ad ſanguineæ maſſæ miſcellam, motu enim pulmonum minimæ ſanguinis particulæ, albæ, rubræ, chyloſæ, lymphaticæ, ſeroſæ in unam maſſam ſangineam exactiſſimè miſcentur, & per eumdem motum craſſæ atteruntur, & comminuuntur, ut dicta mixtione perfecto modo, cum aliis colligari, & uniri poſſint.

Malachias Thruſton lib. de reſpir. cor à ſanguificationis officio excludit, & ſentit in dextro iſtius ventriculo chylum, cum ſanguine rudem tantùm diſpoſitionem pro mutatione in ſanguinem ſuſcipere, in pulmonibus verò ſanguinem effervеſcere, ſubtiliari fluiditatem ſuſcipere, & in verum ſanguinem mutari concludit.

Alfonſus Borellus part. 2. de motu animalium Cap. 8. neceſſitatem reſpirationis, & attractionis aeris pro vitæ conſervatione exagerat; finem verò talis attractionis determinat non eſſe ad refrigerium, & ventilationem flammæ, & caloris cordis, ſicut nec expirationem eſſe ordinatam ad expellendas fuligines genitas ab igne in corde exiſtente, nec admittit motum pulmonum ſequentem aeris attractionem, mixtionem partium ætherogenearum ſanguinis promovere, licèt talis motus faciat ad contuſionem, & comminutionem dictarum particularum, & ab eo in partes minimas dividantur, nec approbat aerem in pulmones intromitti, ut ſuis particulis nitroſis effervеſcentiam ſanguinis promoveat, & ejus fluxibilitatem augeat, quæ omnia rationibus, & demonſtrationibus mathematicis conatur probare.

Sed ſtabilita neceſſitate aeris pro vita conſervanda hunc in pulmones ingreſſum vult ſanguini miſceri, & modum ſatis ingegnioſum exponit prop. 113. cit. cap. huic aeri ſanguini mixto illud officium tribuit proprium penduli oſcillatorii in horologio, quod legibus mecanicis itus, & reditus æquitemporaneos efficiendo violentiam cauſæ motivæ, & motus omnium rotarum dirigit, regulat, & contemperat, ita aeri intrà ſanguinem inſinuato concedit motum oſcillatorium adinſtar penduli, quo partes ſanguinis eis contiguæ eodem motu oſcillatorio agitantur, & partes omnes animalis rithmo regulari commoventur, non ſecus, ac rotæ horologii, ab oſcillatorio motù penduli impelluntur, moderanturque, & hanc ſuam opinionem dilucidat, prop. 116. cit. cap.

In hac opinionum diverſitate difficile eſt verum pulmonum uſum determinare, & finem per quem aer intra eos admittitur, & ab eis expellitur excepta ſanguinis alteratione, quæ evidenter patet, cùm ſanguis in pulmonibus tenujor inſpiciatur, quàm in venis, & in dextro cordis ventriculo, & rubicundior, coloriſque rutilantis, & has qualitates non reciperet niſi alterationem in pulmonibus ſubiret. Pro medicina verò exercenda, & pro iſtius fine conſequendo mihi videtur ſufficere univerſalem determinatio-

natio-

nationem accipere, nempè eſſe neceſſarium ad vitæ conſervationem aeris ingreſſum in pulmones, & ab eiſdem regreſſum; quapropter medicinæ, & medici munus eſt vias per quas aer ingredi, & regredi debet ab omni impedimento liberas conſervare, hoc enim obtento, & ingrediente aere, ea præſtabit ad quæ eſt deſtinatus, & ad ſuum finem properabit, cum illis mediis à prima cauſa adjunctis, & hunc finem obtinebit, etiam ſi Medicus, vel Philoſophus ignoret quiſnam ſit; omnia ergo impedimenta, quæ poſſunt prohibere aeris ingreſſum, vel regreſſum à Medico ſolùm ſunt conſideranda, & auferenda, quia hæc impedimenta conſtituunt eſſentiam morbi, & vitæ animalis inſidias ponunt.

Impedimenta poſita in organo per quod aer in pulmones ingreditur tres morborum differentias conſtituunt, Diſpnæam, Aſthmam, Orthopnæam, in quibus omnibus adeſt reſpiratio difficilis, in Diſpnæa verò habemus reſpirandi difficultatem, ſed minorem, quàm in Aſthmate, & Orthopnæa, in Aſthmate eſt major, quàm in Diſpnæa, minor quàm in Orthopnæa, in qua ægri niſi ſedentes, & recta cervice aerem inſpirare poſſunt.

Horum morborum cauſa, tàm ab Antiquis, quàm Recentioribus in impeditis Bronchiis aſperæ arteriæ per pulmonum ſubſtantiam diſſeminata cognoſcitur. Impediuntur autem ab humore craſſo, viſcoſo, & etiam ſeroſo, qui ſecundùm Antiquos à Capite in aſperam arteriam deſcendit. Secundùm Recentiores ab arteriæ Trachealis ramificationibus ſanguinem pro nutrimento Bronchiis deferentibus transfunditur in dicta Bronchia, impediendo aeris ingreſſum, cum difficultate reſpirandi, quæ major, vel minor efficitur, pro majori, vel minori transfuſi humoris quantitate, Et hanc viam humorum ad Bronchia pulmonum cognoverunt etiam aliqui addicti antiquorum doctrinæ, determinantes à vaſis ſanguiferis in aſperæ arteriæ ramificationes humores excrementitios deponi. Rationes verò, per quas non admittunt Recentiores defluxum humorum à capite per aſperam arteriam in pulmones, alibi demonſtravi.

Alia impedimenta, ſeu cauſas, pulmonem Bronchia ad talem anguſtiam deducentes, ut aeris ingreſſus in eis prohibeatur Recentiores excogitarunt, & una eſt effervèſcentia ſanguinis magna, in pulmonum ſubſtantia excitata, à qua dilatata vaſa ſanguifera, & turgida ſanguine Bronchia aſperæ arteriæ, cum quibus colligantur, comprimunt, & aeri ingreſſum impediunt, & hoc modo volunt ſuccedere reſpirationis difficultatem in hyſtericis paſſionibus, in ſuffocatione uterina, & in ſuffocatione hypocondriaca, dum à vaporibus ab utero elevatis, & ab hypocondriis ſanguis in pulmonum vaſis exiſtens per dictam effervèſcentiam, & tamquam à fermento extraneos alteratus turgeſcit.

Altera à Viliſio excogitata, eſt nervorum pulmonicorum affectio, per quam convulſi in continua Diaſtole pulmones ſuſtinent, ut novi aeris in convenienti quantitate ingreſſui aditus occludatur, & cùm reſpiratio à reciproco motu Diaſtolis, & Siſtolis pulmonum perficiatur, pulmonibus in continua Diaſtole detentis, non poteſt non alterari reſpiratio, cum difficultate. Hujus affectionis nervos pulmonum convellentis, & in quadam continua contractione eos detinentis cauſam refundit, vel in convulſivos motus perpeſſos à nervis plexuum in hypocondriis poſitorum, vel ab eis ventriculi, cum quibus nervi pneumonici communionem conſervant, quamobrem ratione talis conſenſus, & communicationis in eoſdem motus convulſivos trahuntur. Hinc explicatur etiam ratio, cur in Hyſtericis affectibus reſpiratio difficilis ſuccedat; nam communicata ab utero materia ſpiritus animales apta exagitare, & in furorem cogere nervis huic parti inſertis, horum medio eadem materia nervis hypocondriorum impartitur, & ab his ad nervos pneumonicos ſtante dicto conſenſu tranſit.

Succus etiam nervoſus particulis etherogeneis viciatur, ſi has in nervos pneumonicos paulatim deponat; hæ ad determinatam quantitatem congeſtæ excitantur, ſuamque virtutem exerunt, ſpiritus animales in eis contentos irritando, & cum eis ſuccum nervoſum ad quamdam effervèſcentiam ducendo, per quod in contractiones ſpaſmodicas trahuntur pulmones in continua ferè Diaſtole detinentes cum reſpirationis difficultate modo ſuperiùs explicato.

Has cauſas non explicarunt, nec cognoverunt Antiqui, his tamen acceſſerunt, quando difficilem reſpirationem à vaporibus ab Hypocondriis, & ventriculo, & ab utero elevatis, pulmonibuſque in fixis horum oppreſſione, & Bronchiorum coarctatione difficilem reſpirationem fieri determinarunt; in hoc ſolùm Recentiores diſcrepare videntur, quòd modos in medium adducunt, per quos à dictis vaporibus, & à materia aliundè pulmonibus cummunicata Bronchia pulmonum coarctantur, opprimunturque, & ſunt effervèſcentia ſanguinis in vaſis pulmonum, & ſpirituum in nervis agitatio, & inordinatus motus à dicta materia communicata effecta.

Pro curatione impediti ingreſſus aeris in Bronchia pulmonum ſtabiliti à copia humorum excrementitiorum, ea occupantium, per expectorationem evacuandi ſunt dicti humores. Ad quod conducit Croci ℈. 1. Moſchi gr. 5. ſpiritus ſal. Armon. gut. 6. in vino exhibeantur, & aqua ex floribus Rapar. cum Croco, & pauco Moſco mixta, & exhibita pluries in diem ad ℥. 3. & 4. & ab aliquibus prædicatur tale remedium tamquam miraculoſum. ℞. Rad. & ſem. Sileris montani, unà cum radice Ari in ſubtillum pulverem redigantur, & cum ſucco raparum, ſub cineribus coctarum in eclegmatis formam commiſceantur, & de hoc paulatim, & ſæpè patiens lambat; nam multùm levaminis tribuere experientia docuit. Matricariæ ſuccum ad ℥. 4. per tres dies exhibitum à Paroxiſmo ſublevare expertum eſt antè hæc, vel cum iſtis remediis poſſunt exhiberi flores Belzoin in ℈. 1. ſulphuris ℈. 5. ſalis Armoniaci ℈. 5.

Pro præſervatione excrementa ſeroſa, & pituitoſa excedenti colluvie in corpore redundantia ſunt evacuanda, & exſiccanda, auferendo etiam cauſam, vel frigidam, quæ ea cumulat, vel calidam, quæ ſanguinem diſolvendo in ſeroſitates excedentes tranſmutat, ab his enim conſecutio prædictæ indicationis obtinebitur, ſive humores à capite ad pulmones defluant, cum Antiquis, ſive à maſſa ſanguinea in pulmonibus ſegregentur, cum Recentioribus, quod dicendum eſt etiam de cauſa; Nam hæc, vel eſt calida, vel frigida in capite, vel calida, & frigida in ſanguine, & ſicut exſiccantia, & evacuantia humores exſiccant, & evacuant, ſive à capite generentur, ſive in maſſa ſanguinea congregentur, ita remedia calida, & frigidam cauſam his qualitatibus contrariam removebunt, ſive hæc in capite, ſive in ſanguine reſideat. Idcircò in cauſa calida conveniet decoctum Santal. Chinæ, Radicis Cannæ, cum herbis refrigerantibus, & bili peccanti convenientibus; aquæ etiam thermales villæ, nocerae conducent ad extinguendum calorem, quòd præſtabunt etiam ea omnia, quæ ſuperiùs enarravimus, pro tollenda ſeroſa colluvie à bile congregata. In frigida cauſa erunt præſcribenda exſiccantia calidiora, lignum ſanctum, Viſcum quercinum, lentiſcum, ſalſam, ex quibus parari poſſunt decocta, cum radice Enulæ campanæ ſileris montani, & ari, paſtinacæ ſylveſtris, foliis galittici ſylveſtris, Roſmarini, Marubii, ex eiiſdem poteſt parari decoctum juris Galli, exhibendo antè bolos ex terebentina ad ʒ. 2. gummi Amoniaci ʒ. 1. flor. ſulphur. ℈. 5. Syr. de petho in hoc affectu commendantur à Quercetano, habet etiam Augeri Syrupum, quem maximè extollit pro Aſtmathe debellando; poteſt etiam parari vinum medicatum, cum ſupradictis ſimplicibus, & lignis, & cum ſuffumigio ſulphuris.

Si à vaporibus ab inferioribus partibus elevatis Aſthma fiat, iſti ſunt diſſipandi, & reprimendi, ſive hunc morbum faciant, vel effervèſcentiam in vaſis pulmonum excitando, vel nervos pneumonicos convellendo, vel comprimendo ſubſtantiam pulmonum, & in hoc caſu conveniunt Tinct. Caſtor. Carab. ſecula Brion, Bezoart. Joviale, oleum macis, Gariophil, Carab. Spir. ſal. armon. & oleum Terebent. ex quibus parari poſſunt varia medicamenta cum aqua Puleg. Meliſſæ, Scorzoneræ, Theriacal. addendo confect. ex Hyac. ſ. o. confect. Alcherm. Mitrid. Trifer. magn. cum op. Omnia enim opiata in his affectibus ſunt valdè efficacia juxta Hip. Methodum, idcircò magnæ efficaciæ erit ſedativum majus, & ſedativum minus deſcriptum à Chenophelio, & præparatio ſuperiùs deſcripta.

Ad hos affectus reſpirationem lædentes reducitur etiam tuſſis, quæ fit à materia in Bronchiis pulmonum tranſlata, juxta dogma ſuperiùs traditum, quæ irritando impellit pulmones ad ſui expulſionem; in hoc affectu

ctu eædem ſunt indicationes enumeratæ ſuperiùs, de impedita reſpiratione, quia eædem cauſæ ſunt ſerum, & excrementa pituitoſa, vel congregantes, vel generantes, vel ſanguinem in ea diſſolventes, ita eodem modo debet expectorari priùs materia in pulmonibus congeſta, quod fit propoſitis ſuperiùs remediis. Aliqui laudant decoctum adhianti in vino, & centaur. major. ℥. 2. in aqua decoct. ſebeſten in ingreſſu lecti per duodecim vices aſſumptæ. Pro præſervatione eædem manent indicationes dictæ ſuperiùs de Aſtmathe ab humoribus facto, unde remedia etiam pro præſervatione ibi tradita in hoc caſu convenient.

Phtiſis reducitur etiam ad affectus læſæ reſpirationis, quia ferè ſemper cum hoc affectu conjungitur, in quo tria conſideranda veniunt, ſanguinis effuſio, quæ eſt cohibenda. Secundò pus abſtergendum. Tertiò vulcus conſolidandum. Quo ad ſanguinem nihil melius liquore ſtiptico, & ſpir. terræ ſigillatæ, cujus præparatio traditur in meſſi ſpargirica, laudatur etiam fructus mori celſi immaturi, & exſiccati, item ſuccus urticæ, & ſuccus hæderæ terreſtris cum thure, & diepenidio ad formam Loch redactus, pro ulcere abſtergendo nihil efficaciùs balſamo ſulphuris Therebentinato pro ulcere conſolidando tamquam ſecretum proponitur aqua deſtillata à ſtercore bovino, vel vacino collecto tempore Maii in paſculo, ubi paſcuntur, relicta per totam noctem aeri ſereno, & in aurora bibita, ad Ciathi menſuram, folia biſtortæ, & branchæ urſinæ coctæ, & manſæ, per quindecim dies. Eſt etiam optimum remedium decoctionem ex herbis vulnerariis parare, nempè ex pirola Alchimilla Sanicula Vincapervinca, Farfara Conſolida, Pulmonaria, Scabioſa, & Hyperico, cum Antimonio, Sulphure, in ſacculo impoſitis, & de hac bibere ſæpè in diem.

Hydrops pulmonum, ſeu Thoracis reſpirationem offendit, & maximè in principio ſomni ab aqua in cavitate iſtius collecta impedito motu pulmonum, itaut aer attrahi non poſſit. Collectio iſtius aquæ intra dictam cavitatem ex omnium conſenſu medicorum ſuccedit, quando aqua è vaſi pulmonum exiens intra dictam cavitatem depluit, & circa modum quo fit iſta extravaſatio Hip. ſequuntur tàm Viliſius cum recentioribus, quàm antiqui cum Carolo Piſone, & aliis communiter, & deſcribitur dictus modus in lib. de intern. affect. his verbis. Gignitur etiam ubi tubercula in pulmone exorta fuerint, & aqua repleta in pectus eruperint, & probat exemplo quadrupedum in quibus diſſectis obſervata ſunt tabercula, quæ inciſa aquam dederunt, & concludit multò magis talia in homine fieri poſſe. Fiunt autem iſta tabercula dum ſerum per ſubſtantiam pulmonum in ſuperficie illorum extravaſatum, motu quem accipit, vel ab aere ingrediente, vel à ſero adveniente vim facit membranæ pulmones inveſtiente, & ubi hæc cedit in tumorem attolit elevando, & tubercula dicta parit.

Vaſorum Lymphaticorum inventio aliam cauſam Hydropis pulmonum nobis oſtendit, ſi nempè iſta per pulmones diſſeminata diſrumpantur, vel à multitudine lymphæ, vel obſtructis dictis vaſis, ut motum humori impediant, unde hic ſtagnans, & alter adveniens, ita diſtendit vaſa continentia, ut diſrumpantur.

Curatio habetur per ſudorifica, & diuretica ſuperiùs de Hydrope propoſita, ſed ſecurior via pro curatione eſt ſectio inter 6. 7. vertebram, & per apertum vulnus cannula imiſſa exitum aquæ parare paulatim omni die, & aqua ex toto evacuata ſtudere corroborationi caloris naturalis, & correctioni ſanguinis per ea quæ tradita ſunt ſupra de ſanguificatione.

Empiema, quod eſt collectio puris in cavitate Thoracis, hujus quantitate reſpiratio læditur eo modo quo mox dixi impediri à quantitate aquæ. Colligitur tale pus, vel à pleuritide, & peripneumonia ſuppurata, & non excreata, vel à pituita ibi cumulata, & putrefacta, cognoſcitur à ſputis, quæ verum pus repræſentant, curatur eodem modo, quo Hydrops pulmonum, & præcipuè inciſione ſupradicta.

Reſpirationem difficile facit Angina, quæ eſt inflammatio muſculorum laringis cum difficultate reſpirandi, & deglutiendi, & hæc ſunt ſigna, per quæ dignoſcitur cauſam habet communem cum cœteris inflammationibus, & etiam curationem. Circa remedia nihil habeo particulare, niſi præparatio ſtercoris canini, adeò laudati in hoc affectu, & eſt talis. Canis rubri coloris claudatur in cubiculo Sole Cancrum ingrediente, & per totum menſem veſcatur biſcocto pulverizato, & mixto cum pulvere ſenæ, in tali portione, ut per duas, vel tres vices alvus ſubducatur; Sole Leonem ingrediente mutato cubiculo, vel eodem benè mundato veſcatur canis oſſibus uſtis, & pulverizatis per totum hunc menſem, ſtercus egeſtum hoc menſe colligatur, exſiccetur, & pulverizetur, & cum melle hiſpano, & prædicto pulvere fiat Lambitivum de quo in diem lambat, & eſt expertum remedium Læditur reſpiratio male affectis muſculis thoracis tali affectione, ut coſtas elevare non valeant de qua affectione agemus ſequenti Sectione.

Vitio diaphragmatis pariter læditur, & quia hæc pars conſtat ex membrana, & muſculo vitium erit proprium harum partium, & commune cum aliis membranis, & muſculis quorum vitia ſequenti ſectione explicabuntur, unà cum curatione vitio draphragmatis applicanda.

Ab inflammatione, & tumore iſtius partis læditur reſpiratio, & ſicuti cauſam habet communem cum illa aliarum inflammationum, & tumorum, ita etiam curationem iſtis convenientem, & ſuperiùs deſcriptam exigit.

CAPUT II.

De corde, & ejus facultatibus.

INnter membra, facultati vitali inſervientia cor numeratur tamquam præcipuum illius inſtrumentum, in eo enim vitæ fontem reſidere exiſtimatum fuit, & tamquam Solem in hoc Microcoſmo omnia regere, vivificare, & conſervare ſancitum fuit, itaut ab Antiquis determinatum fuerit eſſe animæ ſedem ita Plato, Hippocrates, Galenus, Stoici, & Peripatetici non ſolùm appetitum iraſcibilem, ſed etiam cibi, & potus ut Zeno, & Criſippus Poſidonius in corde collocaverunt, & Stoici rationis vim, & animæ principatum in eo poſuerunt, ideòque ab Hippocrate regia dictum fuit, quod ſenſiſſe etiam Diogenem, teſtatur Plutarchus ad hos gradus veneranda Antiquitas cor evexit, Horum placita cum Recentioribus conferenda, & examinanda, ut perfectam de hoc viſcere notitiam habeamus.

Varia in corde veniunt conſideranda, 1. ejus motus, 2. tranſites ſanguinis per illud, 3. an hic ſanguis in corde alaboretur, & à quonam principio, 4. an Cor ſit fons caloris, 5. Pulſus arteriarum ei annexarum. Quo ad primum certum eſt, cor indeſinenti motu dilatationis, & conſtrictionis, ſeu Dyaſtoles, & Syſtoles moveri ſine concurſu voluntatis, & anima non advertente. Hujus motus cauſam variam in Authoribus invenimus. Aliqui enim volunt moveri à ſanguinis dilatatione in ejus ventriculis, alii à ſpiritu in eodem ſanguine exiſtente, alii à pulmonum motu in reſpiratione facto, alii à ſpiritibus animalibus per nervos ei à cerebro demandatos in externas, & internas eorum fibras influentibus peragi docuerunt, alii à facultate motiva pulſificata.

A ſpiritibus animalibus motum cordis fieri, inſinuaſſe videtur Hippocrates, quandò cor muſculum appellavit, quòd ejus conſtitutio etiam tale eſſe demonſtrat ob fibras carnoſas, quibus contexitur, & nervoſas, quæ per eaſdem diſperguntur, non aliter enim videmus efformatos muſculos aliarum partium, niſi mediis fibris carnoſis, & nervoſis, & ſuum motum exercent muſculi per ſpiritus animales à nervis delatos, unde cùm cor ob prædictam conſtitutionem, tamquam muſculus ſit habendus; per ſpiritus etiam animales moveri cenſendum eſt; Pari modo quo fit in aliis muſculis, nempè per effervеſcentiam excitatam à congreſſu ſpirituum animalium cum ſpiritu arterioſo, ut videbimus de facultate motiva.

A ſanguinis dilatatione motus cordis explicatur, dum per hanc latera ventriculorum ultra æquilibrium diſtenduntur, & in hujus expulſione poſteà contrahuntur, & ita motus cordis dilatationis, & conſtrictionis ajunt perpetuari, per hanc ſanguinis dilatationem. Aliqui volunt fieri à fermento cordi implantato, cujus actione rareſit, & efferveſcit ſanguis in ventriculis cordis; alii à flamma in corde accenſa in puncto generationis, cujus calore attenuatus ſanguis rareſcit, & ſpumeſcit, alii ab efferveſcentia bilis alkalicæ, & lymphæ acidæ

acidæ in ventriculis cordis, à qua ſanguinis portio, unà cum dictis humoribus dicto in loco illabens effervſcentiam concipit, & cum hac rarefactionem.

A ſpiritu volunt moveri cor, dum hic antè omnes partes exiſtens harum formationi inſeruit, omnia in hoc opere movet, & dirigit, & fœtu generato omnia vivificat, & motu conſervat, ita probabile cenſent ab hujus actione, & motu cor continuò moveri, & præcipuè, dum in ejus ventriculis dictus ſpiritus vivificus in ſanguine exiſtens ibi magis actuatur, & volatilizatur.

A motu pulmonum moveri cor, docet Maurus Cordatus, & modum, quo fit talis motus, deſcribit, eum refundendo in connexionem inter pulmones, & cor intercedentem, & à facultate motum cordis peragi, eſt communis Medicorum Antiquorum ſententia.

A ſanguinis dilatatione, vel ebullitione fieri motum cordis impugnat citatus Louver cit. lib. Cap. 2. ubi etiam impugnat fermentum cordi implantatum non eſſe cauſam motus cordis, & cor moveri motu pulmonum reiictur, quia non eſt talis connexio inter eos, quæ poſſit perſuadere dependentiam motus cordis, à motu pulmonum: præterquamquod diverſitas motus cordis, à motu pulmonum demonſtrat nullam eſſe dependentiam, & cauſalitatem inter iſtos; facultatem cor movere redditur valdè improbabile ob rationes contra has facultates alibi dictas, & quia etiam iſta facultas movens cor debet habere aliquod determinativum, & præcipuè, quia videmus non movere cor ſemper eodem modo; nam in tempore ſanitatis illud movet uno modo, in ſtatu verò febrili alio modo, ergo debet habere aliquod determinativum, à quo determinetur ad movendum cor in ſtatu ſanitatis tali modo, & in ſtatu morboſo alio modo, & aſſignato hoc determinativo, patebit meo judicio omnem motum regularem, & inordinatum præcisè ab hoc provenire, & per hoc explicari poſſe ſine aliquo ſuperaddito ſtante ratione organi materialis corporei, à cujus læſione læditur motus cordis, & pro curatione à Medicina conſideratur; præterquamquòd omnis facultas habet ſua inſtrumenta, conſequenter etiam hæc debet habere ſuum inſtrumentum, quod verè eſt cor, ſed debet explicari, quomodo facultas corde utatur, & cor facultati inſerviat, in quo Antiqui deficiunt, & Alphonſus Borellus in tom. 2. de motu animalium cap. 5. propoſ. 2. videtur hoc adamuſſim explicare, & conſequenter, in quo conſiſtat facultatem pulſificam, & motivam cordis corpoream patefacere.

Explicat hic Author motum cordis, quem merum muſculum cum Hip. eſſe vult, per præciſam conſtrictionem ventriculorum ejus, & compræſſionem, & ab hac actione propria muſculi cordis vult expreſſionem ſanguinis in eo contenti adinſtar præli fieri, non à contorſione fibrarum cordis ſpiralium, ſed ab inflatione, & tenſione earumdem.

Actionem propriam muſculi cordis eſſe conſtrictionem ventriculorum ejus probat poſito hoc fundamento, molem cordis comprehenſam ab eadem figura externa, non alterata duplò ferè augeri in actu tenſionis, & pulſationis, quàm erat antè pulſationem; hinc deducit, tàm grandem excreſcentiam molis carnoſæ, fieri non poſſe abſque inſigni inflatione, & turgeſcentia fibrarum ejus, per quam augeantur duplo in actu pulſationis; hoc poſito fundamento, quod probat per demonſtrationem deſcriptam in tabula 17. fig. 2. perpendit fibras externas cordis maximam vim facere, ut perimeter cordis amplietur, non ſe decurtando, ſed reſiſtendo diſtractioni, tamquàm circuli ferrei dolii, & in hac reſiſtentia fibræ dictæ inflantur in parte cava, ut de glomo filorum, ab eo dictum fuit, propoſ. 47. & demonſtratione comprobatum tabula 16. fig. 10. & 11. & probat glomum excavatum non ex unico, ſed ex pluribus filis compoſitum ſuperficiei cavitatis alligatis, & concentrice ſive ſpiraliter involutis, ſi per inflationem filorum ab humectatione, glomo aqua aſperſo, vel in aqua immerſo cavitas repleatur interna corrugari debere, ſemper magis augendo plicas, quo propiùs centro accedunt, figura externa inalterata præexiſtente, pariter fibræ, dum inflantur, incraſſanturque à ſanguine ſpiritoſo, dictarum fibrarum ſubſtantiam copioſo affluxu irrigante, non aliter, ac fila funis, ac glomi à guttulis aqueis turgida redduntur, & eadem neceſſitate, qua glomus ex filis contextus transformatur, oportet ut cavitas cordis, circa quam dictæ fibræ ducuntur repleatur corrugatis in flatis, & tenſis fibris internis inæqualiter ſemper magis augendo plicas, quo magis centro cordis propiùs accedunt, remanentes figura externa non aucta, nec diminuta, quamvis cavitas interna cordis à fibrarum inflatione, & incraſſatione impleatur; fibræ ita inflatæ, & incraſſatæ à ſanguine non ſolùm cavitatem prædictam replent, ſed maximam vim faciunt conſtituendo plicas, & rugas turgidas, adeò tenſas, & duras, ut officium cuneorum exerceant, à quibus ne dum cavitas cordis repleatur, ſed præterea vehementi compreſſione ſanguinem ibidem contentum exprimant, motu conſimili ei quo nuclei à digitis poſticè compreſſi expelluntur, papillæ, ſeu tubercula carnea intra ventriculos cordis pro tuberantia, quibus filamenta membranoſa valvularum triangularium cordis alligantur ab influxu ſanguinis, ne dum inflantur eo modo, quo fibræ internæ, ſed etiam ſe erigunt adinſtar linguæ, & penis, per quod non ſolùm adjuvant impletionem cavitatis ventriculorum cordis, ſed augent virtutem, qua diximus fibras inflatas ſanguinem extra expellere.

Ex quibus patet præcitatum Authorem velle per turgeſcentiam fibrarum, & papillarum impleri cavitatem ventriculorum cordis, & in hac tenſione tantam vim acquirere, ut poſſint ſanguinem in dictis ventriculis exiſtentem foras expellere, & hanc vim motivam fibrarum muſculi cordis per ſe conſideratam vult majus pondus ſuſpendere poſſe, quam 3000. lib. quod probat propoſ. 57. lib. citati, & ulteriùs dictam vim motivam maſculi cordis ſuperare ſuo momento reſiſtentiam totius ſanguinis arteriarum, & faſciarum earumdem dilatationem impedientium, & ait, & probat hanc vim eſſe majorem vi ponderis 180000. lib. in propoſ. 73. lib. cit.

Quomodò ſanguis dictas fibras, & papillas internas ad turgeſcentiam, & tenſionem deducat, ut cordis cavitatem impleant, & talem vim acquirant potentem ſanguinem in ventriculis contentum exprimere deduco ab eo, quòd ſcribit idem Author cit. lib. propoſ. 37. nempè ab aorta antequam pericardio excidat duas arterias coronarias oriri valvulis propriis donatas, à quibus prohibetur ſanguinis regreſſus, per has ſanguinem ad cordis carnem muſculoſam, non ad ventriculos defferri, & hinc per venas coronarias pariter, per cordis carnem vagantes, tandem confecto peculiari circuitu in ventriculum dextrum ſe exonerare.

His ſtabilitis facile eſt explicare quomodo fiat motus cordis; nam à ſanguine arteriæ coronalis totam ſubſtantiam cordis irrigante madefiunt, & implentur fibræ illius, itaut craſſiores evadant, tendantur implendo capacitatem ventriculorum cordis, & in iſta tenſione, & intumeſcentia fibrarum, non poteſt non moveri cor, & quidem motu ſpirali cum fibræ ſuam ſubſtantiam componentes ſpiraliter inter ſe ſint contextæ, & cùm fibræ columnarum ejus, atque earumdem faſciculi non alligentur terminis firmis oſſeis, aut tendinoſis, ut ſolemne eſt in muſculis reliquis, ſed in ipſomet corde pendulo innixæ, & in ipſo finem, & initium habentes hinc eſt, quod fundamento inſtabili, ſed tenaci firmitudine donato, non ad tractionem, & ad approximationem terminorum extremorum faciunt quando contingit has fibras decurtari, ut aliis muſculis accidit, ſed ad hoc, ut fibræ inflentur, & turgeant, utque reſtringant cavum perrimetrum cordis, decurtantur, & in hac inflatione turgentia, decurtatione conſiſtit motus cordis, & à tali motu, & repletione cavitatis; ſanguis in hac contentus expellitur, non aliter, ac nucleus à digitis compreſſus projicitur, virtute, & motu ſuperiùs deſcripto, & cum hoc ſanguis fibras inflans, & intumeſcere faciens, unde cor detumeſcit, elongatur, & in quiete conſiſtit, & in hoc motu, vel ſtatu fibrarum conjungi conſtrictionem expreſſivam contenti liquidi in cavitatibus, probatur experientia. Nam immiſſo digito intrà cicatricem cordis viventis perforati, in qualibet cordis pulſatione digitus veluti forcipe, aut prælo ſtringitur, conditurque à carne cordis inflata, & indurata.

Motus ergo cordis in hoc conſiſtit, quòd ejus ſubſtantia carnoſa verè inflatur, & verè augetur pluſquam duplo, & in hac inflatione, & augmento movetur, coſtas in pectore percutiendo, & illa inflatio, & augmentum habetur ab intumeſcentia, & inflatione fibrarum ſuarum facta à ſanguine earum poroſitates, vel cavitates ad turgeſcentiam

tiam implente, & hic eſt motus, qui dicitur Diaſtoles ab Antiquis, quia obſervando augmentum cordis in hoc motu putarunt dilatari, Recentiores verò, qui acuratiori obſervatione hunc motum in corde perſcrutarunt, invenerunt, cum augmento ſubſtantiæ carnoſæ cordis, iſtius ventriculos conſtringi, & per conſtrictionem ſanguinem in arterias expelli, ideò hunc motum Siſtolem appellant, per hanc importatur conſtrictio, quæ verè in hoc motu contigit; E contra verò, quia Antiqui animadverterunt cor detumeſcendo elongari, exiſtimarunt etiam ejus ventriculos in hac elongatione conſtringi, ideò hunc motum Siſtolem dixerunt, Recentiores verò Diaſtolem appellant, quia in iſta elongatione ventriculi cordis ſunt dilatati, & ad novum ſanguinem ſuſcipiendum diſpoſiti. Talis motus Diaſtoles, ab Antiquis pro Siſtole habitus non fit ab alia cauſa, niſi à virtute propria fibrarum, quæ detumeſcendo primævo ſtatui ſe reducunt ope virtutis elaſticæ.

Quia in omni motu cordis expellitur ab hoc ſanguis in arterias, licet etiam conſiderare eodem tempore, quo ſanguis per arterias coronarias fluit per totam carnem cordis eodem tempore ſanguinem à vaſis pulmonum in auriculam ſiniſtram deponi, & ab hac in cavitatem ſiniſtri ventriculi, & ſubſequente poſteà inflatione fibrarum ſupradicta, cum impletione ventriculi, ſanguis in eo contentus exprimitur vi pariter ſupradicta.

Hoc modo mihi videtur ſufficienter explicari cauſam motus cordis, & præcipuè, ſi addamus etiam ſpiritus animales, qui certè ad cor deferuntur, per multas nervorum ramificationes huic implantatas, dum per iſtos ſpiritus intumeſcentia fibrarum facilior redditur, vel per meram additionem ſubſtantiæ, & ejuſdem motum, vel per effervеſcentiam, quam ſpiritum animalem ſanguini mixtum facere probabile eſt, prout cenſet etiam ſupracitatus Author in hoc tractatu de corde, & nos cum eo ſtabiliemus in motu muſculorum corporis.

Spiritum vitalem ad motum cordis concurrere probat citatus Louverus experientia; nam ſi nervi octavi paris in cervice arctè ligentur, aut penitùs abſcindantur, cor, quod moderatè antea, & æqualiter motus ſuos peragebat ſtatim ad injecta ligatura palpitare, & contremiſcere incipit, atque ita diem unum, & alterum miſerum animal corde tremulo, & pectore admodum ſuſpirioſo languidam vitam protrahit, & brevi tandem expirat.

Colligo ex dictis pro varia ſanguinis diſpoſitione, & vitio lædi etiam motum cordis, hæc vitia autem cum Louvero in tract. de cordis motu cap. 2. admitto tria, incraſſationem, & coagulationem, abundantiam, nimiam, & defectum, quibus addo nimiam ſanguinis tenuitatem, & effervеſcentiam, cujus vitium dictus Louverus ad copioſum ſpirituum influxum reducit.

Sanguis coagulatus, & craſſus viam, & tranſitum per fibras aliquando ſibi ipſi ſua craſſitie percludit, unde intermiſſio motus cordis, & ſincope, & mors repentina. Aliquando verò admittitur ſanguis coagulatus intra fibras, ſed non tàm citò expellitur, ſed ſtagnando cum aliqua mora anxietates, & oppreſſiones cordis parit, quales experiuntur fœminæ in hyſterica paſſione, in qua diſcuſſo paroxyſmo de cordis gravamine, & oppreſſione conqueruntur, quia ſanguis in corde ſtagnans, & grumeſcens, illud onere ſuo opprimit, & valdè gravat; qua de cauſa Epileptici plerique durante paroxyſmo pectora ſua repetitis ictibus concutiunt, & contundunt, quo cor oppreſſum naturali motione ad motum incitent, & à coagulatione ſanguinem impediant, & in iſto caſu patet convenire ſpiritoſa aromatica, quæ ſanguinem citò diſcoagulare valent, & ſpiritus cordi addere, & ſunt oleum Gariophil. quinta eſſentia Cinam. Eſſentia Ambræ, oleum Citri, Elixir proprietatis Paracelſi, & elixir vitæ, & Aquavitæ Mathioli, & aqua theriacalis, quæ non tantùm per os aſſumpta, quàm exteriùs applicata proſunt.

Nimia ſanguinis copia fibras, & ventriculos cordis ita replet aliquando, agravatque ut ſuo fungi non poſſint officio, nec contrahi poſſint ob oppreſſionem à nimia copia, à qua obruuntur, atque ideò ſolemne eſt homines lauto, & pleno victu ſemper utentes, atque ebrios, & præcipuè frequenter ſuffocari, niſi larga à venæ ſectione vaſa ſanguinis depleantur, & clyſteribus aliqua pars crapulæ detrahatur, ut diminuta humoris quantitate cor ab oppreſſione liberetur.

Sanguinis defectus, & jactura cum vaſorum inanitione cordis motum minuit, quia deficiente ſanguine debiliter fibræ contrahunt, & parum turgent, ideò etiam motus cordis debilis, & aliquando nullus, ſi fibræ à ſanguine nullo modo inflentur, & intumeſcant, hac de cauſa in magnis Emhoragiis, & ſanguinis profuſionibus, animi defectus, lipothimiæ, ſincopes contingunt, quorum Symptomatum cura conſiſtit in impediendo ſanguinis fluxu, & in remittendo ſpiritu cum cibis, & medicamentis ſpiritoſis.

Sanguinis tenuitas motum cordis celerem, & frequentem facit, dum ob ſui tenuitatem, & motus celeritatem ad cor citò, & copioſè fluit, & citò etiam fibras inflat, & intumeſcere facit, ideòque etiam cordis motum celerem, & frequentem reddit, quod præcipuè contingit in febribus, in quibus febrili effervеſcentia æſtuat, & rarefit, cum motu circulationis celeri, nec poteſt corrigi talis motus cordis, niſi ſedata febrili effervеſcentia.

A ſpiritu etiam animali ſicut perficitur motus cordis, ita etiam depravatur, ut obſervamus in paſſionibus animæ, timore, ira, mærore, à quibus diverſimodè motus cordis vel diminuitur, vel augetur, vel comprimitur, vel dilatatur, & ope ſolius influxus ſpiritus animalis, qui pro diverſa rerum apprehenſione diverſimodè vel movetur, vel continetur, vel confunditur, & juxta hanc motus differentiam ad cor delatus, vel in copia, vel cum defectu, vel cum tumultu cordis motum celerem, vel tardum coadjuvat, & ſi cum tumultu perturbatè, & tumultuoſè cor movet.

Hinc patet in alteratis motibus cordis vitio ſpirituum animalium hos eſſe corrigendos, ſi deficiunt multiplicandi, ſi exuberant minuendi, ſi inordinatè moventur modificandi, ſi in tumultus erumpant, coordinandi. Prima vitia corrigunt cephalica omnia, & refrigerantia, ultimum medicamenta, quæ dicuntur convulſiva, & opiata emendant, & ab his, ſi ſpiritus, ita afficiantur, ut quaſi irritamento quodam ſtimulentur ſua vaſa etiam nempe nervi, & iſtorum membranæ, & etiam fibræ carnoſæ, motu convulſivo afficiuntur, in quo conſiſtit palpitatio cordis tàm violenta Siſtole ſæpè numero corripiens, ut ipſas coſtas loco ſuo moviſſe, atque perfregiſſe notum ſit, & hoc, quia membranæ nervorum, & ſpiritus in iſtis contenti, irritati in motus inordinatos, & violentos erumpunt, & pro irritamento, ut plurimum, inſerviunt vapores aliundè tranſmiſſi, & etiam quandoque à ſanguine in ſubſtantia cordis exiſtente elevato, neceſſe eſt autem in iſtis vaporibus adſit qualitas acris, & velicans, & extranea ſpiritibus, quod docuerunt etiam Antiqui palpitationis cauſam aſſignantes vapores cordi infeſtos, unde cum iſtis elicitur etiam indicatio vapores diſſipandi, & acrimoniam corrigendi, quod præſtant cardiaca alio in loco propoſita opiatis mixta, corrigendo partem, à qua elevantur vapores, quos prout agnoſcemus de ſalſo, aut acido participare corrigemus cum medicamentis alibi dictis, ſalſum, & acidum modificantibus, hoc eſt bilem, vel melancholiam præparentibus.

Hoc modo movetur cor, & experientia hoc conſtat à tot Anatomicis recepta, & confirmata, itaut in dubium verti non poſſit, de modo talis motus cordis, qui licèt ab Antiquitate diſcedat, non poteſt tamen ab iſtius ſectatoribus reprobari, ſine veritatis injuria, & iſtorum præjudicio.

Sanguis intra cordis ventriculos recipitur, & ibi incaleſcere, & perfectionem acquirere præter experientiam, oſtendentem ſanguinem ab arteria extractum eſſe magis calidum, & rubicundum, quàm ſanguinem è vena emiſſum, docent etiam & Antiqui, & Recentiores medici, & Philoſophi cum ſuo Ariſtotele.

Cauſa hujus alii profundunt in calorem cordi inſitum, alii in fermentum, alii in motum quomodo autem hic motus cordis poſſit calorem, & perfectionem tribuere ſanguini, ita explicatur. In motu ſupradicto cordis diximus iſtius ventriculos conſtringi, itaut tamquam prælum ſanguinem in ſuis ventriculis contentum comprimant, & fortiter, & in iſta compreſſione fit particularum ſuarum diſiunctio, & comminutio, itaut ſpiritoſæ, & calidæ libertatem aliquam intra clauſtra ſubſtantiæ ſanguinis acquirant. Hinc ſanguis ab hac partium comminutione rarus evadit, & à dictis particulis commotis, & ex dicta comminutione etiam fit poſteà perfectior mixtio partium ætherogenearum ſanguinis in quo conſiſtit ejus perfectio, quo enim corpora miſcenda ſunt ad minima redacta mixtio eò perfectiùs exequitur.

Hinc

Hinc pro majori, vel minori compreſſione, & pro copia, vel paucitate particularum calidarum in ſanguine exiſtentium, & pro majori habilitate iſtius, & comminutione, vel impotentia ad iſta habetur major, vel minor caliditas, major, vel minor perfectio, ideò ſanguis in textura rarus, & ſpirituum ferax per compreſſionem dictam magis comminuitur, & ſpiritus ſolvuntur, & caliditatem magnam concipit, quod contingit in bilioſo ſanguine. E contra ſanguis craſſus dictæ compreſſioni reſiſtens ſpirituum ſolutionem prohibet, & in minimas particulas comminui non permittit, idcircò minùs rareſcit, & incaleſcit, ut evenit in temperamento melancholico, & pituitoſo.

A compreſſione poſſe excitari effervеſcentiam, & fermentationem, & cum iſtis calorem probant uvæ calcatæ, & fructus contuſi, à quibus vinum elicitur, & cereviſa ex hordeo, & frumento confecta, in iſtis enim omnibus ſolidis compreſſio, & contuſio, eſt medium, quo effervеſcunt, & fermentantur, & particulæ calidæ exaltantur, cum perfecta mixtione cum aliis particulis, ut videre licet in uvis calcatis, à quibus elicitur liquor, ſeu vinum balſamicæ naturæ, & ex pluribus partibus mixtum, & in ipſa fermentatione ſequente compreſſionem uvarum, quidam calor etiam in tota illa maſſa ad ſenſum percipitur, itaut comprobatum videatur à compreſſione liquoris ſpiritoſi, effervеſcentiam, & incaleſcentiam ſequi debere.

Hæc principia caloris ſuſcipit ſanguis in pulmonibus ob rationes ſupradictas non contemnendas, & in corde dictus calor augetur modo ſupradicto, & conſervatur per illius motum à quo exaltati ſpiritus in motu continentur, donec comminutæ partes, & præcipuè glutinoſæ fibrarum ſanguinis ad invicem coeuntes uniuntur, & in ſua unione parte ſanguinis conſtrigunt, ſpiritúſque irretiunt, & ita paulatim ſanguis conceptam raritatem, & calorem deperdit, donec ad cor circulationis motu redeundo dictas qualitates reaſſumat.

Et hoc modo poteſt dici, cor eſſe fontem caloris, juxta ſententiam Ariſtotelis, & Hippocratis; quia motus cordis comprimendo ſanguinem, per compreſſionem in eo calorem accendit, ob rationem ſuperiùs dictam, ex quo dicitur, cor eſſe principium caloris excitativum, non effectivum, quia principium caloris eſt in ſanguine, nempè in ſuis particulis calidis commotis, & exaltatis, a quibus etiam cor incaleſcit; poteſt etiam dici fons vitæ, dum ſuo motu ſanguinem univerſis partibus largitur quo ſuas actiones exercent, & vitam ſibi conſervant.

Hæc opinio, ſi verum fateri debeo, mihi magis videtur probabilis poſito fundamento, cor eſſe ſimplicem muſculum, & cùm non appareat ratio convincens in eo eſſe, vel flammam, vel fermentum implantatum, nec locus iſtorum poſſit aſſignari, nec modus, quo operentur, & conſerventur, & poſita dicta ſententia, calor raritas, & accenſio ſanguinis optimè, & ſenſibiliter explicantur.

Poſita tamen qualibet ſententia, vitia ſanguinem depravantia ſecundùm dictas qualitates eodem modo ſemper corriguntur, neq; in hoc eſt ulla diſſenſio inter Recentiores, & Antiquos, ut demonſtravi ſuperiori capite de ſanguificatione.

Ejectus à ventriculis cordis vi dictæ compreſſionis in cavitatem arteriæ magnæ ſanguis, ab hujus impulſu in dicta compreſſione accepto elevatur, & attollitur arteria, & à tali elevatione fit pulſus, & facultas pulſifica, ab Antiquis adeò decantata, & à Uviliſio acceptata, in alio non conſiſtit; nam poſito tali impulſu in ſanguine valente elevare principium arteriæ magnæ, à quo ſequitur elevatio omnium Arteriarum, habetur ratio pulſus à medico conſideranda, & ſolùm perpendenda ſine ulla alia facultate ſuperaddita, & etiam colligitur natura differentiarum pulſus; quatenus enim in ſanguine impulſus eſt magnus, elevatio magna evadit, conſequenter pulſus magnus. In impetu parvo parva elevatio, & pulſus parvus, & ſi à tali vi cum vehementia elevetur pulſus. hic evadit vehemens, ſi debiliter debilis, ſi cum celeritate, vel frequentia fiat iſta expulſio, cum elevatione arteriæ, vel frequens, vel celer habetur pulſus, & ſi fiat cum æqualitate, vel inæqualitate, pulſus eſt æqualis, vel inæqualis, & hoc modo diſcurrendo invenitur cauſa, explicans omnes differentias pulſus, animadvertendo energiam impulſus ſanguini impreſſi, emanare tàm à robore fibrarum cordis, & à ſpiritu ſanguinis, inflantis dictas fibras, qui quo magis eſt copioſus, & ad motum excitatus, majori etiam impetu, & conatu compreſſionem peragit, & eodem ſanguinem expellit communicata eadem energia impulſus, quæ in ſanguine coadjuvatur etiam à multitudine ſpirituum, cum valido motu excitatorum, & ita etiam debilitatem impulſus proficiſci à debilitate fibrarum, à paucitate ſpirituum, & à debili motu eorumdem.

Poſita hac doctrina ea omnia, quæ ab Antiquis proponuntur pro facultate vitali debili exaltanda, vel pro nimis exaltata moderanda à Recentioribus uſurpantur pro corroboranda energia, & impulſu conſtrictionis ventriculorum cordis, & ſanguinis debilitato, & pro modificando impulſu; & energia nimis violenta, ex quo deducitur per facultatem pulſificam non intellexiſſe aliud Antiquos, quàm illam energiam, & impetum ſanguinis, dilatantem arteriam, & Recentiores per hunc impetum in animo habere, explicare facultatem Antiquorum.

Sed quia hæc vitia pulſus magis perpenduntur in febribus, quàm in aliis morbis, & ferè ſemper cum hac conjunguntur, patet etiam hujuſmodi vitia per febris ablationem corrigi pro quo videnda ſunt, quæ dixi in mea methodo curandi febres, quæ omnia applicari poſſunt præſenti tractationi.

SECTIO III.

De facultate Animali.

HAnc facultatem non alio modo conſtderandam ſuſcipio, quam eo quo reliquas examinavi, nempè examinando organa corporea, quorum medio perficitur, diſpoſitionem, actionem, & concurſum perpendendo, & quia multæ, & differentes ſunt hujus facultatis operationes, organa etiam pro harum diverſitate diſtinguuntur.

Communiter definitur principium motus, & ſenſus in animali, & diſtinguitur hæc facultas in ſenſitivam, & locomotivam: Senſitiva dividitur in eam, quæ ſenſibus externis præſidet; & in eam, quæ ſenſum percipit externum, & ſenſus communis dicitur, cum quo phantaſia, & memoria conjungitur. Locomotiva motui ſpontaneo, & involuntario præſidet.

His omnibus inſeruit cerebrum propria ſubſtantia ſpiritibus, & nervis; nam in uno ex his, vel in omnibus depravatione ſuccedente, vel aliquæ, vel omnes ex dictis operationibus depravantur, & ita celebri conſtitutio, ſeu organizatio debita, cum ſua temperie, ſeu fermento naturali, ſeu textura primatum particularum componentium, & cum ſpiritu, & cum nervis, debitis conditionibus diſpoſitis, facultatem corpoream animalem conſtituent, in harum partium ponderatione parùm immorabimur, ut modus operandi hujus facultatis dilucidetur.

CAPUT I.

In quo conſiderantur cerebri ſubſtantia, ſpiritus, & nervi, quatenus ſunt organa facultatis animalis.

SUbſtantiam cerebri ſpirituum generationi occupatam hìc primò conſiderandam aſſumo, cum ab horum perfecta, vel vitiata conſtitutione vitia, & perfectiones facultatum ſupradictarum pendeant. Has ſpirituum conditiones in univerſali ſolùm ponderabimus; nam in particulari perpendendæ erunt, quando erit tractatio de facultate ſenſitiva, & locomotiva.

Generationi ſpirituum animalium cerebrum contribuit, primò ratione organizationis ſuæ, & ratione vaſorum hanc ingredientium, quæ ſubſtantiam cerebri, & vaſorum ductus per ſpiras ducendo, celerem ſanguinis curſum impedit, & compedibus veluti in tot gyris, & circumvolutionibus impoſitis frænat, lenem, & placidum ſolùm concedendo curſum, per cerebri corticalem ſubſtantiam, in qua meteriam pro ſpiritu animali deponit, ubi nullam, vel inſufficientem dictæ ſpirituum generationi relinqueret, ſi celeri curſu diſcurreret. Hac motus tarditate calorem etiam ſuis effluvis ſpiritoſis, & calidis cerebri ſubſtantiæ ſanguis imprimit neceſſarium, non tàm ad ſui fermenti, vel temperamenti conſervationem, & actionem

pro-

promovendam, quàm ad ornandos ſpiritus ſuis perfe- ctionibus; idcircò fervido ſanguine cum bilioſa acredine donati, capitis dolore facillimè, & levi de cauſa, & frequenter excruciantur, ſi motus ſanguinis tardior evadat, quia magis frequenti, & copioſo effluxu particularum acrium membranæ cerebri cum vaſis colligatæ, & eis connexæ punguntur, & velut corroduntur.

Materiæ depoſitatæ in cerebri ſubſtantia conditio, & natura eſt ſeroſa, ſubtilibus, ſpiritoſis, calidis: & ſalinis alkalicis particulis volatilibus fœcunda; His enim qualitatibus in perfecto gradu inſignitur ſpiritus animalis, unde materiam, ex qua generatur, his ornari eſt neceſſarium, & ſanguinis aſcenſus à corde ad cerebrum, cum celeritate has in dicta materia, quæ eſt pars ſanguinis, reperiri convincit, ratione enim ſubtilitatis, caliditatis, & ſpiritoſitatis ſanguis celerem curſum ſurſum peragit.

De ſalis ſolùm particulis poteſt oriri difficultas à novitate excitata, cum ab Antiquis in materia ſpirituum alias conditiones admittentibus, de his particulis nulla mentio ſit facta, ſed tollitur prædicta difficultas à natura ſpiritus animalis motum celerem, & promptum exigente, itaut à quolibet voluntatis nutu præceps ruat in executionem illius ab hac imperati, & ab experientia demonſtrante ſpiritus alkalicos volatiles, omnes alias ſubſtantias in motu, & agilitate ſuperare, qua ratione etiam hi ad emendanda ſpirituum vitia, & ad horum motum diminutum remittendum, quælibet alia ſuperant remedia.

Locus, in quo recipitur talis materia, eſt ſubſtantia cerebri, ſed præcipuè illa glandularum, quibus ejus cortex intexitur, & hoc aſſertum confirmatur ab auctoritate Hip. lib. de Gland. num. 7. ubi ſcribit caput glandulas habet, cerebrum nimirum ſimile glandulæ eſt; ut enim cerebrum album, ac friabile quemadmodum cęteræ glandulæ, & à minutiſſimis arteriarum ramificationibus per has glandulas diſſeminatis, & ab excretoriis vaſis his appenſis, quæ omnia ab ingenioſiſſimo, & omni honore digno Malpighio fuerunt animadverſa in ſua cerebri Anatome; naturæ etiam in glandularum conformatione finis, qui eſt elaboratio determinati humoris, ut patet in glandulis reliqui corporis comprobat prædictam ſententiam de cerebri glandulis ſtabilitam, cùm ad nullum alium finem poſſint elaborare humorem receptum, quàm ad ſpirituum animalium generationem, à quo humore præparato elicitur etiam ſucci nervoſi exiſtentia, de quo egimus, ubi de facultate naturali tractavimus.

Quomodo autem præparetur hæc materia in prædictis glandulis, cùm ſolùm coniectura id aſſequi poſſit, credendum eſt fermentum talis conditionis, his eſſe implantatum per quod dicta materia volatilizatur, & ſpiritualizatur, & tàm fermentatione concepta, qua partes materiæ ſemper magis, atque magis attenuantur, ut videre eſt in omni fermentatione artificiali, quàm circulatione per anguſtiſſimas poroſitates ſubſtantiæ harum minimarum glandularum, quas copioſas, & minimas condidit natura, ut parva portio in qualibet glandula cum maiori facilitate ad ſuam perfectionem exalteretur. Hanc circulationem ſpiritualizationi, & volatilizationi inſervire docent liquores, in chymicis vaſis circulantes, in ſpiritus ſummè volatiles, media hac circulatione ſublimantes non diſſimili pacto prædicta materia abit in ſpiritus tenues volatiles, lucidos, & agiles, & quodcumque agens ſpirituum perfectivum aſſignetur ab Antiquis, debet eſſe talis efficaciæ, ut prædictas conditiones eiſdem ſpiritibus tribuat, ad quod pervenire non poteſt, niſi facta comminutione materiæ in minima inviſibilia, & imperceptibilia, quæ poſtea volatilizentur in ſpiritus; de nomine poſteà talis principii non eſt diſputandum parùm referente, an dicatur facultas, vel temperamentum, dummodò conſideretur hoc principium, quomodo à nobis conſideratur, tamquam corporeum, & à cujus perfectione, vel depravatione dependet perfectio, vel depravatio ſpirituum, medicam operam exigens.

Hujus fermenti efficacia conſiſtit in ſale valdè volatili particulis calidis, & multùm activis mixto, quod hujuſmodi fermentum ſit talis conditionis, videtur comprobari à ſalino vapore, à ſubſtantia corticali cerebri expirante, & odoratus ſenſum feriente.

Pro indagando modo operandi hujus fermenti, ſupponendum eſt à primordio generationis implantatas fuiſſe in ſubſtantia harum glandularum particulas ſalinas, & calidas valdè activas, cum tali modificatione, & textura, inter ſe contextas, ut evadant talis efficaciæ ad perficiendum opus ſupradictum, eo modo, quo per Antiquos qualitates elementorum refractæ in mixto uſque ad talem gradum, & armonicè coeunt conſtituunt unum temperamentum operativum illarum actionum, quæ ſunt propriæ talis mixti, & non alteriùs, prædictæ particulæ tali textura concinnatæ totam ſubſtantiam glandularum inveſtiunt, & ſemper in motu exiſtunt; nam cum ſint principium operativum in hac parte, & omnis actio ſit in motu, motus etiam erit illis debitus, & in tali motu ſemper conſervatur à ſpiritu, à ſanguine exhalante, per ſubſtantiam cerebri continuò circulante, à quo motu etiam circulationis prædictarum particularum motus conſervatur, hoc motu materia in ſpiritus præparanda agitatur, comminuitur, & in ſpiritus hoc modo elaboratur, ab omni excrementorum impuritate eodem motu depurata, & quia à dictis particulis prædicto modo contextis ſemper expirant aliqua minima, quæ dictam materiam ingreſſa, dictam præparationem coadiuvant, & perficiunt. Expirationem aliquarum particularum comprobant reparatio, qua continuò indigent omnia fermenta partium, & etiam illud cerebri, & etiam declinatio virtutis operativæ dictorum fermentorum, quæ ab erroribus commiſſis, & in hac ætate ſeneſcente obſervatur.

Hinc reiecta manet opinio Antiquorum de elaboratione ſpirituum animalium, & efficaciſſimis rationibus ſtabilitur talis opinionis confutatio, ut videre licet in quolibet Anatomico noſtræ ætatis, & Galenus hanc confutationem, & ſententiam ſupradictam approbavit, dum libro octavo de uſu partium cap. 13. in cerebri ſubſtantia, ſpiritus animales generari apertiſſimè docuit.

præparata modo ſupradicto materia in ſpiritum animalem per vaſa excretoria ſupradictis glandulis appenſa, cerebri ſubſtantiam pervadit, & ab eiſdem per eam difunditur, unde tota ſpiritu fœcundatur, & illuſtratur, & ejus poroſitates replentur, cum ſui turgeſcentia, per has poroſitates tàm ad nervos, quorum radices ſunt in ipſa cerebri ſubſtantia, quàm ad horum emporium in principio medullæ oblongatæ ſtabilitum, & ad ſpinalem medullam diſcurrunt in hoc tranſitu per cerebri poroſitates, quaſi altera circulatione chymica depurantur à ſuperflua ſeroſitate, quæ à lymphaticis abſorbetur, maiorem ſubtilitatem, & volatilitatem acquirendo, & per excrementorum depoſitionem luciditatem.

His omnibus rectè ſe habentibus, & ſecundùm naturæ decreta diſpoſitis, tàm quoad materiam, quàm quoad ſubſtantiam cerebri perfecta ſuccedit generatio ſpirituum, quod ſi vitium in aliquo ex dictis contingat, facultas ſpirituum perfectiva vitiabitur. Sic ſi ſanguinis materia fuerit craſſa, & opaca, paucoque ſpiritu illuſtrata, ut evenit in temperamentis melancolicis, & ad malum habitum inclinantibus, ſpiritus pauci opaci, & craſſi ab ea educentur, non valente fermenti activitate craſſitiem materiæ reſiſtentem ſuperare, & opacitatem illuminare, unde tarditas ad omnes functiones dictis ſpiritibus inerit, & in omni actione animali erunt debiles, & inhabiles præ opacitate, ad omnes ingenii operationes. E contra ſi materia fuerit valdè ſubtilis calida, & motus perturbati, ſpiritus æſtuabunt, cum quadam ſui inflammatione, & motu perturbato confuſo, & inordinaro agitabuntur, quod faciliùs ſuccedet, ſi materia fermentativa, & irritativa, & accenſibilis eis miſceatur, ut in motibus convulſivis.

Remedia his viriis materiæ convenientia proponentur in decurſu enumerando morbos, à vitio ſpirituum pendentes; nec erunt diſſimilia ab eis, in Antiquorum paginis deſcriptis, nam & ipſi vitium ſpirituum in materiam pravam, & in facultatem, ſeù prin-

principium effectivum corporeum refunderunt.

Mala conſtitutio, & conformatio partis ſpirituum generationi dicatæ hanc vitiat, quando ſecundùm ſuas poroſitates laxata nimis abundantem ſeri copiam, & excrementitiam recipit, à qua ſpiritus animalis vitiatur, dum huic à nimio humido, in agendo energia tollitur, & ejus virtus elaſtica ab eodem humido emolliente oblitteratur, unde non eſt mirum ſi ſummam in ſuis operibus debilitatem contrahit, Virtus etiam ſpiritus ab excedenti humido diviſa enervatur, dividitur autem interpoſitis multis particulis ſeroſis inter particulas ſpiritoſas, quam ob rationem vinum generoſum à ſuperaddita aqua in quantitate generoſitatem deperdit, non quia ab aqua extinguantur ſpiritus vini, ſed quia aqua addita intermediat inter vini particulas ſpiritoſas, eaſque dividit, cum tali diſtantia unius ab altera, ut una non poſſit coadiuvare actionem alterius, & ita vinum debile evadit: Sic multoties ſpiritus animales debilitantur, & cum eis functiones capitis, diſtinguimus hanc cauſam ab aliis, quæ ſpiritibus obſunt, conſiderando, an in corpore adſit ſeri copia, & temperies cerebri ſit humida, dum talis efficitur, quia in eo adeſt diſpoſitio naturalis ad recipiendum in ſe multum humidi, talis diſpoſitio conſiſtit in ſola dilatatione poroſitatum cerebri, recipientium quidquid humidi ſeroſi ad illud pervenit.

Præter ſpirituum debilitatem hæc ſeroſa colluvies inter alia damna organizationem cerebri, & nervorum vitiat obſtructione in poris, vel orificiis illorum introducta, vel fibras, & membranas eorumdem nimia laxitate emolliendo, ut contractioni neceſſariæ pro ſuis operationibus non ſufficiant.

Ab hac partis indiſpoſitione originem ducunt deſtillationes, à cerebro provenientes, & in aliqua parte capitis, vel ad fauces terminantes; nam per aliquos ſeroſa colluvies in corticali, & glanduloſa cerebri ſubſtantia collecta, ad medullarem tranſiens in hujus poroſitatibus ſegregatur, & à venis, & à vaſis lymphaticis partim exſucta, quod remanet in partes vicinas capitis externas, vel intra fauces præ nimia quantitate diffunditur per cæcos ductus, aliquando ad ventriculum deſcendit cum ſaliva, & fermentum iſtius enervando, & alimentorum debitam fermentationem impediendo, innumeras indiſpoſitiones excitat, quales ſunt, quæ à depravata concoctione alimentorum emergunt. Quidquid ſit de via deſcenſus humoris à capite in partes inferiores, in hoc certè non colligitur, niſi per pororum præciſam dilatationem.

Hinc patet, pro curatione hujus indiſpoſitionis cerebri, conſtringendas eſſe ejus poroſitates, quod optimè præſtant omnia decocta exſiccantia ab Antiquis pro deſtillationibus à capite, & pro corrigenda humida cerebri intemperie determinata dum enim hæc decocta exſiccant, non ſolùm ſeroſitatem minuunt, quod ſolùm conſiderant Antiqui, ſed poroſitates conſtringunt, quod eſt principale intentum Recentiorum, nam his conſtrictis, non recipitur amplius tanta copia ſeroſitatis, quæ ab aliis vaſis recepta per urinam, vel per ſudorem poteſt excerni.

Non obſtante tamen hoc diſſenſu, utrique ad eumdem finem tendunt, pro ſanitate introducenda, & pro cauſa prædictarum indiſpoſitionum tollenda, eodem medicamento utuntur. Inter conſtitutionem, & organizationem partis comprehenditur fermentum, à cujus depravatione ſpirituum generatio præter naturam evadit; nam ſi ab alienæ materiæ admixtione figetur ejus activitas, diminuitur, & ſpiritus remanent craſſi, & in parva etiam quantitate, quia ob debilitatam actionem, non poteſt fermentum ſpiritus à ſuppeditata materia in copia extrahere, nec extractos debita volatilizatione nobilitare, & non poteſt fermentum reſtitui ad naturalem ſtatum, niſi materia craſſa, quæ ei admiſcetur & in corpore redundans minuatur, & attenuetur, & quia hæc craſſities ab acido melancholico introducitur, niſi contrariis alkalicis attenuantibus, & aromaticis ſpiritoſis, & volatilibus tolli poteſt. Hinc conſentientibus etiam Antiquis in frigido cerebri temperamento, quod à Recentioribus ſub fermenti fixi nomine deſignatur, eiſdem remediis ſupradictis ad uſum reducentibus dictum temperamentum frigidum corrigunt, & inter hæc cœphalica, & aromatica prævalent, ſive eorum ſali & extracta exhibeantur, ſive decocta ex eiſdem parentur ſalia volatilia etiam pluries recenſita alia præcedunt medicamenta, & ſpiritus vini Aromatizatus cum variis ſimplicibus Aromaticis, ſicut elixir vitæ, & etiam illud proprietatis multum efficaciæ obtinent, ad extinguendum acidum, ad attenuandam materiam, & ad fermentum fixatum volatilizandum.

Si fermentum ſupradictum fuerit nimis volatile, & activum ſpiritus irrequietos, & inordinatione motus peccantes generat, cum periculo vigiliarum, & delirii, unde corrigendum cum medicamentis inferiùs dicendis, ubi de ſupradictis ſymptomatibus.

CAPUT II.

De Senſibus Externis in Genere.

Senſus eſt perceptio affectionis, aut paſſionis, quæ ab obiecto ſenſibili proficiſcitur & organa ſenſus afficit, vel cum Ariſtotele lib. 2. de anim. tex. 121. ſenſus eſt id, quod eſt ſuſceptivum formarum ſine materia, eo modo quo cera ſuſcipit figuram ſigilli, aurei, aut ferrei, ſed ſine materia auri, aut ferri, ex quo colligere poſſumus, quod ſicuti figura ſigilli aurei imprimitur in cera, per ſolum motum, ſed modificatum à lineamentis ejuſdem figuræ, ita organum ſenſus per motum modificatum ab obiecto ſenſibili recipit ideam ipſius obiecti, non ſecundùm eſſe materiale, prout eſt in obiecto ſenſibili, ſed modo vitali, ſeù intentionali, nempè per quid diſtinctum à materia obiecti ſenſibilis, ſed repræſentativum ipſius obiecti, in quo conſiſtit ratio intentionalis; nam per hoc potentia ſenſitiva diſtinguens, ſenſus habet, unde percipiat ipſum obiectum, & naturam ejus, & hujuſmodi repræſentativum eſt motus eo modo, quo per ſolum motum ſigilli in cera imprimitur iſtius figura, cum ſimilitudine ſine illius materia, ac ſi motus eſſet repræſentativus figuræ prædictæ; Hinc rectè cum eodem Ariſtotele deducitur organum ſenſus, quando actu ab hoc motu obiecti ſenſibilis actuatur, eſſe actu ipſum obiectum, ſi quidem habet actu ſpeciem, & ſimilitudinem ipſius obiecti, eo modo quo cera eſt actu figura ſigilli, quia habet ſpeciem, & ſimilitudinem ipſius figuræ; per ſolum verò motum organa ſenſus affici docuit idem Ariſtoteles libr. 2. de anima text. 51. & in hoc ſequaces habet omnes Recentiores.

Ex quibus deducitur ad ſenſum requiri, quod obiecta externa afficiant organa ſenſus, vel per immediatum contactum obiecti, & organi, vel per effluxum aliquem ab obiecto emanantem, vel per impulſum ab obiecto in organum impreſſum, vel per quoddam reflexum ab obiecto, & tranſmiſſum ad organum, in his omnibus modis deſideratur motus, ſine quo non fieret ſenſus, & quod obiectum habeat rationem ſenſibilis, nempe quod talibus qualitatibus, vel modis afficiatur, per quæ valeat organa ſenſuum movere. De iſtarum qualitatum, & modorum conditione, & numero videbimus, dum de ſenſibus in particulari; pro nunc autem ſufficit ſcire, primò ſenſibile aliud eſſe proprium, aut commune, & aliud per accidens. Senſibile proprium eſt illud, quod eſt perceptibile ſolùm ab uno ſenſu, qui circa illud non poteſt errare, ita color dicitur proprium ſenſibile viſus, quia ab hoc ſolùm percipitur, & non ab aliis ſenſibus. Senſibile commune eſt illud, quod à pluribus ſenſibus percipitur, ut motus, quies, numerus, figura, magnitudo, quæ à viſu, & à tactu percipiuntur. Senſibile per accidens eſt illud, quod licèt per ſe non ſentiatur unà cum eo, quod ſentitur percipitur, ut quando video album, ſi hoc album ſit Princeps, video Principem, & ſic album videtur per ſe, Princeps verò per accidens.

Secundò ſciendum eſt, organum ſenſus in communi eſſe partem ſenſitivam noſtri corporis, & hæc eſt ſola membrana, quæ ſolùm ſentit, & diverſa diſpoſitio membranarum inſervit pro diverſitate organorum, diverſis ſenſibus deſtinatorum.

Affe-

Affectio, vel impreſſio obiecti ſenſibilis facta in organum ſenſus, quatenus eſt in hoc, dicitur ab ea affici, & alterari, & per hoc pati, & hoc modo ſenſus reſpectu organi in paſſione conſiſtit, reſpectu obiecti in actione, paſſio tamen eſt impropriè in hoc caſu accipienda, ut docuit Ariſtoteles loc. cit. text. 58.

Hæc paſſio, & affectio organi perfectum ſenſum non facit, niſi quatenus ad primum ſenſorium deducitur, à quo percepta illa paſſio, vel affectio fit ſenſus perfectus. Hinc eſt, quòd, dum mente alio intendimus, obiecta præſentia non percipimus, nec ſentimus, quamvis organa externa ab eis afficiantur.

Hanc potentiam percipientem paſſionem organi, demonſtravit Ariſtoteles loc. cit. tex. 144. dum probat neceſſe eſſe dari ſenſum, quo diſcernimus plures ſenſus. & talis ſenſus dicitur ſenſus communis, quo etiam diſcernimus paſſionem cuilibet organo ſenſus particularis impreſſam.

Sedem hujus ſenſus relictis aliorum ſententiis puto eſſe plexum choroidem, & hanc opinionem ex ſequentibus colligo, primò quòd prædictus plexus poſitus ſit in baſi cerebri, ubi omnes nervi, ex communi ſenſu oriuntur, & ſenſus communis cum debeat percipere omnes motus in nervis, & membranis contingentibus, & hoc ut de eorum affectione judicet, debet eſſe in ea parte, in qua nervi oriuntur, quo in loco eſt prædictus plexus.

Secundò, quòd colligo eſt ſenſum communem debere eſſe in parte ſentiente, ſi debet judicare de affectione ibi impreſſa per membranas, & ſpiritus affectos ab obiecto externo, plexus hic choroides eſt ſentiens, cùm membrana conſtet commune habens principium cum membrana, nervos inveſtiente.

Tertiò, quia ſenſus communis debet eſſe in ea parte cerebri, in qua eſt ſpirituum animalium promptuarium, ut eos poſſit movere ad determinatos nervos juxta exigentiam corporis, determinatam ab affectione organo impreſſa, & ab hoc ad ſenſum communem traducta, plexus autem choroides exiſtens in baſi cerebri eſt juxta ſpirituum promptuarium.

Quartò, quia pars, quæ eſt ſenſus communis ſedes, debet poſſe movere cerebrum ad aperiendos determinatos poros pro recipiendo in eos ſpiritus, ad tales nervos idoneos pro tali motu neceſſario, vel ſpontaneo exequendo, talis eſt plexus prædictus ex ſententia Warthoni in ſuo lib. de gland.

Senſus communis percipiendo motum traductum ad eum ab organo ſenſus externi ſenſum elicit, non paſſivè ſolùm ſe habendo, nempè per ſolam impreſſionem illius affectionis, ſeu motus; nam, ſi ſe haberet ſolùm paſſivè ſentire, idem eſſet, quod affici, ſeu pati, quod eſt falſum, quia affici ab obiecto, non eſt ſentire, cùm ipſamet affectio, qua afficitur organum ſentiri dicatur, & hoc ſentiri dicit eſſentialem reſpectum ad ſentire, cum fieri non poſſit, ut aliquid ſentiatur, niſi ſit, quod ſentiat, cum verò ſentiri dicatur illud, quod afficit ſentire non poteſt conſiſtere in iſta affectione, quæ ſentitur. Ergo ſentire non conſiſtit in ipſa paſſione, ſed in actione quæ non fundatur in cognitione, alioquin ſenſus ab intellectu non differret, ſaltem quo ad obiecta ſenſibilia, & ſi hæc cognoſceret poſſet hæc definire, quod eſt falſum; nam percipio quidem me affici ab albedine, odore, dulcedine, & ſono, tamen per hoc neſcio quid ſit albedo odor, dulcedo, & ſonus, & ſolùm horum naturam attingo, quando intellectum conſulo, ſed actio, qua ſenſus agit eſt attingentia prædictæ affectionis perpeſſæ facta non modo repræſentativo, vel aſſimilativo, vel intentionali, ſed modo ſenſitivo conſiſtente in ſolo exercitio actuali ſuæ potentiæ: nam in ſenſu communi adeſt facultas ſenſitiva, ſentire eſt actu iſtam facultatem exercere, quod idem eſt ac ſenſitivo modo rem ſenſibilem attingere, & hic actus ſecundus hujus facultatis eſt actio, qua in ſe ipſam agit, non producendo aliquam entitatem à ſe diverſam, ſed ſolum actum vitalem ſentientem exercendo, qui non eſt niſi ipſius facultatis, vel animæ ſentientis modus, cùm actus vitalis non ſit, niſi motus à potentia vitali exercitus immanens, motus autem eſt modus ipſius ſubſtantiæ, quapropter potentiam ſenſitivam attingere affectionem ab obiecto externo proficiſcentem, & ad eam traductam nihil aliud eſt, niſi actu tali determinato motu ſe movere dependenter ab affectione perpeſſa.

Hinc patet ſenſum fieri, dum ſpiritus membranæ & nervi facultati ſenſitivæ inſervientes, & propriæ organi ſenſus alicujus, ab impulſu obiecti commoventur, & motus ille ab obiecto profectus in momento ab organo ſenſus patiente, per nervos membranas, & ſpiritus mediis undulationibus, à quibus dicta corpora moventur ad cerebrum, & organum ſenſus communis traducitur, vel quia nervi, & membranæ inſtrumenta ſenſus externi, cum eo colligantur, vel quia ſpiritus animales in nervis, & membranis exiſtentes moti à motu modificato ab obiecto proveniente, eadem ratione motus mediis dictis undulationibus movent ſpiritus in ſede ſui principii exiſtentes, quæ eſt in baſi cerebri, ubi medulla oblongata incipit, & hi eodem motu plexum choroidem afficiunt, in quo eſt manſio ſenſus communis, itaut idem motus modificatus, qui eſt in organo ſenſus externi integrè, & ſincerè traducatur ad organum ſenſus communis, qui tali affectione motus perculſus ſe movet, cum determinata reſtrictione, & modificatione determinata à motu ſuſcepto extrinſecus, & ſuum motum in ſe recipit, & tali motu, qui eſt actus ſecundus ſuæ potentiæ attingit modum motus impreſſi ab obiecto in organo ſenſus, unà cum iſtius affectione, & hæc attingentia eſt perceptio, in qua conſiſtit ratio ſentiendi non importans, niſi perceptionem motus ab obiecto ſenſibili impreſſi in organum ſenſus, cum ſua modificatione, & paſſione, qua dictum organum afficitur per dictum motum modificatum.

Unde colligendum eſt ſpecies, quas Peripatetici vocant intentionales, nihil aliud eſſe, quàm motum ſpiritus animalis in membrana, quæ eſt organum ſenſus externi exiſtentis, impreſſum ab obiecto externo, quo motu obiectum ſecundùm ſuam naturam ſenſibilem delineatur, & dum ille à ſpiritibus per nervos, & membranas traducitur ad ſenſum communem, hic in motu percepto percipit ideam, & naturam ipſius obiecti.

CAPUT III.

De Senſu in particulari, & primò de Viſu.

Mirabilis in univerſa microcoſmi fabrica æterni, & ſapientiſſimi Architecti ſapientia, & providentia, ſe manifeſtant, ſed exceſſum attingunt in oculi fabrica, & in ſuæ operationis exercitio, quæ eſt viſio, itaut mens humana cujuslibet excellentiſſimæ dotis præ ſtupore hæreat, & in cauſis hujus indagandis deficiat. Ad hoc opus me accingo ſolùm pro ea parte, quæ ad Medicos ſpectat & quæ pro morborum indagatione potentiæ viſivæ requiritur.

Obiectum hujus ſenſus proprium eſt lumen, & color, horum quidditas non minores involuit difficultates, quàm faciat modus, quo fit viſio, & obiecta viſibilia percipiantur.

Definit Ariſtoteles lib. de ſenſ. & ſenſibili. Lumen eſſe actum perſpicui, prout perſpicuum eſt, & per actum motum intelligere debemus; nam ſi per actum intelligamus formam prout multoties facit Ariſtoteles ſenſus erit, lumen eſſe formam pellucidi, & hoc modo definitio data eſt ſine ratione, nam forma pellucidi facit pellucidum non luminoſum, & ſi intelligamus formam actuantem lumine pellucidum, de hac forma quæritur definitio, quia hæc forma, non eſt niſi lumen, de quo quæritur, quid ſit, & reſpondere lumen eſſe formam actuans lumine perſpicuum eſt reſpondere lumen eſſe lumen; Non poſſumus ergo per actum in definitione poſitum intelligere, niſi motum, quod Philoponus in lib. 2. de anim. ex mente Ariſtotelis expreſſit & Simplicius ejuſdem Ariſtotelis acutiſſimus Interpres confirmavit, & hoc modo Recentiores Duce Carteſio Ariſtotelis ſententiam ſequuntur, explicando lumen per motum preſſionis æthæreæ ſubſtantiæ pellucidæ, & ita à Carteſio

nihil novi in ſcholis introductum fuit, ſed Germanus ſolùm Ariſtotelis ſenſus circa luminis naturam explicatus, & dilucidatus.

Hujus definitionis veritas ab ejus explicatione colligetur, nam intimam lucis eſſentiam, & proprietates comprehendit.

Per perſpicuum intelligimus illud, quod ſecundùm ſe non eſt viſibile, ſed ſolùm propter colorem extraneum, & addit Philoſophus reduplicationem, ut perſpicuum, adhoc ut intelligamus ſolam rationem perſpicui ab omni extraneo colore liberi, luminis eſſentiam conſtituere, unà cum motu ejus.

Hoc perſpicuum eſt materia ætherea, qua totum ſpatium a cœlo uſque ad terræ ſuperficiem repletur, ut omnia inania, quibus corpora compoſita, vel ſimplicia perfodiuntur, repleantur.

Hoc perſpicuum motu actuatum lumen reddit, itaut videatur rationem eſſentialem luminis primariò conſtitui à motu actuante perſpicuum, prout eſt perſpicuum: Lumen in motu conſiſtere optimè demonſtrant varia, quæ agitatione ſplendorem emittunt, ut aqua maris tempeſtate turbata, ſaccharum tempore noctis celeri motu contuſum, & agitatum, pili felium in nocte celeri confricatione commoti. Hæc enim omnia ſcintillas, & lucem quamdam præbent; alia experimenta legi poſſunt in Philoſophia Burgundica parte tertia diſſertatione quarta.

Defectus luminis ablato corpore luminoſo, hoc videtur confirmare; nam ſi à dicto corpore diffunderetur ſubſtantia per medium lumine corruſcans, illo ſuppreſſo ſaltem lucis reliquiæ in eodem medio deberent remanere, cùm non ſit probabile, ſubſtantiam luminoſam diffuſam perire remoto corpore illuminante, ſicuti extincto igne in cubiculo, calida ſubſtantia per hoc diffuſa non extinguitur, ſed calor in cubiculo remanet, præterquamquod non apparet deſtructivum talis ſubſtantiæ luminoſæ, & idem dicendum eſt, ſi lumen in qualitate conſiſteret, nam hæc qualitas medio impreſſa abſente luminoſo in eodem deberet permanere, cùm ſubiectum ſit proportionatum, & deficiat qualitati luminis contrarium poſitivum.

Motus ad luminis naturam requiſitus, eſt motus preſſionis. Motum preſſionis voco illum, qui conſiſtit in leni impulſu partem alicujus corporis verſus aliam partem movente, à quo & hæc movetur.

Fit hic motus preſſionis ab omni corpore luminoſo præcipuè à cœleſti, dum particulæ in iſtis pellucidæ innumeræ, & de natura ætherea moventur, & in hoc motu conantur recedere à ſuo centro, prout eſt proprium omnium fluidorum, circa ſuum centrum ſe moventium, ab hujuſmodi materia proprium centrum derelinquente, & ad circumferentiam deducta, & ab hac etiam exorbitante, ætherea materia prædictæ circumferentiæ, contigua premitur, & hic motus preſſionis per rectam lineam continuatus in eadem materia ætherea, totam hanc cavitatem intra cœlum, & globum terraqueum exiſtentem unà cum alio aere implente lucem ſeu lumen exhibet.

Hinc facilè eſt explicare, quomodo à corpore luminoſo radii exeant dum à quolibet puncto iſtius fluit materia quæ premit ſubſtantiam ætheream pellucidam contiguam, & cùm hæc à corpore luminoſo uſque ad noſtrum oculum per lineam rectam extendatur, ita motus ille in ſubſtantiam ætheream proximam corpori luminoſo impreſſus in momento per illam rectam lineam materiæ æthereæ ad noſtrum oculum traducitur, eo modo quo ab extremitate haſtæ percuſſæ motus impreſſus in momento ad alteram extremitatem pervenit, & ita per has rectas lineas, radii Corporis luminoſi efformantur, & cum à quolibet puncto Corporis prædicti prematur æther illud ambiens, ita totus æther per lineas rectas ſemper premitur, itaut in quolibet ſpatio, & parte ejuſdem ætheris ſemper datum ſit corpus luminoſum inſpicere, & ejus imaginem contemplari.

Et quamvis cùm ſubſtantia ætherea in hoc medio exiſtente intra Cœlum, & globum terraqueum aliæ particulæ minùs pellucidæ, & craſſiores conjungantur, hæ tamen non impediunt traductionem motus preſſionis, ſed ſolùm illum refrangunt, itaut ulteriùs per lineam refractam ab eadem materia ætherea conſtitutam ſuum progreſſum continuet, eo modo quo in vaſe uva repleto, dum calcatur, & muſtum exprimitur, hoc per lienas continuatas deſcendit ad orificium inferius, racemis non impedientibus continuationem ſui motus, niſi per rectam lineam continuatam, ſed per refractam permittentibus, quamvis etiam poſſit dici, quòd motus preſſionis materiæ æthereæ communicetur etiam aeri ei mixto, & ab hoc ad ætheream ſubſtantiam ei contiguam traduci, & hoc modo non obſtantibus particulis craſſis alterius conditionis, & minus pellucidis ſemper talis motus per rectam lineam, in ætherea ſubſtantia continuatur, itaut nec à vento, nec ab agitatione aeris, talis continuitas interrumpatur, quia in tali agitatione, & motu ſemper adſunt rectæ lineæ deductæ à corpore luminoſo ad noſtrum oculum.

Credunt aliqui materiam ſubſtantiam ætheream prementem eſſe ignem, quia radii ſolares in ſpeculo metallico concavo excepti ignem accendunt, & radii Solis ſunt luminoſi: experientia tamen falſam eſſe demonſtrat: nam ſi inter ignem ardentem, & ſpeculum uſtorium, vitrum interponatur in foco ſpeculi, nullus calor procreatur, & ſi lumen, & ignis eſſent eadem ſubſtantia, ſi lux intenditur, deberet etiam intendi calor, concludendum ergo materiam, quæ premit æther, eſſe diverſi generis ab igne; nam iſtius materia motu vehementi, & valido, celeri, ac perturbato calorem efficit ſed celer, & brevis, & vibrativus, in materia ſubtili exiſtens lucem præbet, & hæc ætheream ſubſtantiam premens ejuſdem lucis diffuſionem efficit.

Color, qui eſt alterum viſus obiectum definitur ab Ariſtotele, quod ſit motivum ejus quod eſt ſecundum actum perſpicui, & ſenſus eſt colorem eſſe illum qui movet perſpicuum motum, ex data verò definitione perſpicuum motum eſt lumen, conſequenter color erit ille, qui movet lumen ſed motu diverſo ab eo, quem habet lumen; hujuſmodi autem eſt reflexio, vel refractio luminis, conſequenter color non erit niſi refractio, vel reflexio luminis ex Ariſtotele, cui ſe adiungunt omnes Recentiores.

Diverſam verò luminis modificationem à varia ſui reflexione. vel refractione inductam eſſe colorum fundamentum deducitur à Trigono vitreo, qui Soli expoſito varios exhibet colores, nullatenus in vitro exiſtentes, conſequenter debent dici prædicti colores pendere à lumine diverſimodè reflexo, ſicuti colores repræſentati à Phiala, aqua plena luci expoſita, & illi qui miro artificio in Iride pinguntur, & cùm certi ſimus colores prædictos luminis reflexione fieri, omnes etiam hoc modo in omnibus obiectis apparere credendum eſt.

Ab hac luminis diverſa reflexione diverſi reſultant colores; album fit, quando luminis radii eodem ordine, quo in obiecto recipiuntur, reflectuntur.

Niger, dum radii in corpus directi in pauca quantitate verſus ſuum principium emittuntur, ſed major pars eorum ſuffocatur, & extinguitur, & hoc videtur poſſe convinci ab eo, quod corpora alba à luminoſo agente igneo actuata minùs incaleſcunt, quàm nigra, cùm hæc unà cum luce igneos radios retineant, illa retorqueant.

Ceruleus fit ex major remiſſione radiorum, quàm in nigro colore, & minori, quàm in albo.

Ruber repræſentatur à radiis, qui validè in centro corporis illuminati moventur, & eodem motu reflectuntur.

Flavi, purpurei, & virides ab hac radiorum circa centrum, varia rotatione pendent, itaut flavus conſiſtat in rotatione radiorum magis remiſſa, quàm ea, quæ ſuccedit in rubro, & viridis in rotatione prædicta tardiori ea, quæ ſuccedit in Flavo. Cœteri colores ex permixtione horum reſultant; hoc eſt ex mixta reflexione. luminis in prædictis contingente.

Organum viſus eſt oculus, & non ſecundùm omnes ſui partes, ſed ſolùm ſecundùm retinam, in qua omnium obiectorum imagines pinguntur, ut patet in oculo animalis conglatiato, diſſecto, & poſito juxta

fora-

foramen factum in feneſtra lignea occluſa, ut cubiculum ſit obſcurum; obſervamus enim omnia obiecta tranſeuntia per viam, cui correſpondet feneſtra ſupradicta tranſmittere radios, qui in Retina oculi, obiecti figuram pingunt, & repræſentant. Cœteræ partes oculum componentes ad viſionem concurrunt, vel radios excipiendo, & uniendo, vel eos refrangendo, ut ad perpendicularem in unum punctum accedant, quod facit cornea, & humores, & præcipuè chryſtallinus ad formam lentis à natura efformatus pro hoc officio.

Viſio cùm propriè circa colores verſetur, fit dum radii luminis reflexi ab obiecto ad oculum tranſmittuntur, cum eadem modificatione motus, ab obiecto, eos reflectente accepta, prædicti radii poſt acceptas in humoribus refractiones, per quas ad perpendicularem in unum punctum coeunt, & in retinam hoc modo tendentes ſuo motu partes ejus in quas incidunt, movent, & hic motus per nervos opticos ex quorum dilatatione retina conſtituitur, ad ſedem ſenſus communis deducitur, ubi percipiens talem motum, cum tali modificatione judicat radios tranſmiſſos ad oculum, & retinam eſſe colorem album, vel rubrum, vel alterius generis, & idem motus organi ſenſus communis traductus ad vicinas fibras cerebri, eiſque impreſſus hoc ita diſponuntur, ut ſi contingat, quod moveantur verſus inſtrumentum ſenſus communis, eumdem motum huic imprimunt, qui impreſſus fuit à motu nervorum opticorum directus à motu radiorum, ab obiectis reflexorum, & hoc eſt colorum ſpeciem in cerebro conſervari. Figura obiecti percipitur dum radii reflexi obiectum habent repræſentare ſi iſti eodem modo in reflexione configurentur quomodo configuratum eſt obiectum incidentes in retinam huic imprimunt figuram ipſius obiecti, & radii in tali impreſſione movent retinam in pluribus punctis, cum tali ordine ut repreſentetur figura obiecti, quapropter motus hic traductus per nervos opticos ad ſenſum communem hic ex eo apprehendit talem figuram, qualem pinxerunt radii in oculo, & quo plures radii illabuntur in retinam, figura diſtinctius percipitur, quia motus ab hac ad ſenſum communem demandatus erit validior, & perceptio diſtinctior.

Hinc pupillæ magnitudo ad diſtinctiorem figuræ perceptionem facit, quia multis radiis ad obiecto provenientibus ingreſſum præbet. Idcircò etiam pupillam magis dilatamus, cum ad diſtans obiectum intuemur, ut plures radii in oculum introducantur.

Ad diſtinctam viſionem requiritur ut etiam radii ab obiecto provenientes colligantur ſimul, & in puncto unionis retinam tangant, nam ſi uniantur infrà eam, vel ſupra, obiectum confusè videtur.

Altera etiam cauſa pendet à filamentis retinæ; nam radii provenientes à diverſis obiecti punctis debent etiam colligi in diverſis filamentis retinæ veluti inſtar contextæ nam ſi in eodem filamento, & in diverſis punctis ejus colligerentur radii à diverſis punctis obiecti tranſmiſſi, obiectum non diſtingueretur, cùm non poſſit illud filamentum diverſis motibus moveri, ut hi integrè, & diſtinctè traducantur ad ſenſum communem. Hac ratione in vere prata florum plena diverſi coloris omnia rubra, vel flava conſpiciuntur, quia radii florum multorum, unum filamentum moventes, qui validiores ſunt repræſentant obiectum, à quo proveniunt, & quia radii à Rubeis, vel flavis provenientes ſunt vividiores, ideò hos colores ſolùm percipimus, itaut videantur omnes flores eſſe his coloribus tinctos. Ab his colligitur viſionem cum peripateticis, & communi ſenſu medicorum fieri per intromiſſionem alicujus quod moveat organum viſus ad viſionem eficiendam.

Situs percipitur per ſolum impulſum radiorum verſus aliquam cerebri partem, ſitum enim obiectum judicamus in ea regione in qua retina movetur, & cum ea ſedes ſenſus communis, etſi moventur in dextera, obiectum in dextera eſſe ſitum judicamus.

Diſtantia colligitur ex obiectorum interpoſitione, quæ invenitur inter nos, & illa corpora, quæ intuemur quo enim plura corpora intermediant, illud quod nobis ultimo apparet magis diſtare dicimus, ex luminis robore, vel debilitate diſtantiam arguimus, nam quæ proxima ſunt lumen vividius reflectunt ad oculum, quæ longinqua lumine debiliori movent oculum, aliam quoque figuram aſſumit occulus dum longinqua reſpicit, quàm propinqua, in eis enim pupillam dilatat, in iſtis conſtringit.

Magnitudo cognoſcitur à maiori, vel minori portione retinæ, & organi ſenſus communis moti, vel affecti à motu obiecti externi, à qua ſenſus prædictus ſua virtute elicit rationem magnitudinis obiecti.

Motus corporis percipitur viſu, dum oculus rem viſam, ex loco in locum translatam inſequitur, vel ex motione imaginis in retina, vel ex comparatione à ſenſu communi facta obiecti mobilis ad alia obiecta circum compoſita immobilia.

Hujus ſenſus beneficium à natura animalibus progreſſivis fuit impertitum, ad hoc ut poſſint ſuæ conſervationi providere videndo ea, quæ ſibi noxia ſunt, ut cum tutella ab eis fugere poſſint, & proſequi, quæ utilia ſunt. Sic Lupus à longinquo videns ovem, & advertens eſſe cibum ſibi convenientem, & gratum illam perſequitur, ut ſe nutriat, & conſervet ovis è converſo videns Lupum, & advertens hunc eſſe ſui corruptivum fugit à lupo, ut vitet mortem; homini verò prudentiæ capaci tributus fuit viſus ad acquirendam prudentiam perfectam, vel imperfectam, quia viſus manifeſtat plures differentias obiectorum, quàm guſtus, & tactus, quæ maximè conferunt ad acquirendam ſcientiam practicam, & ſpeculativam de talibus obiectis.

Quocumque modo viſio fiat ſive per ſpecies rerum viſibilium, quæ ſint materiales in modo agendi, quamvis abſtractæ quodammodo à materia juxta mentem peripateticorum, vel per ſpecies, quæ nihil aliud ſint, quàm lumen refractum à corpore viſibili, vel motus ejuſdem luminis refracti juxtà ſenſum Recentiorum, & lumen, vel ſit qualitas, vel ſubſtantia, vel motus ætheris, & color ſive ſit accidens, vel ſit lumen reflexum, ſemper verum erit, morbos oculorum uno determinato modo eſſe tollendos.

Suffuſio enim, ſeù cataracta, quæ eſt concretio humoris præternaturam inter corneam, & retiformem data qualibet, ex enarratis ſententiis, & etiam admiſſa ea quæ vult viſionem fieri per intromiſſionem, vel ea quæ vult fieri per extramiſſionem dum cataracta, tàm ingreſſum, quàm egreſſum impedit illi à quo pendet viſio, eſt tollenda, & ea ablata viſio renovabitur, à quocumque cauſa hæc pendeat, & quocumque modo fiat.

Pro auferenda autem cataracta, præſtat aqua Rulandi facta cum aqua Eufragiæ, cui infuſus fuerit crocus metallorum, & ſteterit ad ſolem per octo dies eam ſæpè agitando, cum hac abluatur oculus, & intra eum inſtillentur aliquot guttæ; valet etiam ſequens aqua Plempi. ℞. aquæ roſarum, fœniculi, chelidoniæ, eufragiæ apii an. ℥. 2. Mercurii ſublimati, ac tenuiſſimè pulverizati ℈. 5. cum iſte ſolutus fuerit aquam filtra, & ſerva quotidie mane jejuno ventriculo gutta una, vel altera in oculum affectum immittatur, ex ſpiritu aceti, & urinæ fit aqua cataractam mirè abradens, ſi ejus guttæ aliquot intra oculum pluries in diem inſtillentur, ſi verò ſuffuſio, ſeù concretio humoris fuerit valdè ſolida opus eſt operatione manuali, qua concretus humor in formam membranæ acu deponitur.

Pari pacto admiſſa quacumque ſententia de lumine colore, & ſpeciebus ſtabilita verò illa communiſſima, & receptiſſima Ariſtotelis authoritate confirmata viſionem fieri per intromiſſionem, explicatur cur res minores videantur, quàm ſint, ob pupillæ, quæ eſt foramen uveæ conſtrictionem per quam in retiformi tunica res diſtinctè quidem, ſed minutiſſimè repræſentantur, eo modo quo in obſcurata Camera feneſtræ, foramen nimis anguſtum in cauſa eſt, quod obiecta dicto foramini extrinſecus oppoſita pingantur in papyro, vel pariete poſt dictum foramen poſito clarè quidem, ſed diminutè.

In pupilla verò dilatata, res maiores, quam alii videant conſpiciuntur, eo quia obiecta pinguntur in retina ſub ma-

majori magnitudine, quam in aliis. In pupillæ conſtrictione obiecta ſolùm huic rectè oppoſita conſpiciuntur, quæ ad latera verò exiſtunt minimè, quia iſtorum radii, ſeù imagines, ſeù ſpecies lateraliter advenientes, ob pupillæ anguſtiam prætterlabuntur. In pupilla verò dilatata objecta lateralia conſpiciuntur, etiam capite immoto, eo quia iſtorum radii, ſeù ſpecies per pupillam dilatatam commodè oculum ingrediuntur.

Ab hac pupillæ coſtrictione deducitur cauſa Nyctolopiæ, ſeu nocturnæ cæcitatis, per quam ſupervenientibus tenebris, vel lumine decreſcente circa veſperam obiecta non cernuntur, quia quo obiecta minutius pinguntur in retina maiori opus eſt lumine, ad hoc ut percipiantur; cùm verò pupilla non poſſit per ſui conſtrictionem dilatari, evenit, ut ab ingruentibus tenebris parum luminis intra oculum recipiatur, inſufficientis ad viſionem obiectorum: E contra verò in dilatatione pupillæ fit alia ſpecies Nyctolopiæ, in qua obiecta in obſcuriori loco poſita faciliùs cernuntur, quia per pupillæ dilatationem tantùm luminis etiam decreſcentis recipitur intra oculum, ut ſufficiat ad rectè percipiendum obiectum, hinc eſt quod in hac pupillæ dilatatione obiecta magno lumini expoſita non cernantur, vel confusè cernantur, dum à magno lumine rerum imagines in retina oblitterantur, ut patet in obſcurata camera, ſi per feneſtræ foramen multùm lucis admittatur.

Ad hanc nocturnam cæcitatem concurrit, etiam craſſities, & impuritas corneæ tunicæ, & humorum, quia cùm hæc corpora ſint media, per quæ tranſeunt imagines, ſpecies, vel radii obiectorum externorum, quo magis ſunt obſcura, maiori indigent luce, ad hoc ut illuminentur, cùm ſine illuminatione medii non poſſit fieri viſio, & quia circa noctem, & veſperam non eſt tantum luminis, ut poſſit illuminari pro perfecta viſione, ideò non videntur obiecta; E contra verò ſi tunica cornea, ſit valdè tenuis, & humores nimis rari, & limpidi, in magno lumine adeſt cæcitas ob rationem ſuperiùs dictam, advenientibus verò tenebris viſio perficitur, quia tantum luminis intra oculum introducitur, ut ſufficiat perfectæ viſioni, non oblitterationi imaginum depictatum in retina.

Ad corrigendum vitium pupillæ conſtrictæ utere remediis deſcriptis à Sennerto, & Plempio localibus præmitenda ſunt in dictis affectibus univerſalia præparando humores ſanguinis miſſione revelendo, derivando, & purgando.

Indiſpoſitio pariter humorum oculi, & retinæ, nervi optici, & ſpirituum, & membranarum qualibet ſententia, ex recenſitis admiſſa, viſionem lædit; humore enim aqueo deficiente tollitur debita refractio, vel ſpecierum, vel luminis reflexi, vel radii colorati, conſideratis etiam his omnibus, vel ſub conditione qualitatis, vel ſubſtantiæ. & deficiente refractione radii obiecti, non accedunt ad perpendicularem, nec uniuntur in puncto, prout exigit perfecta viſio, ſed diſperſi hanc impediunt.

Chryſtallino deficiente viſio pariter læditur, cùm hujus officium ſit tranſitum dare ſpeciebus ſeu radiis obiectorum ad retinam, in quam debent coïre in puncto, & eodem tranſitu dictas ſpecies, vel radios refrangere ad perpendicularem, ſine quo viſio non perficitur.

Colores etiam horum humorum viſionem lædere poſſunt, cùm medium deferens radios, & ſpecies obiectorum debeat eſſe Diaphanum, ne obiectorum imago alteretur, ſicuti videmus alterari in perſpicillis vitro viridi colore tincto fabrefactis, dum omnia viridia apparent.

Modum remittendi dictos humores docent Recentiores cum ſucco Chalidoniæ maioris intra oculum per foramen iniecto. Colores, credo non poſſe per remedia oblitterari.

Retina vitium contrahit, vel in ſitu, vel in textura; in ſitu eſt, quando nimis accedit humori Chryſtallino, vel nimis ab hoc removetur: In primo caſu videntur obiecta remota diſtinctè, propinqua verò confusè, quod ſenibus contingit, & ratio eſt, quia ſpecies, vel radii emiſſi ab obiectis propinquis ultra tunicam retinam coeunt in punctum ob iſtius viciniam humori chryſtallino, ideò quia radii non tangunt in puncto unionis retinam, non fit viſio clara, ſed confuſa. Radii verò provenientes ab obiectis longinquis cum magis accedant ad punctum, quo magis diſtant à baſi, citò poſt chryſtallinum coeunt in puncto, & ita in hoc retinam illi vicinam tangunt, cum perfecta repræſentatione obiecti.

In ſecundo caſu obiecta propinqua videntur, remota verò non, quia radii iſtorum in puncto coeunt priuſquàm retinam tangant, ideò obiecta remota non videntur niſi confusè. Radii verò objectorum propinquorum cùm non coeant in puncto, niſi in diſtantia conſiderabili ab humore chryſtallino, in hoc feriunt retinam à dicto humore diſtantem, & ita obiectorum propinquorum viſio clara, & diſtincta habetur; Fit enim viſio ſolùm, quando omnes radii in puncto uno, cum perpendiculari obiecto uniuntur, & qui veniunt ab obiectis remotis propinquiùs à chryſtallino uniuntur ob rationem ſuperiùs datam de diſtantia à baſi, & qui à propinquis remotiùs ab hoc uniuntur.

Alterum vitium retinæ eſt hujus raritas, & denſitas ſi plus rara eſt, luminis, radiorumque ſplendorem vix oculi poſſunt ſine lacrymatione & averſione ſuſtinere, ſi denſa nimis lumen etiam Solis fixis oculis toleratur.

Primum vitium ars medica non poteſt emendare, ſed ſolùm Chatoptrica cum perſpicilits. Secundùm non minorem habet difficultatem ob diſtantiam partis, ſi quæ poſſunt juvare, in raritate ſunt adſtringentia, in denſitate attenuantia, quibus admiſcenda, Ophtalmica, & Capitalia.

Quando membranæ oculorum inflammantur in ophtalmia læditur viſio, quia impeditur luminis refracti intromiſſio tollitur ſanguinis miſſione, ut convenit inflammationi localia utilia ſunt mucilago ſem. fœnugræci facta cum aqua meliloti, & in oculum inſtillata, vel aqua eufragiæ in qua extincta fuerint ſtibium, tutia, lapis colaminaris ignita addito ſaccharo candido, & pauco vitriolo, & hujus gutta una aut altera in oculum inſtilletur, & eadem oculus ſæpè abluatur, ſuccus herbæ Paris eſt exquiſitum remedium, in vehementi dolore. Fiat emplaſtrum cum pomo cocto vitello ovi, croco, & oleo roſato, & apponatur oculo.

Optici nervi viſio læditur, viſio quando obſtruitur, & à Græcis appellatur hic affectus amblylopia ideſt obſcuritas obfuſcatio, ſine hebetudo viſus, & amacerosis ideſt viſus abolitio, ſeu cæcitas, à barbaris gutta ſerena dicta, & eſt abſolutum viſus impedimentum nullo in oculis vitio apparente

Per hanc obſtructionem nervorum opticorum læditur viſio, quia membrana retina, in qua fit ſenſus viſionis externus, ſentit impreſſionem factam in ea à radiis obiectorum externorum, quatenus irradiatur à ſpiritu animali delato per ſuas fibras à nervis opticis, quorum dilatatio, & expanſio dictam membranam conſtituit, unde cùm ſpiritus per obſtructionem nervorum non fluant ad eam, neque dicta ſenſatio fieri poteſt. Ulterius neque ſenſus communis poteſt judicare de ſenſatione facta in dicta membrana, quia tale judicium fit dependenter à motu, & undulatione ſpiritus animalis, in nervo optico exiſtentis, delata uſque ad organum ſenſus communis, & dependenter à perceptione motus hujus undulationis, dictus ſenſus communis judicat de qualitatibus viſibilibus obiecti. Cùm verò data ſupradicta obſtructione in nervis opticis ſpiritus non adſit, modus etiam per quem ſenſus communis poſſit percipere obiectum actuans deeſt conſequenter in obſtructione nervorum opticorum, viſio non poteſt fieri.

Pro hoc affectu extirpando nervorum obſtructio eſt tollenda, quod eſt maximè difficile; poſſumus tamen experiri decoctum viperarum cum herbis euphragiæ, chelidoniæ, & fœniculi, & vinum medicatum, & aquam deſcriptam à Plempio in ſua Ophthalmographia lib. 5. cap. 30.

Spiritus animalis viſionem vitiat, quando nimis craſſus undulationem acceptam ab impreſſione facta in retina ab obiectis externis reſiſtantia ſua minuit, itaut in organo ſenſus communis parva motio ſequatur confuſam obiecti perceptionem inferens; E contra agilis, nimis, & irrequietus ſpiritus undulationem prædictam in ſe ipſo acceptam

alte-

alterando, vel celeritate motus, vel inordinatione, per quam una undulatio aliam occupat, fit iſtarum confuſio confuſam pariter obiecti naturam ſenſui communi repræſentantem, unde confuſa etiam hujus perceptio.

Quod ſi ſpiritus ab aliqua cauſa in gyrum moveantur omnia circumrotantia ſenſui communi repræſentantur.

Horum ſpirituum vitia modum emendandi colligere poterimus ex dicendis de ſenſibus internis, & de facultate loco motiva.

CAPUT IV.

De Auditu.

OBiectum auditus eſt ſonus qui dupliciter poteſt conſiderari primariò, & ſecundariò. Sonus primarius eſt in corpore ſonante, quod ſonum edit; Sonus ſecundarius eſt in medio, & per hoc diffunditur.

Sonus primarius eſt impetus ſonanti corpori impreſſus à quo expeditiſſimæ vibrationes ejuſdem ſonantis excitantur. Expeditiſſimæ dicuntur vibrationes, quæ ſunt accelleratæ, & retardatæ in partes contrarias, quod patet in chorda pulſata tremorem oculis perceptibilem exhibente; & hujuſmodi tremor ab impetu ei à pulſante impreſſo dependet, ſic campana pulſata ſonans tremit, & ſchyphus cum ſenſibili tremore ſonum præbet percuſſus. Vibrationes verò debent eſſe reiteratæ, & motus debet ſemper accellerari continuo augmento, uſque ad ultimum ſui terminum à quo recedens motus deſcreſcit in eadem proportione quo auctus eſt, donec ex toto deſinat.

Hæ vibrationes tamen debent fieri ſumma cum celeritate, & impetu itaut ſonus nihil aliud ſit, niſi impetus permultas, & celeres vibrationes modificatus, per medium proportionatum organo auditus impreſſus.

Ex quo etiam colligitur ſonora corpora eſſe illa, quæ ſunt preſſibilia, & elaſtica in quorum preſſione, & reductione, vibrationes ſuccendunt, quapropter corpora hujuſmodi, ut campanula manibus conſtricta non ſonat, quia vibrationes impediuntur, & eadem vibratione corpora dura non preſſibilia ſonum non edunt.

Sonus ſecundarius eſt impetus per medium diffuſus determinato, & reciproco motu: nam certum eſt, quod ſoni propagatio fit per medium, igitur in hoc à Corpore ſonante aliquid rtansfertur; hoc non poteſt eſſe niſi illud, per quod corpus fit ſonans ideſt impetus; Hinc eſt, quod pulſaris fidibus alicujus inſtrumenti in cubiculo anguſto, ubi adſit lucerna, iſtius flamma ad motum fidium ſuos componit motus; præterquamquod obſervamus à corpore ſonante moveri aerem, nubes agitari, & expandi, & hic motus non poteſt fieri, niſi à corpore ſonante aeri impetus communicetur, quod probat etiam propagatio ſoni ſucceſivè in medio.

Medium hoc eſt aer, qui tali impetu movetur, & quia impetus corporis ſonantis per vibrationes diſtinctas morulis quibuſdam interrumpitur, quæ morulæ intermediant inter finem unius vibrationis, & recurſum alterius; Idcircò aer correſpondentes cum dicto impetu morulas patitur, quæ intermediare debent inter ſuos diſcretos motus, quos per diſtinctas undulationes patitur, ut una poſt aliam ſuccedat. Solus aer eſt medium ſufficiens ad propagationem ſoni, quia hic in clauſo cubiculo, & turri undique occluſa exterius percipitur, quare medium ſoni videtur eſſe tale, ut muros, & feneſtrarum clauſarum obſtacula penetrare valeat, & medium talis conditionis aliud non reperitur, quàm aer.

Ab his deducitur ratio ſoni magni, & parvi; nam in magno impetus eſt magnus, & multæ partes medii moventur in parvo parvæ, & impetus eſt minor. Sonus etiam magnus procul, & parvus propè ſolum exauditur, nam vibrationes in priori ad magnam diſtantiam extenduntur, in altero verò ad minorem. Loquens, vel Corpus ſonans poſitum in medio tamquam in centro, ab omnibus circumſtantibus in circulum poſitis exauditur, quia aer undatim motus ab impetu ſonantis in circulum movetur, eo modo quo ſaxum in aqua iniectum plures gyros ſphæricos in eam delineat.

Organum auditus eſt tunica producta ab expanſione nervi auditorii, & eſt veluti Retina in oculo, itaut vibrationes, & motus aeris in hanc tunicam impingentes, cum modificatione ſupradicta, ſoni ſenſum externum efficiant, commoto ſpiritu cum dicta membrana in ea, & nervo contento uſque ad hujus principium. Hoc motu ad ſedem ſenſus communis traducto, & huic participato, medio dictorum ſpirituum hic percipiendo talem motum de ſono judicat, & ex differentiis prædicti motus differentias ſoni colligit.

Motus aeris communicatur huic tunicæ, primò per menbranam, quæ tympanum dicitur, in qua rudimenta ſoni, ut ita dicam incipiunt, & quia hæc membrana neceſſitatem ſe dilatandi, & conſtringendi habebat, dedit natura tria oſſicula (incus; malleum, ſtapes) cum muſculo, & ligamento, ut prædictæ neceſſitati ſatisfaceret. Muſculus in elevatione mallei, cui inſeritur ſe contrahit, & tympanum diſtendit, in ſui diſtenſione eamdem membranam relaxat, ligamentum verò muſculi frænum eſt, ejus nimiam conſtrictionem prohibens, ne in hac nimium elevatus malleus membranam nimia diſtenſione diſrumperet.

Actio hujus muſculis eſt in volontaria, & ab affectione ſenſorii dirigitur, nam ſonus cum impetu irruens in tympanum moleſtus eſt: Hinc muſculus parum ſe contrahit, & ità laxato tympano ſenſibile vehemens ſine noxa ſuſtinet illius violentiæ cedendo, ſi ſonus ſit hæbetior, muſculus contractus magna contractione tympanum etiam multum diſtendit, ex quo motus aeris in tali tenſione ſenſibilior factus etiam ſonus, qui hæbes erat fit ſenſibilior. Idem muſculus in ſui contractione trahit totum proceſſum oſſiculorum ſcilicet incudem, & ſtapedem primam à ſuo loco dimovet, & quia huic adhæret ſtapes elevatur in tali motu, & apertum relinquit orificium labirynthi, cui inoſculatur. Dicitur Laberynthus, & quia ſpiras ad Laberynthi formam habet, in hoc Labiryntho tres annuli oſſei apparent quorum officium eſt, receptum aerem modificatum cum ſuo impetu reflectere, nam aer externus irruens in tympanum hòc movet, ab hoc membrana ſtapedis, quæ tympani fundum terminat movetur, & ab hac mota movetur aer in primo annulo, & ab iſto ille, qui in ſecundo commoratur, & ab hoc ſucceſſivè ille, qui in tertio, & in iſto progreſſu ſpirali, motus aeris interni ſemper uniformis motui aeris externi in modificatione multiplicatur, & validior fit ad nervum, vel Retinam auris movendam. Aerem pluries reflexum in Laberyntho excipit coclea ultima auris cavitas, & diffuſus per ſuas ſpiras, quæ tres numero ſunt ibi nova reflexione corroboratur, & augetur, & ulterius progrediendo tandem ad tunicam, quæ eſt expanſio nervi auditorii, & organum ſenſus auditus pervenit, hunc in ea efficiendo modo ſuperiùs dicto.

Hic ſenſus conceſſus, eſt animalibus progreſſivis, ad propriam tutellam, auditu enim poſſunt dignoſcere multa objecta ſuæ conſervationi contraria, & vitæ inſidias molientia, etiam multa quæ delectant, unde motivum habent illa fugiendi, hæc amplectendi. Homini datus eſt auditus ad ſcientias acquirendas; plùs enim ſcientiæ aquirit Homo diſcendo ab aliis per auditum, quàm propria inventione, & applicatione. Auditus autem ad ſcientias acquirendas per accidens, ut dicit Ariſtoteles confert; nam voces ſignificando ſcientiam explicant, & ſignificatio non eſt audibilis, ſed ſolus ſonus cum voce emmiſſus, qui conjunctus cum voce ſignificativa dicitur conferre ad ſcientiam acquirendam.

Organo auditus patefacto patet læſionem in hoc ſenſu eventuram qualibet parte ex dictis præfatum organum conſtituentibus vitiata.

Membrana tympani ſi nimia humiditate perfundatur, vel ſiccitate corripiatur auditum depravat, nam humido ſuperfluo laxata ſpeciebus ſonoris, vel aeris motui modificato nimis cedendo ſoni differentiam alterat, & vitiat. E contra humido præternaturaliter privata cum exceſſu ſiccitatis adeò, tenditur, ut ictus aeris reſpuet præ tenſione illis reſiſtendo, vel ſi aer motus virtutem membranæ tenſæ

tenſæ vincat, tamen nimia reſiſtentia ejuſdem motus vibrationes multiplicando interiùs, auditum confundit, quæ omnia apperte poſſunt demonſtrari in Chorio tympani bellici, quod pro ſua tenſione varios edit ſonos.

Cognoſcemus ſuperflua humiditate laxari tympanum auditorium, ſi adſit intemperies humida capitis, ſi deſtillatio patientem moleſtet, ſi præceſſerint errores in victu humido, & cauſæ extrinſecæ humectantes, ut imbres, aer nebuloſus, & ſimilia.

Pro corrigenda hac intemperie præter purgantia hydragoga, & phlegmagoga Errhina, & Apophlegmatiſma exſiccandus humor decoctione ſalviæ, Roſmarini Stæchados, Lavendulæ, & aliis ſimilibus cœphalicis, quæ ſi non ſufficiant decoctum ligni viſci quercini, & ligni ſancti erit efficaciſſimum. Inter localia laudatur ſuffummigium ex decoctione facta in vino foliorum, & Baccatum Lauri, radium ciclaminis, & enulæ, & foliorum majoranæ; origani, & hoc ſuffumigium ſeu vapor exhalans à vino per infundibulum in aurem immittatur; valet oleum ſinapis ſi mane, & veſperi gutta una in aurem inſtilletur, vel ejus loco balſamum orientale, vel oleum ligni ſancti, vel ℞. ſpir. vini ℥. 3. rad. Ciclaminis, Ariſtolochiæ Rot. hæderæ terreſtris, ellebori nig. an. ʒ. 3. infundantur in dict. ſpir. & ſtent in infuſione per aliquot dies, & de hoc inſtillentur in aurem aliquot guttæ.

A ſiccitate vitiari auditum cognoſcemus à temperie naturaliter ſicca capitis, & cauſis exſiccantibus extrinſecis præcedentibus, ut ſunt morbi longi, & præcipuè capitis intenſæ applicationes, & curæ validæ, & continuæ; emendabimus hoc vitium humectantibus, & inter principalia erit lac vaccinum, vel caprinum, ſuccus hordei, ſtillicidia capiti adhibita, cum decoctione, malvæ, violarum, lactucæ, roſarum, Nenufaris, & ſimilium localia erunt oleum amigdalarum dul. lumbric. liliorum alb.

Aer internus auditum lædet, ſi craſſitiem contraxerit à vaporibus, vel ab aere nebuloſo, qui eum in locum ingreditur, & regreditur per foramen palato correſpondens, quo obſtructo prohibetur novi aeris ingreſſus, & præexiſtens corrumpitur, vel craſſeſcit, ob receptos vapores à partibus circumpoſitis, & in hoc caſu ſentitur gravitas in aure, & articulo maxillæ, ex quo etiam habetur ratio cur aliquibus poſt cibum, & ab aere nebuloſo auditus fiat gravis, quia ab his cauſis incraſſatus aer in cavitate tympani contentus, vel à vaporibus cibi, vel à craſſitie aeris nebuloſi movetur parùm à vibrationibus externis aeris ſonori, tardèque & diminutè aerem in Laberynthi cavitatem contentum movet, cùm gravi, vel diminuto auditu. Hinc patet pro curatione hujus affectus, aerem nebuloſum eſſe fugiendum, & alimenta minimè vaporoſa eſſe aſſumenda. Pro reliquo poſſunt applicari ad diſcutiendos vapores, & aerem atrenuandum ſuperiùs præſcripta remedia pro nimia humiditate tympani corrigenda; Obſtructus meatus palati auti correſpondens aperiendus eſt, in quem finem præcipuè valent Gargariſmata, ut ℞. Rad. fœniculi, Ariſtolochiæ, Valerianæ, Veronicæ an. ℥. 5. foliorum Roſmarini, Betonicæ, Salviæ, Origani, Calaminthæ, an. pugil. 1. bulliant vaſe clauſo in ℔. 2. vini ad tertias, facta collatura adde mellis Roſati ſimplicis, Oximelis ſimplicis an. ℥. 2. frequenter utatur hoc gargariſmate, cui ſi reſiſtat morbus addendum Oximel ſquiliticum; Maſticatoria etiam ex pyretro, maſtice erunt opportuna.

Si aeri interno ſpiritus, vel vapor irrequietus, & motu continuo agitatus miſceatur, tinnitus fiet auditum depravans, cùm ab hoc motu interni aeris motus vitietur, ut aeris externi motus ſonum efficiens percipi non poſſit, prout eſt in ſe, ideòque auditus læditur, pro hoc vitio valet oleum de ſcorpionibus, ad guttas in aurem inſtillatum, ova formicarum trita per pannum colata, & liquor emanans in aures immittatur ad guttas, & hoc remedium etiam veteratum tinnitum tollit. Succus rutæ, vel aqua iſtius cocta in cortice granati idem præſtat, quod facit etiam oleo de Staſifragia, quod ſic paratur. ℞. Staſifragiæ ℥. 1. 5. coquatur in ſucco ruthæ, vel in aqua fœniculi, deindè ponatur oleum laurinum, vel nardinum, ad ℔. 5. coquantur uſque ad conſumptionem quartæ partis, poſteà coletur, & erit oleum de Staſifragia.

Spatia item auris cum auditui naturali conferant, ſi munda ſint, & aeri pervia, ſi conſpurcentur ab humoribus viſcoſis, & obſtruantur gravis ſuccedet auditus, & ſi obſtructio fuerit magna, ex toto tolletur, quia impedietur tranſitus aeri ſonoro, per ſpiras Laberynthi, & cocheæ, ut ad nervum auditorium pervenire non poſſit; unde patet detergenda eſſe dicta ſpatia ab humoribus conſpurcantibus, vel corpus obſtruens eſſe tollendum.

Obſtructo nervo auditorio fit totalis deperditio auditus, quia ſpirituum animalium influxus, à quibus audiendi actualis facultas habetur, tollitur, in quo caſu remedia interna erunt illa, quæ obſtructionem nervorum tollunt, & proponentur, ubi de apoplexia, & paralyſi.

Cognoſcemus ſurditatem à nervi auditorii obſtructione proficiſci, ſi præceſſerint morbi capitis diuturni, qui excrementitios humores poſſint colligere, ex quorum tranſmiſſione ad nervum auditorium fiat obſtructio. Exteriùs valet ſulphuris ſuffumigatio, pinguedo anguillæ collecta dum aſſatur. Aqua, quæ exit de fraxino viridi, dum comburitur, Rad. Elebori albi, ſemen. ſinapis, & Caſtoreum in ſpiritu vini, per aliquot dies infuſa, & in aurem inſtillata ſurditatem tollent, aqua ſempervivi deſtillata, & in aurem inſtillata dicitur valere in ſurditate à quacumque cauſa.

Articulatio trium oſſiculorum vitiata auditum tollit, vitiatur autem ob nimiam laxitatem ab humido introductam, quæ exſiccantibus, & reſolventibus corrigitur, vel ob nimiam ſiccitatem ligamentorum dictorum, qua horum motus impeditur, & humectantibus auferenda: cauſa verò per quam à læſa hac oſſiculorum articulatione, aboletur auditus, eſt; quia ſtapes per hanc læſionem minus aptè movetur, & minus aptè relevatur à foramine ovali Laberynthi, quod naturaliter obſidet, impediendo ingreſſum aeri moto, ex quo auditus ceſſat, vel parùm iſtius admittendo debilitatur.

Ex his colligere licet cauſam, per quam læditur auditus eſſe in hujus organo vitiato, unde parùm referr medico ſcire, in quo conſiſtat ſonus obiectum proprium auditus, an in ſpecie intentionali, vel in vibrationibus aeris, quæ præſtant, quod ſpeciebus intentionalibus tribuitur à Peripateticis, quia per hunc numquam vitiatur auditus, ſine vitio organi iſtius, & ſi quandoque à ſono violento auditus læditur ab iſto etiam organum vitiatur, vel quia dictorum oſſiculorum articulatio vel laxatur, vel tollitur, vel membrana tympani à ſua organizatione diſtrahitur, & ſic tota cura læſi auditus eſt ponenda in organi curatione, & ſecundùm læſionem, qua afficitur, remedia indagare, & perſcribere, in quo concordes ſunt omnes ſectæ.

CAPUT V.

De Senſu Odoratus.

HUjus ſenſus obiectum proprium ſunt odores, qui conſiſtunt in effluxu ſubſtantiali à ſubſtantia odoroſa emanante, & ita modificato, ut organum odoratus afficiat, & determinet, quod cum ipſo Ariſtotele eſt idem, ac ſentire.

Odorem in hoc effluxu ſubſtantiali conſiſtere, videtur determinatum fuiſſe ab Ariſtotele in ℔. problemat. ſect. 13. odorem vaporem quedam appellando, & in lib. de ſenſu, & ſenſibili cap. 5. odores ſaporibus omninò aſſimilat, & ſapores communicantur organo guſtus per intruſionem ſubſtantiæ ſapidæ, ut videbimus cap. ſequenti, unde videtur etiam dicendum, odores per ſubſtantiam corporis odori communicari, & cum corporis odoroſi odorem percipiamus illo diſtante ab organo odoratus, per effluxus fieri præſens, & communicare propriam ſubſtantiam dicto organo dicendum eſt, & ſi ibi Ariſtoteles impugnat, odores non eſſe exhalationes, nec vapores, intelligendus eſt de ſimplici vapore, & exhalatione, dum concludit aquam, & aerem patiendo ab humido incorporato cum ſicco

ſicco fieri odorem, humidum verò, & ſiccum importat ſubſtantiam, conſequenter, aqua, & aer odorus evadit per ſubſtantiam, & ſi in eodem libro appellat qualitatem, hoc accipiendum ſecundùm rationem abſtractam, per quam conſiderando ſubſtantiam coniunctam cum ſicco qualificare organum odoratus, dicimus in tali ſubſtantia eſſe qualitatem odoroſam.

Odores in tali effluxu, & halitu conſiſtere videntur confirmare ſuffitus ex thure, & aliis ſimilibus aromaticis, quorum odores per effluxum, & habitus propagari obſervamus, manifeſtatum, in vapore nubis inſtar exhalante, dum ſupra ignem iniiciuntur, & quod dicitur de iſtis, dicendum eſt etiam de omnibus corporibus odoroſis.

Non omnis halitus eſt odorum ſedes, ſed ille ſolùm, qui conſtat igne cum partibus humidis, & ſiccis coniuncto taliter inter ſe modificatis, ut valeant organum odoratus titillatione quadam afficere, ſi ſuavis ſit odor, vel vellicatione, aſperitate, & compreſſione, ſi ingratus ab iſtis particulis, ita modificatis reſultat ſubſtantia odoroſa, quæ à chymicis ſulphur, vel oleum dicitur, qua privatum Corpus, in odorem evadit, relicto toto odore in ſubſtantia oleoſa ab eo extracta, quod innuiſſe, & confirmaſſe videtur Ariſtoteles cit. lib. aſſerendo odorem generari ab humido benè incorporato cum ſicco cooperante actione caloris.

Et quia diverſam modificationem recipere poſſunt particulæ ignis, & humidi, qua diverſimodè valeant alterare organum. Hinc oriuntur diverſæ odorum ſpecies; nam corpuſcula illa modificata, vel ſunt duriora, vel molliora, & hæc mollius, vel durius fibras organi pulſando diverſam affectionem inducunt, quæ odores diverſificat.

Alia ſunt majora, vel minora, & hæc faciliùs, illa difficiliùs penetrant, & ita odor, vel intenſus, vel hæbes evadit.

Alia ſunt lævigata, & lenia, alia ſcabra, & aſpera, hæc acrius mordent, illa quaſi ſuaviendo dilabuntur.

Figura etiam corpuſculorum ad diverſitatem odorum facit: alia ſunt longiora, alia breviora, alia acuta, alia obtuſa, adde, quæ ſunt hamata, ſtriata, ſtellata, ſpinis horrida, villis hiſpida uncinis incurua, & filaminum plexu recticulata, & ob variam figuram, diverſimodam inducunt affectionem, vel coadiuvant.

Odor ſuavis conſiſtit in filaminibus tenuiſſimis, per quæ faciliùs penetrat, flexibilibus, unde ſe inſinuat, & per molitiem flexibilitati coniunctam organum titillat, & jucunditatem conciliat, ideò per concoctionem multa, vel inodora, vel mali odoris fragrantem referunt odorem, dum calore concoquente unà cum fermentatione corpuſcula ſubtiliantur, moliora fiunt humido tarefacto, & flexibilitatem acquirunt.

Odor acris, qualis in ſulphure pendet à filaminibus craſſioribus aſperis inæqualibus ſpinas repræſentantibus à quibus fibræ organi dirè vexantur, torquentur, mordentur.

Odor acutus eſt medius inter ſuavem, & acrem.

Odor fœtidus & à putridis exhalans à particulis craſſis, & ſale acculeato præditis emanat per compreſſionem, & validam vellicationem aſperam effectam ab eis in ſenſu; & hoc ratio putredinis confirmat, dum per eam particulæ omnes cujuſcumque generis turmatim exhalant, & quò craſſiores particulæ ſulphureæ redduntur, & ſalis conſortia admittunt, alii odores ab iſtis componuntur.

Odoratum exercet animal aerem odoris halitibus refertum per nares inſpirans, unde ſola animalia, quæ reſpiratione donantur, odoratus organo fruuntur.

Aer per nares attractus, & per ejus fiſtulas aſcendens, ad os cribroſum pervenit, quod multis foraminibus, quibus cribri inſtar perforatur, eum excipiens, membranam dictis foraminibus accomodatam, à membranis cerebri productam halitibus ei commixtis tamquam per lineas à dictis foràminibus ductas ferit, & movet, & ulterius progrediens mamillarem proceſsum, qui eſt expanſio nervi olfactorii afficit, vel membrana meatibus oſſis oppoſita percuſſa à dictis halitibus proceſsui mamillari, cui contigua eſt, receptum communicat motum, quo per nervum mediis etiam ſpiritibus ad ſenſum communem traducto, anima percipit ex conditione motus naturam, & differentiam odoris, & hunc proceſsum mamillarem eſse ſenſus odoratus organum communiter judicant cum Anotomicis Philoſophi, & Medici.

Aliqui tamen putant organum odoratus eſse carnem papilloſam, quæ ſub tunica interiori narium occultatur, & quamvis papillæ in homine difficulter appareant, in brutis grandioribus manifeſtantur, has papillas nervi olfactorii ingrediuntur, & halitus odori hos nervos ferientes affectionem communicare ſenſui communi volunt, unde ſenſus odoratus modo ſupradicto.

Hic ſenſus datus eſt animalibus etiam progreſſivis, ſicut viſus ad eorum conſervationem; odore enim diſtinguuntur alimentorum conditiones, an congruæ, vel incongruæ ſint animali, & ita per odorem animal determinatur ad alimentum indebitum fugiendum, & ad perſequendum debitum, ideò etiam natura propè ſenſum guſtus organum odoratus collocavit.

Suis morbis particularibus, & propriis vitiatur odoratus, qui pro ſuo actuali exercitio indigens libero tranſitu corpuſculorum odorum hic impeditur aliquando à Polypo, qui eſt excreſcentia carnis, ſimilis extremæ parti piſcis hujus nominis, & ab hac excreſcentia tranſitus dictis corpuſculis prohibetur; ſola arte, & opera manuali aufertur hæc excreſcentia.

Odores etiam quandoque alterantur à fætore putridorum humorum, ut contingit in tumore carnium fiſtulas internas narium ambientium facto ab humoribus, quos cerebrum in eas deponit, & qui putredine concepta fœtorem exhalant odores omnes mortificantem. In hoc caſu cerebri indiſpoſitio humores cumulans, & ad inferiora demittens corrigenda, tumor narium curandus, humorem fluctuantem exſiccando, fluxum digerendo.

Obſtructo nervo olfactorio omninò perit odoratus, quia hoc obſtructo nulla fit ſenſatio ab actione corporis odoroſi quod contingit etiam obſtructis foraminibus oſſis cribriformis, vel illis duræ meningis prædictis correſpondentibus ab humoribus craſſis; unde abſtergentibus, & deobſtruentibus impedimentum hoc auferendum, talia ſunt ſuccus Ciclaminis, Bethæ, Majoranæ, per nares attractus, quod facit etiam decoctio ſem. nigellæ hordei integri, in qua manna diſſolvatur; ſummæ verò efficaciæ eſt ſuffumigium factùm ex æquali portione thuris, ſulphuris vivi, & Sacchari candidi, & per nares attractum ægro undique pannis circumvoluto, ne fumus expiret.

Ex his collige, pro curatione odoratus læſi requiri ſolùm emendationem vitiorum organum infeſtantium, cui nihil confert determinatio, an odor ſit qualitas, vel ſubſtantia, an per ſolas ſpecies, vel per motum propagetur, cùm poſſint vitia organi odoratus tolli, non determinato quænam ex his ſententiis ſit vera.

CAPUT VI.

De ſenſu guſtus, & ejus morbis.

OBjectum guſtus eſt ſapor, qui conſiſtit in vi, & actione corpuſculorum, quæ organum guſtus afficere, & movere valent. Sunt talia corpuſcula ſalina, ex particulis rigidis, & inflexibilibus terræ, & aliis particulis ignis, & aquæ compoſita, quod probat modus à natura decretus pro talis ſenſus executione; non enim attingimus rerum ſolidarum ſapores, niſi dentibus conterantur, & beneficio ſalivæ; quod ergo facit ſaporem, debet eſſe talis naturæ, ut à ſaliva ſolvatur, & ſolutum ad organum guſtus penetret, ſal autem eſt diſſolubile ab humido, quale eſt illud ſalivæ, conſequenter ſalia erunt principium ſaporis. Hinc eſt, quòd ſi lingua prorſus exſiccata ſit, cibi ſolidi ſaporem vix percipimus, quia cum deſit humidum, ſapidum ſolvens ad interiores linguæ partes, ubi eſt principale organum guſtus pervenire non poteſt ſolidi ſapor. Idem etiam evenit, ſin lingua, ſi ſit nimis humida, quia humor ſuperfluus linguæ, iſtius poroſitates implens prohibet, ne ſal ſolutum eas ingrediatur, & organum guſtus afficiat. Præterquamquod à nimia humiditate retunditur ſalis activitas, & ſapor minuitur. Ex hoc etiam deducitur,

ducitur, quomodo ſaliva amaritie ſalſedine, & aciditate vitiata impediat perceptionem perfectam ſaporum, quia qualitates, quibus afficitur, valent magis movere organum guſtus, quàm illæ ſalis ſoluti ciborum.

Hæc omnia docuit Ariſtoteles in lib. de anim. textu 102. illis verbis. Nihil enim facit ſaporis ſenſum ſine humiditate, ſed habet actu, aut potentia humiditatem, ut ſal, nam & facile liquabile ipſum eſt, & colliquefactivum linguæ; Et in lib. de ſenſu, & ſenſibili omnes ſapores à terra haberi docet, & cum ſubſtantia ſapida debeat liquefieri per ipſum Ariſtotelem, debet de ſale participare dicta terra ſaporem præbens. Unde ſaporem definit eſſe paſſionem, ſeù qualitatem paſſibilem, quæ in corpore humido cauſatur à corpore ſicco liquefacto, & per actionem caloris commixto habens virtutem reducendi guſtum ex potentia, in actum guſtandi.

Affectio, quæ introducitur à ſale ſapido in organum guſtus conſiſtit in titillatione, morſu, affricatione, punctione, laceratione, & compreſſione, atque diviſione fibrarum, factis à diverſo motu, & à pulſione particularum diverſæ naturæ, unde pro varia affectione ſenſus guſtus, variæ eliciuntur ſaporum differentiæ.

Dulcis ſapor fit à particulis ſalinis mollibus, flexibilibus, & lævigatis, & nulla inæqualitate exaſperatis, quibus leni affrictu ſenſorium titillatur, & jucundus delectationis ſenſus illi imprimitur. Hinc elicitur ratio, cur per concoctionem, vel maturitatem multa dulceſcant, quia dum fit concoctio, humidum fit magis molle, & tenuè, unde rigiditas particularum ſalinarum tollitur, & mollitiem, & lenitatem acquirunt illo permixtæ, ſic vinum percolatum remanet dulce, dum partes craſſiores ſeparantur, quæ ſua rigiditate aliis commixtæ aſperas, & rigidas reddere valebant.

Sapor amarus huic opponitur, unde particulæ craſſæ, aſperæ, duræ, angulis multiplicatis inæquales duriùs vellicando, perfodiendo, & mordendo ſenſorium amaritie perfundunt. Hanc inæqualitatem, & rigiditatem inducit calor, humidi evaporationem facilitando, qua particulas rigidas relinquit, & perturbato motu agitando in ſitus inæquales particulas figit; ita mel concoctione longa fit amarum, aliquandò autem ex ſulphuris aduſtione cum ſalinis particulis uniti amarities provenit, dum à calore affatum inæqualitatem, & rigiditatem acquirit modo dicto, ita bilis amareſcit.

Sapor acris, ut ille piperis dependet à motu celeri coadiuvante configuratione particularum, quæ ſit oblonga, & teres, & acculeata cum rigiditate ſimilis configurationi, quam acculea urticarum habent, & hanc acutiem ab ignis filaminibus ſimul terreis unitis in magna copia obtinere poſſunt, quapropter acria, ut piper, calefaciunt ſummè, & dictis aculeis in ſenſorio eam videntur facere diviſionem, quam facit ignis. Hinc aquæ fortes, & Mercurius ſublimatus acredinem ſummam conſervat, dum deſtillatione, & ſublimatione tales conditiones receperunt; tollitur verò acredo, ſi aculei harum particularum humore molleſcant, vel aculei obtundantur. Sic oleum tartari, & vitrioli, quæ ſeorſim ſunt acris ſaporis commixta acredinem ammittunt, dum effervefcentia, quæ mixtionem præcedit, mutuo occurſu aculea particularum infringit, vel contorquet. Sic mercurius ſublimatus adiecto per ſublimationem novo mercurio acredinem perdit; ab additione enim novi mercurii anguli ſuarum particularum fiunt craſſiores, & obtuſiores.

Sapor ſalſus contingit, cum particulæ ſalium plurimis angulis componuntur, quorum latera ſunt etiam aculeata, quibus ſenſorium veluti incidunt, & ſalſedinem repræſentant; hinc patet, cur, quæ ſalſa non erant, coctione talia evadant, quia hanc expirat humor, qui ſpatia inter angulos implebat, & quo laterum, & angulorum acuties oblinita retundebatur.

Sapor acidus fit, cum particulæ ſalis ſunt tetrahedricæ, quæ nimirum cuſpide terreti acuta, ſubtili, & cunei inſtar conſtant, unde ſenſorium pungunt, comprimunt, & non nihil conſtringunt, & foveas, & impreſſiones, inciſiones ampliores in eo faciunt.

Auſterus fit, cum particulæ ſunt hamulis multis refertæ, unde in earum diſſolutione, & ſeparatione à ſaliva ſenſorio infiguntur, fibras ejus conttahendo, & convellendo, non aliter, ac ſi pecten, quo lana carminatur variè ſupra manus deduceretur.

Acerbus conſiſtit in eiſdem particulis hamoſis, & uncinatis, & aſperis, quorum extremitates ſunt obtuſæ, hæbetes, in craſſitie verò particulas auſteri, & acidi ſuperant, unde ſenſorium obtundunt, ejuſque poros obſtruunt, & diù infixæ illi manent, & hæ multùm terreæ ſubſtantiæ continent, ubi prædicti duo ſapores minus. Hinc magis hic ſapor ſentitur in fructibus immaturis, quia nulla eſt facta comminutio particularum internarum, ſed craſſæ exiſtunt, & coctione comminuuntur, & molleſcunt, & motus fermentationis hamuli, vel flectuntur, vel rumpuntur, & magis particulæ levigantur, unde dulcedo.

Organum guſtus eſt lingua, cujus caro eſt conditionis differentis ab omni alia carne, multis obvia poris hanc tunica obtigit multis foraminibus perfoſſa, & hæc eſt exquiſitiſſimi ſenſus, cùm multorum filaminum nervorum textura in ea appareat, itaut nulla ſit pars noſtri corporis, quæ tanta nervorum copia perfundatur, ſicut lingua, & à quarta, & quinta coniugatione cerebri diramantur; huic membranæ ſubſternitur altera interior dicta, totam linguam involuens, ab hac protuberant plures nerveæ papillæ, quæ in craſſæ ſuperioris poros latiuſculos inſeruntur, unde particulæ alimentorum diſſolutæ à ſaliva, & à motu linguæ agitatæ, & impreſſæ in nervorum ramuſculos dictos, vel in papillas has afficiunt, & nervis in ſuo principio talem communicant affectionem, ex qua ſenſus communis percipit ſapores.

Nec mirum eſſe debet, à ſolo motu, & materia modificata ſalium ſapores oriri: nam ſicuti tactus mollitiem, duritiem, & cœteras ſecundas qualitates percipit per ſolam affectionem in ejus organum inductam à varia materiæ modificatione, in qua prædictæ qualitates conſiſtunt, & cui inhærendo omnes eas explicavit Ariſtoteles, cum verè dictæ qualitates non in alio fundentur, quàm in dicta modificatione, & poſitione; ita guſtus cùm ſit proximus tactus ſenſui, & ſecundùm Ariſtotelem tactus ipſe, poterit à ſolo motu, & partium modificatione affici concurente organi ſtructura, qua ita contexitur, ut affici, & moveri poſſit à particulis, cum tali modificatione, & non ab aliis, quæ eſt ratio formalis omnia diſtinguens organa. Ideò lumen incidens in organum guſtus non alterat illud, ſicut alterat retinam, quia non eſt configuratum tali modo, ut poſſit à lumine alterati, ſicut eſt configurata retina.

Omnibus animalibus tàm perfectis, quàm imperfectis hic ſenſus datus eſt, quia ſapor eſt ſignum nutrimenti apti, vel inepti, ergo cùm omne animal nutriatur, debet habere ſenſum, quo diſcernat ſapores ſuaves, qui ſunt ſignum nutrimenti apti, & in ſuaves ſignum nutrimenti inepti, ut illud perſequatur, hæc fugiat.

Dupliciter organum guſtus lædi poteſt, primò, quando obſtruuntur nervi per ſubſtantiam linguæ diſſeminati, & impeditur in eis ſpirituum fluxus, & etiam in membranis linguam obtegentibus, tunc enim, tàm in his, quàm in nervis ſenſationis paſſio deficit, & ſaporum perceptio aboletur, unde ſivè ſapores nervos affectione alterent, ſivè papillas membranæ interioris, non variat curationem Medicus, ſed ſemper obſtructio nervorum eſt auferenda deobſtruentibus, & ſpiritoſis internis, quorum ſeriem habebimus inferiùs agendo de prohibito tranſitu per nervos, & externis, quæ conſiſtunt in collutionibus oris, & linguæ factis ex decoctione ligni ſancti, viſci quercini, foliis roſmarini, ſatuteiæ, calendulæ, ſerpilli, origani, & ſimilibus, & etiam in unctione facta cum theriaca, vel mitridato, cum ſpiritu vini Aromatizato, cum nuce moſchata, & cinamomo, & cum maſticatoriis factis ex maſtice pyretro, nuce moſchata, & cera.

Læditur guſtus, quando ab extraneis humoribus lingua, uſque ad membranam interiorem inficitur, quorum ſapores illum alimentorum alterant, & actionem eorumdem impediunt, in quo caſu purgandi iſti humores, ſi in toto redundant, vel à lingua eradicandi, & iſto-

& iſtorum malæ qualitates corrigendæ; à ſapore extraneo linguam inficiente indicabitur, quiſnam ſit humor peccans, an bilis, an pituita, an melancholia, quorum humorum qualitates, & ſapores ſuperiùs manifeſtata fuerunt, & ex data indicatione ſeligemus remedia correctioni humoris propria, & quæ pariter ſuperiùs deſcripta fuerunt, & ſic guſtus renovabitur, ſivè fiat per qualitates ſapidas, ſivè per ſubſtantiam ſalinam diſſolutam, ſivè per particulas terreas commixtas cum humido; nam vitium eſt in organo, & hoc ablato ſenſus perficitur; quod eſt illud à medicina principaliter intentum in ejus læſione.

CAPUT VII.

De organo tactus.

QUalitates omnes tangibiles primæ, & ſecundæ ſunt obiectum ſenſus tactus, de quarum natura actum fuit in prima ſectione, ut ſuperfluum ſit ea repetere.

Organum ſunt nervi, quatenus membrano medullari, & ſpiritoſa ſubſtantia conſtant, ideò cutis, membranæ omnes & caro, quia nervis ſpiritu turgentibus perfunduntur, ſentiunt, & qualitatibus tangibilibus afficiuntur; Modus, quo fit, eſt communis cum aliis ſenſibus; nam motæ fibræ nervoſæ, & ſpiritus in eis contentus, ab impulſu corpuſculorum, in quibus qualitates primæ fundantur, talis motus per ſpiritus & nervorum ſubſtantiam, principio nervorum, è quibus diramantur hæ fibræ, communicatus ſenſui communi conſignatur, & ex differentia motus, & affectionis, qualitatis diverſitatem comprehendit, idem etiam dicendum de qualitatibus ſecundis, quæ per ſolam diverſam poſitionem partium conſtituuntur, ut dictum fuit.

Morbus tactus reducitur ad dolorem, qui communiter definitur triſtis ſenſatio, de cujus cauſa decertatum ſemper fuit à Galeni ſectatoribus. Alii enim ſolutionem continui, alii violentiam qualitatum tangibilium doloris cauſam ſtatuerunt; hos ſecuti ſunt Recentiores, quia dolor percipitur à ſenſu communi, tamquam quid moleſtum organo ſenſus tactus, conſequenter dolor fit ab aliquo moleſtè afficiente organum ſenſus, ſed non poteſt affici niſi ab ejus objecto tangibili, ſicut organum viſus non afficitur, niſi ab objecto viſibili, & ſic ſolùm qualitates tangibiles improportionatæ, organo ſenſus poſſunt hunc moleſtè afficere, & dolorem cauſare. E contrà ſolutio continui non poteſt referri ad qualitates tangibiles, conſequenter hæc debet excludi à cauſa doloris, ſed exiſtimari ſolùm quid conſequens ad moleſtam ſenſationem, quæ utpotè pendens à violenta, & improportionata actione obiecti tangibilis ſolutionem continui ſemper relinquit; nec verum eſt in laceratione partis ſenſibilis facta ab ictu, à caſu, non apparere qualitatem tangibilem, quamvis extremus dolor ſentiatur, nam in dicta laceratione adeſt impetus agentis, quo pars laceratur, qui impetus eſt objectum tangibile: nam ſicuti in ſaxo ejaculato contra partem ſenſibilem, eſt ſenſibilis durities, figura ſaxi, eſt etiam ſenſibilis impetus, quo ejaculatur ſaxum, nam dolor, qui ſentitur à parte ob ſaxum ejaculatum, non provenit à duritie tantùm, nec à figura, quia ſaxum poſitum lentè ſuprà partem non efficit talem dolorem, & pars ſentiens percipit duritiem, & figuram, ſed ab impetu, qui eſt ſenſibilis à parte, & certè percipit pars percuſſa impetum, & vim corporis percutientis, tamquam quid ſenſibile; præterquamquod pars non laceratur, niſi per motum, quo una pars ab altera ſejungitur, motus verò, ut qualitas tangibilis in laceratione partis adeſt: quod motus ſit qualitas tangibilis patet, nam ſi manum admoveo ſuprà corpus, quod moveatur, percipio per tactum illud corpus moveri, & percipio per tactum moveri tardè, vel velociter.

In omni ergo dolore noſtri corporis adeſt qualitas aliqua tangibilis improportionata parti ſenſitivæ cum moleſtia, & violentia eam afficiens, & hæc qualitas poteſt ſubiectari in omnibus ſubſtantiis, quarum capax eſt noſtrum corpus, ſi dolor ſit internus, & ita dolores poſſunt provenire ab humoribus, à ſpiritibus, à flatibus, à vermibus, à calculis, à lapidibus, loquendo de cauſis dolorum internis; nam externæ ſunt quecumque tangibilia extrinſeca cum violentia corpus afficientia ſecundùm organum tactus.

Et has qualitates moleſtas pro cauſa in genere admittunt omnes ſectæ, & in curatione conveniunt etiam, anodynis, & modificantibus remediis propoſitis, pro dolorum ablatione.

Verùm quia ab eiſdem animadverſum eſt qualitates moleſtas tangibiles eſſe diverſi generis, & modum afficiendi eſſe varium, neceſſitatem cognoverunt pro hac varietate diverſa indagandi remedia, quæ eruitur etiam à partis ſenſitivæ affectæ conditione, quæ licèt ſemper ſit membrana, & nervus ejuſdem naturæ, & temperiei, in qualiber corporis parte, & ſitu reperiantur; attamen ratione horum experientia docuit varianda eſſe remedia, & cum ratione: nam & ſi natura, & temperies ſit eadem, organizatio, & textura quandoque variatur, à quibus diverſam pororum conſtitutionem nanciſcuntur penetrabilem à corpuſculis unius medicamenti, quibus vel modificatur materia doloroſa, vel additur robur parti, à quò expellitur, vel reſolvitur & ab aliis corpuſculis alterius medicamenti impenetrabilem, quapropter illa conveniunt, iſta nullius ſunt conſiderationis, & ideò ab Antiquis illa dicuntur convenire partibus qualitate ſpecifica, & occulta, quam recentiores manifeſtam reddunt modo ſupradicto.

Situs etiam eodem modo poteſt variare electionem remediorum modificantium, cum partes, quæ in ſublimiori ſitu collocatæ manent, exigant remedia volatilibus particulis referta, ut cum iſtis ſublimè ſemper petentibus deferatur totius remedii virtus; neceſſe verò eſt ſemper, ut dicta remedia vel ſint anodyna, vel modificativa acrimoniæ, ex quo ſtabilitur etiam verum Syſtema, & infallibile pro curatione dolorum in quacumque ſententia de organo tactus, nam ſive admittatur hoc eſſe totum nervum, ſive ejus membranam, ſive fibras cujuſcumque generis, ſemper inconcuſſum manet, dolorem à qualitate tangibili moleſta, & violenta provenire, & idcircò in quacumque ſententia modificantia admittenda ſunt pro curatione dolorum, ſicut anodyna univerſalia in omnibus doloribus, in quibus, cùm ob moleſtam qualitatem reperiatur ſemper contractio cum divulſione partis ſenſitivæ, hæc & ſuo calore moderato, & humido oleaginoſo diſtenſionem contrariam contractioni in partem inducunt, & cum hac divulſionem auferunt præter modificationem cauſæ moleſtantis inductam à ſua oleoſitate.

Pro indaganda diverſitate acrimoniæ attendendæ veniunt conditiones cum doloribus coniunctæ; quandoque enim cum dolore coniungitur ardor, à quo bilioſa conotatur acrimonia, quia penetrando partem huic imprimit ſuas particulas inflammabiles, quæ igneum ardorem in eis accendunt, & ſive hæ particulæ inflammabiles ſeparentur a bile proprio motu, vel à penetratione, qua ſe inſinuat in partem ſenſitivam, vel per efferveſcentiam bilis cum ſucco pancreatico, & ſive talis ardor bilis proveniat à particulis ſulphureis igneis, ſive a qualitate calida, ſive à motù valido violento, & perturbato ſupradictarum particularum, ſemper refrigerantia conveniunt, quæ hunc motum reprimant, cùm conſtent ex particulis craſſioribus, & lento motu præditis, in quas incidentes particulæ tenues, & cum motu valido, & perturbato ab hoc refrangitur, & minuitur, & qualitatem calidam poſita contrarietate frigiditatis remittit, & particulis aqueis, vel terreis frigidis mixtis cum ſulphureis diviſæ iſtæ ad invicem, & per intermediationem illarum minuitur caloris actio, vel dictæ particulæ frigidæ dictas particulas ſulphureas concentrando, vel aliunde pellendo cum earum diſgregatione virtutem illarum frangunt, & mortificant, & ſic poſita quacumque ſententia diverſimodè explicante modum agendi caloris, & frigoris ſemper refrigerantia calorem modificant, & minuunt, hæc refrigerantia aqueo humido, quo conſtant acrimoniam ſalis bilioſi mitigant, ut patet in omni ſalſo, quod per aquei mixtionem miteſcit: debet tamen præcedere ſemper bilis evacuatio; Hic non numero medicamenta refrigerantia, quia multoties fuerunt repetita, ſolùm addo, quod ſpiritus vitrioli, & nitri dulcificati refrigerantibus mixti pro bilis modificatione iſtorum actio-

nem

nem corroborant, & hæc nive etiam refrigerata, ab aliquibus in doloribus colicis exhibentur, & talia extrinſecus etiam abdomini applicantur.

Capite aflicto hac doloris ſpecie roſæ, violæ, nenupharis flores adduntur aliis refrigerantibus, quia particulis volatilibus, quibus ſcatent, & in eorum odoribus manifeſtatis, capiti magis propria videntur; eſt etiam huic proprium ſulphur anodynum vitrioli, cujus præparationem docui, & in meis Conſultationibus, & in Methodo medendi febres, & eſſentia Verbenæ parata eo modo quo ab Hoffomano in Clavi Scrodheriana paratur eſſentia Meliſſæ, quæ dictis doloribus ſumme confert: idem ſulphur vitrioli in doloribus hypocondriacis cum æſtu coniunctis mirificè valet cum decocto hederæ tereſtris à dicto Hoffomano deſcripto, & extractum ligni viſci quercini, cum oleo de Charabe, & cum ſucco malvarum condenſato.

Quandoque dolor eſt coniunctus frigori excitato ab acido melancholiæ moleſto parti ſenſitivæ, quod quocumque modo frigiditatem impertiat, recurrit doctrina ſuperiùs allata de bile, & eſt mitigandum hoc acidum aromaticis ſuperiùs repetitis frigiditatem etiam extinguentibus cum acido, quibus adiungenda alkalica etiam alibi recenſita ſed antè hæc acidus & melancholicus humor evacuandus, & etiam ſanguis mittendus, ſi doloris vehementia de inflammatione ſuſpicionem inferat; ideò pro doloribus colicis laudatur balſamum peruvianum ad ſcrupulum ſemis, vel ſcrupulum unum in vino generoſo, lignum Aloes pulverizatum, membrana nucleum nucis inveſtiens exſiccata, & pulverizata ad quantitatem pugilli in vino, vel aqua carminativa, ſal gemmæ ad quantitatem fabæ pulverizatum, & cum jure ſumptum, rad. Acori cum Theriaca, radices gentianæ ſubtiliter pulverizatæ ad ʒ. ii. in vino albo, fumaria major exſiccata, & pulverizata, & exhibita ad ʒ. I. vel ad ʒ. ii. oleum camomillæ deſtillatum zaphirini coloris, fit autem ſequenti modo: miſcetur camomilla cum Therebintina, & maceratione facta per veſicam æneam non inductam ſtamno deſtillatur, & prodit oleum coloris zaphirini; partes tres ſpiritus carminativi Sylvii, pars una ſpiritus nitri ad ℈. I. & etiam ad ʒ. v. Hæc valent etiam in omnibus doloribus inteſtinorum, in doloribus ventriculi à flatibus nihil melius oleo camomillæ ſuprafcripto, & ſpiritu carminativo Sylvii, aqua cinamomi, Theriacali elixire proprietatis, confectione Diacymini, Ambra eſt unicum ventriculi confortativum, unde & in ſubſtantia, & ejus eſſentia in profligandis flatibus eſt ſummè efficax, ſicut etiam oleum nucis moſchatæ, vel per expreſſionem, vel per deſtillationem elicitum, & hæc omnia remedia aromatica valent in dolore ventriculi, ab acido pungente.

Si verò bilis ſua corroſiva qualitate ventriculum affecerit, ea omnia ſuprafcripta acrimoniam bilis corrigentia ſunt proficua, & in doloribus Capitis ab acido valet infuſio florum tilliæ in ſpiritu vini hoc modo parati. ℞. ſpir. vini ℥. ix. florum tilliæ ℥. vi. ſtent in infuſione per quadraginta horas, poſteà abſtrahatur ſpiritus, & de hoc exhibe ʒ. I. in aqua verbenæ; eodem modo paratur etiam ſpiritus vini cum floribus Roſmarini, qui valet pari pacto in hoc affectu ſicut ſpiritus cum floribus tilliæ, & uterque opem fert odorando, & leniendo tempora, & ſuturas cranii. Si hoc acidum fuerit mixtum viſcido pituitæ perterebrantem reddit dolorem, quia viſciditate fortiter adhæret parti ſenſitivæ, unde acidum intimè magis, quaſi terebellum partem penetrat, & in hoc caſu ſalia lixivialia abſtergentia miſcenda dictis, hac ratione puto ſal geminæ colicam tollere abſtergendo, & abradendo humorem tenaciter inteſtino adhærentem, ita lacerans dolor ab hoc acido, ſed puro provenit, unde eadem remedia expoſcit. Ad dolores ab acido reducuntur illi hæmorroydum, nam ab hoc fixatur ſanguis in iſtis impedito motu circulationis, quare venæ diſtenduntur, & à diſtenſione, & ab acido ſanguinis pungente dolores atrociſſimi pro quibus tollendis valet pulvis Antimonii ʒ. ii. ermodactilorum ℥. iii. boli armenæ ʒ. I. miſce applicentur hæmorroydibus cum cottone quoties egeritur, balſamum ſulphuris; urina, in qua bulierit urtica, cinis teſtudinis uſtæ in olla clauſa inſperſus ſupra hæmorroydes priùs vino albo lotas, ſuffumigium pulveris corticorum pinearum, ermodactili cum butyro ad unguenti formam redacti, quo hæmorroydes illiniantur, cati nucum pulverizati, & bibiti in vino per novem dies hæmorroydes ſanant, quod facit etiam tota herba Chelidoniæ minoris ſi cum ovis, & farina miſceatur, ut frixa edatur per novem dies, pulvis gallæ ſuper hæmorroydes inſperſus, & quando fuerit exſiccatus vino generoſo tepido ablutus, & alius de novo inſpergatur.

Dolores in qualibet parte poſſunt fieri rodentes, & obſcuræ currentes, ut loquitur Le-boe, & ſalſum humorem manifeſtant, cujus remedia alibi propoſuimus. Dolores podagrici fiunt à bile, & pituita, vel limpha acida exaltata in ſuis qualitatibus à ſanguine ſegregatis, & in articulorum ligamenta depoſitatis, ubi effervеſcendo calorem in parte excitant; dolorem impertiuntur qualitatibus acribus membranoſa ligamenta, vellicando, pungendo, & rodendo. Hanc ſententiam videtur expreſſiſſe Hippocrates in lib. de Affec. num. 31. his verbis. Hic morbus à bile fit, & pituita, cùm commota in articulos incubuerint. Commotio conotat ſegregationem utriuſque humoris; hos effervеſcere colligitur ex eodem Hipp. loco citato num. 32. ubi ait. Eſt quidem hic morbus ſanguinis in venis à bile, & pituita corrupti. Corruptio enim importat præcedentem effervеſcentiam in humoribus, & patet ex toffis in articulis relictis à podagra.

Pro curatione podagræ proponam remedium, quod componitur modo ſupradicto de lue Gallica cum Antimonio, & pumice, vice lignorum infundendo in aqua Radices Centaureæ min. Gentianæ, Ariſtolochiæ rotundæ, herbes cent. min. Iveart. Chamedrios, ad quantitatem ℥. I. pro quacumque uſus eſt idem, ac propoſitus loco cit. per viginti dies ſummatur vere, & autumno, præcedente ſanguinis miſſione, & leni purgatione.

Diſtendens dolor flatus pro cauſa habet, qui ſemper elevantur à materia craſſa, quæ, ut plurimum, eſt pituita, & ab agente calido attenuante, quod Recentiores volunt eſſe bilem. Humores priùs evacuandi, & poſteà diſcutientibus utendum eſt, ut ſunt ſpiritus carminativi de Le-boe, cum aqua cinamomi, vel Theriacali, Elixir proprietatis, extractum Baccarum juniperi, aqua vitæ aromatizata cum Aromatibus, oleum aniſi, macis gariofil. exteriùs applicetur emplaſtrum carminativum ejuſdem de Le-boe.

CAPUT VIII.

De ſenſibus internis, & primò de ſomno, & vigilia.

POſt tractatum de ſenſibus externis illum de ſomno, & vigilia annectimus, quia hæ duæ paſſiones animalis ad facultatem ſenſitivam reducuntur, ut probat Ariſtoteles in lib. de ſom. & vig. ex eo, quod hæ affectiones ad invicem privativè opponuntur, ſicut ſanitas, & ægritudo, viſus, & cœcitas, & ſicuti hæ dicuntur de eodem obiecto, ita vigilia, & ſomnus de eadem facultate debent prædicari, & habentes nos certitudinem animal vigilare, quia ſentit objecta exteriora, vel motus cauſatos intra organa ab obiectis exterioribus, & ab anima perceptos, cogimur aſſentiri huic veritati, vigiliam eſſe affectionem facultatis ſenſitivæ, & etiam ſomnum, ratione oppoſitionis privativæ idem ſubjectum connotantis.

Unde cùm ſomnus, & vigilia ſub una facultate ſenſitiva comprehendantur, ſicuti ſenſus non ſunt, nec ſolius corporis, nec ſolius animæ paſſiones, ſed totius, ita ſomnus, & vigilia erit paſſio totius.

Ad naturam utriuſque paſſionis deſcriptæ indagandum oportet illi reflectere, quæ magis per ſe nota eſt; ab hac enim lumen mutuabimur, ad naturam minus notæ percipiendam. Magis autem nota eſt nobis natura vigiliæ, cùm certo ſciamus in hac ſenſus omnes operari, obiecta ſenſibilia cujuſcumque generis nos percipere, earumque proprietates diſtinguere, quòd perfici non poteſt niſi ſpiritus animales in cerebro copiosè congregentur, & per nervos defluant eoſque repleant, & diſtendant, quia tunc organa ſenſus à motu obiecti ſenſibilis proprii mota, non poſſunt ab hoc dicti ſpiritus contenti in

ti in eis non agitari, & in undulationes quaſdam moveri, quæ translatæ ad ſedem ſenſus communis per ſpirituum ſubſtantiam ſemper undulationibus dictis per partem poſt partem motam in hac imprimunt illum motum modificatum, quo percipit obiectum ejuſque proprietates diſtinguit, prout fuſius explicatum fuit de ſenſu in genere, & ex hoc ſine errore colligimus, vigiliam eſſe abundantiam ſpirituum animalium in cerebro, cum eorumdem affluxu, per totum genus nervoſum, ſenſuum proprium organum, & quo mediante quælibet objecta nervi patiendo percipiunt ſi ab his moveantur, & ita cum Platone, Ariſtotele, & Galeno univerſa Philoſophorum, & Medicorum Schola ſentit, ſuſtinens, vigiliam eſſe ſolutionem ſenſuum externorum, ſeù energiam, vel motum ſpiritus, vel facultatis ſenſitivæ à primò ſenſorio ad ſenſus externos.

Er cùm ab Ariſtotele determinatum fuerit vigiliam opponi ſomno, ſi illa eſt ſenſuum ſolutio, hic erit ſenſuum ligamentum, & in hoc convenerunt omnes medici etiam Recentiores ſomni naturam determinantes per ceſſationem naturalem ſenſus communis, & primi, ac ſenſuum externorum, ſalutis animalis gratia factam.

Oportet in ſomno omnes ſenſus, & etiam communem ligari; nam ſi aliquis ſenſus eſſet ſolutus, ex perceptione objecti proprii animal diceretur vigilare, & ſi eſſent ligati ſenſus externi, & ſenſus communis eſſet ſolutus, hic percipiendo motum externorum modo ſupradicto, objecta etiam diſtingueret, & animal eſſet in vigilia non in ſomno conſtitutum; quapropter neceſſe eſt in ſomno, tam ſenſus externos; quàm ſenſum internum communem eſſe ligatum, & utroſque ceſſare à motu, & quieſcere, & ab hac veritate manu ducimur ad alteram cognoſcendam, nempè ſedem ſomni eſſe in cerebro, in quo adeſt ſedes ſenſus communis, & principium motus nervorum ſenſibus externis inſervientium, rejecta Ariſtotelis ſententia ſub patrocinio Philoſophorum, & Medicorum Antiquorum, & Recentiorum ſtabilientium ſedem ſomni eſſe cor.

Et quando dicimus ſenſum communem eſſe ligatum, intelligimus quò ad paſſiones ſenſuum externorum percipiendas: nam aliæ operationes à ſenſu communi exercentur in ſomno, ut patet in ſomniis, & etiam in ſomnambulis, in nullo verò ex his caſibus percipit ſenſus communis paſſiones ſenſuum externorum, itaut poſſit dici diſtinguere verè obiecta ſenſibilia, & de eorum qualitatibus judicare; nam ſomnambuli vocati non audiunt; puncti, & excuſi niſi cum vehementia ſentiunt, nec ab odoratis alterantur. Operatur verò immaginatio in ſomnambulis, ſeque circa appræhenſionem & executionem, quia ei repræſentatur phantaſma rei agendæ, in quam immaginatio fortiter intendit, hinc quærit media ad hoc agendum, & perficit, quia in hoc non indiget ope ſenſuum, quia verò horum paſſiones non poteſt attingere, niſi horum organa moveantur cum communicatione talis motus organo ſuo, & animali dormiente non moventur organa ſenſus, prout requiritur ad movendum ſenſum communem, ob paupertatem ſpirituum, & laxitatem nervorum, ideò ſenſus communis non poteſt percipere obiecta ſenſibilia. Præterquamquod conceſſo ſenſum communem eſſe idem cum immaginatione, licet in hoc diſtinguere diverſos percipiendi modos, itaut modus percipiendi objecta ſenſibilia ſit diverſus à modo verſandi circa phantaſmata, & ita poteſt impediri, & ligari imaginatio ſecundùm primum modum, non circa ſecundum, ulteriùs poteſt ſenſus communis diſtingui ab imaginatione, illi convenit perceptio ſenſibilium, huic ſomniorum efficientia, & illo ligato fit ſomnus libera iſta manente in ſuis operationibus.

Cauſam etiam ſomni determinare poſſumus dependenter à cauſa vigiliarum, quæ eſt abundantia ſpirituum animalium in cerebro, & horum copioſus affluxus in nervos à quo replentur, turgent, & diſtenduntur, idcitcò vera cauſa ſomni erit ſpirituum in cerebro, & nervis defectus, cum horum detumeſcentia, & laxitate prout obſervamus in ſomnolentis, quibus genua labuntur, corpus modò in unam modò in alteram flectitur partem, caput nutat, palpebræ concidunt, & comprobatum manet à fine ſomni, qui ab omnibus ſtatuitur, reparatio ſpiritus animalis in vigilia deperditi; neceſſe eſt ergo, quod ſomnum præcedat diminutio ſpirituum, & ab hac concilietur, ut poſſit fieri neceſſaria reparatio pro ſalute, & conſervatione animalis.

Modus quo à ſpirituum paucitate fit ſomnus, explicatur reflectendo cerebrum in vigilia ſucco nervoſo, & ſpiritu turgere ejuſque poroſitates his impleri, cum dilatatione, & plenitudine, ideò etiam ſpiritus per omnes nervos ſenſuum exteriorum in copia extenduntur ab hac energiam, & motum acquirentes, ex eo quod in magna mole ſpiritoſæ ſubſtantiæ unitim conglomeratæ præmunt ſe ad invicem particulæ conſtituentes dictam maſſam, & cùm ſint multæ particulæ prementes ob copiam, multas eriam movent, à quibus motus fit validus cum impetu, & energia.

Contrario modo diſcurrendum eſt de ſomno, in hoc concurrit detumeſcentia cerebri, & ſuarum poroſitatum exinanitio, per quam concidunt eorum latera ad mutuum contactum, cum obſtructione ſui orificii; nam ſicuti à plenitudine dilatabantur, ab exinanitione debent reſtringi per concidentiam, & ita per hanc ita obſtruuntur, ut ſpiritus niſi valido motu uniti poſſint obſtructionem dictam vincere, attollendo latera poroſitatum depreſſa, ſed quia ob ſpirituum paucitatem motus validus in eis deficit, dicta obſtructio perſeverat, & ſpiritus in poroſitate obſtructa incluſus otiatur, quia ob eamdem paucitatem inter ſe ita adaptantur, ut ſint contigui, ſed ſe non premant, & ex preſſionis defectu, ſequitur quies, & ab hac vinculum ſenſuum externorum, & etiam ſenſus interni.

Hæc contingunt in ſubſtantia medullari, cerebri nam in corticali apertæ ſunt poroſitates hujus à ſero illo ſpiritoſo ab arteriis in ea depoſitato, quod motu ſuorum ſpirituum poroſitates etiam depreſſas aperit, & in ſuas glandulas ſe inſinuat, ubi in ſuccum nervoſum, & ſpiritum animalem præparatur, quo peracto, hic per ſubſtantiam cerebri medullarem paulatim ſe inſinuat, ſed obſtructiones non reſerat, niſi quando in copia colligitur, à qua vim nanciſcitur ad peragendum dictum opus, & ſi in obſtructas poroſitates ſua tenuitate dilabitur, id exequendo in pauciſſima copia paulatim, & leni motu otiantibus ſpiritibus ſe adiungit, ſine preſſione tamen, ad aucta verò paulatim à novo concurſu ſpirituum copia, motus preſſionis ſequitur, & otiantes ſpiritus excitantur, motuque valido ad eorum officia revocantur, ab eodem reſeratis undique obſtructionibus, unde vigilia, & quia hoc opus indiget multo tempore ideò ſomnus ad multas horas prolongatur, & ſi ſuccedat vapores, vel à cibo, vel à ſero ſpiritoſo in ſubſtantia corticali cerebri exundante ingredi ſubſtantiam medullarem hujus, prout eſt probabile ſemper fieri, poroſitates obſtruit magis, & ſomnus ultra tempus debitum protrahitur, donec extra poroſitates obſtructas coacervetur tanta ſpirituum copia, à qua vim ſuſcipiant ad vapores, & ſeroſitatem expellendam, & ad latera depreſſa poroſitatum attolenda, vel intra eas tanta ſit, introducta, ut poſſit perficere, quod ſuperiùs dictum fuit, per medios enim vapores particulæ ſpiritoſæ poſſit ingredi, ſed per majora intervalla, & in minori copia, unde ſufficiens ad præſtandum dictum effectum non poteſt colligi, niſi in longiori temporis ſpatio cum ſomni protractione.

Ex quo colligitur primo tempore vigiliarum paucos ſpiritus animales generari, quia tunc cerebrum turget nervoſo ſucco, & poroſitates ejus impletæ non admittunt ſerum ab arteriis in corticalem ſubſtantiam expoſitum, ſed à venis unà cum ſanguine abſorbetur, & ſi recipiunt in pauca quantitate, id faciunt.

Secundò ſalvari etiam ſententiam Ariſtotelis, & Medicorum aliquorum ſomnum ab obſtructione cerebri à vaporibus alimentorum aſſumptorum peracta pendere, & ſi admittatur à vaporibus ſeri ſpiritoſi id fieri, parum refert, nam ſemper ſunt vapores, qui obſtruunt, & materia, à qua elevantur non importat diſcrepantiam in explicatione naturæ ſomni, præterquamquod ſerum illud eſt portio alimentorum; etſi univerſaliter ſententia Ariſtotelis non ſit vera, cum cœnam reſpuentes dormiant

æquè

æquè benè, ac cœnantes, unde ſomnus in his non poteſt dici pendere à vaporibus alimenti, ſemper tamen adeſt obſtructio inducta à concidentia poroſitatum, quæ ſola exquiritur pro cauſa immediata ſomni, & ad conſtituendum vinculum omnium ſenſuum, nihil referente, an obſtructio dicta fiat à vaporibus, vel à ſubſidentia poroſitatum, quia data obſtructione ſequitur quies ſpirituum, & ſomnus, quamvis ſemper poſſint admitti illi à ſero ſpiritoſo ſupeditati.

Juxta hanc methodum diſcurrendum de ſomno præter naturam, qui pro cauſa poteſt habere, & ſpirituum inopiam, & conſumptionem, & obſtructionem poroſitatum.

Prima cauſa apparet ſæpiſſimè in febribus verè malignis per diſſolutionem ſanguinis, coniungentem ſecum diſſipationem ſpirituum, unde ſtatim apparet, etiam præceps virium lapſus, cum pulſus parvitate, imbecilitate, & inæqualitate, & in hoc caſu eſt maximus error veſicantia ægro applicare, quia tunc nulla eſt neceſſitas revulſionis hoc ſymptomate non emanante ab humore, ſed à mera ſpirituum defficientia, quæ magis inducitur à dolore veſicantium, & à ſale corrodente cantharidum intra corpus penetrante, & major committitur ab eis ſanguinem mittentibus à venis frontis, vel temporum, vel naſi, cum majori ſpirituum reſolutioni hæc conſerant; In parte affecta, & in hoc caſu maxima inſurgit difficultas, ſi curam ad Symptoma dirigamus; nam ſomnus non poteſt corrigi, niſi per aromatica, & ſale, & ſulphure acri & ſpiritoſo donata, quæ majorem ſanguini diſſolutionem inferunt, ex quo judico melius eſſe febri incumbere, contenti pro Symptomatis correctione ſolis extrinſecis Aromaticis, nari temporibus, & ſuturis cranii applicatis à quibus portio ſpirituum in cerebro poteſt parari.

Ab obſtructione meatuum cerebri humore hos penetrante, fit ſomnolentia morboſa, impedito motu ſpirituum modo ſupradicto de concidentia dictorum meatuum, & impedita etiam copioſa ſpirituum generatione, obſtructionem patientibus poris, qui recipiunt ſerum ſpiritoſum, intra cerebri glandulas, quod cohæret obſervationi pluries factæ, in diſſectione extinctorum, per lethargum, in quibus reperti fuerunt gyri, & circumvolutiones corticis cerebri ſero exundantes.

Ab hac obſtructione fiunt coma, lethargus, & Carus, in Comate obſtructio eſt minor admittens majorem copiam ſeri ſpiritoſi, & ſpirituum intra meatus obſtructos, quam in lethargo, & Caro, ideò vi excitati à ſomno ad interrogata reſpondent, & per aliquod tempus vigilant, ſed breve, poſtquod in ſomnum relabuntur, memoria rerum in hoc affectu conſervatur, & delirium adeſt unde definitur ſomnus gravis cum delirio, febris quandoque cum hoc affectu conjungitur, quandoque non, ex quo deducitur febrem non eſſe de ejus eſſentia, delirii cauſa eſt eadem paucitas ſpirituum, per quam non ſimul cohærent in ea parte ubi Phantaſmata rerum aſſervantur, ſed hùc, & illùc diſcurrentes varia ſuſcitant phantaſmata minimè inter ſe cohærentia, quibus applicata phantaſia dependenter ab illis ſuas efformans apprehenſiones, errat, inconvenientia, & abſurda uniendo, cum delirio, hac ratione obſervamus debilitatos à fluxu copioſo ſanguinis, & ventris delirare. Præterquamquod in illo profundo ſomno multæ rerum imagines phantaſiæ repræſentantur, velut in inſomniis, quas tamquam veras apprehendit, licèt à recta ratione, & veritate alienas; unde delirium ſi enim quis inſomnium omninò abſurdum, inconveniens, & uniens, quæ repugnant naturæ rerum, & rationi, pro vero aſſirmaret, diceremus verè delirare, ita ſomnolenti delirant in aſſerendis pro veris imagines abſurdas, & rationi contrariantes, quas in illo profundo ſomno apprehendit phantaſia.

Letharghus, qui eſt inexpugnabilis ad ſomnum propenſio, commitata a ſomno gravi, & profundo, cum delirio, oblivione, & febre lenta, ab eadem obſtructione proficiſcitur, ſed majori, cùm ſomnus ſit magis profundus, quàm in Comate, delirium à ſupradicta cauſa excitatur, oblivio oſtendit humorem obſtruentem dilabi circa partem ſedem ſenſus communis, ubi rerum imagines, ſpecies phantaſmata reſervantur, ſeù potiùs ubi fibræ ſunt modificatæ ope ſpirituum, vel ſenſus communis organi, ad normam obiecti jam apprehenſi, itaut huic ſint aptæ repræſentare objectum idem, etiam abſens, ſi ſuo motu ſedem ſenſus communis afficiant; nam ab humore ad hanc partem perveniente tollitur hæc modificatio, & cum hac memoria.

Febrem voluerunt multi ex Antiquis fieri à putredine ſecundùm aliquam partem humorem obſtruentem apprehendente, quæ opinio à Platero impugnata fuit, & hunc ſecutus eſt Sennertus, & determinarunt febrem uniti cum læthargo, ſed ſine dependentia unius ab alio, itaut Læthargus ab humore obſtruente meatus cerebri pendeat, febris ab humore putreſcente in alia parte, & horum veſtigia ſequuntur Recentiores.

Carus eſt ſomnus profundus, & tantus, ut etiam puncti excitari nequeunt, licèt obſcuræ ſenſationis ſignum, partis punctæ retractione, aut contractione exhibeant, a quibus deducitur obſtructionem in meatibus cerebri factam eſſe majorem, quàm in Coma, & læthargo, quia ſomnus eſt magis profundus, quam in his, & colligitur eſſe affectionem appopleſiæ propinquam, ab hac tamen differentem per ſenſationem, quæ in appoplexia non adeſt.

Omnes ſectæ in has cauſas affectuum ſoporoſorum conveniunt, aliqui addunt qualitatem occultam narcoticam figentem ſpiritus, à qua ſomnus gravis inducitur, & hanc volunt reſidere in humoribus intra corpus genitis, eo modo, quo reſidet in opio. Mihi tamen videtur poſſe qualitatem hanc ad manifeſtam reduci dato humore obſtruente meatus cerebri, & impediente tranſitum ſpirituum ad organa ſenſuum, unde ſomnus. Opium poſſumus dicere ſuis particulis dictos meatus obſtruere, & ſi præter obſtructionem admittamus etiam, humorem per cerebrum diffuſum ſua craſſitie irretire ſpiritus, vel mixtione eos enervare, & torpidos reddere magis notam faciemus qualitatem narcoticam, & hac ratione poſſumus aſſerere opium ſui olei abundantia, ſpiritus inviſcare, & motu privare, quæ peragit etiam vini copia multitudine ſuarum evaporationum, vel ſuo ſpiritu has ab excalefacto ſanguine in capite copioſè ſuſcitando, vel ſua tenuitate inſervire pro vehiculo ſeroſis, & craſſiuſculis particulis humorum ad penetrandos cerebri meatus obſtructionem in iſtis pariendo, à qua ſomnus. Ex horum conſideratione poſſumus ulteriùs progredi indagando quantum veritatis inſit in ſententia Le-boe admittente bilem pro cauſa ſomni præternaturalis, ſi multo oleo vel ſulphure fuerit referta.

Eiſdem remediis horum omnium affectuum curatio perficitur nempè caſtoreo rutha, majorana, Raphano ſylveſtri, Scylla, Sinapi, Peoniæ Rad. ſerpentariæ, & aliis hujuſmodi infuſis in aceto, donec tincturam horum extraxerit, & de hac exhibeantur cochlearia cum paucis guttis ſpiritus cornu cervi, & olei charabe, eodem remedio inungantur tempora ſuturæ cranii, & naribus odoranda, quia narcoticorum nil fœlicius virtutem enervat, & extinguit, quàm acetum, Veſicantia, cucurbiculæ, venæ ſectio præcipuè venæ jugularis, Clyſteres acres, ſternutatoria conveniunt.

His ſtabilitis de ſomno præternaturali, ſtatim, & diſtinctè vigiliæ præternaturalis cauſam intelligimus eſſe ſpiritus animales, in continuo motu, & expanſione confirmatos, ad illuſtranda organa ſenſuum externorum, & his conditionibus vitiari poſſunt ſolùm à materia eis admixta motu perturbato & violento donata, qualis eſt intensè calida, ratione ſuæ naturæ, ut bilis multis particulis igneis ditata, vel ratione aduſtionis, ut atra bilis, quæ præter calorem ſibi adiungit acrimoniam, qua ſpiritibus infenſa ſuam admixtionem pacificè non patiuntur, imò eam renuendo continuo motu agitantur, ut eam expellant; ideò in febribus ardentibus, in quibus bilis peccat, & in maniacis, ubi atra bilis dominatur, vigiliæ continuæ obſervantur, & facile eſt iſtis humoribus cum dictis qualitatibus, ſpiritus continuæ expanſioni condemnari, dum unà cum iſtis in ſua officina volatilitatem, & ſubtilitatem, motus perturbationem augentem adipiſcuntur, & perenni fluxu ſpiritibus miſcentur aperto aditu in cerebri penetralia à proprii motus violen-

violentia, & ſubſtantiæ acrimonia, per quæ ſecum trahunt ſuccum ſpiritoſum, quo continua reparatione reficiuntur deperditi ſpiritus, ſed hujus beneficium corrumpit irritantis, & perturbantis humoris mixtio, citiſſimè ſubminiſtratum ſubſidium continua vigilia diſſipantis, & ex hoc deducitur ratio per quam intelligitur quomodo aliqui vigilias per tempus longum ſuſtinere potuerint, & quomodo vigilias ſequitur debilitas.

Ad extinctionem hujus exitialis ſymptomatis patet calidum humorem eſſe refrigerandum, & ejus acrimoniam tollendam, quod exequuntur omnia ſummè refrigerantia, & Narcotica qualitate prædita, à qua motus ille perturbatus cohibetur.

Ad vigiliam præternaturalem reducitur etiam Coma vigil, quo affecti propenſionem retinent ad ſomnum, ſed hoc frui non eſt datum cum magna moleſtia, unde vigilare coguntur, cujus cauſa eſt, ſpirituum paucitas ſibi coniungens materiam vitiatam in motu perturbato, & acrimonia, nam à ſpirituum paucitate fit propenſio ad ſomnum, ſivè hæc à deficiente parte ſpiritoſa in ſanguine, ſivè ab obſtructione non permittente ingreſſum materiæ ſpiritoſæ in corticali cerebri ſubſtantia, proveniat.

Vigilia verò provenit à cauſa ſupradicta paucos illos ſpiritus in continuo motu detinente, & verſus organa ſenſuum externorum impelente, cum expanſione, quam ferre poſſunt, unde remediis refrigerantibus, & modificantibus pro hujus cauſæ ablatione unienda, quæ obſtructionem tollunt, vel ſpiritus reparant.

CAPUT IX.

De ſenſu interno, & ejus læſione.

PEr ſenſum internum intelligo ſenſum communem, phantaſiam, ſeù imaginationem; eſt enim unica facultas, quæ ſenſibilia diſtinguit, & eadem contemplatur, ſed ſecundùm modum percipiendi diverſa, quatenus enim percipit obiecta ſenſibilia per ſenſus, dicitur ſenſus communis, quatenus verò phantaſmata, quæ ſunt obiectorum ſenſibilium imagines, contemplatur, & iſtis obiectorum naturam percipit, dicitur imaginatio, de qua hìc eſt ſermo, cum hujus læſiones à Medico ſint maximè conſiderabiles.

Hæc eſt potentia media inter ſenſum, & intellectum, quia operatio imaginationis non fit, niſi præceſſerit operatio ſenſus, & opinio, quæ eſt operatio intellectus non fit niſi præceſſerit operatio phantaſiæ imaginationis.

Imaginatio per motum exercet ſuas operationes, eodem enim modo fit operatio imaginationis, quo fit ſenſus, cum illa fiat per phantaſmata corporea, & ſicuti dum ſentimus ſenſus interni moventur ab obiectis ſenſibilibus, ſic dum imaginamur, imaginatio movetur à quibuſdam imaginibus apparentibus, quæ vocantur phantaſmata; hæc ſicuti animam ſenſitivam movere poſſunt, ita poſſunt huic exhibere imaginem ſui intentionaliter, eo modo, quo obiecta externa movendo ſenſus externos, illis imprimunt, vel exhibent imaginem ſui, & quia phantaſmata ſunt imagines obiectorum externorum exhibendo ſui imaginem animæ, exhibent cum hac imaginem obiectorum externorum, & per hanc exhibitionem, ſeu repræſentationem, vel obiectionem ſuæ imaginis in motu ſolùm conſiſtentem, quo movetur ſedes imaginationis anima hunc motum percipiendo videt, vel percipit, naturam obiectorum, quæ per phantaſmata repræſentantur, etiamſi non ſint præſentia ſenſibus, quia dicta phantaſmata ſunt imagines obiectorum, & hæc repræſentant animæ eo modo quo repreſentantur per eorum præſentiam; hac ratione imaginatio dicitur intellectus imperfectus, quia percipimus per hanc obiecta etiam non præſentia, ſicut per intellectum.

Phantaſmata, ut alibi docui nihil aliud ſunt, quam fibræ cerebri modificatæ à motu organi ſenſus communis ab obiectis externis moti, per quem motus iſtorum traducitur mediante dicto organo indictas fibras, & ita diſponuntur per hunc, ut quoticſcumque ſe moverint verſus organum ſenſus communis, hoc afficiant eodem motu, à quo affectum fuit ab obiecto externo, & ita percipit ſenſus communis illud obiectum, eodem modo quo percœpit, quando motum illius per nervos percœpit. Quapropter fibra illa taliter modificata dicitur eſſe imago obiecti, ad cujus motum fuit modificata, & ſenſus communis ab his phantaſmatibus motus, eorumque contemplationis inhærens, dicitur imaginationis actus exercere.

Senſus communis proprio inſtinctu quædam ſibi format phantaſmata ad imitationem eorum, quæ ab obiectis ſenſibilibus efformata fuerunt, non aliter niſi diſponendo fibras aliquas motu ſui organi cum tali modificatione, ut ſi moveantur verſus dictum organum ſuo impulſu in illud, repræſentent illi tale obiectum à ſenſu communi ſibi propoſitum, in modificatione illius fibræ.

Motus ſenſibilium organis ſenſuum impreſſus quandoque alteratur ab aliqua paſſione corporis, vel animi, cum ſenſus communis deceptione, itaut ea quæ percipit videantur ei eſſe quod non ſunt, propter parvam ſimilitudinem, quam habent cum talibus rebus, quod patet in eis motu, perturbatis quibus omnia occurrentia videntur eſſe hoſtes, licèt minimam habeant cum hoſte ſimilitudinem. Sic amore perturbati quemlibet credunt eſſe perſonam, quam amant, & quo major eſt perturbatio paſſionis major eſt etiam deceptio, & ob has paſſiones poteſt etiam ſenſus communis in phantaſmatibus à ſe ipſo efformatis varia irrationabilia coniungere. Idem etiam poteſt evenire in morbis, unde qui febri laborant, & humores maximè perturbatos habent facillimè decipiuntur, ideoque ſæpè videntur ſibi videre quædam animalia in pariete, quia in pariete apparent, quædam lineæ habentes maximam ſimilitudinem, cum talibus animalibus; ſic unum famulum V. G. pro alio homine accipiunt, & geſtus alicujus, diformes à modo ſecundum, quem efficiuntur comprehendunt, & apprehenſiones hæ ſi non corrigantur ab intellectu, vincimur ab imaginatione, & opinamur videre obiecta, quæ verè non videmus.

Ab aliqua paſſione in ſenſuum organis relicta à ſenſibili obiecto decipitur ſenſus communis in aliorum obiectorum perceptione, ut evenit quando poſt fixum aſpectum per aliquod tempus corporis, quod movetur rapidiſſimè, hunc convertimus ad alia corpora, quæ licèt quieſcentia moveri videntur, niſi ob motum relictum in organo viſus ab obiecto rapidè ſe movente antea inſpecto.

Spiritus ad formationem phantaſmatum, ſeu modificationem fibrarum cerebri concurrunt, dum moto organo ſenſus communis à ſenſibilibus obiectis, ab eodem moventur ſpiritus proximi, eadem modificatione motus, quo determinatum fuit organum prædictum, qui impulſi in fibras cerebri has modificant ad regulam dicti motus, at eveniente ſpiritus eſſe paucos, & ad motum lentos, & impulſum organi ſenſus communis non eſſe validum, modificatio evadit parva, & in aliquibus diminuta, vel deficiens. E contra ſi motus dicti organi fuerit validus, & ſpiritus craſſi, &, ut ita dicam, duri, modificationem diſtinctam, & profundam fibris imprimunt, quæ ſuo appulſu in organum ſenſus communis diſtinctam repræſentationem ejus, cujus ſunt imagines in eo pariunt, ſicuti confuſam, quando modificatio eſt debilis, & alterata, quando eſt diminuta; & ſpiritus fuerint turbati in ſuo motu ab aliqua paſſione, vel apprehenſione illum organi receptum ſincerè non imprimunt fibris, ſed aliquam modificationem iſtis addunt correſpondentem illi paſſioni, vel apprehenſioni; unde contingit, quod impulſa fibra in organum ſenſus communis huic repræſentet obiectum cujus eſt imago, ſed cum paſſione, vel apprehenſione.

Quod evenit ab alteratione ſpirituum circa motum organi verſus fibras poteſt evenire circa motum fibrarum verſus organum, itaut hic alteratus repreſentet organo quid diverſum, vel coniunctum cum obiecto repræſentato; quod non debet eſſe ei coniunctum.

Poteſt etiam ſuccedere alteratio circa perceptionem obiecti ſenſibilis dependenter à ſpiritibus in nervis contentis, & organo ſenſuum; ſi ſint inordinati in ſuo motu, vel huic reſiſtant, vel parum moveantur, & undulationes

lationes ſuſcipiant interruptas, per quas obiecti imaginem in ſuo eſſe alteratam deferunt ſenſui communi. Organa etiam ſenſuum poſſunt affici à motu ſpirituum alteratorum in ſua ſubſtantia, in his introducendo aliquam paſſionem, quæ delata ad ſenſum communem percipit aliquod, quod non eſt.

Hæc phantaſmata alterata ſi ſenſus communis contempletur juxtà alterationem ſuſceptam, error accidit in imaginatione, niſi intellectus advertendo repræſentatum per dictam alterationem eſſe inconveniens, & præter rationem, illud corrigat, prout explicavi in meis Conſultationibus.

Ab his deducitur ratio ſatis clara ſymptomatum læſæ imaginationis, vertigo in qua imaginamur obiecta viſibilia circumrotari, quamvis immobilia permaneant, pendet à circumrotatione ſpirituum degentium intra nervos opticos, & ſubſtantiam cerebri, per quam motus externorum viſibilium tranſit, & circa imaginationis ſedem. Hi enim ſpiritus undulationes à motu viſibilium impreſſas retinent, ſed cum circumrotatione à cauſa morbifica inducta. Hinc eſt quod motus objectorum externorum viſibilium intra cerebrum introductus, & deductus ad ſedem ſenſus communis hanc afficiendo motu dicto repræſentat iſti obiecta, & quia eodem tempore huic motui unitur motus rerum circumrotantium unitim, hi duo motus eumdem ſenſum communem afficiunt, & hic percipit obiecta circumrotari.

Hujus circumrotationis ſpirituum cauſam triplicem habemus, extraneum quoddam in ſuo motu perturbatum ſpiritibus mixtum, & turbationem, & tumultus, cum vorticibus in eis inducens. Hoc modo aqua vitæ, copioſum vinum, vapores à bilioſa materia in ventriculo exiſtente, elevati, vel ab hypocondriis æſtuantibus tranſmiſſi, vel ab utero, vertiginoſum affectum pariunt; ſicut etiam copioſus fluxus ſanguinis ad caput motu perturbato ſuorum ſpirituum calidorum ſpiritus animales vertiginoſo motu agitat.

Altera cauſa eſt obſtructio aliquorum meatuum cerebri à qua impedito tranſitu ſpirituum hi retrocedunt aliquo impetu, eo modo quo pila muro alliſa, & retrocedendo obvios ſpiritus agitant, & perturbant, cum tumultu, & circumrotatione.

Tertia cauſa eſt ſpirituum paucitas, per quam inter ſe diſcontinuati inordinatè etiam, & nullo moderatore vecti, ſed propria inclinatione ducti hùc illùc vagantur, cum motu ad circularem tendente, ideò animi deliquio ingruente vertigo oritur, quia ſanguine à cerebro unà cum ſpiritu avocato, in membranis cerebri minuitur motus excitatus, vel ſaltem coadiuvatus à pulſatione arteriarum membranis affixarum, & cum hoc motu minuitur preſſio ſubſtantiæ cerebri, qua ſpiritus, & ſuccus nervoſus recta via per meatus cerebri in nervos impellitur, & in hujus diminutione ſpiritus ſuæ obtemperant inclinationi hùc, illùc diſcurrendo, & obvios alios ſpiritus agitant circulariter; eadem eſt ratio, cur poſt labores magnos, & ſanguinis fluxum copioſum, & in ædiam vertigo ſuccedit. Ab inædia tamen poteſt fieri ex eo quod fibræ nervoſæ ventriculi per inædiam ſucco nutritio deſtitutæ corrugantur, & in motus ſpaſmadicos erumpunt inordinationem inſpirantes ſpiritus intra fibras dictas contentos, quæ ſucceſſivè ſpiritibus in cerebro imprimitur, cum motu perturbato, & circulari, & hæc cauſa ad extraneum ſaltem, quo ad motum ſpiritibus commixtum, poteſt reduci. Iſtæ cauſæ antecedentes deſignabunt differentiam vertiginis.

Pro curatione extraneum eſt à ſpiritibus arcendum, & diſſipandum, quod faciunt omnes ſpiritus volatiles ſolo etiam odore, & intus aſſumpti cum aquis antiepilepticis, vel antiparalipticis, & præcipuè tilliæ, & peoniæ, & Theriachæ & ſic eis admiſceatur aliqnid Nepenthes, vel triphera Magna cum opio eodem tempore inordinatus motus ſpirituum moderabitur.

Obſtructio tolletur cum decoctis ex cœphalicis, additis eiſdem ſpiritibus, unà cum caſtoreo tinctura Antimonii, & Bezoartico lunari.

Spirituum paucitati cum aromaticis occurrendum, inter quæ primum locum tenet aqua magnanimitatis, ſpiritus vini aromatizatus cum ligno Aloes; nuce moſchata, gallia moſchata, Ambra, Cinamomo, & Gariofilis, idem præſtat aqua vitæ Matthioli, Elixir proprietatis, ſpecies diambre, Aromatici, Roſati, pulvis viperinus, & aqua antipopletica deſcribenda capite ſequenti, quæ omnia remedia antecellit.

Modus, quo fit affectus melancholicus ab eiſdem præmiſſis percipitur, eſt enim natura hujus affectus angor animi cum fixa imaginatione coniunctus, cum timore, & mærore ſine cauſa manifeſta.

Fixa imaginatio fit, dum phantaſmata, ſeù fibræ modificatæ cerebri repræſentativæ obiecti triſtis, circa quod verſatur imaginatio cum animi angore, continuò impelluntur verſus ſedem ſenſus communis, huic obiectum triſtè dicto impulſu continua repreſentatione proponendo, & determinando ad fixam contemplationem ejuſdem obiecti, movens fibras prædictas ſunt ſpiritus, qui ob continuam obiecti triſtis imaginationem continuo fluxu ad dictas fibras repræſentativas dicti obiecti concurrunt, itaut ob dilatatam viam à tali continuo fluxu etiam non advertente anima ad dictas fibras ducuntur, pro primo motu à triſtitia obiecti percepta in ejus contemplatione ſpiritus animales contracti & ad motum tardum redacti, & peculiari modificatione ſecundùm hunc donati in pauca quantitate ad nervos fluunt cordis, & oris ventriculi languorem, & paſſionem quamdam triſtem in his efficiendo (omnes enim paſſiones animæ his partibus corporis communicantur mediis ſpiritibus, & nervis, ut experientia propria unuſquiſque poteſt comprehendere) quæ per motum nervorum reflexa in cerebrum cum motione, & affectione organi ſenſus communis, percipit paſſionem triſtem harum partium, cum recordatione obiecti triſtis ab obiecto triſti laceſſita appetitum ſenſitivum excitat ad invenienda remedia pro evitando damno, vel periculo apprehenſo in obiecto triſti, & in remedii inveſtigatione ſemper habet præſens obiectum acquirendo velut habitum in hujus contemplatione perſeverante unà cum concepti mali idea.

In obiecto imaginato adeſt error, & falſitas aliquando, & tamen tamquam verum exiſtimatur à patiente, quia ejus idea concepta fuit, vel urgente animi paſſione, à qua additum fuit aliquod non proprium illius obiecti, dum ſenſus communis percipiendo aliquod obiectum à ſenſibus repræſentatum ob ſimilitudinem licet parvam quam habet cum alio hoc, pro illo percipit, vel utrumque ſimul unitum, vel aliquam proprietatem propriam iſtius alteri adaptat, & hoc modo percipiendo obiectum, phantaſma etiam ad hujus ideam efformat, ſeu fibras cerebri ſuo motu ita modificat, ut valeant impulſæ in organum ſenſus communis repræſentare obiectum, cum dictis conditionibus minimè convenientibus, & quia per ſenſus percepit, obiectum tale exiſtimat patiens, & de ejus veritate non dubitat, intermiſſa reflexione, & advertentia, quod prædictæ conditiones non ſint propriæ ejuſdem obiecti, vel ſint abſurdæ, & earum unio cum tali obiecto ſit contra rationem, & multò magis eorumdem obiectorum unio.

Intermittitur advertentia debita, & reflexio ob turbationem, & confuſionem ſenſus communis, per quam non perpendit convenientiam, vel diſconvenientiam dictarum conditionum cum obiecto (percipere enim obiectum à ſenſibus repræſentatum, vel à phantaſmatibus & illud in iſtis contemplari, & de eo juditium imaginativum ferre, ſunt diverſi modi tendendi in obiectum, proprii ſenſus communis, ſeu phantaſiæ, & imaginationis cui ſuum ineſt juditium, cùm videamus animalia unum potiùs cibum eligere, quàm aliud, dum unum judicatur magis conveniens ſuæ naturæ) turbatur, & confunditur ſenſus communis à paſſione, & moleſtia ſequente, eo modo, quo in magno timore, & doloribus magnis anima turbatur continua repræſentatione obiecti triſtis imaginationem fixam patientis & ab eadem trahitur à contemplatione convenientiæ vel diſconvenientiæ dictarum conditionum cum obiecto imaginato, unde juditium præbet juxta repræſentationem à ſenſibus, vel phantaſmatibus factam dictum errorem includentem.

Turbatur

Turbatur etiam, & confunditur phantaſia à ſpirituum animalium depravatione contracta à ſanguine melancholico contribuente dictis ſpiritibus aciditatem craſſitiem, & opacitatem tamquam qualitates dictis humoris proprias, & imaginatio pro contemplatione diſtincta objectorum indiget ſpirituum tenuitate, & luciditate ex obſervatione, quod poſſidentes has conditiones in ſpiritibus, objecta imaginata diſtinctè contemplando errores circa ea contingentes corrigant citiſſimè, unde ſpirituum opacitas, & craſſities contemplationem turbando, vel impediendo erit cauſa, ut precipitetur judicium de objecto, cum affirmatione eorum quæ cum eo repræſentantur rationi repugnantium.

Ab aciditate ſpirituum continuus motus conſervatur (cum acidæ particulæ minimè cum aliis ſpiritoſis cohereant, ideò etiam continuo motu agitantur) varias rerum imagines continuo fluxu imaginationi offerens, à quibus confuſa, non advertit contemplationi objecti, ſed judicium præcipitat ſenſibus non correctis adhærendo.

Poteſt etiam ſequi inadvertentia prædicta imaginationis, ex eo quod tam diſtinctè, & clarè repreſentetur illud objectium cum ſuis diſconvenientiis, ut de eis dubitare error cenſeatur, & in claritate perceptionis, judicium anticipatum profert, dependenter à ſola ſenſuum, vel phantaſmatum impreſſione diſconvenienti. Hanc claritatem objecti percepti ſuſcipit imaginatio à motu diſtincto, & valido, quo fibræ modificatæ movent organum ſenſus communis, & fibræ hunc motum habent à ſpiritibus, qui craſſitie ſua fortiùs impellunt fibras, impetum addente acido eis mixto.

Idem dicendum de objectis alteratis à ſenſibus alteratis, vel de idæis, quæ imaginationi offeruntur à paſſione introducta in organo ſenſus à ſpirituum, vel humorum actione ſine objecto externo. Sic qui tibicines in cubiculo habere aſſerebat, hos verè non audiebat, ſed in organo auditus à ſpiritibus, vel vaporibus talis motio imprimebatur æquans illam à tuba ſonora excitatam, & hanc repreſentationem falſam non corigebat ex relatione adſtantium aſſerentium tibicines nullo modo adeſſe. Sic in oculo aliquando fit talis motio, per quam videtur videri quod non eſt, vel corpus videtur ſub tali figura, vel cum quibuſdam lineamentis, quæ ob ſimilitudinem cum aliquo, ſenſus communis objectum diferens ab eo, quod eſt, in ſe percipit, & cum alia organi conſtitutione tali modo accomodata, aliquod objecto conveniens proprium, & exiſtens in eo non percipit, vel ex aliquo parvo ſigno comprehendit quod non eſt, quæ omnia ſi non corrigantur per examen ſincerum convenientiæ, vel diſconvenientiæ proprium imaginationis, falſæ perceptiones tamquam veræ efformantur.

Aliquando imaginatio phantaſmata ſibi efformat, in horum contemplatione delectatur, delectando ſigitur magis in tali contemplatione, itaut continuò præſens tale phantaſma ſibi faciat, ab aſſidua præſentia fit habitus in contemplatione, ex hoc habitu effectus vehemens oritur circa objectum repræſentatum etiam falſum, ſed per habitum tàm clarè repræſentatum, ut hac claritate cum affectu conjuncta credatur eſſe verum, & ab affectione extorquatur à voluntate, & ab intellectu aſſenſus ad veritatem non exiſtentem objecti confirmandam, & hoc modo puto fieri illas falſas imaginationes credentium, ſe eſſe Principes, Pontifices, & divitiis abundare, & à ſola affectione objecti imaginati cogi intellectum ad aſſerendum illius exiſtentiam. Colligitur ex hoc, quòd rationibus convicti, de falſitate objecti illis nulla adequata reſponſione ſolutis imaginati; attamen in eadem credulitate pertinaces conſervantur delectationem infundente, & quia amant illud objectum falſum, ac ſi eſſet verum, illud pro tali credere volunt.

Cauſa timoris, & mæroris videtur rectè axplicari per depreſſionem ad contractionem animæ ſenſitivæ, hoc eſt ſpirituum corporeorum ab opinione, vel certitudine mali præſentis pendentem. In hac depreſſione ſpirituum horum debita quantitas non ſuminiſtratur partibus, unde dicitur anima ſenſitivà decurtari, quod idem eſt ac ſpiritus animales minui, ſicuti in lætitia, ac gaudio, dicitur anima ſenſitiva dilatari, quia ſpiritus animales in ea expanduntur, & in hoc ſtatu anima ex innatis ideis noſcens eſſentiam timoris eſſe ſpirituum animalium depreſſionem, & contractionem, paſſionem timoris concipit, à timore mœror ſtatim proficiſcitur, & hæ paſſiones dicuntur morboſæ, quia adveniunt ſine cauſa extrinſeca, & ſine reali præſentia objecti mali.

Depreſſio ſpirituum fit à vaporibus craſſis elevatis ab humore melancholico intra vaſa cerebri exiſtente, & mixtis cum ſpiritibus animalibus, à quorum craſſitie opprimuntur, & contrahuntur, quod puto etiam contingere à tenebris, per quas ſpiritus animales debili motu agitantur non aliter, ac quando à cauſa morbifica ſunt oppreſſi, vel contracti, & hoc deducitur, ex eo quod in luce ſuo motu ſpiritus exhilarante, & attenuante timor in tenebris conceptus evaneſcit, quapropter antiqui hunc timorem in melancholia explicarunt exemplo puerorum in tenebris ambulantium cum maximo timore, quaſi cennotare voluerint in timore ſpiritus eſſe in tali ſtatu, in quo ponuntur à tenebris, vel à privatione lucis, quod eſt idem à nobis explicatum pro indaganda cauſa timoris.

Tota cura melancholici affectus erit in moderatione melancholiæ ſecundùm aciditatem, & craſſitiem, deindè in ejuſdem purgatione, & quia humorem melancholicum purgantia ſunt ſatis nota, hæc prætereo, & præparantia ſolùm exponam, in quibus eſt major difficultas, & quorum ope hic affectus contumax ſolet eradicari. Talia remedia ſunt omnia cœphalica ſimplicia, & etiam aromatica, & ſale volatili prædita toties in hoc opere repetita; ab iſtis enim mirum in modum aciditas, & craſſities humoris melancholici corrigitur non contradicentibus Antiquorum præceptis, & inter alia valet jus galli antiqui, in cujus ventre poſita fuerint lignum viſcum quercinum, ſalſa, radix valerianæ, angelicæ, imperatoriæ, ſcorzoneræ, & gentianæ, & folia roſmarini, calaminthæ, origani, camedrios, & raſura cornu cervi; Valent etiam ſpecies diambræ lætificantis Galeni, utraque Antidotus aqua theriachalis, quinta eſſentia roſmarini, oleum gariofilorum, macis, citri, extractum calami aromatici, cinamomi, ambræ, lapis Bexoar, qui à Zacuto pro inſigni remedio proponitur, pulvis viperinus.

Si verò calor cum melancholico humore conjungatur, refrigerantia cum ſupradictis ſunt miſcenda, ut ſerum lactis, & aquæ refrigerantis, & balneum aquæ dulcis eſt exercendum.

Melancholia hypocondriaca, quo ad eſſentiam, & effectum eodem modo explicatur, & ſola differentia conſideratur, quæ in hoc conſiſtit, quòd melancholia hypocondriaca originem habet in hypocondriis latentem, melancholia verò à capite malè affecto, illa ferè ſemper à frigida cauſa, hæc à ſolida. Remedia pro melancholia hypocondriaca pluribus in locis ſuperiùs propoſita fuerunt, ubi egimus de facultate naturali.

CAPUT X.

De rationis, & memoriæ læſione.

Operationes intellectus ſunt intellectio, diviſio, & compoſitio, ex quibus deducitur affirmatio, vel negatio.

Intelligit intellectus per phanteſmata ab imaginatione antè efformata, & repræſentativa objectorum ſenſibilium, dum ea contemplando intellectione percipit eorum naturam, & proprietates magis clarè, & diſtinctè, quàm imaginatio, & circa hæc operatur aliquod, quod non operatur imaginatio; nam cum phantaſmata ſint materialia, & objectum cum materia repræſentent, imaginatio unà cum aliis proprietatibus objecti materiam etiam percipit, intellectus verò abſtrahit omne intelligibile objecti à materia, & illud contemplando intelligit, & pro hoc exequendo indiget phantaſmate, cum non poſſit intelligere intelligibilia, niſi abſtrahendo à ſenſibus, & à materia, & niſi hæc cognoſcat per phantaſma, non poteſt intelligibilia abſtrahere derelinquendo ſenſibilia. Idcircò phantaſmatibus ſemper indiget intellectus, itaut, quando vult ſpeculari independenter ab imaginatione, formet ſibi phantaſma. Hinc rectè dicebat Ariſtoteles phantaſmata ſe habere ad intellectum ſicut ſenſibilia ſe habent ad ſenſum, & ſicut hic movetur

vetur à ſenſibilibus, ſic intellectus movetur à phantaſmatibus, & ſicuti à motu diſtincto, & valido ſenſibilium ſenſus diſtinctè magis attingit ſenſibilia, ſic intellectus per motum phantaſmatum diſtinctum, & validum clarè, & diſtinctè percipit omnia intelligibilia à phantaſmatibus repræſentata, è contra ſicuti ſenſus per motum debilem, confuſum, vel alteratum ſenſibilium, hæc confusè, & indiſtinctè, & cum errore attingit, eodem modo intellectus per motum phantaſmatum debilem, confuſum, inordinatum confusè, & cum errore percipiet intelligibilia, & ſicuti ſenſus communis ex inadvertentia non corrigit ſenſuum externorum errores, & ex præjuditio antea concepto aliquando novos errores illis adjungit, vel repræſentatos confirmat; ita intellectus ex inadvertentia phantaſmatum fallaciam confirmat, & impoſſibilium, vel irrationabilium unionem per ea repræſentatam affirmat, & præjudiciis conceptis deceptus intelligibilia iſtorum connexione deformat, vel vi præjudicii ſeparando ab intelligilibus, quod eis eſt proprium, hæc prout ſunt in ſe cum maximo errore, & delirio non percipit.

Ex his facilè intelligemus, quomodo in febribus ardentibus fiat delirium, conſideranda à particulis calidis per excedentem æſtum, & fermentationem exhalantibus à ſanguine per cerebrum circulante, ſpiritibuſque mixtis hos ita turbari, & agitari, ut plura phantaſmata inordinato motu, & perturbato moveantur unitim, intellectus à dicto motu, & unione decipitur intelligendo conjunctum cum objecto repræſentato, quod debet eſſe disiunctum, & per motum perturbatum percipiendo aliter, ac eſt in ſe, & ex inadvertentia emanante à prædicta ſpirituum turbatione, à qua anima, ut ita dicam, inquietudinem angitur, & alterat ſuum judicium afferendo pro vero, quod eſt falſum, & pro falſo, quod eſt verum.

Hanc ſpirituum agitationem, & turbationem ſatis manifeſtè oſtendunt furor, & vires ſupra ordinariam conditionem elevatæ, quibus irritos reddunt plurium hominum conatus laborantes in detinendo delirantes cum furore, qui funes etiam benè compactos lacerant non alia ratione, niſi quia ſpiritus agitati cum vi, & impetu nervos tendunt, & muſculos inflant, & ex tali impetu, tenſione, & turgeſcentia viribus augmentum confertur.

Non diſſimili modò fit mania, quæ eſt læſa imaginatio cum furore ſine febre, quatenus enim eſt læſa imaginatio, ei competunt omnia ſuperiùs dicta de melancholia, ratione furoris ei ſunt applicanda ſupradicta, de ſpirituum agitatione, quæ proficiſcitur non à febrili æſtu, ſed à materia melancholica aduſta volatilizata cujus mixtio cum ſpiritibus turbationem iſtis infert, tàm ratione volatilitatis, quàm ratione conditionis extraneæ, & alienæ à familiari, & quieto conſortio cum ſpiritibus; unde hi tales hoſpites expellere conantur cum ſui agitatione, & iſti ſuo motu irrequieto hos turbant, & ex utroque oritur tanta perturbatio, quæ furorem gignit.

Enarratæ cauſæ communem habent aſſenſum, dum per has explicatur modus delirii, eo modo quo explicari poteſt, Ab his cauſis colligitur curatio, quæ perficitur per moderationem effervеſcentiæ innordinatæ, & agitationis ſpirituum, quod præſtabit ſanguinis miſſio, & ea omnia, quæ bilem moderant ſuperiùs deſcripta in Cap. de bile, addendo aliqua cephalica frigida, & ceſſato delirio corroborandi ſpiritus animales remediis cephalicis in hoc tractatu deſcriptis.

Modum læſionis memoriæ deſcripſi in meis conſultationibus, unde ne repetam, quæ dixi, lectorem ad eum locum remitto, & cùm ſit communis cum modo, quo Antiqui explicant, eamdem læſionem ab iſtis non debet reici, à nimio enim humido, & ſicco volunt memoriam lædi, & Recentiores eaſdem qualitates modo ſuo admittunt, quatenus plicaturas fibrularum cerebri factas à motu objectorum externorum, & à parte, in qua reſidet ſenſus communis, & in qua volunt conſiſtere memoriam, concedunt tolli, vel minui, vel à nimio ſicco, vel à nimio humido, & per modificationem utriuſque remitti; unde trita apud antiquos remedia ſunt à Recentioribus recepta, nec aliquid novi pro re memoriæ reſtitutione in iſtis video, unde à remediis ab Antiquis deſcriptis non eſt diſcedendum.

CAPUT XI.

De facultate loco motiva.

MOtus hic conſideratur, qui eſt proprius animalis, & eſt merè localis, ideòque poteſt cum Ariſtotele definiri tertio phiſ. cap. 2. actus entis in potentia prout in potentia, & ſenſus eſt, quòd motus eſt actus imperfectus, ut ordinetur ad actum ulteriorem ideòque eſt actus ſubjecti, quod eſt in potentia ad actum ulteriorem non quomodocumque ſed in quantum eſt in potentia ad actum ulteriorem cum motus ex eo ipſo, quia eſt actus imperfectus, adeòque ordinatus ad ulteriorem actum poſtulat ſubjectum exiſtens in potentia ad talem actum ulteriorem.

Facultatis motivæ organa illius eſſentiam conſtituentia, quatenus corpus reſpicit, tria ſunt, nerus, muſculus, & ſpiritus animalis & arterioſus, quibus omnibus ad naturæ leges modulatis motus voluntarius rectè perficitur aliquo verò ex iſtis à naturali regula deflectentibus; Motus ſit vel diminutus, vel depravatus, vel aboletur.

Principale organum motus eſt muſculus fibris carnoſis intertextus, hiſce miſcentur fibræ nervoſæ, & tendinoſæ, hæ paulatim ſibi adhærentes in unum faſciculum chordæ inſtar colligantur, qui tendo dicitur, & inſeritur oſſi partis movendæ actione muſculi, cujus eſt tendo, vel tendo oritur immediatè ab Oſſe, & poſtea in multas fibras diramatur per ſubſtantiam muſculi.

Fibræ nervoſæ à nervo, quæ ut plurimum in capite muſculi implantantur, progrediuntur, & per ſubſtantiam muſculi diſſeminantur, & in tendinem etiam inſeruntur, arteriis, & venis undique intertexitur.

A nervis ſpiritum animalem recipit, ab Arteriis ſpiritum vitalem, vel ſanguinem arterioſum pro nutritione, & effervеſcentia, de qua mox, ejuſque pars reſidua per venas ad ſuum fontem nempè cor reducitur.

Caro ei eſt donata, quæ fibras munit robur & reſiſtentiam tribuendo, membrana circumveſtitur partim ad firmitudinem, & ad integumentum, partim ut muſculi diſtinguantur à ſe invicem, & à vicinis partibus ſeparentur.

Muſculus tres habet partes, caput, ubi nervus inſeritur, medium ſeu ventrem, & eſt craſſior, & carnoſior, ejus pars, finem, ſeu caudam, & eſt tendo, qui parti movendæ adnectitur.

In muſculo adeſt virtus elaſtica nempè in ſuis membranis & funiculis, quod conſpicuum fit ex eo, quòd ſi tendantur, & dilatentur, ſe ſe in ſtatum naturalem reſtituunt. Huc uſque unanimes ſunt, & Antiquorum, & Recentiorum ſententiæ, quæ in determinando modo, quo muſculus motum voluntarium peragit, variæ ſunt.

Nam aliqui ſunt pro facultatibus à Galeno inventis, & aſſerunt, motum peragi à facultate motiva muſculum contrahente, hujus ſententiæ ſectatores obſervando muſculos non agere, niſi ſe contrahendo, & contractionem eſſe cum duritie, & inflatione ipſius muſculi, & hujuſmodi inflationem non ſolùm haberi, ſed neque concipi poſſe ſine adventu alicujus coporis, cùm moles muſculi augeri, & inflari non poſſit à facultate omninò incorporea, quæ nullam magnitudinem habet, nec rationem quantitatis obtinet, unde nihil conferre poteſt ad magnitudinis augmentum, quod acquirunt muſculi per ſui contrationem, & inflationem; pro hujus difficultatis ſubterfugio, ſtatuerunt muſculos inflari poſſe per rarefactionem partium in muſculo contentarum, peractam à ſimplici motu facultatis incorporeæ, cùm motus habeat poſſe rarefacere.

Facultatem incorpoream alii à cauſa motus excluſerunt, & materialem, corporeamque cauſam aſſignarunt nempè ſanguinem, quem crediderunt muſculos inflare, dum in copia ex arteriis in eos immittitur, itaut per ſociam venam effluere, & elabi non poſſit non ſecus ac penè contingit.

Alii voluerunt eſſe cor cauſam motus, ex eo quòd ſit primum mobile in corpore animalis; unde cum indefeſſo motu pulſet, & ſanguinem magna vi effundat per arterias in omnes partes, ſi veloci immiſſione, & inſinua-

inſinuatione ſanguis intra poroſitates muſculorum impellatur, itaut ab iſtius particulis, tamquam acculeis inflentur muſculi, & contrahantur, tunc fit motus.

Has omnes ſententias recenſet, & acutè reicit Alphonſus Borellus in ſuo ſecundo Tomo de motu animalium, ubi reicit etiam muſculos non inflari, & contrahi vitali motu à ſanguine violenter immiſſo, aut ab aeris compreſſione, aut ab ipſomet pondere ſanguinis eodem modo, ac funes madidi contrahuntur.

Non fieri ab aeris compreſſione ſanguinem immittente in muſculos convincitur ab experientia; nam in vacuo Torricelliano multa animalia clauſa diù moventur extracto à machina aere, aut ad inſignem raritatem redacto, quapropter non poteſt ſua preſſione ibidem non exiſtente, ſanguinem intra muſculos preſſione pellendo eos inflare, & contrahere, & conſequenter non deberent fieri motus illi convulſivi, tàm violenti, quales patitur animal in dicta machina extracto aere.

Nec experimentum funis madidæ poteſt adaptari contractioni muſculorum à ſanguine irrigatorum, quia funis tunc inflatur, & decurtatur, quando omnes ejus internæ partes madidæ ſunt, graciléſcit verò, relaxatur, elongaturque quando eſt omninò aridus, & humiditate aquea privatus. E contra muſculus, quando maximè ſanguine irrigatur inſtar ſpongiæ, tunc relaxatur, molleſcit, & elongatur, tenditur, contrahiturque ejecto, & expulſo ſanguine, ut patet in corde, & in reliquis muſculis, qui albicantes, & pallidi ſunt, quando contrahuntur rubicundi, quando relaxantur, imò ſi ſcalpello cutis muſculi laxi ſecetur, copioſè ſanguinem emmittet, & contrarium evenit in muſculo turgido, præterquamquod, cùm continuò ſanguis ab Arteriis in muſculos transfundatur continuò deberent eſſe contracti. Ulteriùs ſi ſanguis vi cunei inflat muſculos, ut aqua funem, remanet ſemper maxima difficultas, quomodo relaxentur, & detumeſcant, debent autem tolli cuneoli illi ſanguinei intra poros fibrarum muſculorum exiſtentes, & hoc non poteſt fieri momento, licèt momento detumeſcant.

Aliorum ſententiis refutatis idem Author ſuam exponit ſententiam, & vult cum univerſa ſchola medica, omnes muſculos moveri imperio voluntatis in cerebro reſidentis, & ab hoc per nervos inſtrumenta motus ad partem movendam aliquid tranſmitti, & quia inflatio durities, & contractio non fit in viis, per quas diffunditur, & ubi exiſtit motiva facultas nempè in nervis ipſis, ſed extra ipſos, ſcilicet in muſculis, conſequenter ſubſtantia, aut facultas à nervis tranſmiſſa per ſe ſumpta non eſt ſufficiens inflationem illam efficiendam, ſed neceſſe eſt, ut aliquid adjungatur, quod in ipſis muſculis reperiatur, vel aliunde ſubminiſtretur, & ex harum ſubſtantiarum mixtione conſurgat quid ſimile fermentationi, aut ebulitioni, quæ ſubitaneam illam in muſculo inflationem producat. Ex diverſarum ſubſtantiarum mixtione ebulitionem fieri docent Chymici affundendo ſuper oleum Tartari ſpiritum vitrioli, & miſcendo acida cum alkalicis.

Hoc poſito inquirit author quodnam ſit illud quod per nervos immittitur, qua vi, & modo impellatur, & per quos canales, & ut hoc clarè explicet, indagat ſtructuram fibrarum nervoſarum, & ait nervum eſſe faſciculum ſeu capillamentum ex pluribus fibroſis filis compoſitum, & membrana colligatum, unaquæque fibra cava eſſe poteſt, ut vaſa ſanguinea, licèt ſolida, & repleta appareat, ob noſtri viſus habetudinem, & cùm non ſit impoſſibile fibras nerveas eſſe cavas, multò faciliùs concedere poſſumus eſſe tubulos repletos ſubſtantia quadam ſpongioſa, & madida ſimili medullæ ſambuci virentis, & cannæ indicæ, & huic afferto probabilitas conciliatur ex eo, quod nerveæ fibræ nedum molles flexibiles, lubricæ, & madidæ ſemper ſunt, ſed etiam quia nutrimentum humidum admittunt, & ſorbent, atque ex eis ſuccus extillat, quæ omnes proprietates requirunt poroſitates ſpongioſas à ſucco aliquo irrigatas, cùm ergo fibræ nerveæ ſecundùm ſuas poroſitates humore turgeant per quamcumque lenem compreſſionem, aut motionem factam in principiis fibrarum nervearum in cerebro exiſtentium, neceſſe eſt, ut ipſæ fibræ concuſſæ, & motæ inſtillent guttas aliquas illius ſucci, quo turgent ſpongioſæ cavitates earumdem fibrarum intra muſculorum carneam molem; ad hujus enim expreſſionem vis aliqua concuſſiva requiritur licèt orificia fibrarum ſint aperta textura; tamen earum ſpongioſa valvularum officium ſupplet, itaut non exprimatur humor contentus niſi concutiantur fibræ, ſic à ſpongia madida guttulæ etiam pendulæ aquæ non exeunt niſi comprimatur; quomodo verò ſpiritus animales imperio voluntatis dirigantur ad movendos, & concutiendos determinatos nervos pro expulſione ſucci nervei in muſculos ad motus efficientiam, nobis non advertentibus, ſentit id fieri ex habitu per frequentatos actus à ſpiritibus acquiſito ad ſe movendos in tali neceſſitate, & occaſione, & in tali corporis, & ſenſus affectione verſus tales determinatos nervos.

Succo nerveo à nervis in muſculos extillato vult miſceri ſanguinem ab arteriis in fibras, & carnes muſculoſas copioſè demandatum & ex horum mixtione effervescentiam, & ebullitionem excitari per quam inflatio muſculorum, & motus exequitur, & in hujus aſſerti comprobationem experimentum adducit de ſanguine à vena extracto, cui ſi adhuc calenti miſceatur ſpiritus vini, cornu cervi, fuliginis, mira ebulitio, & effervescentia exoritur; unde cùm habeamus ſuccum nerveum eſſe ſummè ſpiritoſum ſalinæ, & volatilis naturæ, & ſanguinem ſalibus alkalicis abundare, ut patet ex guſtu, & ex unione cum eo materiæ urinoſæ alkalici ſalis fecundæ, ut experimenta chymica docent, non eſt improbabile imò valdè rationale ex mixtione ſucci nervei cum ſanguine calente neceſſariò debere ſequi effervescentiam, & ebullitionem in ſubſtantia muſculorum ubi miſcentur, & ab hac ebullitione neceſſe etiam eſt inflationem, duritiem, & contractionem muſculorum oriri, & tamdiù iſtæ paſſiones durant quamdiù cauſa diſploſionis, & ebullitionis, quæ eſt inſtillatio ſucci nervei, perdurat, qua ceſſante diſſipatur, & languet muſculi turgeſcentia, & licèt non conſpiciamus prædictam ebullitionem; effectus tamen in muſculis productus inflationis, & indurationis illam nobis perſuadent, cùm videamus etiam chymicorum vaſa occluſa, intra quæ liquorum effervescentia fit frangi, & ova, & caſtaneæ in igne copioſo crepare, & diſſilire ex eo, quod intra eorum ventres fiat grandis ebullitio, licèt oculis non appareat, & quamvis videamus abſciſſo capite teſtudinis, & alicujus inſecti, & avulſo corde è ranis, anguillis, & viperis diu perſeverare motum in muſculis eorum, per hoc non eſt dicendum motum muſculorum non pendere à ſucco nerveo à capite tranſmiſſo ad muſculos, & à ſanguine per arterias in eoſdem transfuſo, quia talis motus muſculorum in prædictis animalibus poteſt haberi ab effervescentia poſthuma abſciſſioni capitis, & cordis à ſanguine à ſucco nerveo adhuc exiſtente in poris muſculorum, & adhuc perdurante ob craſſitiem dictorum liquorum.

Modus verò mechanicus quo talis ebullitio, & effervescentia perficitur, non eſt diverſus ab eis, qui per vulgarem fermentationem fiunt in quibus omnibus particulæ, quæ impediebantur, ne moverentur, quia aliis colligatæ per fermentationem ſui juris factæ exercere poſſunt ſuam naturalem indolem, quia particulæ mixti corporis quæ ſponte ſua moveri potuiſſent, niſi impeditæ fuiſſent à textura & colligatione partium creſſiorum, & terrearum, poſteà vinculis ſolutis, & poſt liminio ſibi redditæ ſuam indolem motivam exercere valent. Quod ſi verum exiſtimetur illud axioma. Quidquid movetur, ab alio movetur, ut veriſſimum eſſe puto, aſſerendum eſt particulas per colligationem cum aliis deperdere ſuum actualem motum, retinere verò per ſuam naturam exigentiam ad exercendum talem motum, quem prima cauſa Deus, quando ſunt ſolutæ, & liberæ ab unione cum aliis particulis eis reſtituit operando tamquam cauſa naturalis prima juxta exigentiam talium particularum, vel particulæ, quæ erant in motu, ſolutas, & priùs quieſcentes movent, vel æther quæcumque corpora pervadens ſuo motu dictas particulas movet.

Qua ratione verò debilis illa effervescentia in muſculis facta immenſam vim exercere valeat prout oſtenſum fuit libro 1. cap. 16. explicat idem Author exemplo funis madidi, qui non ob aliam cauſam inflatur contrahitur, & elevata vaſta pondera, quam vi ponderis granulorum aquæ, quæ non ſecus ac cunei intra fibras funis inſinuati con-

contractionem ejuſdem patiunt; hoc aut pendet, tum ex copioſa multiplicatione cuneorum ſimul operantium, tum ex energia motus, & impetus percuſſivi, quo granula illa innumera excurrendo intra fibrarum poroſitates, & interſtitia ſuperare poſſunt quamlibet reſiſtentiam quieſcentem, ut demonſtratum eſt ab eodem Authore de vi percuſſiva propoſ. 190.

Cùm porrò ſtructura muſculi, & ejus actio contractiva non omninò differat à compoſitione, & operatione madefacti funis ambo enim ex innumeris fibris frequentibus ligaturis diſcretis conſtant, & ideò poroſitates longas, non rotundas habent, quæ dilatantur ultra 40. gradus ab inſinuatis corpuſculis, veluti à totidem cuneis, qui in immenſum multiplicatis ſimul operantur vi motus, & energiæ percuſſionis contra inertem, & quieſcentem reſiſtentiam,

Differunt ſolummodo inter ſe in celeritate operationum, in fune enim cunei aquei tardo motu inſinuantur, & diuturniori tempore egrediuntur, & tranſpirant. Contra in muſculis cunei momento inflationem, & inanitionem creant.

Ratio diſcriminis eſt, quia cunei aquei in fune eamdem ſolidam molem retinentes locali motu extrinſecus adveniunt, & inſinuantur intra funis poros. At in muſculis cunei non adveniunt deforis, ſed in ipſis interſtitiis fibrarum gignuntur in actu inflationis muſculorum, & deſtruuntur, diſſipanturque, quando detumeſcunt, quia nempè non eamdem amplam ſolidamque molem retinent, ſed etiam per rarefactionem acquirunt, & deinceps amittunt ſe condenſando, ut ſenſu conſtat in ebullitionibus, & diſploſionibus memoratis, in quibus particulæ mobiliſſimæ ſphericæ ſe dilatando ampullas bullularum efformant, non omninò denſas, & plenas, ſed valdè raras vacuitatibus grandiuſculis intercetis, Unde fit, ut facilè concidant, & ad priſtinum ſpatium anguſtum reddigi momento poſſint, & hinc mechanicam neceſſitatem, & operandi rationem muſculorum deduci poſſe puto; nam ab inflatione, & diſploſione innumerabilium veſciculaṛum ſpumoſarum per univerſam molem muſculi diſperſarum, non ſecus ac à cuneis aqueis in fune integra muſculi ſubſtantia inflatur, quæ cum ex fibris robuſtiſſimis, & ideò non extendibilibus conſtet, fit, ut in dilatatione, & inflatione neceſſariò muſculi longitudo contrahatur, & decurtetur, & quia veſiculæ, ſeu cunei in immenſum multiplicantur per totam altitudinem, & amplitudinem muſculi, & inſuper agunt vi percuſſionis, ut dictum eſt. Hinc fit, ut grandis illa potentia componatur, qua ſublevari poſſint pondera vaſta per notabile ſpatium, nempè per majorem, quàm per ſextam decimam partem longitudinis muſculi, ut probatum eſt propoſ. 20. lib. 2. de motu animalium.

Unde hic Author cum Antiquis convenit, motum voluntarium muſculorum tribuendo animæ, quæ ſuccum nerveum ad determinatam partem tranſmittit, & ſpiritibus animalibus, quos in ſucco nerveo incluſos admittit, & ſolùm de novo addit ſpiritus animales à ſucco quodam colligari, quod Antiquorum doctrinam de ſpiritu animali non vertit, ſed clariorem reddit. Antiqui motum facultati motrici in fibris reſidenti tribuunt. Hanc facultatem, in quo conſiſtat, explicat author, nempè in efferveſcentia ſucci nervei, & ſanguinis, & fibras muſculoſas per ſe validum motum exercere non poſſe, probat lib. 1. propoſ. 7. qui videatur.

Certum tamen, & inconcuſſum manet tàm in hujus, quàm in Antiquorum ſententia motum vitiari, vel ratione ſpiritus animalis, vel viæ, per quam tranſit, nempè ratione nervi, vel ratione inſtrumenti, & eiſdem remediis curari motus læſionem à dictis cauſis tàm in recentiorum, quàm Antiquorum ſententia. Nam facultas animæ motiva in muſculis reſidens per Antiquos non vitio ſui, ſed inſtrumenti motum vitiatum, vel nullum edit, unde inſtrumenti vitio adhibenda remedia non facultati.

Si cum ſpiritibus animalibus particulæ mordaces, & irritativæ ſalinæ miſceantur, à tali irritamento vellicantur membranoſæ partes nervi, vel dum per eam excurrunt, vel dum efferveſcendo ſpiritus animales modo ſupradicto cum ſanguine mixti, irritativis particulis ſecum unitis libertas conceditur, & irritandi actualis poteſtas permittitur cum exploſione inflativa, quæ ſequitur à conjunctione ſpiritus ſalini cum ſpiritu alkalico, ut explicat Villiſius de motibus covulſivis, & ab hoc irritamento membrum agitatur, vibratur, & variè concutitur; fiunt motus convulſivi non aliter ac irritatis membranis, & nervis narium, & irritata aſpera Arteria fit & ſternutatio, & tuſſis, quæ ad motus convulſivos reducuntur, & ſolùm irritamentum iſtorum cauſa agnoſcitur.

Horum convulſivorum motuum interpolatus acceſſus, & receſſus perſuadet irritantem materiam eſſe vaporoſam, & ſubtilem, ideòque facilè reſolvi, vel à motu partis excuti, & ſuo motu extra ſuos limites propelli, quapropter citò deſinunt, recurſus verò eorumdem nobis oſtendit ſuccum nervoſum ſalino irritamento ſcatere, ſanguinemque hujus promptuarium eſſe, cùm ſuccus nerveus ſua vitia à ſanguinis vitio contrahat.

Ab hoc ſucci nervoſi, & ſanguinis ſalino cuinquinamento motus convulſivi perniciem illam acquirunt, per quam febrem, cui aſſociantur lethalem judicamus præcedente judicio depravationis maſſæ ſanguineæ, & ſucci nervoſi pendentis à ſalinis excrementis utriuſque ſubſtantiæ vitæ alimenti & caloris naturalis ſedis diſſolutionem, & corruptionem minantis, ni citò utraque ſubſtantia à ſalino expurgetur excremento, & ſuæ bonitati nativæ, & balſamicæ facultati reſtituatur, quod Diaphoretica promittunt, omnia ſalium genera in ſanguine, & ſucco nervoſo latentia cum ſeroſa ſubſtantia, per cutis poros ſudore evacuantia, inter alia verò Diaphoretica hoc unum præſtare judico, nempè decoctionem milii, Rad. cardi benedicti petaſitidis, cornu cervi, in talleolas inciſi, & in vaſe in quo hæc ebulliunt nodulus ſuſpendatur, in quo ſit ligatum bezoarticum minerale ad ℥. 5. de hac decoctione bibatur frequenter, & in prandio, & in cœna, & extra etiam ad lib. quinque, & ſex, & amplius in die; ſola enim quantitas medicamenti meo judicio poteſt diſponere corpus ad ſudorem copioſum in hoc caſu neceſſarium, & hac ſola via, & ſimilium remediorum uſu puto febrium malignarum extinctionem attingi poſſe, & præcipuè ſi cum cibis Diaphoretica etiam jungantur, ut cornu cervi philoſoficè præp. Bezoart. minerale, & ſimilia.

Ad hos motus reducuntur etiam motus epileptici, qui differunt à convulſivis ſimplicibus, quia in his operationes animales rationales, & ſenſitivæ auferuntur, itaut nec advenientem paroxyſmum epilepticum advertant, nec adveniſſe recordentur, quia præter exploſiones, quæ fiunt in muſculis particularum ſanguinis acidi, & ſucci nervoſi multum alkali ſolutis à quibus muſculus in ſuis partibus ſenſitivis vellicatur, & mordetur, unde illius motus convulſivus adeſt utriuſque liquoris, & exploſio in intimis cerebri partibus contingit adeò perturbata, ut ſpirituum animalium ordo, & motus, & qualitas pervertantur cum inhabilitate ſerviendi facultati rationali, & ſenſitivæ coactæ pro tempore hujus affectionis ſuſpendere ſuas operationes, & hæc efferveſcentia in cerebro facta inter ſpiritus animales, & materiam acidam volatilem communicatur ſpiritibus intra nervos degentibus, & qui ad hos fluunt dicta efferveſcentia, & exploſione depravantur, per quas continuantur motus convulſivi in muſculis.

In paroxyſmi incultu primò in hoc affectu convenit ſuccus rubiæ minoris in Majo collectæ exhibitus ad ℥. 6. per tres dies decreſcente Luna, & id reiterando per tres vices.

Item fel catelli nigri lactantis, & ſtrangulati exhibitus in decocto peoniæ, vel in aliqua aqua antepileptica, ſi patiens, ſit maſculus eligatur catullus, maſculus ſi fœmina.

Item ♃. argenti puriſſimi ſtamni an. ℥. 1. ſacchari finiſſ. ℥. 3. terre continuò per quindecim dies in mortario profidi indeſinenter, ſaccharum concipiet colorem ſubnigricantem, & argentum, & ſtamnum totum in eo diſſolvetur tunc accipe ℥. 8. aquæ ſolaris deſtillatæ per B. M. & in ea diſſolve compoſitionem ſupradictam permitte, quod fæces fundum petant, & utere dicto liquore per menſem ad ʒ. 2. in vere, & in autumno. Valent etiam ſuccus Aquilegiæ cum ſucco vermium terreſtrium an. ℥. 3. per 40. dies, valet pariter ſequens medicamentum ♃. ſan. drac. opopon. caſtor. Antimonii crudi an. ℈. 5. pul. omnia, & exhibeatur cum aqua ceraſ. nigr. per menſem, item phlegma vitrioli ſali ſuo defæcato mix-

mixtum, & per menſem digeſta fortiſſimo igne deſtillentur de hoc ʒ. 1. terdato in novilunio, & plenilunio, & habetur pro Arcano. Item pulvis conſolidæ majoris per quindecim dies in appropriato liquore eſt probatiſſimum. Item cor lupi exſiccatum, & pulverixatum in quatuor vices exhibitum tempore hyemali ad miraculum ſanare volunt.

Eodem modo fiunt motus hyſterici convulſivi, & in cauſa ſolùm differunt, cùm hi originem habeant in utero malis humoribus referto, vel à degeneratione ſanguinis menſtrui retenti in acidum ſpiritoſum, vel à corruptione ſeminis, modus autem, quo fiunt hi motus eſt uniformis ſuperiùs explicato addo ſolùm reſpirationem lædi in his affectibus, ut aliquando videatur defeciſſe, quia ſpirituum animalium curſus ad muſculos thoracis, & diaphragma impeditur à turbatione ab eis concepta in effervescentia ſupradicta, & exploſione, vel ab impedito pro majori parte tranſitu dictis ſpiritibus ad dictas partes à vaporibus ad caput elevatis à ſupradictis materiis.

Cura conſiſtit pro præſervatione in correctione ſanguinis & ſeminis. Corrigetur ſanguis cum hoc decocto ℞. rad. cannæ ℥. 4. ligni viſci quercini ℥. 2. cornu cervi ℥. 1. infund. in ℔. 15. aquæ fontis per diem poſteà bulliant, & in principio ebullitionis ſuſpendatur in vaſe ſacculus, cum ℥. 2 duabus cinabris naturalis craſſo modo contuſi, vel ejus loco ℥. 1. cinabris Antimonii, & in alio ſacculo Antimonii crudi craſſo modo contuſi ℥. 2. bull. ad conſumptionem tertiæ partis in fine ebullitionis adde ſem: paſtinacæ ſylveſtris ℥. 2. rad. valerianæ ℥. 3. poſteà coletur, colatura edulcoretur, & aromatizetur, & de hoc decocto accipiat ℔. 5. omni die partim ante prandium, in prandio, & poſt prandium, & in cœna per 25. dies vel 30.

Pro arcendo verò paroxiſmo valet ſequens tinctura ℞. fol. ſabinæ caſtorei an. ℥, 1. 5. Camphoræ ℈. 2. Croci ʒ. 1. 5. opii ʒ. 1. gummi tacca maceæ ʒ. 2. ſtent in digeſtione in ſpiritu vini q. ſ. poſteà ſ. a. extrahatur tinctura doſis ſcrupulum ſemis in aliquo liquore ſpecifico, item valet opium præpar. modo ſuperiùs deſcripto gr. 5. Bexoart. jovial. gr. 10. m. item valet decoctio abrotani, angelicæ, zedoariæ Botrys non ſolùm pro curatione ſed etiam pro præſervatione, bonifaccie rad. vel folia pulver. ad ʒ. 1. dicuntur ſubito ſanare paroxyſmum.

Item petia imbibatur in aqua florum papaveris, Nenupharis, in quibus diſſolvatur ℈. 1. opii, & diſtendatur ſupra ventrem.

Pro menſium provocatione alibi egimus.

Pro ſeminis emendatione nullum certius remedium, quàm nubere, ſi ſit in ſtatu, ſi verò non, parvo cibo, & parvo nutrimento uti, vel decocto ſem. canabis, & nigellæ cum ſpiritu camphoræ.

Ad hoc genus motus convulſivi reducitur motus ille qui in principio ſomni aliquos corripit cum agitatione, & concuſſione, & tremore totius corporis ad vigiliam hominem revocans, & æſtum incutiens, cujus cauſa ſunt vapores mordaces ab imo ventre elevati, & membranas cerebri vellicantes, & irritantes, à quo irritamento concutiuntur, & cum iſtis totius corporis membranæ, & præcipuè illæ nervorum. Aliquando etiam fit talis motus dum ſpiritus animales in principio ſomni à partibus excurrunt ad cerebrum tamquam ad ſuam ſedem, & promptuarium, vel in partibus cerebri propinquis origini nervorum cumulantur, & hic recurſus ſpirituum fit cum tali impetu, ut membranæ cerebri, vel nervorum concutiantur, unde totius concuſſio, & in hoc caſu impetus ſpirituum habet rationem irritamenti, & huic motui opitulatur, aquæ frigidæ cyatus, vel papaveris erratici poſt cœnam bibitus, cum conſerva violarum, vel nenupharis; hoc enim modo ſpirituum impetus coercetur, & vaporum motus prohibetur, eorumque acrimonia modificatur.

Hoc fundamento poteſt explicari cauſa, & eſſentia convulſionis, & ſpaſmi, in quo muſculus verſus ſuum principium cerebrum nempè retrahitur, & retractum conſervatur. Nam ſi conſideramus muſculum in ſpaſmo contractum tenſum, & induratum permanere eo modo, quo contrahebatur, tendebatur, & indurabatur tempore ſanitatis, quando à voluntate talis muſculi contractio imprimebatur pro motu voluntario talis partis, ad cujus motum contractivum muſculus ille inſeruit, concludemus etiam ſpaſmum in ea retractione muſculi conſiſtere, quæ ſemper eſt eadem, ſed differt ſolùm per cauſam efficientem; nam retractio muſculi naturalis fit ab imperio voluntatis, retractio muſculi morboſa à cauſa morbifica.

Si igitur id ipſum, quod à motu voluntatis in ſtatu ſanitatis exequebatur, à cauſa morbifica efficiatur, ſtatuendum eſt, & voluntatem, & cauſam morbificam in retractione muſculi eiſdem mediis, & uniformi modo operari, & quia voluntas in retractione muſculi voluntaria movet principia nervorum tali motu, ut exprimatur ab eis ſuccus nerveus intra ſanguinem, contentum in muſculis, ex quorum mixtione fit effervescentia utriuſque cum inflatione diſploſiva, per quam muſculus contrahitur. A cauſa morbifica etiam irritante initium nervorum, debet fieri expreſſio ſucci nervoſi intra ſanguinem contentum in muſculis modo ſupradicto, itaut fiat continua effervescentia utriuſque cum continua inflatione diſploſiva, à qua continua etiam muſculi retractio.

Hæc ſententia confirmatur ex eo, quòd in illis, qui convulſi pereunt, poſt mortem ceſſat illa diſtorſio, & diriguntur articuli, qui contracti fuerant, eò quod extincta prorsùs facultate ſenſitiva in nervis, ſenſus moleſtia à qua convellebatur, deficit, & proindè non ampliùs ſuccum ſpiritoſum, nempè cauſam diſploſionis intra muſculos effundunt, ideòque contractio illa violenta muſculi deficit.

Quomodo verò tanta copia ſucci ſpiritoſi è nervis effundi poſſit, quæ ſufficiat ad diſploſionem continuatam efficiendam per plures dies per quos motus convulſivi, & convulſio durant, id explicat Borellus in cit. lib. 2. de motu animalium cap. 19. prop. 213. dicendo, quòd non exigitur abúndans fluxus ſucci ſpiritoſi è nervis, ſed ſufficit minimarum guttularum diſpenſatio, dum in unaquaque ſpiritus innumeri continentur, quales continentur in parvo grano thuris, Zibeti, & Moſchi, & in vitro Antimonii, quod vino, cui infunditur virtutem catharticam impartitur etiam ſine ponderis diminutione. Hic morbus curabitur dulcificantibus ſanguinem, & nervoſum ſuccum ſuperiùs deſcriptis, & reſolventibus, diaphoreticiſque deſcribendis de paralyſi.

Hæc eſt Neotericorum ſententia de motu convulſivo, & convulſione diſcrepans ab Antiquorum ſententia, qui Magiſtro Hippocrate, & Galeno determinarunt, hos affectus oriri à plenitudine, vel ab innatritione neoterici; tamen non fuerunt inventores deſcriptæ cauſæ ab irritatione; nam in hac ſtabilienda ſecuti, ſunt aliquos ſuos prædeceſſores Hippocrati, & Galeno addictos, inter quos Daniel Sennertus cum Averroe, & aliis, qui videndus in inſtitut. lib. 2. parte 3. ſect. 2. cap. 1. & in lib. practicæ lib. 1. part. 2. cap. 28.

Ad motum convulſivum reducitur ſingultus, ſi credimus Galeno, qui pro ethicorum textu 23. convulſoriam quamdam motionem, & affectionem vocat, quam aliqui volunt eſſe ventriculi, alii Diaphragmatis, ut Sylvius quæcumque verò ſit pars hanc convulſoriam affectionem patiens ſemper verum eſt pati à ſubſtantia, vel qualitate irritante, ut communiter ſentiunt etiam Antiquitatis præcepta venerantes, & ita vera indicatio erit ſemper in quocumque caſu materiam irritantem modificandi, & expellendi, pro qua indicatione explenda faciunt omnia medicamenta ab Antiquis deſcripta; duo tantùm addam experientia comprobata ſuccus menthæ, & granatorum dulcium an. ℥. 5. poſtquam hæc biberit æger, faſcia ſtrictè circumligetur circa regionem ventriculi, alterum ex pulvis ſeminis aneti ad ʒ. 2. ſuper bibendo aquam malvarum papaveris erratici, & menthæ an. ℥. 2.

Catalepſis eſt inter affectus, qui producuntur ab extraneo quodam ſpiritibus animalibus commixto, cùm in hoc affectu ſit tamquam eſſentiale ſubita alienatio mentis, ſeu deperditio omnium ſenſuum internorum, & externorum cum motus voluntarii impotentia, non poteſt autem fieri talis alienatio facultatis ſenſitivæ, & rationalis in momento, niſi per aliquod, quod cùm ſpiritui animali ſenſitivæ potentiæ, & rationalis inſtrumento miſceatur, & ab eo figatur, vel concentretur, cum ſui motus ablatione in parte, ubi anima, & ſentit, & intelligit,

git, & imperat, cùm nullæ ex his operationibus exerceantur, nec motus ab imperio voluntatis dependens, ab hoc enim morbo deprehenſi manent in eo ſtatu, & figura in qua apprehenduntur, ex quo colligitur non eſſe liberam voluntatem pro dirigendis ſpiritibus animalibus ad nervos pro mutando ſitu, libera tamen manet via ſpiritibus ad continuandum ſuum curſum per nervos inſervientes manutentioni patientis in eo ſtatu, in quo erat quando ab hoc ſymptomate correptus fuit, quod certè non poteſt exequi, niſi per continuum fluxum ſpirituum animalium per nervos à quibus continuatur illa inflatio, & contractio muſculi neceſſaria pro conſervanda parte in tali ſtatu, & cum tali figura, & ſi ab aliquibus obſervationibs à medicis recenſitis percipimus aliquos in hoc affectu intellexiſſe, audiviſſe, vidiſſe, & percepiſſe, cùm liberi ab hoc ſymptomate retulerint ea, quæ ab aſtantibus coram his acta fuerunt, cùm dictis ex obſervationibus colligatur immotos remanſiſſe ſine voce concludendum eſt præfatas operationes fuiſſe debiles diminutas, nec liberam fuiſſe poteſtatem imperandi ſpiritibus, & eos diligendi ad alia membra pro mutatione ſitus, quod convincitur ex hoc quod cum dictis operationibus attoniti, & ſtupidi remanent, & quidam cataleptici ſi moveantur ab aliquo, movendi potentia ſe exerit, erecti conſiſtunt, incedunt impulſi, & quocumque, vel manus, vel brachium, vel crus flectatur in ea flexione permanet, quæ certo demonſtrant liberum eſſe tranſitum ſpiritibus animalibus per nervos, & deficere ſolùm determinativum, & motivum internum movens, & determinans viam ſpiritibus per determinatos nervos, dum accedente motivo, & determinativo externo ſpiritus, per nervos fluunt, & deſtinatas à determinativo externo partes moveant.

In quo verò conſiſtat vitium ſpirituum operationes ſenſitivas motivas, & intellectuales vel tollens, vel diminuens cum ſtupore, puto non poſſe melius explicari, quam cum Sylvio Le-Boe ſtatuere ſpiritus animales factos eſſe plùs minùsve torpidos, & ad motum ineptiores ob aliquod extraneum vaporoſum illis admixtum per quod coagulantur ſpiritus, vel inſpiſſantur, vel craſſiores evadunt, & turbidi, itaut non ſufficiant dictis facultatibus peragendis, nec mirum eſſe debet, nec improbabile credendum hanc ſpirituum coagulationem in aliqua parte cerebri operari, cum videamus tot coagulationes humorum in materiam craſſam gypſeam, & calculoſam peragi, cur non poterit evenire in ſpiritu, cùm videamus experientia ſpiritum vini optimè dephlegmatum non abſimilem à ſpiritu animali in naturæ conditione, cùm ab illo reficiatur mixtum cum ſpiritu urinæ ab hac elicito præcedente fermentatione per ſex hebdomadas in conveniente anni tempore ad invicem coagulari momento temporis in unam maſſam ſpiſſam, & conſiſtentem, nonne poteſt in corpore humano generari præter naturam humor, vel ſpiritus, qui valeat ſpiritus incraſſare, cùm in corpore admittantur humores acidi auſteri, qualis eſt pituita pontica, & melancholia, quorum virtute dicuntur incraſſari, & inſpiſſari cæteri humores? Quare ab humoribus hujus naturæ in vapores, & ſpiritoſos halitus reſolutis mixtiſque cum ſpiritibus animalibus non ſuccedet, horum coagulatio, & inſpiſſatio. Certè nulla ratio hoc reddens improbabile, & abſurdum poteſt afferri, imò habetur fundamentum hoc ſtatuendi tamquam veritati conſentaneum, quia ſpiritus poſſe coagulari evincitur ab experientia propoſita ſpiritus vini, & vapores ſubtiles elevati ab humoribus acidis auſteris id poſſunt efficere, & in hanc ſententiam venit Sennertus lib. cit. cap. 3. & omnes Antiqui concludunt catalepſim formaliter conſiſtere in immobilitate, coagulatione ſpirituum, & volunt cauſam efficientem eſſe intemperiem frigidam, & ſiccam: Recentiores eamdem eſſentiam formalem admittunt ſtatuendo hanc eſſe coagulationem, & inſpiſſationem ſpirituum impedientem, actionum intellectualium, & ſenſitivarum etiam à voluntate pendentium exercitium, quæ non differt à congelatione: efficientem cauſam volunt intemperiem frigidam, & ſiccam ad quam reducuntur humores acidi auſteri, qui ſunt de genere melancholiæ, quæ ab Antiquis temperamenti frigidi, & ſicci ſtatuitur., ideò pro curatione admittunt medicamenta melancholiam emendantia, fugiendo acetum, & ea, quæ aceto componuntur, cùm melancholiam augeant, & Neoterici Aromaticis, & cœphalicis calidis huic morbo opem ferunt, quæ pariter melancholiam emendant.

Vitio inſtrumenti læditur potentia loco motiva quando inſtrumentum, quod eſt muſculus, & nervus eſt læſus ſecundùm ſuam organizationem, ut contingit in eorum relaxatione, à qua tremor partis efficitur, cui muſculus, & nervus relaxatus inſeruit. Quomodo verò à fibris muſculoſis, & nervoſis fiat tremor nos docebit reflexio ad tremorem voluntarium, quo manum V. G. ſponte, & voluntate imperante agitamus. Tremor cùm ſit ſucceſſiva, & frequens agitatio membri ad partes oppoſitas, dum manum voluntario tremore agitamus, ſucceſſiva, & frequens agitatio manus in partes oppoſitas fit, quia muſculi ad invicem oppoſiti, & Antagoniſtæ unus poſt alium ſucceſſivè frequenti, & citiſſimo motu à voluntatis imperio contrahuntur, ut V. G. manum ſurſum moveo per muſculi ſuperioris contractionem, huic muſculo opponitur alius in inferiori parte manus, qui imperio voluntatis motus, & contractus deorſum manum movet, & deprimit, & ita ex ſucceſſiva contractione horum muſculorum unius poſt alium fit ſucceſſiva, & frequens agitatio manus in partes oppoſitas, hoc eſt ſurſum, & deorſum non ſecus, ac in bilance æquilibrata duabus manibus, modò unam, modò aliam lancem deprimimus. Talis ſucceſſiva motus agitatio membri in partes oppoſitas ſuccedit fibris muſculoſis, & nervoſis membri relaxatis; nam dum hoc membrum, ita morboſè affectum movere volumus, exploſio illa, quæ fit ab efferveſcentia ſpiritus animalis à voluntate tranſmiſſi ad partem movendam uniti cum ſanguine arterioſo in dicta parte exiſtente, illa inquam exploſio, quæ eſt neceſſaria ad inflandum muſculum, & contrahendum non eſt cum tali impetu, ut fibras muſculoſas, & nervoſas relaxatas ad talem contractionem trahere valeat, quæ ſufficiat ad partem movendam uſque ad ſitum determinatum, vel ad eam motam in tali ſitu conſervandam, quia impetus exploſionis deficit, & conſumitur in fibris relaxatis magis, atque magis extendendis; eo modo, quo ſi lora, vel coriza corpus grave ligetur, & dicta illud trahere velimus, cum impulſu tractionis extendimus corizam, non movemus corpus, & virtus tractiva deficit in ipſa coriza, & ſi ad aliquam contractionem, & reſiſtentiam coriza ducatur, ut reſiſtat tractioni, movebitur corpus grave, ſed debiliter, niſi impulſus tractioni reiteretur, & quia, dum muſculus ab impetu exploſionis aliqualiter contrahitur, ſecum trahit muſculum Antagoniſtam, & deficiente illo impetu muſculus antagoniſta per ſuam virtutem elaſticam ſuo ſtatui ſe reducendo partem motam à muſculi prioris contractione reducit ad eam partem oppoſitam, ut ſi ſit neceſſitas movendi illam partem, vel eam in aliquo ſitu cum vi eam conſervandi, tranſmittantur continuò ſpiritus ad muſculum, qui movent illum ad unam differentiam loci modo ſuperiùs dicto, & à virtute elaſtica muſculi Antagoniſtæ in contrariam partem trahitur, & ita continuata agitatione membri in oppoſitas partes fit tremor in illa.

Ex quo patet tremorem membrorum fieri, dum muſculi antagoniſtæ ſimili æquali frequentia contrahuntur ad inſtar funipenduli itus, & reditus ferè æquitemporaneos alterando, & ab hoc deducitur altera cauſa tremoris, nempè paucitas ſpirituum, dum in hac non frequenti fluxu tranſmittitur ſuccus ſpiritoſus in muſculum movendum pro ejus penuria, ſed inter tranſmiſſionem unam, & alteram intercedunt morulæ, in quibus muſculi, qui ſua contractione motum, vel ſuſtentationem alicujus partis peragebant, relaxantur, & in hac relaxatione muſculi antagoniſtæ diſtracti à priorum contractione innata vi elaſtica ad ſuum ſitum reducuntur movendo partem in oppoſitum ſitum, & hoc modo fit tremor à ſpirituum deficientia.

Has cauſas tremoris nempè ſpirituum penuriam, & relaxationem muſculorum factam à nimia humiditate, quæ

quæ ſuponit intemperiem frigidam, & humidam Hippocrates, quàm Galen. Avicennas docuerunt, & omnes ſine contradictione admittunt. Neoterici mathematica thæoremata Medicinæ, & Philoſophiæ accomodando modum explicandi tremoris originem ſatis facilem, clarum, & perceptibilem invenerunt.

Pro curatione tremoris à muſculorum relaxatione, cum hæc ſupponat copiam humoris, exſiccantia, & ſudorifica præcipuè conveniunt, & ſi his non cedit morbus, pro incurabili eſt habendus; ſudor proliciatur in lecto cum inſtrumento ſudatorio, & ad pedes vice carbonum ignitorum in parva olla ſpiritus vini deſtillatus cum baccis juniperi ponatur, & accendatur, & hujus calore ſudor excitetur præmiſſo decocto ex ligno ſancto, viſco quercino, & juniperino cum herbis cephalicis: poſt ſudorem innungatur ſpina dorſi balſamo ſulphuris cum oleo nucis moſchatæ, macis, & gariofil. ſimul mixtis; Poteſt etiam parari ſequens oleum pro prædicto effectu, ℞. ſaponis nigri raſi ℔. 2. ſpiritus vini optimi non totaliter deflegmati ſ. q. ut ſuperemineat tres digitos ſaponi, deſtilletur primò lento igne, ad olei aſpectum augeatur ignis, & oleum hoc ad nervorum affectiones frigidas eſt exquiſitum, & probatum. Si pars ſolùm aliqua ob dictam cauſam tremore afficiatur proportionato huic inſtrumento ſudor excitetur, in ea ſolùm, & pars eiſdem externis illiniatur, & pars dorſi, ubi prodeunt nervi dictæ parti inſervientes; ſi verò à ſpirituum defectu proveniat tremor nihil magis proprium, & efficax, quàm ſpiritus vini cum cephalicis deſtillatus, & quinta eſſentia Matthioli, Theriaca, Mithridatum.

Via ſpiritibus per nervos impeditur in apoplexia, in cujus eſſentia, & cauſis conveniunt omnes tàm Antiqui, quàm Recentiores; definitur enim animalium actionum omnium, ſcilicet, motus, & ſenſus cum principum facultatum læſione ablatio ab influxu ſpirituum animalium in organa harum actionum denegato. Talis verò influxus tollitur, quando nervi afficiuntur, itaut non poſſint admittere ſpiritus in ſua ſubſtantia, quod præcipuè contingit, vel per obſtructionem, vel per compræſſionem viæ admittentis ſpiritus animales.

In qua verò parte contingat impedimentum prohibens curſum ſpirituum ad nervos non concordant: Aliqui enim ſtatuunt obſtructionem eſſe in medulla oblongata, cùm hæc ſit nervorum principium univerſale: Alii eſſe in tota ſubſtantia medullari cerebri.

Hujus dubii deciſionem difficile eſt aſſequi, quia non certò nobis conſtat in quanam parte anima ſuas operationes principales exerceat, quæ omnes in hoc affectu tolluntur, ex quo colligere licet eam partem affici in qua exercentur omnes animæ operationes, tàm rationales, quàm animales. Quænam verò ſit hæc pars, nulla ratio, nec experientia nobis manifeſtat, licet tamen conjectari animam dictas operationes exercere in ea parte, à qua originem habent nervi, principia motus, & ſenſus, cùm per ſenſus anima intelligendi, & volendi motivum habeat, per nervos enim deferuntur ſpecies, quas vocant rerum imagines, circa quas intellectio, & volitio verſatur, anima enim contemplans prædictas ſpecies eas conſiderat, percipit, & objectum intelligit, etſi inveniat in eo bonum, voluntas in illud fertur, ex quo deducitur animam probabiliter exercere has operationes, ubi nervi objectorum externorum motum organis ſenſuum impreſſum poſſunt deferre, & hunc deferre non poſſunt, niſi in ea parte, vel circa illam à qua originem trahunt, unde concludendum eſt obſtructionem in apoplexia eſſe, vel in medulla oblongata, vel parte cerebri circumadiacenti huic, qnia cùm operationes animales, & rationales in apoplexia lædantur, debet etiam impediri tranſitus ſpirituum animalium ad partes in quibus iſtæ operationes exercentur; cùm autem certo ſciamus ſenſus, & motus principium eſſe medullam oblongatam, quæ eſt principium nervorum (inſtrumenta motus, & ſenſus), & probabile ſit ex dictis ſedem animalium rationalium operationum eſſe in ea parte cerebri, quæ eſt circa principium nervorum, concludendum eſt etiam apoplexiam fieri impedito tranſitu ſpirituum ad medullam oblongatam, & ad partem cerebri circumadjacentem huic, & talis tranſitus ſpirituum non impeditur ſolùm obſtructis poroſitatibus medullæ oblongatæ, & partis circumadjacentis, ſed impeditur etiàm quando, vel à ſanguine extravaſato, vel à ſeroſitate exuberante poroſitates ſubſtantiæ corticalis cerebri, ita obſtruuntur, ut materiam pro ſpiritus animalis, & ſucci nervoſi elaboratione ſuſcipere non valeant; quapropter deficiente ipſa materia deficiunt ſpiritus, & cum his actiones animales abolentur, unde non errarunt illi, qui cenſuerunt totam cerebri ſubſtantiam in apoplexia affici: contingit etiam dictum impedimentum ſpiritibus, quando ſpiritus animales fixantur, & motu privantur, quod multoties contingit à virtute narcotica vini, & ejuſdem ſpiritus, & opiatorum, quare concludendum eſt apoplexiam fieri impedito tranſitu ſpirituum ad partes, in quibus facultas animalis, & rationalis peculiari modo dominatur, vel impedita generatione ſpirituum animalium, vel iſtorum motu prohibito. A quacumque verò cauſa fiat, remedia ſemper ſunt eadem loquendo de alterantibus, quia, quæ tollunt obſtructionem impedientem tranſitum ſpirituum ad ſedem facultatis animalis, & rationalis, tollunt etiam obſtructionem impedientem fluxum materiæ, ad locum deſtinatum pro generatione ſpiritus animalis, & ea quæ tollunt obſtructionem, cùm ſint ſpiritoſa, & calida, valent etiam motum ſpiritibus contribuere, ſi ab aliqua cauſa eis afferatur.

Inter hujuſmodi remedia eſt efficaciſſima ſequens aqua, ℞. ſpir. vini rectificati ℔. 8. florum lil. conval. m. 8. Cherii, Roſ. Dam. primu. veris an. m. 8. herbæ meliſſæ, majoranæ an. m. ℥. 3. florum lavendulæ, roſmarini an. m. 6. gariofil. ℥. 2. cardamoni ℥. 3. cinam. elec. ℥. 4. macis ℥. 1. 5. inciſa, & contuſa craſſo modo in ſupradicto ſpiritu vini infund. & ſtent per menſem ad Solem deindè deſtillentur per b. m. ſ. a. De hac aqua in paroxiſmo, ad medietatem coclearis ſi fieri poteſt exhibeatur, & etiam ſæpè reiteretur, naribus odoranda ſuponatur, tempora inungantur ferè continua illitione, vel petia duplicata in hac aqua madefacta eis applicetur, & exſiccata renovetur futuræ cranii ſicut ſpinalis medulla in Occipite madefiat; extra paroxyſmum etiam valet aliis remediis admixta, quinta eſſentia Mathioli, etiam eodem modo adhibetur, ſicut, & balſamum peruvianum, vel apopleticum. Extra paroxiſmum ſummè confert rad. rodia cum cariofilata an. ℨ. 2. in vino infuſa, & bibita, vel decoctum radicis benedictæ, manè, & veſpere epotum, vel in ſubſtantia ſumpta ad ℨ. 2. cum aliqua aqua antipopletica; colligenda dicta radix menſe Aprilis, aqua violæ luteæ; collectæ eodem menſe dicitur multa præſtare in affectu apopletico. Radix brioniæ per annum ad ℨ. 1. bibita in convenienti liquore, nempè in aliqua aqua antipopletica curat ab apoplexia, & ab ea præſervat.

Cum iſtis remediis cephalicis non erit incongruum aliqua cardiaca admiſcere ad ſuſtentandum motum cordis, qui ſolus in hoc affectu conſervatur, & forſam, quia provida natura poroſitates nervis cardiacis correſpondentes ampliores fecit, ut difficiliùs obſtruerentur, idcircò ab obſtructione totali liberæ poroſitates admittunt portionem ſpirituum animalium à qua motus cordis continuatur; poteſt etiam eſſe, quod natura permiſerit ſpiritus animales ad nervos cardiacos in majori quantitate, & cum majori impetu fluant impedimentum obſtructionis ſuperando, & motum cordis efficiendo.

Si verò à ſanguine extravaſato fiat apoplexia, quod demonſtrabit plenitudo corporis, & victus ratio præcedens, ut cotingit ſi venæ jugulares obſtruantur, ut obſervavit Hipp. mittendus ſanguis à brachio, & poſteà à fronte, & quidem in copia ad tollerantiam virium ægrotantis, & poſteà ſupradictis remediis utendum; ſi à ſeroſo humore, cujus exceſſus manifeſtabitur à temperamento, & à præcedentibus erroribus, & cauſis valentibus ſeri copiam cumulare, hydragogis purgandum, vel clyſteribus acribus eſt ſuplendum. In fixatione ſpirituum poſſumus iſtis motum conciliare miſſione ſanguinis, & poſteà deſcriptis remediis, quibus adjungenda omnia aromatica, cœphalica, & ſpiritoſa alkalica, quorum innumeræ deſcriptiones apud Authores reperiuntur.

Si motus, & ſenſus ex toto non recuperetur deveniendum eſt pro diſcuſſione materiæ ad decocta diaphore-

phoretica parata cum ligno ſancto, viſco quercino, juniperino, & ſalſa, unà cum cephalicis ſimplicibus, & horum decoctorum formulæ apud Authores habentur multæ, ideò ab eorum deſcriptione ſuperſedeo.

Paralyſis, & omnes ejus differentiæ ex communi omnium conſenſu eamdem habent cauſam cum apoplexia, & in hoc ſolùm diferunt, quod in apoplexia eſt ablatio motus, & ſenſus in univerſo, in paralyſi verò eſt in aliqua tantùm determinata parte. In apoplexia læduntur etiam operationes rationales, in paralyſi conſervantur ſaltem debiles. Apoplexia quandoque tranſit in paralyſim, & tunc apoplexia dicitur levis, & curatur; fortis enim numquam curatur. Aliqui contendunt paralyſim poſſe fieri ab humore bilioſo, quod non exiſtimo dificile, quia humor bilioſus poteſt obſtruere poroſitates exiles nervorum alicujus partis, & ita abolere motum, & ſenſum, quod eſt propria eſſentia paralyſis, nempè ablatio motus, & ſenſus alicujus determinatæ partis. Aliquando colica tranſit in paralyſim, & quia modum explicavi in meis conſultationibus ſuperſedeo à repetitione ibi dictorum.

Cùm eadem ſit cauſa paralyſis, ac apoplexiæ eiſdem remediis erit curanda, & ſi bilis ad hanc concurrerit deobſtruentibus cephalicis aliqua cephalica temperata miſcenda, & bilis purganda, inunctiones pro parte paralytica variæ præſcribuntur, quæ poſſunt videri Apud authores, dum pro hoc nihil ſingulare habeo præter oleum ſupraſcriptum de tremore.

F I N I S.

INDEX

INDEX
RERUM NOTABILIUM
LOCUPLETISSIMUS.

Quæ in novo Syſtema Medico continentur.

A

ACidi, & alkali mixtio ſine coagulatione non eſt Naturæ deneganda, ſect. 1. cap. 6. pag. 218. & 219.
Acidum alkalico unitum migrat in ſalſum. ſect. 1. cap. 8. p. 235.
Acidum ſanguini ineſt. ſect. 1. cap. 11. p. 242.
Æſtus poſt cibum unde oriantur, & quomodo ſedandi. ſect. 1. cap. 6. p. 223.
Alimentum debet eſſe ſanguinem, quomodo ſit intelligendum. ſect. 1. cap. 12. p. 249.
Alvi fluxus à ſalivæ ſalſedine. ſect. 1. cap. 8. pagin. 235.
Alvi ſtipticitas ab effervеſcentia Chyloſa immodica. ſect. 1. cap. 7. p. 228.
Amblylopia, & Amaceroſis. Vid. Obſtructio nervi optici.
Anima rationalis creatur à Deo ſtatim, ac materia in Ovo muliebri eſt ultimò diſpoſita pro organizatione fœtus. ſect. 1. cap. 13. p. 259.
Anaſarca quomodo producatur, & quibus remediis curanda. ſect. 1. cap. 12. p. 254.
Animi paſſiones aciditatem in humoribus augent. ſect. 1. cap. 8. p. 235.
Angina quid ſit, & ejus curatio. ſect. 2. cap. 1. pag. 269.
Antiqui errarunt in ſtabiliendo deſcenſum ſalivæ à cerebro, ſect. 1. cap. 8. p. 234.
Apoplexia quid ſit, & quomodo curanda. ſect. 3. cap. 11. p. 295.
Apoplexia à ſanguinis plenitudine, & ejus curatio. ſect. 1. cap. 11. p. 246.
Arteriæ Cœliaceæ pulſatio in Hypocondriis, qua de cauſa accidat. ſect. 1. cap. 11. pag. 247.
Aſcites quomodo producatur, & curetur. ſect. 1. cap. 12. p. 254.
Aſtmatis, & Ortopneæ, atque Diſpneæ cauſæ, & remedia. ſect. 2. cap. 1. p. 268.
Auditio quomodo fiat. ſect. 3. cap. 4. p. 279.
Augmentatio per quod differat à nutritione, & quo pacto fiat. ſect. 1. cap. 12. p. 256.
Auris vitia quoad auditum, & eorum curationes. ſect. 4. cap. 4. p. 279.

B

BIlis gignitur in ſanguine ab aduſtione. ſect. 1. cap. 6. p. 218.
Bilis eſt calida. ſect. 1. cap. 6. p. 218.
Bilis munia. ſect. 1. cap. 6. p. 219.
Bilis vitia, eorum ſigna, & curationes. ſect. 1. cap. 6. p. 221.
Bilis ſpecies variæ. ſect. 1. cap. 6. p. 225.
Bilis fit pallida per commixtionem multæ ſeroſitatis. ſect. 1. cap. 6. p. ibidem.
Bilis fit Vitellina, ex hoc quod magis incraſſetur. ſect. 1. cap. 6. p. ibidem.
Bilis fit porracea per admixtionem alicujus acidi cum nativa acredine. ſectio prima, caput 6. pagin. ibidem.
Bilis porracea fit æruginoſa per ulteriorem aduſtionem. ſect. 1. cap. 6. p. ibidem.
Bilis fit atra per commixtionem Acidi ſummè potentis propriæ acredini, poſtquam commixtionem, item ſummam patitur aduſtionem. ſect. 1. cap. 6. pagin. 226.
Bilis atræ generationis alia deſcriptio. ſect. 1. cap. 7. pag. 233.
Bilis ab acido excedenti opprimitur. ſect. 1. cap. 14. p. 260.
Bilis exceſſus calorem moderandum indicat, ſicuti defectus augendum. ſect. 1. cap. 6. p. 219.
Bilis prima ſeparationis rudimenta recipit in liene. ſect. 1. cap. 6. p. 218.
Bilis ſeparatur à ſanguine in hæpate. ſect. 1. cap. 6. p. 217.
Bilis conſtat partibus ætherogeneis, ſale ſcilicet, pingui oleoſo ſulphure, ſpiritu animali, & aqua. ſect. 1. c. 6. p. 218.
Bilis continuò fluit per Choledocon in duodenum. ſect. 1. cap. 4. p. 213.
Bilis Chylo advenienti occurrit, ſect. 1. cap. 4. pag. ibidem.
Bilis Chylo miſcetur. ſect. 1. cap. 4. p. 214.
Bilis fœces præcipitat. ſect. 1. cap. 4. p. ibidem.
Bilis Chylum attenuat, ac volatilizat. ſect. 1. cap. 4. p. ibidem.
Bilis, aut impedita, aut iners, aut deficiens quos morbos pariat, & eorumdem curationes. ſect. 1. cap. 4. p. ibid.
Bilis nimis exaltata, quæ mala gignat, & eorum curationes. ſect. 1. cap. 4. p. 215.
Bilioſo humori tribuitur motus circulationis, & qualis. ſect. 1. cap. 6. p. 219.
Bilis motus ad inteſtina eſt naturalis. ſect. 1. cap. 6 p. ibidem.
Bilis ad ventriculum aſcendens coctionem lædit, & cur aliquando aſcendat, quomodoque talis aſcenſus poſſit impediri. ſect. 1. cap. 6. p. ibid.
Bilis ſpecies omnes generari poſſunt in inteſtinis à Flava bile, & ſucco pancreatico. ſect. 1. cap. 6. pag. 226.
Bilis ſpecies omnes in inteſtinis genitæ per lacteas miſceri poſſunt ſanguini, & morbos gignere. ſect. 1. cap. 6. p. ibid.
Bilis in materia ſeminali ſuperabundans reddit ſemen infœcundum, & quare. ſect. 1. cap. 14. pag. 260.

C

CAchexia à lymphæ aciditate inducta, & ejus curatio. ſect. 1. cap. 7. p. 232.
Cachochimia pituitoſa quid ſit, & quomodo curanda. ſect. 1. cap. 11. p. 243.
Cachochimia in lue gallica quomodo producatur. ſect. 1. cap. 14. p. 260.
Calculi quomodo generentur. ſect. 1. cap. 9. pagin. 239.
Calculi curatio. ſect. 1. cap. 9. p. 237.
Calculi curatio præſervativa. ſect. 1. cap. 9. pagin. 239.

Calor

Calor conſiſtit in effluxu ſubſtantiali à corpore calido emanante, atque celeri, & perturbato motu prodeunte. ſect. 1. cap. 11. p. 244.
Calor tribuitur maſſæ ſanguineæ à parte ſulphurea, & ſpiritoſa in ipſa reſidente. ſect. 1. cap. 11. pagin. 242.
Calidum innatum quid ſit, & ejus actio. ſect. 1. cap. 12. p. 249.
Calidi innati vitia, & eorum curatio. ſect. 1. cap. 12. p. 250.
Caliditas, & humiditas abſolutè conſiderandæ ſunt in humoribus corporis viventis; frigiditas, & ſiccitas tantùm reſpectivè. ſect. 1. cap. 11. p. 242.
Cancri origo, & curatio. ſect. 1. cap. 7. p. 232.
Capitis dolor. Vide Dolorum cauſæ, & Remedia.
Catalepſis cauſæ, natura, & curatio. ſect. 3. cap. 3. p. 277.
Cerebrum inſervit facultati animali. ſect. 3. cap. 1. pag. 272.
Cerebrum contribuit ſpirituum animalium generationi. ſect. 3. cap. 1. p. ibid.
Cerebrum ſpiritus animales efficit fermento proprio implantato. ſect. 3. cap. 1. p. 273.
Cerebrum communicat aliquam virtutem impulſivam pro executione motus ſpiritibus. ſect. 1. cap. 10. p. 241.
Chylificatio fit in Ventriculo. ſect. 1. cap. 3. p.207.
Chylificatio fit per fermentationem, & quomodo. ſect. 1. cap. 3. p. 213.
Chylificatio ſine optima ciborum diſſolutione fieri non poteſt, & qua de cauſa. ſect. 1. cap. 3. p. 210.
Chyli color à quonam oriatur. ſect. 1. cap. 3. pag. 212.
Chylificatio perficitur in inteſtinis. ſect. 1. cap. 4. p. 213.
Chylificationis vitia, & eorum curationes. ſect. 1. cap. 3. pag. 207.
Chylus defœcatur ab excrementis mediante bile, & ſucco pancreatico ſimul efferveſcentibus. ſect. 1. cap. 4. p. 213.
Chyli depuratio fit per præcipitationem modo aliarum præcipitationum Chymicarum. ſect. 1. cap. 4. pag. ibid.
Chylus in glandulis magis attenuatur. ſect. 1. cap. 4. pag. 215.
Chyli attenuatio à mixtione ſpiritus animalis, & arterioſi. ſect. 1. cap. 4. p. 216.
Chylus à glandulis Meſenterii per ductum Toracium fertur in ſuclaviam; ſanguini miſcetur, & ſuæ mutationis ſuſcipit principia. ſect. 1. cap. 5. pagin. ibidem.
Chyloſus fluxus ab obſtructione lactearum, & obſtructione glandularum meſenterii. ſect. 1. cap. 4. pag. 215.
Circulationis motus in ſanguine datur, & ad quem finem. ſect. 1. cap. 11. p. 247.
Circulationis hujuſce vitia, & curationes. ſect. 1. cap. 11. p. ibidem.
Cœliaca paſſio per quid differat à Lienteria. ſect. 3. cap. 4. p. 215.
Color quid ſit. ſect. 3. cap. 3. p. 276.
Colorum varietas unde ortum habeat. ſect. 3. cap. 3. pag. ibid.
Coma, & Catus. Vid. ſomnolentia morboſa.
Cholera quid ſit, quales ejus cauſæ. ſect. 1. cap. 3. p. 208.
Choleræ curatio. ſect. 1. cap. 3. p. 209.
Cor eſt præcipuum inſtrumentum facultatis vitalis. ſect. 2. cap. 2. p. 269.
Cor eſſe fontem caloris quomodo ſit intelligendum. ſect. 2. cap. 2. p. 276.
Cor eſt ſimplex muſculus. ſect. 2. cap. 2. p. ibid.
Cor movetur motu indeſinenti Dyaſtoles, & Syſtoles. ſect. 2. cap. 2. p. 269.
Cordis motus à quo efficiatur. ſect. 2. cap. 2. pagin. ibidem.
Cordis palpitationes, & motus inordinati vitio Sanguinis quomodo producantur, & quomodo curari debeant. ſect. 2. cap. 2. p. 271.

D

Delirium quomodo producatur in febribus ardentibus. ſect. 3. cap. 10. p. 289.
Dentium ſtupiditas unde oriatur. ſect. 1. cap. 8. pag. 234.
Deſtillationes à cerebro provenientes explicantur. ſect. 3. cap. 1. p. 284.
Deſtillationes ſalſæ quomodo tales efficiantur. ſect. 1. cap. 6. p. 225.
Dyarrhæa quid ſit. ſect. 1. cap. 6. p. 220.
Dyarrhæa orta à bile acri in inteſtina defluente. ſect. 1. cap. 6. p. ibid.
Dyarrheæ variæ ſpecies à mala Chylificatione. ſect. 1. cap. 3. p. 213.
Dyarrheæ curatio. ſect. 1. cap. 6. p. 221.
Dyabetes quid ſit, & quomodo ei occurrendum. ſect. 1. cap. 9. p. 237.
Dyabetes aliquando fit ab acri ſalſo corrodente. ſect. 1. cap. 6. p. 222.
Dyſpnæa. Vid. Aſtma.
Dyſentheria quid ſit, à quibus producatur, & ejus curatio. ſect. 1. cap. 6. p. 220.
Dolor quid ſit, & quomodo fiat. ſect. 3. cap. 7. pagin. 283.
Dolorum cauſæ, & remedia. ſect. 3. cap. 7. pagin. ibid.
Dolorem ſanguinem attrahere quomodo ſit explicandum. ſect. 1. cap. 11. p. 248.
Dolores omnes inteſtinorum, qui conjunguntur eum ſenſu frigiditatis proveniunt à pituita, & quomodo curandi. ſect. 1. cap. 8. p. 235.

E

Empiema quid ſit, & ejus curatio. ſect. 2. cap. 1. p. 269.
Epilepſia quid ſit, & ejus curatio. ſect. 3. cap. 11. p. 292.
Eriſipelas quid ſit, & ejus curatio. ſect. 1. cap. 11. pag. 247.

F

Facultates medicè conceptæ non ſunt niſi organa cum ſuis requiſitis, & conditionibus diſpoſita. ſect. 1. cap. 1. p. 204.
Facultas naturalis quid ſit. ſectio prima, cap. 1. pagin. ibid.
Facultas ſegregatrix inteſtinis reiicitur. ſect. 1. cap. 4. p. 213.
Facultas nutritiva ex Ariſtotele quod ſit. ſect. 1. cap. 12. p. 249.
Facultas pulſifica, ſeu pulſus arteriarum in quo conſiſtat. ſect. 2. cap. 2. p. 272.
Facultas animalis quid ſit. ſectio tertia, cap. 1. pag. ibid.
Facultas imaginativa quid ſit. ſect. 3. cap. 9. pagin. 287.
Facultas imaginativa eſt potentia media inter ſenſum, & intellectum. ſect. 3. cap. 9. p. ibid.
Facultas imaginativa ſuas operationes exerçet per motum. ſect. 3. cap. 9. p. ibid.
Facultas intellectiva quid ſit. ſect. 3. cap. 10. pagin. 239.
Facultas loco motiva quid ſit. ſect. 3. cap. 11. pag. 290.
Fames ab Ariſtotile definita, & quomodo talis definitio intelligenda. ſect. 1. cap. 2. p. 204.
Fames eſt appetitus ſolius ſicci actu. ſect. 1. cap. 2. p. ibid.
Fames ab acido producitur. ſect. 1. cap. 2. p. 205.
Famem fieri ab Acido, ſcire ſufficit medico ad ejus exceſſum, aut deffectum curandum, qualicumque modo tale acidum feratur ad ventriculum, aut in eo generetur. ſect. 1. cap. 2. p. ibid.

Famis

Famis vitia quomodo corrigenda. ſect. 1. cap. 2. pag. ibidem.
Fames ab acido fixo, & quieſcente non excitatur, & qua cauſa. ſect. 1. cap. 2. p. ibid.
Famem excitant in aliquibus calida, & aromatica, & cur. ſect. 1. cap. 2. p. ibid.
Fames canina ab Acido Pancreatis orta, & quomodo. ſect. 1. cap. 7. p. 230.
Fames aliquando non ſentitur ob intenſam apprehenſionem alterius rei, quod accidit in melancholicis. ſect. 1. cap. 2. p. 205.
Fames cur minuatur æſtate, augeatur verò hyeme. ſect. 1. cap. 3. p. 212.
Famelici fiunt aliqui, qui ſine fama) menſæ accedunt, cum ædere inceperint, & quare. ſect. 1. cap. 2. p. 205.
Febrium natura in motu fermentationis maſſæ ſanguineę aucto conſiſtit. ſect. 1. cap. 11. p. 249.
Febres periodicæ unde ortum habeant. ſect. 1. cap. 11. p. 248.
Febres longæ, lentæ, & parvæ ſine calore à lymphæ aciditate producuntur. ſect. 1. cap. 7. p. 233.
Febres malignæ à ſanguinis diſſolutione. ſect. 1. cap. 6. p. 223.
Febres malignæ ſummam habent putredinem, quia ſummam ſanguinis diſſolutionem. ſect. 1. cap. 6. pagin. ibidem.
Febris malignæ à diſſolutione pendentis ſymptomata. ſect. 1. cap. 6. p. 223.
Febris malignæ à ſanguinis ſolutione ortæ curatio. ſect. 1. cap. 6. p. ibid.
Febres malignæ etiam aliquando producuntur ab acido ob ſummam ſanguinis coagulationem: Harum ſigna, & earum curatio. ſectio prima, cap. 11. pag. 245.
Febricitantes quo plus nutriuntur plus læduntur, & qua de cauſa. ſect. 1. cap. 3. p. 211.
Febricitantes cur male nutriantur, ideòque emacientur. ſect. 1. cap. 12. p. 251.
Fermentum famis. Vid. Fames.
Fermentum Ventriculi ad Chylificationem inſerviens illius eſt, quod & famem excitat. ſect. 1. cap. 3. p. 210.
Fermentum Ventricnli eſt Acido-Salſum. ſect. 1. cap. 3. p. 205.
Fermentum Ventriculi adjuvatur à ſaliva, in qua ineſt vis fermentativa. ſect. 1. cap. 3. p. 210.
Fermentum ventriculi quot modis vitietur; ejus vitiorum ſigna, & curationes. ſect. 1. cap. 3. p. 211.
Fermentum Ventriculi ad agendum excitatur à Calore. ſec. 1. cap. 3. p. 211. & 212.
Fermentum Ventriculi ab immodico calore diſſipatur. ſec. 1. cap. 3. p. ibidem.
Fermentum Lienis quale; ejus vitia, & curationes. ſec. 1. cap. 7. p. 231.
Fermentum diſſolutivum ad corrigendam ſanguinis craſſitiem in renibus ſuccenturiatis datur. ſec. 1. cap. 9. p. 236.
Fermentatio continua ineſt ſanguini: In quo conſiſtat; & ad quem finem. ſec. 1. cap. 11. p. 248.
Fermentatione hac ſanguinis diminuta impeditur excrementorum ſecretio. ſec. 1. cap. 11. ibidem.
Fermentationis hujuſce vitia, & quomodo corrigenda. ſec. 1. cap. 11. p. ibid.
Fermentum nutritionis. Vid. calidum innatum.
Fermentum proprium teſtibus implantatum ad ſeminis generationem dari probatur. ſec. 1. cap. 13. pagin. 255.
Fermentum glandularum cerebri pro ſpirituum animalium generatione. Vid. Cerebrum.
Flamma minor à majori extinguitur, & cur. ſec. 1. cap. 3. p. 212.
Fœminæ habent ovarium. ſec. 1. cap. 13. p. 258.
Fœminæ cur ſe ſolis non poſſint concipere. ſec. 1. cap. 13. p. 259.

G

Generatio quid ſit. ſec. 1. cap. 13. p. 256.
Generationi mas concurrit effectivè. ſec. 1. cap. 13. p. 257.
Generationi fœmina concurrit effectivè. ſec. 1. cap. 13. p. 258.
Generationis vera cauſa efficiens. ſec. 1. cap. 13. pag. ibid.
Generationis modus explicatur. ſec. 1. cap. 13. pagin. 259.
Generatio animalium perfectorum fit ex concurſu maris, & fœminæ. ſec. 1. cap. 13. p. 257.
Generatur cur aliquando mas, & cur aliquando fœmina. ſec. 1. cap. 13. p. 259.
Gonorrhæa quomodo producatur, & auferri debeat. ſec. 1. cap. 14. p. 261.

H

Hæpar non ſanguificat. ſec. 1. cap. 5. p. 216.
Hæpatis tumor Hydropem producit, & quomodo, & ejus curatio. ſec. 1. cap. 12. p. 256.
Hærnia carnoſa teſtium actionem vitiat, & quomodo tollenda. ſec. 1. cap. 14. p. 262.
Hæmorrholgia ſanguinis è naribus quomodo curanda. ſec. 1. cap. 11. p. 246.
Hæmorrhoides nimio manantes ſanguine quomodo adſtringendæ. ſec. 1. cap. 11. ibid.
Hypocondriacæ melancholiæ cauſæ. ſec. 1. cap. 7. pagin. 228.
Hypocondriorum dolores ab effervеſcentia nimia chyli, & nimia aciditate ſucci pancreatici. ſec. 1. cap. 7. p. 227.
Hipocondriaci dolores, & rugitus non ex ventriculi debilitate, ſed ex ejus inferioris oris exſiccatione inducta ab appoſiti Hæpatis calore. ſec. 1. cap. 3. pag. 210.
Hypocondriacorum dolorum curatio. ſec. 1. cap. 3. p. ibidem.
Hypocondriacorum querelæ de ſtomaco à quo originem habeant. ſec. 1. cap. 3. p. 211.
Hydrops unde oriatur. ſec. 1. cap. 6. p. 222.
Hydrops à lymphæ aciditate inducta, & ejus curatio. ſec. 1. cap. 7. p. 232.
Hydrops Abdominis. Vide Aſcites.
Hydrops variarum partium. ſec. 1. cap. 12. pagin. 254.
Hydropis pulmonum cauſæ, & remedia. ſec. 2. cap. 1. p. 269.
Hydrocephalus. ſec. 1. cap. 12. p. 254.
Hyſtericæ paſſiones unde ortum habeant, & quomodo ſedandæ. ſec. 3. cap. 11. p. 295.
Humiditas ſanguini communicatur tam à ſero, quàm à comminutione ſuarum particularum. ſec. 1. cap. 11. p. 242.
Humorum quaternarium ab Hypocrate deſcriptum, & quo fundamento. ſect. 1. cap. 11. p. 241.

I

Intellectus quid ſit. ſec. 3. cap. 10. p. 289.
Intellectio quotuplex. ibidem
Intellectus quomodo intelligat. p. 290.
Intemperies quæcumque primo ex ſanguine eſt petenda. ſec. 1. cap. 11. p. 244.
In ſanguinea maſſa quæ ſint præcipuè conſideranda. ſec. 1. cap. 11. p. 242.
Inflammationes multæ à Pletoria. ſec. 1. cap. 11. pag. 246.
Inteſtinorum mucus unde ortum habeat. ſec. 1. cap. 6. p. 220.
Iſcuria. Vid. Urinæ ſuppreſſio.

Lethar-

L

Lethargus. Vid. Somnolentia Morboſa.
Leuco phlegmatia. Vid. Anaſarca.
Lyenis uſus. ſec. 1. cap. 7. p. 231.
Lyenis tumor facilè Hydropem affert, & qua de cauſa. ſec. 1. cap. 12. p. 255.
Lyenis tumor quomodo producatur ſuppoſita circulationis ſchola. ſec. 1. cap. 12. p. ibid.
Lyenis tumorum curatio. ſec. 1. cap. 12. p. ibid.
Lyentheria quomodo fiat, & ejus remedia. ſec. 1. cap. 3. p. 207.
Lympha producitur in glandulis conglomeratis ex ſero ſub acido, & ſpiritu animali à temperamento earum proprio. ſec. 1. cap. 7. p. 228.
Lymphæ ſpecies duplex. ſec. 1. cap. 7. p. 233.
Lympha in parte ſuperiori circulans ad venas jugulares fertur in inferiori verò ad cyſtim magnam. ſec. 1. cap. 7. p. 228.
Lympha ſanguini miſcetur, & ad quem finem. ſec. 1. cap. 7. p. ibidem.
Linguæ quoad guſtus ſenſum vitia. ſec. 3. cap. 6. p. 260.
Lues Gallica quid ſit. ſec. 1. cap. 14. p. ibid.
Lues Gallica ſemen pro generatione vitiat. ſec. 1. cap. 14. p. 261.
Luis venereæ curatio. ſec. 1. cap. 14. p. ibid.
Lumen quid ſit. ſec. 3. cap. 3. p. 275.
Lumen quomodo producatur, & partes proximas illuminet. ſec. 3. cap. 3. p. 276.

M

Macies naturalis in ſenio qua de cauſa. ſec. 1. cap. 12. p. 253.
Macies in Hæctica unde oriatur. ſec. 1. cap. 12. p. ibid.
Macies ex immodica Venere. ſec. 1. cap. 12. pagin. ibid.
Macies ex immodicis excretionibus. ſec. 2. cap. 12. p. ibid.
Macies ab obſtructione inducta. ſec. 1. cap. 12. pag. ibid.
Macies ex vitio partis nutriendæ. ſec. 1. cap. 12. p. ibid.
Mania quomodo producatur. ſec. 3. cap. 10. pagin. 290.
Melancholica affectio, & ejus curatio. ſect. 3. cap. 9. p. 288.
Melancholici & frigidi cur facilè ſteriles evadant. ſec. 1. cap. 14. p. 260.
Melancholia cum viſcerum obſtructionibus quid ſit, & quomodo curanda. ſectio prima, cap. 11. pag. 243.
Menſium ſuppreſſio quibus producatur cauſis, & quibus remediis auferenda. ſectio 1. cap. 14. pagin. 264.
Menſium deffectus ſterilitatem inducit. ſec. 1. cap. 14. ibid.
Menſium immodicus fluxus quomodo ſiſtendus. ſec. 1. cap. 11. p. 246.
Meſenterii ſchyrri, ſcrofulæ, ſthæoremata, Atheoremata, & Melicerides à quibuſnam cauſis oriantur, & eorum curatio. ſec. 1. cap. 4. p. 216.
Mœroris, & timoris cauſæ. ſect. 3. cap. 9. p. 289.
Molæ Generatio. ſec. 1. cap. 14. p. 263.
Motus muſculorum quomodo fiat. ſec. 1. cap. 10. p. 241.
Motus quot modis vitietur, & quomodo naturali ſtatui reſtituendus. ſec. 3. cap. 11. p. 292.
Motus convulſivi quo pacto efficiantur, & quomodo tollendi. ſec. 3. cap. 11. p. ibid.
Motus duplex in ſanguine, unus circulationis, alter verò fermentationis, & quibus de cauſis. ſec. 1. cap. 11. p. 247.
Motus preſſionis eſt motus ad lumen efficiendum neceſſarius. ſec. 3. cap. 3. p. 276.
Muſculus quid ſit, & quibus conſtet partibus. ſect. 3. cap. 11. p. 290.
Muſculus quomodo moveatur. ſec. 3. cap. 11. p. ibid.
Muſculus habet virtutem elaſticam. ſec. 3. cap. 11. p. ibidem.

N

Narium quoad odoratum vitia, & eorum curatio. ſec. 3. cap. 5. p. 281.
Nervorum ſtructura juxta Borellum explicatur. ſec. 1. cap. 10. p. 241.
Nervorum ſuccus quomodo gignatur. ſec. 1. cap. 10. p. 240.
Nerveus ſuccus per Nervos fluit leni, & inſenſibili motu, & ad quem finem. ſec. 1. cap. 10. p. ibid.
Nervoſo huic ſucco duplex tribuitur motus, alter ſurſum, alter deorſum. ſec. 1. cap. 10. p. 241.
Nictolopia. Vid. Pupillæ conſtrictio.
Nutritio fit per reparationem deperditi. ſec. 1. cap. 1. p. 204.
Nutritio quomodo fiat. ſec. 1. cap. 12. p. 250.
Nutritionis effectioni tria concurrunt. ſec. 1. cap. 12. p. 249.
Nutritionis principium effectivum eſt anima. ſec. 1. cap. 12. p. ibid.
Nutritionis principium diſpoſitivum eſt calor. ſec. 1. cap. 11. p. ibid.
Nutritionis principium inſtrumentale eſt organizatio. ſec. 1. cap. 12. p. ibid.
Nutritionem propriam perficit quilibet muſculus fermento proprio. ſec. 1. cap. 1. p. 204.
Nutritionis vitia, & quo pacto corrigenda. ſec. 1. cap. 12. p. 250.

O

Objectum Medicinæ eſt tantùm corpus humanum organizatum. ſec. 1. cap. 1. p. 204.
Objectum ſenſus debet afficere ſenſum vel immediatè, vel per effluxum ſuæ ſubſtantiæ. ſec. 3. cap. 2. pag. 274.
Objectum Viſus eſt lumen. ſec. 3. cap. 3. p. 275.
Objectum Auditus eſt ſonus, & quomodo. ſec. 3. cap. 4. p. 279.
Objectum odoratus ſunt odores. ſec. 3. cap. 5. p. 280.
Objectum Guſtus eſt ſapor. ſec. 3. cap. 6. p. 281.
Objectum Tactus ſunt omnes qualitates tangibiles, tam primæ, quàm ſecundæ. ſec. 3. cap. 7. p. 283.
Obſtructiones generantur culpa effervefcentiæ immoderatæ chyli à ſucco nimis acidi Pancreatis. ſec. 1. cap. 7. p. 228.
Obſtructionum remedia. ſec. 1. cap. 7. pagin. 228. & 229.
Obſtructiones cum cordis oppreſſione, palpitatione, & tremore. ſec. 1. cap. 6. p. 224.
Obſtructiones ſiccæ in Hypocondriis quomodo explicandæ. ſec. 1. cap. 7. p. 228.
Obſtructiones Lyenis à Lymphæ aciditate, & earum curatio. ſec. 1. cap. 7. p. 231.
Obſtructiones Hæpatis à Lympha acida & earum curatio. ſec. 1. cap. 7. p. 232.
Obſtructiones Meſenterii ab eadem cauſa. ſec. 1. cap. 7. p. ibid.
Obſtructiones renum quomodo curandæ. ſec. 1. cap. 9. p. 237.
Obſtructio Nervi optici. ſec. 3. cap. 3. p. 278.
Obſtructio Nervi auditorii quibus à cauſis, & quomodo auferenda. ſec. 3. cap. 4. p. 280.
Obſtructio Nervi olfactorii quo pacto tollenda. ſec. 3. cap. 5. p. 281.
Obſtructio Nervorum linguæ à quo oriatur, & quomodo demenda. ſec. 3. cap. 6. p. 282.
Odor quid ſit, & in quo conſiſtat. ſect. 3. cap. 5. pag. 280.
Odorum varietas unde naſcatur. ſec. 3. cap. 5. p. 281.
Oculorum quoad viſionem vitia, & remedia. ſec. 3. cap. 3. p. 277.

Ophtal-

Ophtalmia, & ejus curatio. ſec. 3. cap. 3. p. 278.
Organa facultatis naturalis quænam. ſec. 1. cap. 1. p. 204.
Organum nutritionis eſt quælibet pars. ſec. 1. cap. 1. ibidem.
Organnm viſus eſt oculus non ſecundùm omnem ſui partem, ſed tantùm ſecundùm retinam. ſec. 3. cap. 3. p. 276.
Organum Auditus eſt tunica producta ab expanſione Nervi olfactorii. ſec. 3. cap. 4. p. 279.
Organum odoratus quænam partes ſint. ſec. 3. cap. 5. p. 281.
Organum Guſtus eſt lingua. ſec. 3. cap. 6. p. 282.
Organum Tactus ſunt Nervi. ſect. 3. cap. 7. p. 283.
Organum facultatis loco motivæ ſunt muſculi. ſec. 3. cap. 11. pag. 290.
Ortopnea. Vid. Aſtma.

P

PAncreaticus ſuccus, cur ita dictus. ſec. 1. cap. 7. p. 225.
Pancreaticus ſuccus cognitus obſcuro modo ab Hyppocrate. ſec. 1. cap. 7. p. 226.
Pancreaticus ſuccus generatur in Pancreate à ſero acido, ſale & ſpiritu animali mediante fermento inſito. ſec. 1. cap. 7. p. ibid.
Pancreaticus ſuccus cur dulcis evadat. ſec. 1. cap. 7. p. ibid.
Pancreaticus ſuccus lac coagulat. ſec. 1. cap. 7. p. 226. & 227.
Pancreaticus ſuccus continuò ad inteſtina fluit. ſec. 1. cap. 4. p. 213.
Pancreaticus ſuccus chylo miſcetur. ſec. 1. cap. 4. pag. ibid.
Pancreaticus ſuccus fermentat cum bile in inteſtinis. ſec. 1. cap. 7. p. 227.
Pancreaticus ſuccus fœcum ſegregationem à chylo promovet. ſec. 1. cap. 4. p. 214.
Pancreaticus ſuccus quamdam glutinoſitatem chylo imprimit. ſec. 1. cap. 4. ibid.
Pancreaticus ſuccus aliquando auſterus evadit, aliquando ſalſus, & quia, & ad eumdem corrigendum remedia. ſec. 1. cap. 7. p. 229.
Pancreaticus ſuccus convenit cum melancholia Antiquorum. ſec. 1. cap. 7. p. 228. & 229.
Pancreatici ſucci exceſſus, atque deffectus chylum viciat, & harum affectionum curatio. ſec. 1. cap. 4. p. 215.
Pancreatici ſucci in ejus generatione vitia, & curationes. ſec. 1. cap. 7. p. 227.
Panis calidus ſitim inducit, & quare. ſec. 1. cap. 2. p. 204.
Paraliſis quid ſit, & ejus remedia. ſec. 3. cap. 11. pag. 296.
Peripneumonia quomodo fiat, & ejus curatio. ſec. 1. cap. 7. p. 231.
Penis erectio neceſſaria ad ſemen ejaculandum pro generatione. ſec. 1. cap. 14. p. 262.
Penis erectio quomodo fiat. ſec. 1. cap. 14. ibid.
Penis flaciditas unde oriatur. ſec. 1. cap. 14. p. 263.
Penis erectionem Remedia adjuvantia. ſec. 1. cap. 14. p. ibid.
Phtiſis quomodo curanda. ſec. 2. cap. 1. p. 268.
Phantaſmata quid ſint. ſec. 3. cap. 9. p. 287.
Phantaſmata aliquando alterantur à patematibus animi. ſec. 3. cap. 9. p. ibid.
Plenitudo, ſeu Pletoria duplex, & earum curatio. ſec. 1. cap. 11. p. 245. & 246.
Pletoricis multis cur alvus ſit adſtricta. ſec. 1. cap. 6. p. 221.
Pleuritis quid ſit, & quibuſnam oriatur cauſis. ſec. 1. cap. 7. p. 231.
Pleuritis an differat à Peripneumonia, & ejus curatio. ſec. 1. cap. 7. ibid.
Podagra. Vid. Dolorum cauſæ, & remedia.
Potatores magni cur facilè in Hydropem incidant. ſec. 1. cap. 12. p. 256.
Pinguedo immodica unde, & quomodo generetur, & quibus remediis abſumenda. ſec. 1. cap. 12. pagin. 252.
Pinguia animalia cur ſterilia evadant. ſec. 1. cap. 14. p. 259.
Pituita inteſtinalis eſt ipſa ſaliva per ventriculum ad inteſtina delapſa. ſec. 1. cap. 8. p. 235.
Pituita, & ejus variæ ſpecies. Vid. Saliva.
Priapiſmus quid, & quomodo curandus. ſec. 1. cap. 14. p. 263.
Pulſus. Vid. facultas pulſifica.
Pupillæ dilatatio, & conſtrictio quomodo curandæ. ſec. 3. cap. 3. p. 278.
Putredo ſecundùm quid, adeò ab antiquis decantata, quid ſit. ſec. 1. cap. 7. p. 229.
Putredo ſumma quid ſit. ſec. 1. cap. 6. p. 223.

Q

QUalitates primæ quænam, & quæ ex his conſiderandæ veniunt abſolutè, & quæ reſpectivè. ſect. 1. cap. 11. p. 242.
Qualitates ſecundæ perpendæ ſunt in maſſa ſanguinea tamquam majoris efficaciȩ in generandis morbis. ſec. 1. cap. 11. p. 244.

R

REmedia partium ſpecifica ita dicta ab Antiquis, à recentioribus quomodo explicentur. ſec. 3. cap. 7. p. 283.
Rene uno tantùm dolente cur ſæpè totaliter ſupprimatur urina. ſec. 1. cap. 9. p. 237.
Reſpiratio quomodo fiat. ſec. 2. cap. 1. p. 266.
Reſpirationis finis qualis. ſec. 2. cap. 1. p. ibid.
Reſpirationis vitia, & eorum curatio. ſec. 2. cap. 1. p. 267. & 268.
Rethinæ vitia, & quo pacto corrigenda. ſec. 3. cap. 3. p. 278.

S

SAliva quid ſit, & quomodo generetur. ſec. 1. cap. 8. p. 233.
Saliva quo pacto producatur. ſec. 1. cap. 3. p. 206.
Saliva virtutem fermentativam in ſe continet. ſec. 1. cap. 8. p. 234.
Saliva habet vim fermenti chylificationem adjuvantis. ſec. 1. cap. 3. p. 206.
Saliva differt à lympha, & ſucco Pancreatico. ſec. 1. cap. 8. p. 234.
Saliva cujus finis gratia ſit genita. ſec. 1. cap. 8. ibid.
Saliva non eſt inutile excrementum. ſec. 1. cap. 3. p. 206.
Saliva non eſt excrementum inutile. ſec. 1. cap. 8. p. 234.
Saliva recentiorum non differt à pituita antiquorum. ſec. 1. ibid.
Salivæ variatæ conditiones poſſunt modò perficere, modò vitiare Chylificationem. ſec. 1. cap. 3. pag. 207.
Salivæ, ſeu Pituitæ vitia, & eorum curationes. ſec. 1. cap. 8. p. 234.
Salivæ, ſeu Pituitæ variæ ſpecies quomodo producantur. ſec. 1. cap. 8. p. 235.
Sal volatile ineſt ſanguini. ſec. 1. cap. 11. p. 241.
Salia nimis fixa in ſanguine hoſpitantia quos morbos generent. ſec. 1. cap. 11. p. 245.
Salia multa volatilia, & fixa exiſtere in ſanguine probat ejus deſtillatio. ſect. 1. cap. 11. p. 244.
Salſum diſſolvens eſt majoris efficaciæ, quàm calor. ſec. 1. cap. 6. p. 222.
Salſum quodam à mixtione bilis, & ſucci pancreatici genitum in ſanguine latitat. Ejus functiones, vitia, & curationes. ſec. 1. cap. 6. p. 221.
Salſum hoc licèt latens in ſanguine, propriè tamen pars ſanguinis non eſt dicenda. ſec. 1. cap. 6. pag. 222.

Salſum

Salſum volatile quomodo fiat fixum. ſec. 1. cap. 11. p. 244.
Salſamenta ſeroſitatem augent; quare & quomodo. ſec. 1. cap. 6. p. 222.
Sanguinis conſtitutio. ſec. 1. cap. 11. p. 241.
Sanguis primò alteratur evidenter in Pulmonibus. ſec. 2. cap. 1. p. ibid.
Sanguinis æſtus, & fervor in Pulmonibus à ſpiritu nitro-aereo emanat. ſec. 2. cap. 1. p. 267.
Sanguis in corde perfectè gignitur. ſec. 1. cap. 5. p. 216.
Sanguis cur rubeſcat. ſec. 1. ibid.
Sanguis quomodo incaleſcat intra ventriculos cordi. ſec. 2. cap. 2. p. 271.
Sanguis terreſtri glebæ non eſt diſſimilis. ſec. 2. cap. 1. p. 166.
Sanguinis maſſam tribus partibus conſtare ab aliquibus creditum fuit. ſec. 1. cap. 11. p. 241.
Sanguis humidum craſſum eſt, & viſcoſum. ſec. 1. cap. 6. p. 222.
Sanguinis fluiditas à quo efficiatur, & conſervetur. ſec. 1. cap. 6. p. 219.
Sanguinis perfectio conſiſtit in moderata rarefactione, effervefcentia, & accenſione. ſec. 1. cap. 5. p. 216. & 217.
Sanguis quomodo vitietur ab hac effervefcentia aucta, vel imminuta, & quomodo hiſce vitiis occurrendum. ſec. 1. cap. 5. p. ibid.
Sanguis toti temperamentum tribuit. ſect. 1. cap. 11. p. 244.
Sanguis ſummè craſſus eſt nutritioni ineptus, & qua de cauſa. ſec. 1. cap. 12. p. 253.
Sanguis in febribus malignis extractus, cur aliquando non coaguletur. ſec. 1. cap. 11. p. 242.
Sapor quid ſit, & in quo conſiſtat. ſect. 3. cap. 6. p. 282.
Saporum varietas unde oriatur. ſec. 3. cap. 6. ibid.
Sapores in humoribus ſunt conſiderandi. ſec. 1. cap. 11. p. 244.
Scabies, & pruritus à pituita ſalſa, & eorum curatio. ſec. 1. cap. 8. p. 235.
Semen quid ſit. ſec. 1. cap. 13. p. 257.
Semen cur humidum, ſpumoſum, & album. ſec. 1. ibid.
Semen fit ex reliquiis ultimi, & optimi alimenti, & cur. ſec. 1. cap. 13. ibid.
Semen decidit à toto. ſec. 1. cap. 13. p. ibid.
Seminis generationi concurrit ſpiritus animalis, & quando. ſec. 1. ibid.
Seminis paucitas unde, & quomodo reſtauranda. ſec. 1. cap. 14. p. 259.
Seminis deffectus ob quas cauſas. ſec. 1. ibid.
Seminis vitia, & eorum curationes. ſec. 1. ibid.
Seminalis materiæ quantitas feminis generationem vitiat, & quo pacto minuenda. ſec. 1. cap. 14. p. 260.
Seminalis materiæ qualitas etiam generationem vitiat, & quomodo corrigenda. ſec. 1. ibid.
Semen fœmineum omnes in ſe habet fœminæe partes. ſec. 1. cap. 13. p. 258.
Semen quod in coitu effunditut à fœmina non eſt verè ſemen. ſec. 1. ibid.
Seminis fœminei vitia, & eorum curationes. ſec. 1. cap. 14. p. 263.
Senſus communis. Vid. Facultas imaginativa.
Senſus in genere quid ſit. ſec. 3. cap. 2. p. 274.
Senſus eſt pars noſtri corporis ſenſitiva. ſec. 3. cap. 2. p. 275.
Senſus quomodo dicatur pati. ſec. 3. ibid.
Senſus perfectus quid ſit. ſec. 3. cap. 2. p. ibid.
Senſus communis quid ſit, & ubi reſideat. ſec. 3. ibid.
Senſus communis vitia, & eorum curationes. ſec. 3. cap. 9. p. 287.
Sentire non conſiſtit in ſola paſſione, ſed etiam in actione. ſect. 3. cap. 2. p. 275.
Seroſæ colluviei morbi, & eorum curatio. ſect. 1. cap. 6. p. 222.
Sitis ex Ariſtotile definitio quomodo intelligenda. ſec. 1. cap. 2. p. 204.
Sitis eſt appetitus ſolius humidi. ſec. 1. cap. 2. p. ibid.
Singultus cauſæ, natura, & curatio. ſec. 3. c. 11. p. 293.
Sitis quomodo producatur. ſec. 1. cap. 2. p. 206.
Sitim non tollit humidum, quod ſit ſalſum, aut amarum, aut auſterum, aut excedenter dulce; & quare. ſec. 1. cap. 2. ibid.
Siti urgente in Hydrophabia omne humidum odio habetur, & quare. ſec. 1. ibid.
Somnus eſt paſſio facultatis ſenſitivæ. ſec. 3. cap. 8. p. 284.
Somnus quid ſit, & in quo conſiſtat. ſec. 3. cap. 8. p. 285.
Somnus quibus de cauſis inducatur. ſec. 3. ibid.
Somnolentia morboſa ab obſtructione cerebri, & quibus remediis tollenda. ſec. 3. cap. 8. p. 286.
Sonus quid, & quotuplex ſit, & quomodo fiat. ſec. 3. cap. 4. p. 279.
Spaſmus. Vid. Motus Convulſivi.
Species Peripateticæ non ſunt niſi motus. ſec. 3. cap. 2. p. 275.
Spiritus animales ubi, & ex quo gignantur. ſec. 3. cap. 1. p. 273.
Spirituum animalium generatio quomodo vitietur, vel vitio organi, vel materiæ, & eorum remedia. ſec. 3. cap. 1. p. 273. & 274.
Stranguria. Vid. Urinæ difficultas, & Ardor.
Strummæ à quo oriantur, & earum curatio. ſec. 1. cap. 7. p. 232.
Suffocatio à Pletoria quo pacto curanda. ſec. 1. cap. 11. p. 246.
Suffuſio. Vid. Catarracta.
Surditas. Vid. Obſtructio Nervi Auditorii.

T

Temperies magis propria naturæ humanæ eſt admixtio humiditatis cum caliditate. ſec. 1. cap. 11. p. 242.
Temperamentum calidum, & humidum in quo conſiſtat. ſec. 1. ibid.
Temperamenti hujuſce mutationes præternaturales, & curationes. ſec. 1. ibid.
Temperamentum calidum, & ſiccum unde. ſec. 1. ibid.
Temperamenti hujuſce diſcraſiæ, & curationes. ibid.
Temperamentum frigidum, & humidum quale. ſec. 1. ibid.
Temperamenti iſtius læſiones, & curationes. ſec. 1. cap. 11. p. 243.
Temperamentum frigidum, & ſiccum quid ſit. ibid.
Temperamenti hujus vitia, & curationes. ſec. 1. ibid.
Teneſmus à pituita ſalſa, & ejus curatio. ſec. 1. cap. 8. p. 237.
Teſtium vitia in prava ſeminis elaboratione, & eorum remedia. ſec. 1. cap. 14. p. 262.
Thoracis dilatatio in inſpiratione quo pacto fiat. ſec. 2. cap. 1. p. 266.
Tympanites quid. Ejus cauſæ, & curatio. ſec. 1. cap. 12. p. 256.
Tophi gallici unde originem trahant. ſec. 1. cap. 14. p. 261.
Tremor quid ſit, à quibus cauſis, & quomodo curandus. ſec. 3. cap. 11. p. 294.
Tumores, & Inflammationes qua de cauſa oriantur. ſect. 1. cap. 11. p. 247.
Tuſſis. Vid. Aſtma.

V

Vapor à ſanguine arterioſo exhalans, & condenſatus non eſt lympha. ſec. 1. cap. 7. p. 230.
Vapor iſte ad quid inſerviat. ſec. 1. ibid.
Ventriculi temperies quid ſit. ſec. 1. cap. 3. p. 297.
Ventriculi temperies frigida. ſec. 1. ibid.
Ventriculi fibræ in eo alimentorum moram inducunt. ſec. 1. ibid.
Ventriculi recta conſtitutio requirit, & fermentum, & calorem. ſec. 1. cap. 3. p. 210.
Ventriculi fermentum. Vid. Fermenrum.
Ventriculi calor in quo conſiſtat. ſec. 1. cap. 3. p. 211.
Ventriculi actiones calor vel immodicus, vel exiguus lædit,

lædit, & quomodo ſit corrigendus. ſect. 1. cap. 3. p. 211. & 212.
Ventriculi debilitas à calore qua de cauſa, & quomodo. ſect. 1. cap. 3. p. 212.
Ventriculi frigidiores magis appetunt, & minùs concoquunt. ſect. 1. cap. 3. p. 210. & 211.
Ventres hyeme eſſe calidiſſimos (ut ait Hippocrates) quomodo intelligendum. ſect. 1. cap. 3. p. 212.
Vertigo, cauſæ, & ejus curatio. ſect. 3. cap. 9. pagin. 288.
Vigilia eſt affectio facultatis ſenſitivæ. ſect. 3. cap. 8. p. 284.
Vigilia quid ſit, & in quo conſiſtat. ſect. 3. ibid.
Vigilia præternaturalis à quibus cauſis emanet, & quomodo ſedanda. ſect. 3. cap. 8. p. 286.
Viſio quomodo fiat. ſect. 3. cap. 3. p. 277.
Vomitus quomodo fiat, & ejus cauſæ. ſect. 1. cap. 3. p. 208.
Vomitus remedia. ſect. 1. cap. 3. p. ibid.
Vomitus ſpontaneus matutinus in aliquibus qua de cauſa. ſect. 1. cap. 3. p. 209.
Vomitus acidi cauſa ſucci pancreatis, & ejus remedia. ſec. 1. cap. 7. p. 230.
Ulcera Renum, & Veſicæ unde ortum habeant, & quomodo curanda. ſect. 1. cap. 9. p. 240.
Ulcera gallica quo pacto curanda. ſect. 1. cap. 14. p. 261.
Urina eſt excrementum inutile. ſect. 1. cap. 9. p. 236.
Urina ſeparatur in renibus, & quomodo. ſec. 1. cap. 8. p. 235.
Urinæ conſtitutio, craſis, color, & contenta. ſect. 1. cap. 9. p. 236.
Urinæ ſecretio impedita à quibus fiat cauſis, & quo pacto reſtituenda. ſect. 1. cap. 9. p. 237.
Urinæ profluvium à quo oriatur, & quo pacto ſiſtendum. ſect. 1. ibid.
Urinæ difficultas, & ardor, eorumque curatio. ſect. 1. cap. 9. p. 240.
Urinæ ſuppreſſio, & ejus curatio. ſec. 1. ibid.
Uteri fluor albus à quo pendeat, & quomodo curandus. ſect. 1. cap. 14. p. 265.
Uteri fluor ſterilitatem inducit. ſec. 1. ibid.

FINIS TOMI PRIMI.

POMPEJI SACCI

PATRICII PARMENSIS,

THEORICÆ OLIM IN PATAVINA UNIVERSITATE primo loco PROFESSORIS, deinde in Patria LECTORIS PRÆSTANTISSIMI.

OPERUM MEDICORUM
Tomus Secundus,

IN QUO CONTINETUR

MEDICINA PRACTICA RATIONALIS

HIPPOCRATIS

Sanioribus Neotericorum Doctrinis illuſtrata.

EDITIO NOVISSIMA A MENDIS quæ in præcedentibus irrepſerant, diligenter expurgata.



VENETIIS, MDCCXXX.

Ex Typographia Balleoniana.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

POMPEJO SACCO
PRÆCEPTORI AMANTISSIMO.

Joannes Antonius Amadei Philoſophus, ac Medicus Parmenſis.

SACCE, tuas dignè nequeam ſi dicere laudes,
Has genus, & virtus, nomen, & acta canunt.

Tu Artis Apollineæ, Patriæ, ſæclique Sophorum
Doctrina, ingenio, conſilioque decus.

Laudem Atavis, Fratrique addis, memorabile nomen
Artibus, officio, qui pietate gerit;

Largus opum in miſeros, & ad Aras, ſpretor honorum,
Juſtitiæ cultor, gloria juris erat.

Parma parem haud tulit actis flore Virum inclita ſæclis;
Nec te majorem ſurgere Phœbus amat.

Non memorem prima in morbos, ac edita febres,
Victura ingenii quæ monumenta tui:

Altiùs infixus ſtudiis operoſa retentas;
Hìc tua non metam laus habet, atque labor.

Te quærunt, reſponſa petunt, oracula mentis,
Et nomen celebrant diſſita Regna tuum.

Itala luſtraſti, Illirica, & Germanica Regna
Depellens morbos, & nova quæque docens:

Arcana in prima Patavi dum ſede movebas,
Quo gens Europæ è finibus uſque venit

Formari in ſtudiis, ubi flos coliturque docentum,
Te æmulus in Patriam PRINCIPIS accit amor

Accit amor; tuus eſt labor, ac honor Exedra Princeps
Fallor! ſummum à te nam trahit iſta decus.

Quàm nos felices, SACCO inſtituente, per Artem
Pectora Pæoniam queis coluiſſe datum eſt!

Arcta Theoreſis magè quis præcepta retexit,
Et vim naturæ, & mente notavit opus?

Morborum quis tot cauſas, diſcrimina, ſedes,
Signa tulit, certas, & reſeravit opes?

At denis ſextum luſtris ſucceſſit, & annus
Tertius intereà, feſſaque membra trahis.

Ah fractas vires, operum patienſque virentis
Ætatis robur quis revocare queat?

Mirum! tot gravis annis, heù ac, heù luminis expers
Excernens zelo fervidiore dies

E' tenebris Coi revocas oracla Magiſtri,
Auctaque conſiliis arguis apta novis.

O' mens! ò labor, & quod opus contendit Olimpo!
In quo nil ætas, Parcaque juris habent.

Priſca labans virtute tua, donoque revertit,
Æternumque jubar nunc Medicina parat.

Quis te SUMME VIR Hippocratis decus evehat aſtris?
Queis dignè ſertis tempora vincta feras?

Nomine FRANCISCUS, qui HEROES æquat AVITOS
En proprio famæ tradidit ære libros;

Altior ut fato ſit honos, & cognita virtus
Lux ubi conſurgit Solis, & uſque cadit.

Laus ſemper erit: SUMMI quam PRINCIPIS augent
Munera, neglecto tempore, fama manet.

BENE-

B E N E V O L O
L E C T O R I.

Poſtquam novarum rerum libido Medicorum Scholas ingreſſa eſt varia in Theorica, & Practica, præter vetera Græcorum, & Arabum prodierunt Syſtemata, inter quæ illud Elmontii, VVilliſii, Sylvii de Le-Boe, Dolei, alia principiis Mathematicis innixa, illud Borelli, alia cum principiis Carteſii, Medicinæ Syſtemata in lucem venerunt, à quibus Studentium mentes confuſionem potiùs, quàm illuminationem acceperunt, & veritas in obſcuro magis recondita fuit, hæc eſt una, conſequenter Syſtema Medicum verum debet eſſe unum. Veritas, quæ in multiplicitate Syſtematum quæritur, cum difficultate invenitur, quia in diverſitate dubia, & difficultates oriuntur, quæ veritatem obſcurant, & inventu difficilem reddunt; hanc difficultatem expertum eſt Sæculum noſtrum, ob dictam Syſtematum multiplicitatem, cui adhæreamus neſcimus, in omnibus dubitamus, & trepidamus, & in dubio, & trepidatione veritas magis obſcuratur, & altius in profundo putei ſepellitur. Ideò neceſſitas apparet inter tot Syſtemata unum ſeligere, quod ſit ſequendum, & Medicinam ſupra ſolidum fundamentum erigere ad iſtius gloriam, ad humani generis utilitatem, & ad Studentium ſecuritatem. Hæc omnia obtineri poſſe judicavi, ſi ab Hipp. ſcriptis unum Syſtema colligeremus. Hipp. adeò in Medicina excellens fuit, ut Divini nomen ab Antiquitate acceperit, & in eum honores, quos Diis antiquitas conferebat illi conceſſerint, iſtius ſublimem peritiam in Medicinà iſtius infenſiſſimi hoſtes confirmant. Nemo eſt iſtorum, qui de Hippocrate loquens elogia non paret cum exiſtimatione, & veneratione ſuæ excellentis peritiæ in Medicina. Leonardus de Capua aliqua contra Hippocratem congeſſit, ſed adeo tenuia, ùt neque reſponſionem mereantur, Obſcuritas in ſuis ſcriptis tamquam ignorantiæ fontem opponit, cum apud Antiquos Philoſophos obſcuritas in pretio haberetur, exiſtimantes Philoſophiam niſi cum Philoſophis, & Intelligentibus eſſe tractandam, & Plebeis communem facere, eſſe Margaritas ante Porcos jacere. Si Hippocrates Divini nomen in Medicina accepit, injuria, & Hippocrati, & Antiquitati ſit ab alio Medicinæ Syſtema accipere, quàm ab Hippocrate, cùm nullus Succeſſor Hippocrati hucuſque in Medicina tale Elogium meruerit. Hoc motivo perſuaſus fui Hippocratis doctrinam de Morbis explicare, & Commento illuſtrare, & ab illa Syſtema Medicum pro Morborum curatione ſtabilire pro utilitate univerſali, & pro Medicinæ gloria. Si hoc obtinuero, benigne Lector, gloriam Deo dabis; ſi hoc aſſecutus non fuero, bonam voluntatem ad totius utilitatem directam, gratam habebis, ſive hæc doctrina ſit Hippocratis, vel alterius: nam Syſtema, quod colligere cupio, non à nomine, ſed à Doctrina Auctoris accipiendum eſt.

Multa invenies excuſatione digna. Multa tuo genio ingrata, tuæ ſapientiæ inferiora, ſi me Hominem advertes erroribus, & fallaciis ſubjectum, judicabis, & in horum commiſſione venia dignum, quia ad hæc à natura inclinatum cognoſces. Non gloriæ aviditas ad hoc Opus me traxit, ſed miſerabilis Medicinæ ſtatus, ad quem duxit Syſtematum diverſitas, & diverſus medendi modus, & tamen veritas eſt una. In explicanda aliqua Doctrina multa invenies repetita, quia cenſui per repetitionem majorem claritatem Doctrinæ addere. Pauca tibi videbuntur Remedia, quia multa in meo Syſtemate, in meis Conſultationibus deſcripſi, & inutile exiſtimavi tranſcribere. Pauca reperies Remedia cum Doſi, quia hanc in generali determinare impoſſibile eſſe, exiſtimo, & ſatis eſt Medico virtutem Remedii agnoſcere, Doſim verò debet Medicus determinare cum conſideratione Morbi, Temperamenti, Ætatis, Sexus, Temporis Anni. Et certè in Doſi Remediorum, maximè Simplicium determinanda, multos licet obſervare errores, ut licet animadvertere in Cina Cinæ, & in Radice Gentianæ; hæc ſunt duo Remedia contra Febres cum rigore, & frigore invadentes, Cina Cinæ, quæ eſt majoris efficaciæ in Febre domanda, quàm radix Gentianæ, exhibetur ad ℨ. ii. Radicis Gentianæ conſueta Doſis eſt ℨ. i. & eſt minoris efficaciæ, & reſpectu iſtius in loco Cinæ Cinæ exhibenda eſſet Gentiana ad ℨ. iv. Hic error per conſuetudinem inveteratus in legem tranſivit. Omnia Simplicia in pulverem redacta exhibemus ad ℨ. i. indifferenter, & ſæpiſſimè nullam ab hac Doſi accipit æger utilitatem, & ſi tale Remedium exhiberetur ad ℨ. iii. & iv. forſan æger convaleſceret, hoc multoties expertus ſum; hac de cauſa puto in Remediis alterantibus non haberi certam, & determinatam Doſim, quæ omnibus conveniat: habent quidem minimam, & maximam Doſim, ſed Doſis, quæ inter hæc duo extrema mediat, non eſt communis omnibus, ſed in uno Morbo, in una cauſa Morbi

eſt

eſt varianda, uſque ad maximam Doſim, & quæ communiter aſſignatur certè non eſt maxima Doſis, ultra quam Medicus poſſit rationabiliter ab ea augmentum morbi, vel perniciem ægri timere. Et certè non poſſum concipere quomodo ʒ. ß. vel i. remedii abſorbentis acidum, vel ventriculi, vel maſſæ ſanguineæ poſſit acidum iſtius abſorbendo, extinguere; ſicut nec acidum ventriculi, & ſucci pancreatici moderari, cùm quantitas talis Doſis vix iii. vel iv. guttas acidi abſorbere poſſit. Modum ſcribendi, quia nimis facilem, & abjectum, deridebis, ſed ſcias me Medicum, non Rhetorem agere; meum intentum fuit docere, & Hippocratis Medicinam rationalem explicare, quod ſi obtinuero, bonum Medicum Univerſitates me prædicabunt, ſed tamquam malum Grammaticum, & malum Rhetorem me vituperabunt, nec mihi diſplicebunt, quia veritatem affirmabunt. Multa corrigenda invenies, quia omnia correctione digna animadvertere non potui. Hoc opus correxi in ætate Octuageſimi Tertii Anni, Auditu, non oculis, quorum debilitas; ſi non pervenit ad Cæcitatem integram, legere, & ſcribere non permittit. Si tibi, ò benigne Lector, occurrant contradictiones in Doctrinis allatis, has excuſabis interrupta per longum tempus applicatio ad hæc ſcribenda. Maximè conveniens erat Remedia ab Hippocrate propoſita in fine Librorum de Morbis, & de Morbis Mulierum ponderare, & illuſtrare, eiſque nova addere pro Morborum curatione; ſed deſcripta ætas hoc prohibuit, multa tamen, benigne Lector, invenies in Botanicis, & præcipuè in Dioſcoride, Meſue, Matthiolo, & maximè in eo Idiomate Gallico conſcripto, in Clave Schoderiana Hoffmani, in Quadripartito Simonis Pauli, & in Etmullero in ſuis notis in Ludovicum, Vale.

INDEX

INDEX
LIBRORUM, ET CAPITUM,
Quæ in hoc Volumine continentur.

LIB. I.
De Morbis Capitis.

CAP. I. *DE Senſu.* Pag. 1
CAP. II. *De Dolore Capitis.* 5
CAP. III. *De Stupore, ſeu Senſu tactus diminuto.* 11
CAP. IV. *De Vigilia immoderata.* 13
CAP. V. *De Somno naturali.* 16
CAP. VI. *De Comate ſomnolento.* 17
CAP. VII. *De Comate vigili.* 19
CAP. VIII. *De Vertigine.* 22
CAP. IX. *De Symptomatibus Imaginationis, & Phantaſiæ, de iſtorum natura, & primò Phantaſmate.* 26
CAP. X. *De Noctambulis.* 29
CAP. XI. *De Intellectu.* 31
CAP. XII. *De Læſis Operationibus Intellectus, & primò de Melancholia.* 33
CAP. XIII. *De Melancholia Hypochondriaca.* 38
CAP. XIV. *De Affectibus Hypochondriatis.* 44
CAP. XV. *De Mania.* 50
CAP. XVI. *De Furore Uterino.* 53
CAP. XVII. *De Amore inſano.* 55
CAP. XVIII. *De Philtris, ſeu Faſcinatione.* 58
CAP. XIX. *De Hydrophabia, ſeu Rabie.* 61
CAP. XX. *De Phrenitide.* 64
CAP. XXI. *De Letargo.* 69
CAP. XXII. *De Catalepſi.* 71
CAP. XXIII. *De Caro.* 74
CAP. XXIV. *De Morbis Facultatis motivæ.* 76
CAP. XXV. *De Apoplexia.* 78
CAP. XXVI. *De Paralyſi.* 84
CAP. XXVII. *De Paralyſi à dolore Colicò.* 88
CAP. XXVIII. *De Motibus convulſivis.* 89
CAP. XXIX. *De Epilepſia.* 92
CAP. XXX. *De Convulſione, ſeu Contractione.* 98
CAP. XXXI. *De Tremore.* 103
CAP. XXXII. *De Memoria læſa.* 104

LIB. II.
De Morbis medii ventris.

CAP. I. *DE Angina.* 107
CAP. II. *De Peripneumonia.* 111
CAP. III. *De Pleuritide.* 114
CAP. IV. *De Eryſipelate Pulmonum.* 119
CAP. V. *De Empiemate.* 127
CAP. VI. *De Tabe.* 131
CAP. VII. *De Hydrope Pulmonum.* 142
CAP. VIII. *De Tuſſi.* 143
CAP. IX. *De Aſthmate.* 144
CAP. X. *De Tuberculis Pulmonum.* 145
CAP. XI. *De Sputo ſanguinis.* 149
CAP. XII. *De Catarrho.* 153
CAP. XIII. *De Catarrho ſuffocativo.* 160
CAP. XIV. *De Incubo.* 162
CAP. XV. *De Morbis Cordis, & ejus uſu.* 164
CAP. XVI. *De Lypotimia, & Syncope.* 166
CAP. XVII. *De Cordis palpitatione.* 168
CAP. XVIII. *De Tremore Cordis.* 171
CAP. XIX. *De Polypo Cordis.* 173

LIB. III.
De Morbis infimi Ventris.

CAP. I. *DE Inappetentia, ubi de Fame, & Appetitu.* 175
CAP. II. *De Fame canina.* 178
CAP. III. *De Pica, & Malacia.* 180
CAP. IV. *De Siti aucta.* 183
CAP. V. *De Alimentorum læſa Concoctione diminutè.* 185
CAP. VI. *De Dyſpepſia, hoc eſt de depravata Coctione.* 188
CAP. VII. *De Vomitu.* 189
CAP. VIII. *De Vomitu ſanguinis.* 193
CAP. IX. *De Dolore Ventriculi, ſeu Cardialgia.* 194
CAP. X. *De Ventriculi Adſtrictione.* 196
CAP. XI. *De Ardore Ventriculi.* 197
CAP. XII. *De Attritione Ventriculi.* 198
CAP. XIII. *De Ructu.* 199
CAP. XIV. *De Singultu.* 201
CAP. XV. *De Cholera.* 203
CAP. XVI. *De Lyenteria.* 207
CAP. XVII. *De Cæliaca paſſione.* 209
CAP. XVIII. *De Dyarrhæa.* 209
CAP. XIX. *De Dyſenteria.* 214
CAP. XX. *De Teneſmo.* 218
CAP. XXI. *De Hemorrhoidum Fluxu.* 220
CAP. XXII. *De Vulvulo, ſeu Iliaco dolore.* 222
CAP. XXIII. *De Dolore Colico, & aliis doloribus Inteſtinorum.* 225
CAP. XXIV. *De Dolore Nephritico.* 229
CAP. XXV. *De Urina ſanguinea, & purulenta, & renum Suppuratione.* 231
CAP. XXVI. *De Urina cruenta ab Vulcere Renum.* 233
CAP. XXVII. *De Urina impedita in Renibus, & iſtorum Abſceſſu.* 234
CAP. XXVIII. *De Morbis Splenis, & primò de ejus Inflammatione, & Tumore.* 236
CAP. XXIX. *De Dolore Splenis à Bile.* 239
CAP. XXX. *De Tumore Lyenis à Sanguine.* 240
CAP. XXXI. *De Tumore, & Dolore Lyenis à Pituita.* 242
CAP. XXXII. *De Dolore, & Tumore Lyenis ab Atrabile.* 243
CAP. XXXIII. *De Hepacis Inflammatione.* 244
CAP. XXXIV. *De Dolore Hepatis.* 246
CAP. XXXV. *De Altera inflammatione Hepatis.* 248
CAP. XXXVI. *De Ictero.* 249
CAP. XXXVII. *De Cachexia.* 255
CAP. XXXVIII. *De Cachochimia Gallica.* 265
CAP. XXXIX. *De Hydrope.* 269
CAP. XL. *De Anaſarca.* 275
CAP. XLI. *De Tympanite.* 278
CAP. XLII. *De Stranguria.* 280
CAP. XLIII. *De Dyſuria.* 281
CAP. XLIV. *De Iſchuria.* 282
CAP. XLV. *De Diabete.* 284
CAP. XLVI. *De Urinæ Incontinentia.* 286
CAP. XLVII. *De Obſtructione Meſenterii.* 286

LIB. IV.

Adnotationes in Lib. Hipp. de Virginum, & Natura Muliebri; & Mulierum Morbis.

Adnot. *De Virginum Morbis.* 290
De Natura Muliebri. 291
De Morbis Mulierum. 305

APPENDIX.

De Febribus in particulari, & earum Curatione.

CAP. I. *Examinatur ſententia Hippoc.* Plurimæ Febres à bile fiunt. 357
CAP. II. *De Febre Continente.* 358
CAP. III. *De Febre Quotidiana.* 360
CAP. IV. *De Febre Ardente.* 362
CAP. V. *De Febre Tertiana.* 366
CAP. VI. *De Febre Quartana.* 368
CAP. VII. *De Aliis Febrium Differentiis à cauſis, & ſymptomatibus ab Hippocr. deductis.* 369

LIBER PRIMUS.
DE MORBIS CAPITIS, ſeu Ventris ſuperioris.

CAPUT PRIMUM.

De ſenſu.

DE morbis Capitis acturus, ejus actiones conſidero, alias Senſum, alias Imaginationem, alias Intellectum, alias Memoriam, alias motum reſpicere, & læſionem iſtorum eſſe morbum, & initium ſumo à læſione actionis ſenſus, quæ in dolore apparet: pro intelligentia tamen dicendorum opere pretium duco aliqua de ſenſu in genere delibare, & aliqua de ſenſu tactus, ad quem dolor refertur, & poſtea de dolore in genere, ut viam ſternam tali modo ad explicationem doloris Capitis in particulari.

Quoad primum, certum eſt Animal ſentire, nam audit, guſtat, videt, odoratur, & tangit; ex hoc infero habere id, per quod ſentit, ſicuti quod ratiocinatur habere id, per quod ratiocinatur, nempe principium ratiocinandi, pari pacto, quod ſentit, debet habere id, per quod ſentit, & dicitur principinm ſentiendi. Demonſtratur hoc principium ab organis ſenſuum in Animali communiter admiſſis. Hæc ſunt inſtrumenta pro ſenſu, inſtrumentum eſt in gratiam agentis principalis, ſi admittitur inſtrumentum, & organum ſenſus, admittendum eſt agens principale ſenſus, quod eſt principium ſenſitivum, & ſicut in Auctomate partibus iſtius motus, tamquam inſtrumenta inſervientibus additur principale agens, quo moto moventur omnia alia inſtrumenta, & quieſcente quieſcunt, & tale in Horologio eſt elater, pendulum, pondus; ita conceſſo Animal eſſe auctoma, eique conceſſis inſtrumentis ſenſuum, cogimur concedere in ratione auctomatis principium ſenſus, cui omnia inſtrumenta ſerviant pro ſenſu, eo modo, quo elateri in Horologio ſerviunt omnes aliæ partes pro inſtrumento motus ad horas deſignandas, & ſi principium motus, nempè elater in Horologio, eſt diſtinctum ab aliis partibus Horologii, illi tamquam inſtrumenta ſervientibus, pariter in Animali cognoſcendum eſt principium ſenſus, diſtinctum ab organis, & inſtrumentis iſtius, & ita diſtinctum ut entitatem abſolutam, non reſpectivam referat, & de omni Animali ita judicandum, cùm iſtis donata ſint ſenſus organa, quæ ſunt ordinata ad principium ſenſus.

Hujuſmodi principium eſt illud, quod dat eſſe Animali, ideò communiter definitur habens principium ſentiendi, & quod dat eſſe, Ariſtoteles vocat Formam; non placet hoc nomen? appella quomodo lubet, dummodò in hoc convenias, quòd per hoc principium ſentiendi Animal ſuum eſſe recipiat, & conſequenter ſuum operari, cùm operari ſequatur adeſſe, & per hoc diſtinguatur à vegetabilibus, & ab inanimatis.

Principium ſentiendi debet eſſe talis virtutis; ut omnia ſenſibilia attingat, circa ea operetur, & eorum naturam, & proprietates æſtimet; nam tale eſt munus principii ſentiendi, quapropter hujuſmodi principium dicitur Senſus communis, quia verſatur circa omnia ſenſibilia, & affectiones organi ſenſuum externorum has percipit, & circa eas agit. Id demonſtratur ex eo, quod poſſum mihi repræſentare hominem, cum quo aliàs confabulatus ſum, & in eo videre cum imaginatione colorem vultus, ejuſdem delineamenta, audire vocem expreſſam in confabulando, ſentire odores, quibus profundebatur, mollitiem manus, quam urbanitatis gratia ſtrinxi, omnes corporis geſtus, modum exiſtendi partim ſtando, partim ambulando, & veſtem, qua induebatur, contemplari, quapropter in hac repræſentatione iſtorum omnium unico momento facta, omnia objecta ſenſuum externorum colligo, & potentia hæc repræſentans non poteſt non eſſe potentia, quæ omnium ſenſuum objecta in ſe uniat, & pro libitu imaginationi repræſentet, feriantibus omnibus ſenſibus externis circa tale objectum, dum abeſt. Quod magis confirmatur, quia ad ſenſum eliciendum, non ſolùm requiritur affectio organi ſenſus externi ab objecto ſenſibili externo, huic impreſſa, ſed ulteriùs requiritur perceptio iſtius affectionis, ſine qua ſenſus non exprimitur, quod patet, dum ſenſus internus, ſeu communis immerſus in fixa applicatione alicujus objecti, objecta ſenſibilia organis ſenſuum externorum applicata, & in ea agentia non percipit, non alia ratione, niſi quia deficit perceptio dictæ affectionis ſuſpenſa ab intenſa applicatione circa aliud objectum, & ſi organa in ſe haberent potentiam eliciendi iſtam perceptionem, etiamſi potentia ſenſitiva interna, ſeu ſenſus communis, eſset alteri objecto fixè applicatus, affectionem objectorum perciperent, ſed non percipit organum ſenſus hanc affectionem, & tunc ſolùm fit ſenſus, quando potentia ſenſitiva dictam affectionem advertit; ergo admittenda potentia percipiens affectiones omnium ſenſuum externorum, & hæc dicitur Senſus communis; at licèt organum ſenſus non percipiat illam affectionem objecti, eſt nihilominus illi ſenſibilis, quia illi vel jucunda, vel moleſta, ſed non eſt in hoc ſenſus, niſi quando moleſtia, vel jucunditas à ſenſu communi percipitur, & diſtinguitur, & in organo eſt ſolùm paſſio moleſta, vel jucunda ſenſibilis, non ſenſus, qui comprehendit, & paſſionem ſenſibilem organi, & perceptionem iſtius paſſionis à ſenſu communi, quæ actum ſenſus complent. Quapropter cùm in brutis ſit perceptio ſenſitiva, in iſtis eſt etiam verus ſenſus, demonſtrabilis à multis operationibus animalium, & admittere ab objectis externis ſpiritus animales moventibus impelli ad hanc, vel illam partem cum exercitio alicujus operationis, eſt magis irrationabile, quàm admittere principium ſenſus, & perceptionem ſenſitivam rerum ſenſibilium; ſi verò conſtanter ſuſtineatur, in brutis non eſse principium ſentiendi, hoc non poteſt negari in homine, de cujus morbis agimus. Hæc potentia ſenſi-

ſenſitiva, ſeu ſenſus communis in eliciendo actus ſenſus agit; ſicut enim intellectus intelligendo, ſeu in eliciendo actum Intellectionis dicitur agere, ita potentia ſenſitiva in ſentiendo, ſeu in eliciendo actum ſenſus dicetur agere. Et hoc confirmatur, quia potentia ſenſitiva, dum ſentit, dicitur eſſe in exercitio ſuæ potentiæ, ſed omne exercitium importat actionem, conſequenter, dum potentia ſenſitiva ſentit, agit; præterquamquòd ſentire eſt actus ſecundus potentiæ ſenſitivæ, actus ſecundus importat actionem, quam exprimit etiam verbum Sentire activum, conſequenter potentia ſenſitiva, ſentiendo eſt activa.

De ſede hujus principii ſentiendi, & ſenſus communis conveniunt omnes, & Recentiores, & Antiqui, eſſe cerebrum. *Hipp. in lib. de morb. ſacro* apertè aſſerit, *eſſe illud, per quod ſentimus*, & *num. ultimo hujus lib.* habet, *etenim cerebrum, propterea primum ſentit*; diſconveniunt, in qua parte cerebri ponenda ſit. Antiqui in parte anteriori, inter Recentiores *Carteſius* in glande pineali, *Honoratus Faber* in Choroide; pro hac determinatione nullum habemus efficax argumentum; certum tamen eſt, ſedem ſenſus communis eſſe ponendam in ea parte cerebri, quæ eſt origo nervorum, cùm affectiones ſenſibilium exteriorum in organis ſenſuum impreſsæ, ad ſedem ſenſus communis deferantur per nervos, quas recipere non poſset, ſi à nervorum origine diſtaret. Senſus communis, prævia affectione ſuſcepta à ſenſibilibus externis, movet multas partes, impellendo ſpiritus ad nervos, quod operari non poſſet, niſi adeſset, ubi eſt emporium ſpirituum, & origo nervorum.

His breviter delibatis, ad naturam ſenſus ponderandam accedo: Definitur ab *Ariſtotele 2. de Anim. tex. 121. Potentia ſuſceptiva ſpecierum ſenſibilium, ſine materia.*

Dicitur *Potentia*, hoc eſt potentia ſenſitiva, quaſi ſit principium paſſivum, quia ad hoc, ut actum ſenſus eliciat, neceſse eſt, ut ſuſcipiat ſpecies ſenſibiles; ideòque dicitur *potentia ſuſceptiva*, non tamen per hoc, quòd ſuſcipit, excluditur à ratione agentis, in quorum numero ſenſum eſse probavi, ſed per hoc, quòd ſuſcipiat ſpecies, ſit potentia ſenſitiva activa. Senſus enim communis, eſt potentia indifferens ad eliciendum, vel non eliciendum actum ſenſus, ad eliciendum hunc, vel illum, vel alium actum ſenſus, & ad eliciendum hoc, vel alio tempore: quapropter ad hoc, ut talem actum ſenſus eliciat, indiget determinativo, cujus officium exercent ſpecies ſenſibiles, cùm per has determinetur potentia ſenſitiva ad eliciendum actum ſenſus circa tale, & tale ſenſibile; agens verò indifferens ad hoc, ut determinetur ad actionem, debet in ſe ſuſcipere determinativum, conſequenter ſenſus communis ad hoc, ut eliciat actum ſenſus, debet ſuſcipere ſpecies ſenſibiles, quæ ſunt determinativum, & ſic ſenſus communis, quatenus ſuſcipit ſpecies dicitur pati, quatenus verò elicit actum ſenſus, dicitur agere.

Dicitur ſecundo *ſpecierum ſenſibilium*. Multæ ſunt difficultates de iſtis ſpeciebus, primò, quid veniat nomine ſpeciei, ſecundò, an dentur; hæc ſecunda quæſtio, reſoluta manet à reſolutione primæ. Per ſpeciem intelligit Ariſtoteles illud, quòd alterat organum, vel emanat ab objecto externo ſenſibili, & recipitur in organum ſenſus externi cum paſſione, alteratione, & mutatione organi jucunda, vel moleſta, mediante qua alteratione, ut inferiùs dicam, fit ſenſus, & hoc modo certum eſt dari ſpecies, quia in quolibet ſenſu ſemper exit aliquid ab objecto ſenſibili, & recipitur in organum cum dicta alteratione, aliter non fieret ſenſus. Video turrim magnam; dum video, certè quòd turris afficit organum meum viſus, alioquin non viderem, non afficit per ſubſtantiam ſuam, quæ ad contactum ſit unita meo oculo; ergo per aliquod, quod ab ea fluat, & in meum oculum recipiatur, cum mutatione, & alteratione, hoc ab Ariſtotele dicitur Species, quia eſt id, quo mediante fit viſio turris, tu voca effluvium, voca qualitatem, voca motum luminis, voca quomodo vis, fateberis ſemper eſse id, mediante quo fit viſio, & hoc ab Ariſtotele nomine Speciei vocatur; nam & ſi dicas eſse motum, cùm hic ſit modus, ſupponit corpus, cui inhæreat, & hoc determinandum eſt, & cùm hic motus ſit id, cujus interventu fit viſio turris, placuit Ariſtoteli hoc nomine Speciei determinare. Emanare aliquid ab objectis ſenſibilibus, quod recipitur in organum ſenſuum, patet in camera obſcurata, cum foramine in feneſtra lignea, cui foramini, ſi in aliqua diſtantia charta opponatur, omnia objecta, quæ extrà applicata fuerint, delineata videbimus in charta intùs oppoſita, ſignum manifeſtum aliquid manare ab objectis, à quo eorum figura in charta repræſentatur.

Species eſt imago vicaria repræſentativa objecti, itaut nihil ſit in objecto ſenſibili, quod à ſpecie non repræſentetur, ſi recipiatur in organo proprio, cùm per id, quòd exit ab objecto, afficiens organum ſenſus, vel per actionem objecti afficientem idem organum ſenſui communi repræſentetur quidquid eſt ſenſibile in objecto, ex quo patet dari ſpeciem ſenſibilem, quia datur id, quòd exit ab objecto, & recipitur in organum cum iſtius alteratione repræſentans objectum, quod diximus eſſe intelligendum pro ſpecie, unde patet irritum eſſe conatum Recentiorum in impugnandis ſpeciebus uſque ad deriſionem; nam intellecta quidditate ſpeciei modo explicato velint, nolint coguntur ſpecies admittere.

Dicitur tertiò *ſenſibilium*, quia proveniunt ab objectis ſenſibilibus, & quia repræſentant objecta ſenſibilia.

Dicitur *ſine materia*, non quia ſint ſpirituales, ſed quia in ipſis non eſt ſenſibilis extenſio, quæ eſt proprietas inſeparabilis à materia, & quia non habent conjunctam materiam ſenſibilem objecti ſenſibilis, à quo fluunt, quod ingenioſiſſimè explicat *Ariſtoteles dicto lib.* exemplo ſigilli, in quo inſculpta ſit aliqua imago; hæc per ſigillum in cera imprimitur, & nihil, præter meram impreſſionem, de materia ſigilli in cera relinquitur, & ſi ſigillum ſit aureum, vel ferreum, nihil in ea impreſſione auri, vel ferri inſpicitur; ita ſpecies, afficiens, vel alterans organum ſenſus, emanans ab objecto ſenſibili, & quæ eſt repræſentativa objecti, nihil de materia ejuſdem objecti organo impertitur, quod per ſenſum ſit diſtinguibile.

Explicata definitione Senſus, explicandum quomodo fiat. Objectum externum tranſmittit à ſe aliquod, quod nomine agentis deſignabimus, ut in odore, calore, frigore, vel ipſum objectum immediatè applicatur organo, ut in ſapore, in ſono, hoc recipitur in organum ſenſus cum paſſione, mutatione ſuarum fibrarum (organum enim omnium ſenſuum eſt nervus) quam paſſionem, & alterationem affectionem dicimus, quæ eſt eadem actio objecti, ſed unita alterationi organi, à qua mutatus ſitus, figura, & motus fibrarum nervi: hæc affectio ab extremitate nervi organi ſenſus per undulationes quaſdam per partem, poſt partem à dicta extremitate uſque ad principium nervi ejuſdem in cerebro transfertur, eo modo, quo chorda citharæ extenſa, pulſata in una extremitate, movetur momento temporis in altera, traducto motu ab una extremitate ad alteram extremitatem, variato etiam motu aeris in poroſitatibus ejuſdem chordæ contenti; ita affectio objecti ſenſibilis cum motu conjuncta impreſſa nervo, vel membranæ nerveæ, quæ naturaliter ſemper ad ſenſum concurrunt, ſenſatio momento temporis per undulationes transfertur ab extremitate nervi affecti, uſque ad originem ejuſdem in cerebro, eaſdem undulationes patiente ſucco nerveo, ſeu ſpiritu animali in nervo affecto, & principio nervi in cerebro exiſtente contento, & cùm hoc ſit continuum cum ſede ſenſus communis eadem affectio ad hanc traducitur, itaut eadem affectio, quæ fuit impreſſa in organo ſenſus, imprimatur in ſede ſenſus communis ope principii nervi organi ſenſus affecti, & eidem ſedi continui, & in eam impingentis. Senſus communis percipiens affectionem ſuæ ſedis, determinatur ad actionem circa hanc affectionem, & ad eliciendum actum ſenſus huic correſpondentem percipiendo affectionem in organo exiſtentem, & impreſſam ab objecto ſenſibili, & tunc dicitur Animal ſentire per actionem ſenſus communis circa affectionem ad eum traductam, & quia hæc affectio, & principium iſtius immediatum organo (ut dixi) eſt ſpecies imago, vicaria, repræſentativa objecti, actus ſenſus elicitus à ſenſu communi

expri-

exprimit omnes conditiones, proprietates, & qualitates proprias objecti ſenſibilis, cujus ſunt ſpecies, & dicitur ſentire percipere objectum cum omnibus ſuis conditionibus ſenſibilibus, & hoc agit ſenſus communis ex ſui natura, cujus eſt proprium ab affectione organi ſenſus externi determinari ad actum ſenſus eliciendum, & à tali affectione determinari ad talem ſenſum; denominatio verò dulcis, albi, ſonori, odori, habetur à nominibus impoſitis tali determinatæ affectioni.

In ſede ſenſus communis non ſiſtit affectio ad eam traducta, ſed ſedes ſenſus communis à dicta affectione motui unita, mota, & agitata impingit in fibras cerebri ei vicinas, & in has totam affectionem, & motum imprimit, mutando has fibras in ordine, figura, & ſitu, & in quaſdam, ut ita dicam plicaturas, uniendo cum interrupta elevatione, & depreſſione ſecundùm ſuas partes; haſque tali modo diſponit, ut ſi moveantur in ſedem ſenſus communis, & impingant in eam eamdem affectionem, imprimant, quæ impreſſa fuit eidem ſedi ab affectione organi ſenſus ad dictam ſedem traducta, & ab objecto organo ſenſus impreſſa.

In hac modificatione fibræ habemus modum explicandi, quomodo ſenſus communis recordetur, nempè per motum fibræ in ſedem ſenſus communis, in hac fibra modificata conſiſtit ratio phantaſmatis, itaut hoc non ſit aliud, niſi iſta fibra modificata, quia ſi phantaſma eſt repræſentativum illius, cujus eſt phantaſma, ita fibra modificata eſt repræſentativa illius objecti, à cujus affectione modificationem ſuſcepit.

Hinc colligere licet, ſenſum conſiſtere in actione, & in paſſione; paſſio eſt in organo ſenſus, & in ſede ſenſus communis, actio eſt in perceptione affectionis à ſenſu communi, & in productione actus ſenſus, hoc eſt in perceptione objecti cum omnibus ſuis conditionibus; per quod doctrina uſque huc tradita de ſenſu ex mente Ariſtotelis, convenit cum ea tradita à Recentioribus, qui definiunt ſenſum per affectionem, & cognitionem, per quas objecta ſenſibilia cognoſcimus; affectio importat paſſionem, quæ non eſt niſi in organo ſenſus, & in ſede ſenſus communis; cognitio reſpicit actionem, & non poteſt exerceri iſta cognitio, niſi paſſio, vel affectio traducatur ad locum, ubi adeſt potentia cognoſcitiva, quod voluit etiam Ariſtoteles, quando dixit *potentiam ſuſceptivam ſpecierum*, quia ſpecies imprimuntur organo ab objecto externo, & traducuntur poſtea ad potentiam ſenſitivam, vel ad ejus ſedem.

Colligo etiam ex dictis, dari Speciem impreſſam, & expreſſam. Species impreſsa, eſt affectio ab organo ad ſedem ſenſus communis traducta, & in ea impreſsa; diximus enim affectionem illam eſse ſpeciem Ariſtotelicam, unde ſi illa affectio imprimitur ſedi ſenſus communis, ſpeciem imprimi dicendum eſt. Species expreſſa, eſt actus ſenſus à ſenſu communi productus, in quo verè exprimitur ſenſus.

Tactus eſt potentia attingens objecta tangibilia; omnes enim ſenſus habent propria objecta, Viſus colores, Auditus ſonos, Odoratus odores, Guſtus ſapores, Tactus tangibilia, ex quo patet iſta eſse objectum tactus, extra quæ non eſt capax attingere alia corpora ſenſibilia. Inter tangibilia enumerantur primò qualitates activæ, & paſſivæ, caliditas, & frigiditas, quæ quantum valeant ad afficiendum tactum, nemo eſt, qui experientia non doceatur; inter paſſivas enumerantur humiditas, & ſiccitas, prima eſt perceptibilis tactu, ut obſervare licet aquam tangendo; verum eſt, quòd in afficiendo organum Tactus, non eſt valdè efficax, nec adeò validè, ſenſum Tactus movere poteſt ſicut frigiditas, & caliditas, & ratione ſuæ diminutæ virtutis, qualitas paſſiva à Philoſophis, & Medicis dicitur; ſiccitas per ſe non eſt ſenſibilis, quia eſt qualitas privativa, cujus eſſe eſt humiditatis privatio: præter has qualitates primas, inter objecta tangibilia enumerantur ſecundæ qualitates, lævitas, & aſperitas, mollities, & durities, raritas, & denſitas, aciditas, ſalſedo, auſteritas, acrimonia, quæ quidem valent ſenſum tactus afficere modis diverſis, & etiam cum vehementia; & licèt iſtæ ultimæ qualitates, quæ ſapidæ dicuntur, ſint objectum Guſtus, quatenus ſaporem continent, attamen ſunt etiam objectum tangibile reſpectu Tactus, ratione modi ſuæ ſubſtantiæ, per quem valent organum Tactus pungere, vellicare, rodere, ſcindere, quas paſſiones patitur organum Tactus, impetus, motus in violentia, ſunt qualitates, quæ licèt communes aliis ſenſibus, Tactui conveniunt; hoc enim ſenſu, & motum, & impetum, & violentiam agentis optimè percipimus.

Per qualitates intelligo quidquid valet corpus qualificare, & alterum facere non aliud; hoc eſt alterare, & mutare corpus, ſecundùm ea, quæ ſunt extrinſeca principiis conſtitutivis, & quibus mutatis, & alteratis, non mutatur eſſentialiter corpus, ſed remanet idem, denominationem novam ſuſcipit, ut lignum incaleſcit ſine mutatione ligni, cum denominatione tamen calidi, illud, per quod incaleſcit, dicitur qualitas, voca qualitates, voca accidentia, voca ſecundas ſubſtantias, voca effluvia, parùm refert, quia erit lis de nomine.

Organum Tactus communiter determinatur eſſe Cutim, & præcipuè ſecundùm ſuas papillas; hæc eſt tegumentum membranoſum totum corpus exterius inveſtiens, & à primordiis generationis à natura in utero unà cum aliarum partium organizatione texitur ex ſubtiliſſimis, & tenuiſſimis filamentis membranoſis, & nervoſis, intermixtis cum capillaribus venarum; & arteriarum ramificationibus; ratione filamentorum nervi, & membranæ à multis partibus divaricatorum maximum habet conſenſum cum familia nervorum, & membranarum; non eſt tamen Cutis ita ſtrictè organum tactus, ut excludat alias partes ab hoc munere, quælibet membrana, & quilibet nervus, eſt organum tactus, & objectum tangibile iſtis applicatum ſecundùm ſuas qualitates tangibiles percipitur eodem modo, quo à cute, id teſtantur dolores partes membranoſas, & nervoſas internas affligentes, quorum cauſa eſt objectum tangibile improportionatum cum violentia dictas partes afficiens, teſtatur delectatio, & moleſtia, quam experitur Ventriculus in aſſumptione aliquorum ciborum, quæ ex hoc præcipuè proveniunt, quod à qualitatibus tangibilibus illorum membrana Ventriculi interna titillatur in delectatione, pungitur, vel roditur in moleſtia; dicitur tamen tactus organum Cutis, ob finem Naturæ, per quem Animali cutim donavit; voluit enim Animali tribuere regulam, & menſuram, qua metiri poſſet qualitates occurrentium objectorum, ut malitia, & noxa in aliquibus explorata, ea propulſaret, vel ab eis fugeret; è contrà verò percepta in objectis jucunditate, delectatione, & conferentia ea amplecteretur, & uſu delectaretur: ratione hujus finis, Cutis dicitur organum proprium, & ſpeciale tactus, excludendo etiam organa cœterorum ſenſuum, quæ quidem per tactum exercentur, ſed quia diverſa objecta à tangibilibus attingunt, inter tactus organa non enumerantur.

Ex objecto tangibili, Cute tamquam organo, & potentia ſenſitiva, ſeu ſenſu communi fit tactus. Objectum tangibile afficit organum, vel ſua ſubſtantia, vel virtute per effluvia tranſmiſſa, hac affectione alterat, & immutat fibras membranoſas, & nervoſas cutis ordine, ſitu, & figura varias, & alteras reddit, talis affectio, per repetitas undulationes dictarum fibrarum, & ſpiritus animalis, ſeu ſucci nervei eas irrigantis, & prædictas undulationes patientis traducitur ad ſedem ſenſus communis modo ſuperiùs explicato, ab hac affectione ſedi ſenſus communis impreſſa determinatur ad perceptionem talis affectionis, & cum perceptione ad eliciendum actum ſenſus Tactus, & cum hac perceptione percipit etiam objectum tangibile, cum omnibus ſuis conditionibus, qualitatibus, proprietatibus, & circumſtantiis annexis, eò quia talis affectio, ut dixi, eſt ſpecies ſenſibilis vicaria imago, & repræſentatio objecti; quapropter percipiendo affectionem, neceſſe etiam eſt, ut percipiat objectum, quale eſt in ſe.

Affectio objecti tangibilis organo tactus impreſſa, aliquando grata, aliquando ingrata reſultat, quando fibræ nerveæ, & membranoſæ Cutis, vel alterius partis ſenſus tactus capacis ab actione objecti tangibilis leniter, ſuaviter, & velut quadam titillatione afficiuntur, tunc grata, & jucunda evadit affectio, quæ traducta ad ſedem ſenſus communis modo dicto, & à

ſenſu communi percepta, elicit actum ſenſus Tactus cum voluptate, & jucunditate; ubi verò actio objecti ſua violentia, vel exceſſu qualitatum tangibilium, vel improportione iſtarum cum organo ita afficit, ut vitiet texturam organi, & diſſolutionis iſtius principia ponat, tunc affectio eſt ingrata, & moleſta, & traducta ad ſedem ſenſus communis, & ab hoc percepta, elicit actum ſenſus Tactus cum moleſtia, & dolore conjunctum.

Ex his facile eſt explicare naturam, & conditiones doloris, qui à *Galeno de Cauſis ſymptomatum* definitur *Senſatio triſtis à tangibilibus violenter agentibus in ſenſorium, cum continui ſolutione.*

Dicitur primò, *Senſatio triſtis*, quæ poteſt accipi, & pro affectione organo tactus impreſſa ab actione objecti externi tangibilis, quæ eſt triſtis organo, eò quia illi eſt improportionata, & aggreditur diſſolutionem ſuæ texturæ, quod non poteſt contingere, niſi cum moleſtia, & agitatione ipſius partis, & cum diſſipatione ſpirituum in ea exiſtentium; unde paſſio ejuſdem partis; propriè tamen puto triſtem ſenſationem eſſe intelligendam de actu ſenſus à potentia ſenſitiva, ſeu ſenſu communi elicito dependenter ab affectione objecti tangibilis violenter agentis in ſenſorium tactus, quia ſenſatio triſtis ſupponit perceptionem affectionis, per quam determinatur triſtis, ſicuti enim ad delectationem requiritur conjunctio boni, & perceptio ejuſdem, ex *Divo Thoma prima 2. quæſt. 25. artic.* 1. ita, inquit idem Doctor, ad dolorem duo requiruntur, *conjunctio ſcilicet mali, & perceptio ejuſdem conjunctionis*, quod inſinuavit etiam *Hipp. ſect. 2. Aphor.* 5. ſcribendo: *Quicumque dolentes parte aliqua corporis, dolorem non ſentiunt iis mens ægrotat*, per quæ verba demonſtrat dolorem actu exiſtentem non ſentiri, quia mens ægrotans non percipit affectionem dolorificam organi Tactus, & conſequenter determinat ad dolorem, ut ſentiatur requiri perceptionem, & eamdem ſententiam expreſſit *Ariſtotel. lib. 2. de Anim. cap.* 3. dicendo, *Ubi ſenſus, ibi appetitus, & dolor, & imaginatio, quæ eſt potentia perceptiva, & cujus proprium eſt attingere objecta ſenſibilia*, & alio in loco dixit, *Ubi dolor, ibi phantaſia*, quæ dicitur potentia exiſtimativa determinans naturam, & conditionem ſenſibilium, quod magis etiam demonſtratur, quia dicere ſenſationem eſſe triſtem, eſt judicium quoddam ferre de ſenſatione, quia triſtis decernitur, ſed tale judicium quia ſenſibile non poteſt provenire, niſi ab aliqua potentia perceptiva, & apta attingere objecta ſenſibilia; quapropter dicere ſenſationem eſſe triſtem, ſupponit perceptionem ſenſationis, & poſt eam judicium qualecumque ſit; unde quando Gal. dicit *dolorem eſſe triſtem ſenſationem*, non poteſt loqui, niſi de ſenſatione, ſeu de actu ſenſus à ſenſu communi elicito, dependenter ab affectione tangibilis violenti impreſſa in organum tactus, quia tunc per perceptionem dictam ſenſus communis, & per actum ſenſus elicitum judicat judicio ſenſibili, illam affectionem eſſe triſtem, & neceſſitas perceptionis in dolore experientia demonſtratur; nam aliquando in ſingulari certamine evenit, ut unus vulneretur, & vulneratum eſſe non ſentiat, quia tota mente occupatus in ſui defenſione, & in inimici offenſione, non percipit affectionem dolorificam per enſem parti vulneratæ impreſſam; terminato verò certamine, & mente in percipiendo libera, tunc affectio dolorifica partis vulneratæ percipitur; quapropter dicendum eſt Gal. per triſtem ſenſationem, intelligere affectionem dolorificam organo tactus impreſſam, & à ſenſu communi perceptam ut triſtem.

Dicitur ſecundò *à tangibilibus violenter agentibus*, & aſſignatur cauſa doloris, quæ eſt tangibile; nam ſi dolor refertur ad ſenſum tactus, non poteſt habere aliam cauſam, niſi ea ſenſibilia, quæ afficiunt tactum, ſed ſola tangibilia afficiunt tactum, conſequenter ſola tangibilia ſunt cauſa doloris; non omnia verò tangibilia dolorem efficiunt, quia multa voluptatem, & delectationem pariunt, ſed ſolùm ea tangibilia, quæ, ut dicit Gal. *violenter agunt*, cùm violenta actio in organum ſenſus non poſſit exiſtere ſine iſtius præternaturali mutatione, cùm dicta actio violenta ſuperet, & actionem, & reſiſtentiam paſſi, quod adnotavit *Gal. lib. 2. de Hipp. & Platon. decretis*, ut idem *Hipp.* confirmatum reliquit *lib. 2. Aphor.* 27. ſcribendo. *Quod ab his, quæ naturam mutant, aut corrumpunt, dolores excitantur*, in cujus Aphor. expoſitione Gal. verbum *corrumpit*, per celeritatem, & vehementiam tranſmutationis exponit, adeout verificetur, quæ violenter agunt in aliquam partem eam corrumpere valent, & actio violenta, per quam etiam ducitur corpus ad naturalem ſtatum amiſſum dolorem efficit, ut demonſtravit *Gal. lib. 12. Method. medendi*, exemplo eorum, qui maximè refrigerati ad magnum ignem accedunt; à magno enim, & vehementi calore maximè dolent, licèt per illum ad calorem naturalem reducantur frigore oppugnato, quia talis alteratio eſt violenta.

Violenter dicuntur agere, quæ qualitatis exceſſu agunt; omnis enim exceſſus actionem violentam indicat, ſic exceſſus caloris, & frigoris violenter dicitur agere. Modus etiam agendi qualitatis, quæ ſit ſine exceſſu violentiam addere poteſt, ſi confertim, & cùm impetu actio illa moderata imprimatur paſſo, hoc obſervamus in eis, qui vitrum flamma lucernæ liquant inſufflatione per tubum aeris in flammam, certè quòd flamma lucernæ per ſe eſt inſufficiens ad liquandum vitrum, & reſpectu hujus reſiſtentiæ debet dici agens debile; attamen ab impetu aeris inſufflati tantam vim acquirit, ut cum violentia in vitrum agat reſiſtentiam illius ſuperando fluidum, & ductile reddendo, ſic ſi qualitates activæ in virtute temperatæ organum Tactus cum impetu aggrediantur, dicentur agere violenter, lapis eſt corpus tangibile reſpectu ſuæ duritiei, ſi ſupra manum leniter ducatur, nullum infert dolorem, ſi cum violentia percutiatur ſaxo manus frangitur, aucta virtute duritiei à violentia impetus, qui & ipſe inter tangibilia numeratur, & ſi poſset reperiri ſine ſubjecto, vel in ſubjecto non tangibili, adhuc valeret tactum alterare, & cum dolore, ſi eſset violentus. Ad dolorem ergo inferendum requiritur actio violenta ſenſibilis, tangibilis, quæ habetur vel ab exceſsu qualitatis, vel à modo agendi cum impetu, & celeritate; ideò ſiccitas magna, quæ eſt in Hectica tertii gradus, non eſt dolorifica, quia non eſt facta confertim, & celeriter, ſed ſenſim, & paulatim; ſi enim daretur cauſa, quæ talem ſiccitatem inducere poſset qualis eſt in Hectica confirmata brevi temporis intervallo, utique illa cauſa eſset maximè dolorifica organo tactus.

Dicitur *in ſenſorium*, & intelligit organum Tactus, quia hoc eſt ſubjectum doloris, & hoc ſolùm patitur ab objectis tangibilibus.

Dicitur ultimò *cum continui ſolutione*, ut demonſtret continui ſolutionem eſse quid conſequens dolorem; Cauſam enim efficientem aſſignavit in illis verbis *à tangibilibus violenter agentibus*, quæ continuum ſolvere valent, & ſignum violentæ actionis tangibilium eſt continui ſolutio, ſine qua tangibile non dicitur violenter agere; ex quo patet falſam eſse illorum opinionem aſſerentem, cauſam immediatam doloris eſse continui ſolutionem, quia dolor non poteſt fieri, niſi à tangibili violenter agente, ſolutio continui non eſt tangibilis, nullas habet qualitates tangibiles, cùm ſit mera negatio unitatis, & in negatione nulla qualitas, conſequenter continui ſolutio non eſt objectum tangibile, ideòque neque cauſa doloris: præterquamquòd ſi ſolutio continui eſset cauſa doloris in vulnere, quamdjù permanet ſolutio continui, tamdiù deberet durare dolor, quia adeſt illius cauſa, ſed in vulnere per multum tempus adeſt ſolutio continui, & non adeſt dolor; ergo ſolutio continui non eſt cauſa doloris: Et ſi ex diſtractione violenta alicujus partis obſervamus maximum dolorem in ea, hic non provenit à ſolutione continui, à diſtractione facta, ſed à motu, & impetu violento ſenſibili, quo diſtrahitur.

Ex his colligitur, dolorem eſse Symptoma potentiæ ſenſitivæ læſæ, non abolitæ, quia in dolore adeſt ſenſus, non diminutæ, quia qui dolet multùm ſentit, dum pars ſenſitiva organum tactus ab objecto violento tangibili actuatur, & per actionem violentam iſtius actus ſenſus partis augeri neceſse eſt; remanet ergo, quòd dolor ſit actio depravata potentiæ ſenſitivæ.

Et quia

Et quia omnis actio læſa eſt Symptoma, & hoc pendet à morbo, ita dolor pendere debet à morbo, ſed non ſemper; nam multoties ab objecto organo tactui improportionato dolor excitatur, ut ab extrinſeco pungente, ſecante, rodente, & ſicuti concoctio læditur, quandoque illæſo organo, & integra manente facultate concoctrice à ſolo objecto improportionato, nempè à magna alimentorum quantitate, vel ab eorum reſiſtentia concoctioni, ita ab objecto improportionato poteſt provenire dolor.

C A P. II.

De Dolore Capitis.

DEfinitur dolor Capitis, *Triſtis ſenſatio capitis à tangibilibus qualitatibus violenter in ſenſorium ejus agentibus, cum ſolutione continui.*

Ex dictis de dolore in communi, patet hujus definitionis explicatio; ex eo, quòd ſit triſtis ſenſatio, dolor capitis convenit per hoc, tamquam per genus cum omnibus doloribus, quia triſtis ſenſatio eſt capitis, habetur differentia, per quam ab omnibus aliis doloribus diſtinguitur, ex hoc, quòd triſtis ſenſatio oriatur à cauſis tangibilibus violenter in ſenſorium capitis, hoc eſt in organum tactus, agentibus habetur cauſa efficiens, & à continui ſolutione determinatur illud, quòd ſequitur violentam actionem tangibilium.

Pro clariori explicatione hujus definitionis determinandum remanet, quodnam ſit ſenſorium, ſeu organum Tactus in capite læſum, omnes admittunt membranas, nempè duram, & piam matrem cerebrum circumveſtientes, & membranam pericranium dictam, cranium exteriùs tegentem, & cuti cranii ſubſtratam, quæ in parte externa capitis, eſt organum tactus, juxta determinationem factam ſuperiùs, ubi de ſenſu Tactus.

Platerus in lib. ſuæ Practicæ cap. de dolore capitis ſuſtinet, cerebrum ſecundùm eam partem, quæ eſt intimè conjuncta cum pia matre, & à qua dicit oriri nervos ſenſorios, eſſe ſenſu præditam, quam ſententiam videtur à *Galeno* accepiſſe, cùm *lib. 3. de loc. affect. cap. 9.* afferat; *Cerebrum, & Ventriculum levi de cauſa dolere*; & ſicuti Ventriculus dolet, quia ſenſu præditus eſt, ita cùm cerebrum doleat tenendum ſenſu donatum, & quidem exquiſito cùm levi de cauſa doleat; & *lib. de Inſtrumento Odoratus cap. 4.* idem *Galenus; Cerebro ſenſum, & morſum*, hoc eſt mordicationis ſenſationem, *concedit*; & ratio videtur favere huic ſententiæ, nam organum ſenſus completur ex ſpiritu animali, & nervo, uterque provenit à cerebro, conſequenter cùm ſit principium eorum, quæ conſtituunt organum ſenſus, multò magis convenire ei debet ratio organi ſenſus, cum nemo det, quod non habet, & ſi dat, ideò dat, quia habet.

Contraria ſententia eſt communis, & rationi etiam magis accommodata, & eſt *Ariſtotelis lib. 3. de Hiſtoria Animal.* cùm *cap. 9.* quo loci cerebrum, ait *eſſe medullam*; unde ratione à pari ducta de medulla oſſium demonſtratur cerebrum non habere ſenſum, quia ſi medullæ ex ſui natura conveniret eſſe organum ſenſus, medulla oſſium eſſet ſenſitiva, ſed medulla oſſium non eſt talis, conſequenter de ratione medullæ non eſt eſſe ſenſitivam, & per hoc medulla cerebri excluditur à ratione ſenſitivi: huic ſententiæ favet *Galenus lib. de Virtutibus*, ubi ait; *Cerebrum non ſentire, ſed tantùm eſſe ſenſuum ſenſibile*, hoc eſt percipere, & diſtinguere affectiones aliorum ſenſuum, non verò ſentire; hoc eſt pati ab actione objecti ſenſibilis ſenſibiliter; & primò de Cauſis Symptomatum non ſentiendi organum, ſed ſenſoriorum ſenſorium Cerebrum appellat, nempè principium diſtinguens affectiones organorum ſenſuum. Hæc ſententia experientia confirmatur, nam in vulneribus capitis putrefactis membranis, dum ſtylo Cerebrum tangimus, & goſſypo ſaniem, & ſanguinem abſtergimus, ſine ullo inditio ſenſus id facimus, & habemus multas obſervationes Chirurgicas de portione cerebri extracta in vulneribus, ſine ullo dolore, imò ſine ulla ſenſus nota; ex quibus ſatis confirmatum manet, medullarem ſubſtantiam cerebri eſſe omninò ſenſu privatam.

Ad rationem verò Plateri reſpondendum eſt, ſi doloris ſenſus apparuit in tactu portionis cerebri contiguæ membranæ piæ, id eveniſſe, vel quia eodem tempore tacta fuit membrana contigua, non omninò ſeparata à ſubſtantia medullari cerebri. Ad auctoritates Gal. reſpondendum, quando dixit Cerebrum habere ſenſum, intellexiſſe de Cerebro cum membranis, itaut ratio ſenſus ſit referenda in membranas, non in ſubſtantiam medullarem Cerebri; ad rationem adductam reſpondendum eodem modo Cerebrum eſſe organum ſenſus, quomodo nervus eſt organum ſenſus, ſed nervus eſt organum ſenſus ratione membranæ, qua ejus contenta teguntur, & ita Cerebrum quoad ſuas membranas erit organum ſenſus, non quoad contenta; ex quibus concluſum manet, Cerebrum quoad ſubſtantiam medullarem, non eſſe organum ſenſus, ſed ſolùm ratione membranarum, & cutis externæ.

Differentiæ doloris Capitis, à *Gal. in lib. 3. de loc. affect. cap. 9.* duæ aſſignantur, deſumptæ à ratione loci; prima eſt, quando totum Caput dolet, & dicitur *Cephalæa*; ſecunda, quando medietas Capitis, juxta diviſionem factam à ſutura ſagittali, vel à falce Cerebrum dividente, & *Hemicraniam* hunc dolorem appellat. Has duas differentias ſubdividit in partem internam, & partem externam; unde ſi pars interna Cerebri, quoad membranas, tota doleat, unam conſtituit differentiam; ſi pars Cerebri, quoad dictas membranas dolore afficiatur, alteram conſtituit differentiam; ſi totum Caput externè, alteram, ſi medietas, alteram differentiam deducit. Communiter tamen differentiæ doloris Capitis deſumuntur quidem à loco, ſed unà cum doloris ſenſu recenti, vel inveterato; nam dolor totius Capitis recens dicitur *Cephalalgia*, dolor Capitis totius inveteratus, & vehemens dicitur *Cephalæa*, dolor medietatis Capitis, ſive ſit in dextera, ſive in ſiniſtra parte, *Hemicrania* nuncupatur. Cephalæa, quæ eſt dolor inveteratus, ab Arabibus Medicis appellatur *Soda*, *Ovum*, *Clavus*, *paſſio galeata*, eò quia ut galea Caput occupet, vel ut Clavus remaneat infixus in eadem parte Capitis; qua ratione verò appellaverint Ovum, & Sodam; non poſſum niſi uti verbis *Mercurialis in lib. 1. ſuæ Practicæ cap. 3.* quo ſpiritu hæc nomina Arabes invenerint ipſi norint: talis dolor, vel eſt internus, vel externus, & conſtituit alteram differentiam, & ſimiliter altera conſurgit ex eo, quod vel ſit per conſenſum, vel per eſſentiam. Aliæ differentiæ deſumuntur ab *Hippocrate* à qualitate doloris, alius *punctuorius*, *gravativus*, *tenſivus*, *pungitivus*, *lancinativus*, *pulſativus*, & hæ differentiæ in Praxi ſunt magis attendendæ, quàm aliæ, quia hæ demonſtrant immediatam cauſam doloris, a qua elicitur etiam principalis indicatio pro curatione differentiæ doloris Capitis, ut videbimus de Cauſis, & de Curatione. Traditæ definitionis præſtantia ex hoc elucet, quòd omnibus differentiis accommodari poſſit, & eas amplectatur addita ſolùm parte Capitis dolentis, vel toto Capite, vel qualitate doloris.

Cauſæ in univerſali ſunt quælibet tangibilia violenta agentia in organum tactus Capitis; in particulari ſunt internæ, vel externæ; internæ ſunt humores qualitatibus tangibilibus primis, vel ſecundis affecti cum exceſſu, ab hoc enim agendi violentiam mutuantur, & actionem ad excitandum dolorem accipiunt.

Sanguis, quia facillimè incaleſcit, cùm ſit ſui natura calidus, ideò a cauſa calida hujus calor auctus, violentiam in agendo nanciſcitur, hinc ad Caput in magna copia delatus, & tarda circulatione per vaſa membranarum motus copioſis effluviis copiæ ſanguinis, & valdè calidis intenſæ caliditati contractæ correſpondentibus membranas prædictas feriendo, eaſque ob tardum motum ſanguinis intimè penetrando moleſtam, & triſtem affectionem cum dolore imprimit, quod expreſſit *Hipp. in lib. 2. de Morbis num. 4.* ubi ait, *Dolor quidem, præ nimia ſanguinis caliditate*, & loquitur de dolore Capitis; & de eadem caliditate locutus eſt *citat. lib. num. 3.* ſcribendo. *Huic caput dolet, præ nimia ejus calefactione*, & *ibidem*, *Si venæ ſanguinem circa Cerebrum ſupervomerint, ac Cerebrum calefecerint*; aliquando vel ratione dictæ quantitatis, vel ratione obſtructionis in aliqua ramificatione vaſorum,

ita reliqua vaſa dilatantur, ut membranam annexam diſtrahant cum violentia; unde triſtis ſenſatio, non quia continuum ſolvatur, ſed quia membrana diſtrahitur per motum, & impetum, quæ inter objecta tangibilia violenta enumerantur. A quantitate etiam ſanguinis gravatæ, & præſſæ membranæ, triſti ſenſatione gravativa afficiuntur; à quantitate ſanguinis, dolorem Capitis indicavit *Hipp. cit. loc.* ubi habet; *Elevantur enim venæ, & pulſant, & dolor per totum Caput diſpergitur*; venæ elevantur à copia ſanguinis, vel ab iſtius immoderata effervefcentia, à qua vaſa implentur, ſicut in plenitudine. Motus circulationis ſanguinis in Capite retardatus, & diminutus dolorem efficit, quia retardata circulatio colligit copiam ſanguinis majorem; unde dicti effectus à copia ſanguinis, & concurrit ad efficiendam majorem impreſſionem caloris in membranis, cùm manifeſtum ſit majorem impreſſionem actionis fieri, quando agens, & patiens quieſcunt, quàm quando unum iſtorum movetur; ambulantibus nobis ſub radio Solis, minor fit impreſſio caloris, quàm quieſcentibus. A copia ſanguinis dolorem fieri obſervavit *Ferdinandus Hibnerus in Miſcellaneis curioſis*, cùm turgeſcentiam vaſorum membranarum cerebri in diſſecto capite defuncti dolore Capitis viderit, quod obſervavit etiam *Vvilliſius in cap.* 10. *Pathologiæ Cerebri*, & *Bonetus in Sepulchreto Anatomico de dolore Capitis obſervat.* 10, *& obſervat.* 8. ad talem quantitatem vidit auctum ſanguinem, ut venæ varicoſæ apparuerint. Hanc cauſam expoſuit *Hippocrates*, ultra citatum prius locum, *lib.* 2. *de Morb. num.* 16. ubi ait; *Venæ attolluntur, & pulſant in Capite*, & inferiùs, agendo de Cauſa doloris Capitis, ſubjungit, *Aut cibis ſe impleverit, aut inebriatus fuerit, aut in Sole laborarit*, quæ omnia copiam ſanguinis ad Caput dirigunt.

Si bilis etiam naturalis excreverit in Maſſa ſanguinis, iſtius calorem, & agendi activitatem intendit; unde vires addit actioni ſanguinis, ut violenter in membranas agat, quod magis evenit etiam ſi bilis excrementitia in ſanguine congregetur, eò quia non ſegregetur in locis deſtinatis, dum hæc, ultra intenſionem caloris, acrimoniam illi addit ad vehementem ſenſationem triſtem efficiendam valdè idoneam. De bile dolorem Capitis efficiente, verba facit *Hippocrates cit. loc.* 2. *de Morbis num.* 4. ſcribendo, *Verùm ſuperevomere videntur, cùm ad venas, bilis, aut pituita ingreſſa fuerit*; elevantur enim venæ, & pulſant, & dolor per totum Caput diſpergitur; & de dolore à bile, loquitur *cit. lib. num.* 19. *Serum flavum circa falcem Cerebri diffuſum in dolore Capitis. Bonetus cit. loc. obſervat.* 12. adnotavit, & humorem acrem erodentem craſſam Meningem obſervavit, *Paccius obſervatione anatomica* 8. & idem *Bonet. obſervat.* 18. ei communicata pintam Aquæ flaveſcentis circa falcem, & duræ Matris reduplicationem inventam in defuncto, dolore Capitis teſtatur, & Cranium extrà, & intrà flaveſcens unà cum dura Matre cum liquore flavo ſub hac, idem *Bonet.* obſervavit *obſervat.* 26. Serum, & humor flaveſcens, bilem abundantem denotat; at ſi bilis atra ſanguini mixta fuerit, idem eveniet ob eaſdem rationes, & cum majori dolore, cùm talis humor ſit in agendo, & in acrimonia magis violentus.

Melancholiam, & Pituitam non credo poſſe ita excandeſcere, ut dolorem pariant in membranis Cerebri; dolorem tamen in iſtis efficiunt, ſi non calore, aciditate, ſalſedine, & auſteritate; hiſce enim violenter pungendo, vellicando, lacerando, doloris Cauſa exiſtunt. Ab atra dolorem Capitis admittit *Hipp. lib.* 2. *de Morb. num.* 6. & ait, *De repente dolor occupat caput*, & paulò inferiùs reddit cauſam. *Patitur autem hæc, cùm atra bilis ad caput fluxerit*; & de Pituita locutus eſt *cit. num.* 4. *de Morbis* 2. & *lib. de affect. num.* 2. ubi habet. *Dolores incidunt à pituita, cùm in capite cumulata fuerit.*

Quomodo verò iſti humores actionem ſuam membranis imprimant, cùm ad magnam quantitatem excreſcere non ſoleant, ut ſuis effluviis triſtem ſenſationem imprimant, credo non poſſe explicari, niſi admittendo portionem iſtorum humorum, dum per membranas circulantur in iſtarum poroſitatibus relinqui, & ibi ſuæ acrimoniæ vim exercere, vel quòd portiones iſtorum humorum miſceantur ſucco nervoſo, & dum hic per fibras membranarum excurrit, iſtarum lateribus affigi cum punctura, corroſione, & laceratione.

A Sero dolorem Capitis indicavit *Hipp. lib.* 2. *de Morb. num.* 15. ubi habet, *Si aqua in Cerebro fuerit, dolor acutus per ſinciput, ac tempora emergit*, ab eo pariter in ſubſtantia cerebri extravaſato in diverſis locis factum fuiſſe dolorem, innumeræ Auctorum teſtantur obſervationes. Dolorem Capitis factum fuiſſe à Sero, ventriculos cerebri replente, & ſpatia intrà Meninges, ſcripſit *Jacobus Vvelſerus exercitat. de Apoplexia*, & à Sero duræ Matri incumbente, & inter utramque Meningem exiſtente, & ab eodem infra, ſupra, intrà Meninges cumulato, & in glandulis Plexus Choroidis cum magna iſtarum extenſione, in variis obſervationibus à *cit. Bonet.* collect. colligere licet. Serum cumulatur in dictis partibus, quia arteriæ in iſtis plus Seri deponunt, quàm venæ reabſorbere poſſint, vel quia Serum relictum à generatione ſpirituum animalium, & à nutritione per vaſa excretoria propria non expurgatur. Dolorem parit, quia Serum multis ſalibus refertum, quæ extant in ſanguine, hæc diſſolvit, prout proprium eſt Aquæ Sal diſſolvere, & ſibi unit, ab his acrimoniam acquirit, qua pungit, rodit membranas Cerebri ſi in his decumbat, & ſi diſtet ab iſtis collectum in parte vicina ſuis vaporibus acrimoniam retinentibus feriendo dolorem infert. In Sero eſſe ſalium copiam urina demonſtrat, & valde activam exiſtere ſal urinoſum oſtendit.

Quandoque dolores Capitis à corporibus extraneis in cerebro generatis evenire obſervatum fuit, & vermem in diſſecto capite Defuncti ex dolore iſtius obſervavit *Foreſtus in lib.* 9. *ſuarum Obſervationum obſervat.* 2. *in ſcholio propè membranam Cerebri*, & *Benivenius cap.* 100. *de Abdit.* refert. *Quemdam dolore Capitis diù detentum, verme, palmo longiori, per nares ejecto, liberatum fuiſſe*; & *Ronſevus epiſt.* 10. *Miſcell.* narrat: *Juvenculam, rejectione vermis millepedis non abſimilis, per nares ſequuta, à diuturno Capitis dolore fuiſſe reſtitutam*, & *Ildanus centur.* 1. *obſervat.* 8. *Doloris Capitis cum excretione vermis ſanati*, meminit; ſicut *Bartholinus centur.* 3. *Hiſt. Anatom.* 3. *& in Febre Hungarica, Cum immenſo Capitis dolore, vermes in Capite generatos*, vidit. *Conradinus cap.* 10. *Febris Hungaricæ, & ex Scorpione, in cerebro genito ex frequenti odoratu Baſiliconis, vehementes dolores Capitis, & diuturnos excitatos*, refert. *Hollerius lib.* 1. *de Morbis internis cap.* 1. hac ratione, *quòd hæc herba intrà lapides vivos contuſa, ſerviat Scorpionum generationi, & Cimicum copiam incredibilem in cerebro Matronæ defunctæ ob vehementiſſimum, & diuturnum Capitis dolorem*, obſervavit. *Gemma in Appendic. operis Cormoc. de Hemitriteo peſtilenti*, quam ob cauſam Medici Indi exiſtimant dolorem Capitis à vermibus oriri, ita referente *Raſi cap.* 10. *lib.* 1. *Continentis*, & *Avicennas Fen.* 4. *tractat.* 2. *cap.* 3. *lib.* 3. *Canon. obſerv.* habet. *Bonet. loc. cit. obſervat.* 115. de defuncta à dolore Capitis, in cujus Capite diſſecto ſub pericranio *Myriades pediculorum inventæ, diſſecato verò cranio, in ejus meditullio par numerus inventus eſt*, ab hac parte per ſuturas ad pericranium vias cum dolore paraſſe, cenſet cum eo pruritu doloroſo, quo affligunt pediculi; ſemper enim in hoc dolore cutim ſcalpebat ad pruritum ſedandum, ſimilem illi, quem pediculi pariunt.

Lapides etiam in cerebro geniti, & membranis ejus adhærentes ſua aſperitate pungitivum, & intollerabilem dolorem efficientes obſervati ſunt, ut *Kentmanus libell. de Calcul. in Hiſtoria cujuſdam pauperis*, ob dolorem Capitis defuncti, in cujus capite diſſecto *lapis inventus fuit*, & idem teſtatur *Gemma lib.* 1. *cap.* 6. *Cormocrit.* & *Mercatorem Hungarum à diuturna Hemicrania liberatum per ejectionem lapidis, majorem ungue humano digiti minoris, per nares*, ſcribit *Schenchius ex obſervation. à Joanne Culmano ad eum miſſa. Faber Hildanus cent.* 5. *obſer.* 1. vidit *Calculum ad nucis moſchatæ magnitudinem ejectum per palatum.* Lapides in capite cranio, & cerebro naſci, teſtantur *Braſavola in Com. ad Aphor.* 79. *ſect.* 4. *Veiga in*

Com.

Com. ad caput 5. *lib.* 4. *de loc. affect. Gal. Hollerius cap.* 48. *lib.* 1. *de Morb. internis.*

Ab Abſceſſu ſanioſo circa nervum opticum dolorem Capitis obſervavit Bonet. & ab Abſceſſu in Proceſſibus mamillaribus obſervavit *Bonet. cit. lib. obſervat.* 47. 48. & ex Abſceſſu in media cerebri parte dolorem Capitis excitatum, ſcribit *Ballonius lib. de Convulſione*, & ab Aſceſſu ſub cranio latente, meminit *Arnoldus Bootius de Affect. omiſſis cap.* 1. & ab Abſceſſu in Meningibus dolorem Capitis excitatum, memorat *Vvillis tract.* 2. *de Anim. Brutor. cap.* 2. & à tumore ſeroſo piæ Matris cum icore inter Meninges, & Cerebrum, obſervavit *Hildanus centur.* 1. *obſerv.* 71. plures obſervationes hujuſmodi poteritis videre apud *Schenchium in lib. obſervationum*, *Bonet. cit. loc. Platerum in ſuis obſervation. Horſtium pariter in ſuis obſervation.*

A diſceſſione ſuturarum Cranii frequens eſt dolor Capitis, prout obſervavit *Arnoldus Bootius de Affect. omiſſis cap.* 4. in Hibernia. Frequens eſt dolor Capitis ab hac cauſa, quia dum ſuturæ ad invicem diſcedunt fibras duræ Meningis, quibus pluribus in locis cranio alligata eſt, diſtrahunt cum violentia, & divellunt; unde dolor. *Inſignem* habet *obſervationem Fontan. lib.* 1. *Pract. cap.* 3. Suturæ enim per quatuor digitos ad invicem disjunctæ erant, quod obſervavit etiam *Ægineta*, & *Antonius de Pozzis obſerv.* 34. *Miſcell. curioſ. anni quarti*, ad policis enim latitudinem ad invicem diſcedebant.

A ſuturarum arcta nimis compage dolorem Capitis factum cognovit *Colum. lib.* 1. *ſuæ Anatomiæ cap.* 4. & dolorem Capitis à ſuturarum Cranii abſentia, refert *Platerus lib.* 2. *ſuarum obſervationum*. Deficientibus enim ſuturis, vel nimis arctè conjunctis impeditur tranſpiratio exhalationum, quæ continuò à ſanguine in vaſis cerebri exiſtente tranſpirant, quapropter iſtæ in membranis colliguntur, & quia acrimoniam in ſe continent, membranas pungunt, vellicant, divellunt, lacerant; & ſi *Celſus lib.* 8. *cap.* 1. docuerit, *Caput ſine ſuturis firmiſſimum, atque à dolore tutiſſimum*, puto intelligendum eſſe Celſum quoad cauſas externas, non quoad internas, & in temperamento frigido, in quo exhalationes ſanguinis diminutæ.

A Carie in Cranio membranam, qua hoc inveſtitur corrodente, dolores Capitis fieri, teſtatur experientia in eis, qui gallica lue inficiuntur. A Philtro excitatum dolorem Capitis, obſervavit *Bonet. in Sepulchret. Anatom.*

Cauſæ externæ ſunt Ebrietas, Crapula, mora ſub radiis Solaribus, in Hypocauſto, Aer maximè frigidus, odores, & fumus fuliginis, Carbonum, Calcis, Tabaci uſus, Lactis potus, Dactyli, Olivæ nigræ, Avellanæ, Caſtaneæ, Nuces juglandes, ſemen Canabis, Coriandri non præparati, Thus, Myrrha, Styrax in quantitate ſumpta.

Cauſæ externæ, quæ coadjuvant cauſas internas dictas, & primò ad redundantiam ſanguinis colligendam concurrunt, ſunt cibi optimi ſucci in magna quantitate ingeſti, vita ſedentaria, aliqua ſuppreſſa evacuatio ſanguinis conſueta, motus circulationis retardati, cauſa ſunt, quæ lentorem, & viſciditatem ſanguini communicant, ut cibi viſcoſi craſſi, & nutrimenti denſi. Augent qualitatem calidam ſanguinis calor externus, calor aromatum, vini generoſi. Bilem congregant omnia calida, amara, aromatica, & paſſio iræ, quæ licèt non augeat bilis quantitatem, ei tamen fervorem tribuit, per quem valdè activa evadit, & multæ ſunt experientiæ de dolore Capitis ab ira excitato. Bilis atra, cùm ab aduſtione bilis flavæ oriatur, illa, quæ calorem corporis intensè augent, bilis atræ generationem promovebunt. Pituita, & Melancholia cum aciditate, vel ſalſedine dolorem Capitis efficiant; omnia ſalſa, acida, auſtera, longo uſu intrà corpus recepta, erunt efficacia ad augendas qualitates iſtas ſecundas aptas dolorem efficere. Serum ſuperabundat, ubi potus eſt excedens, & etiam ciborum humiditate ſcatentium uſus diuturnus adeſt. Acrimoniam acquiret Serum à ſalſis, acidis, acribus, auſteris in cibo, vel potus aſſumptis. Vermium cauſa eſt putredo, ex communi ſententia Antiquorum. Lapides, à materia tartarea acido coagulante aſperſa oriuntur; hinc, quæ tartarum generant, ut vina generoſa, & acida, lapidis materiam ſubminiſtrant.

Quoad differentiam cauſarum. Dolor Capitis tenſivus fit à flatu diſtendente membranas, vel à copia materiæ in vaſis membranarum contentæ; unde ea, quæ flatus, & copiam ſanguinis generant, hujus doloris erunt cauſa. Dolor gravativus, à materia potiùs quantitate, quàm qualitate peccante, & membranis ſuperpoſita. Pulſatorius, à materia arterias opprimente, quia dum impedit liberum fluxum ſanguinis per cavitatem arteriæ, hic ſuo impetu arteriam attollit cum magna vi, ut ſibi aditum aperiat, & in hac arteriæ violenta elevatione conſiſtit pulſatio. Dolor pungitivus fit à materia acida, parvam membranæ portionem, & in ſuperficie pungente, & vellicante; unde videtur imitari puncturam acuminis acus. Dolor perterebrans fit ab eodem acido, ſuperficiem membranæ tranſgrediente, & ad intimum iſtius penetrante cum violentia; unde & in hoc motu velut terebello membrana perfoditur. Dolor acutus fit ab eodem acido ſubtili, & motu violento membranam afficiente. Obtuſus efficitur à vellicante, cujus acrimonia à craſſitie iſti conjuncta, & lentore obtunditur. Rodens, & lacerans, à materia ſalſa provenit, plus membranæ partes afficiente; & ſi talis corroſio, & laceratio caloris ſit unita bilem lacerantem, & corrodentem demonſtrat, dum hæc cum acrimonia conjunctam habeat caliditatem, & ſi caliditas ſit excedens, itaut ipſa doloris ſenſum vehementem faciat, ab atra bile provenire inditium eſt, cùm hæc bile flava ſit calidior; ſi ſine ſenſu caloris ſit dolor lacerans, & rodens, à pituita ſalſa, & pontica dependet, quia hæc, præter acrimoniam, & rodendi facultatem, nullum calorem habet. Dolor frangitivus eſt in membrana Cranium inveſtiente ab acido laceſſita, cum tali ſenſu, ut os frangi videatur; ita videmus, ubi perioſtium oſſium in aliis partibus triſti actione afficitur, dolorem hunc frangitivum excitari.

Quoad alias differentias, patet clarè iſtarum cauſa; nam in Cephalalgia, quæ eſt dolor totius Capitis, recens fit à paſſione totius membranæ cerebrum inveſtientis cauſa materiæ, recenter in eam defluxæ, ſi ſit externus dolor, à paſſione totius cutis, vel pericranii externè os inveſtientis; & quia in Cephalalgia dolor ſit mitis, materia etiam vellicans, & triſtem ſenſationem dictis partibus imprimens in ſua actione eſt moderata. Cephalæa, quia eſt dolor inveteratus, & vehemens totius Capitis, connotat materiam diù in membranis cerebri infixam, & in actione vehementem ſi internus, ſi externus, eamdem materiam partes externas ſupradictas occupantem. Hemicrania, cùm ſit dolor occupans ſolùm medietatem Capitis, deſignat materiam reſidere in ſola medietate membranarum internarum, ſi ſit internus, vel externarum, ſi ſit externus; & quia quilibet iſtorum dolorum poteſt continere differentias pungitivi, lacerativi ſuperiùs dictas, iſtorum cauſæ ex dictis patent.

Omnes iſti dolores poſſunt eſſe per eſſentiam, & per conſenſum; ſunt per eſſentiam, quando materia, dolorem efficiens, eſt cerebro infixa, independenter à quacumque alia parte; dolor per conſenſum eſt, quando materia ab indiſpoſitione alicujus partis cerebro communicatur.

Quoad ſigna, dolorem Capitis à ſanguine in quantitate excedente demonſtrant faciei rubor, & oculorum, plenitudo venarum, præcipuè frontis, & oculorum, calor in Capite mitis, & ſuavis, & qui tactui cedit; præceſſerunt cauſæ externæ plethoram, ſeu copiam ſanguinis cumulantes, ſuperiùs recenſitæ; ſi cum iſtis ſignis conjungatur dolor pungitivus, laceratívus, perterebrans, ſignum eſt plenitudini, & calori ſanguinis conjunctam eſſe ſecundam qualitatem corrodentem, & vellicantem; & ſi adſit pulſatorius, denotat plenitudinem in aliqua parte vaſorum obſtructionem parere, ſi gravativus, & tenſivus, ſola quantitate ſanguinem peccare.

Dolorem à bile cognoſcimus, ſi dolor fuerit pungitivus, & mordax, cum calore ad tactum acri, non ſolùm in Capite, ſed etiam in reliquo corpore, tempera-

mentum bilioſum, & præceſſerint cauſæ bilem generantes cum oris amaritudine, per quam *Paulus Ægineta cap.* 4. *lib.* 31. edoctus *à Gal.* 2. *de compoſit. ſecundùm loca*, dolorem Capitis à bile diſtinguit, adeſt linguæ, narium, & oculorum ſiccitas, vigiliæ infeſtant, quas tenuiſſimus, leviſſimus ſomnus interrumpit, in quo incendia, pugnæ, certamina volatus, ægrum turbant, & *ex obſervatione Jachini ad nonum Raſis ad Almanſorem, circa meridiem dolor à bile exacerbatur*. Si ab atra bile dolor Capitis originem trahat, hæc accidentia, & ſymptomata ſunt magis vehementia.

Dolorem Capitis à Pituita diſtinguimus, ſi dolor ſit pungitivus, lacerans, mordens, ſine ſenſu caloris, ſi adſit propenſio ad ſomnum, cum inertia ſenſuum internorum, & externorum, ob pituitam in capite exiſtentem, & ſpiritus ſua frigiditate, & viſciditate inertes reddentem color faciei, & oculorum albus, diſtillatio pituitæ à naribus, os ſaliva multa humidum, cauſæ ad pituitæ generationem præceſſerunt. Hæc ſigna conveniunt copiæ Seri in cerebro, & in membranis exundantis, & dolor à pituita, & à Sero per hoc diſtinguitur, quòd præceſſerint errata in eis, quæ Serum cumulare poſſunt, ut potus nimius, alimenta humido referta, urinæ diminutio, ſolita etiam ſudoris profuſio ſuppreſſa, & temperamentum ad generationem Seri propenſum. Acuties, & vehementia doloris, cum his ſignis demonſtrabit Serum acre multis ſalibus in eo diſſolutis impregnatum.

A Melancholia dolorem provenire, demonſtrat temperamentum melancholicum, cum taciturnitate, triſtitia, fixus obtutus, & præceſſerunt cauſæ melancholiam generantes.

Signa naturam, & qualitatem doloris demonſtrantia, nempe dolorem eſſe pungitivum, vellicantem, diſtendentem, habentur ab ipſo ægroto.

Signa doloris interni, vel externi diſtinctiva, non eſt tam facile invenire, *ex Gal.* 2. *de compoſ. Medicam.* 2. *loca*, quæ verò ad hujus cognitionem vos ducere poſſunt, ſunt dolor uſque ad radices oculorum pertingens, quia radices oculorum à cerebri meningibus prodeunt, unde fit, ut dolor euſque facile propagetur, & ratione hujus connexionis eveniat etiam cæcitas, quam in dolore capitis prædixit *Hipp. Fernelius* verò *Patholog. lib.* 5. *cap.* 1. afferit, *externos dolores ad radices oculorum pertingere*; quòd pericranium oculorum cavum pertingat, & per hoc diſpergatur, quòd etiamſi verum ſit dolorem radicem oculorum tangentem externum, diſtinguemus ab interno; nam ſi compreſſa, & commota validè cute capitis dolor ſentiatur, determinabimus dolorem radicem oculorum attingentem eſſe externum; ſi verò dolor non ſentiatur commota, & compreſſa cute, erit internus.

A lapide factum dolorem, diſtinguimus ab acutie, & puncturis pondere conjunctis, ſemper in eodem ſtatu, & loco permanentibus ſine ulla diminutione, & augmento. Signum dolorem à Vermibus diſtinguens: ſunt puncturæ morſus inſtar, interpolatè affligentes. Caries diſcernitur ab aliis cauſis per hoc, quòd dolor ſit parvo ſpatio circumſcriptus acutus, ſine ulla remiſſione, & multotiès cum augmento; non occupat enim, niſi illud ſpatium, in quo adeſt Caries; & quia humor hanc corroſionem efficiens Cariem dilatat paulatim, ideò etiam augmentum ſuſcipit, numquam decrementum, multoties ubi adeſt lues gallica, ab hac Carie fiunt dolores, qui ſemper circa veſperas exaſperantur. Tumor, vel Abſceſſus diſtinguitur ab aliis Cauſis, & ratione gravitatis, & ratione febris, quæ ſemper cum Abſceſſu conjungitur.

Signa prognoſtica ſunt: ſi dolor ſit ab externa cauſa procreatus, facilem admittit curationem, ſicuti ſi à flatibus, vel à materia tenui, & non copioſa, quia facillimè talis materia diſcutitur, vel ab intemperie nondum confirmata, & ſi in ſola cute, vel pericranio fundetur ſedes doloris: E contrà verò difficilem reddit curationem, ſi ſit in Meningibus cerebri, quia materia recondita non tam facilè à medicamentis alterantibus internis, vel externis attingitur, & à purgantibus non facile educitur, & ſi fuerit craſſa, & in magna copia, quia magis reſiſtit, & conſequenter contumaciorem reddit affectum, ideoque dolores à pituita contumaci diuturniori afflictione torquent ægros, & Artis, & medicamentorum conatus contemnunt, niſi longo tempore virtus medicamentorum materiæ contumaciam oppugnet; item ſi intemperies fuerit habitualis, quia talis facta eſt naturalis, ideò difficillimè tollitur; verum tamen eſt, quòd in doloribus Capitis minùs periclitantur ægri, quàm in doloribus aliarum partium Colli, nempè autium, oculorum, dentium, perioſtii, teſte *Gal.* 1. *de cauſ. Symptomat. cap.* 1. & *in* 2. *de compoſ. Medic.* 2. *loca*, *cap.* 1. confirmavit, teſtando, *ob vehementem capitis dolorem, neminem unquam aut ſyncope correptum fuiſſe, aut ſe ipſum occidiſſe, quemadmodum quidam dolore colli vexati fuerunt*, quæ tamen ſententia eligenda de ſimplici dolore; habito verò reſpectu ad ea, quæ ſolent, & poſſunt illum ſequi, non eſt adeò vera, cùm per dolorem Capitis deliria, phrenitides, vigiliæ, epilepſiæ, apoplexiæ aliquando inſurgant, quæ & ſyncopem, & mortem afferunt. *Quibuſcumque urinæ in febribus turbatæ ſunt, qualis jumentorum his dolor capitis adeſt, vel aderit*, ita *Hipp.* 4. *Aphor.* 70. quoniam, ut inquit Galenus in Commento: nam ex agitatione, & fervore humorum, quem urinæ turbatæ oſtentant flatuoſus ſpiritus unà cum calore, promptè ad caput attollitur, qui dolorem ibi concitat, in vehementi capitis dolore cum febre acuta, ſi urina alba conſpiciatur malum, quia bilem ſurſum ferri ad caput, non ad conſueta renum, emunctoria ſignificat; unde ex ejus caliditate metuenda inflammatio valdè periculoſa; ita ſcripſit *Gal. in lib. de Urinis cap.* 5. *Si verò in vehementi capitis dolore extrema frigeant malum*; ob vehementiam enim doloris ad partis dolentis tutelam calor naturalis ad eam trahitur; unde per abundantiam caloris facillimè in ea Phlegmon excitari poteſt, ut de frigore in morbis acutis ſuperveniente vaticinatus eſt *Hipp. in* 4. *Aphor.* 48. *&* 7. *Aphor.* 1. *&* 26. & ita commentatus eſt *Gal. in eiſdem*. *Quicumque ſani capitis dolore repente capiuntur, & ſtatim muti fiunt, & ſtertunt in ſeptem diebus pereunt, niſi febris præhenderit*, ità prædixit *Hipp.* 6. *Aphor.* 51. nam cùm ſanis dolor in capite repentè advenerit; cauſam referre oportet non modo ad ſpiritum flatuoſum, ſed etiam ad materiæ univerſim fluentis multitudinem, quam ad cerebrum fuiſſe delatam, indicant ſymptomata, quæ poſt dolorem ſupervenerunt, ab Hipp. in Aphor. notata, per quæ etiam ſymptomata, quòd ſit materia quædam pituitoſa demonſtratur, atque idcircò febris ſuperveniens diſpoſitionem ſolvit, ità ſcripſit *Gal. in com. cit. Aphor.* & *in Aphor.* 10. *ejuſdem libri* 6. Dixit *Hipp. Caput dolenti, & circumdolenti, ſeu vehementer laboranti, pus, vel aqua, vel ſanguis effluens per nares, aut os, aut aures morbum ſolvit*, quando videlicet propter inflammationem, Gal. teſte, vel crudorum humorum multitudinem in Capite acervatorum, ſi dolor contigerit; tunc namque inflammatione ſuppurata, aut humore excreto ſolutio fit; quibus verò Capitis dolores fiunt, & ſonitus aurium ſine febre, & vertigo, & vocis ſurditas, & manuum torpor, hi autem apopletici, aut epileptici, aut oblivioſi fiunt ex pituita craſſa, & viſcida in nervis cumulata, & in cerebro. *In coac. præd. Quibus ex morbo partium inferiorum convaleſcentibus, dolor capitis vehemens ſupervenerit, ſi non præcedat excretio manifeſta, iis in cerebro futurus eſt Abſceſſus*, morbi materia ab inferioribus ad ſuperiora converſa, & concordare videtur cum ea, quæ ſcripſit *Hipp. in lib.* 4. *Aphor.* 32. *Qui in doloribus capitis eruginoſa vomunt, & cum ſurditate vigilant, hi citò vehementer inſaniunt*. *Hipp.* vaticinante 1. *Pror. text.* 10. quia vigilia, & dolor capitis, & ſurditas morbum in capite eſſe demonſtrant; graviter autem affecto cerebro ventriculi os excitari ad vomitum, novimus; ratione igitur optima hic, ex ſicca, & calida capitis intemperie, propter flavæ bilis maximam redundantiam vehementer inſaniet; ita *Gal. com. cit. loc. In Capitis dolore coma, & ſurditas, & Hypocondriorum tenſio, & corporis incontinens jactatio parotides, & abſceſſus ad aures ſignificat*, 1. *Pror. com.* 3. *textu* 76. quia humorum

mini ad ſuperas partes inclinatio, ſignum eſt parotidum generationis, *juxta mentem Gal. cit. loco, Capite dolentes, & Catoche detenti, ac delirantes, cum intercepta alvo, & ferociente intuitu, facieque impensè rubentes Opiſthotono corripiuntur*, 4. *Pror. com.* 7. *tex.* 56. *Dolores Capitis ex parotidibus, aut alia quacumque cauſa, cum febre acuta, ſi in die critico non ſolvantur, aut repentè evaneſcant, inutiliter ſolvuntur.* 1. *Pror. com.* 3. Significat enim translationem materiæ ad alias partes, *teſte Gal. in com. ejuſdem loci*. *Uterum gerentibus capitis dolores ſoporoſi, cum gravitate obvenientes mali, quin & hujuſmodi naturæ convulſionis fortæ ſunt obnoxiæ. Dolor capitis vehemens, & aſſiduus, qui nullis præſidiis cedit metum, affert futuræ cæcitatis*, ob fluxum humoris ad oculos. *Raſ. in* 9. *ad Almanſorem.*

Indicationes in dolore Capitis ſunt cauſam doloris auferre, & dolorem ipſum ſenire; unde ſi ſanguis erit cauſa doloris, ejus copia eſt imminuenda per venæ ſectionem, & ſi ab inferioribus ad caput mittatur, eſt revellendus, repellendus, intercipiendus, & qui in capite influxit, derivandus, evacuandus, & diſcutiendus, & intemperies à copia ſanguinis inducta, per contraria alteranda; quamvis enim evacuata ſit copia ſanguinis, remanent tamen infixæ in partibus particulæ, quæ intemperiem fovent calidam.

Præmiſſo clyſtere ſanguis ſtatim mittendus, ex Cœphalica dextera mittendus, vel ſiniſtra, prout pars dextera, vel ſiniſtra capitis dolebit, & ſi totum caput indiſtinctè dolore afficiatur, à Cœphalica dextera evacuetur ſanguis, poſtea reiteretur ex Cœphalica ſiniſtra, & in ea quantitate, quæ plenitudini reſpondeat; quòd ſi vires non ferant copioſam evacuationem per iteratas vices, ſupplendum debitæ quantitati, qua non proficiente evacuatione ad inciſionem venæ magis proximæ capiti deveniendum, ut faciliùs ejus plenitudo particularis eradicetur, & ſanguis parti infixus derivetur, ideòque vena in fronte tundatur, & præcipuè ſi poſterior pars capitis doleat, ut *Hipp.* tradit 3. *Aphor.* 68. & *lib.* 2. *de morb. n.* 16. ubi habet, *primum ſanguinem de capite mittito undecumque tibi viſum fuerit*, quod conſilium videtur præceptis artis magis conforme, quia jam eſt facta fluxio ſanguinis, & ſtagnatio ejuſdem in capite, quibus convenit derivatio à parte proxima, non revulſio, quæ à fluente tantummodò ſanguine indicatur, & confirmavit *Gal. de comp. medic.* 2. *loc. cap.* 2. *Vel in temporibus, vel retro aures, vel naribus Sanguiſugæ appendantur.*

Conſilio Plateri jugulari applicari poſſunt, cùm non adeò tutum ſit jugularem externam in lateribus colli ſecare (quantumvis Arabes hoc conſulant) cùm difficile ſit ſanguinem ea ſecta ſiſtere, eòque magis, quòd ex *Hipp.* ſententia, *Sectio talis venæ ſterilitatem inducit*, forſan ob copioſam hæmorrhogiam, quæ ex ea ſequitur. Hoc non obſtante, jugularis ſectionem optimam expertus ſum. Si vires non permittant, ætaſque prohibeat ſanguinis miſſionem e vena, cucurbitulæ, cum ſcarificatione lumbis, ſcapulis, & cervici, & ſincipiti imponantur, & præcipuè ſi pars capitis anterior doleat; ſi verò contumaciſſimus fuerit affectus à ſanguine fervidiori, calidiori, atque flatulento in arteriis contento, cum vehementi, & inordinata arteriæ pulſatione, arteriæ in temporibus ſecandæ, prout mos fuit Antiquis, ut videre eſt apud *Gal.* 3. *de loco aff. cap.* 8. 6. *de tuen. ſanit. cap.* 9. *lib. de curan. ratione per ſanguinis miſſionem cap. penultimo, & ultimo*, quod confirmavit *Aetius, Ægineta, Raſis, Avicenna cap. de dolore capitis*, experientiaque comprobatum eſt, poſt varia diù fruſtra tentata remedia, hoc auxilii genus profuiſſe, & contumaciſſimos dolores Capitis eradicaſſe, ut obſervavit *in Praxi Camerarius in ſuis obſervat. lib.* 3. *epiſt. medic. Thaddæus Dunus in ſuis miſcellan. cap.* 12. *Pareus lib.* 17. *cap.* 4. *Severinus de efficaci medic.* licèt *Cenertus lib.* 1. *Pract. part.* 1. *cap.* 8. cum auctoritate *Gal.* 3. *de locis affect. cap.* 8. putet arteriæ ſectionem convenire, & proficuam eſſe ſolùm iis, quibus ſanguis vaporoſus, calidus, & fervidus in arteriis externis continetur, non verò in internis, quæ ad retiformem plexum aſcendunt; attamen contrarium mihi facile perſuadeo, ex eo quòd in tali affectu Medici intentio ſit ſanguinem arterialem evacuare, & cùm omnes arteriæ capitis tam internæ, quàm externæ connexionem inter ſe ſervent, facile etiam eſt, quòd ſecta arteria externa evacuetur ſanguis in interna contentus; cauti tamen eſſe debemus in hac ſectione, & optimi Chirurgi miniſterio uti ſervatis regulis, quæ à *Pareo lib.* 6 *cap.* 4. afferuntur, & niſi aliis omnibus remediis fruſtrà tentatis ad hujuſmodi ſectionem eſt accedendum præſente pulſatione arteriæ valida, & vehementi, à qua comprehenditur plenitudinem eſſe in arteriis, & impedimentum prohibens liberum ſanguinis fluxum; ſi verò ſanguis per conſenſum ab utero, vel ab hæmorrhoidibus ad caput tranſmittatur, ſectio venæ priùs facienda in talo, vel in hæmorrhoidibus per ſanguiſugas ad retractionem ſanguinis per loca conſueta, poſtea exercendæ aliæ evacuationes jam dictæ particulares. Veſicantia ſcapulis, brachiis, retro aures ſunt remedia proficua à Chirurgia ſubminiſtrata pro revulſione à capite, ſicut etiam pediluvium cum aqua decoctionis Violar. fol. Salic. Lactuc. Endiviæ, Roſar.

Purgatio non videtur convenire in morbis à plenitudine ſanguinis, qualis eſt dolor capitis, de quo tractamus; & magiſtrum in hoc habemus *Hippocratem*, qui *cit. loco de morbo* 2. *n.* 16. purgationem non præſcribit, niſi in fine ſedato dolore, cùm verò ſuperiùs dicat, *Si alvus non ſubeat, infuſum per Clyſterem immittito*, ſi alvus non ſubeat, Lenientia pro expiatione primarum viarum non ſunt rejicienda, cùm humores in iſtis exiſtentes effervefcentia, vel evaporatione doloris materiam fovere poſſint; in hujus uſu ſequentia adhiberi poſſunt. ℞. *Caſſiæ n. t.* ℥. *vi. Pulp. Tamarind.* ℥. ß. *m.* vel ℞. *Elect. linit.* ℥. *vi. Elect. de ſucco Roſar. ſine ſcammon.* ℥. *ii. cum ſaccharo f. b.* ſuperbibendo poſt duas, vel tres horas ℔. *i. vel ii. vel iii. Seri caprini depurati, vel Aquæ Noceræ*. In potu ℞. *Syrup. roſ. ſol.* ℥. *iii. Mannæ electæ* ℥. *ii. Cremor. Tartar. ſ. p.* ℥. ß. diſſolvantur in *ſ. q. Aq. Verbenæ*, vel ℞. *Syrup. viol. ſol.* ℥. *iii. Syrup. roſat. ſol.* ℥. *iii. Salis Tar. ſolut.* ℥. ß. diſſolvantur *in ſuff. q. Aq. Meliſſæ*. Si pilulis delectetur æger, utendum pilulis Aſſaeret. ſine quibus, de Tribus cum Rhabarbaro ad quantitatem ℨ. i. & ii. Detracto ſanguine, & leniente permiſſo, attemperandus æſtus ſanguinis decocto Endiviæ, Viol. Sonchi, Lactucæ, Bugloſſæ, addendo aliquid de Verbena tamquam ſpecifica in dolore capitis. Poſſumus etiam uti aquis ſtillaticiis earumdem, addendo ℨ. i. Salis Prunellæ, vel emulſionibus Semin. frigid. vel Sero lactis; ab aliquibus video etiam laudatas aquas accidulas, Aquam Villenſem, & Noceræ, quas tamen, ratione Mineræ, non laudo, niſi in fine morbi. *Hipp. in cit. mox loc. Ptiſanæ ſuccum frigidum, & aquam inſuper bibendam præbet.* Eodem tempore, quo utimur dictis refrigerantibus, & ſtatim minorata plenitudine ſanguinis, & alvo lenita localibus, utendum Succo folior. Salicis, Plantaginis, Sempervivi, folior. Viticis, Solami, & granatorum acidorum, & iſtis utendum cum petia in eis madefacta fronti, temporibus, & inſuper capiti applicata, vel per nares ſæpè exſugendi; perfuſione etiam, vel irrigatione uti poſſumus ſupra verticem capitis, ad imitationem *Hipp. cit. loco*, qui ſtatim miſſo ſanguine, caput radit, & perfrigeratoria huic applicat, & ſi Medicus in principio ſit vocatus, repellentia applicanda, quæ fluxum ſanguinis ad caput impediant repellendo, qua ratione repellentia dicuntur evacuare; & ſua virtute adſtrictoria partem roborando eam tuentur à copioſiori fluxu, in hoc genere ſunt oleum Cydoniorum, Myrtillorum, & Nenupharis, Aqua Plantaginis, flor. Papaver. erratici, Violar. Lactuc. addendo parùm aceti, non ad penetrationem virtutis medicamenti, ut animadvertit *Gal. lib.* 2. *de compoſit. Medic. cap.* 1. ſed quia acetum, ſicut alia omnia acida, ſanguinis fervorem vel moderatur, vel ſiſtit; à medicamentis ex Roſis compoſitis, omninò abſtinendum, cùm, ratione odoris, caput magis replere valeant, ut experientia conſtat in odoratu rerum acuti odoris. Tranſacta quarta, ab uſu repellentium eſt deſiſtendum, vel dolore augmentum non ſuſcipiente, & ad ſuum ſtatum pervento, & diſcutientia adhibenda *Hipp.* conſilio *loc. cit.*

cit. cùm non juvantibus refrigerantibus, calefaciendum eſſe imperet, in quorum genere ſunt unguentum ex Alabaſtro, ex Altea, diſſolutum in aqua Verbenæ, ſummè commendatur decoctio Meliloti, & Anethi, capiti, & fronti applicata. Verbena, quocumque modo applicetur, vel decoctione, vel ad formam Emplaſtri, vel pulverizata, & per nares attracta, valdè juvat; hoc efficiunt flores Papaveri erratici, Camphora odorata; vel ℞. *Opii præp. gr. iiii. Croci gr. viii. Mandragoræ, flor. Nenuphar. ana ʒ. ii. Camph. gr. vi. f. trocis cum ſucco Verbenæ, exſiccentur, pulver. & pulveris portio in nares inſuffletur.* Errhynis utitur *Hipp. cit. loco*, ſed materiam educentibus irritando, at niſi ſedato dolore, quod conſilium memoriæ tenendum, quia ratione firmatum ab Errhyno enim irritante materia agitata, in loco dolente contenta, dolorem auget, ſedato dolore, & purgato capite, Errhynis poſt tres dies alvum purgat, & cenſeo Hippocratem velle purgationem capitis per tres dies, & poſt, purgationem alvi; præmittenda enim in fine morbi partis affectæ ſolutio, ſeu purgatio, totius expiationi, illa curationem, hæc præſervationem reſpicit.

Si ſanguis in ſecundis qualitatibus peccaverit, remediis infrà dicendis corrigendus. Diætam tenuem, & refrigerantem præſcribit *Hipocrates cit. loco*, Ptiſanæ ſuccum, & aquam, & cibos alvum ſubducentes concedit.

Si à bile ſit dolor capitis, ſi hæc fuerit naturalis, eodem modo procedendum dicto de ſanguine; ſi verò fuit excrementitia, per ſe non indicat miſſionem ſanguinis, cùm qualitate, non quantitate peccet, & confirmatum manet ab *Hippocrate in lib. 2. de morbis n. 19.* ubi agendo de dolore capitis à bile, ſanguinis miſſionem in cura prætermittit; ſed quia bilis effervescentiam in ſanguinem per caput circulantem excitat, à qua rarefactus vaſa implet cum periculo inflammationis, ad hanc evitandam convenit venæ ſectio modo ſupradicto, & à partibus ſupradictis, & præcipuè ſi dolor augeatur, & venæ ſupra caput turgeant, & calore ardeat, præmittendo prius Clyſterem, ad imitationem *Hipp.* qui *cit. loco 2. de morbis n. 19.* alvum tantummodò lubricam facit cum ſucco Braſſicæ ejuſdem eſu, & foliis Sambuci, & nos monet lenientibus ſolùm utendum in principio curationis, ut ℞. *Caſſiæ ℥. i. Rhabarbari ℈. ii. m. f. b.* vel ℞. *Electuar. lenitivi ʒ. vi. Eletuar. de ſucco Roſar. ſine ſcammon. ʒ. ii. m.* vel *Syrup. Roſ. ſol. ℥. vi. Cremor. Tartar. ℥. ß. cum aqua Endiv. diſſol.* vel ℞. *Mannæ elect. ℥. iii. diſſol. in aqua Violarum, adde Salis Tartari ſolub. ʒ. ii. m. Pilulæ de tribus cum Rhabarbaro ad ʒ. i. ß.* conveniunt, ſicut & *Extractum Rhabarb. ad ℈. iiii.* vel *Elect. lenit. ℥. i. ß.* convenit. Exterius conveniunt ea omnia refrigerantia ſuperiùs deſcripta, teſtimonio *Hipp. cit. loco*, cùm utatur refrigeratoriis, ſolùm addo extrinſecis deſcripis dolore non cedente, & viribus deficientibus admiſcenda eſſe opiata, ut Mandragora, Juſquianum, Papaver. *Sedativum deſcriptum à Cenofſclio in ſuo Theſauro Pharmaceutico.* Internè, refrigerantibus prædictis ſemper admiſcenda acida, ut ſuccus Limon. Granatorum, ſpiritus Vitriol. Nitri, & opiata, ut Nepentes, Laudanum Cydoniatum, quod in hoc caſu mihi videtur magis appropriatum, cujus deſcriptionem vide in *Clavi Scroderiana Hoffmanni de Opio ad guttas xii. & xvi.* vel hæ admiſcendæ cum conſerva Viol. vel cum ſucco Cicor. Endiviæ condenſato.

Dolore cedente, purgationem totius communiter admiſſam dubiam facit *Hipp. cit. loco*, cùm de ea verba non faciat, & ſolùm loquitur de purgatione capitis per nares, proponendo fomentum ex aqua, aceto, & origano, & lavacrum cum aqua calida, & errhynum ex flore Æris, & Myrra: dolore ſedato, & ſola gravitate remanente in capite, ſollicitus eſt de ſola evacuatione materiæ in capite remanente, cujus evacuatio per nares faciliùs, & tutiùs perficitur, quàm per alvum purgantia; hujuſmodi purgatio reſpectu totius eſt ſuperflua, quia ſi dolor capitis à bile in toto redundante fovebatur ejus ſedatio, materiam bilioſam defeciſſe oſtendit, ideòque ſuperflua iſtius purgatio. Germanam hujus dubii deciſionem habemus ab eodem *Hipp. in cit. lib. 2. de morbis n. 21.* ubi, loquendo de morbo Capitis lethali, hæc habet: *Paucis diebus interpoſitis pharmacum deorſum purgans bibendum dato, ſi enim ipſum non purgaveris, timor eſt, ne morbus rurſus revertatur; ubi ergo aderit ſuſpitio bilis in toto redundantis, purgatio inſtituenda, ubi verò non, purgatio prætermittenda*; & hoc ſit generale præceptum tenendum religioſè in omni fine morbi, & in principio morborum ſervandum illud *lib. de Affect. nu. 2.* deſcriptum his verbis: *Ægrotos conſiderare oportet ſtatim in conſtitutionis morborum principio, quare opus habeant, & quales ſint, ut pharmaco purgentur, aut ut aliud quid quodcumque tandem volueris, exhibeas. Si verò omiſſo principio, ad finem jam vergente morbo exhibueris in deſperato jam corpore, fortè quiddam præbere veritus, periculum eſt, ne magis delinquas, quàm ſucceſſum conſequaris.*

Diætam inſtituit tenuem refrigerantem cum ſorbitione Milii, hoc eſt cum Milio cocto, contuſo, & diſſoluto, vel cum ſucco ejus extracto, eo modo, quo paratur ſuccus Hordei, qui aqua diſſolvatur, addit Mel pro alvi lubricitate, pro potu aquæ, nobis poterunt eſſe in uſu emulſiones ſem. Melonum, ptiſana, pulmenta ex herbis, & ſi exhibenda ſit major cibi quantitas, talis ſit conditionis, ut alvum molliat, quia parùm nutrit.

Pituita doloris cauſa exiſtente curationem aggreditur Hipp. præcipuè ab evacuatione materiæ in capite exiſtentis, quam calido fomento, vel lavacro attenuare contendit, quia pituita craſſa eductioni reſiſtit, ideò attenuanda, ut educatur, hoc remedium in dolore capitis a bile prohibuit, quia bilis non indiget attenuatione, & etiam ne à calore lavacri furorem conciperet, poſt lavacrum ſternutatoriis purgationem pituitæ in capite molitur; hæc remedia proponentur varia alii, quæ ſi dolorem non ſedaverint, pituitæ in capite exiſtentis purgationem proponit, & intelligenda purgatio capitis ab Hipp. enunciata, de ea, quæ fit per medicamentum alvum ſubducens, quia de purgatione capitis per errhyna locutus eſt in principio textus, & hac non proficiente, alteram purgationem ſubſtituit, quæ non poteſt eſſe niſi per alvum. Eligenda ergo, quæ pituitam purgant. Ab hac Hipp. Doctrina accipimus magnum documentum in doloribus capitis, & etiam catarrho à cauſa extrinſeca, purgationem capitis per nares priùs præmittendam, cùm per hanc materiam ex accidenti collectam purgare valeamus, quòd ſi non ſuccedat, ad purgationem per alvum tranſeundum, cùm doloris, & catarrhi continuatio purgato capite per nares, à toto illum foveri prædicet, ideò totum etiam purgandum.

At quia dolor acutus à pituita non ſuccedit, niſi acida, vel ſalſa qualitate fuerit affecta, de harum qualitatum extinctione per medicamenta variis in locis deſcripta cogitandum, & hanc indicationem à peccantis humoris natura deducimus: ea verò ſeligenda, quæ cœphalica ſimul, & aromatica ſunt.

His remediis, reſiſtente dolore capitis à pituita, & ſi alias, atque alias ſæpè ſuos inſultus replicaverit cum vertigine, prædictis remediis adjungit Hipp. Miſſionem ſanguinis à naribus, vel à vena frontis, non quia peccanti pituitæ hæc conveniat, ſed quia à pituita circulanti ſanguini impedimentum opponitur, & ſtationi damnatus diſtendendo vaſa, gravando, & membranas opprimendo, & vaſorum diſtenſione, velut ſcindendo, dolorem excitat, & idem impedimentum ſucco nerveo, & ſpiritui animali ſigendo vertiginem parit, hujus obſtructionis, & impedimenti cauſa, & cœcitates, & apoplexiæ, & epilepſiæ, Hipp. teſtimonio, ſequuntur: addunt Recentiores ſectionem jugularis externæ, & etiam ſectionem arteriæ in temporibus ad hujus doloris everſionem, & ſymptomatum dictorum oppugnationem; & ſi adhuc contumax permaneat dolor, ad ſcarificationem Capitis, & ad uſtionem venarum in capite devenit Hipp. quæ ſunt in circuitu, & has puto eſſe arterias retro aures exiſtentes, harum uſtionem aduſque amiſſam pulſationem intendit *in libr. 2. de morb. n. 12.* & ratione ſitus eſſe in circuitu Capitis, dicuntur: *Uſtio harum arteriarum intercipit materiam ad caput aſcendentem, & ulcere*

facto,

facto, illa in capite exiſtens evacuatur; at quia Succeſſoribus Hipp. nimis crudele remedium habita fuit uſtio, loco hujus veſicantia applicarunt retro aures, ſcapulis, & etiam ſummitati Capitis, à quibus in doloribus capitis ſummam ægri capiunt, quandoque utilitatem, loco uſtionis arteriarum ſunt cauteria in ſincipite, & etiam ſupra ſuturas capitis inuſta. Ad uſtionem devenit Hipp. tamquam ad ultimum remedium, purgato jam capite, docens nos localia remedia magna non eſſe applicanda parti affectæ; niſi ea purgata. Unicum etiam prædicat hoc uſtionis remedium, cùm dicat, ex his enim ſolùm ſanum fore ſpes eſt.

Ante uſtionem, & veſicantia, uti poſſumus variis localibus, à Succeſſoribus Hipp. inventis, & expertis pro capitis dolore contumaci à pituita debellando: inter hæc eſt *Aetii Linimentum*, factum ex *Euphorbii* ʒ. *i. Ceræ* ʒ. *iii. ol. Amygdal. amar.* ℥: ß. ungatur locus dolens, & tempora; Ægineta laudat medicamentum factum ex Radic. Cucumeris agreſtis, & Abſinthio coctis in Hydroleo, donec herbæ ferè diſſolvantur, poſtea coletur, & colatura regio doloris inungatur, & reſiduum herbarum, Emplaſtri forma, parti applicetur. Item Emplaſtrum factum ex ſtercore columbino, vel bubulo, vel Hyrcino, cum æquali portione Thuris, & Amig. Perſic. omnibus contuſis fit empl. cum ſucco Verbenæ. Ceratum ex Ranis, cum Mercurio, ſummè valet. Diaphoretica ex ligno Sancto, Juniperino, Quercino, Saſſafras, Salſa; cum cœphalicis ſimplicibus addiderunt Recentiores, inhærendo indicationi ab Hipp. propoſitæ caput purgandi, quam optimè adimplent ſudorem moventia, ſi caput exſudet, & toti etiam eadem purgatione proviſum manet. Sudor non Hypocauſto, ſed Arcubus, & Lagenis aqua calida plenis, conficiendus; vel pane calido. Hæc curatio convenit præcipuè acido humori peccanti, & melancholico.

Curationem doloris Capitis à Sero, proponit *Hipp. lib. 2. de morbis num.* 15. & hanc incipit à medicamento Seroſam pituitam, hoc eſt Serum purgante, & fit manifeſtum à primis verbis textus: *Si aqua in cerebro fuerit*, poſtea per purgationem capitis, per errhyna, & purgationem per alvum curationem proſequitur, ut à toto, & à capite humorem ſeroſum evacuet; & in curatione doloris Capitis ſuperiùs explicata, curationem incipit à lavacro, & a purgatione capitis. Ratio diverſitatis in his curationibus doloris à diverſa materia in hoc conſiſtit, quòd morbi à Sero ſunt ſemper cum redundantia iſtius in toto, cùm hoc excrementuum alia in quantitate naturaliter ſuperet, ut patet in urina, ſputo, & ſudore, ideo morbi particulares partium à Seri redundantia, in toto redundare demonſtrant, & conſequenter pro eorum cura in principio purgatio totius convenit, & ſine lavacro, quia Serum eſt ſemper diſpoſitum ad purgationem, non ſic pituita. Collectio verò pituitæ in capite poteſt contingere abſque eo, quòd hæc in toto redundet, ut innui ſuperiùs; ideò ad experiendum, an dolor capitis à pituita, ſit à ſola collectione accidentali iſtius in eo, incipit à purgatione capitis, & ſi non cedat, ad alia tranſit remedia pro totius correctione, ad miſſionem nempè ſanguinis. Purgat in dolore à Sero primò vomitu, quia per hunc totum purgatur, ut alibi dèmonſtrabitur, deinde partem magis à ſeroſo humore mundare conatur purgatione per alvum; hinc patet vomitiva primò, poſteà hydragoga convenire, quorum Sylvam aliis in locis Lector inveniet; interpoſito tempore pro virium robore conſervando, & pro humoris ſeroſi de novo geniti, & à prima purgatione reſidui eductione, documentum nobis relinquens in morbis à Sero frequenter purgandum, qua de cauſa cibos alvum ſubducentes, hoc eſt lubricantes exhibet, & vomitum jejuno ſtomaco frequenter reiterat, & decocto Lenticulæ, melle, & aceto adjuvat, & olerum eſu, utitur ad emolliendas fibras ventriculi, ut ad vomitum faciliùs diſponantur. Vomitum imperat, ex ſuppoſitione meo judicio, ventriculi vitium concurrere ad Serum cumulandum, ideò jejuno ventriculo movet vomitum, ut genitum Serum educat, & docet partem generantem Serum eſſe corrigendam, & cauſam generationis iſtius eſſe oppugnandam; & quia ferè ſemper redundantia Seri pendet à facultate ventriculi, & fermenti primarum viarum enervata, ideò ejus generatio impedietur, medicamentis de læſa concoctione deſcriptis, addendo Cœphalica pro capite læſo.

Attenta diligentia Hipp. in purgatione Seri jam congregati, & de novo geniti; Colligo, ex ejus mente, proficua eſſe diuretica, quæ movendo urinam in majori copia venoſum genus, à Seri copia ſublevare valent, horum Sylvam habebimus de morbis Urinæ. Purgationem totius per vomitum, capitis per errhyna, & per alvum reiterat in vere ad præſervationem, & morbo non cedente, incidit caput in ſyncipite, & ad cerebrum uſque, ut per apertum vulnus materia in capite contenta purgetur, & vulnus communi modo curandum imperat.

Si Pituita ſit ſalſa, & Serum cura non eſt varianda, niſi addendo alterantibus ſupradictis medicamenta epicerauſtica dicta; quæ ſalſedinem moderantur, & ſunt Malva, Althea, Liquiritia, Jujubæ, Sebeſten, Hordeum; hæc enim tam internis, quàm externis medicamentis admiſcenda, & iſtis farina Hordei admixta, efficaciter ſalſedo temperatur.

Si à Vermibus fuerit dolor capitis, vel à Lapillis, ſternutatoriis utendum factis ex radice Ireos, Hellebori albi, Piretro, Majorana, ſeminibus Nigellæ, radice Cyclaminis, cujus pulvis, & ſuccus multùm per nares expurgat. Pro Vermibus habemus particulare remedium *in Boneto de dolore capitis*, factum cum *Pulvere Aloes, & Lumbricorum a.* ʒ. *ii. Fel Tauri* ʒ. *i. ol. Abſinth. & Ceræ q. ſ.* applicetur Cerotum ſincipiti, vel parti dolenti, in hunc finem fit fumus cum ſequenti pulvere: ♃. *Cent.min. Marrubii, Beton. ana* ʒ. *ii. Zedoar.* ʒ. ß. *Angel.* ʒ. *i. Succini* ʒ. *i. Antim. crudi* ℥. *i. Minii* ℥. *i.* ß. *Bol. Arme.* ʒ. *i. Ariſtolochiæ rotundæ* ʒ. *ii. Abſin.* ʒ. *ii. m. fi. pulvis* pro ſuffumigio.

Caries, ſi à lue gallica pendeat, ſpecificis hanc debellantibus utendum pro remotione Cauſæ, ſi ab humoribus ſalſis, attemperantibus ſupradictis de pituita ſalſa utendum, cum aquis, quæ ſalſum ſemper mitigant, ut videmus aqua addita liquori valdè ſalſo, ſalſedinem iſtius minui; poſtea ad Cariei curationem accedendum, quæ fit explorato priùs loco carioſo, applicatur capiti emplaſtrum, ex farina Hordei, vel quolibet alio per diem naturalem, ubi emplaſtrum exſiccatur in loco capitis ibi ſubtus adeſt caries, ibi facienda eſt inciſio, & ſeparatis integumentis explorandus Cranii ſtatus; reperta carie, pericranium circumcirca ſeparandum ab oſſe, & os carioſum, apto inſtrumento, raſpandum uſque ad totalem ablationem Cariei, & ſi totum os, ſecundùm omnes laminas carioſum ſit, trapano carioſa pars ſeparanda, vel balſamicis medicamentis, & eis, quæ oſſis ſeparationem efficiunt, traugmaticis dictis perficienda curatio. Si dolor urgeat, incipienda curatio deſcripta à Carie, poſtea debellanda Gallica qualitas. De hoc dolore locutus eſt *Hipp. lib. 2. de morb. num.* 24. ubi curam etiam exhibet; Textus videndus.

Dolor per conſenſum, curationem accipiet à curatione morbi in parte ſubtus caput exiſtentis.

CAPUT III.

De Stupore, ſeu de Senſu Tactus Diminuto.

Actio tactus tripliciter læditur, eo modo, quo tripliciter læduntur quæcumque actiones facultatum, ſive externarum, ſive internarum. Triplex hæc læſio conſtituit actionem depravatam, abolitam, & diminutam. Actionem ſenſus depravatam enucleavimus de dolore Capitis, de abolita tactus actione agendum de Aploplexia, & Paralyſi; remanet ergo, ut in præſentiarum de actione tactus diminuta agamus, & talis actio læſa torporem conſtituit, qui definiri poteſt, *Actio diminuta qualitatum ſenſibilium in organum Tactus, vitio organi, & ſpirituum.*

Definitio hæc per ſe patet, quia ſi ſenſibilia juxta ſuam actionem naturalem in organum tactus agunt, & actio illorum ab organo non ſentitur niſi diminuta,

iſta

iſta actio diminuta non eſt vitio objecti ſenſibilis, ſed eſt vitio organi, cui deficit diſpoſitio percipiendi actionem objecti; diſpoſitio deficiens, ſeù potiùs indiſpoſitio præſens, per quam organum tactus actionem ſenſibilium diminutè percipit, vel eſt ex parte organi, vel eſt parte ſpiritus animalis organum vivificantis, & actuantis.

Ex parte organi, cùm organum ſit nervus, ut dixi de Senſu in communi, ubi etiam dixi, quòd ad hoc, ut nervus ſit adæquatum ſenſus organum debet eſſe extenſus, ut motus in extremitate à ſpeciebus ſenſibilibus objecti externi, ſeu ab actione iſtius impreſſus nervo, momento temporis correſpondeat alteri extremitati in ſua origine exiſtenti circa ſedem ſenſus communis, erit adæquatum organi ſenſus inſtrumentum, quia cum tali motu, ſeu ſpeciebus ſenſibilibus, objectorum ſenſibilium ſenſum communem determinabit ad percipiendam affectionem in organo impreſſam, in qua perceptione ſtat ratio formalis actus ſenſus; & ſicuti ſi nervus laxatus fuerit, motum quidem ſpecierum ſenſibilium in ultima extremitate accipiet, ſed hic non correſpondebit alteri extremitati in origine nervi, ideòque ſpecies ſenſibiles objecti, ſeu iſtius actio cum motu ad principium nervi, ubi eſt ſenſus communis, non deferentur cum ea vi, qua impreſſus fuit, ideòque ſenſus fit diminutus. Ad hanc cauſam reſpexit *Hipp.* quando *lib. de flatibus nu.* 19. *ſtuporem totius*, *& partium* explicavit *per flatus frigidos*, *qui carnes inflant*, & rationem reddit in *Tex.* 20. ſubſequenti his verbis: *Infrigidato autem ſanguine*, *languidiores fiunt ejus meatus*, quòd hic palam fit, quia corpora aggravata reclinantur, ſi languidiores fiunt meatus ſanguinis in ſomno (de quo hic loquitur.) Quia ab iſto infrigidatur ſanguis, cùm in ſomno etiam ſenſus ſint torpidi, concludendum, meatus iſtorum, qui ſunt nervi, eſſe languidiores, & laxatos. Dixi etiam in ea Diſſertatione de Senſu, quòd motus, qui à ſpeciebus ſenſibilibus imprimitur extremitati nervi, imprimi etiam ſucco nerveo in nervi meditullio hoſpitante, & per undulationes reiteratas, eundem motum, cùm ſpeciebus ſenſibilibus ad originem nervi deferri; quapropter ſi ſuccus nerveus fuerit ſubtilis, mobilis, purus, ab omnique fœce, & materia motum impediente depuratus, illas undulationes momento temporis uſque ad originem nervi patietur, motumque, & ſpecies ſenſibiles magna cum vi facilitate, & celeritate origini nervi, & ſedi ſenſus communis conſignabit, ſenſuſque fiet perfectus; è contra ſi ſpiritus fuerit craſſus, difficile mobilis, impuritatibus ſcatens movebitur quidem à motu, ſeu actione objecti, & ſpecierum ſenſibilium, ſed undulationes erunt diminutæ, & tardæ, & decreſcentes, itaut illa ultima in origine nervi vix ſenſibilis fiat, ideòque ſenſatio diminuta.

Hinc patet omnes Cauſas, quæ poſſunt laxare nervos, & ſpiritum animalem, ſuccumque nerveum impurum reddere, omnes illas torporem efficere, & ſic humiditas ſuperflua in corpore, cùm ſit cauſa laxitatis, principaliorem locum habebit inter Cauſas torporis; humiditatem internam idem efficere, quod efficit humiditas externa, putandum eſt, hæc nervorum poroſitates ſubeundo nervos laxat, ut experiuntur illi, qui iter faciendo à pluvia per multos dies humectantur, qui aliquando in torporem ſenſus tactus ex hac cauſa incidunt, ita humiditas interna nervorum membranas copiosè irrigando, nervos laxat, obſtructio nervi diminuta ſtuporem parit, quia diminutè ſpiritum ſuſcipit, ideò hic facilè in paralyſim tranſit, ſi obſtructio totalis in parte fiat.

Succus nerveus, & ſpiritus animalis fiet impurus, vel vitio ſanguinis, qui materiam ſubminiſtrat, vel vitio fermenti (ſi admittatur) glandularum cerebri, quòd illum præparat, & elaborat; vitiatum enim fermentum, materiam impuram à pura non diſgregabit, quare impurum relictum in maſſa ſucci nervoſi, totam maſſam coinquinabit, vel ſubtilem incraſſabit, agilem lentum reddet; ſic etiam halitus à partibus inferioribus ad cerebrum elevatus, ſuccoque nerveo commixtus, vel impurum, vel torpidum reddere valet ſuccum nerveum. Pro hujus veritate facit hiſtoria à *Boyle* relata, & à *Boneto in ſua Polyante Medica cap. de ſtupore* recenſita.

Spiritus animalis quantitate paucus, ſenſus tactus diminuti cauſa erit; nam ſpiritus animalis exiguus tenſionem in nervo non pariet, undulationes æquales, integras, & celeres non apprehendet ab actione objecti, vel ſpeciebus ſenſibilibus motus, ſed interruptis undulationibus cum debili motu, atque vi ad originem nervi aſcendet, debilem ſenſationem in organo ſenſus communis imprimendo, ideò ſenſatio diminuta; hoc experiuntur illi, qui in immodica venere defatigantur, vel qui copioſum ſanguinis fluxum paſſi ſunt, vel à magno, & violento exercitio laſſati fuerunt. Hanc cauſam deſignavit *Hipp. Aphor.* 14. *ſect.* 7. ubi habet: *ex plaga in caput ſtupor*, *aut delirium malum*; ſtupor à plaga non poteſt fieri, niſi ab hac ponatur impedimentum, per quod pauci ſpiritus in nervos fluant; & *lib.* 2. *morb. popul. ſect.* 5. ait: *Cui vena in cubito pulſarit*, *inſanus*, *& iracundus eſt*; *cui verò quieverit*, *ſtupidus*: quies arteriæ, cui convenit pulſatio, eſt à ſpirituum in fibris cordis, & in ſanguinis deficientia, & conſequenter etiam ſtupor, arteriæ quietem ſequens.

Nervus induratus eſt cauſa diminuti ſenſus tactus, nam nervus induratus debiliter movetur à ſpeciebus ſenſibilibus, quia reſiſtit, & quia debilem motum recipit, debilem etiam principio nervi communicat, & ſpecies ſenſibiles, cum debili motu diminutam actionem in organo ſenſus communis imprimunt, ideòque diminuta evadit ſenſatio tactus. Hac ratione in magno frigore manuum diminutè objecta tangibilia ſentimus, quia à frigore indurantur nervi, itaut, præ ſua reſiſtentia, debiliter moveantur ab objectis ſenſibilibus. His de cauſis fit ſtupor à compreſſione, ab obſtructione cutis, & partis, quia nec ſpiritum animalem ad nervos, nec vitalem ad muſculos fluere permittit, ideòque ſtupor partis, & plenitudo ſanguinis, quandoque & obſtructionem, & compreſſionem parit, ut patet in ſtupore crurum à longa ſeſſione.

Hinc ſolvetur primò, cur extremæ partes magis ſtupeant, quia pauciori ſpiritu ſcatent; ſecundò, cur membra ſtupida magis gravia ſentiantur, quia cùm pars adhiberi non poſſit, eſt tamquam pondus mobili annexum; tertiò formicationis cauſa ab humore frigido obſtruente fibras cutis, & à frigidis corpuſculis fibras comprimentibus, & afficientibus, unde ob preſſionem non ſunt ſufficientes ad receptionem, & traductionem affectionis.

Signa ſunt manifeſta. Prognoſtica ſunt mala, quia ſtupor eſt via ad Paralyſim, & Apoplexiam.

Indicationes, ut curatio clariùs procedat, deſumemus à laxitate nervi, quæ cùm dependeat à ſero ſuperabundanti, hoc minuendum, & exſiccandum, & pars corroboranda, hoc efficiendum cum pharmacia. & Diæta.

Chirurgia pro miſſione ſanguinis, niſi fuerit iſtius redundantia cum multo Sero, nullas habet partes in hoc vitio, quia ſanguinis miſſio convenit ſolùm, ubi peccat ſanguis, in hoc affectu ſolùm peccat Serum: Ulteriùs ſanguinis miſſio convenit vitio ſanguinis exiſtentis in venis, ſed Serum peccans eſt in nervis, conſequenter non convenit ſanguinis miſſio; & ſi opponatur *Hipp. in lib.* 2. *de morb. n.* 25. *In morbo cum ſtuporis ſignis*, *ſanguinem mittens ſciſſo*, *ſeu ſecto ſincipite*, reſpondendum eſt, Hipp. ibi loqui de ſtupore ſequente Apoplexiam, ut deſignant prima Tex. verba, *Si ſideratus quis fiat*, & cum capitis inſigni affectione, cerebrique læſione, & humorum redundantia, & effervescentia, ut patet ex febre, in quo caſu convenit miſſio ſanguinis, & etiam ratione Apoplexiæ, ut videbimus agendo de curatione iſtius. Chirurgia tamen poteſt ſubminiſtrare frictiones opportunas ad hunc morbum, quia inducto calore, & agitatione in materia nervis impacta, hæc rarefit, & ad reſolutionem diſponitur. In hunc finem *Hipp. cit. loco* mox multa calida ægrum lavat, & calefactoria capiti admovet. Ad imitationem Hipp. fovendum caput decoctis herbarum Cœphalicarum, & ſinapiſmata ei applicanda. Veſicatoria etiam non erunt incongrua, cùm enim ſit conſenſus cutis, cum nervis ex iſtius fibris irritatis, fibræ nervorum conſentientium concutiuntur, & in hoc motu expellunt à ſe ſuperabundantem humorem. Inunctiones etiam parat Chirurgia, & hæ componi poſſunt ex ol. Therebentinæ, Vulpino,

Caſto-

Caſtoreo, oleum Catulorum lactantium eſt unicum, & ſingulare remedium. Fit etiam balſamum cum *Gum. Bezoin. Laudano, Myrrha ana ℥. ß. oleo Nucis moſchata*, ʒ. *ii. ol. Macis, Gariofil. ana* ʒ. *i. cum Storace liquida*, & *oleo Spicæ fiat balſamum*. Errhyna etiam proponit Hipp. poſt fomenta, Myrrham, & flores Æris in nares infundendo.

Pharmacia primo loco purgantia Serum exhibet in portione, erit utilis *Potio Angelicæ magiſtralis ad* ℥. *vi.* in bolo *Pil. Alephanginæ* ʒ. *i. cum gr. iv. Magiſt. Jalappæ, vel Caſſia* ℥. ß. *cum gr. vi. Diagridii, & gr. viii. Magiſt. Mecheocani.*

Secundo loco demonſtrat medicamenta exſiccantia Serum, quod dupliciter effici poteſt, vel ſenſibiliter, vel inſenſibiliter; inſenſibiliter reſolvunt materiam ſeroſam decocta cœphalica, ut ℞. *Dec. Roſmarini, Salviæ, Serpilli, Polii Montani, Rutæ* ℥. *viii. Aquæ Vitæ Mathioli* ʒ. *ii. Theriacalis* ℥. *i. Syrup. de Stecade* ℥. *i. m.* vel ℞. *Aq. Betonicæ, Pulegii, Majoranæ, Lavendulæ an.* ℥. *ii. Aquæ Antiparalyticæ magiſt.* ℥. *i.* ß. *Syr. de cort. Citri* ℥. *i.* per ſeptem dies continuando reiteretur, poſtea evacuatio cum ʒ. *i. rad. Jalappæ, vel cum Pil. Alephanginæ* ʒ. *i. Magiſt. Jalappæ gr. viii. cum Syr. Roſ. ſol. f. P.* Si his non cedat morbus, ad ſenſibiliter exſiccantia deveniendum, & hoc præſtant decocta ſudorifica; ut ℞. *Ligni Guajaci, Juniperini, Viſciquercini ana* ℥. *ii. Cornu Cervi in taleolas inciſi* ℥. ß. *Infund. in* ℔. *viii. Aquæ fontis, per diem bul. ad conſumpt. mediet. poſtea coletur; ſuper reſiduum lignorum ſuper affunde novam aquam pro decocto ſecundo, primi accipiat manè, & veſperi* ℔. *i.* per horas quatuor ante prandium, & cœnam, & benè cooperiatur æger ad provocandum ſudorem; efficacius reddetur decoctum, ſi in eo bulliat *Vipera*, ablato capite, & cauda, & decorticata, aucta quantitate aquæ pro decocto; ſi non ſuccedat ſudor, arte proliciendus, vel cum cucurbitis aqua calida plenis, vel cum arcubus in lecto ignem ex Aqua vitæ juniperata admovendo. Utatur ſecundo decocto pro potu ordinario in prandio, & cœna; in hoc decocto continuandum per triginta dies, & ſudandum per quindecim; tempore hujus decocti, omni ſeptimo die purgandus æger cum Jalappa, ſem. Ebuli, vel ſupradictis Pilulis. Oſtructio nervi diminuta, curanda ut Paralyſis.

Si à ſpirituum deficientia ſtupor proveniat, patet reſtaurandos eſſe ſpiritus, non ſolùm cibis boni ſucci, & remotis cauſis illos diſſipantibus, ſed etiam remediis; talia ſunt decocta ex *Roſmarino, Lavendula*, ex *Salvia, & rad. Valerianæ, Zedoariæ, & Galangæ, vel aquæ ab iſtis extractæ, additis aquis Theriacalibus, Cinam. Antipopleticæ, Antiparalyticæ, ſpiritu, vel cornu Cervi, Salis Armon. Cranii humani, Carabe Fuliginis, ut decoct. Roſmar. Lavendulæ, Salviæ* ℥. *vi. Aquæ Theriacalis, Cinam. ana* ℥. *i. Spir. Salis Armoniaci, vel cornu Cervi gutt. viii. m.* Melius tamen hanc adimplet indicationem *Spiritus vini*, in quo infuſ. fuerint *Cinam. Nux moſcat. Mac. Cariofil. fol. Roſmar. Salviæ, Meliſſæ, Spicæ, Nardi, Origan. Ligni Aloes, Saſſafras, omnia pul. & ſuperaffundatur Spir. vini*, & de hoc ſumat mane, vel potiùs poſt cœnam, & prandium ℥. *i.* Paratur etiam *Elixir proprietatis Paracelſi*, de quo in jure, vel vino exhibeatur ℈. *i.* Eſt maximum confortativum, & regenerativum ſpirituum ſequens. ℞. *Ol. Nucis muſc. Major. Anthos, Charabe an.* ʒ. ß. *Moſchi Ambræ griſæ an.* ʒ. *i. cum ſ. q. ol. Cranii hum. f. Balſ.* cujus *gutt. iii. vel. iv.* ſumi poterunt in jure, vel vino.

Spiritus animalis imputus in his pendet à Cachexia, quæ paulatim corrigenda humorum pravorum correctione, & evacuatione epicratica; pro correctione paratur decoctum *ex Enula campana, Ariſtolochiæ rot. Hirundinaria, cort. Fraxini, Tamar. fol. Abſinthii, Eupatorii, Scolopendriæ ad* ℥. *viii.* mane aſſumendum, & ante prandium, & cœnam omni tertio die ℈. *i.* ß. *pil. Tartar. Quercet. cum* ℈. ß. *Mercurii dulcis*, & in hac methodo inſiſtendum per 15. dies, poſtea exhibeatur *Pul. Cacheticus Querc.* vel *Oximel. Chalybeatum* per 20. dies. Cachexiæ ſervit *Tinctura Antimonii, Tartari, Calybis*, cum decoctione ſimplicium deobſtruentium. His peractis, corroborandum totum genus nervorum dictis decoctis cœphalicis ſuperiùs deſcriptis.

Si induratio nervorum fiat à frigore externo, & ſit magna, ut ſenſus ſit deperditus, omnia calida actu fugienda ſunt, & aqua calida, & ignis, ſphacelum enim inducent, quia à frigore ſpiritus vitalis partis ferè extinctus, vel ſaltem ſeparatus, & in unam maſſam collectus, eo modo quo ſpiritus in vino conglaciato in centro totus ſe colligit, hic facile per poroſitates partis à calore rarefactas, & dilatatas exit remanente parte ſine calore vitali; præterquamquòd humidum partis conglaciatum à calore diſſolvitur quidem externo, ſed ab hujus activitate textura partis læſa, & debilitata à frigore, omninò diſſolvitur cum calidi exhalatione, unde ſphacelus; hoc obſervamus in ovis, & fructibus congelatis, quæ ſi in aqua calida coquantur, vel igne, corrumpuntur, ſaporem ſuum non retinent, læſamque illorum texturam oſtendunt; ulteriùs obſervamus frigeſcentibus admodum manibus, & igni admotis dolore non mediocri cruciari, quem experiuntur etiam conglaciati ſecundùm aliquam partem, ſi igni ſubito exponantur, dolor ſolutionem continui connotat, & læſionem texturæ. Hac de cauſa regionis Septentrionalis habitatores in congelatione partium has primò aqua frigida immergunt, deinde, & poſt aliquod tempus, igne blando paulatim partem refrigeratam calefaciunt; ſic ova, & fructus conglaciati, ſi prius aqua frigida immergantur, & poſtea igne coquantur, à corruptione præſervantur, & ſuum ſaporem conſervant, quia à frigida humiditas iſtorum conglaciata liquatur, eo modo, quo glacies in aqua, ſine læſione integra texturæ illorum, & ſui ſpiritus, ex quo putredinem non ſentiunt, nec amiſſionem proprii ſaporis patiuntur.

Si calloſa ſit Cutis, emolliendus callus, & poſtea reſecandus uſque ad partem ſentientem.

Compreſſio, ſi ſit externa, removendum eſt comprimens; ſi tumor, ad ſuppurationem trahendus; ſi ab ictu, vel caſu facta fuerit compreſſio, pars frictionibus fricanda, ſedato dolore, his materia extravaſata attenuatur, & reſolvitur, & ſpiritus ad partem vocatur pro ejus corroboratione, & extravaſatæ materiæ reſolutione, & ſua vi compreſſas partis fibras elevant, ſuoque ſtatui naturali reſtituuntur, quò obtento ad integram corroborationem calidis fomentis foveatur pars, & balſamis, vel oleis reſolventibus illiniatur, aut oleo ex terebentina, cera, de lateribus. Si compreſſio læſerit nervum alicujus partis, applicanda remedia principio nervi ad partem læſam diramati, ut ſi ſtupor minimi, & annularis digiti à compreſſione ab ictu, vel caſu nervi circa flexuram cubiti contingat, cubito remedia applicanda; ita Mulier, quæ ex percuſſione humeri paſſa ſtuporem brachii, cum applicatione remedii humero ſanata fuit à *Schenchio obſerv. de ſtupore*, & *Gal.* digitum manus ſtupidum, & immobilem ſanavit, remedio applicato vertebrarum principio.

Obſtructio cutis, à medicamentis ſudoriferis, & frictionibus, & cucurbitulis ſiccis, & ſcarificatis tollitur: miſſio ſanguinis è vena, nec purgatio locum habebit, niſi à retentis fuliginibus ſanguis ebullierit, cum febris periodicæ, vel continuæ accenſione, non ephemeræ.

CAP. IV.

De Vigilia Immoderata.

De affectionibus ſenſum tactus Capitis depravantibus, vel diminuentibus, in tractatu de Dolore Capitis, & de Stupore actum eſt; tranſeundum ad explicandas affectiones ſenſus interni in Capite reſidentis, & referuntur ad vigiliam, & ad ſomnum; de illa primùm, poſtea de hoc. Præmittenda tamen priùs aliqua de vigilia in genere. Hanc eſſe propriam potentiæ ſenſitivæ, docuit *Ariſtoteles lib. de Somn. & Vigil. cap. 1.* experientia enim patet, omnia Animalia vigilare, aliqua plus, aliqua minus, juxta exigentiam ſuæ conditionis; naturæ, conſervationis, & neceſſitatis, & ratione finis Animali inſiti ſe conſervandi, ab hoc deducitur pro ſua conſervatione, cogi, quærere, & eligere alimenta, hinc neceſſitas Viſus, ut ea videant, Tactus, Odoratus, & Guſtus, ut per hos ſenſus alimentorum qualitates percipiant, & an utilia, delectabilia, propria.

pria, vel inutilia, moleſta, & impropria per eoſdem ſenſus diſcernant; hoc autem exequi non poſſunt Animalia, niſi vigilent, nullum Animal, niſi in vigilia, quærit, & eligit alimenta. Vigilia ergo eſt neceſſaria Animali pro ſui conſervatione, cujus neceſſitas non ineſt vegetabilibus, quæ terræ infixa, in hac alimenta propria, & neceſſaria pro ſui conſervatione ſemper inveniunt. Confirmatur ex connexione, quam habet vigilia cum ſenſu. Quodcumque Animal, dum vigilat, ſentit, & dum ſentit, vigilat; nam videre, guſtare, audire, tangere, odorare, & percipere ſenſationem Viſus, Auditus, Guſtus, Tactus, Odoratus, ſupponit vigilare, & quicumque vigilat, objecta externa ſenſibilia ei occurrentia percipit, & attingit, itaut videatur impoſſibile vigilare, & non ſentire, ſentire perfectè, & non vigilare; nec poteſt aſſignari caſus, in quo Animal ſentiat perfectè, & non vigilet, nec caſus, in quo vigilet, & non ſentiat, ut patebit inferiùs.

Cùm ergo pateat vigilare, ſemper conjunctum eſſe cum ſentire, & cum principio ſenſitivo, cogimur etiam aſſerere vigilare, & ſentire eſſe operationes à principio ſenſitivo emanantes; & ſi principium ſenſitivum eſt ſenſus communis, ut probavi ſuperiùs, ubi de Senſu in genere, ſequitur etiam vigiliam eſſe propriam ſenſus communis, qua ratione perſuaſus *Ariſtoteles in cit. loco*, dixit, *vigilare conſiſtere in ſentire*, non quia ſit eadem eſſentia vigiliæ, & ſenſus, ſed quia ſenſus, & vigilia ſunt inſeparabiliter connexa.

Definitur vigilia. *Exercitium moderatum ſenſus externi, & interni, pendens à moderato influxu ſpirituum in organa ſenſuum externorum.*

Dicitur *Exercitium ſenſus externi*, hoc eſt actus ſecundus iſtius, conſiſtens in receptione actionis ab objecto ſenſibili emanantis, à qua organum afficitur, & patitur, & talis affectio, & paſſio dicitur exercitium ſenſus organi, & actus ſecundus ſuæ potentiæ paſſivæ, ab exercitio organi ſenſus externi non completur ratio formalis vigiliæ, quia in dormientibus organa ſenſuum externorum poſſunt affici ſine vigilia; nam ſi dormienti applicetur aliquod tangibile manui, quòd non ſit violentum, hoc afficit organum Tactus; pariter ſi corpus odorum nari admoveatur, afficit organum Odoratus; & ſi ſonus mitis excitetur, ubi adeſt dormiens, afficit organum Auditus, & tamen iſta affectio, & paſſio organi non eſt cum vigilia, ſed ad hujus complementum requiritur exercitium ſenſus interni, nempè actus ſecundus potentiæ ſenſitivæ, qui habetur per hoc, quò affectio impreſſa organo ſenſus externi, ab objecto ſenſibili externo in illud agente traducatur ad ſedem ſenſus communis; modo ſuperiùs explicato de Senſu in genere; ab hac enim affectione ita traducta, determinatur ſenſus communis ad percipiendam affectionem organi, & ita ad eliciendum actum ſenſus neceſſarium quia eſt potentia neceſſaria, quæ ad præſentia determinativi neceſſariò debet agere, & cùm affectio traducta ab organo ſenſus externi ad ſuam ſedem ſit, determinativum ad agendum circa dictam affectionem, & ad eliciendum actum ſenſus, apparet hunc debere elicere ex neceſſitate; iſtius actus ſecundi productio, dicitur *exercitium ſenſus interni*, ſeu actus ſecundus potentiæ ſenſitivæ, & ab his duobus, nempè ab actu ſecundo, vel exercitio, vel paſſione, & affectione organi ſenſus externi, & ab exercitio, vel actu ſecundo, vel à productione actus ſenſus, à ſenſu communi completur ratio formalis vigiliæ, itaut Animal dicatur vigilare, quando organa ſenſuum externorum patiuntur ab actione objectorum ſenſibilium, & ſenſus communis dependenter ab hac determinatur ad eliciendum actum ſenſus; & ſi in ſomniis nobis apparet videre, guſtare, tangere, quæ ſunt actus ſenſus communis, per hoc tamen non dicimur vigilare, quia non adeſt paſſio organi ſenſus externi ab objecto ſenſibili agente impreſſa; ſed ille actus ſenſus elicitus à ſenſu communi in inſomnio, pendet à phantaſmatibus, quæ repræſentant ſenſui communi objectum tangibile, viſibile, vel guſtabile aliàs perceptum, & cujus phantaſmata in cerebro reſervantur.

Dicitur *moderatum*, quia, licèt vigilia ſit propria Animalis, non eſt tamen ita propria, ut ſemper debeat vigilare, ſed debet eſſe interrupta à quiete, à qua moderationem nanciſcitur; omnis enim potentia operativa in exercitio ſui operis defatigatur, ut loquitur *Ariſtoteles in cit. lib.* quapropter pro ſui conſervatione indiget quiete, & operis intermiſſione, & exercitium ſenſus externi, & interni, quod eſt neceſſaria quiete interruptum dicitur moderatum.

Dicitur *pendens ab influxu ſpirituum animalium ad organa ſenſuum externorum*, quia ad hoc, ut ſenſus patiatur ab actione objecti ſenſibilis, neceſſe eſt, ut nervus, qui eſt organum omnium ſenſuum, ſit extenſus, & inflatus, inflatur, & extenditur à ſolo influxu, & motu ſpirituum animalium; quod deducitur ab *Hipp. lib. 3. de Diæta nu. 9.* ubi ait; *Somnum fieri à ſpiritus tranquillitate*, hoc eſt quiete; ergo vigilia à ſpiritus motu, in tali ſtatu, & diſpoſitione nervi organum ſenſus, eſt diſpoſitum ad ſuum exercitium, nempè ad recipiendam actionem objecti ſenſibilis cum ſui paſſione, prout demonſtravi ſuperiùs de Senſu in genere; & in his aperitur Cauſa effectiva, per quam ſenſus externus eſt in exercitio, vel in actu ſecundo ſuæ potentiæ paſſivæ, quam neceſſariò ſequitur exercitium ſenſus interni, dum ab affectione organi ſenſus externi, ab objecto ſenſibili externo impreſſa, traducta ad ſedem ſenſus communis, determinatur neceſſariò ad eliciendum actum ſenſus, ut ſuperiùs dicebam.

Hinc deducitur vigiliam præternaturam eſſe *immoderatum, & continuum exercitium ſenſus externi, & ſenſus interni, dependens à continuo influxu ſpirituum animalium ad organa ſenſuum externorum*. Dicitur *exercitium ſenſus externi*, hoc eſt paſſio, affectio actualis organi ſenſus externi, ab objecto ſenſibili in illud agente impreſſa, & actio ſenſus interni circa hanc affectionem ad eum traductam; quod patet ex dictis.

Dicitur *immoderatum*, quia eſt continuum, & nulla quiete interruptum, & ideò vigilia eſt præternaturalis, quia natura determinavit exercitium ſenſus externi, & interni, in quo conſiſtit vigilia, aliqua quiete interruptum, in qua & ſenſus internus, & externus ferientur à ſuo exercitio; unde ſi hoc ſit continuum, & nulla quiete interruptum, & nulla feriatione recreatum, non eſt exercitium ad leges naturæ reſpiciens, ſed contra naturæ leges; ideò dicitur *exercitium immoderatum, & præternaturam*, quapropter vigiliæ, quæ conſiſtunt in tali exercitio, erunt vigiliæ modum excedentes, & præternaturales.

Dari has vigilias, colligimus à Scriptorum obſervationibus. *Plinius lib. 7. natural. Hiſtor. cap.* 51. refert, *Mecœnatem per triennium vigilaſſe*, quod confirmat *Seneca in lib. de Providentia; Fernelius lib.* 5. *Pathologiæ cap.* 2. de mente capto refert, *per quatuordecim menſes in continua fuiſſe vigilia*, & *Heurnius in lib. de morbis Capitis cap.* 16. narrat, per relationem accepiſſe, *Nizzolium, in eloquentia Ciceroniana celeberrimum, per decennium à ſomno abſtinuiſſe*; & *Montanus in lib. 1. cap.* 12. ſcribit, *Matronam per trigintaquinque annos vigilaſſe*; & quod mirum eſt, *ſine ulla læſione corporis.*

Dicitur *à continuo influxu ſpirituum animalium in organa ſenſuum externorum*, & aſſignatur cauſa conjuncta vigiliæ præternaturalis; nam ſi cauſa vigiliæ naturalis, eſt influxus ſpiritus animalis ad nervos non continuus, à quo diſtenduntur, & inflantur, ita cauſa vigiliæ præternaturalis, erit continuus influxus ſpiritus animalis ad nervos, qui ſunt organa ſenſuum externorum, à quo continuò inflantur, & diſtenduntur, itaut ſint continuò in ultima diſpoſitione pro exercitio ſibi debito, nempe recipiendi actionem objecti ſenſibilis, à qua poſtea dependet actio ſenſus communis, per quam ponitur in exercitio ſuæ potentiæ ſenſitivæ.

Cauſa continui influxus non poteſt eſſe alia, quàm cauſa continuò generans ſpiritus animales in tali copia, ut ſuo influxu ſemper, & continuò valeant nervos organorum ſenſuum inflare, & diſtendere. Cauſa principalis generativa ſpirituum, eſt ſanguis abundans particulis calidis, & tenuibus, & valdè mobilibus, qualis ſolet eſſe ſanguis bilioſus, à quo adeò copioſa evenit ſpitituum generatio, ſegregata copia dictarum particularum calidarum in glandulis cerebri, ut ab hac

poſſint

poſſint continuò nervi diſtendi, & inflari, & talis cauſa fit manifeſta experientia, cùm videamus vigilias præternaturales contingere corporibus billioſis, ſanguine bilioſo præditis, & eis, qui ſummo capitis calore donati ſunt. Obſervamus etiam cauſas calorem capitis augentes; & ſanguinem ad bilioſam naturam reducentes, eſſe cauſas vigiliæ, & explicatur etiam, quare per vigilias facultates reliquæ, & fermenta reliquarum partium langueant, quia cùm ſpiritus, & particulæ calidæ ſanguinis pro majori parte in ſpirituum animalium generationem impendantur, quæ remanent in ſanguine, non ſatis ſunt ad conſervandas facultates, & fermenta partium vegeta, & robuſta, unde neceſſe eſt, ut langueant.

Continuas vigilias ſupponere continuam generationem ſpirituum animalium, patet, quia continua vigilia eſt continuum exercitium ſenſus externi, quod pendet à continua extenſione, & inflatione nervorum organorum ſenſuum, continua inflatio non poteſt haberi, niſi per continuum influxum ſpirituum, & hic niſi per copioſam generationem eorumdem.

Præter copioſam generationem ſpirituum animalium, requiritur etiam iſtorum agilitas, & mobilitas, qua nervos citò penetrent, diſtendant, & motu, impetuque aperiant poroſitates cerebri, diſſipentque vapores, & ſubtiliſſimum Serum à natura determinatum ad leniter obſtruendas dictas poroſitates, ſeu fibrulas pro ſomno conciliando, ut videbimus in ſequentibus, agendo de Somno; hinc eſt, quod obſervamus ea omnia, quæ valent ſpiritus animales in motu conſervare, ut curæ, & animi paſſiones triſtes inducere vigilias; quod docuit *Hipp. lib. de coac. Prænot. n.* 4. dum ait: *Et qui in principio tenues cum capitis pulſu, & urina tenui, & adjudicationem exacerbantur his, nihil miri eſt, ſi & mentis emotio, inſuperque, & vigiliæ accedant*. Pulſus in capite, & criſis, ſeu judicatio imminens ſpiritus perturbatè movent, ideò vigilia; & *in lib. Prænot. n. 9.* ponit vigilias viam ad delirium, ſi hoc à ſpirituum perturbatione etiam illæ.

Non improbabile eſt etiam ſpiritus animales in vigilia præternaturali ſuam virtutem elaſticam expanſivam, ſeu dilatativam cum vigore exercere, & diù conſervare, per quam ſpiritus nervos multùm & inflant, & diſtendunt, & diù etiam diſtenſionem, & inflationem conſervant, ad hanc virtutem elaſticam validam determinantur ab aliquo ætherogeneo eis admixto, virtutem elaſticam eis debitam corroborante, & augente.

Hoc ætherogeneum eſt Sal quoddam volatile aeteum, à cujus rigiditate flexibili virtutem elaſticam majorem ſua naturali acquirit, & ab acrimonia, ſpiritui inimica, motum continuum.

Ideò Bilis inter cauſas vigiliæ principales internas eſt enumeranda; hæc ſanguinem valdè attenuat, in particulas tenues, ſubtiles, ſpiritoſaſque dividit, eaſque ad facilem ſeparationem diſponit, motum etiam agilem, promptum, & cum impetu tribuit; ex quibus patet habere omnes conditiones ſupra enumeratas requiſitas ad efficiendam vigiliam, unde ſtabilienda venit tamquam cauſa unica vigiliæ, & ſi ab alia cauſa, quàm à bile fiat, non erit diſſimilis in actione ab ea bilis; ſunt enim frequentes vigiliæ in febribus maximè acutis, in quibus ſemper dominatur bilis, à phlegmone Meningum, à copia ſanguinis in venis Cerebri, ab iſtius abſceſſu, à Cranio ſphacelato obſervatæ ſunt vigiliæ, referente *Bonet. in Sepulchr. Anatomico*, ſed omnes iſti morbi imitantur actionem ſupradictam bilis. *Jacobus Aupertus in exercit.* 44. *ad lib. de abditis rerum Cauſis*, *Fernelius ab aſceſſu Pancreatis vigilias lethales obſervavit*, & *Vvillis in Hypocondriaco continua quadam eructatione afflicto, hac opportunis remediis curata obſervavit contumaces vigilias, à quibus levatus rediit eructatio*, & tam in hoc caſu, quàm in abſceſſu Pancreatis adfuit æqualis actio illi bili, quam retinet etiam ſanguis valdè calefactus, & atrabilis fermentans ad orgaſmum ducta, itaut omnis humor participans de natura bilis dicendus cauſa vigiliæ, non ſolùm per eſſentiam, hoc eſt à vitio cerebri, ſed etiam vigiliæ à flatibus, & cruditatibus, & aliis cauſis exiſtentibus in partibus inferioribus, quæ ſunt vigiliæ per conſenſum, & harum cauſa in impetu movendi ſpiritus ad nervos æmulatur impetum bilis.

Nec obſtat, quòd Senes multùm vigilent, licèt non ſit copia in eis ſpirituum animalium, qualis eſt in Juvenibus, neque adeò copioſi, & activi; quia in Senibus ſunt pauci ſpiritus animales, ut obiicitur inertes, & parùm activi, ut à debilitate actionum animalium in eis colligitur, & à natura ſanguinis in ætate ſenili, & fibræ cerebri in Senibus ſunt exſiccatæ ſuo modo, prout ſunt omnes partes in Senibus, & oſtenditur à majori duritie cerebri in Animalibus ſenioribus, quàm junioribus, à memoriæ defectu præſertim rerum quotidie contingentium, cujus cauſa communiter tribuitur duritiei cerebri, per quam imagines rerum in cerebro profundè non imprimuntur; ab hac ſiccitate amittunt fibræ cerebri, & nervorum potentiam ad multam diſtenſionem, & inflationem, qua de cauſa à pauca ſpirituum copia eam ſuſcipiunt, cujus ratione ſiccitatis ſunt capaces, quæ, licèt nerveas fibras cerebri afficiat, ſpatium pro ſpiritibus non tollit, nec potentiam ad inflationem, ſed ſolùm utrumque minuit; quapropter ſiccitate non repugnante à pauca ſpirituum copia, & nervi, & fibræ inflantur, & extenduntur, prout requirit actuale exercitium organorum ſenſuum, redeunte vigilia poſt ſomnum brevem, per quem tanta copia ſpirituum collecta fuit, quanta ſufficit ad ſenſus exercendos, cui muneri, cùm ſuppleat brevitas ſomni in reſtauratione ſpirituum pro vigilia, brevitas ſomni in Senibus eſt neceſſaria, ideòque citò ad ſenſus exercitium redeunt, ſed debiliter ob ſpirituum paucitatem. Addo membranas nervorum in ea parte conſtituente orificium illorum, per ſiccitatem prædictam contrahere rigiditatem impedientem ſubſidentiam ad mutuum contactum menbranarum, & obſtructionem orificii, quæ ad ſomnum requiritur; ideoque orificium prædictum ſemper apertum manet ſpiritibus ſecundùm aliquam ſui portionem, itaut à vi parvæ etiam copiæ ſpirituum ex toto dilatetur, cum receptione ſpirituum, & tranſmiſſione ad organa ſenſuum, & quia brevi tempore hæc parva copia ſpirituum colligitur, brevis etiam eſt ſomnus.

Inter cauſas externas vigilias efficientes deſcribendæ ſunt, quæ & cerebrum, & caput calefaciunt, & bilem generare aptæ ſunt, & ſunt omnes cauſæ calefacientes.

Dolores corporis vigilias inferunt, quia in dolore organum ſenſus continuò à violenta ſenſibilis actione afficitur, perindèque ſpiritus ſenſorii dolentis agitantur quiete omninò interdicta, & iſtorum agitatio uſque ad ſedem ſenſus communis traducta, hunc ad actum ſenſus doloris eliciendum determinat, cum continua actione ſenſus communis, in qua conſiſtit vigilia, & ab eadem agitatione ſpirituum in parte dolente determinatur ſemper novus influxus eorum ad eam, & ad totum; unde vigilia. Ita *Hipp. lib. de coac. prænot. n.* 2. & 4. *de prænot. n.* 9.

Animi ſollicitudines, & curæ moleſtæ ſpiritus perpetuo motu agitant, ideòque vigilias pariunt; à continua enim objecti triſtis repræſentatione obvia, ſpiritus ad illius cogitationem, & ponderationem evocatur, & à continua cogitatione ſpiritus in continuo motu detinetur cum vigilia; idem præſtat continua ſtudiis applicatio, & continua meditatio, & hæc multos ſpiritus ad caput evocando pro ſui exercitio, ab iſtorum multitudine non ſolùm quies impeditur, ſed motus eorumdem ſpirituum ad organa ſenſuum augetur, à quo tota ſpirituum multitudo in ſuo emporio exiſtens agitata, & commota eos quieſcere non ſinit pro ſomno capeſcendo, & ab iſtis omnibus fiunt vigiliæ. Per conſenſum ab inedia fieri vigilias, practica obſervatio oſtendit, ſed hæc eſt cauſa privativa, cùm cerebrum eo privatur humore ſeroſo, vel vapore neceſſario ad ligamentum ſenſus externi, & interni, in quo conſiſtit ſomnus, & ad obſtruendos poros cerebri pro tali ligamento, quamvis inedia poſſit eſſe cauſa poſitiva vigiliæ, ſi ſit cum paſſione moleſta ventriculi, à qua vigilia efficitur modo dicto de paſſionibus animi.

Signa per ſe ſunt manifeſta, ab ægri relatione habemus ſufficientem cognitionem pro determinanda vigilia præternaturam.

Quoad Prognoſim, ſi ſit contumax vigilia, non ſolùm eſt difficilis curationis, ſed præter dolorem, & vertiginem, quam comitem ſibi adjungit, vires debilitando,

& omnes facultates corporis enervando, mortem minatur, præcipuè ſi inciderit in naturis debilioribus, ut ſunt viri ad ſenium properantes, & mulieres. *Vigilia, quæ parit delirium, vel convulſionem, ex Hipp. ſect. 7. Aphor. 18. malum*, & præſertim ſi vigilia cum febre acuta conjuncta fuerit. In morbis chronicis, & præcipuè in affectibus melancholicis, diù ultra nonam protrahuntur vigiliæ, prout patet experientia, & id contingit, quia ſpiritus, in quo noſtra vita conſervatur, in ſanguine melancholico craſſo diutiùs reſolutioni reſiſtit, ideòque longas etiam ſuſtinet vigilias, quæ regulariter ultra quindecim dies non protrahuntur; licèt longarum vigiliarum obſervationes extent, ut ſuperiùs adnotavi, ſunt tamen rara exempla.

Quoad curationem, quia bilis, ut plurimùm eſt cauſa hujus ſymptomatis, hæc evacuanda, & alteranda, & quia fervet, illius effervefcentia ſedanda, & figenda, & ſi ab aliis cauſis, quàm à bile proficiſcatur, cùm hæ in actione bilem imitentur, eiſdem etiam remediis auferendæ, & præcipuè alterantibus.

Effervefcentia ſanguinis ſedatur, præcipuè iſtius miſſione, à qua aperietur via ſpiritui furioſo ad exitum, & aer refrigerans introducitur, & ab exhalatione illorum cauſa vigiliæ minoratur, ab introductione remedium aeris remanentem cauſam moderans introducitur; à venis ergo infernis primò extrahatur ſanguis ad revulſionem à capite, & ſi non cedat, à capite mittendus, in quo ſanguis per vigilias ſummè effervefcit, & in illo ſtagnat, quapropter ratiòne utriuſque convenit particularis miſſio ſanguinis; ſtatim miſſo ſanguine, largus aquæ potus exhibeatur, ad ſedandos ſpiritus irrequietos, & ad bilem reprimendam, ne ferociùs, ut ſolet poſt ſanguinis miſſionem deſæviat; cum hac cautela poſſumus ſanguinem etiam in quantitate mittere, ſi ab indicantibus requiratur ſine timore majoris exacerbationis bilis, à quo correpti practici à copioſa ſanguinis miſſione in morbis à bile retrahuntur, aquæ acida admiſceantur, quæ validè bilem mortificant, ut v. g. *Aquæ* ℔. *ii. ſucci Granat. Acidorum q. ſ.* ad aciditatem. *Aqua flor. Papaveris errat. Nymphea a.* ℔. *I.* ß. *cum ſucc. Lim.* uti etiam poſſumus, & Sero caprino per ſe acidiuſculo facto. Sanguine evacuato, purganda bilis, ſed leni medicamento, ne effervefcentia major in ſanguinem introducatur, qua de cauſa ſanguinis miſſio præmittitur; ſola lenientia ergo adhibenda, inter quæ ſunt *Tamarindi ad* ℥. *i. diſſol. in Sero Caprino depurato*, & idem exhibeatur poſt medicamentum *ad* ℔. *duas*.

Præparantia ſuccedant, quæ bilem moderent, & motum ſpirituum ſedent; in horum genere ſunt *Nymphæa, Nenuphar. Lactuca, Papaver erraticum, Endivia, Portulaca, Viola, Hordeum*, ex quibus parentur decocta, vel aquæ ſtillatitiæ, *Emulſiones ſeminum majorum, & minorum frigidorum, & Papaveris, cum acidis, ſuccus ptiſanæ*, qui ſua craſſitiæ ſpiritus, & bilem ligat, ne efferè moveantur. Alterantibus ſemper miſceantur acida, nempè *ſuccus Limonum, Granatorum, Acetum ſtillatum, ſpiritus Vitrioli, Salis communis*, & exhibeantur in magna quantitate, & bis in die, quia tota maſſa ſanguinis, & cerebrum valdè diſtans alterandum, quod exequi non poteſt cum pauca quantitate continua, & diſcreta medicamenti alterantis; in hoc tempore alterantium localia ſunt applicanda capiti, ut *Emplaſtrum ex Recocta, & oleo Violarum paratum; ex foliis Nenupharis, Papaveris errat. Portulacæ, Plantaginis, & Salicis in Lacte decoctis, & contuſis, cum eodem Lacte fiat emplaſtrum. Spuma Seri cocti, cum foliis Mandragoræ, Hyoſciami, vel ſeminibus* caput illiniatur. *Ung. Populeon.* nares, tempora, & ſuturæ capitis illiniantur. Stillicidium capiti adhibeatur ex decocto *Lactucæ, Nymphæe, Mandragoræ, Juſquiami*. Pediluvium etiam ex iſtis herbis, & aliis ſupradictis ſummoperè valet.

Si hiſce non cedant vigiliæ, opiatis utendum *Philonio Romano, Nepenthes*, ſed iſtis in hoc caſu prævalet *Laudanum liquidum Cydoniatum, Sedativum majus, & minus Cenoffelii deſcriptum in Theſauro Pharmaceutico, addito Meſſi Spargiricæ, Sulphur anodynum Vitrioli*, ſi haberi poteſt, omnnibus præferendum iis, qui cauterium habent, formetur pilula ex cera, & tribus granis Opii, & in cauterio ponatur. *Aqua Langii ex* ℥. *i. una Opii, & duobus capitibus Allii diſtillata*, eſt efficax ad ſopiendos ſpiritus. Diœta ſit refrigerans, à vino abſtinendum, & ab omnibus aromaticis, & calefacientibus.

Per conſenſum à læſione partium inferiorum ſi fiant vigiliæ, harum indiſpoſitionibus occurrendum propriis remediis, & ſi urgeant interim opiatis ſupradictis utendum uſquequo ablata fuerit radix illarum; interpolatè tamen iſta exhibenda, & ſi à ventriculo imbecilli fiant vigiliæ, ut ſolet in Senibus, quia nervi orificii ſuperioris ejus debita copia ſpirituum animalium non irrigantur, vel quia ſufficienti calore vitali non incaleſcunt, cum moleſtia ejuſdem orificii, non dolorifica, ſed gravi, & importuna, & talis ſtatus dicitur frigiditas ventriculi, ab eodem oritur talis motus in dictis nervis, qui communicatus illorum origini in cerebro pertubat ſpiritus animales, & vigiliam parit, & hac de cauſa ſæpe Hypocondriaci in vigilias incidunt, oppreſſo ſpiritu, & calore orificii ventriculi, ſeu refrigerato à vaporibus in eo quieſcentibus. Hanc doctrinam mihi confirmavit praxis, in qua obſervavi ſenes, & Hypocondriacos vigilia affectos ſublevari, & ſomnum capere fovendo calorem ventriculi pulvinari, & à frigidis remediis in iſtis vigilias incrementa ſuſcipere, nec ex eo, quòd non ſentitur dolor in ventriculo arguenda falſitas hujus doctrinæ, quia ab affectione moleſta iſtius, quandoque oritur inquietudo, ut etiam ſanus in lecto non poſſit in uno ſitu, niſi per breve tempus permanere, & ſine ſenſibili dolore ventriculi, ideò in iſto caſu, quæ ventriculum corroborent, & calefaciant exhibenda, quæ deſcribentur de ventriculi affectibus.

Cauſæ externæ, quæ vigilias peperere, removendæ Diœta menſuranda à morbo, à quo vigiliæ, & ab indicationibus ab eo elicitis ejus regula deſumenda.

CAP. V.

De Somno Naturali.

FInis Somni eſt refectio Animalis defatigati in exercitio operationum dum vigilabat; tale enim exercitium ſenſus, & motus multos ſpiritus animales, quorum ope iſti exercentur diſſipat, horum diſſipatio Animal defatigat, languorem, & debilitatem efficit, itaut inhabiles omninò evadat ad prædictum exercitium protrahendum, & ſub illo deficeret, niſi diſſipati ſpiritus, reſtaurarentur cum nova generatione ſpirituum animalium. Somnus huic generationi inſervit, non tamquam cauſa efficiens, ſed tamquam aliquod requiſitum, dum ſuſpenſo in ſomno omni exercitio ſenſuum externorum, & Animali quiſcente, potentia illa elaborans ſpiritus animales in cerebro, vel temperamentum, vel fermentum ejuſdem cerebri, tota incumbit huic operi, quod à nullo alio diſtracta perfectè exequitur; & cùm ſpiritus animales in ſomno non diſſipentur, hinc eſt, quòd illi, qui generantur, in unum cumulum adiguntur in tali copia, ut valeant ſupplere de novo exercitio ſenſus, & motus, & ita dicitur Animal refocillatum à ſomno; ideò finis ſomni erit recreatio Animalis defatigati ab exercitio ſuarum operationum tempore vigiliæ. Hæc refocillatio conſiſtit in nova generatione ſpirituum animalium loco deperditorum.

Ab hoc fine deducitur ratio, per quam apparet vegetantibus ſomnum non convenire, cùm numquam in exercitio ſui operis ita defatigentur, ut quiere indigeant, & in Animalibus potentia vegetativa nunquam quieſcit, quia non defatigatur, nec eſt alligata tali copiæ ſpirituum, ut ſine hac non poſſit operari: potentia verò ſenſitiva, cùm in exercitio ſuarum operationum ſit alligata tali quantitati ſpirituum animalium, quæ ſufficiat ad diſtendendos, & inflandos nervos totius corporis, & ſine tali copia ſit impotens ad exercitium ſuarum operationum, itaut ſine iſta ullo modo exercere poſſit, & in dicto exercitio plus ſpirituum conſumatur, quàm generetur, ideò pro iſtorum congrua reparatione indiget quiete, quæ ſi Animali interdicatur, finis vitæ indictus citiſſimè.

Definitur Somnus *Ligamentum temporaneum ſenſus exter-*

externi, *& interni*, *dependenter ab impedito influxu ſpirituum animalium ad organa ſenſuum externorum*.

Dicitur *Temporaneum ligamentum ſenſus externi*, *& interni*, hoc eſt impedimentum in utroque ſenſu, per quod in exercitium ſuæ potentiæ non deveniunt; quæcumq;enim potentia impedita in ſuo effectu producendo dicitur ligata, & ligamen, quo manus arctè vinciuntur, ut moveri non poſſint, & corporis neceſſitatibus ſervire, dicitur impedimentum manui poſitum; ita ligamentum ſenſus externi, & interni, non erit niſi impedimentum prohibens exercitium iſtorum. Hoc ligamentum vocat Hippocrates. *Tranquillitatem*, *ſeu quietem ſpiritus*, *lib*. 3. *de Diœta n*. 9.

Dicitur *pendens ab impedito influxu ſpirituum animalium ad organa ſenſuum externorum*, non quia impedimentum prædictum conſiſtat in privativo, ut eſt impeditus influxus ob privationem ſpirituum, ſed conſiſtit in aliquo poſitivo, exiſtentibus ſpiritibus, impediente iſtorum fluxum; impedito influxu ſpirituum ad organa ſenſuum, impeditur omnis ſenſus externus, & cum iſtis impeditur exercitium ſenſus interni, qui ad ſuas operationes determinatur à ſenſibus externis, ideò iſtis ceſſantibus, ceſſat & ille à ſuis operationibus, diciturque ligatus.

Pro explicatione integra definitionis, ſolùm remanet perſcrutanda cauſa impediti influxus ſpirituum animalium ad organa ſenſuum externorum. Hipp. voluit ſomnum à ſanguine refrigerato, & à meatibus ſanguinis languidis factis, quod intelligendum eſt etiam de meatibus ſpirituum. Sanguis frigefactus, & meatus languidi poſſunt ponere impedimentum ſpiritibus. Hæc habet *lib. de flatibus num*. 2. Ariſtotiles, & Galenus determinaverunt cauſam ſomni obſtructionem porroſitatum cerebri, factam à benignis vaporibus alimentorum ad caput elevatis, ibique condenſatis, & fixatis, cujus argumentum eſt ſomnus poſt captum cibum avveniens; à tali enim obſtructione impeditur influxus ſpirituum animalium ad nervos, & ad organa ſenſuum externorum. Hanc opinionem retinuerunt Recentiores, addendo, non ſolùm per vapores obſtructionem prædictam fieri, ſed etiam per ſubtiliſſimum Serum reſiduum à generatione ſpirituum animalium, vel reliquia, & tamquam cinis ſpirituum in vigilia conſumptorum, quod videtur demonſtrari à temperamento humido, in quo, & Serum, & Pituita abundet, cùm in tali temperamento adſint ſomni longiores naturales, ut in pueris obſervare licet. Ab eodem Sero non ſolùm fit prædicta obſtructio, ſed reliquiæ ſpirituum in eodem latitantes, & in partibus obſtructis hoſpitantes torpidæ, & inertes redduntur cum motu languido, eo modo, quo à phlegmate copioſo ſpiritus vini inertes torpidi evadunt, ut vix à guſtu percipiantur, talis inertia, & torpor ſpirituum animalium ſomnum coadjuvat; ſicut enim vigilia in expanſione, & motu valido ſpirituum eorumdem conſiſtit, ita ſomnus in retractione, torpore, & inertia eorumdem ſpirituum. Obſtructio poteſt fieri etiam à ſubſidentia porroſitatum cerebri, ſeu potius glandularum, & fibrarum cerebri, itaut iſtarum latera ad mutuum quaſi contactum accedant, à tali ſubſidentia neceſſe eſt, ut ſpiritibus animalibus plenus ingreſſus in nervos intercludatur; ſubſident autem dictæ partes, quando ſpiritus animales in eis deficiunt, à ſpirituum enim copia non ſolùm implentur, ſed etiam dilatantur, ut turgeant, deficientibus ſpiritibus animalibus partes dilatatæ concidunt ad mutuum contactum, itaut elevari non poſſint de novo, niſi à copioſo, & energetico influxu ſpirituum animalium, & pauci poſt vigiliam relicti non ſunt tantæ virtutis, ut ſubſidentes fibras penetrare, & attollere valeant; cùm ſubſidentia glandularum, & fibrarum cerebri laxantur, etiam nervi ſervientes organis ſenſuum, & cùm laxitate à ſuo deſiſtunt exercitio. Hujus experimentum habemus in defatigatis à violento labore, & curſu, & immoderato Veneris uſu, in quibus ſpirituum copia diſſipatur, tales enim à profundo, & longiſſimo ſomno corripiuntur ob ſpirituum deficientiam, quàm neceſſariò ſequitur ſubſidentia dictarum partium, & hæc eſt principalis cauſa ſomni naturalis, quam coadjuvat motus diminutus membranarum cerebri, ob deficientiam ſpirituum vitalium, lentè, & diminutè materiam pro ſpirituum animalium generatione in glandulas corticalis ſubſtantiæ cerebri impellens; quapropter lentè implentur, & inflantur, nec ſomnus recedit niſi cum dictarum fibrarum turgentia; ex quibus multæ ſomni proprietates explicantur.

Narcotica ſomnum inducunt, quia torpidos, & inertes ſpiritus animales efficiunt, illorumque agilitatem, & motum debilitant, quod puto agere præcipitando magnam partem ſpirituum animalium in ſucco nerveo, vel motum illorum ſufflaminando, qui poſtea vel medicamentis, vel evaneſcente facultate Narcotica cum particularum medicamenti narcotici diſſipatione, ad priſtinum munus recuperata propria virtute redeunt. Similem inertiam cenſeo vapores cibi, paulò poſt illius aſſumptionem ſpiritibus communicare.

Omnes definitiones traditæ à Philoſophis, & Medicis ad hanc reducuntur, tamquam quid antecedens, vel conſequens prædictam, & declaratam eſſentiam ſomni. *Galenus* 1. *de cauſis Symptomatum cap. ult.* definivit ſomnum, *Animalis facultatis quietem*, *quæ corpori conceditur*, *quando ſenſus interni*, *& externi ligantur*. *Secundo Aphor. aphor*. 3. *Primi ſenſorii refrigerationem* ſomnum appellat; per *primum ſenſorium*, Cerebrum intelligit, quod verè refrigeratur ob diſſipationem ſpiritus animalis, quæ eſt cauſa remota ſomni, & ad hujus deſtructionem reparandam Natura ſomnum Animali conceſſit. *Avicenn. p*. 1. *tract*. 4. *cap*. 1. & *Averroes* 2. *colliget. cap*. 21. & ſui Sequaces, *Reditum ſpirituum ad cor*, *ad cerebrum* pro eſſentia ſomni ſtabilierunt. Hi Auctores, quia obſervarunt in ſomno ſpiritus animales in organis, præcipuè ſenſuum externorum deficere exiſtimarunt, iſtos ſe contraxiſſe ad principia eorum, quæ ſunt cor, & cerebrum, in quo allucinati ſunt, quia eſt quidem deficientia, ſed non ob prædictam cauſam, ſed quia diſſipati ſunt; remanet tamen, quòd adſit deficientia ſpirituum in ſomno, & hæc ſit cauſa remota ſomni. Auctor Definitionum Medicarum ſomnum definivit: *Remiſſionem Animæ ſecundùm naturam à finibus ad principium*. Pro *Anima* intelligenda eſt ſpirituum animalium congregatio, quæ remittitur, quando minuitur illorum quantitas, & quidem ſecundùm naturam, eò quia deficiunt in exercitio operationum naturalium; & quia per eorum deficientiam oritur indigentia ſomni ſecundùm naturam, in hac deficientia ſpiritus organa ſenſuum externorum deſerunt eorum influxu prohibito, & qui generantur in capite colliguntur; ideò dicitur *Remiſſio à finibus*, hoc eſt à partibus externis, *ad principium*, hoc eſt ad cerebrum. *Ariſtoteles in lib*. 6. *Topic. cap*. 2. *Antipariſtaſim*, ſeu retractionem *caloris ad interiora* ſomnum appellat, quę retractio, & antipariſtaſis reducitur ad deficientiam ſpirituum, quia calor, & ſpiritus partes externas deſerunt, non quia retrahantur ad interiora, ſed quia, ob deficientiam, & diminutionem eorum, non expanduntur copioſo affluxu ad partes externas, ac ſi verè retraherentur, & cum effectu retractionis proprio.

C A P. VI.

De Somno præternaturam, *& primò de Comate Somnolento*.

Definitur Coma ſomnolentum: *Profunda*, *& actualis in ſomnum delatio à cauſa præternaturam*.

Dicitur *Profunda*, quia cum difficultate à ſomno excitantur, & quia ita ſunt ſomno immerſi, ut ab objectis ſenſibilibus externis, à quibus tempore ſanitatis affecti à ſomno revocabantur ad vigilias, in hac indiſpoſitione non afficiuntur, & ad eorum præſentiam ſomno profundè indulgent; & ſi ab objectis ſenſibilibus, cum violentia, & dolore agentibus, oculos aperiunt, ſtatim etiam dimittunt, & ad ſomnum redeunt, & hac de cauſa dicitur *profunda delatio*. Dicitur etiam profunda, quia durat iſta indiſpoſitio, ad differentiam illius delationis in ſomnum, quæ antecedit imminentem Lypotimiam, & hyſtericas paſſiones, & magnas ſanguinis evacuationes factas venæ ſectione, vel ſponte in Hæmorrhogiis; in his enim caſibus adeſt delatio in ſomnum profunda, ſed diù non durat, ideòque Coma ſomnolentum dici non poteſt.

Dicitur *actualis*; quia ad conſtituendum Coma ſomnolentum non requiritur ſolùm profunda in ſomnum delatio, ſed ſomnus actualis, & ut æger actu profundè dormiat; nam in Comate vigili adeſt propenſio ad ſomnum, & profunda, & non adeſt actualis ſomnus; imò vigilia, ideò dicitur Coma vigil.

Dicitur *à cauſa præternaturam*, ut excludatur illa profunda, & actualis in ſomnum propenſio, qua corripiuntur, qui longas in morbis vigilias, vel in exercitio, & labore ſpirituum magnam reſolutionem ſuſtinuerunt, de quibus habet obſervationes *Platerus lib.* 1. *obſerv. Salmuth. centur.* 3. *obſerv.* 66. de ſomno trium dierum, & noctium à magna laſſitudine.

Aliqui addunt, Coma eſſe *delationem profundam, & actualem in ſomnum, cum delirio*, ut *Vidus Vidius lib.* 2. *Pract. cap.* 13. & *Zacutus Luſit. in lib.* 2. *Praxis cap.* 5. cùm tamen videamus multos Comatoſos ſine delirio, cùm interrogati de aliqua re, rectè reſpondeant: Aliqui etiam pro aliquo tempore res domeſticas curant, licèt in his exequendis in ſomnum ferantur, & quandoque cibis ore pleno in ſomnum delabantur, ſine ulla delirii ſpecie, & ſi hoc eſſe Comati eſſentiale, in omni Comate reperiretur, & cùm certum ſit non reperiri multoties, credendum eſt etiam, delirium non eſſe huic indiſpoſitioni eſſentiale; & ſi aliquando repertum fuit cum Comate delirium, puto eſſe ejus conditionis, qualis obſervamus in ſanis profundo ſomno demerſis, qui violenter excitati vana, & deliria loquuntur, & pravè ad interrogata reſpondent, ob confuſionem phantaſmatum in ſomno peractam, & multoties reſponſum accommodant illis phantaſmatibus, quæ in excitatione à ſomno occurrebant, & tale delirium eſt per accidens.

Ex his patet, Coma eſſe affectionem ſenſus externi, & interni, iſtiuſque ſubjectum eſſe cerebrum, quia ſenſus interni, & externi in Comate ligantur eo modo, quo ligantur in ſomno naturali; & quia in hoc ligantur ob cerebri affectionem naturalem, præternaturalis in Comate eſt affectio admittenda, & conſequenter admittendum cerebrum iſtius ſymptomatis ſubjectum.

Cauſa ſomni præternaturalis, non differt à cauſa ſomni naturalis niſi per exceſſum; & ſicuti diximus ſomni naturalis cauſam eſſe obſtructionem fibrarum cerebri, & etiam nervorum facilè ſolubilem, ita ſomni præternaturalis cauſa erit obſtructio earumdem partium difficilè ſolubilis, cum forti ligamine ſenſus externi, & ſenſus interni; ab hac enim obſtructione impeditur influxus ſpirituum animalium ad organa ſenſuum externorum, itaut ab objectis ſenſibilibus externis ſenſibiliter non afficiantur, & per concomitantiam ſenſus internus eadem objecta non percipiat, per quod uterque dicitur ligatus.

Hæc obſtructio poteſt fieri ab humore ſeroſo inundante ſubſtantiam corticalem cerebri, ejuſque fibras obſtruente, itaut ſpiritus animales in hac parte generati, vel ſeparati non valeant per fibras obſtructas ad interiorem cerebri ſubſtantiam fluere, & ab hac ad nervos pro ſenſuum externorum exercitio; hoc Serum ſi vel quantitate, vel craſſitie reſiſtentem valdè effecerit obructionem, ſomnus erit etiam profundior, & contumacior, & eadem ratione pituita, quæ eſt magis craſſa, magis profundam, & actualem in ſomnum delationem efficiet. Hæc obſtructio non eſt in cavitate fibrarum, & glandularum ab humore in iſtam deſcendente, ſed à compreſſione glandularum facta à ſeroſitate irrigante ſubſtantiæ corticalis ſuperficiem, per quam glandularum cavitas anguſta redditur, nec compreſſio eſt talis, ut impediat omnem fluxum ſubtilis materiæ ſucci nervei, ſed ſolùm eſt talis, ut fibras non impleri, nec diſtendi, conſequenter, nec nervos ſinat; quapropter laxitatem contrahunt cum impotentia organis ſenſuum ſerviendi, ex quo iſtorum ligamentum. Poteſt etiam ſomno præternaturali adaptari doctrina membranarum cerebri, dicenda de epilepſia. Serum, & pituita in cerebro exundans, ſi ſpiritui animali miſceatur, valet ſomnum profundum inducere, ſpiritus animales torpidos reddendo; à ſuperfluo enim humido retundi obſervamus in ſpiritibus volatilibus chymicis, qui non ritè diflegmati virtutem eis inſitam amittunt, & ſi virtutem elaſticam in ſpiritibus animalibus admittamus, per quam vegetas, & robuſtas ſuas operationes exercent, poſſumus etiam aſſerere à copioſo humido nimis molles redditos ſpiritus animales vitutem elaſticam amittere, eo modo, quo videmus corpora virtutem elaſticam ſortita hanc emittere, ſi nimis mollia fiant. Talem ſeri, & pituitæ abundantiam arteriæ in cerebrum deponunt, quando ſanguis his humoribus fuerit refertus, & venæ non poſſint totam illam quantitatem reabſorbere; quapropter neceſſe eſt, ut portio illius in cerebrum ſtagnet, & hæc portio ſemper à nova ſeroſitate ita augetur tali modo, ut cerebrum undequaque exundet, & maximè in ejus ſupeficie. Copia ſanguinis, vel iſtius craſſities, per quam tardè circulat in vaſis cerebri, obſtructionem comprimendo glandulas cerebri efficit; dum enim ſanguis tardè circulat per cerebri vaſa, à novo adveniente, dum prior per tardam circulationem adhuc non exierit, vaſa ſanguine impleri neceſſe eſt, turgeſcentia vaſorum, & pondus redundantis ſanguinis primam cerebri ſuperficiem eis contiguam premit, & hæc alteram proximam, & quo preſſio vaſorum fuerit validior, preſſio etiam ſuperficierum cerebri ad magnum ſpatium extendetur, & cum compreſſione ſuperficierum cerebri glandulæ, & fibræ obſtruentur. Deficientiam ſpirituum facere obſtructionem per ſubſidentiam porroſitatum, ſuperiùs diximus, unde ſi deficientia erit excedens, obſtructio etiam validior exiſtet ex duplici capite, primò quia à deficientia excedenti ſpirituum in ſanguine, pauca copia ſpirituum animalium extrahetur, per ſe inſufficiens ad dilatandas ſubſidentes fibras; ſecundò quia ſpiritus animales, qui generantur in magna deficientia ſpirituuum, in ſanguine ſunt languidi, debiles, nec talium virium, ut occluſa ſubſidentium fibrarum orificia aperire poſſint. Utramque cauſam expreſſit *Hipp. lib.* 2. *de morb. num.* 8. his verbis: *Poſtquam venæ pituitam in ſe traxerint, neceſſe eſt, præ pituitæ frigiditate, ſanguinem magis ſiſti, ac perfrigeratum eſſe, quàm priori tempore* (ecce craſſities ſanguinis à frigiditate) *dum autem ſanguis non movetur* (ecce tarda circulatio) *fieri non poteſt, ut non etiam corpus quieſcat, & torpeat* (legit *Foeſius*, *& profundo ſomno, velut alto ſopore detineatur*) à motione impedita, ſtagnatio, ab hac preſſio, à frigiditate, ſpirituum concentratio, ab hac illorum deficientia. Addo à frigiditate, à ſtagnatione, Seri ſeparationem copioſam fieri, ut patet in ſanguine extracto refrigerato, à qua obſtructio per paſſionem major, ut ſuperiùs dictum fuit. At ſivè à preſſione, ſivè à ſubſidentia impediatur fluxus ſpiritus animalis in glandulas, fibras cerebri, & nervos, ſemper eſt deficientia ſpirituum animalium, à diverſa cauſa; quapropter videtur hæc principalis cauſa ſomni præternaturalis. Narcotica profundam in ſomnum delationem pariunt, & quæritur, an in corpore poſſit generari humor narcotica qualitate præditus, itaut dici poſſit ſomnum profundum effici à cauſa narcotica interna, & Helmontius hoc affirmat, quia ſicuti muſtum nullam habet vim narcoticam, cùm non inebriet, nec ab eo per diſtillationem ſpiritus vini inebriativus, & narcoticus eliciatur, tamen per fermentationem in dolio vim narcoticam acquirit, cùm à ſolo vapore muſti fermenteſcentis, per nares excepto, ebrietas, & ſomnus inducatur; Carbo factus ex ligno, quod nullam vim narcoticam habet per combuſtionem, hanc acquirit, dum carbo de novo accenſus, ſpiritus torpidos reddat, & ſoporem inducat; ex quibus deducit poſtea Helmontius, humores in corpore humano à cauſa præternaturali ita poſſe diſponi, ut narcoticam virtutem aſſumant, quod mihi etiam probabile videtur, cùm confirmatam videam hanc ſententiam à *Borello obſerv.* 96. *centur.* 1. *de quodam, qui lethargum ſæpè patiebatur ab aura à pollice pedis emiſſa, quam ſurſum aſcendere æger percipiebat*, & *cauterio in parte affecta inuſto curatus fuit. Riverius centur.* 1. *obſerv.* 22. *à vaporibus uterinis in paſſione hyſterica ſomnolentiam* vidit, & *Ibmerus centur.* 1. *curat.* 35. *Coma à lumbricis* obſervavit; & ſi videmus humores per alterationem malignitatem ſortiri, cur non virtutem narcoticam? nec eſt adeò difficile, ut humores acquirant per alterationem illas conditiones, per quas ſuperiùs diximus narcotica operari.

Cauſæ

Cauſæ remotiores ſunt, quæ Serum, pituitam, & vapores craſſos in capite cumulare poſſunt, vel ſpiritus reſolvere, & torpidos efficere, & ſanguinem ad tardam circulationem diſponere, & hæ colligentur ab erratis in ſex rebus non naturalibus; Allium, Cæpæ, Nuces, Dactyli ſomnum efficiunt.

Differentiæ hujus ſymptomatis, nullæ aliæ ſunt niſi per eſſentiam, & per conſenſum: per eſſentiam, à cauſa exiſtente in cerebro independenter ab alia cauſa; per conſenſum, à materia exiſtente quidem in cerebro, ſed dependenter ab alia cauſa in inferioribus partibus, ut in paſſionibus hyſtericis à vermibus; poteſt etiam conſiderari altera differentia, deſumpta à vehementia majori, vel minori talis ſymptomatis, vel tamquam ſymptoma, ut in febribus.

Differentiæ talis ſymptomatis, per quas diſtinguitur ab aliis affectibus ſoporoſis, deſumuntur à ſui natura comparata cum natura aliorum affectuum ſoporoſorum: differt à Lethargo, quia eſt ſine febre, & ſine delirio, quæ in Lethargo uniuntur: differt à Catalepſi, quia Comatoſi ſe movent, excitantur à ſomno, licèt cum violentia, ad interrogata reſpondent; Cataleptici immoti manent in eodem ſitu, in quo poſiti fuerunt, interrogati non reſpondent: differt à Caro, quia in hoc ægri vocati non reſpondent, nec à violento ſenſibili affecti excitantur, & ſenſus omnes ferè aboliti ſunt. Si Coma cum febre conjungatur, differt à Lethargo, quia in hoc apparet læſa memoria, & plerumque rerum oblivio urget.

Signa diagnoſtica ſunt, profunda, & actualis in ſomnum delatio, quæ ſemper in Comatoſis obſervatur, cum ore patulo, & maxilla inferiori demiſſa, per quæ ſpeciem mortui potiùs, quàm vivi exprimit, à vellicatione fortiori, & punctura excitati oculos aperiunt; adſtantes intuentur, interrogati reſpondent, licèt mox iterum ad ſomnum redeant, & moleſtè ferant ab hoc frequenter interrumpi.

Si ab humore pituitoſo, vel ſeroſo excitetur Coma, hujus cauſæ ſigna ſunt habitus pituitoſus, & ſeroſus, ætas ſenilis, aut puerilis, regio, & tempeſtas frigida, & humida, conſuetæ per os, & nares pituitoſæ excretionis ſuppreſſio, color faciei pallidus, tumor palpebrarum, & lacrymæ involuntariæ.

Si à ſanguinis impedita circulatione oriatur hoc ſymptoma, demonſtrabit plectorica diſpoſitio capitis, rubor faciei ad atrum declinans, & capitis dolor præcedens: ſi à vaporibus inferiorum partium, ſigna erunt illa, quæ affectam aliquam partem demonſtrabunt: ſi à ſubſidentia porroſitatum, præceſſerunt cauſæ ſpiritus diſſolventes: ſi à virtute narcotica, febris maligna aderit, vel paſſio hyſterica, vel ſeminis conſueta effuſio ſuſpenſa, unà cum illius corruptione, vel affectus hypocondriacus, vel ſcorbuticus; in his enim virtutem narcoticam humores contrahere faciliter exiſtimo. Si fuerit per conſenſum, à ſignis affectionem partis inferioris demonſtrantibus colligemus.

Quoad prognoſtica, talis affectus in Senibus lethalis eſt; debilitatem enim caloris, & deficientiam ſpirituum, cùm ſuperabundantia humoris ſeroſi, & pituitoſi ſignificat; ſi febri ſuperveniat, lethalis eſt; ſi à cauſa interna cerebrum per eſſentiam afficiatur, ſemper periculoſum eſt, & ratione partis principiis affectæ, quæ eſt cerebrum, & ratione ſpirituum animalium, quorum generatio vel impeditur, vel deficit, deficientibus dictis ſpiritibus, à quibus multæ facultates naturales dependent ab iſtorum, vel deficientia, vel languore labefactari neceſſe eſt, cum vitæ periculo imminenti; ſi à cauſa externa dependeat, non adeò timendum, ſi Comatis phrenitis ſuperveniat illius eſt remedium.

Quoad indicationes, Coma pendens à cauſa interna, quæ indiſpoſitionem eſſentialem faciat, ut redundantia Seri, & pituitæ in capite, vel ſanguinis plenitudo à retardata circulatione ejuſdem per vaſa cerebri. Humor ſeroſus, & pituitoſus revellendus, derivandus, evacuandus, & plenitudo ſanguinis minuenda, motuſque circulationis adjuvandus, ſi à ſpirituum deficientia, iſti reparandi, ſi à virtute narcotica, hæc extinguenda.

In ſeri abundantia premente fibras cerebri, purgatio primò præſcribenda, & quidem purgantibus, non lenientibus, quia materia à capite ducenda: celebris eſt *Pulvis Tralliani* pro hoc ex *Diagridii*, *& Caſtorei a.* ℈. *i.* vel ℞. *Pil. Aurearum* ʒ. *ii. Magiſt. Jalappæ gr. viii. cum Syrup. de Sthœcade f. pil.* Vomitoria laudo, quia in conatu vomitus caput etiam purgatur, & per vomitum totum purgari, habemus ab Hipp. Venæ ſectionem rejicio, cùm ſanguis non peccet, & ſi in Lethargo admittatur, diverſa eſt ratio. Evacuato humore ſeroſo, veſicantibus revellendum, aliò, errhynis per nares derivandum, & per os apophlegmatiſmis à ſomno excitandus æger, admota naribus ſpongia imbuta *Decoctione ſeminum Nigellæ*, *Rutæ*, *Synapis*, *Caſtorei, facta in Aceto forti*, *Spiritus Salis Armoniaci*, vel *Carabe* odorandus, naribus ſupponatur *Satureja* cum floribus in vino cocta, & calens occipiti applicata, à ſomno excitat, & magis ſi illius vini guttæ aliquot auribus inſtillentur. Dum hæc adhibentur alterantia, quæ motum ſpiritibus animalibus præbeant, quo valeant propulſare materiam fibras cerebri preſſione obſtruentem præſcribenda; in horum genere ſunt decoctiones herbarum Cephalicarum, ſed præcipuè *Saturejæ*, *Serpilli*, *Chamædrios*, *Origani*, *Rutæ*, additis, ut *Spir. Fuliginis*, vel *Carabe*, vel *Sal. Armoniaci*. Valet etiam decoctio *Galangæ*, *Zinziberis*, *Nucis muſchatæ*, *Macis*, *Raphani ſylveſtris*, addita *Tinctura Caſtorei a6* ʒ. *i.* Mixtura ſæpè cochleatim præbeatur. ℞. *Aquæ Rutæ*, *Serpilli*, *vel Majoranæ*, *an.* ℥. *ii. Cinamom. Theriac. an.* ℥. *i. Tincturæ Caſtorei* ʒ. *i.* ß. *ſpec. Diagalangæ* ʒ. *i. Diambræ* ʒ. ß. *Syr. de Sthœcade* ℥. *i. m. f. mixt.* Potus *Caffè*, addita *Tinctura Caſtorei*, eſt valdè proficuus. Si non ſublevetur æger, ad ſudorifera tranſeundum cum decocto *Ligni ſancti*, *Juniperi*, *Saſſafras*, *& Cornu Cervi*, addita *Radice Petaſitidis*, vel *Lappe majoris*, exhibendo hoc decoctum ad libram unam, & bis in die; præmiſſo hoc pulvere. ℞. *Bezoart. miner. & Bezoart. orient. ana* ℈. ß. *pulv. Viperini* ℈. *i. m. f. pul.*

Si à ſanguine ſtagnante, hic præmiſſo, acri Clyſtere cum ʒ. *i. Trocis Alhandal.* mittendus; & ſi peritus adſit Chirurgus, à vena jugulari, vel frontis, vel narium ferente ægro, & morbi pertinacia indicante. Motum ſanguini inſpirabunt remedia ſuperiùs propoſita.

Si à ſpirituum deficientia, iſti reparandi, ſpiritoſis, & Aromaticis: *Elix. vitæ*, *Elix. proprietatis Paracelſi*, *Syr. è granis Chermes*, *& Corall. eſſentia Ambræ*; *Spir. Vini*, *cum Baccis Juniperi*, *Ruta*, *Satureja*, *Serpillo*, *Maci*, *Caryophil. Nuce moſc.* alterato, aliqua ex his decoctis ſupradictis miſcenda; vel ſequens Mixtura. ℞. *Aquæ Roſmarini*, *Lavendulæ*, *Scorzoneræ an.* ℥. *ii. rob. Juniperi* ʒ. *ii. ſpec. Lætificantis Gal. Diambræ an.* ʒ. ß. *Tincturæ Caſtorei* ʒ. *i. Elixir proprietatis Parac.* ℈. *ii. Syr. Cinam. vel de cort. Citri* ℥. *i. m.* Diœta boni ſit ſucci, & parùm, & ſæpè exhibendus cibus; vinum generoſum citiſſimè reficit ſpiritus, in parva tamen quantitate exhibeatur.

Si à Narcoticis, omnia Sale volatili prædita, ſupra deſcripta dicuntur frangere iſtorum virtutem; ab aliquibus laudatur *Succus Cæpæ*, ab aliis *Caſtoreum*, *Piper*; ſed certum, & infallibile remedium eſt *Acetum* ex vino generoſo *ad* ℥. *i.* vel *ii.* exhibitum, & eo tempore, & ſinciput humectare, & naribus odorandum ſæpè admovere.

Diœta in omnibus aliis caſibus ſit tenuis; valet enim hæc ad Serum conſummandum, & ad Cauſam morbi minorandam, ideò ſit etiam parvi nutrimenti, excepto caſu deficientiæ virium, & ſpirituum.

CAP. VII.

De Comate Vigili.

Stupore plenam indiſpoſitionem propono, & eſt Coma vigil. Dicitur *Coma*, quia adeſt propenſio invincibilis in ſomnum; dicitur *Vigil*, quia cum tali propenſione non dormiunt ægri, ſed continuò vigilia afficiuntur, palpebras dimittunt dormientium iſtar, & ſenſus interni, & externi ferè omnes, licèt debiliter, ſunt in exercitio; quapropter videtur indiſpoſitio ex duobus contrariis efformata, ex vigilia nempè, & ſomno, uno, & eodem tempore, & in eodem individuo, & æger

æger eſt, alter Tantalus; nam ſi ille aquis immerſus uſque ad os, crudelem ſitis moleſtiam, qua afficiebatur, aquæ potu ſatiare non poterat, dum aquæ fugiebant quotieſcumque inclinato capite, vel corpore eas bibere tentabat. Ita Comatoſus vigil à moleſta ſomni propenſione extremè afficitur, & dum ſomnum capere aggreditur, hic fugit, & cum hac invincibili in ſomnum propenſione continuæ vigiliæ cruciatus experitur.

Definitur hic affectus: *In ſomnum propenſio, cum continua vigilia*. Eſt *Propenſio in ſomnum*, quia, ut dormientes, jacent clauſis oculis, & ægrè ferunt clamores, puncturas concuſſiones, quibus ab adſtantibus à ſomno excutiuntur; eſt cum vigilia, quia verè vigilant, & paſſionem propenſionis in ſomnum, & vigiliæ tormenta, uno, eodemque tempore experiuntur. Hujus ſymptomatis mentionem fecit *Hipp. lib.* 3. *de morb.* quando ſcripſit: *Prehendebat autem eos, vel Coma continuum ſomniculoſum, vel pervigilum.*

Duo contraria in hujus affectus conſtitutione concurrentia, difficilem reddunt indagationem cauſæ, quæ duo contraria privativè in uno affectu unit; ratione hujus diffidultatis, variæ emanarunt ſententiæ in determinanda talis affectus cauſa. Galenus, & cum eo ſui Sequaces exiſtimarunt hunc affectum pendere *à mixtione Bilis, & Pituitæ, ab hac propenſionem ad ſomnum, ab illa vigiliam*; ita *Gal.* 4. *de Præſag. expulſ. cap.* 8. ita etiam *Paul. lib.* 3. *cap.* 6. ſed talis ſententia, ex dictis de vigilia, & ſomno, inſubſiſtens apparet; nam vigilia eſt cum influxu ſpirituum animalium ad organa ſenſuum externorum, & ſomnus eſt cum impedito influxu ad dicta organa, unde vigilia, quæ eſt continua, ſupponit liberum influxum, & continuum per organa ſenſuum externorum, & ſi eſt talis continuus influxus, non poteſt eſſe ſomnus, qui conſiſtit in impedito influxu, & ſi eſt impeditus influxus ſpirituum ad dicta organa, erit ſomnus continuus ſine vigilia: Pituita poteſt impedire hunc influxum, ſed faciet verum, & continuum ſomnum pro ratione impedimenti, cum excluſione vigiliæ. Bilis vigiliam efficit, promovendo influxum ſpirituum ad organa ſenſuum, ſed pro tali tempore non erit ſomnus, & hoc ſtante non poteſt dici æger ſemper vigilare, & ſemper in ſomnum inclinare vel debemus admittere, quòd in uno momento pituita impediat influxum ſpirituum animalium ad organa ſenſuum, in alio momento bilis, ablato impedimento, impellat ſpiritus ad eadem organa, & in altero momento pituita renovet impedimentum, & ſic deinceps per multos dies ſequatur iſta reciproca poſitio, & ablatio impedimenti momentanea, quæ ab intellectu concipi non poteſt, & naturæ agentium etiam repugnat, quæ contrario ſuperato, ſemper huic dominatur; & victor cùm ſit victo, fortior ſemper ſub jugo hunc tenet; ita bilis, ſi ſuperaverit pituitam, hæc non habebit tantum virium, ut poſſit bilem domare, ſed ſemper ſub iſtius jugo, & dominio manebit, nec permittet ponere impedimentum influxui ſpirituum.

Alii putarunt cauſam eſſe pituitam, ſed putrefactam in cerebro, quæ ob ſuam craſſitiem obſtruendo porroſitates cerebri, faciat propenſionem ad ſomnum, ratione verò acrimoniæ, & caloris à putredine concepti, vigilias. Ita *Galenus* 3. *epid. ſect.* 3. *com.* 16. & 45. ſed videmus in Lethargo, in quo communiter exiſtimatur pituitam putreſcere, adeſſe continuum, & diuturnum ſomnum, unde pituita putreſcens eſt apta continuum facere ſomnum, non propenſionem ad ſomnum, & vigiliam ſimul.

Vvilliſius vult porros, & meatus in cerebro, & quæ ſunt viæ à ſpiritibus calcatæ, à materia craſſa occupari, ut à ſolito curſu prohibeantur, unde propenſio ad ſomnum; ſpiritibus verò particulas quaſdam acres, & ſummè agiles infigi, tamquam aculeos, à quibus ad motum excitantur, unde iſti obſtructas vias concepto motu, & impetu reſerant introducta vigilia; ſed contra hanc ſententiam faciunt rationes allatæ contra bilem, & pituitam, prӕterquamquòd ſi ſpiritus motu, & impetu ſupradicto excitati reſerant obſtructiones à pituita factas, eas apertas etiam conſervare debent, & continuam inducere vigiliam, ſine ſomni propenſione; nam ſpiritus irritati, ratione dicti motus, & impetus, ſunt in actione, & virtute pituitæ ſuperiores, dum obſtructas ab illa vias reſerarunt, & hanc actionis, & virtutis prævalentiam exercere coacti ſunt in pituita, prohibendo, nè obſtruat ampliùs porroſitates. Illa virtus, quæ effectum producit, eumdem conſervare potens eſt; motus, & impetus in ſpiritu vias obſtructas aperuit, ergo idem apertas tenere potens erit, & maximè cùm talis impetus, & motus in ſpiritu perduret in Comatoſo vigili, cùm in hoc adſit continua vigilia, & in ſpiritu animali materia irritans permaneat.

Sylvius Le-Boe putat, propenſionem ad ſomnum fieri à bile, virtute narcotica prædita, vigilias verò pendere ab humore acri in glandulis alicujus partis elaborato, qui à ſpiritu arterioſo, & à fermento ejuſdem glandulæ volatilizetur, & accedente calore ſanguinis arterioſi acrimonia illius augeatur, cùm experientia conſtet, à calore acrimoniam impertiri; unde talis humor, vel ſuis vaporibus ad caput elevatus, vel ſua ſubſtantia caput penetrans, & ſpiritibus animalibus commixtus turbationem in iſtis excitat, & viam ad organa ſenſuum præparat; unde vigilia: quæ ſententia, cùm poſſit reduci ad ea, quæ tradidit Vvilliſius, eiſdem etiam rationibus rejicitur, præterquamquòd eſt valdè dubium, bilem narcotica virtute pollere.

Blancardus in Idea Medicinæ novæ contendit demonſtrare quaſdam particulas acres certos cerebri canaliculos ingredi, aliaſque viſcidas in alios ſe inſinuare, ab iſtis ſomnus, ab illis vigilia ortum habet; quæ ſententia demonſtratur falſa, quia ſi humores acres medietatem cerebri occupent, & viſcida materia alteram medietatem, homo ſecundùm unam medietatem corporis vigilabit, ſecundùm alteram dormiet, & ſi porroſitates, quæ ducunt ſpiritus ad nervum auditorium, fuerint obſtructæ à materia viſcida, erit ligatus ſenſus auditus, & ſi porroſitates, quæ ducunt ſpiritus ad nervos odoratus, receperint particulas acres, ſenſus odoratus erit ſolutus, & homo dormiet ſecundùm ſenſum auditus, & vigilabit ſecundùm ſenſus odoratus.

Ex his licet colligere difficultatem in aſſignanda Cauſa hujus affectus, dum illa tot pepererit ſententias; quapropter cùm in re difficili unicuique licitum ſit ſuam proferre ſententiam, non recuſabo meam exponere.

Et ut clarè procedam in explicanda cauſa Comatis vigilis, ſuppono aliud eſſe indigentiam ſomni, & inclinationem ad ſomnum, aliud ſomnum: hic ſupponit ligamentum in ſenſu interno, & externo, pendens ab obſtructione fibrarum cerebri impediente influxum ſpirituum animalium ad organa ſenſuum externorum, illa dicit neceſſitatem quietis, & ſomni pro reparatione ſpirituum animalium, deperditorum in vigilia, in qua multæ operationes exercitæ fuerunt, unde hæc oritur ex deficientia ſpirituum, à qua oritur indigentia reparationis eorumdem, & cùm non reparentur niſi per ſomnum, ab indigentia reparationis ſpirituum animalium oritur indigentia ſomni; quapropter indigentia ſomni dicit ſenſum externum, & internum ſolutum, quia in indigentia ſomni uterque ſenſus exercetur, & poteſt eſſe indigentia ſomni, & vigilia, quod experiuntur illi, qui à violento exercitio, vel labore defatigati ſomno indigere cognoſcunt, & in hunc propenſionem habent; ſi verò accidat, quòd cum tali propenſione ad ſomnum ab aliqua paſſione, & ſollicitudine valdè moleſta animi afficiantur, indigentiæ, & propenſioni in ſomnum ſatisfacere prohibentur ab animi paſſione, continuo motu ſpirituum animalium reliquias agitante, quapropter cum continua ad ſomnum propenſione continuam experiuntur vigiliam.

Hoc evenire puto Comatoſo vigili, nempè in hoc indigentiam ſomni adeſſe ob deficientiam ſpirituum, ideòque in ſomnum inclinare, & hunc prohiberi à cauſa præternaturali, & ita in Comate vigili non eſſe ſomnum, qui dependeat ab obſtructione fibrarum cerebri, quia impoſſibile eſt, quòd obſtructæ ſint fibræ prædictæ, & homo non dormiat, ſicuti impoſſibile eſt, quòd durante dicta obſtructione, vigilia adſit, quia non poteſt ſtare vigilia cum obſtructis fibris cerebri, dum has liberas, & apertas exigit, ſicuti non poteſt ſtare ſomnus cum eiſdem fibris apertis, cùm has obſtructas requirat. Somnus ergo unà cum vigilia in Comate vigili reperiri non poteſt, conſequenter remanet ſolùm, quod in Co-

in Comate vigili adſit mera, & præciſa indigentia ſomni ob deficientiam ſpirituum animalium, à qua oritur propenſio in ſomnum, & hunc ab aliqua cauſa præternaturali impediri.

Adeſſe deficientiam ſpirituum in Comatoſo vigili, colligo à debilitate potentiæ motivæ, & ſenſitivæ, obſervata in tali affectu: Comatoſi vigiles debiliter ſe movent, & ferè ſemper vel ſupini, vel ſuper unum latus decumbunt, & niſi cum difficultate ſitum mutant, ſenſus omnes ſunt torpidi, & objecta ſenſibilia moderata percipiunt, ſed in perceptione torpor animadvertitur. Ulteriùs experientia manifeſtum facit, Coma vigil eſſe ſymptoma febres malignas concomitans, & Phrenitidem lethalem ſequi, & acutis morbis, magnis evacuationibus per alvum, & immoderatis ſanguinis fluxibus uniri, quæ omnia comprobant, Coma vigil eſſe conjunctum cum deficientia ſpirituum animalium; hęc parit indigentiam, & propenſionem ad ſomnum, prout dictum fuit ſuperiùs.

Cum hac indigentia ſomni conjungitur vigilia, eo modo quo dixi conjungi in ſupradicto caſu, & cauſæ vigiliæ erunt ſupradeſcriptæ in tractatu de Vigilia, nempè bilis, cujus particulæ ſulphureæ, & ſalinæ acres, & perturbarivæ ſpiritibus animalibus commixtæ hos quieſcere non permittunt; imò ad organa ſenſuum externorum fluere, communicaro impetu, cogunt, & unà cum hoc ſubſidentes fibras Cerebri per ſpirituum deficientiam elevant ad organa ſenſuum fluunt, hæcque actuant cum vigilia; & ita iſtis admiſſis videtur rectè explicata natura, & eſſentia Comatis vigilis, itaut nullum remaneat dubium; nam à deficientia ſpirituum explicatur indigentia ſomni, à bile mixta ſpiritibus animalibus irrequieto motu eoſdem agitante explicatur vigilia, & manifeſtum fit etiam quomodo fiat Coma vigil; deficientia enim ſpirituum ſemper inducit indigentiam ſomni, à Natura Animali in hunc finem conceſſi, ut ſpiritus animales in vigilia cum exercitio ſenſuum externorum, & motus diſſipati, per quietem, & ſomnum renovarentur; ad hunc finem conducit ſubſidentia fibrarum cerebri, quæ loco obſtructionis inſervit, impediendo fluxum ſpirituum ad organa ſenſuum externorum, quando illi, licèt ſecundùm naturam conſtituti ob paucitatem, & ob defatigationem debiles facti, ſubſidentes fibras elevare non poſſunt: ſi verò ſpiritus ad ſtatum præternaturalem adducti fuerint per acquiſitionem motus, & impetus ſuæ paucitati, & defatigationi non convenientis, ſed à cauſa præternaturali communicati, modo mox dicto de Bile, ſubſidentiam fibrarum ſuperabunt, & iſtarum tractum ſequendo ſpiritus pervenient ad organa ſenſuum externorum, & licèt parvi, ſenſus omnes in exercitio ſuarum operationum, licèt debiliter, firmabunt.

Præter bilem, ſi inſomnia etiam horrore, timore ira plena ſpiritus animales continuo, & irrequieto motu agitabunt, etiam ab iſtis Coma vigil orietur, & hanc cauſam in tali affectu adeſſe colligere poſſumus à jactatione inordinata, licèt debili totius corporis, à clamoribus apertis faucibus emiſſis, à delirio, quod ſemper obſervatur in hoc affectu, hæc enim phantaſmata excitata, & perturbata oſtendunt.

Cauſæ externæ erunt quæcumque ſpiritus diſſipare poſſunt, ut motus violenti, immoderatus Veneris uſus animi paſſiones vehementes, applicatio intenſa mentis ſtudio, vel negotiis pertractandis, morbi acuti, evacuationes inſignes per alvum, & etiam ſanguinis per aperta, vel corroſa vaſa. Bilem cumulant, vel acriorem reddunt omnia calida, ſivè medicamenta, ſivè alimenta, maximè in iram propenſio, tempus anni calidum, bilis interrupta ſegregatio à ſanguine.

Differentia Comatis vigilis ab aliis affectibus ſoporoſis demonſtratur ab his hucùſque dictis; nam per ſolam indigentiam ſomni differt ab aliis omnibus affectibus ſoporoſis, in quibus adeſt ſomnus actualis, & profundus, non indigentia ſolùm ſomni, vel adeſt ſomnus ſine indigentia iſtius; præterea in aliis affectibus ſoporoſis, ut in Comate, Lethargo, Caro, nullum adeſt vigiliæ ſignum, ſicuti in hoc affectu.

Signa diagnoſtica ſunt manifeſta in propenſione ad ſomnum, & in continua vigilia.

Quoad prognoſtica, mali ſunt ominis, ratione cauſæ, quæ eſt deficientia ſpirituum animalium, à qua non ſolùm patitur cerebrum in ſuis operationibus, ſed etiam totum corpus, cùm multæ operationes iſtius auxilio nervorum, & ſpirituum animalium perficiantur; unde iſtis deficientibus, neceſſarius languor iſtarum, cui imminet vitæ interitus. Spirituum deficientia eſt maximè periculoſa, cùm eorum reſtauratio, ob continuam vigiliam, ſit impoſſibilis; eſt etiam periculoſus ratione partis, quæ eſt princeps, Cerebrum nempè, cujus languores toti communicantur, & ratione modi afficiendi cum vigiliis, quæ ſpiritus etiam robuſtos, & copioſos citò diſſolvunt, & ratione unionis hujus affectus cum morbis acutis, quorum vis, & ferocia à tali ſymptomare intenditur, itaut vires non ſufficiant ad reſiſtendum, maximè ubi ſpiritus animales deficiunt.

Indicationes erunt, ſpiritùs reficiendi, bilis acrimoniam attemperandi, ſi hoc ſymptoma talis fuerit conditionis, ut totam medicam operam ad ſe trahat, derelicta primarii morbi conſideratione, ut plurimùm enim Coma vigil eſt ſymptoma ſequens aliquem morbum; ſi verò talis non fuerit conditionis, morbo principali incumbendum.

In executione iſtarum indicationum à ſymptomate deſumptarum, undique difficultares inſurgunt; nam refectio ſpirituum exigit calida, & ſpiritoſa medicamenta, hæc bilem magis acrem volatilem, & activam reddent, & impetum agitatis ſpiritibus addent; ſi verò refrigerantibus ad bilis attemperationem utamur, ſpiritibus debilibus, & defatigatis noxia erit medicamenti frigiditas. In his difficultatibus, Vvilliſii conſilio adhęrendum eſſe puto, qui determinat reſpiciendum eſſe, *an æger magis indigeat ſomno, an vigilia*: ſi magis indiget ſomno, hic provocandus; ſi magis indiget vigilia, hæc excitanda: in hoc ſymptomate verò cùm adſit indigentia ſomni à deficientia ſpirituum animalium, æger magis indiget ſomno ad renovandos ſpiritus animales, idcircò opiata ſunt unicum remedium ad profligandum hoc ſymptoma; nam inducto ſomno nova ſpirituum ſuccedet generatio, ſpiritus exiſtentes defatigati vires acquirent, & uniti cum genitis activitati bilis reſiſtent, præterquamquòd opiata bilis acrimoniam, volatilitatem, & motum retundent, & ita opiata utramque implebunt paginam, exhibenda tamen in principio invaſionis ſymptomatis, dùm vires valent; nam ſi extrema aderit debilitas, tale remedium eſt prætermittendum, cùm tunc ſit de ægro conclamatum, omnia etiam remedia in curatione vigilia propoſita, tam interna, quàm externa poſſunt in uſum revocari. In hoc affectu eodem tempore reficiendi ſunt ſpiritus alimentis boni ſucci facilis concoctionis, ut ſunt ova ſorbilia, contuſa, & ſuccus carnium Perdicis, Phaſiani, Pulli, Vituli, additis etiam amygdalis, & pineis. Reficiendi etiam medicamentis cordialibus dictis, interque enumeratur *Julap. Gemmatum*, *Perlatum*, *Confectio ex Hyacintho*, *Alchermes*, *Aqua totius Citri*, *Aqua florum Citri*, *Aqua Meliſſæ*, *Aqua Scorzoneræ*, *Tinctura granorum Chermes*, ex quibus poterit parari mixtura cochleatim ſumenda. ℞. *Aq. tot. Citri*, *Meliſs. Scorzon. an.* ℥. *iii. Confect. ex Hyac. Alcher. an.* ʒ. *i. ſpecier. Diambræ* ʒ. ß. *Tinctur. granor. Chermes* ʒ. *ii. Julap. Perlati* ℥. ß. *m.* vel ℞. *Aq. Cordial. Saxon.* ℥. *ii. florum Citri*, *Borag. an.* ℥. *ii. Confect. Alcherm.* ʒ. *ii. Tinct. Antim.* ʒ. *i.* ß. *Julap. Gemmat.* ℥. ß. *Elixir propr.* ℈. *i. Syrup. de cort. Citri* ℥. *i. m.*

De purgatione, & ſanguinis miſſione verba non facio, quia non video, qua ratione ab hoc ſymptomate indicari poſſint; ſpirituum enim deficientia utrumquè rejicit remedium, & etiam purgationem, licèt videatur ratione bilis peccantis convenire; præterquamquòd purgantia ſi bilem peccantem non purgant, eam ad majorem exaltationem ducunt cum magno detrimento ægri, & augmento ſymptomatis; & hoc facilè contingere poteſt, dum ob virium debilitatem, & ſpirituum deficientiam validum purgans Colagogum exhibere prohibemur, debile non ſatisfaciet intento, ſed ut dicebam, maſſam ſanguineam agitando bili majorem exaltationem conciliabit.

Si verò morbus, à quo ſymptoma pendet, vel purgationem, vel ſanguinis miſſionem indicabit, & aderit pro utroque virium robur permittens, inſtitui poteſt, & purgatio, & ſanguinis miſſio.

CAP. VIII.

De Vertigine.

Dicitur Vertigo, à *vertendo*, quia omnia in gyrum verti videntur, tamquam in vortice, qui ſemper in circulos dilatatur, & in gyrum volvitur, ita in vertigine circumgyratio omnium viſibilium apparet.

Definitur *Affectus, in quo objecta circumrotari videntur, licèt immobilia maneant, cum confuſione ſpirituum animalium in cerebro, titubatione corporis, & quandoque caſu ejuſdem.*

Dicitur *Affectus*, quia eſt ſenſus, & omnis ſenſus aſfectionem præſupponit; dicitur etiam *Affectus*, quia eſt indiſpoſitio, vel organi vel ſpirituum animalium, per quam objecta viſibilia tamquam circumrotantia inſpiciuntur, licèt ſint immobilia, & omnis indiſpoſitio apud Medicos per affectum exprimitur.

Dicitur *in quo objecta circumrotari videntur, licèt immobilia maneant*: per hæc verba declaratur indiſpoſitionem, ſeu affectum eſſe ſenſus Viſus, dum objecta viſibilia circumgyrari videntur. Explicatur etiam qualitas indiſpoſitionis ſenſus Viſus, quæ conſiſtit in circumrotatione objectorum viſibilium. Probatur etiam, quòd talis viſio ſit indiſpoſitio, quia videntur objecta aliter, ac ſunt; ſunt enim immobilia, & videntur tamquam in gyrum ducta, quod non poteſt contingere, niſi vel ab indiſpoſitione organi, vel inſtrumenti, vel potentiæ.

Dicitur tertiò, *cum confuſione ſpirituum animalium in cerebro*, & exprimitur cauſa vertiginis immediata, & formalis, quæ eſt Confuſio, & circumgyratio ſpirituum animalium; quomodo verò ſpiritus tali modo diſpoſiti vertiginem faciant, mox declarabo. Spiritus circumgyrationem patientes, ſunt ſpiritus animales in cerebro exiſtentes, ex quo determinatur ſubjectum vertiginis eſſe cerebum, & etiam pars cerebri, quæ ſit ſubjectum hujus affectus, implicitè determinatur; etenim videre objecta circumgyrantia eſt actio ſenſus Viſus, ſenſus Viſus unà cum aliis ſenſibus elicitur à ſenſu communi, ut probatum fuit ſuperiùs, ubi de Senſu in genere; ergo, ſi vertigo eſt indiſpoſitio, per quam ſenſus Viſus percipit objecta aliter, ac ſunt, neceſſe eſt, ut talis indiſpoſitio ſit in ea parte Cerebri, in qua eſt ſenſus communis, & ab hoc deducitur falſam eſſe opinionem illorum, qui aſſerunt, vertiginem eſſe affectionem oculi, qui eſt organum ſenſus Viſus; & falſitas demonſtratur, quia ſi aliquis clauſis oculis corpus in gyrum per aliquod breve tempus moveat, apertis poſtea oculis inſpicit omnia circumgyrare, certè quòd in hoc caſu non poteſt dici paſſio oculorum, quia cùm clauſi fuerint nullam paſſionem ab objectis viſibilibus receperunt; conſequenter vertigo in tali caſu non poteſt dici paſſio oculi, ſed ſpirituum animalium in capite, qui circulari motu totius corporis in gyrum acti fuere. Vertigo clauſis oculis efficitur, ergo vitium iſtorum non eſt.

Secundò ab hypocondriis, & à partibus inferioribus elevati vapores vertiginem inducunt ſine ulla ſenſibili affectione oculi, & cum ſenſibili commotione ſpirituum in capite; quapropter capitis, & ſpirituum, non oculi paſſio dicenda vertigo.

Tertiò vertigo debet ſtatui affectio ſenſus Viſus, & conſequenter affectio illius partis, in qua fit ſenſus Viſus; ſed ſenſus Viſus fit à ſenſu communi in una parte cerebri exiſtente, ergo hæc ſubjectum vertiginis dicenda. Vertigo tenebricoſa fit à ſpiritu animali in cerebro circumrotante, unde caſus corporis, ergo & ſimplex vertigo. Concludendum ergo, vertiginem eſſe affectum ſenſus communis, & illius partis, in qua reſidet ſenſus communis; nec poteſt dici cum *Etmullero*, & *Platero*, *Senſuum Viſus fieri in oculo*, qui eſt organum viſus, *perceptionem verò hujus ſenſus à ſenſu communi emanare*, quia perceptio eſt neceſſaria ad ſenſum, & ſine hac non dicitur ſenſus; imò ipſa perceptio affectionis organi ſenſuum eſt ſenſus, ut demonſtravi de Senſu in genere, & experientia etiam comprobatur; nam qui immerſus eſt in aliqua contemplatione, vel meditatione alicujus rei objecta viſibilia, quæ ſuis oculis obſervantia non percipit, licèt afficiant ſua actione, vel ſuis ſpeciebus ſenſibilibus oculum; & tamen ſi in oculo fieret viſio, deberent videre illa objecta, & de eis rationem reddere, quia objecta viſibilia præſentia afficiunt oculum, & ad viſionem per iſtos non requiritur, niſi præſentia objecti viſibilis, actio iſtius in oculum, & oculus rectè diſpoſitus, ſed hæc omnia reperiuntur in eo, qui mente altè fixus eſt in contemplatione alicujus objecti, & tamen non videt illa objecta, nec ſcit de illis ullam reddere rationem; ergo debemus dicere non videre, & non videt, niſi quia mens aliò applicata non percipit per ſenſum communem affectionem, quam objecta illa imprimunt in oculo, & quotieſcumque diſtrahitur à fixa illa contemplatione, ſtatim percipit dictam actionem oculo impreſſam à dictis objectis; conſequenter perceptio eſt neceſſaria ad ſenſum eliciendum, imò eſt ipſe ſenſus, quia percipere nil aliud eſt, niſi agere circa actionem objecti ſenſibilis in organum ſenſus, & agere circa hanc actionem eſt elicere actum ſenſus, & affectio, quæ eſt in organo, eſt paſſio quidem requiſita ad ſenſum, non conſtituens ſenſum. Nec eſt difficile explicare, quomodo viſibilia appareant circumgyrari ſine vitio oculi, qui eſt organum viſus, quæ difficultas induxit Etmullerum ad determinandum vertiginem eſſe affectionem oculi, non eſt inquam difficile, quia poſito ſpiritus animales circa ſedem ſenſus communis exiſtentes, & in ipſa ſede hoſpitantes à cauſa aliqua in gyrum moveri, omnis actio traducta, ab organo ſenſus Viſus ad dictam ſedem, dum iſti imprimitur, ita alterabitur à motu ſpirituum prædictorum, ut evadat repræſentativa objecti viſibilis circumgyrantis; alteratur verò iſta actio traducta, quia & hæc imprimitur ſpiritui animali in ſede, & circa ſedem ſenſus communis, quare cùm ſpiritus in circulum ducatur, ſi hic in motu erit ſuperior motui, quo actio objecti ſenſibilis ab organo ſenſus Viſus, traducitur ad ſedem ſenſus communis, & erit ſuperior illi, quem ab objecto ſuſcepit, prædicta actio motus ſpirituum circularis mutabit motum actionis, & circularem efficiet, & cum hoc motu, & cum hac actione, ſeu ſpecie ſuſcepta ab organo ſenſus, & hoc mediante ab objecto ſenſibili, circulans, & circumrotans objectum repræſentabit, eo modo quo motus aquæ per declive decurrentis recta linea, ſi ſuperveniat ad vorticem, motus rectus alteratur, & fit circularis à motu circulari vorticis. Concludendum ergo, his admiſſis, vertiginem non eſſe affectionem vitioſam oculi, ſed ſpirituum animalium circa ſedem ſenſus communis exiſtentium, ad quam omnes motus organorum ſenſuum, & objectorum ſenſibilium, vel actiones eorumdem traducuntur.

Dicitur quartò *titubatione corporis, & caſu ejuſdem*; & exprimuntur duo, quæ ſequuntur vertiginem, titubatio corporis ſemper, caſus ejuſdem aliquando, quæ duo contingunt ob ſpirituum animalium circumgyrationem. Dixi ſpiritus animales circa ſedem ſenſus communis exiſtentes circumgyrare, ideſt circa medullam oblongatam, à qua nervi proficiſcuntur, & in qua emporium ſpirituum animalium erigitur, unde circumgyratio iſtorum eſt in ea parte, per quam vel immediatè fluunt ſpiritus in nervos totius corporis, vel in parte huic proxima, & cum recta linea ad nervos tendant, patet ſi circulari, vel inordinato motu agitentur, recta linea non poſſe fluere ad nervos, niſi in parva quantitate, & ab imminuta quantitate ſpirituum ad nervos vacillat, & titubat corpus alterato equilibrio, quo muſculi inter ſe contra nitentes rectum, & ſtabile ſuſtinent corpus, & ſi ita minuatur per motum circularem ſpirituum eorumdem effluxus ad nervos, ut non ſufficiat ad ſuſtinendum corpus rectum, neceſſe eſt, ut cadat.

Ex his duo colligo primò, vertiginem non eſſe ſymptoma facultatis motricis, ex eo quòd in vertigine corpus vacillet, titubet, vel cadat, ſed talis motus depravatio, eſt quid conſequens ipſam vertiginem; pendet enim à circulari motu ſpirituum, ut mox dicebam, & circularis motus ſpirituum eſt cauſa immediata, & conjuncta vertiginis, & cùm per priùs ſit circularis motus ſpirituum, in quo conſiſtit vertigo, quàm titubatio, & caſus corporis, patet, vertiginem non eſſe ſymptoma facultatis motricis læſæ, dum vertigo eſt priùs, quàm ſit titubatio, & caſus corporis, ſymptomata facultatis motricis læſæ.

Secundò

Secundò in vertigine non adeſſe delirium, licèt videantur objecta viſibilia aliter, ac ſunt, dum videntur circumrotantia, cùm ſint immobilia, quia intellectus corrigit errorem (ſi talis appellari poteſt) ſenſus communis, mediantibus notitiis aliundè collectis, & per talem correctionem non adeſt delirium; ulteriùs delirium eſt in ea potentia, quæ affirmat, vel negat, ſenſus communis non affirmat, neque negat, ſed ſimpliciter apprehendit objecta, conſequenter in ſenſu communi non eſt delirium, & apprehendere objecta aliter, ac ſint, non affirmando, neque negando, quòd ſint talia, non eſt delirium; neque error eſt in ſenſu communi, quia hic apprehendit objecta qualia illi repræſentantur, & quia actio objecti externi ſenſibilis, cum motu unita, & impreſſa organo ſenſus Viſus, & traducta ad ſedem conſenſus communis, pervertitur, à ſua modificatione avellitur, & ad motum circularem determinatur, & actio conjuncta cum motu circulari, neceſſariò repræſentat objectum circulariter motum; patet etiam errorem non eſſe in ſenſu communi, quia hic apprehendit illam actionem objecti ſenſibilis, prout ei repræſentatur, cum motu circulari, ſed error eſt in inſtrumento, nempè in ſpiritibus animalibus circulariter motis, eo modo quo error eſt in perſpicillo rubro, quando cum hoc objectum album inſpicio, quòd rubrum repræſentatur, quia actio objecti viſibilis albi tranſiens per perſpicillum rubrum ita modificatur, ut valeat repræſentare objectum rubrum mutata illa modificatione, per quam naturaliter objectum album repræſentare debebat, & talis mutatio pariens errorem non dependet à ſenſu communi depravatæ agente, quia apprehendit objectum eo modo, quo illi repræſentatur: repræſentatur ei objectum ut rubrum, dum à perſpicillo rubro, ita modificatur actio, ſeu ſpecies viſibilis objecti, ut valeat ſolùm repræſentare objectum rubrum, ideò ſenſus communis apprehendit, prout illi repræſentatur, mediante perſpicillo rubro, ſed à medio alterante ſpecies viſibiles, nempè à perſpicillo; idem dicendum in vertigine, quòd ſenſus communis apprehendit objecta circumrotantia, quia ut talia illi repræſentantur per ſpiritus circulariter motos, ſpeciem viſibilem, ſeu actionem objecti cum motu conjunctam ad motum circularem ducentes. Addo ſenſum communem non poſſe falli à ſenſibus externis, qui ſincerè actionem objectorum externorum illi deferunt; nam objecta ſenſibilia agunt ex neceſſitate, quapropter ſuam actionem mutare non poſſunt, ſed talem, qualem habent organis ſenſuum externorum imprimunt, hæc ex neceſſitate recipiunt dictam actionem, neque hanc mutare, & alterare valent, quando ſunt diſpoſita juxta naturæ leges, idcircò talem, qualem ab objectis provenit, recipiunt. Pari neceſſitate hæc actio impreſſa organo ſenſus traducitur ad ſedem ſenſus communis, qui ex neceſſitate determinatur ad percipiendam talem actionem, & ad eliciendum actum ſenſus circa eam, nec ſenſus communis valet traductam actionem alterare, vel mutare, quare cùm tam objectum, quàm organum, quàm potentia ſenſitiva ex neceſſitate operentur, ac patiantur, nec poſſint alterare actionem, & paſſionem, neceſſe eſt, ut ſenſus ſit ſincerus, verus, & ſine errore, & ſi aliquando invenitur error, non debet hic refundi in organa ſenſuum, & in ſenſum communem, ſed in medium, quod verè valet alterare actionem objecti ſenſibilis, ut apparet in baculo aquæ immerſo, qui obliquus repræſentatur, cùm ſit rectus, quia actio, ſeu ſpecies viſibiles baculi tranſeundo à medio denſo, quale eſt aqua, ad medium rarum, quale eſt aer, refranguntur, & per refractionem odjectum obliquum neceſſariò repræſentatur, & ſenſus communis percipiendo baculum in aqua obliquum, non errat, ſed percipit taliter, qualiter ei repræſentatur, ſed error eſt in medio, & refractione actionis, ſeu ſpecierum objecti, & ſi ſenſus communis baculum in aqua rectum perciperet, Mathematicus eum redargueret, quia ex lege refractionis demonſtrabilis cogitur percipere obliquum, cùm talis per refractionem repræſentetur, & de ſenſuum veritate plura dicemus, ubi de Intellectu.

Pro explicando modo, quo fit vertigo, præter dicta ſuperiùs, addo, probabile eſſe circa ſedem ſenſus communis appetitus ſenſitivi, & medullæ oblongatæ eſſe ſpirituum animalium conſervatoria, & emporia, ab iſtiſque ad dictas ſedes expeditam eſſe viam, ut data neceſſitate actionum peragendarum ſpirituum auxilio ab iſtis potentiis præſto adſint, & à nullo impedimento detineantur, quod utique haberi non poteſt incluſis ſpiritibus in fibrulis à glandulis corticalis ſubſtantiæ cerebri derivatis, eiſdemque omnibus in medulla oblongata coarctatis, non videtur enim quomodo poſſit ſpiritus incluſus in fibris moveri pro potentiæ arbitrio, & neceſſitate. Præterquamquòd, cùm *ex Malpighio*, *Cerebri ſubſtantia non ſit niſi* iſtarum *fibrarum aggregatum*, & omnes ſpiritum animalem vehant, cùmque iſtæ fibræ in medulla oblongata adeò exigua reſpectu totius ſubſtantiæ cerebri, non poſſunt colligari, ſequitur neceſſitas, per quam illæ, quæ non concurrunt ad medullam oblongatam, in aliquo loco ſpiritus contentos deponant, alioquin citò diſrumperentur turgeſcentes, & dilatatæ à continuo fluxu ſpirituum à glandulis ad eas, ſtante continuo impulſu iſtorum in eas, à motu impulſivo membranarum cerebri: iſtæ reſpectu ſpirituum animalium in cerebro ſe habent, ſicut cor reſpectu ſanguinis, & ſicut cor continuo ſuo motu ſanguinem in arterias impellit, & ab eis exire cogit, & impedito exitu neceſſaria eſt vel diſruptio arteriarum, vel ſuffocatio motus in corde, ita non exeunte ſpiritu animali à fibris per motum membranarum, neceſſaria eſt diſruptio fibrarum, vel ſuffocatio motus membranarum, ne hæc ſuccedant mala ſpiritus animalis emporium ex neceſſitate conſervationis animalis oportebat conſtrui. Quod admiſit *D. Veiſo in ſua Anatome Cerebri*, *ſeu Nervologia Gallico idiomate conſcripta*, in circulo ovali cerebri, & in ſemicirculo albo. Hujus conſervatorii ſpirituum neceſſitatem cognoverunt Antiqui, quando determinarunt ventriculos cerebri eſſe ſedem elaborationis, & cuſtodiæ ſpirituum animalium.

Si conſtanter quis admitteret Malpighii ſententiam, poſſet ſibi perſuadere, ſpiritus animales in fibrulis cerebri in vorticem agi, licèt in anguſtis ſpatiis concludantur, cùm notum ſit à ſola circumgyratione corporis vertiginem oriri, & non alia de cauſa, niſi quia ſpiritus, motum corporis in gyrum acti ſuſcipiunt, licèt incluſi in anguſtis tubulis; vel poſſet æſtimare, motum membranarum cerebri ab aliquo extraneo alteratum inordinatè inæqualiter, cùmque impetu peragi, & eodem ſpiritus à membranarum motu in tubulos impelli, cum dictis conditionibus motu vorticali agitantur. Hac de cauſa à materia aliqua in ventriculo exiſtente nervos orificii ſuperioris iſtius, & ſpiritus contentos inordinatè movente, & agitante, tali motu moventur ſpiritus in principio nervi exiſtentes propè ſedem ſenſus communis; unde vertigo per conſenſum à ventriculo. Hac ratione poſſunt explicari omnes vertigines per conſenſum factæ vitio partium, cùm niſi nervis affectis, vel ſuis membranis emergant.

Cauſæ internæ vertiginis ſunt ſanguis calidus, & vaporoſus; calor eſt cum motu, & perturbato particularum ignearum, ideò poteſt etiam perturbatè agitare ſpiritus animales, & motu circulari perturbare, quod experiuntur aliqui, qui in loco calido diù commorantes, vertigine capiuntur.

Vaporoſus ſanguis vertiginem fovet, dum materiam copioſis flatibus ſubminiſtrat, qui motu inordinato ſpiritus agitantes, in gyrum etiam ducunt. Extraneum aliquod ſpiritui animali mixtum vertiginem parit, & hæc ratio, per quam fumus tabaci, fumus carbonum, vertigines excitant, quia ſunt extranei ſpiritui animali; extraneum unionem, & mixtionem cum ſpiritibus renuit, eſt etiam eiſdem ſpiritibus hoſtile hinc ſpirituum conatus ad hujus expulſionem, & quia hoſtis, & quia indolis diverſæ extraneum reſiſtit actioni ſpirituum, & ex iſta actione, & reſiſtentia oritur in ſpiritibus tumultus, à quo ad circumgyrationem determinantur. Inter humores eſt bilis in ſuis qualitatibus alterata, & præcipuè in acrimonia aucta, atra bilis, Serum urinoſum multiplici ſale activo impregnatum, quæ ſi ſpiritui animali miſceantur, perturbationes vertiginoſas pariunt. De ſanguine vertiginis cauſa locutus eſt *Hipp.* 2. *de morb. num.* 4. his verbis: *Vertigo verò cùm acervatus ad faciem proceſſerit ſanguis* (ponitur tamquam ſignum fluxus copioſi ſanguinis ad caput, ſangui-

nis ad faciem proceſſus, ideſt rubor faciei) vertiginem parit ſanguis ſuo calore, & halitibus modo dicto ſuperiùs, fuligines à capite continuò exeuntes, ſi harum exitus prohibeatur extraneum, hoc cumulant vertigini inducendæ idoneum; hac de cauſa aliqui in magnis frigoribus vertiginem patiuntur; ob retentas fuligines capitis ab obſtructis, & clauſis porroſitatibus cutis à frigore. Ad extraneum reducuntur etiam excrementa præternaturalia: A' pure vertiginem obſervavit *Zacutus lib.* 1. *Pract. cap.* 12. dum curata fuit à natura per excretionem puris ab aure, & *Schench. in ſuis obſer.* vertiginem pariter obſervavit curatam à pure exeunte ab alveolis dentium; & hanc cauſam extranei cum ſpiritibus commixti agnovit inter Antiquos *Horatius Augenius epiſt.* 4. *lib.* 10. Obſtructio in fibris Cerebri, quæ ſunt viæ ſpirituum ad nervos, vertiginem cauſat, dum ſpiritus impingendo in obſtructam porroſitatem retrocedunt, & movent ſpiritus retrò exiſtentes, cùm circumgyratione, ſivè obſtructio, ſivè preſſio ſit in fibris cerebri, ſivè in fibris circa reſervatorium ſpirituum, eo modo, quo Aqua fluminis, vel rivi in aliquod obſtaculum impingens vorticis in modum retrocedit, in multiplicatos circulos dilatata. De hac cauſa locutus eſt *Hipp. in lib. de rat. vict. com.* 4. Quapropter corrupto ſanguine, & nequeuntes ſpiritus naturales pertranſire meatus infrigidationes fiunt, ob ſtationem vertigines, aphoniæ, &c. ubi per corruptum ſanguinem poſſumus intelligere etiam humorem alienum à natura ſanguinis, & ſanguinem in vapores reſolutum; & hoc demonſtravit *Hipp. in lib. de affect. Dolores incidunt* (& loquitur de dolore capitis à pituita) *cùm in capite pituita mota cumulata fuerit, ſi verò alias, atque alias dolor, & vertigo in caput inciderit*. Et determinat pituitam eſſe cauſam doloris, & vertiginis, non eodem modo agendo, ſed diverſo, quatenus vellicat membranas doloris eſt cauſa, quatenus obſtruit, vertiginis, nec alio modo pituita iſtius cauſa eſſe poteſt; & *in lib.* 2. *de morb. n.* 15. à Sero in capite vertiginem fieri ſancivit; & cùm vertigo citò ſoleat cedere, materia obſtruens erit ſubtilis, & facile reſolubilis, vel Serum tenue, vel vapor, ſi verò diù duret, materia erit craſſior.

Cauſæ externæ ſunt circumgyratio corporis, quæ ſpiritus etiam circumgyrare facit, eo modo quo aqua in vaſe contenta ad iſtius circumgyrationem in gyrum movetur: aſpectus ab alto, tranſitus ſuper præcipitium, ob timorem quo ſpiritus turbantur, & ad motum circularem determinantur, hinc eſt, quod audaces, qui timorem neſciunt, & ebrii, qui pericula non cognoſcunt, ſuper præcipitia intrepido pede currunt: Ebrietas, & Crapula, ob vaporum quantitatem in tumultus ſpiritus cientem, vertiginem efficit; navigatio, vectio in curru vertiginem parit modo dicto de circumgyratione Corporis. Sanguinis motus in corde vacillans, & diminutus vertigini occaſionem præbet, quia ſpiritus animales, tamquam à ſuo principio pendent à ſpiritibus vitalibus, qui ſunt illorum materia; hinc iſtis diminutis, vel ſuppreſſis per motum ſanguinis in ventriculis cordis ſupradictum ſpiritus animales patiuntur, & motum ad nervos ſuſpendunt, & inordinatè, & cum tumultu in ſeipſos circumvolvuntur, cùm ſit proprium ſubſtantiæ, quæ pendet ab aliquo principio, regularem motum ſervare, quotieſcumque principium integrum conſervatur; illo verò deficiente motus irregularitatem concipere, hoc apertè patet in fumo candelæ extinctæ, quamdiù durat carbo in ellychnio, principium, à quo pendet fumus, hic virgulæ rectæ inſtar unitus recta linea aſcendit, ubi verò extinctus fuerit carbo, irregulariter hùc illùc diſcurrit, quod etiam advenit accenſæ lucernæ fumo, quando ita dilungatur à flamma, ut ab hac regi non poſſit; hac de cauſa vertigines ſolent antecedere animi deliquia, quæ à motu ſanguinis in corde alterato, & diminuto proveniunt, ſpirituum paucitas vertiginem excitat, dum per paucitatem tota maſſa ſpirituum debilis evadit, & à levi etiam cauſa ſpiritus agitante inordinatè turbantur cum tumultu, & circumgyratione, & hac de cauſa fiunt vertigines poſt copioſas hæmorrhogias in vehementibus animi paſſionibus, in inedia, quod docuit *Hipp. lib. de veter. medic. n.* 19. poſt violentos labores, immoderatum Veneris uſum, & poſt acutos morbos; hinc eſt etiam, quòd aliquæ mulieres ſatis delicatæ à ſtrepitu, quandoque etiam non vehementi, vertiginem experiantur.

Differentiæ, alia per eſſentiam cerebro primario affecto, quam *raram* dicit *Etmullerus*, & cum eo ſentiendum eſt, niſi fuerit diuturna, contumax, & ferè continua, prout aliquando Praxis demonſtrat; alia per conſenſum, quæ ab Antiquis explicabatur per vapores à partibus inferioribus elevatos ad caput, & ſpiritibus permixtos.

Vvilliſius in cap. de Vertig. hanc per conſenſum admittit, ſed excluſis vaporibus, & ingenioſiſſimè modum, quo fit vertigo per conſenſum à partibus inferioribus, explicat per hoc, quòd v. g. in Hypocondriis ſpiritus animales in nervis alicujus partis exiſtentes ab aliquo extraneo iſtis commixto, & accepto à partibus in Hypocondriis exiſtentibus perturbentur, agitentur, in tumultus adigantur, & hoc modo affecti ſurſum ad ſuum principium pergunt, & prædictas conditiones ſpiritibus in ſuo emporio exiſtentibus communicant, & iſtis perturbatis, & in tumultum adductis vertigo naſcitur. Alia eſt vertigo ſimplex, in qua objecta ſolùm circumgyrari videntur, alia tenebricoſa, in qua oculi velut cœcutiunt, cui ſemper adjungitur caſus corporis, & Scotomia ab Antiquis appellatur; hujus Cauſa ſuperiùs explicata fuit.

Signa diagnoſtica per ſe ſunt manifeſta; nam omnia in gyrum verti apparent, quod ab ægri relatione habetur, & de hac locutus *Hipp. in lib.* 2. *de morb.* 4.

Quoad prognoſtica, vertigo ſi recens eſt, & rarò invadat, eſt ſine periculo; ſi verò tenebricoſa, frequens, & diù duret, timenda eſt, & per hoc *Galenus* 6. *de ſanit. tuend. cap.* 12. & 3. *aphor.* 17. magnorum morborum prænunciam vertiginem determinat, ut Epilepſiæ, Apoplexiæ, Melancholiæ, & *Hipp. in Coacis* ſcripſit: *Quibuſcumque Cephalalgia, aurium tinnitus citra febrem, & tenebricoſa vertigo, & vocis tarditas, & manuum torpor, hos Apopleticos, vel Epilepticos fore expecta*.

Indicationes variæ ſunt pro varietate Cauſæ. Antequam verò has percurramus, de eis, quæ à paroxyſmo deducuntur, dicere recta methodus requirit. In hoc revellenda eſt materia vertiginis cauſa à Capite, & diſcutienda: pro revulſione faciunt frictiones ligaturæ infernarum partium, cucurbitulæ ſiccæ eiſdem partibus applicatæ; aliqui in forti vertigine venam ſecant, cujus neceſſitatem non video, niſi ubi copioſus abundat ſanguis, aut fervet; exceptis his caſibus, miſſio ſanguinis eſt contra rationem, quia per hanc non evacuatur materia vertiginem faciens, ſivè ſit vapor, ſivè extraneum; nam hæc ſunt extra maſſam ſanguinis, cùm ſint mixta ſpiritibus animalibus, ideòque per ſanguinis miſſionem ab eiſdem ſpriritibus ſeparari non poſſunt, quod dicendum de obſtructione, quæ eſt in porroſitatibus cerebri; nam ſanguinis miſſio non pervenit ad evacuationem materiæ in dictis porroſitatibus contentæ. Si à ſuppreſſa aliqua ſanguinis evacuatione ſolita per menſes, vel per hæmorroides mittendus ſanguis, evacuatur enim tunc materia, à qua pendet vertigo. Diſcutiunt vapores, & materiam vertiginem facientem *Oleum Majoranæ*, *Nucis moſchatæ*, *Balſamum Apopleticum*, *Aqua dicta Reginæ*, *Oleum Buxi*, ſi iſtis inungantur nares, tempora, ſuturæ capitis; *ſemen Urticæ* contuſum, & cum *Aceto* mixtum fronti ſæpiùs applicetur, *ſucco Betæ nigræ* tempora illiniantur, & aliqui habent hoc pro ſecreto ad fugandum citò vertiginis paroxyſmum.

Quoad præſervationem, ſi à ſanguine fervido, & æſtuante in capite vertigo oriatur, cùm ab æſtu, & fervore, quem cognoſcemus à rubore faciei ad atrum declinante, à calore magno, & vaſis turgidis capitis, ſanguis rarefiat multùm, itaut vaſa impleat, & diſtendat, & æmuletur plenitudinem à copia ſanguinis factam, hæc eſt minuenda, fervor ejus, & æſtus comprimendus, & alterantibus ejus calor, tenuitas, quæ ſunt fervoris, & æſtus fundamenta attemperanda, & ſpecificis caput corroborandum.

Pro prima indicatione videtur convenire ſanguinis miſſio, à qua fervor etiam, & æſtus ſanguinis reprimitur,

mitur, & primò à partibus inferioribus mittendus, & ſi vertigo non cedat, & plenitudinem particularem capitis cognoſcamus, à vena etiam frontis reiteranda, vel à venis narium cum hirudinibus *& alibi* ad *Hipp.* exemplum *lib. de affect. num.* 2. Aliqui *arteriotomiam* circa aures commendant, inter quos *Paulus lib.* 3. *c.* 12. *& lib.* 6. *c.* 4. & iſtius remedii mentionem fecit *Galenus* 3. *de locis aff. cap.* 8. ubi aſſerit, ab hoc remedio aliquos à vertigine ſanatos fuiſſe; addit tamen *non omnes*, quia præter arterias iſtas externas, quæ ſecantur, adſunt internæ ex ipſius cerebri baſi per retiformem plexum aſcendentes, & ſi ab iſtis internis deferatur materia pro vertigine, non cenſet utilem eſſe ſectionem arteriæ externæ, utpote inhabilem ad evacuandam materiam ab internis delatam, quæ ratio, ut verum fatear, mihi videtur inanis, ob connexionem, quam habent arteriæ externæ cum internis, per quam ſecta externa poteſt evacuari materia etiam ab interna deducta, quapropter arteriotomia poteſt inſtitui, ſed ſervato *Plateri* conſilio, *omnibus prius tentatis remediis, & cum certitudine ſanguinis ſpiritoſi peccantis.*

Purgationem, quam eradicativam dicimus, convenire non puto, quia ſauguis ſpiritoſus fervens æſtuans purgantia non exigit, nec iſta ſunt propria ad moderandas dictas qualitates ſanguinis: aliquod leniens pro detergendo ventriculo, & inteſtinis ab excrementis neceſſarium puto, ne vaporationibus ab his elevatis vertiginem foveant, & pro minoranda bile in Cyſtifellis, & ſucco pancreatico, ne quantitate, & immoderata effervefceutia turbationi ſpirituum auxilia tribuant. Leniens erit ex *Caſſia, Manna, Cremore Tartari, Syrupo. & Melle roſato ſolutivo, Electuario lenitivo, & Diacatholicone.*

Sanguinis fervor, & æſtus moderabitur refrigerantibus, *Nymphæa, Nenuphare, Soncho, Lactuca, Portulaca, Plantagine*; ex his parentur decocta, vel aquæ ſtillaticiæ, quibus addantur ſemper acida, quæ maximam vim habent in moderando ſanguinis æſtu, ut *Siritus Vitrioli, Salis marini, ſuccus Limonum, Granatorum*, vel *Sal. Prunellæ*; poſſumus etiam uti *Sero Caprino diſtillato*, emulſionibus *ſeminum Melonum, & Papaveris, Tinctura Roſarum, & Santalorum ad* ℥. 4. *vel* 5. per duas vices omni die aſſumpta, eſt efficax; ante alterantia poſſumus etiam exhibere *Species trium Santalorum, Diamargaritonis frigidi, Diaplantaginis ad* ℨ. 1.

Per uſum decem dierum alterantium, ſi ſedatus fuerit ſanguinis æſtus, poteſt exhiberi madicamentum purgans eradicativum, non quia ſanguini fervido, & æſtuoſo conveniat, ſed quia in æſtu, & fervore multæ particulæ ſanguinis aduruntur, quæ in moderatione fervoris, ab alterantibus peracta, ſeparantur à conſortio aliarum partium utilium, & ne de novo ſanguini miſceantur cum periculo majoris fervoris, & æſtus, purgationis neceſſitatem indicant. Inſtituatur purgatio cum infuſione *Rhabarbari*, addito *Syrupo roſato ſolutivo*, vel cum potione magiſtrali, ex *Manna*, vel cum *Pilulis cum Rhabarbaro*, vel cum *Extracto Rhabarbari*, commixto cum *Caſſia*, vel cum *Electuario Lenitivo*. Si iſtis addamus uſum aquarum acidularum, & Balnei aquæ dulcis ſuis temporibus, ultimam manum dabunt moderationi fervoris ſanguinis. Extrinſecus adhibenda ea omnia, quæ diximus de Vigiliis. Diœta ſit ejuſdem conditionis, nempè cum alimentis refrigerantibus, & vino abſtineat æger, cum acidis alimenta condiantur.

Si à ſanguine vaporoſo, cognoſcetur ex capitis dolore, & gravitate, aurium diuturno tinnitu, ſenſuum externorum quadam læſione, ex levi occaſione corripit, & diù durat vertigo. Ex quo habemus evacuandam eſſe materiam exiſtentem in ſanguine, à qua ſubminiſtratur materia pro vaporibus, & eſt Serum, & Pituita (nam ſit vaporoſum ob fervorem, & æſtum, attendenda ſigna mox ſuperiùs deſcripta) & quia iſtorum humorum redundantia ab intemperie dicta frigida, & humida naſcitur, hæc corrigenda, & reſiduus humor à purgatione, vel per urinam, per ſudorem evacuandus. Per nares etiam iſtorum eductionem tentat *Hipp. lib. de affect. cit. num.* 2. *Sternutatione, loto prius capite aqua calida*, ut humor fluxibilis fiat,

Venæ ſectionem locum non habere, peccantis humoris conditio perſuadere videtur; ſunt humores alieni à natura ſanguinis, licèt ſanguini mixti, & quibus convenit propriè purgatio, non ſanguinis miſſio. *Hipp.* tamen *loco ſuperiùs cit. de affect.* ſanguinis miſſionem ait eſſe proficuam *è venis narium, & frontis, & ſi diù duret, caput ſcarificat, & venas in circuitu inurit*, & loquitur de vertigine *à pituita*; hæc in capite cumulata, ut ait *Hipp.* impedimentum ponit motui ſanguinis liberè per caput, unde aliqua portio iſtius ſtagnat, & plenitudo aliqua in vaſis cerebri oritur, ad quam demendam ſanguinem mittit; hoc extracto ſanguis liberè circulatur, & ſtagnatio impeditur, & ne copia ſanguinis fluat ad caput, venas, ſeu potiùs arterias circum caput inurit.

Purgatio aggredienda in principio, leniens primò exhibendum cum *Mel. roſat. ſol. cum Manna, Cremore Tartari, Pilulis de Agarico*, cum mixtione *Magiſteri Jalappæ*, vel *Mecheocani*, valet & *Confectio Diacarthami*.

Intemperiei frigidæ occurret omnia Cephalica, *Roſmarinus, Pulegium, Origanum, Salvia, Calendula, Serpillum*, ex quibus poterunt parari & decocta, & aquæ, addendo aliquas guttas *Olei Buxi*, vel præmittendo *Bolum ex Caſtoreo*, cum *Oleo Buxi, Species aromatici roſati, Diambræ, Mitridatum, cum Confectione Alchermes, Theriaca dicta Hippocratis*, de qua infra, poſſunt exhiberi.

Poſt octo, vel decem dies ab uſu alterantium, placet cum Etmullero purgatio cum *Pilulis de Succino Cratonis*, addito *Extracto Colloquintidis*, vel cum *Pilula Maſticina*, addito *Extracto Hellebori nigri*, vel infuſione *Agarici, & Turbit. cum Melle roſat. ſol. & Syrupo de Polypodio ſolutivo*.

Per urinam humorem ſeroſum evacuabimus decocto *radicis Virgæ aureæ, Ononidis, Aſparagorum, cum foliis Parietariæ, Alchechengi ad libram unam* exhibito, præmiſſo *Bolo ex Terebenthina, & ſeminibus Lappæ* ſimul mixtis, decoctio *ligni Nephritici*.

Per ſudorem purgabimus prædictos humores ſenſibiliter decocto *ligni Sancti, Saſſafras, Viſciquercini*, additis herbis Cephalicis promovendo ſudorem, cum *Cornu Cervi philoſophico*, & ſi non ſuccedat, cum lagenis aqua calida plenis, lateribus, & pedibus in lecto admotis inſenſibiliter.

Per vias ſudoris evacuabimus humorem, cum *gr.* 40. *pul. Viperini, rad. Lappæ maj.* ℨ. ß. *cum decoct. Petaſitidis, vel cum Cornu Cervi philoſoph.* ℈. 2. *cum* ℈. 1. *Antim. Diaphor.* Si vapores ab æſtuante ſanguine proficiſcantur, huic applicanda cura ſupradicta de ſanguinis æſtu. Diœta ſit calefaciens in vertigine à Sero, & pituita, vitentur omnia alimenta craſſi ſucci, & humido plena, vinum generoſum, quia vaporoſum valdè.

Si ab extraneo ſanguini admixto oriatur vertigo, eam cognoſcemus, ſi nulla adſit læſio partium inferiorum, ſi ſit vehemens, ſi per aliquod tempus extendatur: ſi hoc extraneum fuerit calidum, & acre, aderunt ſigna ſuperiùs propoſita de ſanguine fervido, & tunc à ſpiritu animali ejiciendum; purgandus eſt humor, qui ſpiritui animali tamquam quid extraneum miſcetur, quòd ut plurimùm eſt bilis, & atra bilis, quæ cùm à calida intemperie proficiſcantur, hæc auferenda, & in hunc finem conveniunt remedia dicta ſuperiùs de ſanguine fervido, & æſtuante. Si verò ab acido irritamentum donetur, manifeſtato à temperamento melancholico, & à ſignis hujus redundantiam indicantibus, ut errata in alimentis acidis, tempus anni frigidum, animi paſſiones, intenſum ſtudium, & applicatio, hoc educendum melanagogis, & oppugnandum aromaticis cœphalicis calidis, & volatilibus, & alkalicis ſpiritoſis volatilibus, ut *Spir. Fuliginis, Cornu Cervi*, & aliis ejuſdem naturæ deſcriptis de Comate, imbibentia acidum cruſtacea, & terracea ad caput non perveniunt. Hoc extraneo diſſipato, motus etiam membranarum ſedatur, & ſpiritus. Diœta in bile peccante, ſit eadem præſcripta in vertigine à fervore ſanguinis, acido dominante, alimenta aromatibus condiantur, vina facilè aceſcentia dimittantur, ſicut omnia acida.

Obſtructio eſt ultima cauſa recenſita vertiginis, quam diſtinguimus à diuturnitate vertiginis; nulla enim magis diuturna, quàm quæ ab obſtructione multiplici fibrarum cerebri ab humor[illegible] ec eſt etiam periculoſior, quia e[illegible] cùm obſtructio poſſit

ſucce-

ſuccedere etiam in principiis nervorum ; & quia talis obſtructio ſupponit humorem redundantem, fibras cerebri obſtruentem, vel prementem, vel reſervatorium ſpirituum eadem preſſione vitiantem, ideò conveniunt remedia ſuperiùs dicta de ſanguine vaporoſo pituitoſo,ſeu potius ſeroſo, quibus addenda ſpiritoſa volatilia, quæ impetum faciunt in humorem obſtruentem : hujus generis ſunt *Spiritus volatilis*, *Cornu Cervi*, *Fuliginis*, *Succini*, *Spiritus Salis Armoniaci*; ratione etiam talis obſtructionis, poſſumus uti *Syrupo Chalybeato Vvilliſii*, vel *Tinctura Chalybis*, quibus duobus remediis cum utilitate uſum fuiſſe, idem teſtatur cum *Aqua Cœphalica*, quam deſcribit ; Sudorifica, etiam præcipuè proderunt.

Capiti fomenta applicentur, pro quo valet *Lixivium factum ex cineribus Juniperi*, *& Lauri*, cum pari quantitate aquæ, & vini, & in hoc bulliant herbæ Cœphalicæ, & continuò caput fomentetur. Sternutatio etiam cum Errhynis *ex Helleboro albo*, *radice Cyclaminis*, *Ireos*, *& pulvere Betonicæ*, utilitati erit, maximè præmiſſis univerſalibus, à tali enim motu poteſt humor obſtruens, vel premens expelli, & ſi ab aliquibus reprobantur Errhyna, intelligendi ſunt de iſtis ante materiæ purgationem, non poſt purgationem, & univerſalem, & particularem capitis; maſticatoria etiam proſunt. Pro Diœta, fugienda omnia alimenta craſſi ſucci, & omnia humida ſeroſitatem congregantia in copia.

Specifica, in omni cauſa adhiberi poſſunt : in horum genere ſunt *herba Cherefolii*, & hujus *ſemen*, vel in decoctione, vel iſtorum eſſentia ; *Nymphæa alba*, *eſſentia florum Anthos*, *ſemen Carvi* cum vino diſtillatum, *Carpobalſamum* cum *aqua Cherefolii* diſſolutum, *Stercus Pavonis exſiccatum ad* ℥. 1. facta priùs infuſione per noctem in vino, quo percolato manè exhibetur. *Etmullerus* laudat hunc pulverem : ℞. *Stercoris Pavonis* ℥. 2. *Radicis Peoniæ Maris* ℥. 1. *Pulveris Caryophilorum* ℨ. 3. ß. & bis quotidie larga doſi ſumatur, manè jejuno ſtomacho, & per duas horas ante cœnam. *Radix Doronici auſtriaci* à Funambulis prædicatur, cujus uſu contra vertiginem ſe munire dicunt, hanc collo ſuſpenſam deferendo, & etiam interpolatim ſugendo; ſicut etiam ex uſu *Pulveris Sciuri* in furno exſiccati, *Theriaca Hippocratis*, cujus deſcriptio apud *Soleand.* habetur *conſilio* 2. *ſect.* 1.

℞. *Succi Abſynthii*, *Succi Marrubii*,)
Succi Stecados, *Maſticis*, *Rhei*,) *a.* ℨ. 3.
Chamædrios, *Chamæpytios*)
Hyſſopi ℨ. 1.
Agarici Boni ad pond. omn. Pul. omn. ſubtil.

Excipiantur Melle cocto, detur manè *à* ℨ. 2. ad 4. in decoct. *Stecad. Cinab. nat. & Antim.* egregia ſunt, & miſcetur cum aliis ſpecificis, nempè cum *pul. Pavon.* & aliis ſuperiùs dictis, ſuperbibendo aquam cœphalicam, antiepilepticam, & antiopleticam, vel *Aq. Cherefolii*, cum *ſpir. Cornu Cervi ſuccin. Bombyces exſiccati*, *& in pulverem redacti*, & hoc pulvere totum caput inſpergatur. Vertigo per conſenſum curabitur, curata parte malè affecta.

CAP. IX.

De Symptomaptibus Imaginationis, & Phantaſiæ. De Iſtorum Natura, & primò de Phantaſmate.

HActenus de Symptomatibus Senſus communis actum eſt, ab his tranſeundum ad explicanda Symptomata Imaginationis, & Phantaſiæ, ſi quæ ſunt, & Intellectus. Priùs tamen harum facultatum natura, modus operandi perſcrutandus, ut rectè poſteà eorum vitia apprehendamus.

Præmittendum tamen eamdem potentiam ſenſitivam pro diverſitate functionum, quibus præſidet, diverſa ſortiri nomina : quatenus agit percipiendo affectiones ſenſuum externorum, & circa has actum ſenſus eliciendo, dicitur *Senſus communis*; quatenus ſuarum perceptionum, & actionum ideam, & ſpeciem conſervat ſub nomine phantaſmatis, dicitur *Imaginatio* ; quatenus affectionem ſenſus externi perceptam, iterum percipit, abſente objecto dependenter à phantaſmate, dicitur *Memoria* ; quatenus phantaſmata componit, conjungit, colligit, dividit, ordinat, dicitur *Phantaſia*, ab aliis *Aeſtimativa*.

Cùm dictæ duæ facultates phantaſmatibus utantur in ſuis actionibus, notitiæ iſtorum neceſſitas apparet, ideò de iſtis aliqua prælibanda. Manifeſtum eſt, Animal recordari de objecto aliàs per ſenſus externos percepto, & tunc abſente ; talis recordatio ab aliquo principio dependet; nam homo recordatur de objecto aliàs percepto, & abſente ad ſui beneplacitum, & quando vult, neceſſe eſt ergo, ut adſit aliquod in homine, & in ejus cerebro ; quod ad imperium voluntatis excitetur, & ſit repræſentativum objecti abſentis aliàs percepti ; alio enim modo non poteſt homo recordari de objecto abſente aliàs percepto per ſenſus : hoc principium dicitur Phantaſma, quod ab *Ariſtotele* 3. *de Anima Tex.* 39. definitur : *Similitudo ſenſibilium differens à ſenſibilibus, quia hæc cum materia ſenſibili uniuntur, phantaſma ſine materia ſenſibili*. Per hanc ſimilitudinem, quàm habet phantaſma cum objecto ſenſibili, dicitur Imago, Idea, repræſentativum objecti ſenſibilis, eo modo, quo homo pictus, ob ſimilitudinem, quam habet cum homine vivo, dicitur Imago, Idea, & repræſentatio illius. Per phantaſma, quòd eſt imago objecti ſenſibilis, dicitur objectum eſſe in imaginatione objectivè, quia ejus imago eſt in hac potentia.

Pro explicanda hac ſimilitudine neceſſe eſt recolligere, quæ diximus de Senſu in genere, nempè actionem objecti ſenſibilis organo ſenſus externi impreſſam, & traductam ad ſedem ſenſus communis per motum conjunctum cum tali determinata mutatione, & modificatione fibrarum nervearum, & ſpirituum animalium non ſiſtere in ſede ſenſus communis, ſed per motum iſtius dictam affectionem imprimi in fibra cerebri circumdante ſedem ſenſus communis, cum tali modificatione dictæ fibræ ſimili illi, qua modificatæ fuerunt fibræ nerveæ ab actione objecti externi ; quapropter ſi hæc fibra tali modificatione inſtructa, vel caſu, vel imperio voluntatis mota impingat in ſedem ſenſus communis, eodem motu, & omninò ſimili illi, à quo mota fuit ſedes ſenſus communis ab affectione organi ſenſus externi ad eam traducta movebit, itaut motus impreſſus ſedi ſenſus communis ab affectione organi ſenſus externi huic impreſſa, ab actione objecti externi ſit omninò ſimilis motui fibræ modificatæ, à quo movetur ſedes ſenſus communis ; & ſicuti per motum affectionis traductæ à ſenſu externo ad ſedem ſenſus communis, hic percipit objectum, quale repræſentatur per dictum motum, ita à motu fibræ omninò ſimili iſti impreſſo ſedi ſenſus communis, debet hic percipere idem objectum, & circa hoc elicere actum ſenſus; unde colligitur, ſimilitudinem phantaſmatis cum objecto ſenſibili conſiſtere in ſimilitudine actionis motus, & in ſimilitudine modificationis fibrarum nervearum, & cerebri.

Alii cenſuerunt, imaginationi eſſe vim inſitam efformandi ideas objectorum à ſenſu communi perceptorum, quæ ſint repræſentativæ eorumdem objectorum, haſque ideas remanere in ipſa imaginatione tamquam actus immanentes, itaut poſſit dici Ideam nil aliud eſſe, niſi actus ſenſus communis, quibus percepit objecta ſenſibilia, qui actus ſunt immanentes in potentia ſenſitiva, & ſunt repræſentativi eorumdem objectorum, & quotieſcumque iſti actus immanentes, vel ideæ excitantur, vel ad actum ſecundum revocantur, repræſentant objecta ſenſibilia aliàs percepta, & tunc dicitur Imaginatio ; iſti actus immanentes dicuntur remanere in potentia ſenſitiva tamquam circumvoluti, per noſtrum modum intelligendi, & ad imperium voluntatis, vel quandoque etiam caſu explicari, & in iſta explicatione, quæ non eſt niſi ideæ motus, ſeu repræſentatio iſtius imaginationi, conſiſtere recordationem, & memoriam objecti abſentis aliàs percepti, ſuſtinent.

Hæc ſententia videtur probabilior, ſed noſtro intellectu, rebus materialibus aſſueto, minùs accommodata pro intelligentia eorum ſpectantium ad imaginationem ; altera verò Recentiorum, quia re materiali utitur ad explicandum phantaſma, faciliùs à noſtro intellectu percipitur, & per eam etiam faciliùs intelligimus, & explicamus ea omnia, quæ de imaginatione quæruntur ; utraque enim ſententia in hoc convenit, quòd debet dari phantaſma, & quòd phantaſma ſit repræſentativum, & imago objecti, ſive hoc phantaſma ſit fibra cerebri modificata, ſive ſit actus ſenſus elicitus à potentia ſenſitiva circa

circa objectum, ſenſibile, & ejus actionem immanens in dicta potentia ſenſitiva, ſeu idea ipſius objecti, parùm refert.

Ex his patet, ſed phantaſmatum eſſe circa ſedem ſenſus communis, nempè circa plexum Choroidem, vel circa medullam oblongatam; quia ſi ſedes ſenſus communis debet modificare fibras cerebri motu ab actione objecti ſenſibilis ad eam traducta, & fibra cerebri modificata debet movere ſedem ſenſus communis, neceſſe eſt, quòd talis fibra ſit circa ſedem ſenſus communis; quapropter deducendum etiam eſt, ſedem omnium affectuum, quibus læditur ſenſus communis, eſſe eam cerebri partem, quæ plexum Choroidem circumdat, vel medullam oblongatam.

Finis intentus à natura in phantaſmatum conſtitutione, eſt pro memoria eorum, quæ per ſenſus externos percepimus, & pro operatione potentiæ intellectivæ, quæ ſempre circa phantaſmata ſenſibilium verſatur, cùm verum ſit *Ariſtotelis* Axioma: *Nil eſt in Intellectu, quòd prius non fuerit in Senſu*; per phantaſmata ſcientias, & artes addiſcimus, niſi enim phantaſma elaboretur in cerebro repræſentativum eorum, quæ à Præceptore addiſcimus, vel oculis in ſcriptis legimus, & niſi hæc phantaſmata remanerent in cerebro, ut nobis repræſentarent ea, quæ percepimus, & legimus, memoriam de iſtis excitando nihil ſciremus de auditis, & lectis, & ita nec ſcientiæ, nec artes acquiri poſſent, cùm veriſſimum ſit, ea ſolùm nos ſcire, quæ memoriæ mandamus; quæ enim aliàs percepimus, & ampliùs eorum non recordamur, idem eſt, ſi non præcepta fuerint.

Negotiis politicis, œconomicis, & militaribus pertractandis, & perficiendis præteritorum memoria feliciter ſervit, ſicut etiam in civili ſocietate conſervanda in commerciis proſequendis memoria utimur, & cùm hæc à phantaſmate eſſentialiter dependeat, iſtius neceſſitas, & finis apparet. Phantaſma operatur quotieſcumque fibra modificata modo ſuperiùs dicto, movetur in ſedem ſenſus communis, & hanc movet, & movendo determinat ſenſum communem, ſeu potentiam ſenſitivam ad eliciendum actum ſenſus, nec omnis motus fibræ eſt determinativus ſenſus communis, ſed ſolùm motus fibræ modificatæ, cùm prout talis eſt, evadit repræſentativus objecti ſenſibilis, ut explicatum eſt; quapropter fibra, quæ non eſt modificata, non eſt determinativa ſenſus communis ad percipiendum aliquod objectum ſenſibile, licèt mota ſedem ſenſus communis moveat.

Excitatur phantaſma voluntatis imperio, vel à ſpiritu animali in continuo motu exiſtente, vel ab halitu in cerebro elevato, vel aliundè ad cerebrum tranſmiſſo. Ab his deducitur ratio, per quam explicatur continua imaginationis operatio, cùm hæc numquam quieſcat, quia à motu continuo ſpirituum animalium per ſedem phantaſmatum ſemper aliquod phantaſma excitatur, ad cujus apprehenſionem imaginatio determinatur, vapores, & halitus, qui ferè ſunt in cerebro continui, idem præſtant. Ab excitatione etiam unius phantaſmatis aliud excitatur connexionem cum priori habens, eò quia ſimul impreſſa fuerint contigua, & in eadem fibra, eò quia, eodem tempore objecta illis correſpondentia percepta fuerunt à ſenſu communi; ut quando video talem hominem album, tali habitu veſtitum, ambulantem, imprimitur phantaſma in fibris cerebri repræſentans hominem talem, aliud repræſentans album, aliud repræſentans tali veſtitu, aliud repræſentans motum ambulationis. Iſta phantaſmata imprimuntur in una fibra, & imprimuntur contigua, unde ad excitationem phantaſmatis repræſentantis talem hominem, excitatur phantaſma albi, veſtitus, & motus, & ſi phantaſmata ſunt diſparata; cum ordine tamen inculcata, & impreſſa ad excitationem primi phantaſmatis omnia alia phantaſmata excitantur, cum eo ordine, cum quo fuerunt impreſſa, ut patet in oratione memoriæ mandata, in qua per multiplices, & iteratas repetitiones ſit ordinata, & fixa impreſſio phantaſmatum correſpondentium verbis, quibus texitur oratio, unde primo phantaſmati primi verbi correſpondenti, cœtera cum ordine, quo fuerunt impreſſa, & illo excitato, cœtera excitantur, & illo non excitato, cœtera immota manent, & deficit dicendorum memoria.

Cauſa motus fibræ, eſt ſpiritus animalis à voluntate determinatus ad illam fibram, in qua impreſſa ſunt dicta phantaſmata, orationem totam repræſentantia. Ab eadem voluntate motus dictorum ſpirituum moderatur, itaut paulatim, & ſucceſſivè fibram moveant, unde ex iſtorum motu ita moderato, ſucceſſivè partes fibræ moventur, & ſucceſſivè phantaſmata in illa impreſſa excitantur, cum eo ordine, quo fuerunt impreſſa: motum ſpirituum coadjuvat facilitas, & agilitas fibræ ad motionem diſpoſita à multiplici, & reiterata repetitione orationis, & ab hac agilitate, & facilitate ad motum fibræ poteſt provenire excitatio phantaſmatum cum ordine; nam motus, quo movetur pars fibræ, in qua impreſſum fuit phantaſma primi verbi, ſucceſſivè per totam fibram dilatatur, excitando phantaſmata in ea contenta regulato motu à voluntate, quæ omnis motus voluntarii eſt determinativa, & moderativa, ut lentè, & placidè per fibram extendatur, conceſſo temporis ſpatio momenteneo proferendi verbum per phantaſma repræſentatum, antequam cœtera excitentur; & puto contingere in fibra prædicta illud, quod contingit in baculo, quo in una extremitate moto, motus ille ad alteram extremitatem traducitur, cum hac ſolùm differentia, quòd hic in momento temporis ab una extremitate ad alterâm tranſit, quia non adeſt moderans, vel regulans talem motum, ut placidè, lentè, & ad tempus tranſeat ab una extremitate ad alteram, quomodo adeſt in fibra; idem effectus etiam apparet in aqua, in qua ſaxum injicimus, à motu ſaxi movetur aqua, ſupra quam cadit, hæc movet partem aquę ſibi proximiorem, hæc mota movet aliam, & ſic deinceps, ut nobis liceat obſervare, aquam per multiplicatos, ſucceſſivos, & placidè ſe moventes circulos ad multum ſpatium motum aquæ impreſſum à ſaxo extendi, itaut ſi cuilibet portioni aquæ motæ eſſet impreſſum aliquod, hoc moveretur, & excitaretur; ex qua ſimilitudine mihi videtur repræſentari modus, quo fibra mota in principio, ubi primum phantaſma eſt impreſſum, moveatur uſque ad finem, in quo imprimitur ultimum phantaſma, cum excitatione omnium phantaſmatum in ea impreſſorum, ſucceſſivè, & cùm ordine, cum quo impreſſa fuerunt.

Quo phantaſma excitatum validius movetur in ſedem ſenſus communis, clarior etiam eſt repræſentatio objecti, ſi motus parvus, & debilis, confuſa evadit objecti repræſentatio, quæ confuſam iſtius cognitionem parit. Tantæ virtutis tamen eſt mens hominis, ut valeat diſtinctè cognoſcere, ſi velit, quod confusè per phantaſma confuſum cognovit, ut agendo de Intellectu demonſtrabitur; ab hac clara, & diſtincta cognitione mentis circa phantaſma confuſum illuſtratur phantaſma. Hoc eſt, ſit repræſentativum objecti clarè, & diſtinctè; ab hac enim cognitione mentis clara ſua virtute acquiſita de phantaſmate confusè repræſentante illud, cujus eſt phantaſma, ſedes ſenſus communis determinatur ad magnum motum in eam partem fibræ cerebri, in qua impreſſum erat phantaſma, confusè repræſentans ſuum objectum, & à magnitudine talis motus impreſſio in fibram, quæ hanc modificat, & in qua conſiſtit phantaſma altius, & diſtinctius figitur; quapropter quotieſcumque fibra modificata tali modo movebitur in ſedem ſenſus communis, validiori motu eam pulſabit, & diſtinctam repræſentationem objecti exhibebit, & hoc eſt phantaſma illuſtrare.

Definitur Imaginatio *ab Ariſtotele 2. de Anima Tex.* 101. *Motus, quo Anima movetur à ſenſu in actu*. Hæc definitio deridetur à Recentioribus tamquam ridicula, ex eo quòd ſit magis obſcura, quàm ipſa imaginationis natura; ſed ſi attentè conſiderentur ejus verba, clarè exprimit naturam, & eſſentiam imaginationis. Nam *Senſus in actu* eſt ſenſus communis operans, cùm ſenſus in actu nil aliud importet, quàm exercitium actuale potentiæ ſenſitivæ, quæ eſt in ſenſu communi, & omnis ſenſus pendet ab exercitio hujus potentiæ, ut dictum eſt de Senſu in communi; hujus potentiæ exercitium duplex eſt, unum, per quod verſatur circa actionem objecti ſenſibilis organo ſenſus externi impreſſam, & traductam ad ſedem ſenſus communis, modo pariter in cit. loco explicato, & tale exercitium potentiæ ſenſitivæ dicitur Senſus; alterum exercitium potentiæ ſenſitivæ eſt, quando ſedes ſenſus communis mota ab actione objecti externi ad eam traducta impingit in

aliquam

aliquam fibram cerebri ei vicinam, & eam tali motu modificat, ut ſit repræſentativa ejuſdem objecti, à quo provenit prima actio, ut ſuperiùs dictum eſt de phantaſmate; de primo exercitio, in quo verè ſenſus dicitur in actu, quia potentia ſenſitiva elicit actum ſenſus, non loquitur Ariſtoteles, quia tale exercitium exprimit ſolùm ſenſum objecti externi, non imaginationem, loquitur ergo de exercitio ſenſus ſecundo, nempè de phantaſmate, quod à potentia ſenſitiva in actu imprimitur in fibris cerebri, unde quando dicit, quòd imaginatio *eſt motus à ſenſu in actu*, idem eſt, ac diceret, eſt motus phantaſmatis, à quo Anima movetur. A motu enim phantaſmatis Anima movetur ad conſiderandum illud objectum, quòd per tale phantaſma repræſentatur: Anima hoc conſiderans dicitur Imaginatio, &. Anima, cùm ad exercitium potentiæ imaginativæ, & intellectivæ ſit potentia indifferens, cùm poſſit hoc, vel illud objectum imaginari, vel intelligere, patet indigere determinativo ad hoc, ut moveatur ad imaginationem, vel ad intellectionem: determinativum ad imaginationem eſt phantaſma, quo excitato, & moto determinatur Anima ad apprehenſionem objecti repræſentati per phantaſma; & hinc patet, motum phantaſmatis movere Animam, hoc eſt Animam determinare ad apprehenſionem objecti per motum phantaſmatis repræſentati. Ab hac explicatione patet, prædictam definitionem explicare naturam Imaginationis, quæ conſiſtit in apprehenſione objecti aliàs percepti, & tunc abſentis; ſicuti enim objectum præſens determinavit potentiam ſenſitivam ad eliciendum actum ſenſus, ita phantaſma ab eo relictum, in cerebro motum determinat potentiam ſenſitivam ad eliciendum novum actum ſenſus circa illud, & talis actus ſenſus, objecto abſente, dicitur Imaginatio, & de objectò præſenti, dicitur Senſus, & comparata hac definitione hoc modo explicata, cum ea Recentiorum, videbimus, nihil ſuper hanc addere; definiunt enim Imaginationem per *Applicationem facultatis cognoſcitivæ ad corpus ipſi intimè præſens*. Corpus, quòd eſt intimè præſens potentiæ cognoſcitivæ, certè quòd non eſt corpus materiale ſenſibile mediantibus ſenſibus à potentia ſenſitiva perceptum, quia hoc non eſt intimè præſens potentiæ cognoſcitivæ, ſed ſolùm huic intimè eſt præſens imago, ſpecies, Idea hujus objecti, quæ aliud non ſunt niſi phantaſma. Quando ergo dicunt Recentiores, *potentiam cognoſcitivam applicari corporis intimè ei præſenti*, dicunt potentiam cognoſcitivam applicari phantaſmati, & quia potentia cognoſcitiva eſt indifferens, neceſſe eſt, ut fateantur, ad hanc applicationem determinari à phantaſmate; per *potentiam* verò *cognoſcitivam* non poſſunt intelligere potentiam cognoſcitivam intellectivam, quæ judicat affirmando, vel negando, quia hæc eſt Intellectus, non imaginatio; unde per potentiam cognoſcitivam poſſunt intelligere ſolùm primam operationem potentiæ intellectivæ, quæ eſt ſimplex apprehenſio, ſine affirmatione, vel negatione, quæ eſt etiam propria facultatis imaginatricis in ſola apprehenſione objecti repræſentati ſiſtentis, nihil de eo affirmando, vel negando, & hæc omnia conveniunt cum tradita explicatione definitionis Ariſtotelis, & manifeſtum faciunt Ariſtotelicam definitionem explicare naturam, & eſſentiam imaginationis.

Phantaſia eſt *Potentia ſenſitiva aliquod operans circa phantaſmata, præter ſimplicem apprehenſionem*; ex quo patet, phantaſiam convenire cum imaginatione, quia apprehendit objecta externa abſentia repræſentata per phantaſmata differts, qnia præter ſimplicem apprehenſionem aliquid aliud operatur circà phantaſmata. Operatio in hoc conſiſtit, quòd phantaſmata componit, conjungit, colligit, dividit, ordinat: Componit, quando unum, vel alterum, vel plura ſimul unit, non ſolùm convenientia inter ſe, ſed etiam diſparata, & quorum unio ex natura objectorum repræſentatorum eſt impoſſibilis, ut eſt compoſitio Chimæræ, Hircocervi; per iſtam compoſitionem phantaſmatum plura ſibi effingit objecta phantaſia, & circa hæc Intellectus varias elicit operationes, & ſpeculando multa deducit, ſed in particulari, quæ multas cognitiones pariunt, per quas ſcientiam etiam rerum adipiſcitur. Componitur etiam phantaſma Caſu, qnando unum imprimitur proximè alteri, itaut non poſſit unum moveri, quin aliud moveatur, vel ſi imprimantur in diverſis fibris, hæ tamen ſunt ita connexæ, ut ad motum unius altera moveatur, & ſedem ſenſus communis pulſent, ac ſi eſſet una fibra, & una impreſſio; idcircò à ſenſu communi per modum unius percipitur illud, quòd à duobus phantaſmatibus repræſentatur. Dividit phantaſmata phantaſia, quando hæc plura repræſentantia, quia ex pluribus phantaſmatibus partialibus, ut cum ſcholis loquar compoſita ſeparat: tale eſt phantaſma corporis humani, quòd ex tot phantaſmatibus partialibus componitur, quot ſunt partes, quæ corpus humanum componunt. Phantaſia dividit hæc phantaſmata partialia, quando modò ſolùm capitis phantaſma, modò ſolùm illud pedis apprehendit; ſuccedit etiam diviſio, quando in fibra non fit impreſſio totalis, & integra, ſed deficiens, ut contingit aliquando impreſſione à Sigillo facta, unde non repræſentatur per hanc impreſſionem, ſeu phantaſma, niſi pars objecti; illa enim pars, quæ reſpondet impreſſioni deficienti non repræſentatur, vel quando portio fibræ, in qua fit impreſſio, eſt in ſua ſubſtantia inæqualis, nempè circa unam partem facile mobilis, circa alteram difficile, per quod movetur, & excitatur ſolùm portio phantaſmatis, altera immota manente, vel quia adſit aliquod impedimentum impediens tranſitum ſpirituum per totam fibram, in qua eſt impreſſio. Colligit Phantaſia, quando plura phantaſmata tamquam in faſciculum adunat, ut ſunt phantaſmata, quæ correſpondent verbis, ex quibus oratio texitur, quæ verè non poſſunt dici, niſi phantaſmata ad invicem collecta. Ordinat, quando tale phantaſma primo loco diſponit, deindè ſecundo connexionem habens cum primo adnectit; & ita de ſingulis, itaut ordo non ſolùm reſpiciat ſitum, in quo phantaſmata collocantur cum ratione prioris, & poſterioris, ſed connexionem, quam inter ſe ſervant pro clara, & diſtincta repræſentatione, & explicatione objecti repræſentati.

Ab his operationibus phantaſiæ proveniunt inſomnia, & iſtorum cauſæ facilè intelliguntur; nil enim aliud ſunt inſomnia, quàm *Phantaſmata à motu ſpirituum excitata, à phantaſia collecta, compoſita, vel diviſa*, unde tot variæ, & inſolitæ, & extravagantes repræſentationes: ſolent etiam faciliùs in inſomniis illa excitari phantaſmata recenter impreſſa; ideò noctu eveniunt repræſentationes illarum rerum, quæ die vel apprehendimus, vel exercuimus, vel ea repræſentantia objecta pluries excogitata, vel ad quæ propenſionem naturalem habemus: ita iracundi inſomnia habent de rixis, contentionibus, & certaminibus; melancholici de rebus triſtibus, & timorem incutientibus: paſſiones etiam animi ſibi correſpondentia excitant phantaſmata, ſicut etiam paſſiones corporis; nam ſitientes inſomnia apprehendunt potum repræſentantia, famelici per inſomnia lautæ menſæ aſſident, à ſeminis redundantia venerea inſomnia apprehenduntur, & ita diſcurrendum de omnibus aliis, quæ cum inſomniis uniuntur.

Ex his colligere licet, imaginationem, & phantaſiam conſiderare ſolùm phantaſmata tamquam imagines rerum, & iſtarum apparentias inſervire pro ſimplici apprehenſione, itaut apprehendantur res, prout apparent in phantaſmate excitato, nihil autem de iſtis vel affirmare, vel negare; apprehendit enim imaginatio, & phantaſia objectum, quale repræſentatur à phantaſmate, non affirmat verò, neque negat objectum per phantaſma repræſentatum eſſe tale, vel non eſſe tale, & bonum, vel malum, jucunditatem, vel moleſtiam in eo exiſtentem, attingit ſola apprehenſione, non judicio, à qua movetur appetitus ſenſitivus ad fugam, vel proſecutionem, ex quo deducitur, imaginationem, & phantaſiam non eſſe erroris capaces, neque nos unquam fallere, quia fallacia eſt ſolùm in ea potentia, cui propria eſt affirmatio, vel negatio; ſi enim affirmat, quod non eſt in objecto, errat, ſi negat in objecto adeſſe aliquid, quod verè adeſt, errat, & cùm negatio, & affirmatio abſit à phantaſia, & imaginatione, abeſt etiam error; nec errat imaginatio, & phantaſia, quando per phantaſma apprehendit baculum in aqua curvum, cùm verè ſit rectum; nam baculus per phantaſma, ut curvus repræſentatur; ideò imaginatio, & phantaſia, ut curvum baculum apprehen-

hendunt, apprehendere autem rem, prout repræſentatur, non eſt error potentiæ apprehenſivæ, imò eſt ſinceritas, & fidelitas ejuſdem; conſequenter apprehendere baculum curvum repræſentatum per phantaſma, non eſt error potentiæ imaginativæ, & phantaſticæ, ſed eſt fidelitas, & ſinceritas harum potentiarum, quæ apprehendunt objecta, qualia apparent in phantaſmate, & prout ab iſto repræſentatur. Hinc eſt, quòd phantaſiæ delirantium ſunt veræ, ſicut illæ ſanorum, quia phantaſiæ correſpondent phantaſmatibus, & per phantaſiam apprehenditur ſolùm illud, quòd apparet in phantaſmate, & quòd ab eodem repræſentatur; quapropter ob rationem ſuperiùs dictam, debent dici veræ, & error in phantaſmate depravato reponendus.

CAP. X.

De Noctambulis.

SI imaginatio, & phantaſia nec affirmat, nec negat aliquid de objectis, quæ per phantaſmata apprehendit, apparet nullum poſſe iſtis potentiis accedere ſymptoma, quod ſub delirio comprehendi poſſit; cùm hoc dependeat vel à negatione, vel ab affirmatione, per quas determinatur aliquod, omninò repugnans, & rationi contrarium, neque poteſt eſſe in iſtis potentiis error, cùm, ut mox dicebam, etiam phantaſiæ inſanorum ſint veræ, quia pendent à phantaſmatibus apprehenſis eo modo, quo ſunt. Ad phantaſiam mihi videtur poſſe reduci affectus, à quo Noctambuli denominantur, & eſt affectus, in quo aliquis verè dormiens, vigilantis munia exercet eo modo, ea advertentia, & conſideratione, ſecundùm quam prædicta munia exerceret, ſi vigilaret; ideò dicuntur Noctambuli, quia in nocte, quæ eſt quieti à Natura deſtinata dormientes; ambulant, & hunc affectum eſſe proprium phantaſiæ, ex dictis ſuperiùs patet; nam in hoc affectu adeſt unio plurium phantaſmatum, & eorumdem ordinatio. Hunc affectum expertus eſt *Galenus* in ſe ipſo; narrat enim *lib. 2. de muſculis cap. 4. Cùm haberet neceſſitatem iter pedibus faciendi per noctem ſomno indulſiſſe, inſomnia habuiſſe, & ambulaſſe, à ſomnoque expergefactum, quia in lapidem incidit. Schenchius* narrat, *quemdam determinaſſe die ſequenti iter facere equitando, nocte iſte ſurrexit, veſtibus ad iter neceſſariis ſe cooperuit, coturnos cum calcaribus pedibus, & cruribus adaptavit, poſteà aperta feneſtra cubiculi, dilatatis cruribus ſuper parietem feneſtræ inſedit, ac ſi equum conſcenderet, & pedibus calcaria utrinque parieti infigebat, ac ſi equum ad motum ſtimularet, voce, geſtu ea peragebat, quibus ſolent equi ad motum excitari*: narrat pariter, *quemdam ſolitum ſurgere è lecto dormientem, enſem determinato loco repoſitum manibus arripere, evaginare, & hanc tractare, ac ſi cum aliquo decertaret. Apothecarius, cujus apotheca à domo ſuæ habitationis diſtabat; nocte quadam dormiens ſurrexit nudus, claves apothecæ in loco, in quo repoſuerat aſſumpſit, ſcalas deſcendit, oſtium domus aperuit, ad apothecam inoffenſo pede pervenit, clave hanc aperuit, & ſupervenientibus caſu Amicis expergefactus, maximo pudore affectus fuit ob nuditatem, & ob accidentis inopinati conſiderationem.* Aliam obſervationem habet *Bonetus in ſuo Polianthe Medico cap. de Inſomniis, de Servo, qui conſuetus ducere equum in determinatum locum pro Domino ſuo, quadam nocte equum neceſſariis rebus ad equitandum ornat, exit è ſtabulo, equum ad Pomeria Urbis ducit, ubi ab Excubiis mœniorum exclamabatur* Chi va là, *ipſe reſpondebat* Sargente Maggiore, *circiter mœniorum partem mediam peragraverat, cùm in terram concidit, nec reſurgit, impellunt, compellunt Milites, ibi cum Præfecto armorum mœnia viſitantes collecti vix excitant, reſurgens quæritur ſe præmaturè à ſomno excitari ratus ſe adhuc in lecto cubare. Hadrianus Aleman. com. de lib. Hipp. de Aere, Aqua, & locis,* narrat *quemdam Pariſiis gladio cinctum fluvium Sennam tranaſſe, eumque interfeciſſe, quem vigilans interficere propoſuerat, ac poſt patratum ſcelus domum rediiſse.*

Plures aliæ obſervationes apud Auctores reperiuntur, unde non licet dubitare de hoc affectu; dubium quidem poſſumus concipere de Cauſa, & modo hujus affectus, & pro hoc declarando conſidero, affectos ab hoc ſymptomate eſſe ſomno immerſos, conſequenter ſenſus externos, & ſenſum internum communem eſſe ligatos, cùm in ligamento horum ſenſuum eſſentia ſomni conſiſtat, ut diximus in Diſſertatione de Somno; & ita ſomno ſunt immerſi, ut niſi à valida corporis concuſſione, vel ab objecto ſenſibili cum violentia agente à ſomno excitantur; quapropter talis affectus non poteſt pendere à ſenſu communi ligato, cùm in tali affectu adſit potentia phantaſmata apprehendens, unde ſequitur eſſe affectum phantaſiæ, quæ non poteſt moveri niſi à phantaſmate, quod eſt proprium excitativum, & determinativum iſtius potentiæ, & tale phantaſma debet movere phantaſiam valido motu, dum hunc determinat ad agenda plura munia validum determinativum manifeſtantia.

Phantaſma ergo excitatur vel à ſpiritibus animalibus per cerebri medullarem ſubſtantiam excurrentibus, vel à vapotibus eamdem ſubſtantiam adeuntibus, & phanthaſiæ repræſentatur; hæc illud apprehendit cum omnibus circumſtantiis ab eo repræſentatis, unà cum bonitate ei conjuncta, vel cum neceſſitate talis operationis, quæ cum bono ſemper unitur, ab hac appetitus ſenſitivus movetur ad appetendum bonum repræſentatum in phantaſmate, ad illius conſecutionem ſe determinat; & ſpiritus animales dirigit ad eas partes, quarum motus eſt neceſſarius pro conſecutione illius boni: hinc omnes motus, qui in Noctambulis obſervantur, oriuntur, itaut determinare liceat, cauſam hujus affectus eſſe phantaſma validè movens phantaſiam, quæ in ejus apprehenſione apprehendit etiam aliquam bonitatem validè moventem appetitum ſenſitivum ad conſecutionem illius, pro qua diſponit ſpiritus ad fluxum in nervos pro movendis partibus; appetitus enim ſenſitivus, habet vim determinandi ſpiritus pro conſecutione boni appetiti, non aliter, ac habeat voluntas, quæ dicitur *Appetitus rationalis*; quapropter per appetitum ſenſitivum determinantem poſſunt fieri omnes motus, qui proveniunt à determinatione voluntatis, quod patet in brutis, quorum motus pro conſecutione alicujus finis appetiti diriguntur ab appetitu ſenſitivo: ex quo patet, motum in Noctambulis eſſe motum ſpontaneum, non neceſſarium, & naturalem, quia fit ab appetitu ſenſitivo, patet etiam ad hunc affectum requiri ſomnum profundum, non cedentem, nec deficientem per tot, & varios motus à Noctambulis in ſuis exercitiis peractos; ſecundò efficaciam phantaſmatis in repræſentando objectum, cujus eſt phantaſma, quod efficacius non poſſet repræſentare in vigilia, & maxima efficacia phantaſiæ in apprehenſione objecti repræſentati per phantaſma, cùm ita clarè, & diſtinctè percipiat, quo modo perciperet in vigilia; tertiò efficacia appetitus ſenſitivi, qua movet ſpiritus cum energia vigilantium propria, & quartò diſpoſitio in ſpiritibus ad fluxum promptum per nervos.

Non negaverim tamen, affectum Noctambulorum poſſe oriri à phantaſmate intellectui propoſito, qui apprehendendo in hoc aliquam bonitatem, ſive veram, ſive apparentem hanc voluntati proponit, hæc delectatur in propoſita bonitate, à delectatione oritur determinatio voluntatis ad illius conſecutionem, pro qua movet ſpiritus ad nervos modo ſuperiùs dicto; minimè verò ſi intellectus nil aliud agat, niſi apprehendendo bonitatem per phantaſma repræſentatam, tunc ſe gerit tamquam phantaſia, & quia movetur à phantaſmate, & quia apprehendit ſolùm bonitatem objecti repræſentati, & in hoc caſu movetur ſolùm appetitus ſenſitivus, non rationalis ad conſecutionem repræſentatæ bonitatis; ſed ſolùm quando Intellectus, ultra apprehenſionem objecti in phantaſmate repræſentati, iſtius bonitatem cognoſcit, de hac judicat, aſſerendo tale objectum eſſe bonum, & ut tale voluntati proponit, hæc appetitu in tale bonum fertur, & ſe determinat ad iſtius conſecutionem, eligit media, & movet ſpiritus, & muſculos pro motu neceſſario. Sic manifeſtum fit, talem affectum poſſe pendere non ſolùm à phantaſia, & appetitu ſenſitivo, ſed etiam ab Intellectu judicante, à voluntate, & appetitu rationali appetente.

Modum, quo fit talis affectus, ſuperiùs innui, quando dixi

dixi in hoc affectu concurrere efficaciam phantaſmatis in repræſentando, efficaciam phantaſiæ in apprehendendo, efficaciam appetitus ſenſitivi in appetendo, & efficaciam ſpiritus animalis in motu.

Efficaciam phantaſmatis in repræſentando, habemus à valido motu, quo fibra modificata, quæ eſt ipſum phantaſma, pulſat ſedem ſenſus communis; ab hac efficaci pulſatione fit clara, & diſtincta repræſentatio objecti, ut ſuperiùs dicebam de phantaſmate moto, & de phantaſmate illuſtrato, clara, & diſtincta repræſentatio objecti à phantaſmate efficaciam iſtius comprehendit; etenim, quo clarius, & diſtinctius objectum repræſentat, dicitur etiam magis efficax phantaſma in operatione repræſentandi. Movetur phantaſma, ſeu fibra modificata in ſedem ſenſus communis valido motu, & efficaci impreſſione, primò quando modificatio eſt altè, & profundè impreſſa fibræ, unde in ſuo motu in ſedem ſenſus communis altam, & profundam figit impreſſionem, per quam dicitur valido motu moveri, & profunda impreſſio habetur à continua apprehenſione objecti ejuſdem; per hanc enim ſemper altiùs figitur modificatio fibræ, hinc videmus Noctambulos ea peragere in ſomno, quæ frequenter in vigilia operantur: ſecundò vi, & energia ejuſdem fibræ, quam acquirit à reiterato motu, à quo acquirit, ut ita dicam, habitum ſe movendi cum facilitate, & agilitate, & impetu, ut obſervamus in aliis motibus, à quibus oritur habitus; hujuſmodi motus iteratus fibræ modificatæ habetur in paſſionibus animi, in quibus fibra modificata repræſentans objectum paſſionis, ſemper eſt in motu, cùm ſemper tale objectum repræſentetur phantaſiæ, & etiam intellectui, ideò Noctambuli eos exercent motus proprios paſſionis, à qua afficiuntur: tertiò neceſſitas alicujus operationis meditatæ in vigilia diù à Noctambulo; ab hac enim neceſſitate operandi ſpirituum copia ſemper circa fibram modificatam rem peragendam repræſentantem verſatur, & in ſomno moti ſpiritus ſua copia motum validum in fibram imprimunt, & in ſedem ſenſus communis impellunt, relicta in hac impreſſione validi motus, idcircò videmus Noctambulos in ſomno agere ea, quorum actionem neceſſariam in vigilia cognoverunt.

Quando dixi, phantaſma valido motu pulſare ſedem ſenſus communis, innui ſenſum communem eſſe ſolutum, quoad perceptionem objecti interni, nempè phantaſmatis, non verò quoad perceptionem objecti externi ſenſibilis, quia ſecundùm hanc eſt ligatus per ſomnum; nec repugnat ſenſum communem eſſe ſolutum quoad perceptionem phantaſmatum, & eſſe ligatum quoad perceptionem objecti externi, cùm ligatio, & ſolutio ſit reſpectu diverſorum, & experientia demonſtrat in dormiente eſſe ſenſum communem, quoad perceptionem externorum objectorum ligatum, quia hæc licèt agant in organo ſenſuum externorum à ſenſu communi non percipiuntur; eſſe verò ſolutum reſpectu objecti interni, patet ex inſomniis à dormientibus perceptis, quæ non ſunt niſi operatio ſenſus communis imaginationis, & phantaſiæ dependenter à phantaſmate.

A clara, & diſtincta repreſentatione objecti per phantaſma determinatur phantaſia ad claram, & diſtinctam apprehenſionem objecti, in quo conſiſtit efficacia potentiæ apprehenſivæ; hujus perfectio ſumma eſt clarè, & diſtinctè propoſitum objectum apprehendere, & ſumma perfectio potentiæ operantis arguit etiam ſummam efficaciam in operando; quapropter efficacia phantaſiæ in apprehendendo, nil aliud erit, niſi clarè, & diſtinctè repræſentatum objectum per phantaſma apprehendere. Ad hanc claram, & diſtinctam apprehenſionem objecti, non ſolùm requiritur clara, & diſtincta repræſentatio iſtius, ſed etiam requiritur ſpirituum animalium puritas, luciditas, ſubtilitas, & agilitas. Spiritus animales ſervire Animæ pro ſuis functionibus cognoſcimus, dum obſervamus ab iſtorum depravatione, & vitio Animæ functiones vitiari: ſi ſpiritus animales ſunt inſtrumentum Animæ, quo perfectius tale inſtrumentum fuerit elaboratum, eò perfectiores, & cum majori efficacia edet operationes; ſupradictæ verò conditiones ſpirituum magnam iſtis perfectionem addunt, unde iſtorum medio phantaſia etiam ſuas actiones perfectiori modo conficiet, & cum magna efficacia, quod confirmatur à debilitate, & imperfectione operationum Animæ in eis, quorum temperamentum ſpirituum impuritatem, opacitatem, craſſitiem, & torporem præbet.

His perſuaſus rejicio opinionem illorum, qui volunt, efficaciam phantaſiæ in operando in affectu propoſito pendere ab humore melancholico, à quo cùm ſpiritus impuri, opaci, & torpidi generentur, patet non poſſe contribuere efficaciam operationi phantaſiæ; & cùm iſti determinent à melancholia prædominante haberi imaginationem, ſeu phantaſiam fixam, & poſteà pro motu exercendo requirere ſpirituum puritatem, & ſubtilitatem, patet, hæc duo non poſſe conjungi melancholiæ prædominium in corpore, & ſpiritus purus, lucidus, & agilis, niſi melancholiæ conjuncta fuerit bilis, illius imperfectiones, & errores corrigens; ſed habetur efficacia imaginationis per claram, & perfectam apprehenſionem phantaſmatis, cum perfectione ſpiritus animalis.

Ab eadem clara, & diſtincta apprehenſione objecti procedit clara, & diſtincta apprehenſio ſuæ bonitatis, à qua efficaciter movetur appetitus ſenſitivus: omnis bonitas movet appetitum, bonitas autem clarè, & diſtinctè apprehenſa movebit efficacius, quàm ſi confusè, & indiſtinctè cognita fuerit; & hæc eſt ratio, per quam in aliquibus aliqua efficaciter appetuntur, quæ ab aliis tepidè, quia ab illis clarè, & diſtinctè, apprehenditur bonitas objecti, ab iſtis verò indiſtinctè, & confusè. Appetitus ſenſitivus cum tali efficacia motus, & clara, & diſtincta cognitione binitatis, ſtatim ſe determinat ad conſecutionem talis objecti, ut boni apprehenſi, & ſtatim eligit, & diſponit media ad hujus finis conſecutionem; ideò ſpiritus animales impellit ad nervos pro motu neceſſario ad conſequendum tale bonum, ſpiritus promptè imperanti appetiti obediunt, & ob dictas perfectiones, quibus ornantur, cum robore, energia, & efficacia imperatos peragunt motus, & talem ſpirituum perfectionem in Noctambulis experientia oſtendit, obſervamus enim, qui tali affectu laborant, temperamentum habere ſummè activum, & eſſe promptos ad omes actiones, quæ ſpirituum agilitatem, & luciditatem demonſtrant.

Nec eſt difficile explicare quomodo in ſomno tales motus peragantur, ſi animadvertamus cum *Hipp. in lib. de Somniis: Animam cum corpore non dormire, ſed vigilare, & ſemper in motu eſſe, domum ſuam gubernando, omnes corporis actiones perficiendo, &* ut ait Divinus Senex, *corpus dormiens non ſentit, ipſa verò* (hoc eſt Anima) *vigilans, cognoſcit, ac viſibilia videt, & audibilia audit, tangit, triſtatur, animadvertit* (quod intelligendum eſt per phantaſiam, & imaginationem) in ſumma quæcumque corporis, aut Animæ munia, ea Anima ipſa in ſomno obit, cujus, rationem ſuperiùs innuit in illis verbis: *Quia Anima ſui juris non eſt*, neque quoad actiones ad corpus ſpectantes, neque quoad proprias, quæ ſunt cogitationes, ſi hæ ſint requiſitæ pro præciſa, & neceſſaria corporis conſervatione; ideò debet ſemper agere pro neceſſitate, & indigentia corporis, cùm hoc pro ſui conſervatione ſemper indigeat Animæ operationibus. Hinc oritur neceſſitas ſemper vigilandi in Anima, ut præſtò ſit neceſſitatibus corporis operando providere: ab hac neceſſitate eximendæ omnes operationes Animæ voluntariæ.

Hoc ſtante, dum in ſomno appetitus ſenſitivus ſe determinat ad conſecutionem boni propoſiti, & à phantaſia apprehenſi, tota Anima neceſſitate naturali à connexione cum corpore orta tenetur appetitui ſervire. hinc tota iſtius determinationi incumbit, & determinata peragit. Non mirum ergo, quòd in Noctambulis tot admirandi motus uniantur, cùm Anima tota ſit applicata in iſtis dirigendis, non ſolùm ſua vi motiva, ſed etiam cogitatione præ conceptis aliis ideis in ſe ipſa collectis, & reſervatis, utendo, ſi opus fuerit; ad dirigendos motus ab appetitu ſenſitivo determinatos, & electos.

Cauſæ externæ ſunt, fixa imaginatio alicujus rei peragendæ, paſſiones animi, & quæ ſpiritus animales nimis ſubtiles, & agiles efficere poſſunt.

Signa diagnoſtica poſſunt haberi ab ægri, vel ſuorum familiarium relatione.

Prognoſtica, licèt non ſit affectus per ſe periculoſus, quia

quia tamen Noctambili multis periculis, & præcipitiis ſe exponunt, ratione iſtorum curationem exigit.

Pro qua exequenda cauſæ ponderandæ; nam ſi à fixa meditatione alicujus rei proveniat, ut dictum eſt, hæc interrumpenda; ſi à paſſionibus animi, iſtæ divertendæ, & ablegandæ, ſpirituum agilitas, & tenuitas moderanda, & hæc ſola indicatio medicam opem expoſcit, aliis ſola prudentia ægri ſatiſfieri poteſt.

Ad hoc, ut ſimplici huic indicationi ſatisfaciamus, non indigemus nec purgatione, nec ſanguinis miſſione, ſed ſolùm alteratione, per incraſſantia, & fixantia ſpiritus, & ſunt omnia frigida ſimplicia, & compoſita, ut *Nymphæa*, *Nenupharis*, *Papaver erraticum*, *Viola*, *Lactuca*, *Portulaca*, *Plantago*, Emulſiones *ex ſeminibus frigidis* confectæ, *ſpecies trium Santalorum*, *Diaplantaginis Minſicht*, *Bolus ex ſucco Plantaginis condenſato*, cum portione *ſucci Acaciæ*, *& Hypociſtidos*. Poſt cœnam, & in ingreſſum lecti ſumat *Aquam Papaveris erratici*, *& Nenupharis ad* ℔. 2. *cum* ℥. 2. *Mivæ Cydoniorum ſimplicis*, eodem tempore foveatur caput cum decocto ſupradictorum ſimplicium refrigerantium, petiis lineis, & duplicatis in eo imbutis, & capiti applicatis. *Balneum Aquæ dulcis* Noctambulis prodeſſe, adnotavit *Zacut. Luſit. de Medic. Princip. Hiſtor. lib. 1. Hiſtor. 15. obſerv. 14.* Victus ratio ſit incraſſans, cum *Carne Bovina*, *Porcina*, *Anatris*, *Occarum*, uſus *Piſcium*, & præcipuè *Tincarum*, *Anguillarum*, *Ranarum*, eſt proficuus; pro pulmento utatur *Oriza*, *Hordeo leguminibus*, & reliquis alimentis horum naturæ conſimilibus. Vinum omninò interdicendum, & aqua ſolùm utendnm.

CAP. XI.

De Intellectu.

AD alteram Animæ potentiam devenimus, quæ eſt Intellectus, qui definitur *Potentia Animæ omnia apprehendens objecta.*

Dicitur *Potentia*, non quia patiatur ſolùm, ut materia, ſed quia agit per potentiam, quam in ſe continet: hæc potentia non eſt quid diſtinctum realiter ab Anima, ſed eſt ipſa realis ſubſtantia Animæ; diſtinguitur tamen per reſpectum ad alias potentias Animæ; nam Anima, conſiderata prout habet in ſe potentiam ſentiendi, diſtinguitur ab eadem Anima, quatenus habet potentiam intelligendi, ſed hæc diſtinctio eſt reſpectiva, non abſoluta.

Dicitur *apprehendens omnia objecta*, tam materialia, & corporea, quàm ſpiritualia, & incorporea; cognoſcit enim non ſolùm dimenſionem corporis, ſed cognoſcit ſe ipſam, cognoſcit Angelos, & denique Deum ipſum, eo modo, quo poteſt, per quod differt ab imaginatione, phantaſia, & ſenſu communi, quia hæ potentiæ verſantur ſolùm circa corpora, & objecta meterialia.

Per apprehendere, intelligimus dictorum objectorum naturam, eſſentiam, proprietates, attributa cognoſcere, itaut de his omnibus ratiocinari, & ab his multa deducere valeat.

Hujus potentiæ objectum eſt verum, reale, vel apparens, in quod neceſſariò fertur, & neceſſariò tenetur aſſentiri illi, quòd verum cognoſcit, cùm in eo non reperiatur libertas diſſentiendi; quapropter dicitur Potentia neceſſaria, quæ veritati cognitæ neceſſariò adhæret.

Modus operandi Intellectus in hoc conſiſtit, quòd res intelligibiles per ſuam potentiam intellectivam percipiat, exprimat, & repræſentet eo modo, quo ſunt, vel realiter, vel apparenter, producto actu intellectionis, verſando circa objecta intelligibilia, qui eſt actus vitalis, quia à principio vitali, quòd eſt Anima, & eſt actus immanens, & intrinſecus ipſi potentiæ intellectivæ, & actus vitalis, & actus intrinſecus conſtituunt actum immanentem: dicitur actus intellectionis immanens, quia actus, quo intelligit exiſtentiam Dei, hic immanet in ipſa potentia intellectiva, & ideò dicitur actus immanens, & tales actus intellectionis remanere in Anima pro diſcurſu, & ratione neceſſarium erat, ex uno enim actu intellectionis aliàs elicito, multa deducit, quæ faciunt ad intelligentiam eorum, quæ deindè contemplatur.

Actus intellectionis nil aliud eſt, quàm formalis repræſentatio objecti, prout eſt intelligibilis, & iſtius vera imago, quia quidquid eſt in objecto cognitum ab intellectu reſtringitur in actu intellectionis. dicitur etiam *Species expreſſa*, *& verbum mentis*, & per hanc imaginem, & ſpeciem expreſſam, quæ manet in ipſa potentia intellectiva, dicimus objectum eſſe in Intellectu, quia quidquid eſt in objecto, & ab Intellectu cognitum, eſt in ipſo Intellectu; quapropter dicimus etiam Intellectum fieri objectum intelligibile per hanc imaginem, quia hæc imago objecti eſt ipſum objectum intelligibile, & eſt actus intellectionis: actus intellectionis eſt ipſe intellectus, conſequentet intellectus eſt ipſum objectum intelligibile; & hac ratione *Ariſtoteles lib. 3. de Anima Tex.* 18. definivit Intellectum, *eſſe potentiam, quæ poteſt fieri omnia*; hoc eſt, *poteſt fieri omnia objecta materialia, & immaterialia per repræſentationem, ſeu per imaginem dictorum objectorum in actu Intellectionis circa ea verſantis comprehenſam.*

Duo itaque dicit Intellectio, primò actum vitalem, ſecundò *repræſentationem objecti*; quatenus dicit actum vitalem productum, connotat Animam agentem; quatenus dicit repræſentationem, vel imaginem objecti, dicit Animam intelligentem: actus enim vitalis intellectionis, eſt actus productus à potentia intellectiva per propriam actionem intrinſecam, & ita connotat Animam agentem; idem actus intellectionis, quatenus eſt repræſentatio objecti intelligibilis, vel imago iſtius, facit Animam intelligentem, quia dum Intellectus elicit formalem repræſentationem objecti per actum intellectionis productum, fit intelligens diſtinctè cognoſcendo objectum, & quidquid eſt in eo cognoſcibile.

Hinc patet dari Intellectum agentem, & intellectum paſſibilem, ſeu patientem, prout admittit *Ariſt. de An. cap. 4. Tex. 18. & 19.* dum Intellectus intelligendo agit producendo actum intellectionis, & eumdem actum recipiendo tamquam actum vitalem immanentem patitur; uterque tamen Intellectus eſt realiter Anima Rationalis, nec alio modo inter ſe diſtinguuntur, quàm per reſpectum; Anima enim rationalis eſt, quæ agit intelligendo, & producendo actum intellectionis, & in ſe agit recipiendo eumdem actum intellectionis tamquam actum immanentem, & illi intrinſecum, quatenus agit, dicitur agens, quatenus in ſe agit, eſt patiens. Intellectus ad hoc, ut agat, debet ab aliquo determinari; eſt enim indifferens ad intelligenda quæcumque intelligibilia.

Primò determinatur à ſenſu, quia Anima cognoſcit, quæ ſenſus internus, ſeu ſenſus communis ſentit, cùm hæc ſit forma corporis, & in hoc formæ munere fungatur, & quatenus talis finis ejus eſt tam conſtituere hominem cum principio ratiocinandi, & principio ſentiendi, quàm potentias ſibi ſubordinatas, quales ſunt ſenſitivæ regere, cohibere, continere, ſuſtinere juxta regulam rationis, nullum ex his præſtare valet, niſi cognocat id, quòd ſenſus ſentit; ad hoc enim, ut regat potentiam ſenſitivam, neceſſe eſt, ut cognoſcat, an exorbitet, an deficiat, ut exorbitantem retineat, deficientem erigat, nec poterit hominem à malo fugientem, vel bonum proſequentem coadjuvare, niſi cognoſcat hominem à malo moleſtari, à bono delectari, & ut forma eſt ad hoc ratione ſui finis determinata, ut eſt determinatum corpus grave ad deſcenſum; imò ut forma alio modo determinari non poteſt, & ſi aliter determinaretur, non haberet rationem formæ, ſed intelligentiæ, vel formæ aſſiſtentis; præterquamquòd Anima potentiam ſenſitivam, & motricem habet ſubordinatas, hoc eſt eis utitur ad libitum, & eaſdem cogit ad ſui imperii executionem, omnes appetitus regit, moderatur, minuit, auget, temperat, prout ratio expoſcit, & cum hac ſuperioritate neceſſe eſt, ut cognoſcat quæcumque à ſenſu ſentiuntur.

Quæ ſenſus ſentit, Anima cognoſcit intuitivè: cognoſcere intuitivè, eſt cognoſcere per ſpecies proprias, & propriè, in ſe, ac per ſe, ſed Anima cognoſcit, quod ſenſus ſentit, & cognoſcit per ſe ipſam, ac in ſe ipſa cognoſcit, ergo cognoſcit intuitivè; nam ad hoc, ut tali modo cognoſcat, indiget ſolùm determinativo; cùm habeat potentiam cognoſcendi per ſe, & in ſe, cùm habeat potentiam per ſe agendi, & in ſe agendi, ut dictum fuit ſuperiùs; determinativum habet à ſenſu, quia per paſſionem, ſeu affectionem organi ab objecto ſenſibili externo, & perfectionem, & paſſionem ſenſus communis habet ſufficiens

ciens determinativum ad exercendam potentiam illi intrinſecam cognoſcendi intuitivè, quæ patitur, & agit ſenſus internus.

Hic modus cognoſcendi ea, quæ ſentit ſenſus, importat cognitionem evidentem, & certam, phyſicam, quia in ſenſibus talis evidentia, & certitudo adeſt, conſequenter in intellectione eorum, quæ ſenſus ſentit, aderit evidentia, & certitudo phyſica.

Pro hoc demonſtrando, ſuppono cum *Gaſsendo*, *duplicem eſse evidentiam*, aliam *exiſtentiæ*, aliam *Judicii*, *& enunciationis*: Evidentia exiſtentiæ, eſt in ſenſu, itaut forſan non ſit aliud medium magis efficax ad demonſtrandam exiſtentiam evidentem corporis ſenſibilis, niſi ſenſus, & quando dubitamus de re exiſtente, ad Senſus recurrimus, & ad iſtorum Tribunal provocamur pro Judicii certitudine, & evidentia circa exiſtentiam ſenſibilium, itaut per ſenſus etiam propriam exiſtentiam evidentem nobis demonſtremus, dicendo, Ego ſentio, ergo exiſto; & ſi etiam malè cogitem, hoc eſt, cogitem cum fallacia, & errore: vera eſt iſta propoſitio, Cogito, ergo exiſto, ita, etiamſi ſentiam cum fallacia, & errore poſſum inferre, Exiſto, quia ſentio.

Evidentiam exiſtentiæ ſequitur evidentia talis exiſtentiæ, hoc eſt evidentia exiſtentiæ corporis tali, & tali modo diſpoſiti, & hanc evidentiam habemus à ſenſu, quotieſcumque hic erit benè diſpoſitus, cum omnibus circumſtantiis requiſitis ad evidentiam talis exiſtentiæ; ſicut enim omnibus agentibus naturalibus à Natura determinatum eſt ſpatium, per quod illorum actio diffundi poſſit, & dicitur ſphæra, activitatis non eſt æqualis ubique, ſed in ſpatio proximo agenti actio eſt magis intenſa, & ſemper decreſcit, uſquequò in ultimo termino ſpatii deficiat; ita in ſenſibus, unuſquiſque habet determinatum ſpatium, intrà quod ſe exercere poteſt; magis autem ſe exercet circa illud, quòd eſt illi proximum, & quò magis ſemper accedit ad ultimum extremum ſpatii; minus ſentit, ideò ſi ita ſtatuatur, v. g. objectum viſibile in tali diſtantia, quæ ſit requiſita ad hoc, ut à ſenſu percipiatur, quale eſt in ſe, à ſenſu Viſus habebimus etiam talem exiſtentiam, & ſi in majori diſtantia non poſſumus habere, hoc non provenit à defectu, & fallacia ſenſus, ſed à defectu circumſtantiæ requiſitæ ad ſenſum, quæ eſt talis determinata diſtantia ab objecto viſibili, intrà quam inſpiciens, habet evidentiam illius exiſtentiæ, & habet evidentiam illius talis, & talis exiſtentiæ, nempè talis longitudinis, talis latitudinis, talis figuræ quadratæ, talis ornamenti; ſi verò ponatur videns in majori diſtantia, habet evidentiam turris, v. g. exiſtentis, quia turrim videt à longè, non habet evidentiam talis ſuæ exiſtentiæ, quia videtur minor, videtur rotunda, cùm ſit quadrata, ornamenta non diſtinguit, hæc fallacia, & hic error, non eſt imputandus ſenſui, ſed eſt circumſtantiæ diſtantiæ; & ita non poteſt dici per hoc, quòd ſenſus ſit fallax, & non repræſentet talem exiſtentiam turris, quia ſenſus ad hoc, ut præbeat evidentiam exiſtentiæ talis, neceſſe eſt, ut ſit in tali diſtantia ab objecto; ſicuti enim non poſſum dicere, quòd ignis me calefaciat, cùm ſim extra ſphæram ſuæ activitatis, ita nec poſſum dicere, quòd ſenſus Viſus me fallat circa evidentiam talis exiſtentiæ turris, cùm ſim extra illam diſtantiam, in qua non poteſt præbere evidentiam talis exiſtentiæ, ideò ad hoc, ut ſenſus præbeat evidentiam talis exiſtentiæ, neceſſe eſt, ut ſit benè diſpoſitus, & in debita diſtantia, & in medio uniformi.

Si ſenſus eſſet per ſe fallax, ferè omnes notiones Intellectus eſſent fallaces, & falſæ, cùm ſint pro majori parte deſumptæ à ſenſibus. Mechanica explicatio Philoſophiæ adeò acceptata, eſſet tamquam fallax rejicienda, quia mechanica pendet à ſenſibus; malè proviſus fuiſſet à Deo Homo ſenſibus, ſi his fidem habere poſſet in diſtinguendo malo, & bono. Omnes Philoſophi, quando dicunt aliquid per ſenſus conſtare. tamquam certum admittunt, primas notiones rerum ſenſibilium Intellectus habet à ſenſibus, Corpora materialia trina dimenſione conſtare habemus à ſenſu, & eodem probamus calidum, frigidum admittimus, quia ſenſu experimur; & ſi exiſtimans ſenſus eſſe fallaces, cùm dolet vehementer in aliqua parte, conſolaretur cum hoc, quòd ſenſus eſt fallax, iraſceretur in conſolantem, & quicumque error, qui poteſt aſſignari in ſenſu, non eſt error iſtius, ſed eſt error potentiæ judicantis, quia dum video Solem æquantem magnitudinem bipalmarem, video Solem, qualis mihi apparet per ſpecies viſibiles meo oculo impreſſa, & quia taliter video, non errat meus oculus; ſed ſi affirmem per potentiam intellectivam, Solem eſſe bipalmarem, in hoc eſt error, & eſt falſitas; neque poteſt dici, quòd Viſus ſit cauſa talis erroris, quia Viſus videt Solem, qualis apparet, nec ſuum eſt corrigere parvitatem illam ortam à diſtantia Solis intercedente inter illum, & meum oculum, ſed talis correctio eſt propria potentiæ intellectricis, cui cùm ſit notum ex diſtantia minorari objecti magnitudinem, & cùm poſſit etiam habere notitiam per tantam diſtantiam, tantum minorari, valet ex viſo Sole ſub tali magnitudine comprehendere etiam quænam ſit ejus vera magnitudo. Patet tamen ſenſum non errare, ſed Solem videre prout apparet, & prout etiam requirit circumſtantia diſtantiæ. Plura vide apud *Gaſſendum de Criterio veritatis*.

Secundò determinatur Intellectus ad actum intellectionis à phantaſmate alicujus objecti materialis repræſentativo, caſu excitato, quòd multoties contingit à ſpirituum motu circa ſedem phantaſmatum, à vaporibus, & exhalationibus, vel à ſanguine in vaſis cerebri exiſtente evaporantibus, vel à ſanguine partes inferiores irrigante ad cerebrum elevatos, & dictam ſedem phantaſmatum penetrantibus, cum motione alicujus fibræ impreſſionem objecti ſenſibilis continentis; & hoc multoties experimur, cùm nobis occurrant phantaſmata non quæſita, nec deſiderata, in quorum contemplatione nos figimus, & Intellectus circa illa ſpeculatur, prout dicit *Ariſtoteles*, *Intellectum phantaſmata ſpeculari*, & hoc nil aliud eſt, quàm phantaſma vel componere, vel dividere, vel ſpoliare, vel veſtire, vel diminuere, vel augere, vel diſponere. Ex his operationibus cognitiones inſenſibilium proveniunt, dum Intellectus phanteſma objecti materialis ſpeculando, materialitate ſpoliat; ea non conſiderata, & tamquam quid ſine materia exiſtens contemplatur, ex quo viam ſibi parat ad inſenſibilium, & ſpiritualium perceptionem. Univerſalia colligit idem, phantaſma objecti materialis conſiderando illud ſolùm ſecundùm ſua prædicata eſſentialia, omnibus aliis ei conjunctis prætermiſſis, & intellectionem ſuam circa ea ſuſpendendo, quod dicitur abſtrahere, & ita dicitur Intellectus à particulari ad univerſale, dum cognoſcit prædicatum illud eſſentiale, quod contemplatur in phantaſmate convenire omnibus corporibus exiſtentibus ſub genere, & ſpecie, in qua exiſtit corpus illud materiale; ex quo deducit, prædicatum illud eſſentiale eſſe unum aptum eſſe in pluribus, quod eſt eſſentia univerſalis. A contemplatione talis phantaſmatis plura deducit, quæ ſunt illi connexa, vel ſub ratione cauſæ, vel ſub ratione effectus, vel ſub ratione termini, vel ſimilitudinis, vel connexionis, vel dependentiæ, comparando unum phantaſma cum alio, multa etiam ignota penetrat in aliquo eorum occulta; ſic phantaſma, dividendo omnes proprietates, attributa, operationes, gradatim rimatur.

Tertiò determinatur Intellectus à voluntate ad ſpeculandum hujus, vel alterius corporis ſenſibilis phantaſma, vel hoc, vel illud intelligibile. Speculanti aliquando contingit indigere cognitione alicujus vel aliàs percepti, vel de novo percipiendi, & tunc voluntas mediis ſpiritibus animalibus excitat phantaſma rei jam perceptæ, & etiam determinat Intellectum ad rimandam naturam illius, cujus cognitio eſt neceſſaria, & requiſita; hæc enim duo important electionem, & electio eſt munus voluntatis proprium. Ab eadem voluntate determinatur Intellectus ad diſtinctè cognoſcendum illud, quòd cognoſcit confuſè, & Intellectus hoc exequitur mediante ratiocinio, quod nil aliud eſt, quàm unum ex alio cognoſcere per connexionem propoſitionis antecedentis cum conſequente, & quod deducitur per conſequens, continebatur in antecedenti, vel antecedentibus, ſeu præmiſſis confuſè, & cognita ſolùm antecedenti, confuſè cognoſcitur id, quòd per eam explicatur; hoc verò confuſè cognitum ex conſequenti deducto, apparet clarum, & diſtinctum. & quia hujuſmodi ratiocinium eſt proprium Intellectus, ideò eſt etiam huic proprium diſtinctè cognoſcere illud, quòd priùs confuſè cognovit; ad hanc verò operationem, cùm determinativo indigeat, à voluntate determinatur, quæ non diſtinguitur ab Intellectu niſi per reſpectum.

Tres

Tres habet operationes Intellectus: Prima eſt *Apprehenſio*, per quam Intellectus res ſimpliciter concipit, exprimit, repræſentat, nil de iſtis affirmando, vel negando; & per hoc iſta operatio nullam continet falſitatem reperibilem ſolùm in affirmatione, vel negatione.

Secunda operatio eſt *Judicium*, quòd Intellectus fert de re apprehenſa affirmando, vel negando. Hanc operationem *Ariſtoteles libr. 3. de Anima text. 26.* appellat *Compoſitionem*, & *Diviſionem*; quando affirmat, unum alteri ineſſe componit, quando negat dividit: affirmando aſſentitur eis, quæ in re apprehenſa concepit, negando diſſentit: in hac operatione reperitur veritas, & falſitas. *Veritas eſt conformitas cognitionis cum objecto*; *Falſitas eſt difformitas cognitionis cum objecto*.

Omnes errores Intellectus à prædicta affirmatione, vel negatione orti, dependent à compoſitione, & diviſione ab Intellectu facta negando, vel affirmando. Error in compoſitione eſt, quando unit prædicata ex ſui natura repugnantia, & in eodem ſubjecto impoſſibilia, & hæc affirmat per aſſenſum eſſe in eo talia prædicata. Error in diviſione fit, quando ea, quæ ex ſui natura non ſunt diviſa, nec diviſionem patiuntur, affirmat eſſe diviſa: in utroque caſu eſt error, & falſitas, quia in utroque caſu cognitio non eſt conformis objecto.

Cauſa errorum Intellectus in affirmando, vel negando eſt primò inadvertentia, qua Intellectus præoccupatus non reſpicit repugnantiam, quam ex ſui natura habent termini componentes aſſertam propoſitionem, vel repugnantiam, quam ex parte terminorum diviſio continet, ſtante impoſſibilitate talis diviſionis.

Inadvertentia oritur ex præcipitatione judicii, quæ eſt *Inconſideratum*; *& præceps de re ignota judicium*. Quis in tali judicio de re ignota non videt originem errorum? Quæ phantaſma, & ſpiritus perturbant præcipiti judicio anſam præbent, quod obſervamus in paſſione iræ, mœſtitiæ, in ebriis, in febribus ardentibus, quæ valent phantaſmata perturbare; talis enim perturbatio phantaſmatum aliqua incompoſſibilia ſimul quandoque unit, aliqua, quorum diviſio repugnat, dividit, & Intellectus in eadem phantaſmatum perturbatione agitatus, & velut confuſus non conſiderat repugnantiam compoſitionis, & unionis prædictæ; ideòque cùm inadvertentia illis aſſentitur, claram plurium phantaſmatum incompoſſibilium unionem repræſentatam veram credit Intellectus cum errore, ob claritatem, qua phantaſmata illa incompoſſibilia unita repræſentantur, & talis error oritur ab inadvertentia, qua prætermittit examen, an talis unio repugnet, vel non repugnet; ſic phantaſma in inſomnio corpus volare repræſentans, tam clarè hoc exprimit, ut ſomniantis Intellectus verum eſſe credat corpus ſuum volare; in vigilia verò ad examen revocando hanc repræſentationem, errorem detegit, percipiendo impoſſibilem unionem Corporis humani, cum volatu. Pari pacto, ſi in vigilia plura phantaſmata ſimul unita, & incompoſſibilia ſumma claritate Intellectui proponatur, & ab hac deceptus prætermiſſa conſideratione repugnantiæ, quam habent dicta phantaſmata ad hoc, ut verè uniantur eis aſſentiatur, errat ex inadvertentia, quia prætermiſit examen, claritati repræſentationis fidens.

Oritur ex cognitione confuſa, cui aſſenſus, vel diſſenſus præſtatur, ſine advertentia error Intellectus, ſicuti cognitio clara rei judicii falſitatem ſæpiſſimè inducit ex inadvertentia erroris; hæc cognitio confuſa quandoque permanet ex inadvertentia Intellectus, cui ineſt vis clarè, & diſtinctè cognoſcendi, quod confusè percipit, ut demonſtratum eſt ſuperiùs, cum ratiocinio; ab iteratis enim deductionibus per ratiocinium, à cognitione confuſa gradatim deductis tandem ad claram pervenimus.

Modus etiam dubitandi circa cognitionem confuſam ſubminiſtrat motiva ratiocinio, & ſi Intellectus, vocata in auxilium Voluntate, ad tale ratiocinium non ſe determinet, ex ſui inadvertentia cognitio remanet confuſa, & aſſenſus falſus, quandoque Intellectus non ſe determinat auxilio Voluntatis ad ratiocinium circa cognitionem confuſam ob defectum anticipationum, quæ definiuntur antecepta quædam animi informatio, quam aliqui à Natura menti inſeri cum ideis volunt, alii à ſenſibilium uſu impreſſam probabiliter contendunt, qua de cauſa, qui diù vivunt, quia in ſenſuum exercitio multùm exercitati ſunt, ideò ſecuriori, & expeditiori pollent ratiocinio. Intellectus enim à noſtro ortu eſt tabula raſa reſpectu ſenſibilium, in qua per ſenſus multarum rerum imagines, & notiones imprimuntur, & ideæ, quas volunt Animæ Intellectuali impreſſas, meo judicio, non ſunt niſi recta ratio; cum his anticipationibus, ſeu informationibus mentis dubitamus, quærimus, deducimus, quod ſine iſtis non licet; unde etiam ſine iſtis propoſitionem confuſam illuſtrare, & claram reddere neſcimus, & ſine iſtis Intellectus ignorans perſeverat, ex ignorantia oritur inadvertentia, ex inadvertentia error. Præjudicia ab ætate tenera accepta, & menti impreſſa vel ab educatione, vel à Præceptore, ad errores in aſſenſu Intellectum impellunt, affectus in rem aliquam nos ducit ad aſſenſum illarum cognitionum, quas de illa re habemus, & quæ affectui, & amori in illam correſpondent, quia ex amore, & affectu Intellectus fit inadvertens.

Tertia operatio Intellectus eſt *Ratiocinium*, *ſeu Diſcurſus*, per quem unum ex alio, cum quo connexionem habet, cognoſcimus, & fit per deductionem conſequentis ab antecedenti, cum quo illud habet connexionem neceſſariam, cum conſequens confusè contineatur in antecedenti, & hoc eſt quoddam determinativum remotum, quo Anima uti poteſt ad obtinendam aliam cognitionem diſtinctàm, dependenter à præcedenti cognitione ſine opera ſenſuum; proximum verò, & immediatum determinativum eſt actus Voluntatis, à quo Intellectus determinatur ad deducendam concluſionem ab antecedenti, & tam in antecedenti, quàm in conſequenti requiritur aſſenſus, vel diſſenſus. Ex his omnibus de Intellectu dictis colligitur, Bruta non cognoſcere perfectè, nec ratiocinari, ut conſideranti patebit; in his etiam inveniemus cauſam omnium errorum Intellectus, & delirii.

CAP. XII.

De Læſis Operationibus Intellectus, & primò De Melancholia.

COmmuniter definitur Melancholia *Delirium cum timore, mœrore ſine cauſa manifeſta, & ſine febre*.

Per *Delirium* intelligenda eſt alienatio mentis. Alienare importat amittere poſſeſſionem rei, vel rem immutare, vel minuere, in delirio, vel amittitur recta ratio mentis, vel mutatur, vel diminuitur, & quocumque ex his modis ratio mentis alterationem ſubeat, dicitur Delirium; determinatur etiam in melancholia Intellectus operationem lædi per errorem abſurdum irrationabilem, & facilè patentem, conſiſtentem in affirmatione, vel negatione alicujus, veræ, & rectæ rationi repugnantis; affirmatio verò, & negatio, ut diximus ſuperiùs, eſt operatio ſecunda Intellectus, conſequenter eſt eo, quòd in melancholia reperiatur delirium, debet etiam admitti, melancholiam eſſe cum læſione dictæ operationis Intellectus, quod demonſtratur etiam à verbis definitionis. Dicitur in hac *Delirium cum timore*, *ſine cauſa manifeſta*; timor conjungitur cum operatione Intellectus, per quam aſſeritur adeſſe cauſam timoris. *Timor*, *ex Ariſtotele*, *eſt Perturbatio animi ex imaginatione futuri mali corruptivi*, unde ad timorem requiritur cognitio mali corruptivi, & aſſenſus determinans tale objectum eſſe corruptivum, & imminere; timent enim Melancholici, non quia ſimpliciter apprehendunt objectum triſte, & corruptivum, ſed quia credunt vel actu affici à tali objecto, vel affecturos fore ab eodem, & talis credulitas importat aſſenſum formalem, & affirmationem de malo vel præſenti, vel futuro, in qua affirmatione conſiſtit operatio Intellectus, & hæc affirmatio eſt cum errore. Secundò Intellectus affirmat adeſſe, vel imminere tale objectum, quod eſt cauſa timoris, & tamen abeſt; quapropter talis affirmatio eſt cum errore, & conſequenter cum delirio Intellectus; & quando dicit, timorem eſſe

ab imagine futuri mali, intelligit apprehenſionem mali corruptivi, cum aſſenſu, quod ſit futurum; nam qui credit malum non futurum, neque ſibi eventurum, non timet; quod confirmatur ratione à *Maſſaria* adducta *lib.* 1. *Pract. cap.* 21. quia aliqui Melancholici mortem ſibi inferunt, quod ſcelus læſam, & depravatam rationem ſupponit; & ſi conſiderabimus omnes obſervationes ab Auctoribus recenſitas de Melancholicis, advertemus Læſionem mentis in affirmatione, vel negatione rei repugnantis rectæ rationi, ut *qui in teſtam fictilem converſum ſe putabat*, ut *Galenus* recenſet *lib.* 3. *de loco affect. cap.* 7. & *Avicenna libr.* 3. *Fen.* 1. *tract.* 4. *capit.* 17. ideò omnium duriorum corporum occurſum declinabat, timendo, ne colliſione totus frangeretur, aſſerebat ſe in teſtam fictilem converſum, & poſteà ab hac aſſertione inferebat, ergo oportet cavere à duris corporibus, ne frangar, & delirium erat in antecedenti aſſerto; ac *qui ſe feram, avem, vel gallum crediderunt, ex Galeno,& Avicenna loco cit.* aſſiduè metuerunt, ne à Venatoribus caperentur, & enecarentur, aſſerebant ſe eſſe feras; & in hac aſſertione delirabant, & per hanc aſſertionem continuo timore premebantur, unde rectè poſteà inferebant, ergo cavendum à Venatoribus, delirium in aſſertione antecedentis, quo poſito neceſſaria, & vera conſequentia. *Mulier*, ex relatione *Tralliani lib.* 1. *cap.* 16. *quæ dicebat medio ſuæ manus digito totum Orbem geſtare, plorabat ad digiti motum, timens, ne totus Orbis ſtatim corrueret*; & hoc timebat, quia aſſerebat, & affirmabat per operationem Intellectus ſe geſtare totum Mundum, digito hoc moto neceſſariò caſurum. *Lemnius lib.* 2. *cap.* 6. *de Complexionibus* narrat, *quendam nunquam ſediſſe, ne frangeret clunes, quas vitreas habere putabat;* hic ſyllogizabat, & ex præmiſſa aſſerta, & affirmata, quòd clunes vitreas haberet, inferebat non eſſe ſedendum, & in illa aſſertione antecedentis erat delirium, & niſi illam aſſeruiſſet, non potuiſſet deducere illationem non eſſe ſedendum, nec timorem concepiſſet frangendi clunes. Ex *Montano conſilio* 23. habemus *quendam exiſtimaſſe ſuperficiem Terræ eſſe ſubtiliſſimo vitro obductam, ſubtuſque eſſe Serpentes, ideo in lecto ſemper decumbebat, ne deſcendendo vitrum frangeret, & in Serpentes incideret*. Hæc illatio erat bona, ſed deducta ab aſſerto in antecedenti, quòd delirium oſtendit, & in quo timor Serpentum radicabatur; & ita in omnibus obſervationibus Melancholicorum ſemper videbitis aliquam aſſertionem, vel negationem, delirii, & timoris fundamentum; aſſertio verò, & negatio eſt opus Intellectus, conſequentet in melancholia adeſt læſio Intellectus, non ſolius imaginationis, ut major pars Medicorum ſentit; & licèt Intellectus veram conſequentiam ab antecedenti deducat, errat tamen in præſtando aſſenſu antecedenti clarè falſo, & eam non corrigendo.

Hoc delirium Intellectus eſt in componendo, vel dividendo phantaſmate, ità qui putabat terram vitream, cum Serpentibus ſubſtantibus, componebat phantaſma vitri cum phantaſmate Serpentis; talis compoſitio affirmabatur ab Intellectu, ob inadvertentiam ſuam, per quam non reflectebat alios deambulare, & non frangere terram, & impoſſibilitatem talis aſſertionis, cùm terra ſit habitabilis, & calcanda ab hominibus, à belluis, à brutis, ideòque excludere compoſitionem ſuam ex vitro.

Mœror pendet à timore, in quo adeſt compreſſio, & reſtrictio ſpirituum animalium, & vitalium, ut patet ex confuſione mentis, pulſu parvo, quæ timori ſunt ſemper conjuncta, & ſunt effectus dictæ oppreſſionis, & probat gaudium mœrori contrarium, hoc conſiſtit in expanſione dictorum ſpirituum, ita mœror in oppreſſione, & reſtrictione, & hac de cauſa, qui timent mœrent.

Dicitur *ſine cauſa manifeſta*, quia timor cum cauſa non eſt indiſpoſitio morboſa; cum ratione timet, qui timendi cauſam habet, cum delirio timet, qui timendi cauſam non habet.

Dicitur *ſine febre*, ad differentiam Phrenitidis, Paraphrenitidis, & Letharghi, in quibus adeſt delirium cum febre, & melancholia per hoc, quòd ſit delirium, convenit cum eiſdem morbis.

Admiſſa tali explicatione definitionis melancholiæ, aſſero inter Melancholicos non eſſe enumerandos eos, qui in ſuis deliriis aſſertionibus lætitia, & jucunditate perfunduntur. Narrat *Huart. Scrutin. Ingeniorum cap.* 7. *Famulum Hiſpanum ſe totius Mundi Monarcham exiſtimaſſe, cum magna animi voluptate ;* & ſimilem hiſtoriam refert *Marcell. Donat. in Hiſtor. Med. mirab. lib.* 2. *cap.* 1. *de Muliercula, quæ ſe eſſe Regi deſponſatam certò credebat, & ſi fortè in fragmenta vitrea, aut alia lucida corpora incidebat, à Conjuge Rege tranſmiſſas dicebat gemmas hæc, tamquam pretioſa, & pignora amoris dilecti Conjugis in arcam reponebat;* ita *Traſillaus Pithogori filius, omnes naves, quæ Portum ingrediebantur, tamquam ſuas excipiebat, tanto gaudio, ac ſi Dominus eſſet earum mercium, quas transferebant, & cùm à fratre ſuo Medicis conſignatus convaluerit, affirmavit ſe nunquam jucundiùs vixiſſe*; ita refert *Athenæus lib.* 12. & *Horatius lib.* 2. refert *de Argivo quodam, qui ſedens in Theatro vacuo tragœdos auditurus ibi permanebat, ope verò Cognatorum ſanatus, queſtus eſt extortam ſibi voluptatem jucundiſſimam, ademptumque mentis errorem gratiſſimum.* Hæc deliria, dico, non eſſe enumeranda ſub melancholia, eò quia non eſt cum eis conjunctus timor, & mœror, quæ ſunt eſſentialiter conjuncta cum melancholia; ſed eſſe aliud delirii genus à Medicis innominatum, & comprehenſum ſub una differentia melancholiæ, quam dicunt à ſanguine.

Cùm melancholia ſit delirium per læſam operationem ratiocinationis, & hæc exerceatur in capite, & in cerebro, non tamquam in organo, quia eſt potentia inorganica, ſed quia principium ſpirituum animalium, quæ dictæ facultati, non pro organo, ſed pro requiſito inſerviunt, ſedes iſtius affectus ſtabilieanda in cerebro; cum cerebro, non poteſt negari, cor pati ſimul ob timorem, & mœſtitiam cum delirio conjunctam; prædictas paſſiones ad cor referri, patet manifeſtè ab alteratione pulſus dictas paſſiones ſequente; eſt tamen tale ſubjectum melancholiæ cor, dependenter à cerebro, & ab operatione rationali Animæ. Non eſſet ſubjectum melancholiæ cor, niſi facultas rationalis timorem conciperet per cognitionem objecti naxii corruptivi præſentis, vel imminentis, à qua cognitione turbata, & agitata Anima, ſpiritus animales opprimuntur, reſtringuntur; talis paſſio ſpirituum cordi communicatur, dum motus cordis per nervos efficiendus debiliter peragitur, & ſanguis inæqualiter, & diminutè fluendo, & inæqualiter, & parùm rarefactus ob motum diminutum cordis, ad pulſum inæqualem debilem concurrit; ideò paſſio cordis non poteſt negari in melancholia, ſed non poteſt admitti tamquam independens, ſed cor debet ſtatui ſubjectum melancholiæ ſecundarium, & per læſionem facultatis rationalis, à qua læditur operatio cordis; primarium verò ſubjectum eſt cerebrum, in quo facultas rationalis operationes exercet. Quod docuit *Hipp. lib.* 6. *de morbis popularibus ſect.* 8. *tex.* 68. dicendo *: Atrabilarii comitiali morbo corripi plerumque ſolent, & invicem comitiales fieri ſolent atrabilarii* (hoc eſt Melancholici); *uterque verò morbus magis fit, prout ad alteram partem inclinarit ; ſiquidem enim ad corpus inclinarit, comitiales fiunt, ſi verò ad animum, atrabilarii*, Melancholici dicti : ex qua ſententia Hippocratis colligitur primò, ſubjectum melancholiæ eſſe etiam ſubjectum morbi comitialis, hujus eſt cerebrum, conſequenter & illius; ſecundò lædi operationes Animæ rationalis in melancholia, nam per illa verba, *Si pervenerit ad animum*, intelligendum eſt, ſi læſerit operationes Animæ magis proprias, ut eſt ratio.

Cauſam Delirii immediatam, patet ex dictis de Intellectu eſſe compoſitionem, vel diviſionem phantaſmatum, evidentem repugnantiam continentem, non animadverſam ab Intellectu, ideòque non correctam, ſed formali aſſenſu acceptatam, & confirmatam.

Hìc duo conſideranda veniunt: primò cauſa aſſenſus dictæ compoſitioni, & diviſioni phantaſmatum, in quibus adeò clara eſt repugnantia; ſecundò contumacia in hoc aſſenſu irrationabili invincibili à quacumque ratione.

Quoad primum, nempè quoad cauſam aſſenſus præſtiti ab Intellectu diviſioni, vel compoſitioni phantaſmatis irrationabili, nulla alia eſt, quàm illa generalis movens Intellectum ad aſſentiendum alicui propoſitioni, & eſt veritas ſyncera, vel apparens cognita in propoſitione; hac enim unicè cogitur intellectus aſſentiri propoſitioni cuilibet ei repræſentatæ, qua ratione Intellectus aſſenſum præſtans propoſitioni, in qua prædicatum in ea contentum repugnat clarè, evidenter ſubje-

ſubjecto, ideò præſtat aſſenſum, quia veritatem in dicta propoſitione cognoſcit, & ſi non cognoſceret veritatem, non præſtaret aſſenſum. In delirio ergo propoſitio continens evidentem repugnantiam terminorum inter ſe, ideò aſſeritur, quia in ea cognoſcit Intellectus veritatem, & in hac firmiter ſiſtit, non animadvertendo repugnantiam claram, quam habent termini propoſitionis aſſertæ inter ſe, qua non animadverſa repugnantiam terminorum, non detegit Intellectus, & apprehenſæ veritati aſſentitur.

Ab hac inadvertentia oritur contumacia in aſſertione propoſitionis, nam Intellectus cognoſcens in propoſitione veritatem, nullam diſcernens repugnantiam terminorum, contumax evadit in cognita veritate, ſicuti talis eſt ſemper, quando veritatem cognoſcit, & neceſſe eſt, ut talis ſit, quia eſt potentia neceſſaria. Veritatem, quam videt in propoſitione, deducit clarè, & diſtinctè à phantaſmate, nam compoſitum eſt, v. g. phantaſma in cerebro repræſentans terram vitream, & ſubtus hanc Serpentes, Intellectus ſpeculans hoc phantaſma, clarè, & diſtinctè cognoſcit in hoc terram vitream cum Serpentibus; ſiſtens Intellectus in hac repræſentatione phantaſmatis, concludit cum aſſenſu, terram eſſe vitream, & ſub ea eſſe Serpentes, nec dimoveri poteſt ab hac concluſione, & aſſenſu, quia clarè, & diſtinctè videt rem ita ſe habere in phantaſmate, & plus fidit repræſentationi phantaſmatis, quàm rationi contra dictam repræſentationem allatæ, & tantò magis credit phantaſmati repræſentanti, quantò magis clarè, & diſtinctè in hoc videt, & contemplatur terram vitream, & ſubtus eam Serpentes; ideò nulla ratione convincitur erraſſe in præſtito aſſenſu, in quo nullam cognoſcit repugnantiam terminorum, quia clarè, & diſtinctè cognoſcit in phantaſmate terram eſſe vitream, & cum Serpentibus.

Intellectus ergo, ratione phantaſmatis clarè, & diſtinctè repræſentantis terram vitream cum Serpentibus, errat, & delirat, & ratione inadvertentiæ, & prætermiſſionis examinis dictæ propoſitionis continentis terram eſſe vitream, cum ſubtus Serpentibus; nam ſi conſideraret terram immenſa molium pondera ſuſtinentem, una cum pondere hominum, animalium, & vegetabilium, & conſideraret vitrum friabile à minimo pondere frangi, deduceret, terram non poſſe eſſe vitream; & ſi adverteret terram fodi, arari, & germinare, & facta comparatione cum vitro, quod nec fodi, nec arari poteſt, nec germinationi ſervire poteſt, vel non aſſentiretur propoſitioni terræ vitreæ, vel datam aſſertionem retraheret.

Quomodo phantaſmata componantur, & depraventur, & clarè, & diſtinctè repræſentent rem, cujus ſunt imagines, dictum eſt ſuperiùs, ubi de Phantaſmate, & in dictis inveniemus cauſam depravationis, & claræ repræſentationis phantaſmatis.

Solùm hoc addo, phantaſma fieri ab actione objecti ſenſibilis in organum ſenſus, & in ſedem ſenſus communis, ut loco cit. dictum eſt, quo admiſſo, prout admitti debet, ſequitur terram, quatenus eſt corpus viſibile, non habere actionem concurrendi ad elaborationem phantaſmatis eam vitream cum Serpentibus repræſentatis; quapropter dicendum eſt actionem objecti ſenſibilis, poſſe mutari in medio vel in organo, vel in ſede ſenſus communis, vel ab aliqua apparentia, ut ab hac elaboretur phantaſma repræſentativum rei diverſæ ab objecto agente in organum ſenſus. Hujus argumentum habemus in caſu illius, *à quo aſſerebatur conſtanter ranas in ventre habere, cum à flatibus per inteſtina diſcurrentibus, percipiebat aure ſonitum æmulantem ſonitum ranarum.*

An Cauſa remota, & immediata depravationis phantaſmatis ſit intemperies cerebri, vel humorum depravata craſis, & ſpirituum animalium vitium, concludendum affirmativè ex Hipp.

Humorum vitio, & ſanguinis melancholicum delirium fieri, videtur ab *Hipp.* demonſtratum *aphor.* 11. *&* 21. *ſect.* 6. & in *Coac. prænot. n.* 1. quibus locis melancholiam ſanari per fluxum menſium, hæmorrhoidum, & ad varices, cum magna iſtarum intumeſcentia, ſancivit. Si ſanguinis fluxu curatur melancholia, ergo à ſanguine depravato melancholia; & in *lib. de flat. n.* 20. docuit, ſanguine in conſtanti habitu perſiſtente prudentiam conſiſtere, ſanguine permutato concidere ſimul prudentiam, & conſequenter delirium emergit; & in eodem loco ait, *à refrigerato ſanguine ſomnum procedere, & inſomnia*, quæ ſunt ſomniantium deliria, & prudentiam concidere; concidit prudentia in delirio, conſequenter à frigiditate ſanguinis poteſt fieri delirium, ſicut ab eadem fiunt inſomnia, & opiniones peregrinæ ſurgunt, quæ ſunt ſomniantium delirium; & à frigiditate delirium confirmavit *Hipp. lib.* 1. *de Diœta num.* 35. his verbis: *Si verò adhuc amplius ſuperetur ignis à præſenti aqua* (quæ eſt frigida) *hos jam alii deſcipientes* (ideſt delirantes) *alii attonitos, ſive ſtupidos appellant.* A quantitate ſanguinis delirium proficiſci, probat eodem loco exemplo ebrii, dum ait: *Quin & in temulentis aucto de repente per ebrietatem ſanguine percellitur animus* (legit *Foeſius, concidit animus*) *& in animo prudentia, & fiunt præſentium malorum obliviosi, ac futurorum bonorum fæcunda ſpe beantur*, quæ ſunt ſigna permutatæ prudentiæ, & delirii. Ab omnibus primis qualitatibus deliria profluere, determinavit *lib. de morb. ſac. num.* 16. ubi habet: *Eodem* (hoc eſt cerebro) *inſanimus, & deliramus, & terrores, & timores nobis accedunt partim noctu, partim interdiù, & inſomnia, & errores intempeſtivi, & curæ inanes, & ut non noſcamus adſtantes, & deſuetudo, & inexperientia, atque hæc omnia perpetimur à cerebro, cùm ſanum non fuerit, ſed aut calidius, quàm ex natura fiat, aut frigidius, aut humidius, aut ſiccius, aut quid aliud perpeteatur præternaturam, & conſuetudinem.* A ſpiritu animali depravato cauſam delirii deduxit *Hipp. cit. lib. de morb. ſac. nu.* 17. cùm ſtatuerit in ſpiritu animali ſapientiam, prudentiam, & intelligentiam pendere, ait enim: *Ad intelligentiam verò internuncius eſt cerebrum, cùm enim homo ſpiritum in ſe ipſum attraxerit, primum quidem ad cerebrum pervenit* (& videtur ſuſtinere ſententiam ad generationem ſpiritus animalis aerem, ſeu æther concurrere;) *& ſic ad reliquum corpus aer* (ideſt ſpiritus animalis elaboratus mixtione aeris cum particulis ſpiritalibus ſanguinis) *diſpergitur, relinquens in cerebro ſuum ipſius vigorem, & quidquid prudens, ac ſapientia præditum fuerit; ſi enim in corpus primùm perveniret, & poſterius in cerebrum, relicta in carnibus, & venis dinotione, ac judicio* (hoc eſt potentia ſerviendi cognitioni, & intelligentiæ) *ad cerebrum jam calidus exiſtens perveniret, & non ſincerus, ac purus, ſed à mixto humore, à carnibus, & ſanguine, ut non amplius exactè ſincerus eſſet.* His ultimis verbis nos monet de modo, quo ſpiritus animales intelligentiæ, & prudentiæ non ſerviunt, quando non ſunt ſinceri, & puri, ſed contaminati, & impuri ab humore, à carnibus, & ſanguine; & per humorem intelligendæ ſunt tenuiſſimæ particulæ carnium, & ſanguinis, ſed à natura ſpirituum declinantes, iſtarumque reſpectu excrementitiæ, & impuræ, vel vapores ejusdem indolis, cùm certi ſimus, humores, quales ſunt in venis, & in carnibus, ſpiritui animali in cerebro non miſceri, niſi per humorem, intelligeremus ſuccum nerveum ſpiritus animales retinentem, à cujus impuritate depravationem ſuſcipiunt. In ebriis, de quibus locutus eſt *Hipp. cit. ſuperiùs lib. de flat. n.* 20. læditur ratio cum delirio, ob ſpiritus animales à vaporibus vini contaminatos.

Quomodo verò ab his cauſis delirium proveniat, non poteſt explicari, nec intelligi, niſi admiſſa confuſione, compoſitione, vel diviſione phantaſmatum, de quibus actum fuit ſuperiùs de phantaſmate; quæ omnia contingunt per motum ſpiritus animalis, vel vaporis, vel exhalationis, ut dixi de Phantaſmatum excitatione ſuperiùs. Præterquamquòd cùm iſtæ qualitates ſint cum materia, & cum materia in motu, vel potius materia modificata cum motu, patet, non ſolùm poſſe ſpiritus agitare, & confundere, ſed etiam modificationes fibrarum alterare, & novas efformare.

Nec quia deliria melancholica pro majori parte curationem non admittant, arguenda Hipp. ſententia, & rejiciendæ iſtæ cauſæ, cùm hæ omnes facilem etiam admittant curationem, cùm in primis qualitatibus cerebri conſiſtant ad præternaturalem ſtatum redacti, & nihil in Medicina facilius, quàm has qualitates corrigere; ſpiritus verò impuros depurare, quam ſit facile mul-

torum morborum curatio, ab horum impuritate pendentium demonſtrat. Nam ab iſtis cauſis poteſt introduci aliqua indiſpoſitio in cerebro organica, quæ non poſſit tolli à cauſa contraria, nec difficile eſt invenire indiſpoſitionem organicam à dictis cauſis peractam; nam certum eſt, delirium pendere à phantaſmate, phantaſma non eſt, niſi modificatio fibræ; hanc dictæ cauſæ in cerebro perfecerunt modo ſupradicto, ſed cauſæ contrariæ tollere non poſſunt hanc modificationem fibræ, verb. g. frigiditas condenſando, conſtipando valet modificationem in fibra introducere, & idem agere conglutinando ſimul plures fibras modificatas, calor non valet modificationem à frigido introductam tollere, ſicuti pars laxata ab humido, non reſtituitur in ſuo loco à ſicco, & ſolùm remittitur manuali operatione, & quandoque fibra à frigido modificata, non eſt ita diſpoſita, ut à calido aliam modificationem recipiat. Multæ circumſtantiæ requiſitæ ad mutationem modificationis fibræ conſtituentes phantaſma, delirium oſtendunt, ſi non impotentiam, magnam difficultatem in mutatione dictæ modificationis: primò, ut perveniat ad locum fibræ circa ſedem ſenſus communis; ſecundò, ut ſit talis activitatis, à qua moveri poſſit fibra modificata; tertiò, ſi movetur, ut moveatur quantum mutatio modificationis exigit; quartò, ut fibra non reſiſtat motui caloris; quintò, ne ſit calor, qui exſiccet, nam modificationem contumaciorem efficiet; ſextò, ut moveat, & agat in eam partem fibræ, in qua eſt modificatio, deliri phantaſmatis: conſideranti has circumſtantias requiſitas ad ablationem modificationis à fibra cognoſcet impotentiam phyſicam, modificationem per contrarias qualitates mutandi, vel obliterandi.

Præter recenſitas cauſas ab Hipp. de delirio, puto conjungi indiſpoſitionem organicam, nempè dictam fibræ modificationem, & reſiſtentem in deliriis contumacibus; in eis, quæ citò deſinunt, ut in febribus, puto ſolam confuſionem phantaſmatum intervenire, quæ confuſio ceſſat, ceſſante cauſa confundente.

Inter cauſas delirii ab Hipp. recenſitas, frigiditas melancholiæ accommodanda eſt, ut patet ab ipſo nomine. Dicitur Melancholia, quia fit à melancholia, quæ eſt humor frigidus. Timor, & Mœror inſeparabilia, ideòque eſſentialia hujus affectus ſymptomata, hanc frigiditatem oſtendunt, ſaltem reſpectivam; incaleſcit corpus ab expanſione, & motu ſpirituum, & particularum calidarum ſanguinis in copia; refrigeratur in oppreſſione, & concentratione eorumdem. At certum eſt ab apprehenſione mali corruptivi, in qua timoris eſſentia conſiſtit, ſpiritus, & particulas calidas ſanguinis concentrari, & expanſionem, & motum validum eis interdici, ut patet à tremore, & frigiditate corporis, à pulſu, ex ſui natura magno, ad parvitatem, & debilitatem redacto. In timore eſt frigiditas per concentrationem ſpirituum, & particularum calidarum, quam pallor in facie manifeſtat. Mœror eſt languor quidam ingratus, in quo conſiſtit incommoditas, ſeu afflictio, quæ Animæ obvenit ex malo, ſeu defectu boni. Hic languor eſt ſenſibilis corpori, & non provenit niſi à communi cauſa languoris, nempè à quantitate ſpirituum diminuta, eorumque motu, & actione enervata, à quibus frigiditas proficiſcitur reſpectiva, ut patet in pulſu debili, & lento mœrentium, à corporis inertia, à ſenſu conſtrictionis cordis, quod tamquam vinculis ligatum ſentiunt mœrentes; & ſi à frigiditate pendent ſymptomata inſeparabilia, & eſſentialia melancholiæ, hanc ab eadem frigiditatem pendere concludendum. Confirmatur hæc ſententia ab *Hipp. lib.* 1. *de Diæt. n.* 35. ubi poſtquam ſtabilierit delirium à frigiditate fieri, ſubjungit: *Hi plorant nemine moleſtante, aut verberante, formidantque non formidanda, & triſtantur in rebus nihil ad ſe pertinentibus, & ſentiunt ea, quæ non conveniunt ſapientibus;* hæc omnia ſunt communia melancholicæ affectioni, & cùm oriantur à frigiditate, hanc etiam eſſe cauſam dictæ affectionis, ex Hipp. mente, determinandi locum habemus.

Admittenda etiam illa, quæ ſpiritus animales coinquinatos à particulis eorum naturæ ætherogeneis hoſtilibus reſpicit; nam certum eſt ad operationes rectas Intellectus concurrere ſpiritus animales, nam qui iſtarum excellentia illuſtrantur, ſpiritus etiam animales claros, lucidos, agiles, ſubtiles obtinent, & cùm tales ſint in Juvenibus, & ætate conſiſtentibus, ideò Senes in operationibus intellectualibus ſuperant, & Regiones, quæ ad has ſpirituum conditiones aere, & cibo concurrunt, præſtantiſſima colligunt ingenia; ſpiritibuſque ab iſtis conditionibus declinantibus, ingenium ab excellentia diſcedit. Quomodo verò à ſpiritu depravato diſponatur Intellectus ad delirium, & ad aſſenſum unionis prædicati cum ſubjecto clarè repugnantis, non poteſt rectè explicari, niſi ab eo, qui novit, qua ratione ſpiritus animales concurrant ad rectum judicium. Motiva ſuper hoc ratiocinandi habemus in Solatro furioſo, cujus radix ad drachmam unam cum vino ſumpta, jucundas imagines menti repræſentat, cum jucundo delirio, & ad duas drachmas epota radix prædicta, dementiam formalem inducit, & etiam cum furore; talis effectus rationem non poſſumus reddere, per ea, quæ nobis nota ſunt, niſi per confuſionem, & alterationem ſpirituum animalium, per quam Intellectus in delirium trahitur, & in aliquo ſpirituoſo, & valdè ſubtili læſionem, per quam delirat Intellectus, conſiſtere. Cura inducti delirii breviſſimo tempore, cum potu Aceti peracta hoc demonſtrat; nam ſi organica introduceretur indiſpoſitio, vel humoribus alteratio, nòn adeò ſubitò cederet affectio excitata; ab hujus remedii actione ſuſpicatus ſum, deliria aliqua poſſe ab affecto orificio ſuperiori ventriculi proficiſci, cùm Acetum in dicto caſu non valeat tam brevi tempore, niſi ventriculi affectionem corrigere, nullo minimo remanente in capite ſigno præcedentis læſionis.; obſervandum etiam ſi drachmæ tres prædictæ radicis exhibeantur, perpetuàm inducere dementiam, quia à tali doſi contumax ventriculo imprimitur affectio: in hujus ſuſpicionis ſubſidium licet animadvertere, in melancholicis, & aliis etiam delirantibus in principio aliquam ventriculi paſſionem reperiri, in quo caſu, ſi non valeret ſententia Helmontii de ſede Animæ in orificio ſuperiori ventriculi, valeret pro ſtabiliendo dicti orificii conſenſu, cum eis, quibus utitur Anima pro exercendis operationibus intellectualibus. A morboſa enim affectione nervorum dicti orificii traducta ad eorum originem circa ſedem ſenſus communis, ſpiritus animales poſſunt alterari, vel fibra aliqua ſedis ſenſus communis ita modificari, ut ſit repræſentativa objecti continentis repugnantiam prædicati, cum ſubiecto, cui præſtitus aſſenſus delirium parit.

Vitium ergo ſpirituum animalium, prout eſt in ebriis, & in eis, qui radicem Solatri furioſi aſſumpſerunt, valet delirium inducere, & etiam melancholicum, ſi temperamento melancholico superveniat dicta alteratio.

Cauſæ magis remotæ hujus affectus ſunt, præcipuè fixa imaginatio circa objectum triſte, paſſiones animi triſtes, & moleſtæ, inſomnia, quandoque deliri melancholici cauſa fuerunt, phantaſma enim in inſomnio adeò clarè, & diſtinctè objectum triſte repræſentavit, ut in vigilia aſſenſum ab Intellectu violenter rapuerit; ita vigilando otioſi, quandoque phantaſmata ſibi fingunt, prout in inſomniis contingit, & ex frequenti imaginatione, cogitatione, & fixatione in hæc phantaſmata tandem deveniunt, ad hoc ut vera credantur, eum delirio. Remotiores cauſæ ſunt, quæ melancholicum humorem generare, & depravare valent, quas, ex Hippocratis mente, ſuperiùs cenſuimus; & apparentiæ quædam ſenſuum organa afficientes, quæ multoties in lumine parvo debili viſui apparent, licèt vanæ, & aliis ſenſibus paſſim occurrunt.

Differentiæ melancholiæ, meo judicio, non habentur niſi per eſſentiam, & per conſenſum; poteſt etiam aſſignari alia differentia à cauſa, nempè ab humore melancholico, de qua agimus, vel à ſanguine, quæ eſt cum riſu, & convenit cum ea, quam à diaphragmate oriri aliqui volunt.

Signa hujus affectus ſunt, delirium cum timore, & mœrore, ſine cauſa manifeſta, quod expreſſit *Hipp. libr.* 6. *aphoriſ.* 43. & *Gal. in Comment.* affirmat, per timorem, & mœrorem diſtinguitur à reliquis inſaniis.

Quoad

Quoad prognoſticum, hic morbus minimè lethalis eſt, ex *Hipp.* 1. *de morbis*, niſi conjungantur ſymptomata lethalia, ut advertit idem *Hipp. ſect. 6. aphor. 56. & 6. Epidem. circa finem*, admonendo, *Melancholiam ſolere converti in Epilepſiam, convulſionem, Apoplexiam, & cæcitatem*, quod affirmat *Gal. in eodem Comm.* & exemplum dat *Ariſtoteles* 3. *parte Problem.* 1. narrando, *Herculem melancholicum, & epilepticum fuiſſe.* Si fuerit recens indiſpoſitio, non multo negotio curatur, teſte *Gal.* 3. *de loc. affect. cap.* 7. cùm afferat: *Sola victus ratione probum ſanguinem augente, & balneo aquæ dulcis melancholicos multos reſtituiſſe*; & *Alexander Tralian. & Raſis in cap. de Melancholia* fatentur, *hanc indiſpoſitionem in principio non eſſe difficilis curationis*; *ſi verò radices fixerit, difficilius curatur, & præcipuè illa, quæ cum flatu, & continuo timore, & mœrore.* Si varices in cruribus intumeſcant, & hæmorrhoides aperiantur, vel uteri venæ, bonum, & morbi ſolutio, ut prædixit *Hipp. ſect.* 6. *aphor.* 11. & 21. *Celſus lib.* 2. *cap.* 8. addit, hoc quoque præſagire tormina ventris, quæ materiam morbificam ad inteſtina deſcendiſſe connotant, quod accepit ab *Hipp. lib.* 7. *aphor.* 5. ubi ſcriptum reliquit: *Inſanientibus ſi diſſenteria ſuperveniat, bonum.*

Indicationes ſunt, errores primò, & principaliter in phantaſmatibus latentes detegendi, & corrigendi per verum ratiocinium, & per rationes veras, & efficaces ægrum inducendo ad deponenda omnia præjudicia, proponendo illi anticipationes, vel notiones in ſua mente etiam collectas, quas ex inadvertentia Intellectus non animadvertit, & fugiendo, fixam in propoſito phantaſmate imaginationem, jucundis rebus ægrum divertendo, animi paſſiones moderandæ, & expellendæ. In hoc delirio ſtatutum eſt, melancholicum humorem depravari tam in qualitatibus primis, quàm ſecundis, quæ ſolent ſequi primarum ſtatum, in frigiditate, ſiccitate, & aciditate naturali aucta, ideò iſtæ moderandæ, & ad meliorem indolem revocandus talis humor; & quia diximus ſpiritus etiam animales coinquinari à miſcella particularum hoſtilium, & vaporum, conſiderandum cujus conditiones ſint humores, dempta melancholia in corpore redundentes, & iſtis etiam proſpiciendum alteratione, & purgatione, in his duobus ſolùm caſibus depravationis ſanguinis, & ſpirituum ars medica auxiliares præbet manus. Vitium verò phantaſmatis contumax, ſeu fibra altè, & firmiter modificata, artis auxilia non audit; experiendum ergo, an in humoribus, & in ſpiritibus ſit vitium, medicamentis proponendis, quibus non proficientibus, relinquendum eſſe ſibi ipſi ægrum cenſeo.

Pro ſatisfaciendis hiſce indicationibus, in uſu eſt apud Medicos ſanguinem mittere, & miſſionem reiterare à diverſis partibus, cùm obſervatum ſit hunc morbum, & per fluxum menſium, & per fluxum hæmorrhodalem, & per ſanguinem ad varices tranſmiſſum, ut notavit. *Hipp. aphor.* 11. *ſect.* 6. & *aphor.* 21. *ejuſdem ſect. & in Coac. prænot. numer. primo* ſanari.

Ex altera parte *Gal.* 3. *de loc. aff. capit.* 7. ait: *Ubi univerſum corpus ſuccum, ſanguinemque melancholicum continet, à venæ ſectione auſpicanda curatio; ubi ſolùm cerebrum infirmius, ſanguinis detractione non eget, licèt alia de cauſa mitti poſſit. Areteus* ait: *Ponderatione indigere, an ſanguis detrahendus ſit in melancholicis.*

Ulteriùs humor melancholicus faciens melancholiam eſt depravatus, & alienus à ſua natura per ſolas qualitates, quæ alterationem, non miſſionem ſanguinis indicant; quapropter potius Gal. ſententiæ adhærerem, quàm contrariæ, niſi adeſſet ſanguinis plenitudo, & niſi ſuppreſſa eſſet aliqua evacuatio, vel menſium, per quam *Hipp. lib. de Virg. n.* 3. in inſaniæ curatione ſanguinem mittit, & locum habet, ubi hæmorrhoides ſupprimuntur.

Natura curavit melancholiam aliquando per fluxum menſium, & per hæmorrhoidas, & per tranſmiſſionem ſanguinis ad varices, quando aderat plenitudo ſanguinis melancholici, vel ſuppreſſa aliqua evacuatio à plenitudinis irritamento determinata natura ad expulſionem redundantis ſanguinis, excepta plenitudine particulari capitis, vel univerſali totius, nulli, vel rari caſus curationis melancholiæ à natura per criſim ſanguinis, & de rara hac curatione ignota eſt nobis cauſa, cùm praxis oſtendat ſine fructu miſſionem ſanguinis exerceri, dempto caſu plenitudinis particularis, vel univerſalis, vel efferveſcentiæ.

Cauterium ſupra ſuturam coronalem, à multis laudatur; ſed oportet, ut os capitis uſtionem ſentiat, & diù remaneat. Trapanatio, ab aliquibus exercetur, motis exemplo melancholici, cui caſu fracta calvaria, ſalutem dedit, de quo habet obſervationem *Rondeletius in lib.* 1. *Pract. cap.* 41. *Rhodius centur.* 1. *obſerv.* 43. eſt tamen remedium periculoſum, & niſi deſperato caſu exercendum.

Purgatio non prætermittenda, exemplo *Hipp. aphor.* 9. *ſect.* 4. & *lib. de Affect. n.* 35. ſed non cum Helleboro, aut Elaterio, aut Antimonio, quibus aliqui incauti utuntur, quia per purgantia iſta valida tota maſſa ſanguinis ſummè agitatur, cùm hac ſpiritus animales & phantaſmata, & delirii augmentum provenit. Ulterius humor melancholicus craſſus reſiſtens non purgatur, ſed ſolùm qui non peccat, unde purgationis inutilitas à primo, à ſecundo detrimentum, & à ſucceſſu hujus purgandi modus reprobatur, cùm valida purgantia potius ægri detrimento, quàm utilitati fuerit, & *Meſue* ſententiæ fidendum, qua ſancitum reliquit: *Idem facere debile medicamentum repetitum, quòd vehemens ſemel, & confeſtin, cum hac tamen differentia, quòd primum vires minimè, ſecundum multum debilitat*; quapropter per Epicraſim inſtituenda purgatio. Decoctum *Epithymi* eſt proprium, ſicut ſequens Pulvis.

℞. *Sumit. Epithymi* ℥. ß.
Lapid. Lazul. præp. } *ana* ʒ. *ii.*
Agaric. trociſc.
Scammon. ʒ. *i.*
Caryophil, n. xx.
M. f. Pul. pro quinque Doſibus.

Vel Decoctio ſequens:

℞. *Paſſular.* ℥. *vi.*
Fol. Borag. } *ana p. i.*
Viol.
Meliſſ.
Galang. inciſ. ʒ. ß.
Fol. Senæ ℥. *vi. f. Decoct. & infuſ. per noctem, manè rurſus ebulliet fort. exprim.*

℞. *Hujus expreſſion.* ℥. *iiii.*
Syrup. de Polyp. ſol. } *ana* ℥. *i. diſſol.*
Mann.

Et omni ſeptimo, vel decimo die unum ex his medicamentis exhibendum per quatuor, vel quinque vices, & poſtea omni menſe. Vomitum etiam imperat *lib.* 1. *de Diæta n.* 33. ubi habet: *Confert & vomitibus uti* (& agit de curatione melancholiæ ſuperiùs deſcriptæ) *quo corpus depurgetur, ſi quid defectuoſius labores tranſegerunt.* Excitandus lenioribus vomitivis, & etiam vehementioribus pro copia humoris, & natura patientis. Remediorum materiam, & formam multis in locis proponemus.

Indicationes perfectam, & integram curationem abſolventes nobis proponit *Hipp. lib. cit. de morb. ſac. circa finem* in univerſali præcepto his verbis comprehenſo: *Oportet autem tum in hoc morbo, tum in reliquis omnibus non augere morbos, ſed feſtinare, ut ipſos exterramus id, quòd adverſiſſimum eſt morbo exhibendo, non quod amicum, & familiare; à familiari enim, & conſueto floret, ac augeſcit; ab adverſo verò, & hoſtili perit, & diſſipatur; quiſquis autem talem mutationem novit in hominibus, ac humidum, & ſiccum facere poteſt hominem calidum, item & frigidum per diætam, hic utique, & hunc morbum ſanaverit, ſi occaſionem eorum, quæ conferunt prænoſcet*; hæc licèt probata ſint de morbo ſacr. aliis tamen applicanda veniunt. Et *in lib.* 1. *de Diæt.* ſuperiùs cit. *Omnem deſipientiam deducit, vel ab aqua ignem ſuperante, vel ab igne ſuperante aquam*, quòd idem eſt dicere, deſipientiam oriri vel à frigiditate, vel à caliditate; & cùm demonſtratum fuerit ex eodem Hipp. melancholiam originem habere à frigiditate, concludendum eſt etiam calidis remediis hanc eſſe oppugnandam, ignaviam illorum Medicorum deteſtando, qui in curatione hujus affectus frigi-

frigidis ſemper utuntur, contra quos clamat *cit. ſuperius ſententia de morb. ſacr. Hipp.*

Facta ergo purgatione vel per vomitum, vel per ſeceſſum, & ſanguinis miſſione juxtà tradita, præparandi humores melancholici, & frigiditas cerebri calidis remediis, & ſpecificis, in quorum numero ſunt *Fumaria*, *Cetrach. Epithymum*, *Polypodium*, *Cherefolium*, *Naſturcium aquaticum*, *Salvia*, *Meliſſa*, *Serpillum*, *Lavendula*, *Calendula*, ex iſtis paranda decocta ad quantitatem ℔. *i.* exhibenda manè, & ſerò; corrigenda enim maſſa ſanguinis, & cerebrum corroborandum, & quantitas remedii pauca ad hæc non pervenit. Horum alterantium robur augendum vel *Tinctura Lapidis Lazuli*, vel *Croci*, quæ dicitur melancholiam mirè ſedare, ſicut *Eſſentia florum Hyperici*, *Theriaca*, *Mitridatum*, *Electuarium Cephalicum majus*, *Species lætificantis Gal. Diambræ* ſummè valent; *Confect. Alchermes*, *Elix. proprietatis Paracelſi ſine acido*, & ex iſtis parandi boli, electuaria, mixturæ: *Lapis Bezoar.* extollitur in curatione melancholiæ. *Compoſitio Cacunde*, cujus deſcriptionem vide *apud Zacutum in lib. Hiſt. Princip. Medic. de Melancholia*. Inter omnia placet Mixtura ſimplex dicta *à Rolfincio in Chymia ad artem redacta*, deſcripta cum *Aqua Pulegii*, *Theriacali*, *Lavendulæ*, exhibita, ab hac ſudor, & urina provocatur; & per hujus excretionem curari melancholiam, docuit *Valleſius in Com. lib. 5. Epid. numer.* 82. *ex mente Hipp.* & certè hæc eſt tutior via ad oppugnationem hujus Herculei morbi ducens. *Chalybeata* laudantur *in Syrupo*, *electuario*, *pulvere*, *tinctura*, cum decocto ex dictis ſimplicibus. *Acidulæ ferratæ*, & *Balneum aquæ dulcis* provocato per hoc ſudore.

Diœtam exiſtimavit *Hipp.* in affectibus inſaniæ neceſſariam, cùm *lib. de Diœta* de iſtis agit. Totam curationem diœta circumſcribit, excepto vomitu, purgatione, exercitio, & fomentis, ut videre *à nu.* 33. *uſque ad* 38. *ejuſdem lib.* at *in num.* 35. ubi agit de inſania cum timore, & terrore, habet: *Diœta uti, quam prius dixi*: & *in num.* 33. habet, *Confert & vomitibus uti, quo corpus depurgetur, ſi quid defectuoſius labores traſegerunt*; *à vomitu autem paulatim adjiciendo, cibus offerendus eſt minimum ad quatuor dies*. Per quatuor ergo dies, primò minimum cibi exhibendum, poſtea cibus augendus quotidie, ſed paulatim, itaut fames numquam ſatietur, ſed æger ſit ſemper cum indigentia cibi. & hanc cibandi regulam in inſania replicat *lib. de Inſum. num.* 3. ubi habet: *Si igitur fortis fuerit contrarietas vomitum facere conducit, & cibos leves exhibere ſenſim adjiciendo aliquid ad dies quinque*; *ſi verò debilior fuerit contrarietas, detracto vomitu, tertiam cibi partem adime, atque hanc ſenſim rurſus ad dies quinque adjice*. Hæc quoad quantitatem, quoad qualitatem hanc determinat *Hipp. cit. tex.* 35. 1. *de Diœta* his verbis: *Indigetque talis homo attenuatione pulmonis, & ſiccitate*, & loquitur de homine à deſipientia cum timore afflicto: attenuatio, & ſiccitas eſt totius caloris opus, conſequenter calidus cibus convenit, quod confirmavit *nu.* 33. ſcribendo: *Talibus confert uti victu ad ignem magis tendente*, & loquitur de victu convenienti in deſipientia introducta ab aqua ignem ſuperante. Conſideranda veniunt illa verba, *Pulmonis attenuatio*, *& ſiccitas*, tamquam expreſſiva vel ſanguificationis in pulmone, vel diſpoſitionis ab iſtis chyloſæ materiæ impreſſæ, & ad ſanguificationem neceſſariæ: hanc doctrinam Recentiores dilucidarunt. Ideò alimenta aromatibus condenda in melancholia, & ea ſeligenda, quæ calefaciunt. Si aliquod remedium conducit morbo, certè eſt Diœta ab Hipp. deſcripta, cum exercitio conjuncta, pro qua rectæ inſtituenda videndi citati textus per ſe ſatis clari. Vini uſus non interdicendus. Acetum reprobat *Hipp.* 3. *de rat. vict. in acut.* dicendo, *Nigra fermentare*, *& in ſublime attollere*, *& multiplicare*. Aer lucidus eligatur, & purus, animi triſtes paſſiones vitentur, jucunda converſatio cum ſono, & cantu eligenda, alvus lubrica ſervetur, *Coitu utendum eſſe*, *aquæ acceſſibus contingentibus frequentiore*, melancholiam *aquæ nomine* ſæpè denotavit *Hipp. in ignis autem impreſſionibus pauciore*, enunciavit *Hipp. lib.* 1. *cit. de Diœta num* 33. ratio eſt, quia ſemen retentum, & exuberans melancholiam quandoque inducit, conſequenter inductam magis fovere valet.

Melancholia per conſenſum ſic curatur, ſedata partis indiſpoſitione, à qua provenit.

C A P. XIII.

De Melancholia Hypochondriaca.

Melancholia morbus propriè ſumpta, & ſine addito, eſt morbus, cujus ſedes in cerebro manet; de hoc morbo actum eſt in præcedenti Capite. Alia eſt melancholia cum addito, & eſt Melancholia Hypochondriaca, eò quia ſedem habet in Hypochondriis primariam; ab horum vitio cerebrum læditur, eo modo quo læditur in prima; ideò dicitur Melancholia per conſenſum, de qua modò agendum.

Hunc affectum deſignaſſe videtur *Hipp. in libr.* 2. *de morb. nnm.* 70. ſub titulo: *Cura morbis difficilis*, his verbis: *In viſceribus velut ſpina eſſe videtur, & pungere, & anxietas ipſum corripit, & lucem, ac homines fugit, & tenebras amat, & timor invadit, & ſeptum tranſverſum foris tumet, & ad contactum dolet, & expaveſcit, & terriculamenta, & ſomnia horrenda videt, & quandoque etiam mortuos.*

Ab explicatione hujus textus, eſſentia, & ſedes hujus affectus prodibit.

Viſcera, quidquid inter cutem, & oſſa cernitur, connotant lato modo ſumpta, ſtricto verò modo partes in medio, & infimo ventre contentas, indicant cor, pulmones, ſeptum tranſverſum, ventriculum, meſſenterium, hepar, lien, inteſtina; non rejicerem tamen cerebrum in ſupremo ventre contentum, cùm & viſcus communiter appelletur. Hipp. verò in hoc tex. per viſcera intelligit partes infimi ventris, quæ in melancholia hypochondriaca primariò dolent. Dolorem explicat in illis verbis: *Velut ſpina eſſe videtur, & pungere*. Spina parti non figitur ſine dolore; pungere eſt cum triſti ſenſatione, quæ eſt eſſentia doloris. Eiſdem verbis nos docet conditionem hujus doloris: *Spina*, quamdiù parti fixa manet, dolorem etiam ſtabilem, & fixum non cedentem, nec ab uno loco in alium tranſeuntem parit: *pungere* eſt cum dolore acuto, & penetrante; quapropter Hipp. ſimilitudine ſpinæ dolorem acutum, penetrantem, fixum delineat. Hunc dolorem dicit eſſe *in viſceribus*, ideſt in partibus infimi ventris, non quia omnia iſta viſcera doleant ſemper, cùm in melancholia hypochondriaca aliquando una, aliquando altera doleat, in uno una, in altero altera. Ideò indeterminatè poſuit in viſceribus, non determinando partem dolentem, cùm omnes poſſint eſſe ſubjectum doloris.

Anxietas ipſum corripit. Anxietas eſt *Afflictio*, *& moleſtia oris ventriculi*, *vel cordis oppreſſiva*, *cum mæſtitia*, *mœrore*, *inquietudine totius*, *& reſpiratione diminuta*, *& cerebi.* Anxietas eſt ſpecies doloris, ideò cum triſti ſenſatione, non corroſionis, nec perterebrationis, nec acutæ punctionis, ſicuti in doloribus magnis; ſed eſt triſtis ſenſatio cum afflictione, & moleſtia, qualis excitaretur à pondere præcordiis ſuperpoſito, cùm hæc opprimi ſolùm videantur; unde anguſtia præcordiorum dici poteſt. Subjectum hujus triſtis ſenſationis eſt os ventriculi, & cor, ut patet in animi paſſionibus triſtibus, in quibus anxietas ſemper dominatur, & ab iſtis primò afficitur ventriculus, & cor, nec eſt affectio partis, à qua præcordia opprimantur, & anguſtiam patiantur, niſi affectio oris ventriculi, & cordis. Talis afflictio, & anguſtia præcordiorum eſt cum mæſtitia, quæ eſt *Animæ commotio*, *& perturbatio afflictiva ex mali*, *& defectus boni*, *præcipuè in corpore*, *perceptione orta*: ſic Anima triſtem ſenſationem ex anxietate, & anguſtia percipiens, tamquam malum, cum periculo amiſſionis vitæ, quia eſt in partibus principalibus, perturbatur, & commovetur cum afflictione, à qua, ut ita dicam, languor, & incommoditas ei obvenit: quę duo afflictionem Animę propriè complent; & quia hujus paſſionis veſtigia apparent in

vultu

vultu principaliter cum pallore, geſtu, & motu corporis languido; hinc mœror, qui ſemper præbet ſigna mæſtitiæ in corpore, & præcipuè in vultu apparentia.

Inquietudo eſt, *Immoderata, & frequens corporis agitatio determinata à triſti, & valdè moleſta ſenſatione in corpore.* Non mirum, ſi anxietas, quæ eſt affectio afflictiva oris ventriculi, & cordis, ſit magnæ inquietudini conjuncta, non permittendo, niſi per breve tempus, corpori quietem in uno ſitu ratione augeſcentis afflictionis, cujus moderationem quærit corpus in reiterata frequenter mutatione ſitus, & ſui jactatione.

Reſpiratio eſt *Actio motus pulmonum, diaphragmatis, & muſculorum intercoſtalium*; diminuta, & celer eſt, cùm dictus motus eſt diminutus, & parvus, & citiùs, quàm deceat, repetit.

Lucem, ac homines fugit. Lux eſt ſemper cum motu, ſive admittatur in præſſione ætheris, ſive in effluviis lucidis, ideò motus capacia pervadens, movet ſecundùm ſuas vires. Sic ingreſſa per oculos, cerebrum motu ſuo ſuccum nerveum in majori copia impellit in nervos, & oris ventriculi, & cordis, qui à copia hujus magis agitati, moti, & concuſſi, magis anxietate torquentur; in tenebris verò, quia deficit hic impulſus à luce, anxietas non augetur. Hac de cauſa amant tenebras, odunt lucem Hypocondriaci. A luce provenire aliquem motum in cerebro, docent dolore capitis affecti, quibus lux eſt moleſta, quia ab ea intenſior exurgit dolor, & in luce ſomni breviores, in tenebris longiores, quia ab illa citiùs moventur ſpiritus, in his tardiùs. Melancholici in ſuis cogitationibus ſemper fixi, amant etiam ab eis non diſtrahi, & quia in tenebris diſtractionem non inveniunt, has amant, lucem odunt, quia à repræſentatis variis imaginibus, multiſque phantaſmatibus excitatis à ſuis cogitationibus facilè diſtrahuntur, & quia pariter ab hominum ſocietate diſtrahuntur confabulatione; ideò homines fugiunt. *Odunt etiam ſe ipſos, & mortem ſibi inferunt*, ut adnotavit *Hipp. cit. lib. de morb. Virg. numer.* 2. & rationem ibidem reddit his verbis: *Tamquam meliora ſint hæc* (nempè *interfectio*, *caſus in puteum*, *ſtrangulatio*, de quibus antecedenter locutus eſt) *& omnem vitæ utilitatem excedentia*, in quo delirium manifeſtum apparet. Propter hanc cauſam poſſumus aſſerere, amare tenebras, fugere homines, quia hæc meliora exiſtimant, quàm lucem, & hominum conſortium, ob rationem depravatam.

Timor invadit. De timore videnda, quæ dixi in Diſſertatione de Melancholia à cerebri vitio.

Et ſeptum tranſverſum foris tumet, & ad contactum dolet, & expaveſcit. Quamvis videatur impoſſibile tumorem ſepti tranſverſi exteriùs conſpicuum fieri, cùm coſtarum ſuperficiei internæ conjungantur, quæ prout oſſea tumorem ad exteriora tranſire non permittit; nihilominus per interſtitia coſtarum tumor diaphragmatis ad exteriora tendere poteſt, vel muſculi interni coſtarum cum diaphragmate compatientes, vel cauſa ejus tumefacti ad externa ſuum tumorem propellunt: nec eſt adeò impoſſibile à tumore interno diaphragmatis coſtas ad exteriora propelli cum tumore; obſervamus enim à tumoribus luxari oſſa conjuncta. Semen herbæ germinans, ſaxa frangit. Tumor eſt cum dolore, quia in parte ſenſibili. *Expaveſcit*: duo hoc verbo exprimit Hipp. Timorem, & delirium; nam *Pavor eſt timor movens mentem*, nempè delirium, & hæc duo ſunt ſymptomata eſſentialia melancholiæ hypochondriacæ. De his duobus multa dixi de Melancholia à vitio primario cerebri, & de timore aliqua mox addam.

Delirium ab inflammatione, vel ab alio vitio ſepti tranſverſi omnes admittunt cum *Hipp. lib. de morbis Virginum numer.* 1. & 2. ubi habet: *Cùm ſanguis in virgine ampliùs influxerit, & exitum non habeat, præ multitudine reſilit ad cor, & ad ſeptum tranſverſum. Cùm igitur hæc repleta fuerint, cor fatuum fit, à fatuitate, torpor, poſtea ex torpedine delirium apprehendit*; modus, quo fit, eſt idem traditus in dicta Diſſertatione de Melancholia per eſſentiam de cauſa in cerebro exiſtente, deliriumque cauſante, & ea omnia applicanda cauſæ à diaphragmate cerebro communicatæ. Conſenſum diaphragmatis cum cerebro omnes admittunt per nervos, quorum copia ad illud deſcendit: quapropter per eoſdem nervos aſcendere cauſam delirii credendum eſt. Per vitium cerebri inſanire homines, ſancivit *Hipp. in lib. de morb. ſac. numer.* 16. ubi, poſtquam docuerit, ſapientiam, & intelligentiam, & cognitionem turpis, & honeſti, boni, & mali eſſe à cerebro, ait: *Eodem cerebro & inſanimus, & deliramus.* Si cerebrum eſt rationis ſedes, prout etiam ex Hipp. rationes petitæ à generatione ſpirituum animalium, à nervorum origine, quæ in cerebro fit, & à cerebro procedit, ab organis ſenſuum cerebro connexorum, quibus utitur ratio pro inſtrumentis, ſeu potius pro requiſitis; concludendum eſt, diaphragmatis vitium rationem non poſse lædere delirio, niſi illius vitium cerebro commune fiat. Difficultatem, ab Antiquorum ſententia ſtabiliente mentem in ſepto tranſverſo reſidere, qua de cauſa Phrenes dixerunt, quaſi mens in eo reſideat, emanantem tollit *Hipp. lib. de morb. ſac. circà finem numer.* 18. qui textus videndus; cùm ibi probet facere ad gaudium, & triſtitiam, non ad rationem. Major difficultas eſt in illo verbo textus *Expaveſcit*, à quo diximus indicari timorem cum delirio à vitio diaphragmatis, cujus læſionem deſcribit Hipp. & tamen ab omnibus admittitur, delirium à diaphragmate eſse cum riſu.

Pro ſolvenda hac difficultate, rationem nobis porrigit *Hipp. in cit. lib. de morbis Virginum numer.* 2. ubi reddens cauſam ſymptomatum, quæ à retento ſanguine deduxit, ait: *Præ caliginoſitate timet, ac formidat*, & loquitur de timore à ſanguine ad ſeptum tranſverſum reſiliente. Caliginoſitas aeris, ſpiſſitudinem ejus cum obſcuritate demonſtrat. Caliginoſitas in timore, dicitur de ſpiritu ſaltem animali, cùm hic in timore valdè afficiatur; ideò in ſpiritu animali caliginoſitas ſupponet craſſitiem, & obſcuritatem, quæ in caſu noſtro, niſi in diaphragma malè affectum à tumore, & dolore eſt refundenda. Fermentante enim materia in tumore collecta, vel in vaſis diaphragmatis, & partium adjacentium, fumus nubis inſtar aſcendit ad cerebrum, ſpiritibuſque animalibus mixtus, vel in ſua origine, vel in ſuo emporio, vel cum materia ex ea conficiendis, vel aſcendens per nervos diaphragmatis, quibus conſentit cum cerebro, ſpiritibus dictis commiſcetur, & quia dictus fumus obſcurus, & opacus, obſcuritate, craſſitie, & opacitate eos contaminat. Ab eadem fumante materia ſpiritus animalis inertiam, languorem, & inefficaciam acquirit, æquivalentem inertiæ, languori, quem à temperamento frigido contrahit; & ſicuti à frigiditate temperamenti ſpiritus ad timoris paſſionem diſponit, ita per ſupradictam alterationem ſpiritus diſponit animum ad timoris paſſionem. Hæc eſt paſſio Animæ, quæ nil aliud eſt, quàm Animæ commotio, producta, conſervata, & corroborata ab aliquo motu ſpirituum. Ob arctum enim vinculum intercedens inter corpus, & Animam, illius affectiones, & actiones in Animam redundare evenit, & tales actiones, reſpectu Animæ, cui accidunt, dicuntur paſſiones. Corpus agit in Animam medio ſpirituum, ita in ſpirituum excandeſcentia Anima paſſione iræ afficitur, in earumdem expanſione, & motu agili lætitia, & in ſpirituum opacitate, obſcuritate, craſſitie, & frigiditate, cum languore timet, cùm per has ſpiritus animalis conditiones prohibeatur Anima reſiſtere malis, quæ expectat, & quæ inſtare arbitratur, à quo timor. In cujus confirmationem animadvertendum, qui in temperamento ſunt frigidi, ſanguine craſso, viſcidoque ſcatent, timidi ſunt. Ab hac ſpirituum diſpoſitione omnes timoris effectus dilucidantur, nempè pulſus parvus, tremor muſculorum, os pallidum, genua labantia, alvus laxata, ut videre eſt apud *ingenioſum Honoratum Fabrum in lib.* 5. *de Appetitu ſenſitivo, & paſſionibus propoſ.* 46. *numer.* 3. & ſi effectus timoris à dicta ſpirituum diſpoſitione pendent, hanc eſse timoris cauſam credendum. Ideo rectè ait Hipp. *præ caliginoſitate timet*, & hoc modo à materia colle-

cta circa diaphragma, vel in eo oritur timor, & formido, quæ eſt exceſſus timoris, ſeu conſternatio.

Riſus cauſa ab affecto diaphragmate, petenda ab Anatomica demonſtratione, quæ nos erudit. Diaphragma recipit nervos à plexu nervoſo cervicis, & paris ſecundi vertebralis, à nervis brachialibus, per mediaſtinum deſcendentibus, quibus commiſcentur nervuli maxillarum, labiorumque muſculos petentes. Horum nervorum miniſterio, & actione diaphragma conſenſum ſervat cum capite, cum brachiis, cùm labiis, & maxillis, per quas partes homo riſum exercet, pro quo vide *Vvilliſium in tract. de Nervor. deſcript. & uſu cap. xxviii.* Hic obiter notandum in affectibus dolorificis diaphragmatis, ſcapulas, brachia, cervicem, ſeu partem poſteriorem colli, & faciem compati.

Affecto diaphragmate poteſt adeſſe riſus, ſi à materia morboſa nervi illius vellicentur, & titillentur: poteſt abeſſe, ſi à dicta materia nervi non titillentur, & hic eſt caſus ab Hipp. deſcriptus.

Et ſomnia horrenda videt, & etiam quandoque mortuos. Somnia, alia ſunt divina, quæ opera alicujus Spiritus, vel boni, vel mali excitantur; alia animalia, quæ vulgo occurrunt, & quæ nobis per ſomnum exhibentur ab eis, quorum fuit per diem frequens cogitatio, & mentio; naturalia, quæ ab humorum, ac indolis ratione procedunt. In melancholia hypochondriaca, ſomnia triſtia animalia, & naturalia frequenter accidunt, quia niſi res triſtes cogitant Hypochondriaci, & niſi de triſtibus loquuntur. In iſtis etiam humor melancholicus dominatur, triſtia ſolum repræſentans; ſicut ſanguis jucunda; bilis rixas, furores, & neces.

Ab hac explicatione ſymptomatum, quæ melancholiam hypochondriacam comitantur, colligitur hanc definiendam eſſe, ex Hipp. mente: *Delirium cum timore, & mœrore ſine cauſa manifeſta, ſine febre, & cum aliis ſymptomatibus vitio partium in Hypochondriis exiſtentium.*

Timor, & mœror ſine cauſa manifeſta, delirium oſtendit: non eſt ſanæ rationis timere, & mœreri ſine cauſa; ſicuti nec fugere homines, cùm pro ſocietate iſtorum natus ſit homo.

Timorem in caſu deſcripto eſſe ſine cauſa manifeſta, colligitur ex eo, quòd nullam recenſeat, & curationis rectæ neceſſitas exigeret talis cauſæ declarationem, & uſus etiam *Hipp.* talis eſt *in lib. de Affect. intern. num.* 51. agendo de una differentia morbi craſſi, habet: *Hic morbus accedit maximè in peregrinatione, & ſi quis alicubi per deſertam viam iter faciat, & timor ipſum ex ſpectro corripiat.* Denique timor cum cauſa non eſt ſymptoma morbi, ſed tale eſt ſolùm timor ſine cauſa manifeſta.

Additum eſt *ſine febre*, ad excludendum delirium ab inflammatione diaphragmatis, & ipſam inflammationem, cùm delirium in caſu propoſito ſit à læſo diaphragmate; ſed non inflammato. Multa alia ſymptomata ſequuntur hunc affectum; propria verò ſunt timor, & mœror cum carentia febris; alia ſunt communia multis morbis.

Alia verba ſedem hujus affectus deſignant; nempè hypochondria, excluſo cerebro, cujus læſio, licèt in delirio ſit manifeſta, nihilominus à ſede morbi excluditur; nam delirium eſt per conſenſum, & ſedes morbi quærenda in parte per eſſentiam, non per conſenſum malè affecta, & præcipuè cùm curatio dirigenda ſit ad partem per eſſentiam, non per conſenſum malè affectam, ideòque etiam in illa ſtatuenda ſedes morbi, non in hac.

De Cauſa hujus affectus, nihil expreſsè locutus eſt Hipp. Colligi tamen poteſt ex timore, & mœrore huic affectui inſeparabiliter conjuncto à melancholico humore procedere, ſtante doctrina *Hipp. in 6. Aphor.* 23. relata, qua ſancivit: *Si timor, & triſtitia multo tempore perſeveret, atrabilarium hoc ſignum eſt*; & *lib. 2. de morb. Mul. n.* 64. ait: *Cùm mulier caput dolet, timet triſtis fuerit, & urina nigra, & ſimilia per uterum produnt, & anxietas, & mœror eam tenuerint, atrabilis* (ideſt melancholia) *in uteris ineſſe.*

Concludendum ergo, ex mente Hipp. hujus affectus cauſam eſſe humorem melancholicum, quem atrabilarem vocat. Hujus humoris materiam duplicem ſtatuit *Hipp. lib. de aer. loc. & aq. n.* 29. ſanguinem nempè, & bilem. Modum generationis hujus humoris à dictis humoribus, ibidem oſtendit dicendo: *Et quibus bilis atra, ſiquidem quòd aquoſiſſimum, & liquidiſſimum in bile eſt, conſumitur, denſiſſimum verò, & acerrimum relinquitur, quod idem accidit ſecundùm eamdem rationem, & circa ſanguinem;* nempè ſi quod liquidiſſimum, & aquoſiſſimum eſt in eo conſumitur, vertitur ſanguis in attam bilem, dum conſumpta humiditate craſſeſcit, & ſal in eo exiſtens acrimoniam majorem acquirit; dicitur etiam, quod liquidiſſimum, & aquoſiſſimum eſt in ſanguine conſumi, & denſiſſimum relinqui, quando condenſatur ſanguis, & fluiditatem neceſſariam amittit, quod huic contingit; quando ab excedenti acido conſtringente, & condenſante inficitur, & tunc quod liquidiſſimum, & aquoſiſſimum eſt, quoad effectum, conſumitur, & quod denſiſſimum eſt in ſanguine relinquitur, quia totus denſus evadit, & tranſit ſanguis ad naturam melancholiæ, accipiendo craſſitiem, & aciditatem, quæ ſunt proprietates innatæ humoris melancholici. Ab hoc triplici fonte melancholia præternaturalis erumpit à bile flava aduſta, à ſanguine aduſto, à ſanguine ab acido incraſſato, & aciditate morboſa depravato. A bile dicto modo incraſſata atta bilis vera naſcitur, à ſanguine atra bilis impropriè melancholia dicta; hanc deſignavit *Hipp. lib. de nat. hum. n.* 28. ubi habet: *Atrabilis inter omnes corporis humores viſcoſiſſima eſt, & ſedes diuturniſſimas facit*; talis eſt melancholia, à qua hypochondriaca affectio, cùm ſit diuturna, & difficillimæ curationis, prout notat *Hipp. in textu propoſito, in principio*, ubi proponit ſigna prædominantis humoris viſcoſi, & diuturnæ correctionis, In hoc textu Hipp. loqui de Melancholia à ſanguinis aduſtione generata, curatio demonſtrat conſiſtens in remediis, & diœta refrigerante oppugnantibus calorem, à quo ſanguis aduritur. Materiam hujus atræ bilis eſſe ſanguinem, colligere poſſumus à verbis textus, quibus aſſerit, hunc morbum Veris tempore, in quo ſanguis dominatur, corripere, nam ejus calor ab Hyeme oppreſſus, reſurgit cum vigore. In ſanguine dicta ratione incraſſato, ſal acte in eo exiſtens majorem acquirit activitatem deficiente humido fluido, à quo moderabatur; & per hoc dicitur ſanguis mutatus in atram bilem; cujus propria eſt craſſities, & acrimonia, à quibus dicta ſymptomata profluunt.

Ad percipiendum modum, quo ſanguis, modo deſcripto alteratus, melancholiam hypochondriacam efficiat, facem nobis accendit *Hipp. lib. de morb. Virg. n.* 1. ubi habet: *Quum igitur oſculum exitus non fuerit apertum, ſanguis autem ampliùs influxerit propter cibos, & corporis augmentum; tunc ſanguis non habens effluxum, præ multitudine reſilit ad cor, & ad ſeptum tranſverſum. Quum igitur hæc repleta fuerint, cor fatuum fit, deinde ex fatuitate torpedo, poſtea ex torpedine delirium apprehendit.*

Multa conſideranda veniunt in hac ſententia: Primò impedimentum fluxus ſanguinis non aperto oſculo, à quo fluere debet, prout neceſſarium eſt; (loquitur enim de morbo Virginum cum impedito fluxu menſium); huic addi poteſt impeditus curſus circulationis ſanguinis, à quo eadem eveniunt mala, ac ab impedito extra fluxu. Secundò retroceſſio ſanguinis ab impedito fluxu, vel curſu in aliquam determinatam partem. Tertiò plenitudo in parte à retrocedente, & reſiliente ſanguine.

Quomodo ſuccedat hæc plenitudo in corde, & ſepto tranſverſo, explicat *Hipp. in cit. tex. de morb. Virg.* his verbis: *Quemadmodum cùm aliquis longo tempore deſidente* (ideſt ſedente) *ſanguis ex femoribus, ac coxis depreſſus, in tibias, ac pedes torporem inducit.* Sedenti homini, venæ coxarum, & clunium compreſſæ advenientem ſanguinem ab arteriis non admittunt; in his retentus, & coacervatus dilatantur cum turgentia citra aneuriſmatis intumeſcentiam, cùm in capillaribus arteriis remoretur; qua pariter afficiuntur venæ ſanguinem à cruribus ſurſum tendentem in loco ſuæ preſſionis ſiſtendo, ut ulterius progredi non poſſit;

ſed

ſed una cum de novo adveniente quieſcendo in dictis vaſis, hæc ad turgentiam dilatat, & ita ex preſſione vaſorum fit plenitudo, à qua gravatæ partes, & per preſſionem nervorum deſtitutæ ſpiritu animali torpent. Pari pacto, poſito impedimento fluxui libero ſanguinis per venas in qualibet parte, iſtarum turgentia neceſſariò ſequetur, craſſities, viſciditas ſanguinis in venis, & iſtius reſiſtentia impulſui ſanguinis arterioſi, & contractioni arteriarum eſt impedimentum motui libero ſanguinis in illis, conſequenter iſtæ conditiones ſufficient pro turgentia venarum, ut inferiùs demonſtrabitur.

Vaſa ſanguiflua diaphragmatis, & circa cor exiſtentia, & præcipuè venæ ſi ad turgentiam impleantur, & velut varicoſæ fiant, torpore dictas partes afficiunt. Hinc motus tardus diaphragmatis cum difficili reſpiratione, cordis oppreſſio, pulſus parvus, ob tarditatem ſui motus, per quam fatuum dicitur, fatuus enim à Terent. accipitur tamquam tardus, nec in alio ſenſu intelligi poteſt ab *Hipp. in cit. tex. de morb. Virg.* cùm *in tex.* 18. *lib. de morb. ſac.* reprobaverit Antiquos aſſerentes cor eſſe ſedem ſapientiæ, ideò fatuum non eſt accipiendum per ſtultum, & ſine ratione, & ſapientia. Hoc modo accepto verbo Fatuum, explicatur quomodo ex fatuitate oritur torpedo, cùm partis motus debilis in torpedinem facilè tranſeat, ſeu ſtuporem.

Sanguis in venis varicoſis contentus ſtagnat, eas dilatando cum ſtagnatione motum circulationis ſecundùm aliquam ſui portionem, tenuiorem nempè, & non reſiſtentem, impulſui ſanguinis ab arteriis expulſi conſervat; quapropter putredinem non concipit, neque retentus ſanguis inflammationem parit, ut patet in varicibus, dum cum ſanguine tenuiori circulante exhalant etiam fuligines, remanente in vaſis ſanguine magis craſſo, dicto impulſui ſanguinis arterioſi reſiſtente, à quo vaſa ſemper dilatata conſervantur, & per craſſitiem incapax magnæ fermentationis putredini reſiſtit.

Stagnans ſanguis in vaſis prædictis incaleſcit à motu inreſtino ſuarum particularum calidarum, à fuliginibus in eo collectis in copia, antequam vel tranſpirent, vel exeant cum circulante ſanguine, ab incaleſcentia venarum poroſitates aperiuntur vaporibus, & fuliginibus aciditate, vel alia acrimonia in humore, à quo elevantur exiſtente infectis; his fuliginibus per diaphragma diſperſis, nervi, iſtorumque ramificationes per hanc partem divaricatæ ſpaſmodicis motibus affliguntur vellicatæ.

A læſione convulſiva horum nervorum, deducitur cauſa plurium ſumptomatum melancholiam hypochondriacam concomitantium: nervi diaphragmatis ſerviunt reſpirationi, iſtis convulſis difficilis fit reſpiratio ſine tuſſi, cùm nervo intercoſtali conſenſum habeant; hinc dolor, & paſſio in muſculis intercoſtalibus, quia ramificationes habet diaphragma à nervo brachiali, ut dictum eſt, qui ſcapularum muſculis inſeritur, ideò & ſcapulæ, & brachia, affecto diaphragmate, dolent. Multas ramificationes nervus diaphragmatis à nervo paris vagi ſuſcipit, à quo ramificationes habet os ventriculi, ab eodem derivantur ramificationes ad pulmones, & cor; hinc ramificationibus diaphragmatis convulſis, convelluntur nervi dictarum partium, cum paſſione earundem, ut oris ventriculi dolor, vel languor, afflictio, & anxietas, quibus ſuccedit ſtrangulatio quandoque, ſi cum nervis oris ventriculi convellantur nervi œſophagi, cordis conſtrictio, oppreſſio, palpitatio, pulmonum motus impeditus, cum ſuffocationis ſenſu, & gravitate oppreſſiva, dum nervi pulmonum circumligantes vaſa pneumonica convulſi conſtringunt adeò vaſa, ut ſanguini motus circularis adimatur, cum ſtagnatione ejuſdem, à quo opprimuntur, & velut ſuffocantur.

Læſo Diaphragmate, & convulſo, convelluntur, & dolent coſtæ ſpuriæ, quibus tendines illius implantantur, regio lumborum ad inſtar calculi afficitur dolore, dum iſtis affiguntur tendines diapragmatis, qui cùm convulſo diaphragmate, convelluntur cum dolore ſimili nephritico, & hæc duo ſymptomata frequenter cum melancholia hypochondriaca conjunguntur.

Si fuligines, & vapores prædicti cerebri regionem aggrediantur, facultatis animalis operationes lædunt, non quia hanc immediatè petant, ſed iſtius inſtrumenta vitiando. Ideò ſi feriant, & vellicent membranas cerebri, dolorem capitis efficiunt. Si ad motus irregulares inordinatos, vel nimis tardos dictæ membranæ, vel irritatæ, vel compreſſæ à dictis fuliginibus determinentur, motus irregulares ſpirituum, vel tardos in nervis efficiunt cum motus animalis depravatione. Si ſpiritibus animalibus miſceantur contracta in ſtagnatione opacitate illorum luciditatem nativam offuſcando, & tenuitatem incraſſando, & agilitatem debilitando, Animæ rationalis applicationem cuilibet rei intelligibili impediunt, cum ſenſibili offuſcatione mentis, & capitis plenitudine, motumque etiam animalem tardum cum torpore efficiunt; cujus exemplum habemus in excitatione à ſomno, cùm tunc temporis à qualibet attenta, & expedita mentis applicatione quilibet diſtrahatur, nec ob aliam quidem cauſam, quàm per vapores in ſomno collectos, ſpirituſque animales prædicto modo alterantes, & per vigiliam vaporibus diſcuſſis mens ſuæ expeditæ actioni reſtituitur, per breve vigiliæ ſpatium, ſi vapores ob ſui copiam diminutam, vel ob ſui raritatem citò diſſipentur, per longius, ſi ſint copioſi, & craſſi. Si ſpirituum expanſionem, ſeu, ut alii dicunt, irradiationem prohibeant, oritur illa capitis inanitas, omnes ferè mentis operationes interdicens, quæ etiam læſionem ſentiunt, vel à caliditate, vel à frigiditate, vel ab humiditate, vel ſiccitate, prout nos docuit *Hipp. lib. de morb. ſac. nu.* 16. ubi, poſtquam dixerit: *Sapientiam, intelligentiam, & cognitionem turpis, & honeſti, boni, & mali, eſſe à cerebro*, ait: *Eodem cerebro & inſanimus, & deliramus*, & rationem addit inferiùs in his verbis: *Atque hæc omnia perpetimur à cerebro, cùm ſanum non fuerit, ſed aut calidius, cùm ex natura fiat, aut frigidius, aut humidius, aut ſiccius, aut quid aliud perpetiatur præternaturam*. Ab his enim qualitatibus phantaſmata perturbantur, vel alterantur, vel tollitur debita advertentia circa ea, ex quibus oriri delirium, ſuprà oſtenſum eſt; quod evenit etiam ſi cerebrum, vel nimis conſtipetur, vel laxetur, quod forſan innuere voluit *Hipp.* quando dixit: *Vel aliquid aliud perpetiatur præternaturam*. Aliquo ex his modis alterato cerebro, & ſpiritu à vaporibus hypochondriorum naſcitur delirium. Si ſuceo nerveo ſpirituum animalium vehiculo miſceantur vapores prædicti contracta aciditate facultatem irritativam illi impertiunt, qua irritati nervi, vel triſti ſenſatione afficiuntur, vel ad irregulares motus cientur. Timoris cauſa ad ſpirituum animalium alterationem reducitur, ut ſuperiùs explicatum eſt.

Hucuſquè dicta, & explicata, ex Hipp. mente, de Melancholia Hypochondriaca à ſepti tranſverſi læſione, applicari poſſunt etiam meſſenterio. Si venæ, quæ ſunt plurimæ inter ejus membranas, ex quibus componitur, decurrentes varicoſæ fiant, modo jam ſuprà dicto, vel omnes, vel multæ, vel aliquæ ramificationes majores, vel præcipuè illæ, quæ ſunt proximæ nerveis plexibus meſſenterii à Vvilliſio deſcriptis, cùm hoc eveniente incaleſcat ſanguis in vaſis varicoſis, fuligines ab eis exeunt acrimonia acida in humore ſtagnante exiſtente infectæ, quæ ſi pertingant aliquem ex dictis plexibus, corpuſque iſtius, vel aliquam inſignem ramificationem, intimaque iſtorum penetrent irritando, pungendo, rodendo inſignes paſſiones in eis excitant, convulſivoſque motus plurium ſymptomatum cauſas inducunt, prout rectè, & ingenioſè expoſuit *Vvilliſius in tract. de Nerv. deſcript. & uſu cap.* 27. quod videndum, attentè ponderandum, ut doctrina expoſita altè figatur memoriæ; in hac enim invenitur cauſa omnium illorum ſymptomatum, quæ cum admiratione obſervantur, & conſiderantur in melancholia hypochondriaca.

Ab hac doctrina motivum habuit *Etmull.* melancholiam hypochondriacam definiendi per *Motus convulſivos ventriculi, meſſenterii, & diaphragmatis*; & ſi motus convulſivi addantur definitioni ſuperiùs allatæ ex mente Hipp. habebimus definitionem explicantem eſſentiam melancholiæ hypochondriacæ.

Non

Non tranſeunda eſt hic reflexio circa incaleſcentiam ſuperiùs dictam humoris ſtagnantis in venis, à qua deducitur æſtus hypochondriorum, in hoc affectu adeò frequens, & præcipuè poſt cibum, & in fine digeſtionis iſtius, cùm ab effervefcentia, & fermentatione, qua ille afficitur, vel in ventriculo, vel in inteſtino duodeno incaleſcat ſanguis in dictis vaſis, & ab hac reflexione percipimus dicti æſtus, & in incaleſcentiæ cauſam falsò tribui obſtructionibus vaſorum meſſenterii, niſi per obſtructionem intelligamus turgentiam à plenitudine ſanguinis vaſorum, excludendo obſtructionem ab humore à calore hepatis incraſſato; nam talis obſtructio non poteſt perſeverare ſine febre, vel ſine inflammatione, ſi vera ſunt, quæ de obſtructione cauſa febris communiter dicuntur: præterquamquòd quæ de calore hepatis incraſſante humores non poſſunt ſuſtineri, negata hepati ſanguificatione cum evidentia demonſtrata à venis lacteis, ductu thoracico, chylum ad ſanguinem, & ad cor, non ad hepar deferentibus. Cauſam melancholiæ hypochondriacæ eſſe talem, qualem ex Hipp. deſcripſimus, videtur confirmari à difficultate curationis hujus affectus, quæ potiùs arguit vitium organicum, quàm intemperiei,cùm materia, & vitium organicum correctionem non admittens, quale eſt plenitudo varicoſa vaſorum, quod nec in externis vaſis curatur alteratione, & purgatione. Hæc difficultas excludit vitium organicum obſtructionis, quod tollitur etiam frequenter in intimis corporis partibus.

Hucuſquè actum de cauſa immediata melancholiæ hypochondriacæ, modò indaganda cauſa mediata, & remota. Quærenda hæc eſt inter eas, quæ ſanguinem craſſum faciunt, circulationiſque motum in eo minuunt, & in aciditate invenitur, cujus virtus incraſſandi, conſtipandi, & coagulandi nota eſt omnibus: hæc qualitas cum melancholia in hoc affectu dominante, prout probatum eſt ſuperiùs, ſemper invenitur unita naturaliter, cum maximo hominis commodo,& utilitate, ſolo exceſſu hujus qualitatis humor melancholicus hunc affectum præternaturam producit, ejuſque ſymptomata fovet. Hoc confirmat turgentia varicoſa in venis partium externarum, cujus cauſa communiter refunditur in humorem melancholicum, cum exceſſu aciditatis coagulantis; quapropter cùm in hoc affectu turgentia varicoſa in vaſis internis hypochondriorum determinata ſit, hujus cauſa, non in alio quærenda, quàm in exceſſu dictæ aciditatis humores coagulantis.

Principium hujus exceſſus aciditatis, ſentio eſſe ventriculum, vel per ſe, vel per accidens: per ſe eſt principium, quando ſuum acidum famis, & concoctionis alimentorum miniſtrum ſua copia, vel intenſione actionis maſſam chyloſam aciditate excedenti inficit, & depravat, quam chylus mutatione in ſanguinem non deponit, ſed eam ſui juris factam retinet: unde ex reiterata mixtione chyli hujus conditionis cum ſanguine, univerſa maſſa iſtius aciditate excedenti, & morboſa coinquinatur.

Per accidens ventriculus aciditate excedenti maſſam chyloſam depravat, quando laxatis ſuis fibris energiam motus periſtaltici, qua continuò maſſa chyloſa ad pylorum protunditur, amittit, coacta portione maſſæ chyloſæ craſſiori, & magis reſiſtenti dicto motui moram diuturnam trahere in ventriculo, à qua diſponitur ad aciditatem ſuſcipiendam, eo modo quo alimenta diù reſervata in putredinis initio acida fiunt, exaltato ſale acido in eis exiſtente, per continuum, & inteſtinum motum ſuarum particularum, quoad putredinem diſponuntur. Quod magis accidit chylo ob inſigniorem motum fermentationis in eo excitatum, & à fermento ventriculi, & ab ejuſdem calore; attenuata per fermentationem protractam parte hac craſſiori maſſæ chyloſæ, auctaque fibrarum ventriculi energia ab irritante aciditate dictæ maſſæ modo ſupradicto contracta, exit à ventriculo, & per viam regiam ad ſanguinis pervenit maſſam, quam, modo dicto ſuperiùs, aciditate excedenti depravat.

Chyli mora, & iſtius aciditas contracta, multa inducit ſymptomata. Dolorem ventriculi in fine digeſtionis poſt quatuor, vel quinque horas à cibo irritante acido prædicto membranas illius, & ſi irritamentum creſcat cum violenta contractione fibrarum ejuſdem, ſuccedit dolori vomitus materiæ acidæ, cum doloris mitigatione. Parit inflationem ventriculi diſtendentibus vaporibus à materia fermentante elevatis membranas illius, quæ cum ructu ad ſuum ſtatum revertuntur, & ſi ab inflatione motus deorſum diaphragmatis prohibeatur, difficilis reſpiratio exurgit. Si vapores ſint craſſi, & petant orificium ſuperius plexum nervoſum in iſto contextum opprimendo, & leniter vellicando, anxietatem quamdam ejuſdem orificii, & moleſtiam pariunt, quæ augetur, ſi impediatur, à craſſitie vaporum, exitus iſtorum per ructum, quem etiam interdicit motus fibrarum œſophagi neceſſarius ad eructationem, & ſuſpenſus à moleſtia oris ventriculi; & ſi cum paſſione oris ventriculi nervi, & fibræ membranoſæ œſophagi patiantur, ſuccedit ſtrangulationis ſenſus. Si flatus, ſeu vapores caput aſcendant in hoc dolores, vertigines, & ſimilia obſervantur.

Non rejicio à principio aciditatis in chylo ſuccum pancreaticum, quem acidum eſſe, & chylo in inteſtino duodeno miſceri antequam lacteas ingrediatur, omnes admittunt Recentiores; ab hujuſmodi mixtione,balſamica chyli natura corrumpitur, ſi mixti liquoris aciditas exceſſerit, & ab illo ſanguis pravus cum exceſſu acidus generatur. Dum miſcetur liquor pancreaticus acidus nimis cum chylo, & præcipuè cum particulis ſuis alkalicis, & cum bile, quæ unà cum dicto liquore chylo confunditur, excitatur effervefcentia immoderata in chyli maſſa in inteſtino duodeno, à qua æſtus, quo Hypochondriaci poſt ſex, vel ſeptem horas à cibo affliguntur, vapores ab eadem effervefcentia elevati hùc, illùcque agitati rugitus, & murmura in inteſtinis reſonare faciunt, dolores pungitivi modò in una, modò in altera parte ventris torquent, prout vapores acidi ab effervefcente materia hanc, vel illam partem affligunt, pungendo, rodendo, perterebrando. Hæc ſi eveniant plexibus nerveis meſſenterii, ſymptomata, quæ ſuperiùs dixi recenſeri à *Vvillíſio in cit. loc.* in apertum exeunt.

Sanguis ab his duobus principiis aciditate infectus, craſſitiem acquirit, & tarditatem in circulatione, reſiſtentiam impulſui ſanguinis arterioſi, quibus conditionibus in venis meſſeraicis ſtagnat, cum turgentia iſtarum, ſtagnatione, ad motum potentiam pro majori parte amittit, & inclinationem ad quietem contrahit, ſanguinem ſemper advenientem ſiſtendo, cujus quantitas aucta vaſa dilatat. Aliam rationem nobis dedit *Hipp. in cit. lib. de morb. Virg. n.* 2. ubi reddendo cauſam, cur torpor in cruribus, & coxis ſedente homine citò ceſſet, ait: *Atque hic torpor quidem facile cedit, citò enim propter venarum rectitudinem refluit* (loquitur de ſanguine) *& locus corporis non eſt periculoſus*; *at ex corde, & ſepto tranſverſo tardè refluit* (ideſt ſanguis) *venæ enim obliquæ ſunt*, *& locus periculoſus*, *& ad delirium*, *ac inſaniam paratus*; at cùm obliquitas ſit in venis meſſeraicis, facilis etiam eſt ſtagnatio ſanguinis craſſi, tardi ad motum in eis, hac de cauſa venæ meſſenterii, præcordiorum varicoſæ fiunt cum majori facilitate, quàm aliæ.

Si ſucco pancreatico valdè acido, bilis valdè acris miſceatur in inteſtino duodeno, humor cum ſumma acrimonia reſultat, & cum magna energia ad fermentationem inducendam in humorem, cui miſcebitur, & omnia accidentia ab hujus humoris, vel liquidi fermentatione pendentia ſæviora ſuccedunt. Talia fiet ea,quæ mox diximus evenire à fermentatione chyli in inteſtino duodeno, ſucci pancreatici cum exceſſu acidi cum chylo; nec diſſimilis conditionis erunt ea, quæ à ſanguine in vaſis varicoſis meſſenterii ſtagnante deduximus, ſi huic, vel vapores humoris conflati ex bile, & ſucco pancreatico valdè acribus, & fermentativis miſceantur, vel ſi humor dictus meſſenterii vaſa penetrando ſanguini in iſtis contento confundatur, poſtquam in maſſam ſanguineam unà cum chylo receptus fuerit.

Cauſæ externæ ſunt illæ omnes, quæ acidum cumulare poſſunt, ut alimenta acida, & vinum, paſſiones animi triſtes, intentæ applicationes, & meditationes in ſtudio, & quæ fibras ventriculi laxant, ut excedens humidum, & omnia alimenta pinguia, & oleoſa. Calor

etiam

etiam externus acidum humorum latentem exaltando, hos acidos manifeſtè, & ſenſibiliter reddit, ut videre eſt in vino per calorem in acetum converſo, idem præſtat etiam calor internus alicujus partis, ſed præcipuè ſanguinis.

Quot ſunt differentiæ humoris melancholici, tot ſunt differentiæ melancholiæ hypochondriacæ. Tres determinatæ fuerunt differentiæ melancholiæ hypochondriacæ, à bile aduſta, à ſanguine aduſto, à ſanguine acido, & ab iſtis, tamquam à cauſis, ſymptomata ſuperiùs enumerata promanant.

Signa diagnoſtica habentur à ſymptomatibus ſuprà explicatis, & præcipuè à timore, & mœrore ſine cauſa manifeſta, & à paſſionibus ventris inferioris ſuperiùs dilucidatis.

Signa cauſarum ſunt, ſi ab acido ventriculi, vomitus adeſt materiæ acidæ, ſi ab aduſtione bilis, calor magnus in hypochondriis, & in toto cum acrimonia, ſitis continua, temperamentum bilioſum cum immoderato calore, omnia ſymptomata valdè ferocia; ſi ab aduſtu ſanguine hæc prædicta ſunt remiſſiora, temperamentum adeſt ſanguineum, & cauſa excalefaciens, & adurens præceſſit; flatus erumpentes acidum redolent, in lingua, & ſaliva aciditas perſentitur. Eroſio ventriculi, velut ab aceto, in fine digeſtionis moleſtat. Si à laxitate fibrarum ventriculi copioſa adeſt ſaliva, ſatietas à parvo cibo, gravitas ab aſſumpto alimento.

Prognoſtica habet *Hipp.* in illis verbis *cit. tex. lib. 2. de morb. num.* 70. *Hæc ſi fecerit, liberatur progreſſu temporis; ſi verò neglexerit, commoritur:* ex quibus longitudo morbi deducitur uſque ad finem vitæ, ſi nullis remediis oppugnetur, & cum iſtis in longum etiam protrahitur.

Curationem hujus affectus incipit *Hipp.* ab illis verbis: *Huic veratrum bibendum dato, & caput purgato:* per *veratrum* intelligit Helleborum album, & ad hoc ſignificandum ſæpè utitur hoc nomine Veratri ſine addito, ubi quando præſcribit Helleborum nigrum ſub nomine Veratri, addit nigrum. Ab his verbis Hipp. tria emergunt dubia: primum eſt, ſi illa verba: *Huic veratrum bibendum dato, & caput purgato*, ſint accipienda conjunctivè, & cum Helleboro ſit purgandum caput, vel disjunctivè, ut ſenſus ſit purgandum eſſe prius totum cum Helleboro, & poſtea purgandum caput. Pro hoc enodando, dico, ſumenda eſſe disjunctivè dicta verba. Ratio deſumitur à generali principio, primò purgandos eſſe humores, quorum qualitas, vel quantitas fovet cauſam morbi principalis, hac enim diminuta, vel ablata, minuitur, vel auffertur morbus principalis, & cum hoc minuitur, vel auffertur morbus per conſenſum, ſi principali conjungatur. Licèt in noſtro caſu caput ægrotet, quia delirat æger, cùm delirium ſit per conſenſum à morbo in hypochondriis exiſtente, ratio jubet, ut priùs cauſa hunc fovens, vel fovere valens, minuatur, vel tollatur, cùm ab hujus diminutione, vel ablationem conſecuturi certò ſimus diminutionem, vel ablatione morbi per conſenſum, nempè delirii; ideò primò purgandi humores in ventriculo exiſtentes, & in partibus huic vicinis, cùm iſti poſſint fovere morbum principalem in hypochondriis latitantem, & conſequenter deliram capitis affectionem; ideò priùs purgandi humores à ventriculo, & à vicinis partibus, poſtea à capite. Ideò hac ratione, dicta verba ſumenda ſunt disjunctivè.

Secundum dubium eſt, quare Hipp. purgationem Veratro, quòd eſt purgans validiſſimum, moliatur, cùm in Capite de Melancholia determinatum fuerit, dominante humore melancholico, benignis, & mitibus remediis utendum eſſe. Huic ſatisfacit conſideratio naturæ humoris peccantis, & ſedes; humor peccans eſt melancholicus purgantibus reſiſtens, ſtationem habet in ventriculo, ſaltem quoad cauſam antecedentem, & circa ſeptum tranſverſum: humori purgationi renitenti, convenit purgatio cum valido medicamento, & maxima ſi copia redundet, & quia in partibus ſuperioribus ſtabulatur, purgatio ejus per ſuperiora, quia facilis magis, & utilis determinatur; hac ratione Hipp. per vomitum humores in hoc morbo curando educit, à quo ſi ſit valida commotio, virtute ſua valida, quod commovetur, etiam purgatur, nullo ſuperſtite commotionis incommodo. Et monitum nobis reliquit, in purgatione humoris huic renitentis, vel validiſſimo, vel blando medicamento utendum. Illud ſi commovet, purgat quod commovet, hoc non commovet, ut noceat commotio. Medium inter validum, & blandum, plus commovet, quàm purget, ideò vel validiſſimo, vel blando utendum.

Tertium dubium eſt, quare poſt vomitum, caput purget Hipp. Duo ſunt motiva hujus purgationis: primum eſt eductio illius ſeri ſanguinei, quòd in cerebro relinquitur à copia ſanguinis, ad hoc tranſmiſſa per conatum vomitus; probabile enim eſt, copiam ſeri correſpondentem copiæ ſanguinis, non poſſe à vaſis lymphaticis ſubtiliſſimis reſorberi, & ſtagnando alios morbos inducere poteſt, quare ad hos vitandos, ſeri purgationem molitur per nares, & os, per quæ caput ſolet purgari. Secundum motivum à læſione cerebri per conſenſum, quæ fit à fumis, & vaporibus à partibus inferioribus ad cerebrum tranſmiſſis, horum tranſpiratio per ſternutationem, per quam purgatur caput, eſt facilis. A vaporibus, & fumis dictis in copia congregatis in cerebro, & ad invicem compreſſis, condenſatiſque aqua, ſeu ſerum reſultat, cujus purgationem pro avertendis multis malis amat.

Ratio ergo poſtulat, ut primò per vomitum purgetur æger, ſi non Helleboro albo, quia nimis activo, *Crocu metallorum*, *Tartaro ſtibiato*, *Sapa antimoniali Rulandi*, *Sale albo Vitrioli*, & poſtea purgetur caput Errhynis, inter quæ præcellit *Pulvis rad. Cyclaminis*, *cum Pulvere ſemin. Nigellæ*, & *Pulvis Majoranæ*, *cum Pulvere Hellebori albi* in pauca quantitate. Purgatur maſticatoriis ex *Maſtice*, vel *Pyrethro*, vel *Cera*, vel *Charta*, *fumus Tabaci*, ſi huic ſit aſſuetus æger, valdè purgat per os.

Secundò poſt purgationem capitis, Pharmacum deorſum purgans proponit, in quo nulla ſit facultas vomitum provocandi, ideo blandiori medicamento, quàm ſit Helleborus, utendum ad minorandum magis humorem melancholicum, ſine commotione nociva, & præcipuè in vaſis hypochondriorum, & circa ſeptum tranſverſum, in quibus plenitudinem humoris melancholici ſtatuimus, pro quo faciet *Mel. Roſ. ſol.* cum pauca doſi *Syr. de Polyp. ſol. cum Cremore Tartari*, vel *cum Decocto Epithymi Meſue*, quod omnibus præferendum vel *cum Diacatholicone*, vel *cum Pil. de Lapide Lazuli*.

Tertiò Lac Aſininum præbet, ut colligitur ab illis verbis: *Poſtea lac aſininum bibat*. Non determinat quantitatem, nec tempus Hipp. ſed quia exhibetur ad attemperandum & calorem, & acrimoniam acidam, prout dictum eſt de Cauſis humoris melancholici ab aduſtione ſanguinis, à qua dictam qualitatem ſuſcepit; concludendum eſt ad longum tempus, & in ea majori quantitate, ab ægro tolerabili, exhibendum eſſe, nempè ad quadraginta, & ſexaginta dies, & ad duas, & tres, & quatuor libras, intermiſſis ſex horis ad cibum alium capiendum; ubi enim maſſa ſanguinis eſt alteranda, parva remedii quantitas non ſufficit, ſed augenda ſemper cum proportione, ad quantitatem ſubjecti alterandi; & ſolo Lacte, ut *in Diæta lactea*, utendum non eſſe, colligimus ab eodem textu Hipp. ubi alimenta determinat, & concedit, & prohibet. Hic notandum eſt, inanem eſſe diligentiam illorum Medicorum, qui ad uſum Lactis in melancholia hypochondriaca non deveniunt, niſi poſt reiteratas purgationes per duos, & tres menſes protractas, cùm Hipp. ſtatim purgatione peracta per vomitum, & medicamento purgante, Lac exhibeat; & licèt alia remedia pari facultate alterativa cum Lacte exhiberi poſſint, nempè refrigerantia, & dulcificantia, ut ſunt, *Succi*, & *Aquæ Boraginis*, *Bugloſſæ*, *Agrimoniæ*, *Fumoterræ*, *Malvæ*, *Cicerbitæ*, *Cicorei ſylveſtris*, *Endiviæ*, *cum Tinctura Antimonii*, *Chalybis*, *Arcano Mynſicht*; *Pul. Cachetico Quercetani*, *Tinctura Tartari*, *Mixtura ſimplici Rolfinci*, *Elix. proprietatis*; *Spir. Sal. Armoniaci*, & *Sal.* reſiduo à diſtillatione dicti ſpiritus, & ſimilibus: nihilominus Lac omnibus præferendum, quia non ſolùm alterat ſanguinem, ſed in bonum ſanguinem mutatur, præexiſtentem depravatum corrigendo; huic tamen optimum erit unum ex dictis remediis, ex *Antimonio*, *Chalybe*, & *Tartaro* paratis

raris addere; omnibus tamen anteponerem *Mixturam ſimplicem diaphoreticam*, *ſeu Aquam de tribus* deſcriptam *in Clavi Schroderiana Hoffmani* ſub titulo *Aqua de tribus*, *Mixtura de tribus Mixtura ſimplex*; ab hac enim attenuatur, & volatizatur ſanguis craſſus, à Lacte refrigeratur, acrimonia, & calor illius moderatur, ſua fluxibilitate fluidos facit omnes humores: & hæ ſunt indicationes, quæ deſumuntur à natura vitii ſanguinis, ſuperiùs deſcripti, à vaſis varicoſis ob plenitudinem ſanguinis in eis ſtagnantis. Si Lacti non reſiſtat æger, utendum aliqua ex ſuperiùs recenſitis Aquis *ad* ℔. *ii. cum* ℥. *i.* dictæ mixturæ.

Quartò Alvum ſemper lubricam ſervandam eſſe, monet *Hipp.* in illis verbis: *Cibis utatur alvum ſubeuntibus*, de quibus locutus eſt *in lib. de Affect. circa finem: Si à cibis lubricitas alvi non obtineatur, remediis blandis inquirenda*, in quorum genere ſunt *Paſſulæ laxativæ*, *& Prunæ laxativæ*, *Succus Mercurialis*, *cum Cremore Tartari*.

Hujus præcepti ratio pendet à ſtipticitate correctionem exigente; hoc ſymptoma eſt ab hoc affectu inſeparabile, vel quia à calore hypochondriorum fœces nimis exſiccentur, à nimia ſiccitate indurantur, à duritie reſiſtentiam acquirunt motui periſtaltico inteſtinorum, & etiam illi concepto ab irritante inteſtina ad expulſionem fœcum; per quam diù detinentur; vel eò quia à flatibus contranitentibus deſcenſus fœcum per inteſtina impediatur; vel quia diſtendentibus flatibus inteſtina motus ſuarum fibrarum primaria cauſa expulſionis fœcum impediatur, cum maximo detrimento patientis; dum ab exhalationibus fœcum, effervеſcentia ſanguinis in vaſis varicoſis augetur, cum ſymptomatum prædictorum incremento.

Diœtam deſcribit, primò cibi ſint pauciſſimi; ventriculus enim ſemper afficitur in hoc morbo, & alimentorum quantitas in iſtius vitio cumulandis excrementis, cum morbi fomento ſervit, niſi æger fuerit debilis, quia tunc quantitas cibi diſcreta, non continua augenda parùm, ſed ſæpe cibando ægrum; ſecundò à cibis acribus, & ſalſis, quia acrimoniam augent, abſtinendum, nam ab acido, quòd eſt in humore, & ab acri alkalico, quòd eſt in cibis acribus, magnum reſultat acre; fugienda pinguia, & dulcia, quia effervеſcentia inducta ferociorem faciunt humorem atrabilarem, ad quam effervеſcentiam prohibendam alimenta frigida, actu, & potentia exquirit, ut colligere licet à prohibitione vini, cujus uſum prohibet, & timet inſaniam, ubi non eſt, ut *lib. de Inſomniis n. 6.* multò magis ubi adeſt, ut in præſenti caſu, & à conceſſione ſolùm aquoſi, quod refrigerat, at vinum purum calefacit, & effervеſcentiam excitat, qua ratione prohibet etiam aquæ calidæ lavacrum, exercitium, & deambulationem, quæ calorem excitando, majorem effervеſcentiam humori atrabilari contribuunt.

Hac methodo curanda melancholia hypochondriaca à bilis aduſtione.

Quæ ab acido ventriculi, vel pancreatis ſanguinem incraſſante, & velut coagulante, non aliam requirit curationem, niſi acidi correctionem. Propoſita remedia, & uſus etiam Lactis promittunt, etiam ſi acidum non proveniat à calore, ut in primo caſu; nam Lac omne acre modificat, pro qua valent ea, quæ dicta ſunt de ventriculi acida cruditate, & de obſtructionibus meſſenterii. Addo ſolùm aliqua remedia magis ſpecifica.

℞. *Chalybem, contunde ſuper incudem, donec in ſcorias, & ſquammas conterratur: hæ ſuper porphydum in pulverem tenuiſſimum redigantur.*

℞. *Hujus pulv.* ℥. ß.
Caſſiæ ligneæ ℥. *i.* ß.
Flores Sal. Armon. ʒ. *ii.*
Sach. ſ. p. ℥. *i. m.*

Hujus pulveris exhibeatur ʒ. ß. ter in die, manè jejuno ſtomaco, à prandio poſt horas quatuor, & cubitum ituro, per plures ſeptimanas, *cum decocto, vel aqua Naſturtii aquatici ad* ℔. *i.*

Valet etiam *Antimonium martiale*, quod paratur *ex par. 1. Chalybis, duabus Antim. crudi, & tribus Salis nitri præp. eo modo, quo præp. Antim. Diaph.* Hujus ϿϿ. *i.* exhibeatur, cum decocto parato ex deobſtruentibus paucis, quibus addantur purgantia ſimplicia, ſed in doſi, cum qua non purgent; hoc modo habent vim magnam deobſtruendi, & attenuandi ſanguinem, ut notat *Proſper*, *Martianus*, *Geſnerus*, *Vvedellius*, uſque ad movendam urinam, & ſudorem, exhibeatur bis, & ter in die. Efficax etiam eſt *Spiritus Vini aromatizatus, cum Cinam. Nuc. moſc. Mac. Cardam. ad* ℥. *i. cum* ℔. *i. aquæ Boraginis*, manè, & ſerò ante ſomnum reiterandum medicamentum. In curatione hujus morbi ſemper conſiderandum Hipp. dictum, cauſam hujus morbi eſſe conſumptionem liquidiſſimi, & aquoſiſſimi in ſanguine, curationem ideò perficiendam hujus additione. Diœta eadem ab Hipp. deſcripta, vinum concedendum, ſed tenue, non acidum.

CAP. XIV.

De Affectibus Hypochondriacis.

NOmen hoc, Affectus Hypochondriacus, à Veteribus minimè uſurpatum, apud Recentiores valdè familiare; hoc commune eſt omnibus morbis in Hypochondriorum regione natis, quorum ſedes, vel ventriculus, vel lien, vel hepar, vel meſſenterium, vel pancreas exiſtit, & Antiqui hos diſtinxerunt nomine proprio partis, v. g. de dolore ventriculi, Lienis, Hepatis, de obſtructione meſſenterii, Pancreatis; nomen dictum aliquibus Medicis charum, quia morbos, quorum eſſentiam, & cauſas ignorant, Affectum Hypochondriacum appellant, itaut noſtris temporibus, omnes ferè morbi ſub Affectus Hypocdondriaci nomine comprehendantur ab illis.

Propriè tamen ſignificat Affectum, in quo reperiuntur ſymptomata melancholiæ hypochondriacæ propria, excepto timore ſine cauſa manifeſta, qui eſt proprium diſtinctivum illius, & quo exiſtente melancholia hypochondriaca exiſtit. Hac de cauſa hunc Tractatum illi de Melancholia conjunxi.

De iſtis affectibus locutus eſt *Hipp. in lib. 2. de morbis num. 71.* ſub titulo *Morbus niger*, ubi ait: *Nigrum vomit velut fœcem, quandoque cruentum* (hoc eſt rubrum fuſcum, non ſanguineum) *quandoque velut vinum ſecundum, quandoque velut polypi atramentum, quandoque acre, velut acetum, quandoque ſalivam, & pituitam, quandoque bilem cum virore pallidam* (& eſt bilis porracea in ventriculo, à depravata concoctione alimentorum genita); *& ubi quidem nigrum cruentum vomuerit, cadaveris fœtorem refert, & fauces, & os à vomitu aduruntur, & dentes ſtupeſcunt, & id, quod vomitu rejectum eſt, terram elevat, & poſtquam vomuit paulùlum melius ſe habere putat, & neque ſine cibo eſſe, neque ampliorem cibum ferre poteſt. Verùm ubi ſine cibo manet, viſcera ſugunt, & ſalivæ acidæ ſunt. Cùm verò cibum accepit, gravitas in viſceribus eſt, & pectus, ac dorſum, velut ſtylis pungi videntur, & dolor tenet latera, & febris debilis eſt, & caput dolet, & oculis non videt.*

Hunc deſcriptum affectum, Medici noſtri temporis affectum hypochondriacum appellant, & ſi conſultationi ſubjiceretur hic caſus, pro affectu hypochondriaco determinaretur. & curatio iſtius dirigeretur eo modo, quo curatur affectus hypochondriacus.

Sedem hujus colligimus eſſe ventriculum, ex verbis *Hipp. Et neque ſine cibo eſſe, neque ampliorem cibum ferre poteſt*, cum aliis, quæ ſequuntur. Vomitus etiam comprobat, malè affectum ventriculum, & ejus indiſpoſitionem, in qua radicatur morbus, eſſe vitium actionis digeſtivæ ventriculi, quod demonſtratur à multitudine excrementorum vomitu ejectorum, à læſione à cibo aſſumpto, & etiam ab intermiſſo, quæ debilitatem ventriculi in ſua actione, & fibris præſupponunt, & omnia alia ſymptomata deſcripta, quæ ab excrementis in ventriculo exiſtentibus originem trahunt, ejuſdem actionem depravatam manifeſtant.

Qualitatem ſenſibilem humoris iſtius, ſpeciem, naturam, & conditionem aperit. Humor per vomitum excretus, & ab Hipp. deſcriptus habet qualitatem acidam,

dam, acrem, fermentationem; patet in illis verbis, *Et os, & fauces aduruntur, & dentes ſtupeſcunt, & id, quòd vomitu rejectum eſt, terram elevat*; & clarè exprimit *Hipp.* dicendo, *Quandoque acre velut acetum:* & ſi bilis etiam vomitu excernitur, hæc aſcendit à duodeno in cavitatem ventriculi, medio conatu fibrarum partis ventriculi inferioris ad ſuperius orificium; hujuſmodi qualitas acida humorem melancholicum denotat, cui naturalis eſt aciditas, & pituita præternaturalis acida, ob aciditatem analoga eſt cum humore melancholico, & pares cum ea producit effectus. Acrimonia, & virtus fermentativa, acidi intenſionem manifeſtam faciunt. Humor ergo peccans in hoc affectu, eſt humor melancholicus, & ejus vitium erit intenſa aciditas, cum acrimonia. Color hujus humoris ab Hipp. deſcriptus, *velut fæcis*, ideſt recrementi inutilis vini rubri, præcipuè cujus color ad nigrum vergit, vel velut cruoris, cujus color purpureofuſcus ſit, vel quandoque coloris ſimilis colori vini ſecundarii, quod fit aqua vinaceis extracto vino optimo ſuperinfuſa, cujus color ad nigrum vergit. Hic color niger melancholiæ naturalis dicitur. Ab iſtis ſignis concludendum, humorem pecantem eſſe melancholiam.

Ab hoc acido etiam procedunt omnia, & quæcumque narrata ſymptomata deſcripta.

Acida excrementa, quæ ſolo attactu tranſitorio dentes ſtupore afficiunt, ac à fructibus acidis, non ab alio emanant fonte, quàm ab acido ventriculi fermentativo, & alimentorum digeſtioni deſtinato, dum intenſa aciditate diſſolvit majorem alimentorum partem diſſolutione propria corruptionis, & inepta ad eam mixtionem, quam exigit chyli natura, & illius perfectio, pro materia nutritionis completæ, & eamdem maſſam corruptam alimentorum acido acri excedenti inficit, cum omnimoda inhabilitate ad ſuſcipiendam naturam boni ſanguinis, *unde æger conſumitur*, ut ait *Hipp.* ab eadem alimentorum corruptione *cadaveris fætor*, in initio putredinis animalis apparens tranſpirat, & ab eadem in ventriculo varia congregantur excrementa, qualia ſunt deſcripta in textu Hipp. quæ nomine Humoris melancholici appellantur, non quia verè ſint talia, cùm humor non generetur in ventriculo, ſed in ſanguine, ob analogiam tamen, quam habent cum humore melancholico, ratione aciditatis, & acrimoniæ melancholię propriæ, humores melancholici dicuntur, eo modo quo bilis porracea in ventriculo genita, humor dicitur, ob analogiam, quàm habet cum bile porracea in hepate, ut dicunt Antiqui, genita. Obſcuritatem etiam habent, qualem dicunt Medici habere melancholiam, dum in fermentatione illa corruptiva, quia nimis diſſolutiva, ſupradicta diſſipantur, & evolant ſpiritus de ignis natura in maſſa alimentorum exiſtentes, à quorum carentia obſcuritas oritur, & ob hanc cauſam omnia combuſta nigreſcunt; huic obſcuritati confert etiam humoris craſſities, cum particulis alkalicis, & aciditas illi conjuncta, eo modo quo à vitriolo acido, conjuncto cum alkalico gallæ, nigredo in atramento proficiſcitur; hoc modo explicatur generatio acidi humoris ab Hipp. deſcripti, nempè vitio fermenti cum exceſſu acidi ventriculi: ad hanc aciditatem concurrit etiam mora alimenti in ſtomacho diuturnior, quàm ei conveniat, ob hanc exaltatur ſal acidum alimentorum in parte craſſa iſtorum contentum, protracta magis eorumdem fermentatione, eo modo, quo maſſa paſtæ ex farina, & fermento diù reſervata, & tardè coctioni conſignata, tota aceſcit, ob fermentationem protractam acidi fermenti, & exaltante ſale acido farinæ, à cujus exaltatione tota maſſa aciditate inficitur. Morantur alimenta in ventriculo ob laxitatem fibrarum, quibus contexitur, per quam partem craſſam alimentorum, niſi longo tempore interpoſito, expellere poſſunt. Ventriculus dolet, ſi ſit ſine cibo, ab excedenti vellicatione oris ejus, & membranarum ab acido intenſo fermenti, quod in copia collectum à glandulis tunicæ villoſæ, & in cavitatem ventriculi expreſſum, vim ſuam, quam in alimentum dirigeret, ſi in ea exiſteret totam, hoc deficiente, in membranas, & nervos ventriculi dirigit, cum iſtius dolore. Augetur dolor ab humoribus, quos vacuus ventriculus ab Hipp. dicitur exugere à circumſtantibus partibus, non per veram ſuctionem, ſed metaphoricam; irritatis enim fibris ventriculi, & conceptis ab irritamento motibus ſpaſmodicis, capillaria vaſa concutiuntur, & concuſſione exprimunt in cavitatem ventriculi ſeroſitates acidas, à quibus augetur irritamentum. Salivæ acidæ ſunt, vel à vaporibus materiæ acidæ in ventriculo contentæ elevatis, & ſalivæ oris commixtis, vel à motu periſtaltico fibrarum ventriculi expulſa parte tenuiori humoris acidi ventriculi ad fauces, vel (quòd probabilius eſt) humor glandularum ſalivalium in ore exiſtentium aciditatem contraxit à ſanguine, à quo ſeparatus fuit, vel à fermento dictarum glandularum nimis acido, à quo præparationem ſuſcepit. A cibo gravitas in ventriculo ob fibrarum laxitatem ſupradictam, quæ præſſionem ſine ſenſu gravitatis non tolerant ratione debilitatis, & per nervos ſtomaci pondus cibi, ſine ſenſu moleſtiæ non tolerantes, in eumdem ſenſum trahuntur viſcera, cum quibus per dictos nervos conſentiunt. Fermentante cibo in ventriculo, vapores ab iſto, & ab acido exhalant, à quibus irritatis nervis ventriculi, pectus, & dorſum velut ſtylis pungi videntur, ob communionem nervorum ventriculi cum iſtis partibus, in ſuperiori Diſſertatione explicatam, compatientibus cum iſtis cardiacis nervis motus cordis diminuitur, cùm diminuto fluxu ſanguinis, & ſpirituum per totum; unde languor totius, in quo *crura gravantur*. Vaporibus acido infectis membranas cerebri ferientibus dolor capitis, & ad oculos pervenientibus, vel cum ſpiritibus animalibus commixtis turbatur viſus, concurrente etiam ad hoc ſymptoma virium totius languore prædicto. Serum acidum in membranis cerebri relictum, & ſpiritibus confuſum animalibus, utrumque ſymptoma efficere poteſt. Omnia iſta illuſtrantur, magis & clariora fient ab eis, quæ dicta ſunt, de cruditate acida ventriculi.

Concludendum ergo, hunc affectum hypochondriacum ab Hipp. deſcriptum, eſſe à vitio fermenti ventriculi in excedenti aciditate vitiati, cui poteſt conjungi laxitas, ſeu debilitas fibrarum ejuſdem, quæ duo debilitatem digeſtionis imperfectæ alimentorum complent, excluſo calore Hepatis, à quo ventriculus debilitetur, ut decantant Medici. Cùm in hoc caſu deſcripto, nullum ſit indicium caloris excedentis, neque obſtructio in hypochondriis, & ſi quandoque in ſimili caſu reperiuntur tumores, & durities ad tactum, ab his non dependet hic affectus, ſed ſunt producta iſtius, dum à cruditatibus ventriculi delatis per vaſa partium in hypochondriis exiſtentium obſtructiones inſurgunt, vel modo dicendo de obſtructione meſſenterii.

Dubium eſt, an hoc acidum præternaturale ventriculi à vitio ſuarum glandularum procedat, vel à vitio ſanguinis acidum ſerum congregante, quod ſeparatum in glandulis ventriculi dictos pariat effectus. Qui acidum fermentum naturaliter glandulis concedunt, vitio glandularum ventriculi acidum intendi admittere debent; qui glandulis ſolam ſeparationem acidi ſeri tribuunt, hujus acidi intenſionem vitio ſanguinis aſſignare coguntur. Pro deciſione hujus dubii, nihil certi accipimus ab Anatomicis experimentis. Quod certi habemus eſt, acidum excedens ventriculi citò totam maſſam ſanguinis aciditate depravare, continua tranſmiſſione chyli valdè acidi, & ſanguinem intenſa aciditate coinquinatum, aciditatem fermenti ventriculi intendere, dum continuò glandulis illud præparantibus ſerum intenſè acidum contribuit, & hoc modo hæ duæ ſubſtantiæ ſua vitia ad invicem dividunt.

Ad curationem verò parùm refert, an acidum vitio ventriculi, vel ſanguinis ſuam intenſionem debeat cum eiſdem remediis acidum, & in ventriculo, & in ſanguine oppugnetur.

Cùm acidum hoc excedens, ſit ſanguini hoſtile, vel fermentationem febrilem in hoc ſuſcitat, vel ſanguis hoſtilis ſucci expulſionem moliendo eidem fermentationi ſe ſubjicit; hoc modo febris generatur in hoc caſu lenta, quæ ſemper in ſanguine craſſo, viſcido, cum ſpirituum paucitate dominatur, cùm per has conditiones ſanguis ad lentam, & diminutam effervеſcentiam febrilem diſponatur, & à magna, & vehementi arceatur.

San-

Sanguis in hoc caſu has habet conditiones, ob chylum ſpiritoſis particulis depauperatum in ſua prima præparatione in ventriculo, ratione diſſolutionis corruptivæ alimentorum, unde ſanguis cum paucis ſpiritibus elaboratur. Acidum ſanguini & craſſitiem, & viſciditatem tribuit, à quibus ſpirituum expanſio, & ſubſtantiæ illius dilatata, rarefactio interdicitur, ſed ſolùm lenta, & parva conceditur, unde febris etiam lenta, ut ait Hipp.

Cauſæ externæ ſunt illæ dictæ de cruditate acida.

Signa diagnoſtica ſunt deſcripta in textu.

Prognoſtica, pronunciat *Hippoc. in fine textus* his verbis: *Et unà cum ætate aufugit etiam morbus, & cum corpore ſeneſcit* (hoc eſt minuitur, dum corpus ad ſenectutem tendit;) *ſi verò denigratus fuerit, commoritur*. Omnis color cutis, eſt à ſua textura, vel à ſanguine, ſi non adſit cauſa externa hunc mutans, ſicut in hoc caſu non adeſt, unde à ſolo ſanguine derivanda, cujus nigredo colorem cutis mutat, ſi paulatim procedat lethalis, quia ſanguinem ad vitam ſuſtinendam inhabilem indicat, ob malas, & peſſimas qualitates: nigredinis cauſa eſt ſpirituum paupertas.

Curationem aggreditur Hipp. & primò frequentem imperat purgationem, quia continuò à ſtomaci vitio cruditates acidæ generantur, quarum collectio, cùm maximi ſit detrimenti, & ſymptomatum ſævitiam augeat, impedienda eſt frequenti evacuatione. Medicamenta valida purgantia excludit, cùm natura ventriculi proſtrata, & languor virium non admittat. Blandis ergo utendum purgantibus; inter hæc videntur magis propria *Pilul. de Amoniaco, & Tartareæ Quercet. Pil. Alèphang. & Aquæ pendentis ex Aloe*, quas in cruditate acida convenire cenſeo, ſicut reprobo in cruditate nidoroſa, & per multos, & etiam per quindecim dies, in principio purgationis, omni die exhibendæ, ut ita maſſa excrementorum in ventriculo, & in primis viis exiſtens purgetur, ſine ægri incommodo, in tali doſi, ut per tres, vel quatuor vices moderatè alvus moveatur, exhibeantur *ad* ℈. *i.* vel ℥. ß. manè, & ſerò immediatè ante cibum.

Secundò Lac exhibet. Ait enim: *Lac, & Serum exhibeatur pro anni tempore*, non ad calorem Hepatis, & æſtum Hypochondriorum attemperandum, & ad refrigerandum, ut aliqui doctrinæ Hippocratis Sequaces cenſent, quia, ut dixi, nihil horum licet deducere à textu, ſed ad attemperationem acidi fermenti, & humoris in ventriculo exiſtentis; eſt enim Lac inſigne dulcificativum, & modificativum acris cujuslibet. Pro anni tempore eſt exhibendum Lac, & Serum, hoc eſt Vere, & Autumno; eſt enim tale tempus magis proprium, pro Lactis exhibitione, & exhibendum ad magnam quantitatem, quæ poſſit etiam pro prandio ſervire, ſi ventriculus talem ſuſtinuerit ſine incommodo quantitatem, protracto cibo ad tempus cœnæ, qua ſola contentus erit æger; & hæc debet eſſe regula exhibendi Lac, & in iſtius uſu inſiſtendum per duos menſes ſaltem. Hanc regulam deduco à verbis textus; ait: *Huic pharmacum bibendum dato frequenter, & pro anni tempore ſerum, & lac*; adverbium, *frequenter*, videtur cadere etiam ſuper Serum, & Lac, ob præpoſitionem, *&*, conjunctivam. Nec timendum majus incrementum laxitatis fibrarum ventriculi ab humido Lactis, & Seri, quia majus, & cum majori incommodo haberur à pondere alimentorum, quæ in uſu prædicto Lactis minuuntur, cum refectione dictarum fibrarum, & cum plus urgeat attemperatio humoris acidi, & ejus purgatio, quàm perficit Lac in dicta quantitate ſumptum, quam fibrarum laxitas, illi prius incumbendum, quàm huic, cum poſt Lactis uſum, fibrarum laxitatem corrigere ſatis ſit. Serum Æſtate exhibendum, quia actionem calidi externi hoc tempore cum exceſſu dominantis moderetur, & calorem maximè noxium agnovit Hipp. in hoc affectu, quia aciditatem auget exaltatione, & ſubtilitate inducta, hoc reſpectu multum exercitium, deambulationes, & aquæ calidæ lavacrum prohibuit. Cum Sero miſceri poſſunt ſucci herbarum refrigerantium eodem fine. Nec irrationabilis uſus refrigerantinm in melancholia intenſa aciditate vitiata, prout in caſu præſenti, in quo dentes ſtupefacit, & fauces exurit per vomitum rejecta, cùm à frigidis moderetur acrimonia, ſi ſint temperata, & à calidis intenditur, & à frigidiſſimis, prout de iſtis ſancivit Hipp. in hoc textu. Frigida ſint, quæ humorem melancholicum reſpiciant, ut *Borago, Bugloſſa, Viola, Endivia*, quibus addenda, quæ acrimoniam retundunt, ut *Malva, Parietaria, Liquiritia, Brancaurſina*. Hæc ſimplicia, vel eorum ſucci poſſunt cum Lacte, vel Sero diſtillari, & diſtillatum loco Lactis, & Seri exhibendum. *Aqua Villæ, Noceræ* erit proficua.

Tertiò *à cibis pinguioribus, oleoſis, & dulcibus* monet abſtinendum; in his enim acidum occultum latet, ut loquuntur Recentiores, & etiam fibræ ventriculi magis laxantur, cum detrimento digeſtionis alimentorum, & augmento acidi, ut ſuperiùs dictum eſt. Frigidiſſima etiam alimenta prohibet, quia imperfectam magis reddunt concoctionem ventriculi, & etiam quia acidum fovent, dum magis craſſam reddunt ſubſtantiam, in qua reſidet, illud fixant, cum majori aptitudine ad diſſolutionem corruptivam maſſæ chyloſæ, & majori reſiſtentia remediis impartita correctionem ejus ad majus tempus extendunt; hæc incommoda mitiora, frigidiora in principio curationis propoſita non inferunt, ideò conſulit, frigidiſſima eſſe fugienda. Alimenta alvum ſubducentia probat, de quibus locutus eſt *in lib. de affectionibus*, & eadem conſulit pro alvo lubrica ſervanda.

Poſt dicta remedia, & Lactis uſum, caput purgat, ratio hujus inquirenda.

Indicatio caput purgandi, deſumitur à læſione capitis à materia excrementitia. Hoc indicans demonſtravit *Hipp.* in verbis text. *Caput dolet, & oculis non videt*; ex quibus colligitur, materiam capitis membranas infeſtare, & ſpiritus animales obſcurare, dum in illis figitur, & cum iſtis miſcetur unà cum materia ſuæ generationis, & licèt hæc ſymptomata in principio morbi ſint per conſenſum, ſi contingat continuam eſſe illorum afflictionem, vel valdè frequentem, conſideranda tamquam per eſſentiam à materia jam capiti fixa, & in hoc ſtationaria, vel expectandum dicta ſymptomata brevi tempore futura talia per eſſentiam; idcircò vel ratione curationis, vel ratione præſervationis, cùm ſit excrementitia, & qualitate peccans materia expurganda, & eò magis ſi à continuo fluxu materiæ hujus majora timeamus mala, ut melancholiam per eſſentiam, Epilepſiam, Apoplexiam, quæ à dolore capitis, ſi ſit continuus, à viſus læſione præſagiuntur. Habemus ergo ab hoc textu Hipp. documentum purgandi partem ſymptomatum ſubjectum, etiamſi hæc ſint per conſenſum, dummodò ſuſpicio ſit poſſe fieri per eſsentiam, & ab illis majora prævideamus incommoda. Perſeverante ergo dolore capitis, & læſione viſus, purgandum caput *Errhynis, & maſticatoriis*, quæ in uſu Lactis exerceri poſſunt.

Præmittit purgationem per alvum, & frequentem ad expiationem ventriculi, & primarum viarum, in quibus eſt ſedes, & fons pravi humoris, ut dictum fuit, & rationi conſonum eſt prius remedia dirigere in morbum, deinde in ſymptoma, & fontem contaminatum primò depurare, deinde rivos; Lac, & Serum pariter præmittit purgationi per vomitum, quam imperat poſt Lactis uſum, ut acrimoniam humoris mitiget, & craſſitiem fluiditate Lactis moderet, & mos fuit Hipp. in multis caſibus, in quibus materia acris redundat purgationi iſtius præmittere modificantia acrimoniam, quod documentum magis ſervandum in purgatione per vomitum, ne ab acrimonia humoris purgandi lædatur os ventriculi cum periculo ægri, fluxibilitatem humoris in omni purgatione Hipp. amavit ſemper, ſi vomitus indicatur à materia excrementitia diſpoſita ad exitum per ſuperiora. Concludendum eſt Hipp. vomitum imperare poſt Lactis, & Seri uſum, eò quia materia excrementitia iſtorum virtute ſit diſpoſita ad purgationem per ſuperiora, & non ab eadem remediorum virtute ita correcta, ut uſibus naturæ ſervire poſſit, ſed potentiam illi remanere ad recuperandas pravas qualitates, & ad morbum in integrum reſtituendum. Hanc purgationem per vomitum reiterandam monet, ut oſten-

oſtendunt illa verba, *Et poſt medicamentorum potiones ſurſum purgantes*, pluralitatem inferentia, & ratio deſumenda à Cachochimia univerſali, quæ ob abundantiam humorum unica purgatione moderari non poteſt, nec vires in hac ſemper debiles ob pravitatem humorum, purgationem violentam ſuſtinere poſſunt, unde neceſſaria iſtius partitio. Ideò vomitiva mitiora, & benigna ſeligenda, ut *Decoctum florum Camomillæ*, *&* *corticis radicis Raphani*, *ſem. Anethi*, *& baccarum Hædere*, *& fol. Nicotianæ*, in parva quantitate decoctum exhibendum poſt pactum. Valet etiam *Oleum Olivarum*, *& Amygdalarum Dul. ſ.* 1. *ad* ℥. *v.*

Quintò Sanguinis miſſionem imperat, cujus rationem dedi in diſſertatione de vomitu.

Sextò *Alvum lubricam ſervandam* imperat, cum Clyſteribus emollientibus, alvus in hoc morbo ſemper adſtricta per dictos Clyſteres fit mollior, acribus verò adſtrictior.

Septimò abſtinentiam *ab ebrietatibus*, *& à Venere* inculcat; utraque enim ventriculum debilitat, & acidum in corpore, & humoribus auget; vinum acido, quod in ſe continet, & præter cruditates, quas congregat. Venus conſumptione ſpirituum, à quibus acidum humorum modificatur, & quibus deficientibus acidum exaltatur, & dominium ſupra omnes humores exercet; qua ratione ſi coiverit, conſulit Hipp. uſum fomenti ad regionem ſtomaci, antequam cibum capiat pro corroboratione ventriculi à coitu debilitati.

Octavò multa fugienda inſinuat, ut *à Sole*, quia ſuo calore acidi humoris acrimoniam auget, *& ab exercitio multo*, *& de ambulationibus*, *& aquæ calidæ lavacro*, ob eamdem rationem caloris; *eſum acrium alimentorum*, *& ſalſorum* prohibet, quia hæc acidis addita corroſivum mixtum componunt.

Aliùm affectum hypocondriacum deſcribit *cit. lib.* 2. *de morb. num.* 64. ſub titulo *Morbi ſiccatorii*: *Neque ſine cibo eſſe*, *neque cibum acceptum tolerare poteſt*, *verùm ubi quidem ſine cibo manet*, *viſcera ſugunt*, *os ventriculi dolet*, *& alias alia vomit & bilem*, *& ſalivam*, *& pituitam*, *& acria*, *& poſtquam vomuit aliquantiſper*, *melius habere ſibi videtur*, *& ubi cibum accepit ructus adſunt*, *& cum rubore exardeſcit*, *& ſemper multum ſe cacaturum putat*; *ubi verò ejus gratia deſederit flatus prodit*, *& dolor caput habet*, *& totum corpus velut aciculis pungi videtur*, *alias alia parte*, *& crura gravia ſunt*, *ac debilia*, *& conſumitur*, *ac debilis fit*.

In hoc caſu Hipp. delineare affectum hypochondriacum communi Medicorum conſenſu determinatum eſt, & enarrata ſymptomata, nempè moleſtia ventriculi à cibo, & ſine cibo, flatuum copia, vomitus confirmant.

Sedem iſtius affectus, ex verbis, & ſymptomatibus recenſitis, aliam cognoſcere non poſſumus, niſi ventriculum, ſicut in antecedenti caſu, ut colligere licet ex moleſtia à cibo, & ab abſtinentia iſtius, à vomitu cibi, & aliorum humorum, à juvamento ab iſto percepto, & à flatu poſt cibum; & in toto textu nullum habemus indicium alterius partis læſæ, conſequenter concludendum, ſedem hujus affectus eſſe ventriculum, & in iſtius mala indiſpoſitione conſiſtere.

Qualis conditionis, & generis ſit iſta indiſpoſitio, licet manifeſtè colligere à flatibus poſt cibum invaleſcentibus, cum ructu, & cum irritamento alvi, qui cum ſemper à debili calore proficiſcantur, ut demonſtrabimus cum Hippoc. in diſſertatione de ructu, habemus efficaciſſimam rationem concludendi, hunc affectum ab Hippoc. deſcriptum conſiſtere in debili calore ventriculi, & in ſui fermenti inertia.

Hæc manifeſta evadit à vomitu bilis, ſalivæ, pituitæ, & acrium, quæ imperfectam digeſtionem alimentorum opus fermenti digeſtivi debilitati, quotieſcumque cum flatu conjungitur talis vomitus oſtendunt.

Fermenti inertia provenit ab acido in ſanguine deficiente, vel in glandulis, quæ humorem acidum præparant, ex cujus deficientia, ut langueat, neceſſe eſt fermentum acidum ventriculi, cum imperfectione digeſtionis alimentorum, ob rationes dicendas in diſſertatione de læſa concoctione.

Obſervamus hunc affectum in eis, qui tenuem, mollem, & rarum ſanguinem habent; habet enim ſanguis conſiſtentiam, craſſitiem naturalem, & denſitatem, cum fluxibilitate ab acido; hoc deficiente raritas, mollities, & tenuitas ſanguini advenit; hoc ſanguine donati parum, aut nihil appetunt, & per hoc diſtinguitur hic caſus à præcedenti, in quo acidum fermenti excedit, & eſt fixum.

Acidum verò deficit in ſanguine, & glandulis, quando bilis, acidi quantitatem, & activitatem excedit, prout demonſtratur à doctrina Alkali, & acidi, & à remediis bilem augentibus, quæ acidum mortificant, & ab acidis, quæ bilem frænant. In caſu *ab Hipp.* deſcripto bilem dominari colligimus ab illis verbis textus. *Et cum rubore exardeſcit poſt cibum*, hæc exardeſcentia arguit facilitatem ſanguinis ad efferveſcentiam, quam à bile habet; & inferiùs ait: *Totum corpus velut aciculis pungi videtur*, & denotat acrimoniam ſanguinis efferveſcentis, quam à bile recepit, facilitas ad efferveſcendum, & acrimonia ſanguinis ſunt duo effectus bilis in eo exiſtentis; hinc eſt, quòd in bilioſis frequenter hic affectus obſervetur.

Cauſa ergo principalis hujus affectus eſt bilis enervans, & mortificans, inerſque reddens fermentum ſtomaci, à quo depravatio digeſtionis alimentorum, & mutatio iſtorum in cruditates diverſi generis, in quas tranſeunt alimenta, ob diverſitatem, & diſpoſitionem ſuorum componentium, per quam agens calor ventriculo impartitus à ſanguine bilioſo, flatus in copia elevat, quia licèt ſit in ſe validus, reſpectu tamen materiæ eſt debilis, hancque attenuandi, non reſolvendi potentiam retinet. Hanc flatuum generationem coadjuvat fermentatio in cruditatibus ſtomaci inducta à cibo, per quam multi flatus exhalant, ideòque poſt cibum flatuum tumultus, & exitus, quos auget ipſa fermentatio ciborum.

A mala alimentorum digeſtione excrementorum redundantia, quæ flatuum generationi materiam ſuppeditant, & fermentum digeſtivum magis depravant, ſola pars tenuior, ſubtilior, & ſpiritoſa in chylum bonum vertitur, ſed adeò pauca, ut non ſufficiat nutritioni totius, & copioſæ generationi ſpirituum animalium, & vitalium, à quibus facultatis animalis, & vitalis robur emanat. Hinc macies, corporis languor, ejuſdem gravitas, & debilitas crurum.

Bilis ergo eſt cauſa hujus affectus hypocondriaci, non quia calida, ſed quia ſuo ſale acri lixiviali fermentum acidum ventriculi, & glandularum mortificat, & enervat; & ſi calor ſit cauſa bilis adurendo particulas ſanguinis, non verificatur ſententia illorum Medicorum, qui Hippocratis doctrinam jactantes, docent à calore hepatis enervante calorem ventriculi affectum hypochondriacum oriri, quia bilis non generatur ab hepate, ut apertè, ex Hipp. mente, demonſtravi in meo *Syſtemate Medico*, ſed in hoc ſolùm ſecernitur; idcircò non criminandum hepar in hoc affectu, qui originem à bile ducit, ſed ſanguis, cui ſuum eſſe debet bilis, quæ, ut dixi, non calore, ſed ſale lixiviali contrario ſali acido fermenti digeſtivi ventriculi eſt cauſa hujus affectus; hac ratione deteſtanda prædicta ſententia in hepar cauſam hujus affectus refundens, tamquam falſa, & principiis Hippocratis, & Recentiorum illis conſonis minimè adbærens.

Ab hac cauſa rationes deducimus, à quibus explicantur omnia deſcripta ſymptomata.

Neque ſine cibo eſſe, *neque cibum acceptum tolerare poteſt*.

Neque ſine cibo eſſe poteſt, hoc eſt inediam ferre non poteſt, non diù protractam, quia ſanos etiam hoc ſymptoma corripit, nec hujuſmodi inedia eſt à cauſa morboſa, ſed accipienda, ut præſenti caſui accomodari poſſit in initio, nempè ſtatim, ac ventriculus vacuus eſt cibis, & apparet indigentia cibi.

Moleſtiam ab hac cibi carentia in ventriculo deſcribit *Hipp.* his verbis: *Et viſcera ſugunt*, *& os ventriculi dolet*, *& alias alia vomit*, *& bilem*, *& ſalivam*, *& pituitam*.

Viſcera ſugunt, ideſt ventriculus ſugit, cùm hic ſolus

lus ſine cibo maneat in principio incdiæ, cibo ab eo præparato paulò ante elapſo, & ad alias partes tranſmiſſo pro earum alimonia, in quo caſu ſolus ventriculus dici poteſt ſine cibo, cùm aliæ partes cibum præparatum, licèt vitioſum, ſuſceperint, ideòque ſolus ſugere dicendus. *Sugit*, non vera ſuctione, ſed analoga, motu ſuo periſtaltico in carentia cibi cum majori energia, & celeritate exercito, dum à nullo corpore gravante dictus motus reprimatur, vel à moleſtia, quam à cibi deficientia unuſquiſque experitur provocato. *Saliva* etiam in ventriculum recepta poſt cibi ab hoc exitum, concurrere poteſt ad dicti motus alterationem, ſi acrimonia à dominante bile accepta ventriculi fibras irritaverit, motus periſtalticus ventriculi auctus inteſtinum duodenum elevat verſus orificium inferius ventriculi, humoreſque in eo contentos cavitati iſtius conſignat, ſicuti à dicto motu aucto agitatis, & quodammodo compreſſis glandulis, & extremitatibus arteriarum humor ſeroſus in copia exprimitur in cavitatem ventriculi, & hoc modo ventriculus cibis vacuus dicitur ſurgere humores ab aliis partibus. Si iſti humores acrimoniam prætulerint, & ſua ſubſtantia, & ſuis vaporibus fibras nerveas ventriculi, & maximè plexum nerveum orificii ſuperioris vellicaverint, & roderint, dolorem pariunt perſeverante irritamento, determinatur ventriculus ad vomitum, cum hoc rejicitur materia in ejus cavitatem modo ſupradicto collecta; *& alias alia*, hoc eſt, quandoque bilem, quandoque pituitam, & ſalivam, & acria vomit, prout aliquis ex iſtis humoribus in ventriculum transfunditur ſolus, vel mixtus, vel prout cruditates à depravata concoctione alimentorum relictæ in ſtomacho fuerint diverſi generis, excepta ſaliva, quæ ab ore deſcendit. *A vomitu aliquantis per melius ſibi habere videtur*, ablato, vel minorato irritante, & vellicante cum materia rejecta.

At ubi cibum accepit ructus adſunt, & cum rubore exardeſcit, & ſemper multum ſe cacaturum eſſe putat; ubi verò ejus gratia deſederit flatus prodit, & dolor caput habet.

Cùm dictum fuerit, depravatam fieri in hoc affectu ciborum digeſtionem, & concoctionem, ab hac multitudo flatuum elevatur, à quibus ventriculus diſtenditur, os ſuperius iſtius vellicatur; hinc dolor iſtius partis exitum, ſi inveniant flatus per ructum exeunt, ſi non, ſtrangulationis ſenſum pariunt; ideo à cibo malè habet æger, & eò magis malè habet, ſi humores acres reperiantur in ventriculo; agitati enim à cibo ſuperaddito ſuam acrimoniam ab agitatione in actum redactam, in eum dirigendo moleſtiam inferunt, de qua multæ querelæ poſt cibum. A continua etiam moleſtia ventriculus ita diſponitur, ut pondus alimentorum, eorum caliditas, frigiditas ſit noxia ſuis membranis, & præcipuè ſi à continuo vomitu mucoſitas, qua ſuperficies interna oblinitur, fuerit abſumpta.

Vapores caput aſcendentes, dolorem iſtius pariunt. Exardeſcit cum rubore facies poſt cibum, quia à moleſtia poſt hunc excandeſcit ſpiritus, à cibo incaleſcit ſanguis in vaſis circumſtantibus, & ab utroque in vaſis ſuperioribus fervet, à fervore robur in facie, qui tenuitatem ſanguinis, & ejuſdem ad efferveſcentiam, promptitudinem, ſuperiùs notatam, arguit, & per hanc facili de cauſa fervet, & rubore tingit faciem. Flatus ad inteſtina decurrentes, ubi iſtorum copia in inteſtino recto collecta fuerit, gravando, & irritando ſtimulum dejiciendi fœces addunt, ſed inani exitu, cùm non exeat, niſi ſtimulans, quod eſt flatus. Alia explicata fuerunt ſuperiùs.

Cauſæ externæ ſunt omnes illæ, quæ bili in ſanguine dominium concedunt, illius copioſæ generationi inſerviendo.

Signa diagnoſtica ſunt recenſita ab Hipp.

Prognoſtica in fine textus addit, ubi ſcribit: *Morbus hic diuturnus eſt, & conſeneſcentes, ſi ita futurum eſt relinquit, ſin minus commoritur.*

Curationem auſpicatur primò à purgatione per medicamentum purgans deorſum, ad ventriculi emundationem ab impuritatibus, & excrementis. A qualitate humorum peccantium eligenda purgantia, quæ Hipp. ſilentio præteriit; bilem, & pituitam purgantia, ſunt magis propria, ideo *Rhab. Agar. Mel. roſ. ſol. Syr. roſ. ſol. Cremor Tartari, & Manna* convenient. Vide, quæ ſcripta ſunt de cruditate nidoroſa.

Secundò purgandus æger vomitu cum *Aſaro* in ſubſtantia, vel in infuſione in vino, vel Sale albo Vitrioli, vel medicamentis antimonialibus. In præcedenti caſu plura præmittit Hipp. antequam vomitivum exhibeat, frequentes purgationes, Lac, & Serum, & diætam; in præſenti unicæ purgationi per alvum conjungit vomitum, & hoc multiplici de cauſa; prima, quia humor peccans in illo valdè acris, & corroſivus, ideò prius attemperandus, ne acrimonia excedenti irreparabilem moleſtiam ſuperiori orificio ventriculi inferat. Secunda, quia humor valdè craſſus, prout dictum fuit, unicæ purgationi reſiſtens, reiterata indiget. Tertia, quia leni medicamento purgandum erat, dum à valido agitatus humor acris ferocius deſeviret, cum lethalibus ſymptomatibus, ideo reiteranda per plures vices purgatio lenis; in hoc verò caſu, cùm humores pro majori parte ſint fluxibiles, quia bilioſi, nec adeò acres, unico medicamento poſſunt tutò purgari in ea quantitate, quæ neceſſaria eſt; & quia peccant etiam humores craſſi, qui actioni purgantis reſiſtunt, eorumque vim deludunt, ideò poſt unicam purgationem vomitivum exhibet, & acrimoniæ excedentis defectus in humoribus periculoſum non reddit vomitum.

Tertiò purgat caput, dum ait: *Medicamentum bibendum dato, primum deorſum purgans, poſtea ſupernè, & caput purgato*. Purgatio capitis peragenda *Errhynis, & maſticatoriis*, multis in locis deſcriptis, quæ adhibenda etiam in ſuperiori caſu dixi. Finem hujus purgationis, non alium determinare poſſumus, niſi caput immunem facere à læſione excrementi redundantis à depravata alimentorum digeſtione. Poſſumus addere, uſum eſſe Hippoc. in purgatione univerſali corporis, purgationem capitis ſemper moliri, quam magni etiam feciſſe naturam, multiplicata in capite emunctoria pro excrementorum purgatione confirmant.

Quartò monet abſtinendum eſſe à cibis dulcibus, oleoſis, & pinguibus, quia hæc fermentum ventriculi oleoſitate, & pinguedine magis enervant; & ab ebrietatibus, quæ indigeſtionum, & cruditatum ſunt ſeminaria.

Quintò Vomitu quotidiano, utitur *à ſuccis, & à cibo*; per ſuccos intelligit alimenta diſſolutione in formam ſucci redacta. Hujus remedii magna eſt utilitas, quia excrementa ab imbecilli, & depravata digeſtione cumulata, quotidie per vomitum excernentur unà cum antecedentibus relictis in ventriculo poſt purgationem per alvum, & per vomitum, & mundato ventriculo ab hoc inquinamento, quod depravatæ concoctioni ſervit, hæc minus imperfecta evadit; hanc utilitatem docet, vomitus ab ægro factus ſponte, cum alleviatione ſymptomatum, à quibus affligebatur, ut ait Hipp. in textu, quanto tempore vomendum ſit poſt cibum, nihil dicit Hipp. quia non poteſt determinari, ſed Medici judicio remittitur iſtius deciſio, quotieſcumque enim æger ab hoc ſublevatum ſe percipit cum notabili utilitate, tunc ab eo deſiſtendum.

Sextò *Lac, & Serum Aſininum pro anni tempore*; hoc eſt Vere, & Autumno exhibet hujuſmodi remedium, tendit ad attemperandum ſal lixiviale bilis mortificativum acidi ſanguinis, & ventriculi, illo attemperato hoc reſurgit, & concoctio alimenti melior. Notandum pro his attemperandis humoribus. Hippocratem ſemper uti Lacte, quia eſt attemperans ſine noxa, cùm ſit alimentum optimum, amicum naturæ, & ferè nihil in eo eſt noxium. *Lacte Aſinino* utitur, quia cùm parvam portionem Butyri habeat, fermento ſtomaci enervato, & debili minus nocet, etiam quia ob Seri copiam, majorem habet vim ad domandam bilem. Lacte utendum modo ſupradicto ad imitationem Hipp. *Acidulis mineralibus* uti poſſumus, quæ bilem frænant, & prædictum acidum remittunt, & augent.

Septimò, poſt Lac medicamentum purgans exhibet, & ſubjungit, *Utro tandem magis opus eſſe, tibi viſum fuerit*; ut reliquiæ humoris in ventriculo, vel portio Lactis corrupti educatur per purgans medicamentum, quod an vomitivum, vel ſubductivum eſſe debeat, judi-

udicio Medici reliquit; ideò dixit *Utro* (hoc eſt, vel vomitu, vel purgatione). Magis opus eſſe *Tibi viſum fuerit*; nam ſi aderit inclinatio, facilitas ad vomitum, vomitivo utendum; ſi verò inclinatio, & diſpoſitio per alvum aderit, purgativo.

Octavò Æſtate, & Vere lavacrum *Aquæ frigidæ* conſulit, ad attemperandam bilem, & iſtius cauſam, nempè calorem ſanguinis. Hyeme unguento exterius utitur; cujus conditionis ſit unguentum, reticet Hipp. ſuſpicor tamen eſſe *Reſumptivum dictum*, ratione emaciationis, cui intendit providere Balneo frigido, prohibendo copioſam tranſpirationem emaciatis noxiam; modicam deambulationem, & exercitium permittit, quia ab his non eſt timendum caloris augmentum, nec effervescentia immoderata excrementorum in ventriculo, ſicut in præcedenti caſu; tale exercitium confert attenuationi excrementorum; ſi verò debilis fuerit æger, iter faciat, hoc eſt in rheda, vel equitando.

Nonò Diœtam determinat cum cibis frigidis ad majorem modificationem bilis, quæ à frigido incraſſatur, & figitur, & minus activa evadit, contra fermentum acidum ventriculi, & monet omnia remedia temperatè frigida utilitatem ſpondere; alvum ſubducentia imperat, quia quo plus deponit alvus, minus retinet ventriculus excrementorum, qua de cauſa, ſi alvus non ſecedat, molli infuſo per Clyſterem id quærit, & maximè utilitatis eſt quotidiè alvum operari.

Obſervent primò Medici, quam paucis remediis utatur Hippocrates in curatione affectus hypochondriaci, qualem propoſitum caſum credunt, & quantis illi ægros defatigent, & ventriculum opprimant contra Hipp. documentum, cujus ipſi Sequaces ſe venditant.

Secundò, non uno modo omnes hypochondriacos affectus eſſe curandos, ut paret ex diverſitate curæ ab Hipp. inſtitutæ in his duobus affectibus hypochonridacis, quod non faciunt noſtræ ætatis Medici.

Tertiò, poſt peractam ab Hipp. deſcriptam purgationem, videretur corroborandum eſſe ventriculum, & præcipuè acidis, ut *Spiritu Vitrioli*, *Salis communis*, *& Vitrioli Martis*, *in jure*, *vel aqua Boraginis*, *& acetoſæ*, *vel cum ſucco Granatorum*, *& decoctione Santalorum*, *vel ſpeciebus Santalorum*, *vel Diarrhodon Abbatis*, tamen ab Hipp. nulla corroborationis ventriculi fit mentio, ſicut in nulla cura aliorum morborum, cujus ratione puto eſſe, Hippocratem in curatione morborum ſolùm ſtudere remotioni illius, per quod natura in ſuis operationibus deficit, quo ablato, ipſa parat ſibi remedium, & ſe ſola reſurgit, & ſe ipſam corroborat, niſi ſit valdè proſtrata, & in via naturalis declinationis per ſenectutem.

Alteram differentiam colligere licet *ab Hipp. in lib. de veter. Medic. num.* 19. ubi, agendo de afflictionibus, quæ à cibo, & plenitudine proveniunt, hæc habet: *Alteri enim ſi pranſi fuerint*, *idque eis non conducat* (quia aſſueti ſolùm cœnare) *ſtatim graves*, *& ſegnes corpore fiunt*, *itemque mente pigri*, *hiatuque*, *atque oſcitatione*, *& dormitione*, *& ſiti pleni*.

Si verò etiam inſuper cœnaverit, *& flatus*, *& tormina*, *& alvus effringitur*, *& multis magni morbi principium hoc fuit*, *ſi eoſdem cibos*, *quos ſemel inſumere conſueverint*, *bis aſſumant*, *& nihil amplius*. *Alteri ſi prandere conſueverunt* (adde ſolum intermiſſa cœna) *idque ipſis conducat*, *& non pranſi fuerint*, *mox ubi tempus præterierit*, *ſtatim impotentia vehemens*, *tremor*, *animi deliquium*, *poſtea oculi pallidi*, *urina craſſa*, *& calida*, *os amarum*, *& viſcera pendere ipſis videntur*, *vertigo*, *iracundia*, *& triſtitia*, *hæc autem omnia*, *ubi cœnare tentarunt*, *adveniunt*. *Deinde autem pranſuri conſumere non poſſunt*, *quæ prius cœnarunt*, *atque hæc ipſa cum tormine*, *& ſtrepitu deſcendentia alvum concludunt*, *ipſique ægrè dormiunt*, *inſomniaque conturbata*, *ac tumultuoſa habent*, *pleriſque verò etiam horum hæc ipſa alvus morbi principium fuit*.

Omnia iſta ſymptomata ab Hipp. recenſita, ab alterata conſuetudine cibum capiendi, quia non ſunt continua, & ſolùm data occaſione cibi præter conſuetudinem aſſumpti, nullam ſpeciem morbi conſtituere videntur; ſi verò eſſent continua, & continuò, vel frequenter à cibo aliquis affligeretur, affectus hypochondriacus cum ratione appellari poſſet, & nemo ab iſtorum numero excluderet; at cùm praxis doceat, in aliquibus frequentia eſſe iſta ſymptomata poſt cibum, admittendum eſt etiam per hæc conſtitui differentiam affectus hypochondriaci.

Hujus affectus cauſam aperuit *Hipp. in cit. lib. n.* 20. his verbis: *Ejuſmodi autem ventres multò tardius concoquunt*, *& majori habent opus ceſſatione*, *ac quiete*; & ſuperiùs in hoc textu, reddendo cauſam ſymptomatum, quæ adveniunt illis, qui cœnam capiunt, cùm non ſint aſſueti, deinde pranſuri varia ſymptomata patiuntur, ait: *Et ſanè puto*, *his*, *qui cibum ſumere conſueverunt*, *quòd non expectaverunt juſtum tempus*, *donec ipſorum venter pridiè ingeſtos cibos perfectè conſumpſiſſet*, *& exſuperaſſet*, *evacuatusque eſſet*, *ac quieviſſet*, *ſed in ferventem*, *& fermentatum* (intellige cibum) *novos ingeſſerunt*; (notanda hæc verba; quæ effervescentiam, & fermentationem alimentorum, in actu ſuæ digeſtionis notam fuiſſe, Hipp. aperiunt) & in hac ſententia concoctionem tardam deſignat, pro cauſa enarratorum ſymptomatum.

Si iſta ſymptomata ab iuterrupta conſuetudine cibum capiendi, à tarda concoctione, & à denegata quiete, & ceſſatione à ſuo opere ventriculo, quibus, ob ſui languorem indiget, proveniunt; aſſerendum eſt etiam, ſi talia ſymptomata alicui frequenter, vel continuò ſupervenіant, eorumdem cauſam eſſe tardam concoctionem, & neceſſariam quietem, & ceſſationem ab opere ventriculo non conceſſam.

Concoctio tarda ſuccedit ob calorem ventriculi debilem, & ob fermenti activitatem diminutam; hæc enim duo ſunt principalia concoctionis principia, à quorum energia, vel languore citò, vel tardè conficitur concoctio. Calor debilis ventriculi, agendo in alimenta diſſoluta, humido, & fermentum lentè fermentationem promovendo flatus, plurimos excitant, à quibus pendent omnia prædicta ſymptamata in textu deſcripta. Augentur flatus, à fœcibus alimentorum in ventriculo remanentibus poſt expulſionem chyli, ritè, licèt tardè, præparati, dum à calore debili ejuſdem paulatim in flatus attenuantur; his dominantibus, prædicta ſurgunt ſymptomata, & eiſdem reſolutis, ſymptomarum moleſtia ceſſat; ſi verò fœcum reliquias novus cibus inveniat, cum iſtius fermentatione fermentant, & in flatus abeunt. Remanent in ventriculo fœces, quia ubi adeſt concoctio debilis partes alimentorum craſſiores, parùm alteratæ manent, ſuamque craſſitiem, viſcoſitatem conſervant, & ventriculi fibræ iſtius fundum verſus pylorum elevantes, non tantùm habent roboris, ut ita elevare valeant, prout exigit expulſio fœcum, cum parva fluiditate, & cum craſſitie reſiſtente vi impulſivæ fibrarum; ideò craſſæ alimentorum reliquiæ remanent in ventriculo. Denegata quies, & intermiſſio ab opere, concurrit ad debilitatem caloris, & fermenti.

Calorem in ventriculo fovet ſpiritus animalis per nervos, & fibras ventriculi fluens, eo modo, quo fovet calorem aliarum partium, itaut ſi fluxus iſtorum ad has interrumpatur, emacientur, abolita nutritione earumdem, ut patet in membro paralytico, nec poſſunt ſpiritus animales conferre chyli elaborationi, niſi ei miſceantur. *Vide Viridetum de concoctione*. Et tunc fibræ, & nervi ventriculi exinaniuntur; idcircò pro altera alimentorum concoctione perfecta expectandum eſt fibras, & nervos ventriculi ſpiritu animali refertos eſſe, & iſto turgere, & ſi ante hanc refectionem cibus novus ingeratur, calor illorum digeſtioni neceſſarius deficit. Fermentum etiam ventriculi, dum miſcetur alimentis concoquendis deficit, ideò expectanda novi generatio, & ſi ante hanc cibus aſſumatur illius debilis concoctio ſequitur cum flatuum generatione, ideò neceſſariam quietem, & ceſſationem ab opere; his de cauſis ait Hipp. *Expectandumque novum*, *& ſufficientem influxum ſpirituum*, *& novam generationem acidi digeſtivi*.

Cauſæ deſcriptorum ſymptomatum ſatis parent à dictis de melancholia hypochondriaca, & de Affectibus hypochondriacis.

Hinc patet, ſedem iſtius affectus hypochondriaci eſſe ventriculum, & convenire per hoc cum aliis duabus differentiis, ſuperiùs explicati; differre verò, quia illæ à depravata concoctione alimentorum ab acido, vel à bile, hæc verò à diminuta, & tarda.

Cauſæ externæ ſunt omnes illæ de diminuta concoctione recenſendæ.

Affectus ergo hypochondriaci, non ab una cauſa ſolùm, ſed à multiplici oriuntur, per quæ arguuntur Medici noſtri temporis, qui unicam cauſam his affectibus tribuant, & earum curationem eodem modo dirigunt, cùm varianda ſit pro varietate cauſæ, prout ait Hipp. ut demonſtravi ſuperiùs.

Signa hujus affectus recenſita ſunt ſuperiùs, & alia poſſunt addi, quæ dicta ſunt de Melancholia hypochondriaca, excepto rimore.

Signa diſtinctiva ab aliis affectibus, ſunt ea, quæ ventriculi languorem oſtendunt, ſine acidi, & bilis redundantia, & cauſæ præcedentes, quæ ventriculi temperiem optimam diſſolvere poſſunt; & accidit hic affectus in corporibus gracilibus, & etiam in pituitoſis.

Prognoſtica ſunt eadem ab Hipp. in ſuperioribus recenſita.

Curatio, juxta Hipp. methodum præſcribenda; & primò cum purgantibus lenibus frequenter exhibitis, ventriculus ab excrementis emundandus, prout docuit Hipp. in primo caſu. Secundò Vomitus excitandus. Tertiò, quæ calorem ventriculi augere, & fermentum validum reddere poſſunt exhibenda; talia ſunt acida, & quæ deſcribenda ſunt in diſſertatione de concoctione diminuta. Quartò Diæta ſit cum alimentis, quæ facilis ſint concoctionis, & parvi excrementi, & alvum ſubducentibus, & ſi non fluat, Clyſtere, cum aliis medicamentis fluor ejus adjuvandus.

CAP. XV.

De Mania.

VAriè ſumitur Mania, generaliter pro qualibet mentis motione, ſive hæc ſit *Donum rationis ſupernaturale*, *à Platone in Phædro* ad quatuor ſpecies redactum; talis erat emotio mentis Prophetarum antiquorum, Sibyllarum, ad quam reducitur illa Poetarum, nempè Oeſtrum poeticum; vel pro diſpoſitione, quæ hominem infra ſuam dignitatem deprimit, qualis eſt emotio mentis in Ebriis, in Iracundis, in Laſcivis, ſecundò ſpecialiter pro quocumque delirio ſine febre, ſive id ſit melancholicum cum timore, ſive maniacum cum furore, ſive cum febre, ſive ſine febre, & in hac ſignificatione uſurpatum fuit hoc nomen *ab Hipp. lib.* 1. *Porrh.* Specialiſſimè pro delirio phrenetico ſine febre, deſumpto hoc nomine à verbo græco Lunam exprimente, & forſan quia ad certos Lunæ ſtatus talis morbus exacerbatur; vel à verbo græco ſignificante, furere, & magis propriè, cùm furor unà cum delirio in mania conjungantur.

Definitur communiter Mania *Delirium cum furore, & audacia, ſine febre.*

Furor eſt *Exceſſus iræ, res triſtes, & crudeles proſequens*, ut neces, percuſſiones ſine cauſa; & talis furor eſt in Maniacis, cùm in omnes ſibi occurrentes deſæviant, & verbis, & factis, & quocumque modo eis conceſſum eſt ab inſtrumentis obviis aptis ad offenſionem, nec conſanguineis, nec amicis, nec eis, quos ſani reverentia, & obſequio colebant, parcunt.

Audacia eſt *Motus animi inſurgentis ſine ulla cauſa, & ſine ulla cautione contra objecta vim timorem incutiendi habentia.* Talis paſſio in Maniacis reperitur; nam pericula quæcumque aggrediuntur, & ab iſtis non deterrentur, res quaſcumque difficillimas affectant, & peragunt, nec rationibus ſuaderi patiuntur ad contrarias operationes.

Hæc peragere ſine cauſa delirium conſtituit; nam in necem, & percuſſionem hoſtis injurioſi, ulciſcendæ injuriæ cauſa ferri rectæ rationis proprium (licèt falsò) judicatur. Sic pericula intrepidè aggredi rebus difficillimis peragendis opus navare, pro propria defenſione, pro Patriæ ſalute, pro majeſtate Principis tuenda, eſt heroicæ fortitudinis munus, temerariè verò, & ſine cauſa hæc peragere, depravatæ rationis eſt, delirium conſtituentis.

Cauſa delirii immediata eſt compoſitio. vel diviſio phantaſmatis neceſſitatem necis, percuſſionis, & periculi contemptum repræſentantis, cui repræſentationi ex inadvertentia, & ex aliis cauſis ſuperiùs dictis de Melancholia, irrationabiliter aſſentitur, & ab hoc aſſenſu determinatur Voluntas irrationabili appetitu ad necem, percuſſionem, & ad periculi contemptum, & ab hac Intellectus inadvertentia tollitur cauſa rationabilis operationum in Maniacis; nam ſi Intellectus repræſentationem à phantaſmate factam ad examen revocaret, agnoſceret repugnantiam, quæ eſt in dicta repræſentatione, motivum necis, percuſſionis, & contemptus periculi proponente, & illa cognita phantaſmatis repugnantiam repræſentatam, per ratiocinium corrigerent, quod cùm Intellectus ex inadvertentia prætermittat, operatio ſequens iſtius aſſenſum dicitur ſine cauſa, & delirium; ſicuti enim in Melancholia dicimus adeſſe delirium, quia adeſt timor ſine cauſa manifeſta, ita furor, & audacia in Mania, quia ſine cauſa faciunt delirium.

Aſſentitur Intellectus neci, percuſſioni occurentium Maniaco, quia in hoc adeſt phantaſma movens ſedem ſenſus communis, eo modo, quo movetur à phantaſmate concepto ab homine injuria affecto, & vindictam meditante, Intellectus cognoſcit talem repræſentationem, & quia hoc phantaſma in Maniaco ſemper eſt excitatum, & in motu, ideò evenit, quòd poſſit facillimè conjungi cum illa affectione, quæ ab homine occurrente, Maniaco, imprimitur in ſedem ſenſus communis, & talis affectio, unita cum phantaſmate ſupradicto, repræſentat Intellectui vindictam eſſe exercendam contra hunc, ideò aſſentitur neci, & percuſſioni, unde furor ſine cauſa.

Aſſentitur intrepidè aggreſſioni periculi à phantaſmate proprio repræſentati, quia Intellectus repræſentationi periculi fixus, non attendit circumſtantiis connexis cum periculo, à quibus oritur difficultas, vel impoſſibilitas in eo ſuperando, non perpendit media, quibus mediantibus ſuperari poſſit, & quæ ſint magis propria, & quæ executioni cum majori facilitate mandari poſſint; ſed cum inadvertentia aſſentitur aggreſſioni periculi, & præcipuè ſi phantaſma ſit diviſum, itaut repræſentetur ſolùm periculum ſine circumſtantiis, quæ illius difficultatem, vel impoſſibilitatem repræſentent, illius aggreſſioni aſſentitur ſtatim, & temerè Intellectus, tamquam periculo facile ſuperabili, & ſine timore, cùm abſint illæ circumſtantiæ, quæ periculum difficile exponant, ex quarum apprehenſione fit perturbatio in ſpiritibus animalibus, cum timore, qui abeſt, etiamſi repræſententur circumſtantiæ periculum timendum repræſentantes, dum Intellectus has non animadvertit, & ex inadvertentia eas non ponderat, & reſpectu iſtius inadvertentiæ ita ſe habent ad Intellectum, ſicut non eſſent, & quando non ſunt, non incutiunt timorem, conſequenter neque quando non ſunt animadverſæ.

Eſt *ſine febre*, quia calor ſanguinis, & ſpirituum, licèt auctus, ad igneam non accedit naturam, & per hoc differt Mania à Phrenetide, & convenit cum Melancholia, à qua differt per furorem, & audaciam.

Cauſa hujus affectus eſt ſanguinis, & ſpirituum accenſio, cum furore, cum iſtis conjungitur irregularis, & inordinatus ſpirituum motus, per quem phantaſmata poſſunt irrationabiliter componi, vel dividi cum delirio; Anima enim tamdiù manet tranquilla, & ratione rectè utitur, quamdiù ſpiritus in corpore placidi, & ſine tumultu moventur; hujuſmodi tranquillitatem recognoſcit Anima à blanda ſanguinis fermentatione, per quam ſpiritus in cerebro, & in toto corpore in æquilibrio detinentur: quamprimùm verò ſanguis fervet, & æſtuat per aliquam cauſam extraneam, ſpiritus ita cum impetu in cerebro moventur, ut non obediant Animæ imperio, à tali æſtu, fervore ſanguinis, & ſpirituum animalium oritur paſſio iræ, quæ cùm ad exceſſum pervenerit, ut in Maniaco, fit furor. Hic motus eſt talis conditionis, & roboris, ut motus, & actio proveniens ab Objecto terribili apto timorem incutere, non valeat eum alterare, nec immutare, ſed ab eo alteretur, & immutetur, ad ſuique regulam reducatur; eo modo quo corpus recta linea per flumen deſcendens, ubi ad verticem devenit verticis motum non immutat, ſed à motu verticis immutatur, ut recta linea non

non deſcendat, ſed verticaliter in gyrum moveatur, ſequendo motum vorticis magis validum. Ita motus, & actio corporis terribilis ad cerebrum deducta per nervos, immutatur à motu validiori ſpirituum; ideòque timorem non imprimit, ſed audaciam timoris contemptricem conſervat.

Æſtum, & fervorem in Maniacis adeſſe, comprobatur evidenter à tolerantia extremi frigoris ab omni paſſione disjuncta, cùm nudi, vel levi veſtitu cooperti rigidi Hyemis rigorem tolerent, hæc tolerantia calorem internum connotat talis efficaciæ, ut valeat reſiſtere intenſioni contrarii frigidi, juxta adagium Philoſophi: *Intus exiſtens prohibet externum*. Calor verò internus, non aliam habet originem, quàm fervorem, & æſtum ſanguinis, & ſpirituum.

Colligitur etiam talis fervor à ſpirituum robore, quo ſummè pollent Maniaci, cùm plurium hominum vires ad eos frænandos applicatos deludant, funes, & catenas, quibus coercentur, rumpant, & frangant, hæc ſpirituum animalium quantitatem, & robur arguunt, & à ſolo fervore, & æſtu ſanguinis, & motu ſpirituum, qui cùm ſint valdè conſiſtentes, nec fugaces volatilitate ſuos effectus perennant, qua de cauſa in laboribus non defatigantur, hic æſtus, & fervor ſanguinis eſt citra febris accenſionem.

Cauſæ magis remotæ ſunt quæcumque fervorem, & æſtum in ſanguine inducere valent, & ſpirituum motum inordinatum efficere *Paracelſ. in tract. de morb. cap.* 2. determinat, cauſam Maniæ eſſe humorem æmulantem Mercurium calcinatum, reverberatum, & in aquam fortiſſimam ſolutum, qui ſpiritui vitæ permiſcetur, huncque inflammat, & tantam dicit eſſe hujus aquæ fortis ſubtilitatem, ut in fundo non commoretur, ſed ad ſumma faſtigia tendat, & quamprimum ad cerebrum pervenerit, inſaniam producit. Ad hujus ſententiæ regulam de Cauſa Maniæ ſuam efformavit *Vvilliſius*, aſſerendo, quòd in ſanguine, ac ſucco nerveo Maniacorum particulæ nitro ſulphureæ, & acerrimæ ſimiles illis Aquæ ſtygiæ continentur, à quibus ſanguis nimium efferveſcit, & ſpiritus animalis inordinatè movetur tamquam ab irritante.

Helmontius vult, omnem Maniam oriri ab efflorefcentibus ideis conceptualibus peregrinis, quæ effervefcunt, non ſecus, ac ſtigma Ceraſi, aliique nævi materni, qui quotannis virent, vel rubent cum arborum fructibus, ſic & ideæ maniacæ à perturbationibus ſpirituum ortæ habent in illis præcordiorum ſua incentiva repetitionum, periodorumque intervalla.

Dolæus aſſerit, microcoſmetorem: ſeu archeum; ſeu ſpirituum vitæ eſſe quaſi incendiarium, & ſpiritus animales hominis incendere, incenſi percurrunt omnes foſſulas cerebri, & quaſcumque ideas; primò autem illas, quæ ſunt de furore, & audacia antea conceptæ, & reſervatæ, cum impetu ſuſcitant, incenſi ſpiritus fluunt in omnes corporis partes, quas cum energia irradiant, à quo derivatur robur maniacum.

Ab his omnibus ſententiis colligitur, omnes iſtos Authores determinare ſanguini miſceri aliquod illi ætherogeneum, ideòque extraneum, & minimè cum eo miſcibile; ideòque ab hoc, tamquam ab hoſte tumulus excitari in tota maſſa ſanguinis, per quos dicitur effervefcere, & idem contingit ſpiritui animali, ſi ſimile ætherogeneum illi miſceatur; & cum tumultu dicitur inordinatè moveri, quia in eo agitato ab extraneo eſt magis obſervabilis motus inordinatus in ſuo tumultu, quàm in effervefcentiam. Hoc extraneum à *Paracelſo* vocatur *Mercurius calcinatus*, *& reſolutus*, à *Vvilliſio Aqua ſtygia*, à *Dolæo Incendiarium*. Non poſſunt verò admitti in noſtro corpore humores ſimiles in natura cum Mercurio calcinato, & ſoluto, neque cum Aqua ſtygia; experientia enim conſtat, hujuſmodi ſubſtantias intus aſſumptas brevi horæ ſpatio dolores corroſiones in corpore efficere, & Maniaci, qui diù vivunt humores iſtis ſimiles, in ſe colligere non poſſunt cum beneficio vitæ diuturnæ. Ideæ Helmontii ſunt verè ideales; nec probant, quod intendit; nam ideæ Maniacorum ſunt ſemper depravatæ, & pauci ſunt, qui lucida obtineant intervalla; ideò hoc ſtigma non efflorefcit ſtatuto tempore, ſed floridum ſemper permanet. Spiritus vitæ incendiarius non fit talis, niſi per aliquam cauſam, cujus influxus receptus incendium in eo excitet, ideò admittit fermentum quoddam ab inferioribus partibus præparatum, cujus virtute microcoſmetor igneſcit; & ita patet, prædictum extraneum mixtum ſanguini, & ſpiritui animali ab omnibus admitti.

Tale extraneum cenſeo eſſe bilem, & atram bilem mixtam ſanguini, & quoad partes ſubtiliores, volatilioribus mixtam ſpiritibus, nempè animalibus, vel in alia parte genitam; & poſteà in ſanguinem introductam, & ab hoc ſpiritui animali, unà cum materia generationi illius inſervienti communicatam; hoc deduco à paſſionibus furoris, & audaciæ maniæ ſemper conjunctis, quæ ſunt paſſiones dependentes potius à bile, & atra bile, quàm ab aliis humoribus; & Acidum quoddam cum *Vvilliſio*, & *Etmullero*, pro cauſa maniæ determinare mihi videtur improbabile, cùm hoc potius valeat melancholiam cum timore, prout patet *ex Vvilluſio de Melancho*, efficere.

Præter extraneum prædictum requiritur etiam in cerebro fermentum, ſeu temperamentum habituale, alioquin non poteſt explicari, quia ſit incurabilis mania, cùm curentur tot morbi à ſpirituum, & ſanguinis accenſione orti. Indiſpoſitionem organicam admittendam eſſe, tamquam congruam difficili curationi hujus ſymptomatis puto, & cenſeo conſiſtere in poroſitatibus glandularum cerebri ita diſpoſitis, ut bilem, cum materia ſpirituum ſuſcipiant. Hæc commixta cum ſpiritus animali in iſtius elaboratione quoad particulas volatiliores ſemper conjuncta cum iſto manet, prædictum fervorem, æſtum tumultum in ſpiritibus animalibus conſervando. Oritur talis indiſpoſitio à ſanguine ſummè calido, & rarefactivo, cujus actione poroſitates glandularum corticalis ſubſtantiæ cerebri dilatantur, ut ſint ſuſceptivæ bilis tenuioris.

Cauſæ remotiores ſunt quæcumque bilem, vel atram bilem in corpore cumulare valent, & ſunt temperamentum bilioſum, & atrabilare, diſpoſitio hæreditaria ad maniam, & inſaniam; obſervamus enim in aliqua Familia frequentem eſſe inſaniam, quia hæreditariam, victus ratio prædictis humoribus congrua, morbi acuti cum exceſſu caloris maniæ ſunt cauſa; obſervata enim eſt mania poſt febres ardentes, cùm à calore iſtarum febrium igneo, aduruntur humorum aliquæ particulæ; quæ non expurgatæ, & exaltatæ maniam efficiunt; violentæ excandeſcentiæ ad maniam diſponunt; ſuppreſſæ evacuationes menſium, & hæmorrhoidum; præcipuè in corpore bilioſo, & atrabilari igniculum porrigunt ad accenſionem ſanguinis, & ſpirituum animalium; ſicut etiam curatum ulcus intempeſtivè, à philtro mania obſervata; à veneno, & ab acinis fructus Solani factam maniam obſervatum eſt.

Quamvis ex dictis patere poſſit, ſubjectum maniæ primarium eſſe cerebrum, quia adeſt delirium, depravatio facultatis intellectivæ, cujus exercitium eſt in cerebro, & accenſio ſpirituum animalium, qui in cerebro generantur; nihilominus dubitatur ab aliquibus, an cerebrum ſit ſubjectum maniæ, an cor, *Avicennæ* auctoritate ſuffultis, qui *lib.* 3. *fen.* 1. *tract.* 4. *cap.* 10. maniæ cor ſubjectum admittit; idque tam arridet *Hoffmanno lib.* 4. *inſtitut. cap.* 35. ut ſcribat: *Nullum dubitare, maniæ ſubjectum in corde potius, quam in cerebro eſſe*; & *Gal. in arte medicinali lib.* 2. *cap.* 35. videtur in hanc ſententiam inclinare: *Inter ſigna cordis calidi, & ſicci mores tyrannicos enumerando, qui ſunt proprii Maniacorum; furore, & audacia ſunt paſſiones cordis, & cùm ſint eſſentialiter alligatæ maniæ, iſtius ſubjectum erit cor.*

Pro hujus dubii enodatione ſuppono, quòd certum eſt apud omnes Philoſophos, paſſionem nullam oriri, niſi dependenter ab appreheñſione, vel cognitione alicujus objecti, à qua excitatur appetitus ſenſitivus, vel rationalis concupiſcibilis, vel iraſcibilis, & ab hoc appetitu oritur paſſio; quapropter, licèt paſſiones in aliqua determinata parte reſidere certi ſimus, ut iram, lætitiam, timorem, mœrorem in corde, famem, & ſitim in ventriculo, originaliter tamen à cerebro proveniunt, ut dictum eſt, & ita furor, & audacia, quæ dicuntur paſſiones cordis, quo ad aliquos effectus ſunt in corde, originaliter verò ſunt in cerebro, & ſicuti delirium in mania manifeſtat ſubjectum ſuum eſſe in cerebro, ita ſubje-

ctum audaciæ, & furoris, reſpectu ſuæ originis, eſt cerebrum; & Avicennas, quando docuit, cor eſſe ſubjectum maniæ, intellexit de ſubjecto ſecundario, non de primario, vel quòd cor afficiatur in mania per effectum eſſentialiter, & primario exiſtentem in cerebro; & Gal. quando dixit, mores tyrannicos eſſe ſignum cordis calidi, & ſicci, intellexit cauſam remotam, ſeu potius conditionalem morum tyrannicorum eſſe calorem, & ſiccitatem cordis; nam cauſa primaria, & immediata morum eſt Intellectus, & Voluntas, cor calore, & ſiccitate propenſionem ſolùm quandam ad tales mores influit.

Cauſa furoris erit cauſa iræ, cùm ſit exceſſus iræ; at hæc eſt apprehenſio objecti excitans appetitum vindictæ, cum tali diſpoſitione, & motu ſpirituum, & cum tali dilatatione, expanſione, conſtrictione, & relaxatione partium, & vaſorum, quæ ſunt neceſſaria in moto requiſito ad ultionem capeſſendam; ita cauſa furoris erit humor, vapor qualitas prima, vel ſecunda diſponens ſpiritus, & partes, & vaſa, modo deſcripto; & ſicuti in vindicta, cum tali diſpoſitione determinantur partes ad percuſſiones, ad vulnera, ad necem, ad improperia, ad contemptum inferendum, ita in furore. Prætерquamquòd ſicuti iræ conjungitur odium, quod eſt appetitus impellens in malum alterius, ut eſt malum illius, ita in exceſſu iræ, qui eſt furor, conjungitur odium, à quo appetitus inferendi malum alteri, prout eſt malum illius, quare videntur Maniaci omnes odio habere cum omnibus malum inferant; & ſi talis appetitus reperitur in ira, & vindicta, cùm hæc ſit directa in malum injurioſi, prout eſt malum illius, licèt ex hoc ſequatur bonum aliquod ultori, poſitum, & latens in malo injuriam inferenti allato, de quo ultor ſummè delectatur, ut de bono ipſius, per quod ira diſtinguitur à ſimplici odio, quod verè, & ſimpliciter tendit in malum alterius, ut eſt malum illius; eò magis in furore erit odium, & appetitus malum alteri inferendi.

Audacia, cùm ſit extremum in exceſſu fortitudinis, eamdem cauſam ſortitur. Fortitudo eſt virtus animi, quæ in ſuo exercitio fovetur à ſpiritibus animalibus vegetis, conſiſtentibus, & reſiſtentibus cuicumque motui objecti terribilis, & ardui in eos directo, itaut non perturbentur, nec reſtringantur, & opprimantur, ut in timore; ſed contra dictum motum conſtantes, & imperturbabiles reſiſtunt, & cum tranquillitate; quapropter eis Anima utitur juxta exigentiam motus neceſſario peragendi pro aggreſſione objecti terribilis, & pro reportanda de eo victoria. Pari pacto, ſi ab aliqua cauſa præternaturali ſpiritus animales recipiant prædictas diſpoſitiones, & adſit inadvertentia Intellectus prætermittens cognitionem cauſæ ſe exponendi periculo, & examen modi evadendi ab eodem, cum neceſſaria cautela pro propria conſervatione, tunc præſente objecto terribili, cum audacia, non cum fortitudine illud aggreditur.

Differentia Maniæ, alia eſt eſſentialis, alia per conſenſum: Eſſentialis eſt vitio cerebri, modo ſupradicto; per conſenſum eſt à vitio partium inferiorum.

Signa ſunt, delirium cum furore, & audacia jam explicata, ſine febre.

Prognoſis, mania per ſe non eſt morbus lethalis; eſt tamen diuturnæ durationis, & difficilis curationis, & ſi conjungatur cum convulſione, & raucedine, eſt lethalis, *ex Hipp. in Coac. prænot. Raucedo autem lethalis, quia imminentem pulmonibus affectionem denotat; ſi varices, aut hæmorrhoides in mania contigerint, ſucceſſuram morbi curationem oſtendunt: ex Hipp. aphor. 21. ſect. 6.*

Indicationes ſunt: Primò extraneum biliоſum, & atrabilare mixtum ſanguini, & ſpiritui animali evacuare, contra eos, qui primò ſanguinem mittunt, ratione fervoris, & æſtus ejuſdem; ſed cùm hic pendeat à dicto extraneo, potius ad iſtius evacuationem attendendum eſt, cùm hoc evacuato, æſtus, & fervor ſit ceſſurus. Pro iſtius evacuatione incipiendum à levioribus, ad fortiora, poſteà progrediendum; in hoc genere ſunt, Serum, cum decoctione *Epithymi Meſue*, infuſio *Rhabarbari*, & *Senæ*, addito *Syr. de Polypodio ſol.* & iſta læviora exhibenda per tres vices omni tertio die.

Secundò, poſt purgantia mittendus ſanguis, ut ejus fervor, & effervеſcentia magis moderetur, evacuata jam parte extranei fervoris cauſa, In uſu apud Medicos eſt magnam ſanguinis quantitatem in hoc affectu mittere, & per iteratas vices; fatetur enim *Platerus*, ſe vidiſſe vigeſies, & ſexageſies reiteratam fuiſſe venæ ſectionem in hoc affectu, cum ægrotantium felicitate; & ſi intentio ſit ſanguinem renovare, detracto prius vitiato, & paulatim meliorem per alimenta propria regenerare, videtur operatio, meo judicio, rationi conſona: hoc ſtante, mittatur ſanguis à variis partibus, à brachiis, à pedibus, ab hæmorrhoidibus, à venis naſi, frontis, & ſub lingua; fiant etiam ſcarificationes in cruribus in loco varicum; attendenda tamen eſt in hujus remedii exercitio virium conſtantia, ne ægrum ab uno morbo ſanaturi in alium, cum vitæ periculo, impellamus. Quando ad hujus remedii uſum determinetur Medicus, per intervalla reiterandæ dictæ venæ ſectiones, incipiendo poſt prædicta mitiora medicamenta purgantia. Poſt quamlibet miſſionem ſanguinis, exhibeatur *Aqua Endiviæ, vel Lactucæ, vel Nenupharis, vel Emulſio Sem. frigid. ad* ℔. 1.

Victus ratio, ſit pariter refrigerans, & in tali quantitate, quæ ſit ſufficiens, cum tanta ſanguinis effuſione vires ſuſtinere.

Tertiò præparandi erunt humores, cum *Decocto Viol. Bugloſſ. Scabioſ. Linguæ Cervinæ, Malv. Anagalid. Hyperic.* Decocta exhibeantur ſimplicia, ſine Syrupis dulcibus; à Saccharo enim, & Melle fermentatio in ſanguine inducitur, quæ calorem, & æſtum iſtius auget. Poſt quinque decoctiones exhibeatur medicamentum Purgans, cum *Pilulis de Lapide Lazuli*, quibus addatur *Extractum Hellebori nigri, vel Mel helleboratum*, deſcriptum *à Platero, & Riverio*; & omnia medicamenta *ex Helleboro* parata, *ſive Syrupus, ſive Oximel, ſive Mel, ſive Extractum helleboratum, ſive infuſiones*, ſunt remedia magis propria. Poſt purgationem reiteranda ſanguinis miſſio, & eadem præparantia denuo exhibenda modo ſupradicto; poſt purgantia, venæ ſectio reiteranda à dictis partibus, & hoc modo procedendum per quadraginta, & ſexaginta dies, dummodo vires conſtet, quæ ſi minuantur, protrahenda purgatio, & venæ ſectio poſt octo, vel decem dies alterantium. Tranſacto dicto termino, refocilandus æger optimis alimentis per decem, vel duodecim dies; poſteà exhibendum *Antimonium, vel Hyacinthinum, vel Crocus Metallorum* in infuſione.

Quartò ad ſpecifica deveniendum, inter quæ *Flos Anagalidis purpereus, Flores Hyperici*, & ex iſtis paratur Decoctum in Aqua ſimplici, quod exhibendum in magna quantitate, & valdè ſaturatum virtute florum, quibus *Camphora*, vel ejus *Oleum, cum bolo diſtillatum*, addatur. *Sanguis Aſini à ſectione venarum poſt aures colligatur, in eo imbuatur linteum, ut quidquid poteſt de ſanguine accipiat, exſiccetur linteum in umbra, poſtea de hoc pone in ſufficienti quantitate Aquæ, vel decoctionis florum Anagalid. & Hyperici, donec Aqua tingatur ſanguineo colore*, & ægro exhibeatur: *Folia Buxi* contunde, exprime ſuccum, & exhibeatur, cum duobus cochlearibus *Aquæ Lavendulæ*, per octo dies, & poſteà vena frontis ſecetur. *Cerebrum Arietinum in ſartagine paratum, addito Cinamomo, Nuce moſcata, Caryophilis*, datur per tres dies manè. *Secundina primiparæ mulieris, exſiccata, & ad* ℥. 1. *in vino exhibita*; *Succus Pullorum Hirundinum ad* ℥. 1. *in Aqua Anagalidis bis, & ter exhibitus*. Ex iſtis plures parari poſſunt formulæ medicamentorum, quæ cùm ſint ſpecifica, vitiatum cerebri fermentum corrigere poſſunt, & eſt quarta indicatio à cauſis hujus morbi deſumpta; cui intentioni ſerviunt etiam aliqua extrinſeca, ut Hirundines per medium diviſæ, & calentes capiti raſo applicatæ, *Dolæus* affirmat expertum remedium eſſe; *Catellus lactans, pariter diſciſſus per medium, & applicatus capiti, Pulmones Arietis recenter mactati, calentes adhuc capiti applicati, Pullus Columbinus diſſectus, & Pulvere Joſsiami conſperſus, eodem modo applicatus.*

Ultima indicatio eſt, poroſitates cerebri dilatatas conſtringere, ne ſpiritus adeò promptè ad locum phantaſmatis, à quo eſt delirium, confluant, quod præſtant *Aquæ minerales ferratæ, & vitriolatæ, & ſtillicidium factum cum foliis Salicis, Lactucæ, Viol. Nenupharis, Althea, capitibus Papaveris, radice Mandragoræ, & decoctum fiat in Aqua chalybeata, & diſſolvatur*

tur in decocto portio Vitrioli, ad aliqualem aciditatem ejuſdem.

Omnia Opiata in hoc affectu conveniunt, & hæc videntur omnibus prædictis indicationibus ſatisfacere.

De Philtris agemus, ubi de Amore inſano.

Diæta ſit refrigerans, & humectans, & incraſſans; hac ratione conveniunt *Herbæ refrigerantes*, præcipuè *Bugloſſa*, *Borago*, *Lactuca*, pro pulmento paratæ; Legumina etiam non reprobo, in ventriculo robuſto cùm ſanguinem craſſum generent, non adeò efferveſcentiæ inordinatæ ſubjectum, ab hoc ſpiritus craſſi, tardi ad motum, & contrarii, iis, qui in Maniacis reperiuntur, procedunt; ideò etiam carnes mucilaginoſæ, capitis, & pedum Vituli conveniunt, & eſus Piſcium. A Vino omninò abſtinendum, & hoc aqua diluto, vel aqua ſimplici utendum, vel Sero, vel Lacte diſtillato. Quantitas cibi ſit moderata, ut plenitudo vitetur, & tantum cibi offerendum, quantum ſufficit ad vitam conſervandam. Somnus eſt in hoc morbo maximè proficuus, quia ſpiritui agitato, & furenti quietem conciliat; ideò ſi abſit, conciliandus Narcoticis ſupradictis, per intervalla exhibitis, & iſtis intermiſſis exhibeatur *Lac*, *Amygdalarum dulcium*, hora ſomni. *Immerſio ægri in aqua*, *ſummè commendatur*.

CAP. XVI.

De Furore Uterino.

AD Maniam reducitur Furor uterinus, quo niſi mulieres corripiuntur, eò qnia eſt ab utero, & quandoque hoc afficiuntur, quia magis continentes, & verecundæ, quam viri.

Definitur hic affectus, *Immoderatus, & effrænis coeundi appetitus adeò inextinguibilis, ut delirium excitet.*

Appetitus eſt *Vis animi, qua in aliquod bonum ſenſibile impellimur*; Vis animi eſt *Impulſus potentiæ ſenſitivæ determinans motus proprios potentiæ motivæ, quæ illi ſemper eſt conjuncta indiviſibiliter*; non habetur enim ſenſus ſine motu: tendit in aliquod bonum, quia finis principalis appetitus eſt bonum, & quia appetitus eſt actus potentiæ ſenſitivæ, bonum debet eſſe ſenſibile, cùm hoc ſit ſolùm objectum potentiæ ſenſitivæ. Senſibile non eſt ſolùm delectatio, & jucunditas in aliquo objecto ſenſibili, ſed etiam fuga à malo, cujus remotio, & averſio eſt bonum ſenſibile, ſi non per ſe, reſpectu noſtræ conſervationis, quæ eſt bonum ſenſibile. *Impellimur in bonum ſenſibile*, hoc eſt, movemur ad conſecutionem boni hujus ſenſibilis, quapropter bonum eſt determinativum hujus virtutis animi impellentis; ad hoc verò, ut determinet, requiritur actio hujus boni in ſenſum, & perceptio iſtius actionis à ſenſu communi. Requiritur actio ſenſibilis objecti, quia nihil ab appetitu deſideratur, quòd priùs non affecerit ſenſum; ſi affectio hujus eſt grata, & jucunda, afficit organum ſenſus cum voluntate, & delectatione, & traducta ad ſenſum communem, in hujus ſede parem repræſentat voluptatem, per quam apprehenditur tale objectum ut delectabile, & ſine hac apprehenſione appetitus non tenderet in objectum delectabile, ideò hæc eſt neceſſaria. Hanc apprehenſionem ſequitur cognitio Intellectus affirmans bonitatem talis objecti; Voluntas talis cognitionis particeps facta ab Intellectu, in objectum repræſentatum tamquam bonum fertur, hoc appetendo, & amando in iſtius bonitate complacentiam invenit, à complacentia tranſit ad deſiderium, pro quo explendo inveſtigationem mediorum ab Intellectu requirit, inventa acceptat, conſenſu eligit, electionem ſequitur imperium Voluntatis pro applicatione mediorum; hinc uſus, qui eſt applicatio rei ad operationem, pro quo imperat motus voluntarios ad conſecutionem objecti appetibilis, in qua Animal perfectionem invenit; *Nam eſſe eſt propter operari*, qua ratione operatio eſt perfectio entis, & perfecta operatio erit ultima, & conſumata perfectio ejuſdem entis; operatio potentiæ ſenſitivæ, ſeu Voluntatis circa bonum appetibile conſequendum, eſt conſumata iſtius operatio, conſequenter eſt operatio perfecta, ipſum Animal perficiens; eſt etiam perfecta, quia potentia ſenſitiva in conſecutione delectabilis facilè operatur, cum intacta omnium organorum conſtitutione, facilem, & rectam operationem jucunditas in operando ſequitur, quæ conſiſtit in recto, & facili uſu potentiæ operantis ejuſdem perfectionem connotantis.

Motus ab appetitu imperatos pro conſecutione boni appetiti potentia motiva exequitur, quæ ſemper eſt conjuncta cum ſenſitiva determinata ab impulſu ſpirituum animalium ad tales nervos, & ad talem partem, & talis motus ſpirituum ad nervos, & ad partem dicitur paſſio, quia in hanc aliquam alterationem, & impreſſionem ſenſibilem imprimunt, quæ definitur motus appetitus; v. g. ſi alimentum quoddam ſenſui communi repræſentetur, & jucundum, & gratum apprehendatur, appetitus in hoc fertur, & movetur ad conſecutionem illius, ideò ſpiritus ad nervos oris ventriculi tranſmittit, à quibus excitatur fames talis alimenti, moto acido appetitus, & famis excitativo, & cum aliquali ſenſu, & motu, qui dicitur paſſio; cùm os ventriculi patiatur, dirigit pariter ſpiritus ad manus pro poſſeſſione illius, ut paſſio ventriculi ab illius eſu ſedetur, ſi non ſit præſens, ad pedes pro eo perquirendo, ad nervos laryngis pro voce articulanda expreſſiva imperii pro illius inventione, ſi ſit abſens. Sic à viſu mulieris pulchræ excitatur appetitus venereus, à quo ſpiritus ad partes genitales tranſmittuntur, membra ad exercitium venereum diſponentes.

Ab appetitu, cum potentia ſenſitiva, cujus eſt actus, determinantur ſpiritus animales ad nervos, & quia reſidet potentia ſenſitiva circa principium nervorum, & in temporio ſpirituum animalium, ideò eſt huic facilis impulſio iſtorum in nervos.

Quod dictum eſt de appetitu circa rem gratam, & jucundam, dicendum de re ingrata, & moleſta, à qua excitatur appetitus fugæ; & in hoc appetitu adeſt etiam perfectio Animalis, quia per fugam conſulit ſuæ conſervationi.

Appetitus ergo venereus, erit vis animi impellens in Venerem, tamquam in bonum delectabile, & appetibile; ad hoc verò, ut vis animi impellat, neceſſe eſt, ut determinetur, quia talis vis eſt indifferens ad impulſum ab hoc, vel illo ſenſibili differenti. Determinativum hujus virtutis eſt appetitus ſenſitivus motus ab apprehenſione objecti pulchri, ut jucundi, & delectabilis, vel appetitus rationalis, ſeu voluntas mota ab Intellectu cognoſcente tale objectum bonum, & appetibile. Voluntas Appetitus rationalis appellatur, quia ab Intellectu veritatem boni repræſentati, & rationes hujus veritatis, ne feratur in malum ſub ſpecie boni, requirit; & quotieſcumque hac inquiſitione non utitur, ſæpè malum ſub ſpecie boni amplectitur, & appetitum potius ſenſitivum ſequitur, qui, cùm non poſſit ulla ratione frænari, Voluntatem ſibi ſubmittit ſola boni apparentia objecti. Appetitus ſenſitivus, & appetitus rationalis in iſto deſiderio, & complacentia objecti pulchri, impellit ſpiritus animales ad cor, à quorum copioſo influxu ſummè dilatatur, & motu valido diaſtolem, & ſyſtolem peragit, ratione dilatationis majorem ſanguinis quantitatem recipit, & majorem conſequenter expellit, quàm antea, ratione motus validioris ſyſtolis magis conteritur, & comminuitur ſanguis, ideòque fit magis ratus, ſubtilis, & ſpiritoſus. Sanguis taliter diſpoſitus, per totum corpus cum majori impetu, motu, & celeritate, & in majori copia circulatur, cùm ratione rarefactionis exigitivæ majoris ſpatii, æquivaleat majori quantitati, ſi ei addita fuiſſet; ad partes verò genitales præcipuè in copia fluit, vel quia ab appetitu determinetur, vel ab affectione, quæ dictis partibus imprimitur à copia ſpirituum ad nervos, & muſculos iſtarum ab appetitu tranſmiſſa. A concurſu ſanguinis, & ſpirituum animalium ad dictas partes, fit extenſio membri virilis, & diſpoſitio ad exercitium Veneris; ab influxu enim ſpirituum animalium, & ſanguinis copioſo ad muſculos penis, duo breviores inflantur, & contrahuntur, & comprimunt corpora nervoſa penis, & arterias, & venas his corporibus unitas, compreſſione arteriæ fit impulſus ſanguinis verſus glandem, compreſſione venarum impeditur, ne ab illis abſorbeatur; idcircò ſiſtitur, & pro tali tempore rigidus, & erectus penis manet, & in aliquibus cum magno robore, ut fuerit, *qui pene erecto cantharum Cerviſæ quinque menſuras continentem ſuſtinuerit ultra horæ dimidium*, ſi credimus *Jo: Theodoro Schenkio in exer. Anatom.* Ex his colligitur ratio de-

tio demonſtrans, quare in timore non fiat erectio, quia nec ſanguis, nec ſpiritus ad partes genitales fluunt, ſed circa præcordia colliguntur, & à timore erectus flaceſcit penis, quia & ſanguis, & ſpiritus revocatur ad ſuum principium, & ſpiritus fixatur, & ſanguis condenſatur. In mulieribus verò ab appetitu venereo ſanguis, & ſpiritus animalis dirigitur ad Clitoridem, à quibus extenditur, induratur, & erigitur, & ad nymphas, quæ intumeſcunt, & in utraque parte à ſanguine, & ſpiritu pruritus venereus, & moleſtus excitatur, cujus cauſa concubitum amat fœmina.

Appetitus venereus excitatur etiam à ſemine in vaſis ſeminariis incluſo, quod ſi in copia colligatur, efferveſcit, & fermentationem ſuſcipit, & quadam affectione afficit membranas, & nervos partium genitalium, quæ affectio traducta ad ſedem ſenſus communis, hic apprehendit indigentiam excernendi ſeminis, unde in appetitu ſenſitivo Veneris appetitus oritur, & cognita ab Intellectu tali indigentia, in appetitu rationali idem Veneris appetitus excitatur; quapropter uterque appetitus tendit in inquirendis mediis, & in eis ad uſum deducendis pro ſeminis excretione. In fœminis verò, quotieſcumque corpora nervoſa circa Clitoridem poſita, & pori, vel lacunæ poſitæ in cavitate uteri turgent humore ſeminali dicto, & ferveſcente, hic irritat dictas partes, & præcipuè Clitoridem, quæ cùm corporibus nerveis conſtet, irritatio traducitur ad ſedem ſenſus communis per ea; & ita duo ſunt determinativa concurſus ſpirituum, & ſanguinis ad partes genitales, objectum delectabile pulchrum, & ſeminis abundantia.

Hoc modo eveniunt in Animali appetitus, nempè ab apprehenſione, vel cognitione objecti ſenſibilis grati, & jucundi à ſenſu communi, vel ab Intellectu elicita, & determinante appetitum ſenſitivum, vel rationalem ad deſiderium, amorem, & proſecutionem dicti objecti. Motus, qui ab appetitu ſenſitivo per ſpiritus tranſmiſſos in partes aliqua, ut in corde, ventriculo, & partibus genitalibus excitantur, dicuntur paſſiones.

Inexplebilis evadit appetitus in Venerem per continuam affectionem impreſſam partibus nervoſis ſupradictis in fœminis, & genitalibus à copia, & efferveſcentia ſeminis, quæ cùm ſit continua, continuus etiam eſt appetitus, ob rationem ſuperiùs dictam; & in mulieribus, quæ copiam hujus humoris collegerunt, & parvam in concubitu emittunt, diù durat affectio, quæ copiam excernunt, citò appetitus expletur, quæ facilè admittunt materiam pro generatione hujus humoris, & citò præparant, ut ſunt fœminæ valdè falaces, continuo appetitu Veneris cruciantur.

Delirium in hoc appetitu inexplebili excitatur, quia, ut dicebam, ſemen in copia collectum incaleſcit, & fervet, & fermentatur; hinc particulæ valdè activæ, mobiles, & fermentativæ ab eo exhalant, quæ ſanguineæ maſſæ communicatæ fervorem, & æſtum huic imprimunt, unde turget, & intumeſcit, & præ calore acris evadit, itaut univerſis partibus ſentientibus corporis fit moleſtus; unde inquietudo, agitatio corporis: itaut hoc neſciat loco ſtare, propenſio in iram; quod obſervamus etiam in Animalibus, quæ tempore Veris à calore externi aeris commoto, & fermentato eorum ſemine, appetitu hoc ejiciendi percelluntur, & quodam furore agitantur; ſimiles particulæ ad cerebrum elatæ ſpiritibus animalibus mixtæ, turbationem in iſtis, & phantaſmatibus pariunt, & in hac turbatione phantaſmata, vel componuntur, vel abſurdè dividuntur; unde delirium modo ſuperiùs explicato. Adde, quòd appetitus, cùm ſit inexplebilis, totus fertur in ſui expletionem, & ſatisfactionem, & ità occupat potentiam intellectivam, ut hæc fiat inadvertens in detegenda repugnantia exiſtente in compoſitione, vel diviſione phantaſmatum, ob quam inadvertentiam repræſentationi dictorum phantaſmatum aſſentitur, unde delirium: ob hanc inadvertentiam non cognoſcit, quam abſurdum ſit obſcœna loqui, & inhoneſtum homines ad congreſſum venereum excitare, quo non cognito appetitum venereum ſequitur aſſenſus, & turpia illa, hoc interpoſito, peraguntur; ratio hujus inadvertentiæ habetur à *S. Thoma* 2. 2. *quæſt.* 155. *art.* 5. quando potentiæ inferiores vehementer à ſuis objecti afficiuntur, ſuperiores impediuntur, & deordinantur; ſic appetitus ſenſitivus ab objecto venereo vehementer affectus impedit, & deordinat potentiam ſuperiorem, ut fiat inadvertens, & in hac inadvertentia ſolùm poteſt eſſe delirium. Voluntas tali appetitui immerſa, non audit rationes ab Intellectu propoſitas pro hujus irrationabilis appetitus ſedatione, & ſolùm à delectatione propoſita, conjuncta cum expletione appetitus, movetur. Quandoque adeò vexat hæc libidinoſa tempeſtas patientis mentem, ut ſponte, ſe viris proſtituat, ut de *Regina Semiramide* ſcribitur, & *Meſſalina*, *quæ una nocte à cohorte Militum compreſſa: laſſata, ſed non ſatiata receſſit, ut beſtiarum congreſſus expetat*, ut *Mulier* à *Platero* citata, *quæ anglicos Canes ad congreſſum admittere cupiebat*; & *Herodotus* narrat, *Fœminas Ægyptias Veneris adeò famelicas eſſe, ut cum Hircis rem habeant. In Hiſtoriis Indicis* legimus, *Americum Veſpucium ad quamdam novi Orbis oram appuliſſe, ubi mulieres libidinæ adeò erant devictæ, ut bacchantum more in nautas furerent ad concubitum invitando.*

Delirium eſt libidinoſum, & inhoneſtum, quia hoc ſemper correſpondet vel genio, vel paſſionibus animi; quapropter cùm adſit appetitus inexplebilis Veneris, & Voluntas ſit in hoc fixa, delirium erit de rebus venereis.

Si à ſeminis copia, fervore, æſtu, & fermentatione oritur furor uterinus, patet, iſtius ſubjectum eſſe partes, quæ ſemen continent, & ſunt lacunæ, & pori in cavitate, & cervice uteri exiſtentes, & duo corpora nervoſa juxta Clitoridem poſita: ab his partibus fluit humiditas illa in coitu cum delectatione à fœminis excreta, quæ dicitur ſemen muliebre, licèt verè non ſit, pro cujus veritate vide *Graaf*; ab affectione ſeminis turgentis, & incaleſcentis in iſtis partibus, & præcipuè corporibus nervoſis juxta Clitoridem, hæc afficitur, incaleſcit, & quia nervoſis partibus conſtat, ſuam affectionem ad cerebrum tranſmittit, & cùm in appetitu venereo Clitoris extendatur, & rigida evadat tamquam penis in viris, ab illa ſeminis incaleſcentia, & fermentatione accepta ferè ſemper rigida perſiſtit, ideò ſemper coeundi deſiderium; ex quibus deducitur, partes ſemen continentes eſſe ſedem primariam diſpoſitionis hujus affectus. Clitoridem ſecundariam, cùm afficiatur per conſenſum illarum: quòd ſi admittamus, per Clitoridem ejaculari ſemen à fœminis eo modo, quo à viris per penem, ut aliqui admittunt, pro quo vide *Diamerbrek de Clitoride*; ſtatuenda eſſet Clitoris pars primariò affecta; cùm verò non ſit certum, ſemen emitti per Clitoridem, cùm non pateat in ea nec foramen, nec canale, & ex altera parte ſit manifeſtum, ſemen emitti à fœminis in partem internam pudendorum, non extra, ideò excludenda videtur Clitoris à principali ſede hujus affectus. Facile etiam eſt explicare, quomodo à ſemine, ſupradicto modo affecto, Clitoris afficiatur, & ab iſtius affectione Veneris appetitus excitetur; unde & Clitoris poteſt dici ſedes hujus affectus ſecundaria, dum ex iſtius incaleſcentia, intumeſcentia, diſtenſione, & continuò pruritu afficitur, & vellicatur, & affectionis, & vellicationis modus per nervoſas partes, à quibus componitur, ad ſedem ſenſus communis defertur, cum excitatione appetitus venerei modo ſupradicto, & ab hoc demonſtratur, ſedem ſubjectum appetitus prædicti, & furoris eſſe cerebrum.

Cauſæ ſunt, copia ſeminis à ſanguine biliofo geniti; ab hac enim igniculi venerei ſuppeditantur, qua ratione Poetæ Marti bilioſo Venerem conjunxerunt, & viri martiales, plerumque ſimul venerei ſunt. Bilis non debet eſſe in exceſſu calida, ſed moderata, cùm caloris intenſio Venerem extinguat, quod in Leone, quia calidiſſimus, minimè libidinoſus obſervatur. Vini generoſi, calidi abuſus, Venerem mortificat, ſeminis interrupta excretio hujus copiam cumulat, à qua appetitus venereus; à conſuetudine enim coeundi, vaſa ſeminaria amplificantur, & ad recipiendam majorem quantitatem materiæ pro generatione ſeminis ſunt magis capacia, & partium ſemen elaborantium, ut ita dicam, vis attractrix uſu magis roboratur, quare ſemine turgere neceſſe eſt, iſtius expulſione interrupta. Ventris ſaturitas ſeminarium eſt venerei amoris, ſermones, & geſtus libidinoſi exiguam Veneris flammam ventilando augent, exercitium Veneris immaturum in fœminis, quæ nondum confirmato judicio laxiviæ habenas laxarunt; de quibus *Ariſtot.* 7. *de Hiſtor. Animal.* 1. ſcripſit: *Puellæ immaturæ viro copulatæ, vitam degunt incontinentiorem.*

tiorem. Cujus ratio eſt, quia in tali ætate partes genitales fœminæ ſunt valdè moles, & à calore in confricatione venerea excitato dilatantur, concurrente etiam ad hanc dilatationem ſanguinis affluxu abundante, à confricatione prædicta attracto, vaſa dilatata ſanguinem admittunt uberius; unde humoris ſeminalis copia, quæ incontinentes, & ſi detineatur, furentes facit. Statura inter cauſas appetitus venerei ab aliquibus deſcribitur, & quæ ſunt parvæ ſtaturæ, dicuntur eſſe laxiviores, quàm proceræ, quoniam in illis calor unitus vegetior eſt, & propter parciorem nutricatum plus remanet ſanguinis pro ſeminis elaboratione, ita claudæ libidini magis indulgent, cùm ad membrorum debilium, ac decurtatorum nutritionem paucus ſanguis ſufficiat, multus remanet pro ſeminis generatione; hac de cauſa Amazones ſolitæ fuerunt infantes maſculos exarticulare, non modo, ut flacidi nequirent eis inſidiari, ſed etiam ut magis valerent in Veneris uſu; quod dicitur etiam de giboſis mulieribus, quæ Camelis comparantur, coitum toto die exercentibus, *ex Ariſtot. Hiſt. Anim. art.* 2.

Signa diagnoſtica ſunt, impudentia, garrulitas inſolita, geſtus libidinoſi non conſueti.

Quoad prognoſim, morbus eſt curabilis, ſi tempore oppurtuno medela adhibeatur, & ſi ſuos paroxyſmos per longa repetat intervalla, & quando corpus non emaciatur, vel emanciatum reſtituitur; ſi verò diutiùs perſeveraverit; & firmas radices habuerit, in veram maniam degenerat, & præcipuè, ſi venenata putredine ſeminalis humor inficiatur; tunc enim delirium, quod per conſenſum ab utero erat hoſpes cerebri, evadit eſſentiale, & fit civis, & quandoque in miſerabilem terminatur tragœdiam, nonnullæ laqueo vitam ſibi eripuerunt, ut *Virgines illæ Mileſiæ à Plutarcho recenſitæ, quæ ſe catervatim ſuſpenderunt*.

Indicationes ſunt: Primò minuendi copiam bilis, à qua ſanguis, & ſemen acrimoniam ſuſcipit, quod obtinetur *Syrup. roſ. ſol. Manna, Caſſia, pul. Tamarind. infuſ. Rhabarb. vel Extract. ejuſdem, cum Pilul. de tribus, cum Rhabarb. cum Electuar. Diacatholicon, vel de Succo Roſar. Meſue*.

Secundò minuendus ſanguis, vel derivandus à vaſis ſeminalibus; adeſt enim in hoc affectu reduudantia particularis ſanguinis in partibus genitalibus, à qua vel irritamentum in dictis partibus, vel ſeminis copia generatur; ideò ad minuendam hanc plenitudinem particularem mittendus ſanguis, & conſilium eſt *Hipp. lib. de morb. n.*39. primò à partibns ſuperioribus, ſecundò ab inferioribus pro derivatione.

Tertiò attemperandus fervor ſanguinis, & ſeminis medicamentis alterantibus, ſuperiùs de Mania deſcriptis, & etiam balneo ex eiſdem ſimplicibus parato, & injectionibus in uterum paratis eiſdem medicamentis, addita *Camphora*, & eis, quæ ſpecificè ſeminis virtutem, & vires enervant, & debilitant, & ſunt *Lact. Nymph. Umb. Veneris, ſemen Agni caſti, Cannabis, & Viticis, Camphora*, quæ dicitur per nares odore mares caſtrare, *& Cicuta*, qua immoderati Veneris appetitus ſedatur; unde *Athenienſes Sacerdotes Cicutæ uſu, libidinis incendia extinguere conſueti fuerunt*. Peſſaria etiam conveniunt, & felix iſtorum uſus.

Diæta ſit tenuis, & jejunio Venus caſtiganda, cùm veriſſimum ſit; *Sine Cerere, & Baccho Venerem frigere*: omnia calida alimenta, & potiones vitentur; fugiendæ converſationes, & lectiones libidinoſæ. Nullum tamen remedium magis efficax, quàm patientes Marito conjungere; habemus enim *ex Schenkio, Mulierem nudam per Civitatem peragrantem in officinam quamdam incidiſſe, furore uterino delirantem, & nocte tota à quindecim viris defatigatam fuiſſe, & poſt ſuccedente largo menſium profluvio, reſtitutam menti fuiſſe*: Narrat etiam *Aliam per agros, & per ſylvas diſcurrentem, & unumquemque obviam factum provocantem ad concubitum venereum, & renuentem lapidibus, & conviciis inſectantem, à conjunctione in matrimonium cum quodam ruſtico priſtinam recuperaſſe ſalutem*; & conſilium eſt *Hipp. lib. de morb. Virgin. num.* 3.

CAP. XVII.

De Amore Inſano.

Amor inſanus, referente *Avicenna* 3. *part. tract.* 4. *cap.* 24. *Iſchion* vocatur græca vox ſignificans crus, & coxendicem, ac nervum cum femori connectentem, à quarum unione femur componitur, cum hac alluſione, quòd femori femur conſerere, deſiderium ſit amentium. Alii volunt, dici *Iſchion* à verbo *Iſchnot*, quòd eſt attenuare, & rarefacere, quæ ſignificatio magis convenit Amori inſano, cùm ſuos ſubditos crudelitate diſſipet; communiter verò vocatur *Heros*, nec forſan malè, dum Viros heroica virtute illuſtres ſuo ſubmittit imperio, & licèt aliarum paſſionum domini, & domatores, Amori cedunt, ab Amore juſſa accipiunt, iſti obtemperant, & velut Servi ab ejus nutu pendent, quod Antiqui fabulis expreſſere, dum *Amoris potentiæ Deos ſubjecerunt, & abjectæ hujus ſervituti condemnarunt, Jovem pro Danae in auream pluviam transſmutavit, pro Europa Deum Taurum effecit*; idcircò rectè *Plato in Sophiſta*, Amorem *Magum, & Præſtigiatorem* appellavit. Ex quibus colligere licet, quanta ſit Amoris potentia in animum humanum, ſi Heroes, & Deos ſubditos efficit: hac de cauſa Poetæ in heroico Poemate, ubi Heroem conſtituunt tamquam ſingularem, omnium virtutum exemplar, & paſſionum omnium contemptorem, à paſſione Amoris non eximunt, & inter Veneris delicias creari permittunt, ſine labe heroicæ virtutis. Credo etiam Heros appellari, quia Amor Heroes elaborat; nulla enim eſt paſſio, quæ ad heroica facta impellat, niſi Amor, ut adnotavit *Plato in Convivio: Feris ipſis non parcit Amor, & Piſces, & Volucres amantes vult*. Non ergo mirum, ſi ab invicta hac Amoris potentia mens læſionem patiatur, in multos errores, rectæ rationi repugnantes, ſapientes, & fortes Viros dejecerit; ſed quaſi hoc parùm eſſet potentiæ Amoris, ad amorem inſanum multos miſerabililiter deducit.

Amoris naturam indagaturus, quinque in eo conſidero, quibus rectè cognitis claram, & diſtinctam Amoris naturam aperiemus. Primò Objectum, ſecundò Complacentiam, tertiò Appetitum, quartò Deſiderium, quintò Spem; hæc tria verſantur circa objectum amabile, tamquam ſuum principium. In Amore enim adeſt ſemper objectum amatum, quod appetitur, cum deſiderio illud proſequendi, & cum ſpe illo fruendi. De Objecto, de complacentia, de appetitu, recollenda dicta ſuperiùs de Furore Uterino; ſolùm de deſiderio, & ſpe dicam.

Ab appetitiva oritur deſiderium objecti pulchri, quod eſt motus appetitus circa bonum abſens, præſens non deſideratur, ſed eo fruitur: per hunc motum proſequitur appetitus objectum pulchrum, iſtius poſſeſſio, & fruitio inquiritur, attentione, & diligentia, media eliguntur, electa ad uſum reducuntur, determinatis ab appetitu ſpiritibus animalibus ad movendas partes, quarum motum uſus mediorum exigit. Hujuſmodi enim motus, ſunt motus imperati dicti, & ſpontanei, quorum determinativum principale eſt appetitus ſenſitivus, vel rationalis. Vi deſiderii concepti de objecto pulchro, appetitus ſenſitivus huic unitus, non effectivè, & re, ſed affectivè, & affectu, itaut appetitus ſit ſemper objecto pulchro per affectum unitus. Hac de cauſa Amantes per phantaſma, amatæ repræſentativum hanc præſentem imaginationi, & intellecti habent; idcircò de ea ſemper cogitant, & contemplatione continuò ea fruuntur, de Amata loquuntur, etiam ſomno ſepulti, ſi delirant, delirium eſt de Amata, itaut verum ſit, Animam Amantis ſemper cum Amata verſari, & cum hac communem agere vitam, eò quia deſiderio intimè iſti uniatur.

In deſiderio ſpe elucet, quæ conſiſtit in motu appetitus tendente in bonum abſens, cum aliqua difficultate conjunctum. Hæc deterret potentiam appetitivam, ne prædictum bonum proſequatur; non ita tamen deterret, ut hæc ab eo diſtrahatur, imò corroborata à motivo jucunditatis, & delectationis, & bonitatis perceptæ in objecto pulchro appetito, & deſiderato, cum ſumma affectione, conjuncta cum propoſito ſuperandi omnes difficul-

difficultates, hoc proſequitur, & magis potentia appetitiva in ejus poſſeſſionem impellitur, & proindè dicta potentia determinatur ad motum ſpei cum audacia, per quam fertur in objectum bonum, cum difficultate conjunctum, non ſimpliciter in ſolam difficultatem, quæ eſt objectum proprium Audaciæ, quæ ſpei unita, potentiam appetitivam confortat, & corroborat in proſecutione objecti appetiti, non obſtante difficultate, cum motivo futuræ victoriæ, & fruitionis objecti appetiti: hac de cauſa Audaces Amoris fructum citiùs, quàm timidi colligunt, quia audacter proſecutionem objecti amati, cum difficultate conjuncti, aggrediuntur. Si difficultas apprehendatur, vel cognoſcatur inſuperabilis, potentia ſenſitiva renuntiat bono appetito, & ab iſtius proſecutione ſe retrahit, cum affectu deſperationis.

Deſiderium, & ſpes, audaciæ juncta, in poſſeſſionem boni appetiti tendentia, animales ſpiritus variis modis agitant, & impreſſionibus informant. A deſiderio ad validiorem motum elevantur, in quo accenduntur, unitim colliguntur ad opus ſuum cum majori energia perficiendum, ex unione incaleſcunt, vel à motu, tamquam ab afflatu eorum vis ignea magis vigoratur, ut cerebrum calore quodam ſuavi perfundant futuri incendii prodromo Hinc eſt, quòd in omni deſiderio vehementer caput incaleſcit, ob ſpirituum incaleſcentiam. Ab ira, à pudore, ab audacia incaleſcit ſpiritus; cur non à deſiderio, qui non minus movet ſpiritus, quàm dicti affectus? Præter hanc ſpirituum accenſionem, & motum in cerebro, copioſi ad cor per nervos cordiacos, alacriori, vividiorique motu impelluntur, à quibus motus cordis magis validus, dilatatus peragitur, illius orificia magis dilatantur, expanduntur, admittendo per cordis dilatationem uberem fluxum ſanguinis in ſuos ventriculos, & parem portionem ejiciendo per conſtrictionem. Iſti duo motus, ob ſpirituum animalium copiam, energiam, & impetum dictum, cum vigore, & robore exercentur, quapropter cum ſanguis per conſtrictionem cordis conteratur, & comminuatur, & etiam expellatur; hæ operationes validiori actione peragentur, per conſtrictionem validam, & robuſtam, & energeticam, unde comminutio, & contritio ſanguinis in ſiniſtro ventriculo, cum majori energia ſuccedet ad minimas uſque particulas, totam maſſam illius dividendo, cum magna ejuſdem rarefactione, & ſeparatione particularum calidarum à craſſis, quæ poſteà copioſè natantes in illa portione ſanguinis, calore etiam magno illam calefacient, & continua ſanguinis circulatione per cor pari modo alteratum, tota maſſa brevi tempore incaleſcet. Per eamdem conſtrictionem cordis validam, & energeticam, ſanguis cum impetu ejicietur in Aortam, qui unitus cum copia, hanc ad multum ſpatium per altum, & latum dilatabit, unde pulſus magnus, altus, latus, & plenus, & dicitur pulſus amantium.

Non ſolùm ad cor copia ſpirituum animalium dirigitur à motu illis impreſſo à paſſione deſiderii, & ſpei, ſed ad nervos totius corporis, à quibus validiori motu conſueto moventur; quapropter illi plura vaſa magna arteriarum, & venarum circumdant multiplicatis ramificationibus, valida conſtrictione moti ſanguinem abundè in carnes exprimunt, cum augmento caloris iſtarum, & ab eadem validiori conſtrictione acceleratus motus ſanguinis, circulatio ejuſdem citiùs peragitur. In hoc motu accelerato circulationis augetur motus fermentationis ſanguinis, à quo calor ejuſdem augmentum ſuſcipit, excitatis ſemper per fermentationem novis, & copioſis particulis calidis, à quibus calor, & æſtus ſanguinis in corde contractus, non ſolùm fovetur, ſed augetur.

Habemus ergo, per ardens objectis amati deſiderium, fervorem, & æſtum ſanguinis in corde, & in toto corpore; non mirum ergo, ſi Amantes conquerantur de flamma in corde accenſa, exagerent, Ætnam, & Veſuvium in corde gerere, & incendio cor conſumi. Æſtum, & fervorem ſanguinis in corde, & toto corpore Amantis demonſtrat obſervatio, quàm refert *Cornax lib.* 1. *conſul. cap.* 3. *de nobili Juvene, qui menſæ in prandio aſſidens cum nobili Virgine, quam ardenter amabat, & cujus nuptias excedenti deſiderio ambiebat, dum cum Amata, & viſu, & colloquio delectabatur, repentè vena in temporibus propè aures rupta ſponte, cum magno fluxu ſanguinis, in cujus æſtum, & fervorem impetum addentem, talis ruptio refundenda eſt.*

A prædicto fervore, & æſtu ſanguinis, cum niſu, & conatu ſpiritus in eo contenti, poteſt etiam contingere, quòd cor à ſua ſede moveatur, aut valvulæ, aut aggeres à Natura deſtinati pro moderando fluxu ſanguinis, ad hoc vitale viſcus rumpantur, cujus cauſa ſubita morte defunctos Amantes credendum eſt. *Vidi pulchram Juvenem amantem, & redamatam, ſubita morte interemptam, audito nuncio matrimonii ſtipulati à ſuo amato, & amante, cum alia fœmina juſſu Parentum*; nec putandum ſimilem mortem contigiſſe, niſi quia, prout amans, ſanguis in copia continuò ad cor fluebat, in iſtius ventriculis æſtuabat, & fervebat, & eò magis cùm redamata eſſet, accepto nuncio triſti, ſanguis tunc in corde exiſtens coagulatus, ut ſolet in triſti paſſione, metus, & mœroris, ejuſdem motum interdixit, ſufflaminavit, caloremque extinxit, cum motu cordis.

Omnes Amoris definitiones ab Auctoribus traditæ, hæc huculque dicta de eis, quæ in Amore concurrunt, comprehendunt. *A D. Thoma* 1. 2. *quæſt.* 26. *art.* 2. definitur: *Complacentia appetibilis, à qua oritur deſiderium unionis*: Complacentia ſupponit objectum, & deſiderium appetitus. *A Platone in Convivio* definitur: *Deſiderium unionis cum re amata*; Deſiderium ſupponit appetitum, hic complacentiam, hæc objectum; & *S. Auguſtinus de Amicitia* definit Amorem: *Animæ rationalis affectum, per quem ipſa cum deſiderio appetit, & quærit fruendum*; & hæc continet omnia explicata. *A Recentioribus* definitur: *Primus motus appetitus in bonum ſenſibile*; motus appetitus ſupponit complacentiam, & objectum; & primus motus appetitus conjunctum eſt cum deſiderio.

Amoris ſedem cerebrum determinandum eſſe, unuſquiſque ex dictis colligere poteſt, cùm in iſto apprehenſio, vel cognitio objecti pulchri, & boni ſuccedat, in iſto appetitus elicitur, deſiderium, cum ſpe concipitur, hæ operationes omnes in cerebro fiunt, & ſi cor in amore patitur, & variis paſſionum tempeſtatibus agitatur, hæc, dependenter à dictis operationibus in cerebro exercitis, excitantur, ut explicatum eſt.

Oculos in amore magnam partem habere, non eſt negandum, cùm verum ſit illud, *Vidi, & perii. Oculi ſunt in amore duces*; per oculos Amans Amatæ ſuam exponit paſſionem, ſua explicat deſideria; per oculos, tamquam nuncios benigna, vel rigida mittit reſponſa Amans: ſed per hoc non demonſtratur, oculos eſſe amoris ſedem, ſed januam potiùs, ad quòd reſpiciens; *Plato, Amoris initium viſum appellat*; & *Plutarchus lib. de Amore, Amoris viſus anſa, hoc eſt, tamquam manubrium oculi, quo amor capitur. In Troade ſuadetur Menelao, ut Helenam trucidet, cum hoc conſilio, ut eam non aſpiciat, alioquin perdendus ipſe*; hoc conſilio declaratur, amorem, & compaſſionem per oculos ingredi, non eſſe ſedem amoris. Veriſſimum enim eſt illud *Muſæi in Leandro. O amor, ò amor, qui per oculos inſtillas cupidinem.* Per oculos bibimus amoris flammam, ſed in oculis non eſt incendii terminus, conſequenter nec amoris ſedes.

Non ſunt ergo ſedes amoris oculi, eſt tamen in iſtis vis quædam amatoria, ſi non cogens, ſuavi tamen impulſu ad amorem impellens. Ex mutuo aſpectu, & unico reciprocum amorem natum narrant Amantes, & credendum eſt ab oculis quoddam occultum exire, quod receptum in alterius oculis amorem inſtillat, & tamquam faſcinium amatorium, morbum potentiæ ſenſitivæ imprimit, ſeu nervis, & maximè ſi hoc, quòd oculo imprimitur, ſit iſtius texturæ conforme, & præcipuè muſculis Patheticis, Viliſii, & ſpiritui in eis exiſtenti, & aliis in cerebro hoſpitantibus homogeneum, ita ut ſine perturbatione horum recipiatur; imò cum quadam ſuavitate, & dulcedine admittatur, in quibus fundatur ratio faſcinii, & natura prædicti occulti, ab oculis exeuntis, & iſtius effectus non poteſt ſenſibilius explicari, quàm per affectionem gratam, & jucundam, ſuperiùs deſcriptam. Sicuti enim morbi corporis à contrariorum actione oriuntur, ita morbus amatorius à ſimilium.

Ex his, multa poſſunt ſolvi quæſita: Primò, cur ad Amatæ præſentiam ex improviſo advenientis, facies Amantis ſanguineo rubore perfundatur; quia ab objecti amati inopinata præſentia magis grata, & jucunda, eò quia inexpectata, ſpiritus animales ad cor feruntur cita-

citatiori influxu, & validiori actione, quibus ſanguis valdè fervet, & in genas rapido curſu exundat, cujus rationis teſtimonium eſt cordis motus à dicta præſentia alteratus in celeritate, & ſubſaltu.

Secundò, cur Amans frequentia edat ſuſpiria; quia quandoque ob æſtum, & fervorem ſanguinis, & circulationis motum acceleratum copia ſanguinis in vaſis Diaphragmatis, & muſculorum internorum thoracis colligitur, à qua opprimitur, ut liberam, & dilatatam iſtius expanſionem impediat, ad quam promovendam, & ad impulſum ſanguini opprimenti dandum cum violentia expanditur ab Amante Diaphragma, & muſculi thoracis pati violentia contrahuntur, & in hoc motu violento ſuſpiria eduntur.

Tertiò, cur Amans humaniori geſtu, vel ſub ritu exceptus, &. de reciproco amore certioratus exultet, lætitia perfundatur, & ad riſum ſit facilis; quia ab humaniori tractu fit affectio in ſede ſenſus communis, modo ſuperiùs explicato, grata, & jucunda, quæ ab Anima percepta tamquam grata, & jucunda exhilaratur, & in ſignum lætitiæ conceptæ fibras arteriarum, & venarum dilatat, & ſpiritus animales exultantes ad totum ſyſtema nervorum mittit: hinc ſanguis totum corpus vaſis dilatatis, laxatiſque meatibus permeat, hinc vividior color, gratus tepor, vegetus, nitiduſque habitus corporis. Spiritus animalis lætabundus, cùm valido motu ad ultimas nervorum fibras pervenit, eoque partes, quibus inſeruntur, vel ad ſaltus, vel ad jucundas geſticulationes determinat, ſimiles ſpiritus ad Diaphragmatis partes nervoſas delati, has motu tremulo agitant, riſumque efficiunt, & talis motus percipitur à manu, ſi in riſu hæc admoveatur regioni Diaphragmatis.

Quartò, cur Amantes timeant, mœreant, & palleſcant. Timent Zelotypia cruciati. Eſt enim iſtis malum corruptivum ſuſpicio alieni amoris in Amata: talis ſuſpicio corrumpit bonum in amore Amatæ, & in expectata fruitione conſtitutum. Mœrent, ob protractam fruitionem, vel deſperatam. In timore, mœrore pallor, dum ab his paſſionibus ſpiritus concentrantur, torpeſcit, & ſanguis velut coagulatur; quapropter neuter iſtorum ad exteriores partes expanditur, unde pallor.

Quintò, cur admiſſis ad conſpectum Amatæ vox Amantibus tremula ſit; quia Amatam reverentur, ut ſupremam Dominam, & ſupra Regiam Majeſtatem venerantur, & ſicuti Magnatum, & Principum præſentia deterret, & vocem tremulam reddit, ita præſentia Amatæ, vel ob lætitiam conceptam in proxima fruitione aſpectus Amatæ; in hac enim, ut dixi, mox fibræ capillares venarum, & arteriarum dilatantur, illæ pulmonum ſic affectæ ſanguinem abundanter exugunt, cum repletione, & diſtenſione pulmones gravante, & aſperæ arteriæ liberum motum impediente; unde iſtorum motus cum tremula concuſſione, & inordinatè peragitur cum voce tremula, ideò in magna lætitia vox præcluſa, & ſuffocatio obſervata. Hac de cauſa Amans admiſſus ad Amatæ, fruitionem iſta interdicitur, ac ſi faſcinatus eſſet. A' concepta enim fruitione imminenti, tamquam ab unico, & ſummo bono, ſuccedit vehemens affectio gratiſſima, & jucundiſſima in ſede appetitus ſenſitivi, quæ ſola ſuos motus ſpectat, & eis fruitur, interceptis, vel ſuſpenſis motibus ſpirituum animalium ad alias partes fruitioni Amatæ neceſſarias; hinc ad motum requiſitum, ineptæ redduntur, & appetitus voluptatis exceſſu occupatus magnam partem ſpirituum ad ſuam ſedem evocat, quod demonſtratur ab oculis in exceſſu lætitiæ in aliquibus, quandoque ita languentibus, ut morientis eſſe videantur.

Hucùſque actum eſt de amore cum ſana mente, modò agendum de amore inſano. Hic definitur: *Delirium modò cum furore, modò cum mœrore conjunctum, dependens ab irrationabilis amoris paſſione.*

Pro hac definitione explicanda determinandum, quid intelligendum per amorem irrationabilem. Hic nil aliud eſt, quàm amor, rectæ rationi non obediens, vel amor, quem recta ratio non moderatur, vel quia appetitus ſenſitivus rationis conſilia non audit, vel quia rationem, ſeu Intellectum obcœcando impotentem reddidit ad cognoſcendum errorem, quem amoris paſſio ſibi unit.

Amor ipſe delirium eſt, quia vel ſine ratione, vel rationis oppreſſor. Ratione carere demonſtrarunt Antiqui, delineando Amorem ſub pueri forma, nulla ratione utentis, cujus lumen, & uſum interdictum in faſcia obcœcante oculos expreſſerunt. *Sophiſta* à *Platone* dicitur, quia Intellectum innumeris erroribus depravat. Originem Amoris dixerunt Antiqui, *Chaos*, ut omnes erudirent in amore Animæ potentias, ſine rationis diſtinctione confundi. Amoris delirio conjungitur, quandoque furor, ut obſervavit *Plato*, quando docuit, *à Venere Amoris furorem, ſicut à Muſis furorem poeticum proficiſci*; & teſtantur infelices caſus in Amantibus ſponte eventi, & obſervati. *Iphis*, *cùm Anaxaretem contumaci amore proſequeretur*, *nec ea frui poſſet*, *laqueo ſe ſuſpendit*. *Cephalus*, *ab Amata contemptus*, *à monte præcipitem ſe dedit*. *Lucretius*, *amore inſanus mortem ſibi intulit*. *Roſſetus de partu Cæſareo ſect.* 4. *cap.* 6. narrat, *quemdam ex rabie amoris in profundo puteo ſe præcipitaſſe*, *ibique teſtes*, *cum reliquis genitalibus ſibi amputaſſe*. Ab *Heliano* habemus, *Juvenem Statuam bonæ Fortunæ deperiſſe*, *& ſæpè ad complexus iſtius acceſſiſſe*, *oſcula dando*, *atque inde in furorem raptus*, *Senatum abiit*, *eum deprecando*, *ut pretio ſoluto ſibi concederetur Statua*; *at ſupplicatione rejecta*, *multis regiis ſertis Statuam coronavit*, *pretioſo veſtitu ornavit*, *ſacrificioque oblato*, *magna lacrymarum effuſione præcedente*, *ſibi mortem conſcivit*. Hæc ſunt manifeſta delirii, & furoris indicia. Furoris cauſa facilè colligitur ab iſtius eſſentia, & à dictis ſuperiùs de Amore in genere.

Furor, ut dixi de Mania, eſt *Iræ exceſſus*, *proſequens res triſtes*, *& crudeles*; *ſine cauſa*, ut neces, vulnera, percuſſiones, improperia, & injurias. Superiùs dixi, ſanguinem in Amante fervere, æſtuare. Si Amans Amatæ iraſcatur, vel quia rigidè nimis tractetur, vel quia promiſſis non ſtet, vel quia petita deludat, vel quia pollicita protrahat, ab ira fervor, & æſtus ſupradictus ſanguinis ſummè incenditur, cum tali efferveſcentia, quæ iræ exceſſum inducat; quò enim major eſt efferveſcentia ſanguinis, major eſt ira, quæ per *Ariſtotilem* eſt *efferveſcentia ſanguinis circa cor*. Exceſſus iræ, eſt furor. Et obſervandum eſt Amantes in delirium cum furore non incidere, niſi præceſſerit paſſio iræ cauſa Amatæ; & ſi ira fuerit contumax, & altas ejecerit radices, ob fixam, & continuam imaginationem in occaſione iræ ab Amata præſtita, contumax etiam evadit furor, cum furore conjungetur delirium, modo dicto de Mania.

Mœror eſt *Angor animi pendens ab objecto triſti præſenti*, *quod in corpore per triſtem affectionem dolorem parit*, *in animo triſtitiam inſtillat*, *quod facit ipſa conſideratio mali*. Obſervamus enim, quòd reflexio circa malum præteritum, vel conſideratio mali præſentis non triſtes reddit. Amans, qui deſperatione victus, Amatæ proſecutioni renuntiavit triſtatur, cogitando in Amata includi bonum, quo ſolo felix eſſe poterat, & hoc privari. Cogitatio magni boni in Amata, & privatio iſtius, triſtem animum deſperati Amantis reddit, & hæc privatio talem impreſſionem in mente Amantis figit, ut non æſtimet aliud bonum, quàm illud in Amata collectum, omnia alia bona contemnendo, & ipſam vitam, quam infeliciſſimam arbitratur, ſi ſejungatur à fruitione Amatæ; imò vivere tormentum judicat, qua de cauſa multi Amantes deſperati mortem ſibi intulerunt, ſentientes hoc eſſe unicum ſuæ paſſionis remedium.

Hoc modo Amantes à mœrore cruciantur, ſemper cogitabundi, ſilentes, ſuſpirantes, & lacrymantes. A' mœrore tabidi fiunt, ut teſtantur plures Authorum obſervationes, ex eo quòd vel cibum non capiunt; nihil enim eis gratum, cum privatione Amatæ, & à mœrore depopulante ſpiritu vitali, & animali, balſamico ſanguinem dulcificante, hic acidus fit, & nutritioni ineptus; ob mœrorem hunc melancholici evadunt Amantes. Mirabilis hujus amoris exemplum refert *Antonius Bonfinius de rebus Hungaricis lib.* 3. *dec.* 3. *nobiliſſimo Equite Aulico Imperatoris Sigiſmundi. Hic ardenter adamabat Virginem nobilitate ſibi parem, quæ, ob pulchritu-*

chritudinem eximiam, ſui temporis Venus appellabatur: hæc, poſt multa amoris argumenta accepta ab Amante, tandem ſuum conceſſit amorem. In hac reciproci amoris voluptate, uterque exultabat. Evenit, ut Amans coactus fuerit Imperatorem in Italiam iter molientem ſequi; hoc nuncium refert Amans Amatæ, quo audito, præ dolore extincta cadit. Amans in multa deliquia animi, ob mortem Amatæ, incidit: tandem quia animi conſtantia vigebat, ſupervixit; ſed reliquo ſuæ vitæ curſu numquam viſus eſt ridere. Cornax lib. 3. concul. ſcribit *de Puella, quæ ob nuptias retrogradas, ob magnum mœrorem conceptum, continuò lacrymas effundebat.*

Talis mœror per ſe eſt delirium, quia ratio homini data, ut appetitus ſenſitivus temperet, ut paſſiones, vel moderetur, vel generosè ſuſtineat, ne voluptatibus, brutorum more, indulgeat, ſed iſtarum contemptu hominem rationis compotem ſe manifeſtet; aliter agere, alienatæ mentis indicium eſt: quænam alienatio mentis major, quàm ærumnoſam, & infeliciſſimam vitam in continuo mœrore ducere, ob interdictam Amatæ fruitionem, & hominis naturam deſerere, quia non poteſt cum brutis communem habere voluptatem.

In mœrore ſurgit etiam delirium melancholicum, per unionem plurium phantaſmatum, quorum compoſitio, & unio repugnat manifeſtè in objectis repræſentatis; vel per diviſionem phantaſmatis, quæ eſt impoſſibilis ſuæ eſſentiæ, & naturæ. Puto hoc contingere Amantibus melancholicis, quomodo contingunt inſomnia in dormientibus; dum quieſcunt in ſomno homines, ſpiritus animales, cùm non poſſint per nervos liberè fluere, ob obſtructionem iſtorum, quæ eſt cauſa ſomni, vagantur per ſubſtantiam cerebri, in qua impreſſa ſunt phantaſmata, & ſi eveniat, ut ſuo curſu eodem tempore varias fibras cerebri moveant, in quibus varia ſint impreſſa phantaſmata; & eodem tempore in ſedem ſenſus communis impellantur, ab hoc tamquam unum phantaſma percipitur, in quo eſt delirium.

Inadvertentia Intellectus extorquet aſſenſum circa phantaſma repræſentatum; hujuſmodi inadvertentia eſt à paſſione mœroris, ut dixi ſuperiùs de Intellectu, & Mania; cùm enim Intellectus ſit applicatus ad contemplanda ea, quæ per paſſionem mœroris proponuntur, ſeriò non poteſt incumbere ad detegendam repugnantiam unitam phantaſmati compoſito, cùm verum ſit, quòd pluribus intentus minor ſit ad ſingula ſenſus, & cùm major ſit vis in mœrore ad trahendum Intellectum in contemplatione eorum, quæ proponit, quàm illa emanans à repugnantia reſultante ab unione prædicatorum repugnantium, vel à diviſione abſurda, pariter prædicatorum in phantaſmate; hinc Intellectus totus in illa occupatur, negligendo reflexionem ſupra phantaſma propoſitum, neceſſariam ad detegendam repugnantiam, & abſurditatem ſuorum prædicatorum unitorum, vel diviſorum. Ideò fit inadvertens Intellectus, aſſenſumque præcipiti judicio phantaſmati propoſito, abſurdo, & irrationabili præſtat.

Dicitur *ab irrationabili amore*, quia non omnis amor delirium promovet, ſed ſolùm ille, qui ratione non moderatur. Rationi obediens amor, ſi non quieſcit in ſuo fine exiſtente in fruitione Amatæ, cruciat, ſed non dementat, moleſtam paſſionem ratio moderatur, conſtanter tolerat, prudentia demulcet, & deludit. Eſt irrationabilis, quia intellectus non utitur ſuis notionibus, ſuis ideis, ſuo ratiocinio ad inveniendas rationes, per quas amor moleſtus moderetur, & contemnatur, & extinguatur.

Cauſæ hujus affectus triſtis, eſt fixa imaginatio in Amatam, cum continuo deſiderio fruitionis, à qua Intellectus debilitatur, ut errores potentiæ ſenſitivæ corrigere impotens ſit: debilitas ſpirituum animalium facilè admittens turbationem, Intellectum reddit inadvertentem in detegendis, & corrigendis erroribus: vehemens fruitionis amati objecti deſiderium, quo in uſum Veneris violenter fertur, agitat ſemen in ſuis vaſis, cum efferveſcentia iſtius, & particularum activarum ſegregatione, quæ caput petentes turbant ſpiritus, & phantaſmata, unde delirium; vel eos obfuſcant, unde torpor, mœror, & oppreſſio, ſeminis agitati, & efferveſcentis effectus. Obſervatum eſt, qui amore vehementi erga aliquod objectum pulchrum moleſtantur, concubitum cum aliis omninò faſtidire, & ſeminis copia delirium fovere, & qui Venerem exercent, vehementiam paſſionis demulcere, & ab inſania præſervari.

Si extrinſecas cauſas quærimus, eſt diligens nimis aſpectus percurrens omnis pulchritudinis conditiones, converſatio frequens cum fœminis, muliebris concurſus frequentia, philtra.

Signa hujus affectus ſunt obſcura, niſi ab aliquo extrinſeco amoris paſſio declaretur, vel æger Amico manifeſtet. In genere ſolùm ſuſpicari poſſumus in ægro animi paſſionem. Obſervatione facta in corpore, nullum cognoſci morbum, qui inappetentiam, vigilias, frequentia ſuſpiria, mœrorem, emaciationem parere valeat in ægro, in quo dicta ſymptomata reperiuntur. Ex his enim animi paſſionem ſuſpicari licèt in genere, non paſſionem amoris in ſpecie. Caſu ſolùm hanc comprehendere datum eſt, *ut evenit Eraſiſtrato, referente Val. Max. lib. 5. cap. 7. & 7. cap. 3. Hic aſſiſtebat curæ Antiochi, Seleuci Regis filii, cujus corpus ad ultimam tabem devenerat, ut jam eſſet moribundo ſimilis; cùm una die Eraſiſtratus lecto Antiochi adſtaret, ingreſſa eſt regium cubiculum Stratonices ejus noverca, obſervavit Eraſiſtratus magnam mutationem in Antiocho, defectum vocis, ruborem vultus, ſubſultum oculorum, & admota manu pulſui, hujus motum alteratum variè cognovit. Diſceſſa Stratonice, omnia paulatim remitti vidit, ex quo certus factus eſt, Antiochum morbo amatorio laborare. Eraſiſtratus, de his admonitus, adivit Seleucum Patrem Antiochi, eique nunciavit, certam habere cauſam morbi Antiochi, ſed pro hoc nullum adeſſe remedium, cùm amore premeretur mulieris, quam conſequi minimè poſſet. Interpellans Seleucus, qualis eſſet mulier, reſpondit Eraſiſtratus, mea Uxor eſt; Seleucus, precibus, obſecrationibus, promiſſis, lacrymis rogat Eraſiſtratum, ut Uxorem ſuam Antiocho cedat; cui Eraſiſtratus, hoc facile tu, Pater, mihi perſuades, verùm aliter ſentires, ſi Stratonicem Uxorem tuam amaret Antiochus. O' utinam, exclamavit, vellent Dii, & homines, ut Stratonices raſſegnatio unius Antiochi vitam conſervare poſſet, quàm libenter hoc peragerem. Statim Eraſiſtratus, deprehenſa manu Seleuci, Gaude, ait, Rex, Antiochus vivet; nam non meæ Uxoris, ſed Stratonices amans. Antiochus, qui reſignata à Seleuco uxore propria, ad vitam, & ſalutem rediit.* Aliam ſimilem recitat *Gal. lib. ad Poſth. cap. 6. de Muliere vigilias patiente, & magna corporis jactatione inquieta, quorum cauſas cùm colligere non valeret ab interrogatis caſu cubiculum ingreſſus eſt, qui à Theatro veniebat, ubi Saltatores ludebant, dixit, ſe vidiſſe Pyladem ſaltare; ſtatim obſervavit Gal. mutationem in vultu, in oculis, in colore faciei hujus mulieris, & admota manu pulſui, hunc variis modis agitatum invenit, hoc eſt inæqualem, inordinatum, ſed vegetum, & dilatatum, à quo morbum amoris cognovit.*

Prognoſticum, indicationes, & curatio ſunt eadem cum Melancholia, ſi mœror, vel cum Mania, ſi furor. Unicum remedium eſt, Amantem conjugio unire Amatæ, tunc furor, & mœror in lætitiam, & gaudium vertitur; ita obſervavit *Arectæus lib. 3. cap. 3.* & patet *ex Hiſt. Seleuci.* Si conjunctio Amantum obtineri non poſſit, imaginatio alio divertenda, numquam dirigenda mens ad cogitationem de Amata; longè ab Amata ire, alienas peragrare terras; nam quantum oculis, tantùm animo procul ibit amor.

CAP. XVIII.

De Philtris, ſeu Faſcinatione. An dentur, & quomodo curandi.

ANtequam accedam ad deciſionem hujus quæſiti, præmittenda diviſio Faſcinationis, quæ multipliciter ſumitur, & poſtea indagandum, an omnes iſtæ differentiæ, an aliqua, an nulla dentur.

Faſci-

Faſcinatio tripliciter dividitur: alia Poetica, alia Phyſica, alia Magica.

Faſcinatio Poetica, eſt perniciosa quædam qualitas vi intenſæ imaginationis, medio viſu, tactu, voce, laude præcipuè conjunctim, vel diviſim, cœli quandoque obſervatione adhibita, propter odium, vel amorem alteri inflicta; dicta eſt Poetica, eò quòd apud Poetas ſæpè inveniatur hic faſcini modus, & à vulgo acceptata eſt. Ideòque etiam Vulgaris faſcinatio appellatur. In hoc conſiſtit, quòd ſi quis fixa, & vehementi imaginatione conciliandi amorem fœminæ amatæ renuentis, viſu, v. g. fixo eam intueatur, poſſe amorem inſtillare, & renuentem ad ſui amorem allicere; ita etiam morbum imprimere, ſi fixo obtutu, cum forti imaginatione nocendi, aliquem odio proſecutum intueatur.

De hac faſcinatione quæritur an detur *Zacutus Luſitanus lib. de Princ. Medic. Hiſtor.* Hanc tuetur, & innumeros citat Authores, & varios textus Sacræ Scripturæ hanc faſcinationem per oculos confirmantes recenſet. Ratione convalidatur authoritas, quia imaginatio eſt valdè potens in alterando noſtro corpore, & vis animi noſtri in hac videtur eſſe collecta. Mirabilis eſt effectus imaginationis in muliere gravida, cùm deſiderando ardenter cibum, vel potum, quibus præſto ſatiari non poſſit, & tangendo aliquam partem ſui corporis, imprimit in parte fœtus correſpondenti tactæ ſui corporis, imaginem, & figuram rei concupitæ; poterit ergo imaginatio, & ſpiritus corporis alterare, & diſponere, ut ſint capaces in corpore, cui imprimuntur, amorem accendere, vel morbum excitare. Laude, & voce excitari morbum per invidiam, colligitur ex eo, quòd ad corrigendum paſſionem invidiæ, dum, v. g. filium alterius, laudamus, ſubjungimus, *Deus eum conſervet, benedicat*; & hic eſt mos communis. Pro inſpirando amore: ſpiritus ab oculo jaculati videntur maximè apti, dum iſti elaborati in corde amore æſtuante, amoris ignem ſecum ferunt, ejaculati ab oculo amoris paſſionem exprimente, & in oculos Amatæ tranſmiſſi, præcordia iſtius penetrando, ignem amoris in corde accendere valent, & præcipuè ſi fortis adſit imaginatio paſſionem amoris in Amata viſu excitandi, prout explicavit *Marſilius Ficinus in Convivio Platonis Oratione 7. cap. 4. Si oculorum inflammatione laborantem fixè intuemur, inflammationem contrahimus. Si mulier menſtruata in ſpeculo ſe intuens, ſanguineis maculis hoc obnubilat, argumentum certiſſimum effluxus ſpiritoſi ab oculis.* Pari pacto ſpiritus ab Amantis oculis ejaculati non eſt negandum, & cùm iſtis ſit proprium amorem accendere, quia amoris partus, in Amatæ oculos ejaculati, amorem in ea accedent.

Verùm hæ rationes potiùs Acamedicæ, quàm Piloſophicæ ſunt, nec à principiis naturalibus ductæ, imò falſæ oſtenduntur. In omnium animis vi rectæ rationis Natura inſculpſit, neminem lædere, faſcinandi ergo virtutem, per quam hominem lædimus, Natura homini denegavit. Illa quemcumque ad ſocietatis humanæ conſervationem inſtruxit; ſi faſcinandi virtute armaſſet, ad deſtructionem dictæ ſocietatis direxiſſet. *Homo homini Deus* ex Naturæ inſtituto. Si naturali faſcinio donaretur, homo homini Lupus eſſet, quia nimis facilis ulciſcendi modus, ſi obtutu, noſtris deſideriis reluctantem, vel morbo gravandi, vel illi mortem inſpirandi, à Natura vim ſortiti eſſemus. Non reperiretur mulier, quæ libidinoſis cupiditatibus Amantis reſiſteret, ſi viſus faſcinio ad conſenſum cogere à Natura conceſſum eſſet; neque verum eſt, ſpiritus per oculos ejaculatos imprimere paſſionem, quæ in corde, vel animo ejaculantis dominatur; nam iratus, & febre æſtuans viſu, & fixa imaginatione etiam nocendi, non poſſunt febrem communicare, nec ad iram nos provocare. Mœrens, aſpicientes, ad compaſſionem invitat, non mœrorem inſpirat; ergo neque Amans per ſpiritus ab oculis ejaculatos Amatæ amorem inſpirabit. Quænam major diſpoſitio ſpiritibus ab imaginatione tribui poteſt, quàm illa, quæ tribuitur ſpiritibus duorum ſingulari certamine decertantium? cùm quilibet eorum alterius mortem toto animo quærat, & in oculis tale deſiderium manifeſtetur; & tamen nullus iſtorum à viſu inficitur: non ægrotat, non malè diſponitur: conſequenter imaginationi non ineſt talis vis diſponendi ſpiritus ad perniciem, & interitum alterius, cum faſcinio. Et manifeſtiorem colligimus hujus ſententiæ falſitatem, conſiderata natura amoris: ad hoc ut aliquis ametur, opus eſt, ut cognoſcatur ab Intellectu amabilis, & appetibilis, & quòd Voluntas electione præciſa, ſe determinet ad amandum, & appetendum hoc appetibile; at ſpiritus ab oculo Amantis in oculos Amatæ ejaculati, non poſſunt cogere Intellectum, ad hoc ut cognoſcat Amans per ſe amabile, & appetibile, & maximè ſi priùs cognovit non amabile, nec appetibile; nec poſſunt cogere Voluntatem, per ſe liberam, ad amorem, prout ratio faſcinii videtur exigere, & præcipuè cùm Voluntas antea recuſaverit Amantis amori correſpondere; & tamen hæc omnia deberent efficere dicti ſpiritus ejaculati, ſi virtute faſcinandi ſunt inſtructi, quia per faſcinium oculorum, intelligimus Amatam, recuſantem amare, induci ad amandum. Et quæ dicuntur de Familiis aptis naturaliter vi imaginationis uſu faſcinare, hoc eſt ope Dœmonum, non à Natura; & Sacra Scriptura, licèt pluries nomine faſcinii utatur, accipitur, non pro vero faſcinio, de quo modo loquimur, ſed de invidia, ut probat *Martinus Delrio in lib. Diſquiſ. Magic. lib. 3. par. 1. quæſt. 3.*

Falſum eſt ab imaginatione, cùm amoris affectu poſſe ita diſponi ſpiritus, ut ejaculati ab oculo, amorem in objecto recipiente ſpiritus accendere valeant; nec ab odio, vel invidia diſponi, ut languore, morbo, incommodo, objectum, in quod ejaculantur, afficiant. Et ſi inflammatio oculorum communicatur, id evenit per contagium; vapor enim ab inflammato oculo exhalans, inficit oculum, & humores in eo exiſtentes, ut inflammatio excitetur, non quia ab imaginatione diſponantur ſpiritus ad pariendam inflammationem, & exemplum de ſpeculo allatum, eſt falſum, & ſi eſſet verum, probat exire ab oculo vaporem, non probat in hoc eſſe faſcinandi virtutem; & ſi communiter dicitur oculum faſcinare mentem, & animum inſpicientis, id metaphoricè pronunciatur, nempè oculum Amati, vel Amatæ ea parere, quæ dicuntur de faſcinio, non faſcinare propriè; nam per ſpecies oculo impreſſas, objectum imprimens, cognoſcitur amabile, appetibile, & ut tale deſideratur, amatur, per electionem Voluntatis à recipiente dictas ſpecies: ab hoc amore poſtea oriuntur vehementes illæ paſſiones, quæ cernuntur in Amantibus, ſi non obtineant fruitionem objecti amati, quales decantantur à faſcinio ſuſcitari, & hic eſt amor naturalis, non amor ab imaginatione, & oculo, non quia ab ipſo oculo determinante Voluntatem ad amandum, etiam ſi renuat; & ſi narrantur hiſtoriæ de faſcinatis pueris per viſum Vetularum, introducto per radios oculorum morbo in corpore illorum, id evenit, quia cum ſpiritibus exeunt vapores venenati, qui impreſſi in puerili halitu valdè tenero, & molli, & in eorum ſanguine facilè alterabili, talem imprimunt diſpoſitionem, & fermentationem, per quam ad morbum impelluntur, & talis impreſſio morboſa non eſt faſcinatio, ſed infectio phyſica, introducta à fermento morboſo alterante, & deducitur ab hoc; quòd inficientes ſunt Senes pravi coloris, & depravati temperamenti, ratione quorum pravi humores reddundant, & qui inficiuntur ſunt pueri parvi, teneri, molles; Juvenes non inficiuntur ab his vaporibus, quia habitus denſioris, & ſanguinis magis reſiſtentis; quæ confirmantur ab hiſtoriis relatis ab eiſdem fautoribus hujus ſententiæ, de Patribus, qui vivi proprios filios faſcinarunt, non voluntariè, nec per determinationem imaginationis, cùm hoc in Patre non ſit admittendum, nec credendum; ergo quod per ſolum effluxum morboſum, & contagioſum, & hæc dicitur faſcinatio impropriè, & faſcinatio Phyſica, facta per influxum actionis cujuſdam Phyſicæ.

Et hæc eſt altera faſcinatio dicta Phyſica, & quæ fit per cauſas neutrales, ideòque impropriè faſcinatio nuncupatur, cùm potiùs infectio, proveniens per halitus malignos à corpore aliquo exhalantes, & impreſſos corpori viventi, dicenda ſit.

Ad hanc faſcinationem reducuntur Philtra, hoc eſt medicamenta quædam ſimplicia, vel compoſita, quæ exhibita, amorem conciliant Perſonæ, cui exhibentur, erga Perſonam, cujus nomine exhibentur; & enumerantur

tur *Sanguis menſtruus, cum ſanguine Leporis mixtus, & Umbilicus infantum ſeparatus, Secundina primiparæ, Teſticuli ſalacium animalium ſudore impregnati, Caruncula, ſeu membrana, quæ reperitur in fronte pulli equini recenter nati: Oſſiculum ſiniſtri lateris Rubetæ, hoc eſt Ranæ in Vepribus viventis; Radix herbæ à Plinio vocatæ Centum capita, quæ alterutrius ſexum refert.* Eamdem vim habere *herbam Airoum, & Catananum Aherſalam herbam teſtatur;* idem dicit *de herba Phytenma.*

De his Philtris, & aliis quæritur, an verè dentur, & habeant vim naturalem amorem conciliandi.

Helmontius affirmativam partem ſuſtinet, doctus ab experimento facto in Cane, cujus pedi alligavit herbam quamdam, quam manu geſtavit per aliquod tempus, & calore manus calefactam, & Canis eum ſemper ſecutus eſt. Alii panes geſtant ſub axillis, donec ſudore maneant, hos Cani exhibent, & Canis ſemper ſequitur exhibentem; cujus rationem reddit; nam quotieſcumque ſpiritus inſitus, & etiam influens unitur in aliquo medio quodam tertio, hoc evadit velut magnes, & ſi hoc medium, in quo eſt unitus ſpiritus alterius ſubjecti, in alterum ſubjectum transferatur, uniuntur ſpiritus in hoc medio exiſtentes, cum ſpiritibus ſubjecti, cui hoc medium applicatur, ex qua unione ſequitur mutuus amor ſubjecti, cui applicatur medium, & ſubjecti, quod huic medio ſuum ſpiritum communicavit; ut v. g. Helmontius geſtando herbam manu, huic communicavit ſuum ſpiritum, & influentem, & forſan inſitum, herba evaſit magnes, & alligata pedi Canis; per herbam communicatus fuit ſpiritus Helmontii Cani, qui unitus cum illo Canis, amorem Canis in Helmontium, & amorem Helmontii in Canem excitavit: quæ doctrina applicatur etiam transplantationi morborum; facta enim offa cum farina, & urina ægri, & exhibita Cani, transplantatur morbus ægri in Canem edentem offam, libero remanente ægro; præterea multæ ſunt Auctorum obſervationes de amore ex Philtro, & quotidiana experientia nos certos facit de iſtorum effectibus, ita videtur poſſe, medio quodam tertio tranſplantari amor unius in alterum. Et ſi amor habet fundamentum in quadam ſympatia, & uniformitate genii pendente à ſimili temperie, textura ſanguinis, & à ſimili ſpirituum elaboratione, motu, & activitate, quæ motum, & geniorum ſimilitudinem ſervat, cùm multa ſint, quæ in ſanguinem, & ſpiritus agant virtute naturali, poſſunt etiam dari talia, & quæ poterunt difformem ſanguinis, & ſpirituum craſim, texturam ad uniformitatem reducere, ſua actione, & amorem naturalem inſpirare.

Helmontii ſententia convenit cum illa Marſilii Ficini ſuperiùs lata, in qua oculus eſt medium, ſeu tertium quoddam, in quo uniuntur ſpiritus hujus ſubjecti, qui poſtea deferuntur ad miſcellam cum ſpiritibus ſubjecti, in quo recipiuntur, & ex eorum unione reſultat amor; unde reſponſio ſuperiùs allata ſolvit Helmontii probationem. Et ut clarior evadat, ſupponendum Philtris uti cum eis, qui reſpuunt reſpondere amori Amantis, & multoties Amantem contemnunt, & odio habent; pro illis enim, qui amati redamant, non quæruntur Philtra. Qui reſpuit redamare, hoc agit, vel propter animi virtutem, qua libidinoſas averſatur delectationes, vel quia in Amante nihil invenit, quòd reſpectu ſui appetitus, habeat ſpeciem boni delectabilis, & appetibilis; imò dum contemnit Amantem, vel odit, invenit aliquid, quòd appetitui eſt malum; idcircò odit, vel quia nullius eſt exiſtimationis, ideò contemnit; quapropter, ſi per Philtra poteſt naturaliter conciliari amor talis Perſonæ, neceſſe eſt, ut iſtius virtus agat in animum, virtutis habitum extinguendo, vel quòd habeat vim tranſmutandi objectum, ut apprehendatur amabile, & delectabile, cùm prius apprehendebatur ut odibile, & contemptibile; vel quòd habeat vim mutandi potentiam apprehenſivam, & appetitivam, ut quod apprehendebat ut odibile, apprehendat ut amabile. Sed nullum eſt naturale remedium, quod poſſit tranſmutare objectum, & agere in potentias Animæ, conſequenter talia remedia non ſunt admittenda. Et ſi objectum eſt appetibile, ob gratam affectionem, quam imprimit in ſede ſenſus communis, & appetitus; & odibile, ob ingratam affectionem, quam infigit dictis partibus; ſequitur etiam, quòd ſi per Philtrum objectum odibile evadit amabile, à Philtro oportere organum, ſeu ſedem ſenſus communis, & appetitus immutari, illiuſque texturam alterari in contrarium, quod videtur impoſſibile, cùm obſervemus avverſionem cibi alicujus, vel potus, pendentem à textura ſtomaci, nullis remediis auferri poſſe. Et cùm textura ſedis ſenſus communis non mutetur, etiam mutato, alterato, & ſanguine, & ſpiritu, ideò etiamſi Philtra immutent, hæc non excitabunt amorem; & vana eſſe Philtra pro hac mutatione ſanguinis, & ſpiritus, patet, quia hæc adhibentur ſine ulla animadverſione temperamenti, ætatis, & habitus corporis, ſed indifferenter eadem in diverſis temperamentis; & tamen alia remedia exigit temperamentum bilioſum, pro mutatione ſanguinis, & ſpiritus, alia melancholicum; cùm verò indifferenter Philtrum, & in melancholico, & in bilioſo adhibeatur, fit manifeſtum, nullam in eis eſſe vim alterandi ſanguinem, & ſpiritus, pro genii mutatione. Alterant quidem Philtra ſanguinem, & ſpiritus, ſed non alteratione neceſſaria ad mutandum genium, & ad amorem conciliandum, ſed ad inſaniam inducendam; cujus obſervationes habentur in *Joachimo Camerario, de Juvene à fœmina per philtrum dementato;* multas habet *Schenkius de Philtris p.* 838. *Henric. ab Hur. obſerv.* 13. qui videndus *Ruland. cent.* 3. *ver.* 91. *& cent.* 7. *ver.* 48. *Salmuth. cent.* 1. *obſerv.* 70. *& in Theat. Vitæ humanæ.* Et ſi Canis ſecutus eſt Helmontium exemplo allato, hoc non evenit, quia inſpiratus fuerit amor Cani à ſpiritibus herbæ impreſſis, à manu, in qua geſtabatur, & à qua excalefacta fuit, ſed quia iſti ſpiritus, cum illis herbæ uniti, gratiorem, & efficaciorem reddebant odorem iſtorum, qui cùm eſſet ſimilis odori Helmontii, ideò illum ſequebatur; Canes enim odore alliciuntur, ſi calceamentum alicujus confricetur cum partibus genitalibus Canis fœminæ maſculum concupientis, videbitis omnes Canes, ad pedem illius, in quo adeſt tale calceamentum, turmatim concurrere; & ſi mulieres moverentur à ſolo odore viri ad amandum, talis herba poſſet amorem mulierum conciliare, ſed quia ab alio, ut ſuperiùs dixi, moventur, ideò non eſt adæquatum caſui noſtro exemplum Helmontii. Et ſi ab aliquo Philtro obſervatum eſt, amorem in aliquem excitatum fuiſſe, id ope Dæmonis, non virtute naturali factum eſſe putandum; quod probat innumeræ Doctorum obſerv. *Benivenus c.* 8. nartat, *Mulierem ab atrociſſimis ſymptomatibus in ventre afflictam; evomiſſe longiores, recurvoſque clavos, æneaſque acus, unà cum cera, capilliſque in globum mixtis, & fruſtum carnis integrum, & iſta devoraſſe, impoſſibile fuit. Langius lib.* 1. *epiſt.* 38. ſcribit: *Ruſticum in uno hypochondriorum dolores atrociſſimos paſſum fuiſſe, itaut ex deſperatione cultello ſibi guttur abſciderit; aperto cadavere, in ejus ventriculo reperta ſunt lignum teres, & oblongum, quatuor ex Chalybe cultri, partim acuti inſtar ſerræ dentati, & alia duo ferramenta palmaria, & involucrum capillorum inſtar globi. Marcell. Donat. lib.* 2. *cap.* 1. *Hiſt. Med. mirab.* refert: *Puellam anguillam vivam per ſedem, unà cum aliis membranis excreviſſe, per os verò pilos, lapides, varia ligni, & æris fruſtula rejeciſſe. Schenkius lib.* 7. *de Venenis, refert Hiſt. Mulieris nobilis à doloribus immaniſſimis vexatæ, frequenti vomitu ſanguinis laboraſſe, itaut in anno pluſquàm mille libras effuderit, cum eo, qui per ſectam venam emiſſus fuit ratione curationis, & pluſquàm mille, & ducentum vermes, cum ſanguine emiſiſſe, & vermem per os excreviſſe digiti longitudinem æquantem;* & omnes iſti caſus ex faſcinio diabolico, teſtantur cit. Authores; & excreta corpora, quæ nec deglutiri poſſunt, nec in viſceribus hominis generari confirmant, & ſi apparentia ſolùm fuerit horum corporum, magis à Diaboli arte factum exiſtimandum, cùm hic tales apparentias iſtos poſſit efformare.

Quòd ſi ex relatis obſervationibus certi ſumus, per Philtra morbos multos arte diabolica excitari, non improbabiliter credemus etiam, amorem poſſe Dæmonem accendere.

Jam pervenimus ad tertiam ſpeciem faſcinationis amatoriæ, quæ Magica dicitur, & eſt pernicioſa qualitas, Dæmonum arte excitata, ob tacitum cum Dæmone hominis pactum, vel expreſſum. De his vide

Mar-

Martinum Delrio Magic. Diſquiſ. lib. 3. part. 1. quæſt. 3.

Quomodo verò Dæmon valeat amorem in renuente, & reſiſtente accendere, eſt difficile explicare, cùm in amore requiratur electio Voluntatis, in quam Dæmon nil poteſt, cùm ſit libera, alioquin tolleretur iſtius libertas.

Pro hoc explicando, recurrendum ad Phantaſiam, in quam Dæmon agere poteſt ope phantaſmatum ſenſibilium, quibus hæc potentia utitur, hæc variè diſponendo, & alterando; & hoc modo quidquid voluerit menti inſpiciendum proponere, à quibus mens moveri poteſt ad eliciendos actus circa phantaſmata taliter diſpoſita, & alterata, ut quando voluerit aliquem ad amorem incitare, phantaſma, repræſentans illum amorem quærentem, ita alterat, ut repræſentet formoſiſſimum, & pulcherrimum objectum, atque ſummè delectabile, & appetitus ab hac repræſentatione movetur ad illius deſiderium, cum amore; hinc videmus viros perdito amore fœminas deformes, turpes quoad corpus, & quoad mores, proſequi, cum ſtupore, & admiratione omnium. Hac ratione, quem oderat mulier, amat, quia per artem Dæmonis, jus repræſentatur Phantaſiæ tamquam amabilis, & delectabilis.

Hoc confirmatur caſu recenſito *à Vairo in ſuo tractatu de Faſcinio lib. 3. cap. 9. Mulier deſponſata viro, à primo die congreſſum recuſavit, & quando conatus pro hoc à viro exercebantur, ut furia, & belva immanis exardeſcebat, & furebat. Mulier fatebatur Maritum amare, itaut verbis exprimere nequiret, & quando eum videbat, & alloquebatur, ſuæ imaginationi tot deformitatibus, turpitudinibus monſtra repræſentantibus depictum apparere, ut mortem prius ſubire vellet, quàm illum ferre. Poſt tres annos, mulier in veneficiis verſata, ægrè ferens matrimonium illius fœminæ, cum ſuo viro eam ita faſcinavit; Faſcinium quòd patraverat, ſolvit, & deinde cum Marito cohabitavit, cum pace, & tranquillitate.* Ex quo caſu, non ſolùm confirmatur doctrina expoſita, ſed explicatur modus, quo odium à Dæmonibus imprimitur.

Altera cauſa poteſt eſſe in corpore, & in ſemine, quod ad conſpectum objecti, pro quo fit faſcinium, moveatur, agitetur, ferveat, cum maximo, & violento Veneris appetitu, ad quem ſatiandum appetit illud objectum, cùm ex aliis viſis talis motio non contingat. Idcircò in iſtius amorem, & deſiderium fertur, & talis eſt motio ſeminis, ut multoties in inſaniam, ut diximus de Furore Uterino, incidat faſcinatus, vel faſcinata. Dæmon motionem ſeminis dictam excitare poteſt.

Signa pro diſtinguendis Philtris, non habemus certa; variis conjecturis tamen aſſequi poſſumus: prima, dolor ventriculi, & diù durans; ſecunda, perturbatio quædam mentis; tertia, mutatio morum in aliquibus rebus, de hilari triſtem fieri, de pacato iratum. Et propria amoris, eſt inclinatio in objectum aliàs inviſum.

Prognoſtica ſunt deſumenda ab affectibus inductis, & pro eorum violentia, & vehementia, & pro parte laborante, illa elicienda.

Quoad curationem, cùm arte Diaboli amor inductus, ſit ſpiritualia potiùs, quàm Medica requirit remedia; attamen, quia ſemper cum aliquo corpore unitur faſcinatio, Vomitoria ſunt exhibenda; & quia aliquam alterationem in humoribus efficiunt Philtra, ad hanc ſedandam attendendum ſpecificis, inter quæ *Viſcus Corylinus, Valeriana minor, Hypericum, Aquilegia, Centaurea minor, fuga Dæmonum dicta; Naſturtium aquaticum, Terra ſigillata, Corallum, & ejus tinctura, Margaritæ, Pulvis Calculi humani, Pulvis Secundinæ humanæ, qui paratur, ſi prima membrana cum vaſis auferatur; poſtea reliquum Balneo mariæ diſtilletur; quod remanet in alembico, in pulverem redigatur, & exhibendum ad ʒ. i.*

CAP. XIX.

De Hydrophobia, ſeu Rabie.

Hydrophobia dicitur ab averſione humidorum, & præcipuè aquæ, quam videre non ſolùm, ſed nominari non patiuntur hoc morbo affecti: dicitur etiam Rabies, quia eſt propria Canum, in quam feruntur diebus Canicularibus præcipuè, licèt in magnis frigoribus rabiem etiam concipiant. Per rabiem Canes furioſi evadunt, quoſcumque mordent, & etiam Dominos ſuos, & ut furioſi hùc, illùc feruntur, & adeò excedens eſt rabies, ut ſpumam in ore excitet; & licèt alia animalia rabie corripiantur, ut Lupi, Camelus, Equus, ex Ariſtotele, & Mulus, ex Avicenna, Simia, Vulpis, Muſtela, dicitur, tamen de ſolo Cane, quia hic faciliùs, quàm cætera animalia, rabiem concipit: ideò *Delirium furioſum hominis conceptum per morſum Canis rabidi*, dicitur *à Gal. Rabies.*

Definitur *Delirium cum furore, à veneno Canis rabidi morſu excitatum, cum vehementi averſione omnium liquidorum, & potiſſimùm aquæ.*

Dicitur *Delirium*, quia in demorſis à Cane rabido eſt mentis alienatio, in qua conſiſtit delirii eſſentia. Delirii argumentum eſt *furor*; homines enim mordent ſine cauſa, nulla præcedente moleſtia, vel injuria; amicos, conſanguineos, benefactores, non ſolùm averſantur, ſed lædunt, etiam ſi blandè, & officioſè fuerint tractati; quod teſtatur *Dioſcorides lib. 6. cap. 36. de Themiſone, qui furore correptus fuit, demorſus à Cane rabido*; & confirmat *Ariſtoteles 3. de Hiſt. Animal. cap. 22.* dicendo, *rabiem facere furorem;* cui ſubſcripſit *Gal. lib. de Theriaca ad Piſonem cap. 16.* aſſerendo, *demorſos à rabido delirare.* Et licèt non ſit delirium aquam averſari, & timere, cùm multi ſine delirio aliquod peculiare alimentum, vel aliquam potionem averſentur; eſt tamen delirium in rabidis, ob furorem; & ſi ſuo modo delirat Canis rabidus, mordendo Dominum ſuum, cum læſione illius fidelitatis Canis propriæ, & cujus eſt ſymbolum; ita delirare dicendum à Cane rabido demorſum, alios mordendo: & ſi aliqui viſi ſunt non delirare, referente *Salio lib. de Affect. partic. imò deprecabuntur adſtantes, ne accederent proximè, ut non poſſent illis nocere, & rogabant, ut continerentur, ne neminem læderent*; quod narrat etiam *Rhodius cent. 1. obſerv. 46.* rari tamen caſus convincunt non eſſe delirium, proprium rabiei quarto modo; cùm verò ut plurimùm reperiatur, eſt rabiei proprium, & recenſiti cognoſcebant eſſe in diſpoſitione ad delirium. Si vera eſt Hiſtoria.

Dicitur, *à veneno Canis rabidi morſu*, & aſſignatur cauſa externa hujus morbi, quæ eſt morſus Canis rabidi, & venenum per morſum inſpiratum, & impreſſum homini demorſo.

Dicitur, *cum averſione omnium liquidorum, & potiſſimùm aquæ*, & eſt principale diſtinctivum hujus affectus à quocumque alio, nempè à mania, in qua, licèt ſit delirium cum furore, non adeſt averſio liquidorum, & à melancholia, quia, licèt rabidi metuant aquam, ut melancholici alia objecta, differunt tamen ab iſtis per averſionem liquidorum, & per furorem, & eſt principale ſymptoma à morſu Canis rabidi proveniens, à quo patientis interitus dependet, cùm à delirio, & furore ſimplici non immineat vitæ periculum, ut dictum de Mania; ab abſtinentia verò potius imminet, quia nimis exſiccati nervi orificii ventriculi per talem abſtinentiam, convulſionem contrahunt, quæ poſtea toti nervoſo ſyſtemati communicata, mortem infert.

In hoc affectu, tria apparent explicatu difficillima; primò, an ſit referendus ad maniam, quia adeſt delirium cum furore, vel ad melancholiam, quia adeſt metus aquæ: ſecundò, quomodo venenum inſpiratum à Cane rabido delirium cum furore efficiat: tertiò, quænam ſit cauſa averſionis omnium liquidorum, & præcipuè aquæ, cum metu iſtius.

Quoad primum dico, rabiem referendam eſſe ad maniam, dum conjunctum habet delirium, & furorem, quæ ſunt prima maniæ conſtitutiva, & cùm conveniat

veniat cum principiis maniæ, ad hanc etiam eſt referenda, & inter maniæ ſpeciem deſcribenda; minimè verò ad melancholiam trahenda, licèt adſit metus aquæ, quia in melancholia adeſt metus, & timor, ſed ſine cauſa manifeſta; in rabie verò adeſt metus aquæ, ſed cum cauſa manifeſta, ut videbimus in ponderatione tertii quæſiti propoſiti.

Quoad ſecundum, cùm conſentiant omnes Medici, quòd inſpiratur à Cane rabido per morſum, eſſe venenum, huic etiam conveniet definitio veneni tradita à *Gal. lib.* 3. *de temperam. cap.* 3. *Venenum eſt illud, quod humani corporis temperamentum deſtruit, vincit; atque permutat*, quod non poteſt contingere, niſi integra manente virtute veneni, ſine ullà diminutione ſui, ad differentiam alimenti, & medicamenti, quæ agunt quidem in temperamentum, & naturam; ſed etiam patiuntur alimenta multùm, ut cedant in naturam aliti, medicamenta multùm alterant, parùm patiuntur, venena multùm alterant, nihil patiuntur. Si ergo, quod à Cane rabido morſu inſpiratur, eſt venenum, hoc vincet, deſtruet demorſi temperamentum, & permutabit in ſui naturam, hoc eſt in naturam caninam, ſed rabie affectam, quia provenit à natura canina rabie infecta, & cum permutatione temperamenti, Canis rabidi mores, & qualitates inſtillabit; & mores, & latratus caninos in demorſo à Cane rabido obſervavit *Rhaſis cap.* 10. *lib.* 8. *ad Almanſorem*. Quod obſervavit etiam *Nicolaus Florent. ſerm.* 4. *tract.* 4. *cap.* 15. *in Marito rabie correpto, qui retro Uxorem ſtabat ut Canis, & latrabat*. Et *Philoſtratus in Vita Apollonii Tyanei Hiſt.* 6. *lib.* 18. adnotavit, *adoleſcentem rabidum manibus terræ infixis tamquam pedibus, Canum more ambulare, mordere ut Canes*. Et apertiùs demonſtratur ab *Avicenn. cap.* 7. *tract.* 4. *fen.* 5. *lib.* 4. & à *Cardano contradict.* 7. *tract.* 2. *lib.* 2. *ab Avenzoar. lib.* 1. *tract.* 9. *cap.* 6. dum teſtantur, in urinis demorſorum conſpici figuras, & imagines Canum, & fluſtula carnea Canis imaginem repræſentantia, & adeò mutatur temperamentum demorſi, in naturam, & temperamentum Canis rabidi, ut alios eadem rabie inficiat ſolo oſculo, & halitu, ut adnotavit *Palmarius lib.* 6. *de morb. contag. in Ruſtico, qui cùm propè mortem eſſet, cauſa rabiei, aliquo lucido mentis intervallo acquiſito, quæſivit filios, priuſquàm moreretur, ut ultimò, & paterno oſculo amplecteretur, quòd cùm conceſſum illi fuiſſet, liberiuſque oſcula libaſſet extinctus eſt, ſed ſeptimo poſt die, liberi eodem morbo correpti, rabioſi interierunt*.

Cauſa hujus mutationis non latebit eos, qui norunt fermenti vim, & efficaciam: parùm fermenti in magna maſſa farinæ commixti, totam fermentat, & ad ſuam naturam acidam deducit, particulas ſibi conſimiles uniendo, vel eamdem texturam, motum, & figuram particulis farinæ donando; eodem pacto, cùm venenum Canis habeat fermenti naturam, quam habent omnia venena, ſanguinem in ſui naturam, cum conditionibus ſuis convertere poterunt. Si temperamentum ſanguinis demorſi eſt mutatum in temperamentum ſanguinis Canis rabidi, quid mirum delirare cum furore, ſi Canis ſuo modo cum furore delirat? Ab ipſo furore deducitur cauſa magis manifeſta delirii; furorem dixi de mania, conſiſtere in æſtu, & fervore ſpirituum animalium, & vitalium, eſt enim exceſſus iræ, quæ à mox dicto æſtu ſpirituum originem trahit. Venenum ergo Canis rabidi neceſſe eſt eſſe talis activitatis, ut valeat æſtu, & fervore perturbare, & agitare ſpiritus vitales, & animales, ex quorum perturbatione phantaſmata, vel componuntur, vel dividuntur, cùm repugnantia talis compoſitionis, vel diviſionis manifeſta, cui aſſentiente Intellectu, fit delirium modo ſuperiùs explicato. A' ſola ſimplici inadvertentia Intellectus poteſt oriri delirium; nam, dum per æſtum, & fervorem ſpirituum impellitur in actionem furioſam demorſus, Intellectus non advertit, talem actionem repugnare rationi rectæ, indebitam eſſe homini, & legi Naturæ repugnantem; & quia demorſus Intellectu hæc non advertit, ideò actionem illam exequitur, quam ſi adverteret, non exequeretur: eſt autem inadvertens intellectus, ob ſpiritus animales perturbatos, & agitatos, & per paſſionem furoris, ut adnotavi in Diſſertatione de Intellectu. Hoc modo fit delirium à veneno Canis rabidi, & excluditur qualitas occulta veneni Canis rabidi, pro cauſa furoris, & delirii.

Nec hanc activitatem veneni Canis rabidi, in permutando temperamento ſanguinis demorſi, tollit, vel rejicit deliteſcentiam hujus veneni in corpore; narrat enim *Albertus Magnus* 7. *de Hiſt. Anim. cap.* 2. *morſum à Cane rabido in brachio, poſt ſeptem annos incepiſſe inflari locum cicatricis, & infra duos dies Fatis ceſſiſſe. Poſt tertium annum venenum Canis rabidi manifeſtatum*, narrat *Amat. Luſit.* 7. *in Scholio cur.* 41. *imò quadraginta annos hujus veneni ſeminarium latuiſſe*, adnotavit *Horſtius*, *Salmuth. cent.* 1. *obſerv.* 96. *Per quinque annos*, *Palmarius de morb. contag. & Petrus Sal. de morb. particul.* Quærunt cauſam hujus occultationis Doctores, ſuppoſita ejuſdem veritate, & ſi tantæ eſſet activitatis, ut temperamentum ſanguinis demorſi in ſui naturam permutare valeret, non tam diù latitaret, latitat, quia natura eſt robuſtior illo, & in illud agit, & debilitat; non eſt ergo admittenda dicta ratio, fundata in definitione veneni.

Non enervat rationis adductæ vim dicta latitatio veneni per annos; nam, licèt ad annos latitet, foras prodit, & interimit, conſequenter tale venenum non fuit victum, neque debilitatum à natura, quia nec in propatulum exiret, ſi victum, nec interimeret, ſi debilitatum: fatendum ergo, remanere integris ſuis viribus in corpore, ſed impediri ejus actionem, ſuperari eo modo, quo venenum variolarum in utero Matris contractum, ut fert communis ſententia, per multos annos latitat ſine noxa, & venenum luis Gallicæ ad annos, & annos occultatur, quia iſtorum venenorum actio impeditur, non ſuperatur. Cauſam talis latitationis nos docuit *Hipp. lib. de priſ. medic.* ubi docet, humores etiam pravos, acidos, auſteros, ſalſos, & alterius generis, eouſque fuerint cum aliis optimè permixti, & uniti, non lædere: quotieſcumque verò ſegregantur, & conſpicui fiunt, tunc lædere, moleſtiam, & dolores inferre. Mixtio ergo, & unio pravorum humorum cum bonis, eſt cauſa, ut illi non lædant, & eorum noxia actio in effectu impedita occultetur: ſegregatio verò dictorum humorum, ſoluta mixtione, & unione, eſt cauſa eruptionis veneni, & morbi ſupervenientis. Talis cauſa reperitur in veneno Canis rabidi, occultato per annos, & poſtea manifeſtato. Venenum Canis rabidi communicatur per effluvia, ſeu corpuſcula, quæ mordendo vulneratæ inſpirat parti, & ſanguini in ea exiſtenti, & per eam circulanti, eo modo, quo Vipera, mordendo, venenum ſuum ſauciato membro communicat; communicata corpuſcula unita, ſanguinem ingrediuntur; & ſi ejus motu circulari dividantur, diſperguntur huc, illùc in diverſis partibus ſanguinis, & motu fermentationis iſtius, cum particulis componentibus ſanguinem intimè uniantur, ab unionis vinculo ligata corpuſcula venenata particularem, & ſibi proprium motum amittunt, ſervata ſolùm inclinatione ad illum, & cum motu ſuam actionem, cùm actio in motu conſiſtat proprio, & naturali, & alium motum non retinent, niſi localem circulationis, & hoc modo impeditur actio corpuſculorum venenatorum Canis rabidi in corpore demorſi. Si verò ab aliqua cauſa externa, vel à fermentatione ſanguinis ſegregentur, laxato, vel ablato mixtionis, & unionis vinculo; ſtatim diſperſa ad invicem coeunt, ratione ſimilitudinis eorum naturæ, per quam *Similia ſimilibus uniuntur*, *ex Hipp. lib. de Diæt. num.* 7. & recuperata actione impedita, & motu proprio, ad quam, licèt impedita, inclinationem retinuerunt, & illorum principia conſervarunt, manifeſta fiunt, à latebris ad lucem prodeunt, & ſuas vires, & activitatem, priùs ſolùm impeditam, non victam, exerunt, cum damno demorſi, & cum excitamento furoris, & rabiei, & aliorum ſymptomatum, quæ ſunt propria, & unita, veneno Canis rabidi, ad libertatem evocato. Hac Hipp. doctrina explicatur, qua ratione quælibet venena ad longum tempus latitent in corpore, & qua ratione manifeſtentur. Eadem doctrina Hipp. valet etiam, ſi admittatur, Canem rabidum inficere per contactum, ſine vulnere, ut aliqui volunt: *Gal. lib.* 6. *de loc. affect.* tradit, *ſalivam Canis rabidi tangentem partem denudatam corporis, inficere*

ficere, non aliter ac morſus inficiat; & *Matthiolus lib. 6. cap.* 36. teſtatur, *ſe duos vidiſſe ex ſpumæ contactu infectos. Cardanus, rabiem in Nobili vidit contractam à ſolo oſculo dato rabido Cani à Domino, antequàm mitteret ad ſuffocandum*, & narratur ab eo *lib. 9. contradictionum tract. 5. cap. 2. Matthæus de Grad. conſ.* 82. dicit *vidiſſe rabiem contractam ex ſola impoſitione manus in ore Canis rabidi, ſine vulnere*; effluvia enim percepta per ſolum contactum eodem modo mox explicato diſponuntur; cur verò in aliis citiùs, in aliis tardiùs venenum palàm erumpat, petenda cauſa à diſpoſitione ſanguinis, cujus mixtio ſit firmior, & à cauſæ externæ excitantis venenum activitate valida, vel debili.

Quoad tertium, notum eſt, ventriculum ea appetere alimenta, quæ gratam, & jucundam ſenſationem in ejus fibris nervoſis, & membranoſis pariunt, & experitur in uſu dictorum alimentorum; è contra averſari, & abominari ea alimenta, quæ ingratam, & moleſtam ſenſationem in eo efficiunt, quæ aliquando tanta eſt, ut in deliquia, & convulſiones adigant patientes, ſi cogantur abominata alimenta, etiam eis inſciis, aſſumere, ut videre eſt in eis, qui vinum abhorrent; iſti enim coacti ad vini potum, ſtatim corripiuntur doloribus, torminibus, cruciatibus ventriculi, & animi deliquiis; quæ experiuntur etiam illi caſeum abominantes, ſi eo epulas clandeſtinè conditas delibent. Hac ratione explicatur, cur uni alimenti ſpecies magis jucunda, alteri altera.

Si abominatio alimenti pendet ab ingrata, & moleſta ſenſatione ab eo impreſſa partibus nervoſis, & membranoſis ventriculi abominatio omnium liquidorum, & præcipuè aquæ in rabidis, in aliam cauſam referenda non eſt; & quia liquida, ante rabiem aſſumpta, & aqua triſti ſenſatione ventriculum non afficiebat, non poſſumus aſſerere, hanc oriri à qualitatibus irritativis, & noxiis liquidorum, & aquæ, ſed ab organo ſenſus ventriculi ita immutato, per venenum à morſu Canis rabidi acceptum, ut illi, ratione talis mutationis, noxium & triſte evadat liquidum omne, & aqua præcipuè. Mutationem hanc, puto conſiſtere in magno calore, & ſiccitate oris ventriculi à veneno introducta, cujus proprium ſit hanc partem præcipuè afficere, ob conformitatem pororum iſtius, cum figura particularum dicti veneni, qua ratione, ſolùm venena determinatas partes lædunt. Ineſſe talem virtutem calefaciendi in veneno prædicto, probatur à furore, & rabie ab eo excitata; calorem, & ſiccitatem in orificio ventriculi fixam, ſitis inextinguibilis oſtendit, & paſſiones æſtus, & lancinationes, quibus in principio affectionis cruciatur demorſus circa præcordia, & ventriculum. Ab uſu liquidorum, & aquæ demorſo contingit illud, quòd in calce obſervamus, affuſa aqua, & quocumque liquido, nempè efferveſcentiam, & ebullitionem calcis, & aquæ, à ſolutis particulis igneis in calce exiſtentibus excitatam, humido ſuperaffuſo, & ad motum effrænem ebullitionis, cum aqua, & aliis particulis calcis evocatis; ſic ab humido, ſeu liquido, irrigato ore ventriculi excalefacto, & exſiccato, in eo tumultus excitantur, cum diſtractione, diſtenſione violenta, vellicatione, mordicatione nervorum, & fibrarum ventriculi, à quibus dolores, paſſiones, & turbationes, quas experiuntur rabidi ab humido, & liquido, quæ augentur addito irritamento valido, & motu particularum veneni, itaut in convulſivos, & ſpaſmodicos motus fibræ nerveæ, & membranoſæ impellantur, cum magna paſſione, & cruciatu dictarum partium ſenſitivarum. Spiritus etiam animales cum dictis paſſionibus, & tumultibus in motus inordinatos, irregulares, moleſtos, & ſenſui intolerabiles cientur; unde averſio omnium liquidorum, ob rationem ſuperiùs traditam. Iſta omnia contingere in demorſis ab aſſumptione liquidorum, colligimus ex eo, quòd ſi cogantur aquam bibere, vociferant, plorant, tremunt, convelluntur, & animo deficiunt, quæ immoderatam effervefcentiam, vellicationem, ſpaſmodicos nervorum motus, & ſpirituum inordinatas efferationes in partibus ventriculi oſtendunt; quòd ſi verum eſſet, *à balneo aquæ, & à potu ejuſdem copioſo rabidos ſanari*, ut *Celſus*, & Antiqui ferè omnes teſtati ſunt, hæc ſententia ulteriori non egeret probatione, quia à copioſo potu extinguitur talis effervefcentia, & particulæ venenatæ ſuffocantur, vel earum actio, non eſt adeò ſenſibilis fibris nerveis aqua irrigatis, & humectatis; & ſi in febri obſervata eſt *liquidorum abominatio* à *Petro Salio loc. cit.* excluſa omni veneni ſuſpicione, certè huic alia aſſignari non poteſt cauſa, niſi deſcripta.

Ab his deducitur etiam ratio, qua explicatur abominatio, & perhorreſcentia concepta à ſolo viſu aquæ, à ſolo nomine iſtius prolato; nam antequàm in talem averſionem liquidorum inciderint rabidi, experti fuerunt triſtem ſenſationem, ſed tolerabilem ab uſu liquidorum, quæ in dies magis aucta, tandem intolerabilis evaſit. Ab hac triſti ſenſatione ſenſus communis percipit diſconveniens, & noxium eſſe ventriculo omne liquidum, & efformatum eſt phantaſma repræſentans moleſtiam, & cruciatus à liquidis proficiſcentes; & quia ad viſum aquæ, ad iſtius nomen excitatur hoc phantaſma, ideò appetitus ſenſitivus, tamquam quid noxium aquam abominatur, ab ea fugit, & Animal ab ejus uſu, tamquam quid malum, triſte, noxium avertit, movendo ſpiritus animales ad fibras ventriculi, & œſophagi, quæ ſerviunt vomitui, ex qua fibrarum diſpoſitione oritur; quod etiam coacti liquida aſſumere non valeant, cùm organum ſit diſpoſitum ad illius rejectionem, non aſſumptionem, & quo major eſt vis illata pro ſuſceptione liquidorum, major etiam creſcit tenſio, & energia fibrarum, pro majori expulſione, appetitu ſenſitivo, ſpiritus animales in majori copia dirigente in dictas fibras.

Cauſæ hujus affectus ſunt manifeſtæ, nempè morſus Canis rabidi, & diſpoſitio demorſi; habemus enim à *Nicol. Florent. ſerm. 4. tract. 4.* non quoſvis demorſos à Cane rabido in rabiem concitari, ſed qui habent diſpoſitionem ad rabiem ſuſcipiendam, eo modo quo tempore peſtis, non omnes peſte afficiuntur, ſed ſolùm habentes diſpoſitionem ad hanc contrahendam; ita cum muliere venerea lue infecta coeuntes, aliqui inficiuntur, aliqui non, quia illi ſunt diſpoſiti ad luem contrahendam, iſti verò non.

Signa rabiei imminentis, ſunt morſus Canis, cui paulò poſt ſubſequitur anxietas, iracundia ſine ratione, vellicatio ventriculi, vigiliæ, ſomni perturbati, bibendi deſiderium præter morem, gravitas totius corporis; ſecum loquuntur, & murmurant, lumine accenſo, etiam de die delectantur, dolor in parte morboſa, etiam vulnere conſolidato affligit; vertigo, & capitis dolor adeſt.

Signa confirmatæ rabiei ſunt: membrorum diſtenſio, pandiculationi ſimilis, ſed non continua, rubor faciei, & corporis anxietudo, ſpuma circa labia, oculi torvitas, aſpectus teter; in proximos expuunt, latrant, & obvios quoſcumque etiam familiares dentibus aggrediuntur; aquam, & omnia liquida ſummè abhorrent, & cùm eam vident, vel ſonitum ejus ſentiunt, tremunt, cruciantur, & inquieti fiunt.

Morbus per ſe lethalis, ſi ejus principiis non occurramus remediis; adveniente timore aquæ, omnes intereunt, & nullum evadere firmant *Aetius*, *Paulus Avicenna*, *Celſus*, ſi ſanguis è vulnere in principio, vel ſudor, copiosè effluxerit, & etiam urina. Spes ſalutis concipienda magna, ſi nec nervus, nec arteria, nec vena vulnerata fuerit.

Indicationes, aliæ deſumuntur à principio morſus, aliæ poſt: in primo ſunt intercipienda corpuſcula venenata vulneratæ parti impreſſa, ne ulteriùs progrediantur; ſecundò à parte vulnerata extrahenda; tertiò impreſſum venenum extinguendum.

Primam indicationem adimplent *ligaturæ fortes ſupra vulnus*, cum animadverſione tradita à *Celſo lib. 3. cap.* 27. ne ex ligatura ſphacelum parti ligatæ adveniat, ideò quando valdè tumet, & liveſcit pars à ligatura, hæc laxanda; ſecundam, *ſcarificatio partis appoſita*, poſtea *cucurbitula, & extracto ſanguine, ſcarificatio fit circum partem affectam, & in tanto ſpatio, quòd correſpondeat orificio cucurbitulæ; ſcarificatio fiat profunda, & cucurbitula iteretur, uſquequò ſanguis exeat*. Si pars vulnerata ſit ex illis, in quibus adeſt decor, forma, & pulchritudo, ne ſcarificatione deturpetur. *Hirundines venis circa vulnus applicandæ, vel Pullos per medium diſſectos ſupraponere vulneri convenit, vel iſti podicem Gallinæ deplumatum admovere*; poſt ſcarificationes, cucurbitulas, & hirundines, *lixivio calente*

vulnus

vulnus abluendum, poſtea emplaſtrum factum ex cinere vitis, & aceto, imponendum. Dioſcorides uſurpabat emplaſtrum ex cæpis, allio, & ſemine tritici maſticato, quibus poſſunt addi *Nuces juglandes*, *Ruta*, *Fermentum*, *Sal*, *Mel*, & *Theriaca*. *Gal. lib.* 2. *de Antidotis* utitur *emplaſtro ex pice, & opponace, cum aceto diſſoluto*. Tertiam indicationem conficit ignis actualis, & eſt remedium facile, parabile, & tutum, *pars vulnerata, vel ferro candente, vel funiculo, vel cannula ſulphurata inurenda*. Aliqui timent tale remedium, quia eſchera poſt ignem vulneri ſuperveniens exhalationem veneni prohibet; ſed vanum cenſeo talem timorem, quia ab igne extinguitur totaliter venenum, & igne utuntur Chirurgi timentes vulnus à venenato gladio factum, & eſchera non eſt adeò denſa, ut poſſit impedire exhalationem. Poſſumus etiam uti *Veſicatorio, parti applicato, vel cum Aqua vitæ accenſa, ſtatim veſicam attollere in parte vulnerata, & Veſicatorium apertum tenendum per quadraginta dies*. Si volumus ſcire, an venenum extractum fuerit, *fricetur vulnus pane, vel pulpa nucum, & Gallinæ, vel Pullo exhibeatur; ſi moriuntur, venenum adhuc adeſt, ſi non, venenum eſt extinctum*; & hoc modo cognoſcitur etiam, ſi Canis mordens ſit rabidus.

Si incipientis rabiei ſigna apparuerint, unica tantùm mihi videtur indicatio, nempè fermentum venenatum, jam maſſam ſanguinis occupans, expellere.

Ab hac indicatione deciſum manet, nec purgationem, nec miſſionem ſanguinis convenire in rabie, dum per hæc remedia venenum intus trahitur, non foras expellitur, nec venenum cedit his remediis. Aliqui poſt quadraginta dies purgationem, & miſſionem ſanguinis præcipiunt; ſed verè non video, qua ratione, quia tali tempore tranſacto, æger in tuto ſupponitur, & venenum vel non eſſe communicatum maſſæ ſanguineæ, vel eſſe victum, unde curatio eſt morbi, qui non eſt. Si latet venenum, ut dictum eſt ſuperiùs, hujuſmodi curatio eſt via ad eum excitandum. Recidivam forſan timent, cùm *Baricellus* aſſerat, *ex contactu Corni, vel Sanguinariæ ſanatam rabiem revixiſſe*; ſicut ex ſomno capto ſub umbra Sorbi; ſed cùm non reviviſcat, niſi per hæc, abſtineat ab iſtis æger, & erit in tuto. Sed dato etiam poſſe reviviſcere, non ſunt remedia propria, quia venenum, non purgatione, nec ſanguinis miſſione, ſed alexipharmacis, & ſudore, & diureticis expellitur. At cùm expulſio veneni poſſit fieri per medicamenta *Diaphoretica*, *Diuretica*, iſta erunt propria pro curatione hujus morbi, quibus adjungenda ſpecifica, quæ & ipſa dicuntur expellere venenum, cùm extinguant. Inter *Diaphoretica* enumerantur *Dictam. cretic. & vulgar. Card. Bened. Scordium*, *Angelica*, *Petaſites*, *Contrajerva*, *Radix Lappæ majoris*, *Vincetoxici*, *Cornu Cervi*, *Lignum Viſcumquercinum*, *Lignum Sanctum*, *ex quibus parantur decoctiones, ad libram unam, & duas exhibenda, præmiſſo Bezoartico minerali*, *Aqua theriacali*, *Mixtura compoſita Rolfincii*.

Diuretica ſunt: *Rumex acutus in pulverem redactus, vel in decoctione urinas copioſas promovet, & eſt ſpecificum Rabiei; nam ſi foveatur pars vulnerata decocto iſtius herbæ, vel vulneri applicetur, rabies extinguitur*: *Lignum nephriticum*, *Alchechendi*, *Saxifragia*, *Ononides*, *Virga aurea*, *ſem. Lappæ majoris*, *Milium Solis*, *Cantharides laudat Avicenna*.

In his exhibendis inſpicienda eſt ægri diſpoſitio; nam ſi natura proclivis ſit ad urinam, diuretica exhibenda, ſi ad ſudorem, diaphoretica.

Inter ſpecifica ſimplicia, *Radix Roſæ ſylveſtris*, *Chynorrodon à Plinio appellata, tam ſingulare, & infallibile remedium laudatur ad* ℨ. *ii. in vino exhibita per quadraginta dies*. *Coagulum Catuli in aceto diſſolutum, quòd Actius dicit appetitum aquæ excitare*; *Alyſon*, *Pimpinella*, *Allium*, *Lactuca*. *Immerſio in aqua ſummè laudatur ab Helmontio in tract. Demens Idea. Foreſtus, & Celſus ex Antiquis, cum aliis idem remedium celebrant.*

Inter compoſita, duo tantùm propono. Primum *Gal.* 2. *de ſymp. Medic. facul. Accipiantur Cancri Sole in Leonem tranſeunte, vel exiſtente, & die decima Lunæ in ſartagine æris rubri comburantur; hujus cineris recipe* ℨ. *ii. Pulveris Gentianæ* ℈. *i. Vini Meraci* ℥. *iv. quotidiè utatur æger ad quadraginta dies*. Aliqui addunt ℈. *i. Thuris*. Difficultas eſt de Cancris, quinam aſſumendi: aliqui volunt non eſſe Cancros, Gambari dicti, alii eſſe Cancros Marinos, alii fluviales; hæc duo ultima Cancrorum genera communiter exiſtimantur ſpecifica rabiei. Alterum eſt *Palmarii, qui jactat neminem interjiſſe rabidum ab uſu Pulveris ſequentis, ſicut Gal. de ſuo Cancrorum*.

℞. *Fol. Rutæ*
Verben.
Salviæ min.
Plantag.
Abſynth. vulgaris
Polypod.
Menthæ
Artemiſiæ
Meliſſæ
Betonic.
Hyperic.
Centaur. min. } *a. q. ſ.*

Colligantur ſingula tempore opportuno, ſiccentur in umbra, pulv. & de hoc pulver. exhibentur ℨ. *ii. cum Sacch. in juſculo, vel cum Syrup. de Succo Citri; exteriùs eodem ungitur, cum Oxymelite cocto pro vulneris deterſione bis, vel ter in die*.

Diœta ſit cum alimentis boni ſucci, conditis *Allio*, *Cæpa*, & *aromatibus*, *cum Vino Meraco*, & *paſſulato*: *Cancri fluviatiles in cibo*, *Caſtaneæ*, *Braſſica*, *Nuces juglandes*, *Caricæ*, *Raphanum*, *Smirnium*, *Aſparagus*, *Cicoreum*, *Pimpinella*, quam aliqui ſpecificum ſingulare in rabie volunt; *Rumex ſylveſtris*, & *hortenſis*, *omnia utilia*. *Pulli columbini fugiendi*, ſi verum eſt, quod ſcribit *Sennert. à tota ſubſtantia nocere rabiei, ſed juvare caput Arietis*. *Margus avis in aquis, & mari degens, & eſt ſpecies Anſeris aquatici, in cibo ſummè prodeſt, & ab Aetio proditum eſt tutò rabiem curare, cùm inter cuncta Animalia, Anſer aquaticus ſolus rabie non capiatur*.

CAP. XX.

De Phrenitide.

PHrenitis ab omnibus accipitur pro delirio, at quia ſunt plures delirii ſpecies, eſt diſſenſio tam inter Antiquos, quàm inter Recentiores circa naturam, & cauſas hujus. Ut obſcuritas materiæ illuſtretur, aſſumo primo loco conſiderandam *Hipp.* definitionem de Phrenitide, quæ eſt, 1. *Porrhect. tex.* 1. *Delirium perpetuum, cum febre continua*.

Jam dixi pluries, delirium eſſe alienationem mentis, quæ apparet in aſſenſu Intellectus præſtito propoſitioni, cujus prædicatum, & ſubjectum manifeſtam habent repugnantiam inter ſe, ideòque eorum unio manifeſtè repugnat ex intrinſecis eorum principiis, & tali unioni aſſentiendo Intellectus, qui & mens vocatur, dicitur mens alienari, quia à ſuo recto fine, qui eſt recta ratio, alienatur. In diſſenſu etiam alienatur, quando negat prędicatum aliquod convenire alicui ſubjecto, quod ei eſſentialiter convenit, & eſt ab eo inſeparabile.

Delirium ſtat loco generis, per quod Phrenitis convenit cum Mania, Melancholia, Furore uterino, Amore inſano, & Rabie.

Dicitur *Delirium, cum febre continua*, & eſt differentia delirii, per quam completur eſſentia Phrenitidis, itaut poſito delirio continuo cum febre, ponatur neceſſariò Phrenitis, & ſi non adſit delirium continuum cum febre, non adeſt Phrenitis. Per continuum delirium, intelligimus illud delirium, quòd nullas habet intermiſſiones, nec à lucidis intervallis partitur, ſed perdurat uſque ad remiſſionem morbi, & in eo intermittente æger eſt in tuto. Quid per febrem intelligendum ſit patet; ſolùm licet animadvertere, per febrem intelligendam eſſe febrem in hoc caſu ſymptomaticam ſequentem morbum, à quo fit delirium, & hoc non eſſe ſymptoma febris; quod docuit *Hipp. lib.* 3. *de Morbis*, in illis verbis: *Phrenitides fiunt etiam ex aliis morbis, & ex inflammatione cerebri, & Diaphragmatis*; aliquando verò febris eſt eſſentia-

ſentialis, & delirium eſt ſymptoma, ut patebit inferiùs; in utroque verò caſu febris eſt acuta, quia ſi febris eſt ſymptoma, eſt ſymptoma morbi acuti, qualis debet eſſe ille, qui eſt cauſa delirii continui, & ſymptoma febrile naturam morbi retinet, vel ſi febris eſt eſſentialis, eſt cauſa ſymptomatis lethalis, delirii nempè, quod morbi acutiem arguit.

Diſtinguitur Phrenitis, à dictis ſuperiùs, deliriis, quia in iſtis non adeſt febris; diſtinguitur à deliriis contingentibus in febribus, quæ non ſunt continua, ſed declinante febre, remittuntur.

Morbum alicujus partis ſupponit Phrenitis, ſeu delirium continuum, cùm delirium ſit ſymptoma in actione læſa, & ſymptomatis eſſentia includit dependentiam à morbo. Hunc morbum eſſe inflammationem, omnes admittunt; in quanam verò parte ſit inflammatio, non eſt adeò certum. *Hipp.* videtur determinare pluribus in locis, inflammationem eſſe in Diaphragmate: *in ſec.* 7. *Aphor.* 11. *&* 12. ait: *A Pleuritide in Peripneumoniam malum*, *& à Peripneumonia in Phrenitidem*; & *in lib. de Affec.* ſcribit: *Fit hic morbus à bile*, *cùm mota viſceribus*, *& ſepto tranſverſo inſederit*; & *in lib.* 3. *de morbis*, deſcribendo Phrenitidis ſigna, inquit: *Septum transverſum dolet*, *ut ne contingere quidem permittant*; & *in lib. de Coac. n.* 3. *Phrenitici*, *qui cum dolore lateris non pleuriticò*, *& turbulentis lenibus*, *& tenuibus ſanguinem ſpuunt*: dolor lateris non pleuriticus, eſt dolor ſepti tranſverſi; & *Martianus in com. cit. ſentent. Hipp. lib.* 3. *de morbis*, ſcribit: *Hipp. viſum eſſe Phrenitidem à ſepti traverſi inflammatione quaſi ſemper oriri*; eò quia aſſerendo Phrenitides fieri ab aliis etiam morbis, deſcribit illam ſolùm, quæ ab inflammatione Diaphragmatis pendet, & iſtius curationem ſolùm tradit, quaſi in Diaphragmate eſſet ſola ſedes Phrenitidis; & *in cit. loc.* agendo de curatione Phrenitidis, ait *Hipp. Et ſiquidem fieri poterit ſurſum purgare*, *& per tuſſim*, *ac expuitionem ducere oportet*, *quemadmodum in Peripneumonia*. Ex quibus apertè patet agere de Phrenitide, ſola ab inflammato Diaphragmate pendente, & alteras prætcrire, cùm ea ſolùm à Diaphragmate pendens curari poſſit per tuſſim, & expuitionem; & *Ariſtoteles* 3. *de partibus Animal. c.* 10. ſcribit: *Diaphragma eſſe vocatum Phrenes*, quod fuit vocabulum *Platonis in Timæo*; eò quia cùm humores calidi colliguntur in parte illa, mens, & ratio offenditur, quaſi Phrenitis ſit paſſio Diaphragmatis. His authoritatibus Ariſtotelis, & Hipp. forſan motus *Etmullerus*, in ſuis ſententiis ſemper acutus, & ingenioſiſſimus, determinavit, *Phrenitidem eſſe ab inflammatione Diaphragmatis*, *& inflammationem Cerebri eſſe ſphacelum hujus*.

Verùm ſi ſtandum eſt ſententiæ Hipp. non una ſedes Phrenitidis, ut patet ex citata ſententia *lib.* 3. *de morbis*, *Phrenitides fiunt etiam ex aliis morbis*; & cùm fiat ſemper ab inflammatione, non poſſumus intelligere, niſi ab aliis partibus diverſis inflammatis; ergo non à ſolo Diaphragmate; quod verificatur *in Coac.* ubi ſcribit: *Phrenitidem vehementem dolorem capitis præcedere*: dolor capitis affectum cerebrum primariò demonſtrat, ſi præcedit Phrenitidem, cùm illam à Diaphragmate non præcedat; & ſi dolor circa ſeptum tranſverſum denotat inflammationem Diaphragmatis, dolor circa caput, cui ſuccedat delirium, & febris continua, inflammationem cerebri deſignabit; & *in lib.* 2. *de morb. Caput enim dolet*, *præ nimia excalefactione*, *deſipit ſanguine à bile*, *& pituita excalefacto in capite*, *& plus ſolito commoto*, *dolori capitis*, *& calorem*, *& delirium conjungi docuit Hipp.* Calor poteſt augeri ad febrilem, & erit febris cum delirio, duo Phrenitidis conſtitutiva & *de morb. ſac.* ſcripſit: *Cerebro*, *& inſanimus*, *& deliramus*, *& timores*, *& terrores nobis accedunt*. Et ſi Ermullerus admittit ſphacellum Cerebri, præcedit ſemper hunc inflammatio, & hac præſente aderit delirium, quia aderunt cauſæ, de quibus ſupra, & continuum cum febre, conſequenter Phrenitis ab inflammatione cerebri, quia tunc non eſt ſphacellus, ſed ſimplex inflammatio; & obſervamus in ſphacellis externarum partium prius præcedere illarum inflammationem; at cerebrum inflammationem pati, apertè determinavit *lib.* 3. *de morb. n.* 1. in his verbis: *Cùm cerebrum ad inflammationem tumuerit*. Præterquamquòd habemus ab obſervationibus Auctorum in Phreniticis defunctis, aperto capite, vel inflammationes, vel his æquivalens, ut tumores, abſceſſus, & venarum turgentiam obſervata fuiſſe, & etiam in Diaphragmate aliquando eadem inſpecta fuerunt.

Determinandum ergo ex Hipp. non unam eſſe, ſed variam ſedem Phrenitidis, & principalem Cerebrum, & Diaphragma; ideòque conſueta Phrenitidis, & Paraphrenitidis nomina eſſe retinenda, pro diſtinguendo delirio continuo à capitis, & cerebri læſione proveniente, quod dicitur per eſſentiam, & à delirio continuo à partium inferiorum læſione inducto, quod Paraphrenitis appellatur, quia per conſenſum, operatio rationalis Animæ in capite exercita læditur; tale nomen poteſt etiam donari deliriis in febribus excitatis, non continuis, tamquam ſi à Paraphrenitide denotaretur delirium omne per conſenſum, ſivè continuum, ſivè non continuum.

Cauſa Phrenitidis ab ipſo *Hipp.* colligitur *lib.* 1. *de morb. n.* 28. ubi habet: *Phrenitis hoc modo ſe habet*: *Sanguis*, *qui eſt in homine*, *maximam partem ad prudentiam confert*, *quidam dicunt totum*; *cùm igitur bilis commota ad venas*, *& ad ſanguinem ingreſſa fuerit*, *ſanguinem ex ſua conſueta compage*, *ac motione dimovet*, *& ſeroſum facit*, *& calefacit*; *calefactum verò totum percalefacit*, *& non ſibi conſtat*, *præ febris copia*, *& ſanguinis ad ſeroſitatem tranſmutatione*, *& motione non ſolita contingente*.

Clarè demonſtrat in hac ſententia cauſam Phrenitidis, & modum, quo fit: Primò febris copia, hoc eſt febris magna, & vehemens, qualis eſt à bile facta, prout explicat in dicta ſententia, & tranſmutatio ſanguinis ad eam malam conditionem, neceſſarium ad generationem, & conſervationem febris vehementis; & certè eſt magna tranſmutatio ſanguinis in febre magna, & vehementi, quia tranſit ab optima indole vitæ conſervativa, ad peſſimam vitæ inimicam, cùm talis febris ſit lethalis. Secundò, hanc tranſmutationem dicit eſſe ad ſeroſitatem. Per ſeroſitatem non intelligit ſerum aqueum, & frigidæ naturæ, quia hoc determinavit *lib.* 4. *de morb. num.* 23. *eſſe febri inimicum*, *& bili commixtum*, *priùs expirare*, *& reſolvi*, *antequàm bilis febrem accendat*; & adducit exemplum *de oleo aquæ mixto*, *quod non accenditur*, *niſi aqua evaporaverit*; quare per ſeroſitatem cenſeo intelligere magnam fluxibilitatem ſanguinis æqualem ſeroſitati, quam acquirit per magnam rarefactionem ad diſſolutionem tendentem, & deduco ab illis verbis ſententiæ, *eum à ſua compage dimovet*, *& calefacit*. Bilis non poteſt à ſua compage dimovere, & calefacere, niſi rarefaciendo, & attenuando, prout eſt proprium ſuæ naturæ, conſequenter per transmutationem ſanguinis ad ſeroſitatem, intelligenda eſt tranſmutatio ad magnam tenuitatem, & rarefactionem ejuſdem, quæ febribus magnis, & vehementibus ſemper unitur. Hujuſmodi tenuitas, rarefactio eſt via proxima ad diſſolutionem, & corruptionem ſanguinis, ad quam, ut plurimùm, pervenit ad ſeptimum diem in Phrenitide, cùm in hac moriantur plurimi, & longior terminus eſt undecima, ex eodem Hipp. Ratione iſtius tenuitatis, & rarefactionis contingit poſtea dimotio non ſolita, hoc eſt motus ſanguinis non ſolitus, tam circulationis, quàm fermentationis; omnia enim liquida ſpiritoſa, quale eſt ſanguis, per rarefactionem excedentem, & calorem velociùs moventur, & fervidiùs fermentantur, & effervefcunt. Hæc tria ſupponunt febrem acutam, vehementem, cum magna accenſione, exardeſcentia ſanguinis, ſpirituum tam vitalium, quàm animalium, & ſanguinem in ſua ſubſtantia, textura, motu, non in ſolis primis qualitatibus depravatum, & conſequenter ſpiritus vitales, & animales à ſanguine prodeuntes, non ſolùm in primis qualitatibus alteratos, ſed in propria ſubſtantia, textura, & motu vitiatos. Vitium tam ſanguinis, & ſpirituum eſt valida accenſio, & in hac accenſione particulæ excrementitiæ ſanguini ſemper mixtæ univerſæ exaltantur, vires acquirunt, & violenta actione ſanguinem, & ſpiritus perturbant, & vitioſam, depravatamque ſua mixtione ſubſtantiam ſanguinis, & ſpirituum reddunt. Quare concludendum eſt ex mente Hipp. cauſam Phrenitidis eſſe ſanguinis maſſam, ſpiritus vitales, & animales accenſos, & inflammatos, cum depravatio-

pravatione, & vitium eorum ſubſtantiæ, & motus, quorum cauſa, non ſolùm febris accenditur vehemens, & acuta, ſed operationes Animæ rationalis depravantur cum delirio, dum Anima pro rectâ ratione, & congruo diſcurſu indigeat, ſpiritibus puris, lucidis, ſubtilibus, moderatè calidis, & placido motu donatis; cùm verò in deſcripta ſanguinis conſtitutione ſpiritus evadant impuri, ob notatam ſuperiùs particularum excrementitiarum mixtionem, ob accenſionem fuligines admittentem, turbidi, & intensè calidi, & ab his omnibus unitis violento, irregularique motu moveantur, idcircò operationes Animæ rationalis depravantur cum delirio; & explicationi hujus inſervient omnia ſuperiùs dicta Intellectu, Melancholia, & Mania. Hanc Hipp. ſententiam ſecuti ſunt *Martianus in Com. lib. 3. de morb. verſ. 99. & Vvilliſ. in lib. de Anim. ſenſit. cap. de Phrenitide*; idcircò determinarunt, Phrenitidem non eſſe ab inflammatione membranarum cerebri, ſed ab inflammatione ſanguinis, & ſpirituum animalium, quorum effectus eſt delirium.

Verùm hæc ſententia, licèt in aliqua phrenitide, ex mente etiam Hipp. verificetur, ſi univerſaliter ſumatur, ut omnes phrenitides à ſola ſanguinis, & ſpirituum accenſione, & inflammatione oriantur, non eſt conformis doctrinæ Hipp. qua docuit, Phrenitidem ab inflammatione etiam proficiſci; quod clarè demonſtratur *à cit. ſuperiùs tex. lib. de Affect.* ubi habet: *Fit hic morbus* (& loquitur de Phrenitide) *à bile, cùm mota viſceribus, ac ſepto tranſverſo inſederit*. Si conſideramus hoc verbum, exprimit permanentiam, ſtationem, fixationem bilis in ſepto tranſverſo, à quibus neceſſariò inflammatio accenditur: Bilis fixa in ſepto tranſverſo fermentationem facilem ſuſcipit, hinc effervеſcit, excandeſcit, & putreſcit, cum tumore, calore, dolore partis, & febre, hæc omnia inflammationem manifeſtant, ut mox declarabimus, unà cum modo, quo febris fit ab inflammatione. Hipp. ergo docet, Phrenitidem fieri ab inflammatione ſepti tranſverſi à bile facta; & ab hac doctrina deduco in ſententia Hipp. neceſſe eſſe admittere Phrenitidem ab inflammatione membranarum cerebri; nam ſi phrenitis vitio diaphragmatis oritur ab iſtius inflammatione phrenitidis cauſa vitio cerebri, iſtius inflammationi tribuenda eſt.

Superiùs oſtenſum eſt, Hipp. admittere Phrenitidem à morboſa cerebri affectione, quia ſi bilis ex eodem Hipp. fixata in ſepto tranſverſo inflammationem efficit cum Phrenitide, poteſt bilis fixari in membranis cerebri, & inflammationem efficere cum Phrenitide: nec eſt aſſignabilis ulla repugnantia, per quam, talis inflammatio non poſſit fieri, quæ ſufficiat perſuadere, non dari Phrenitidem ab inflammatione membranarum cerebri; imò ab obſervationibus multis *Boneti in ſuo Sepulchro Anatomico de Phrenitide*, colligitur in diſſecto capite defunctorum à Phrenitide inventas eſſe inflammationes membranarum; & ab *Hipp.* colligitur *in citat. ſuperiùs ſentent. in Coac. deſcripta dolorem capitis vehementem Phrenitidem præcedere*; & certè non loquitur de Phrenitide à ſepto tranſverſo, quia *lib. 3. de morb.* ubi recenſet ſigna hujus Phrenitidis, de dolore capitis non facit mentionem, quapropter aſſerendum eſt loqui de Phrenitide à cerebro; & ſi hanc præcedit dolor capitis vehemens, hic oſtendit materiam acrem, vellicantem, qualis bilis infixam eſſe membranis cerebri, quæ ſolæ ſunt in hoc partes ſentientes, & cum eamdem ſedem, & doloris, & Phrenitidis ſtatuere debeamus, inflammationem etiam in membranis cerebri, in quibus adeſt dolor, exiſtere, determinandum eſt, quæ ſit Phrenitidis cauſa.

Tres Phrenitidis differentias, ex Hipp. doctrina, demonſtravimus: prima à ſanguine, & ſpiritu animali accenſo, & æſtuante: ſecunda à Diaphragmatis inflammatione: tertia à cerebri inflammatione, ſivè ſecundùm membranas, ſivè ſecundùm ſuam ſubſtantiam, cùm inflammatio, meo judicio, ſuccedat ubicumque fluit ſanguis: at cùm fluat per ſubſtantiam cerebri, patet etiam in hac fieri inflammationem, quæ eſt ſine dolore, cùm ſubſtantia cerebri ſit ſine ſenſu, niſi à vaporibus acribus putridæ materiæ inflammationem patientis, membranæ cerebri pungantur. Ab his differentiis tollitur omnis difficultas deſumpta ab obſervatione facta in diſſectione capitis Phreneticorum, in quibus nullum ſignum inflammationis in cerebro, & ejus membranis aderat, quod opponitur etiam Diaphragmati affecto, quia tunc delirium à ſanguine, & febre oritur; ubi verò obſervata ſunt ſigna inflammationis, ab hac ortam Phrenitidem credendum.

In prima differentia febris, eſt eſſentialis, in cæteris duabus ſymptomatica, quia pendens ab inflammatione, & ratione febris, ſivè eſſentialis, ſivè ſymptomaticæ, differt à Mania, & à Melancholia Phrenitis, quia in illis febris abeſt; & licèt in Mania ſanguinis fervor, & ſpirituum inveniatur, non eſt talis conditionis, ut febrilem calorem, vel effervеſcentiam promoveat, & accendat.

Modus, quo fit Phrenitis à ſanguinea maſſa, patet ex deſcripta Hipp. ſententia. Bilis, vel alimentalis, vel excrementitia ſanguinem ingreſſa, hoc eſt exaltata, & volatizata, & ut inquit *Hipp. de veter. medicin. ſecreta, vel diſgregata à cæteris humoribus, iſtis ſuperior evadit, & ſuis viribus oppugnat*; primo impetu à ſua compage dimovet fermentatione, & effervеſcentia præternaturali, cùm bilis exaltata vim fermenti retineat, à fermentatione, & effervеſcentia, calor ſanguineæ maſſæ, deindè totius corporis; & quia fermentatio, & effervеſcentia eſt excedens, hinc calor ſanguinis excedens, & intenſus, ac ſi ignis illo eſſet accenſus, talis calor accenditur quidem, dum à ſanguine fermentante, & effervеſcente, cum magna rarefactione exeunt particulæ calidæ, & igneæ in eo hoſpitantes in magna copia, quæ adinvicem congregatæ, & in ſuperficie ſanguinis natantes, tamquam flammam in eo accendunt, unde calor intenſus, & igneus: generati ſpiritus vitales, & animales ab hujuſmodi ſanguine ejuſdem conditionis exiſtunt; unde delirium oritur modo ſuperiùs deſcripto.

Modus, quo fit Phrenitis ab inflammatione, apparebit explicato modo, quo fit inflammatio. Inflammatio fit, quando ſanguis in aliqua parte ſtagnat, & circulationis motum amittit. Stagnare dicitur in parte, quando in iſtius porroſitatibus, vel vaſis fixatur, permanentemque ibi figit ſtationem; ita deſcribit *Hipp. Anginam*, quæ eſt inflammatio, *in lib. 2. de morb. n. 9.* dicendo: *Fit Angina, cùm pituita in capite commota acervatim deorſum fluxerit, & in maxillas, ac circa collum conſtiterit*; & clariùs locutus eſt *lib. de vict. rat. in acut. n. 39. Angina fit, cùm fluxio ex capite multa tempore hyberno, aut verno ad venas jugulares influxerit*; & ſubjungit. *Cùm autem frigida, & glutinoſa ſit* (fluxio nempè) *ſpiritibus tranſitum obturabit, & ſanguinis tranſitum obturans, propinquas partes ſanguinis congelat, ipſumque immobilem, ac ſtabilem facit*. Hæc ſtagnatio fit, quando arteriæ capillares, per quas in partem exundat, ſunt obſtructæ, vel compreſſæ, & earum extrema orificia occluſa, ut ſanguinis effuſio prohibeatur, vel quando orificia venarum capillarium non patent, ſed occluſa impediunt, ne ſanguis ab arteriis effuſus in partem recipiatur pro circularis motus continuitate, & in utroque caſu ſanguis ſtagnare cogitur in parte, in qua obſtructa eſt arteria, vel vena à ſtagnatione inflammatio, cùm inflammatio fiat, *ex Hipp. lib. de Glandul. n. 6. quando ſtabilis humor exiſtit*.

Remanet etiam ſanguis in porroſitatibus partium, & ſtagnat in his duplici de cauſa, præter obſtructionem dictam venarum, & arteriarum. Prima eſt, quando in maxima copia, & celeri curſu in partem effunditur, itaut venæ non ſint capaces reaſſumendi totam quantitatem effuſam, ſed remanente in parte portione iſtius, & cùm effuſio ſanguinis in partem ſit frequens quia in omni conſtrictione arteriæ ſuccedit, ſi in omni effuſione portio ſanguinis remanet in parte, citò in hac ſanguinis copia cumulatur, hanc in tumorem extollens; & hoc modo fit inflammatio in illis, qui violento motu fuerunt exercitati, vel calido cibo, & potu ſe replevere; excalefactus enim ſanguis, & rarefactus, veloci motu circulationem peragit, unde dicta incommoda, velut inflammatio, & faciliùs accidunt, ſi ſtatim à concepto calore aeri frigido ſe exponant, quia ab iſto incraſſatur, & coagulatur ſanguis in parte effuſus, ut venas ingredi non poſſit. Secunda, quando ſanguis ab arteriis effuſus in partem talis eſt conditionis, ut ſtatim craſſeſcat, neceſſe eſt, ut in parte ſtagnet, & motum amittat.

tur. Hanc conditionem ſanguis accipit à viſciditate, & craſſitie contracta, quæ à calore vaſorum, vel à ſpiritu ſalino attenuante ſanguini mixto moderata, fluxibilitatem in vaſis dictis non impedit ſanguini. Ubi hic fuerit in partes extra vaſa effuſus, & expiraverit calor, & ſpiritus ſalinus, craſſitiem recuperat, motum amittit, & ſtagnat, eo modo quo cera à calore liquefacta, & fluxibilis reddita, calore evaporante craſſeſcit, & ſolida ſine motu redditur. Dictam conditionem recipit etiam ſanguis ab acido ei conjuncto, cujus proprium eſt fixare, iſta actio prævalente ſpiritu balſamico in ſanguine impeditur; hoc verò diſſipato, in effuſione ſanguinis in partes prævalet acidum, & tunc ſuam actionem in eum exercet, fixando, & coagulando ſanguinem, in quo deliteſcit. Fixato ſanguine, ſeu coagulato modo dicto impedimentum ponitur circulationi ejuſdem, & cumulus iſtius fit in parte, in qua coagulatur, cum tumore, calore, & rubore, quæ ſunt inflammationis characteres. Hac de cauſa, & hoc modo fiunt inflammationes in eis craſſo, & acido ſanguine redundantibus, & à frigore externo humores condenſante, qua de cauſa hyeme magis, quàm æſtate inflammationes graſſantur.

Sanguis ita collectus in parte, & in hac ſtagnans modo dicto, motu inteſtino ſuarum particularum fermentat, & paulatim ad fervorem pervenit, & pro particularum calidarum explicatione, & quantitate incaleſcit, & efferveſcit, & explicatis ſemper magis particulis cum fervore, & calore intumeſcit, unde *tumor*, *calor*, *& cum hoc rubor partis*, quæ ſunt tria inflammationi ſemper conjuncta. A calore, & fervore ſtagnantis ſanguinis circumſtantium partium, & ſanguinis contenti calor ſummoperè augetur, & alius ſanguis per circulationem adveniens eiſdem partibus pari incaleſcentia afficitur, & ſic paulatim tota maſſa ſanguinis extraneo calore accenditur, qui ſibi ipſi augmentum parat, dum calore à parte, in qua fervet ſanguis ſtagnans ſuſcepto, alias particulas calidas ſuo quieſcentes in ſinu excitat, quæ unitæ, eis in ferveſcente ſanguine natantibus modo dicto, excedentem, & intenſum calorem accendunt, cum febre acuta.

Hæc doctrina deſumpta eſt ab *Hipp. lib.* 4. *de morb. n.* 25. ubi, docendo modum generationis febrium, habet: *Aut aliqua corporis parte firmatus* (loquitur de humore turbato) *unà cum alio humore, cum quo eſt in alio loco dolorem, ac calorem exhibet*; *ille verò, qui calefactus eſt locus, reliquum quidem locum calefacit, & ex hoc febris oboritur*. Interim particulæ ſanguinis in parte exiſtentis fermentatione, & efferveſcentia nova ſubeunt mixtionem, & in alterius naturæ fluidum tranſeunt, quod dicitur pus, vel quid huic correſpondens, & hac mixtione peracta ceſſat dolor, calor, & tumor, quia particulæ, quæ diſgregatæ in efferveſcentia ſanguinis moleſtiam inferebant, unitæ ab hac ceſſant, & materia tunc per aliquam partem expellitur, vel à calore reſolvitur.

Hoc modo fiunt omnes inflammationes, & illæ Diaphragmatis, & membranarum cerebri, à quibus Phrenitis reſultat cum febre acuta, & quamvis quandoque in Diaphragmate, & membranis cerebri appareat ſimplex veſtigium ſanguinis ſuperficiale, & ſine tumore in anguſto ſpatio, inflammatio tamen eſt dictorum ſymptomatum cauſa: ſcintilla ſufficit ad excitandum magnum incendium; ita parva inflammatio ad febrem acutam promovendam, ſi ſanguinis maſſa fuerit diſpoſita ad valdè incaleſcendum, & efferveſcendum, utpotè abundans particulis calidis, & ſulphureis, quæ magno incendio materiam ſubminiſtrant, ſicuti acervus paleæ minimæ ſcintillæ igneæ materiam magni incendii parat; quod obſervamus quotidiè in Eryſipelate partis externæ anguſto etiam ſpatio circumſcriptæ, à qua febris ardens excitatur, & ſpina digito infixa, inflammatione inducta, vehementem efferveſcentiam maſſæ ſanguineæ imprimit.

A febre acuta, inflammationem ſequente diſpoſitus ſanguis, & ſpiritus vitalis, & animalis, modo ſupradicto fit delirium, & continuum, quia continua eſt cauſa, febris nempè, & inflammatio.

Licèt Phrenitis à multis morbis oriatur, quorum ſedes eſt varia, ut colligitur ex dictis nihilominus cenſeo Phrenitidis, quatenus delirium continet ſubjectum eſſe cerebrum, quia hoc numquam inducitur, niſi læſis, & depravatis ſpiritibus animalibus, quorum ſedes, & ſubjectum primum eſt cerebrum, quapropter hoc erit ſubjectum verum, & principale Phrenitidis, ratione delirii; ſi verò conſideremus cauſam conjunctam, ſubjectum dicendum erit illa pars, in qua hæc permanet, & ratione iſtius appellanda Phrenitis, vel per eſſentiam, qualis eſt, quæ cerebro inflammato fit, vel per conſenſum, qualis ea, quæ vel à febre, vel à Diaphragmate inflammato oritur.

Cauſa Phrenitidis à febre, explicata fuit ab Hipp. nempè bilis; hujus generatio pendet à temperamento bilioſo, ab ætate juvenili, à cibo, & potu calidiori, ira intenſa, ſuppreſſa.

Cauſa Phrenitidis ab inflammatione, eſt ſanguis extravaſatus, & fixatus in parte, & cauſæ ſunt recenſitæ ſuperiùs de inflammatione.

Signa Phrenitidis in genere, ſunt, delirium continuum, febris vehemens, vigilia, reſpiratio magna, & rara.

Signa Phrenitidis in febre acuta, ſunt, febris acuta in prima invaſione, oris ſiccitas, & faucium; pulſus eſt magnus, ob magnam ſanguinis efferveſcentiam febrilem, & bilis incendium; urinæ decolores nigra innatantia in medio habentes, pellucidæ, & albæ, cùm, ob febrilem æſtum maſſæ ſanguineæ, nulla fiat ſeparatio humoris, niſi puri ſeri.

Signa Phrenitidis ab inflammatione, ſunt, dolor capitis præcedens acutus, oculi, & facies rubra, ſitis parva, calor magis intenſus in capite, quàm in aliis partibus, æger capillos ſibi evellit.

Signa inflammationis Diaphragmatis in Phrenitide, dolor in regione ſepti tranſverſi, ut neque ſimplicem tactum, ſine doloris exacerbatione admittant ægri; reſpiratio valdè difficilis, tuſis ſicca.

Prognoſtica, morbus eſt lethalis, ideò in hoc ſemper timendum de ægri vita, & præcipuè ſi tremor in manibus, & lingua, convulſio in aliqua parte appareat; rigor initio morbi apparens, floccos, & feſtucas colligere; ſanguinis ſtilla è naribus, & continuum aquæ ſtillicidium è naribus, urinæ albæ, & pellucidæ, albæ dejectiones malum ſignum, & lethale exhibent; ſi inſomnia evidentia appareant, bonum ſignum, ſicuti ſi hæmorrhoides rumpantur.

Curatio, cuilibet differentiæ ſua debetur: in Phrenitide à febre acuta, fervor, & æſtus ſanguinis attemperandus, ſpirituum motus, & excandeſcentia moderanda, bilis attemperanda, & evacuanda.

Primam indicationem implet miſſio ſanguinis, qua nil citiùs ſanguineæ maſſæ æſtum reprimit, & inordinatam efferveſcentiam moderatur; ita *Hipp. In Cerebri tumore ab inflammatione parùm diſtanti, lib.* 3. *de morb. n.* 1. *ſanguinem mittit*. Ad declinandam majorem bilis excandeſcentiam, quam timuerunt Antiqui à ſanguine miſſo in quantitate, mittatur, ſed qualem vires permittunt, quæ ſi fuerint robuſtæ, ad libras mittendus; prima miſſio à pede, ſecunda à brachio, quibus addatur tertia ab hæmorrhoidibus, & ultima à venis frontis, ratione delirii. Remedia huic indicationi convenientia, erunt dicenda de ſecunda, & tertia indicatione.

Secundæ ſatisfaciunt omnia refrigerantia, & opiata quæ in hoc morbo ſunt propria, & præcipuè *Laudanum Cydoniatum*, *& Philonium Perſicum*, *& Syr. de Meconio*, & ab hoc incipiendum, miſcendo aquis refrigerantibus.

℞. *Aq. Lactuc.*
Nymphea
Endiviæ } *a* ℔. ß.
Syr. de Meconio ℥. *i. m.* exhibenda bis in die.

℞. *Succi Sempervivi*
Portulac.
Plantaginis } *a.* ℥. *ii.*
Decoct. Santal. rub. ℥. ß. *m.* cui addatur *Laudanum Cydoniatum ad gutt. vi vel viii.*

Camphora etiam diſſoluta admiſcenda in omni medicamento alterante, vel ejus Spiritus, ex aliquorum conſilio, vel eiſdem Aquis diſſolvenda ℨ. ß. *Philonii Perſici*; vel

℞. *Sem. quatuor frigid. ad* ℥.*ii.*
Sem. Papaver. ℥.*ß. contund. & diſſol. in Aq. Papaver. erratici* ℔.*i.*
Laudan. Cydoniat. gutt. vii. in principio minori doſi propinanda opiata, & hæc unica vice exhibere in die ſatis eſt.

Extrinſeca etiam in hunc finem applicari poſſunt capiti, ut *pulpa panis lacte madefacta, & ſucco Apii, addito ad formam emplaſtri, ſicut Recocta, cum Oleo de Papavere in emplaſtrum efformata, & capiti applicata. Decoctum Fol. Salic. Roſ. Sedi major. Lactuc. Capit. Papaver. Rad. Mandrag. Sem. Juſquiami, Acet. q. ſ. fomententur caput, & teſtes.*

Tertiam indicationem perficiunt omnia refrigerantia, & acida, inter quæ *Decoctum Tamarindorum* ſummè valet, *Serum diſtillatum*, cui admiſceatur *Succus Granatorum ad aciditatem*, *Aqua Nocera*, *admixta Tinctur. Roſar. & Santal. rub.* & hæc ſerviant pro potu quotidiano, pluries in die ſumendo; pro frænanda enim bilis ferocia, maſſam ſanguinis in tumultus evocantem, remedia in quantitate magna requiruntur, ut adnotavit *Hipp. lib.* 3. *de morb. in fine*, agendo de potionibus frigeſactoriis in febre ardente, quia inquit, *vel vomitum, vel urinam, vel alvum movebunt*, & ait, *dabis, quando volet*, quod puto intelligendum de quantitate magna; nam niſi per hanc, vel vomitum, vel urinam, vel alvum movebunt, & ibi *viginti tres formulas potionum* deſcribit, quas poterit videre Lector, & ad harum imitationem potiones præſcribere ſuaviores, & hæc primæ indicationi, præter ſanguinis miſſionem, ſatisfaciunt.

Quoad quartam indicationem, purgatio convenit bili, tamquam cauſæ morbi, cum ſuppoſitione bilem peccantem, & febrem accendentem eſſe excrementitiam, vel cum diſpoſitionibus proximis, & ultimis, ſi ſit naturalis, ad illius naturam ſuſcipiendam, cum dictis qualitatibus faciat febrem, in quo caſu conſideranda tamquam excrementitia, cui propriè, & præciſè debetur purgatio; non convenit tamen in principio, quia non adhuc præparata ad exitum, nec concocta, ſed cruda, quia ſanguini mixta, & confuſa, licèt diſgregata, ideò neceſſe eſt, ut ſecernatur, & ſeparetur à maſſa ſanguinis, conſiſtente concoctione humorum in maſſa ſanguinis exiſtentium, cum morbi productione in ſeparatione à dicta maſſa, & hæc non contingit, niſi declinante febre, & delirio, & ſignis concoctionis in urinis apparentibus; nec valet ratio bilem, ob ſui tenuitatem, & facilitatem ad motum, ſemper eſſe præparatam ad purgationem, quia dicta ratio valet pro bile quieſcente; non pro bile in motu, unà cum maſſa ſanguinis exiſtente, & in motu effræni efferveſcentiæ, qualis eſt ille in febre acuta, cùm dictus motus impediat ſeparationem bilis ab aliis humoribus à virtute purgantis peragendam; error ergo pernicioſus, eſt purgationem bilis in principio morbi tentare, ob allatas rationes. Video tamen *Hipp. in lib.* 3. *de morb.* agendo de febre ardente, primis diebus purgationem imperare *deorſum*, & puto loqui de purgatione *lenitiva*, vel de purgatione; quæ valeat ſolùm educere bilem à Cyſtifellis, ut evacuata, & exinanita Cyſti, & pori biliarii ramificationibus, alia à ſanguine horum inſtrumentorum ope ſeparetur, cum minoratione bilis in ſanguinis maſſa efferveſcentis, & præcipuè ſi bilis redundantia in primis viis appareat, quæ verè ſui purgationem indicat, quia eſt ſeparata à maſſa ſanguinis, ſi exiſtit in ventriculo, in inteſtinis, in Cyſtifellis; has enim partes primas vias appello; & convenit in hoc caſu ſententia *Hipp. In principiis morborum, ſi quid videtur movendum move;* febre verò ad ſtatum pergente, *neque Clyſterem ad purgationem faciendam adhibueris*; leniens ergo medicamentum, ut *Caſſia, Manna, Syr. Roſ. ſol.* exhibendum, poſitis dictis conditionibus, in fine verò febris purgans exhibendum.

Curatio Phrenitidis ab inflammatione cerebri, indicat revellendum eſſe, & derivandum ſanguinem primò; ſecundò ſpirituum animalium incaleſcentiam, & fervorem, & agitationem moderandam; tertiò materiam in membranis fixam reſolvendam; quartò reliquiæ humorum in venis exiſtentium purgandæ.

Quoad primum, mittendus ſanguis à parte longinqua, à pede nempè pro revulſione, & iteranda à brachio pro derivatione, & poſtea à venis frontis, vel naſi, cum hyrundinibus, vel cum calamo in formam ſtellæ diſſecto, & vi in nares impulſo, prout narrat *Zacutus*, & hoc pro viciniori derivatione. Aliqui arteriam temporalem ſecant, quam non cenſeo improbandam, cucurbitulæ ſcarificatæ in occipite, ſcarificationes crurum. Veſicantia noxia judico, quia ſpiritus, ratione doloris, magis efferatos reddunt, & cantharides ſanguinis turbationem, & agitationem ſuo ſale volatili fovent. Purgatio, neque in principio convenit, quia hic agitur de inflammatione, in qua purgationem *Hipp.* 4. *acut.* prohibuit.

Quoad ſecundum, conveniunt omnia tam interna, quàm externa ſuperiùs deſcripta; ſolùm adnotandum eſt, cum cautela opiatis utendum; ſomnum enim promovendo, figunt magis humorem impactum, & novum illi addunt, cùm verum ſit à ſomno caput repleri, idcircò iſtis utendum interpolatè, & in minori doſi.

Quoad tertium, dictis externis refrigerantibus admiſcenda, quæ reſolvendi facultate pollent in fine augmenti, ut eſt *Aqua Lavendulæ, Majoranæ, Pulegii, Ol. Camomil. Aneth. de Caſtor.* in hunc finem adhibentur *Columbi, Catuli per medium diſſecti, & capiti calentes applicati, & pulmo animalis interfecti ſtatim calens apponatur capiti*, qualibet hora hæc mutanda, quia citò putreſcunt, & putridus vapor noxius. Valet ſequens fomentatio:

℞. *Moſchi gr. xii.*
Camphor. gr. xx.
Aq. Roſar. Tinct. Santal. rub. imprægnat. ℥. *xx.*
m. applicetur ſæpè capiti deraſo.

Quoad quartum, nempè quoad purgationem, in declinatione morbi eſt peragenda, ad purgandas reliquias inflammationem parientis humoris, & etiam ad ea excrementa è corpore expellenda, quæ ab immoderato ſanguinis fervore, & efferveſcentia, torrefactione fuerunt cumulata, & à maſſa ſanguinis ſegregata. Tempus pro hac purgatione eſt declinatio morbi, non expectata iſtius eradicatione, ne dicti humores recrudeſcant, & ſaltem minorativa, ſi non eradicativa purgatio inſtituenda.

Curatio Phrenitidis ab inflammatione ſepti tranſverſi, ultimo loco remanet abſolvenda. Hanc proponit *Hipp. lib.* 3. *de morb.* & miſſionis ſanguinis non meminit; puro tamen comprehendi hanc differentiam ſub generali ſententia ab *Hipp. in* 4. *ſec. de vict. rat. in acut. num.* 35. deſcripta ſub his verbis: *Verùm in acutis morbis venam ſecabis, ſi vehemens appareat morbus, & qui ipſum habent, in vigore ætatis fuerint, & robur ipſis affuerit*; cùm verò Phrenitis, de qua agimus, ſit morbus acutus, vehemens, ut docet *Hipp. cit. lib.* 3. *de morb. verſ.* 9. his verbis: *Morbus autem lethalis eſt; moriuntur enim tertia, aut quinta.*

Poſt ſanguinis miſſionem purgandum patientem per vomitum, *Hipp.* imperaſſe aliquibus videtur *cit. loc.* dicendo, *& ſiquidem fieri poterit, ſurſum purgare*, exiſtimantibus, purgationem ſurſum eſſe purgationem per vomitum; ſed hi valdè allucinantur: Primò, quia purgationem in principio inflammationis omninò condemnat in *lib. de rat. vict. in acut. n.* 36. apertiſſimis verbis, quia materia faciens inflammationem, non eſt cocta, ideòque non eſt purgationis capax; hæc ratio efficaciſſima ab Hipp. allata contra purgationem per alvum in inflammatione, valet etiam contra purgationem per vomitum. Secundò, ab iſtis malè intelligitur ſententia Hipp. nam ſurſum purgare, dicitur etiam de purgatione per ſputum: purgatio per ſuperiora, non connotat ſimpliciter, & ſemper purgationem per vomitum: imò quando Hipp. imperat purgationem per ſuperiora, intelligendo per vomitum, adjungit ſemper remedium aliquod vomitivum, quod cùm reticeat hoc in loco, non eſt cenſendum per purgare ſurſum, intelligere purgandum eſſe per vomitum, ſed potiùs per ſputum; & manifeſtum fit ab illius verbis, quæ ſunt: *Surſum purgare, & per tuſſim, & ſpuitionem educere oportet, quemadmodum in Peripneumonia;* & ly *&*, non ſumendum disjunctivè, ſed conjunctivè, itaut ſenſus ſit, purgandum eſſe ſupra per tuſſim, & ſpuitionem, ſi fieri poterit, ideſt

ideſt ſi materia in Diaphragmate fixa, fuerit diſpoſita ad exitum per pulmones. Supponit enim materiam in ſepto tranſverſo contentam, & inflammationem facientem, per pulmones poſſe expurgari eo modo, quo creditur, materiam inflammationis pleuræ per pulmones tuſſi expurgari; adeò enim contigua ſunt ſeptum tranſverſum, & pulmones, ut materia in una parte contenta alteri communicari poſſit, ut per Hipp. demonſtratur, dum vult Peripneumoniam in Phrenitidem à Diaphragmate inflammato, & Phrenitide in Peripneumoniam tranſire. Hic tranſitus proximitatem ſupponit, & talem confirmat experientia, qua ſepiſſimè obſervati ſint pulmones Diaphragmati uniti; & talem vicinitatem oſtendit *Hipp.* dum *in cit. loc.* ait: *Per tuſſim, & ſpuitionem ducere oportet, quemadmodum in Peripneumonia.* Hujuſmodi eductio materiæ non evenire poteſt, niſi Diaphragma, & pulmones proximi ſint. Quæ purgant per ſputum, à dicendis de Peripneumonia deſumenda.

Modus hujus tranſitus materiæ à Diaphragmate in pulmones, non poteſt inveniri, niſi in expiratione, in qua, Diaphragma ſurſum elevatum, pulmones tumidos aere comprimit, & compreſſione exitum aeris contenti coadjuvat. In hoc contactu poteſt humor Diaphragmatis pulmoni adhærere per ignotos nobis ductus ad bronchia permeare, à quibus poſtea per tuſſim expellitur; quapropter, ratione vicinitatis materia in Diaphragmate contenta, poteſt per pulmones ſputo expurgari.

Alterantia præmittit purgationi ſurſum per ſputum externa, & interna. Externa ſunt fomenta, ab Hipp. *calefactoria* dicta, calida, & humida, quæ ſunt etiam anodyna, ad calorem inflammatæ partis mitigandum, qui adeò eſt intenſus, ut de leni contactu in parte affecta ſummoperè conqueratur patiens; ſed magis ad diſponendam materiam inflammationis ad concoctionem citam, ut per ſputum citò poſſit purgari. Horum deſcriptionem prætermittit, ſed ſufficit medicamenti qualitatem deſignaſſe. Hujus conditionis eſt Decoctum tepidum *ex Malva, Althæa, Fœnu græco, Anetho, Meliloto, & Spongiis, vel linteis in hoc madefactis, partem circa ſeptum tranſverſum fomentare, vel Unguento pectorali, cum pinguedine Anſeris, Butyro recenti, & Oleo Amygdal. linimentum parare*, ad inunctionem partium circa Diaphragmatis regionem exiſtentium; & potionibus ejuſdem generis interiùs exhibitis, dolorem lenire, & ſputum promovere ſtudet: hujuſmodi potiones erunt, *Aqua pectoralis, Aqua Hordei, cum Liquiritia, & Ficubus ſiccis; Aqua Mulſa, Succus Raparum, cum Aqua Tuſſilaginis; Decoctum Malvarum, Parietariæ; Decoctum Paſſul. in Aqua Farfaræ.* Hæc exhibenda ſæpè; nam ſi humectatio facienda potionibus, hæc, niſi in magna quantitate exhibitæ, humectant. Magnam humectationem Hipp. inculcat inferiùs, quia, cùm in hoc morbo adſit febris acuta, & ſedes ejus ſit in parte membranoſa, & muſculoſa, iſtarum exſiccatio, cum convulſione imminet, à qua humectantia copioſa præſervant. A potionibus excludit vinum, quod concedit in Pleuritide, & Peripneumonia, & rationem hujus reddit *lib. 3. de affect. verſ. 97.* quia vinum mente motis nocet, dum ratione ſui ſpiritus valdè volatilis, & activi, ſpiritus animales turbat, & ſuis evaporationibus eoſdem impuros, & tenebricoſos reddit quod in ebriis manifeſtum fit: cùm in hoc morbo adſit motio mentis, vinum eſt interdicendum, quod confirmavit etiam de Peripneumonia, concedendo vinum, dummodò mens ſana ſit.

Ultimum præceptum relictum ab Hipp. pro curatione hujus morbi, eſt, ſi per tuſſim, ac ſpuitionem educere, ſicut in Peripneumonia, purgare non valemus materiam in Diaphragmate contentam, ut alvum infernam præparemus, ut egerat, & nil aliud intendit, quàm alvum lubricam ſervare.

CAP. XXI.

De Lethargo.

HUnc affectum Græci explicant per diffidiam obliviofam, vel per oblivionem, & inertiam; Latini, per gravem, & altum ſuporem; nunc Veternum appellant, à Veteri, ideſt Senecto, quod præſertim Seneſcentibus hoc mali genus familiare eſſe ſolcat. Omnes verò conveniunt.

Eſſe *Inexpugnabilem in ſomnum propenſionem, cum delirio, torpore, oblivione, & febre continua.*

In quo conſiſtat *Inexplebilis in ſomnum propenſio*, patet ex dictis de Somno naturali, & de Comate ſomnolento, quapropter ea non repetam; ſolùm dicam, eſſe obſtructionem invincibilem fibrarum cerebri, vel ſpirituum magnam deficientiam, vel eorum oppreſſionem à virtute narcotica.

Reliqua definitionis verba, cauſarum indagatio, & determinatio explicabit.

Hipp. in lib. de Homin. ſtruct. n. 3. docuit Lethargum eſſe *Cerebri paſſionem, & fieri cùm cerebrum frigidis humoribus repletum fuerit.* Per frigidos humores, poſſumus intelligere humores, in quibus deficiunt particulæ ſpiritoſæ, à quibus ſpiritus animalis elaboratur, in cujus deficientia ſubſident fibræ cerebri, cum obſtructione, à qua ſomnus, modo deſcripto de Somno naturali, & hoc modo ſuccedit lethargus in febre maligna. Ab eodem humore fibrulas cerebri, & nervos obſtruente, & impediente copioſum fluxum ſpirituum, per hos non tenduntur, nec turgent, ſed laxi, & flacidi remanentes ligamentum ſenſibus externis texunt, & conſequenter etiam internis. Poſſumus etiam intelligere humores ſeroſos, & pituitoſos, cùm valeant prædictam obſtructionem parere. Hanc Hipp. ſententiam confirmant plures obſervationes *Schenkii, Boneti in ſuo Sepulch. Anatom.* quibus manifeſtum fit, pluries in Lethargicis defunctis repertum fuiſſe Serum in Cerebri ſubſtantia exundans, vel in ſuis ſinuoſis gyris, vel in ventriculis; vel pituitam.

Hanc Hipp. ſententiam amplexus eſt *Vvillius de Lethargo*; præter humorem ſeroſum redundantem, addit vitium organicum, nempè dilatationem porroſitatum cerebri, & expanſionem ſuorum gyrorum, à quibus via paratur humori ſeroſo ad inundandam cerebri ſubſtantiam.

Sylvius Le Boe, humorem ſeroſum, pituiroſum frigidum pro cauſa lethargi admittit; ſed huic adjungit mixtionem bilis, quam qualitate narcotica præditam cenſet, cui ſententiæ repugnat ipſius bilis natura. Sed etiam ſi daretur bilem narcoticam eſſe, non alio modo, ab hac fieret Lethargus, quàm illo, quo fit, ab humoribus frigidis.

Ad humores frigidos reduco ſanguinem pituitoſum lentè circulantem per vaſa membranarum cerebri, unde iſtarum plenitudo oppreſſione debilitat motum dictarum membranarum, adeòut per ipſarum motum pauca materia pro generatione ſpirituum animalium in glandulas corticalis ſubſtantiæ impellatur; hinc pauca copia ſpirituum animalium generatur, pauca ad medullam oblongatam impellitur, quapropter deficiunt nervis ſenſoriis ſpiritus pro neceſſaria turgentia, & tenſione ad recipiendas affectiones ſenſibilium ad ſenſum perfectum requiſitas, & ad eas deferendas ad ſedem ſenſus communis, & conſequenter tam ſenſus externi, quàm interni à ſua actione deſiſtunt, & tamquam ligati quieſcunt cum ſomno. Idem ſanguis lentè circulans per ſinus membranæ duræ cerebri, in copia colligitur in iſtis, & præcipuè in ultimo ſinu, & dicta copia premendo ſubjectam cerebri ſubſtantiam ſemi obſtructionem in fibris illius parit, per quam niſi parva quantitas ſpirituum admittitur ad medullam oblongatam, cum ligamento ſenſuum modo dicto.

Poſita hac Hipp. ſententia, magna oritur difficultas circa cauſam febris, cùm hæc ab incaleſcentibus humoribus, non à frigidis, à quibus Lethargus, oriatur. Hæc unio febris cum lethargo, Medicos in varias diſtraxit ſententias: Alii determinarunt, in lethargo eſſe inflammationem, ſicut in Phrenitide, differentem ſolùm ratione humoris, in hac bilem, in illo pituitam inflammationem facere ſenſerunt; Alii non videntes ſigna inflammationis in lethargo, & repugnantiam, quam habet humor frigidus ad inflammationis generationem ratione naturæ illius, & exigentiæ iſtius, ſtatuerunt, febrem fieri à putreſcentibus humoribus frigidis in capite, qui, ratione putredinis, febrem pariunt, ratione ſuæ ſubſtantiæ obſtruentis porroſitates cerebri lethargum, quæ ſententia acriter impugnatu à *Platero tom. 1. cap. 2. de mentis conſternat.* rationes in eo videndæ, quibus con-

convinctus determinat, omnem lethargum eſſe ſymptoma alicujus febris, cùm videamus in principiis multarum febrium ſomnum febricitantem invadere, & ſi talis cauſa perduraret, lethargus excitaretur. Alii, referente Vvilliſio, lethargum à Diaphragmatis læſione voluerunt, lethargum per eſſentiam rejiciendo.

Verùm cùm omnia lethargi ſymptomata explicari poſſint per cauſam ab Hipp. aſſignatam, hanc ſolam ſuſtinendam eſſe judico, ſine inflammatione. Ab humore ſeroſo in ſubſtantia cerebri ſomnum fieri, jam dictum; oblivio fit ab eodem humore plicaturas fibrarum cerebri, in quibus phantaſmata reſervantur memoriæ inſervientia diſſolvente eo modo, quo videmus plicaturas panni linei per immerſionem in aqua obliterari, ut videbimus de memoriæ læſione his plicaturis obliteratis, ſeu phantaſmatibus rerum imaginibus diſſolutis, neceſſe eſt, ut contingat oblivio illarum rerum, quarum phantaſmata erant imagines; ſic ſtupor ab eodem humore nervos laxante, ut non poſſint ad eam contractionem reduci, neceſſariam pro ſenſu perfecto, ut explicandum eſt Diſſertatione de Stupore. Febris cauſa, in qua eſt difficultas, facilè invenitur, conſiderando humorem effuſum in ſubſtantiam cerebri, ibi fermentatione concepta, ut moris eſt, omnium humorum extra proprium locum exiſtentium quieſcentium, qualitates pravas, & fermentativas ſuſcipere; & quia iſtius portiò unà cum ſanguine à venis excipitur, ſua virtute fermentativa febrilem in maſſa ſanguinea excitat effervefcentiam, & hoc modo abſque inflammationis admiſſione explicatur febris, ſicut etiam explicatur, ſi dicamus à ſero, & pituita fermentante in ſubſtantia cerebri particulas fermentativas ſanguini in vaſis cerebri exiſtenti inſpirari, à quibus febrilis effervefcentia inducitur. Delirium pendet à phantaſmatibus incongruis, & ſunt parvæ reliquiæ eorum, quæ obliterata fuerunt, quæ dimidiatæ remanſerunt, & plures plicaturæ dimidiatæ, & impreſſæ in eadem fibra ad motum iſtius excitatæ, eodem tempore phantaſma abſurdum componunt, unde delirium modo ſupradicto de delirio, nec dicta phantaſmata poſſint corrigi ab Intellectu in ſuis operationibus deficiente, ob ſpirituum animalium vitium. Cùm ergo poſſint explicari omnia ſymptomata in lethargo concurrentia dependenter à cauſa ab Hipp. determinata ſine inflammatione, hæc rejicienda à lethargo.

Cauſæ externæ erunt omnia illa, quæ humorem ſeroſum, vel pituitoſum fluidum in corpore cumulare valent, ut nimium otium, immoderata Venus, ſomni longi, nimia potatio, & crapula, & alimenta, & medicamenta, quæ lentorem, craſſitiemque ſanguini tribuunt, cum vitio tardæ circulationis, & quæ ſpiritus diſſipant, ut vehementes labores, animi paſſiones, Venus immoderata, & quæ eos fixant, vel torpidos reddunt, ut narcotica.

Lethargum per conſenſum, admittit *Hipp. in lib.* 3. *de morb. n.* 5. & à pulmonibus, hiſque verbis explicat: *Morbi Lethargi appellati ſtatus idem eſt, qui Peripneumoniæ. Verùm difficilior, & non omninò liber, ac remotus eſt ab humida Peripneumonia, ſed multò tardior eſt morbus. Patitur autem hæc æger, tuſſis, & ſopor ipſum tenet, & ſalivam liquidam, ac multam educit, & vehementer impotens eſt, & cùm moriturus eſt multùm, atque id liquidum infra egerit*; & *lib.* 2. *de morb. n.* 63. de lethargo loquens, ait: *Tuſſis oboritur, & ſalivam ſpuit multam, ac liquidam, & nugas garrit, & ubi nugari deſierit, dormit, & recrementum malè olens egerit;* & idem confirmavit *lib. de Coac. prænot. n.* 187. *Quicumque*, inquit, *ex lethargicis ſervantur, plerumque ſuppurati fiunt, & ſupporati fiunt ſolùm illi, quorum materia in pulmonibus exiſtens in pus convertitur. Petrus Salius in com. cit. loc.* 3. *de morbis* negat lethargum à pulmonibus, & admittit ſolùm ſimilitudinem lethargi vitio cerebri, cum peripneumonia, contra quem experientia clamat. *Guliel. Ballonius in Epid. lib.* 2. *pag.* 118. deſcribit duos caſus mulierum, *quæ comatoſæ, & velut lethargicæ interierunt, in quarum diſſectione pulmones valdè affecti reperti ſunt. Alios etiam duos recenſet caſus de Peripneumonia, cui toto morbi decurſu inexpugnabilis lethargus comes fuit. Saxonia lib. Prælec. Pract. par.* 1. *cap.* 4. in confirmationem *cit. ſentent. Hipp. in lib. Coac. prænot.* refert exemplum *Uxoris ſuæ, quæ à lethargo lethaliter decumbens, accedente tuſſi, & excreto purè liberata eſt.* Cauſam hujus refert in materiam à cerebro in pulmones tranſmiſſam: hanc cauſam tuetur *Vvilliſius tract. de Anim. Brut. part.* 2. *cap.* 3. Falſitatem talis ſententiæ admittentis dictam cauſam contra Hipp. doctrinam, oſtendit *Martian. in com. cit. ſentent. de coac. prænot. verſ.* 181. ubi hæc habet: *Quia non eſt rationabile lethargicos ſuppuratos fieri per decubitum materiæ in thoracem, quod communiter tenent Expoſitores, quia ſi per hujuſmodi decubitum morbus tolleretur abſque ſuppuratione, aliquando lethargus judicaretur, facta ejuſdem materiæ expurgatione per ſputum, antequàm in pus tranſmutaretur, quod quidem in Angina ad pulmones converſa evenire conſpicimus Hipp.* indicante *lib.* 2. *de morb. ſect.* 2. *verſ.* 50. ubi inquit: *Si verò faucibus, ac tumoribus ſedatis, morbus ad pulmones converſus fuerit, ſtatim corripit, & lateris dolor, & ut plurimùm moritur; ſi verò quinque dies effugerit, ſuppuratus fit, niſi ſtatim eum tuſſis invaſerit; ſi vero invaſerit facta excretione depurgatus ſanus fit.* Ab hac Hipp. ſententia de Angina infertur etiam à tranſmiſſa materia à cerebro lethargum faciente ad pulmones, poſſe lethargum ſanari abſque ſuppuratione materiæ in pulmonibus, ut evenit in Angina; ſed hic lethargus numquam ſanatur, niſi per ſuppurationem; ergo non à materia à cerebro tranſmiſſa ad pulmones, ſed à materia in pulmonibus primò collecta, & in pus converſa talis lethargus oritur.

Admittendus ergo lethargus per conſenſum vitio pulmonum, nec eſt difficile invenire modum, ſecundùm quem fiat talis lethargus. Ex verbis Hipp. colligimus, hunc lethargum non eſſe remotum ab humida Peripneumonia; humida dicitur, quæ à pituita in pulmonibus putrefacta, & excalefacta fit: hujus materiæ evaporatio, & effumatio eſt multa, & craſſa, quæ cerebrum attingens, vel fibras iſtius obſtruit, vel premit, & ſpiritibus animalibus mixta eos opacos, & torpidos reddit, cum inclinatione ad ſomnum, & etiam inexpugnabili: quotidianum experimentum nos certos facit de inclinatione ad ſomnum invincibili, ab effumatione materiæ ad caput in febribus etiam intermittentibus, in quarum acceſſionibus multoties in ſomnum tam violenter feruntur ægri, ut ab eo retrahi non poſſint; quapropter ſi ab Hypocondriis, in quibus ſedes febrium intermittentium ponitur, ſuccedit talis effumatio, ut invincibilem in ſomnum propenſionem pariat, multò magis effumatio à pulmonibus in cerebrum erit facilis, & magis prompta ad talem inclinationem inducendam, & talem effumationem à conditione materiæ humidæ, & craſſæ, à conditione putredinis, & incaleſcentiæ copioſam, & craſſam colligere licet.

Altera ratio poteſt reddi, nempè cor non recipere ſanguinem, niſi à pulmonibus, & cùm ab iſtorum vitio in Peripneumonia pituitoſa ſanguis multis fuliginibus craſſis, & denſis impleatur, cum iſtis in corde præparatus, cum eiſdem etiam ad cerebrum fertur, quæ mixtæ ſpiritibus animalibus in iſtorum generatione craſſos, torpidos, obſcuros reddunt; ex quibus ſomni invincibilis cauſa deducitur, prout in ebriis à vaporibus vini ſpiritibus animalibus mixtis, & cerebri poroſitates obſtruentibus fit ſomnus profundus. Qualiſcumque ſit ratio hujus ſymptomatis, certum eſt, & obſervatione dignum, quòd ferè omnes Peripneumonici, etiam ab inflammatione bilioſa lethargici moriuntur.

Quoad cauſas remotiores hujus Lethargi per conſenſum à pulmonibus, erunt illæ recenſendæ de Peripneumonia.

Diſtinguitur Lethargus à Comate ſomnolento, quia hoc eſt ſine febre, & delirio: ab Apoplexia, quia in iſta adeſt motus abolitus, & ſenſus, qui in lethargo conſervantur; nam vocati, vel concuſſi cum violentia, ſe movent, & reſpondent: à Caro, quia hic eſt ſine febre, & ſi adeſt febris, ſomnum præceſſit: à Catalepſi, quia hac præhenſi manent in eodem ſitu, Lethargici ſitum quandoque mutant.

Diagnoſtica ſigna, manifeſta ſunt in Definitione. Signa Lethargi per conſenſum, continentur *in cit. Hipp. tex.* ſuperiùs.

Prognoſtica, mali ſunt ominis, quia morbus acutus;

& *cit.*

& *cit. lib.* 3. *n.* 5. addit *Hipp. Huic exigua vitæ ſpes eſt*; & præcipuè ſi urinæ fuerint claræ, aquæe, membra tremula, & excrementa alvi malè olentia; & *lib.* 2. *de morb. cit. n.* 3. ſcribit; *Hic in ſeptem diebus moritur: ſi verò has effugerit, ſanus evadit.*

Indicationes ſunt: humorem ſeroſum, & pituitoſum à capite revellendi, in eo exiſtentem evacuandi, & reſolvendi, prævia præparatione; à ſomno ægrum excitandi, & caput corroborandi.

Quoad primam indicationem, dubium oritur, an ſanguinis miſſione revellendus ſit humor. Omnes ferè Practici de Lethargo agentes, ſanguinis miſſionem imperant, ratione febris continuæ, ratione delirii, ratione inflammationis, ſi in lethargo admittatur. *Vvilliſius*, quem ſecutus eſt *Etmullerus*, & *Strauſius*, perpendendo miſſionem ſanguinis in lethargo reprobari à natura humoris excrementitii; à loco, in quo humor excrementitius morbi ſedem erigit, qui eſt extra venas ſubtiliorem, excogitavit rationem legitimè approbantem ſanguinis miſſionem, & eſt, quòd ſanguinis miſſione exinaniuntur, deplentur venæ, & depletæ ſeroſum humorem extravaſatum in parte abſorbent, partem vitiatam reſorbitione ſeri exſiccant, ut hoc tutiùs, & faciliùs ſuccedat, venam jugularem loco brachialis ſecant, per quam venæ capitis breviori via exinaniuntur. Ratio primo aſpectu convincit, ſed re attentè conſiderata, non ſubſiſtit. Primò, quia ab extractione unius libræ, v. g. ſanguinis è vena jugulari ſecta, non poteſt ſuccedere tanta depletio venarum iſtis congrua, ut determinentur in remedium hujus extravaſatum humorem in eadem quantitate reabſorbere, dum quantitas ſanguinis detracta, non tota ab una vena per rectam lineam extenſa exit, ſed à multis ramificationibus in eadem vena collectis, & diverſis partibus correſpondentibus; quapropter quantitas illa ſanguinis à diverſis ramificationibus derivata, nullam deplere poteſt, ut in depletionis remedium cogatur extraneum humorem in partis conſiſtentem poroſitatibus attrahere, & maximè cùm depletionem vaſorum impedire poſſit naturalis inſtinctus eorum, quo humore deficiente ſubſident, ut ſpatium ab humore evacuato relictum in vaſe à ſuprema ejuſdem ſuperficie ſubſidente impleatur. Secundò, dubium auget aliud dubium, an per ſectam jugularem externam poſſint depleri venæ internæ cerebri, & venæ illæ capillares partis à ſeroſa colluvie inundatæ, ut determinentur ad aſſumendum humorem exundantem; nam ſi non ſequatur depletio dictarum venarum, non ſunt diſpoſitæ ad recipiendum, ſeu exſugendum ſerum in parte, per quam diſſeminantur, diſperſum. Tertiò, cùm continuus ſit fluxus ſanguinis ab arteriis capillaribus, venæ capillares prædictis correſpondentes, potiùs ſanguinis aſſumptione venæ ſuæ depletioni occurrent, quàm humoris excrementitii extravaſati exſuctione: imò à dicta ratione Vvilliſii probatur magis eſſe propriam purgationem, dum per iſtam venæ magis exinaniantur, ſi facta ſit medicamento electivè purgante; nam major eſt depletio vaſorum, quando major copia humoris ab eis extrahitur, ſed major copia extrahitur à medicamento electivè purgante, quàm à ſectione venæ detracta una, vel duab. lib. ſanguinis, cùm plures libras educat purgans electivè, conſequenter major ſit depletio vaſorum ab hoc, quàm à ſectione venæ, quæ communiter fit in hoc morbo: Hanc ſententiam ſecutus eſt *Trallianus*, & *Oribaſius* in lethargo, quo tamquam ſingulari, & unico remedio uſi ſunt pulvere purgante, compoſito *ex Scammon.* ℈. *i.* & *Caſtor.* ℈. *ii.* cujus uſu deploratos lethargicos ſanitati reſtituiſſe gloriantur: idem etiam præſtant *Elaterii gr. iii. vel iv. Mitridat.* ʒ. ß. *m.* His remediis utendum in principio pro revulſione ſeri in corpore redundantis, ad alvum; & ſi non remiſerit morbus, reiterandum, uno interpoſito die, pro evacuatione ſeri in capite ſtagnantis: huic evacuationi conferunt *Veſicantia brachiis, ſpatulis, retrò aures* applicata; *Emplaſtrum etiam ex Ruta, Piperitide, aut Ranunculo, cum Sapone nigro, & Sale marino ſimul contuſis, & plantis pedum impoſitum.* Evacuationi prædictæ inſerviunt *Errhyna* facta cum *Pulvere Hellebori albi, Rad. Cyclaminis, Hyreos, & Fol. Majoranæ, cum cannula in nares inſufflata, & injunctio palati, & oris interioris cum Confect. Anacardina, vel Theriaca, Oxymel. ſcil. diſſoluta.* Materiæ in capite contentæ reliquias reſolvent *Columbi per medium diſſecti, pulvere Serpilli, & Sthœcados aſperſi, & capiti applicati*; *Pulmones Vituli calidi, eodem modo applicati; Decocto Cæphalico Majoranæ, Sthœcados, ex Pulegio, Origano, Chamædrios, Roremarino, caput lavetur, fomentetur;* & ſi *ab Hipp. lib.* 2. *de morb. n.* 63. prohibetur lavare, loquitur de lethargo per conſenſum à pulmone; tunc enim periculum à lavatione, & fomentatione majoris attractionis ad caput: dum hæc peraguntur, præparanda materia in capite exiſtens decoctione facta cum aliquibus ex his ſimplicibus, *Rad. Achori, Galangæ, Cal. Aromat. Spica Nardi, Fol. Serpilli, Roriſmarini, Majoranæ, Sthœcados, Baccæ Juniperi, Lauri, cum Syr. de Sthœcade, admiſcendò Tincturam Caſtorei, vel Ol. Succini.* Pro corroboratione capitis, paranda ſequens mixtura:

℞. *Aq. Peoniæ*
Ceraſ. nigr. } *ana* ℥. *ii.*
Majoranæ
Theriacal. ℥. *i.*
Tinctur. Caſtor. ʒ. *ii.*
Spec. pliris arcotic. Gal. ʒ. *i.*
Spir. Sal. Armon. ℈. *i.*
Mitrid. ʒ. *i.*
Syr. de Sthœcad. ℥. *i.*

De hac omni hora detur cochlear unum, vel duo. Ab iſtis remediis deficientes etiam ſpiritus reſtaurantur, & ſanguinis lentor attenuatur. Dum hæc omnia peraguntur, curandum eſt ægrum à ſomno excitare extrinſecis, ut *Spongiola Aceto rutaceo, Caſtoreo pulverizato, & Spiritu Salis Armoniaci impregnata, & naribus ſæpiùs admota; Ol. Citri, nares injungantur, pedes foveantur decocto ex Majorana, Serpillo, Lavendula, Origano, Pulegio, Chamædrios, & continuò.* Si à ſomno æger excitetur, reiteranda purgatio medicamento ſuperiùs deſcripto, ſed in minori doſi, quia materia non eſt adeò copioſa, & vires ægri debiliores.

Diæta ſit tenuis, & ad calidum vergens. De Vino, an conveniat, difficultas eſt, & *Hipp. lib.* 2. *de morb. n.* 63. *vinum concedit*; *lib. verò* 3. *n.* 5. in lethargo *à vino eſſe abſtinendum jubet:* hujuſmodi contradictionem tollit *Martianus in com. lib.* 2. *de morb. Hipp. verſ.* 242. conſiderando vinum ab Hipp. concedi, & ratione potus, & ratione medicamenti; in lethargo, ratione potus non convenit, ob delirium, ut præcedenti Diſſertatione dictum eſt, & hoc reſpectu vinum interdicit *lib. cit.* 3. reſpectu medicamenti concedit *lib.* 2. ut alimenta faciliùs digerantur, & eorum diſtributio promptior ſuccedat, vel ut alimenta corrigantur; in hoc enim loco exhibet aquam, in qua macerata fuerit *farina, & ſuccum ptiſanæ*, hic exhibeatur ratione febris, quia refrigerans, & ut lethargo etiam conveniat vino corrigit; farinam, quia non eſt cocta, vino coctioni ſupplet; & licèt in his duobus locis agat de lethargo à pulmonibus, eadem tamen doctrina poteſt applicari lethargo ex affectione cerebri.

Lethargi curationem à vitio pulmonum, paucis verbis exponit *Hipp. lib.* 3. *de morb. cit.* dicendo: *Curandum eſt, ut multùm ſpuat, & calefiat*; idcircò *in lib.* 2. *de morb. cit. aquam, in qua macerata fuerit farina*, exhibet; tritici enim, ſicut farinæ ex ejus tituratione paratæ, virtus eſt calefaciendi moderatè, maturandi, emolliendi, quæ omnia indicationi prædictæ correſpondent, qua ratione exhibet ſuccum ptiſanæ ex Hordeo, quia hic aperiendo, abſtergendo, dirigendo, emolliendo, prout ei proprium eſt, ſputa promovet. Reliqua deſumenda erunt à curatione Pleuritidis, & Peripneumoniæ.

C A P. XXII.

De Catalepſi.

Variis nominibus hic affectus ab Antiquis fuit deſignatus. Græci *Cathochum*, & *Catalepſim*: Latini, alii *Oppreſſionem*, quia in hoc affectu facultatis ſenſitivæ, & motivæ oppreſſio magna obſervatur: alii *Prahenſionem*, quia in eodem ſtatu, ſitu remanent, in quo reperiebantur, quando ab hoc affectu deprehenſi fuerunt; alii *Congelationem*, quia rigidi remanent ægri in hoc affectu eo modo, quo rigeſcunt à frigore congelati, & defuncti; alii *Extaſim*, quia ægri more æſta-

æſtaticorum, in uno determinato membrorum, & corporis ſitu immobiles permanent: nomen tamen magis acceptum, eſt *Catalepſis.*

Hujus ſymptomatis natura, & eſſentia, & ſuæ generationis modus, inter naturæ myſteria reſervatur; ideò potiùs admiratione, & ſilentio, quàm indagatione proſequendus eſſet, *Etmullerum* imitando, qui, licèt robuſtæ mentis, & ferocis ingenii, generosè fatetur, ſe hujus ſymptomatis cauſam neſcire: hanc manifeſtare in jhac Diſſertatione, non eſt in animo, ſed aliqua tantùm proponere, quæ dici poſſint de hujus affectus explicatione rudi, & confuſa, indiſtinctaque cognitione; pro quo exequendo.

Diſtinguo cum Authoribus tres Catalepſis gradus: Primus eſt graviſſimus, in quo ſenſus tam externi, quàm interni omninò abolentur, quia nec vident, licèt apertos habeant oculos, nec audiunt, nec puncti ſentiunt. In hoc gradu Catalepticus manet in eo ſtatu, figura, ſitu, in quo deprehenſus fuit à ſymptomate, tamquam ſtatua immobilis, ut narrat *Fernelius de quodam Litterato, qui ſtudio incumbens, Catalepſi correptus, rigidus factus ſedebat, calamum digitis premebat velut ſcripturus, oculus in libros fixos tenebat, itaut à familiaribus profundo ſtudio immerſus crederetur, donec vocatus, ac impulſus deprehenſus ſit omni ſenſu, & motu carere.* In hoc gradu æger nec ſponte, nec impulſus locum mutat, vel corpus movet; in eo verò ſitu, & figura permanet, niſi ab ea diſtrahatur, & diſtractus illi figuræ, & ſitui ſe accommodat, ad quam determinatur ab extrinſeco, ſervata rigiditate totius, & partis motæ antea contractæ. In hoc gradu obſervatur motus ceſſatio, vel abolitio, quia per ſe non movetur Catalepticus, nec auxilio extrinſeco adjutus, ut in alio gradu, nec permanendo in figura, v. g. ſedentis, caput manu ſuſtinentis, vel digitis calamum prementis, vel manum extendentis ad aliquod proximum apprehendendum, poteſt dici motum exercere, ſed quieſcere, & permanere in termino motus, neque immobilitas in tali figura, & ſitu, per quam Catalepticus ab alteratione, vel mutatione figuræ tuetur, dici poteſt motus, licèt per immobilitatem conſervetur æquilibrium corporis ad illam figuram, & ſitum cuſtodiendum neceſſarium, quod motu indigere videtur; nam tacti à fulmine tale æquilibrium corporis conſervant, cùm vita orbati erecti maneant, & quidem nullo motu intercedente, principio iſtius extincto, ſed à ſola diſpoſitione, & ſitu partium conſervatur tale æquilibrium. Reſpiratio, & pulſus in hoc motu, cùm admiratione permanet.

Secundus gradus eſt levior: in hoc æger rigidus, & immobilis, trunci inſtar permanet; ſenſibus tamen internis, & externis utitur, dum videt, quæ circa eum geruntur, audit, quæ ab adſtantibus loquuntur, & omnia memoria retinet; nam à paroxyſmo excitati omnia, quæ viderunt, audierunt, narrant.

Tertius gradus eſt levior primo, gravior ſecundo. Æger rigidus fit; tamen erectus conſiſtit, & ſtat, impulſus, vel tractus incedit, membra quovis modo inflexa, vel extenſa, in eo ſitu conſervat, quæ ori inducuntur mandit, & deglutit; nullo tamen ſenſu interno, vel externo utitur; imò nec punctus ſentit.

Ex his colligitur, primò rigiditatem, & immobilitatem corporis omnibus his differentiis Catalepſis eſſe communem, ideòque proprietatem à Catalepſi inſeparabilem, & iſtius conſtitutivam determinare perſuademur. Secundò, hanc rigiditatem non eſſe reſiſtentem, ut in convulſione, imò cedentem vi externæ etiam leviter moventi, quia cum mollitie conjuncta eſt, per quam determinativo extrinſeco cedit. Tertiò, rigiditatem hanc cedere pro mutanda figura, & ſitu corporis, vel partis; ſemper tamen permanere, cùm in mutato ſitu, & figura conſervetur, rigiditas, vel partis, vel totius. Quartò, in ſecundo gradu ſpiritus animales concurrere ad organa ſenſuum externorum, cùm ſenſus exerceatur, & in tertio gradu ad nervos motui inſervientes, cùm maſticationem, deglutitionem, & motum progreſſivum, ſine influxu ſpirituum animalium ad nervos proprios exercere datum non ſit.

Primum gradum Catalepſis, non video ab Apoplexia differre, niſi per rigiditatem partium, & totius à quibus conſervatur figura illa, quam habebant tempore invaſionis paroxyſmi, quòd in Apoplexia non reperitur imò laxitas, & flaciditas in partibus obſervatur. His poſitis.

Accedo ad explicandam cauſam, per quam in Catalepticis conſervatur configuratio corporis, quam habebant ante, invaſionem paroxyſmi. Certum eſt, talem configurationem in prædicto ſtatu eſſe corpori conceſſam ab influxu ſpirituum animalium per nervos partes has ità diſponentium, ut conſervetur configuratio præcedens. Nam ſi in Cataleptico manet eadem diſpoſitio partium talem efficiens configurationem, neceſſe eſt, ut maneat eadem diſpoſitio ſpirituum animalium conſervans partes, & membra in tali ſitu, & figura, ad quam priùs ſua actione reduxerat, hoc eſt, quòd ſpiritus animalis conſervetur in expanſione, rarefactione, dilatatione ſuæ ſubſtantiæ, in ſua virtute elaſtica, & cum omnibus aliis diſpoſitionibus, quæ illi ſervierunt ad movendam partem cum tali configuratione, & ad eamdem cum tali configuratione conſervandam.

Perdurat hæc ſpirituum diſpoſitio, quia in hac quieſcunt, nec ab ullo determinativo ad aliam diſpoſitionem accipiendam, & ad hanc mutandam vocantur: hujuſmodi quietem ſpirituum in ſua virtute elaſtica, ſeu potiùs activa, obſervamus in ſomno profundo demerſis, cùm per multas horas ſomni in eodem ſitu, & configuratione corporis, flexura, & contorſione partium permaneant, cujus ratio ab alio non eſt petenda, quàm à perſeverantia cum quiete ſpirituum animalium in ea actione, & virtute elaſtica, per quam partes primò in tali ſitu, & configuratione poſitæ fuerunt, & in eadem quiete ſpiritus perdurant, uſquequò accedat determinativum novam ſituationem, & configurationem partium exigens, ad cujus præſentiam ſtatim ſpiritus ad diverſam modificationem ſuæ virtutis elaſticæ diſponuntur, cum mutatione ſitus, figuræ, corporis, & partium, quod evenit eiſdem dormientibus, quando denuò in aliud latus moventur.

Rigiditatis, & immobilitatis cauſa in Catalepticis, erit permanentia ſpirituum animalium in ea virtute elaſtica, & activa, explicata pro retinendis corporis partibus in tali figura, & ſitu, ad quæ determinati fuerunt ante paroxyſmi invaſionem, unà cum quieſcentia in dicta permanentia; quod manifeſtè etiam patet in affectu admirationis, in quo admirans objectum admirabile immobilis, ut ſtatua, totus figitur in contemplatione illius objecti, non mutando, nec ſitum, nec configurationem corporis per multas horas, non ob aliam rationem, niſi ſupradictam.

Spiritus perſeverant in concepta virtute elaſtica, quia ſunt craſſi, & torpidi: à craſſitie corporis elaſtici virtus elaſtica iſtius robur acquirit; ita Elater artificiale, quo craſſius exiſtit, ſervata proportione ſuo officio debita, majorem virtutem elaſticam ſortitur, & in ea diutiùs, ſine diminutione ejuſdem virtutis perſeverat. Torpedo, ſeu ſegnities in ſpiritibus, licèt hos ad motum parùm habiles efficiat, ad ſuſtinendam tamen perſeverantiam in eo ſtatu, cui deſtinatur, maximè efficaces.

Spiritus ergo animalis craſſus, torpidus, permanens, & quieſcens in virtute elaſtica concepta pro movenda parte in tali ſitu, & configuratione, erit cauſa immobilitatis corporis, cum perſeverantia ejuſdem in tali ſitu, & configuratione.

Sufficit illa portio ſpirituum, quæ erat in parte, vel in toto, & à qua proveniebat talis ſitus, & configuratio ad hujus immobilitatis conſervationem, cùm hæc perſeverando valeat eumdem ſitum, & configurationem conſervare, ut in primo gradu Catalepſis, qui cùm non differat ab Apoplexia, beneficio fluxus ſpirituum animalium ad nervos non gaudet: deficere hunc fluxum demonſtrat motus, & ſenſus abolitus, quapropter conſervatio configurationis partis, niſi in ſpiritu animali præexiſtente recognoſcenda. Ab hac habemus differentiam Catalepſis ab Apoplexia, in qua non conſervatur configuratio corporis exiſtens tempore iſtius invaſionis, quia ſpiritus in hac ſtatim ſuam virtutem elaſticam amittunt, vel à ſua actione diſtrahuntur.

In ſecundo gradu non poteſt negari influxus ſpirituum animalium ad organa ſenſuum externorum, quia videt

videt æger catalepticus, & audit ; quæ ſupponunt etiam operationem ſenſus communis, demonſtratam etiam à memoria eorum, quæ acta fuerunt ab aſtantibus in actu ſymptomatis affligentis, ab hoc ſpirituum concorſu configuratio partium,& corporis prædicta conſervari poteſt.

Conſideratione dignum cenſeo, Catalepticos actiones ſenſitivas quidem exercere ; ſed ab eis torpidè, & ſtupidè peraguntur, à quo torpidos, & inertes, opacos, & multis fuliginibus obnubilatos ſpiritus animales arguimus, ſanguinemque, ex quo generantur, craſſum, fuliginoſum, & vaporoſum atrum, qualem accepimus repertum eſſe in apertis capitibus Catalepticorum, ex *Bonet. obſervat. in ſuo Sepulchr. Anatom. de Catalepſi*, deducimus.

Cum tali ſpirituum conditione adeſt ſtupor facultatis ſenſitivæ, per quam confusè, & indiſtinctè, obſcurèque omnia ſibi propoſita percipiunt, cùm ad claram, & diſtinctam propoſitorum perceptionem ſpirituum agilitate, ſubtilitate, luciditate indigeant. Mens ſtupida torpidam, & inertem facit Voluntatem ei inſeparabiliter conjunctam, ideò electiones, quæ ſunt ſui juris, vel non elicit, vel imperfectas, & debili impulſu prodit.

Ab his duobus deducitur ratio explicans cauſam ſecundi gradus Catalepſis. Motus voluntarius à Voluntate eligente, & determinante, imperatur; hæc eligit, determinat, imperat dependenter à cognitione Intellectus, quæ ſi nulla eſt, nulla electio, ſi debilis, & imperfecta, debilis electio ; ab electione, motus ſpirituum ad nervos dirigitur, impreſſo iſtis impetu pro illis operationibus motivis neceſſariis ad conſecutionem illius, in quòd tendit electio Voluntatis ; unde cùm nulla erit electio Voluntatis, nullus erit impulſus ſpirituum animalium ad organa motus, ubi debilis, & imperfecta electio, debilis, & imperfectus impulſus in ſpiritus animales ad organa motus, cui impulſui, ſi reſiſtant ſpiritus, quia craſſi, torpidi, nullus erit motus ; & quia iſta duo in Catalepſi reperiuntur, nempè vel nulla electio ad motum ob mentem torpidam, vel debilis, cum debili impulſu in ſpiritus, hic iteritus evadit, quia craſſi, & torpidi ſpiritus impulſui non obediunt, imò reſiſtunt, ideò nullus motus voluntarius ex defectu determinativi, & ex vitio ſpirituum. Impulſi verò, vel tracti Cataleptici moventur, quia tunc adeſt determinativum extrinſecum impulſum ſufficientem ſpiritibus animalibus pro eorum influxu, & motu imprimens, & vincens reſiſtentiam ſpiritus animalis, ideò motus progreſſivus peragitur à Catalepticis, vel tractis, vel impulſis.

Cauſa rigiditatis, & immobilitatis extra determinativi extrinſeci actionem eadem cum allata in explicatione primi gradus eſt, nempè conſervatio ſpirituum animalium in ſua virtute elaſtica ; ſicuti enim per hanc admirationis affectu deprehenſus, cum mente in objectum admirabile immerſa, nihil attendens eis, quæ corporis ſunt, eamdem configurationem immobilem corporis conſervat, ita Catalepticus, cum mente omninò alienata, & oppreſſa non poteſt conſervare præcedentem configurationem corporis, niſi per conſervationem virtutis elaſticæ ſpirituum, itaut poſſit dici Catalepſis quaſi convulſio nervorum, cum rigiditate cedente, facta à ſpiritu animali in ſua actione perſeverante.

In admiratione conſervari virtutem elaſticam ſpirituum demonſtratur ; nam ſtando objectum admirabile contemplans, abſorta tota Anima in hac contemplatione à corporis ſervitio ſuas potentias, & actiones voluntarias, & ſentientes retrahit, nihil in hoc agendo, quia admirans non videt, non ſentit, non movetur, nihil agit, quapropter illa corporis erecti configuratio ab Anima non conſervatur per continuum liberum, & voluntarium impulſum ſpirituum ad nervos, & muſculos corporis, non advertendo neceſſitatem hanc configurationem conſervandi, conſequenter niſi à virtute elaſtica ſpirituum ante affectum admirationis explicata perdurante conſervari poteſt dicta configuratio, & ita de Catalepticis dicendum. Ab eadem virtute elaſtica ſpirituum pendet conſervatio illius figuræ, quæ mutata diſpoſitione, & ſitu partium ab extrinſeco movente introducta fuit ; nam per hanc mutationem extrinſecam modificata manet diverſo modo virtus elaſtica ſpirituum, ipſa verò perſeverat, & quia diverſimodè modificata, diverſæ configurationi ſervit.

Tertius gradus hoc fundamento explicatur, quia nec ſpontè, nec tractus, nec impulſus movetur, ob impeditam viam ſpirituum ad organa ; motus in iſtis agnoſcimus, quia ore immiſſa alimenta maſticat, deglutit, muſculos huic operationi inſervientes à totali, & pleno infarctu liberos aſſerere debemus : conſervatio configurationis patet ex dictis, ſicut & operationum ſenſitivarum motivarum abolitio.

Ab explicatione eorum, quæ contingunt in Catalepſi, poſſumus colligere eſſe rigiditatem, & immobilitatem corporis in una determinata configuratione, cum abolitione potentiæ ſenſitivæ internæ, & externæ, motivæ, ſpontaneæ, cognoſcitivæ, & electivæ, vel cum torpore, & ſtupore, dictarum potentiarum, integra manente reſpiratione, & pulſu.

Patet Definitionis explicatio à dictis, ſolùm adnoto, in omni gradu Catalepſis motum electivum aboleri, quia, licèt Cataleptici in ſecundo gradu conſtituti moveantur, non propria electione id agunt, ſed determinati ab extrinſeco impellente, vel trahente. Nec mirum in ſecundo gradu ſervari potentiam ſenſitivam, intellectivam verò, & electivam aboleri, quia habemus in Paralyſi aboleri ſenſitivam illæſa motiva, vel hanc deperdi illæſa ſenſitiva ; cur non poterit ſervari ſenſitiva in abolitione intellectivæ, & electivæ, præterquamquòd puriori ſpiritu indigent hæ potentiæ pro eorum exercitio, quàm ſenſitivæ ; nec obſtat, Hipp. cum Cathocho permanentiam facultatis intellectivæ conjungere ; nam *lib.* 2. *proreth. par.* 55. ait : *Cùm Cathoche delirantes, delirium eſt actio prædictæ potentiæ, licèt depravata* ; nam Cathoche pro Comate vigili ab Antiquis uſurpatum fuit, ut notat *Vidius cap. de Catalepſi, ex Hipp. & Gal. primo proreth.* 33. ad Coma vigil Catalepſim reducit *Paul. lib.* 3. *c.* 8. Quomodo maneat integra reſpiratio, & pulſus, patebit de Apoplexia.

Cauſam hujus abolitionis potentiæ cognoſcitivæ, & electivæ ſuperiùs tetigi, nempè eſſe ſpiritum animalem, craſſum, turbidum, opacum, & torpidum, à quo Anima in ſuis operationibus intellectivis, & electivis patitur, itaut ſuæ intellectionis, & electionis radios expandere prohibeatur ; ſunt enim ſpiritus animales inſtrumenta, ſeu potius requiſita Animæ rationalis pro ſuis operationibus, cùm ſine iſtis Anima nec intelligat, nec diſcurrat, & iiſdem depravatis, depravatè intelligit, & diſcurrit : ad hoc verò ut ſint proportionata, & adæquata Animæ requiſita ſpiritus, oportet, ut ſint ſubtiles, agiles, activi, lucidi, & copioſi : tales ſpirituum conditiones obſervamus in eis perſpicaci, & acuto ingenio donatis; è contra, ſi fuerint ſpiritus craſſi, fixi, torpidi, obſcuri, intellectivæ potentiæ non ſervient ; imò illius depravationi occaſionem objiciunt : hujus exemplum habemus in eis, qui ſtupidæ mentis, & torpidi ſunt ingenii, cùm in iſtis talis conditionis ſpiritus manifeſtentur, & tales in Catalepſi admittendi.

Spiritus talis conditionis originem ducunt à ſanguine craſſo, melancholico, apto ad communicandas omnes dictas conditiones ſpiritibus, qua ratione Antiqui cauſam Catalepſis in humorem melancholicum refunderunt, quam ſententiam confirmant *Jacotius in com. Aphor.* 7. 2. *ſect.* ubi refert obſervationem Cataleptici defuncti, *in cujus capite aperto vaſa ſanguiflua inventa ſunt turgere ſanguine craſſo, atro, melancholico. Rondeletius hunc ſecutus eſt, perſuaſus ab hiſtoria pueri Cataleptici ab Aetio relata, qui magna ſanguinis effuſione è naribus liberatus fuit à Catalepſi, & Mulieris in decima nona febris Synochæ, quæ à Catalepſi correpta, largo fluxu ſanguinis è naribus ſanitati reſtituta fuit. Bonetus in cit. loc. obſervationem habet, & ſi ex nimia animi intentione ortam Catalepſim obſervavit Platerus lib.* 1. *obſ.* 29. *& ex amore, Tulpius lib.* 1. *obſ.* 22. *& ex ſiccitate cerebri, & membranarum ejus, Ballonius lib.* 3. *conſil.* 71. *& Henric. ab Heer obſerv. medic.* 3. in his videmus animi paſſiones diſponentes ad ſanguinis melancholici collectionem, vel ſigna humoris melancholici prædominantis ex ſiccitate.

Ab hujus cauſæ admiſſione rejicitur illa communiter aſſignata *Coagulationis ſpirituum animalium*, prout docet *Sennertus*, & *Sylvius*, quia impoſſibilis eſt conſervatio vitæ coagulatione ſpirituum. Secundò conſervatio corporis, & partis in ſua configuratione eſt aliqua opera-

operatio, quæ in ſpiritu coagulato nulla eſt. Tertiò, ſi Cataleptici configuratio mutetur, conſervatur ea, ad quam vel pars, vel totum ducitur, & ſpiritus coagulatus ſolus non poteſt hoc agere. Quartò, ſi ſpiritus eſſet coagulatus, eſſet impotens ſervire motui determinato à vi trahente, vel impellente Catalepticum. Quintò, habemus ex *Hipp. in lib. Præd. com.* 3. *num.* 23. cum Cathocho convulſivos motus conjungi, qui cum ſpirituum coagulatione non poſſunt ſubſiſtere. Stabilienda ergo cauſa prædicta.

Cauſæ externæ ſunt omnes, quæ valent humorem melancholicum cumulare in toto, & in capite figere.

Signa diagnoſtica ſunt rigiditas, & immobilitas corporis in ea configuratione, in qua deprehenſus fuit Catalepticus, & alia ſuperiùs explicata.

Prognoſtica, primus gradus eſt lethalis, quia in omnibus operationibus principalibus Hominis magnam ſupponit læſionem difficile ſuperabilem, & cibi non ſumuntur; unde vires concidunt, & Apoplexiæ forti affinis eſt; aliæ ſpecies Catalepſis, quia leviores, non ſunt adeò periculoſæ, ſi alimenta aſſumantur. *Sylvius le-Boe* narrat, *ſe vidiſſe Catalepſi laborantem per quatuor, vel quinque annos, & non valdè debilitatum: fatetur tamen difficilis eſſe curationis morbum.*

Indicationes à cauſis deſcriptis emergunt: ſanguinem ab humoris melancholici redundantia purgandi, & alterandi, & à capite revellendi, ſpiritus animales craſſos, turbidos, torpidos, opacos corrigendi contrariarum qualitatum inductione, medicamentis à Chirurgia, Pharmacia, & Diæta deſumptis.

Chirurgia venæ ſectionem exhibet, quæ in juvene, & ſanguine abundante non eſt prætermittenda, & maximè cùm conſtet adeſſe plenitudinem particularem, ut in exemplo pueri recenſito, qui curatus fuit à Catalepſi per hæmorrhagiam, ſicut & aliorum multorum; nam ſi Natura ſolita eſt curare hunc morbum per ſanguinis effuſionem, Medicus Naturæ imitator debet hac uti. Si indicantia adſint, mittendus erit à brachio, & poſtea etiam in fronte, & à jugulari vena ad faciliorem derivationem; & hoc remedium eſt maximè proprium ad deplenda vaſa repleta in capite, quæ ſemper ferè talia apparent, ex relatione Rondeletii allata ſuperiùs. Si ſanguinis miſſionem impediens adſit, ad cucurbitulas confugiendum, quarum uſum profuiſſe notat *Card. cur. admir.* 23. Clyſteres, & ſuppoſitaria acria, reddita cùm *Colochynthides*, vel *Trocis Alhandal.* adhibeantur; ſuppoſitorio enim acri Catalepticum excitatum à Paroxyſmo, refert *Henricus ab Heer*. Fomenta capiti conveniunt, cum *Decocto Serpilli, Thymi, Roriſmarini, Calendulæ, Ivæ artiticæ, Chamædryos, & Chamæpytios*, & poſt fomentationem inungatur *Ol. Caſtor. Vulpino, Lumbric. & Terebinth. & Confection. Anacardin.* diſſoluta cum *Petrolæo, & Ol. Succini*. Spina dorſi inungatur pariter *Ol. Philoſoph. de Cera*, quibus admiſceatur *Ol. de Cariophilis, & Roremarino* chymicè extractis; addendo *Spiritum Sal. Armoniac.* Valet pro hoc *Ol. Petrolæum, & Ol. diſtillatum ex Sapone nigro, & Spiritu Vini* ſimul commixtis. Errhyna ex *Rad. Cyclaminis, Hyreos*, cum *Helleboro*, & *Pulvere Betonicæ* facta, juvant ad expurgandam, & commovendam materiam pro celeriori circulatione in capite.

A Pharmacia habemus purgantia, inter quæ *Etmullerus antimonialia vomitiva præfert*, quia cùm morbus magnus ſit, & materia in parte valdè diſtanti, nempè capite, neceſſaria ſunt medicamenta valida, ſi cum fructu evacuatio ſit peragenda; animadvertendum tamen vomitiva eſſe exibenda poſt evacuationem ſanguinis etiam à vena frontis, ne à conatu in vomitu neceſſario copioſior ſanguinis fluxus in caput impellatur. Medicamenta vomitiva ſunt: *Sal album Vitrioli ad* ʒ. 1. *vel Crocus Metall. & Antim. Hyacinthinum ad gr.* 8. *infuſa in* ℥. 4. *Vini Malvatici; Mercurius vitæ ad gr.* 4. *in ſubſtantia, & ad gr.* 8. *in infuſione Vini Malvatici*.

Alterantia ſunt omnia ſimplicia, & compoſita, Cephalica, de quibus actum eſt in Melancholia, & Lethargo.

Diaphoretica verò ſunt in hoc affectu valdè proficua, quia ſanguinem melancholicum fundunt, attenuant, & ſpiritus craſſos ſubtiliant, & humorem ſeroſum evacuant; in hoc genere ſunt *Cornu Cervi philoſ. præp. Bezoar. orientale, & occidentale, Bezoarticum minerale, Cortex ligni ſancti, Radix Lappæ majoris*, quæ exhibentur cum *Aquis Cardui bened. Fœniculi, Profilaticæ Sylvii, Theriacali, & Aquis Antiparalyticis, & Antipopleticis Quercet. & Scroder.* & emulſiones factæ *ſeminibus Aquilegiæ, Napi, & Aquis ſupradictis Antiparalyticis. Decoctum Milii, quod dicitur Syr. Sancti Ambroſii.*

Spiritus corrigunt omnes ſpiritus volatiles. *Fuginilis, Cornu Cervi, Carabe, Salis Armoniaci, Urinæ, & ſpiritus Sanguinis humani*, & exhibentur uniti cum *Spiritu Vini aromatizato cum Nuce moſcat. Cinamom. Spica Nardi maci, ligno Aloe, vel cum Aquavitæ Matthiol. Quinta eſſentia Cinamom. & Juniper.* quæ ſolæ, ſine ſpiritibus prædictis, exhiberi poſſunt.

CAP. XXIII.

De Caro.

Est altera Somni præternaturalis differentia, ſed major, quàm Coma, & Lethargus, cui conjungitur etiam inſenſibilitas. Ab Arabibus dicitur *Subeth*. Latini, cum Græcis in nomine *Coma* conſentiunt.

Definitur *à Gal. lib. de Differ. ſympt. cap.* 3. *Somnus profundus, cum motus, & ſenſus, & principum facultatum læſione, integra manente reſpiratione, ob impeditum motum ſpirituum animalium.*

Eſt *Somnus profundus* magis in Caro, quàm in Lethargo, quia Caro affecti, nec puncturis validis, nec clamoribus magnis, nec concuſſionibus à ſomno excitantur, ſicuti Lethargici, & Comatoſi; ideò dicitur profundus, quia in Caro ſit magis radicatus ſomnus, & difficillima ab eo revocatio.

Adeſt *motus, & ſenſus, & principum facultatum læſio*; hæ ex toto abolitæ ſunt, cùm in Caroticis nullum talium facultatum argumentum appareat: de ſenſu, & motu aliqua veſtigia obſervantur, dum violenter punctam manum, vel pedem aliquo ſenſibili, ſed diminuto motu retrahunt.

Integra manet reſpiratio, ſicut in Apoplexia; cauſam iſtius mox exponam.

Impeditus motus ſpirituum animalium, eſt cauſa omnium dictorum ſymptomatum; eſt cauſa ſomni profundi, ut dictum eſt de Somno naturali, quia conſiſtit in impedito influxu ſpirituum animalium ab obſtructione tenui, & facilè ſolubili fibrarum Cerebri, ſeu viarum, per quas ſpiritus prædicti fluunt ad organa ſenſuum externorum; unde ſi hæc obſtructio erit contumax, & reſiſtens, ſomnus erit profundus, ſi motus, & ſenſus fiat ab influxu ſpirituum animalium ad organa ſenſus, & motus, hoc impedito, & motum, & ſenſum aboleri neceſſe eſt. Omnes operationes Animæ coadjuvat motus dictorum ſpirituum, & hoc ceſſante tamquam principali requiſito, vel conditione ceſſant, & illæ, & quia non impeditur motus ſpirituum animalium ad muſculos thoracis internos, & externos, à quibus elevatione coſtarum reſpiratio perficitur, ideò in Caro ſervatur. Non impeditur influxus ſpirituum ad hos muſculos, quia cùm ſint organa motus naturalis, qualis eſt motus circulationis, & pulſus cordis, huic inſerviunt nervi à cerebello orti, *ut adnotavit Vvilliſius*, & obſtructio impediens influxum ſpirituum in affectibus ſoporoſis, & aliis eſt in cerebro. Præterquamquòd ſi contingat etiam obſtrui poroſitates cerebelli, hæ quæ admittunt ſpiritus pro cordis, & thoracis motu, ſunt magis dilatatæ, unde non tam facile obſtruuntur, & ſi obſtruantur, mors ſtatim iſtarum obſtructionem ſequitur. *Sylvius le-Boe*, qui vult, reſpirationem pendere à ſanguine in corde effervescente, & circulante, vult reſpirationem non lædi, quia non læditur nec circulatio, nec effervescentia ſanguinis in corde: verùm non video, ſi nervi cardiaci cum aliis læderentur, quomodo poſſet fieri effervescentia, & circulatio ſanguinis in corde læſo, vel abolito motu iſtius à nervis dictis obſtructis, & à fluxu ſpirituum animalium ad eos impedito, ſi effervescentia, circulatio ſanguinis à motus cordis concurſu perficiuntur.

Ex his patet, ſubjectum hujus ſymptomatis eſſe cerebri ſubſtantiam medullarem, & pendere à morbo in via, nempè ab obſtructione poroſitatum cerebri, à qua impeditur tam debita generatio ſpirituum animalium,

lium, quàm eorumdem diſtributio ad nervos, & eſſe ſymptoma proximum Apoplexiæ, huicque eſſe finitimum.

Cauſa interna, eſt eadem de Comate, & Lethargo ſuperiùs allata, nec in alio differt, quàm in majori efficacia operandi, hoc eſt in majori activitate obſtruendi poroſitate, cum majori reſiſtentia diſſolutioni, quia profundius ſe figit materia obſtruens, & in magna copia.

Cauſæ externæ ab *Etmullero* maximè conſiderantur, itaut cenſeat, & cum ratione, Carum à cauſa interna appellandum eſſe *Apoplexiam leviorem*, cùm parùm ab hac differat. A cauſa externa Carum denominat, & legitimum eſſe illum, qui ab ebrietate efficitur, ideò verè Carotici appellantur, qui poſt vinum profundè dormiunt. Alias recenſet cauſas externas Cari, *fumus Carbonum hauſtus*, *ſicuti & vapor Vini in dolio fermenteſcentis*, *Croci odor nimius*, *Mercurii vapor*, *ſomnus ſub juglande*, adeòque Carum proprium ab errore externo provenire determinat. *Mercurialis* 1. *Practic. cap.* 7. narrat, *Sabæos ex odore*, *& fragrantia florum*, *& fructuum apud eos naſcentium*, *in hunc morbum incidere*. *Venena* etiam Carum inducunt, ut *Plutarchus* ſcribit *in Vita Antonii*, *de morte Cleopatræ*, *ut venenum Phalangiorum*, *Aſpidis*, *& potus Ceruſæ*. Inter cauſas extrinſecas numeratur compreſſio Cranii, ab aliquo extrinſeco violenter comprimente, ut ab ictu, & percuſſione Cranii, de qua mentionem facit *Fernelius lib.* 5. *Patolog. cap.*2. Compreſſione Cranii, comprimitur ſubſtantia cerebri, cum obliteratione poroſitatum impediente motum ſpirituum. Arteriarum Carotidum compreſſio, eſt cauſa Cari, de qua obſervat. habet *Hildanus cent.*4. *obſerv.* 5. his enim obſtructis, deficit materia pro generatione ſpirituum animalium, & conſequenter tollitur influxus iſtorum ad nervos, & poroſitates Cerebri ſubſidendo, ob ſpirituum defectum obſtruuntur, ut explicatum fuit in Diſſertatione de Somno naturali; unde in febribus etiam malignis, ſpiritus reſolventibus, fit Carus ex deficientia ſpirituum. *Concuſſionem Cerebri* addit *Hipp. lib.* 7. *Aphor.* 59. ſcribendo: *Quibus cerebrum aliqua cauſa concuſſum fuerit, neceſſe eſt ſtatim mutos fieri.* Ubi verbum græcum *Aphoniam*, quo utitur Hipp. ad declarandam vocis privationem, *Mercurialis*, *& Braſavola* extendunt ad ſignificationem privationis motus, & ſenſus; & *Gal. in com. dicti Aphor.* refert duos textus *Hipp.* unus eſt *ex lib.* 3. *de morb. vulg. num.* 3. alter *ex lib. Coac. Prænot.* in quibus Hipp. declarat, in cerebri concuſſione unà cum voce ſenſum amitti. Concuſſio fit ab ictu, à percuſſione, à caſu ab alto, ab alliſione capitis ad rem duram, à caſu rei gravis ſupra caput. A variis etiam morbis in infernis partibus exiſtentibus efficitur Carus.

Signa ſunt: ſomnus profundus, itaut vocati non reſpondeant, ut Comatoſi, & Lethargici; ſtupor magnus ſenſuum externorum, non abolitio iſtorum, quia puncti acriter contractione, vel retractione partis punctæ obſcuri ſenſus ſignum præbent, per quod diſtinguitur ab Apoplexia, in qua nullum ſenſus ſignum apparet. Motus naturalis ceſſat, præter illum vix ſenſibilem retractionis partis punctæ, qui nec in Apoplexia obſervatur. Solus motus reſpirationis illæſus permanet, & ſine difficultate, per quam diſtinguitur ab Apoplexia, in qua reſpiratio remanet, ſed difficilis. Pulſus in Caro eſt elatus, magnus, & per hunc diſtinguitur à Syncope, in qua pulſus parvus, debilis, formicans; diſtinguitur à Catalepſi, quia non adeſt rigiditas membrorum; à ſuffocatione uterina, quia in hac ſenſus nec externi, nec interni abolentur.

Quoad prognoſim, mali ominis ſemper eſt, & convenit prognoſis de Lethargo deſcripta.

Indicationes, & Curatio ſunt ejuſdem conditionis cum iis Lethargi; deſcribitur enim inter ſoporoſos affectus: cùm verò ſit affectus gravior Lethargo, remedia validiora, vel ſaltem in majori doſi exigit. Carus ab aliis morbis iſtorum curatione reſecandus. A contuſione, & concuſſione cerebri, conſulendi Chirurgi. A vaporibus narcoticis, ſingulare remedium ſunt omnia unctuoſa, *Butyrum*, *Oleum commune*, *Ol. Amygd. dulc. Emulſiones Amygd. Cucurbitæ*, *Lac naturale*, & omnia acida, ut *Succus Limonum*, *Aurantiorum*, *& Acetum*.

Carum ab ebrietate, proponit *Hipp. lib.* 2. *de morb. num.* 22. ſub his verbis: *Si quis ex Ebrietate voce privetur*; per vocis privationem expreſſam in verbo græco *Aphonia*, intelligendam eſſe etiam privationem motus, & ſenſus dixi ſuperiùs, & hoc loco loqui de affectu ſomnolento à viro inducto. Colligo ex illis ſubſequentibus verbis: *Hic ſiquidem apertis oculis*, *& locutus ad ſe redierit*, *& non augetur*, *hoc die ſopore preſſus jacet*, *poſtridiè verò ſanus ſit*; hic loquitur de ſomno, & profundo, quia loquitur de ſomno premente, & unius diei, & talis ſomnus eſt à vino.

Pro iſtius affectus curatione notat Hipp. quòd, *Si ſtatim ſuperveniat febris*, *ſanus fit æger*, ut nos admoneat, febrem in hoc affectu ab ebrietate, ſtatim excitandam eſſe pro curatione; procraſtinata enim mala eſt febris, ut videbimus de Apoplexia, ex mente Hipp. & quamvis de febre excitanda non loquatur Hipp. inferiùs de curatione determinatè agendo. Credo, ei ſatis fuiſſe ad tale documentum præbendum innuere modum, quo Natura, excitata febre, curat hunc affectum, & qua non excitata, mors tertia die imminet, à quo deducitur, non eſſe procraſtinandam febris excitationem. *Oleum Scarabæorum paratum modo*, *quo paratur illud Scorpionum*, febrem excitat, ſi eo inungatur pulſus in carpo, *Confectio Anacardina à* ℥. 1. *ad* 2. *Mitridatum*, *Theriaca*, ratione *Opii*, excluditur, ſicut etiam *Spiritus Vini*, ratione virtutis narcoticæ, *Species Diatrion Pipereon Galeni ad* ℥. 2. Si febris non excitetur, *lavandus æger aqua calida*, *& caput eadem cum ſpongia fovendum*, ut lavatione corporis tranſpiratio copioſa promoveatur ad humorum diminutionem, & capitis fotu reſolvantur vapores vini, vel iſtorum exhalationi amplior dilatatione poroſitatum via paretur, & etiam ut calor excitetur in toto, & in capite oppreſſus ab ebrietate, & cum hujus excitatione æger reſurgat, pro quo *Cœpas excorticatas naribus indit*; quod ſuccedet etiam, ſi utamur *Decocto Cœphalico in Lethargo deſcripto*, & pro iſtis alia uſurpanda irritantia in nares inſuflata, ibidem pariter deſcripta.

Si æger ad ſe redierit, *& bilem evomerit*, *inſanit*, ait *Hipp. & moritur quinque dierum ſpatio*, *ſi non dormierit*; ſignum enim eſt bilem à vino fuiſſe exaltatam, & ſegregatam, à qua timenda cum delirio inflammatio brevi mortem allatura, quibus nos erudit Hipp. in ebrietate, & affectibus ab ea ortis huic ſimilibus apparente vomitu bilioſo, non eſſe exhibendum vomitivum, à quo bilis ſæviorem concipiet furorem, & tumultus ferociores in ſanguinis maſſa excitabit: ſi verò vomitus non fuerit bilioſus, vomitivum admittere credendum, cùm ibi loquatur ſolùm de vomitu bilioſo, & de periculo, quod ab hoc imminet, ſed ſubjungit, *Niſi dormierit*, quaſi remedium talis ægri cum vomitu bilioſo, ſit ſolus ſomnus, quia ab hoc bilis ferocia, & æſtus, & tumultus ſedatur. Talem ægrum *multa aqua calida jubet lavari*, donec ad ſe redeat, hoc eſt, ægrum lavare oportet in balneo calido, donec redeat, & ut ſomnum arripiat; ait enim: *Ut plurimùm*, *ex balneo obdormit*: hinc habemus præceptum in hoc caſu conciliandi ſomnum cum opiatis, & fugiendi omnia, quæ à ſomno revocant, ut lumen, & clamores. Poſt balneum, *Oleo multo illinit*, *ſtragulis multis cooperit*, nec alio fine puto, niſi ut excitetur ſudor, qui in ſomno ſemper copioſior fluit, cum quo vini ſpiritus, & vapores exhalant, & calor, & ſpiritus oppreſſi ſublevantur, & bilis tumultuoſæ, accenſæque particulæ expirant. Hocque apertè demonſtratur ab *Hipp.* in exhibitione *Milii tenuis in ſorbitione*, cùm hoc ſit Diaphoreticum; quapropter poſt balneum, Diaphoretica admittit Hipp. quæ tamen non debent eſſe valida, ſed moderata, ne à larga ſudoris effuſione æger deficiat, in quorum claſſe eſt *Milium*, *& Syr. S. Ambroſii*, ex eo compoſitus, *Semen Cardui benedicti*, *Aquilegiæ*, *Napi*, & alia hujus generis, ex iſtiſque parari poſſunt emulſiones, cum jure.

Diætam deſcribit *Hipp.* in illis verbis: *Cibis utatur molliſſimis*, hoc eſt facilis digeſtionis, & ſeceſſus; *Milium* eſt hujus conditionis, ſi tenue reddatur per expreſſionem, collecto ejus ſucco ſorbitioni ſolùm inſerviente, etiam *Ptiſanæ ſuccus*, *cum Vino valdè dulci*, hoc addit, quia facilè tranſit per urinam, & quandoque alvum movet, alimentaque hac ratione ſecundùm ſuas fœces ſecedere facit, & utrumque oppreſſam naturam ab ebrietate, erigit. Hujuſmodi cibus, etiam in pauca quantitate in primis diebus exhibet, ob virium ſummam debilitatem in tali tempore.

CAP. XIV.

De Morbis Facultatis Motivæ.

AD intelligentiam morborum, quibus motus animales depravantur, principii motus, ſeu facultatis motivæ natura; operandi modus explicandus. Et inquirendum quid ſit, an detur, quæ ſit ejus ſedes, & organum.

Quoad primum, *Facultas, ſeu potentia loco motiva, eſt vis interna, qua Animal de loco ad locum transfertur.*

Eſt vis, quia eſt impulſus, à quo omnis localis motus perficitur, & impulſus eſt vis. *Eſt interna*, quia Animal à principio intrinſeco movetur, dum ſpontaneè movetur, & abſente omni extrinſeco motore. Ultima verba Definitionis, motum localem exprimunt, quem morbi infrà deſcribendi reſpiciunt, & eſt motus primarius in natura, à quo ſuccedunt nutritio, augmentatio, alteratio, & generatio.

Quoad ſecundum, certum eſt dari motum in Animali ſpontaneum, progreſſivum, quem nulli motori externo tribuere poſſumus, conſequenter cogimur admittere iſtius principium, cujus virtute motus, qui non erat in propatulum, exeat. Tale principium probant multiplicati motus diverſi ordinis in Animali, quos ab extrinſeco admittere ridiculum eſt, & ad eos ſalvandos non ſufficit Objectum extrinſecum, quia hoc appetitum movere poteſt, impetum partibus imprimere non poteſt; præterquamquòd motus, quo movetur aliud corpus diſtans, propagatur per medium intercedens inter corpus, & objectum, ſed medium inter corpus movendum, & objectum appetibile movens non movetur, conſequenter ab objecto non provenit impetus, quo moveri poſſit Animal, quia ab hoc neceſſe eſſet, ut moveretur medium, & objectum intentionaliter movere, nempè excitare, & movere ſui appetitum, non eſt movere de loco in locum; hoc movens dicitur Facultas, ſeu potentia loco motiva. Hujuſmodi principium in Animali talis neceſſe eſt ſit conditionis, ut eligente Animali, vel indigentia ſuæ conſervationis imperante moveat partem, vel totum, cùm in hos fines à natura principium motus acceperit Animal. Hinc deducitur, facultatem loco motivam in Animali conjungi, vel cum potentia electiva eis pro motibus ſpontaneis conceſſa, vel huic ita eſſe ſubordinatam, ut hac determinante à quiere ad motum prædicta potentia evocetur, & in eo conſervetur uſque ad conſecutionem finis, cum ea celeritate, tarditate, vel mediocritate motus ad hanc requiſita.

His admiſſis à natura Animalis, & ab ejus conſervatione comprobatis, tria colligenda apparent: Primò, in Animali admittendum eſſe principium, quod moveat, & à motu ceſſet, hujus determinativo ceſſante; hincque falſum eſſe in Animali axioma illud, *Quòd corpus motum, continuò in motu debeat perſeverare*, quia bonum Animalis eſt, quòd aliquando moveatur, aliquando quieſcat; idem bonum à Natura volitum in Animalis generatione, hanc determinavit ad hujus principii productionem, & ſi hoc principium, quod per ſe moveatur, & moveat, & quieſcat, in aliis corporibus repugnat, in Animali tamen ex principiis iſtius intrinſecis eſt neceſſarium. Secundò, principium motus in Animali non poſſe ab extrinſeco provenire, cùm ab hoc neceſſitas motus Animalis non percipiatur, nec qualitas motus, nempè tarditas, vel velocitas, nec mediocritas, quæ requiruntur in fine adæquatè conſequendo, ſicut nec duratio, & cùm hæc omnia à motore extrinſeco percipi non poſſint ad moderandum, & gubernandum Animal pro motu, inſufficiens apparet. Cum ratione ergo excludendum eſt æther Carteſii pro principio movente Animalia, & objectum externum, quod à multis admittitur pro principio motus Animalium, cùm ſit ſolùm determinativum motus, non principium. Tertiò, verificatur Ariſtotelis axioma, 7. *Phyſic. text.* 1. *Quidquid movetur, ab alio movetur*, cùm partes corporis animalis moveantur à principio cum facultate motiva, & ſi hoc principium non movetur ab alio, illud axioma verificatur ſolùm de corporibus inanimatis, & inorganicis, non de animatis, & organicis, ut ſunt Animalia, quæ dicuntur moveri per ſe, ex eodem *Ariſt. cit. loc.* & per ſe moventia neceſſariò ſunt admittenda, niſi Deum omnium actionum authorem immediatum cognoſcamus. Quamvis poſſit etiam afferi corpus motum ab Anima primo, & per ſe movere, ipſam Animam per accidens, & hoc modo verificatur axioma Ariſtotelis. Et ſi admittitur à Recentioribus principium univerſale motus ex Dei decreto, nulla apparet repugnantia ex eodem decreto poſſe ſtabiliri principium motus particulare in Animali, cùm per hoc ſuſtineatur Animalis conſervatio in ea perfectione illi convenienti.

Dubium eſt, an hoc principium motivum emanet ab Anima, an corpori inſit, & deciſum manet ab eis, quæ dicta ſunt de principio ſenſitivo; eſt enim ipſa Anima ſenſitiva, cui ineſt principium ſentiendi, & movendi, & in corpore ſunt organa ſenſus, & motus.

Quoad tertium, ſedes hujus potentiæ non eſt in omnibus partibus corporis, licèt omnes moveantur; fruſtra enim eſſet tantus organorum apparatus nervorum, muſculorum, tendinum, fibrarum, à Natura tanta ſapientia diſpoſitus ad exercendos motus pro Voluntatis, & neceſſitatis imperio, ſi omnibus partibus talis potentia ſe movendi donata fuiſſet. Obſtructis nervis in apoplexia, paralyſi, & immotis manentibus partibus, quibus nervi communicantur, adhuc moveretur corpus, ſi potentia movendi actuaret alias partes, quæ ſuo motu, alias etiam malè affectas moverent, cùm motus ſit ſui multiplicativus, ſeu iſtius impetus, alium impetum producat, vel ſua propagatione in omnes corporis moti partes diffuſus videatur ſe ipſum multiplicare, vel in vicinis partibus ſibi ſimile producere, vel ſe ipſum communicare, unde impulſu in una parte corporis impreſſo totum corpus movetur; determinatis ergo partibus conceſſa fuit potentia motiva.

Quoad quartum, organa motus ſunt partes, quæ potentia motiva fruuntur. Adæquatum, & totale organum motus eſt muſculus, principale, ſed partiale, eſt nervus, & fibra tendinoſa.

Nervus *eſt corpus oblongum, teres duplici membrana, & fibris internis conſtans facultatis animalis, & provehendo ſpiritu animali inſtrumentum.* Medulla, quæ eſt in ſpina dorſi, *eſt ejuſdem naturæ cum illa cerebri, & præcipuè medullæ oblongatæ.* Aliqui Anatomici afferunt, in magnis Animalibus diſtinxiſſe in ſpinali medulla, à qua nervi emanant corticalem ſubſtantiam ſimilem ei cerebri. Hæc medulla eſt in tenuiſſima filamenta diſtincta, & in diſtinctos faſciculos ſeparata, itaut interſtitia inter unum, & alterum faſciculum remaneant, & faſciculus quilibet interſtitium, vel poroſitates inter unum, & alterum filamentum retineat. Carteſius medullam nervorum ex plurimis tubulis medulla præditis vult componi, relicta tamen aliqua cavitate.

Membrana eſt duplex in nervo, prout in cerebro dura, & pia mater; non adeò facilè verò ſunt diſtinguibiles, ſicut in cerebro, & eumdem uſum, quem huic nervo præſtant.

Origo nervi, ex Ariſtotele, eſt à corde, & hunc ſecuti ſunt *Alexander*, *Averrões*, *Aponenſis*. Alii volunt, nervos eſſe arterias ad caput, & cerebrum delatas, molli ſubſtantia cerebri impletas; ita *Praxagoras*, cui adhærent *Cæſalpinus*, *Reuſnerus*, *Hoffmannus*, *Martianus*; *Eraſiſtratus* à dura matre nervos derivat. Verùm has opiniones anatomica demonſtratio falſitate redarguit.

Hinc communis opinio invaluit à principio medullæ oblongatæ intra cranium, & à medulla ſpinali extra cranium nervos oriri; at improbabile non eſt, cerebrum, & cerebellum ipſius ſpinalis medullæ, & medullæ oblongatæ eſſe appendices, & proceſſus, prout ſuſpicatus eſt *Malpighius in Epiſt. ad Francaſatum*, & *Thomas Bartolinus lib.* 3. *Anatom. cap.* 4. Suſpicionis validiſſima ſunt fundamenta.

Primò à Piſcibus, in quibus caput, & cauda medullæ oblongatæ inſignis eſt magnitudinis, cerebrum verò parvæ, quia Piſces motu magis, quàm ſenſu pollent, & huic magis confert cerebrum, illi verò medulla oblongata, ideò in Piſcibus plus medullæ, minus cerebri. Secundò in Pullo in ovo adhuc contento, anterior cerebri pars demum accreſcere baſi obſervatur. Tertiò, quia puncta acu carena, in qua ſpinalis medulla in pullo adhuc in ovo contento, & antequam cerebri veſtigia appareant contrahitur, & movetur

vetur pars puncta, argumentum motus, & ſenſus ante cerebri formationem.

Nervi per totum corpus ſparguntur, & multiplicatis ramificationibus fibrillarum inſtar, partibus copioſe inſeruntur, & in iſtis eſt organum motus, cujus argumentum præ omnibus valet, ſecto nervo motum in parte omninò amitti.

Simplex nervus integram rationem organi non adipiſcitur, niſi ſpiritu animali turgeat, prout univerſa Medicorum Schola ſuſtinet. Contra hos tamen clamat *Honoratus Faber lib. 4. de motibus Animal. pag. 7.* Primò, quia non ſunt cavi, ideò ſpirituum delationi inepti, cùm videamus venas, & arterias humorum delationi deſtinatas, eſſe cavas, conſequenter ſi nervi ſunt incapaces ad delationem ſpiritus animalis; dicendum eſt hunc non dari, & eò magis urget ratio, ſi admittatur ſpiritum animalem, cum ſucco nerveo humorem conſtituente colligari. Secundò nullus modus, nec locus excogitari poteſt generationi ſpirituum animalium deſtinatus, non ventriculi cerebri, qui ſunt receptacula excrementorum, & ab iſtis facilis eſſet exitus per infundibulum, non ſinus cerebri, qui mero ſanguine turgent, & licèt per illius ſubſtantiam percoletur, percolatus in truncum redit per venas.

Contra Fabrum, præter communem omnium Medicorum ſententiam admittentem ſpiritus animales, faciunt plures rationes: Prima, in magna mentis applicatione caput defatigatur, & imbecille redditur, & hujus ratio referri non poteſt, niſi in ſpirituum conſumptionem animalium. Secundò ſomnus datus ad Animalis refectionem; ſomnus eſt cerebri paſſio; ergo ad refectionem alicujus deficientis in cerebro, & conſumpti in vigilia, qui non poteſt eſſe niſi ſpiritus in eo exiſtens, & dictus animalis. Tertiò, Apoplexiæ, Paralyſis cauſa non poteſt refundi, niſi in impeditum tranſitum ſpirituum animalium, cùm ſubſtantia nervi integra remaneat. Quartò, ligato nervo, hic ſubtus ligaturam, nec ſentit, nec movetur, ſupra ſentit, & movetur, & hoc, niſi quia influxus alicujus impeditur ſubſtantiæ neceſſariæ ad motum, & ſenſum, & hæc eſt ſpiritus animalis. Quintò, nervi à cerebro orti, & per totum corpus diffuſi, ad hoc aliquid deferre admonent, quod non poteſt eſſe niſi ſpiritus.

Dato ſpiritu animali, inquirendum qualis ſit hujus ſubſtantia, an ſub ſpecie ſpiritus, vel humoris, ejus origo, & diffuſionis modus per nervos.

Quoad primum, Antiqui ſpiritum animalem ſub ſpecie æthereæ ſubtiliſſimæ ſubſtantiæ conſiderarunt, ut valeat intima partium penetrare. Recentiores ſub forma humoris delineant hoc fundamento, ut ſpiritus animales ad invicem colligentur, cùm deficiente hoc vinculo, facilis nimis ſit eorum diſſipatio, qualis obſervatur in ſpiritibus chymicè extractis, qui licèt vitro craſſo hermeticè clauſo incluſi tranſpirant, & patet in Sale urinoſo optimè depurato, cùm fumi inſtar evaporare videatur, & ſi ſpiritus vini cùm aqua non colligaretur, citiſſimè exhalando diſſiparetur. Et etiam ut unio illorum adeò neceſſaria ad ſenſum, & motum ſervaretur. Impelluntur ſpiritus animales à cerebro ad partes inferiores, pro motu, & ſenſu, ab actione objecti ſenſibilis in organa ſenſus, impelluntur ſpiritus dicti à partibus inferioribus ad cerebrum, ut dictum fuit de Senſu; tales motus, niſi eſſent uniti, vel tollerentur, vel debilitarentur, niſi enim ope humoris alicujus ſpiritus unirentur intercapedines inter particulam unius ſpiritus, & alteram remanerent, & multiplicatæ motum ſpirituum interrumperent, vel alterarent, vel permutarent. Adde obſervationes ab Authoribus recenſitas de ſeroſitate copioſa in ſinubus, & ventriculis cerebri, cujus cauſa non eſt niſi ſeri ſpiritoſi ſucco nerveo inſervienti impedita tranſcolatio, per fibrulas cerebri, unde neceſſaria ejus collectio in dictis partibus.

Quoad ſecundum, defertur ſerum nutritium ſpiritu turgidum è maſſa chyloſa confectum per arterias ad cerebrum, eaſque per membranas cerebri diſſeminatas ingreditur, ab iſtis in corticalem cerebri ſubſtantiam eiſdem ſubſtratam deponitur, hanc, & ejus glandulas per microſcopium manifeſtas penetrando tamquam per filtrum percolatur; in hoc tranſitu per anguſtum ſpatium ab excrementis purgatur, attenuatur, & velut volatilizatur; ſuaſq; acquirit perfectiones, & hoc corticalis ſubſtantiæ cerebri eſt officium. Huic additur aer per nares inſpiratus, qui in poroſitatibus proceſſus mamillaris depuratur, non permittentibus ingreſſum, niſi ſubtiliſſimis aeris particulis, quæ ab iſtis proceſſibus ad ventriculos cerebri anteriores feruntur, ab iſtis ad tertium, & quartum, à quibus egreſsæ medullam oblongatam penetrant, & cum ſpiritu animali in ea collecto miſcentur, de quo *Hipp. lib. de morb. ſac. n. 17.* dixit *relinquere in cerebro ſuum ipſius vigorem*, quod peragit, dum valdè mobilem ſuccum nerveum reddit, & volatilem, & virtutem elaſticam eidem ſui permixtione impertitur, unde robur acquirit. Ulterius ait: *Quidquid prudens eſt, ac ſapientia præditum pariter relinquit.* Sapientia eſt in Anima, medium ad ſapientiam eſt in cerebro, nempè ſpiritus animalis purus, ſubtilis, agilis, lucidus; ad has conditiones ſpiritus, concurrens aer ſincerus, mixtus cum ſucco nerveo, dicitur contribuere cerebro quidquid prudens eſt in eo, & ſapientia præditum. Si verò aer fuerit impurus, ſpiritum impurum, craſſum, torpidum, tenebroſum reddit, ſapientiam, & prudentiam non confert, ut colligere licet ab *Hipp. in cit. num. 17.* ubi habet: *Si enim in corpus primùm perveniret* (ideſt aer) *& poſteriùs in cerebrum, relicta in carnibus, ac venis dinotione, ac judicio, ad cerebrum jam calidus exiſtens perveniret, & non ſincerus, ac purus, ſed ammixto humore à carnibus, & ſanguine, ut ampliùs exactè ſincerus non eſſet.* Ab his verbis habemus aerem notionem, & judicium ab admixtis humoribus amittere, hoc eſt, per iſtos amittere rationem medii ad judicium, & notionem; ideòque aer impurus, turbidus, pravis vaporibus coinquinatus, non erit medium ſufficiens ad ſcientiam, & hac ratione dixit *Hipp. Aerem ad ventriculos, & cerebrum ingreſſum conferre, atque ſic ſapientiam, & motum membris exhibere, in lib. de morb. ſac. n. 7.* & ab experientia comprobatur, qua accipimus, aerem craſſum, paludoſum, inquinatum habitantes ad ſcientiarum acquiſitionem incapaces reddere.

Quoad tertium, ſuccus nerveus in corticali ſubſtantia cerebri percolatus à glandulis iſtius egrediens excipitur à fibris medullaris ſubſtantiæ, quæ, teſtes Malpighio, à principio ſpinalis medullæ intra cranium, & à quatuor medullæ oblongatæ reflexis cruribus hinc indè diſperguntur, donec ramoſis terminis in corticem deſinant. An hæc fibroſa corpora cava ſint, vel ſaltem in faſciculum collecta porulis, & interſtitiis indè enatis diſtincta, ut ſuccum in corticali ſubſtantia confectum ſtrata via labi ſinant ad nervorum principium, ambigit *Malpighius cit. loc.* Cava admittit *Willis de Anatom. Cereb.* Alii poroſitates pro hujus ſucci delatione admittunt; omnes tamen admittunt motum elevationis, & depreſſionis membranarum cerebri ad hujus humoris, ſeu ſpiritus animalis motum ad principium nervorum concurrere, & motus membranarum conferre ſpiritui animali id, quòd motus cordis ſanguini arteriarum confert; ex quibus patet reſponſio ad objectiones Fabri.

Succus nerveus, ſeu ſpiritus animalis nervos ingreſſus per hos fluit, non torrentis in morem, ut ſanguis per venas, & arterias, ſed leni, & placido motu per interſtitia fibrularum, vel faſciculorum fibrarum medullarium deſcendit, eo modo quo per arborum fibras nutritivus humor à radicibus ſubminiſtratus movetur, licèt talis motus ſit inſenſibilis: idem patet in foliis arborum, quæ à coſtula intermedia alimentum ſine ſenſibili motu ſuſcipiunt, nec à ligata coſtula fluentis alimentis indicium habemus, cùm non intumeſcat, & eo modo, quo per funem aqua madidam perpendiculariter elevatam aqua fluit, & guttatim decidit, ita fluit ſuccus dictus per nervos. Talis motus erat neceſſarius ratione ſucci nervei, qui cùm ſit paucus, non erat ſufficiens omnium nervorum cavitatem implere, ideòque iſtorum portio, vel ſine illo remanſiſſet, vel cum parva quantitate ad exercendas ſuas operarationes inſufficiente. Conveniebat ergo ita organum efformare, ut parva quantitas humoris, ſeu ſpiritus ſuo muneri ſerviret, hoc modo formatus eſt nervus. Et ratione nervi, huic robur conveniebat pro motu; hoc non obtinuiſſet, niſi ejus cavitas corpore ſolido impleretur, quod talis ſtructuræ eſſe conveniebat, ne fluido ſpiritui fluxum impediret, licèt retardaret; hinc neceſſitas motus lenti, & placidi in ſucco nerveo per nervos.

Nervus ſpiritu animali turgidus muſculo implantatur,

hic

hic in medio muſculi hujus membranam perforat, & in multas fibras diramatus per muſculum ſpargitur hoc ordine, ut una fibra nervi communicetur, & inſeratur uni fibræ tendinoſæ; ita unitæ cum iſtis unum conſtituunt corpus, quod dicitur muſculus, addito ordine, ſitu, numero, quo diſponuntur fibræ tendinoſæ, dicuntur etiam carnoſæ, quia in parte ſui media, qua ventrem muſculi conſtituunt, carne cooperiuntur, ſeu potiùs ſanguine velut coagulato, qui per multiplicem lotionem abſterſus, relinquit fibram cum colore tendinis.

Origo hujus fibræ differt ab ea nervi, dum cava eſt, quòd in nervo non obſervatur; eſt tamen ſenſitiva, ſicut nervus, & membrana; an hæ fibræ in faſciculos collectæ tendinem componant, vel in unum primo colligatæ, poſtea in fibra dividantur, poteſt eſſe dubium, certum eſt, tendinem, & has fibras eſſe ejuſdem generis, haſque motui principaliter inſervire, ideòque fibræ motrices appellantur.

Arteria, & vena concurrit cum fibris nervoſis, & tendinoſis ad muſculi complementum. Prima defert ſanguinem pro nutritione, ſecunda ſuperfluum ſuſcipit. Hoc artificio diſponitur arteria, & ejus ramificationes, ut turgente nervo, ſeu fibra nervoſa prematur arteria, vel ejus ramificationes, & exprimatur ſanguis in iſtis contentus in fibram tendinoſam, ſpirituique animali miſceatur, utriſque à mixtione efferveſcentibus muſculi inflatio, & durities ſuccedit; ex quo deducitur ratio neceſſitatis ſanguinis arterioſi in motu animali demonſtrata ab amiſſo motu in partibus inferioribus, ligata arteria magna ſubtus cor per quatuor digitos, tunc ceſſat motus arteriæ, & ſanguis in ea contentus exprimi non poteſt in fibras tendinoſas, ideòque nec miſceri cum ſpiritu animali deficiente; ab hac impedita mixtione inflatio, & durities muſculi ad motum neceſſaria, & cum iſtis motus deficit. Idem accidit turgente arteria, dum ab hac nervus comprimitur, ſpiritus animalis exprimitur cum detumeſcentia, & flaciditate, vel cum impedimento novos ſpiritus ſuſcipiendi, & in utroque caſu ad peragendum motum fit inhabilis nervus. In hoc conſiſtit cauſa læſionis motus à plenitudine ſanguinis, & arteriarum.

His ita diſpoſitis organum motus conſtituitur potentiæ motivæ inſerviens, ſive hæc ſumatur tamquam quid abſolutum, ſeu tamquam quid relativum; probabiliter tamen eſt ſententia, principium motivum eſſe abſolutum, & Anima ſenſitiva vel formaliter, vel eminenter, quæ cùm ſit indifferens ad hunc, vel illum motum præſtandum, indiget determinativo, prout indiget omnis potentia indifferens.

Duplex eſt determinativum Imperium Voluntatis, à qua eligitur motus, & talis motus: per hoc imperium ſpiritus novus ad nervum partis movendæ tranſmittitur, à quo tota maſſa ſpiritus in eo exiſtentis movetur, & ab hoc motu determinatur pars organica ad motum talem, qualem exigit modificata quantitas ſpiritus, & modificatus impulſus eorumdem à Voluntate imperante, & idem eſt, ac dicere, potentiam loco motivam excitatam, & determinatam. Pro celeritate, vel tarditate, & duratione impulſus ſpirituum à cerebro determinatur organum ad motum celerem, vel tardum, brevem, vel longum. Alterum determinativum eſt Objectum appetibile movens Voluntatem ad conſecutionem illius. Recentiores, cum Vvilliſio, & Borello hoc determinativum ponunt in efferveſcentia excitata in muſculo à commixtione ſpiritus animalis à cerebro tranſmiſſi, & illius in muſculo exiſtentis cum ſpiritu vitali, per quam efferveſcentiam tument fibræ carnoſæ, & tumidæ contrahuntur ad ſe trahendo tendinem, & partem, cui connectitur, unde motus partis.

CAP. XXV.

De Apoplexia.

Variæ ſunt hujus affectus denominationes apud Antiquos: Aliis *Sideratio* placet, & eſt apud Hipp. frequens denominatio; ſicuti enim ſideratæ Arbores dicuntur, quæ areſcunt, ſine ullo vegetantis vitæ ſigno, ita corpus in Appopleticis, ſine motu, & ſenſu animalis vitæ ſignis, ſideratum dicitur, *Celſus lib.* 3. *cap.* 27. vocat *Morbum attonitum*, eò quia ſicut attoniti, ſine motu, & ſenſu hærent, ita Apopletici. Aliis placet nomen *Percuſſio*; eo enim modo, quo capite forti percuſſione affecti, ſine ſenſu, & motu cadunt ita Apopletici. *Ictus* vocatur ab aliis, quia tamquam ictu fulminis tacti Apopletici, ſubitò concidunt, ſine motu, & ſenſu. Dicitur etiam *Reſolutio*, vel *diſſolutio nervorum*, quia nervi impotentes ſunt ad contractionem. Communiter appellatur *Apoplexia*.

Et definitur *Abolitio repentina motus, ſenſus, & rationis, ſola manente reſpiratione, ſed diminuta, cum ſtertore aliquando majori, aliquando minori ab impedito influxu ſpirituum animalium ad partes.*

In Apoplexia adeſſe *abolitionem motus, & ſenſus*, patet, cùm Apopletici immobiles, & inſenſati jaceant, & quocumque modo concuſſi, tracti, puncti, ſenſus, & motus ſigna non præbeant, nec rationis, & facultatum huic inſervientium veſtigia in eis apparent; quapropter iſtæ facultates dicuntur abolitæ, non quia ſit iſtis ablata potentia operandi, itaut ſit impoſſibilis earum reſtitutio ſed abolitæ dicuntur, quia nullos actus ſibi proprios eliciunt, licèt remaneat potentia eos eliciendi, cùm talis pontentia ſit in Anima radicata, quæ non patitur, nec ægrotat, & ſi non operatur, vitio organi id evenit, quo ablato potentia reſtituitur ſuorum actuum exercitio. Illæſa manet reſpiratio, & cum hac vita.

Impeditus influxus ſpirituum, eſt cauſa immediata aboliti ſenſus, & motus: hi fiunt dependenter ab illorum influxu, ut dictum eſt de ſenſu, & de motu, unde etiam abolentur impedito tali influxu, ſive hic ſit impeditus vitio ſpirituum, vel vitio organi. Ab hoc impedimento arcentur facultates Animæ à ſuis operationibus exercendis, & facultas etiam ratiocinatrix, quæ utitur ſpiritibus modo ſupradicto, non tamquam organo, ſed tamquam requiſito.

Et cùm omnis potentia ſenſitiva, motiva rationalis ſuam ſedem habeat in cerebro, hoc eſſe ſedem Apoplexiæ determinandum eſt, contra *Ariſtot.* qui, 1. *Problem.* 9. ſubjectum Apoplexiæ vult eſſe *Cor*, cùm aſſerat fieri, quando humor concreſcit frigore in corde, à quo vulgus accepit illud commune dictum de Apoplexia, *Cecidit gutta ſuper cor*; quod probant etiam *obſerv. Authorum* demonſtrantes, in Apopleticorum capitibus apertis ſanguinem, & ſerum extravaſatum, ut plurimùm reperiri, & vaſa ſanguine turgida; & hæ poſſunt videri in *Schenk. Bonet. Sepulch. Anatom.* & ex eo quòd motus, & ſenſus aboleatur, patet etiam partem affectam cerebri eſſe principium nervorum, quorum munere motus, & ſenſus perficitur, vel poroſitates, ſeu fibræ cerebri huic principio, & nervis correſpondentes, quia ſunt via, qua ſpiritus ad nervos, & ad totum corpus fluunt, & quibus impeditis, & nervi, & organa ſenſus, & motus beneficio ſpirituum privantur, cum motus, & ſenſus abolitione.

Martianus in Com. lib. 2. *de morb. verſic.* 64. præter cerebrum vult *Pulmones eſſe ſubjectum Apoplexiæ*, & hoc deducit à difficultate reſpirationis, cum anguſtia, & ſtertore; hæc ſunt ab Apoplexia inſeparabilia, & ſunt ſigna pulmonis affecti, & oppreſſi à materia in iſtis ſtagnante; nec admittit, talem reſpirationem fieri à reſolutis muſculis thoracis, quia ubi in Paralyſi particulari iſti reſolvuntur, non eſt talis reſpiratio, conſequenter non licet in reſolutione dictorum muſculorum reſpirationis cum ſtertore cauſam quærere. In dicta reſolutione fit quidem reſpiratio tarda, rara, & diminuta, quia à muſculis reſolutis debiliter, rarè, & tardè thorax elevatur, non cum ſtertore, qui ſemper ſupponit materiam in pulmonibus ſtagnantem, prout obſervamus in Aſthmate, & Orthopnæa, & ſicuti in his eſt læſio pulmonum, dicendum eſt etiam eſſe in Apoplexia, quia adeſt materia in pulmonibus, & in via, ſtertor in reſpiratione manifeſtus: ſubjectum ergo Apoplexiæ erit Cerebrum, & Pulmo, & de his habemus concludentem obſervationem *Ingenioſiſſimi Fracaſſati in epiſtol. de cerebro ad celeberrimum Malpighium, qua oſtendit in Apoplexia defunctis vaſa Pulmonum diſtenta, & rupta ex ſanguinis impedito motu, & iſtius ſtagnatione*, & hac ratione *Sapientiſſimus Cornelius Coſentinus in ſuis Progymnaſmat.* inquit, *Apopleticos interire, ſicut ſtrangulatos ex affectione Cerebri, & Pulmonum*. Et videtur hanc fuiſſe ſententiam *Hipp. in Coac. Prænot.* ubi ab inflamatione pulmo-

pulmonum membra reſolvi affirmat, & ea reſolutione, quæ Sideratio dicitur ab Antiquis, & eſt Apoplexia. Licèt verum ſit, ex inflammatione pulmonum Apoplexiam fieri, iſti non ſunt cenſendi Subjectum Apoplexiæ, ſed ſubjectum cauſæ iſtius, cùm ab inflammatione pulmonum cauſetur Apoplexia in cerebro; ab inflammato enim pulmone venæ jugulares proximæ inflammantur, ab inflammatione intercipiuntur, ſeu obſtruuntur, ab interceptione Apoplexia modo infra dicendo; quare pulmo inflammatus poteſt dici Subjectum cauſæ Apoplexiæ. non Subjectum Apoplexiæ, quod eſt cerebrum, quia læduntur in Apoplexia operationes, quarum eſt principium, & ſi cerebrum eſt Subjectum hujus principii, debet dici etiam Subjectum morbi lædentis hoc principium.

Inter cauſas Apoplexiæ, ſtatuit *Hipp.* multis in locis ſtationem, & immobilitatem ſanguinis; 2. enim *de morb. num.* 8. deſcribendo cauſam Apoplexiæ, ait: *Poſtquam venæ pituitam in ſe traxerint, neceſſe eſt, præ pituitæ frigiditate, ſanguinem magis nunc ſiſti, ac perfrigeratum eſſe, quàm priori tempore; dum autem ſanguis non movetur, fieri non poteſt, ut non etiam corpus quieſcat, & torpeat*; & eodem *lib. num.* 6. ſcribit de Apoplexiæ cauſa: *Patitur autem hæc, cùm atrabilis ipſi in capite commota fuerit, maximè in parte, in qua plurimæ ſunt venæ, in collum, inquam, & pectus, deindè proſtridiè ſideratus fit, ac impotens ſanguine nimirùm perfrigerato*; & inferiùs: *Si verò ſuperior non evaſerit, adhuc magis perfrigeratur, & ubi penitus perfrigeratus fuerit, & calor ex ipſo defecerit, congelatur, & moveri non poteſt, ſed moritur*; & *lib.* 4. *de rat. vict. in acut. n.* 37. ait: *Ut aliquis de repente voce privatus fiat, venarum interceptiones faciunt*. Venæ interceptæ motum ſanguinis deperditum ſignificant; & *in fine hujus numeri* ſubjungit: *Unde corrupto ſanguine, & ſpiritibus non potentibus naturales in ipſo vias permeare, perfrigeratione fiunt ex ſtatione*. Ab his textibus clarè patet, Hipp. velle cauſam Apoplexiæ eſſe ſtationem ſanguinis.

Per ſanguinem, notat *Martianus in cit. loc.* intelligendum eſſe ſanguinem etiam arterioſum, ſeu ſpiritum vitalem, à quo fit ſpiritus animalis; ſed puto intelligendum etiam eſſe ſpiritum animalem, cujus actio à ſtagnante ſanguine intercipitur, & generatio impeditur, ut advertit idem *Martianus cit. loc.* Ab his manifeſtum fit, Hipp. velle ſtationem ſanguinis eſſe Apoplexiæ cauſam.

Hæc cauſa Apoplexiæ ab Hipp. determinata in ſtatione ſanguinis, claritatem, & vim magnam accipiet explicata per principia anatomica. Si ſanguis ſtationem fixerit in vaſis cerebri, motum circulationis relinquit, cum privatione in cerebro influxus illius caloris, quo vivificatur à ſanguine, ſubſtantiam illius irrigante medio ſuo motu circulari, à cujus privatione omnes ejus facultates ſenſitivæ, & motivæ concidunt. Ab eadem ſtatione ſanguinis ſpiritibus animalibus novorum ſpirituum ſubſidium ſubtrahitur, dum à ſtante ſanguine non ſubminiſtratur materia pro generatione ſpirituum, hujus ſubſidio deſtituti ſpiritus connexionem, & continuitatem cum ſuo principio amittunt, cujus neceſſarius effectus eſt abolitio illius operationis, cui dicti ſpiritus præſident. Omne enim agens pendens in agendo ab aliquo principio ab hoc diſtracto, & ſejuncto ut deficiat ejus actio neceſſe eſt. Stans ſanguis, ſuo pondere glandulas membranis ſubſtratas comprimit, ſanguinemque vaſorum per membranas repentium ab eis recipi non permittit, cum detrimento generationis ſpirituum, qua impedita Apopleticus inſultus, modo jam dicto. Eodem pondere ſanguis ſtans comprimendo membranas cerebri, hæ motum, quem à pulſantibus arteriis ſuſcipiunt, omninò amittunt, unà cum eo impulſu, quo ſpiritus animales in glandulis corticalis ſubſtantiæ cerebri præparatos, ad principium nervorum impellebant pro executione muneris iſtorum. Ex defectu iſtius impulſus oritur quies, & ſtatio ſpirituum in dictis glandulis, & conſequenter in fibrulis cerebri, & medullæ oblongatæ. Hæc quies motum, & ſenſum tollit, qui per influxum, & motum ſpirituum exercentur, & Apoplexiam inducit. Statione figitur ſanguis in ſinibus duræ matris, de quibus differtè agemus de Epilepſia, in iſtiſque abundanter collectus ſubſtantiam cerebri comprimendo, fluxum ſpirituum ad nervos impedit, cum ceſſatione motus, & ſenſus. Stans etiam ſanguis in poſteriori ſinu, ſua quantitate, & craſſitie orificia jugularium venarum in hoc aperta obſtruit, reditum ſanguinis ad cor impediendo, & cogendo ſanguinem ab arteriis in cerebrum delatum in hoc remanere, cum oppreſſione fibrarum ejus, à qua impeditur fluxus ſpirituum animalium vel ad principium nervorum, vel ad ipſos nervos, cum ceſſatione motus, & ſenſus.

Sic explicata Hipp. ſententia de ſtatione ſanguinis, adverto, cum hac ſemper conjungi obſtructionem vel fibrarum cerebri, vel glandularum, vel nervorum, vel poroſitatum cerebri; quapropter, ſi ſententia Hipp. admittenda eſt, non eſt rejicienda illa determinans Apoplexiam ab obſtructione. Statio ſanguinis eſt cauſa præcedens, obſtructio eſt effectus ſubſequens.

Hujus ſtationis ſanguinis cauſæ ſunt illæ ſuperiùs expoſitæ in citatis tribus textibus Hipp. & reducuntur ad interceptionem venarum, ideſt obſtructionem; his enim obſtructis, neceſſe eſt, ut ſanguis ſtet, & à ſuo motu deſiſtat. Frigiditas ſanguinis in primo, & ſecundo citato textu pro cauſa ſtationis hanc efficit, obſtruendo venas. Frigiditas enim dicitur eſſe in ſanguine, quando craſſus eſt, lentus, viſcidus, inſpiſſatus, & ferè coagulatus, & hujuſmodi ſanguis ſemper obſtructionem vaſorum parit. Talem eſſe ſenſum Hipp. deducimus ab ejus dictis; ait enim *ſanguinem infrigidari*, in duobus primis citatis textibus, *à pituita, & atrabile*, ideſt melancholia, qui ſunt humores ſupradictis conditionibus donati, Ab his enim conditionibus impeditur illa excitatio, & explicatio ſpirituum in copia, per quam ſanguis incaleſcit, & qua ceſſante refrigeratur, Succedit etiam obſtructio à plenitudine, & redundantia ſanguinis.

Præter ſtationem ſanguinis, humorum excrementitiorum redundantiam in cerebro Apoplexiæ cauſam determinavit *Hipp. lib.* 3. *de morb. num.* 3. his verbis: *Qui icti, & ſiderati dicuntur, cùm cerebrum multa immunditia vitioſorum humorum repletum fuerit, febris tenuis habet, & corporis impotentia*; & hanc omnes ferè Medici admittunt, & pro communiori, & principaliori cauſa recipitur.

Hujuſmodi excrementa duplicis generis ſtatuit *Hipp. in lib. de Gland. num.* 9. ubi ait: *Cerebrum autem cladem præfert, etiam ipſum ſanum non exiſtens, ſed ſiquidem rodatur*, & paulò poſt ſubjungit: *Ac diſtrahit totum hominem, qui in ſe ipſo vocem non edit, ac ſuffocatur, & hæc affectio Sideratio, ac græcè Apoplexia vocatur*. Ubi per verbum *Rodatur*, denotat humores acres, & erodentes, quod confirmat in ſubſequentibus verbis: *Aliquando verò acris* (& exprimit humorem erodentem) *quidem non eſt fluxio, ſed copioſa in cerebrum influens ipſum affligit*; & ibi loquitur de excrementis non acribus, ſed ſola copia vitioſis, ut oſtendit verbum *Copioſa*, & aliunde etiam provenire, per verbum *Irruens*, in cerebrum, docet.

Ab humore ergo corrodente, & ab humore in copia redundante, non corroſivo, fit Apoplexia, per Hippocratem. Humor corrodens hanc parit, quando ſerum nutritium acrimonia donatum, percolando ab arteriis in glandulas corticalis ſubſtantiæ cerebri harum poroſitates corrodendo dilatat, ut ſint capaces particulas humorum craſſas recipere, quæ per fibrulas cerebri delatæ talis cumulus iſtarum congregatur in dictis fibris, vel medulla oblongata, ut temporis tractu impedimentum ponant ſpiritui animali ad organa ſenſus, & motus irradianda; unde Apoplexia.

Humoris non corrodentis copia colligitur in cerebro, quando ſua vaſa excretoria adeò debilia, vel impedita ſunt, ut excrementa, quæ in depuratione ſanguis etiam optimæ conditionis retinet, non valeant recipere, & ad loca excretioni deſtinata deferre, ex quo remanent in cerebro, & quotidiana, licèt paulatina additione tractu temporis fit humorum excrementitiorum cumulus Apoplexiæ cauſa, vel quia ſerum in toto redundans copioſè ad vaſa capitis defertur, & in ſubſtantiam cerebri, & ejus fibras, vel poroſitates effunditur dictum ſuperiùs impedimentum, conſtruendo ſpiritui animali, Hoc modo fit Apoplexia à vini tenuis copioſo potu, ab acidulis in quantitate ſumptis, ſi ab aſſumptione ſtatim potatores ſomno indulgeant, ab urina diù ſuppreſſa. In his cauſis obſervamus etiam obſtructionem, qua fluxus ſpiritus animalis ad

nervos impeditur; quapropter rationabiliter admittenda tamquam cauſa immediata Apoplexiæ, quia cauſa immediata impedit fluxum ſpiritus animalis ad nervos.

Cauſæ magis remotæ in ſtatione ſanguinis ab ingreſſu pituitæ in venas, ob iſtius redundantiam, ſunt, temperamentum pituitoſum, cibus, & potus aptus pituitam in copia generare; aer frigidus, humidus, craſſus; otium, & vita ſedentaria: ab his collecta pituitæ copia, & accedente cauſa calida extrinſeca, caput, & venas iſtius ſupra modum callefaciente, ut mora ſub radiis Solaribus, ad ignem in Hypocauſto, potus vini generoſi, intenſa applicatio, Apoplexia promovetur.

Dicitur ab Hipp. attrahi à venis excalefactis pituitam, non quia in iſtis ſit virtus attratrix, ſed quia à calore vaſa rareſiunt, ideòque ſpatium iſtorum dilatatur majoris quantitatis humoris capax, quàm de facto recipiunt, & cum ea magnam pituitæ, vel ſeri copiam in ſanguine redundantem. Hoc modo venæ excalefactæ attrahunt copiam pituitæ.

In ſtatione ſanguinis ab humore attabilari, erunt cauſæ remotæ temperamentum atrabilare, & omnes cauſæ non naturales excalefacientes, & aduſtioni ſanguinis inſervientes, iræ motus vehemens, & diuturnus.

Interceptio venarum ſtationem ſanguini imponens, ſi ſit à plenitudine, aderunt ſigna hanc demonſtrantia: Venæ turgidæ, temperamentum ſanguineum, victus ratio plena, & optimi ſucci, exercitium vel nullum, vel diminutum, prohibita corporis tranſpiratio, & ſuppreſſa aliqua conſueta ſanguinis evacuatio.

Cauſæ remotæ redundantiæ excrementorum in capite, ſunt, quæ frigidam intemperiem ei conciliare poſſunt; ut aer frigidus, humidus, iter cum pluvia, ſomni longi, intenſa, & continua applicatio mentis, animi paſſiones triſtes, immoderatum Veneris exercitium; ab iſtis enim non ſolùm debilitatur fermentum proprium capitis, ſed etiam expulſio excrementorum ordinaria impeditur. Talia excrementa ad cerebrum tranſmittuntur, & præcipuè à ſanguine; unde ſeroſa, vel pituitoſa cacochimia iſtius ad hoc eſt maximè efficax, & quæcumque hanc colligere poſſunt, erunt cauſæ remotæ Apoplexiæ, ab humoribus à partibus inferioribus transmiſſis ortæ: ſuppreſſa evacuatio menſium, & hæmorrhoidum, diminuta urinæ copio, prohibita tranſpiratio fuliginum totius, inter has enumerandæ.

Cauſæ externæ humoris acris, & corroſivi generationem promoventes, ſunt omnia ſalia acria, aromatica, potus vini generoſi, ſpiritus vini copioſus; & quæ maſſam ſanguinis excalefaciunt intensè, & ſeri urinoſi diminuta excretio, quæ poſtea in caput deponitur; ſerum urinoſum eſt acre, quia multa ſalia diverſi generis in eo diſſolvuntur.

Differentiæ Apoplexiæ tot poſſunt ſtatui, quot cauſæ prædictæ, quæ differentiam particularem ſtabiliunt ratione differentis cauſæ, à qua variatur curatio. Aliam differentiam habemus ab *Hipp.* 2. *Aphor.* 42. ubi Apoplexiam in *fortem*, & *levem* dividit, & diſtinguuntur ratione majoris, vel minoris difficultatis reſpirationis, & ſtertoris. Etmullerus, admiſſa hac differentia, determinat levem Apoplexiam eſſe Paralyſim, fortem eſſe hanc deſcriptam: verùm ſi per Paralyſim intelligimus deperditionem motus in una tantùm parte corporis, & per Apoplexiam, in toto corpore, non video, quomodo poſſit Paralyſis dici levis Apoplexia, cùm talis expoſitio repugnet ſignificationi nominis Paralyſis communiter acceptæ; ſi verò per levem Apoplexiam intelligamus eam deſinentem in Paralyſim, admittenda Etmulleri ſententia. Ab Helmontio diſtinguitur in *Privativam*, & *Poſitivam*. prima eſt, cum impedimento ſpirituum, vel in eorum motu, vel in eorum generatione; ſecunda eſt in ipſis ſpiritibus, quorum motus neceſſarius ad functiones in ipſis tollitur immediatè; ut à Narcoticis fieri obſervamus à fumo carbonum, tabaci, ed quæ ſpiritus hoc modo alterant ſanguinem etiam ſiſtunt; & convenit cum ſententia Hipp. in ſecundæ cauſæ explicatione recenſitæ. Alia dicitur *legitima*, alia *notha*: prima eſt, quando ſtatim motu, & ſenſu privatur homo; ſecunda, quando non eſt totale impedimentum in fluxu ſpirituum animalium, ſed tamen ſuperveniet, niſi arte præcaveatur; & hæc differentia comprehenditur in differentia allata ab Hipp. Apoplexiæ in fortem, & debilem.

Signa diagnoſtica, cujuslibet cauſæ recenſitæ *cit. in lib.* deſcribit *Hipp.* & de pituita ingreſſa venas excalefactas in capite, hæc habet: *Anterior pars capitis dolet*: dolorem eſſe gravativum, deduco à ſopore, quo gravatur æger, & ubi adeſt ſopor, dolor eſt ſolùm gravativus in capite, & ex natura humoris pituitoſi, qui cùm ſit acri qualitate deſtitutus, dolorem acutum, & pungitivum efficere impotens eſt, ut patet in omnibus doloribus à tali humore progenitis; ſed quia ſolùm ſuo pondere moleſtus eſt, ideò ſolùm gravativum dolorem efficit, quem parit etiam ſanguis ſtagnans, vel ſtationem in vaſis membranarum cerebri, vel in iſtarum ſinibus figens. Si adeſt dolor, adeſt læſio partis ſenſitivæ, & membranarum cerebri, in quas humor pituitoſus primò à vaſis transfunditur, cùm hæ ſint ſedes vaſorum ſanguifluorum, & per eaſdem omnia vaſa diſpergantur magis ramificationibus, & anterior pars eſt prima, quæ recipit ſanguinem, & cum hoc humores illi commixtos, cum arteriæ carotides per foramina frontis ingreſſæ duræ matri multas ramificationes præbeant. Anterior etiam pars cerebri humorum fluxum magis recipit, quia, ut ait Hipp. *Cerebrum ad anteriorem magis capitis partem ſitum eſt*. *Oculis non æqualiter videt*, non aufertur de toto viſus, ſed eſt turbatus, & ſpiritus animales in eis nec æquali fluxu moventur, nec æquali luciditate ſplendent; ideò inæqualiter videt. Hipp. ab inflammato, hoc eſt excalefacto cerebro viſum turbari vult; cùm à calore inordinatè ſpiritus in oculis agitentur, & vaporibus ab eodem elevatis, & ſpiritibus mixtis turbidi, & opaci reddantur. Agitatio, & opacitas ſpirituum viſum turbat, & etiam turbatur viſus, quia cerebrum procumbit, hoc eſt, pendet verſus oculos; quia jam dixit Hipp. *Cerebrum pro majori parte, ſitum eſſe in anteriori parte*, & à materia in hac parte effuſa in copia, à vaſorum turgentia, à dolore major pars materiæ in hanc partem impellitur, quæ premendo nervos opticos cum impedimento copioſi, & æqualis influxus ſpirituum animalium, inæqualem viſum efficit, & turbidum. *Propenſionem in ſonum gravem habet æger*; etiam obſtructionis in poroſitatibus cerebri eſt principium, cùm ſomnus ab his proveniat, & ſopor materiam etiam pituitoſam in capite demonſtrat. Venæ pulſant ſtationis ſanguinis indicium; arteria enim ſanguine ſtagnante tumefacta ob impedimentum, majorem pulſum edit, quod etiam in tumoribus externis obſervamus, ratione plenitudinis vaſorum, & ſanguinis ſtagnantis, & impedimenti. *Febris debilis tenet*, & potius eſt alteratio; pulſus pendens ab arteria pulſante, vel à cauſa, à qua caput ſummè calefactum fuit. *Corporis impotentia*, & eſt completa Apoplexia, quæ motum omninò tollit, & ſenſum; (ſunt enim adeò inter ſe unitæ potentia ſenſitiva, & motiva, ut una alterius paſſiones ferè ſemper ſubeat) completa obſtructione poroſitatum cerebri, & nervorum, & ſtagnante jam ſanguine, cum ſtatione, & quiete. Hæc impotentia eſt ſignum eſſentiale Apoplexiæ alia ſuperiùs declarata, accipienda potius pro ſignis imminentis Apoplexiæ.

Signa prognoſtica hujus Apoplexiæ, ibidem deſcribit Hipp. his verbis: *Et ſiquidem ſanguis, ac reliquum corpus ſuperarint* (intellige frigiditatem pituitæ) *ut caleſcant, Homo evadit, cùm calore in corpore, & ſanguine excitato pituitæ frigiditas, & viſcoſitas tollatur, & ſanguis, & ſpiritus à ſtatione jam introducta liberatur; ſi verò pituita prævaluerit impediendo excitationem caloris in corpore, & ſanguine magis hic perfrigeratur, & congelatur, & Homo moritur*. Hinc colligimus, in Apoplexia calorem corporis augeri, bonum ſignum, refrigerari, vel refrigeratum permanere, malum.

Signa diagnoſtica Apoplexiæ ab atrabile, enumerat *Hipp. cit. loc. de morb.* 2. *n.* 6. *Derepentè dolor occupat caput, & ſtatim vox intercipitur, & impotens fit tam in motu, quàm in ſenſu*. Adnotandum eſt ad diſtinguendam differentiam Apoplexiæ, quam parit pituita, ab hac, cujus cauſa ponitur atrabilis, in quibus duobus adeſt dolor capitis; obſervandum eſſe in hac ab atrabile, derepentè dolorem caput occupare ſine cauſa manifeſta, ubi dolor capitis in Apoplexia à pituita, non invadit derepentè, & cum cauſa manifeſta caloris extrinſeci invadit, ita etiam ſtatim vox intercipitur, & fit impotens, quod non contingit in Apoplexia à pituita.

Pro-

Prognoſtica: *Hic ſeptem diebus moritur, ſi febris non invaſerit; ſi enim hæc invaſerit, ſanus evadit*, quia febris ea efficit ſuo calore, licèt præternaturali, quæ deſcribit Hipp. neceſſaria pro ablatione morbi, ut ſanguis caleſcat, attollatur, diffundatur, & moveatur. Sanguis ita diſpoſitus à calore febrili liberam inducit ſpirationem, dum liberè circulatur, ſpumeſcit (hoc eſt ſummè rareſit) & per talem raritatem bilis atra, ideſt melancholia in eo contenta ſeparatur, & obſtructionem patiens à raritate motum, & fluxum recuperans, liberam circulanti ſanguini, & fluenti ſpiritui viam relinquit. Advertendum autem, febrem, ad hoc ut id peragat, ſtatim debere invadere, & colligitur ab *Hipp. lib. 2. de morb. n. 22. Si quis ex ebrietate, voce privetur, & ſtatim etiam ipſum febris corripiat, ſanus fit;* quod de Apoplexia ab ebrietate dicitur, Apoplexiæ ab alia cauſa, præterquam à plenitudine vaſorum, congruit. Habemus etiam ab Hipp. febres multo poſt Apoplexiæ ſupervenientes eſſe perniciosas; ita *Hipp. lib. de Coac. prænot. ſect. 3. verſ. 55.* ubi ait: *Apoplexiæ affectiones repentinæ exſolutorio modo fientes, febre temporis progreſſu accedente pernicioſæ*. Secundò advertendum, non omnem febrem eſſe ſalubrem, ſed illam ſolùm, quæ oritur à conatu naturæ concepto pro debellanda materia morboſa, & ea à ſanguine, & cerebro expellenda; hæc enim ſola prædicta efficit bona, & talis eſt febris de genere ephemerarum, & ſynochorum imputrium: Febris verò putrida in Apoplexia eſt lethalis, cùm inſerviat diſſolutioni virium, & naturæ ſit gravis, quia hujus virtutis diſſolutiva. Tertiò in Apoplexia à plenitudine ſanguinis febrem non eſſe ſalutarem, quia hæc efferveſcentiam, & rarefactionem majorem ſanguini conciliando, plenitudinem majorem facit. *Si verò ſanguis non caleſcat, nec ſuperior evaſerit adhuc magis perfrigeratur, & ubi penitùs perfrigeratus fuerit, & calor ex ipſo defecerit, congelatur, & moveri non poteſt, ſed moritur*.

Signa diagnoſtica tertiæ cauſæ ab interceptione venarum, tradidit *Hipp. 4. de rat. vict. in acut. n. 37.* in illis verbis *cit. mox text.* Coincidunt autem plurimis ipſorum hæc: *Rubores faciei*, à copia ſanguinis in capite, & venis jugularibus ſtagnante, *oculorum ſtabilitates, digitorum in manibus diſtenſiones, dentium ſtridores, maxillarum contractiones*. Hæc ſymptomata ſunt convulſiones à plenitudine dictarum partium, extremorum perfrigeratio, quia ſanguis novus, ob impeditum motum in ſuperioribus, ubi ſtagnat, non fluit ad dictas partes motu ſuo calefaciendas. Spirituum in venis interceptio, intercipitur ſanguis in venis, intercipitur etiam ſpiritus, & quieſcente ſanguine quieſcit ſpiritus ille, qui naturæ operanti ſervit. Pulſationes accidunt: hæ ſunt paſſiones arteriarum, quo in loco fiant, non dicit Hipp. probabile tamen eſt ſuccedere in capitis arteriis, in quibus ſtagnat, & quæ ab obſtructione jugularium implentur cum ſtatione ſanguinis in eis, adveniens ſanguis de novo ab arteriis inferioribus cum ſuo impulſu, non poteſt movere ſanguinem ſtantem, & impellere ad locum, & ſpatium deſtinatum, totus impetus ſanguinis advenientis transfunditur in arteriam, cum magna pulſatione iſtius.

Signa redundantiæ excrementorum, vel immunditiei, ut loquitur *Hipp. lib. 3. de morb. num. 3.* ibi deſcribit, & ſunt ferè eadem cum ſignis primæ cauſæ ſuperiùs allatis, quia etiam cauſa non valdè diverſificatur: *Anterior pars capitis primò dolorem ipſis exhibet, & ſuſcipere non poſſunt aliqui ambobus oculis, aliqui altero, & ſopor iſtos tenet, & deſipiunt*. Omnia hæc ſigna jam ſunt explicata. Solùm adverto, per ly *deſipiunt*, non intelligere Hipp. delirium, ſed defectum, & abolitionem intelligentiæ, pro qua explicanda utitur verbo *Deſipere*, ut notat *Martianus in Com. lib. de Gland. verſ.* 103.

Prognoſtica habet ibi Hipp. & ait: *Hic in tertia, vel quinta moritur, ſed ad ſeptem non devenit; ſiverò devenerit, à morbo liber evadit*.

Signa diagnoſtica Apoplexiæ ab acri humore, referuntur ab *Hipp. cit. lib. de Gland. n. 9. Turbationem multam ſuſtinet*, quam ſemper paulò ante invaſionem Apoplexiæ experiuntur Apopletici; *Mens deſipit*, hoc eſt aboletur, *& cerebrum convellit* (non dicit nervos, ut excludat motus convulſivos:) Cerebrum concutitur ab impetu ſpirituum animalium, quo confusè, & inordinatè agitantur vel in glandulis cerebri, vel in fibris, vel in emporio ſuo prope medullam oblongatam, vel in omnibus his locis; obſtructa enim via ſuo curſui deſtinata, retrocedunt cum impetu, & eodem movent reliquos ſpiritus in cerebri ſubſtantia contentos, inordinatè, & cum agitatione, à qua cerebrum concutitur, ac ſi motu convulſivo afficeretur. *Ac diſtrahit totum hominem*, hoc eſt, ſine motu, & ſenſu relinquit, *qui inter ſe ipſo vocem non edit, ac ſuffocatur*: vocem non edit, quia muſculi laryngis neceſſarium influxum ſpirituum animalium pro articulanda voce non recipiunt; *ac ſuffocatur*, hoc eſt inſeparabile ab omni Apoplexia ſignum. Suffocatio advenit à ſtatione ſanguinis in pulmonibus, ob refrigeratum ſanguinem in iſtis, ſicut in aliis partibus ob deficientiam ſpiritus animalis, à quo ſanguinem calefieri, & volatizari, huic conſignato cum ſucco nerveo medio vaſorum lymphaticorum in emaciatione partis paralyticæ argumentum habemus. Spiritum animalem recipiunt vaſa lymphatica à nervis grandulis, à quibus oriuntur implantatis. In Apoplexia ventriculi cordis parùm dilatantur, ut patet à pulſus parvitate in hoc affectu, & parvam quantitatem ſanguinis à pulmonum vaſis recipiunt, remanente ea quantitate in iſtis, quæ amplæ dilatationi cordis ſufficeret, ut impleretur ab iſta quantitate, in omni cordis dilatatione magis ſemper aucta implentur vaſa pulmonum, à plenitudine oppreſſi motum paulatim amittunt, cum ſuffocationis periculo.

Prognoſtica non addit Hipp. ſed ex notione generationis hujus Apoplexiæ poſſumus deducere lethalia; imò incurabilem morbum, cùm eroſio, ſeu dilatatio poroſitatum glandularum cerebri ſit morbus organicus, impoſſibilis ferè curationis, ideòque maximè lethalis morbus ab ea proveniens.

Curatio diſtinguenda pro diverſitate cauſarum. Cauſa diverſa indicat remedia diverſa, loquendo de cauſis remotis, non de conjunctis, quæ ſemper una eſt, nempe obſtructio. Cauſæ hujus obſtructionis ſunt remotæ, à quibus indicationes eliciuntur pro auferenda obſtructione, & quia dictæ cauſæ ſunt diverſæ, diverſa etiam convenient remedia. De eis remediis, quæ conveniunt primæ, & ſecundæ cauſæ ſuperiùs deſcriptæ, ex Hipp. nullum habemus clarè deſcriptum; aliquid tamen deducere datum eſt reſpiciens remedia, & indicationes, ex verbis *in n. 6. de morb. 2.* deſcriptis, ubi exponitur cauſa Apoplexiæ à nobis ſecundo loco allatæ, quæ ſunt, *Et ſi ſuperior evaſerit, itaut ſanguis caleſcat, ſive ab iis, quæ exhibentur* (hæc nota) *ſive à ſe ipſo attolitur, & diffunditur, & movetur*; à quibus erudimur, principalem indicationem in duobus primis cauſis eſſe ſanguinem calefaciendi. Talis indicatio convenit humori pituitoſo, & atrabilari, ideſt melancholico, cùm eorum natura ſit frigida, cum craſſitie, vel viſcoſitate conjuncta, à calefacientibus utraque corrigitur, ab eiſdem obſtructio etiam tollitur attenuatione, vel reſolutione materiæ obſtruentis.

Inter medicamenta ſanguinem calefacientia, & ſpiritus excitantia, video ab Hipp. enumerari *Balneum calidum*; *lib.* enim *2. de morb. n. 21.* agendo de morbo ſimili Apoplexiæ, & meo judicio, de Caro, ut expoſui in Diſſert. ſuperiori de Caro, proponit *lavare ægrum multa calida*, ideſt lavare ægrum aqua valdè calida, quod declaravit ſub ſequentibus verbis. *Et maximè calefacere*; ex quo patet, Hipp. proponere balneum, ſeu lavacrum, quo ſanguis non ſolùm calefiat, ſed fundatur, diſcutiatur, & abſumatur, & eſt illud, cujus uſu rubedo in cute ſupervenit. Hoc remedium eſt maximè in Apoplexia conveniens; in hac indigemus caloris excitatione in ſanguine, & in corpore, ſanguini coagulato, & immobili, motum, & fluiditatem reſtituere, humorum à capite averſione, & ad extimas partes vocatione: hæc omnia peragit balneum aquæ valdè calidæ, ut conſideranti patebit. Hoc remedium etiam eſſe evacuatorium, *Fernel. lib. 2. de venæ ſectione* probat. Neque timen-

timenda eſt hoc remedio frigido potentia, humoris contumacior incraſſatio, prout aliqui ſuperſtitiosè nimis timent, quia quod eſt potentia frigidum, non exercet talem potentiam, cùm actu calidum exiſtit; nam actus impedit potentiam, quapropter cùm aqua calida ſit actu talis, & ſolùm potentia frigida calefaciet, non refrigerabit; neque balneum calidum valdè, & potens agere ſuperiùs dicta, ſomnum conciliat, ut aliqui opponunt, imò arcet, copioſam vaporum tranſpirationem promovendo, à quibus caput vindicatum vigilia ſupervenit. Neque in morbo citiſſimæ judicationis expectanda eſt humorum concoctio, ut communiter cenſent Medici in uſu balnei in morbis, quia ſumus in cura coacta, & agitur de conſervanda vita ægrotantis per momenta periclitantis, in quo caſu non ſunt procraſtinanda remedia; etiamſi à balnei, ſeu potiùs lavacri uſu, alius morbus, minor tamen excitaretur, cùm Apoplexiæ eradicatione bonæ fortunæ tribuenda morbi certò lethalis, in certo ſanabilem morbum tranſmutatio. Balneum debet peragi in concha lignea, teſtacea, vel ænea, excepto capite, vel per ſpongias aqua valdè calida imbutas, & corpori applicatas, & ſæpe reiteratas, vel per lintea in dicta aqua immerſa, & toti corpori circumvoluta, vel lavando corpus cum aqua valdè calida, ſpongiis, vel linteis in ea madefactis, & per longum tempus duarum, vel trium horarum; & quia Hipp. deſiderat balneum valdè calidum, poſſet aqua alterari ſimplicibus calidis, ut *foliis Lauri*, *Rutæ*, *Origani*, *Pulegii*, *Calendulæ*, *Lavendulæ*, *Chamædrios*, *Serpilli*, *Roſmarini*, *Majoranæ*.

Hujuſmodi balneum conveniet etiam in interceptione venarum à pituita, & atrabile, ſeu melancholia pro cauſa obſtructionis auferenda, & expreſsè Hipp. fomenta ante venæ ſectionem imperat *lib. 4. de rat. vict. in acut. n.* 38. ubi ait: *Quare talibus fomentis prius adhibitis venam ſecare oportet ſtatim ab initio.*

Quare utendum ſit fomentis ante venæ ſectionem, declarat cauſa interceptionis venarum. Hæc, ut dictum fuit, eſt humor craſſus, viſcidus, ſine motu, hic à fomento attenuatur fluiditatem, & motum acquirit, & cum his qualitatibus aptitudinem ad exeundum per venam ſectam, & præcipuè ſi ſecetur jugularis, hoc exeunte humore venæ ab interceptione, obſtructione, & impedimento liberantur. Poſſumus etiam dicere cum *Martiano in com. hujus loci*, convenire fomentum ratione humorum acrium, ſi ab iſtis Apoplexia proficiſcatur, ut dictum fuit, pro iſtorum attemperatione, & ut ab iſtorum actione, prout dicit *Hipp. cit. loc.* rationem eſſe venæ exſiccatæ, & anguſtæ factæ dilatentur pro faciliori evacuatione humoris acris, addo, ut ferocia talium humorum moderetur, ne in ipſo actu miſſionis ſanguinis agitati majori clade in ſanguinem deſæviant, & ut eorumdem mitigatione evitentur mala, quæ ſolent ſequi miſſionem ſanguinis, ubi bilis redundat.

Fomento peracto imperat Hipp. in interceptione venarum venæ ſectionem, & ſtatim, & ab initio, ut patet in textu; convenire ſectionem venæ in interceptione venarum, præter auctoritatem Hipp. ſuadet ratio, nam ab interceptione dicta ſanguinis plenitudo colligitur in capite, ut demonſtratum fuit. Sanguis eſt ſine motu, tam in capite, ubi ſtagnat, quàm in univerſo corpore, in quo refrigeratur. Spiritus animales à plenitudine ſuffocantur, & miſſio ſanguinis tollit plenitudinem, motum ſanguini conciliat, & plenitudinem auferendo ſpiritus erigit, conſequenter convenit venæ ſectio à quacumque cauſa procedat interceptio, ſeu obſtructio venarum.

Statìm eſt facienda ſanguinis miſſio, juxta præceptum ab Hipp. allatum tam *in cit. textu*, quàm *in* 3. *Aphor. primæ ſect. Bonum habitum ſtatim ſolvere expedit*, hoc eſt plenitudinem in Athletis ſtatim ſolvendam eſſe ſanguinis miſſione, cùm in hoc caſu adſit plenitudo particularis; ideò ſtatim pro iſtius ſolutione mittendus ſanguis, & in Athletis ſtatim ſolvenda plenitudo, quia cùm in melius progredi non poſſint, neceſſe eſt, ut in deterius decidant: in noſtro caſu, cùm immineat totalis ſuffocatio caloris in cerebro, & in pulmonibus, ne hæc ſuccedat, ſtatim mittendus ſanguis.

A brachii vena mittendum ſanguinem, imperat Hipp. Experientia oſtendit magis proficuam eſſe ſectionem venæ jugularis, & certè ab hujus ſectione plenitudo capitis facilius demitur, cùm orificia jugularium ſinui duræ matris in parte poſteriori capitis, in quo ſanguis vaſorum capitis totus pro reductione ad cor colligitur, correſpondeant. Quantitatem ſanguinis monet determinandam eſſe ab ætate, ab habitu corporis, & conſequenter à viribus, itaut tantum ſanguinis educatur, quantum vires tolerare poterunt. Nec ab hoc remedio nos retrahere debet *Celſi* dictum, *Si ſanguinis miſſio non ſanat, interimit*; nam Celſus cognovit eſſe remedium, à quo ſanitatem expectare licet, quapropter ſi non ſanat, remedium non eſt culpandum, ſed natura, quæ non eſt diſpoſita ad ſuſcipiendum remedii beneficium, vel morbi vehementia hujus remedii efficaciam contemnens, & inanem ejus virtutem reddens.

Curationem interceptionis venarum, & Apoplexiæ proſequitur *Hipp. in cit. loc.* 4. *de rat. vict. in acut. n.* 38. his verbis: *Et refectis viribus, & conſideratis indicationibus medicamentum exhibere ſurſum purgans, ſi non allevietur; ad infernam vero alvum, ſi non ſubeat, infuſum per Clyſterem adhibere. Poſtea verò lac aſininum coctum dato, & non minus, quàm duodecim heminas bibat: ſi verò virium robur adſit, plures quàm ſexdecim.*

In curatione hujus Apoplexiæ ab interceptione venarum, poſt miſſionem ſanguinis, de virium refectione cogitat Hipp. ut poſſit ſuſtinere alteram evacuationem per vomitum, quam neceſſariam cenſet pro integra curatione hujus morbi, unde erudimur, facta una evacuatione ſanguinis, vel purgatione, aliam non aggredi, niſi refectis viribus in priori evacuatione debilitatis. Hoc agit Hipp. in morbo, qui non dat inducias; non eſt tamen contemnendum tale documentum in morbis, in quibus operandi occaſio non eſt præceps. Alterum documentum ab hac Hipp. ſententia accipimus conſervandi vires in morbis, harum robore morbi ſuperantur, harum languore morbi ſuperant, & interimunt; intelligant tandem Medici naturam, hoc eſt vires ægri morbum vincere, non remedia, nec artem; hoc Intellecto pernicioſum agnoſcant reiteratas ſanguinis miſſiones, & purgationes, ſi virium robur ab his conteratur, & judico conteri, quando ab illis morbus non fit minor.

Vires reficiuntur optimis alimentis facilè digeſtibilibus, ut ſunt *Ova ſorbilia*, *jura conſumata*, *contuſa Carnium*; reficiuntur etiam remediis ſpiritoſis, quæ non ſolùm ſpiritus addunt ſanguini ſua ſubſtantia tota ſpiritoſa, ſed in ſanguine latentes, & otioſos ad exercitium revocant, cum magna virium refectione. In hoc genere ſunt *Quinta Eſſentia Roſmarini*, *Juniperi*, *Aqua dicta Reginæ*, *Spiritus Cornu Cervi*, *Fulignis*, *Succini*, *Sanguinis humani*, *Aquavitæ cum Aromatibus infuſis*, *Aqua Cinamomi*, *Theriacalis*, *Elixir proprietatis*, *Aquæ Antipopleticæ Magnanimitatis dictæ*, *deſcriptæ à Quercetano*, *Schrodero*, *in Pharmacopæa Auguſtana*, *& aliis Pharmacopæis*, quæ tutò exhiberi poſſunt, præcedente ſanguinis miſſione; nec ea inferre poſſunt detrimenta fuſionis majoris humorum, & raptus iſtorum ad caput, cum augmento morbi, quæ timentur à *Dodonæo in lib.* 3. *de Hiſtor. Stirpium cap.* 33. & à *Cratone conſil.* 57. & cum ratione, in principio, non præcedente ſanguinis miſſione. Cum refectione virium hujuſmodi remedia ſanguinem magis excalefaciunt, & ſeparationem humoris noxii ab eo promovent.

Refectis viribus conſiderandæ ſunt, ex Hipp. decreto, Judicationes; hoc eſt motus naturæ, quæ ſi aliquam tentaverit evacuationem, curationis opus ei relinquendum, quòd ſi inceptum non perfecerit, Medicus per loca à natura electa propriis remediis ultimam dabit manum.

Si nullus apparebit naturæ motus, refectis viribus, jubet Hipp. *Vomitivum*, quia peccat materia excrementitia, nempè bilis atra, ſeu melancholia, vel pituita, quæ purgationem exigit, & non eſt evacuata per ſanguinis miſſionem; & ſicuti eſt adminiſtrata pro tollenda plenitudine particulari, & pro conciliando illi motu abla-

ablato ab humore venas intercipiente, ita hic eſt expurgandus, qua de cauſa vomitivum poſt miſſionem ſanguinis determinat Hipp. quod exhibitum poſt balneum, & miſſionem ſanguinis, refectis viribus, nec caput replebit impulſa per vomitus conatum materiæ copia ad caput, nec ſuffocationem in difficili reſpiratione inducet, prout timent illi, qui vomitum in Apoplexia tamquam exitioſum rejiciunt, quia & caput, & pulmones à ſanguine detracto depleti dicta pericula arcent, & eò magis ſi motum recuperaverit ſanguis, à quo cum facilitate exinaniuntur, ſi ſanguinem in copia per conatum vomitus receperint caput, & pulmones. Imò per vomitum ſequente copioſa materiæ, & excrementorum evacuatione à toto morbus minuetur, ſi non delebitur, prout cenſent illi, qui vomitiva in Apoplexia utilia putant; imò videntur neceſſaria, dum miſſio ſanguinis non conferens humores etiam excrementitios foventes Apoplexiam dominari docet, qui educendi, ut æger convaleſcat, nec efficaciori medio ad hoc conduci poteſt, quam vomitu, quo humores etiam in capite quieſcentes educuntur.

Inter vomitiva tutiora enumeratur *Sal album Vitrioli*, *Sapa vomitiva*, *Syrupus vomitivus*, *Infuſio Croci metallorum*, *Mercurii vitæ*, & *Antimonii Hyacinthini*. Cum hac cautione tamen vomitivum exhibet Hipp. ſi æger non allevietur à miſſione ſanguinis, & à fomentis præcedentibus, itaut videatur cenſere Hipp. ſi æger utilitatem perceperit à venæ ſectione, & à fomentis, vomitivum non eſſe exhibendum; quo documento redarguit Medicos illos, qui remittente aliquo modo morbo, cum ſymptomatibus ſuis, tamen purgationes, & ſanguinis miſſiones, & ſudores, & urinas promovere tentant, abſente omni naturæ motu, & ſine manifeſta inclinatione iſtius ad talem evacuationem. Remittente morbo acuto, negotium naturæ totum committendum, iſtius conſervationi ſolùm ſtudeat Medicus. De purgatione per alvum, niſi per Clyſterem, ſi non ſit obediens, non loquitur Hipp. ſolam curationis Apoplexiæ ſpem à vomitu concipiens, & cum ratione; vomitu enim purgatur caput facilius, quàm à purgantibus per alvum; ideò *Hipp. in lib. de Locis in hom. num.* 47. ait: *Vomitus conducit fluxioni à capite fluente*. Pari ratione in Apoplexia ab interceptione venarum, ſive à pituita, ſive à melancholia proveniat, vel à quocumque alio humore excrementitio, vomitivum exhibendum, refectis viribus, ſi ſanguine miſſo illius inſultus non remiſerit.

Poſt vomitiva, Errhyna pro capitis purgatione conveniunt, & videntur indicata ab humore reſiduo in capite, cum pulvere *Rad. Hyreos*, *Cyclaminis*, *Hellebori albi*, *vel Betonicæ*, *Majoranæ*, *vel cum ſpeciebus Hiere ſimplicis Gal.* & hujuſmodi Errhynis uſus eſt etiam *Hipp. in Caro lib. 2. de morb. num.* 22. ubi imperat *Cœpas decorticatas in nares imponi*, & pro excitatione ægri, & pro materiæ evacuatione à capite, utrumque enim Cœpa efficit.

Pro integra curatione hujus affectus proponit Lac aſininum coctum, ad heminas ſaltem duodecim, & ſi virium robur adſit, pluſquam ſexdecim. Hemina pendet drachmas ſexaginta. Hujuſmodi quantitas Lactis ab Hippocrate determinatur ſolùm, quando purgare intendit, non ad alterandos humores, in cujus confirmationem poteſt adduci Lactis aſinini electio, quæ ad purgandum magis valet, quàm alterius generis Lac, & modus parandi, Lactis coctione; Lac enim aſininum coctum magis purgat, quàm crudum; Lac ergo proponi pro purgatione blanda humorum, qui in toto redundant, ne ad caput ferantur, & etiam eorum, qui in capite remanſerunt, pro perfecta iſtius emundatione credendum eſt. Quo tempore ſit exhibendum Lac, non docet Hipp. ſed videtur colligi poſſe à verbis textus; poſtquam enim dixerit exhibendum eſſe *medicamentum ſurſum purgans*, *ſi non allevietur æger à ſanguinis miſſione*, & *poſtquam Clyſterem* imperaverit, *ſi alvus non ſubeat*, ſubjungit: *Poſtea verò Lac aſininum coctum dato*. Ab his verbis deducitur, aliquot dies poſt, ad Lactis uſum eſſe deveniendum, nam à vomitivo etiam leni purgatio aliqua per alvum ſuccedet, poſtea, ſi alvus non reſpondeat, Clyſtere irritanda, hæc aliquorum dierum tranſitum admittunt; & ratio ducta ab hoc textu, hunc tranſitum dierum exigit, nam ſi antequam medicamentum ſurſum purgans poſt miſſionem ſanguinis exhibeat, refectionem virium deſiderat, eadem refectio deſideranda poſt vomitivum, antequam purgatio Lacte inſtituatur; refectis ergo viribus; poſt vomitivum, purgationem cum Lacte molliri opportunum erit.

An ſemel, vel pluries hujuſmodi purgatio ſit molienda, non manet determinatum in textu. Determinabitur à redundantia humoris excrementitii, à tollerantia purgationis, & morbi diminutione. Si cognoſcamus humorum reliquias remanere, ægrum leviter talem tolleraſſe purgationem, & morbum aliquam ſenſiſſe diminutionem, replicanda purgatio, ſed ſemper refectis viribus.

Si ægro non arrideat Lac, & hoc abominetur, ad imitationem Hipp. blandum eligendum medicamentum pro purgatione, ut *Agaricum throciſcatum ad ʒ. i. Manna ad ℥. iii. vel iv.*

Ab hac explicatione detegitur error illorum, qui volunt, Lac ab Hipp. exhiberi pro attemperatione humorum acrium, de quibus loquitur in textu; nam apertum eſt in Hipp. ſcriptis, Lac ad hunc finem exhibitum ſemper in parva quantitate ſubminiſtrari.

Altera Apoplexiæ differentia eſt ab humore excrementitio cerebri ſubſtatiam inundante, & ex ſopore huic conjuncto, vel potiùs præcedente colligitur eſſe pituitam fluidam, vel ſerum, cùm ab his humoribus ſomnus facillimè inducatur. Pro hujus curatione *lib.* 3. *de morb. num.* 3. fomentum capiti proponit eo modo, quo dictum fuit de Lethargo, etiam alteratum modo ibi dicto conveniet, cùm tale fomentum adhibeatur pro humoris reſolutione, & pro ejus attenuatione; attenuatus enim à venis abſorbetur, & cerebri ſubſtantia ab inundatione pernicioſa liberatur, quæ in principio morbi etiam conveniunt, quia loquitur de humore ſolùm exiſtente in cerebro, ſine vitio alterius partis humorem continuò generantis, & ad cerebrum tranſmittentis, quapropter tota cura conſiſtit in reſolutione talis humoris vitio cerebri ſolùm, vel vitio cauſæ externæ collecti; unde colligimus documentum localia applicandi parti affectæ etiam in principio, quando hæc vitio eſſentiali, vel alicujus cauſæ externæ importuna actione laborat. Sed attentè ponderato textu apparet intentum Hipp. eſſe fomento præparare humorem in capite, & cerebro collectum, & præcipuè fomento attenuare, & fluxibilem facere, ut cum facilitate valeat exire, unà cum ſanguine exeunte à ſectione in capite facta, quam poſt fomentum imperat, & etiam cum pari facilitate purgari per nares, quam purgationem poſt dictam ſectionem aggreditur Errhynis.

Sectionem imperat Hipp. poſt fomentum, ſed in qua parte, quo in loco, & quomodo ſit facienda non monet; quapropter cenſendum, ſe referre ad ea, quæ de hujus ſectione dixit *lib.2. de morb. n.* 25. loquendo de Sideratione. Hæc ſunt verba: *Sinciput ejus ſcindito*, & *ubi ſanguis defluxerit labiis compoſitis curato, ac deligato*. Sinciput ſecat, quia dolor eſt in anteriori capitis parte, prout reperitur in caſu propoſito in *text.* 3. *lib.* 3. conſequenter etiam in hoc ſectio facienda in ſincipite pro traſpiratione, ideſt pro evacuatione humoris morbum facientis, mediante conſenſu, quem habent venæ externæ capitis cum venis internis ejuſdem; hujuſmodi operationem, tamquam nimis crudelem, ægri, & Medici abhorrent, & potiùs amant ſectionem venæ in fronte. vel ſanguinis miſſionem à naribus cum hyrundinibus. Alii cum cauterio, vel in ſutura coronali, vel in ſincipite inuſto, vel cum veſicantibus, vel ſupra caput, vel retro aures, vel ſpatulis applicatis.

Sternutatoria etiam pro materiæ evacuatione præſcribit, ob rationem allatam vitii eſſentialis cerebri. Errhyna odorata vult Hipp. ſed leviter; aſpergendi ergo pulveres pro Errhynis electi *Aqua Roſ. vel Ol. Citri*, *vel parvo Moſcho*, & *Ambra mixto*. quibus mul[illegible] tuntur ad Hipp. imitationem. Ab odoratis promovetur purgatio humorum in capite exiſtentium, quia tenuem, fluxilem ſuis particulis volatilibus reddunt humorem, & ad evacuationem magis idoneum. Leves vult odores, quia magni caput potiùs replent, quàm purgent.

Agnoſcant Criminatores, Hipp. non prætermittere in curatione hujus Apoplexiæ nec ſanguinis miſſionem, nec purgationem, ut opponunt, ſed utramque exercere; ſed diverſo modo, prout exigit humor excrementitius extra vaſa, inundans cerebrum; ſine plenitudine univerſali, nec particulari ſanguinis, ſine impedimento motui circulari illius, & ſine ſtatione.

Poſtea purgationem proponit, & ultimo loco, non curationis gratia, ſed præſervationis, vel ad prohibendum humoris excrementitii fluxum, qui in qualibet gravi corporis indiſpoſitione, & præcipuè partis principalis ſolet generari, vel ad avertendam recidivam, pro qua in ſimili morbo purgationem imperavit *in libr.* 2. *n.* 21. in caſu ſimilis Apoplexiæ, his verbis: *Et paucis interpoſitis diebus pharmacum deorſum purgans dato bibendum; ſi enim ipſum non purgaveris, periculum eſt, ne morbus revertatur*. Cur verò in hoc caſu purgatio per alvum imperetur, cùm aliàs per vomitum promovendam hortatus fuerit, ratio eſt, quia in hoc caſu ſerum, & pituita fluida peccant, & morbum faciunt extravaſando, & horum eductio eſt facilis per alvum, ratione ſuæ tenuitatis, & fluiditatis. Quare purgantia erunt, quæ ſeroſis humoribus conveniunt: *Diagridium, Jalappa, Mechoacan, Elaterium, Manna, Syr. Ror. ſol. Electuarium Hydrogogum Sylvii.*

Eodem modo curanda Apoplexia ab humore ſeroſo corrodente, quia & hic per ſubſtantiam cerebri diffunditur, & eodem modo educitur. Solùm mihi videtur fomentum parandum cum herbis acrimoniam modificantibus; tales ſunt *Malva, Althea, Parietaria, Brancaurſina, Fœnugræcum, Melilotum.*

Sedato inſultu apopletico, reſtitutoque ſenſu, & motu partibus, ſi non integrè, ſaltem aliquo modò ſenſibili, corroborandum caput, peccante pituita, melancholia, ſero, & ſtatione ſanguinis, cœphalicis calidis, aromaticis, & volatilibus; inter quæ *Mithridatum, Antidotum cœphalicum majus, confect. Diambræ, Diamoſchi, Spiritus Vini*, in quo cœphalica calida fuerint infuſa, ſumptus poſt prandium, & cœnam in doſi moderata. *Aquavitæ Matthioli. Quinta Eſſentia Roſmarini, & Juniperi. Decoctum Serpilli in Clavi Schroderiana Hoffmanni deſcriptum. Ex Mithridato, Caſtoreo, Charabe, & Cinabri nativa F. B.* efficaces pro cerebro corroborando, & poſt ſumenda *Aqua Apopletica magiſtralis.* Humore acri peccante, convenit *Decoctum Santalorum, Confectio eorumdem, Lac, & Serum, cum cicoraceis, & paucis cœphalicis diſtillatum, Phlegma Vitrioli ad* ℥. *ii. cum Aqua Nymphææ, Sacharum, Roſ. Viol. cum pulv. Charabe*, manè, & ſerò. Extrinſecus applicetur capiti *Ceratum capitale Montagnanæ, Ceratum de Betonica, Ceratum ex limacibus cum cortice.*

Præſervantia à cauſis ſunt petenda, quas cùm varias demonſtraverimus, varia etiam erunt remedia, & à cauſis determinanda ſeligendo, quæ ſunt contraria. Magnum remedium eſt in præſervatione à quacumque Apoplexia exactum, & rigoroſum regimen in omnibus ſex rebus non naturalibus, & etiam omni menſe purgans aſſumere correſpondens humori peccanti, vel vomitivum, ſi ſit facilis vomitus. Si à Plenitudine, bis quocumque anno, Vere, & Autumno, mittendus ſanguis, etiam ab hæmorrhoidibus. Redundante pituita, & melancholia, & ſero, omnia cœphalica calida conveniunt, ut & ſudorifica *ex Ligno ſancto, Salſa, Viſco quercino, Ligno juniperino*, ſicut & Vina medicata, ex his parata. Humore acri peccante, ab his omnibus abſtinendum quia acrimoniam augent, & ſudorifica prædicta rejicienda; ſed utendum *Lacte ſimplici aſinino, vel caprino, vel Lacte diſtillato, ut ſupra. Balneum Aquæ dulcis* erit maximè proficuum. Pro partibus corroborandis, ut motum liberum exercere poſſint, valent *Balnea ſulphurea, vel naturalia, vel arte parata cum ſimplicibus cephalicis, & Sulphure; Inunctiones totius ſpinæ, cum Oleo Catulorum, & Felis Foreſti, cum Ol. Therebentinæ, Ceræ, ex lateribus, & cum Oleo diſtillato ex Sapone, cum Spiritu Vini. Decocta ſudorifica multùm proſunt*, ſi humor acris non peccet.

CAP. XXVI.

De Paralyſi.

PAralyſis apud Antiquos importabat reſolutionem nervorum, & Hipp. multis in locis de Paralyſi loquens, utitur nomine Reſolutionis; unde.

Definitur *Nervorum, & nervoſarum partium reſolutio, cum ablatione motus voluntarii, & ſenſus, aut alterius tantùm, vel in toto corpore, excepto capite, vel in uno tantùm latere, vel in una tantùm determinata parte.*

Dixi *Nervorum, & nervoſarum partium reſolutio*, ut manifeſtarem Paralyſim cum Etmullero, non eſſe reſolutionem nervorum ſimpliciter, ſed etiam ligamentorum, & tendinum; iſtæ enim partes inſerviunt motui membrorum, ut omnibus notum eſt, mediante ſpiritu animali, à cujus continuo influxu illuſtrantur, quia non ſunt, niſi nervi ſimul uniti, vel in faſciculum, ut tendines colligati, vel ut fila in tela contexti. Cùm ergo inſerviant motui voluntario, & ſpiritu animali inſtrumento ejuſdem motus actuentur, non poteſt negari ab horum læſione lædi etiam motum voluntarium. Nervos affici in Paralyſi, unanimi conſenſu omnes Medici admittunt, quapropter ſtabiliendum eſt, primarium ſubiectum Paralyſis eſſe nervos, & nervoſas partes, per has intelligendo ligamenta, & tendines, quæ inſerviunt motui voluntario partium; & ſi admitteretur cum Duncanno, tendines eſſe emporium ſpirituum animalium, & per hos immediatè effici motum voluntarium, hi deberent ſtatui pro primario ſubjecto Paralyſis, itaut non poſſit adeſſe Paralyſis, niſi iſtis malè affectis. Huic ſententiæ contrariatur læſio nervi motum, illæſo ligamento, & tendine impediens in parte, in qua læditur nervus, nec poteſt læſio nervi motum lædere, niſi iſtius vitium tendini, & ligamento impotentiam operandi imprimat; ex quo accipimus, nervum eſſe primum agens in motu, licèt ad hunc concurrat & tendo, & ligamentum.

Dixi *reſolutio*, ideſt *laxatio* nervi. Ligamenta, & tendines ex nervis contexti funium, & habenarum more ad diverſas loci differentias partes ducunt; ideò etiam robore indigent ad vincendam partis reſiſtentiam ab iſtius pondere, vel gravitate, vel inclinatione ad aliquem determinatum ſitum emanantem, & ad potentiam ſe contrahendi pro exigentia partis ducendæ confirmandam, unà cum potentia laxandi, & ad ſuum naturalem ſitum ſe reducendi; ſicuti in fune neceſſarium eſt robur ad elevandum, vel movendum pondus, vel aliquod grave, quo ſi deſtituatur, nec movet, nec trahit pondus, nec corpus grave, ſed ipſa trahitur ab iſtis, imò ſcinditur, quod contingit, quando eſt laxa, & mollis; ita nervi reſoluti laxantur, amiſſo robore, quo partes trahere ſolebant, ſed ipſi trahuntur à pondere partium, & ad eam contractionem conſtantem, & permanentem ſe reducere non valent, quæ eſt neceſſaria ad motum partium, & tunc dicuntur reſoluti, & laxati, eo modo quo chorda arcus à contractione diſcedens, laxari dicitur.

Dixi, *cum ablatione motus, & ſenſus*, quia iſti in Paralyſi abolentur, vel ambo, vel unus ex iſtis, per quod convenit Paralyſis cum Apoplexia: differt verò, quia in Paralyſi ſolus ſenſus, & motus, in Apoplexia omnes functiones abolentur.

Cœtera verba differentias Paralyſis continent, & differentiam ab Apoplexia, in qua omnes partes, motu, & ſenſu privantur, in Paralyſi aliquæ ſolùm.

Cauſam Paralyſis, ſeu reſolutionis, & laxitatis nervorum, ad duas reduco: ad deficientiam ſpirituum, & ad amiſſionem inclinationis; ad tenſionem, & contractionem, ſeu ad impotentiam ſe laxandi, & contrahendi.

Habere nervos, & muſculos talem inclinationem, deducimus ab eorum diſſectione; ſecato enim extincti Animalis muſculo ſuo tendini conjuncto per medium tranſverſim, quælibet pars ſe contrahit verſus partem, cui alligatur, nempè verſus tendinem, relicta in medio ſectionis conſiderabili fiſſura; hanc contractionem naturali, & inſito principio muſculi fibræ efficiunt, quia

nulla

nulla ibi adeſt cauſa, cui poſſit tribui contractio. Fatendum ergo in muſculo, ſeu in fibris carnaeis, & nervo eſſe naturalem inclinationem ad contractionem, quam puto recipere à tali determinata modificatione particularum componentium illius ſubſtantiam, & à tali determinata textura, & organizatione; idem obſervamus in membrana, quæ ſi manibus multùm extendatur, ablata una manu propria virtute ſe contrahit. Et omnium corporum extenſibilium cum aliqua firmitate, & duritie, prout eſt muſculus, proprium eſt, ſi trahantur ſe extendere ultra ſpatium ſuæ naturali extenſioni debitum, ſed remota virtute trahentis ad primævam ſuam extenſionem naturali robore redire; ita chorda Citharæ extenſa multùm, diſtrahente remoto ſe rurſus contrahit. Pari pacto fibræ nerveæ, & carneæ in muſculo, ita ſunt in muſculo conſtitutæ, ut ſi extendantur pluſquam ſuæ naturali extenſioni conveniat, remaneat eis inclinatio ad hanc redeundi naturali contractione, & ſi contrahantur pluſquam exigat earum textura, retinent naturalem inclinationem, & potentiam ſe extendendi uſque ad naturalem terminum ſuæ extenſioni conſtitutum; quod patet in panno lineo, vel ſerico ex pluribus filis inter ſe unitis, & ultra ſuam naturalem extenſionem deductis, & invicem colligatis contexto, qui ſi diſſolvatur in fila componentia, hæc abbreviantur, dum ad ſuam naturalem extenſionem reducuntur, etiam extenduntur, ſi nimis contractione abbrevientur, vel contorſione. Officium muſculi id exigit, cùm motum, ad quem deſtinatur perficere non poſſit, niſi contractione, & extenſione, quas exercendo exit ab ea extenſione, quam in quiete obtinet; & cui reſtitui non poteſt, prout exigit natura, niſi cum dicta inclinatione, & potentia; ideò ablata iſta inclinatione, & potentia ad ſuam naturalem, & quietam extenſionem ſe reducendi, & contrahendi, neceſſe eſt, ut motus ceſſet in parte nervo ita affecto, ſine ulla cerebri, & nervorum in capite læſione, ſed præcisè per ſolam ſubſtantiæ nervi alterationem, iſti inclinationem ad contractionem, & ad reductionem ad ſuum ſtatum naturalem, quem ſervat in quiete, deſtruentem. Hæc opinio, licèt contra communem ſententiam, quæ vult Paralyſim ab obſtructione nervorum, vera tamen dicendis demoſtrabitur.

In Apoplexia adeſt ſolùm ablata inclinatio tenſionis, & contractionis à prohibitio influxu ſpirituum animalium ad nervos, quia apparet impoſſibils omnium muſculorum, & nervorum reſolutio in momento temporis ab illa cauſa, quæ ad unam tantummodo partem nervorum reſolutionem humido laxante, vel frigido, vel ſicco conſtipante, & indurante longo tempore eget.

Tollitur, vel ſuſpenditur in nervis, & partibus nervoſis inclinatio naturalis ad contractionem, vitio ſuæ texturæ, & organizationis, non ſpirituum, quando iſtarum poroſitates dilatantur; his enim dilatatis, ad majorem extenſionem elongantur nervi, & quo magis elongantur, naturalem inclinationem ad contractionem magis amittunt. Hoc videmus manifeſtè in pluribus filis lini, vel ſerici ad invicem contortis, in quibus poroſitates ſunt anguſtæ, cùm ob contorſionem fila ſe mutuò tangant, nullo, vel niſi anguſto ſpatio relicto, quo contactus dividatur, ſi extendantur denuò ſe contrahere: ſi verò fila ad invicem contorta laxentur, amplioribus poroſitatibus inductis, & filis magis elongatis amittunt inclinationem ad contractionem; quod verè nihil alіud eſt, quàm per elongationem, & pororum dilatationem, & amplitudinem amittere virtutem elaſticam, ſeu potentiam ad ſuum ſtatum ſe reducendi per contractionem.

Humidum etiam copioſum irrigans ſubſtantiam nervoſam delet hujuſmodi inclinationem, quia nimis mollem reddit ſubſtantiam nervoſam, & mollia, quibus nulla eſt reſiſtentia, magis extenſa non habent inclinationem ad contractionem; ad hanc enim inclinationem requiritur quidem quædam mollities, per quam poſſit corpus extendi, & trahi, ſed cum aliquali reſiſtentia, & duritie, per quam poſſit de novo contrahi. Cùm verò nervoſæ partes ab humido copioſo illas irrigante ita molles evadant, ut deleatur omnis reſiſtentia, & aboleatur ſiccitas, & durities cum mollitie conjuncta, tunc amittunt inclinationem ad contractionem, ut patet in Paralyſi ex frequenti natatione, ab imbribus, à ſomno ſub Cœlo nubiloſo, & rorido.

A nimia etiam ſiccitate inclinationem ad contractionem amittunt nervi, cùm ad contractionem aliqua mollities requiratur, per quam pars flecti poſſit; ſicca enim corpora non flectuntur, ſed franguntur: ſiccitate etiam violenta ſpatium, quòd eſt in nervis obliteratur, & etiam in fibris carnoſis, & tendinoſis muſculorum, itaut nec ſpiritum animalem, nec ſanguinem arterioſum admittant, quibus deficientibus tollitur dicta inclinatio. Ad hanc cauſam reducuntur fumi, & vapores Mercurii, à quibus corrugati nervi motui non ſerviunt.

Ablatione inclinationis ad contractionem in muſculis data, ſeu impotentia ad contractionem explicatur ſententia *Hipp. lib. de flatibus n.* 19. imò demonſtratur, Hipp. in hanc ſententiam conveniſſe, in qua habet: *Quum ergo flatus frigidi multùm penetrent, ac inflent carnes, partes corporis ſtupidæ fiunt, ſiquidem plurimi per univerſum corpus diſcurrunt, totus homo ſideratur, ſi per partem, pars illa, quæ percutitur*. His ultimis verbis Paralyſim deſignat: pro cujus cauſa notandum, Hipp. admittere frigiditatem in vaporibus, & inflationem carnium, hoc eſt muſculorum, ab eis, & ambo inclinationi ad contractionem reſiſtunt. A frigiditate rigent partes, duræ, & inflexibiles evadunt, itaut cum tali diſpoſitione non ſint capaces contractionis; rigidum enim corpus non flectitur, nec contrahitur, potius frangitur. Hanc rigiditatem, & duritiem partium ob frigus experimur, quando ob aeris inclementiam ſummè frigefacti motum, & ſenſum ferè ammittimus, ob rigiditatem partium à frigore externo contractam. Hanc cauſam nobis demonſtravit *Hipp. lib.* 1. *Epid. ſect.* 2. *part.* 69. his verbis; *Hac tempeſtate in Hyeme paraplegiæ cœperunt, multoſque corripuerunt, ex quibus nonnulli ſubitò moriebantur*; & licèt non poſſint dari humores, & vapores in corpore adeò frigidi, ut Paralyſim in parte aliqua determinata faciant eo modo, quo fit aere frigido, de Paralyſi ab hac cauſa *Hiſt.* habet *Avenzoar. lib.* 1. *tract.* 10. *cap.* 7. ſunt tamen humores, & vapores, qui cum minori frigiditate ea tempeſtatis hyemalis in muſculis actionem debilitare valent, ut contractioni improportionati evadant, ſi ejus conjungatur aciditas, auſteritas, à quibus conſtipantur, indurantur, & incraſſantur muſculi, ſive exhalationes dictorum humorum recipiant, ſive ſubſtantia iſtorum in eis fixetur; idcircò dicemus tales humores, vapores frigiditati in actione prædicta ſimiles, & ab his inclinationem ad contractionem auferri, ratione rigiditatis, quæ ſola habet locum in impedito motu à frigore, cùm unctionibus externis calidis remittatur, ut notavit *Avenzoar. cit. loc.* & eodem modo *Petrus Sal. in notis ad Altimarum* aſſerit, *ſe curaſſe tonſorem ex ebrietate factum Paralyticum, illa evaneſcente, ſpatio trium dierum cum remediis externis ſpinæ admotis*, quod utique non contigiſſet, ſi vitio nervorum ab obſtructione facta fuiſſet Paralyſis.

Alteram conditionem ait Hipp. eſſe inflationem, à qua dicta inclinatio tollitur; obſervamus enim a tumoribus alicujus partis impediri motum iſtius, & tumor æquivalet inflationi. Prætereaquamquòd advertendum eſt, Hipp. dicere *Carnes inflari*, hoc eſt fibras carnoſas muſculorum à vaporibus frigidis inflari, ideſt repleri, ut deficiat ſpatium in fibris carneis ad recipiendum ſpiritum animalem, & vitalem, quos ad motum neceſſarios cognoſcimus; his deficientibus, tollitur inclinatio ad contractionem, ſeu potiùs emergit impotentia ad hanc, cum ablatione motus, non vitio ſpirituum, nec vitio principii nervorum, ſed vitio ſubſtantiæ, & organizationis nervi, quomodo afficitur nervus in Paralyſi à frigore. Ab hoc vitio tollitur ſolùm in nervo inclinatio ad contractionem, & ad reductionem in ſuo ſtatu naturali quietis.

Ulteriùs addo in confirmationem dictæ ſententiæ, communiter acceptum eſſe motum fieri ab organo, & à ſpiritu animali; unde poteſt vitiari, & tolli motus

vitiato ſolùm organo, et à dictis cauſis auferentibus, vel ſuſpendentibus inclinationem organi ad contractionem contrahit hoc vitium impediens motum, conſequenter à dictis cauſis poteſt fieri Paralyſis, etiamſi ſpiritus animales, & ſanguis fluant ad muſculos per nervos, quia vitio organi impeditur actio ſanguinis, & ſpiritus animalis ad motum requiſita; & hæc eſt Paralyſis, quæ contingit ſine ulla cerebri, & ſanguineæ maſſæ indiſpoſitione; in eis etiam, præter hanc optima ſanitate donatis, & etiam plethoricis, quia accidit ob vitium organi tantummodo.

Hinc patet, quæ nimis, & violenter exſiccant, vel humectant, vel intrinſecus, vel extrinſecus eſſe cauſas remotas ablatæ, vel ſuſpenſæ inclinationis ad contractionem in nervis, & muſculis, quia organum lædent, & cum læſione dictam inclinationem in eo extinguunt.

Motus etiam frequens alicujus partis, quandoque eſt cauſa Paralyſis alicujus partis vitio organi, ut adnotavit *Hipp. in lib.* 4. *de morb. popul. n.* 27. *Ex tuſſientibus, qui manibus laborabant, velut Servus ille, qui ſarmenta obtorquebat, & Amyntæ filius, ambo ſola dextera reſolutos fuiſſe, quandoquidem perpeſſi ſunt hoc tuſſientes;* & portio materiæ fluentis ad pulmones, à qua tuſſis excitabatur à dilatatis poris in manu dextera ob motum, ad hanc vocata fuit cum Paralyſi. Et *in lib.* 6. *ſect.* 7. ait: *Qui manibus laborabant, manibus ſiderati, ac reſoluti ſunt: qui verò equitarunt, aut ampliùs iter fecerunt, aut alios labores omnibus præfecerunt, his ad lumbos, & crura impotentiæ reſolutoriæ ortæ ſunt, & ad femora, & tibias, laſſitudo, & dolor;* omnes enim iſtæ partes ob motum laxatæ, & dilatatæ ſecundùm poroſitates fuerunt, ad quas tranſmiſſa materia dicta ſymptomata effeſcit.

Deficiunt ſpiritus animales vel in ſuo principio, quando non generantur, vel in ſuo officio, quando hoc, licèt optimè diſpoſiti, exercere non poſſunt, vel vitio ſui.

Spiritus deficiunt in ſua origine, quando non generantur, vel ſecundùm quantitatem requiſitam non generantur. Hoc provenit vel à ſanguine, qui horum generationi ob malam ſui diſpoſitionem, vel ob particularum calidarum, & ſpiritoſarum inopiam ſit ineptus ad generationem ſpirituum, vel ad neceſſariam quantitatem congregandam. In quo caſu neceſſe eſt, ut aliqua pars, vel plures neceſſario influxu ſpirituum animalium careant, cum deperditione motus, & ſenſus. Hac de cauſa in Senibus frequenter accidunt Paralyſes, ut adnotavit *Hipp. lib.* 1. *Epid. ſect.* 2. *n.* 58. his verbis: *Natu majoribus, & quibus jam calor deficit, Paraplegiæ;* quæ ſententia applicanda non ſolùm Senibus, in quibus naturaliter calor deficit, ſed etiam Juvenibus, in quibus calor vel ratione temperamenti debilis, vel vitioſi, vel ratione errorum in ſex rebus non naturalibus minuitur ad defectum.

Deficiunt ſpiritus in ſuo officio, quando eorum influxus ad nervos impeditur, quia iſtorum orificia ſint obſtructa ab humore interdicente ingreſſum, vel pori, ſeu fibræ cerebri, per quos ſpiritus ad principium nervorum ducuntur, ab humore ſunt occluſi, vel ab alia cauſa impediti. Non admiſſis ſpiritibus in nervos, non valent ſuum officium exercere, ideò dicuntur deficere reſpectu officii. In hoc deficiunt, non per vitium proprium, ſed per vitium viæ, quæ eſt obſtructa.

Deficiunt ratione officii ſpiritus animales, quando nimis craſſi ſunt admixtione vaporum, vel particularum humoralium craſſarum. Hujuſmodi Paralyſim à flatibus, & vaporibus animadvertit *Hipp. in lib. de flat. n.* 19. ubi ait: *Siquidem plurimi flatus per univerſum corpus diſcurrunt, totus homo ſideratur, ſi per partem, pars illa percutitur.* In crapula, & nimio potu vini, & ebrietate hujuſmodi Paralyſes à flatibus obſervamus, quæ tertio die ſolvuntur.

Has cauſas Paralyſis à deficientia ſpirituum in ſuo officio, delineavit *Hipp. in lib. de rat. vict. in acut. n.* 38. ubi ſcriptum reliquit: *Hinc epilepſiæ, paraplegiæ, ſi continentes locos fluxiones invaſerint, atque ſpiritibus exire nequientibus exaruerint.* Per *continentes locos* intelligit nervos, & poroſitates, ſeu fibras cerebri, quia intelligit illos locos, è quibus ſpiritus non poſſunt exire, & in quibus continentur; ſpiritus autem continentur in poroſitatibus, & fibris cerebri, & nervis, conſequenter per locos continentes intelligit & nervos, & poroſitates cerebri. Si fluxiones in hos locos influxerint, hoc eſt in nervos, & poroſitates cerebri, ut ſpiritus animales exire in corpus, & partes non poſſint pro ſui muneris exercitio, fit Paralyſis, ſeu Paraplegia. Non poſſunt exire, ſi obſtruantur hi loci à fluxione, conſequenter patet, Hipp. in Paralyſi admittere obſtructionem nervorum. *Exaruerint*, dicitur de locis ſpirituum continentibus, & præcipuè de nervis: hi continuo fluxu ſucci nervei irrigati, molles conſervantur, hoc deficiente, neceſſe eſt, ut areſcant, & ariditate virtutem elaſticam amittant, ſeu inclinationem naturalem ad contractionem. In hac Hipp. ſententia maximum latet documentum pro Paralyſis curatione, ſi nervi areſcunt, quia à ſucco nerveo non irrigantur, calefacientia & exſiccantia valida, cum copioſa ſudoris effuſione ab uſu Hypocauſti non conveniunt, eò quia ab iſtis nervi magis exareſcunt, & hac de cauſa Paralyſes incurabiles fiunt: hujus exempla quotidiè obſervamus, & tamen ab horum remediorum uſu non abſtinemus, quia cauſam Paralyſis ignoramus, & Hipp. doctrina non inſtruimur.

Cauſæ obſtructionis ſunt omnes, quæ ſerum præcipuè copioſum in corpore, & in capite colligunt, & quæ collectum aliunde ad caput mittunt, de quibus actum eſt in Diſſert. ſuper. de Apoplexia ab immunditie excrementorum in capite congregata. Ad obſtructionis cauſas, compreſſio à tumore ſpinalis medullæ, vel alicujus nervi, luxatio alicujus vertebræ, & etiam alicujus articuli, contuſio, caſus, vel ictus reducitur.

Spirituum deficientiæ cauſæ ſunt: magnæ evacuationes, morbi acuti, & etiam longi, immoderata Venus, diœta auſtera, exercitium violentum, & protractum, animi paſſiones, & hæ omnes ſpiritus animales generatos abſumunt. Non generantur à calore, & fermento cerebri debilitato, à ſtudiis aſſiduis, à magno frigore, à Veneris exercitio immoderato, vel à ſanguine impuro, ut in Cacochimia ſcorbutica, hypochondriaca. Unde omnia, quæ ſanguinem depravant hoc modo erunt cauſæ Paralyſis.

Differentiæ Paralyſis, vel omnes ſub capite partes motu, & ſenſu privantur, & dicitur *Paraplegia*, vel unum latus tantùm, & dicitur *Hemiplagia*, vel una pars, ut manus, pes, & dicitur *Paralyſis* particularis; ex quibus colligitur, Paralyſim non eſſe univerſalem motus, & ſenſus ablationem. Alia eſt, in qua ſenſus tantummodo amittitur, in alia motus. Prætermiſſis eis, quæ à multis dicuntur pro explicanda cauſa talium ſymptomatum, dico, in aliquibus partibus, ut in organis ſenſuum, ab uno principio provenit motus, ab alio ſenſus. Senſus Viſus fit in Retina membrana oculi; hujus motus fit à muſculis, ſi iſti lædantur illæſa Retina, læditur motus oculi, illæſo ſenſu Viſus. E contrà, ſi lædatur Retina illæſis muſculis, læditur viſio, & motus oculi conſervatur. In manu, ſi læditur cutis, hanc veſtiens illæſis nervis, & muſculis hujus, læditur ſenſus, qui fit in cute, & non læditur motus, qui fit à nervis, muſculis, & tendinibus: ſi verò hi lædantur illæſa cute, læditur motus, illæſo ſenſu. Si lædantur ligamenta unam partem cum alia connectentia, læditur motus, & non ſenſus illius partis, cùm hunc ab aliis nervis illæſis recipiat. Altera ratio eſt: in nervis reperitur medulla, ſeu pars interna, & membrana, ſpiritus, qui fluunt per hanc, ſerviunt ſenſui, cùm hic in ſola membrana perficiatur, ſpiritus medullam permeantes ſerviunt motui. Si medullæ principium obſtruatur, perditur motus; ſi fibræ membranæ, ſenſus; ſi uterque, et ſenſus, & motus. Si pars ſit paralytica per amiſſam inclinationem tenſionis, & contractionis in ſuis nervis ſine obſtructione viæ ſpirituum, hos recipiet pro ſenſu, non pro motu exigente contractionem, et tenſionem, quarum potentiam amiſit pars reſolutione.

Signa diagnoſtica patent ex Definitione; Signa cauſarum erunt præſentia, vel præcedentia earumdem, & qualis cauſa ex dictis præſens erit, vel præceſſerit, ab hac factam Paralyſim judicabimus. Si à pororum dilatatione, præceſſit cauſa rareſaciens calida, motus violentus, labor immoderatus. Si ab humido redundante, adeſt

tempe-

temperamentum humidum , frequens ſpuitio , excrementa naſi copioſa, præceſſit cauſa humectans . Si à frigore, præceſſit cauſa frigida . Si à ſiccitate, adeſt macies corporis, vel partis, præceſſit cauſa exſiccans. Si ab acido, & auſtero, in ſaliva, vel ructu talis qualitas eſt ſenſibilis , temperamentum adeſt melancholicum , præceſſit victus ratio has qualitates humoribus communicare apta.

Prognoſtica, morbus per ſe non eſt lethalis; timendum tamen, ne tranſeat in Apoplexiam , ut obſervavit *Hipp. lib. I. de morb. popul. ſect. I. n. 69. Hac tempeſtate in hyeme Paraplegiæ cæperunt , multoſque corripuerunt, ex quibus nonnulli ſubito moriebantur, qui morbus mirè vulgabatur, cætera incolumes conſtabant.*

Indicationes pro Paralyſis curatione , erunt , primò ablatam inclinationem ad tenſionem, & contractionem remittendi, ſecundò ſpirituum vitium corrigendi.

Quoad remedia interna primam indicationem complentia, debent reſpicere ablationem cauſæ; & quia diximus à frigido, humido, à ſicco , ab acido, ab auſtero humore, inclinationem prædictam, ſi abundaverit , tolli. Si ergo peccaverit humor acidus, auſterus.

Primò evacuandus humor dictus in toto redundans , ne ſuo fluxu ad partem contumaciam morbo inſpiret , per vomitum, *vel Croco Metallorum, vel Mercurio vitæ, vel Antimonio Hyacinthino infuſo in Vino* , blandiùs operatur, *Sal album Vitrioli, & Tartarum Emeticum* , & ab his duobus non diſcedendum ; vomitu enim materia à toto corpore, & à nervis educitur; quòd ſi vomitiva non admittat æger , validioribus purgantibus utendum , ut

℞. Pil. Cochiar. }
Aurearum } *ana* ʒ. *i.*
Throcis Alhandal. gr. iii.
cum Syr. de Stecade F. P.
Vel
℞. Pil. Opopanacis }
Agar. } *ana* ℈. *ii.*
Throc. Alhandal. gr. ii.
Magiſt. Jalap. gr. v.
cum Syr. de Stecade F. P.
Vel
℞. Pil. Opopanacis }
Cochiar. } *ana* ʒ. *i.*
Mercurii d. ℈. I.
cum Syr. de Stecade F. P.

In Mercurio dulci adeſt magna activitas in liquandis humoribus, & educendis. In potione
℞. Agar. throc. ʒ. *i.* ß.
Rad. Helleb. nig. præp. ʒ. *i.*
Rad. Polyp. ʒ. *i.*
Fol. Senæ ʒ. *ii.* ß.
Cinam. ʒ. ß.
Zinzib. ʒ. *i.*
Infund. in Aqua Lavendulæ per noctem , manè , facta levi ebullitione, & expreſſ. adde
Syr. de Polyp. ſol. ℥. *iiii. M. adde*
Aquæ Antipoplet. ℥. *i.*

Exhibenda purgantia , & vomitiva in principio; non enim acquieſco *Avicennæ* conſilio , quo rejicit purgantia valida in principio , & ſolùm lenia admittit tranſacta quarta , & valida tranſacta ſeptima , & niſi præparatis humoribus; hac ratione, quòd humores agitati à medicamento valido ad alias partes nervoſas ſanas , cum iſtarum detrimento fluere poſſint. Hæc ratio poſſet forſan valere in medicamentis purgantibus debilibus humores tantummodo moventibus, non expellentibus; in validis verò medicamentis, quæ commovendo, etiam expellunt, non video, quomodo hoc poſſit ſuccedere; & ſi admittenda eſſet Avic. ſententia, admitti ſolùm deberet pro humore parti impacto, & in ea fixo, non pro humote in toto redundante, cujus reſpectu purgatio imperatur. Præterquamquòd humores in principio Paralyſis ſunt in motu, & conſequenter diſpoſiti ad expulſionem. Addo humores partem paralyticam occupantes, adhuc in ea fluctuare , & eſſe diſpoſitos ad ſequendam virtutem validi medicamenti.

Venæ ſectio nullo modo convenit, cùm acidi auſteri, & frigidi humores non attemperentur ab hac, ſed ſolùm à ſuis ſpecificis alterantibus, niſi aliqua ſuppreſſio ſanguinis anteceſſerit, vel adſit plenitudo , à qua morbi augmentum timeamus.

Veſicantia poſt purgationem applicanda parti oppoſitæ paralyticæ , Veſicantibus conſolidatis Sinapiſmum parti paralyticæ apponendum, cum hac cautione , ut veſicam non attollat , ſed ruborem ſolùm in parte accendat; ab his enim reſolvetur materia parti impacta.

Secundò corrigendum erit acidum auſterum ſuperabundans , in quorum numero ſpecifica deſcribuntur *Turiones Abietis, & Pini , grana Juniperi , Betonica , Roſmarinum , Primulaveris , Serpillum , Radix Chinæ, Santali Citrini, Caſtoreum , Theriaca , Tinctura Antimonii, Antimonium Diaphoreticum , Cinabris Antimonii, Cinabris nativa, Spiritus Tartari volatilis , Spiritus Lumbric. terreſt. Spiritus Salis Armoniaci, Sal volatile Viperinum, & etiam pulvis earundem.* Paretur primo loco *Decoctum cum granis Juniperi, fol. Roſmarini, Serpilli , & turionibus Pini , exhibendum manè, & ſerò ad* ℔. *i. cum Tinctura Caſtorei , & Antimon. a.* ʒ. *i. vel præmiſſo bolo ex Caſtor.* ℈. *ii. Spec. Piris arcoticon.* ℈. *i. Spirit. Lumbric. terreſt.* ℈. *i. M.* Per quindecim dies hoc decocto utendum , & poſtea leniter purgandum cum ſuperiùs deſcriptis pilulis, & *Mercurio dulci*. His tranſactis, ad promovendum ſudorem præſcribatur *Decoctum ex Milio, quod Syr. S Ambroſii dicitur , ad* ℥. *viii. addita* ℥. *i. Vini generoſi: fit ex Milio in ſ. q. Aquæ cocto, donec intumeſcat, & crepet* . Si ſudor non ſuccedat , deveniendum ad ſequens decoctum:

℞. Turiones Abietis ℥. *i.* ß.
Rad. Chinæ ℥. ß.
Rad. Peoniæ }
Valerianæ } *ana* ʒ. *ii.*
Antimon. crudi }
Pumicis craſſo modo contuſ. & in petia ligati } *ana* ℥. *i.*

Præparata omnia ſ. a. bulliant vaſe clauſo in ℔. *viii. aquæ fontis ad conſumptionem medietatis, poſtea refrigerata colentur, & de colatura capiat* ℔. *i. manè , & ſerò* , præmittendo manè bolum *ex Theriac.* ʒ. ß. *Sal Cinabris nativæ , vel Antimonii* , ʒ. ß. *volatil. Viperinum gran. viii. vel Viperin. pul.* ℈. *i. cum Syr. de Stecab. f. b.* Decumbente in Lecto ſudor promoveatur blandè integumentis, vel lagenis vitreis aqua calida plenis , & pannis involutis ; vel utatur æger uſualibus decoctis ad ſudorem promovendum , addendo aliqua ſpecifica ſuperiùs notata.

Diuretica meliora cenſet *Septalius in ſuis Animadverſionibus, Hipp.* adhærens , qui ait *in Coac.* hunc morbum *Urinis repentè multis , & abundè proruptis exſolvi, ſudoribus verò confertim emanantibus in deterius ruere*; & rationem reddit, quia cum urina craſſiores etiam humores educuntur, ſudore verò pars tenuior tantùm, & à craſſiore morbus deterior. Blandè ergo ſudor promovendus, vel urina cienda , remediis de morbis urinæ deſcriptis , addendo *Turiones Abietis, & cephalica, & nervina ſimplicia* ſupradicta.

Exſiccandus humor in parte inunctionibus factis ſpinæ dorſali, & parti affectæ , cum *Ol. ex Terebinth. Caſtor. Lumbric. Philoſoph. vel cum Ol. Cati , à Foreſto deſcripto , vel Canis* , inungendæ dictæ partes poſt ſudorem, & etiam ſerò.

Diœta lactea erit ſummæ utilitatis , pro qua vide *Morthonum in tract. de Tabe.*

Si à frigore externo conſtipante, & indurante partes membranoſas tendinoſas, & nervoſas, cum ablatione inclinationis ad extenſionem, & contractionem, utendum exemplo *Hipp. in cit. ſuperiùs tex. Aqua calida , in qua, ſi herbæ cephalicæ, & nervinæ, ut Roſmar. Lavend. Calendul. Serpill. Majoran. Iva artetica, Origanum, Pulegium, bullierint* , majorem acquiret efficaciam ; addendo tamen emollientia ad partis mollitiem naturalem conſervandam , ut *Malva , Althea , Parietar. Violar.* & dicto Decocto, vel ſpongiis , vel linteis in eis madidis , vel *filo crudo* pariter madido pars ægra fovenda, & lavanda per horam , & poſtea *Unguentis*, vel *Oleis* corroborantibus , & calefacientibus corroboranda.

Si ab humido excedente laxitate partes mortui deſtinatæ depraventur, hoc vomitivis ſupradictis evacuandum, vel ſi ad-

ſi adſit impedimentum per Hydragoga ejiciendum *Jalappa*, *Mechoacan.* vel iſtorum *Magiſteriis*, vel *Gutguma*, vel *Elaterio*, vel *ſemin. Ebuli.*

Deinde præparationi materiæ ſeroſæ incumbendum per cæphalica, & nervina, *Chamædryos*, *Chamæpythios*, *Primula veris*, *Origanum*, *Pulegium*, *Salvia*, *Majorana*, *Serpillum*, *Lavendula* eligenda: ex his paranda decocta, vel ſucci extrahendi, vel ex iſtis aquæ diſtillandæ, cum Vino generoſo, & per octo, vel decem dies iſtis utendum, præmittendo bolum *ex ʒ. ii. Terebinthinæ, cum ℈. ß. Ol. Carabe, vel ʒ. ß. Mitridati, cum pul. Viper. ℈. i. vel Decoctis, & Aquis addendo Aquam ſtill. Cinam. vel Theriac. ad ℥. i. vel Aquam Antiapopleticam, vel Antiepilepticam Officinalem ℥. ii.* reiterando poſtea purgationem per alvum, ſed blandam, vel prędictis remediis in minori doſi, vel *Manna*, *& Roſ. ſol.*

Humore feroſo præparato, & evacuato pro majori parte, ad reliquias reſolvendas, & ad exſiccandam partem nimis humectatam, & laxam, Sudorifica præſcribenda, v. g.

℞. *Ligni ſancti ℥. ii.*
Juniper. ℥. iii.
Viſciquerc. ℥. i. ß.
Galang. ʒ. ß.
Saſſafras ʒ. iii.
Rad. Lappæ maj. ℥. ii.

Præparentur ſ. a. & infund. in Aq. fontis ℔. xii. per diem poſtea bull. vaſe clauſo ad conſupt. mediet. In fine ebull. adde Fol. Ivæ artet. Primulæ veris a. m. i. Cinamom. Paſſul. q. ſ. ad edulcur. & aromat. poſtea coletur, & de colat. exhibeatur ℔. i. manè in lecto: ſi ſudor ſpontè non exeat, blandè excitandus modo ſupradicto, ſerò exhibeantur *℥. vi.* nec timendum periculum ſuperiùs admonitum de majori incraſſatione materiæ craſſæ, cùm Serum excrementitium, & ferè urinoſum peccet, quoad coagulationem non admittit. In pauperibus pro ſudore promovendo uti poſſumus *Radice Lappæ major. ʒ. i. cum decoct. Fol. Ebuli*, *Gramor. Sambuci*. Sudor ter in ſeptimana excitandus, continuando ſudorifica per triginta dies, & poſt ſudorem refocillandus æger cum aliqua mixtura cordiali, & aliis corrobantibus mox deſcribendis. Sudorificis ſubſtitui poſſunt Diuretica, imò iſtis utendum illis tranſactis, ſi æger ad urinam naturalem habeat facilitatem, ſi natura ad hanc inclinet. Hujuſmodi remedia vide *cit. loc.*

Corroborantia nervos, & tendines, hoſque exſiccantia remedia excogitanda, quæ ſunt exterius applicanda, quorum uſus erit bis in die, & poſt ſudorem, ſi erumpat. In horum genere ſunt *Flores virides Tabaci in Vino malvatico infuſi*, hoc fovenda pars, vel ſtuppa, vel linteum in hoc madefactum parti applicandum, & exſiccato linteo renovandum. *Balneum ex Formicetis*, *integrum Formicarum cubile in ſacculo incluſum injice aquæ ferventi*; *hujus vaporem excipiat æger benè tectus*: perſeverandum in hoc fomento per multos dies, & quando aqua non expirat odorem Formicæ, aliud cubile Formicarum recens ſubſtituendum, ſed ſemper eo utendum quoties odorem Formicarum retinet. *Pinguedo Fellis aſſati modo deſcripto à Foreſto libr. 10. obſerv. 82. Pinguedo Catellorum rufforum*, *qui in aqua coquuntur ad oſſium ſeparationem*; *refrigerata aqua*, *pinguedo ſupernatans colligatur*, *& ea ungatur pars paralytica*, *& tota ſpinalis medulla*. *Unguentum de Bdellio ſummè commendatur*, *de Agrippa*, *Martiaton*, *de Artanita*. *Oleum expreſſum è Nucibus*, *ſicut illud expreſſum è Seminibus Trifolii*, efficaciſſimum cenſetur. *Oleum Saponis diſtill. de quo in meis Conſult. Oleum diſtill. de Piperibus*, *Oleum Philoſophorum Terebinthinæ*, *Ceræ*, & ſummè valet *Oleum Petrolæum*; his tamen addenda ſemper tamquam ſpecifica *Ol. de Carabe*, *& Lumbricor. vel Spiritus iſtorum*; *Galbanetum Paracelſi*, quod ſic paratur:

℞. *Galban. ℔. ß.*
Gummi Hederæ ℥. ii.

Trita ſeorſim miſce, *ac diſtilla per retortam in Arena*, *diſtillato adde Terebinthinæ ℔. i. Ol. Laurini*, *ac Spicæ a. ℥. i. Diſtilla denuò*. Hoc utere pro inungenda ſpina dorſali, & parte affecta, cum felici ſucceſſu.

Rubificantia apud multos ſunt in uſu, & etiam *Urticatio*, nempè cum Urticis partem affectam confricare, ut rubeſcat pro tractione ſanguinis, & ſpiritus ad eam, ut nutriatur; & vires acquirat pro reſolutione humoris impacti, cui operationi adjungenda ſtatim illinitio ex dictis remediis ad acuendum magis calorem partis. *Vinacea* ſunt valdè proficua, ſicut *Thermæ ſulphureæ*, *nitroſæ*, *& bituminoſæ*, *& luta iſtarum*, *& etiam balnea*, *& fomenta ſuperius dicta*, *& de Apoplexia deſcripta.*

Corroborantia partes nervoſas, & caput ultimo loco exercenda, & ſunt eadem deſcripta de Apoplexia.

Siccitas partis Paralyſim conſtituens conſideranda, prout cauſa principalis, ut quando à violentia exſiccantis ad illum terminum redacta eſt, ut nervis demptum fuerit ſpatium fluxui ſpirituum animalium neceſſarium, & in hoc caſu ſolis humectantibus tam internis quàm externis utendum, omnibus exſiccantibus, & ſudorificis rejectis; vel ſiccitas in parte conſideratur, prout productum ab obſtructione nervorum, non in ſuo principio, ſed in parte paralytica, & tunc curanda eſt, ut Paralyſis ab obſtructione nervorum in eorum principio; cum hac tamen animadverſione, ut per longum tempus priùs balneetur, vel fomentetur pars *Oleo*, *Lacte*, *decocto* emolliente *ex Malva*, *Althea*, *Violaria*, *Parietaria*, *Brancaurſina*, & poſtea *Unguento reſolutivo* illiniatur, deinde priùs tentandum aperire obſtructiones partis, pro quo exequendo, laudo *Syr. Chalybeatum*, *deſcriptum à Vvilliſio in tract. de Paralyſi*, ſicut etiam *Trageam Chalybeatam ab eodem deſcriptam*, & omnia ex Chalybe remedia optima erunt, non prætermiſſis *picatione*, *ſinapiſmatibus*, & *urticatione*, ad ſpiritus trahendos ad partem.

Alia remedia convenientia Paralyſi ab obſtructione vaſorum, ſunt eadem de Apoplexia ab interceptione venarum deſcripta. A caſu, à vulnere, à percuſſione Paralyſis à vertebrarum luxatione Chirurgi operam expoſcit. Si à deficientia ſpirituum, hi remittendi; ſi à pravo ſanguine, ea ſeligenda remedia de Cacochimia proponenda.

Diœta in Paralyſi ab obſtructione, ſit calida, ſicca, & attenuans; Alimenta poſſunt idcircò medicamentoſa fieri. Panis fiet talis, ſi ei admiſceantur *Semina Fœniculi*, *Aniſi*, *Cymini*. Carnes condiantur *Caryophilis*, *Nuce moſcata*, *Pipere*, *ſem. Sinapis*, cum Aceto præparatum ſerviat pro ſalſamento. Vinum omninò fugiendum, quia vaporoſum, & narcoticum. Potus ſit *Aqua Noceræ*, vel *Cinamomi* per decoctionem, vel *Coriandri*: vel paretur cum decoctione *Citri conditi*; & ſi Vinum admittatur, alteretur cum infuſione *Salviæ*, *& Baccarum Juniperi*. Aerem frigidum, & humidum fugiat æger, & ſi anni tempeſtas talis conditionis aerem ferat, paretur cubiculum calidum arte, ſed non cum exceſſu, & quandoque ſuffitu odorum fiat. *Columbæ* in cubiculo ægri retentæ, purum dicuntur aerem reddere Paralyſi ſatis idoneum. Somnus ſit brevis, longus humectat nimis, ex *Hipp. 2. de Diœta*, & refrigerat, ex *eod. lib. de flat.* Animi paſſiones, præcipuè mœror, triſtitia arceantur, ab iſtis Paralyſim obſervavit *SchenKius*. Venus omninò vitanda, cùm nervos ſummè debilitet. Exercitium, & motus, ſi ſit permiſſus, moderationem habeat. Hæc diœta, ubi eſt ab humido laxante Paralyſis, & ab obſtructione, convenit. Si verò à ſiccitate, & à calore, qui ut plurimùm cum illa conjungitur, frigida, & humida, & ideò alimentum cum Lacte paratum proficuum. Si ab acido, cùm hoc à calidis, & præcipuè aromaticis moderetur, hæc convenient.

CAP. XXVII.

De Paralyſi à Dolore Colico.

PAralyſim è Colica morbum eſſe novum ab Antiquis non cognitum, quia inviſum, docet *Paulus Ægineta lib. 3. cap. 43. Incæpit hic morbus in Italia*, *deinde peſtilenti contagione per alias Imperii Romani Provincias graſſatus eſt*, *frequentem Paralyſim ex Colica in Germania*, *& præcipuè in Franconia*, *& Norimbergico tractu*, *teſtatur Coiter in lib. obſerv. & in Moravia*, *Auſtria*, *Panonia hunc morbum ſe dilataſſe*, *ut è denario ægrorum numero*, *vix duo fuerint*, *qui dolore colico in Paralyſim terminante affecti non fuerint*, *narrat*

narrat Jordanus in lib. deſcriptionis partis Moraviæ. Noſtris temporibus raro apparet hic morbus, & Paralyſis non adveniebat, niſi in diuturnis doloribus colicis, & occupabat extremos artus, cum motu ablato, manebat integer ſenſus; ita loc. cit. Paulus teſtatur. Coiter loc. cit. refert *de Muliere, cui ex dolore colico reſolutæ primò brachiorum ſuperiores partes ſenſim ad extremitates manuum, ultimò ad crura reſolutio pervenit.*

In explicanda hujus affectus cauſa varii fuerunt Antiqui; horum ſententias videat Lector in *Eraſto parte* 4. *diſput. contra Paracelſum*, quas non refero, quia omninò inſubſiſtentes, & meliora principia pro his explicandis noſtra tulit ætas. Hæc aperuit *Vvilliſius in ſua Pharmacia Rationali cap.* 20. *de Colica*, ubi concludit, quandoque materiam Colici doloris cauſam, non per arterias, ſed per nervos ad inteſtina, & meſſenterii plexus deferri, quod deducit à dolore lumbali, colico quandoque conjuncto, ob communionem, quam inter ſe habent nervi dicti plexus, & lumbales, ideòque in affectionibus conveniunt. Hanc ſententiam olfecit priùs *Carolus Piſo in tract. de morb. à ſeroſa colluvie dependentibus ſect.* 4. *cap.* 11. ubi habet: *Anatomica experientia, in Defuncto à colico dolore compertum habuiſſe, cauſam doloris in Cerebro extitiſſe, cùm obſervaverit poſticam capitis regionem juxtà cerebellum, & nervoſas paris vagi origines aqua limpida tanta perfuſam, ut ſubſtantia medulloſa inſtar papyri madidi plurimum humectata appareret.* Unde concludit, materiam Colicæ à cerebro proficiſci, & per nervos paris vagi in peritoneum deferri, & dolores atrociſſimos tum in ipſo, tum in viſceribus ſubjectis ab eadem materia acri effici, cum ſpaſmo, & contractione dictarum partium. Hujuſmodi materia in cerebro collecta, ſi non ſolùm ad nervos paris vagi demandetur, ad dictos plexus meſſenterii, ſed etiam per ſpinalem medullam circa artus fluat viam aperiente dolore lumborum, colicum ſequente, & nervos à ſpinali medulla erumpentes, & per artus diſſeminatos impleat, & obſtruat, Paralyſis iſtarum partium apparet.

Signa ſunt manifeſta in dolore colico præcedente.

Prognoſtica erunt mala, ſi Paralyſis ſe extendat ad multas partes.

Indicationes erunt, materiam à capite evacuare, primò purgantibus ſuperiùs propoſitis, per duas, & tres vices, poſtea *Errhynis, maſticatoriis*; Salivationem aliqui promovent *mercurialibus*, pro purgatione materiæ in capite. Secundò reliquum iſtius materiæ, & eam impactam in nervis ſudorificis reſolvere, ut *Decocto Salſæ, Ligni Sancti, Syr. S. Ambroſii*, & aliis ſuperiùs deſcriptis. *Balneis ſulphureis* præcipuè utendum, vel ex herbis capitalibus, & nervinis, cum *Sulphure* decocto. Poſt hoc faciendæ inunctiones parti paralyticæ, & ſpinæ dorſi, cum remediis ad hanc intentionem ſuperiùs deſcriptis.

CAP. XXVIII.

De Convulſivis Motibus.

Definitur motus convulſivus: *Involuntaria contractio, & extenſio totius, vel determinatæ alicujus partis.*

Per hanc definitionem motus convulſivi à convulſione diſtinguuntur ab univerſa Medicorum Schola, quia convulſionem dicunt eſſe *Involuntariam membrorum, vel membri contractionem ſimpliciter, ſine extenſione.* Omnes tamen hac diſtinctione utentes errare, diſcedendo ab Hipp. doctrina, adnotavit *Martianus in lib.* 7. *Epid. ſect.* 1. *in com. verſic.* 377. ubi probat firmis rationibus deductis ab expoſitione, & ſignificatione verborum græcorum, quibus utitur Hipp. pro explicanda convulſione ſignificare motum contractionis, & extenſionis involuntarium, itaut per Hipp. motus, quos appellamus convulſivos, ſint convulſio, & quam dicimus convulſionem, apud Hipp. contractio nominetur. Videatur dictus Auctor *cit. loc.* ubi citat locum *Hipp. lib.* 2. *Epid. ſect.* 2. *verſ.* 180. in quo Hipp. deſcribit contractionem illam faciei, quæ evenit parte oppoſita reſolute, quam Poſteriores *Spaſmum Cynicum* appellarunt, ubi habet, *Ad alteram verò trahebantur*, ubi patet, per contractionem, non per convulſionem faciei torturam deſcribere; & *lib. de inter. affect. ſect.* 3. *verſ.* 354. de opiſtotono loquens, hæc habet: *Hic trahitur in poſteriorem partem, & præ dolore circa dorſum, & pectora ejulat; hic convellitur vehementer, ut vix detinere illum aſtantes poſſint, ne è lecto excidat;* ex quibus verbis habemus, motum concuſſivum membrorum talis violentiæ, ut æger in lecto vix contineri poſſit, exprimi, & deſignari per verbum *convellitur*. Et *in libr. de Aere, Loc. & Aquis n.* 4. ſcribit: *Pueris incidunt convulſiones, ac anhelationes, quæ morbus puerorum, & ſacer eſſe putantur*; & certè hic agit de motibus convulſivis Epilepſiæ communibus, & convulſionis nomine appellat. Licèt in convulſione adſit motus contractionis, & expanſionis, pars tamen convulſa, mediocriter contracta conſervatur, ut adnotavit *Martianus cit. loc.* & rationem reddit, quia muſculi, & tendines contractioni inſervientes ſunt robuſtiores, quàm qui expanſioni inſerviunt; ita evenit, ut illis in convulſivo motu dominantibus membra plurimum contracta detineant, & cùm in expulſione materiæ irritantis tam muſculi extendentes, quàm contrahentes, vim ſuam exerant, quando æqualiter operantur contractam partem reddunt.

Contractio, & expanſio partis, vel totius, in motu convulſivo, ſeu in convulſione, eſt involuntaria, quia etiam renitente ægro, & contra ejus voluntatem talis motus perficitur; eiſdem verò inſtrumentis, quibus motus voluntarius exequitur, nempè à ſpiritu animali, nervis, & nervoſis partibus, & muſculis, fit etiam involuntarius: ex quo patet, ſubjectum convulſionis eſſe inſtrumenta motui naturali deſtinata, nervum, muſculum, & tendinem, cùm hæc ſint neceſſaria ad omnem motum naturalem, & præternaturalem, voluntarium, vel involuntarium; cùm verò prædicta inſtrumenta motus indigeant determinativo pro ſui muneris executione, in motu voluntario determinativum eſt voluntas, in involuntario eſt omne illud, quòd irritat vel ſpiritus, vel nervos.

Nervi, non ſolùm motui, ſed etiam ſenſui inſerviunt, ut dictum fuit in Diſſertatione de Senſu; quapropter ab objectis tangibilibus, ſenſibilibus violenter in eos agentibus moleſtia afficiuntur, ut dictum eſt de Dolore in genere; & quia ex Naturæ inſtituto inſita unicuique Viventi vis, qua ſuam conſervationem reſpicit, & qua quodcumque noxium, & moleſtum, cum conatu etiam expellit, nervus laceſſitus à noxio ſe contrahit, extendit, concutit, ut hoc expellat, & motu convulſivo, vel convulſione moveri dicitur, quæ ex motu contractionis, & extenſionis componitur; in expulſione enim materiæ moleſtæ vim faciunt nervi, qui contractioni, & extenſioni partis præſunt; modò illi, modò iſti, vim alterius ſi ſuperant, ſequitur motus extenſionis modò, modò contractionis.

Spiritus animalis, cùm ſenſus ſit expers, ab irritante ſenſitivo non afficitur; ab ætherogeneo tamen, & ei non congeneri, ſed contrariæ naturæ, metaphoricè dicitur irritari, quia ſicuti pars ſenſitiva affecta à ſenſibili ſuam texturam vitiante, vel diſſolvente, dicitur ab hoc irritari, ita ſpiritui animali ætherogeneum, & adverſæ conditionis corpus mixtum, quia craſim, texturam vitiare, & diſſolvere contendit dicitur ſpiritum animalem irritare. Et ſicuti nervus vi inſita irritans expellere concuſſivo motu ſatagit, ita ſpiritus animalis ætherogeneum, & hoſtile mixtum eadem vi repellere conatur; hinc efferveſcentia, incaleſcentia, æſtus, fervor ejuſdem, & motus inordinatus, & irregularis, quo nervos continentes concutit, contrahit, & extendit: tales motus obſervamus in liquoribus chymicis, ob admixtionem alicujus contrarii. Hoc modo fiunt motus convulſivi, ſeu convulſio, ab objecto irritante & nervos, & ſpiritus.

Hoc irritans communiter reducitur à Medicis ad repletionem, & inanitionem, auctoritate Hipp. ducti, qui *lib.* 6. *Aphor.* 39. ait: *Convulſio fit ab inanitione, & repletione, ſicut autem & ſingultus.* In hujus Aphor. explicatione concludunt etiam, Hipp. loqui de repletione, & inanitione præciſa nervorum, per quam contractionem cum immobilitate acquirunt; repleta enim nervo-

nervorum ſubſtantia à copioſo fluido ſecundùm latitudinem tumeſcente, decurrantur contractione ſecundùm longitudinem, & inanitione exſiccati nimis nervi de longitudine amittunt, & contrahuntur, ut patet in corporibus extenſibilibus exſiccatis.

Hæc expoſitio communi conſenſu ſtabilita, manifeſtam continet falſitatem: Primò, quia ſupponit Hipp. loqui de convulſione, in qua pars contrahitur verſus ſuum principium, & contracta remanet cum inſuperabili immobilitate. Hujuſmodi ſuppoſitio falſitatis manifeſtè arguitur à verbis ipſius Aphor. *ſic etiam & ſingultus*, quæ denotant, Hipp. loqui de convulſione communi ſingulti; hæc autem non conſiſtit in ſola contractione ventriculi, vel Diaphragmatis, in qua hæ partes permaneant cum immobilitate, in eadem impedita extenſione, ſed conſiſtit in contractione, & extenſione ventriculi, vel Diaphragmatis, per intervalla reiterata, quòd experientia patet. Et confirmatur ab *Aphor.* 13. *ejuſd. ſect.* ubi ſcribit; *Singultu detento, ſternutationes accedentes ſolvunt ſingultum*; ſternutationes verò nec repletionem, nec inanitionem in nervis ſolvunt, conſequenter non loquitur de repletione tumefaciente nervos, nec de inanitione exſiccante. Adnotare licet etiam, à prædicto primo Aphor. confirmari ſententiam ſuperiùs propoſitam, Hipp. nempe nomine convulſionis velle motum contractivum, & expanſivum partis, vel totius, cùm ſingultus ſit talis conditionis, & appelletur nomine convulſionis ab Hipp.

Secundò falſitas memoratæ ſententiæ colligitur ex eo, quòd ſi admittatur repletio in nervorum ſubſtantia, debet admitti priùs obſtructio poroſitatum ejuſdem ſubſtantiæ impediens influxum ſpirituum animalium ad hanc cum Paralyſi, quapropter priùs erit hæc, quàm contractio, imò hæc non poteſt ſupervenire Paralyſi,quæ conſiſtit in reſolutione nervorum, è diametro oppoſita contractioni: patet ergo, Hipp. non loqui de immediata cauſa convulſionis, quando dicit fieri à repletione, & inanitione, ſed ſolùm de mediata, quod deduci poteſt ab illis verbis, *ſic etiam & ſingultus*; ſicuti enim hic oritur à repletione, vel inanitione ventriculi, ſic etiam omnes aliæ convulſiones eamdem cauſam habebunt, ſed repletio, & inanitio non eſt immediata cauſa ſingultus, ſed ſolùm mediata, cùm à repletione proficiſcantur humores vel acidi, vel amari, quorum acrimonia rodendo, vel pungendo fibras nervoſas ventriculi, has determinant ad motum contractionis, & expanſionis reiteratum pro expulſione moleſti, in quo convulſionem, ſeu motum convulſivum conſiſtere diximus. A repletione dictos humores etiam in ventriculo oriri notum, ideò à crapula ſingultum multoties in praxi obſervamus. Inanitionem dictos humores producere demonſtratur, quia depletis vaſis ſanguinis ab aliqua cauſa diſſolvente, vel evacuante, remanet in iſtis ille humor magis fixus, craſſus, lentus, & ſale craſſo refertus, qui paulatim exaltatur deficiente ſpiritu volatili, & dulci, à quo moderabatur, & ejus exaltatio prohibebatur, ideò ſanguis in inanitione fit acer, mordax, vellicans, pungens, aptus in partibus ſenſitivis nervoſis convulſionem parere modo dicto; & puro evenire ſanguini, quod evenit vino in dolio repoſito, quòd primo extrahitur ſpiritoſum eſt, & quod remanet in fundo dolii, facillimè in acetum, & intrà breve ſpatium degenerat. Hujus exemplum etiam habemus in ventriculo, qui ſi diù exinanitus alimento relinquatur, illius acidum famelicum, & digeſtivum vires magis acquirit, itaut corroſivum evadat, & pungendo, & rodendo ſingultum excitet; ex quo concluditur, repletionem, & inanitionem in ventriculo eſſe cauſam quidem ſingultus, ſed non immediatam, at tantummodo mediatam. Idem dicendum de repletione, & inanitione in aliis partibus, in quibus ſi repletio colligatur, hæc degenerante in varia excrementa acria iſtorum particulæ nervis partis repletæ, vel illis vicinæ communicatæ, illos mordent, & pungunt, cum convulſione, vel motu convulſivo; & ſi exinaniantur partes, cùm iſtæ, ex Hipp. ſuum habeant ventriculum, prout dixit de muſculis, hoc eſt, habeant ſuum fermentum digeſtivum, ab inanitione hoc alteratur, modo dicto de illo ventriculi, cum humoris acris generatione. Hoc eſt documentum *Hipp. in lib. de morb. ſacr. nu.* 18. ubi habet: *Cor convellitur velut præcordia*, *& magis etiam propter eaſdem cauſas, ex omni enim corpore venæ ad ipſum tendunt, & concluſiones habet, ut ſentiat, ſi quis dolor, aut collectio homini contingat, neceſſe eſt enim, & dum angitur inhorrere corpus, ac diſtendi, & ſi quis nimio gaudio perfundatur, idem pati, quapropter quidem cor, & præcordia maximè ſentiunt*. Cor, per Hipp. ſentit, & quia ſentit convellitur, & convellitur, quia angitur, hoc eſt cruciatur, premitur, vexatur; & hujus cauſam exprimit ſuperiùs in dolore, & collectione, quæ intelligenda eſt de humore collecto in corde; ergo & plenitudo, ſi angit, & cruciat irritamenti conditionem habet.

De inanitione locutus eſt *lib.* 1. *de morb. n.* 25. *Fit Peripneumonia, & Pleuritis ſine ſputo, & præſiccitate. Siccant autem, & calida, ubi nimium calefaciunt, & frigida, ubi nimium frigefaciunt; congelatur autem latus, & quæ ſunt in ipſo venæ, & convellitur, & quantum eſt in ipſo, & pituitæ, & bilis id à caliditate reſiccatur, & dolorem inducit*; & quæ dolorem faciunt convulſioni, ſeu motibus convulſivis, etiam occaſionem præbent, nam utrumque ab irritamento, ſed diverſo modo, partem determinante. Siccitas, inanitionis cauſa, exſiccando humores illorum ſal magis activum, & vellicativum reddit, ad motus convulſivos excitandos maximè idoneum.

Cauſa ergo immediata motus convulſivi, eſt irritans; repletio, & inanitio, eſt cauſa mediata, quatenus humores, vel vapores, vel particulas acres, & corroſivas colligit, quas poſtea nervis imprimit, non quatenus nervos replet, vel exinanit, eo modo quo ſingultus à repletione alimentorum provenit, abſque eo quòd repleantur nervi, & ab inanitione alimentorum excitatur, abſque eo quòd nervi ſint exinaniti,ut explicatum eſt ſuperiùs; ita repletio, & inanitio alicujus partis erit cauſa motus convulſivi, abſque eo quòd nervi partis convulſæ repleantur, vel exinaniantur.

Neque repletionem, & inanitionem ſolam convulſionis, ſeu motus convulſivi cauſam eſſe cenſuit Hipp. alias enim enumerat in *ſect.* 5. *Aphor. Ex Hellebori potione, in* 1. *ex ſanguine multo fluente, in* 3. *& ex immodica purgatione, aph.* 4. *& ab ebrietate, aph.* 5. & in *lib.* 1. *de morb. popul. ſect.* 2. *ab aeris conſtitutione frigida, & humida convulſionem fieri* docet; & in *lib.* 1. *de morb. n.* 16. *&* 17. *à labore, & violentia*; & *lib.* 7. *aphor.* 18. *à vigilia*, & *aphor.* 13. *ab æſtu vehementi*, & *à vulnere in ſect.* 5. *aphor.* 9. Videmus etiam à pure in capite, & circa membranas collecto, & in caſu, percuſſione, & vulnere capitis convulſiones fieri. In iſtis cauſis invenitur irritans, à quo excitatur motus convulſivus, ut in ebrietate vapor vini acidus, in frigiditate aeris frigidum irritativum, in labore, & vigiliis exaltantibus humor acris, & bilioſus exaltatus. Quapropter omnes ſex res non naturales irritationem humoribus addere valentes, hoſque ad ſenſitivas partes tranſmittentes erunt cauſa externa motus convulſivi, ſeu convulſionis.

Differentiæ ſunt variæ, alia per eſſentiam, alia per conſenſum. Per eſſentiam convulſio vitio cerebri naſcitur, quando in ſpirituum animalium elaboratione,quam ope ſuæ organizationis, & ſui temperamenti, vel fermenti perficit, non ſegregat, quod ſpiritui animali eſt ætherogeneum, nec ad emunctoria propria detrudit, ut extra ſua confinia dejiciatur, ſed permixtum cum ſpiritu animali relinquit, & cum eodem ad nervos defertur,& data occaſione ætherogeneum illud exaltatum ſpiritus modo ſuperiùs dicto agitat, perturbat, cum involuntaria jactatione, concuſſione, & motu convulſivo nervi ætherogeneum continentis. Hanc opinionem confirmant dolores capitis diuturni, vertigines, & alii morbi capitis convulſionem præcedentes.

Materia etiam acris, & mordax in cerebro collecta,& ad principium nervorum delata vellicans membranas omnium, vel aliquorum nervorum motus convulſivos in toto, vel in parte aliqua efficit, determinando nervos ad motum concuſſivum pro irritantis materiæ excuſſione modo ſuperiùs dicto, quod confirmatum manet à materia acri, & mordaci in principio nervorum reperta in defunctis à convulſione. *Vide Schenkium, & Roſſetum.*

Per

Per conſenſum fit, quando materia ſpiritibus animalibus hoſtilis collecta in aliqna inferiori parte à radicibus, & extremitatibus nervorum in illa diſperſis, vel abſorbetur, vel illas violenter ingreditur, & per ductum nervorum caput aſcendit, ibique vel membranas principii nervorum, vel ſpiritus animales afficiendo motus convulſivos efficit, quod explicatum fuit de Paralyſi ex dolore colico. Hoc modo contingunt motus convulſivi in hyſterica paſſione, in affectione hypochondriaca vitio Lienis, Panchreatis, Meſſenterii, Hepatis. *Vide Schenkium*, *Bonetum*.

Alia eſt univerſalis, alia particularis: Univerſalis eſt, quando totum corpus motu convulſivo concutitur, & affectionem nervorum in ſua origine, & in ſuis membranis ſupponit, vel tumultum ſpirituum in ſuo emporio, cujus cauſa inæqualiter, inordinatè, & cum impetu nervos ingrediuntur, totum corpus inæqualiter concutiendo, cum motibus convulſivis. Talem convulſionem demonſtravit *Hipp. in lib. 3. de intern. affect. nu.* 60. in illis verbis: *Aliquando etiam à capite febribus ſuccedentibus convulſio fit*; hujuſmodi convulſivos motus in febribus præcipuè malignis obſervamus, humore maligno depravante particulis irritativis ſuccum nerveum. Alia particularis, quando pars aliqua interna, vel externa convellitur; de hac locutus eſt *Hipp. in lib. 5. de morb. popul. n.* 11. *convulſionem in dextera primò parte, deinde in ſiniſtra* nominando; & *in lib.* 1. *n.* 4. loquitur de convulſione manus ſiniſtræ; de Collo convulſo *in lib. 7. n.* 25. & de convulſione in digitis manuum, & pedum *n.* 57. *ejuſdem lib.* de convulſione faciei *in lib. de fract. n.* 35. de convulſione partis anterioris, & poſterioris corporis mentionem facit *libr. 2. de morb. popul. ſect.* 3. De convulſione particulari interna locutus eſt *lib. 5. de morb. popul. n.* 4. ubi ait: *Et convulſiones tenebant ab alvo, & inteſtinis, & ſingultus*, intelligendo de convulſione ventriculi, de qua mentionem fecit etiam *in* 1. *lib. de morb. n.* 14. habent enim inteſtina, & ventriculus motum naturalem Periſtalticum vermicularem, qui poteſt depravari per reciprocam contractionem, & extenſionem fibrarum nervoſarum, habent ſenſum, quo moleſtas ſenſibilium affectiones ſuo modo percipiunt, & ratione iſtius, & ratione motus naturalis affecti à ſenſibili moleſto, & dolorifico concutiuntur, ut expellant motu convulſivo, *in lib. 7. de morb. popul. ſect.* 6. partes vocis convulſas nominat; & *in libr.* 1. *de morb. popul. num.* 63. dixit cor convelli; & *in lib.* 1. *de morb.* articulos pulmonis convelli, per articulos intelligit mediaſtinum, cui pulmo alligatur, vel arteriam aſperam; & *lib. 1. de morb. vulgar. n.* 17. uterum convelli pronunciavit. Alia eſt ab humore, alia à flatu, Crampe dicta.

Signa diſtinctiva convulſionis, ſeu motus convulſivi compoſiti ex interpollata, & intercepta contractione, & extenſione partis, vel totius. A conttactione differt, primò quia contractura eſt perpetua in deſinens, in convulſione retractio eſt interpollata; ſecundò in contractura pars eſt immobilis, in convulſione pars variè agitatur, & concutitur. Differt à ttemore, quia hic eſt motus compoſitus ex elevatione, & depreſſione partis, convulſio eſt compoſita ex motu contractionis, & extenſionis: differt à Paralyſi, in hac eſt privatio motus, ſed cum reſolutione, & extenſione partis, in convulſione eſt motus ex contractione, & extenſione partis; facilè verò convulſio deſinit in Paralyſim, ſi materia irritans ſubſtantiam medullarem ingrediatur, obſtruendo viam ſpiritibus animalibus.

Signa diagnoſtica per ſe patent, motus concuſſivus totius, vel partis, & reciproca contractio, & extenſio membrorum.

Signa prognoſtica habentur ex *Hipp. in lib. 4. aphor.* 66. *In acutis febribus convulſiones, vel circa viſcera dolores fortes, malum; & aph.* 67. *In febribus ex ſomnis timores, vel convulſiones, malum*; & *lib. 5. aphor.* 1. *Convulſio ex Helleboro, lethalis eſt*; & *aphor.* 2. *Convulſio ex vulnere, lethalis*; & *aph.* 3. *Ubi ſanguis multum effluxerit, ſingultus, aut convulſio ſuperveniens, malum*; & *aph.* 5. *Si ebrius repentè obmutuerit convulſus, moritur*; obmuteſcere repentè, muſculos, & nervos loquelæ inſervientes affectos oſtendit, & materia à vino ſuppeditata ad alios deſcendit; & *aph.* 56. *In fluxu muliebri, ſi convulſio, & animæ defectus advenerit, malum*; & *lib. 7. aph.* 10. *Ab Ileo vomitus deſipientia, & convulſio, malum*; & *aph.* 13. *Ab æſtibus fortibus convulſio, malum*, quia magnam ſanguinis alterationem demonſtrat, & humoris acris exaltationem, à quo ſanguinis diſſolutio timenda; & *aph.* 18. *In vigilia convulſio, vel deſipientia, malum*; & *aph.* 25. *Ex medicamenti potione convulſio, lethalis*, quia roſionem ventriculi, & inteſtinorum ſignificat; & *lib. 4. aph.* 34. *Si à febre habito tumore non exiſtente in faucibus ſtrangulatio repentè pervenerit, lethale*, materia febrili non ex tota expulſa ad nervos irruente; & *aph.* 35. *Si à febre habito collum pervertitur, & vix poteſt devorare, ſine ullo tremore, lethale*, ob dictam cauſam *in libr. Coac. prænot. nu.* 3. *Convulſiones utero affecto, ſine febre faciles ſunt*, quia uteri diſpoſitionem levem abſentia febris oſtendit, ideòque facilè curabilis, & à ſola humoris depravatione accidentali in utero ortam convulſionem ſignificat, quæ dum convulſionem parit, in vapores attenuatur, & hoc modo reſolvitur; & *n.* 2. *Convulſio in febre eadem die deſinens, bona eſt*, quia eſt ſpecies criſis, tranſmiſſo humore fovente febrem ad partes externas, & nervoſas, quæ citò tranſmiſſam materiam inſenſibili tranſpiratione reſolvent; & *in libr. 4. aphor.* 57. qui à convulſione, aut diſtenſione nervorum tenetur, febre ſuperveniente liberatur calore febrili materiam convulſionis reſolvente; & *in lib. 2. aphor.* 26. *Febrem convulſioni ſupervenire melius eſt, quàm febri convulſionem*.

Indicationes ſunt, materiam irritantem evacuandi, ſi adſit repletio, & ejuſdem acrimoniam attemperandi, quod exigit etiam acrimonia, quæ eſt ex inanitione; verùm circa purgantia, hæc in minori doſi, & mitiora adhibenda, & aliquando prætermittenda, hoc docebit virium languor. Attemperantia ſint validiora.

Pro prima indicatione, ſanguinis miſſionem imperat *Hipp. lib. 2. de morb. popul. ſect.* 5. in his verbis: *In convulſione digitorum citrà febrem venam ſecato, ſi non caput doleat, ſin minus aquam calidam affundito*. In qua ſententia apparet pro venæ ſectione duo requirere Hipp. Primò, quòd febris non adſit, quia febris eſt remedium convulſionis, prout docuit *libr. 2. aphor.* 26. *Febrem convulſioni ſupervenire melius eſt, quàm febri convulſionem*; & *in ſect. 6. Coac. prænot.* ait: *Convulſiones repentinas ſolvit febris*; & cum venæ ſectio effervefcentiam febrilem minuat, remedium convulſionis debilitat; præterquamquòd, ſi febris eſt remedium convulſionis, & quandoque à natura excitatum, huic fidendum totum curationis negotium. Secundò requirit, quòd caput non doleat, quia ſi caput non dolet, ſignum eſt, materiam convulſionis eſſe in parte, non in principio nervorum, & in illa eſt plenitudo, quæ corrigenda venæ ſectione; ubi verò caput dolet, materia eſt extra venas, in membranis nempè cerebri, & nervis etiam, & materia in iſtis partibus exiſtens ſectione venæ non evacuatur, ideò capite dolente, venæ ſectio prætermittenda: & ſanguinis miſſionem in convulſione convenire, affirmaſſe videtur *loc. cit. de Coac. prænot.* ubi *ait*: *Mulieribus convulſis menſes prodeuntes, proſunt*; eſt enim talis convulſio, ſeu motus convulſivus à ſanguinis copia in vaſis uteri collecta: in omni ergo plenitudine particulari, vel univerſali mittendus ſanguis, motibus convulſivis affligentibus. Quantitas ſanguinis menſuranda à virium robore, ætate, & habitu corporis.

Secta ergo vena, purgatio eſt adhibenda; hanc enim eſſe proficuam, teſtatus eſt *Hipp. loc. cit. de Coac. prænot.* ubi ſcripſit: *Convulſiones repentinas ſolvit febris, & alvi fluxus*. Si natura ſolvit convulſiones alvi fluxu, natura non movente hunc fluxum, Medicus medicamento movendo, naturæ forſan impotenti auxilio erit. In convulſione etiam à repletione ſerum acre, & mordax quantitati ſanguinis unitur, à quo minorata etiam quantitate ſanguinis motus convulſivi conſervari poſſunt, ideò purgatio poſt venæ ſectionem imperanda; & quia ſerum, ut dixi, peccat, hoc purgantia ad uſum deducenda: in horum genere erit *Manna ad ℥. iiii. in Sero caprino diſtillato diſſoluta, Rhabarbarum in ſubſtantia ad ʒ. i. cum gr. v. Magiſt. Jalappæ, vel in infuſ.*

ad

ad ℥. *ii. in Aqua Endiviæ per noctem, & facta levi ebullit. & expreſſ. colaturæ addantur Syr. Roſ. ſol.* ℥. *iii. vel Pulpæ Tamarind. mund.* ℥. ß. *Rhab. el.* ʒ. ß. *Magiſt. Jalappæ gr. vi.* augenda, vel minuenda doſis pro virium robore, vel languore.

Plenitudine non peccante, miſſio ſanguinis non habet locum, & hac deficiente, motus convulſivi cauſa non poteſt refundi, niſi in humores acres, & irritantes, excrementitios, quibus convenit ſola purgatio; & de hac locutus eſt *Hipp. in cit. tex.* ubi ait: *Convulſiones ſolvit alvi fluxus*.

In cit. loc. de Coac. prænot. ſubdit etiam: *Solvitur*(& loquitur de convulſione) *urinis multis derepentè prodeuntibus, ſudores autem paulatim fientes, proſunt; acervati vero, item ſanguinis detractiones acervatæ, lædunt;* quapropter, ſi nec à purgatione, nec à ſanguinis miſſione cedat convulſio, vel motus convulſivus, Diureticis, vel Diaphoreticis utendum, & pro horum electione conſideranda propenſio naturæ, ſi aliqua ſigna præbeat ſudoris, vel urinæ movendæ, & quo natura vergit, eò ducat Medicus. Conſiderandum etiam, an æger inclinet magis ex ſui natura, ad affuſionem urinæ, vel ſudoris, & natura nihil iddicante, ea eſt aggredienda evacuatio, ad quam ægri natura inclinat.

Pro ſudore movendo valet *Decoctum ex rad. Angelicæ, Chelidonii maj. Valerianæ, Vincetoxici. Fol. Dictami, Cret. Galigæ, Baccarum Sambuci.* Vel *Decoct. ex Cornu Cervi, Ligno ſanct. Rad. Dictami noſtratis, Zedoariæ, Valerianæ, Contrajervæ, cum Foliis Millefolii,* admiſceatur *Rob. baccarum Sambuci, vel granorum Juniperi,* & exhibeatur in magna quantitate *ad* ℔. *i.* ß. bis in die, niſi quantitas ſudoris prohibeat; poteſt etiam his decoctionis præmitti bolus *ex Elect. de Ovo, vel ex Mithridato ad* ʒ. *i. cum gr. ii. Nepenthes, vel Laudani liqudi Cydoniati.* Vel bolum *ex Myrrha, Aſſa fœtida a.* ℈. *i. Croc.* ℈. ß. *Laudani liquidi Cydoniati gutt. iii. Diaſcordii* ℈. *i. M Decoctum Milii* pluries in die aſſumptum, & prima vice cum ℥. *i. pulver. Lappæ Major. Mixtura de tribus dicta, deſcripta in Clave Schroderiana Hoffmani ſub cap. de Aquis nu.* 44. Emulſiones *ex ſem. Aquilegiæ, Napi, Cardui bened. cum Aqua Scorzoneræ, addita Mixtura ſimplici præd. ad* ʒ. ß. *vel illa ſimplici à Schrodero deſcripta ad* ʒ. *ii.*

Pro urina cienda *Decoctum ex rad. Ari, Bſparag. Eryngii, Ruſci, Virgæ aureæ, Fol. Millefolii, Adjanthi, Calaminthæ, Linariæ.* Vel *Decoctum ex rad. Ononidis, Coſti, Liquiritiæ, Rubiæ, ex Spica Celtica, Baccis Juniperi, Sebeſteni,* addatur his *vel Syr. ex Terebinthina ad* ℥. *ii. vel Spiritus Terebinthinæ ad* ℈. *i. vel Vitrioli, vel Salis, vel Tartari ad* ℈. ß. *Decoctum ligni Nephritici, cum pul. Millepedum ad* ʒ. *i. Lixivium factum cum Vino ſupra cineres cort. Fabarum trajecto,* quæ remedia exhibenda modo ſuperiùs dicto de Diaphoreticis; ex his decoctis, vel aquis ſtillatitiis poſſunt parari mixturæ cochleatim ſumendæ in tota die omni hora, & etiam omni media hora, & etiam pulveres, & Electuaria.

Maximam utilitatem horum remediorum in motibus convulſivis in febribus obſervamus, nam ſudore, vel urina à medicamento excitata dicti motus ſolvuntur, cum febri declinatione. In convulſione ab inanitione, quia materia in copia non peccat, à Diureticis, & Diaphoreticis ſuperſedendum, & ſolùm attemperantibus utendum. Internè *Lactis uſus* valet, *Emulſiones Amygd. D. Decoctum Malvæ, Liquiritiæ, Hordei, Brancæ Urſinæ.* Externè *Balneum Aquæ Dulcis*, valdè proficuum, & etiam illud cum emollientibus herbis paratum, quo poſſumus etiam uti pro fomento partium, in quibus ſunt motus convulſivi.

A motus convulſivos reducitur Tarantiſmus, à morſu Tarantulæ animalis de genere Aranearum, à cujus morſu dolor in parte vulnerata, huic ſuccedunt tremores, convulſiones, & reſolutiones, & languores. Ægri, ſi ſentiunt ſonum, & cantum, non obſtante virium imbecillitate ſe erigunt, & ſaltant ad modum ſanorum, & copioſo ſudore in ſaltu erumpente ſenantur. Sonus, & cantus debet eſſe talis modulationis, & harmoniæ, prout deſcribitur *à Kirkerio in ſuo Mundo Magnetico*, & ſi ab hac deflexerit, ira tamquam furioſi excandeſcunt ægri. Ulterius, ſi ſonus, & cantus interrumpatur ante totalem laſſitudinem, in terram procidunt, cum priſtino virium languore; renovato verò ſono, & cantu, agiles, & robuſti ſtatim in ſaltus reſiliunt. Ab iſtis ſymptomatibus patet, venenum Tarantulæ ſpiritus animales, & ſuccum nerveum inficere. A ſono, & cantu excitantur ad ſaltus, quia motus undulationis aeris à ſono, & cantu moderatus, & nervo auditorio impreſſus ad ſedem ſenſus communis in cerebro defertur, modo dicto de Senſu; ab hoc motu ſpiritus animales circa ſedem dictam exiſtentes cum torpore à veneno Tarantulæ inſpirato, velut à ſopore excitantur, & motu valido, & celeri per nervos feruntur, & muſculorum nerveas extremitates titillando ſuo calore, & motu; & forſan aliquali acrimonia à veneno Tarantulæ contracta, ad ſaltum ægros determinant, non aliter, ac ab externa titillatione plantæ pedum, & lateris circa coſtas multi ad motus inordinatos impelluntur, & alii in gaudio, ob expanſionem ſpirituum animalium titillantem partes ſenſitivas ſaltant. Sonus, & cantus auget prædictam titillationem, cùm obſervamus ſanos per iſtos in ſaltus erumpere. Interrupto concentu redeunt ad priſtinos languores, deficiente excitativo ſpirituum, & veneno adhuc integro eos opprimente. Mutato concentu ira excandeſcunt, & furore accenduntur, dum ſpiritus à tali concentu motu velociori, & validiori impelluntur ad nervos totius, & cordis, in quo illum motum excitant, qualis excitatur ab apprehenſione objecti iram accendentis.

Modus curandi eſt per Diaphoretica, & Alexipharmaca; ſed proprius eſt per ſaltus ad ſudoris profuſionem.

Chorea S. Viti inter motus convulſivos deſcribitur. Dicitur talis à loco, in quo concurrunt ægri pro curatione, ad Sacellum nempè S. Viti in finibus Ulmenſium in Svevia Germaniæ Provincia. Morbus hic conſiſtit in propenſione ad motum, & ſaltum uſque ad laſſitudinem; ad hos provocantur à magna inquietudine totius, quæ moderationem non accipit, niſi à ſaltu uſque ad extremam laſſitudinem, & ſi à ſaltu retineantur, inquietudinis tormentum augetur. Alii à Deo, alii à Dæmone cauſam hujus affectus derivant. Medici ab humore corrupto, venenum Tarantulæ æmulante, efferunt; vel à ſucco nerveo acri nerveos, & partes membranoſas vellicante, & ſenſum triſtem inquietudinis patiente, aliqui cauſam hujus affectus deducunt.

CAP. XXIX.

De Epilepſia.

Epilepſia Morbus Sacer appellatus fuit ab Antiquis ante Hippocratem, eò quia nullam habet ſimilitudinem cum aliis morbis, & idcirco diverſam naturam, & cauſam ab aliis ſortitum eſſe cenſebant. Aliorum morborum cauſæ, dicebant, ſunt intelligibiles, & aſſignabiles, ideò etiam morbi ab his pendentes inter naturales effectus recenſendos eſſe affirmabant: cùm verò morbi Comitialis cauſæ non ſint hujuſmodi, quia ignotæ, ideò divinitus deſcendiſſe crediderunt, & quid divininum in eo abſconditum latere ſuſpicati ſunt. Ab inſultu hujus morbi admiratione pleno, & ab ejus ſymptomatibus, ſtupore, terrore, mentem opprimentibus. A curatione etiam deducitur; alii enim morbi per applicationem activi ad paſſivum, & per remedia, quorum virtus eſt cognita, contraria morbo curantur, Epilepſia verò curabatur ab Antiquis, aut expiatione, aut incantatione, quæ divina continere dicebantur; ideo etiam divinum quid, & ſacrum huic ineſſe arbitrabantur.

Hos redarguit Hipp. quia multi ſunt morbi, quorum cauſas naturales non cognoſcimus, & qui admirationem pariunt, ut reditus acceſſionis tertianæ, quartanæ, quotidianæ tali die, tali hora, tali momento, itaut non ſit horologium adeò ſincerè demonſtrans tale tempus, ſicut reditus dicti paroxyſmi. Non eſt admirabile, & ignotum, aliquem inſanire ſine manifeſta cauſa, dormientes in noctambulis opera vigilantium tam accuratè, & ſtudioſè perficere; alios noctu plorare, loqui, diſpu-

diſputare, carmina componere? & tamen tales morbi, quia admirabiles, & monſtruoſi, & in ſuis cauſis ignoti, non dicuntur, nec à Deo, nec ſacri. A Natura in pueris hunc morbum curari non eſt rarum, in adultis Arte ſuperatam fuiſſe Epilepſiam probant teſtimonia Paracelſi, Helmontii, & aliorum, ſine luſtrationibus, & incantamentis; naturalem ergo iſtius eſſe cauſam determinare cogimur.

Epilepſiam definimus *Motus voluntarii, & ſenſus, & omnium Animæ operationum ceſſationem, cum motu concuſſivo, & convulſivo totius corporis*. Definitio per ſe patet, itaut explicatione non indigeat.

Cauſa hujus ſymptomatis remanet valdè obſcura, & ab ipſo *Hipp.* allata *in cit. libr. de morb. ſac. num. 7. & num. 8.* obſcuritatem non illuſtrat, nec mentem illuminat ad percipiendam ejus naturam clarè, & diſtinctè; principia tamen ibi reliquit, quæ ad intuendam à longè veritatem media ſuppeditabunt. In *num. 13. cit. lib.* quærendo cauſam, per quam hic morbus ſit difficilis curationis, ait: *Et liberatio difficulter contingit; cerebrum enim humidius, quàm ex natura ſit, & præ pituita inundat, ut defluxiones quidem frequentiores fiant, non autem ampliùs poſſibile ſit pituitam excerni, nec cerebrum exſiccari, ſed perrigatur, & humidum exiſtit;* qua de cauſa *n. 7.* afferit, *hunc morbum fieri in pituitoſis, in bilioſis verò non.*

In Epilepſia adeſſe hanc cerebri ab humido irrigationem habitualem, & minimè curabilem, probat experientia; nam Capræ hoc morbo inter cœtera Animalia frequenter infeſtantur, & ſi eorum caput diſſecetur, obſervatur cerebrum humidum eſſe, & ſudore refertum, & malè olens, & hoc humidum, hunc ſudorem malè olentem cauſam hujus affectus naturalem eſſe, adeò perſuaſus eſt, ut deducat non eſſe hunc morbum ſacrum, nec Deum hoc affligere ægrotantes, ſed morbum naturalem eſſe, & ab hoc afflictionem prodire. Probat etiam ratione; nam omnes partes in ſua generatione, & hac perfecta varia colligunt excrementa, rejiciendo humorum particulas ſuæ generationi contrarias, & eas nutritioni adverſarias, quando ſunt perfectè conformatæ; ab hac particularum excluſione provenit excrementorum collectio in partibus fœtus in utero exiſtentis. *Cerebrum non minus, ac aliæ partes ſua congregat excrementa, quæ ſi nec plus, nec minus, quàm oporteat, purgentur, fœtus ſaniſſimum caput habebit; ſi verò amplior colliquatio à toto cerebro facta fuerit, morboſum caput habebit fœtus, ſonitu plenum, & neque Solem, neque frigus tolerabit.* Et in confirmationem hujus, & explicationem præcedentis ſententiæ, ait *in cit. lib. num. 7. Et quibuſcumque quidem pueris exiſtentibus erumpunt ulcera in caput, & in aures, ac in reliquum corpus, & qui ſalivoſi fiunt, ac mucoſi, hi ipſi progreſſu ætatis facillimè degunt; hic enim abit, & purgatur pituita, quam in utero purgari oportebat, & qui ſic purgati fuerint, Comitiali, ſive ſacro morbo ferè non apprehenduntur. Qui verò mundi ſunt, & neque ulcus ullum, neque mucus, neque ſaliva ulla prodit, neque in utero purgationem fecerunt, talibus periculum imminet, ut ab hoc morbo corripiantur*; & ratio eſt, quia humidum ſuperfluum cerebri non purgatur, ſed retinetur, & inundat totam cerebri ſubſtantiam, hancque diſponit ad colligendam, & retinendam humiditatem ſuperfluam.

In hac Hippocratis ſententia animadverſione dignum cenſeo, *humidum exundans in cerebro*, à cujus retentione, & prohibita purgatione ſuccedit Epilepſia. Hoc humidum eſſe acre, & ſalinum corroſivum, quia purgatione foras erumpens ulcera, & corroſiones parit in cute, demonſtratur.

A cauſis etiam Epilepſiæ humidum ſuperfluum in cerebro colligi pro hujus generatione cognoſcit in *n. 15. cit. lib.* ſcribendo: *Cœterum in mutationibus ventorum, propterea morbo ſacro corripi cenſeo, maximè quidem auſtrinis, poſtea verò aquilonaribus*; & *in fine ejuſd. num.* reddit rationem in iſtis verbis: *Neceſſe eſt ab auſtris quidem ſolvi, & humectari cerebrum, & venas laxiores reddi*; & de ventis aquilonaribus ita loquitur: *Quod ſaniſſimum eſt in cerebro compingi, quod verò morboſiſſimum, ac humidiſſimum excerni, & forinſecus circumalluere, atque ſic defluxus in horum ventorum mutationibus ſuccedere*, nempè ab auſtrinis ventis, quia cerebrum humectatur, & humidum ejus ſolvitur ab aquilonaribus per compactionem, & conſtrictionem cerebri, humidum contentum in eo cerebro ſecernitur, & ſecretione per cerebrum diffunditur, ex utroque modo comprobatur Epilepſiam fieri à ventis humidum in cerebro colligentibus, vel collectum ſecernentibus, quod confirmavit *n. 13. Et ut plurimùm morbo ſacro corripiatur præcipuè auſtrali, ac humida aeris conſtitutione*, ſunt verba Hippocratis.

Probatur eadem ſententia ab Hipp. ratione à contrario adducta; ait enim *n. 13. cit. lib. Poſtquam verò viginti anni præterierint non amplius hic morbus corripit, præterquam paucos, aut nullum, niſi ex puero connutritus fuerit, venæ enim plenæ ſunt, & cerebrum compactum eſt, & adſtrictum*. Non invadit Epilepſia poſt vigeſimum annum, quia cerebrum compactum, & ſiccum; ergo quando invadit, ideò invadit, quia cerebrum eſt humidum.

A ſignis Epilepſiam antecedentibus idem confirmatur ex *Hipp. In lib. de Coac. prænut.* habemus. *Comitiali morbo laborantibus, urinæ tenues, & crudæ, præter morem, ſine repletione, morbi invaſionem ſignificant*, quia ſignum eſt materiam paulò craſſiorem cum aqua non ſecerni, & remanere in cerebro. *Tum aliàs, tum ſi quis dolor, & convulſio in ſummum humerum, aut collum, aut dorſum incidat, aut torpor corporis fiat, aut turbulentum inſomnium viderit*. Hæc omnia humoris cerebrum malè afficientis ſigna ſunt.

Quomodo ab humido Epilepſia procedat explicavit *Hipp. In num. 8. cit. lib.* duos aſſignat modos. Primus eſt, quando impedimentum à pituita opponitur ſpiritibus animalibus, quo diſtrahuntur à ſui muneris executione; ait enim; *Qui verò ad venas pervenit aer confert ad ventriculos ingreſſus, & ad cerebrum. Atque ſic ſapientiam, & motum membris exibet. Quare ubi fuerit excluſus à venis aer præ pituita, cumque non ſuſceperint, mutum, ac deſipientem hominem reddunt*. Hippocratem loqui hoc in loco de ſpiritu animali, manifeſtè colligitur ab illis verbis. *Sapientiam, & motum membris exhibet*, ſolus ſpiritus animalis intellectivæ, & motivæ facultati famulatur, hoc nomine aeris deſignat ſpiritum animalem, & ob ſimilitudinem, quam cum aere conſervat, & quia aer ad illius perfectionem concurrit, ut in Diſſertatione de Potentia motiva. Et per venas deſignare nervos colligere poſſumus à *num. 9. cit. lib.* ubi habet. *Si verò modica exiſtens pituita, in utraſque venas defluxum fecerit, aut in alterius partis ſupervivunt, nota ex morbo impreſſa relicta; aut enim os convellitur, aut oculus, aut cervix, aut manus*, omnes verò iſtæ affectiones nervo læſo ſuccedunt, & ſi ſuccedunt, quia pituita in venas defluxerit, neceſſe eſt, ut nervus pro vena accipiatur. Impedimentum diſtinguitur ex eo, quòd *Neque ſentiunt quicquam, neque audiunt, quæ dicuntur, neque vident, quæ fiunt, neque ullos aliquos dolores percipiunt*, prout adnotat *Hipp. lib. de flat, num. 22.* & hæc omnia impedimentum ſpiritibus animalibus ad organa ſenſuum præſupponunt. Alterum *in fine ejuſd. tex.* ab Hipp. demonſtratur, & in ſanguinis refrigeratione conſiſtit, ut à ſubſequentibus verbis: *Porrò omnia hæc perpetitur, cùm pituita frigida defluxerit in ſanguinem calidum exiſtentem*; perfrigerat enim, & ſiſtit ſanguinem; *& ſiquidem fluxus fuerit multus, ac craſſus, ſtatim accidit*; (dominatur enim ſanguini per frigus, ipſumque congelat;) *ſi verò parcior fuerit in præſens quidem dominatur obturans reſpirationem, deinde temporis progreſſu cùm fuerit diſperſus per venas, & ammixtus ſanguini multo exiſtenti, ac calido, ſi ſic ſuperatus fuerit venæ aerem ſuſcipiunt, atque ægri ita reſipiſcunt*. Et hujus probationem habemus *in lib. de flat. n. 20.* ubi habet: *Nihil magis ad prudentiam conferre, quàm ſanguinem, & hoc permutato conſidero prudentiam*. A ſanguine refrigerato prudentiam permutari probat à ſomno, in quo ſanguis refrigeratur, & prudentia permutatur, dum opiniones peregrinæ, quæ inſomnia dicuntur, mentem occupanr.

Duo in Epilepſia agnoſcit Hipp. à quibus aperitur modus, quo fit Epilepſia à pituita, ſeu ab humido, impeditum ingreſſum aeris in venas, ideſt ſpiritus in nervos, & refrigerationem, coagulationemque ſanguinis

nis in venis, quorum cauſam pituitam determinat *tex. 8. de morb. ſac.* dum ait, *Mutus quidem eſt*. Legatur totus hic textus, in quo hæc duo manifeſta fiunt, & per hæc rationem adducit explicantem cauſam omnium accidentium, quæ in Epilepſia obſervantur.

Impediti ſpiritus animales ad organa ſenſuum patet, quia in Epileptico exercitium omnium ſenſuum ſuſpenditur, cum exercitio cujuslibet motus voluntarii, quæ impeditum influxum ſpirituum animalium ad nervos motui voluntario, & ſenſui ſervientes declarant; & qui remanet motus concuſſivus totius corporis, eſt involuntarius ab irritamento, & à mala diſpoſitione ſpiritus animalis in nervis præexiſtentis ante impedimenti poſitionem.

Refrigerationem ſanguinis oſtendit in Epilepſia, cum ſtertore, vocis amiſſione, & ſtrangulationis initio; pulſus etiam varias ſubiens mutationes eamdem refrigerationem indicat, in principio inſultus parvus, celer, frequens, cum inæqualitate; in vigore verò ſymptomatis magnus, durus, frequens, quæ omnia ſtagnationem ſanguinis in partibus ſpiritalibus oſtendunt, & ſtagnatio iſtius refrigerationem.

Pituitam impediti ſpiritus, & refrigerati ſanguinis cauſam eſſe, difficile eſt ſuſtinere, admiſſa cerebri conſtitutione à Recentioribus demonſtrata, & in Diſſertatione de Morbis Facultatis motricis deſcripta; quia pituitam cerebri fibras glandulis corticalis ſubſtantiæ appenſas momento temporis, quo paroxyſmus epilepticus ſuccedit, omnes obſtruere, ut ſenſus tollat, videtur impoſſibile; ſicut etiam pituitæ defluxus per fibrarum cavitates adeò anguſtas, ut vix ſubtiliſſimum, & ferè inviſibilem ſuccum admittant, pituitam in cerebro priùs colligi, & poſtea in venas fluere, eo breviſſimo tempore inſultus omninò improbabile redditur à deficientia loci, in quo colligenda ſit pituita, improbabilitatem auget viæ defectus à cerebro ad venas. Unde retento ſpirituum vitio, & refrigeratione, coagulationeque ſanguinis in Epilepſia, cum Hipp. alia cauſa demonſtrationibus anatomicis Divini Senis tempore in puteo abſconditis innixa requirenda.

Pro hoc, rememoranda duræ matris cerebrum totum circumveſtientis conſtitutio, & præcipuè quoad ſuos ſinus, in quos, tamquam in magna maria, ut loquitur *Vvilliſius*, arteriarum rivuli per cerebrum diſſeminati ſanguinem reducendum exonerant. Quatuor enumerantur in hac membrana ſinus, ubi in falce cerebrum in duas partes dividente duplicatur. Primus incipit ab extremitate falcis in parte anteriori juxtà nares ſummas, & *ſeptum oſſeum*, proceſſum papillarem diſtinguentem, & *criſtæ Galli* connaſcitur, & per longitudinem falcis progrediendo magis ſemper dilatatur, prout falx verſus poſteriora capitis tendendo dilatatur in occipite, & cerebrum à cerebello diſtinguit, dum in dextrum, & ſiniſtrum latus divaricata deſcendit. In hac divaricatione alios duos efformat ſinus, dexterum unum, ſiniſtrum alterum: primus dicitur *longitudinalis*, quia per longum falcis excurrit; alii duo *laterales*, quia per latera cerebri extenduntur juxta *lambdoidis* progreſſum. In hac diviſione falcis ad latera cerebri ſinus laterales efformantis, quartus ſinus obſervatur parvus interiora cerebri pervadens uſque ad glandulam pinealem. In primo ſinu longitudinali venam excurrere obſervatur, & *Diemerbroech* arteriam etiam vidit; ſecundus, & tertius lateralis cum jugularis venæ ramo interno continuantur. Quartus ſuſcipit venam à plexu *Choroide*, per quam ſanguis in eum exoneratur, per laterales ſinus ad venas jugulares mox dictas deferendus. In eiſdem ſinibus terminantur multæ meningum venæ ſanguinem in eos effundentes, ut experimento patet; nam injecto liquore nigro per ſyringam caudici arteriæ *carotidis*, obſervatum eſt, atrum liquorem per innumeras arterioſas, & venoſas propagines tranſire, uſque dum tandem in ſinus, ex iiſque in venas jugulares conflueret; quo experimento manifeſtum fit omnes hos ſinus connexionem cum venis jugularibus conſervare; hocque modo circulationem ſanguinis in cerebro confici, exonerato ſanguine muneribus cerebri ſuperfluo in dictos ſinus, qui à jugularibus recipitur, & ab his ad venam cavam in corde radicatam reducitur.

His ſinibus ita à Natura totius cerebri indemnitati, & perfectioni circulationis proſpectum eſt, ut ſinus longitudinalis ſanguinem in parte anteriori cerebri ſuperfluum recipiat, ſinus duo laterales illum cerebelli admittunt, quartus, ſeu parvus à cerebri meditullio redeunti ſanguini locum præbet; hocque ordine, & textura diſpoſiti ſunt, ut longitudinalis, & parvus in duos laterales ſanguinem effundant, atque hi in venas jugulares iſtis continuas receptum fluidum deponant.

Alterum conſideratione dignum in his ſinibus eſt eorum textura, à *Vvilliſio* delineata *in cap. 6. de Cerebri Anatome*, & primò obſervat in dictis ſinibus varios membranæ proceſſus in filamenta elongatos, & inter ſe diſtantes, & complicatos, à quibus cavitas illorum in plures cellulas diſpartitur in hunc finem, ut ſanguis à diverſis rivulis in ſinuum cavitates redux variis obicibus, & quaſi valvulis retardaretur, ne fortè impetuosè nimis, & confeſtim irruens motu vorticoſo, & inordinato intrà hunc pelagum flueret, cum ipſius ſinus, & cerebri læſione. Secundò in quadrupedum capitibus animadvertit in tota ſinuum cavitate plures chordas, ſeu ligamenta ab uno latere in aliud producta eadem cavitatis latera intrà debitos aperturæ, & dilatationis fines continentia, ne à ſanguine cum aliquo impetu in cavitatem irruente ſupra modum amplietur ad majorem, quàm deceat ſanguinis copiam recipiendam, à qua cerebri ſubjecta moles, cum depravatione ſuarum operationum opprimi poſſet. A motu horum ligamentorum ſucceſſiva contractione peracto ſanguis in ſinibus contentus ad orificia vaſorum reducentium propellitur, ne in illis ſtagnet, in quem finem collimare etiam videntur prodictiones membranarum cellulas efformantes ſupradictas. Non diſſimilis rationis fibras obſervavit inſertas membranæ cerebellum inveſtienti, & membranæ, qua cerebrum tegitur, quibus fibris utraque membrana ad invicem connectitur, & eiſdem motis membranas moveri neceſſe eſt, ſanguinemque in ſinibus prædictis collectum in ſuo motu accelerari, vel retardari pro celeri, vel tardo membranarum motu dependenter à dictis fibris arbitrandum eſt.

Præcognitis prædictis anatomicis demonſtrationibus, non irrationabile mihi videtur in dictis ſinibus ſedem, & cauſam Epilepſiæ permanentem, & immediatam ſtabilire, & præcipuè in quarto ad glandulam pinealem penetrante, quo loci eſt medullæ oblongatæ principium, & nervorum organis ſenſuum inſervientium origo, & ſenſus communis, imaginationis, memoriæque ſedes.

Si contingat hunc ſinum ſanguine turgere, cum ſui magna dilatatione, quia in majori quantitate, quæ ſuæ naturali capacitati conveniat, in eum propulſetur, & exitus ſanguinis ab eo non reſpondeat acceptæ quantitati, talem neceſſe eſt in eo colligi quantitatem ſanguinis, qua ſubjectæ partes cerebri, ſed dictarum mox facultatum preſſæ, vel ſpiritus animales non admittant, vel iſtorum motum impediant, cum impedito exercitio earumdem facultatum. Eadem repletio, & turgentia ſinus eveniet, ſi filamenta illa ſupradicta ſuam texturam ingredientia, & expulſionem ſanguinis in laterales ſinus coadjuvantia laxitate vim conſtrictionis, & impulſionis amiſerint, quarum vitio portio ſanguinis ſuſcepti determinatur ad ſtagnationem in dicto ſinu; cùmque hæc portio à ſubſequente ſanguinis portione eadem de cauſa ſtagnante augeatur, tractu temporis neceſſariò turgentia, & impletio ſinus ſuccedere debet. Si ſinus factus fuerit varicoſus pluribus in locis idem eveniet, & hæc eſt cauſa Epilepſiæ organica, à qua fortè pendet iſtius difficilis curatio, & quam agnovit Hipp. in laxitate cerebri à nimia humiditate in hoc ſuperabundante, & ſi per ætatem laxitas fibrarum, & variſcoſus ſtatus ſinuum in pueris exſiccatione corrigatur, ab Epilepſia liberantur, quod evenit eis, qui ab hoc morbo arte curantur.

Lentor ſanguinis, vel alterius humoris ad eamdem laxitatem fibrarum concurrere poteſt nimia humiditate laxando earumdem texturam. Lentor in ſanguine motum iſtius circulationis retardat, & ſtagnationem, & collectionem ejuſdem cum plenitudine in dictis ſinibus coadjuvat, qua de cauſa Divinus Senex aſſerebat, pituitoſos,

toſos, quorum ſanguis lentore afficitur, Epilepſiam apprehendere, non biliofos, & omnia medicamenta ad Epilepſiæ curam directa huic lentori contraria obſervamus, ſicut etiam laxitati dictarum fibrarum; hiſce enim duobus vitiis conjunctis facilior eſt ſtagnatio ſanguinis in dicto ſinu.

Cùm venarum jugularium orificia ſinibus prædictis correſpondeant, iſtorum obſtructio, non totalis, ſed partialis poteſt eſſe remora ſanguinis in prædicto ſinu, huncque plenitudine dilatare; ſi enim eſſet totalis, Apoplexia ſuccederet, ſicut ſi ſtagnans ſanguis omni motu careret, nec aliqua portio iſtius in alios ſinus, vel jugulares exoneraretur; ex quo patet ratio demonſtrans cauſam tranſitus Epilepſiæ in Apoplexiam, in hac eſt totalis, & integra ſtatio ſanguinis, in illa ſtagnatio cum diminuto fluxu.

Addo irritamentum in membrana, vel fibris, vel ligamentis dicti ſinus, quo in ſpaſmodicas contractiones tracti expulſioni recepti ſanguinis motu ſuo naturali, de quo ſuprà, ſervire non poſſunt; quapropter huic ſinui tribuendum mihi videtur, quidquid Antiqui pro explicanda Epilepſia irritatis ventriculis cerebri tribuerunt.

A plenitudine hujus quarti ſinus à cauſis prædictis pendente, prementeque ſubſtantiam cerebri ſubjectam, quæ eſt medulla oblongata, nervorum principium vi iſtius preſſionis influxus novus ſpirituum ad partem preſſam cerebri impeditur, & ab eadem preſſione compreſſi, & conculcati ſpiritus in dicta parte exiſtentes omni motu, & actione privati prohibitio influxui æquivalent. Hujus effectum ſentiunt organa ſenſuum externorum, & facultas motiva, & ſenſitiva alligata illi parti cerebri circa medullam oblongatam exiſtenti, & ipſi medullæ, dum à ſuis operationibus interdicuntur prohibito influxu ſpirituum ad ſedem ſuarum operationum. Eumdem effectum puto provenire poſſe à plenitudine ſinuum lateralium, ſi plenitudine premant ſubſtantiam cerebri ſubjectam, ut preſſio perveniat ad medullam oblongatam, & ad partes iſti circumpoſitas.

Admiſſa hac doctrina, à conſtitutione ſinuum membranæ cerebri deducta, demonſtratur, quomodo ſuccedat in Epilepſia prohibitus influxus ſpirituum ad organa ſenſuum externorum, & ad ſedem facultatis ſenſitivæ, & motivæ voluntariæ, juxta Hipp. ſententiam.

Quoad frigiditatem ſanguinis, & ejus coagulationem, ſeu potius ſtagnationem in Epilepſia, hanc videtur arguere Hipp. à reſpirationis obturatione, quaſi hæc à ſanguine frigido, & coagulato in partibus reſpirationis pendeat, & hac impedita ſanguis totius corporis refrigeretur, & coaguletur. Hujus cauſam tribuit pituitæ in ſanguinem deſcendenti, & aerem ab hoc excludenti, ac ſi aer eſſet cauſa motus, & caloris ſanguinis; quæ opinio, licèt vera ſit, ex ſententia Recentiorum hanc Hipp. confirmante, dum admittunt à particulis nitroſis in aere per inſpirationem attracto exiſtentibus, mixtiſque ſanguini per pulmones circulanti, hunc rareſcere, unde major ad motum promptitudo, tenuitas, à qua motus corroboratur, & partes promptè beneficio ſanguinis gaudent, & accendi, ex quo caloris augmentum, & color rutilus ſplendens; quæ omnia nota fiunt à mutatione valdè ſenſibili, quam ſubit ſecundùm dictas conditiones caloris, & coloris ſanguis per arteriam pulmonalem ad pulmones tranſmiſſus in iſtorum ſubſtantia; ex quo poteſt argui impeditum aeris ingreſſum in ſanguinem, motum, & calorem huic demere. Nihilominus non poteſt ſuſtineri, aeris ingreſſum prohiberi à pituita in ſanguinem deſcendente. Quapropter alia via procedendum in explicanda refrigeratione ſanguinis, & coagulatione in Epilepſia, quæ, præter difficilis reſpirationis probationem, videtur comprobari ab omni actione corporis læſa, ad quam concurrit etiam ſanguis aliquo modo, & ſuo motu, & ſuo calore, quorum exceſſus nullum habemus in Epilepſia indicium, ideòque iſtorum defectui tribuenda actionum læſio in hoc morbo.

Pro hujus vitii ſanguinis explicatione, non diſcedendo à ſupradicta collectione ſanguinis in ſinu quarto duræ matris, dico, hunc ſanguinem implentem dictum ſinum fermentationem ſuſcipere, tam ex motu inordinato particularum componentium, prout obſervamus in ſanguine collecto in aliqua determinata parte tendente per fermentationem ad pus, vel ad diſſolutionem corruptivam, quàm à motu particularum fermentativarum, quæ ei præternaturaliter aſſociantur, & quibus Epilepticum abundare mala conſtitutio temperamenti, & ſanguinis perſuadet. Præter has particulas, non eſt improbabile à tranſeunte ſanguine per ſinus, in his, & præcipuè eorum parietibus adhærere particulas ſalinas, & fermentativas in ſanguine exiſtentes, quæ dum ſinus implentur ſanguine ab hoc à parietibus abraduntur, ſibique ſocias adſciſit eo modo, quo videmus in vaſis urinariis ſalinas particulas, & tartareas illorum parietibus per moram urinæ adhærere, quæ ab aliquo liquore immiſſo adraſæ huic mixtę aſſociantur. Hæ particulæ ſalinæ ſanguini mixtæ in ſinu prædicto ſtagnanti, quia fermentativæ, fermentationem ſupradictam conceptam augent. Ad hos humores in Epilepſiæ cauſa examinanda reſpexit Hipp. quando *in cit. ſuperiùs num. de morbo ſacro*, *Pueros*, *quorum caput mundum extiterit ſine ulcere*, *facilè morbo hoc corripi* aſſeruit. Umor ulcerans eſt acris, & fermentativus. Fermentante ſanguine in ſinu prædicto exiſtente, iſte magis rareſcit, dilatataque ob iſtius rarefactionem membrana, impetuque concepto, cum majori vi ſubjectas cerebri partes premit, interdicente preſſione influxum ſpirituum ad organa ſenſuum, & ad totam medullam oblongatam in ea quantitate neceſſaria ad totum corpus regendum, & ad ſenſus peragendos, quapropter hi deficiunt, & totum corpus ruit.

Cùm ſanguine fermentante, & effervefcente in ſinu prædicto, effervefcit omnis humor in ſubſtantia cerebri contentus, de quo ſupra, & in quem Epilepſiæ cauſam refundit Hipp. ratione majoris quantitatis iſtius, major contingit effervefcentia, cum intumeſcentia ſubſtantiæ cerebri, à qua premuntur, cùm diminutione motus circulatis ſanguinis, vaſa illius ſanguiflua; motus diminutus ſtagnationem inducit; ſtagnatio, cum preſſione ſpiritui motum adimit, & cum motu actionem, caloremque ab eo proficiſcentem ſupprimit. In tali ſtatu conſtitutus ſanguis, frigidus dicitur.

Sanguis in aliis tribus ſinibus duræ matris congregatus, pariter effervefcit, & effervefcentia in ſe ipſum circumvolutus parvo, & tardo fluxu venas jugulares ingreditur, cum diminuto motu circulationis in iſtis, & in vaſis illis connexis; hac ratione ſanguis refrigeratus dicitur in dictis vaſis.

Hujus effervefcentiæ argumentum habemus in colore rubro, & inflatione vultus in Epilepticis, & etiam à tempore invaſionis epileptici paroxyſmi, qui cadit in Novilunio, in prima, & ſecunda quadratura Lunæ, & circa Plenilunium frequentiſſimè, & in iſtis Lunæ ſtationibus humor in cerebro fervet, turgente tunc temporis cerebri ſubſtantia, ut patet in vulneribus capitis oſſe detracto, cùm Luna decreſcente cerebrum valdè à cranio diſtet, creſcente verò ad illud accedat, itaut tempore finiti incrementi illud tangat; quod utique explicari non poteſt, niſi per effervefcentiam humoris in cerebro contenti per Lunæ vim adeò manifeſtè in humido aliarum ſubſtantiarum agentem.

Impeditus influxus ſpirituum ad muſculos intercoſtales à preſſione cerebri in ea quantitate requiſita ad naturalem elevationem thoracis, hæc minuitur, & parvum ſpatium aeri in pulmonibus conceditur, cum difficili reſpiratione, & ſtagnatione ſanguinis in iſtis, à qua ſenſus ſuffocationis, ſeu, cùm Hipp. reſpirationis obturatio; motus enim pulmonum, maximè expirationis, in qua ſuccedit eorum conſtrictio, motum circulationis ejuſdem accelerat, idcircò hoc diminuto tardo motu movetur ſanguis, & tarditas remora eſt ſanguini in vaſis pulmonum. Reſpiratio impedita, & calorem, & tenuitatem ſanguini demit, ob rationem allatam ex mente Recentiorum. Muſculi circulationi ſanguinis inſerviunt, ſuo motu vaſa ſanguiflua agitando, & leniter comprimendo; hinc deficiente horum motu, circulationis motum imminui, retardari oportet, ſanguinem craſſum fieri, & minus calidum, in quo ſenſu dicimus frigidum, & coagulatum.

Licèt ex his pateat frigiditatem, & coagulationem ſanguinis, cum Hipp. in Epilepſia reperiri, patet etiam

iam non eſſe quid antecedens hanc, conſequenter neque cauſam illius, ſed eſſe quid conſequens, à quo foveri, & conſervari poſſunt omnia ſymptomata ab Epilepſia emanantia; quod confirmavit etiam, dum omnia ſymptomata Epilepſiam ſequentia ad ſanguinis frigiditatem, & coagulationem reducat *in lib. de morbr. ſacr. num. 8.*

Ab hac preſſione ſubſtantiæ cerebri, & effervefcentia ſanguinis in ſinibus duræ matris, & humoris in ſubſtantia cerebri collecti, quæ omnia momento temporis vim prædictos effectus pariendi acquirere poſſunt, ſicut acervus pulveris pyrii ab admoto igniculo momento temporis totus in flammam erumpit, rectè explicatur momentaneus Epilepſiæ inſultus, & etiam paroxyſmi ablatio dependenter à remiſſione effervefcentiæ prædictæ, à qua ſanguis ſinuum, relicto motu inordinato in ſe ipſum, motum circulationis expeditum, & ordinatum reaſſumit, cedente etiam, vi ſanguinis ad naturalem ſtatum redacti, obſtaculo in orificiis jugularium, etiamſi adfuerit.

Motus convulſivi inſeparabiles Epilepſiæ comites per dictas cauſas explicantur. Ab effervefcente enim ſanguine in dictis ſinibus variè agitatur, movetur, concutitur illorum membrana, & ad eoſdem motus irregulares trahuntur membranæ nervorum totius corporis, cùm ſint illarum cerebri productiones, cum eiſque ſtrictè colligentur, eamdemque motus irregularitatem membrana cerebelli patitur; irregulariter enim mota, & concuſſa à fermentante ſanguine membrana cerebri, irregulariter etiam moventur, & concutiuntur filamenta illa, quorum medio membrana cerebelli illi connectitur; hac concuſſa omnes partes cum cerebello connexæ, vel dependentes concuti neceſſe eſt, & præcipuè illæ, quæ cum portione membranæ concuſſæ commercium conſervant, non æqualiter tota membrana cerebri, & cerebelli concutitur, ſed modò in una parte, modò in alia, prout effervefcentia ſanguinis inæqualiter in eo ſuccedens, modò unam, modò aliam partem diſtendit, agitat, concutit. A ſpiritu etiam animali motus illi convulſivi oriuntur. Fluxum iſtorum per nervos negare non licet, cùm partes in Epilepticis moveantur, & ſine influxu ſpirituum motus non peragitur, quamvis præternaturalis. Hic motus in Epilepticis non eſt voluntarius, ſed involuntarius, idcirco pendens à motu ſpirituum à nullo determinativo imperato, à nullo moderatore directo, ſed à vi propria exercito, vel ab aliqua circumſtantia fortuita determinato, quapropter irregularis, & inordinatus, prout contingit in Animalibus, dum jugulantur inordinatis motibus, modò unam, modò alteram partem moventibus, non à principio vitali ſpiritus regente, & determinante, ſed per ſolum motum priùs à principio vitali accepto, quo feruntur ſine ordine per viam, quæ primò eis offertur. Iſtis adaptari poteſt ſententia *Hipp. in libr. de flatibus num. 21.* deſcripta, & ſanguini ab eodem applicata, quem ratione contracti vitii in motu irregularis motionis membrorum cauſam determinat. Ex his patet in Epilepſia eſſe vitium organicum in ſubſtantia cerebri, nempè in dilatatione ſuarum poroſitatum, ſeu interſtitiorum, & etiam in ſinibus duræ matris, & filamentis, ſeu ligamentis oſſe laxitatem, & dilatationem varicoſam eorumdem ſinuum, & ſimul adeſſe intemperiem in ſanguine ratione humidi ſuperabundantis, & ratione particularum fermentativarum, vel ob ſui volatilitatem, vel ob humoris conditionem.

Cauſæ remotiores, ex *Hipp. citat. libr. numer.* 10. ſunt Calor; ait enim: *Defluit autem, & eliquatur pueris, maximè quibus ſanè caput fuerit percalefactum, ſive à Sole, ſive ab igne;* ratione ſuperiùs dedimus. A frigore etiam fieri, eodem loco docet his verbis: *Si etiam derepentè inhorruerit cerebrum* (hoc eſt, derepentè, & violenter refrigeratum fuerit) *etiam tunc pituita ſecernitur, eliquatur etenim per calorem, & cerebri diffuſionem, ſegregatur autem à frigore, ac concretione, & ſic defluit. Et quibuſdam quidem defluxionis cauſa hæc eſt.*

Hinc obiter notandum eſt, Hipp. Recentiores docuiſſe à ſanguinis coagulatione, & concretione humoris ſeroſi ſegregationem fieri, à qua fluxiones, & alii morbi progignuntur; frigus enim, conſtipando humorem, quod ſeroſi, & fluxibilis valdè in eo reperitur, exprimit. Calorem, & frigus eſſe Epilepſiæ cauſam, ſatis apertè experientia demonſtrat. Si poſt frigus calor caput afficiat, cauſa pariter eſt Epilepſiæ, prout eodem loco dicit Hipp. *Ubi derepentè poſt aquilonares ventos refrigerantes, auſter calefaciens flare cœperit, occaſionem epilepſiæ præbet;* quòd ſuccedit, etiamſi calori frigus ſucceſſerit; qua de cauſa Senes Epilepſia corripi docuit idem *Hipp. cit. lib. num.* 12. dictando: *Cùm ad multum ignem ſenex caput, & cerebrum percaluerit, deinde in frigore verſatus fuerit, ac inhorruerit, & ex frigore ad tempora acceſſerit, & ad ignem deſcederit, idem hoc patitur, ac ſic à morbo ſacro apprehenditur juxta prædictum modum*; & rationem reddit *Hipp. in fine cit. num.* reddendo cauſam, cur in Æſtate Senes ab Epilepſia non corripiantur, quia in hac tempeſtate *non accidunt magnæ mutationes*; quando ergo accidunt magnæ mutationes caloris, & frigoris, tunc Epilepſiæ cauſa adeſt, ab aquilonari vento cerebrum refrigerari, & immediatè ab auſtro calefieri, ab igne calefieri, & ab aere refrigerari, magnam mutationem includit, conſequenter & cauſam Epilepſiæ. Hæc majorem claritatem adipiſcuntur, ſi dicamus, à calore majorem fluxum ſanguinis ad dictos ſinus fieri, unde neceſſarii dicti effectus, à frigore ſanguinem ibidem magis condenſari, & ſtagnare, ex quo deſcriptæ affectiones.

Epilepſiam fieri per conſenſum ab affectione partium inferiorum, innumeræ Authorum obſervationes teſtantur, quod cerebro communicatur effervefcentiam in ſanguine ſinus irrigante efficere puto.

Signa imminentis Epilepſiæ tradita ſunt ad *Hipp. lib. de Coac. prænot.*

Signa præſentis ſunt: Abolitio ſenſuum internorum, & externorum, motus convulſivi totius, ſuffocatio, ſpuma ab ore exiens.

Signa prognoſtica habentur collecta *in lib. 2. prædict. n. 16. Morbus comitialis difficillimæ curationis, ſi à pueritia incipiat, & in virili ætate perduret, & ſi inceperit in vigore ætatis. Senes, ſi apprehendantur, moriuntur. Periculoſus morbus comitialis, in quo pars principaliter affecta non cognoſcitur, & ejus initium ignoratur. Qui à capite initium ſumunt, ex his graviſſimi ſunt, deinde qui à latere* (ideſt, qui ab epate, vel liene proveniunt.) *Qui verò à manibus, vel pedibus maximè, ſanari poſſunt*; quæ omnia videtur confirmaſſe *lib. de morb. ſacr. n. 10. & 13. lib. 3. proreth. part. 39. Qui ſanguinem certis temporibus profundere conſueverunt, ſi non profunderit, ſiticuloſi hi difficiles, exoluti, epileptici moriuntur*; *in lib. de flat. n. 23. Liberantur aliquando huic morbo obnoxii, maximè accedente hyeme*, & rationem ibi reddit, quam explicabimus in curatione; & *in lib. 2. aphor. 45. Quicumque juvenes morbo comitiali laborant, mutatione maximè ætatis, & temporum, & locorum, & victuum, quoque liberantur*; & *in libr. de Coac. prænot. n. 4. Si urinæ in epileptico fuerint tenues, & crudæ, præter morem, ſine repletione morbus epilepticus inflat, & præcipuè ſi dolor, vel convulſio in ſummum humorum, aut collum, aut dorſum incidat, aut torpor corporis fiat, aut turbulentum inſomnium viderit*; hæc enim omnia feri copiam oſtendunt, & cerebrum hoc colligere, & inſomnium turbationem ſpirituum, & fermentationis initium; & *lib. 5. aphor. 7. Quibuſcumque morbi comitiales fiunt ante pubertatem, mutationem accipiunt; quibuſcumque autem vigeſimo quinto, commoriuntur.*

Indicationes erunt: Primò exſiccandi humidum, quod fit exſiccantibus, & purgantibus. Secundò acidum ſulphureum, vel ſalnitroſum, quod eſt altera cauſa Epilepſiæ, corrigendi, quod fit ſpecificis antiepilepticis. Eadem exſiccatione vitium organicum cerebri, & ſinuum duræ meningis oppugnabitur, quòd tertiò conſiderandum venit.

Principalem indicationem in curatione Epilepſiæ eſſe humidi exſiccationem, habemus ab *Hipp. lib. cit. de morbo ſacr. num. 13.* ubi habet: *Non autem ampliùs poſſibile pituitam excerni, neque cerebrum reſiccari*; ideòque concludit difficilem eſſe liberationem ab hoc affectu; è contra verò deducendum eſt, ſi pituitæ poſſibilis eſſet

eſſet excretio, & cerebri exſiccatio facilem fore liberationem, cùm pueri ſanentur per incrementum ætatis augeſcente calore, à quo humidum ſuperfluum exſiccatur, & eadem exſiccatione conſtrictis poris cerebri, hoc compingitur; & *in lib. de flat. num.* 23. deſcribendo modum, quo aliqui, accedente Hyeme, à flatibus liberantur, ait: *Quando variis laboribus exercitatum corpus calefactum eſt, caleſit & ſanguis, qui rarefactus rurſus calefacit flatus; hi verò calefacti diſſolvuntur, & ipſi, & compactum ſanguinem diſſolvunt ſimul, proceduntque è corpore partim cum ſpiritu, partim cum pituita ejecti.* Hæc omnia ab Hipp. enarrata exſiccationem includunt; calor enim corporis, & ſanguinis pituitam, & ſerum in flatus attenuat, & etiam reſolvit; quæ ſententia poteſt applicari curationi Epilepſiæ per exſiccantia peragendæ. Et *lib.* 7. *Epid. n.* 26. ubi narrat hiſt. comitialis convulſionis per aliquot dies repetentis, ait: *Sexta abſtinuit ab omnibus, & ſorbitione, & potu, & à nulla amplius affectione corripiebatur*: abſtinentia à cibo eſt validum exſiccativum.

Exſiccamus purgantibus continuo uſu ad aliquod tempus repetitis, & ſaltem per quindecim dies; in quorum genere ſunt: *Syr. Hellebori Quercetani*, vel

℞. *Extract. Helleb.* ʒ. ß.
Viſci querc.
Pyreth. } *a.* ℈. ß. *M. d. t.*
Sem. Peoniæ

Componatur Syr. Magiſtral. ex Senna, Helleboro, Agarico, Sem. Carthami, Zinzibere, Pyreth. Cinam, Rad. Peoniæ, Valerianæ, Sem. Seſeleos, Saponariæ, Floribus Tiliæ, omnibus in aqua infuſis, & decoctis, cum Saccharo in Syrupum redigantur, & exhibeantur ℥. *ii. augendo, vel minuendo doſim pro operationis parvitate, vel magnitudine.* Bis in anno reiteranda hujuſmodi purgatio, Vere, & Autumno, & quolibet menſe ante Novilunium, vel Plenilunium uno cum dictis medicamentis purgandum. In ſingulis Lunæ quadraturis, & in die præcedente, & has ſubſequente unum ex ſpecificis infrà deſcribendis ſumat æger, ſervata diœta in fine hujus Diſſertationis exponenda.

Diaphoreticis exſiccamus paratis *ex Ligno Sancto, Saſſafras, Viſco quercino, Corylino, Cornu Cervi, Floribus Tiliæ, Radice Lappæ majoris*, ſudorem promovendo, vel lagenis aqua calida plenis vel arcubus appoſito igne *ex Spiritu Vini juniperato*. Poſt ſudorem exhibeatur bolus *ex* ʒ. *i. Antidoti Cœphalici maj.* vel *Mithridati, cum gr. ii. Laudani liquidi*, ſuperbibendo *Aquæ Ceraſ. nigr. Florum Tiliæ, vel Hirund. a.* ℥. *iiii.* Bis in die ſumatur decoctum, ſolo manè ſudor proliciatur, per triginta dies in hoc perſiſtendum, præmiſſa purgatione totius, & per tres annos in Vere reiteranda hæc ſudorifica purgatio.

Sputatione exſiccationem conſequemur, exhibendo *Mercur. dulc. ad* ℈ ß. *cum Terebinthina, & Caſtoreo*, uſquequò ſputatio copioſa appareat; eamdem obtinebimus *Unguento Mercuriali* ad uſum redacto; ſputatione terminata, decocto ex dictis lignis, cum infuſione *Cinabr. nat. Decoctum ad dies quadraginta extendatur, ſine ſudore.* His remediis exſiccantibus corrigetur vitium organicum cerebri, & duræ meningis.

Secunda indicatio acidum ſulphureum extinguendi. Non omnia acidum abſorbentia communiter decantata valent acidum epilepticum extinguere, ſed ſpecificis ſolùm reſervata eſt hujus acidi reſolutio; inter quæ *Semen Saponariæ ſumptum ſemel in menſe per tria Novilunia ad* ʒ. I. *Ruta crucigera ad m. i. in Vini amphora infuſa, & per quindecim dies ſumatur dictum Vinum ad* ℥. *vi. vel Succus ejus ad* ℥. *i. in Aqua Hirundinum, vel Ceraſorum nigrorum, vel Antiepileptica.* Specifica ſunt: *Peoniæ Maris radix, flores, & ſemen; radix colligenda Sole in Leone exiſtente, hora ſolari. Viſcus quercinus colligendus menſe Auguſti, vel Septembris, inter duo Mariæ Feſta, illud cenſetur efficacius, quod Quercui propius eſt reſecatum. Lignum Corylinium, ideſt Avellanæ ſylveſtris, adhuc præſtantius eſt. Radix Valerianæ ſylveſtris ad* ʒ. *ii. in liquore ſpecifico. Hyperici min. ſanguis, hoc eſt Tinctura Florum iſtius collectorum in die S. Joannis Baptiſtæ, Baccæ herbæ Paridis n. novem. Carduum, Milleſolium, Lunaria, Radix Dentariæ inter ſpecifica numerantur. Spiritus Sanguinis humani laudatur, ab aliis præfertur ille à ſanguine Epileptici extractus, & cum Spiritu Vitrioli, juxta Crollium parati, mixtus. Secundina torrefacta mulieris primiparæ maſculum enixæ, & in pulverem redacta, ad* ʒ. *i. cum Aqua Antiepileptica; Fel Catuli nigri, Unicornu verum. Hepata Ranarum toſta ſuper folia Braſſicæ lento igne in ollis vitreatis. Gloſſopetre, ſeu Linguæ Serpentum Melitenſium; Unicornu foſſile, quod in Specu Bumaniono in Sylva Hercinea in copia reperitur; Cinabris nativa, & Antimonii artificialis, Charabe, & ex eo paratæ compoſitiones.* Hæc remedia ante, & poſt Novilunia, & Plenilunia ſunt exhibenda, cùm in iſtis temporibus inſultus epileptici invadere ſoleant, & propinanda cum ſpecificis, ut *Aqua Hirundinum, Ceraſorum nigrorum, Florum Tiliæ, Liliorum Convallium, & decoctum aliquod ex ſimplicibus dictis*; ex his omnibus parari poſſunt varia medicamenta, in pulvere, electuario, pilulis, & vina medicata.

De ſanguinis miſſione nihil dicendum cenſent multi, niſi adſit plenitudo, vel evacuatio conſueta iſtius ſuppreſſa, & in paroxyſmo, niſi adſit periculum ſuffocationis; ex dictis tamen de cauſa Epilepſiæ deduco convenire, & ſi habeantur ſigna imminentis paroxyſmi, puto valdè tunc proficuam fore miſſionem ſanguinis; & *Cælius Aurelianus* in paroxyſmo epileptico, & poſt, ad præcavendum ſecundum, ſanguinis miſſionem admittit, & in data cauſa irrationabile eſt rejicere, & proficua erit miſſio à jugulari vena.

Diœta corpus exſiccare, & acidum corrigere intendit *Hipp. lib. de morb. ſacr. n. ult.* ubi hanc auream habet ſententiam: *Naturam autem unuſquiſque habet, & vim in ſe ipſo, & nullus nec auxilii, nec remedii expers eſt, & plerique his ipſis curantur, à quibus etiam naſcuntur; alterum enim alterius nutrimentum eſt, alterius verò pernicies, & afflictio. Hoc itaque Medicum noſce oportet, & temporis occaſionem in ſingulis prænoſcere, quod alterum quidem per alimentum abſolvet, & augebit, alterum verò detrahit, & minuet; oportet autem tùm in hoc morbo, tùm in reliquis omnibus non augere morbos, ſed feſtinare, ut ipſos exteramus, id quòd adverſiſſimum eſt, morbo exhibendo, non quòd amicum, & familiare; à familiari enim, & conſueto floret, & augeſcit; ab adverſo verò, & hoſtili perit, & diſſipatur. Quiſquis autem talem mutationem in hominibus novit, & humidum, ac ſiccum, facere poteſt hominem calidum item, ac frigidum per diœtam, hic utique, & hunc morbum ſanaverit, ſi occaſionem eorum, quæ conferunt, prænoſcet.* Sola Diœta ergo curandam Epileſiam ſancivit Hipp. ſi exſiccans fuerit; talis eſt ratione quantitatis; ſi in minori quantitate alimenta ſumantur, quàm totius deperditi ratio requirit, ceſſante integra reparatione deperditi neceſſe eſt, ut corpus tam ſecundum ſolidas, quàm fluidas partes exſiccetur; minuenda ergo ſolita cibi quantitas. Diminutionis menſuram aſſignavit *Hipp. lib. de vet. Medic.* ubi habet: *Victus modus ex ſolo corporis ſenſu cognoſcitur;* & modum determinavit *in lib. 6. Epid. ſect. 3. Paucus cibus, ſine laſſitudine, ſine ſiti;* hæc eſt diminutio alimenti tuta, ſi abſit ab hac laſſitudo, & ſitis. Ratione qualitatis cibus eſt exſiccans, ſi calidus, & ſine humido horum electionem colliges. *In lib. de Diœta* 2. *à n.* 18. *uſque ad* 28. habet modum exſiccandi, & *in lib. de ſalubri Diœta num.* 4. ubi *pingues graciles facere* docet, & *in lib. de ratione victus in acutis, laborandum etiam, & exercendum corpus*, cùm, ex Hipp. *labores, quæ inſunt conſumere* ſoleant. *In lib* 1. *de Diœt. n.* 2. & *li.* 2. *n.* 24. dixit, *laborem ſiccare, & corpus robuſtum facere*; ſit tamen cum moderatione in diœta diminuta, ne vires reſolvantur, ad quas reſpiciens *Hipp. in li.* 6. *Epid. ſect.* 6. ſancivit, *Labores cibos præcedant*, ut per cibum vires à labore diminutæ refocillentur. Omnia acida, & pituitoſa vitanda, & præcipuè vinum, ob ſuum acidum occultum, etiam ſi non ſit ſenſui manifeſtum; omnia bilioſa concedenda, cùm, ex *Hipp. cit. loc. de morb. ſacr.* pituitoſos, non bilioſos hic morbus corripiat. Satagant ergo Medici pro acquirenda ſcientia medendi morbos ſola victus ratione; cum hæc, etiam incurabiles exiſtimati, ut Epilepſia, curentur, & per hanc poſſumus calefacere, exſiccare, refrigerare, humectare, imò aciditatem, auſteritatem, ſalſedinem, acrimo-

niam humorum moderari, & ita omnes morbos curare. In Diæta comprehenduntur omnes res non naturales.

Curatio Epilepſiæ per conſenſum, fit curatione partis affectæ, & ſpecificis ſupradictis.

CAP. XXX.

De Convulſione, ſeu Contractura.

CONtraria Paralyſi convulſio illa in reſolutione, & laxatione partium conſiſtit, hæc in contractione; dicitur etiam Spaſmus, non quia præciſè vehementi dolore afficiatur æger convulſione captus, ut vulgò creditur, ſed quia pars eſt contracta, & contractionis ſocius eſt dolor.

Definitur Convulſio: *Contractio muſculorum involuntaria, perpetua, dolorifica, ob nervoſarum partium abbreviationem, quæ verſus ſuum principium retrahuntur, cum rigiditate, & figuræ partis convulſæ mutatione.*

Eſſe *contractionem* in convulſione, ocularis inſpectio certum facit; ideò contracturæ nomine convulſionem deſignavit Præceptor Hipp. quia eſt inſeparabilis à convulſione vulgariter acceptata; nam vera convulſio eſt motus convulſivus, ut ſuperiùs demonſtravi. Eſſe *muſculorum contractionem*, demonſtratur à natura contractionis, quæ fit per motum; hoc enim ſolùm pars, quæ eſt extenſa, contrahitur virtute organi motus, quod eſt muſculus, ſine quo nullus motus in corpore exequitur; quapropter omnis contractio partis ſupponit contractionem muſculorum, qui illarum motui ſerviunt, etiamſi contractio fuerit involuntaria, prout eſt illa convulſionis, ſeu contracturæ, cùm idem ſit principium motus ſpontanei, ac non ſpontanei præternaturalis, cum hac tantummodo differentia, quòd in motu ſpontaneo à Voluntatis imperio movetur principium, & organum motus, in præternaturali verò à cauſa morbifica: idcircò contractio in convulſione dicitur involuntaria, quia fit à cauſa morbifica præternaturali, & citra Voluntatis imperium; imò contractionem hanc morbificam impedire non poteſt, ſi velit Voluntas, ſuperante Voluntatis efficaciam vi cauſæ morbificæ.

Eſt *perpetua* iſta contractio, ut plurimùm experientia docente, ideò eſt difficilis curationis, & inter morbos incurabiles numeratur; viſæ tamen fuerunt convulſiones periodicæ, ut notat *Oetæus lib. obſer. & Barthol. cent. 3. Hiſt. Anatom. 39. Tulp. lib. 1. obſer. 25. Dolorifica*, quia eſt contractio præternaturam partium ſenſitivarum, quæ cum dolore ſemper conjungitur, & etiam quia dum tendines muſculis annexi contrahuntur, membranam oſſis, cui inſeruntur, velut ab oſſe avellere conantur, cum triſti illius ſenſatione; imò in contractione tendines ab oſſibus quaſi divelluntur, quod niſi cum magno dolore ſuccedere poteſt, & maximè attenta contractione valdè magna, quæ naturaliter, & cum toto conatu à Voluntate imperato fieri non poteſt, ſicut fit à cauſa præternaturali, ut eſt illa, qua calcaneis clunes attinguntur, ex qua magna contractione dolor etiam ſequitur: Vide *Jachinum 9. cap. 13. in 9. Raſis*; & etiam quia in convulſione adeſt ſemper irritans, à quo dolor.

Dolorem in convulſione innuit *Hipp. in lib. de intern. affect. n. 60. & 61. & lib. 3. de morb. n. 13.* & experientia docet in *Crampe*, qui eſt convulſio à flatu, adeſſe dolorem. Verùm in principio contractionis ſolùm dolor obſervatur, parte enim diù in ſitu contractionis commorante ceſſat dolor, contractioni parte ſe accommodante, ſine ullà triſti ſenſatione, ut habemus ab *Hipp. lib. Coac. prænot. n. 3.* Convulſiones omnes quidem moleſtæ ſunt, & dolores in principio intenſos inducunt, & poſtea quoque aliquos commonefaciunt.

Contractio fit *ob partium nervoſarum abbreviationem*. Per partes nervoſas non intelligimus ſolùm ramificationes nervorum per muſculos diramatas, ſed etiam tendines, qui non ſunt niſi dictæ ramificationes in faſciculum colligatæ, & hi præcipuè ſunt in muſculis partes affectæ, & contractionis primaria ſedes, cùm iſtorum miniſterio motus muſculorum peragatur, & docuit *Hipp. cit. lib. 3. de morb. n. 60.* ubi habet, loquendo de *Opiſtotonos*, quæ eſt convulſionis differentia: *Fit autem cum tendines, qui ſunt retrò in cervice ægrotant; & in lib. de vict. rat. in acut. num. 55.* de *Tetano* loquens, ait: *Cum autem à tendinibus vehementer in anteriorem partem revelluntur*; ex quibus patet, Hipp. voluiſſe ſedem contractionis partium in tendinibus, & ratio expoſcit, quòd motus depravati ſit ſedes, quæ eſt ſedes motus naturalis, at hæc eſt in tendinibus, cùm iſtorum ope, & contrahatur, & extendatur pars, conſequenter etiam præternaturalis motus contractionis ſedem eſſe admittere cogimur. Ab affectis verò nervis, muſculorum eadem poteſt ſequi indiſpoſitio, quæ fibras muſculorum carnoſas eodem modo afficiat, ita tamen ut primario nervus, & tendo afficiatur, ſecundario fibra carnoſa, & muſculoſa caro.

Abbreviantur verò; quia verſus ſuum principium, nempè cerebrum, tendines nervoſi contrahuntur; ex contractione enim curvantur, & à curvitate breviores ſecundùm longitudinem evadunt. Dictum fuit *nervoſarum*, ut non ſolùm nervos, & tendines, ſed etiam ut membranæ contractionis ſubjectum ſtatuantur; quod docuit *Hipp. lib. 1. de morb. n. 14.* ubi habet, *Ventriculi convelluntur, & exſiccantur; & in lib. 3. Prorct. p. 28.* habet, *Veſicam convelli; & in lib. de oſſium nat.* ait, *Venam humeralem ſanguifluam rumpi, & convelli; & in lib. 1. de morb. num. 12. Venula convulſa rumpitur*. Pulmones, & iſtorum articulos convelli, ſancivit *lib. 1. de morb. n. 5. & Pulmones convelli, cùm tuſſis fortis fit*, declaravit *lib. 4. de morb. n. 28. Heurnius lib. de morb. capitis cap. 25.* convulſionem obſervavit in inteſtinis, abdomine, teſtibus, & vaſis ſpermaticis. Primarium verò ſubjectum contractionis tenendum eſt tendinem eſſe; in iſtis enim convulſiones ſunt ferè ſemper diuturnæ, & perpetuæ, in aliis verò partibus membranoſis breviores, & breviſſimæ, ut patet in convulſione ab Epilepſia, ab Hyſterica, & Hypochondriaca affectione.

Ab hac contractura rigidi fiunt tendines, & partes, itaut nec vi magna poſſint diſtendi, & à ſua contractione dimoveri. Tendinibus evenit id, quòd obſervamus in chorda copia aquæ madefacta, quæ contrahitur multùm, & abbreviatur, & ita rigeſcit, ut nullo modo tractari poſſit, ac antea datum erat; ita tendines humore ſeroſo impleti, ita rigeſcunt, ut à ſitu contractionis dimoveri ſit impoſſibile, & eò magis, ſi ſerum illud in eis concreverit; ab iſtius enim concretione ita conſtipati, & duri fiunt, ut cuicumque eos movere conanti reſiſtant, & probabile mihi eſt hunc humorem ſeroſum eſſe ejuſdem conditionis cum eo, à quo tophi in podagricis, & partium contorſiones fiunt. Addo tendines facilè oſſeam indolem ſuſcipere, ut patet in pedibus præcipuè Indiorum veterum, in quibus tendines motui illorum deſtinati oſſei reperiuntur; hinc eſt, quòd exſiccati tendines contrahuntur, & immobilitatem nanciſcuntur.

Contracti, & rigeſcentes nervi partem, cui annectuntur trahendo à ſua naturali figura dejiciunt, & pro ſitu acquiſito in contractione partem etiam in tali ſitu confirmant. Hinc oriuntur variæ illæ partium convulſarum configurationes, quas impoſſibiles crederemus, niſi oculis perciperemus, & cum tali vi ad has configurationes ducuntur, ut oſſium dislogatio ſuccedat, in qua actione dolores vehementes non poſſunt non contingere.

Ex his confirmatum manet, ſubjectum primarium convulſionis eſſe tendines muſculorum, ſecundarium eſſe totum muſculum, cujus tendines afficiuntur, cum iſtorum motus impeditus, vel vitiatus depravet, vel vitiet illorum motum; denominativè verò pars convulſa, vel totum dicitur ſubjectum convulſionis, cùm pars, vel totum convulſum denominetur; Ubi verò convulſio, ſeu contractura contingit parti, in qua non eſt tendo, ut quando membranæ ſupervenit contractura, membrana erit ſubjectum iſtius.

Patet etiam differentia, quæ eſt inter convulſionem, & motus convulſivos; in illa adeſt immobilitas, & omnis privatio motus, & contractio permanens, in iſtis contractio, & extenſio reciprocans, & motus ejuſdem partis patientis motus convulſivos, modò cum contractione, modò cum extenſione exercent.

Patet etiam differentia inter contractionem partis factam ab homine ſano, ab ea convulſionis, licèt hæc eiſdem Inſtrumentis operetur. Quia in homine ſano talis contractio fit Voluntate imperante, in convulſione contra Voluntatis imperium. Contractio membri vo-

lunta-

luntariè facta, voluntariè mutatur, contractio convulſiva, eligente etiam Voluntate, non tollitur, nec mutatur,

Cùm omnis contractio naturalis partium ſit, & dicatur motus, quia licèt pars in contractione videatur quieſcere, verè tamen dicitur moveri, cùm in contractione detineatur per actionem muſculi, & ſpirituum, ſine qua à contractione diſcedit, & omnis actio dicatur motus; patet etiam in coutractione eſſe motum, ideò non ſine ratione quæſitum eſt, quomodo in convulſione depravetur hic motus, an diminutè, an depravatè, an abolitè.

Sylvius le-Boe exiſtimat, motum in convulſione non eſſe abolitum, dum adeſt retractio partis, quæ non fit, niſi cum motu, & conſervatio hujus retractionis in parte motum ſupponit, ex quo motus abolitus dici non poteſt: non poteſt dici motus depravatus, quia motus retractionis partis, eſt motus naturalis partium, quo ſæpiùs utuntur pro exercendis aliquibus operationibus, motus verò depravatus, eſt motus ad nullas operationes naturales requiſitus. Non eſſe diminutum demonſtrat reſiſtentia, qua membrum contractum omnem vim conantem contractionem auferre deludit; ex quo deducitur, motum contractionis in convulſione non eſſe diminutum, quia facilè contractio à vi externa ſuperaretur, & ad extenſionem reduceretur pars contracta. His rationibus perſuaſus concludit, motum contractionis in convulſione eſſe motum auctum, cùm contractio ſit perpetua, & reſiſtens vi externæ robuſtæ.

Verùm licèt contractio partis ſit motus, cùm ſit tranſlatio illius ab uno ſitu ad alium ſitum, conſervatio tamen contractionis in convulſione, non eſt motus, quia non conſervatur per actionem muſculorum, & tendinum partis, nec per actionem ſpirituum animalium, ſicuti dixi conſervari in contractione partium naturali, ſed ejus conſervatio pendet à cauſa præternaturali afficiente tendines, & iſtorum extenſionem prohibente, quapropter eſt ablatus motus extenſionis, & abolitus, cùm nec imperante Voluntate poſſit pars convulſa extendi. Et ſicuti in Paralyſi dicimus motum eſſe abolitum, licèt in ea adſit extenſio partis paralyticæ, quæ eſt motus, quia extenſio non eſt ſpontanea, nec pars alio motu valet hanc immutare, ita quia in convulſione contractio non eſt ſpontanea, nec per Voluntatis imperium mutari poteſt, in convulſione motum eſſe abolitum dicendum eſt. Nec talem contractionem motum propriè appellare debemuss, licèt per motum facta fuerit, ſed quietem in termino motus, cum omnimoda ceſſatione ab iſto, & cum immobilitate, & impotentia ad quamcunque motus differentiam, ut patet ex dictis.

Cauſas convulſionis, ſeu retractionis, vel contractionis ab Hipp. dictæ, ad duas reducit *Hipp. lib. 6. aphor. 39. repletionem nempè, & inanitionem*, ubi ait. *Convulſio fit à repletione, vel inanitione*; & quoad repletionem videtur confirmaſſe *lib. 5. aphor. 5.* ſcribendo: *Si quis ebrius derepentè voce privetur, convulſus moritur, ſi non febris corripuerit.* Ebrietas repletionem inducit, & hanc confirmat remedium, nempè febris, à qua repletio tollitur; & *lib. 1. de morb. popul. ſect. 2.* ubi narrat convulſiones à conſtitutione temporis humidi, & aquilonaris; humida conſtitutio auget humores ſeroſos, aquilonaris tranſpirationem prohibendo copiam iſtorum congregat. A copia humoris repleti tendines, ſecundùm latitudinem dilatantur; & quantum ſecundùm hanc extenduntur, tantum ſecundùm longitudinem abbreviantur, ut videre eſt in chordis Chitaræ, & Corio, quæ, ſi humore copioſo perfundantur, contrahuntur ſecundùm longitudinem, & ſecundùm latitudinem dilatantur. Quælibet repletio non ſufficit ad contractionem, ſed quæ implendo tendines turgere facit cum duritie, & rigiditate ad inſtar Utris coriacei humore ad turgeſcentiam, & quantum ejus extenſio permittit, impleri, qui duritiem, & reſiſtentiam talem concipit, ut preſſus reſiſtat, nec flexuram in qualibet ſui parte admittat, ideò à qualibet ſeri redundantia in corpore non fit ſemper convulſio, ſed ab ea ſolùm, quæ tendines irrigat, & implet, cum rigiditate, & immobilitate. Requiritur etiam, meo judicio, humor concreſcibilis, à cujus concretione tendines rigiditatem nanciſcantur, eo modo, quo fila aqua valdè madida hyemali frigori expoſita; conglaciata aqua rigiditatem acquirunt. De hoc humore, & ſero concreſcibili locutus eſt *Fracaſſatus*, rigiditas naturalis, vel acquiſita tendinum, contracturæ illorum diuturnæ opitulatur aliis ſupradictis cauſis accedentibus.

Plenitudinem contractivam faciunt flatus in Crampe (vulgò dicto *Granfo*) & modum explicat *Duncanus in ſua Explicatione Mechanica Actionum animalium c. 9.* ſupponendo tendines eſſe promptuarium ſpirituum animalium, & pro Animæ imperio ab his in fibras carneas muſculorum impelli, medio fibrarum nervearum, qui cum ſpiritu vitali uniti motum peragunt, modo in Diſſertatione de Motu explicato; motu peracto, ſpiritus ad tendines tamquam ad ſuum centrum redeunt. Si hic reditus impediatur à flatu occupante vias, per quas redit ſpiritus ad tendines, tunc pars tumida, & dilatata perſiſtit ſecundùm latitudinem, & ſecundùm longitudinem abbreviata, & ideò convulſa, & in hoc ſtatu perſeverat, donec obex, & impedimentum ſupradictum ſpiritibus auferatur; & quia flatus obicem ponentes citò reſolvuntur, citò etiam deſinit convulſio; & quia Crampe parùm durat, ideò à flatu oriri ſtatuitur. Huic addo, flatum non ſolùm obicem opponere ſpiritibus, quo hi detenti implent muſculum, ſed ſua rarefactione, & expanſione implere tendines; ex quo tam in muſculo, quàm in tendine repletio. Eamdem cauſam aſſignat *Duncanus* in contractione ab humore, dum vult ab humore impediti reditum ſpirituum in tendines, & illos expanſos, cum ſua virtute elaſtica dilatatos, unà cum effervefcentia ſpiritus animalis, & vitalis in fibris carneis conſervari, & perſeverare ad annos, unde convulſio diuturna; at contra rationem videtur eoſdem ſpiritus animales dicto modo diſpoſitos conſervari per annos, cùm talis diſpoſitio virtutis elaſticæ ſit eis violenta, & corpus tenue, & facilè reſolubile, quale eſt ſpiritus animalis, in violento ſtatu non poteſt conſervari per annos, cùm in virtute elaſtica deficiant etiam corpora chalybeata, ſi in hac violenter detineantur per longum tempus; ideò talis cauſa in convulſione brevi admitti poteſt, in diuturna minimè admittenda.

Cauſæ externæ ſunt, quæ humorem præcipuè ſeroſum, & acidum facilè concreſcibilem in corpore congregant, ut paſſiones animi triſtes, crapula, ebrietas, ſuppreſſa evacuatio ſanguinis hæmorrhoidum, vel menſium, à Plethora, ad quam reduci poteſt ictus, caſus ſanguinis copiam ad partem adducens, qua tendines replentur. Convulſionem à curata intempeſtivè ſcabie obſervavit *Zacutus lib. 1. Prax. Admir.* ab humiditate externa corpus afficiente, ex ſomno ſub dio in terram ortam convulſionem adnotavit *Jachinus in com. lib. 9. cap. 13. Raſis.*

Ab inanitione fieri convulſionem, præter citatum aphor. ſuperius confirmavit *Hipp. lib. 5. aphor. 1.* dum ait; *Fit convulſio ex Hellebori potione; & aphor. 3. ejuſd. lib.* ubi ait: *Sanguine multo effuſo convulſio, aut ſingultus, malum*; & *aphor. 4. Ex ſuperflua purgatione convulſio, aut ſingultus, malum.* A labore, & violentia exinaniente convulſionem admiſit *lib. 1. de morb. popul. n. 16. & 17.*

Inanitio parit convulſionem ſiccitate, quam ſemper ſequitur humidi defectus; hunc defectum expreſſit *Hipp.* in verbo *Inanitio*, importans ſiccitatem ex defectu humidi, à quo obſervamus fieri contractiones in ægris ex longa detentione partis in uno ſitu, quia non mota parte concidunt poroſitates, per quas pars ſuſcipit alimentum, vel ex deficientia motus, & curſus fluidi per eas obturantur, ex quo deficit parti alimentum, & exſiccatio ſupervenit. Siccitate corpora dura contractionis, & corrugationis incapacia in rimas, & fiſſuras ſcinduntur, ut in lignis videre eſt tempore Æſtatis; terra ipſa hoc tempore in fiſſuras ſcinditur; quæ verò contractionis, & corrugationis ſunt capacia ad rugas, & plicaturas ſiccitas trahit; hoc patet in corio, pergamena, & corporibus membranoſis, quæ per defectum humidi, & ſiccitate concepta corrugantur. Cùm tendines ſint corpora hujuſmodi conditionis exinaniti humido ad naturalem ſuam extenſionem, neceſſariò ad contractionem, & corrugationem ſuæ ſubſtantiæ coguntur, in qua abbreviantur, ideò ſiccitate concepta partem, cui ſerviunt, præter naturaliter contractam detinent, præcipuè ſi inanitio affatim, ſubitò, & cum violentia ſuccedat, & inæqualiter; quæ enim ſenſim,

ſenſim, ſuaviter, & æqualiter; introducitur, abbreviat quidem partem, ſed non contrahit, nec corrugat. Id probat abbreviatio ſenſibilis corporis in ſenectute, quia tendines ob ſiccitatem naturalem ætati, ſenſim, & ſuaviter introductam decurtantur, & cum iſtis totum corpus; in hac verò ſiccitate non amittunt potentiam ad extenſionem, quia rigiditatem non ſuſceperunt, ideò motus corporis, & partium non tollitur. Eadem ratio eſt de exſiccatione, & inanitione in hectica.

Cauſæ mediatæ ſunt omnes, quæ humidum reſolvunt tendinum, & muſculorum, & præcipuè omnes evacuationes copioſæ tam humorum excrementitiorum, quàm ſanguinis: Vigiliæ, inediæ, labores excedentes, immoderatus Veneris uſus. Harum cauſarum obſervationes vide *in Schenkio*.

Recentiores convulſionis cauſam ad irritationem partis nervoſæ, membranoſæ, & tendinoſæ reducunt. multæ obſervationes hanc comprobant ſententiam, *Ex nervo manus leviter puncto convulſionem mortiferam*, memorat *Rhodius cent.* 1. *obſerv.* 51. *Imò puncto quoque nervo digiti, exitioſam*, notat *obſer.* 52. & dignum notatu, quòd idem *dicta cent. obſer.* 50. ſcribit, *Ex incautè reſecatis unguibus inductam fuiſſe convulſionem*; & *Cneulinus de obſerv. propriis* refert, *Ex vulnere in pedis digito majori facto, ex occurſu iſtius in clavum caligarium Fabrum lignarium ſexta die in Opiſtotonos incidiſſe, & tanta violentia convulſum, ut caput illius dorſo affigeretur*. Et *Benivenus cap.* 48. *de Abditis* narrat *de Juvene, cui in miſſione ſanguinis ſcalpello nervus punctus fuit, ex qua punctura ſtatim ſubſecuta eſt nervorum diſtenſio, cum morte*: & *cap.* 101. idem narrat *de convulſione ſecuta ex ſectione tuberculi, furunculo ſimilis, in gena mulieris, ex punctura nervorum illius partis*. Hoc irritamentum traduxit *Vvilliſius* ad ſuccum nerveum, dum admiſit ab admixtione extranei in expulſiones non abſimiles eis pulveris pyrii accenſi erumpere, à quibus dilatati nervi ſecundùm latitudinem, decurtantur ſecundùm longitudinem.

Quamvis irritatio non excludenda ſit à cauſa convulſionis, non poteſt tamen admitti tamquam cauſa primaria, ſed ut ſecundaria, nempè tamquam cauſa repletionem in parte irritata inducens, eo modo, quo obſervamus ſpinam digito infixam tumorem in hoc, & tota manu promovere, & quidem irritamento, & dolore, à quibus arteriæ capillares partis dolentis motu, & agitatione ſpaſmodica commotæ, & agitatæ ſanguinem frequentius, & copioſius in eam effundunt, adeout & digitus vulneratus, & tota manus impleatur cum tumore, & cùm inſita ſit unicuique poteſtas expellendi, quod noxium eſt, pars irritata hac utens poteſtate adverſus irritamenti expulſionem; in hujus exercitio, cum conatu ſanguinem ab arteriis exprimit in tali copia, ut pars repleatur; & hoc modo explicanda eſt attractio antiquorum à dolore. Et in hoc ſenſu intelligendus *Hipp. in lib.* 1. *de morb. n.* 15. ubi habet: *Si verò acutus tractus in vena fiat, principio quidem dolorem exhibet, ac pulſat, progreſſu verò temporis diſtribuit vena ſanguinem in carnem, atque hic in carne putreſcens pus fit. Eodem modo, & caro ſiquidem magis doluerit, & ſanguinis plus in ſe ipſam trahit ex viciniſſimis venis*. Et *num.* 16. loquendo de carne convulſa, vel percuſſa, ait: *Quum autem plus ſolito fuerit reſiccata percaleſcit, & dolorem exhibet. & à venis, ac carnibus vicinis humiditatem in ſe ipſam trahit*.

A concurſu ergo humorum ab irritamento fit repletio in parte irritata, & à repletione vonvulſio, unde irritamentum erit cauſa mediata, repletio immediata.

Quoad *Vvilliſii* ſententiam, in motibus convulſivis admitti poteſt, in convulſione verò non multùm ponderis habere mihi videtur, cùm perſuaderi non poſſim per annos, & annos ſpiritus animales perdurare in ſua exploſione, & virtute elaſtica, prout perdurat contractio partis, ſineullo motu. Sicut neq; perſuaderi valeo copioſum influxum ſpirituum adeò fibras muſculorum inflare, cum *Le-Boe*, ut tendantur, & rigeant, cum reſiſtentia conatui contractæ partis extenſionem molienti, ob difficultatem tam æqualis, & regularis ſpirituum influxus, ut pars nec declinet à ſuſcepta contractione, nec hanc excedat, & ob difficultatem reſiſtentiæ partis, quæ videtur eſſe vincibilis, ſi à ſolo ſpiritu efficeretur, & etiam immobilitatis ejuſdem partis, quæ ob affluxum ſpirituum in aliquam partem deberet ſe movere, ſaltem ad majorem contractionem.

Cauſæ irritantes internæ ſunt humores acres, bilis flava, atra, æruginoſa, vitellina, & pituita ſalſa, acida, auſtera; ſanguis acris, ſed iſtius ſerum primarium obtinet locum, ſi ſalibus urinoſis, & extraneis fuerit impregnatum, cum hoc facilius ſucco nerveo miſceatur, ob ſimilitudinem ſubſtantiæ, & texturæ.

Externæ ſunt omnia, quæ pungere, rodere, vellicare, & ſecare valent; hoc modo ex fractura tibiæ, & ictu ſclopeti factum eſſe ſpaſmum Opiſtotonum, habemur ex relatione *Hoecſtetterii Dec.* 5. *c.* 6. *Vulnera capitis convulſionem parere, & tetanum univerſalem*, adnotavit *Hildanus cent.* 5. *obſer.* 9. *A Mercurialibus unguentis convulſionem capitis ad ſiniſtrum latus, ut naſus, & humerus recta linea copularentur*, recenſuit *Barthol. cent.* 4. *Hiſt.* 48. *Ab epota aqua forti membrorum inſignem contractionem*, legimus *in Actis Aff. vol.* 1. *fol.* 210. quibus addenda ſunt ea, quæ ſuperiùs relata ſunt *ex Schenkio, & Beniveno*.

Differentiæ tres Contractionis ab Hipp. aſſignantur; Prima *Tetanus*, de quo locutus eſt *lib.* 3. *de morb. n.* 13. *& de intern. affect. n.* 59. & *lib. de vict. rat. in acut. n.* 55. *in quo omnes muſculi corporis contrahuntur æqualiter, ut neuter alteri cedat, totumque corpus immotum maneat, rigidum, nec diſtendi, nec flecti poteſt in aliquam partem*; dicitur etiam de determinata parte, ut de collo, quando nec dextrorſum, nec ſiniſtrorſum flecti poteſt, ſed rigidum, & immobile manet, ob contractionem muſculorum anteriorum maſtoidorum, & poſteriorum occipitis, à qua in æquilibrio caput conſervatur, cum impotentia ab una in aliam partem ſe flectendi. Secunda *Opiſtotonos*, de qua *Hipp. in cit. lib. de morb.* 3. *n.* 14. *in quo caput ad poſteriora ducitur, ut humeros ferè tangat*; de hac etiam agit *lib. cit. de affect. intern. n.* 60. In hoc tendines poſteriores occipitis, & eorum muſculi contrahuntur, unde ad poſteriora caput violenter trahitur. Tertia dicitur *Empoſtotonos, in qua caput ad partem anteriorem trahitur, ut mentum pectori adhæreat, ob contractionem muſculorum maſtoidorum caput ad anteriora moventium*; & de hac differentia locutus eſt *Hipp. lib. de vit. rat. in acut. n.* 55. Omnes iſtæ differentiæ poſſunt eſſe univerſales, & particulares: Univerſales, quando totum corpus afficitur convulſione, itaut rectum, rigidum, & immobile maneat; eſt Tetanus, ſi ad poſteriora totum flectatur; eſt univerſalis Opiſtotonos, ſi ad anteriora totum inclinet, eſt univerſalis Empiſtotonos, ſi una tantùm pars: ad has loci differentia eſt particularis Tetanus, Opiſtotonos, & Empiſtotonos. Aliam differentiam colligo *ex Hipp. in lib.* 7. *Epid. n.* 19. ubi habet, *Ex vulnere capitis in uno latere fieri convulſionem in latere oppoſito*, cujus rationem reddit *Martianus in com. hujus loci verſic.* 377. quæ, cùm ſit anatomicis demonſtrationibus, contraria rejicienda, ſed potius ſtatuendum id evenire eo modo, quo evenit infortunium, ſeu contrafiſſura, quando cranium ſcinditur in parte oppoſita parti percuſſæ, vel contuſæ, vel vulneratæ. Hoc infortunium fit ab aere, & à ſpiritu in cerebro exiſtente, & à percuſſione, vel contuſione, cum violentia impulſo in partem oppoſitam, à quarum vi aditus, exitui aperitur per factam fiſſuram; in noſtro caſu humor in capite exiſtens à percuſſione, vel contuſione impellitur ad nervos partis oppoſitæ in copia, qua repleti contractionem ſebeunt, vel ab eadem irritati eamdem patiuntur repletionem modo ſuperiùs explicato.

Signa convulſionis manifeſta fiunt in contractione totius, vel partis, & etiam differentiæ patent ex dictis. Alia ſigna recenſet *Hipp. lib. de intern. affect. cit. num.* 59. *Maxillæ conglutinantur, & rigent, & os aperire non poteſt, oculi lacrymantur, ac contrahuntur, & dorſum conglutinatum riget, & crura flectere nequit, neque manus, neque ſpinam. Quum autem lethalis fuerit, potum, & cibos, quos prius accepit, aliquando per nares reddit*, impedito omninò motu muſculorum deglutioni ſervientium. Eadem ſigna repetit *lib.* 3. *de morb. n.* 13. & *n.* 15. addit: *Sunt cubiti incurvati, & digiti in pugnum contracti, & pollicem plerumque aliis digitis continet*.

Pro-

Prognoſticum dedit *Hipp. in cit. num.* 13. *de Tetano* his verbis : *Hic tertia die, aut quarta , aut ſeptima, aut decima quarta perit* ; & *in lib. de intern. affect. n.*59.ait : *Eſt enim morbus gravis, & ſtatim curatione opus habet* ; & *n.* 60. *de Opiſtotono* loquens, ait : *Morbus autem adhæret ad ſummum diebus quadraginta, ſi verò hos evaſerit, ſanus fit* ; & *lib.* 3. *de morb. n.* 14. loquens pariter *de Opiſtotono* , ait: *Hi tertia die moriuntur voce ſoluta, & revomunt per nares, ſi vero effugerint decimum quartum diem, ſani fiunt* ; & *in lib. de vict. rat. in acut. n.* 55. ait: *Sin minus prædicere* (intellige mortem) *oportet*.

Indicationes, in curanda contractione à repletione, ſunt : Primò minuere humores redundantes in corpore. Secundò partem contractam, & rigidam emollire. Tertiò materiam fixam replentem tendines, & muſculos reſolvere medicamentis tam internis , quàm externis. Quartò partes nervoſas, & cerebrum iſtarum principium corroborare.

Quoad primam indicationem , *Hipp. in lib.* 3. *de morb. num.* 13. *catapotia* imperat *ex Veratro*, hoc eſt *Helleboro albo*, & *Pipere*, pro vomitu movendo; uſus eſt enim Hipp. nomine Veratri, ſine ullo addito, intelligere Helleborum album, ſicut quando dicit dandum Helleborum ad purgandum , intelligit Helleborum nigrum.

Vomitum imperat primò, quia ſupponit contractionem fieri vitio cerebri, & originem iſtius eſſe à materia in cerebro, & circa principium nervorum exiſtente, & hujus opinionis inditium dedit in verbis ejuſdem textus, per quæ imperat *fortes ſternutationes*, & *frequentes*, ex lacrymatione oculorum, ex rubore faciei; ad curationem verò morborum in partibus ſupra ventriculum ſemper utitur vomitu, numquam purgatione, unde ſancivit *in aphor.* 18. 4. *ſect. in doloribus ſupra ſeptum tranſverſum vomitu eſſe utendum*. Secundò, quia ad capitis fluxiones optimum remedium cenſet vomitum, ut determinavit *in lib. de loc. in hom. n.*44. dicendo, *fluxione à capite fluente vomitus conducit*. Tertiò, quia per vomitum totum corpus faciliùs purgatur, quàm per medicamentum purgans, quod præceptum ſuſtinetur à ſententia deſcripta *in lib.* 1. *de Diæt. Ventriculum omnibus partibus dare, & ab omnibus recipere*; hæc tamen ratione omiſſa, quæ minimè concordat cum dogmatibus ratione, & experientia à Recentioribus ſtabilitis, puto ab afflictione majori ſtomaci à vomitivo, quam inteſtinorum à purgante, & à conatu in actu vomitionis majorem ſequi concurſum humorum, ob rationem ſuperiùs allatam de fluxu humorum ad partem dolentem, ad ventriculum, quàm ad inteſtina per afflictionem iſtorum à purgante ferè quandoque inſenſibilem; ideòque totum corpus purgatur faciliùs à vomitu, quàm à purgante medicamento; fluxum humorum copioſum ab irritato ventriculo ; nobis perſuadent innumeræ glandulæ ventriculi, & ramificationes multæ arteriarum, quæ humorem ad dictam partem in copia deferre poſſunt, & deferunt majori, vel minori activitate irritamenti; & ſi *Hipp. in lib. de intern. affect. n.* 59. ubi pariter agit de cura Tetani, nullam facit mentionem vomitus, vel purgationis, id agit, quia ſupponit Tetanum à ſola materiæ fixatione in muſculis, ſine redundantia humorum excrementitiorum in toto , & ſine vitio alicujus partis humores ad partem contractam mandantis ; quod colligere licet à curatione ibidem deſcripta , quæ tota conſiſtit in emollientibus, & reſolventibus, quæ indiſpoſitionem partis ſolùm reſpiciunt. Nec *in lib. de vict. rat. in acutis num.* 55. mentionem facit vomitus , nec purgationis agendo de cura Tetani, imò purgationem prohibet, & ſolis *glandibus* utitur, quia ſupponit hunc Tetanum fieri à plenitudine ſanguinis ob vaſorum interceptionem, ut apparet, à miſſione ſanguinis imperata, in quo caſu nec purgatio, nec vomitus convenit. Determinativum ſpeciale vomitus erit affectio capitis , quæ innoteſcet per ſigna in textu ab Hipp. relata.

Vomitiva erunt Antimonialia, ut *Antimonium Hyacinthinum ad gr.* 5. *infuſ. in* ℥ 4. *Vini Malvatici, ſolam infuſionem accipiendo, Crocus Metallorum* eodem modo, & eadem doſi. *Mercurius vitæ ad gr.*4. *in infuſione pariter acceptus, Aqua dicta Rulandi, deſcripta à Schrodero lib.* 3. *cap.* 17. *ab* ʒ. ß. *ad* ʒ. 2.

Purgationem convenire in convulſione habemus *ab Hipp. in Coac. prænot. n.* 3. ubi habet, *Alvi fluxum convulſioni prodeſſe*. Hujus determinativum erit redundantia ſeri in toto, ſine affectione cerebri , & ſine ſignis *in cit.* ſuperiùs *text.* 13. *lib.*3. *de morb.* contentis. Purgantia ſint Hydragoga, cùm, meo judicio, ſerum ſit ſemper cauſa hujus affectus : *Pulvis Hermodactylatus ad* ʒ. 1. *Pil. de Hermodactylis ad* ʒ. 1. ß. *Rad. Jalappæ ad* ʒ. 1. *Mechoacan. ad* ʒ. 2. *utriuſque etiam Magiſterium valet*. Vel

℞. *Sem. Ebuli* ʒ. 2.
Fol. Sennæ ʒ. 1.
Bull. in aqua comm. ſ. a. colent. col. adde
Mannæ el. ℥. 3.
Syr. Roſ. ſol. ℥. 2.
Aquæ Cinam. ℥. 1.

Purgari poteſt materia Diureticis, & Diaphoreticis, poſt illius diminutionem factam vel vomitu, vel ſeceſſu, dictis *Hipp.* inhærendo *in cit.* nuper *loco*, ubi habet , loquendo de convulſione : *Solvitur autem urinis multis acervatim derepentè prodeuntibus, ſudores autem paulatim orientes proſunt ; acervati vero, itemque ſanguinis detractiones acervatæ lædunt*. Ratio hujus dogmatis eſt affectus nervorum à ſero, ut plurimùm oriri , cujus naturalis expurgationis via à natura ſelecta eſt illa urinæ , & ſudoris , & hæc tenenda in expurgatione ſeri præternaturam peccantis ; ideò etiam videmus illorum affectus per urinam, & ſudorem frequenter à natura ſolvi. In præſenti caſu Diuretica Diaphoreticis præferenda, ſi *Hipp.* doctrinam conſideremus *in cit. text.* in his verbis expreſſam : *Prodeſt & urinæ tranſitus vitri ſpeciem referens copioſus*, & per vitri ſpeciem intelligit craſſam; ſerum enim faciens convulſionem dixi eſſe concreſcibile, & concretum, atque incraſſatum faciliùs per urinam , quàm per ſudorem exit.

Pro Diuretico.

℞. *Fragorum recentium* ℔. 4.
Vel Folia, & radices recentes m. 6.
Baccarum Alchekengi } *a.* ℥. 8.
Juniperi }
Rad. Raph. raſi ℔. 2.
Sem. Dauci ℥. 4.
Lappæ major. ℥. 2.
Succi Ononidis } *a.* ℔. 1. ß.
Parietariæ }

Omnia mixta diſtillentur in balneo mariæ, diſtillatum ſervetur, dentur ℥. 3. *cum Syr. Altheæ Fernelii, vel cum Julapio ex Terebinthina*. Vel

℞. *Fol. Hederæ terreſtris m.* 4.
Ononidis m. 2.
Sem. Dauci ʒ. 2.
Rad. Petroſelini } *a.* ℥. 1. ß.
Virgæ aureæ }
Raphani ℥. 2.
Fructus Cynosbati ℥. 2.
Nuclei Perſic. contuſ. ℥. 1.
Vini generoſi ℔. 8.

Stent infuſ. per octiduum, poſtea diſtill. balneo mariæ , ſpiritus primo exiens ſervetur, & de hoc exhibeantur ℥. 3. *vel quatuor*. Vel

℞. *Ligni Nephrit. veri, & in taleolas conciſi* ℥. 4.
Vini albi optimi ℔. 3.

Stent in infuſione, donec Vinum cæruleum colorem acquirat. Doſis ℥. 4. *manè tribus horis ante cibum*.

Liquor Lumbricorum ad ℥. ß. *in decocto Diuretico, eſt magnum Diureticum*. Paratur hoc modo:

Accipiantur Lumbrici terreſtris, laventur Vino generoſo, cum ſtupa exſiccentur, indantur vaſi vitreo anguſti orificii, obturetur optimè vas, & poſtea paſta totum obducatur, in furno cum pane ponatur , & cocto pane extrahatur, liquor in vaſe exiſtens colligatur. Doſis ab ʒ. 1. *ad* 2.

Millepedes exſiccati, in pulverem redacti, cum Aqua Diuretica exhibeantur ad ʒ. 1. & habemus exemplum imitandum in *Hipp.* qui *lib. de vict. ration. in acut. merè radicem, & ſemen Dauci in Vino odorato bibenda exhibet* ; & iſta duo urinam efficaciter movent.

Diaphoretica ſerviunt evacuationi materiæ in parte contracta fixæ, & etiam in toto redundantis , mino-

ratæ tamen prius per purgantia, & vomitiva. Poſſunt parari *ex Ligno Sancto*, *ejus cortice*, *Saſſafras*, *Ligno Viſco querc.& iuniperino*, *& Cornu Cervi*, *cum herbis cœphalicis*, *Chamædrio*, *Chamæpytio*, *Lavendula*, *Serpillo*, *Salvia*. Sudor arte proliciendus, ſi ſponte non emanet, non ſtufa, quæ videtur ab Hipp. deteſtata, dum *in cit. text. Coac.* habet, *Sudores paulatim prodeuntes*, *proſunt*, *acervati vero lædunt*, & hujuſmodi ſunt ſudores cum ſtufa excitati; unde ſunt proliciendi cum lagenis, vel vitreis, vel ligneis aqua calida plenis, vel cum pane calido, è furno extracto pedibus, & lateribus, & axillis admoto, ſemper cum animadverſione, ne ſudor cum impetu, & copia exeat. Convenire etiam hujuſmodi remedia in convulſione à repletione, tamquam exſiccantia, colligitur ab eodem *Hipp. in cit. text. Coac. prænot*, ubi habet, *Convulſionem ſolvit febris ſuperveniens acuta*, *quæ prius non fuit* (intellige acuta;) febris enim parva, & lenta præexiſtens, ſi exacerbetur, cum augmento caloris illum febris acutæ æquantis convulſionem ſolvet, juvat febris ſuperveniens, vel exacerbata, quia exſiccat; & docet exſiccantia convenire in curatione convulſionis, & ratione iſtius licere febrem excitare.

Purgatione totius peracta, ſi à capitis vitio ſuſpicatur contractio, ſternutatoria valida exercenda. Hipp. conſilio; inter quæ enumerantur illa parata cum *Radice Hellebori albi*, vel cum *Radice Cyclaminis*, *vel Cataputia*: *accipitur iſtius cortex ſuperior ad grani Piperis quantitatem*, *pulverizatur*, *& immittitur*, *vel inſufflatur in naſum Patientis ſemel in die per tres dies*. Hoc remedio tolli convulſionem teſtatur *Raſis lib.* 1. *contin. tract.* 11. *cap.* 2.

A ſomno convulſionem moderari, & ſolvi dixit *Hipp. in cit. text. Coac. prænot.* & rationem habemus ab eodem *in lib.* 2. *de Diæt. n.* 13. loquendo de ſomno ait, ex lectione Foeſii: *Longiores verò calefaciendo carnem colliquefaciunt*, *corpuſque diffundendo reſolvunt*, *& imbecillum reddunt*, quo modo humores in parte contracta ſtagnates diſſolvunt. Quomodo ſomnus refrigeret ſanguinem, ex *Hipp. lib. de flat. num.* 2. *& in cit. text. de Diæt.* & calefaciat, dictum de Somno in genere.

De ſangninis miſſione in convulſione, mentionem non facit Hipp. niſi *in lib. de rat. vict. in acut. num.* 55. ubi ait: *Tetanus in anteriorem*, *& poſteriorem partem diſtenſio*, *& in atrabilariis*, *ubi ſpirituum in venas interceptiones fuerint*, *venæ ſectione ſolvuntur*. Interceptio ſpirituum fit, quando liberum non habent curſum, & coguntur in aliqua parte permanere, eam inflando, & replendo cum contractione, & hoc facillimè contingit, ubi plenitudo ſanguinis in dictis partibus remoratur, repletionem, & inflationem augendo, unà cum contractura, ratione cujus auferendæ ſanguis mittendus; ideò in omni contractione, unita cum ſuppreſſione alicujus evacuationis ſanguinis conſuetæ, vel cum plenitudine, ſanguis mittendus, hoc caſu excepto, non convenit contractioni ſanguinis miſſio.

Quoad ſecundam intentionem, fomenta parat. *Hipp. in lib.* 3. *de morb. n.* 13. & per fomenta intelligit *Aquam ſimplicem calidam*, qua foveatur pars, vel ſpongiis, vel pannis lineis, vel maſſa fili crudi in ea immerſis, & applicatis; & ſi aquæ addatur *Radix Althea*, *Malvæ*, *fol. Parietariæ*, *Miliioti*, *Sem. Pſylli Fœnugræci*, dum calefit, validior erit emollitio. Calefactoria humida, ac pinguia undequaque in veſicis, & utriculis apponit, maximè tamen ad partem dolentem, hoc eſt veſicas plenas oleo calido quo utitur ad illiniendas partes contractas frequenter. In hunc uſum faciunt *Pinguedines Animalium*, ut *Pinguedo Suis*, *Vituli*, *Anatis*, *Gallinæ*, *Taxi*, *Humana*, *& Olea Liliorum alborum*, *Lumbricorum*, *Catellorum*, *Fellis* ſupra deſcriptorum *de Paralyſi*. Valet ſequens Linimentum:

℞. *Piguedinis Humanæ*
Taxi } *a.* ℥. 1.
Viper.
Ol. Lumbric. } *a.* ℥. 1.
Succi Althea
Ceræ parum M. F. Lin. In lib. de rat. vit. in acut. n. 55. Eiſdem fomentis, & balneis utitur, & pinguedinem cum cera mixtam ſuper pellem extendit, & à collo uſque ad coxas ſpinam, & lumbos tegit, ut ad anteriora etiam pellis extendatur, & interpoſito tempore utriculis calida aqua plenis fovet. Tale ceratum poteſt parari ex *Pinguedine Anatis* ℥. 1. *Humana* ℥. 2. *Ceræ* ℥. 1. *liquefacta Cera addatur Pinguedo*, *miſceatur*, *& poſtea refrigerata in formam Cerati ducantur. Diachilon*, *cum pinguedinibus*, *Ceratum de Oeſypo*, *Emplaſtrum de Mililoto*, *Unguentum Dialtheæ*, *Butyrum nervinum idem præſtare poteſt.* Interna emollientia mihi videtur Hippocratem propoſuiſſe *in lib. de vict. rat. cit. n.* 55. dum *Vinum Creticum vinoſum* (quod admittit aliqualem admixtionem aquæ) *& farinam coctam edendum* præbet. Vinum, quia humidum, emollit, & vinoſum eligit, ne valido, & copioſo ſpiritu impediat emollitionis effectum exſiccando. Farinam emollire docet ſuppuratio, quam à farina tumoribus modo emplaſtri applicata habemus. Ad Hippocratis exemplum uti poſſumus internis emollientibus, ut *Decoct. Altheæ*, *Mercurialis*, *Verbaſci*, *Parietariæ*, *Brancæ Urſinæ*, *Urticæ ad* ℔. 1. *& 2. præmittendo bolum ex Amoniaco*, *Galbano*, *Opopanace a.* ℈. 1. *diſſol. in Vino*, *& F. B.*

Quoad tertiam indicationem, humores in tendinibus impacti reſolvendi. Pro externis remediis utitur *Hipp. lib. de affect. intern. n.* 19. *Decocto Fol. Lauri*, *Abſynthii*, *Seminis* Hyaſciami, *Thuris triti*, *& in olla nova*, *cum pari portione Vini parato*, *& iſto valdè calido corpus*, *& caput inungit*; deinde ſubjungit; *Poſtea reclinatum perfuſione per carnes facta*, *veſtibus albis mollibus*, *& puris contegito*, *ut vehementer exſudet.* Hic modus promovendi ſudorem erat in uſu apud Antiquos, & nos monet de neceſſitate ſudoris proliciendi: in quem finem ſequenti ſuffumigio valdè efficaci utendum eſt.

℞. *Fol. Lauri*
Nepitæ
Stecadis major. } *a. m* ß.
Roſmar.
Origani
Salviæ
Bull. in ℔. 2. *Vini malvat. Vinum paulatim ſuper laterem ignitum effundatur*, *& æger panno circumdatus excipiat fumum*, *& ſtatim ita calens in lecto calido decumbat*, *& ſudet. Oleum ex Terebinthina*, *Cera Philoſ. Petroleum ex Sapone*, *in meis Conſ. deſcripto.* Vel

℞. *Euphorbii*
Spec. Diatr. Piper. } *a.* ʒ. 2.
Sem. Cart.
Alum. plum. ℥. ß.
Pingued. Vulpis
Taxi } *a.* ℥. 1. *F. Lin. molle.*
Ol. Lumbric.
Unguentum Butyraceum nervinum deſcript. à Scordhero lib. 2. *cap.* 87. *num.* 17. *Balnea ſulphurea* etiam ſunt propria.

Aliud remedium proponit *Hipp. in lib.* 3. *cit. de morb. n.* 14. his verbis: *Aquam frigidam plurimam ſuperinfundito*, *& poſtea veſtimenta tenuia*, *pura*, *ac calida ſuperintegito*, *ignem autem tunc non adhibito.* Hoc auxilium, & ad Tetanum, & Opiſtotonos adhibere oportet. Hujus remedii rectum uſum docuit *Hipp. lib.* 5. *aphor.* 22. dum ait; *Quandoque autem in Tetano*, *ſine ulceratione*, *& juvene benè carnoſo*, *Æſtate media*, *frigidæ aqua multa perfuſio calorem revocat*, *calor autem hæc ſolvit.* In his ultimis verbis ratio hujus remedii continetur: à frigido externo corroboratur calor internus, à quo materia convulſionis reſolvitur; omnes verò prædictæ conditiones ſervandæ: ſine ulcere ſit æger, carnoſus, & tempus calidum Æſtatis.

Si à punctura nervi ſit convulſio, illiniatur pars *Liquore Lumbricorum* ſuperiùs deſcripto, *Oleo Terebinthinæ diſtillato*, *vel Balſamo Sulphur. terebinthinato*; *Emplaſtrum ex Muſcis contritis*, *vulneratæ parti applicatum*, *habetur pro arcano.* Si cum punctura ſit veneni ſuſpicio, pars ſcarificatur, & aquæ tepidæ poſtea immergitur, permittendo ſanguinis exitum ad tres, vel quatuor uncias, pars exſiccata inungenda *Theriaca*, vel *Orvietano*.

In Diæta video Vinum communi ferè conſenſu damnatum in convulſione, *Hipp.* tamen eo utitur. *In lib. de vict. rat. n.* 55. habet: *Et vinum*, *ubi voluerit*,

rit, benè temperatum inſuper bibat; & *in lib. de intern. affect. num.* 60. Vinum jucundiſſimum, & multum permittit; quare rejiciendum non puto, cùm tale Vinum humectationi, & reſolutioni adeò neceſſariæ in convulſione ſerviat, & jucundiſſimum humores non acuat.

Si ab inanitione, nec purgatio, nec ſanguinis miſſio convenit, ſed ſicuti repletio curatur inanitione, ita hæc repletione; ideò præter alimenta boni ſucci, & in quantitate diſcreta parùm, & ſæpè exhibita, & diætam lacteam, quæ huic morbo ſummè conducit, humectantibus, & pinguibus, externis replenda pars medicamentis ſuperiùs recenſitis, addo *Unguentum reſumptivum*, *fomentum ex decoctione inteſtinorum Animalium*, *omenta eorumdem*, *& adipem Anguillæ*, *& linimentum paratum ex decoctione Ranarum in Butyro*, *Ranis diſſolutis*, *Butyrum coletur*, *& conſervetur*.

Quoad ultimam indicationem, nempè ad corroborationem, faciunt dicta de Apoplexia, & Paralyſi, & de Epilepſia, pro corroboratione cerebri, & nervoſi generis.

Hæc Curatio locum habet in convulſione incipiente, confirmata curationem non admittit.

CAP. XXXI.

De Tremore.

TRemor definitur, *Motus voluntarius, ab involuntario motu interruptus*. Pars, vel totum quieſcens, alterique corpori adhærens tremore non concutitur, & ſolùm contremiſcit, quando motum inchoat. Alioquin ſi quieſcens pars, vel motum, involuntario motu contremiſcat, non eſt tremor, ſed motus convulſivus, & qui capite nutant motu involuntario, tantummodo non moventur, ſed priùs voluntario, cùm caput rectum continere ſatagant, beneficio actionis muſculorum ſervientis æquilibrio capitis; quæ actio inter motus numeranda; quod dicendum etiam de aliis partibus, quas in quiete detinere ſtudet æger. Ad tremorem ergo eſt neceſſarius primo motus voluntarius, qui ſi interrumpatur à motu contrario, ſine Voluntatis imperio, & hic ſuccedat motui voluntario, ex unione ſucceſſiva horum motuum tremor conflatur. Quomodo fiant hi motus muſculorum, officium, & connexio explicat.

Quilibet muſculus habet ſuum Antagoniſtam. Motus, & contractio unius muſculi non ſequitur, niſi Antagoniſta laxetur, & trahentis vim ſequatur, & ſi ambo æquali vi contrahantur pars in æquilibrio coercetur. Si contingat muſculum imperio Voluntatis movere partem, motum iſtius ſequetur Antagoniſta in principio tractionis; ſed ſi poſtea renitatur, & ſui contractione membrum in aliam partem tractat Voluntate non conſentiente, tunc interrumpitur motus primi muſculi voluntarius, à motu involuntario, & membrum trahitur in contrariam partem, & reciprocante hoc motu fit tremor.

Tremoris cauſam in organum, & in ſpiritum refundo. Quoad organum, ſi fibræ muſculi moventis ſint laxæ, ut tantum virium non poſſideant ad trahendum Antagoniſtam ad ſpatium illud, quòd motus perficiendus exigit, & ad eum detinendum in ea laxitate neceſſaria ad perficiendum motum à Voluntate imperatum, & ad continendam partem in ea quiete requiſita ab eadem Voluntate muſculus movens à ſua tractione, quaſi defatigatus, & laſſatus quieſcit, & in iſtius quiete muſculus Antagoniſta ſua virtute elaſtica, non ſuperata à tractione alterius, imò corroborata, & ſui juris facta à debilitate, & quiete muſculi moventis à laxitate, & extenſione à vi hujus muſculi perpeſſa diſcedit, & ad ſuam naturalem configurationem, & contractionem tranſit, & talis motus corroboratus à ſuis ſpiritibus, tali vi perficitur, ut ſecum trahat muſculum, à quo primo tractus, & extenſus fuit, & cogendo hunc ſuam tractionem ſequi, itaut muſculus, qui priùs erat trahens, mutato ordine ſit tractus, & Antagoniſtæ munus ſuſcipiat, at non multum illius trahentis muſculi actio durat; nam ob laxitatem ſuarum fibrarum in actione tractiva debilitatus, muſculum tractum, in ſui contractione, cùm non poſſit ulterius trahere, nec in peracta contractione continere, quia vim trahendi amiſerit, alter ſuperior factus ex debilitate iſtius, & à concurſu ſpirituum, quos imperante Voluntate accepit ſuæ contractioni, ſe reſtituendo ſecum trahit illum, à quo trahebatur, nempè ab eo, qui priùs erat Antagoniſta, & ita ex reciprocatione iſtius motus tractionis, & retractionis à muſculis Antagoniſtis, fit tremor ex motu voluntario, & involuntario compoſitus, motum penduli itus, & reditus æmulantem.

Hanc muſculorum infirmitatem inſinuavit *Hipp. lib. de flat. n.* 11. ubi cauſam tremoris refundit in diſceſſum ſanguinis à partibus trementibus ad partes magis calidas, ſanguinis diceſſus à parte, in hac debilitatem relinquit, ut in tremore ab immoderata Venere.

Aliud vitium muſculorum tremori opitulatur, nempè indiſpoſitio organica muſculi Antagoniſtæ, per quam in motu muſculi primo moti ſpiritus etiam animales ad illius fibras tendinoſas concurrunt, & ab iſtis determinatur ad motum contrarium illi muſculi primo moti, cum tremore partis. Hæc indiſpoſitio conſiſtit in dilatatione fibrarum nervearum ad utrumque muſculum tendentium, itaut vis impellens ſpiritus ad fibras primi muſculi imperio Voluntatis moti, in fibras Antagoniſtæ partem illorum impellat, à quibus ob ſuam nimiam dilatationem excipitur. Hæc in principio nervorum perquirenda, exiſtentibus enim fibris nerveis utriuſque muſculi in medulla oblongata proximis, ſi ſint valdè dilatatæ, & laxæ, facilè eſt, ut ab eodem impetu, quo ſpiritus in unam fibram muſculi imperio Voluntatis movendi impellitur, in alteram fibram muſculi Antagoniſtæ ingrediatur, dum ob amplitudinem, & laxitatem nihil vi impellenti reſiſtit.

Vitio ſpirituum ſequitur tremor, quando inordinatè moventur, tunc enim impulſi ad unum muſculum ſua inordinatione feruntur etiam ad Antagoniſtam. Tremorem ab hac ſpirituum inordinatione obſervamus in ebrietate, in ira, in timore, in quibus ſpiritus inordinato motu agitantur, & ſpiritus à Voluntatis imperio ad unum muſculum impulſi ſua inordinatione ad Antagoniſtam feruntur, & utroque alterius motui reſiſtente, & ad proprium motum trahere alterum moliente motus oritur tremulus. Hanc inordinationem habitualem ſuſcipiunt ſpiritus ab acri, & ætherogeneo ſpiritui admixto, à cujus malitia, & contrarietate ad inordinatum motum inducuntur; hoc acre continuo à ſanguine hoc infecto ob intemperiem ipſius, vel alterius partis ſpiritui communicatur, unde continuo etiam ſucco nerveo infectionis materiam ſuppeditat; & ad hanc forſan reſpexit cauſam *Hipp. lib. de flat.* quando dixit, *à multitudine ſanguinis tremorem fieri*, cùm multitudo ſanguinis inordinationem ſpiritibus imprimat, & frigus irritamento ſuo ſpiritus inordinatè vocando ad partes frigefactas tremore concutit, & à multitudine ſanguinis in retentis menſibus, & hæmorrhoidibus obſervatur tremor.

Laxat muſculorum fibras ſeroſi humoris copia has irrigans, quapropter frequentes fluxiones, & habituales ad muſculos tremores efficiunt, & ab eadem copia ſeri orificia, vel poroſitates fibrarum nervoſarum dilatantur, & conditionem ad tremoris effectum ponunt juxta dicta ſuperiùs. Aer humidus auſtrinus, vita ſedentaria, cibus, & potus ſerum in vaſis colligunt; Caſus, ictus, percuſſio, vulnus muſculos partis patientis languore introducto laxant; Spiritus inordinationem in motu patiuntur à bile ſucco nerveo mixta, vel ab acido valdè activo illi communicato. Languent ſpiritus à cauſa illorum generationi contraria, ut parva victus ratio, aqua paludoſa, aer craſſus, vitium digeſtionis alimentorum, vel à cauſa genitos diſſipante, ut morbus antecedens, magna evacuatio ſanguinis, vel excrementorum uſus immoderatus Veneris, exercitium, & labores. Spirituum defectu æquivalet ſemiobſtructio nervorum, in utroque enim caſu deficiunt ſpiritus neceſſarii ad motum validum, & ad tremorem efficaces, violentæ, & continuæ animi paſſiones triſtes.

Tremor eſt aliquando in toto, aliquando in una parte ſolùm, & ſemper ab eiſdem cauſis.

Signa diagnoſtica patent in tremore partium, vel totius. Diſtinctiva cauſarum vitium organi in laxitate fibrarum, à temperamento humido, à cauſis antecedentibus, ſerum, & alias humiditates in corpore congregantibus colligimus.

ligimus. Motus tremulus frequens, & citatus apertas poroſitates muſculorum oppoſitorum, per quas ambo recipiunt ſpiritus pro motu manifeſtat. Spiritus deficientiam, præſentia enarratarum cauſarum, indicat tremorem à ſemiobſtructione paralyſis partis præcedens, macies ejuſdem, & languor etiam ea quieſcente parte ſenſibilis indicant.

Indicationes ſunt, in laxitate muſculorum, in dilatatione poroſitatum, & ſemiobſtructione humidum ſuperfluum reſolvendi, & exſiccandi. Remedia in hunc finem tendentia dicta ſunt de Apoplexia, & Paralyſi. Spiritus inordinationes à ſanguinis multitudine tolluntur miſſione ſanguinis; ab extraneo nerveo ſucco permixto, corriguntur eis, quæ de motibus colvulſivis dicta ſunt. Spiritus diſſipati, ſunt reſtaurandi alimentis optimi ſucci, & remotis cauſis diſſolventibus, & impedita eorum generatio reſtauranda, derelicta prava diæta, vel correcto vitio digeſtionis alimentorum, vel aeris mutatione.

CAP. XXXII.

De Memoria Læſa.

HUjus facultatis Animæ læſio concipi non poteſt, niſi modum, quo exercetur in corpore intelligamus, & concurſum iſtius ad actus ſuos appreendamus, quæ omnia manifeſta fient ab explicatione definitionis Memoriæ.

Memoriam definivit *Ariſt. lib. de Memor. & Reminiſc. cap.* 1. *Habitus, ſeu paſſio conſequens ſcientiam, opinionem, & ſenſum, per quam poſtquam interceſſit aliquod tempus recolimus, quod antea habuimus per actum ſenſus, ſcientiæ, vel opinionis.*

Dicitur *Habitus*, & pro hujus ſignificati intelligentia ſupponendum cum *Ariſt. cit. loc.* Memoriam non eſſe rei præſentis, cùm in eo nunc, in quo ſentimus, videmus, & intelligimus, non dicimur habere memoriam illius, quòd ſentimus, videmus, & intelligimus, ſed dicimus actu ſentire, videre, & intelligere; idcircò perceptio rei præſentis realiter pertinet ad ſenſum, vel intellectum, non ad Memoriam, quæ neque verſatur circa futura, cùm nemo dicat recordari futurorum, ſed ſolùm dicimus futura cognoſcere, prævidere, ſperare, & ſcire, quomodo Aſtronomi ſciunt futuras Eclipſes; idcirò perceptio rei futuræ ad opinionem, vel ſcientiam ſpectat, vel ad ſpem refertur, quæ eſt expectatio futuri, ut futuri. Remanet ergo, ut Memoria ſolùm verſetur circa præteritum, ut præteritum, ſiquidem memoria, & recordatione recolimus, quod aliquando audivimus, vidimus, guſtavimus, ſenſimus, vel contemplati ſumus, quod utique ſupponit præcedentem perceptionem, vel contemplationem, quæ in Anima aliquod relinquat, per quod recolere poſſit, quod contemplata fuit, & hoc dicitur habitus, cujus virtute Anima perficitur, ut cum facilitate poſſit recordari eorum, quæ intellexit, vel contemplata eſt, eo modo quo poſſidens ſcientiam dicitur habere habitum ſcientiæ, cujus medio facillimè recordatur eorum, quæ ſpectant ad illam ſcientiam, & per hoc Memoria dicitur habitus.

Hic habitus dicitur etiam paſſio, quia ſicut quod emanat ab agente, per quod aliquid efficitur, dicitur actio, & idem, quatenus in ſubjecto patiente accipitur, dicitur paſſio; ita habitus in Anima receptus, & impreſſus, quatenus recipitur, dicitur paſſio. Propriè verò paſſio in hoc loco refertur ad illud, quod objecta ſenſibilia ſenſum communem actuantia relinquunt in iſtius ſede impreſſum, & hoc eſt Memoriæ fundamentum; unde poſſumus aſſerere, quod relinquitur in Anima per intellectionem, & contemplationem, dici habitum; quod relinquitur ab objectis ſenſibilibus in ſede ſenſus communis, dici paſſionem. Hoc quòd relinquitur ab objecto ſenſibili, habet proportionem cum impreſſione à ſigillo in cera relicta; in hac relinquitur imago illius, quòd in eo eſt inſculptum, & in eadem remanet etiam remoto ſigillo, & quod relinquitur in cera, eſt omninò repræſentativum figuræ ſigillo inſculptæ. Sic objectum ſenſibile, dum ſentitur, imprimit in organo corporeo, ſeu potius in ſede ſenſus communis quamdam velut imaginem ſui, quæ remanet ablato objecto prædicto, & ceſſante ſenſatione, & per hanc imaginem repræſentativam omninò objecti ſenſibilis, illius etiam abſentis recondamur, quotieſcumque Animæ clarè, & diſtinctè proponitur dicta imago relicta in ſede ſenſus communis, repræſatata modo, quo dicta imago Animæ proponebatur, & quo Anima ea propoſita illius objecti, cujus eſt imago, recordatur, ut inferiùs explicabimus.

Dicitur *conſequens ſcientiam, opinionem, & ſenſum*; per hæc enim ſolùm relinquuntur in ſede ſenſus communis, vel in Anima veſtigia rerum, quæ ſenſum, vel Intellectum exercent, & patet Memoriam eſſe ſolùm intelligibilium, vel ſenſibilium aliàs perceptorum, & quod relinquunt eſt vel phantaſma in ſenſibilibus, de quibus ſuperiùs actum eſt, vel ideæ in intelligibilibus, de quibus inferiùs.

Dicitur ultimò, *per quam poſtquam interceſſit aliquod tempus recolimus, quod antea habuimus.* Per hæc verba accipimus, Memoriam eſſe temporis præteriti, ideòque eſſe opus phantaſiæ recordari, cui competit præteritum, ut præteritum percipere, cùm ſenſus communis ad præſentia ſolùm ſe extendat, & patet in brutis perfectis, quæ recordantur, & ſola phantaſia ſunt donata per quod exercitium Memoriæ excluditur etiam ab Intellectu.

His declaratis, facile eſt determinare modum ſecundùm quem fit Memoria. Hanc diximus eſſe opus phantaſiæ, quæ ſemper utitur phantaſmatibus, conſequenter memoria ſenſibilium erit per phantaſmata, de quibus locuti ſumus ſuperiùs de vitiis imaginationis, ſtatuendo phantaſma non eſſe aliud, quàm modificationem fibræ exiſtentis circa ſedem ſenſus communis peractam ab actione, cum motu ſenſibilium traducto ab organo ſenſus ad ſedem ſenſus communis per nervos, iſtorum ſuccum, & ſpiritus, & hanc modificationem fibræ eſſe cum tali aptitudine conſtitutam, & diſpoſitam, ut ſi imperio Voluntatis, vel à vaporibus, vel à ſpiritibus moveatur in ſedem propriam ſenſus communis, in hanc imprimere omnes illas affectiones, quas impreſſit objectum ſenſibile, quando illud percepit primo, cùm fibra modificata ſit repræſentativa, & imago illius objecti; & ſicuti per affectiones impreſſas ab objectio ſenſibili in ſedem ſenſus communis, hic naturam objecti ſenſibilis percepit, ita per ſimiles affectiones ſedi ſenſus communis à fibra modificata in eum mota, ſenſus communis, unà cum phantaſia objectum abſens jam perceptum de novo percipit, & de eo recordatur, cum omnibus circumſtantiis cum eo connexis, quarum fibra modificata eſt repræſentativa, & etiam cum circumſtantia temporis præteriti, per quam ſolùm dicimur recordari. Id experientia oſtendit, cùm recordemur Hominis aliàs viſi, non ſolùm ſecundùm imaginem faciei, colorem cutis, & capillorum, ſed etiam loci, in quo vidimus, habitus, quo ornabatur, diſcurſus cum eo facti, & ſociorum eum concomitantium, quia hæc omnia ſunt colligata cum phantaſmate, ſeu fibra modificata, vel ſunt parva phantaſmata ita ordinata, ut ad excitationem primi alia excitentur; quod experimur etiam in Orationem Memoriæ mandata, in qua, ſi unum verbum deficit, ea, quæ ſequuntur, non recordamur, eo invento, omnia enunciamus, quia phantaſmata ſunt ita diſpoſita, ut uno excitato, ſubſequens immediatè excitetur, & eo non excitato, non moveatur neque alia ei connexa.

Hinc apparet molli ſubſtantia cerebri donatos facilem impreſſionem objectorum ſenſibilium ſuſtinere, ideòque facilè Memoriæ mandare, & etiam diù retinere, ſi cum mollitie ſit conjuncta conſiſtentia, ut in cera, & creta, quæ facillimè impreſſionem ſuſtinent, & diù retinent. Si verò fuerit mollis, ſed non conſiſtens, facilem quidem ſuſtinet impreſſionem, ſed pari facilitate amittit; ſi verò dura, & valdè conſiſtens fuerit, cum difficultate modificantur fibræ, modificatæ verò tenaciter in modificatione perſiſtunt. Si verò contingat à cauſa violenta fibrarum modificationes obliterari perit memoria, ut evenit quandoque in morbis violentis. Hæc ad explicandas cauſas diverſarum affectionum Memoriæ rationes ſubminiſtrant; hoc modo fit momoria objectorum ſenſibilium.

Rerum intelligibilium memoriam habemus, ſed non immediatè per phantaſmata, ſed immediatè per ideas phantaſmatibus alligatas. Omnes Animæ intellectiones ſuam originem habent ab aliquo ſenſibili, vel ad illas

illas concurrit aliquod ſenſibile; hinc eſt, quòd dictæ intellectiones connexionem ſervant cum ſenſibilibus, & phantaſmatibus, & ad iſtorum motum excitatur illa intellectio connexa cum ſenſibilibus; idcircò ad prolationem alicujus verbi, ad unum nutum, geſtum, figuram, quorum phantaſmata ſunt in cerebro, excitatur intellectio in Intellectu patiente reſervata, quam ideam rei intelligibilis nominamus, & non eſt niſi modus Animæ intelligentis; ita ad venerabile Nomen Dei excitatur idea in Anima illius exiſtentiæ æternæ, & eſſentiæ, cum infinitis perfectionibus; ad figuram trianguli excitantur ideæ præexiſtentes, & reſervatæ in Intellectu omnium quæſitorum, quæ Mathematica circa triangulos proponit, & reſolvit; & hoc modo Memoria intelligibilium pendet mediatè, non immediatè à ſenſibilibus phantaſmatibus.

Reminiſcentia, licèt habeat ſimilitudinem cum Memoria, non eſt Memoria, ſed eſt motus ad recuperandam memoriam illius, cujus obliti fuimus, per aliquod principium, quòd memoria retinemus, à quo incipientes paulatim per gradus procedimus, uſquequò excitetur memoria eorum, quæ quærebantur. Ut v. gr. ſi quis oblitus fuerit alicujus verſus Homeri, & recordatur alicujus præcedentis, ſi incipiendo ab hoc recitet alios verſus ſubſequentes, occurrit Memoriæ verſus per reminiſcentiam.

Ab his præmiſſis licet Memoriam deperditam deſcribere per abolitionem imaginum, ſeu phantaſmatum in cerebro relictorum ab objectis ſenſibilibus.

Hæc omnia patent ex dictis. Ideæ conceptæ, & in Intellectu reſervatæ pereunt, ſaltem quoad actum ſecundum, quia abolentur phantaſmata, cum quibus dixi connexa.

Aboleri Memoriam teſtantur hiſtoriæ, quæ referunt *Aliquos proprii nominis oblitos; alios in ſcientiis eximiè verſatos, adeò obliviosos evaſiſſe, ut nec litteras Alphabeti cognoſcerent, nec eas caluiſſe crediderint. In peſte Athenienſi, ex Thucydide, qui evaſerunt ſe ipſos, & ſuos ignorarunt. Gal. lib. de differ. feb. cap.* 3. idem confirmat; *& ex ſtudio, & labore amiſſam memoriam in ſtudioſo, & Agricola*, refert *Gal. lib.* 3. *de loc. affect. cap.* 5.

Quæcumque plicaturas, ſeu modificationes fibrarum delere valent, in quibus phantaſmata contineri dixi, hæ erunt cauſæ memoriæ abolitæ. Calor excedens cerebri has fibrarum plicaturas delere valet, cùm particulæ calidæ, in quibus calor fundatur ſuo motu celeri, & valido fibras plicatas, ſeu modificatas agitando, & concutiendo, illam modificationem alterent, vel tollant, vel novas plicaturas addant, quæ non ſunt repræſentativæ alicujus objecti, unde neceſſaria Memoriæ abolitio. Hujus exemplum habemus in re molli, in qua impreſſa ſit aliqua imago, quæ ab agitatione, diſtractione, concuſſione illius, vel aboletur, vel alteratur, ut nullam ſimilitudinem cum ſe ipſa retineat. A calore etiam ita exſiccari poſſunt fibræ, & dureſcere, ut reſiſtant motui ſpirituum, immotæque maneant, cum Memoriæ deficientia; hæc enim viget, & conſervatur ob motum fibrarum in ſedem ſenſus communis, ut ſuperiùs dixi. Exſiccatæ, & induratæ non moventur in dictam ſedem, conſequenter non ſunt aptæ illi repræſentare imaginem illius, quod perceperat per ſenſus. Calor ſupponit, vel bilem exaltatam, vel ſanguinis redundantiam.

Humidum in cerebro excedens, cùm humore pituitoſo, vel ſeroſo fibrarum plicaturas, & phantaſmata delebit ſuo fluxu, eo modo, quo figura in pulvere delineata à placido aquæ curſu, vel ab aſperſione iſtius deletur, vel alteratur, ut præexiſtentis figuræ non ſit repræſentativa, ab humido excedenti fibræ cerebri adeò molles, & parùm reſiſtentes redduntur, ut à placido etiam curſu ſpirituum pervertantur, confundantur novis plicaturis impreſſis, & portionibus præexiſtentium deletis. Ab humido plicaturæ dictæ laxantur, & etiam contrahuntur aliquando, ut ſuam figuram amittant, hoc modo plicaturas à pannis lineis valdè madefactis tolli obſervamus. Per humidum fila, ex quibus contexitur corpus aliquod adeò adhærent, ut niſi cum labore, & diligentia ſeparari poſſint, & ſi in iſtis aliqua modificatio extiterit, dum ſeparatur perit; ſi hoc contingit in fibris cerebri, per hanc tenacem adhæſionem à qua ſuccedit mutua compreſſio, tollitur modificatio fibrarum; experientia enim patet duo corpora preſſibilia figurata, ſi ad invicem premantur figuram amittere. Fibræ etiam laxæ nimis ob humidi abundantiam ſunt incapaces impulſum recipiendi, & eumdem exercendi in ſedem ſenſus communis; & his omnibus de cauſis humidum plicaturas fibrarum cerebri abolendo, vel earum motum impediendo, vel impulſum interdicendo, Memoriæ abolitionem parit.

Si frigus non poteſt ita intendi in cerebro cum vitæ conſervatione, ut fibras ad invicem congelatione uniat, & comprimat, cum obliteratione modificationum ſuarum, & Memoriæ amiſſione, acidum in humore cerebrum irrigante, & de natura frigoris participans, & ſecundùm aliquos frigiditatis principium potens eſt dictum humorem coagulare, coagulatione, ſeu potiùs incraſſatione fibras ad invicem conglutinare, cum prædicto effectu, & Memoriæ deperditione: ſi verò conſideretur frigus reſpectivè pro minori calore, cùm calor vegetus ſit neceſſarius ad bonas actiones cerebri, poteſt eſſe cauſa deperditionis Memoriæ calor debilis, & diminutus, hic influendo in ſpiritus animales torporem, & languorem, cum impotentia movendi fibras in ſedem ſenſus communis, ut ſuperiùs dictum fuit, pro repræſentatione objecti aliàs percepti, neceſſe eſt, ut Memoria patiatur. Nec alia eſt aſſignabilis cauſa deperditionis Memoriæ in largis effuſionibus ſanguinis, & diuturnis alvi fluxibus, & in morbis longis, & extenuantibus.

Siccitas Memoriæ non advertatur, niſi quoad objecta præſentia, & quæ quotidiè repræſentatur ſenſibus, cùm impreſſioni fibrarum ſiccitas obſtet; quoad objecta præterita, & impreſſiones in cerebri fibris factas, ſiccitas magis confirmat. Hoc manifeſtum fit in Senibus, quorum memoria objectorum quotidiè propoſitorum brevi deficit, antiquatum rerum memoriam profundè conſervant.

Obſtructio viarum, quæ ſpirituum fluxum adimunt ad ſedem Memoriæ, hanc lædit; impreſſiones enim illæ, vel plicaturæ, quæ ſunt imagines objectorum, carent motore impedito ſpirituum fluxu ad eas, & niſi moveantur, repræſentant objectum; hac de cauſa deficit aliquando memoria aliquorum, quorum recordationem quærimus, quæ nobis paulò poſt ſubveniunt, quia via ad fibram repræſentativam illius obſtructa à vapore, aditum ſpiritibus, ut moveretur impediebat, vapore diſſipato aperta via ſpiritus fluit, & movet fibram, cum recordatione quæſiti; ab eadem obſtructione pendet memoriæ defectus in affectibus ſoporoſis, & nimio uſu narcoticorum, cùm obſtructio viarum, per quas ſpiritus decurrunt in affectibus ſoporoſis reperiatur, à narcoticis efficiatur.

Hæ ſunt cauſæ internæ Memoriæ deperditæ. Externæ ſunt omnes res naturales, quæ calore, frigiditate, humiditate cerebrum alterare præter naturam valent, quæ diligenter inveſtigandæ, & ab ægro accipiendæ, cùm ab harum cognitione perfecta internarum cauſarum comprehenſio habeatur, à qua curatio principaliter pendet.

Ad extrinſecas cauſas reducuntur fortuitæ, caſus ab alto, contuſio cranii, vulnera capitis, concuſſio cerebri; ab iſtis enim tali motu moveri poſſunt fibræ cerebri, ut illarum modificationes tollantur.

Suas habet differentias Memoria læſa, cum omnibus aliis operationibus, præterquàm in depravatione, aboletur, & minuitur, diminutionis eædem cauſæ, ſed remiſſiores.

Signa tam abolitæ, quàm diminutæ Memoriæ ſunt manifeſta. Cauſarum ſigna deducenda à cauſis præcedentibus, & ab erratis in ſex rebus non naturalibus, raro à calore, & frigore, ſæpè ab humido, & à cauſis fortuitis ſuperiùs deſcriptis.

Prognoſtica non ſunt mala, ſi ſola ſpectetur Memoriæ læſio, cùm vita in hac non periclitetur; peſſima, ſi ſymptomata, quibus conjungi ſolet, conſideremus, Epilepſiam, Apoplexiam, Paralyſim vocat. *Si febri ſuperveniat, malum, ex Hipp.* 1. *Proreth.* 22. quia ſenſuum internorum, & externorum læſionem indicat.

Indicationes in cauſa calida refrigerandi, & humores

res calidos purgandi, vel ſanguinem minuendi, ſi calor ſit à redundantia ſanguinis, vel à ſuppreſſa aliqua evacuatione. Humores calidi purgandi eis, quæ de Vigilia, de Phrenitide propoſita ſunt, & eiſdem refrigerantibus calor moderandus. In frigida intemperie, cum humoribus frigidis, hi purgandi, poſtea calidis attemperandi, de quibus actum eſt de Somno præternaturali, Lethargo, & Caro: Sanguinis miſſio non habet locum. Si ab humido excedente, hoc evacuandum hydragogis, & exſiccantibus conſumendum, quæ ſunt eadem cum calefacientibus in frigida intemperie convenientibus. In ſiccitate, humectantia; prætermiſſa, omni purgatione, & ſanguinis miſſione conveniunt. Obſtructio aperientia indicat, & purgationem humoris peccantis, & pro utroque conveniunt, & purgantia, & alterantia de Lethargo propoſita, cùm in hoc adſit obſtructio porroſitatum cerebri, & defectus Memoriæ, ut de eo agentibus demonſtratum fuit.

Specifica pro Memoria Chymici laudant *Oleum Vitrioli rectificatum, cum hauſtu Vini generoſi, Tincturam Lunæ, ſeu Argenti, Spiritus Vini, in quo Piper infuſus fuerit. Aqua vitæ Matthioli, Aqua Philoſophorum dicta ab Etmullero commendatur. Sennertus lib.* I. *pract. part.* 2. *cap.* 5. proponit duas Aquas *à Gaſparo Peucero deſcriptas in tractatu de Memoria, quas pretioſiſſimas pro recuperanda memoria vocat, quarum deſcriptio apud dictos Authores videnda. Tinctura Hyperici à Mynſicht extollitur*. Ab omnibus præfertur *Pulvis Abbatis Trithemii, cujus deſcriptio in multis Authoribus reperitur; modus hoc utendi, in primo menſe ſumatur* ℨ. *i. manè, & veſperi per tres horas ante cibum in vino, vel jure, ſecundo menſe tantùm manè, tertio menſe ter in ſeptimana, quarto menſe bis in ſeptimana, & ſic deinceps per aliquot menſes. Confectio Anacardina propriè pro Memoria fuit inventa, & ejus compoſitio eſt uſualis,* ℈. *i. exhibetur in Aqua Fœniculi, vel Sthœcados per tres dies, aut alternis diebus per tres vices, & hanc Confectionem centies cum fructu probaviſſe teſtatur Chriſtophorus à Vega, cautè tamen hac eſſe utendum Hoffmanus, & Vvedelius animadvertunt, cùm ob nimium calorem, & ſiccitatem Anacardi facilis ſit tranſitus in alios morbos, & præcipuè in dementiam, delirium, lepram, & maximè ſi juvenis ſit, qui hoc utitur remedio*; unde dicti Authores Confectionem Anacardinam, Confectionem Stultorum dicunt. Cautè procedendum in horum remediorum uſu in cauſa calida, raro tamen ab iſta provenit Memoriæ defectus, ut ſuperiùs adnotatum fuit.

Diœta juxta prædictas indicationes dirigenda.

CAP. XXXIII.

De Moroſi, ſeu Stupiditate.

MEmoriæ abolitio, ſtupiditatem ſecum trahit, quæ eſt *Intellectus, & Judicii defectus*. Intellectus verſatur, ut plurimùm circa phantaſmata, iſtorum totalis defectus exercitium Intellectus tollit, Judicium eſt affirmatio, vel negatio Intellectus, ex præcognita veritate, vel falſitate objecti per phantaſma repræſentati, quo deficiente neceſſe eſt, ut Intellectus, & Judicium deficiat; in Memoria verò abolita nullum eſt phantaſma, ut patet ex dictis in præcedenti Diſſertatione, conſequenter in Memoria abolita nec eſt Judicium, nec Intellectus, cùm veriſſimum ſit axioma tritum, *Nos tantùm ſcire, quantùm Memoriæ mandamus*. Et quamvis verum ſit in defectu Memoriæ moroſim, ſeu ſtupiditatem reperiri, cùm aliquando à ſtupiditate Memoriæ defectus oriatur, ut patet in eis, qui à morbo aliquo gravi in ſtupiditatem incidunt, quam ſequitur ex neceſſitate Memoriæ defectus; ita tamen hi duo affectus ſunt inter ſe connexi, ut uno poſito, alius ſit neceſſarius, ſi moroſis Memoriæ defectum ſequitur, habet pro cauſa omnes illas, quæ Memoriæ defectum inducunt.

Si verò moroſis præcedat, aliam non agnoſcit cauſam corpoream, niſi eam, quæ prohibet phantaſmatis elaborationem, hoc eſt fibrarum cerebri modificationem, in qua phantaſma conſiſtere decretum fuit. Hanc modificationem dixi etiam fieri ab actione, unà cum motu objecti ſenſibilis agente in organa ſenſuum, & ab his unà cum motu traducta ad ſedem ſenſus communis, & ab hoc in fibras cerebri proximas, à quibus modificantur, in Moroſi omnes ſenſus exercentur, quia vident, guſtant, audiunt, tangunt, odorant, conſequenter non deficit actio, & motus prædictus valens modificare fibras, & phantaſma efficere; ideò moroſis non procedit vitio organi ſenſuum; multò minus poteſt procedere à torpore, & debilitate ſpirituum animalium, ut exiſtimat Vvilliſius, quia admiſſo etiam concurſu ſpirituum animalium ad elaborationem phantaſmatis, non licet iſtis tantùm torporem, & languorem tribuere, ut non valeant ſuo concurſu phantaſma perficere, cum tali gaudeant energia congrua ad exercendos ſenſus, & motus perfectè; obſervamus enim ſtupidos vi magna præditos, & talis vis ſpirituum fibrarum modificationi ſufficeret. Et ſi in moroſi eſſet languor, & torpor ſpirituum animalium, eſſet etiam languor, & torpor in motu, & ſenſu, reliquum ergo eſt, ſi moroſis non provenit à vitio agentis fibras modificantis, quod eſt actio ſenſibilium conjuncta motui, nec à vitio concurrentis, quod eſt ſpiritus animalis, licet concludere, iſtius ortum ob vitium patientis, quod eſt cerebrum, & ejus fibræ. Hoc vitium non poteſt eſſe, niſi reſiſtentia iſtorum impreſſioni, vel impotentia ad motum; fibra enim cerebri, ad hoc ut contineat eſſentialem rationem phantaſmatis, quæ fundatur in integra repræſentatione objecti, neceſſe eſt, ut modificetur, & ut data occaſione moveatur in ſedem ſenſus communis, non recipit impreſſionem, quia non eſt mollis, ſed dura ſubſtantia cerebri in ea parte ſaltem, quæ ſedem ſenſus communis circumdat, eadem durities impotentiam ad motum fibræ impertit, & huic opitulatur connexio, & adhæſio fibrarum cerebri ad invicem in ſupradicto loco ab ortu contracta, vel ab humore viſcoſo conglutinante peracta, quæ, quando à cauſa aliqua reſolvitur, moroſis curatur. Hac ratione curata fuit aliquando moroſis à febre, ut notat *Huartus de quodam Fatuo in Aula Regia Cordubæ, qui in medio morbi ad tantum judicii, & diſcretionis acumen pervenit, ut univerſam Aulam in admirationem rapuerit, & toto vitæ, quòd reliquum habuit tempore, prudentiſſimus præſtiterit*. Alias habet obſervationes de hoc *Vvillis in tractatu de Moroſi*. Poſita hac fibrarum adhæſione, & conglutinatione clauditur via ſpiritibus animalibus ad curſum inter unam, & alteram fibram, & cùm modus auferatur eas movendi; idcircò ſi in eis eſſet facta impreſſio, & elaboratum phantaſma ex defectu ſpirituum ſupradicto, ſuum non præſtaret effectum, ad quem requiritur movens, cùm à ſeipſis nec poſſint, nec debeant moveri; conglutinatæ verò fibræ reſiſtunt ſpirituum energiæ motrici, cùm ſit impar ad movendam maſſam fibrarum conglomeratam.

Cauſæ extrinſecæ ſunt omnes illæ, quæ duritiem ſubſtantiæ cerebri donare poſſunt, vel viſcoſum humorem in eo congregare, ut ebrietas, animi paſſiones, ictus, caſus, capitis læſiones, morbi præcedentes, ut Lethargus, Epilepſia, à qua moroſis ſæpiſſimè derivatur. A nativitate contrahitur ſæpiſſimè, & cauſam applicare poſſumus datam ab *Hippoc. de morbo ſacro à nativitate contracto*, & deſcribit hanc *lib. de morb. ſacr. num.* 7. ubi docet, *Cerebrum fœtus in utero matris floreſcere, & purgari*. Si hujuſmodi purgatio non ſuccedat, neque orto fœtu materia purganda non excernatur, per puſtulas, & ulcera in capite, in auribus, & in reliquo corpore hoſpes cerebri manet, & pro ſui conditione, vel ſubſtantiam cerebri circa ſedem ſenſus communis indurat, vel fibras conglutinat.

Differentiæ hujus ſymptomatis aliæ non ſunt, niſi quæ ſecundùm magis, & minus diſtinguuntur. Differt ab amentia, & ſtultitia, quia in hac adeſt apprehenſio rerum, judicium, & diſcurſus, at depravatus ob malam compoſitionem, vel diviſionem phantaſmatum, quæ elaborantur in ſtultitia; in moroſi verò hoc deficit, & apprehenſio, judicium, diſcurſus nullus.

Signa diagnoſtica duritiei cerebri ſunt temperamentum

rum melancholicum, præceſſerunt cauſæ exſiccantes, à conglutinatione fibrarum temperamentum pituitoſum, excrementa narium craſſa, & viſcoſa, cauſæ pituitam congregantes præceſſerunt.

Indicationes erunt, ſubſtantiam cerebri emolliendi, viſcoſum conglutinans attenuandi, & reſolvendi.

Ad has indicationes purgatio, & ſanguinis miſſio parùm valent; multùm diæta ſecundùm Hipp. præceptum relatum de Epilepſiæ curatione. Pro duritie cerebri victus ratio ſit, humida, & emolliens, nec parva, nec excedens. Uſus *Lactis*, *& lactea diæta* erit valdè proficua, *Animalium cerebra*, *juniorum volatilium carnes*, *& etiam quadrupedum*, *exceptis illis carnes ſiccas*, *& duras habentibus*. Pro conglutinatione ſit attenuans; condimentum alimentorum ſit *Serpillum*, *& Thymus*, *Nux moſchata*, *Piper*, *ex Petroſelino*, *Fœniculo*, *Silero parentur fercula*. Victus ratio accedat ad tenuem. Uſus *Caffè*, *cum Salvia*, *& herba Thea*, non erit inutilis.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER SECUNDUS.

DE MORBIS MEDII VENTRIS.

CAP. I.

De Angina.

ANgina dicitur ab *Angendo*, quod verbum ſumitur, pro enecare, & ſuffocare; hinc ſuffocatio, ſtrangulatio Angina dicitur, & omnis faucium dolor, & quilibet affectus præter naturam iſtarum, cum ſtrangulationis ſenſu, ſeu periculo conjunctus, Angina nuncupatur.

Propriè tamen accipitur pro inflammatione muſculorum Laryngis, unde communiter definitur *Inflammatio muſculorum Laringis*, *cum difficultate reſpirationis*, *deglutitionis*, *& febre continua*.

Quomodo fiat inflammatio, dictum fuit de Phrenitide, & demonſtratum ex ſententia *Hipp. lib.* 4. *de rat. victus in acut. &* 3. *de morb.* ubi ex ſtagnatione, & fixatione humorum in dictis partibus inflammationem in Angina determinat; ex quo demonſtratur ſubjectum Anginæ eſſe muſculos Laryngis, & hanc partem eſſe propriè ſubjectum Anginæ docuit *Hipp. in lib.* 6. *Epid. ſect.* 8. *text.* 1. in illis verbis: *Quibuſdam inflammationes faucium aderant*, *aliis verò Anginæ*, diſtinguendo inflammationes faucium, hoc eſt partium externarum gulæ, ab Angina; quæ diſtinctio non poteſt verificari, niſi admittatur Anginam eſſe inflammationem partium internarum gulæ, hoc eſt Laryngis, quæ quandoque ita exardeſcit, ut phlogoſim magnam, & non raro inflammationem in pulmonibus accendat; quod adnotavit *Hip. in* 40. *de rat. vict. in acut.* ubi, deſcribendo cauſas Anginæ, habet: *Talibus arteria ulceratur*, *incenditur uſque pulmo*, *neque externum aerem admittere intrò queunt*, quod non poteſt evenire, niſi incendio conjungatur tumor. Huic ſententiæ Hipp. favet experientia. Notat *Dodoneus lib. obſerv. cap.* 18. *Lanionem*, *qui cùm meridie circa Laryngem*, *& fauces dolorem ſenſiſſet*, *cum quadam in deglutiendo cibo*, *& potu difficultate*, *nocte ſtrangulatum interiiſſe*; *cujus corpore aperto inventa eſt pulmonis ſubſtantia in pus converſa*; & idem notat *Etmuller. in angina defuncti pulmones*, *vel purulentos*, *vel abſceſſu contaminatos inventos fuiſſe*. Ab hac Hipp. ſententia facilè explicatur, quomodo ab Angina oriatur Peripneumonia, incaleſcente nempè pulmone præternaturam, ab inflammatione muſculorum Laryngis, cum æſtu, & fervore ſanguinis in eo contenti, à quo turgeſcentia vaſorum ſanguinem continentium, & impedita circulatio ejuſdem, cùm vaſa nimis diſtenta, & preſſa à ſanguine nimis rarefacto illam coadjuvare non poſſint imò impediant. Si pulmo in Angina afficitur per conſenſum ab inflammatione Laryngis, & iſtius muſculorum; probabile etiam erit eam partem illius affici, cui immediatè aſperæ arteriæ truncus magnus annectitur.

Ex eo, quòd Angina eſt inflammatio Laryngis, diſtinguitur ab aliis affectibus inflammatoriis, Pharingis, tonſillarum, & gulæ, à quibus oritur & reſpirationis, & deglutitionis difficultas.

Inflammationem Laryngis, & muſculorum ejus ſequitur *difficilis reſpiratio*, *& deglutitio*, quia muſculi Laryngis inflammati non exercent expeditè, & liberè motum illum neceſſarium ad introducendum, & expellendum aerem à pulmonibus, ſed cum difficultate, & cum dolore illum peragunt, unde neceſſaria difficilis reſpiratio; & eò major emerget difficultas, ſi pulmones inflammationem contraxerint, cùm à ſtagnantis ſanguinis preſſione motus dilatationis ſuorum bronchiorum, & veſicularum impediatur quantum exigit libera, & expedita reſpiratio.

Deglutitio impeditur, quia duo muſculi Oeſophagici dicti, deglutiendis cibis præſidentes à Larynge oriuntur, & cum hac inflammantur, ſuſpenſo, vel interdicto motu, quem requirit ciborum deglutitio, quapropter hæc cum difficultate peragitur; aliquando ita impeditur, ut per nares reſiliant liquida, ſi hæc aſſumere cogantur ægri. Aliquando contingit ſolida faciliùs, liquida difficiliùs deglutiri; aliquando è contra. In primo caſu affecti ſunt omnes muſculi deglutitioni ſervientes, inter quos ſunt illi Laryngis, qui, ſi debili contractione ad deglutitionis munus concurrant, ſolida faciliùs, liquida difficiliùs deglutiuntur, cùm ad horum deglutitionem valida conſtrictio, & compreſſio muſculorum requiratur, ob facilem iſtorum diffuſionem, debilem vim compreſſionis, & conſtrictionis eludentem; ſolida faciliùs deglutiuntur, quia non diffluunt, & unitim totum impulſum debilis compleſſionis, & conſtrictionis recipiendo, ſufficiens habent determinativum ad deglutitionem. In ſecundo caſu ſolida difficiliùs deglutiuntur, quando muſculi Laryngis ita ſunt inflammati, ut non poſſint elevare Laryngem ad cedendum ingreſſum ſolidis alimentis in Oeſophagum. Liquida faciliùs deglutiuntur, quando inflammatio permittit parvam elevationem Laryngis, per quam fluidis ſufficiens permittitur ingreſſus in Oeſophagum, vel quia ab inflammatione gutturis lingua non retrahitur, ob ſui intumeſcentiam, ad ſuas radices, ut non impediat orificium Oeſophagi, prout accidit, quando retrahitur.

Additum eſt, *cum febre continua*, quia hæc ſemper inflammationi conjungitur; unde apparet, febrem in Angina eſſe ſymptomaticam, non eſſentialem.

Cauſam duplicem invenio in *Hipp. lib.* 2. *de morb. num.* 9. Pituitam nempè, dum ſcribit: *Angina*, *ſivè Cynanche fit*, *cùm pituita in capite commota acervatim deorſum fluxerit*, *& in maxillas*, *& circa collum conſtiterit*. Pituita, per Hippocratem, à capite deſcendens, & conſiſtens in partibus circa collum, ubi Larynx, & Pharinx, non poteſt deſcendere, niſi attenuata, & fluxilis facta; quod intellexit Hippocrates, quando di-

do dixit *commota*. Pituita redditur fluxilis à calore, conſiſtit à frigore, vel à calore expirante; ideò Angina contingit, ubi caput, vel fauces incaluerint multùm, & poſtea refrigeratæ fuerint; tunc enim pituita concreſcit, poros partis, in quam defluxerit, obſtruit, orificia venarum, & arteriarum claudit, canaliculos, per quos ſanguis ab arteriis ad venas tranſit, implet, & circulatio iſtius impeditur, & conſiſtendo, & à motu ceſſando inflammationem parit. Hujuſmodi humorem à capite deſcendere voluit Hipp. Recentiores hanc viam rejiciunt, nec viam pro fluxu humoris à capite ad Laryngem inveniunt, ſed per arterias, vel vaſa lymphatica fluere ad partes ab Hipp. recenſitas, vel à membrana pituitaria, à qua continuus humor tranſudat, & quæ cum muſculis Laryngis eſt communis, credunt; quapropter, ſi dictus humor fuerit craſſus, partium adjacentium poros ſui communicatione obſtruit, eaque omnia ab Hipp. recenſita parit, à calore diffuſus, & attractus humor ad hanc membranam muſculis Laryngis, & Oeſophagi communicatur, & ſi in iſtis craſſeſcat, & coaguletur, inflammationi principia jacit. Dicitur humor attrahi, quia à calore dilatatæ porroſitates, & vaſa partis excalefactæ, in iſtis colligitur magna humoris copia, & hæc fluxio ab Antiquis attractio nuncupabatur.

Eamdem cauſam confirmavit *Hipp. in lib. 4. de rat. vict. in acut. num. 39. Angina fit, cùm fluxio è capite multa, ac glutinoſa, tempore hyberno, aut Verno, ad venas jugulares influxerit, & hæ fluxionem ampliorem propter amplitudinem attraxerint; cùm autem frigida, & glutinoſa ſit, ſpiritus tranſitus obturabit, & ſanguinis tranſitus obturans propinquas ſanguinis partes congelat, ipſumque immobilem, ac ſtabilem facit, cùm natura frigida ſit, & obturandi vim habet.* Ab hac ſententia Hipp. colligitur pituitam Anginæ cauſam eſſe, & cum ea omnes humores, vel ſanguinem craſſum dictum pituitoſum, & melancholicum, prout Antiqui cenſuerunt, diſtinguendo Anginam in pituitoſam, & melancholicam, & bilioſam, de qua mox, & ad hanc, ſicut ad omnes inflammationes, binam requiri colligo diſpoſitionem partis inflammatæ, quam conditionem exprimit Hipp. in illis verbis: *Ad venas jugulares, & hæ ampliorem fluxionem propter amplitudinem attraxerunt.* Amplitudo vaſorum in parte eſt diſpoſitio ad inflammationem, ſi amplitudo non ſit naturalis, ſed facta à cauſa laxante, & rarefaciente, quia tunc ob majorem amplitudinem ſuſcipiunt multam copiam ſanguinis, ac ſi vaſa dilatata hanc attraherent; idcircò hoc verbo uſus eſt Hipp. Altera conditio eſt *Humor frigidus, & glutinoſus obſtruens, tranſitum ſpiritibus, & ſanguini obturans, & particulas ejuſdem congelans*, ut apertè expreſſit Hippoc. in cit. ſententia, quæ omnia efficit pituita natura frigida, & glutinoſa; ubi verò fluit indiget tenuitate, & ſubtilitate, quam acquirit à cauſa externa, vel interna movente, & liquante, qua ceſſante, & expirante ſuo influxu, ſuæ naturali frigiditati, & glutinoſitati reſtituitur, eo modo quo aqua calefacta naturalem frigiditatem ab igne remota recuperat, & metallum liquatum expirato calore congelatur, primæva duritie recuperata.

Alteram cauſam colligo ab *Hipp. in cit. loc. num. 40.* ubi habet: *Quum verò æſtivo, vel autumnali tempore fluxio calida, & nitroſa de capite defluxerit, utpotè ex tempore acris, & calida facta, talis, ubi eſt, mordet, & ulcerat, & ſpiritu implet, & erecta cervicis ſpiratio accedit.* Ex textus verbis patet, Hippocratem loqui de materia bilioſa, quæ eſt calida, & nitroſa, hoc eſt acris, & accenſibilis ſicut nitrum. Bilem eſſe accenſibilem, & acrem, omnes norunt, & admittunt, & præcipuè illi in iſtius humoris Anatome inſtructi. Continet bilis ſal valdè acre, continet particulas igneas, oleoſas, accenſibiles, quæ vel auctæ, vel exaltatæ calorem igneum in maſſa ſanguinis, & univerſo corpore accendunt; quomodo verò à bile Angina proveniat, explicat Hipp. in illis verbis, *mordet, ulcerat, & ſpiritu implet*; mordet, & ulcerat arteriam aſperam, ut inferiùs declarat Hipp. *Talibus arteria ulceratur*, & quidem circa ſua principia, nempè in Larynge, & ejus muſculis, qui morſi, & ulcerati ſpiritu implentur, hoc eſt intumeſcunt, eo modo quo partes demorſas, & ulceratas in tumorem attolli obſervamus, confluente copia ſanguinis, & ſpiritus ad partem malè affectam, vel quia vaſa iſtius à prava affectione dilatentur, vel quia per morboſam affectionem impedimentum aliquod ponatur præterfluenti humori, quo mediante ſtagnat, & ſtagnatione impletur pars vel quia à dolore motus ferè ſpaſmodici in vaſis excitantur, à quibus copia ſanguinis exprimitur ab eis, quæ in parte dolente tota colligitur, & ita ſpiritu impleri dicitur, & ſanguine. Humor etiam bilioſus ad muſculos Laryngis fluens fermentationem in ſanguinem eos irrigantem inducere ſuo calore valet, cum multarum particularum in eo exiſtentium ſeparatione, & excitatione ad motum, à quibus intumeſcunt, cùm omnis fermentatio corpora extenſibilia, prout ſunt muſculi, in tumorem, & turgentiam adducat, tam ratione fermentantis humoris, à quo majus ſpatium requiritur, cùm fermentatione rareſcat, quam ratione ſupradictarum particularum, quæ in activitate, & motu non ſunt diſſimiles à ſpiritibus, ideòque detentæ, & in motu cum copia in tumorem partem continentem elevant ad modum ſpirituum; ideò etiam optimè dicitur partem fermentatione humoris turgentem ſpiritu impleri. Muſculos internos Laryngis affectos deſignat Hipp. in illis verbis: *Et quæ videntur, gracilia apparent*, hoc eſt, in gula, & ore nulla apparent inflammationis, & tumoris veſtigia, quæ, cùm abſint, internas partes affici determinandum eſt.

Hæc Angina, cum ulcere arteriæ aſperæ, ſeu muſculorum internorum ejus, maligna appellatur, quia ab humore corroſivo, ſimili ei, à quo Cancer, ad quam aliqui reducunt Anginam à ſemine diù retento, & corrupto ortam; ab hujus enim vaporibus ſuffocationis quædam ſpecies oritur non abſimilis ab ea, quæ in Angina, & ab ea, quam aliqui narrant oriri à viſu Lupi, in qua vox ferè amittitur; at quia talis ſuffocatio eſt ſine inflammatione, non poteſt referri ad Anginam, ſed potiùs ad motus convulſivos, ad quod reducit Vvilliſius ſuffocationis Hyſtericæ, & Hypochondriacæ cauſam.

Cauſæ externæ ſunt omnes illæ, quæ pituitam ſeu in capite, ſeu in venis fundere poſſunt, ut calor Solis, Hypocauſti, exercitium violentum, vociferatio protracta; vel quæ pituitam valent generare in copia, ut teſtatus eſt *Hipp.* de pluviarum multitudine *in aphor. 16. ſect.* 3. Temporum etiam inæqualitas ad Anginam concurrit quando calore laxantur partes, & à frigore ſubitò ſuperveniente conſtringuntur, & humores fluxi vi caloris, ab illo coagulantur, quod agit ſubita refrigeratio ab incaleſcentia, & poſt hanc potus frigidus, ſed præcipuè ſi caput ſummè incaleſcat, & poſtea ſubitò refrigeretur. Hac de cauſa potus valdè frigidus, ſanguinem in muſculis faucium fixando, Anginam inducit, & quæ bilem cumulare, & exaltare valent, & ſunt cibus, & potus, & medicamenta calida, & acria, & ſalſa. Res deglutitæ, ut ſpina piſcis, oſſis acuminati fruſtula, potus Aquæ fortis, inunctio Mercurialis, à qua fauces intumeſcunt, & exulcerantur. Ad has cauſas reducitur ab Antiquis luxatio vertebrarum colli verſus aſperam arteriam, itaut hæc comprimatur, cum ſuffocatione, ob impeditam aeris inſpirationem, & expirationem. Hæc ſententia non poteſt admitti, quia adeò vertebrarum cervicis proceſſus ſunt ad invicem inarticulati, ut citra fracturam luxari nequeant; & ſi luxarentur, ſpinalem medullam comprimendo, vel lacerando, motum, & ſenſum abolerent, unde potiùs Apoplexia, quàm Angina ſuboriretur; & ſi *Hipp. lib. 4. aphor. 35.* proponit læſam deglutitionem à repentina colli contorſione, intelligendus eſt de convulſione, quæ provenit à dicta contorſione, non de Angina; & locus 2. *Epid. ſect.* 2. de tumore juxta vertebras cervicis, ubi in collo cavitas inſpiciebatur, non eſt de luxatione vertebrarum, intelligendus, ſed detractione vertebræ ad anteriora, facta à contractione muſculorum, vel ligamentorum.

Signa Anginæ ſunt ea omnia, quæ ſunt propria, & inſeparabilia ab omni inflammatione, calor, dolor, tumor, & interdum viſibilis robur in faucibus. Adeſt in Angina difficilis colli motus, non ſine dolore; difficilis reſpiratio, & deglutitio, & in faucibus dolor ardens, lingua rubet, ac inſigniter tumet, cum impedito motu. Febris eſt magna, & acuta, pul-

pulſus magnus, undoſus, tenſus, & cum convulſione quadam.

Differentiæ Anginæ quatuor à Medicis aſſignantur. Prima ab inflammatione muſculorum internorum Laryngis, quæ dicitur *Cynanche*, & deſcribitur ab *Hipp. lib. 2. de morb. num. 26. Febris corripit, & rigor, & dolor capitis, & maxillæ intumeſcunt, & ſputum difficulter deglutit, expuit autem, & ſalivas, duras* (hoc eſt viſcoſas, & tenaces) *ac paucas*, quia ob craſſitiem, & imbecillitatem motus muſculorum inflammatorum ſeparari non poſſunt à parte. Paucæ ſunt ſalivæ, quia copia humoris fluit ad partem inflammatam, & infra in faucibus ſtertit, & ſi apprehenſa lingua inſpexeris gurgulio non magnus eſt, ſed mollis; fauces autem intrinſecus ſaliva viſcoſa plenæ ſunt, & æger excreare non poteſt, & decumbere non ſuſtinet, verùm ſi decumbat, ſuffocatur. Hujuſmodi difficultas reſpirandi, & deglutiendi, ſine ulla viſibili læſione faucium, ut notat Hipp. demonſtrat partes internas faucium, & conſequenter muſculos internos Laryngis affici inflammatione.

Altera, & ſecunda differentia conſiſtit in inflammatione muſculorum externorum Laryngis, & dicitur *Paracynanche*, & hanc deſcribit *Hipp. cit. lib. num. 27. Febris, & dolor capitis corripit, & fauces inflammantur itemque maxillæ, & ſalivam deglutire non poteſt, ſpuit autem craſſum, & multam, & difficulter loquitur*. Ex difficili loquela colligitur difficilis reſpiratio. Differentiam à prima ſpecie ſuperiùs recenſita, habemus in illis verbis: *Et fauces inflammantur;* diſtinguitur enim viſu inflammatio faucium externa, fauces enim comprehendunt omnes partes conterminas Laryngi verſus exteriora iſtius.

Altera, & tertia differentia Anginæ deſcribitur ab *Hipp. cit. lib. num. 28. Linguæ poſterior pars inflammatur, itemque locus ſub tonſillis ad guttur, & neque ſalivam, neque quicquam aliud deglutire poteſt*. Cùm difficultas reſpirationis non exprimatur, ſed ſolùm deglutitionis, percipimus Hippocratem admittere Anginam cum ſola læſione deglutitionis, qualis obſervatur in inflammatione tonſillarum.

Aliam differentiam Anginæ deſcribit *Hipp. in cit. loc. num. 9.* in his verbis: *Angina, ſivè Cynanche fit, cùm pituita in capite commota acervatim deorſum fluxerit, & in maxillis, ac circa collum conſtiterit, hic neque ſalivam deglutire poteſt, reſpirat autem violenter, ac ſtertit, & aliquando etiam febris ipſum corripit*. Hæc ultima verba docent, Anginam cum difficultate deglutitionis, & reſpirationis quandoque apprehendere ſine febre, & conſequenter ſine inflammatione. Si pituita, vel humor craſſus, partes faucium, muſculoſque iſtarum copioſo fluxu impleverit cum tumore, ſine effervescentia, fermentatione, & incaleſcentia, tunc aderit difficultas reſpirationis, & deglutitionis ſine inflammatione, quia ſine febre, qua ſuperveniente, factam inflammationem denunciat.

Signa differentiarum habemus deſcripta ab *Hipp. in cit. loc.*

Prognoſtica deſcribit *Hipp. in Coac. prænot. Anginæ, quæ neque in collo, neque in faucibus quidquam conſpicuum faciunt, verùm ſuffocationem vehementem, ac ſpirandi difficultatem inducunt, eadem die, ac tertia occidunt*; quia inflammatio eſt in partibus internis Laryngis, & proxima pulmoni, qui compatitur. *Quæ verò tumores, & ruborem in collo accipiunt, in cæteris quidem conſimiles ſunt* (hoc eſt ſymptomata eadem habent) *verùm diuturniores. Quibuſcumque verò, & fauces, & cervix, & pectus ſimul rubuerunt* (intellige in externis) *diuturniores fiunt* (quia pars ſubtilior humoris ad externa protruditur craſſiori in parte interna remanente, qui diuturniori indiget concoctione) *& ex ipſis ſervantur, ſi non recurrerint rubores* (hoc eſt, ſi non retroceſſerint; recurro enim, apud Hipp. idem ac regurgito) è contra, ſi recurrerint rubores, inferendum eſt eſſe lethale (quia materia à parte ignobili externa recurrit ad partem nobiliorem internam, augendo inflammationem, ejus ſymptomata, & hujuſmodi augmentum eſt lethale.) *Si verò diſſipentur* (hoc eſt rubores) *neque tuberculo foras converſo, ac collecto* (in parte interna faucium) *neque purè leniter, ac ſine dolore excreato, neque in diebus judicatoriis pernicioſæ ſunt* (intellige Anginas in parte interna faucium.)

Ab hac ſententia deducere licet, rubores partium externarum colli, cervicis, & pectoris in Angina non eſſe ſemper mali ominis; nam ſi materia in faucibus fluxa in tumorem ſe collegerit, maturationem ſuſceperit, & ſine dolore per ſputum excernatur, & leniter, quia copioſæ materiæ concoctæ eruptio ſuffocationem parit, & in die judicatorio ruboris evaneſcentia ſalutis ſignum exiſtet, quia evaneſcunt, non quia materia ruboris retrocedat, ſed quia deficit. Contrarium verò evenit, ut ait *Hippocr. cit. loc. ſi anginoſi tumores citra ſignum* (hoc eſt ſine materiæ expurgatione) *diſpareant, & dolores citra manifeſtam cauſam pariter diſpareant*, hoc eſt ſine materiæ evacuatione, *ideò ſunt ſigna lethalia. Num etiam ſuppurati fiunt?* hoc eſt, ſi tuberculum foras non exierit, nec illius materia leniter, & ſine dolore excernatur, ſuppurati evadunt, quia materia in tuberculo collecta deſcendit ad cavitatem thoracis in puris formam, vel ibi in pus vertitur, & ſuppuratus fit æger. Securiſſimum autem eſt ruborem, & abſceſſus, quam maximè foras verti, & rationem reddit Hipp. dum ſubjungit: *Eriſipelas verò foris quidem accedere commodum eſt, intrò autem converti, lethale*. Convertitur autem intrò, cùm diſparente rubore pectus gravatur, & difficilem reſpirationem habet (intellige magis difficilem, quàm antea.) *Quibus Anginæ ad pulmonem vertuntur* (intellige vel materiam Anginæ ad pulmones demandari, vel inflammationem muſculorum Laryngis ad pulmones connexos ſerpere) *partim in ſeptem diebus pereunt, partim evadentes ſuppurati fiunt*. Diſtinguimus pulmones affici, vel à tuſſi Anginæ ſuperveniente, vel ab aucta reſpirandi difficultate; & ſi in hoc caſu non fiat, ut ait Hipp. eductio pituitoſa ſurſum, hoc eſt per ſputum pereunt in ſeptem diebus ex inflammatione pulmonum, vel materia in pulmones defluxa, & in pus converſa ſuppuratos facit. Ex Anginis præcordii dolor, cum impotentia, & torpore oboriens, citra judicationem occidit occultè, etiam ſi valdè manſuetè ſe habere putent, quia dolor præcordii, & alia ſymptomata, cum judicatione à conatu naturæ materiam coquentis, vel ad expulſionem diſponentis proficiſcuntur, ſed oriri poſſunt abſente judicatione, à morbo, & à natura oppreſſa, & victa; in hoc ſtatu à materiæ violentia non affligitur, ideò manſuetè ſe habere, tunc eſt malum. *In Angina dolores ad caput citra notas* (hoc eſt ſine cauſa manifeſta ſupervenientes) *cum febre pernicioſi*; quia à materia in capite exiſtente, & pernicioſa, dolorem produci ſignificat, abſente cauſa manifeſta apta dolorem capitis inferre. A cauſa interna prodire cenſendum eſt, & hujuſmodi dolor conjunctus cum Angina, vitam ægri in majori periculo ponit. Hac de cauſa dolores ad crura citra notas (hoc eſt ſine cauſa manifeſta) cum febre pernicioſi, quia materiam pravam nervis communicari demonſtrat, & convulſionem imminentem prædicit, cujus exempla habemus in *Hipp. lib. 5. de morb. popul. n. 25. & n. 36.* Ex Angina ſputa viſcoſa, craſſa, valdè alba, quæ violenter educuntur, mala ſunt; materia enim, quæ reſiſtit eductioni, multò magis reſiſtit concoctioni, & concoctio materiæ cum dictis conditionibus eſt mala, quia tales conditiones difficilem reddunt illius expurgationem, & bona concoctio ita præparat materiam, ut facilis ſit eductionis; eadem leges *lib. Prænot. n. 23.*

Quoad curationem, ſequor methodum traditam *ab Hipp. in lib. cit. de morb.* ubi curationem deſcribit convenientem unicuique differentiæ Anginę. Primò tamen preceptum Hipp. pręmittam, quod cenſeo generale in curatione cujuslibet Anginę, & eſt miſſio ſanguinis, ab Hipp. determinata ratione plenitudinis particularis in partibus affectis, & inflammatis faucium, quę cùm reperiatur in omni Angina, tale pręceptum tamquam generale eſt admittendum; *lib.* enim *de rat. vict. in acut. n. 39.* ubi agit de cauſis Anginę, & de ejus curatione, hæc habet: *Præciſa enim Uva, quam aliqui Columellam vocant, vena craſſa ab utraque parte eſt. Cùm igitur hæ plenæ ſunt, & in linguam innitantur, quæ rara eſt, ac ſpongioſa propter ſiccitatem contingit, ut ipſa præ violentia humorem ex venis ſuſcipiens, ex lata fiat* rotun-

rotunda, ex benè colorata livida, ex molli dura, ex facilè flexibili inflexibilis, adeout æger citò ſuffocetur, ſi non quis citò auxilium ferat. Venæ ſectionem à brachiis faciens, & venas ſub lingua ſecans. In hac ſententia clarè admittit plenitudinem in Angina, cùm ait, *Cùm igitur hæ* (hoc eſt venæ Uvæ, & Columellæ) *plenæ ſunt;* & cùm prædictæ venæ connexionem habeant cum venis muſculorum Laryngis, & faucium, ex plenitudine illarum deducitur plenitudo iſtarum, omnia ſymptomata linguæ enarrata plenitudinem confirmant. Et cùm ſententia Hipp. de cauſa Anginæ, & curatio ſit univerſaliter concepta, ait enim in principio text. *Angina fit*, ſine ulla diſtinctione differentiarum, quomodo fecit *in lib. 2. de morb.* & ſymptomata, quæ recenſentur de lingua, reperiantur in omni differentia Anginæ, ſi hæc à plenitudine naſcuntur, plenitudo erit in omnibus differentiis Anginæ, & conſequenter venæ ſectio conveniet in omni Angina. Ab eadem ſententia colligo venæ ſectionem exercendam eſſe, ut remedium evacuativum, & plenitudinis minorativum, & ut revulſivum, & ut derivativum. Omnis enim miſſio ſanguinis iſtius quantitatem minuit evacuando, tamquam remedium revulſivum exercetur, dum à brachiis emittitur, quæ à partibus affectis in faucibus diſtant, & revulſio eſt ductio ſanguinis ad partes diſtantes. Tamquam derivativum remedium adhibetur, dum venæ ſub lingua ſecantur, cùm derivatio ſit eductio ſanguinis à parte propinqua parti affectæ. Quantitatem ſanguinis mittendam explicitè non determinat Hipp. implicitè tamen multùm ſanguinis detrahendum eſſe demonſtrat, cùm à brachiis miſſionem imperet, & à venis linguæ, & miſſio ſanguinis à pluribus partibus magnam quantitatem ſanguinis mittendam connotat; hæc tamen determinanda à virium robore, ætate, habitu corporis, ut adnotavit *Hipp. in lib. de vict. rat. in acut. num.* 34. In Angina ergo adeſt indicatio mittendi ſanguinem, quia hic debet minui, revelli, & derivari. Idcircò in prima differentia Anginæ ab Hipp. deſcripta *cit. lib. 4. de morb. n.* 26. mittendus ſanguis à brachiis, à venis ſub lingua, quia in hac locum habet univerſalis doctrina Hipp. explicata, licèt nullam in hoc loco de miſſione ſanguinis mentionem faciat, ſed ſatis eſt univerſalem doctrinam exhibuiſſe pro adminiſtratione hujus remedii. Cucurbitas vertebris colli affigit primò, & etiam juxtà aurem ab utraque parte, & ad multum tempus affixas detineri jubet, deraſo priùs capite, ut inſenſibilis tranſpiratio copioſior evadat. Ratio hujus remedii fundata eſt in fine promovendi fluxum humoris à partibus internis ad externas, cùm videamus expulſionem factam à natura ad partes externas pectoris, colli, & cervicis Anginam mitiorem, & ſalubriorem facere, & talis retractio ad partes, quibus affiguntur Cucurbitulæ, dicitur interceptio, quia ſunt ſupra partes affectas, & applicatio Cucurbitularum retro aures magis convenit, quia ibi ſunt glandulæ parotides dictæ emunctoria cerebri, cum manifeſtis viis pro humoris fluxu, ad quas vocatur ope Cucurbitularum. An Cucurbitulæ ſiccæ, vel ſcarificatæ apponendæ ſint, non declarat Hipp. ſiccas tamen imperare deducitur ab eo, quòd per multum tempus adhærere parti, cui affiguntur, jubeat in collo tamen ſcarificare proprium, cenſerem, quia plenitudo partium circa fauces minui poteſt. *Zacutus lib. 1. Praxis Admir. obſerv.* 94. narrat, *Mulierem Angina canina affectam, cucurbitula ſub mento ſcarificata convaluiſſe.* Hac ratione Veſicatoria etiam poſteriori parti capitis applicata probantur.

Purgantia non recenſet Hipp. & rejiciuntur ab ejuſdem ſententia *in lib. de vict. rat. in acut. num.* 36. deſcripta, in qua medicamentum purgans in principio inflammationem prohibet; quia purgatio ab inflammata parte nihil detrahit, cùm materia ſit cruda, & vires, quæ morbo reſiſtunt, debilitet, & iſtarum debilitas morbo vires auget, & concoctionem humoris fixi, opus ſolius naturæ, vel impedit, vel valdè retardat, medicamenta etiam purgantia fermentationem in maſſa ſanguinea, & aliqualem diſſolutionem, & diſgregationem humorum patientia hos diſponunt, ut uberiori fluxu ad partem affectam fluant. Lenientia, cùm humores primarum viarum ſolùm expurgent, inflammatis faucibus nihil opitulantur, nec ab humorum ſtagnantium pondere ſublevant; *Trallianus* tamen *lib. 4. cap.* 1. purgationem exercet etiam eodem die, poſt duas ſanguinis evacuationes, & hunc major pars Medicorum ſequitur, purgantia poſt venæ ſectionem præſcribendo; ſententia tamen Hipp. rationi magis conſona videtur, ob rationem ſuperiùs dictam. Si verò alvus non egerat glandem, vel clyſterem admittit *Hipp.* & ſi, *lib. 2. de morb. num.* 11. purgationem admittit, ibi loquitur de levi Angina, quam ſuperiùs diximus eſſe quandoque ſine febre, & inflammatione, prout apertè demonſtrat textus. Eadem ratione vomitiva in Angina rejiciuntur, ſed etiam quia à vomitu intumeſcunt fauces, & vaſa in eis exiſtentia, ex quo imminet copioſus fluxus materiæ ad partem inflammatam; ubi verò tumor in faucibus ad ſuppurationem pervenerit, vomitu rumpitur, ideò in hunc finem vomitiva convenire poſſent, & non proficientibus aliis remediis pro ruptione tumoris, vomitivis utendum.

Poſt univerſalia devenit Hippoc. ad præparationem materiæ in inflammata parte fixæ, & eſt altera indicatio ab Hipp. elicita pro curatione hujus differentiæ anginæ. Præparationem aggreditur ſuffumigio, parato cum *Origano*, *Naſturtii ſemine*, *Nitro*, *& trita imponit in pari quantitate Aceti*, *& Aquæ*, *cum pauco Oleo in ollula*, *hanc ſuper prunas collocat*, *cum operculo*, *& arundine cava ollulæ immerſa*, *fumum per calorem ignis exhalantem per os excipere jubet*, *ita tamen ne fauces adurat.* In hujuſmodi remedio latet conſilium facta inflammatione repellentia non eſſe adhibenda, ſed cum Hipp. reſolventia, & attenuantia perſcribenda, qualia ſunt *Naſturtium*, *Origanum*, *& Sal nitrum*; & ſi rectè perpendamus naturam repellentium, diſſolventium, & attenuantium, cognoſcemus illa in Angina facta, eſſe impropria, iſta verò proficua, cùm, ut plurimùm vocetur Medicus, inflammatione jam facta, repellentia incraſſant, fixant humores, ex quo concoctionem difficiliter admittunt, & hac retardata in hoc morbo, ubi adeſt difficultas reſpirandi, & deglutiendi magna, momentum, ut ita dicam, durationis morbi mortem inferre poteſt. Reſolventia, & attenuantia, reſolvendo materiam in parte inflammata collectam minuunt, attenuando ad concoctionem citiorem diſponunt, quæ duo maximè conducunt curationi Anginæ, conſequenter iſta medicamenta ſunt rationi magis conformia. Et ſi addit Hipp. Acetum, non repulſionis materiæ gratia addit, ſed ut ab Aceto materia in parte inflammata incraſſata incidatur, & ut ſputum difficile in Angina, facilè reddatur, cùm obſervemus Aceto ore ſumpto, & alio liquori mixto pro collutione materiam viſcoſam oris partes inviſcantem facillimè ſeparari, & frequentem excitari expuitionem; prætermiſſis ergo repellentibus in Angina, Hipp. documento eruditi, attenuantia, & reſolventia ad uſum reducamus. Ad imitationem Hipp. *Aetius* utitur *Gargariſmo ex Sinapi*, & gloriatur ægros ſæpè à periculo liberaſſe. *Rondeletius* utitur *Loch*, *compoſito ex Pipere* ℥. ß. *Croci*, *Myrrhæ an.* ℈. *i. Mel* ℔. ß. *M. F. Loch.* Et *Schenkius lib. 2. obſerv.* laudat *Aquam florum*, *& foliorum Cherefolii; decoctum parari poteſt ex eadem herba. Stercus Canis oſſibus nutriti*, *modo deſcripto in meo Syſtemate*, *efficaciſſimum eſt remedium*, ratione ſalis volatilis, & ſulphuris in ſtercore exiſtentis, & in oſſibus de alkali participantibus, à quo acidum coagulans humores in inflammatione deſtruitur, & ob volatilitatem ejuſdem ſalis, & ſulphuris materia fixata in loco inflammationis attenuatur, & ad concoctionem, & maturationem diſponitur. *Pulli Hirundinum non deplumati*; *Sale aſpergantur*, *in olla comburrantur*, *& cinis horum exhibeatur*, *cum Melle mixtus pro lambitivo.* His adjungit Hippoc. *Gargariſmum ex Origano*, *Satureja*, *Apio*, *Mentha*, *& modico Nitro*, *cum Aqua Mulſa aquoſiore*, *& modico Aceto inſtillato*; & ad Hipp. imitationem omnia ſimplicia Cœphalica Anginæ opitulantur, ob rationem ſuperiùs allatam, nec timendum calore horum ſimplicium inflammationem augeri, prout timent Medici aliqui in Hipp. doctrina non inſtructi, quia principium eſt in medicina non auferri morbum, niſi ablata cauſa, ſed cauſa inflammationis in Angina immediata, eſt humor fixus, incraſſatus, & ſtagnans; ergo humor hic attenuandus, & fluidus faciendus, quod non obtinetur refrigerantibus, ſed attenuantibus, & volati-

lati-

latilibus, quæ ſunt calida. Calor in inflammatione eſt quid conſequens ſtagnationem humoris, & ejuſdem effervefcentiam, & fermentationem, & putredinem; aliqui timent calorem, qui eſt effectus, non cauſam, quæ eſt ſtagnatio humoris, & obſtructio vaſorum, per quæ tranſire deberet ſanguis, & refrigerantibus caloris moderationi ſtudent, non timendo cauſæ inflammationis augmentum, cùm refrigerantia obſtructionem conſervent, & contumaciorem reddant, & humorem fixum ſtagnantem magis reſtringant, & addito velut compede coerceant in parte, cum magno ægrorum detrimento. Per calida, & volatilia ſtagnans humor ſolvitur, fixus liquefit, obſtructio tollitur, inflammatio ſolvitur, calor extinguitur, quia aufertur cauſa caloris. Totum hoc experientia corroboratur; nam Eriſipelas Spiritu Vini curatur, & calor illud conſequens à Spiritu vini calido extinguitur, quia cauſam Eriſipelatis tollit, vel poros aperiendo, ut humor fixus tranſpiret, vel impedimentum circulationi ſanguinis obſiſtens auferendo, & acidum humoris inflammationem parientis extinguendo. Remedii calidi utilitatem in inflammatione externa obſervamus, & in interna remedii calidi uſum rejiciemus?

Remediis internis addit externa Hipp. *& forinſecus ſpongias aqua calida imbutas genis, & maxillis apponit*, ad humoris fluentis revulſionem, & ad fixi diſcoagulationem; huic addit *Succum Apii, qui cum mica panis calidi, cum Melle, faucibus externè applicatus, mirè ſolvit Anginam; decoctio etiam dictorum ſuperius Cœphalicorum. Nidi Hirundinis pulverizati, Melle Anacardino, & Theriaca mixti, Anginæ conferre expertum eſt.*

Ulteriùs etiam progreditur Hipp. & duo conſiderat ſymptomata: Primum eſt ſalivæ ſuppreſſio, & ſputum impeditum, cui medetur *Myrti ramulo complanato, & tenera ipſius ſumma parte incurvata, ac molli lana obvoluta in fauces immiſſa*, qua mucoſitas faucibus adhęrens abraditur. Omnia interna, quæ incidunt, ut *Mel Scilliticum, Vinum etiam dulce, leve, & Loch ſuperiùs deſcriptum* conveniunt. Alterum ſymptoma eſt inflammatio extra converſa, cui *Betas aqua frigida tinctas*, hoc eſt, aquæ immerſas, & parùm humectatas applicat; quod remedium videtur rationi repugnare, & eſſe periculoſum, cùm à frigiditate repelli poſſit ad internas partes humor ad externas propulſus, cum pernicie ægri. Sed cum Hippocrates hujuſmodi remedium adminiſtret, poſtquam inflammatio foras converſa fuerit, ut apparet à textu, remedium eſt rationi conforme, & tutum, quia cùm inflammatio tota converſa eſt foras, agendum eſt omni ſtudio, ne intus retrocedat, quod obtinetur cum dicto remedio, aqua incraſſante humores, & motum iſtorum impediente, quæ duo retroceſſionem impediunt; tingit enim ſolùm Betas aqua, ut retropellendi virtus in parva quantitate aquæ deficiat, vel ut ab aqua Betæ nitroſitas irritativa, qua ejus ſuccus per nares attractus ſternutationem provocat, moderetur, ne conjunctum hoc irritamentum cum illo humoris fluxi pars externa ulceretur. De hoc remedio alia vide apud *Mart. cit. lib. verſ. 29.* Beta calore, & ſiccitate, qua donatur ſiſtentem in parte externa, humorem reſolvit. Hæc duo, nempè prohibitus retroceſſus humoris ad interna, & reſolutio ejuſdem, integram Anginæ ab internis ad externa tendentis curationem præbent. Hinc documentum accipimus, in inflammationibus internis ad externas partes converſis terminato humoris motu, hunc eſſe incraſſandum, ne denuò intus recurrat, & reſolvendum; ideò frigida cum reſolventibus miſcenda, vel hæc actu frigida applicanda.

Curatio ſecundæ differentiæ, non eſt diſſimilis ab iſta, cùm ſit inflammatio, cui eadem proſunt remedia; ſolùm in hac addit *frigidæ aquæ potum*, ad faciliorem excreationem pituitæ. Magna hic oritur difficultas, quia in præcedenti Angina tepidas oris collutiones excreationem imperat, in præſenti frigidum potum ad excreationem promovendam proponit. Pro hac tollenda advertendum eſt, in priori Angina eſſe ſalivas paucas, & duras, aqua calida duritiem emollit in fluidis incraſſatis, & ad excreatum faciliores facit, quantitatem auget ſalivæ, calore vias, per quas excernenda eſt dilatando, humorem ſalivalem fundendo, conciliata huic, & humori impacto in parte inflammata fluiditate: in preſenti caſu ſputum eſt multum, & craſſum, non durum, & potum frigidæ exhibet, quia ab hac etiam craſſities tollitur ſalivæ per mixtionem aquæ cum ea; aqua enim mixta liquoribus craſſis fluiditate carentibus, hos ad fluiditatem reducit, aqua frigiditate irritat muſculos excretioni ſalivæ inſervientes, & ab irritamento augetur eorum vis pro excretione.

Curationem tertiæ differentiæ dirigit Hipp. ad reſolutionem humoris tumorem poſterioris partis linguæ efficientis, quam promovet *Linimento parato cum Mentha viridi trita, Apio, Origano, & Nitro, & Rhoe rubro*, ideſt *Sumach, & Melle q. ſ. pro Linim.* quo linguæ tumor illiniendus. Si reſolutio tumoris non ſuccedat, ſed à dicto remedio attenuante, & fermentationem promovente, materia ad ſuppurationem diſponatur, utitur *Decocto Ficuum*, cui *de Rhoe parùm trito* fuerit adjectum, & hoc pro gargariſmate utitur, & oris collutione, ſi gargarizatio à tumore, & dolore impediatur, vel aqua, in qua farina macerata fuerit. Ab his omnibus ſuppuratio promovetur. Pro hac intentione plura formari poſſunt remedia. Externè applicat *Emplaſtrum ex Farina in Vino, & Oleo cocta*, cervici, & maxillis, & panes calidos apponit; eſt enim Angina, quæ ad ſuppurationem tendit, in loco ſub tonſillis, ut aſſerit *Hipp. in textu*, ideò omnia ſuppurantia externa, & interna conveniunt; ſi verò tumor ſuppuratus non rumpatur, arte ſecetur, *conſilio Hipp.*

Quoad diætam, nullam aliam in tribus hiſce Anginæ differentiis regulam intueor, niſi in prima ubi ait: *Sorbeat autem Ptiſanæ ſuccum, & aquam bibat*; quæ regula eſt victus exactè tenuis, obſervanda in omni Anginæ differentia, cùm ſit morbus exactè acutus, & aliquando peracutus.

C A P. II.

De Peripneumonia.

Peripneumonia eſt affectus pulmonum, qui definitur: *Inflammatio pulmonum, cum febre acuta, ſpirandi difficultate, & tuſſi.*

Inflammatio pulmonum fit eodem modo, quo fit inflammatio in faucibus, à ſanguine nempè ſtagnante in ſubſtantia pulmonum, effervefcente, & putreſcente, quod inſinuavit *Hipp. lib. 1. de morb. n. 24.* ſcribendo: *Poſtquam autem attraxit* (ideſt pulmo) *in ſe ipſum, & tum bilis, tùm pituita ſedem in pulmone occupavit* (ecce ſtagnatio ſanguinis in pulmonibus) *putreſcit, ac ſuppuratur*. Stagnat ſanguis, quia impedimentum obſtructionis adeſt, vel in vaſis diſperſis per ſubſtantiam parenchimatis pulmonum, quæ multa ſunt, & in vaſis capillaribus, quibus veſiculæ pulmonares donantur, & ab eis circumligantur. Veſicularum affectio eſt ſemper Peripneumoniæ conjuncta, quia adeſt anguſtia pectoris, & difficilis reſpiratio, quæ ab affectione præternaturali veſicularum oriuntur; poſſunt autem affici ſine propria inflammatione, ſi inflammatio parenchimatis pulmonum, cum tumore, vel vaſorum turgentia veſiculas comprimat, ut à ſuo munere inſpirationis, & expirationis aeris divertantur. Hinc patet, ſubjectum Peripneumoniæ eſſe ſubſtantiam pulmonum, quod ex *Hipp. lib. de loc. in hom. num. 24.* colligimus, ubi habet: *Et ubi quidem in totum fluxerit* (ideſt humor, de quo ſuperiùs) *in pulmonem, extremitas ejus major reddita, utrumque latus contingit; & peripneumoniam pulmonis appellatum morbum facit;* totus ergo pulmo, vel illius duo lobi inflammati, ex Hippoc. ſunt ſubjectum Peripneumoniæ.

Sanguis, oppoſito impedimento, ſtagnans, ſi motum circulationis amittit illum ſuarum particularum eſſentialium, & integrantium conſervat; imò à prohibito curſu, & motu hic auctus, ob diſpoſitionem ad putredinem effervefcit, & ebullit, intenſèque calefit, & ſanguinis in vicinis partibus exiſtentis calorem augendo, in præternaturalem, & igneum commutat. Ob viciniam etiam pulmonum cum corde, hoc valdè incaleſcit, ſanguinemque per iſtud circulantem ita accendit, ut febris excitetur. Putreſcens in impedito loco ſanguis putridos vapores in circulantem per alias pulmonis partes ſanguinem inſpirat, quorum fermentativa virtute valida,

ſummè fermentatur tota maſſa ſanguinis, ideòque maximè diſponitur ad febrilem calorem in corde accendendum.

Tuſſim parit materia ſtagnas in vaſis pulmonum, horumque poroſitatibus, cùm in cavitates bronchiorum, & veſicularum exſudarit, vel per aperta capillarium orificia in illas transfuſa fuerit, & ſubſtantiam illarum mordicaverit, & vellicaverit acrimonia à ſtagnatione, & putredine concepta; mordicatione enim, & vellicatione membranoſa bronchiorum, & veſicularum ſubſtantia convulſivos motus patitur, qui ſunt tuſſis eſſentialia conſtitutiva, ut videbimus de Tuſſi.

In principio eſt ſicca tuſſis, ob materiæ fluiditatem nimiam exſudationi quidem aptam, excreationi verò incongruam, dum materia nimis fluida tuſſis conatus deludit, à motu materia fluida in varias partes bronchiorum diſperſa, non excreta, ſed in eiſdem remanens, acrimoniæ vim magis, atque magis in partem ſentientem exercet, cum tuſſi continua ſicca, quæ tunc humida fit, cum materiæ irritantis ſcreatu, quando hæc incraſſata motum tuſſis ſine ſui diffuſione ſuſcipit, eique obtemperat, demonſtratam viam perficiendo.

Cauſam fluxus ſanguinis ad pulmones tribuit *Hipp. in cit. lib.* 1. *de morb. num.* 24. calori pulmonis, ſcribendo; *Pulmo, cùm præ caliditate traxerit in ſe ipſum de vicinis locis, ad ea, quæ jam ſunt in ipſo* (hoc eſt traxerit humores, ubi alii præexiſtebant.) Quælibet pars calefacta majorem copiam humoris, & ſanguinis ſuſcipit, & attrahere dicitur, modo in ſuperioribus explicato, ob dilatationem vaſorum à calore factam; quæ, cùm non poſſit reaſſumi à venis, ibi fixatur, & ſtagnat, non verò in alia parte, quia poroſitates, & vaſa non ſunt ita dilatata, ut recipiant ſuperfluam copiam ſanguinis, & hæc eſt indiſpoſitio, per quam pulmones, non aliæ partes inflammationem patiuntur. Hac de cauſa à febre Synocha Peripneumonia oritur, & à ſputo ſanguinis, quia in utroque morbo ſanguis copioſo fluxu pulmones irrigat. Hinc omnia, quæ intensè pulmones calefaciunt, inflammationis illorum cauſæ remotæ ſunt, magna vociferatio, potus vini generoſi, crapula, hac ratione pulmones inflammant.

Alteram cauſam deduco ex verbis *cit. loc. Hipp.* quæ ſunt: *Poſtquam autem bilis, tum pituita ſedem in pulmone occupavit.* Humorem occupare ſedem eſt figi, coagulari, & ſtagnare in aliquo loco; quatenus enim fluit circulando, non dicitur humor occupare ſedem, cùm tranſeunter partem pervadat. Occupat verè partem, quia in ea ſtationem ponit.

Cauſam hujus ſtationis habemus in ſanguine craſſo, acido, in ejuſdem copia, in pituitæ abundantia, & craſſitie. Cur verò in pulmonibus, & non in aliis partibus inflammatio excitetur, cùm per omnes partes talis conditionis ſanguis circuletur, non alia ratione explicari meo judicio poteſt, quàm ſuperiùs allata, nempè ſanguinem ad pulmones excalefactos in majori copia fluere, quàm ad alias, unde in iſto impedimentum motui ſuo ſtruit. Hanc ſanguini craſſitiem, & aciditatem impertiuntur omnia alimenta, & medicamenta incraſſandi facultate donata, omnia acida immoderatà in immodica quantitate aſſumpta: Ventus aquilonaris ſanguinem valdè incraſſat, vel frigiditate, vel ſalina aciditate, qua aliqui volunt eſſe imbutum; ita potus frigidus poſt excandeſcentiam pulmonum; aquas paluſtres Peripneumoniam efficere voluit *Hipp. lib. de Aere, Aq. & Loc.* quia cùm ſint craſſæ, craſſum etiam ſanginem reddunt. Copiam ſanguinis augent in toto victus valdè nutritivus, & copioſus, vita ſedentaria, ſuppreſſa aliqua ſanguinis evacuatio, in parte, nempè in pulmone, magna vociferatio, exercitium violentum, iræ exceſſus.

Signa Peripneumoniæ ab *Hipp.* deſcribuntur *lib.* 3. *de morb. n.* 16. *Febris acuta, reſpiratio frequens, halitus calidus, anxietas, impotentia,* per impotentiam Paralyſim denotat, quam aliquando Peripneumoniæ ſupervenire docuit experientia, quia ſanguinis craſſities, & aciditas, quæ valuit obſtruere vaſa pulmonum, obſtruit in capite orificia aliquorum nervorum, & hoc modo explicatur, quomodo fiat tranſitus dictus Peripneumoniæ in Paralyſim; *jactatio, dolor ſub ſcapulis ad claviculam, & mammam;* & ad diſtinguendam Pleuritidem à Peripneumonia, ait *Hipp. lib. de loc. in hom. n.* 25. in hac *dolores* in dictis partibus multò *fortiores* eſſe, & gravitas in pectore, quandoque delirium.

Saliva primò ſpumoſa, lingua flava, progreſſu temporis nigra; & *lib.* 1. *n.* 24. *dolorem in dorſo, coſtis, humeris, ac ſpina;* hæ partes dolore afficiuntur, quia membrana pulmonum connectitur, cum membranis muſculos dictarum partium tegentibus, quapropter illa inflammata, hæ compatiuntur, & inflammationis effectus experiuntur; additur *rubor genarum, pulſus magnus, plenus, undoſus, anguſtia pectoris, dolor pectoris gravativus ſpinam quaſi attingens;* horum omnium cauſa explicatur per congeſtionem ſanguinis in pulmonibus, ejuſdem efferveſcentiam, & fermentationem.

Differentias principales, & animadverſione dignas duas notat Hipp. Peripneumonia *ſicca*, alia *humida*. De prima locutus eſt *in lib.* 1. *de morb. n.* 26. ſcribendo: *Peripneumonia verò, cùm pulmo etiam ipſe ſuperſiccatus fuerit, & quantum in ipſo ineſt bilis, aut pituitæ, neque putrefacit æqualiter, neque per ſputum reddit, & quantum in ipſo eſt humiditatis, aut à potu, aut à ſorbitione, aut à vicinis locis hoc totum exurit, præ nimia ſiccitate, ac caliditate.* Hujus Peripneumoniæ ſigna inferiùs recenſet in illis verbis, *Si enim ſputum non rejecerit, & durior fit, & coareſcit.* De humida locutus eſt *lib.* 3. *de morb. n.* 16. ubi, loquendo de Peripneumonia, ſcribit: *Et per hoc tempus tuſſit vehementer, & unà cum tuſſi purgatur, primùm ſaliva multa, & ſpumoſa, ſeptima verò, & octava die, ubi febris in vigore fuerit, ſi humida ſit Peripneumonia, craſſior prodierit, ſin minus non.* Signa hujus Peripneumoniæ in hac ſententia expreſsè continentur.

Cauſa ſiccæ eſt nimia caliditas, ut habetur in cit. ſententia, & inclinatio humoris ad exſiccationem pro ſui denſitate, & craſſitie. In Peripneumonia adeſſe humorem natura inflammationis exigit, cui ſiccitas non eſt tribuenda, niſi reſpectu craſſitiei, & conſiſtentiæ, reſiſtentiæque concoctioni, & expulſioni. Cauſa humidæ erit caliditas minus intenſa, & humor magis fluidus, & exſiccationi reſiſtens.

Signa prognoſtica ex *Hipp. in lib. Coac. prænot.* ſunt: *Quibus in Peripneumonia urinæ craſſæ in principio, deinde ante quartam diem attenuantur, lethale eſt,* quia natura deſiſtit ab humoris craſſi expurgatione, & hoc retento inflammatio augetur. *Quibuſcumque ex Peripneumonia abſceſſus circa aurem, aut ad infernas partes fiunt, & ſuppurantur, & fiſtulantur, hi ſuperſtites evadunt;* & rationem reddit dicendo: *Fiunt autem his, quibus & febris, & dolor affuerit, & ſputum pro ratione non prodierit; per abſceſſum enim purgatur materia, per ſputum evacuanda, gravedines, & ſternutationes in morbis circa pulmonem anteceſſiſſe, & ſuccedere malum; reliquis autem morbis ſternutatio non incommoda eſt,* quia ſternutatio ſupponit in capite materiam irritantem, acrem, mordacem, calidam, quæ in pulmonum inflammatione majorem acrimoniam, & caliditatem contrahens diſponitur ad inflammationem cerebri gignendam; unde *Hipp.* 7. *aphor.* 1. dicebat: *Ex Peripneumonia Phrenitis, malum*; & *in lib.* 3. *de morb. num.* 16. *In Peripneumonia, ſi ſaliva inſuavis ſit, ſtatus morbi lethalis eſt,* quia inſuavitas malignam putredinem, & partis corruptionem denotat. *In lib.* 6. *aphor.* 16. *A Pleuritide, & Peripneumonia alvi profluvium, malum,* quia hoc difficilem reddit expurgationem per ſputum, non ſolùm quia tenuiori parte humorum expurgata per alvum craſſior in pulmonibus remaneat conatui naturæ reſiſtens, ſed etiam quia debilitata natura à tali purgatione ſpontanea, concoctionem, & evacuationem materiæ in pulmonibus exiſtentis per impotentiam prætermittit. Et *in lib. de Coac. prænot. Peripneumoniæ ex Pleuritide tranſmutatæ ſecuriores ſunt, his, quæ ex initio fiunt,* quia materia in Pleuritide aliqualem ſuſcepit concoctionem, quæ perficitur facili negotio in Peripneumonia, & etiam quia materia ab una parte in aliam tranſmiſſa fluiditatem arguit, qua ejus expurgatio facilè perficitur. Et eodem loco: *Qui in Peripneumoniis ſiccis pauca concocta educunt, horrenda res eſt,* quia materia concocta, quæ expurgari non poteſt, vel omninò fractum naturæ robur, vel invincibilem materiæ reſiſtentiam oſtendit. Et in eodem loco: *In Peripneumo-*

pneumoniis ſiccis in pectoribus rubores ſublevati iis, qui pauca concocta educunt, *pernicioſi*, quia ſignum eſt materiam tenuiorem, & magis activam expurgationem per ſputum multum coadjuvantem ad externa expelli, relicta craſſiori, & minus activa in pulmonibus, cujus expurgatio erit impoſſibilis. Et *in lib.* 1. *de morb. n.* 10. *Si Peripneumonia correptus in judicatoriis diebus non purgetur, ſed relinquatur in pulmone ſputum, ac pituita, ſuppuratus fit*, materia retenta in pus converſa. Et *lib.* 3. *de morb. n.* 17. *Si ſaliva non probè purgetur, & ſpiritus fuerit frequens, & purgatio non prævaleat, prædicendum nullam ſpem vitæ reliquam eſſe*. Et *in lib. de rat. vict. in acut. n.* 53. *At ubi in vigore eſt Peripneumonia auxilium non admittit, ſi non expurgetur, & malum eſt, ſi æger difficulter ſpiraverit, & urinæ tenues, & acres, & ſudores circa collum, & caput fiant.*

Curationem Peripneumoniæ aggreditur Hipp. à ſanguinis miſſione; *lib.* enim *de vict. rat. in acut. n.* 52. ubi loquitur de curatione Pleuritidis, & Peripneumoniæ, hæc habet: *Siquidem dolor ſurſum tendit ad claviculam, aut circa mammam, & brachium, venam in brachio ſecare oportet internam, utra tandem fuerit parte in ea ipſa* (& determinat locum, à quo mittendus ſanguis, nempè à latere affecto); & ratio eſt, quia Medicus ab ægro non vocatur, niſi facta, & perfecta inflammatione, in qua locum non habet revulſio, ſed ſolùm derivatio, quæ à latere affecto exercenda. Per ſectionem etiam venæ in latere affecto trahitur copia ſanguinis ad locum affectum, cujus ſpiritus ob copiam valde activus impetum faciendo in obſtaculum circulationem ſanguinis impediens, inflammationemque pariens, illud ſuperat, vel minuit, cum ablatione, vel minoratione inflammationis. *Detrahere verò ſanguinem juxta corporis habitum, & tempus, & ætatem, & dolorem plus, & confidenter, & ſi acutus fuerit dolor, ducere uſque ad animi deliquium.* Ibi determinat quantitatem ſanguinis menſurandam à virium robore, & à dolore; ubi hic fuerit acutus, & virium robur validum, educit uſque ad animi deliquium, quia dolor acutus multitudinem ſanguinis ſtagnantem demonſtrat, cum plenitudine particulari pulmonum, cui magna miſſio ſanguinis opponitur, per quam tumor, & plenitudo minuatur, cum doloris mitigatione; ideò *Hipp. lib.* 1. *de morb. n.* 25. ubi in Peripneumonia miſſionem ſanguinis proponit, ait: *Ab hac dolorem lateris molliorem, & leviorem fieri*; & rationem reddit, dum ait: *Nam vena, quantum in ipſa eſt bilis, & pituitæ, & ſanguinis ægrotantis, unà cum his magnam partem* (hoc eſt cum bile, & pituita) *dimittit*, hoc eſt magnam partem ægrotantis ſanguinis. Ab hac Hipp. ſententia deduco, in Peripneumonia, ubi dolor mitis eſt ad claviculam, minus ſanguinis eſſe mittendum.

Poſt miſſionem ſanguinis clyſterem imponit, & medicamentum purgans poſt quartam diem exhibet, ſi à miſſione ſanguinis, & à clyſteri non allevietur; quod confirmavit etiam *lib.* 3. *de morb. n.* 17. ubi habet: *Alvum autem in primis quatuor, aut quinque diebus ſubducere oportet, & hoc paulò ampliùs* (hoc eſt poſt quintam etiam diem) *quo febres obtuſiores ſunt, & dolores leviores*. Magnum hoc eſt conſilium Hipp. quod repetit *cit. lib. de vict. rat. in acut.* quo purgatio in Peripneumonia non admittitur, niſi ad febris, & doloris remiſſionem; cùm autem hæc non ſit conceſſum conſequi, niſi materia in loco inflammationis, & pulmonibus concocta, ideo ad quartam, quintam, & ampliùs diem purgatio defertur, à qua, evacuata materia in dictis diebus concocta, febris obtuſior, & dolor mitior fit. Hoc conſilium concordat cum præcepto nobis relicto *in cit. lib. de rat. vict. in acut. n.* 36. ubi rejicit, & damnat purgationem in principio inflammationis, quia materia eſt cruda, ubi verò eſt concocta locum non habet purgationis damnatio; talis concoctio in inflammatione, poſt quartum, vel quintum diem apparet; ideò tunc purgatio convenit; Signum hujus concoctionis, eſt ſputi per tuſſim ejectio. Hoc conſilium plebs Medicorum non attendit, cùm febre, ſua adhuc acutie deſæviente ſtatim poſt ſanguinis miſſionem, & etiam quandoque ante purgans exhibet.

Purgationis modum inferiùs recenſet *in cit. n.* 17. *de morb. libr.* 3. purgationem copioſam damnando, ratione deſumpta à ſuppreſſione ſputi in Peripneumonia ſuperveniente, alvi fluxu copioſo, cum mortis acceleratione, quam *in quinta* pronunciat Hipp. & rationem reddit his verbis: *Infra enim ſecedente humore ſupernæ partes reſiccantur, & ſputi purgatio ſurſum non prodit*; deindè concludit, *Oportere infernam alvum neque valdè ſuppreſſam eſſe, ut ne febres ſint acutæ* (nam particulæ fermentativæ excrementorum fermentationem febrilem augent) *neque valdè egerere, quo ſaliva ſurſum educi poſſit, & æger viribus valeat*. Hæc verba regulam purgationis in Peripneumonia præſcribunt.

Poſtquam evacuatus fuerit (ideſt poſt ſanguinis miſſionem) *infernam alvum tertio quoque die eſſe commovendam* monet medicamento leni, & interpollatis vicibus exhibito, & rationem reddit, *Ut corpus potens ſit* (intellige morbum ſuſtinere) *& ſupernæ regiones humoris exortes* (hoc eſt, ſupernæ regionis humores deficiunt.) Hæc duo ad Peripneumoniæ curationem ſunt neceſſaria, & per levem, & Epicraticam purgationem obtinentur.

Ulterius in primis diebus ante purgationem conſulit *Hipp. cit. text. Caput levius facere, ut nihil ab eo fluat ad pectus*. Hoc conſilium reſpicit fluxionem humoris à capite ad pulmones, & ampliandum ad gravedinem capitis, dolorem, & aliam affectionem Peripneumoniam antecedentem, à quibus capitis affecti ſigna deducantur; & hoc conſilium maximè ſequendum, ſi cum Antiquis admittatur via fluxionis à capite ad pulmones, & pro hoc faciunt illa de Angina dicta.

In primis diebus etiam (ſunt verba Hipp.) *ſorbitiones ſint dulciores, ſic enim quòd conſedit, & compactum eſt potiſſimum elueris* (hoc eſt attenuaveris) *ac commoveris*. In hunc finem *cit. lib. de rat. vict. in acut. Acetum mulſum* exhibet, *in lib.* 3. *de morb. Dulcia* præſcribit. Per *ſorbitiones* poſſumus accipere *lambitiva*, quæ communiter præſcribuntur pro expectoranda materia, & etiam quæ loco alimenti exhibentur. In horum genere ſunt *Decocta Hordeacea, Avenacea cum Melle*, & hæc ſunt loco alimenti exhibita, cùm in principio inflammationum partium principalium victus exactè tenuiſſimus conveniat.

Lambitiva debent habere conditiones ab Hipp. expreſſas, nempe virtutem attenuandi, & commovendi, ideſt educendi; ut

℞. *Syr. de Liquir.*
De Hybiſc. } *a.* ℥. *i.*
Aquæ Farf.
Capill. Ven. } *a.* ℥. *iii.*
Spir. Sal. Armon. gutt. iiii. M.

Vel *Decoctum Ficuum, Jujubarum, Liquiritiæ, Althea, Paſſularum edulcoratum cum Syr. de Hybiſco, vel Farfara, vel Oxymel. Saccharino*. *Decoctum pectorale, cum Spir. Camphoræ*, eſt valdè utile; ſicut *Decoctum Scabioſæ, Capill. Ven. Urticæ, cum Syr. de Hybiſco, vel Eſſentia Croci, & Spermate Cæti*, & hæc innuit *Hipp. in lib. de rat. vict. in acut. n.* 53. ubi medicamenta lambitiva, & expectorantia proponit, dum ait: *Ad Peripneumoniam medicamentum, quòd delingitur, Nux pinea, Galbanum in Melle Attico. Abrotanum in Aceto mulſo. Piper, Veratrum nigrum fervefacito, & Pleuritico in principiis, dum dolor urget bibendum dato* (hoc in ea quantitate accipiendum, ſub qua virtutem purgantem non exerceat, cùm inſerviat pro ambitivo ad expectorandum.) *Bonum eſt Panacem in Aceto mulſo fervefacere, ac bibendum dare*. Et *in lib.* 2. *de morb. n.* 43. *Vinum dulce, album, aquoſum paulatim, & frequenter bibendum exhibet* in primis diebus, ubi etiam *Ptiſanam cum Melle* præbet.

Dulcibus eſſe utendum primis diebus, monet *Hipp. lib. cit.* 3. *de morb. n.* 17. *Quarta, quinta, & ſexta die non ampliùs dulces, ſed pingues* ſorbitiones præſcribit, & rationem reddit, quia conducunt ad excreationem ſputi, lubricando viam, & materiam incraſſando. Hoc documento utuntur Medici, *Oleum Amygdalarum dulcium*; & *Seminum Lini* exhibendo, ſed non modo ab Hipp. tradito, exhibendo dicta olea in primis diebus, cùm horum uſum, niſi in quarta imperet Hipp. attenta efficaciori indicatione ſputa promovendi in dicto tempore. Advertendum verò cum *Hipp. lib.* 2.

de morb. n. 43. exhibenda non eſſe pinguia, ſi calor fuerit (intellige multus;) pinguia enim utpotè ad flammam nutriendam apta, calorem etiam fabrilem augere poſſunt.

Si verò poſt decimam octavam expuitio, cum tuſſi incipiat, aliis utitur lambitivis *libr.* 2. *de morb. nu* 43. nempè *Vino cum Salvia*, cùm concoctio, & maturatio materiæ in pulmonibus ad dictam diem dilata illius craſſitiem manifeſtet; ideò attenuantibus, & incidentibus validis utendum, quale eſt propoſitum remedium, quo docemur hujuſmodi virtutis remedia eſſe exercenda, & ſunt omnia decocta Cœphalica, & etiam compoſita remedia valdè incidentia, ut *Oxymel ſcilliticum Syr. de Hyſſop. de Betonica, de Farfara*. Addit Hipp. *Decoctum Leguminis Friſi*, hoc eſt *Fabæ fractæ*, pro ſorbitione, *cum adipe multo* ammixto, itaut Faba paretur eodem modo, ac paratur Hordeum pro ptiſana conficienda, ut ſentit *Caſtellus in ſuo Medico Lexicon reformato, & aucto*.

Alteram curationem Peripneumoniæ inſtituit *Hipp. cit. lib.* 3. *de morb. n.* 17. *Primo die*, ait, *Ari magni conchulam majorem dato*, hoc eſt ℥. *iii. Dauci, & Urticæ, utriusque itidem unam, Sinapis, & Rutæ quantum tribus digitis comprehendere poteſt, Succum Silphii magnitudine fabæ. Hæc in aceto dulci, & aqua permixta, & diluta, ac excolata, jejuno tepida bibenda dato. Poſtquam verò purum expuere cœperit, Ari conchulam majorem, & Seſamum, & Amygdalas purgatas in aceto dulci, aqua diluto bibenda præbeto. Si verò magis ducere voles, radicis Capparis corticem his ammiſceto*. Ab hoc textu patet, calefacientia, diſſolventia, attenuantia, & maturantia, ut Seſamum, & Amygdalæ, in principio Peripneumoniæ Hippocratem exhibere, quæ adeò ignavi reformidant Medici, & contrariis refrigerantibus utendo, ægros ſuffocatos à frigiditate compactiores faciente humores, morti conſignant. Quæ urinam movent, ab *Hipp.* etiam laudantur, quæ ſunt deſcriptis medicamentis ſimilia; ait enim *libr. de vict. rat. in acut. numer.* 53. *Et quæcumque ad ventrem, aut ad mictionem impellere oportet, hæc in vino, & melle dabis*, ideſt Diuretica, & purgantia, vel lenientia (ſi hæc convenient juxta ſuperius traditum præceptum de purgatione) cum *Aqua mulſa, aquoſa, copioſa bibenda dato*. Hæc eſt cura, quam Hipp. præſcribit in Peripneumonia, in qua ſputum primis diebus apparet.

Ubi verò pro ratione ſpuere non poteſt, ex Pharmacis ſurſum educentibus dato, ait *Hipp. loc. cit. lib.* 3. *de morb. n.* 17. & per Pharmaca ſurſum educentia vomitiva intelligit, ut colligere licet à verbis in eodem text. deſcriptis inferiùs, quæ ſunt: *Medicamenta ſurſum educentia ſexta, & ſeptima, & nona die, & morbo adhuc ulterius progreſſo magis exhibeto. Sit autem medicamentum, veratrum album, thapſia, elaterium recens, ſingula æquis portionibus*. Ab his verbis tria deduco: Primò per medicamenta ſurſum educentia Hipp. intelligere vomitum provocantia, qualia ſunt Veratrum album, & alia recenſita. Secundò vomitiva convenire in Peripneumonia, quando nullum apparet ſputum. Tertiò convenire à ſexta, uſque ad nonam. Ratio, per quam dicuntur convenire vomitiva, eſt, quia irritamentum iſtorum pervenit ad aſperam arteriam, & conſequenter ad pulmones, à quo determinantur ad conatum concipiendum pro expulſione materiæ, & adſit aliquod impedimentum expulſionem prohibens, à conatu in vomitu tollitur, & ab eodem materia craſſa, & viſcida renitens expulſioni ſuperatur, & divellitur à parte, cui adhæret. Non datur vomitivum, niſi in deſcriptis diebus, quia in iſtis vel ſupponitur materia per concoctionem ad expulſionem diſpoſita, ideoque ab irritante, & conatum addente medicamento educibilis; vel quia neceſſaria cenſetur materiæ expurgatio, licèt non ſit cocta, ob Empyema imminens à ſuppuratione materiæ ſtagnantis, & per ſputum exire renitentis, ad quod vitandum vomitu dictæ materiæ viam ad exitum parare ſtudet Hipp. majus malum exiſtimans Empyema, quàm illud, quod à vomitivo provenire poſſit; mihi tamen ſuſpectum eſt hoc remedium, ob difficilem reſpirationem, ut videbimus de Aſthmate.

Extrinſeca medicamenta Peripneumonicis applicat *Hipp.* ut docet *cit. lib. de rat. vict. in acut. n.* 53. ubi hæc habet: *Nihil autem prohibet, & ad alios laterum dolores tepefactoria apponere, & cerata*; & in hoc textu loquitur etiam de Peripneumonia, in qua laterum dolos adſunt. Inungit crura, & lumbos oleo calido, & pinguedine ad laxandas dictas partes, ut ad has humorum decubitus ſuccedat, cum utilitate partium ſuperiorum, præcordia verò (hoc eſt regionem pectoris) è lini ſemine, ideſt ex oleo iſtius, uſque ad mammas, quia ibi pulmones pertingunt. Horum loco poſſunt ſubſtitui ea omnia, quæ de Pleuritide proponentur, cùm ſint ejuſdem virtutis cum propoſitis ab Hipp. & morbus ſit ejuſdem naturæ, & pars affecta eadem.

Hæc omnia peragenda pro curatione Peripneumoniæ ante vigorem conſulit *Hipp. in cit. ſuperiùs text.* in illis verbis, *At ubi in vigore eſt Peripneumonia, auxilium non admittit, ſi non expurgatur*. Damnandi ergo Medici illi, qui in vigore Peripneumoniæ, ubi obſervant dolorem augeri, & reſpirationis difficultatem, ſanguinem mittunt, quo materiæ in pulmonibus collectæ concoctionem prohibent, & expurgationem ejuſdem impediunt. Concoctio fit à calore, & ſpiritu in ſanguine exiſtente, his per miſſionem ſanguinis diminutis, & refractis, neceſſe eſt illam vel impediri, vel retardari; & maximus eſt error non diſtinguere augmentum ſymptomatum à vigore morbi ortum, ab eo, quòd proficiſcitur à novo materiæ fluxu, ſed in tali ſtatu ſolùm materiæ expurgationi ſtudendum eſt, præcipuè vomitivis ſuperiùs dictis, ſi ſputa deficiant.

Diœtam præſcribit *Hipp. lib. de rat. vict. in acut. n.* 52. ubi habet: *Cuſtodia autem fiat uſque ad febris quietem, & ſeptimum diem, deinde ſi in tuto videatur, ſuccum modicum, ac tenuem primùm melle ammixto exhibeto*. Si quando in tuto eſt Peripneumonicus, cibandus eſt ſucci modici, & tenuis, quando non eſt in tuto, & in primis diebus, uſque ad ſeptimum, minori cibo alendus; ideò dixit Hipp. *Cuſtodia autem fiat uſque ad febris quietem*, hoc eſt pauciſſimo cibo utatur; quod ſenſit etiam *Hipp. in lib.* 2. *de morb. n.* 43. ubi in primis diebus ſuccum ptiſanæ ter in die exhibet, cum melle. Victus rationem, quæ noſtris temporibus in Peripneumonicis adminiſtratur, propoſita cibandi regula Hipp. damnare nemo eſt, qui non videat. Sequitur poſtea: *Si verò facilè educat ſputum, & benè ſpiret, ac doloris exors ſit circa latera, etiam paulò craſſiorem, ac ampliorem, & bis in die dabis. Si verò facilè non liberetur* (ideſt nec educat benè ſputum, nec facilè ſpiret, nec dolor ceſſet) *potionem pauciorem, & modicam ſorbitionem, ſuccum tenuem, eumque ſemel, & in quo tempore melius degit exhibeto*.

Signa, quibus diſtinguimus ægrum melius ſe habere, recenſet *in eodem loc. Hipp.* & ſunt urinæ concoctæ, & ſputa matura. Hæc *num.* 13. *ejuſdem libr.* dicit eſſe talia, quæ ſimilia ſunt puti, & hæc à multis Medicis viſa, cum horrore inſpiciuntur tamquam prava, & lethalia, & tamen ſunt concoctionis ſigna. Urinæ ſunt concoctæ, quæ ſubſidentias rubras velut eruum habent.

Peripneumoniæ curationem totam ponit *Hippocr. in citat. libr.* 1. *de morb. numer.* 26. in humectatione, & refrigeratione, cum aquis, decoctis, & ſero.

CAP. III.

De Pleuritide.

DEfinitur Pleuritis: *Inflammatio membranæ Pleuræ coſtas ſuccingentis, cum febre acuta, dolore punctuorio, inſpirandi difficultate, & tuſſi*.

Inflammatio pleuræ fit eodem modo deſcripto in inflammatione pulmonum, ex ſententia Hipp. à ſtagnatione nempè ſanguinis in pleura; ita communiter ſentiunt Medici, ideò pro ſubjecto hujus morbi aſſignant pleuram. *Hipp.* tamen *in lib. de loc. in hom. n.* 24. determinat Peripneumoniam fieri, cùm pulmonum lobi ambo inflammati fuerint; cùm verò alter tantùm, Pleuritis fit, quam *Morbum coſtalem* appellat. Hippocratem

cratem ſecuti ſunt *Zechius*, *Joubertus*, *Platerus*, *Etmull.* At pleuram, & pulmonis lobum eſſe ſubjectum Pleuritidis, colligo ex *Hipp. libr. de loc. in hom. num.* 37. ubi, loquendo de Pleuritide ſicca, & modum generationis ejus deſcribendo, hæc habet: *Impotens*(hoc eſt pulmo) *redditus*, *& ad latus præ impotentia reclinatus*, *latus contingit*, *& poſtquam contigerit ipſum humidum exiſtens cohæret*, *& adglutinatur*, *& Pleuritidem hoc eſt lateris morbum facit*. Si in ſicca Pleuritide adeſt adhæſio partis pulmonum coſtis, cùm hæc adhæſio reperiatur etiam in humida, Pleuritis hoc modo poteſt dici habere pro ſubjecto & pleuram, & pulmones. Confirmatur hæc Hipp. ſententia experientia demonſtrata à diſſectione defunctorum Pleuriticorum, in quibus reperti ſunt pulmones coſtis adhærentes, ut videre eſt apud *Schenkium*, *& Bonetum in Sepulchr. Anatom.* Per hanc ſententiam explicatur etiam quomodo materia in pleura inflammationem pariens per pulmones ejiciatur tuſſi, & etiam deducitur ratio explicans, quare frequenter Pleuritide aliqui corripiantur, & omni anno, cum pulmonis lobum partim coſtis adhærentem habeant, & in hac parte facilè humores ſtagnent, cum inflammatione ejuſdem.

Cauſa Pleuritidis interna, eſt illa communis Peripneumoniæ, & omnibus inflammationibus, nempè collectio, & ſtagnatio humoris in pulmonibus, & in pleura, adinvicem ſecundùm aliquam partem conjunctis.

Cauſæ externæ colliguntur à ſententia *Hipp. libr.* 1. *de morb. num.* 25. Incaleſcentia lateris, & huic ſucceſſiva refrigeratio; quare quæcumque calefacere, & quæ refrigerare poſt incaleſcentiam valent, ſunt cauſæ externę Pleuritidis; ſic potus aquæ frigidæ poſt validam ſanguinis incaleſcentiam, & aer frigidus afficiens corpus,quod à calore æſtuat, vel ſudore perfunditur, eſt ſufficiens cauſa ad inducendam Pleuritidem.

Cauſæ ſymptomatum febris, & doloris ſunt explicatæ. Difficilis reſpirationis eſt conjunctio pulmonis cum pleura, à qua liber motus iſtius impeditur, eſt dolor non permittens liberam dilatationem thoracis neceſſariam ad liberam, & expeditam reſpirationem.

Signa Pleuritidis deſcribit *Hipp. lib.* 3. *de morb. n.* 19. *Dolet latus*, *& febris*, *& horror tenet*, *& frequentem ſpiritum habet*, *& erectæ cervicis ſpiratio urget*, *& tuſſiendo rejicit ſubbilioſa*; & hæc ſigna pluribus aliis in locis recenſet.

Differentias Pleuritidis multas deſcribit *Hipp.* principaliores tamen ſunt tres, quarum deſcriptio invenitur *in lib.* 2. *de morb. n.* 40. & prima differentia deſcribitur his verbis: *Pleuritis*, *ubi corripuerit*, *febris*, *& rigor tenet*, *& dolor per ſpinam ad pectus*, *& erectæ cervicis ſpiratio*, *& tuſſis*, *& ſaliva alba*, *ac ſubbilioſa*,*& non facilè per tuſſim rejicit*, *& per inguina dolor eſt*, *& cruentam urinam mingit*.

In hac ſententia mihi videtur, Hipp. deſcribere Pleuritidem ab inflammatione, ſeu potius ab intenſa incaleſcentia ſanguinis in vaſis magnis circa lumbos, & renes exiſtentibus, dum aſſerit dolorem *à ſpina ad pectus aſcendere*, aſſignando principium morbi eſſe in ſpina, vel circa ſpinam.

Hic textus variè à Commentatoribus interpretatur. Veriorem cenſeo, inter alias, *Martiani* interpretationem ſupra hunc textum, in qua ait, Hipp. hic explicare eam Pleuritidis differentiam, quæ per urinam expurgatur; nam ſi à ſanguine incaleſcente circa renes, & lumbos incaleſcit pulmo, & pleura, & ſanguis ab incaleſcentia ad dictas partes in copia impellitur, ibique fluctuat ſub ſpecie inflammationis, evacuata per urinam materia cauſa dictæ incaleſcentiæ ſanguinis, calor in pulmonibus, & pleura remiſſionem inveniet, & ſanguis in vaſis iſtorum fluctuans, & fervens ſuæ naturali quieti reſtitutus, circulationis motum reaſſumet, dictas partes à dolore, & aliis ſymptomatibus ſublevando; ideòque Hipp. curationem inſtituit per Diuretica, non per expectorantia. Et in praxi non eſt novum Pleuritides copioſo urinæ fluxu judicari, ſicut & Peripneumonias, & Empyemata; & *Hipp. in lib.* 1. *de morb. n.* 23. de hac locutus eſt, ſcribendo in fine textus: *Sæpe verò ad infernas partes convertitur*, *dolorem per venas ad veſicam diſtribuit*, *multumque*, *ac bilioſum æger mingit*.

Ab his verbis ultimis colligere licet, urinas cruentas quas in hoc morbo obſervari dicit, non eſſe tale ob mixtionem ſanguinis, ſed apparere cruenta ob bilis admixtionem.

Secunda differentia *n.* 41. *cit. lib.* deſcribitur ſic: *Alia Pleuritis*, *febris tenet*, *& tuſſis*, *ac rigor & dolor ad latus*, *& quandoque ad claviculam & ſalivam ſpuit ſubbilioſam*, *ac ſubcruentam*.

Pleuritis deſcripta, eſt illa, quæ inter omnes eſt mitiſſima, & talis indicatur à ſputo bilioſo, hoc eſt flavo, & cruento; tale enim ſputum tumorem inflammatorium, vel abſceſſum in pulmonum parte, & pleura exiſtentem ruptum prædicit, eo modo quo à tumore externo rupto exit primò pus ſanguini mixtum; & ſi ſputum cruentum, & bilioſum exeat primis diebus, faciliorem curationem promittit, quia jam factam concoctionem materiæ indicat, ad differentiam ſputi ſinceri ſanguinei, quod ruptionem vaſorum præſagit, & ſputi cum grumis ſanguinis, à quo ſanguinis extravaſationem in pulmonum ſubſtantia, & ejus putredinem colligimus; ideòque ſputum utrumque malum exitum promittit. De iſtis ſputis diſſerit *Martianus libr. de morb. Hipp.* 3. *n.* 242.

Tertia Pleuritidis differentia deſcribitur ab *Hipp. cit. lib.* 2. *de mor. num.* 42. *Febris detinet*, *& dentium ſtridor*, *& tuſſis ſicca* (non quia deficiat materia excernenda, & quia à ſimplici irritamento pendeat tuſſis, nam ſubjungit Hipp. *cum virore pallida rejicit* (intellige cum tuſſi) ſed dicitur ſicca, ratione materiæ ſua craſſitie expulſioni renitentis) *cum vigore pallida rejicit*, *quandoque etiam livida*, *& dolor latus corripit*, *& dorſum ſubrubidum fit*, *caput*, *& pectus caleſcunt aliquando*, *& venter*, *& pedes*, *& crura*, *& cùm erectus ſedet*, *magis tuſſit*, *& alvus turbatur*, *& alvi egeſtio cum virore valde pallida eſt*, *ac graveolens*.

Omnia enarrata ſymptomata diverſa ab aliis in ſuperioribus differentiis deſcriptis, diverſam ab iſtis differentiam conſtituere manifeſtum eſt, & ex eo quòd dorſum ſubrubidum fiat, poſteriorem partem lateris verſus ſpinam dorſalem affici oſtendit, & inflammationem in hac parte eſſe magnam, & calor capitis, & pectoris oſtendunt, & à calore intenſo, & acri capitis convulſionem parvam fieri in nervis maxillarum, unde ſtridor dentium, & ab eodem calore putrido maſſa ſanguinis, & portio partium colliquata parit alvi fluxum graveolentem; omnes enim fluxus colliquativi graveolentes, & pravi coloris putridi caloris diſſolventis fluida, & ſolida ſoboles ſunt.

Alia eſt aſcendens, cujus dolor claviculam aſcendit, & ſub mamma fixatur, & ſupra ſeptum tranſverſum; alia deſcendens, cujus dolor, licèt pleura, & pulmo ſedes ſit, attamen partibus ſub ſepto tranſverſo exiſtentibus communicatur.

Alia eſt legitima, & eſt illa, quæ pleuram unà cum pulmone afficit, & cujus dolor claviculam pertingit,cum ſymptomatibus vehementibus, & valdè intenſis. Alia eſt propria, quam communiter Medici diſtinguunt, & ratione loci, & ratione materiæ; ratione loci, quando inflammatio pleuræ eſt in coſtis mendoſis ſubtus Diaphragma, vel in muſculis externis intercoſtalibus. Has differentias admittere non poſſum, quia non concipio, quomodo inflammatio ſubtus Diaphragma, & in dictis muſculis poſſit per pulmones tuſſi expurgari,cùm nulla, meo judicio, via appareat; ideò talem differentiam non approbo. Differentia ratione materiæ, dicitur à diverſitate materiæ, à qua inflammatio generatur, ſi à bile, bilioſa, ſi à ſanguine, ſanguinea, ſi à pituita, pituitoſa; & de bilioſa locutus eſt *Hipp. libr. de loc. in hom. n.* 24. & *in lib.* 1. *de morb. n.* 24. & de ſanguinea *libr.* 3. *de morb. num.* 19. & 20. Ab humore ſincero fieri non eſt probabile, ſed à ſanguine, cum omnibus ſuis partibus, ex quibus componitur; diximus inflammationem fieri à ſtagnatione ſanguinis in parte, & ſanguis aggregatum eſt ex aliis humoribus, conſequenter inflammatio erit ab omnibus humoribus in ſanguine exiſtentibus; ſed prout in ſanguine prævalet, & dominatur bilis, vel pituita, dicitur fieri inflammatio à bile, vel pituita, & ſi maſſa ſanguinis ex aliorum humorum mixtione temperata evadat, ſine ſenſibili prædo-

prædominio alicujus homoris, dicitur ſanguinea.

Signa diagnoſtica Pleuritidis, & ſuarum differentiarum, ex dictis colliguntur.

Prognoſtica habemus ab *Hipp.* varia variis in locis. *In lib. 3. de morb. n. 21. Quibus Pleuritide ſputa varia ſunt, & dolores valdè acuti, hi tertia die moriuntur*; & *in lib. de Coac. prænot. n. 3. Pleuritici, quibus in principio ſputationes penitus purulentæ, tertia die moriuntur, aut quinta, ſi verò has effugerint, non multo melius ſeptima, aut nona, aut undecima ſupparari incipiunt*: & eodem loco ait: *Quibus quidem Pleuriticis dolores molles ſunt, quinta verò, aut ſexta die exacerbantur, hi magis ad duodecimam perveniunt, & non valdè ſervantur, periclitantur autem maximè ſeptima die, ac duodecima; ubi verò bis ſeptem dies effugerint, ſervantur*. Et ibidem: *In Pleuriticis ſputum tertia die maturari, ac expui incipiens, citiores ſolutiones facit, verùm poſterius, tardiores*. Ibidem: *Quibus Pleuriticis in principio lingua biliosa fit, hi ſeptima judicantur, quibus autem tertia, aut quarta die, circa nonam*; & ibidem: *Qui ex Pleuriticis expuunt purulenta ſubbiliosa rotunda, aut purulenta ſubcruenta, progreſſo tempore perniciosè habent. Perniciosè item, qui nigra, fuliginoſa ſpuunt, aut quibus velut à vino nigro ſputa fiunt. In lib. 2. aphor. 12. In Pleuriticis, ſi ſputum ſtatim appareat incipiente morbo, ipſum abbreviat, ſin poſterius, producit*. Et *lib. 5. aphor. 15. Quicumque ex Pleuritide ſuppurati fiunt, ſi in quadraginta diebus ſuppurati fuerunt, ab eadem die, qua ruptio facta fuerit, liberantur; ſi verò non, ad tabem tranſeunt*. Et *in Coac. prænot. num. 3. Qui ſuppurati ex Pleuritide fiunt, in quadraginta diebus à ruptione expuunt*. Et *in lib. 1. de morb. n. 19. & 20. In Pleuritide, ſi ſingultus affuerit, ſimulque cum ſalvia ſanguinis grumos nigros tuſſiendo rejecerit, ſeptima die moritur*. Et *lib. 6. aphor. 16. A Pleuritide, & Peripneumonia occupato, alvi profluvium accedens, malum*; *& in lib. 7. aphor. 11. Ex Pleuritide Peripneumonia, malum*; *& in libr. 5. aphor. 8. Quicumque Pleuritici fientes, in quatuordecim diebus non repurgantur, his ad ſuppurationem tranſitio fit; & libr. 3. de morb. num. 22. Ex Pleuritide ſuppuratum fieri, minus lethale*. Et *in Coac. prænot. num. 3. Quibus Pleuriticis ſtrepitus ſputi multus in pectore eſt, & facies triſtis, & oculus morbi regii colore infectus, ac caliginoſus, hi pereunt*; & ibidem *num. 4. Pleuriticis urina cruenta, caliginoſa, cum ſubſidentia varia, indiſcreta, lethalis eſt, plerumque in quatuordecim diebus: Lethalis eſt etiam in Pleuriticis urina praſſina nigram ſubſidentiam habens, aut furfuraceam; & eod. in loc. num. 4. In Pleuriticis urina ſubrubram habens ſubſidentiam, & lucem, ſecuram judicationem ſignificat, & in Pleuriticis mala eſt urina, quæ poſt potum citò mingitur; & eodem loc. numer. 3. Pleuritides ſine convulſionibus* (hoc eſt ſine tuſſi) *graviores ſunt his cum convulſionibus*.

Quoad curationem, incipiendo à prima differentia, de qua cum *Martiano* dixi *Hippocratem* locutum fuiſſe de Pleuritide, cujus materia per urinam expurgatur, proponit *Hipp.* primò mitigationem doloris in illis verbis *cit. tex. Cùm ita habuerit dolor, calefactoria adhibeto*. Per calefactoria, non actu ſolùm calida, ſed etiam potentia intelligere debemus, qualia ſunt anodyna calida temperata, ut *Decoctum Malvæ, Altheæ, Fenugræci, Meliloti, Papaveris erratici, Cichorei ſylveſtris, cum ſpongia parti dolenti applicatum. Veſica Oleo calido plena, & dolenti parti impoſita, dolorem mitigat*. Reſolventia recenſita ab Hipp. de Peripneumonia, conveniunt. *Oleum de Cucurbita. Unguentum. ex ℥. i. Unguenti Dialtheæ, Butyri rec. loti, Adipis Anatis a. ℥. ß. Sulphuris vivi, Salis nitri, Cymini pul. a. ʒ. i. Olei Vulpini q. ſ. F. Linim.*

Poſt doloris mitigationem proponit *lib. 2. de morb. n. 40. Oxymel paulatim, & frequenter bibendum*, quod eſt diureticum, ſicut & *Succus Milii* mixtus cum Melle ad quantitatem quartæ partis heminæ, quoties utrumque cibum aſſumit; Oxymel, & Succus Milii diureticam vim habent, quapropter horum loco præſcribi poſſunt alia diuretica, quorum Sylvam habebit Lector de Morbis Renum; his tamen adjungenda ſemper pectoralia, ut *Liquiritia, Althea, Capill. Ven. Hyſſop. Farfara. Vinum album vinoſum modicum* (hoc eſt Vinum, cui parùm aquæ admixtum ſit;) *Vinum debet eſſe molliſſimum* (hoc eſt dulce) *odorem non habens* (hoc eſt non aromaticum.) Ab his colligant Medici, quàm inanis ſit timor de pernicie Vini uſus in omni Pleuritide, cùm Hipp. eo utatur ſine ullo reſpectu, quia Vinum eſt diureticum, unde rationi etiam conſentaneum eo uti in Pleuritide, cujus materia à natura purgatur per urinam.

Febre ceſſante, in hac Pleuritide, bis in die exhibet *Milii ſorbitionem* (hoc eſt Succum Milii tenue, & liquidum redditum cum ſuo decocto, & hoc ad expurgationem materiæ reſiduæ per urinam, erudiendo in Pleuritide, quæ à natura expurgatur per urinam, non eſſe intermittenda diuretica, ſed per bis in die continuanda) *& eodem tempore, quo utitur ſorbitione Milii, edat Betas jucundiſſimè paratas*, quod intelligendum puto de pulmento ex Betis compoſito, ad alvum lubricam ſervandam, & quia cùm ſit parvi nutrimenti, materiam morbo ſubtrahit.

Diætam præſcribit cum ſolo jure *Catuli* (hoc eſt animalis junioris, & lactantis, ut Agni, Capri, & etiam Vituli) *& aviculæ parùm de carnibus edendo, in tempore verò morbi in prandio Milium, veſperi cibis molliſſimis* (hoc eſt facilis digeſtionis) *& pauciſſimis utatur*; & quia bis in die cibum exhibet, ideò ſuperiùs imperat ſorbitionem Milii poſt utrumque cibum; ex quo colligere licet, per cibum uti ſucco Milii craſſo, & poſtea ſucco liquido, vel decocto Milii poſt eum.

Purgationis, & ſanguinis miſſionis non facit mentionem Hipp. quia negotium curæ relinquendum eſt naturæ, quæ ducit per urinam, & dicta remedia ab hac via humores divertunt.

Secundæ differentiæ curatio deſcribitur ab *Hipp. cit. loc. Quòd ſi ægro abſceſſus ruptus fuerit* (loquitur de Pleuritide, quæ per ſputum ſolvitur, & iſtius principium abſceſſus ruptio ab Hipp. dicitur, quia in Pleuritide ſputum exit eo modo, quo pus ab abſceſſu rupto (*qua parte dolor maximè urget calefactoria adhibeto, & calida lavato, ſi non magna febris ipſum teneat*. Calefactoria recenſet *lib. de vict. rat. in acut. num. 11.* Inter calefactoria, ait ibi Hipp. *optima eſt Aqua calida utre, aut in veſica, aut in vaſe æneo, aut teſtacco incluſa, & parti dolenti admota, verùm molle quid antea ad latus ſupponere oportet lenitatis ergo*. Molle, quod ſupponi poteſt, vaſi æneo, vel teſtaceo, eſt lana, vel panni linei in multiplicatas plicaturas plicati, ne à pondere vaſis pars compreſſa magis affligatur, & humores in ea preſſione magis figantur. Subjungit: *Commoda etiam ſpongia mollis magna ex Aqua calida expreſſa apponitur; contegere verò ſtragulis ipſum fomentum oportet; nam, & ampliore tempore ſic ſufficiet, & durabit, & ſimul ut ne vapor ad ægrotantis ſpiritum afferatur*. Hic notandum in hoc textu calefactoria ſine conditione imperare. quia rupto abſceſſu à calore materia contenta concoctione perficitur, & ejus expulſio facilior redditur; *in libr.* verò *2. de morb.* calefactoria imperat ad tentandam doloris ſolutionem abſceſſu non rupto, cùm à dolore nova humoris copia ad partem affectam vocetur, à qua incrementum ſuſcipiet, ideò tentandum eſt dolorem minuere calefactoriis blandis naturam anodynorum redolentibus; idcircò calefactoriis utendum, & pro ſolutione doloris, licèt non ſint remedium certum, quapropter dicit *tentandum*, & pro concoctione, & expulſione materiæ rupti abſceſſus. Pro hac operatione, cùm ſint valdè efficacia calefactoria, non utitur verbo *tentandum*, ſicut uſus eſt pro dolore ſedando. Inter calefactoria ibidem *in lib. de rat. vict. in acut.* enumerat *Hordeum, & Eruum in aceto diluto, itaut paulò acidius ſint, quam ut quis bibere poſſit diſſoluta, ac fervefacta, & in marſupio conjecta apponere oportet, & furfur eodem modo. Siccum autem fomentum præbent ſal, & milium torrefactum in laneis ſacculis convenientiſſimum; nam & lene, & leve eſt milium; ſolvit autem hujuſmodi mollitorium fomentum etiam dolores ad claviculam pertingentes. Quòd ſi ad calefactoria dolor non ſolvatur, non multo tempore calefacere oportet, reſiccat enim hoc pulmonem, & ſuppurationem facit*.

Hæc animadverſio ad praxim neceſſaria pro uſu calefa-

leſacientium attentè conſideranda, & ſecundùm Hipp. præceptum ad uſum reducenda, ſicuti & illa ſuperiùs notata ab Hipp. de febre acuta, & ardente, quæ prohibet uſum calefacientium, in quo caſu tepida medicamenta ſunt applicanda parti dolenti, & quæ calida ſunt potentia mitiora eligenda; inter quæ valet *Linimentum* paratum cum *Unguenti Dialtheæ* ℥. *i. Pinguedinis Anatis*, *Butyri rec. loci a.* ℥. ß. *Pulv. Sulph. Sal. nitri a.* ʒ. *i. cum Oleo Cucurbitæ F. Linim.* Et alia ſuperadde ſcripta, & in Syſtemate meo deſcripta.

Addo *Emplaſtrum ex Porris*: *Accipitur pars alba iſtorum, coquitur in aceto, & ad formam Emplaſtri redacta loco dolenti applicatur, pannum lineum duplicatum ſuperponendo, & poſt ſex horas novum Emplaſtrum applicetur, ungendo prius partem dolentem cum Butyro veteri*. Valet etiam ſequens Emplaſtrum: *Folia Cherefolii, ſupra batillum calidum incaleſcant, & emolleſcant, Sale aſpergantur benè trito, & loco dolenti applicentur*. Valet etiam *Albumen Ovi recentis conquaſſatum, & extenſum ſuper ſtuppam lini, & pulvere Piperis nigri aſperſum, loco dolenti applicatum*.

De miſſione ſanguinis in hac differentia nullam facit mentionem *Hipp.* expreſsè; implicitè tamen hanc imperavit, dum inter ſigna hujus differentiæ recenſer dolorem ad claviculam, quandoque, & ad latus (hoc eſt ſupra ſeptum tranſverſum.) Et *in lib. de ract. vict. in acut. n.* 12. in omni Pleuritide, in qua *dolor aſcendit ad claviculam, aut adeſt gravitas in brachio, aut circa mammam, aut ſupra ſeptum tranſverſum, venæ ſectionem imperat*; & ratione hujus generalis præcepti in hac Pleuritidis differentia, cum dolore ad claviculam, & ſupra ſeptum tranſverſum, venæ ſectio convenit hac ratione, quòd dolorem ſolvat; ait enim in eodem textu: *Sectio venæ non ſimiliter ſolvit dolorem, ſi non ad claviculam pertingat dolor*; è converſo ſolvit venæ ſectio dolorem lateris, ſi ad claviculam pertingat, & cum dolore ſolvit inflammationem, eò quia dolor provenit à plenitudine vaſorum partis dolentis, & circumſtantium, diſtendente, & gravante, & vellicante dictas partes, plenitudo ſanguinis ſtagnantis inflammationem efficit; quapropter dempta plenitudine dolor, & inflammatio, ſi non omninò ſedatur, minuitur. Mittitur ſanguis in dolore pleuritico aſcendente ad claviculam, quia talis dolor indicat ſuperiorem partem pulmonum affectam, & ſanguinem in ea ſtagnare cum plenitudine ſola miſſione ſanguinis tollenda; advertit tamen *Hipp. lib. cit. de rat. vict. in acut. n.* 12. calefactoriis primùm (ideſt ante ſanguinis miſſionem) non alienum eſſe tentare diſſolvere dolorem lateris; & ibidem determinat locum, nempè *à venis exiſtentibus in flexura cubiti*. Partem, à qua mittendus ſanguis, vel dexteram, vel ſiniſtram, non deſignat; regula tamen univerſalis de revulſione, & derivatione, à Schola Medica univerſaliter accepta, nos docet, in principio Pleuritidis, nempè in primo inſultu doloris, & febris, vel mittendum eſſe ſanguinem à parte oppoſita parti, in qua adeſt dolor, ideſt à brachio oppoſito lateri affecto, vel à parte contraria ſed magis diſtanti à parte affecta, ut à pede oppoſito lateri affecto; & utrumque præceptum ratione fulcitur, quia à parte dolente revellitur ſanguis, ſive educatur ſanguis à brachio, vel à pede oppoſito. Experientia videtur eſſe contraria miſſioni ſanguinis à brachio oppoſito lateri affecto, cùm demonſtraverit, Pleuritidem in dicto latere oppoſito eſſe excitatam miſſione ſanguinis, ob fluxum copioſum iſtius ad latus oppoſitum, & ſtagnationem in eo cum nova inflammatione; ſed quia hoc raro contingit, non ſufficit ad hoc remedium ejiciendum; præterquamquòd hoc periculum declinabimus perfricando latus, à quo mittendus ſanguis, & Spiritu Vini fovendo, ita venæ dilatantur, & fluenti ſanguini ſtagnatione remota ſpatium ſufficiens ad circulationem paratur. Tempus miſſionis ſanguinis, & quantitatem demonſtrat dicendo: *Et non cunctari copioſum ſanguinem detrahere, donec multò rubicundior fluxerit, aut pro puro, & rubicundo lividus, utrumque enim contingit*; & intentum Hipp. eſt docere, ſi ſanguis primò exeat niger, & lividus, mittendum eſſe, donec rubicundior fluxerit, & ſi primò rubicundus exeat, mittendum, donec niger, & lividus appareat.

De purgatione non loquitur Hipp. & omittendam ratio ſuadet, reſpectu plenitudinis particularis pulmonum hanc Pleuritidis differentiam conſtituentis, cui adverſatur ſanguinis miſſio, non purgatio. Ulterius per ſputum hujus conditionis Pleuritis curatur, quod à purgatione impeditur, vel cum difficultate excernitur, ut adnotavit *Hipp. lib.* 3. *de morb. n.* 17. his verbis: *Infra enim humore ſecedente ſputi, purgatio ſurſum non prodit*; & ſi *in cit. lib. n.* 22. purgationem admittit in corpore biliofo Pleuritide affecto, hanc tamen reſtringendo ac corpus bile redundans, in omni alio caſu interdicere videtur, & quòd magis eſt, purgationem reſtringit ad hunc caſum, nempe *ſi æger ſalivam bilioſam non expuat*; apparente verò expuitione bilioſa, purgationem omninò interdicit. Hujus moniti, raſtrictioniſque ratio eſt bilem in corpore redundantem, ſi cum excretione aliqua à natura non excernatur, ſed retineatur, vel morbum augere, vel alium, & magnum minari, idcircò ad utrumque vitandum neceſſaria bilis purgatio. Hoc monitum extendendum eſt non ſolùm ad Pleuritidem cum bilis redundantia, ſi non excernatur per ſputum, ſed ad quemlibet morbum, in quo ſit bilis redundantia, & aliqua excretio naturæ ſine bile: quando verò hæc excernitur in Pleuritide cum ſputo, interdicitur purgatio, ne demonſtrata humori à natura via intercludatur, conatuſque naturæ expulſivi frangantur; ideò ſubjungit: *Si enim dederis* (nempè medicamentum purgans) *ſputum ſurſum prodire non poterit, ſed ſeptima, aut nona die ſuffocabitur*.

Expectorantibus utitur *Hipp.* ut videre eſt *in n.* 41. *lib.* 2. *de morb.* ubi *Favum in aqua macerat, uſquequo dulcem faciat*. Hujus loco ſubſtituenda alia expectorantia ſuperiùs dicta.

Diœta præſcribitur cum ſola exhibitione ſucci Ptiſanæ bis in die, & potu Vini albi aquoſi (hoc eſt admittentis mixtionem aquæ;) ab hoc enim attenuatur humor per tuſſim expurgandus, & aquæ admixtione febris, & inflammationis augmentum prohibetur. Hæc diœta intrà quatuordecim dies ſanitatem promittit.

Tertiæ differentiæ curatio deſcribitur *cit. lib.* 2. *de morb. n.* 42. & conſiſtit in exhibitione aquæ, in qua macerata fuerit farina; hæc enim facultate maturativa, & epiceraustica, qua pollet, humores acres in deſcripto affectu peccantes attemperat, & ad maturitatem cum concoctione perducit, facilè reddit ſputum, & ſicuti inflammationibus externis opitulatur, ita internas mitigat; & huic ſubſtitui poſſunt omnia epiceraustica, ut *Malva*, *Althea*, *Branca Urſina*, *Pſyllium*, decoctionibus iſtorum, vel ſuccis utendo. *Loch de Farfara*, *Caulium de Pino*, eadem ratione videntur convenire. Aquæ, & farinæ adjungit Vinum album vinoſum, ut ab hoc virtus concoctrix farinæ corroboretur, & humor crudus ad facilem exitum diſponatur. Vinum poſtea aquoſum, concocta materia, præſcribit, ut ab hoc diluta promptiorem habeat exitum; & per quatuordecim dies his remediis ægrum tractat, unà cum diœta tenui, & refrigerante, ut eſt ſuccus Ptiſanæ frigidus, cui unit ſuccum Punici mali, poſtquam ſuccus Ptiſanæ coctus fuerit, ne coctione ſpiritus volatilis acidus evolet, à quo bilis, & calor coercetur; hunc cibum bis in die exhibet; tranſactis quatuordecim diebus cibum auget, & Milium præbet coctum manè, veſperè verò carnem avicularum cum jure concedit, ob conſuetudinem Antiquorum in cœna majorem ciborum copiam aſſumendi, quàm in prandio; ex quo elicimus præceptum conſervandæ conſuetudinis in cibandis ægris. Monet in ultimis verbis textus, ut paucis cibis utatur, alimenta ſolida in pauca quantitate eſſe exhibenda; ſolida proponit alimenta, ut vires corroborentur, ne cum tenui cibo citò reſolubili citò frangantur, & ita ſufficere poſſint pro expulſione materiæ per tuſſim, ad quam virtus major, quàm in alia expurgatione naturali requiritur.

His adjungere licet reflexionem, quam proponit *Hipp. in lib.* 3. *de morb. n.* 23. in illis verbis: *Quòd ſi dolores in lateribus etiam præcordia doleant* (per præcordia intelligit partes ſupra ſeptum tranſverſum) & dicuntur dolere, quando una cum dolore pungitivo Pleuritidem concomitante anguſtia, oppreſſio cordis afflictiva, reſpira-

ſpiratioque non ſolùm difficilis, ſed cum anxietate, & ſuffocatione perſentitur ab ægro ; in hoc caſu *Clyſterem*, ait, *adhibere oportet, & in potu jejuno bibendum dare Ariſtolochiam, Hyſſopum, Cuminum, Silphium, Peplum, Mecona appellatum, album, florem Æris, Mel, Acetum, & Aquam :* in quibus remediis, cùm lateat virtus attenuandi, diſcoagulandi, fluxibileſque humores faciendi, hujuſmodi remedia propria monet in caſu doloris præcordiorum in Pleuritide affligentis, eò quia talis dolor à materia ſtagnante in vaſis pulmonum, & cordi vicinis oritur, & per hujuſmodi remedia motum acquirente dolor minuitur, vel tollitur hinc aromatica diſcoagulantia, ex mente Hipp. licèt calefacientia, in Pleuritide non rejicienda, ob virtutem diſcoagulativam.

Ad Hipp. imitationem diſcoagulantia ſpecifica exhibenda in principio morbi, inter quæ primas tenet *Sanguis Hirci, ſecundùm Helmontium præparatus ad ʒ. i. in Aqua florum Papaveris erratici*, Item *Boraginis ſuccus recenter extractus, & percolatus ad ℥. iiii. ſudorem provocando cum pannis calidis pedibus, cruribus, & brachiis appoſitis, & per tres vices poteſt reiterari, ſi ſudor prima vice non exeat, vel dolor non ceſſet*. Item *Stercus Pulli albus exſiccatus, & pulverizatus ad ʒ. i. in jure*, Item *Stercus Equi recens infunditur in ℔. i. Vini albi generoſi per duodecim horas, poſtea Vinum percolatur per petiam lineam denſam; per tres vices exhibeatur Vinum, & æger ſe diſponat ad ſudorem, quantitas Stercoris ſit, ut ℔. Vini ſupernatet Stercori per duos digitos; hoc Vinum tribus vicibus ſerviet*. Item *Succus Hederæ terreſtris ad ℥. iiii. per quatuor vices, calidus, ſumptus omni ſexta hora*. Item ʒ. *ii. Radicis Lappæ majoris in Vere, vel Autumno collectæ, & pulverizatæ in Vino exhibeantur, ſed melius eſt in Aqua foliorum Lappæ, quæ colligendæ in media Æſtate, contundantur, parùm fermententur in loco humido, & per balneum mariæ diſtillentur*.

Subjungit poſtea : *Et per medicamenta quidem ita primas curationes facere oportet*, & ſunt primæ curationes in remediis ſuperiùs recenſitis ; *reliqua verò ſic ſe habent multa calida* (hoc eſt Aqua multùm calida) *pro viribus lavato* (tranſpiratione enim per lavacrum aucta vires debilitantur, & niſi robuſtæ reſiſtunt, debiles omninò deficiunt) *capite excepto*, ne fluxio major à capite ad pulmones, & alias thoracis partes promoveatur, juxta Hipp. ſententiam, *Et cum judicationes ſunt, dolentes locos humidis fomentis tepefacito, & oleo illinito*, ſunt verba Hipp. Judicationes ſunt in Pleuritide, quando ſputum eſt copioſum, & facile, dolor pungitivus minuitur, & præcordiorum afflictio cedit, & tunc humidis fomentis, & oleis attenuantibus, & fluxilem materiam reddentibus judicatio, ſeu criſis perficitur.

De bilioſæ Pleuritidis curatione locutus eſt *Hipp. in lib. 3. de morb. n. 22.* ubi habet : *At ſi æger bilioſus ſit natura* (hæc verba ſignum Pleuritidis bilioſæ continent, ſi hæc bilioſi temperamenti hominem corripiat, bilioſam exiſtimare debemus) *& non purgatus* (hoc eſt, ſi bilis in ægro bile referto, per alvum non purgata fuerit ſecundùm aliquam ſui portionem) *correptus fuerit à morbo* (hoc eſt à Pleuritide) *priuſquam ſalivam bilioſam expuat, etiam medicamento bilem probè purgato*, & ratio eſt, quia bilis in tali corpore redundans ad inflammatam partem copioſo fluxu, ſi fluat malignam efficient inflammationem, & præcipuè ſi per ſputum non exeat; quapropter pro periculi declinatione bilem purgare opportunum eſt, & probè, ut ait Hipp. hoc eſt in ea majori quantitate, quàm ægri vires ferre poſſint: ubi verò ſputa bilioſa apparuerint, à purgatione ſuperſedendum, quia ſi bilis ad inflammatam partem fluit, à natura etiam per ſputum expurgatur, ideò artis auxilio non indiget, ſed evacuationis perfectio naturæ relinquenda. In hac Pleuritide refrigerantibus, cum acidis in curatione tertiæ differentiæ recenſitis, utendum. In hac Pleuritide de miſſione ſanguinis nihil habet Hipp. puto tamen hoc remedium ſub generali præcepto ſuperiùs adducto contineri, & primò mittendum eſſe ſanguinem, & poſtea purgandum, juxta reflexionem *Martiani in com. libr. de vict. rat. in acut. Hipp. verſ. 36.* ubi Hipp. apertè determinat, in inflammationibus primò mittendum eſſe ſanguinem, & poſtea purgandum, & rationem præcedentiæ ſectionis venæ purgationi addit *in eod. lib. Hipp. n. 36.* dicendo : *Solvi non poſſunt* (& loquitur de inflammationibus, & morbis acutis) *ſi quis prius medicamentis purgationem aggrediatur ;* nam venæ ſectio in talibus principalis eſt ; nec bilis redundantia timenda, dum hæc non ſola, & impermixta, fluit ad partem affectam, ſed unà cum ſanguine, & poſt ſanguinis miſſionem purgatur, & timenda eſſet bilis ferocia à miſſione ſanguinis, prætermiſſa purgatione.

Pleuritidis ſanguineæ curationem proponit *Hipp. in cit. lib. 3. de morb. n. 25.* & tota conſiſtit in expurgatione materiæ per ſputum; *Unde ſi ſpuere non poſſit, florem Æris ad magnitudinem olivæ, & ſuccum Silphii ad dimidium ejus, & Trifolii ſeminis modicum melle excepta lambendo deglutiat, vel Piperis grana quinque, & ſuccum Silphii ad fabæ magnitudinem, cum melle, aceto, & aqua jejuno tepida bibenda præbeto. Si cum ſputi deficientia adſit in pectore ſtertor*, exhibet *Ari magni radicis conchulam majorem, ſive* ʒ. *vi. mixtam cum oleo, & aceto aqua diluto: ſi vero neque ſtertat, neque ſpuat, ut oportet, Capparis fructus, quantum tribus digitis capi poteſt, & Piperis, & Nitri modicum, cum melle, aceto, & aqua mixta tepida ſorbenda exhibet, & altera die eadem in aceto, & melle, & aqua fervefacta exhibet ; & fortius medicamentum* componit *cum Hyſſopo, Sinapi, & Naſturtio conchula majore, ideſt ad* ʒ. *vi. cum melle, & aquæ tertia parte fervefiant, poſtea coletur, & tepidum decoctum ſorbeat.*

In his remediis docet, materiam Pleuritidis expulſioni reſiſtentem attenuandam aromaticis calidis volatilibus, ut cæphalica, & antiſcorbutica. Sanguinis miſſionem, neque purgationem proponit, quia hæc ſub generali præcepto tradito ſuperiùs continetur. Signa hujus Pleuritidis cognoſcendæ præteriit, ſed ex eis, quæ de bilioſa attulit, colligi poſſunt; ſicut enim temperamentum bilioſum, eſt bilioſæ Pleuritidis ſignum, ita temperamentum ſanguineum ſanguineæ.

Aliud reflexione dignum in Pleuritide proponit *Hipp. n. 24. lib. 3. de morb.* quod continetur in his verbis : *Cùm verò impetu fertur morbus; & ægrum, & Medicum à curationibus quieſcere convenit, ne quid mali inducatur*. Prohibet his verbis Hipp. omnem operationem medicam, purgationis, & miſſionis ſanguinis, cùm morbus eſt in vigore, quia tunc remediis non eſt agitanda natura, & præcipuè venæ ſectione, & purgatione, quæ naturam debilitando, eam diſtrahunt à morbi expugnatione. His remediis excluſis, ſola victus ratione ægrum dirigit, exhibendo Ptiſanæ ſuccum coctum craſſiorem ſpiſſitudine mellis, ut virium robur alimento craſſiori magis conſervetur, & pro expurganda materia per ſputum; ob quam rationem *lib. de rat. vict. in acut. n. 6.* ait: *Si verò os humectetur, & à pulmone prodeuntia, qualia oportet fuerint, ſorbitionis copiam, ut in ſumma dicam augere oportet*; nec ratio prohibitionis Ptiſanæ inferiùs proponenda, in hoc caſu valet, dum ſupponit ſputum, prout colligitur ab illis verbis, *Ubi tuſſes invaſerint, amplius bibendum, & quam maximè excreandum*. Balneum admittit, ut fluidiores facti humores faciliùs conatui tuſſis obtemperent. Per Balneum, lotiones corporis cum aqua calida intelligit, & poſt Balneum Vinum dulce aquoſum propinat modicum ad refocillandas vires, quæ à Balneo laxantur. Non frigidum exhibet, quia frigida morboſis pulmonibus ſunt noxia, modicum, quantum ſatis ad vires remittendas, in poculo anguſtioris orificii exhibet; confortantia enim ſunt magis efficacia paulatim, & pluribus hauſtibus aſſumpta, quàm unico hauſtu; ubi verò tuſſis invaſerit, & major excitata fuerit, Vinum in majori copia propinat, à quo materia per ſputum excernenda tenuior, excretionique magis obediens redditur, & vires augentur pro valido conatu ad excernendum. Potu copioſo vult pulmones eſſe humectandos, & rationem reddit, ut pulmo humidior factus, faciliùs, ac citiùs ſputum reddat, & tuſſis minus affligat. Potus ſit decoctum pectoralibus ſimplicibus compoſitum. Lambitivum pro eodem effectu parat *ex mali Punici dulcis vinoſi* (hoc eſt ſuccoſi) *ſucco lacte caprino modico, & melle.* Ad hujus

Lambi-

Lambitivi imitationem parari poſſunt Lambitiva attenuantia, ut *Succus dulcis mali Punici*, *Mel*, & epicerauſtica, ut *Lac*; ſimilia Lambitiva paulatim, & ſæpe exhibet diu, & noctu. Somnum ultimo loco prohibet, & rationem reddit, quia hoc interdicto purgatio per tuſſim citiùs, & copioſior fit; à ſomno omnes evacuationes, præter ſudorem, ſiſtuntur, in vigilia copioſiores evadunt: omnes evacuationes à ſpiritu cum motu perficiuntur; in vigilia ſpiritus eſt in motu, in ſomno quieſcit, ideò in ſomno evacuationes deficiunt; fit ſudor in ſomno, quia hic à laxitate papillarum cutis provenit, in ſomno hæ laxantur, ob ſpirituum retractionem ad interiora, & eorum quietem.

Nec prætereunda eſt altera *Hipp.* animadverſio de Ptiſana in Pleuritide, quam exhibet *in lib. de vict. rat. in acut. n.* 7. *Quin etiam ſi lateris dolor aſſiduus eſt, & ad calefactoria non remittit, & ſputum non prodit, ſed citra putrefactionem, ac concoctionem valdè viſcoſum ſit, ſi non ſoluerit quis dolorem, aut ventre mollito, aut vena ſecta, utrum tandem horum conducet, ptiſanam autem ita habentibus dederit cita mors talium contingit.* Ab hac ſententia erudiantur Practici, non ſemper utendum eſſe Ptiſana in Pleuritide, ſed abſtinendum eſſe, ubi ſputum eſt viſcoſum, quia Ptiſana craſſitiem auget, & ſputi eductionem difficiliorem facit, morbumque inſuperabilem reddit.

Alteram differentiam communiter addunt Scriptores, diſtinguendo Pleuritidem in aſcendentem, & deſcendentem; hancque differentiam ab *Hipp.* fuiſſe inventam probant *text.* 10. *lib. de rat. vict. in acut.* ubi videtur loqui de tali differentia Pleuritidis.

Hic text. non ſolùm Hipp. Commentatores, ſed omnes Practicos difficultate preſſit, quoad curationem, cùm in aſcendente ſanguinem mittat, in deſcendente purget, & de ratione hujus curationis acriter litigant; & adeò ardua eſt difficultas, ut *Soranus* referente *Cœlio Aureliano lib.* 2. *cap.* 19. de errore Hipp. redarguat. Hanc materiam poterit Lector videre apud *Zacut. lib. Hiſt. Medic. Princip. lib.* 2. *quæſt.* 23. apud *Mercurialem in com. libr.* 2. *de vict. rat. in acut. text.* 11. Ego difficultatem non habeo in curatione, ſed dubitavi ſemper, an *in cit text.* loquatur Hipp. de Pleuritide, quatenus ſtricto modo ſumpta eſt inflammatio, & textu attentè ponderato determinavi, Hipp. non loqui de Pleuritide, quæ ſtricto modo ſumpta eſt inflammatio, ſed de Pleuritide lato modo ſumpta, quemcumque lateris dolorem in principio ſuæ originis comprehendente.

Hanc determinationem accepti ab *Hipp.* qui *in cit. text.* habet, *Cœterum pleuritis, ſeu dolor lateris.* Omnis dolor lateris, non eſt Pleuritis ſtricto modo, ideſt inflammatio lateris, cùm multi obſerventur in praxi dolores lateris ſine inflammatione, ſimiles Pleuritidi in dolore, & in ſitu doloris, quibus non convenit nomen Pleuritidis ſtricto modo ſumptum, quia cum inflammatione non conjunguntur; convenit tamen lato modo, quia in aliquibus conditionibus Pleuritidem æmulantur. Et de omni dolore lateris ſermonem habere oſtendit in illis verbis *lib. ejuſd. text.* 12. *At ſiquidem dolor ad claviculam de ſe ſignificationem præbeat, aut gravitas ad brachium, aut ad mammam, aut ſupra ſeptum tranſverſum, venam ſecare prodeſt in cubiti flexura internam, & non cunctari copioſum ſanguinem detrahere.* His verbis determinat, quis dolor lateris ſit timendus, quia in Pleuritidem terminaturus, & concludit illum eſſe, qui ſua moleſtia claviculam afficit, vel mammam, vel brachium gravat, quia ſymptoma doloris in his partibus eſt ſignum inſeparabile à Pleuritide, ideòque iſtius initia futuræ inflammationis Pleuriticæ eſt indicium, & in hujus remedium ſubitam, & copioſam ſanguinis miſſionem proponit: in aliis verò doloribus claviculam non attingentibus, nec mammam, nec brachium gravantibus, cùm non ſint habituri tranſitum in Pleuritidem inflammatoriam, non ſunt timendi, ideòque neque ſanguinis miſſione illis occurrendum, ſed potius purgatione, ut ſancivit in Pleuritide deſcendente, hoc eſt de Pleuritide, ſeu potiùs dolore lateris ſub ſeptum tranſverſum; & hoc nomine doloris, non Pleuritidis, uſus eſt *Hipp.* dum ſcribit: *Si verò ſub ſepto tranſverſo fuerit dolor, ad claviculam verò de ſe ſignificationem non præbeat, alvum mollito.* Prætermittit ſanguinis miſſionem, quia in hoc dolore non eſt periculum inflammationis pleuriticæ, cùm menbrana pleura ſit ferè exanguis, & in partibus talis conditionis non poteſt fieri inflammatio, quæ à ſanguine ſtagnante in aliqua copia ſemper proficiſcitur; quod certiſſimum eſt in Hipp. ſententia, qua ſancivit ſedem Pleuritidis eſſe unum lobum pulmonis, prout ſuperiùs demonſtravi proponendo textum de locis in homine, ubi apertis verbis hanc ſententiam exponit; hocque lobo inflammato, inflammatur etiam pleura huic proxima. Proponit purgationem, quòd cùm non poſſit talis dolor à ſanguine, vel in flammatione produci ob rationem ſuperiùs dictam, neceſſe eſt, ut ſit ab humoribus ſeroſis, & à ſucco nerveo acri, vel à flatibus cum minera humorum, quibus opportuna purgantia, quæ contra flatus præparat Hipp. admiſcendo iſtis aromatica, & odora, ut *Daucum*, *Seſeleos*, *Cuminum*, *ſuccum Silphii*. Flatus reſpexiſſe Hipp. in cura hujus doloris demonſtravit in illis verbis *text.* 13. *cit. lib. Peplium verò flatus magis erumpere facit*, & hoc pro purgatione proponit, alia verò medicamenta alvum ſubducentia etiam æſtimat pro dolore leniendo.

Adnotandum eſt hìc pro purgatione oſtendenda uſum eſſe verbo *mollire*, quod connotat remedia *lenientia*; ex quo cenſendum exhibere *Helleborum*, & *Peplium* in ea doſi, qua lenire alvum, & à primis viis educere poſſint. Et confirmari poteſt ab exhibitione Ptiſanæ ſtatim poſt cibum, ut inferiùs monet, quia hæc ſua virtute emplaſtica medicamenti virtutem irritativam moderatur, ut non purget, ſed leniat. Lenitivo utitur, quia hoc, locus ſub ſpeto traſverſo ab humore collecto poteſt mundari, ob vicinitatem cum ventriculo.

Textus ergo præſens non intelligendus de Pleuritide facta, quæ ſit aſcendens, & deſcendens, ſed de dolore lateris, qui ſi aſcendit ad claviculam tranſit in Pleuritidem, & de dolore lateris ſub ſepto tranſverſo, qui non poteſt tranſire in Pleuritidem; ideò hic purgatione, ille ſanguinis miſſione curandus.

Hi ſunt varii modi Pleuritidem curandi ſecundùm methodum Hipp. quibus à *Martiano in com. lib.* 3. *Hipp. de morb. verſ.* 129. conſideratis, arripit occaſionem redarguendi plebem Medicorum, qui omnes Pleuritides uniformiter curant venæ ſectione, purgatione, expectorantibus, fortibus, unde contra hos exclamat: *Videant omnes, quantum ars medica his temporibus amiſerit perfectionis priſcorum reſpectu, quamvis contrarium jactent ubique veræ artis ignari.*

CAP. IV.

De Eryſipelate Pulmonum.

Plures differentias Eryſipelatis pulmonum deſcripſit *Hipp.* Prima reperitur *in lib.* 2. *de morb. num.* 53. ſub his verbis: *Si Eryſipelas in Pulmone fiat, tuſſis habet, & ſalivam expuit multam, ac liquidam velut de guttere, non eſt autem cruenta, & dolor tenet dorſum, & vacuas partes ventris, ac laterum mollitudinem, & viſcera ſugunt, & vomit pituitam, ac velut acetum, & dentes ſtupeſcunt, & febris, ac rigor, & ſitis corripit, & ubi quid ederit in viſceribus ſugit, & acidum eructat, & venter ſtridet, & corpus torpeſcit, & ubi vomuerit melius ſe habere putat; cùm autem non vomerit digreſſa die tormen, & dolor in ventre oboritur, & excrementum alvi liquidum procedit.*

An deſcriptus morbus, Eryſipelas pulmonis cum ratione nuncupetur dubitari poteſt, cùm iſtius deſcriptio potiùs ventriculi, & hypochondriorum affectionem repræſentet, ut dolor vacuarum, hoc eſt cavarum partium ventris, in quo partes alias aſſignare non poſſumus, niſi ventriculum, & inteſtina ſenſibili, & ampla cavitate donata, in laterum mollitudine, hoc eſt in Hypochondriis circa latera, in quibus partes molles perſentiuntur adſunt hepar, & lien multarum affectionum hyponchondriacarum ſedes, & doloris ſecundum partes ſenſitivas. Vomitus materiæ acidæ, fluxus alvi, & dolor ventris iſtius partes varias ægrotare monent, moderatio ſymptomatum à vomitu ſedem dictorum in infimo

infimo ventre, qui per vomitum à pravis humoribus purgatur, determinat, pulmones excludendo, quorum paſſiones morboſas vomitus per ſe rariſſimè moderatur. Dubium inſolubile videntur reddere *Hipp.* verba *in fine cit. text. Et per plurimum tempus morbus prorogari poterit; eſt autem non lethalis, ſed conſeneſcentes relinquit.* Eryſipelas autem pulmonis, cùm ſit morbus acutus, quia inflammatio partis principalis, & ad vitam neceſſariæ, per plurimum tempus prorogari non concedit, nec conſeneſcere acuties permittit.

Verùm negari non poteſt in affectu deſcripto manifeſtam obſervari pulmonum affectionem ex tuſſi, propria dicti viſceris indiſpoſitione, quæ à materia in eo collecta pendet, cùm ſaliva multa per tuſſim excernatur, prout colligere licet à verbis textus; uſus eſt enim Hipp. quæ à pulmonibus ejiciuntur excrementa, nomine expuitionis deſignare, & confirmat, dum ait, materiam tuſſi excretam eſſe liquidam velut illam de gutture, comparando dictam materiam cum ea, quæ à gutture, & à faucibus exit, & eſt pura ſaliva, & eodem tempore monet, ſalivam expectoratam cum tuſſi non eſſe puram ſalivam, dum huic in fluxibilitate comparatur, cùm comparatio non correſpondeat uni tantùm ſubjecto, ſed pluribus. Ulteriùs dicit, hanc ſalivam non eſſe cruentam, ad diſtinctionem illorum morborum pulmonis, in quibus adeſt tuſſis, & ſaliva, ſeu ſputa non cruenta, ab illis, in quibus ſunt cruenta; ſed illi ſunt ab affectione pulmonum, ut patet in Pleuritide, & Peripneumonia, in quibus rarò ſputa ſunt cruenta, conſequenter & deſcriptus morbus cum tuſſi, & ſaliva non cruenta ad pulmones malè affectos referendus, & id perſuadet dolor in dorſo, cui pulmones correſpondent.

Probata mala affectione pulmonum in deſcripto caſu, videndum quomodo reducatur ad Eryſipelas, & quomodo diſtinguatur ab aliis inflammationibus pulmonum, & quomodo cum hoc Eryſipelate conjungantur paſſiones ventris inferioris.

Hunc morbum non eſſe legitimum Eryſipelas, colligitur ex ipſo Hipp. qui de hoc agit alio in loco, ut mox patebit; quapropter reductivè ſolùm ad Eryſipelas prædictus morbus conſiderandus, ratione aliqualis ſimilitudinis in generatione cum Eryſipelate, & ratione alicujus proprietatis cum eo communis.

Eryſipelas, docente *Senerto in lib. de febribus*, ubi agit de Eryſipelate, duo in ſua eſſentia includit: primum febrem cum rigore factam à ſanguine corrupto, vel mala qualitate infecto, cujus expulſionem aggreditur natura; eoque expulſo ad externam partem in hac ſtagnante, & fixato, tumorem, & ruborem relinquit cum dolore, & eſt ſecundum in Eryſipelate requiſitum.

Cùm in deſcripto morbo reperiatur maſſa ſanguinis acido humore infecta, ut colligere licet à *cit. text.* hic naturæ infeſtus febrilem excitat effervescentiam, & cum rigore, ut legitur in textu, hacque mediante infeſtus humor à maſſa ſanguinis ſecernitur, & in pulmones deponitur, eo modo quo bilioſus ſanguis in maſſa iſtius depravatus, & expulſus ad externam partem vi febrilis effervescentiæ generationem Eryſipelatis conſtituit; ob hanc ſimilitudinem cum generatione Eryſipelatis, hic morbus dicitur ab Hipp. *Eryſipelas Pulmonum*. Febris comitatur hanc depoſitionem humoris in pulmonibus, ſicut depoſitioni humoris in parte externa conjungitur febris in Eryſipelate, ad differentiam depoſitionis in abſceſſu, à qua febris non excitatur, ſed ſolvitur. Et ſi depoſitio materiæ ſanguineæ in Eryſipelate eſt extra vaſa ſanguiflua, ita depoſitio materiæ ſeroſæ, in hoc affectu, eſt extra vaſa ſanguiflua pulmonum, in horum nempè bronchiis, ut inferiùs demonſtrabitur. Ratione iſtius ſimilitudinis Eryſipelas pulmonum propoſitus affectus dicitur.

Licèt in hoc affectu ſit tuſſis, dolor, & febris, non eſt inflammatio, quam diverſis rationibus diſtingui docuit *Senert. cit. loc.* Diſtinctionem verò in hoc affectu deſumimus à duplici fonte; à materia, à febre inflammatione pulmonum. Materia excreta per tuſſim eſt craſſa, purulenta, & cum varietate colorum, quæ putredinem materiæ in parte inflammata oſtendunt, in deſcripto affectu materia tuſſi rejecta eſt liquida, ſine colore præternaturali, cùm ſit liquida, & naturali ſalivæ ſimilis, ut loquitur Hipp. ex quo deducitur non eſſe putredine affectam, conſequenter nec eſſe materiam inflammationis. Febris in omni inflammatione pulmonum eſt acuta; talis non eſt in deſcripto morbo, cùm ad longum tempus ejus curatio protrahatur, & conſeneſcat, morbi cum febre acuta in longum non protrahuntur, nec conſeneſcunt.

Paſſiones infimi ventris conjungi cum hoc affectu pulmonum declarat textus, ex quo oritur difficultas, an affectus ventris pendeant ab affectu pulmonum, vel hic derivetur ab affectibus ventris. Pro hujus difficultatis ſolutione conſidero in hoc affectu eſſe vomitum pituitæ acidæ valdè, ut dentes ſtupeſcant, ructus acidum redolere, ex vomitu melius ſe habere, & hoc interdicto omnia augeri ſymptomata. Acidum in hoc affectu manifeſtam originem ſuam ab affectu pulmonum cognoſcere non poteſt. Vis eſt in pulmonibus ſanguini raritatem, tenuitatem, & accenſionem impertiendi, non aciditatem, quapropter pulmonum vitium ventris affectus non fovet. Aciditas verò in maſſa ſanguinea, ſerumque, & pituita in hac abundans omnibus accidentibus occaſionem præbere poteſt. Pituita acida pungendo partes membranoſas, & nervoſas meſſenterii, & inteſtinorum dolorem inducit, flatus à pituita acida elevat, calor partium in hypochondriis exiſtentium; hi elevati ſuo motu ſtrepitum, rugitum, nomine ſtridoris appellatum efficiunt, maſſa ſanguinea excrementis coinquinata torporem toti corpori conciliat, gravando, & ſpiritus animales pro ſufficienti virium robore denegando. Maſſam ſanguineam ab excrementis contaminatam demonſtravit Hipp. referendo cauſas hujus affectus, *ebrietatem* nempè, *eſum carnium*, qui immoderatus ſupponendus; in vino eſt acidum excedens, in carne eſt acidum occultum, quod in putredine illius fit manifeſtum; non mirum ergo, ſi ab excedenti iſtorum uſu excrementa acida redundent; impedit perfectam concoctionem quantitas dictorum, & excrementorum generationem coadjuvat. *Aquæ mutationem* addit: per mutationem aquæ debemus concipere aquam craſſam, paluſtrem, alienis particulis contaminatam, & naturam aquæ in peſſimam mutantibus; quantum enim valeat talis aqua ad excrementorum proventum, experientia in Cachexiis, Diarrhœis, & aliis affectibus pravis docet.

Ab hac ſanguinis conditione, & excrementorum proventu, facilè eſt deducere cauſam ſalivæ copioſæ, liquidæ, & tuſſis, & febris. Redundans ſerum deponitur in bronchiis, & veſiculis pulmonum vitio iſtorum, vel quia nimis laxa, vel quia nimis dilatata, vel quia ob calorem partium ſpiritalium ſerum magis fluidum factum ad ſegregationem copioſam in dictis partibus deponitur. Hoc ſerum acidum in dictis partibus congregatum, & copia, & aciditate irritando tuſſim excitat, à qua ſputum copioſum, & liquidum promovetur, quia materia irritans eſt talis conditionis. Tuſſis augetur à pituita acida vellicante nervos ventriculi, & œſophagi, qui à trunco nervi paris vagi emittuntur, à quo procedunt etiam nervi per pulmones diſperſi; quapropter iſti ab illorum vellicatione concipiunt motus ſpaſmodicos, & convulſivos, cum tuſſi, quæ non eſt niſi motus pulmonum convulſivus. Ab eiſdem excrementis, utpotè naturæ hoſtilibus effervescentia, & ebullitio præternaturalis, cum febre in maſſa ſanguinis excitatur, & præcipuè in venis meſſenterii, ventriculi, & inteſtinorum, cum rigore, laceſſitis ab acido irritante partibus ſenſitivis dictorum viſcerum, & quia partes acidæ humorum quotidiè exaltantur, quotidiè etiam febris accenditur. Omnium dictorum effectuum cauſam prædictam accipimus ab eo, quòd ab excretione materiæ acidæ per vomitum enarrata ſymptomata miteſcant, & excretione ſubſiſtente exacerbentur.

Ab hac doctrina probatum manet deſcriptum Eryſipelas eſſe reſpectivum, hoc eſt ſimilitudinem quamdam habere cum Eryſipelate legitimo, & eſſe per conſenſum vitiatæ maſſæ ſanguineæ, & læſionis ventris inferioris; ob quam rationem in hypochondriacis acidis humoribus, ſeroque refertis talis morbus, licèt rarò, obſervatur. Ideò definiri poteſt: *Tuſſis, cum copioſo ſputo liquido, à vitio partium inferiorum, & ſanguinis in acido conſiſtente, unà cum febre.*

Non

Non diſſimilem refert caſum *in lib. de intern. affect. n.7.* ubi habet: *Si inflammatio in pulmone fiat; fit autem maximè à vinolentia, & guloſitate piſcium, Capitonum, & Anguillarum, hi enim pinguedinem habent naturæ homini infeſtiſſimam. Jam vero factus eſt morbus à pituita, ubi ſanguini mixta in pulmonem influxerit. Accidit etiam ex carnis eſu, & aquæ mutatione. Hæc igitur æger patitur. Tuſſit fortiter, & ſalivam expuit liquidam, ac multam, ſæpe etiam craſſam, & albam velut à raucedine, & dolor premit acutus in pectora, dorſum, & laterum mollitudinem, ac latera, & acidum eructat, & expectoribus, & pulmonibus velut, venter murmurat, & vomit pituitam acidam, & ſi id, quòd vomit, in terram effundas, rodit terram velut aceto infuſo, & dentes ſtupeſcunt, & rigor, ac febris, & ſitis fortiter tenet, & ſi quid pingue voluerit edere, exugitur ad viſcera, & vomitum inducit, & totum corpus torpor occupat; cùm verò retro miſerit, levior ſibi eſſe videtur, poſtea ubi veſpera die acceſſit, venter ſonitum edit, & tormine vexatur, & murmurat.*

Quamvis præſens caſus in ratione partis affectæ, & ſymptomatum conveniat cum præcedenti, ut videre eſt ex allata deſcriptione; differt tamen ſecundùm ideam morbi, & materiam, nam vera eſt inflammatio, & talis ab Hipp. denominatur, & ſanguis peccans talem determinat. Omnis enim inflammatio à ſanguine, hac ratione omninò differt à præcedenti affectu ſub nomine Eryſipelatis deſcripto, & omnia accidentia, quæ in hoc textu enumerantur, ſunt ſæviora, ratione mixtionis ſanguinis cum pituita. Sanguis ſpiritibus valdè activis donatur pro operationum naturalium exercitio, eadem activitate dicti ſpiritus agunt in actionibus præternaturalibus, quotieſcumque ſanguis depravatur, & quo ſpiritoſior, & activior eſt ſanguis, ſi depravetur cum morbi generatione, hic fit vehementiſſimus, & omnia ſua accidentia ſæviſſima; ratione vehementiæ iſtius morbi, & ſuorum accidentium, diſtinguimus hanc pulmonum inflammationem eryſipelatoſam ab Eryſipelate ſupradicto, in quo enumerata ſymptomata ſimilia ſunt mitiora, & hoc eſt unicum, & verum diſtinctivum Eryſipelatis reſpectivi ſuperiùs deſcripti ab inflammatione pulmonum, de quo loquitur Hipp. in hoc loco. Cum ſanguine unitur pituita, & acidam determinamus à vomitu, à ructu acido colligimus; ex quo deducimus non eſſe veram, & legitimam inflammationem à ſincero ſanguine, & impermixto factam, & putreſcente, ſed neque illegitimam demonſtrabitur inferiùs, & ad pituitam prædictam referenda ſunt ferè omnia deſcripta ſymptomata, nec mirum hæc eſſe ſæviſſima, ſi bilis atræ naturam ſequitur, cùm ad modum iſtius effuſa ſuper terram, hanc erodat velut acetum. Per iſtius acrimoniam vellicativam, irritativam, omnia ſymptomata enarrata explicantur, ſicut & febris per virtutem talis humoris fermentativam modo ſuperiùs deſcripto declaratur; à vomitu pituitæ mitigatio dictorum ſymptomatum id confirmat. Ad humorem, & flatum in bronchiis veſiculis, & interſtitiis pulmonum reducendum eſt murmur velut ventris deſignatum ab Hipp. in pectoribus, & pulmonibus, quia à flatu, & ab humore fit murmur; humorem adeſſe in dictis partibus à tuſſi forti, & multo ſputo colligitur, ibi effverveſcere febris, & natura fermentativa acidi humoris confirmat, & à fermentatione ſemper flatus à vaporibus vi illius elevatis.

Hanc inflammationem non eſſe veram, nec legitimam, ut ſuperiùs innui, manifeſtavit *Hipp.* loquendo de prognoſtico *in cit. text.* ubi habet: *Si verò non fuerit uſtus, permanet, & non valdè deficit, ſed ad ſenectam uſque adhæret; ſæpe etiam commoritur, ſi non in primis, quadraginta diebus mortuus fuerit.* Nulla inflammatio vitæ extenſionem ad tale tempus permittit, ſi fuerit legitima, & ad hanc extenſionem pervenit illegitima tantùm, & quotieſcumque ejus ſymptomata à ſævitie diſceſſerint, cùm ſit impoſſibile uniri vitæ conſervationem cum dictorum ſymptomatum ſævitia per longum tempus, & obſervamus inflammationes pulmonum legitimas, ut Peripneumonia, in quatuordecim, vel viginti dies ſuum terminum attingere, niſi ad ſuppurationem tendant. Moderatio ſymptomatum, quæ ſunt propria legitimæ inflammationis in hoc morbo, docent hunc accedere ad inflammationem, & ab hac differre per minorem ſymptomatum intenſionem, & ita inflammationem cedere in hoc affectu, ſolamque phlogoſim in pulmone relinqui præbentem ſignum diſtinctivum ab aliis legitimis inflammationibus, quæ in moderatione ſymptomatum vicinam habent ſalutem, hæc verò cum moderatione iſtorum longam habet perſeverantiam. Alterum ſignum diſtinguens hanc inflammationem ab aliis inflammationibus legitimis pulmonum colligimus à textu Hipp. qui omnibus aliis recenſitis ſymptomatibus non addit difficultatem reſpirandi conjunctam ſemper cum illis.

Extenſa duratio hujus morbi uſque ad ſenectutem, perſuadet inflammationis nomen ei non competere, Hippocratemque hoc non tribuendo, vel erraſſe, vel aliud nomine inflammationis intellexiſſe, cui ſi addamus abſentiam difficultatis reſpirandi, & humoris reſiſtentiam ad putreſcendum, quæ in nulla inflammatione pulmonum legitima, neque illegitima reperiuntur, convincentem reddunt rationem ad excludendum hunc morbum à numero utriuſque inflammationis, & adeò convincens eſt ratio, ut modum ſolutionis demat. Quia verò non eſt credendum, Hippocr. in talem ſenſum evidenter falſum deſcendiſſe, perquirenda hujus aſſerti veritas, quam ſemper amavit Hipp.

Pro extricando hoc nodo, adverto, Hipp. ſtabilire generationem hujus morbi à fluxu pituitæ, & ſanguinis in pulmonem, à quo abſceſſus habetur, cujus eſſentia eſt tranſitus humoris ab uno loco, ſeu ſubjecto, in aliud ſubjectum. Fit tranſitus pituitæ, & ſanguinis ab arteriis in pulmones, conſequenter fit abſceſſus cum morbo in pulmonibus. Abſceſſus, alius eſt, in quo materia ſuppurationem patitur, alius, in quo cruditatem ſemper conſervat, prout advertit, ex mente Galeni, *Mercur. in com. prognoſt. Hippoc.* ſupra illa verba, *Quibuſcumque abſceſſus fiunt, &c.* In ultimo genere conſiderandus morbus ab Hipp. deſcriptus nomine inflammationis, in quo, licèt materia, ex qua fit, ſit, & remaneat cruda ſuppurationi reſiſtitiva, dicitur tamen ab Hipp. inflammatio, quia conſuetum eſt in Arte Medica omnem abſceſſum cum febre, & dolore, qualis eſt præfatus morbus, inflammationem appellare; impropriè tamen, cùm propriè ſolùm dicatur inflammatio abſceſſus cum febre, & dolore, in quo materia ad ſuppurationem tendit; quod de illegitima etiam inflammatione dicitur, quia, cùm hæc ſit talis ſolùm ob admixtionem humoris alieni à natura ſanguinis cum ipſo ſanguine, humor tamen ille ſuppurationem admittit, ideòque licèt illegitima, verè tamen dicitur inflammatio. Eſt ergo prædictus affectus ab Hippoc. deſcriptus inflammatio pulmonum impropriè, quia iſtius materiæ deficit inclinatio ad ſuppurationem, quæ conditio unita tumori, dolori, & febri, complet propriè inflammationis eſſentiam, & quamvis in dicto morbo tumor, dolor, & febris reperiantur, quia deeſt inclinatio materiæ ad ſuppurationem, non eſt denominandus talis morbus, niſi inflammatio impropriè. Poſſumus etiam dicere, Hippocrati conſuetum eſſe magnum calorem inflammationem dicere, & quia pituita, cum ſanguine ad pulmones fluxa ſummè incaleſcit, & calorem præternaturalem pulmoni communicat cum exceſſu, ideò dicitur inflammatio.

Alteram differentiam habet *Hipp. in cit. lib. de intern. num.8.* ubi ſcribit: *Si pulmo ab Eryſipelate intumuerit; hic autem tumor maximè à ſanguine fit. Cùm pulmo in ſe ipſum ſanguinem traxerit, & ſuſceptum tenuerit; Morbus autem hic Æſtatis tempore maximè fit. Hæc igitur ab ipſo æger patitur. Tuſſis incidit ſicca, & rigor, & febris, & erecta cervice ſpiratio, & dolor fortis in pectoribus, & nares aperit, velut Equus à curſu, & linguam exerit, velut Canis Æſtatis ardore uſtus, & tumor detinet pectora, & parùm loquitur, & rubor eſt in facie, & pruritum fert in corpore, & præ dolore decumbere non poteſt.*

In hoc textu verum, & legitimum Eryſipelas deſcribit. Præmittit tumorem pulmonis, cujus ſigna ſunt tumor pectoris, ſpiratio difficilis, & tuſſis ſicca. Tumor externus pectoris tumorem ſubjectarum partium deſignat, & præcipuè ſi dictarum partium argumentum læſionis cognoſcamus, ut in caſu propoſito, in quotuſſis ſic-

ſis ſicca, & difficilis reſpiratio pulmonis morboſi ſigna præbent. A quibus etiam tumoris exiſtentia deducitur. Reſpiratio difficilis ab impedita cavitate bronchiorum, & veſicularum pulmonis aeri ingreſſum interdicente proficiſcitur, hæc anguſtia, vel ab humore implente dictam cavitatem, vel à compreſſione ejuſdem facta ab aliis pulmonum partibus efficitur, ab humore in caſu præſenti non tollitur capacitas in bronchiis, & veſiculis pro aere, quia adeſt tuſſis ſicca, carentiam humoris oſtendens in dictis partibus, cùm ab humore ibi exiſtente tuſſis humida ſentiatur, non ſicca, conſequenter hujuſmodi tuſſis, cum difficili reſpiratione, determinanda à compreſſione dictorum bronchiorum, ſuccedens, quando impleta vaſa pulmonum, humore, ſanguinique turgida premendo bronchia, & veſiculas, cogendoque earum ſuperficies ad mutuum contactum, quamcumque capacitatem, & ſpatium adimunt, & quo major eſt preſſio, major eſt ſpirandi difficultas, ut niſi recta cervice, & cum conatu ſequatur; à quo nares dilatantur, velut in Equo à veloci curſu defatigato, qui ad crebram, & dilatatam reſpirationem ſollicitatur. Cum difficili reſpiratione parva jungitur loquela, quæ multa, & accelerata indiget reſpiratione. A preſſione, à calore, ab acrimonia humoris vaſa implentis irritatis bronchiis, & veſiculis, tuſſis ſicca promovetur. Humoris copia efferveſcens in vaſis febrilem calorem efferveſcentiæ inordinatæ comitem accendit, membranæque pulmonum, & ſuorum nervorum ab evaporantibus per efferveſcentiam particulis acribus laceſſitæ rigoris ſentiunt moleſtiam. A turgidis vaſis diſtenduntur membranæ, & nervi prædicti, cum dolore, qui in omni extenſione violenta dictarum partium exacerbatur, & talis eſt doloris acuties, ut decumbere non poſſit. A pulmonum incaleſcentia, cum magno incendio æſtuans patiens, linguam exerit, velut Canis in magnis ardoribus ambientis, propter ſuffocationem, quam reſpirandi difficultas minatur, ut in ſuffocatis ſemper obſervatur.

Hunc tumorem eſſe à ſanguine, cenſet, & determinat Hipp. & prædictorum ſignorum ſyndromes oſtendit. Reſpiratio difficilis recta cervice, cum narium dilatatione, & parva loquela, & tuſſi ſicca plenitudinem opprimentem in pulmonibus innuit, non in cavitatibus, quia tuſſis non eſſet ſicca, ergo in vaſis; iſtorum verò plenitudo eſt à ſanguinis maſſa. Idem habemus à febre cum rigore, & intenſa, cum ſiti excedenti, ut ſuperiùs dictum eſt; hæc eſt ſanguinis inordinata, & vehemens efferveſcentia, & in malè affecta parte, ſi conjungatur febris, plenitudinem ſanguinis in hac arguit; rubor faciei, dolor intenſus in pectoribus, & pruritus corporis fit à magna efferveſcentia ſanguinis in toto, in quo bilis dominatur, ratione Æſtatis, in qua dictus morbus, ex Hipp. dicto, contingere ſolet. In tuberculis, & vomica pulmonum adeſt reſpiratio difficilis, ſed non recta cervice, adeſt dolor, ſed non fortis in pectoribus, adeſt febris, ſed non acuta, quia materia externa in turberculo, & vomica premit unam derminatam partem bronchiorum, non omnes partes, ut in Eryſipelate. In Pleuritide, & Peripneumonia adeſt tuſſis, ſed non ſicca, difficilis reſpiratio, ſed cum loquela multa, & cum cervice demiſſa, adeſt dolor, ſed in una determinata parte pectoris, non in toto pectore; & ſi Peripneumonia fit ab utroque lobo pulmonum inflammato, non eſt Eryſipelas, quia in illa portio lobi utriuſque tantùm inflammatur, & tumet, in Eryſipelate uterque lobus totus inflammatur.

Modum, ſecundùm quem fit hoc Eryſipelas in pulmonibus, deſcribit ibi *Hipp.* dicendo: *Hic autem tumor maximè à ſanguine fit, cùm pulmo in ſe ipſum ſanguinem traxerit, & ſuſceptum tenuerit; morbus autem hic Æſtatis tempore maximè fit.* Sanguis non attrahitur verè à pulmonibus, ſed ad hos fluit modo ſuperiùs explicato de Pleuritide, & talis fluxus tractio ab Hipp. denominatur. Fluxus eſt talis conditionis, ut cum impetu, & velocitate moveatur ſanguis per arterias ad pulmones; ex quo ſequitur, ut vaſa arterioſa ſanguine ad turgentiam impleantur; non ſufficiente ſpatio venarum, nec poroſitatum ſubſtantiæ pulmonum locum concedere ſanguini in copia cumulato in arteriis à velocitate, & impetu ejuſdem, qua ad pulmones fluit, ideòque neceſſaria arteriarum turgentia, & ejuſdem ſanguinis retentio. Æſtatis tempus ad imprimendas ſanguini dictas conditiones velocitatis, & impetus eſt maximè opportunum, cùm à calore magnam acquirat fluxibilitatem, qua ad motum promptior evadit, & ab eodem magis fervet, & à fervore impetum ſuſcipit. At ſi aliis anni temporibus à cauſis intrinſecis, vel extrinſecis dictæ conditiones imprimantur ſanguini, utique in eis talis morbus ſuccedet. Et ſi etiam aliquis lentor ſanguinem inficiat, ut liberè ab arteriarum capillaribus extremitatibus exire non poſſit, & aliqua portio recepti ſanguinis, parva licèt, tota tamen non expellatur, tractu temporis à retento ſanguine in pauca, & minima quantitate arteriarum cavitas ad turgentiam impletur, ob poſitum impedimentum libero curſui ſanguinis ab ea portione ſanguinis in extrema orificii arteriæ parte ob lentorem quieſcente.

Alterum pulmonis Eryſipelas deſcribit *Hipp. lib.* 1. *de morb. n.* 13. his verbis: *Eryſipelas autem in pulmone fit, ubi pulmo nimirum fuerit reſiccatus, id quòd contingit ab ardore, & à febribus, & à labore, & intemperie; & cùm ſuperexſiccatus fuerit, plurimum ſanguinis in ſe ipſum trahit maximè quidem, & plurimum ex venis magnis; hæ enim ipſi viciniſſimæ ſunt, ac ipſi incumbunt, trahit etiam ex aliis vicinis, & tenuiſſimum, ac debiliſſimum trahit. Poſtquam autem traxit febris ex ipſo fit acuta, & tuſſis ſicca, & repletio in pectoribus, & dolor acutus in anterioribus, ac poſterioribus partibus, maximè circa ſpinam, nimirum magnis venis pertalefactis, & vomunt aliquando ſubcruentum, aliquando lividum, vomunt item pituitam, & bilem, & frequenter animo linquuntur, propter ſanguinis tranſmutationem derepente contingentem, atque hoc maximum ſignum eſt Eryſipelatis in pulmone generati, & ſi aſſidua febris invaſio contigerit.*

Eryſipelas à cauſa externa in antecedenti explicato textu propoſuit Hipp. ut patet ex illis verbis textus: *Æſtate magis fit hic morbus*, ob calorem aeris diſponentem ſanguinem ad fluxum, & ſtationem in pulmonibus. In præſenti textu proponit Eryſipelas vitio pulmonis; ideò ait: *Ubi pulmo fuerit nimirum reſiccatus.* Exſiccatio eſt vitium pulmonis, non ſanguinis; quapropter, ſecundùm Hippocratem, diſtinguendum Eryſipelas pulmonum in illud, quòd eſt ex vitio ſanguinis, & in illud ex vitio pulmonum. Vitium pulmonis proponit, quando dixit *Pulmo reſiccatus*, & quando cauſas exſiccationis aperit, ait enim, *Quòd contingit ab ardore, à febribus, à laboribus, ac intemperie.* Hæ omnes cauſæ non immediatè Eryſipelas gignunt, ſed introducta priùs exſiccatione, à qua immediatè proficiſcitur Eryſipelas. Hoc quomodo ab exſiccatione contingat oſtendit, dum ait, *Pulmonem ſuperexſiccatum plurimum ſanguinis ad ſe trahere*; omnia enim ſicca poroſitatum, vel cavitatum plena, ut terra, cinis, ſpongia, proximam aquam attrahere videntur, & citiſſimè hanc abſorbent. Pulmo Animalis exſiccatus, ſi aqua maceretur, turgeſcit in majorem molem, quàm habebat in viventi Animali, non aliter, ac ſi aquam facultate inſita ad ſe traxiſſet, quamvis verè ſicca poroſa, imbibendo humidum fluidum, hoc non trahant, ſed fluidum poroſitates ſicci ingrediendo, extremamque illarum capacitatem penetrando implet, & ſiccum corpus tenue, & gracile turgere facit; & ſi ſiccum extenſionis ſit capax, tanta fluidi quantitas in hoc penetrat, quanta ab ejus extenſionis capacitate permittitur, reducendo ſiccum ad turgentiam, & cum turgentia majorem molem, quàm antea tribuendo. Id obſervamus in pane biſcocto, in quo, ob ſiccitatem, multæ aperiuntur poroſitates, reſoluto à calore furni humido aliquas connectente particulas, ex cujus reſolutione disjunctæ, & ſeparatæ adinvicem poroſitatem intermediam relinquunt, priùs ab humido occupatum, quæ à ſuperinfuſo vino, vel aqua implentur, & quia majores, & etiam frequentiores ſunt in biſcocto poroſitates, ideò majorem copiam humidi, quàm non biſcoctum imbibit ad magnam turgentiam, ita ſicca humidum dicuntur trahere.

Pulmo dicitur exſiccatus, quando diſpoſitus eſt, ſecundùm ſuæ ſubſtantiæ, & vaſorum texturam, copiam humoris recipere, prout dictum eſt de corporibus exſicca-

ſiccatis. Talis diſpoſitio conſiſtit in dilatatione poroſitatum, in quibus humor pro alimento inſtillatur, & in dilatatione vaſorum ſecundùm capacitatem. Hac diſpoſitione ſuſcepta; pulmo & in ſuis poroſitatibus, & vaſis excedentem ſuo muneri ſuſcipit ſanguinis copiam, & præcipuè tenuiſſimam, & debiliſſimam illius portionem; tenuiſſima eſt illa magis apta ad fluendum, & penetrandum in profundiores ſubſtantiæ poroſitates, & prima eſt magis expedita ad dilatatam vaſorum capacitatem occupandam; debiliſſima etiam dicitur illa portio ſanguineæ maſſæ minùs aptæ nutritioni, & quæ eſt maximè fluida, & eſt ſanguinis ichor ſpiritu depauperatus. Sicut enim ab Hipp. alimentum debile dicitur, *quod non vertitur in ſubſtantiam aliti*, vel parum ejus, & non eſt multum durabile; ita humor debilis dici debet, qui nihil, vel parum naturæ agenti ſervit. Debilis etiam poteſt dici illa portio ſanguinis, quæ non valet præternaturali fermentationi reſiſtere, prout eſt pars ſeroſa ſanguinis multigenis ſalibus fermentativis impregnata, & iſtorum reſpectu cauſis morbificis parum reſiſtens, ideòque debilis dicitur.

Hujuſmodi copia ſanguinis in pulmonibus modo deſcripto collecta, quia ob abundantiam tota motum circularem perficere non valet, nec tota in alimentum verti ibidem ſtagnat, & effervescentiam præternaturalem vehementem ſuſcipit; unde febris acuta, cum intenſo calore pulmonum, cui conjunctus rubor Eryſipelas verum conſtituit, ad differentiam aliarum inflammationum, quæ unam determinatam portionem illorum occupant. Ab hac excedenti, & præternaturali humoris fermentatione plenitudo, ſeu repletio in pectoribus oritur; omnia liquida fermentantia turgentiam acquirunt, plenitudini à copia humoris æqualem. Tuſſis ſicca his conjungitur, quia humor non eſt in bronchiis, & veſiculis pulmonum, ſed hæc irritantur à vaporibus exhalantibus ab humore fermentante in vaſis, & poroſitatibus pulmonum, & ab irritamento vaporoſo tuſſis ſicca. Dolorem acutum in poſterioribus, & anterioribus partibus, maximè circa ſpinam, alia comitantem ſymptomata eſſe à magnis venis percalefactis docet Hippoc. hoc eſt à ſanguine ſummè percalefacto exiſtente in vena cava, & arteria magna circa ſpinam dorſi in pectore, à quo emiſſæ particulæ igneæ turmatim in pleuram, & muſculos thoracis triſti ſenſatione hos afficiunt, cum dolore acuto. Vomunt ſubcruentum, non ob ſanguinem altero humori mixtum, ſed ob bilem æruginoſam ſero mixtam, hocque colore ſanguinis tingentem, & tales excretiones ſubcruentas nominat Hippoc. ut alibi demonſtrabitur; & ſi bilis æruginoſa ad atram inclinaverit, dictoque ſero miſceatur materia per vomitum excreta livida apparet. Vomunt bilem, & pituitam, quia à febre maſſa ſanguinis intensè alterata in varia tranſmutatur excrementa, à quibus natura per vomitum ſe exonerat.

Alia duo ſymptomata principalia Eryſipelatis, quibus de hujus exiſtentia certò monemur, ſunt animi deliquia, & aſſidua febris invaſio. Deliquii cauſam dicit eſſe ſanguinis tranſmutationem derepentè contingentem. Hæc in deliquio animi conſideranda, ratione motus ejuſdem ſanguinis per cor, nam ſi in magna copia ad iſtius ventriculos feratur, opprimendo operativam fibrarum ſuarum actionem, motum etiam totius cordis debilitat, & minuit, cum deliquio; ſi in parva quantitate fluat, nec ſpiritus, nec turgentia fibrarum ad validum motum neceſſaria habentur, unde motus debilis, diminutus ſequitur, qualis in animi deliquio. Stante verò concurſu copiæ ſanguinis ad pulmones, per quorum vaſa tranſit, ſanguis ad cor deſtinatus, modò in magna, & excedenti quantitate, modò in parva ad cor fluit, & ideò etiam deliquia frequenter apparent; quandoque enim copia impetum acquirit, quo rapidè in cor irruit, quandoque fluxum ſanguinis ad cor minuit, & ab his alterationibus motus, & quantitatis ſanguinis hic dicitur tranſmutationes pati. Aſſidua invaſio febris, eſt continuum incrementum iſtius, nempè febris eſt quotidiè major, ob effervescentiam ſanguinis in pulmonibus, quotidiè vires acquirentem, uſque ad terminum, ad quem particulæ fermentativæ deſtinantur.

De alio pulmonum morbo, in aliquibus huic ſimili, locutus eſt *Hipp. lib. 2. de morb. n. 56.* ſub titulo *Pulmo repletus*, ubi hæc habet: *Si pulmo repletus fuerit, tuſſis tenet, & erectæ cervicis ſpiratio, ac anhelatio, & linguam exerit, rubicundis circulis in tibiis repletur, & pruritus vexat, & dolor acutus emergit ad pectus, & ſcapulas, & non poteſt ſedere, nec jacere, ſed ægris viribus eſt.*

Martianus in commento hujus textus deſcriptum morbum reducit ad Eryſipelas pulmonum. Hujus ſententiæ falſitatem aperit ipſe textus, in quo nulla fit de febre mentio, inſeparabilis Eryſipelatis comes, qua de cauſa cenſeo ad catarrhum ſuffocativum reducendum eſſe dictum ſymptoma, in quo dicta obſervantur accidentia, ſine febre, linguam exerere, ob difficilem reſpirationem, ut exprimit textus, ſignum eſt ſuffocationis. Prognoſticum ab Hipp. elicitum id confirmat, cùm mortem in quarta prædicat, & Eryſipelas longiùs protrahatur.

Prognoſtica ſigna horum affectuum habentur ab *Hippoc. in cit. loc.* In prima differentia de Eryſipelate, quòd dixi reſpectivum, *in 2. de morb. n. 53.* ſcripſit: *Et per plurimum tempus morbus prorogari poterit; eſt autem non lethalis, ſed conſeneſcentes relinquit*, quia morbus ab acido humore, ut dictum fuit, longas ſuſtinens judicationes oritur, ut patet in morbis ab humore melancholico acido genitis, qui ſemper diuturni ſunt; conſeneſcentes relinquit, quia acidum in ſenectute à ſero, & pituita redundante moderatur, & quandoque extinguitur. In eadem ætate acidum fixum fit, ideoque parum, vel nihil activum; qua de cauſa, licèt appetant Senes, quandoque multum malè digerunt alimenta, quia acidum fixum in eis appetitum excitare valet, ſed non eſt ſufficiens ad digerenda alimenta, & ſi calor innatus juvat actionem omnium humorum, cùm in ſenectute ille ſit debilis, hanc etiam debiliter ſequi neceſſe ſit.

Alteræ differentiæ Eryſipelatis pulmonum *in lib. de intern. affect.* deſcriptæ, prognoſtica ſunt: *Permanet, nec valdè deficit, ſed ad ſenectam uſque adhæret.* Si hic morbus eſt cum inflammatione, ut patet ex textu, ut oſtenſum fuit, & pars principalis, ut pulmo, ſit illius ſubjectum, non poteſt morbus permanere, & ad ſenectam pervenire, & æger conſervari, nec deficere ſecundùm vires, niſi inflammatio paulatim cedat, nec ad ſuppurationem tendat. *Sæpe etiam commoritur, ſi non in primis, quadraginta diebus mortuus fuerit.* In iſtis, morbus, vel ſua vi interimit, vel hæc enervatur. Et ultimò ſubjungit Hipp. *Eſt autem morbus difficilis, ob reſiſtentiam materiæ*, ob cauſam contumacem illam generantem.

De altera differentia *cit. lib. n. 8.* deſcripta, ſic prædicit Hipp. *In ſeptem diebus moritur;* ex quo colligitur, hunc morbum eſſe legitimum Eryſipelas pulmonis, ideòque peracutum, cujus terminus eſt ſeptima.

De ultimæ differentiæ, *lib. 1. de morb. n. 13.* recenſitæ, prognoſtico, ſic loquitur Hipp. *Huic ſiquidem duobus, aut tribus, aut quatuor ad ſummum diebus, id, quod intus eſt, diffuſum fuerit, ac foras tranſierit, plerumque ſanus evadit; ſi verò non diffundatur, ac foras tranſeat, intus putreſcit, & ſuppuratus fit, ac perit. Perit autem brevi, utpotè pulmone toto ſuppurato, ac putrido. Si verò foras diffuſum intrò vertatur, & pulmonem corripiat, huic nulla vitæ ſpes reliqua eſt. Cùm enim antea reſiccatus pulmò traxerit in ſe ipſum, non amplius dimittit, ſed ſtatim ab ardore, & ſiccitate nihil amplius ſuſcipit, neque quicquam ſurſum diſtribuit, ſed corrumpit.* In hac ſententia demonſtratur, ſpem ſalutis totam conſiſtere in eruptione Eryſipelatis à partibus internis ad externas, prout de Eryſipelate univerſaliter pronunciavit idem *Hipp. lib. 6. aphor. 25.* pronunciando: *Eryſipelas ab exterioribus verti ad interiora, non eſt bonum; ab interioribus verò ad exteriora, bonum.* Familiaris eſt naturæ expulſio ab internis partibus ad externas, quæ ſi ſuccedat in Eryſipelate pulmonum, cum externa Eryſipelatis apparitione ſalus ægri ſperanda, non tamen eſt in tuto, quia ſubjungit Hipp. *Plerumque ſanus evadit; ſi verò intus remaneat*, nulla facta expulſione humoris in pulmonibus contenti ad partes externas, humor *in pus convertitur*, & à pure pulmo corrumpitur, cum inevitabili morte, & cita, quia cum pulmonis corruptela impoſſibilis eſt vitæ prolongatio. Si expulſo foras humore, intus revertatur, peſſimum eſt, itaut nulla vitæ ſpes reliqua ſit, & rationem reddit

reddit Hipp. per diſpoſitionem in pulmonibus relictam recipiendi de novo humorem expulſum, & impotentiam eorumdem iterum expellendi, & aliunde dimittendi; à ſuſceptione etiam dicti humoris nullum alium ſuſcipit humorem, nec diſtribuit, à quo ejus corruptio provenit. Hanc impotentiam reducit Hipp. in ardorem, & ſiccitatem texturam, & craſim pulmonum corrumpentem, his corruptis robur in agendo pro ſui conſervatione extinguitur.

Curationem primæ differentiæ *in cit. lib. 2. de morb. n.* 53. auſpicatur Hipp. ab indicatione minuendi humorem acidum redundantem viſcera imi ventris, & pulmones affligentem; purgatione, dum ait primo loco: *Huic pharmacum deorſum purgans bibendum dato, & lac aſininum inſuper bibendum.* Purgans ſit hydragogum; quia ſerum peccat; in hoc genere eſt *Manna*, *Syr. Roſ. ſolut. ſem. Ebuli*, *Jalappa*, *Mechoac*, *vel magiſteria iſtorum*, *Elaterium*, *Gratiola*, *Diagridium.* Præter purgans Lac aſininum bibendum detur, hoc ſignificatur ab illo adverbio, *inſuper*, ad adjuvandam purgantis actionem, & ad moderandam humoris acrimoniam, ne inteſtina copioſè alluendo corrodat, quo fine in copia exhibendum ad quatuor, & ſex libras; hujus temporis Medici utuntur *Sero caprino*, *vel vaccino depurato*, *Aqua Noceræ*, *Hordei*. Ratione hujus acrimoniæ vomitivum non imperat, ob periculum violentæ vellicationis, & corroſionis orificii ſuperioris ventriculi, licèt natura vomitum indicare videatur in levamine omnium ſymptomatum à vomitu, prout colligitur à textu. Evacuationem per vomitum omninò non rejicit, dum *Vere*, *& Autumno* proponit, *ubi febres remiſerint*, *& corpus leviter ſe habere viſum fuerit*, ſunt verba Hipp. in textu. Ratio hujus eſt, quia affectis partibus infimi ventris cum dolore urgente in principio morbi magis convenit purgatio, utpotè educens ab inferna regione moleſtos humores; melius verò habente corpore in ſymptomatum infimi ventris mitigatione, tunc magis conſultum eſt humores à ſua origine, quæ ſupponitur ventriculus evellere per vomitum.

Advertit Hipp. purgans, & Lac exhibendum, *ſi non natura fuerit ſplenicus. Si verò ſplenicus fuerit, ne purges, neque ſuccis, neque lacte, neque ſero, ſed eo quòd modicum ingeſtum multum educet*. Splenici à copioſo humido læduntur, ideò à dictis abſtineant remediis Medici, & purgantia, vel in pulverem redacta, vel in bolo conglobata aſſumant; ut *Pilul. Alephanginæ ad* ʒ. *i. cum granis viii. Scammoneæ ſulphur. vel totidem granis Magiſt. Jalappæ*, *vel cum* ℨ. *i. Crem. Tartari*, *&* ℈. ß. *Scamm. vel Magiſt. Mecheocan.* Purgationem inſtituente Hipp. ratione etiam ſymptomatum ventris inferioris non videtur alienum concludere reiterandam purgationem, eiſdem perſeverantibus, modo prædicto. Purgato corpore, & dolore moderato, clyſtere, vel ſupoſitoriis alvi lubricitas tentanda, quia in morbis omnibus optimum eſt alvum lubricam ſervare.

Ubi febres remiſerint, *& corpus leviter ſe habere viſum fuerit*, *frigidæ lavacrum*, *& exercitium* imperat Hipp. Per *lavacrum* poſſumus intelligere lavationem corporis, & balneum, ſeu merſionem corporis in aqua frigida, nam hæc unicum habent indicans, & pro varia ſolùm corporis diſpoſitione ad uſum reducuntur. Lavacrum frigidæ laudat Hipp. quia calida, ubi adeſt acidum peccans, ut in hoc caſu, aciditati aculea addit, ut videmus experientia in vino aciditatis primordia contrahente, quòd à calore citò aceti perfectionem acquirit; eadem etiam poteſt eſſe ratio uſus frigidæ in hoc morbo, ac in Tetano, nempè, ut unitus à frigiditate externa calor, in internis partibus validiori actione acidam materiam in illis ſtagnantem, vel reſolvat, vel ad excretoria propellat. Hoc fundamento dicebat *Gal.* 11. *Met. cap.* 9. *Per balneum frigidum alii ſudant*, *alii bilioſa dejiciunt;* experientia etiam demonſtrat in externis partibus dolores à frigida ſedari. Balneum frigidum exſiccare, juxta exigentiam hujus morbi, docuit *Hipp. lib.* 2. *de Diæta n.* 19. Exercitium materiam attenuare, reſolvere, & ad univerſalia emunctoria protrudere, omnibus notum eſt, quapropter huic morbo proprium videtur; oportet verò, ut ſit moderatum, cùm iſtius violentia furorem acido inſpiret.

Cur verò in principio morbi purgationem, remittente morbo vomitum imperet Hipp. demonſtrabitur à ratione ſuperiùs allata pro purgatione. Excedens humoris acrimonia orificio ventriculi ſuperiori lethale damnum allatura, vomitum prohibuit, licèt conveniret exiſtente fonte, & ſede talis materiæ in ventriculo, ideò purgationem decrevit; remittente morbo, quia materiæ acrimonia moderata fuit, vomitum permittit, cùm periculum ab acrimonia minatum ceſſet. *Vere*, *& Autumno* vomitum provocat medicamento blando, parato cum *Allio*, *Origano*, *Vino dulci*, *Aceto acerrimo*, *& Melle*, fugiendo valida vomitiva, utpotè quæ nimis acria, & mordicativa, & valida agitatione humorum moleſtiam partibus inferant, cum detrimento ſuorum principiorum activorum, qua de cauſa in redundantia humorum acrium proſcribenda vomitiva. In locum prædicti vomitivi alia ſubſtitui poſſunt, ut eſt *Decoct. flor. Camomillæ*, *cort. Rad. Rafani*; huic addatur *Oxym. ſimplex*, *Acetoſum Diarrhodon*, *Acetoſum ſimplex* in debita doſi, & *ad* ℔. *i.* ß. cum decocto exhibeatur. *Rad. Aſari pulver. ad* ʒ. *i. vel ii. Sal Vitrioli alb. ad* ʒ. *i.* vomitum blandum provocant, ſicut *Tartarum hæmeticum*. Vere, & Autumno hoc medicamentum exhibetur ad minuendam copiam humoris acidi, cujus generatio ſupponitur in ventriculo, & hoc diminuto, cauſa doloribus, & ſymptomatibus infimi ventris, & etiam pulmonum ſubtrahitur.

Duo adjungit Hipp. medicamento vomitivo. Primum ante, & eſt *Exercitium*, *& aquæ calidæ lavacrum*, quia ab his duobus humores in vaſis ſanguifluis, & in ventriculi cavitate contenti fluxiles redduntur, & non ſolùm faciliter expelluntur, qui in cavitate ventriculi continentur, ſed etiam in venoſo genere reſervati fluxibilitate adepta dictam facilitatem acquirunt, & mediis arteriis ad ventriculum fluentes, à quo per vomitum rejiciuntur, depurationi maſſæ ſanguineæ ſerviunt. Hac ratione totum per vomitum purgari ſancivit Hipp. *Lavacro calido* hic utitur, cùm prius in principio frigidum propoſuerit, quia acrimonia humoris moderata ſupponitur pro exhibitione vomitivi, & hæc permittit lavacrum calidum, ſine exacerbatione. Poſt exercitium, & lavacrum vomitivum exhibendum, & calidum, ſi fuerit liquidum. Si in ſolida ſubſtantia, uniatur juri calido, vel aquæ calidæ. Exhibet etiam, poſt vomitivum, *Lenticulæ decoctum*, *Melle*, *& Aceto mixtis*, *donec impleatur*, quantitate addente irritamentum naturæ ad expeditiorem vomitum, pro quo, prædicto decocto familiariter utitur Hipp.

Secundum, quòd poſt vomitivum proponit, ſpectat ad victus rationem, & continetur in illis verbis: *Et ea die pota polenta*, *& aqua*, *ita jejunus permaneat*; *ad veſperam verò Betam edat*, *& parum de Maza*, *& vinum aquoſum bibat*. Polentam cum aqua præbet terminato vomitu, ut reliquiæ medicamenti vellicativi, & humoris acidi à viſcoſitate polentæ retuſæ ab irritamento, & vomendi conatu ceſſent, aquam exhibet, ut polenta ab hac diluta per totam ventriculi cavitatem diffundatur in dicti finis conſecutionem. Jejunium per totam diem imperat, ne à copia cibi dolentes adhuc præ ſpaſmodicis vomitus motibus fibræ ventriculi, in novos, & difficilè poſtea coercibiles motus ſpaſmodicos cum vomitu exeant. Ad veſperam parvo, & diminuto cibo reficit ægrum, ne fracta à vomitu virtus ventriculi digeſtiva majus ſentiat detrimentum, vel ne copiam cibi in excrementorum copiam commutet. Vinum propinat, ut ventriculus recreetur, miſcet cum aqua, ne ſuo ſpiritu multo, & activo mordeat. Hæc pro ventriculi documento in omni vomitu à Medicis habeantur.

Subjungit poſtea: *Reliquo verò tempore à Lenticulæ decocto*, *& à cibis vomat*. Hoc eſt tempore, quòd eſt extra Ver, & Autumnum, vomitus provocandus, vel Lenticulæ, hoc eſt Lentis paluſtris decocto, vel à cibis, & obtinetur à cibi quantitate, etiam contra appetitus inclinationem; & ſi non ſuccedat à cibi quantitate irritante vomitus, vel digitis, vel penna oleo intincta irritamentum addatur.

Si receſſerit dolor ad ſcapulas, legit Martianus in commento, *Si abſceſſerit*, ob tranſitum doloris à dorſo ad

ſo ad ſcapulas, nam ſicuti dicitur abſceſſus in materia ab una parte in aliam tranſmigrante, ita tranſitus doloris ab uno ſitu in alium abſceſſus rectè dicetur; imò talis appellandus, cùm tranſitus doloris ſupponat tranſitum materiæ, & dolor in dorſo tranſiens ad ſcapulas indicet tranſitum materiæ ab illo ad has, & ſuſpicionem proponit ſtagnationis futuræ in pulmonibus, vel in pleura ejuſdem materiæ, quam, ut avertat, *Cucurbitam ſub ſcapulis affigit*, ut motum materiæ inſpiret, & ab internis ad externas trahat, impetum majorem eidem matariæ tribuendo, *miſſione ſanguinis à venis manus*.

Pro Diœta, prohibitis priùs *Salſis*, quæ cùm acido intus exiſtente muriam componunt acrimonia valdè excedentem, *& pinguibus*, quæ ab acido corrumpuntur facillimè, & maximè, ſi fuerit excedens, ut in propoſito caſu, & in corroſivum liquamen abeunt, dum corrumpuntur augere poſſunt acidum, *acria alimenta, acida, & omnia frigida* proponit. Difficultas orta ab exhibitione acidi alimenti, utpotè augentis acidum humorem, in quo hujus morbi cauſa reſidet, ſolvi videtur ab *Hipp. in lib.* 1. *de Diœt. n.* 19. ubi, loquendo de his alimentis, habet: *Acida, & acria, & auſtera, & acerba, & ex toto collata, & ſicca non replent, eo quòd oſcula venarum aperiunt, & expurgant, & partim ſiccantia, & partim modentia humiditatem carnis horrere, & conſidere, & in modicam molem contrahi faciunt, atque ita vacuum multum in corpore fit*. Virtutem exſiccandi in acidis, & acribus his verbis oſtendit Hipp. & exſiccatio in hoc morbo à ſero abundante maximè convenit, & ratione hujus ab Hipp. proponuntur acida. Mihi tamen non placet iſta ſolutio, cùm cenſeam ab acido alimento ſemper acidum ventriculi, & inteſtinorum incrementum eſſe ſuſcepturum, qua ratione perſuadeor Hipp. per acida intelligere acria, quæ cùm de alkali participent, acidum extinguunt, & ibi acria, & acida ponere tamquam ſynonyma; poteſt tamen ſuſtineri acida convenire, ſi acidum volatile credamus peccare, & acida fixa pro remedio adhibeamus, quia ab hoc volatile fixatum enervatur. Frigida exhibet, ne agitentur humores, & ab agitatione magis deſæviant, prout eveniret, ſi calida exhiberentur.

Reflexione dignum eſt in hoc textu Hipp. pro curatione hujus morbi, præter purgantia, & vomitiva, nullum alterans medicamentum proponere, ſola diœta contentum. Ab hac reflexione apprehendant Medici, morbos à diœta prava excitatos, purgatione, vomitu, & diœta contraria curari. Hunc morbum dixit Hippoc. fieri ab ebrietatibus, à carnium eſu, ab aquæ mutatione; ideo eum bona diœta curat. Si tamen remedia alterantia in curatione hujus morbi perquireremus, horum notitiam nobis dedit Hippoc. in præſcribendis alimentis ſecundùm qualitatem acribus; hujus conditionis alterantia ſeligantur, & talia ſunt antiſcorbutica omnia.

Ultimò dicit: *Si juniorem aliquem citius à morbo liberare volumus, eo purgato, pectus, & dorſum inuramus*; à plagis enim, tamquam à cauteriis materia pulmones occupans evacuatur. De modo uſtionis, vide *Martianum*.

Curationem ſecundæ differentiæ, non diſſimilem à prima, niſi in intenſione, ut diximus, proponit *loc. cit. de intern. affect. n.* 7. & primò vomitum molitur cum *Melle, Lacte, Aceto cum Aqua mixtis, & in olla tepefactis, ramuliſque Origani capitati agitatis*. Utitur Melle ad abſterſionem, Aceto ad inciſionem, Lacte ad attemperationem humoris; Origano, quia facit ad vomitum provocandum, ut colligitur *ex Dioſcoride*, & quia nervinum fibras ventriculi corroborat, pro vomitu moliendo, & perficiendo. Has omnes indicationes cognovit Hipp. in pituita craſſa, quæ attenuatione, & inciſione, & abſterſione indiget, & in ejus aciditate intenſa, quæ moderationem exigit, quam *Origanum* ſuo aromatico præſtat. Exemplo Hippocratis, qui rectè vomitivum imperat, ne humor acidus violenter agitatus à vehementi vomitivo damna irreparabilia inferat, uti poſſumus decoctione ſuperiùs deſcripta, facta *in Aqua Malvarum, Hordei, Branchæ Urſinæ*. Pinguia etiam poſſe præberi, mihi perſuadent verba textus Hipp. *Si quid pingue voluerit edere, exugitur ad viſcera, & vomitum inducit*. Si pinguia in his ægris vomitum excitant, iſtis etiam tutò uti poſſumus, cùm aciditatem corroſivam pinguedine enervent. Hinc *Oleum Amygdalarum dulcium ad ℥. vi.* propinandum, cum ℔. *i. decoct. flor. Camomillæ*, addito *Acetoſo S. vel Melle, & Aceto*. Vomitus per quinque dies eodem medicamento promovendus, ex Hipp. præcepto, ſi in vomitu quid pituitæ apparuerit; reiterata enim hac purgatione pituitæ peccantis, eradicatio ſperanda etiam in pulmonibus. Pituitæ excretio, cùm ſit motivum reiterandi vomitivum, inferri poteſt pituita non expurgata vomitivum ſaltem debile eſſe reiterandum. Vomitivo præmittit exercitationem, ſi ad hanc potens eſt, & lotionem, ſeu fomentationem corporis *multa calida*, hoc eſt aqua valdè calida; *ſin minus ſaltem lotus*, hoc eſt, leviter lavetur aqua tepida ſolùm, ſi lotionem gravem cum aqua valdè calida tolerare non poſſit. Hæc præmittit ad attenuandum humorem, fluxibilitatemque ei conciliandam, ut ſine incommodo per datam viam exeat, & poſtea vomitivum propinat. *Poſtea quieſcat in lecto, & vomat; & ſi vomitus non ſuccedat, irritatione per pinnam facta vomat*.

Hìc ardua difficultas oritur à primi caſus curatione, in qua primò purgat Hipp. & hic ſecundus eſt ſimilis illi in cauſa, in ſede affectus, in ſymptomatibus, & ſolùm intenſio major exponitur, à qua non variatur indicatio remediorum, conſequenter & in hoc eſſet purgandum relicto vomitu, qui imperatus, errore culpat Hippocratem vel in primo caſu, vel in hoc ſecundo, in quo, nec in progreſſu curationis de purgatione loquitur.

Ardua quidem, & ferè inſolubilis difficultas quamlibet Hippocratici erroris excuſationem rejiciens, niſi intimè, & attentè ex verborum ponderatione germana Hipp. mens colligatur. *Tuſſim fortem, murmur in pectoribus, & pulmonibus, & pituitam multam, & craſſam, & ſæpe etiam craſſam, & albam à raucedine*. In hoc ſecundo caſu obſervat Hipp. à quibus pulmonum plenitudinem à materia craſſa colligit, quæ in primo caſu non obſervantur. Ab hujuſmodi plenitudine majus periculum minatur, quàm ab humore acido in infimo ventre collecto, ideò ad illius diminutionem primas dirigit operationes Hipp. Minuitur melius, & tutius vomitu, quàm purgatione, ideò illum eligit. Non fit vomitus à medicamento, quin iſtius irritamentum œſophago non communicetur, & trachea huic adnexa irritationis ſtimulos non ſentiat, quibus ad motus inordinatos determinata, pulmones, & materiam in iſtis contentam movet inordinatè, & ab utroque motu ſuccedit determinatio pulmonis ad expellendam materiam; quod confirmatum manet ab obſervatione facta vomitus occaſione expulſionis materiæ in pulmonibus contentæ. Hac ratione in affectibus pulmonum magis conducit vomitus abſente difficultate reſpirandi, quàm aliud remedium, licèt aliqui in eadem difficultate vomitiva non vereantur, quibus non adhæreo. Purgatione verò nunquam materia pulmonum educetur, & præcipuè craſſa, ut in noſtro caſu, ſed evacuando tenuiorem materiam craſſam difficilioris eductionis reddunt. Ex quo colligitur judicium Hipp. in curationibus inſtituendis, & maximum documentum Poſteris relictum pro curandis affectibus pulmonum à materia.

Poſtquam verò quinque dies præterierint, in quibus vomitus reiteratus fuit, manè jejunus bibat æger Silphi ſuccum ad erui magnitudinem in aqua mulſa, vel vino mulſo, & Allium comedat, ac Raphanitidas jejunus, & meracem vinum inſuper abſorbeat nigrum, aut album, auſterum bibat etiam inter cibum, & poſt cibum. His remediis curationem proſequitur Hipp. Succus Silphi cenſebatur ab Antiquis calidus, corroborativus, & pectoralis, & quia aromaticus contra acidum etiam valebat; ex quo apprehendimus in hoc affectu convenire calida, quia attenuant, & quæ reſpiciant pectus à proprietate, & acidum infringentia, cùm hoc exuberet, & ſit intenſè activum, & corroborantia tam reſpectu ventriculi, quàm reſpectu pulmonum. Silphi ſuccus non multo poſt Hippocr. tempora defecit, verùm ejus loco ſubſtitui poſſe *Belzoin* credidit *Matthiolus*, cùm aliqui cenſuerint eſſe verum Silphum; errant tamen, & in noſtro caſu rationabiliter ſubſtitui poteſt, cùm ſit calidus, aromaticus, & pectoralis; ideò ʒ. *i. Belzoin, cum Spiritu Vini* ℥. *ii.* miſceatur cum ʒ. *i.* ß. *Elix. propriet.* & unian-

uniantur cum ℔. *i.* ß. *Aquæ mulſæ*, & *cochleatim exhibeatur*. Adimplet hoc remedium omnes propoſitas indicationes; vel cum *Belzoin*, & *Myrrha a.* ℥. *i. Croci* ℈. *i. Salis Armon.* ℈. ß. *F. B. nu.* 8. *dentur duo cum Aqua mulſa bis in die*. Addit Hipp. *Allium*, & *Raphanidas*, non pro cibo, ſed pro medicamento, vel pro cibo medicamentoſo, & horum eſus ſit jejuno ſtomacho. In iſtis eſt facultas debellativa acidi, & attenuativa humoris craſſi, quia ſale volatili acri alkalico impregnata; quapropter iſta omnia in hoc affectu convenient, & in horum genere ſunt omnia antiſcorbutica acidum fixum debellantia, ut *Cochlearia*, *Becabunga*, *Naſturtium aquaticum*, *Raphanus ſylveſtris*, *Hirundinaria Enula campana*, *Cannella alba*; ex quibus parari poſſunt decocta, Aponemata, extracta. Vina medicata exhibenda cum propoſitis ſuperiùs remediis, ſunt habenda tamquam unica, & principalia remedia in hoc affectu, & in aliis morbis ab acido fixo, & pituita craſſa provenientibus. Cum Vino meraco unit dicta remedia, dum ait: *Et meracum vinum inſuper abſorbeat, etiam auſterum*, quia Vinum hujuſmodi copioſo ſpiritu corroborat, calore humores attenuat, & per urinam ducit, ut teſtatur idem *Hipp. in lib. de affect. n.* 44. & *in lib.* 2. *de diœta n.* 13. Vinum meracum, ideſt antiquum, purum, non aceſcit, vel quia jam præcipitaverit acidum illius, ſine dubio exaltationis, vel quia intimè in eo unitum acidum cum aliis particulis, ut ejus ſeparatio, & prævalentia timenda non ſit, ideò non poteſt fovere acidum peccans, ſed ſuo calore, & ſpiritu ei contrarium; quod demonſtravit *Hipp. lib.* 2. *aphor.* 21. quando dixit: *Vini potio famem tollit*, quia acidum ventriculi enervat.

Pro Diœta *Cibis ſiccis*, & *carnibus caninis utatur coctis*, ait Hipp. *ſi rigor*, & *febris non apprehenderit*. Inter carnes ſiccantes, præter caninam, quam Hipp. calefacere, ſiccare, & robur addere *lib.* 2. *de diœta* ſancivit, enumerantur carnes omnium Animalium ſylveſtrium, ſive quadrupedum, ſive volatilium, & carnes Animalium vetuſtorum. Modus cocturæ, per aſſationem aliquibus videtur ſiccandi virtutem carnibus communicare; ideò, ubi exſiccandi adeſt indicatio, carnibus aſſatis utuntur. Verùm non eſt ſemper vera hæc ſententia, quia ſi loquamur de multa aſſatione, ut partes etiam intimiores hanc expetiantur, ſicut partes ſuperficiales, vera eſt ſententia; ſi verò de aſſatione carnis communiter in menſis acceptata, non eſt vera, quia partes intimiores ſunt valdè humidæ, & videntur recipere humiditatem partium exteriorum, quæ verè ab igne ſunt exſiccatæ, & iſtæ poſſunt dici ſiccæ. Exceptionem addit circa eſum hujuſmodi carnium, nempè eſſe interdicendum, ſi rigor, & febris apprehenderit, quia ſiccitas auget febrilem calorem, & acrimoniam humoris cauſam rigoris; ideò ſancivit *aph.* 16. 1. *ſect. Victum humidum febricitantibus convenire*.

Hæc omnia facienda, ſi æger priùs per vomitum purgatus fuerit, & ſi hic blando medicamento non ſucceſſerit, vomitivo forti, *Veratro* nempè, ſeu *Helleboro albo*, vomitus excitandus, cum neceſſaria ſit hæc purgatio pro curatione hujus morbi. Loco Hellebori *Antimonialia* uſurpanda, vel *Sal album Vitrioli*, quod vomitum certò, & tutò provocat. *A vomitu farinæ coctæ heminas duas* proponit, *Melle affuſo* ad demulcendam paſſionem fibrarum ventriculi, contractam à conatu in vomitu exercito, & ad retrundendas reliquias particularum irritativarum vomitivi. *Vinum* propinat *aquoſum*, quia corroborat, quantum exigit afflictio ventriculi, & non eſt moleſtum ſuis qualitatibus fibris afflictis, & per urinam reliquias materiæ ducere potens eſt. Poſt vomitum ab Helleboro reticet quid agendum; ratio tamen dictat pro morbi curatione ea remedia exercenda, quæ priùs propoſuit poſt vomitivum blandum, cùm perfecta curatio à ſolo vomitivo non ſit expectanda.

Modo deſcripto tractandus æger à Medico curationem aggrediente in principio morbi; hoc verò jam confirmato, aliter procedendum eſſe monet Hipp. dum ait: *At ſi in principio non affueris morbo, lacte ipſum craſſefactum, in pectore, ac dorſo urito, ita maximè à morbo liberari poterit*. Cura in morbo confirmato inſtituenda, in duobus conſiſtit: Primò ægrum craſſum reddere Lacte, quod aſſequi non poſſumus, niſi diœta lactea, & craſſities in ægro erit indicans fractarum virium morbi, cùm æger non poſſit ad craſſitiem pervenire, niſi maſſa ſanguinea ad benignum ſtatum redacta, & hujus benignitas fractas morbi vires, malaſque ſanguinis qualitates, ſi non extinctas, mitigatas oſtentat. *Ægrum craſſefactum*, ſecundo loco, *in pectore*, & *dorſo urito*, ut per aperta ulcera materiam in pulmone contentam evomat, cum correctione maſſæ ſanguineæ, ab evacuatione materiæ à parte principaliter affecta.

Ratio inſtituendæ curationis diverſæ in principio morbi, & eo jam confirmato, eſt diverſa ægri conſtitutio, quoad vires, quæ in morbo confirmato ſunt debiles, quoad habitum corporis, qui eſt; quoad fluida, & ſolida, pravus, & ferè reſolutus, diverſa materiæ diſpoſitio in qualitatibus pravis facta contumax, in parte fixata, reſiſtens auxiliis præſtitis. Pars à materia diù retenta depravata labe excedenti, & ſecundùm ſua principia activa debilitata, quæ omnia variant indicationes curativas, quæ varia expoſcunt remedia. In his conſilium nobis reliquit Hipp. attentè perpendendi in aggredienda curatione morbi confirmati, an indicationes ſint alienæ ab eis, quæ in principio ejuſdem nobis offerebantur, conſideratis viribus, habitu corporis, materiæ conditione, & partis affectæ ſtatu præſenti. In hujuſmodi conſilio elucet error Medicorum, eam curandi methodum ſequentium, tam in morbo confirmato, quàm in incipiente.

Cum hac Hipp. ſententia excludente vomitum in hoc morbo jam confirmato, quem admiſerat in ejus initiis, non video repugnare remedia antiſcorbutica, quæ materiam tam in principio, quàm in vigore morbi attenuare, fluxilem reddere valent, quo modo per eadem ad purgationem diſponitur, ſive per tuſſim, ſive per aperta ulcera uſtione.

Tertiam differentiam inflammationem eryſipelatoſam pulmonum conſtituentem, in qua ab accenſo intus ſanguine corpus vehementer extrinſecus incaleſcit, cum magno pruritu univerſali, & jactatione anxia, curat *cit. n.* 8. *lib. de affect. intern.* Deſumpta primò indicatione ab intenſione caloris, pro cujus moderatione corpus contrario frigido refrigerandum concludit, non intrinſecis refrigerantibus, ſed extrinſecis, *Foliis Betarum, nempè in aqua frigida tinctis*, & *corpori impoſitis*, *aut linteis aqua tinctis frigida*, & *expreſſis*, & *corpori ita applicitis*, quo remedio videtur approbare magis ſanguinis, et corporis refrigerationem per externa, quàm per interna, falſamque declarat illorum ſententiam determinantem frigida externa in intenſo calore noxia, dum calorem ad intra concentrando ejus intenſionem augent; quod omninò falſum eſt, ſi tandiù externa refrigerantia applicentur, ut totius maſſæ ſanguineæ calor ad temperiem moderatè calidam reducatur, vel extincta copia particularum ignearum, vel eadem concentrata, cum impotentia ad motum, & ad actionem, quo modo balnea excedentem intemperiem calidam in toto temperant, & ab externis frigidis in temperamentis ſummè calidis morbi frigidi proficiſcuntur, maſſa ſanguinis ſummè calida præternaturaliter refrigerata tales morbos non produceret, niſi frigida externa in calorem internum, & maſſæ ſanguineæ agerent, & retunderent. Valent ergo refrigerantia externa ad moderandam internam calotis intenſionem, ſi tamdiù applicentur, ut æſtus, & calor internus non ſit ſenſibilis; imò validiora probantur externa, quàm interna refrigerantia pro incendii ſanguinis extinctione; nam largus frigidæ potus in valido æſtu interno ſtatim incaleſcit, ut actum refrigerandi amittat, nec licet, ſine notabili noxia, ſtatim alterum potum largum aquæ exhire, unde nulla caloris remiſſio; refrigerantia verò externa, quotieſcumque incaleſcunt auferuntur, & nova in illorum locum ſubſtituuntur, & iſtis hoc modo reiteratis, neceſſe eſt, ut non multo interjecto tempore maſſa ſanguinis continuò per externas partes circulans refrigeretur.

Duo in hac Hipp. ſententia ſunt animadverſione digna: Primum, quando dixit, *Corpus præfrigeretur Betis*, & *linteis*, non intellexit, meo judicio, totum corpus tegendum iſtis, ſed applicanda aliquibus partibus, quibus refrigeratis tota maſſa ſanguinis refrigeretur, ut ſunt hypocondria, renes, teſtes, tempora, brachia, ubi pulſant arteriæ. Secundum eſt propoſitum remedium

in re-

in recenti dolore maximè adhibendum, quia nondum incendium ſanguinis, & corporis ultimos tunc attigit limites, ideòque remedium admittit, quod ſpernit, ubi ultima ſuſceperit incrementa. Refrigeratio dictarum partium ſufficit ad refrigerium totius, & licèt Hippoc. agendo de altero remedio pro totius refrigeratione, nempè de *Terra figulina* pro emplaſtro parando, quod toti applicandum ſentire videtur, non inficit aſſertum meum, cùm Aqua ſit terra figulina ſummè frigidior, quamvis hæc ad tactum ſit frigida, & ſtante hac cognitione, *Ægrum terra emplaſtratum ſub dio decumbere jubet*. Tantum valere hunc modum refrigerandi prædicat Hipp. ut æger ope iſtius ſeptem tranſgrediatur dies, quos terminum hujus morbi ſuperiùs prædixit.

Tranſactis ſeptem diebus, ſi dolor ſentiatur in parte interna, tepefactoria exercet, quibus uſus eſt in Pleuritide, & hæc ibi videnda, inſuperque purgationem imperat, cum *Peplio, & Peplo, ſive Mechonide*, quæ ſunt duo *Tithymalli* genera, quorum ſemen eſt violentum purgans, & *grano Cnidio*, hoc eſt ſemine *Timeleæ*. Hìc maxima oritur difficultas, quia purgationem in morbo peracuto imperet, in quo prohibuit *lib. de vict. rat. in acut. n. 36.* & ſanguinis miſſionem prætermittat. Breviter ſolvitur non minus, quàm faciliter difficultas, advertendo *in cit. loc.* prohibuiſſe purgationem cruda exiſtente materia, non concocta; ideo *in text. cit.* dixit, *in principio acutorum non eſſe purgandum*; ubi verò in acutis materia eſt concocta, purgationem admittit. In præſenti caſu materia tranſactis ſeptem diebus ſupponitur concocta, eò quia ultimus terminus hujus morbi ſunt ſeptem dies, quos pertranſire datum eſt à materiæ concoctione; ideo tranſactis ſeptem diebus convenit purgatio. Ulterius in incendio totius, & maſſæ ſanguineæ ex aduſtione multa emanarunt excrementa, quorum neceſſaria eſt purgatio, ne retenta recidivam pejorem inducant. Prætermiſit venæ ſectionem, non quia cenſuerit incongruam, cùm nimis manifeſta in morbi delineatione appareant indicantia; nam morbus eſt à ſanguine acutus, eſt plenitudo pulmonum, eſt inflammatio, & hæc omnia ſunt venæ ſectionis indicantia; quapropter dicendum eſt prætermiſiſſe, quia nimis manifeſta neceſſitas iſtius, & ex univerſali præcepto tradito *in cit. loc.* de miſſione ſanguinis in acutis morbis, & inflammationibus emicabat tale remedium convenire. Sanguine miſſo, eodemque refrigerato, & purgatione, peracta, ſi morbus protrahatur, à materia craſſa reſidua id exiſtimandum, prout ſemper contingit in morbis acutis, qui in convenienti tempore acutiem deperdunt, ex toto non ceſſant; hinc adeſt indicatio reliquias humorum attenuandi, & per inſenſibilem tranſpirationem educendi pro minori ægri incommodo. In hunc finem multa calida ægrum lavat, excepto capite, ob pulmonum affectionem, quos à capite facilè humores recipere credidit, & eo loto fluxio promoveri poteſt, relinquens documentum partes conſenſum habentes cum aliqua morboſa, non eſſe remediis ita tractandas, ut materiam ad partem morboſam mittere valeant, *Aquam mulſam*, in qua maceratum fuerit *Origanum*, & potus calidiſſimos exhibet, & in his omnibus adeſt facultas attenuandi, & inſenſibilem tranſpirationem promovendi. Proponendo *Origanum* nos erudit, omnia cœphalica, utpotè attenuativa, & inſenſibilem tranſpirationem adjuvantia convenire in extirpandis reliquiis hujus peracuti affectus, & deductione à ſimili facta convenire in reliquiis omnium acutorum præſcindendis.

Diœtam eam proponit, quam in Pleuritide imperavit, cum hac tamen exceptione, ſi febris non adhæſerit. Hujus exceptionis cauſa me latet, imò cùm febris adſit in Pleuritide, cùm ſit inflammatio pulmonum, non video, cur cibus in hac conveniens, non poſſit, ſi adſit febris, convenire in præſenti affectu; qua de cauſa puto, textum eſſe mendoſum, & malè interpretatum. Ultimæ differentiæ curationem prætermittit Hipp. ut ſolet in aliquibus morbis, cauſarum, ſignorum, & ſymptomatum repræſentatione contentus; ex textu verò colligo curationem neglexiſſe, quia eſt morbus ſoli naturæ actioni relinquendus, cùm nulla ſit ſpes ſalutis, niſi Eryſipelate ad exteriora exeunte in ſecunda, vel tertia, vel quarta die, ut teſtatur Hipp. per modum criſis, quæ à ſolo naturæ motu, & actione pendet; ſi verò detineatur materia, citò putreſcit, & ſuppuratio ſuccedit, & brevi perit; & hæc eſt cauſa legitima neglectæ curæ. Attamen quia eſt propoſitus affectus inflammatio eryſipelatoſa pulmonum, cum plenitudine iſtorum, & cum febre acuta, ea remedia, quæ inflammationi, plenitudini, & febri acutæ conveniunt, huic adaptanda; inter hæc ſummum remedium eſt ſanguinis miſſio, & ſi in aliquo caſu hæc exercenda eſt uſque ad animi deliquium, certè in hoc caſu non eſt rejicienda. Et ſanè ſpe ſalutis tota in expulſione Eryſipelatis ad exteriora conſiſtente, hæc toto conatu promovenda, & ex Hipp. habemus in primæ differentiæ curatione pro ducenda materia doloris ad ſupernas partes, abſcedente ad partes externas, uſum Cucurbitulæ proficuum; hac uti poſſemus, variis partibus thoracis applicando. Ad hunc effectum utitur etiam quandoque lavacris valdè calidis; nobiſque manifeſtum eſt, partem aliquam hujuſmodi aqua fotam venas valdè turgidas exhibere, ob copiam ſanguinis ad eas fluxam, & ejus cutem intenſo rubore tingi, ratione ſanguinis in copia fluxi, & extravaſati in poroſitatibus carnium. Diaphoretica, dum ſanguinem fundunt ad ſuperficiem corporis, humores pellunt; qua ratione videntur propria ad opem naturæ ferendam in tali expulſione. In hoc genere ſunt: *Bezoar*, *Bezoarticum minerale*, *Rob. Sambuci*, *Mixtura ſimplex*, *& compoſita*, *Diaphoretica*, *Spiritus fuliginis*, *Spiritus Cornu Cervi*, *cum Aquis Cardui benedicti*, *Galigæ*, *Petaſitidis*, *Scorzoneræ*. Hujuſmodi remedia, quamvis ſint efficacia ad materiam expellendam extrinſecus, ſi hoc acciderit, morbum ſolvunt, ſi verò non ſequatur expulſio, morbum augent, ægrumque præcipitant; dum ab iſtorum remediorum virtute maſſa ſanguinea funditur, multum fuſa motu celeriori, & vegeto agitatur, & ſi ad exteriores partes non dirigatur humor per fuſionem diſgregatus, ad partem affectam in copia ruit, iſtiuſque debilitas humorem invitat, & ſuſcipit, cum morbi augmento, præcipiti caſu roboris partis, & hæc ſequuntur cum magno totius partis excidio, ob ſanguinis tranſmutationem à morbo peractam, à qua animi deliquia frequenter contingunt, pro quibus ſpiritus refocillandi, liberque circulationis motus promovendus. Mixturæ cordiales cochleatim ſumptæ, in hunc finem tendunt; ut

℞. *Aquæ Scorzoneræ*
Totius Citri } *a.* ℥. *ii.*
Florum Aurant.
Confect. ex Hyacintho
Alchermes } *a.* ʒ. *i.*
Elix. propriet. Paracel. ſine acido ʒ. ß.
Spir. Corn. Cerv. gutt. vi.
Spec. Diamargarit. frigid. ʒ. *i.*
Julap. perlati ℥. *ii.*
ſyr. de cort. Cit. ℥. *i. M.*

Vel

℞. *Aquæ Meliſſæ*
Boraginis } *a.* ℥. *ii.*
Theriacal. ℥. *i.* ß.
Julap. perl. ℥. ß.
Lapidis Bezoar occid. ℈. *i.*
Bezoart. miner. ℈. ß.
Mixturæ Diaphor. ʒ. *ii.*
Syr. Coral. ℥. *i. M.*

Si iſtis non cedant, nec minuantur deliquia, ad refrigerantia, fervoremque, & æſtum in vaſis pulmonis, & cordis ſedantia tranſeundum, cum Mixturis ex *Aqua Boraginis*, *Bugloſſæ*, *Roſar. Succo Citri*, *Granatorum*, *Spec. Diamargar. frigidi*, *& trium Santal.* paratis, addendo *Laudani liquidi Cydoniati* ℈. *i. cum Syr. Viol.* *Laudanum liquidum*, *ſi cum diaphoreticis miſceatur*, etiam, juxta Recentiorum ſententiam, ſudorem promovet, *Epithemata* pectori, & cordi applicanda, compoſita ex *Aqua Roſarum*, *Violarum*, *Nenupharis*, *Lactucæ*, *cum Speciebus trium Santalorum*.

CAP. V.

De Empyemate.

EMpyema eſt *Puris collectio in cavitate Thoracis*. Pus eſt humor maſſæ ſanguineæ corruptus, in aliam naturam converſus nova mixtione particularum humoris cor-

corrupti; qua de cauſa eſt generatio puris opus naturæ, nempe caloris, & ſpiritus partis, & humoris, à quibus iſtius particulæ diſſolutæ per corruptionem, ad aliam mixtionis conditionem benignam adducuntur, qua pravitas, & malignitas corruptionis emendatur. Per cavitatem Thoracis intelligimus, non ſolùm ſpatium à coſtis ſupra ſeptum tranſverſum circumſcriptum, ſed ipſam etiam pulmonum ſubſtantiam.

Hujus affectus cauſa materialis multiplex aſſignatur, juxta multiplicitatem, & diverſitatem humoris in pus converſi, efficiens, & conjuncta eſt ſemper calor naturalis.

Loquitur de Empyemate, ſeu ſuppuratione ex profeſſo *Hipp. in lib.* 1. *de morb. n.* 10. ubi materiam Empyematis dividit in eam, quam humores contribuunt, & in eam, quæ ab aliis morbis ſuppeditatur, pure in parte, quam affligunt, collecto.

Quoad Empyema ab humoribus, primò refert illud à pituita factum, dum ait: *Fit autem & ſuppuratus, ſi pituita à capite ad pulmones diſtillet, & primum quidem, ut plurimum, latenter defluit.* (Hic materiam Empyematis aſſignat pituitam, non in cavitate pectoris, & pulmonis ſubſtantia genitam, ſed aliunde tranſmiſſam, à capite nempè; voluit enim caput eſſe ſedem pituitæ, & viam à capite humores defluentes ducentem ad pectus eſſe infundibulum, & ab hoc ad fauces, & ab his ad aſperam arteriam; & *in lib. de loc. in hom. n.* 26. modum hunc per extenſum declaravit, loquendo de ſuppuratis.) Hæc ſententia fuit communis apud Antiquos, modò illi ſolùm, qui jurarunt in verba Magiſtri, & quibus nulla eſt Anatomes cognitio, hanc ſequuntur; qui verò Anatomem calent, per quam demonſtratur nullam eſſe viam à capite ad Thoracem, ut demonſtrabo de Catarrho, hanc rejiciunt, utpotè demonſtrationi anatomicæ contrariam, ſed alios aſſignant ductus humorum ad cavitatem Thoracis, & ſunt arteriæ, & vaſa lymphatica. Ad pulmones pituitam defert arteria bronchialis dicta, cujus ramificatio ab arteria magna ſtatim è corde egreſſa exit, & ramificationes multiplicatas per pulmonum bronchia diſpergit, quæ à ſanguine per illas fluente alimentum ſuſcipiunt. Ad ſubſtantiam aliam pulmonum, nempè ad iſtius parenchyma dictum, defertur pituita à vena arterioſa ſanguinem à cordis dextero ventriculo ad pulmones ducente. Ad cavitatem Thoracis pituita deſcendit per arterias capillares diſſeminatas per internam ſuperficiem membranæ coſtas ſuccingentis, quæ ſi ſero ſanguinis turgeant, hoc deponunt in cavitatem Thoracis; vaſa lymphatica per pulmonum parenchyma diſperſa, ſi lympha turgeant, ut in veſiculas, *Hyatides* dictas, dilatentur, & rumpantur contentam lympham in ſpatium Thoracis evomunt. Hæ ſunt viæ, per quas pituita, ſeu ſerum, & lympha in cavitatem Thoracis, & pulmonum parenchyma deſcendit, quæ Hipp. incognitæ fuerunt, & Anatomicorum induſtria, & diligentia nobis detexit; ideò ait Hipp. *Ut plurimùm latenter*, hoc eſt per vias ei occultas defluit; hoc enim *latenter* non poteſt dici de via à capite ad infundibulum, fauces, & tracheam, quia hæc illi erat manifeſta, & non latens. *Tuſſimque tenuem exhibet*, & hæc eſt ſignum materiæ in bronchiis pulmonum exiſtentis, cùm tuſſis à materia in his ſtabulante ſolùm excitetur; *& ſputum paulò amarius ſolito*, hoc eſt ſignum incipientis putredinis, qua alterantur qualitates, & textura defluxæ pituitæ; *& aliquando tenuis adeſt calor*, effectus ipſius putredinis, quæ cum calore putreſcentis corporis ſemper reperitur. *Temporis verò progreſſu exaſperatur pulmo, & intus exulceratur*, ideſt ejus textura alteratur, & ad putredinem diſponitur, *à pituita inhærente, & putreſcente.*

Cauſa alterationis pulmonum, & etiam Empyematis aperitur, pituita nempe inhærens pulmonibus, & putreſcens. Ad putredinem humores maximè diſponuntur per quietem, & motum interdictum, ut evenit pituitæ inhærenti pulmonum ſubſtantiæ. A motu præſervatur humor à putredine; non mirum ergo, ſi pituita inhærens putreſcat.

Putredo in Empyemate eſt diſſolutio humoris in ſuas partes, & particulas componentes, per quam humor amittit texturam, ſeu mixtionem, ei debitam, ſua bonitate ſpoliatur, ſuam virtutem, proprietatem, & omnem qualitatem naturalem amittit. Non ſiſtit humor in hac diſſolutione, ſed particulæ illius diſſolutæ novam mixtionem ſubeunt, & in novum humorem congregantur, qui dicitur pus, non alicui operi, ſed excretioni tantummodo deſtinatum, & hoc modo omnes humores in pus degenerant, *& gravitatem exhibent pectori, & dolorem acutum antè, & retrò*, gravitas à copia materiæ, dolor à putridis vaporibus acribus membranam cavitatis Thoracis vellicantibus, antè, & retrò, cùm pulmones utrobique correſpondeant; *caloreſque acutiores in corpore incidunt, & pulmo, à calore trahit ad ſe pituitam ex toto corpore, & maximè à capite.* In principio putredinis incaleſcit ſolùm pulmo, putredine aucta cum materia de novo putreſcente, calor augetur, & toti corpori communis fit, incaleſcente à calore putredinali in pulmonibus accenſo tota maſſa ſanguinis reiterato motu circulationis per illos tranſeunte, neceſſe eſt, ut totum corpus incaleſcat, etiam præternaturaliter.

Sententia fuit Antiquorum, per calorem, dolorem, & debilitatem attrahi humores ad partem affectam, pulmo incaleſcit, dolet, languet præ morbo, conſequenter trahit humores ad ſe. Recentiores verò explicant hanc tractionem à calore, per hoc quòd iſtius actione pars magis rarefiat, cum dilatatione poroſitatum, quæ redduntur magis capaces ad ſuſcipiendam, & retinendam majorem copiam humorum, & humores à calore partis magis attenuati, & ad motum expeditiores redditi in copia fluunt ad eam. Hoc eſt documentum *Hippoc. in lib. de loc. in hom.* ubi explicando modum, quo fluxiones à calore fiunt, ait: *Fluit autem etiam propter caliditatem, cùm carnes rarefactæ tranſitum præbuerint, & humor calefactus tenuior redditus fuerit*; omnis enim humor calefactus tenuior fit, & omnis humor tenuis fluit, maximè verò ubi valdè fuerit pars inflammata, propter hanc fluit cauſam.

A dolore fit tractio, cùm arteriæ à motu ſpaſmodico nervorum in omni dolore exiſtente conſtrictæ, ſanguinem copiosè effundunt in partem dolentem.

A debilitate partis fit attractio, dum humorem in copia acceptum præ languore, aliò expellere, prout conſervatio partis exigit, non valet, quæ omnia applicari poſſunt pulmonibus dicto modo affectis. Tractionem fieri maximè ex capite inſinuat Hipp. quia cenſuit, ut dixi, caput eſſe pituitæ emporium, & ſi pituita, ſeu ſerum exuberat in capite, reſiduum ab elaboratione ſucci nervei abſorbetur à venis, & denuo cordi conſignatum, per arterias ad pulmones delatum, ibi retinetur, & hoc modo dicitur pulmo à capite trahere. *Quantò magis tempus progreditur, tantò magis pus ſincerum ſpuit*, quia pus ſemper magis perficitur, & tota pituita defluens ad pulmonem in pus eſt converſa, & quæ fluit, & ſanguis citiſſimè putreſcit, & in pus convertitur; *& febres acutiores fiunt*, quia putredo major, & à pure incaleſcit febriliter continuò ſanguis; *& tuſſis frequens, ac fortis, & inedia vexat*, ideſt appetitus proſtratus, & abolitus, calore febrili enervante acidum fermentum ventriculi, & pure continuò irritante bronchia pulmonum, unde frequens tuſſis; *& tandem alvus infernè turbatur*. Proſtratus appetitus facultatem digeſtivam alimentorum languentem oſtendit, à qua in excrementa mutantur, à quibus alvi fluxus, auctus à maſſa ſanguinis, paulatim à pulmonum pure, à febre in parva excrementa degenerante, quæ ſua acrimonia, irritant vaſa ad eorum excretionem deſtinata. *Turbatur autem à pituita, pituita verò à capite deſcendit*. Aliam cauſam aſſignat Hipp. fluxus, ſeu alvi turbati, ſupervenientis Empyemati, nempe pituitam à capite deſcendentem, quæ laxando orificia vaſorum fluxum parit, itaut, hic & ab irritamento, & à retentrice (ut ajunt) læſa proficiſcatur. *Hic cùm ad hoc pervenerit, perit*, quia fluxus proſtratam facultatem concoctricem ventriculi, & ſanguinis maſſam ad totalem diſſolutionem, & corruptionem tendentem, & deficientes naturæ vires manifeſtat. *Perit etiam purulento, ac putrido pulmone facto*, ut ait Hipp. à pure enim in pulmone collecto ſubſtantia ejuſdem putreſcit, & in pus vertitur, juxta illud, *Putridum tangens non putridum, facit putridum.*

Ex his deducitur, Empyema, ſeu ſuppurationem, de qua in hoc textu loquitur Hipp. eſſe in ſubſtantia pulmonum.

Aliam

Aliam cauſam materialem Empyematis aſſignat *Hippocr. in cit. text.* dum ſcribit: *Fit & prætereà ab his pulmo ſuppuratus, cùm venula, ſcilicet aliqua in ipſo fuerit rupta* (rumpitur autem à laboribus) *& ubi rupta fuerit, ſanguinem fundit, ſiquidem craſſior fuerit*, hoc eſt ampla, *ampliùs*, ideſt magnam quantitatem ſanguinis fundit, *ſi tenuis, minus, & ſanguinem ipſum partim confeſtim ſpuit, partim verò, niſi vena aſtringatur, in pulmonem funditur, & in ipſo putreſcit, & ubi putrefactus fuerit, pus facit*, eo modo, quo ſanguis ad ulceratam partem delatus in pus vertitur, & modo dicto ſuperiùs de pituita; *progreſſu verò temporis aliquando pus ſincerum, aliquando pus ſubcruentum, aliquando ſanguinem, & ſi magis repleta fuerit vena, ipſam ſanguinis copiam acervatim revomit, ſpuiturque pus craſſum ab acceſſoria, & intus putreſcente pituita.*

Ex his deducitur Hippocr. loqui de Empyemate in ſubſtantia pulmonum, non in cavitate thoracis, & ejus cauſam eſſe ſanguinem è rupta in pulmonibus vena exeuntem, cujus portio per ſputum rejicitur, altera in poroſitatibus, & interſtitiis pulmonum remanente in pus vertitur, quod craſſitiem acquirit ab admixta pituita; & hæc ulcus in pulmone factum denotant, & phthiſis vulgariter dicta, in qua ſputum ſanguinis præcedit, & poſtea pus, juxta ſententiam *lib. 7. aph. 15. A ſanguinis ſputo puris ſputum.*

Hic ſi anticipetur, aut curetur incipiente morbo, priuſquam vena ſanguinem fundat, ac fortiter laxetur, & priuſquam attenuetur, & in lecto decumbat, & caput corrumpi incipiat, & reliquum corpus colliquari, ſuperſtes ab hoc morbo evadit; ſi verò neglectus fuerit, & hæc occupaverint, ut ea perpatiatur, aut omnia, aut plurima, perit; perit autem hic, aut ex jiſdem, quæ ſuperiùs dixi, aut à vomitu, ſanguine multo per vomitum multoties rejecto.

A venis pulmonum varicoſis factis cum dolore tenui, & tuſſi arida fieri Empyema docuit *Hippoc. ibidem*: *Ruptæ enim venæ varicoſæ ſanguinem fundunt, primò purum, poſtea copioſum, deindè pus. Et venæ in lateris ſuperficie exiſtentes*, hoc eſt in pleuræ ſuperficie interna circa coſtas veras, *varicoſæ fiunt, & ſanguinem fundunt in pulmones, & ſuppuratos faciunt.*

Empyema fieri à tuberculo in pulmonibus ſuppurato docet *Hippocr. in loc. cit. in principio*, ab ulcere pulmonum, ab abſceſſu *in cit. lib. n. 11.*

A Peripneumonia ſuppurationem fieri docuit pariter *Hippoc. lib. cit. numer. 10. Dum in judicatoriis diebus non purgatur, ſed materia in pulmonibus detinetur ſputo prohibito, quæ putreſcens in pus degenerat, pulmones ulcerat, cum difficili reſpiratione, & ſtertore, & cùm nihil per ſputum purgatur, moritur.* Suppuratos fieri, cùm minus excreant illiùs, quod influit in pulmones, docuit *Hipp. lib. de loc. in hom. n. 26.* Minus verò excreant, vel quia materia nimis viſcoſa tenaciter adhæret parietibus bronchiorum, vel quia copia fibras bronchiorum ita premit, ut contractio illorum pro excretione prohibeatur.

Alteram ſuppurationem à Peripneumonia recenſet *lib. 2. de morb. n. 44.* & ait: *Cùm ex Peripneumonia ſuppuratus factus fuerit, febris detinet, & tuſſis ſicca, & difficultas ſpirandi, & pedes intumeſcunt, & manuum, ac pedum ungues contrahuntur.*

In Empyemate à Peripneumonia tuſſis ſicca adeſt, quando pus, vel in vaſis, in quibus facta eſt Peripneumonia, retinetur, vel à vaſis in cavitatem Thoracis delabitur, & ſuis vaporibus, vel ſua quantitate irritat, unde tuſſis, ſed quia materia non expellitur, ſicca evadit. Difficultas ſpirandi obſervatur, quia ſivè pus fit in vaſis, ſivè in cavitate, motus pulmonum impeditur. *Pedes intumeſcunt, & manus*, quia ſerum in copia dictas partes inundat, ibique fixatur, & concreſcit, eò quia à fonte caloris diſtant. Seri redundantiam parit affectio purulenta pulmonum, à qua ſanguis in ſeroſitates funditur à calore putredinali, nec accenditur à particulis nitro-aereis à pure, & calore putredinali debilitatis, ideòque in ſeroſitates copioſas abit. *Ungues contrahuntur*, ob contabeſcentiam carnium eas munientium, caro deficiens contrahitur in minus ſpatium, ungues etiam carnis extenſionem ſequentes contrahi coguntur. Contabeſcentia à depravato ſanguine habetur.

A Pleuritide ſuppurationem aſſignavit *in lib. cit. 1. de morb. num. 11.* ſcribendo: *Fiunt autem, & ſuperiore ventre ſuppurati ex Pleuritide, cùm fortis fuerit, & in judicatoriis diebus neque putruit, neque ſputo rejecta eſt, ſed latus exulceratum fuerit à pituita affixa, & bile, & cùm ulcus factum fuerit, reddit de ſe pus, & ex vicinis locis, præ caliditate in ſe ipſum pituitam adducit, & hæc, ubi cùm putruit, pus ſequitur.* Notandum, Pleuritidem non ſuppurari, niſi fortis, & vehemens ſit, & niſi contentus humor exulceret latu pulmonis; ulcus eſſe verum, patet ex textu, & ab ulcere pus.

Ab Angina fieri ſuppurationem adnotavit *Hippocr. lib. 2. de morb. numer. 27.* dum ait: *In Angina, ſi faucibus, ac tumoribus ſedatis morbus ad pulmonem converſus fuerit*, ideſt materia ad fauces fluxa in Angina, ſi fluxerit ad pulmones (fluit verò per vaſa translationi materiæ ab una ad aliam partem ſervientia) *febris ſtatim corripit, & lateris dolor, & ut plurimùm moritur, ubi hoc factum fuerit; ſi verò quinque dies effugerit, ſuppuratus fit, ſi non, ipſum ſtatim tuſſis invaſerit, ſi verò invaſerit facta excretione depurgatus, ſanus fit*, cùm tuſſis, & excretio materiæ in hoc caſu oſtendat hanc ad bronchia tranſmiſſam, quo in loco commodè expurgari poteſt per tuſſim, ſine ullius partis incommodo; contrarium verò deducimus, ſi tuſſis defecerit, cùm moneat, materiam in partem pulmonum decubuiſſe excretioni minimè idoneam.

Hi ſunt modi, quibus ſuppurantur pulmones; alium exponit Hippocr. quo cavitas, in qua pulmones exiſtunt, pure impletur, & fit altera differentia ſuppurationis, quam ſuperiùs innui, & de hac locutus eſt *Hippocr. lib. cit. 1. de morb. numer. 11.* dum ait: *Cùm pituita de capite copioſa, & acervatim in ſuperiorem ventrem*, ideſt in cavitatem Thoracis, *fluxerit, putreſcit, & in pus vertitur; putreſcit autem maximè in diebus viginti una. Hoc igitur pus concutitur, & intus fluctuat ad latera allabens*; convoluto enim ægro de una in aliam partem, fluctuatio materiæ in cavitate prædicta exiſtentis perſentitur eo modo, quo aquam, vel vinum in dolio non pleno exiſtens, agitatione iſtius fluctuare, & hùc illùc exundare percipimus. Et *in lib. 3. de morb. numer. 26.* ait: *Si verò ex eo quòd in pulmonem infuſum eſt pus, non educatur, rumpitur hoc ipſum ex pulmone in thoracem, & poſt ruptionem ſanus eſſe videtur, quoniam ex anguſtia ad amplam capacitatem pus pervenit, & ſpiritus*, ideſt aer, *quem reſpirando attrahimus in pulmone, locum, ac ſedem habet. Verùm progrediente tempore pectus pure impletur, & tuſſis, & febres, & alii dolores omnes magis ipſum premunt, & morbus inclareſcit*, ideſt fit manifeſtus, cùm antea evanuiſſe videretur. Et *in lib. 2. de morb. numer. 44. in fine*, ubi ait, agendo de Peripneumonia: *Sæpè enim prorumpit ad alvum, & ſtatim meliùs ſibi habere videtur, ubi ex anguſto ad ampliorem regionem devenerit.* Per alvum intelligit cavitatem Thoracis, ut notat *Martianus in comm. lib. 2. Hippocr. de morb. ſect. 3. verſ. 296.* & ratio de tranſitu à ſpatio anguſto ad ampliorem comprobat, quam in ſuperiori deſcripto textu attulit.

A vulnere in Thorace fit ſuppuratio, & hoc docuit *Hipp. lib. 1. de morb. n. 18. & 19.* & modus eſt idem cum deſcripto in principio hujus Diſſertationis.

Diagnoſtica ſigna, & prognoſtica habentur ab *Hippoc. in cit. loc.*

Curatio ſuppurationis pulmonis eſt eadem, à quacumque cauſa illa proveniat, & hanc deſcribit *Hipp. lib. 2. de morb. n. 44.*

Primò. *A ſuppurationis die decima*, quæ numeranda, vel à ſputo retento, vel à tuſſi incipiente ſine ſputo, *calida lavat*, hoc eſt Thoracem aqua calida fovet, ut pus attenuetur, moveatur, & motu excretioni viam ſibi paret, ſi dolor in pectore adſit fovenda pars dolens.

Secundò. *A lavacro*, vel fomento, *tentat expurgationem materiæ in pulmone contentæ per acria, quæ tuſſim moveant*; hujus enim motu materia in ſubſtantia pulmonum contenta ad bronchia iſtorum transfertur,

fertur, à quibus facilis eſt via ad exitum. Pro hoc propinat *Radicem Ari tritam magnitudinem tali leporis*, quæ quantitas poteſt aſcendere ad pondus ʒ. *i. Salis granum, modicum Mellis, & Aquæ, & Olei parum, & extracta lingua infundit* in arteriam aſperam; hic modus utendi remediis eſt verè utilis, ſed praxis difficilis & ſi materia multa, & reſiſtens, periculoſus. Poſt hoc remedium concutit humerum ægri, & concuſſione pus quieſcens moveatur, & ad expulſionem vocetur, ad Hippocratis imitationem acria pectoralia exhibere poſſumus, ut *Decoctum radicis Enulæ, Cariophilatæ, Hyſſopi, rad. Ireos, Oxymel Scilliticum, Sal Armoniacum ad* ℈. *i.* cum decoctione *Pulmonariæ, & Botrydis, vel Ptiſana Melle commixta, vel Aqua mulſa*, in qua cocta ſit *Radix Ireos, & Liquiritia*, vel *Decoctio Hyſſopi in Aqua mulſa*, vel *Pinei, Amygdalæ amaræ, Semen Lini, Amylum*, æquali portione contundantur, & cum Melle fiat Electuarium paulatim deglutiendum. Addit *cibos acres, & Cyclaminum exſuccato*, ideſt ſuccum à cibis acribus, & *Cyclaminibus* extrahito; cibi acres ſunt *Cæpæ*, quæ potentes ſunt ad tuſſim excitandam, horum ſuccum accipit ad acetabuli parvi menſuram. *Silphii ſuccum fabæ magnitudine* addit, & cum Lactis aſinini, vel caprini acetabulo exhibet; *acetabulum* pendet ℥. *ii.* & ʒ. *ii.* & ait *Infundito*, eo modo quo dixi de primo medicamento, cum extractione linguæ, ut deſcendat in aſperam arteriam. Quia *Silphio* caremus, ejus loco *Bezoin* ſubſtituendus eſt. *In lib. 3. de morb. n. 25.* ubi ſputum in Pleuritide apparet, ad hoc excitandum exhibet *Semen Trifolii, cum Melle*, quibus addi poſſunt *Succus Peucedani, Marrubii, Dragonteæ, cum Sinapi, & Sulphure*; vel

℞. *Spicæ Nardi* } *a. ʒ. ii.*
Piperi
Succi Marrubii ℥. ii.
Mellis, Vini veteris dulcis q. ſ.

Cum Vino, & Melle decoquantur, atque ubi cocta, & incraſſata fuerint, adde
Pulveres Nardi, &
Piperis, hujus ʒ. iii.

In ℥. iv. Mulſæ diſſolvatur, & pro lambitivo utatur æger, paulatim deglutiendo. Huic remedio æquale eſt *Oxymel Scilliticum*, cum *Decocto Cyclaminis, vel Enulæ campanæ*, quibus eſt maxima vis incidendi, & attenuandi materiam in pulmonibus, & eam ad ſputum cum tuſſi promovendi.

Tertiò. *Si ab hoc remedio non erumpat, pus Raphani corticem, Æris florem trium fabarum magnitudine terito; ſit autem Raphani duplum, & Æris una pars, & Oleo diluito quartæ heminæ parte*, hoc eſt ℥. *ii. ß. hoc tepidum infundito*; additur Oleum ad acrimoniam remedii temperandam; portio Æris eſt excedens, & noſtris temporibus inuſitata; exhibetur enim ad ſummum *ad grana octo, vel decem*, præ cœteris eſt magnum irritativum, ſed etiam corroſivum. Eodem etiam utitur, *in lib. 3. de morb. num. 25. ad magnitudinem fabæ, & Nitro aſſato in dupla quantitate*; ejus loco ſubſtitui poteſt *Antimonium Diaphoreticum*, cui tribuitur apoſtemata interna rumpere, adjunctis *Floribus Sulphuris, Mumia, & Myrrha.*

Quartò. *Si pus ab hoc remedio erumpat, cibos ſalſiſſimos, & pinguiſſimos exhibeto*, primos pro irritamento tuſſis, & facti ulceris exſiccatione, ſecundos ad lubricandam viam, per quam ſputum cum tuſſi exit. Huic indicationi ſervient *Oleum Amygdalarum, & Pineorum, cum Melle Hiſpanico.*

Quintò. *Si non prodierit pus, ſuffumigium parat ex Sii ſucco, Vino Tornio, Lacte bubulo, aut caprino, in æquali quantitate, itaut ſint heminæ tres*, ideſt ℥. *xxx. in his* infundito *teſtas furni ignitas*, ideſt *lateres furni*, qui diù ab igne exſiccati fuerint, ne fumus aliena qualitate inficiatur; *& ægrum per fiſtulam fumum per os accipere* jubet, *cum cautela, ne aduratur*. Sium eſt facultatis attenuantis, & diſſolventis, ut lapidem renum diſſolvat; Vinum Tornium eſt Vinum torculari expreſſum, cujus cochlea ad tornum elaborata Vino expreſſo denominationem Tornii dedit, quod eſt auſterum, ob racemos, acinos Uvæ cum hic expreſſos, ideò etiam eſt irritativum. Iſtius loco paratur ſuffumigium *ex Cinabro*, vel *ex Thure, Charabe*, & *Saccharo*, cujus fumus ore excipitur, capite, & corpore uſque ad pedes cooperto panno lineo. *Sulphuris fumus*, ſi ferri poteſt, eſt valdè efficax; ubi verò contumax eſt ſputum, pro exitu iſtius, *in cit. lib. de morb. 3. num. 25.* exhibet Hipp. *Fructus Capparis, quantum tribus digitis capi poteſt, Piper, & Nitrum modicum, & Mel, & Acetum, & Aquam, & tepida ſorbenda præbet. At ſi fortius medicamentum deſideretur*, ait, *Hyſſopi, & Sinapis, & Naſturtii concham majorem, Melle, & Aqua terito, & fervefacta, & excolata, tepidam ſorbendam dato.*

Sextò. *Poſtquam puris ſputum prodierit*, ideſt ſine ullo puris ſigno, *Urticæ ſemen, Thus, Origanum in Vino albo, Melleque, ac modico Oleo ipſi infundito, idque per tertium diem*, expectorandi cauſa; hæc enim flexibile reddunt pus, & conſequenter ad expectorationem faciliorem diſponunt. Poſt hæc præbet *Butyrum, & Reſinam in Melle liquatam*, ad materiæ excretionem per ſputum; horum loco faciunt *Loch ſanum, Loch expertum, Loch de Caulibus, de Pino, Syr. de Hybiſco, de Farfara, de Liquiritia*; vel

℞. *Cinam.*
Coſti
Galbani
Caſtorei } *a. ʒ. ii.*
Piperis nigri
Longi
Styracis
Opii præp. ʒ. ß.

Siccata contundantur, & cribrentur. Galbanum, cum modico Melle, & Aceto decoquitur, & excolatur, deinde, addito Melle, q. ſ. omnia uniantur in Electuarii formam, ʒ. i. cum Mulſa ℥. viii. exhibetur, & cum aliis Lambitivis portio hujus diſſolvatur. Dum his utitur, cibos non aſſumat æger pingues, quia non indigemus majori irritamento, dum pus exit, nec tanta lubricitate aſperæ arteriæ.

Ultimo loco *Salviam, Rutam, Saturejam, Origanum pari portione, jejuno ægro, in Vino ad quantitatem acetabuli exhibeo*; ab his enim fermentatio inducitur in pus collectum, & à fermentatione vim acquirit ad exeumdum, & omnia remedia Sale volatili prædita hoc præſtant. Si ab his remediis pus non exeat, ſignum eſt, in cavitatem deſcendiſſe Thoracis. Remedium ad ſuppurationem habet *Hippocr. in lib. de vict. rat. in acut. num. 68.*

Aliam curationem *in lib. de loc. in hom. num. 31.* habet *Hippocr.* quam auſpicatur à purgatione capitis *Errhynis, & alvi lubricitate* per alimenta lubricantia, ex ſuppoſitione materiam ſuppurationis à capite fluere, quo poſito diverſionem illius molitur, & hoc magis aſſequemur malam diſpoſitionem capitis, vel alterius partis cognitam tollendo. Secundò, cùm materia incipit pulmones moleſtare, materiam fluxam per tuſſim educere conatur, cibis ſalſis, & pinguibus; monendo, ſi pars aliqua ſit mittens humores in ſuppuratis, materiam aliò eſſe divertendam, quod documentum ſervandum in aliis morbis à vitio partis humorem mandantis.

In curatione pulmonis ſuppurati à ſanguine, & rupta vena, *in lib. 1. de morb. num. 10. Hippocr.* ait: *Conducit autem talibus, ſi ab initio curandos ſuſcipias, ut & venæ ſanguinem de manibus emittant, & diæta à qua, quam ſicciſſimus, & exanguiſſimus fiat.* Hoc conſilium in ſputo ſanguinis maximè obſervandum, & ſi quid in hoc conferre poteſt, eſt certè talis diæta; in ſiccitate enim corporis vena rupta tenaciùs coaleſcit, & ſanguis vim, & impetum, quo vaſa rumpere ſolet, amittit. Exſiccatio tentanda aliis remediis, cùm ſit unica indicatio in hoc affectu, ut

℞. *Styracis flavi*
Piperis albi
Myrrhæ } *a. ℈. i.*
Caſtorei
Galbani
Opii præp.

Pulverizanda pulverizentur, & cum Galbano, & Styrace ſubige, & formentur Pilulæ ad magnitudinem grani Lenti, tres, aut quinque ante ſomnum exhibe, cum cyatho aquæ calidæ; valet pariter *Bolus Armena ad ʒ. i. in Vino tenui albo.* Vel

℞. *Mu-*

℞. *Mumiæ*
Myrrhæ } a. ℨ. i.
Boli Armenæ
Terræ ſigillatæ } ℨ. i. ß.
Florum Sulphuris
Antim. Diaphor. } a. ℨ. ß.
Balſami Sulphuris therebinthinati ℨ. ii.
Balſam. Peruviani ℨ. ß. *m.*

& cum Tinct. florum Hiperici, vel Julap. eorumdem q. ſ. Pil. formentur parvæ, in ore tenendæ, donec diſſolvantur, & liquor deglutiendus paulatim, & etiam ſumantur, modo dicto ſuperiùs, poſt cœnam.

Suppuratio à pure exiſtente in cavitate Thoracis, ab *Hipp. lib. 2. de morb. n. 45.* proponitur; hujus ſigna recenſentur *Febris vehemens, tuſſis, lateris dolor, decubitus in partem ſanam moleſtus, pedes, oculorum cavitates intumeſcunt.* Antequàm aggrediebatur curationem, de puris in cavitate Thoracis exiſtentia certitudinem inquirit ſequenti experimento: *Hunc multa calida lotum in ſella collocat, manus ægri ab uno detineantur, ab altero humerus concutiatur, & ſi ſtrepitus in aliquo latere exundantis materiæ audiatur, de puris exiſtentia non eſt dubitandum, optandum autem eſſet in ſiniſtrum.* Pus in ſiniſtro latere optat Hippoc. vel quia pus, ob vicini cordis calorem factum tenujus, exitui ſit paratiùs, vel quia ob dictum calorem vulnus infligendum faciliùs, & citiùs ſit curandum. In latere, quod ſtrepitum dedit, *ſectio eſt facienda*, quæ *in ſiniſtro minus eſt lethalis. Si verò à concuſſione humeri non ſucceſſerit ſtrepitus, ob craſſitiem materiæ, vel ob ejus copiam, ſi aliquod latus intumuerit, vel magis doluerit, hoc ſecandum in inferiori parte tumoris, ut puri facilis exitus paretur. Sectio inter coſtas facienda*, & communiter inter quintam, & ſextam, puris educendi quantitatem prudentiæ Medici remittit. In corpore debili parùm demittendum in qualibet vice, in robuſto magis; & rationem habemus *in lib. 6. aphor. 27.* ubi habet: *Qui ſecantur, aut uruntur, aqua, aut pure acervatim fluente, moriuntur.* Turunda, quæ *linamentum* ab Hippoc. dicitur, ex *filo crudo*, quia purgationem adjuvat, *cum filo propendente*, ut ſi in cavitatem Thoracis illabatur, extrahi poſſit, occludendum vulneris orificium. *Intra decimam totum pus extrahendum, & quotidiè ſemel pus educendum, & linamento ex linteo*, ideſt ex filis lini cocti, *occludendum, & priùs infundendum in vulnus vinum, & oleum tepidum, cum fiſtula*, ſeu ſyringa, *ne pulmo à pure humectari ſolitus reſiccetur*; unde ad humectandum pulmonem fit infuſio, non pro vulneris ſanatione, omni die extrahendum infuſum: *Et quod infuſum eſt manè ad veſperam, quod in veſpera, manè extrahendum*, & novum infundendum. Pro vulnere etiam poteſt fieri talis infuſio tranſactis aliquibus diebus, miſcendo *Vino rubro Aquam vulnerariam, vel Oleum Hyperici, vel Oleum Abietis, & Therebinthinæ. Et ubi pus tenue velut aqua fuerit, & ad digiti contactum viſcoſum, ac modicum penicillum ſtanneum cavum indito*, ut pus continuò exeat, *& dum venter*, ideſt vulnus, *exſiccatur, penicillum præſcindatur ad proportionem impletæ cavitatis, donec ulcus coaleſcat, & ipſum penitùs eximas.*

Ad cognoſcendum, an ſectio ſanitatem ſit præſtitura, ſigna recenſet: *Pus album, & purum cum fibris ſanguineis, ſanitatem promittit: ſi verò primo die pus lutei ovi ſpeciem referat, aut ſecunda die defluat craſſum, cum virore, ſubpallidum fœtens, mors adeſt.* Sunt enim hæc ſigna putredinis, & corruptionis malignæ lethalia, quia cum naturæ proſtratione; prima verò ſigna ſunt putredinis ſub dominio naturæ exiſtentis, & ſanguinis admixtio, cùm pure ſub ſpecie fibræ robur vaſorum ſanguineorum oſtendit, ubi ſputum totum cruore tinctum exit, debilitatem, & telaxationem demonſtrat vaſorum, ideò malum.

Diæta in omnibus ſuppuratis, præter dictam ab Hippocr. *Salſi, & pinguis alimenti*, convenit illa ex *Ervi farina: Madet ſemen Ervi albi, deindè reſiccatur, & decorticatur, & mola teritur Lacti, dum bullit in olla, adjicitur farina cum parvo Mellis, & coquitur ad formam pulmenti. Porrum capitatum in jure, vel aqua coctum, vel aliis ferculis mixtum*, ad puris excretionem conducit, ſicut, & *Amygdalæ amaræ contuſæ*, & cum aliis ſorbitionibus diſſolutæ, & mixtæ. Pro præſervatione faciunt *cibi acres*, & maximè *Allium coctum, Raphanum*, & præcipuè *ſylveſtre, Cæpa; cibi* etiam *ſalſi*, & *Acetum ſcilliticum, Mulſam*, & *Decoctum abrotani*, quod ſummè valet ad repurgandum pectus, quòd præſtat etiam *Decoctum Centaureæ, & Hyſſopi*, frequenter in die potatum.

Pro coronide hujus Diſſertationis addo, quæ *Hipp. in lib. 1. de morb. num. 12.* ſcribit de ſuppuratione inferioris ventris, ventriculi nempè: *At verò pus diffuſum in ventriculo inferno, velut in ſuperno dictum eſt generari, haudquaquam poterit, ſed velut à me dictum eſt, in tunicis, & tuberculis innaſcitur, & ſiquidem intrò notas habuerit cognitu difficilis eſt; neque enim ex concuſſione cognoſcere licet, cognoſcitur autem maximè ex dolore, ubi fuerit, & ſi terram figulinam, aut aliud quid humidum impoſuerit, id brevi reſiccat.* Modus, quo pus in ventriculo colligitur, ab Hippocr. declaratur *in princ. cit. text. 12.* ubi habet: *Cæterùm inferno ventriculo ſuppurati fiunt, maximè quidem, cùm pituita, aut bilis acervata inter carnem, & cutem collecta fuerit*, quibus in locis, ſi putreſcant, in pus abeunt; & confirmavit hoc Hipp. inferiùs, dicendo: *At verò diffuſum pus in ventriculo inferno, velut in ſuperno generari, haudquaquam poterit, ſed velut à me dictum eſt, in tunicis, & tuberculis innaſcitur.*

Alium modum ſuppurationis in ventriculo colligit in illis verbis textus: *Fit autem, & à convulſionibus, cùm venula convulſa rupta fuerit, ſanguis effuſus putreſcit, & ſuppuratur. Si verò convulſa fuerit, ſeu contuſa, ſanguinem ex venis ſibi propinquis trahit*; hæc patent ex dicendis de tuberculis inferiùs in explicatione *tex. 15. lib. 1. de morb. Hippoc.* Hæc ſuppuratio infimi ventris cognitu difficilis in ſuo principio, cùm ex concuſſione cognoſcere non liceat, ut ait Hippocr. quomodo dixit cognoſci ſuppurationem ſuperioris ventris. Modum tamen cognoſcendi etiam hanc ſuppurationem infimi ventris ibi proponit, nempè *ex dolore in regione infimi ventriculi*, & ſi in loco doloris *Terram figulinam* impoſueris, vel aliquod ſimile, ut aliquod Emplaſtrum, brevi reſiccatur.

Curationem deducimus *in lib. 5. Epid. num. 15.* ubi duas habet Hiſtorias de ſectione facta in duobus ſuppuratis in infimo ventre. Docet modum, quo fiunt tubercula in latere, *in lib. 1. de morb. n. 15.* his verbis: *Cùm vena aliqua tracta rupta fuerit, non tamen penitùs, ſed itaut auctus, tractus in ipſa factus ſit; ſiquidem igitur rupta fuerit, ſtatim è vena ſanguis effuſus putreſcit, & ſuppuratur. Si verò acutus tractus in vena fiat, principio quidem dolorem exhibet, ac pulſat, progreſſu verò temporis diſtribuit vena ſanguinem, atque hic in carne putreſcens pus fit. Eodem modo, & caro ſiquidem magis doluerit, & ſanguinis plus in ſe ipſam trahit ex viciniſſimis venis, & ſtatim ſuppuratur, ſi verò minus doluerit, tardiùs & trahit, & ſuppuratur*; ſic ſi vena aliqua in ventriculo, & præcipuè intra membranas ſanguine turgeat, & varicoſa evadat, quæ dicta ſunt ab Hipp. verificantur in ventriculo.

CAP. VI.

De Tabe.

Tabes latè, & ſtrictè conſideratur. Primo modo omnem corporis emaciationem univerſalem, & particularem tam pinguedinis ſolùm, quàm iſtius, & carnis denotat, & eſt idem cum atrophia, macie, & emaciatione. Secundò accipitur pro macie, cum tuſſi, ſputo purulento ab ulcere pulmonum pendente, vel ab inſigni iſtorum vitio. Varias Tabis differentias propoſuit Hipp. diverſis in locis, ex quarum explicatione patebit, quid nomine Tabis apud Hippocratem.

Tres Tabis ſpecies deſcribit *lib. de intern. affect. nu. 11. 12. 13.* Primam *in n. 11.* ſic deſcribit: *Primam quidem fit à pituita; cùm enim caput pituita impletum ægrotarit, & calor acceſſerit, pituita in capite computreſcit, ut quæ moveri non poteſt, ut decedat, poſtea cùm craſſefactæ, & putrefactæ, ac ſuperexpletæ venulæ, fluxio in pulmonem fit, & pulmo, ubi ſuſceperit, ſtatim ægrotat, ut qui à pituita mordetur, quæ ſalſa eſt, ac putrida:*

Cauſam hujus affectus refundit in pituitam implentem venulas capitis, ibique putreſcentem, eo quia ob quantitatem ejus motus impediatur, ut diſcedere, & aliò fluere non poſſit, ob ſtagnationem, & impeditum motum putredinem concipit. Ab hac ſententia colligimus, primò quantitatem humoris impedire iſtius motum, ſecundò ſtagnationem humorum eſſe cauſam putredinis. Pituita tali modo alterata ad pulmones fluit, & ab iſtis ſuſcepta, & retenta, morbi cauſam, morbumque ipſum producit. Verum cùm ſuperiùs oſtenſum fuerit, nullam eſſe viam à capite ad pulmones per infundibulum, non poſſumus niſi determinare, conceſſa hujus Tabis cauſa eſſe pituitam ſalſam; hanc, ſivè alium humorem ſeroſum, craſſum, ſalſum, per arterias in quibus exuberet, ad pulmones deferri, cum diſpoſitione ad putredinem quamdam per moram in iſtis concipiendi, cùm alia non patet via fluxus humorum ad pulmones. Caput in hoc fluxu partem habere aſſeri poſſet, ſi admitteretur in eo copia ſeri ſegregari, quod abſorptum à venis, ad corque delatum, per arteriam pulmonarem in pulmones transfundatur.

Hæc igitur æger patitur: febris debilis invadere incipit, & rigor, & dolet pectora, ac dorſum. Aliquando etiam tuſſis premit acuta, & expuit ſalivam multam, liquidam, ſalſam, & hæc quidem in principio morbi patitur.

A fluxu prædicto pituitæ ſalſæ, & putridæ ægrotat pulmo, dum fit minera febris; effervefcens enim pituita in pulmonibus collecta pravos halitus ſanguini in vaſis partium ſpiritualium exiſtenti communicat, à quibus præternaturalis effervefcentia in eo excitatur cum febrili accenſione, à qua tota maſſa ſanguinea deindè accenditur. *Febris eſt debilis*, quia fermentum febrile à pituita, & ſero confectum eſt debile, parùm activum, prout oſtendunt febres lentæ ab iſtis humoribus accenſæ. Febris eſt *cum rigore*, dum à putridis, & ſalſis vaporibus membrana pulmonum, & pleura vellicatur, & omnis rigor à vellicatione membranarum fit. *Pectus dolet*, ob triſtem ſenſationem partibus membranoſis internis illatam à materia putrida, & ſalſa, & etiam ob ejus ſtagnationem in aliqua parte determinata. *Tuſſis premit acuta*, irritatis bronchiis pulmonum à pituita putrida, & ſalſa in eis collecta, ob frequentiam, & ob quantitatem materiæ ſalſæ liquidæ; dicitur *acuta*, quia frequens, & valdè moleſta eſt tuſſis ab hoc irritamento; dicitur *pulmo morderi*, & à morſu ſemper copia humoris ad pulmones vocatur, à copia ſputi, copioſus fluxus materiæ ſalſæ ad pulmones evincitur, per quod diſtinguitur hic affectus à tuſſi, in quo ſputum ſalſum excernitur, ſed in pauca quantitate, ſine periculo Tabis. Quamvis materia ſit ſalſa, & copioſa, nulla eſt corroſio pulmonis, nec ulla ſanguinis rejectio, cùm nulla de his fiat mentio ab Hippocrate; quapropter concludendum, non eſſe Tabem ab ulcere pulmonum, ſed à copioſo fluxu materiæ pituitoſæ, ſeroſæ, ſalſæ, craſim, & texturam iſtorum vitiante.

In progreſſu verò corpus attenuatur, cruribus exceptis; hæc enim intumeſcunt, & pedes, & ungues contrahuntur; ex humeris autem tenuis, & debilis eſt, & fauces velut lanugine implentur, & velut per arundinem ſibilat, & fortiter ſitit per totum morbum, & multa impotentia corpus habet.

In principio ſupradicta patitur ſymptomata æger, progrediente verò morbo *attenuatur*, hoc eſt emaciatur, *cruribus exceptis*. Macies *eſt nutritionis defectus*, hic à ſanguine deficiente, vel in ſuis qualitatibus depravato, ut inhabilis ſit pro nutriendis partibus, cùm in hoc affectu ſerum, ſeu pituita ſit ſalſedine præternaturali affecta. Tali infectione maſſam ſanguineam à qua ſegregatur, coinquinare credendum eſt, ideòque inhabilem reddere nutritioni corporis, imò præter alimenti pravitatem, ſalſedo ſanguinis partes, per quas circulatur in egreſſu ab arteriis, & ingreſſu in venas abradendo, maciei cauſam auget. Malitiam ſanguinis auget pulmonum vitium tam in craſi, quàm in textura alteratam à colluvie humoris ſeroſi. Conſentiunt Recentiores, pulmones, ſi non ſunt principium effectivum ſanguificationis, chylum ſaltem diſponere ad mutationem in ſanguinem, tam ratione ſui caloris, quàm ſui motus à textura pendentis, & ratione aeris nitroſi per motum inſpirati, à quo ſanguis accenſionem vitalem ſuſcipit. A colluvie ſeroſa putrida alteratur calor, & febrilis fit, motus ab eadem à ſuo rhythmo diſtrahitur, ab eadem nitri aerei virtus accenſiva deſtruitur, & in his omnibus, non ſolùm deficit principium diſponens chylum ad perfectam converſionem in ſanguinem, ſed adeſt principium illum diſponens ad mutationem in excrementa, & idem principium pravas qualitates inſpirando ſanguini, non ſolùm iſti nutriendi facultatem adimit, ſed potentiam ad varii generis excrementa generanda tribuit. Cùm verò tales diſpoſitiones, niſi progrediente morbo, ſanguini communicentur, ideò etiam niſi progrediente morbo macies advenit. *Et crura, & pedes intumeſcunt*, dum excrementa à chylo, & ſanguine pravè alterato promanantia in cruribus, & pedibus ſtagnant, quia ratione ſui ponderis, ſicut facilem habent deſcenſum, ita difficilem aſcenſum, quapropter proprio pondere præcipitati ſtagnant. Aſcenſum humorum in circulatione ſpiritus in illis hoſpitans adjuvat, & quò purior, agilior, & activior, & in copia eò facilior aſcenſus ſanguinis, è contra ſpiritus defectus in humore impedimentum ponit ad aſcenſum, excrementa ſine ſpiritu reperiuntur; ideò ſemper ad aſcenſum harum circulatio tarda, vel nulla. *Ungues contrahuntur*, quia corpora ſicca, ut ungues, à ſiccitate magis intenſa ſemper contrahuntur in ſeipſa, figuramque mutant, ut continuò in lignis experimur, & ob rationem ſuperiùs alio in loco allatam. Ob maciem in parte ſuperiori *ex humeris fit tenuis*, hoc eſt emaciatus, & *debilis* pereunte, cum nutritione robore virium totius, & partium. *Fauces velut lanugine implentur*, hoc eſt materia viſcoſa alba obducuntur; hac ob viſcoſitatem adhærente faucibus, hanc materiam fauces recipiunt, vel à membrana pituitaria eas inveſtiente, dum à glandulis illius continuò humor tranſudat, qui ſi craſſitiem contraxerit, in faucibus velut lanuginem efformat, vel à ſaliva è glandulis ſalivalibus profluente, & ad fauces illibente, quibus ſi adhæreat, velut lanugine circumveſtit. *Per arundinem velut ſibilat*. Si portiuncula ſeri craſſi occupet partem rimulæ in principio aſperæ arteriæ excavatæ, ibique fixa maneat in qualibet inſpiratione, & expiratione aer ab illa catarrhi portiuncula fractus velut ſibilum edit. *Fortiter ſitit per totum morbum*, ratione ſalſedinis pituitæ, & ratione craſſitiei ejuſdem, per quam lingua, & palatum velut incruſtatur, cum impedimento humoris fluxui ad eam irrigandam, & humectandam, deficiente humectatione, & irrigatione intima dictarum partium, ſitis moleſtus ſenſus affligit, & quia hæc in toto morbi decurſu contingunt, ideò in hoc ſemper ſitit æger. *Et multa impotentia corpus habet*, ob ſanguinis pravitatem paucos ſpiritus ſubminiſtrantem, & ab horum paucitate virium debilitas, & à nutritionis deficientia, à qua vires concidunt, ſicut ab illa perfecta conſervantur.

Ab hac explicatione patet, deſcriptam ab Hippocrate Tabem eſſe maciem, non à pulmonum ulcere, cùm ſputa non ſint purulenta, qualia ſunt quotieſcumque adeſt ulcus, ſed eſt macies à vitio pulmonum contracto à colluvie ſeroſa in illis ſtagnante, ſine ulcere. Hæc macies cum ratione dicitur ab Hippocrate Tabes, quia eſt cum febre, tuſſi continua, prout in Tabe ab ulcere pulmonum. Unde definiri poteſt deſcripta Tabes, *Macies totius corporis, cum febre continua, & tuſſi, à colluvie ſeroſa pulmones inundante*, & eſt illa Tabes, quæ à pulmonum flaciditate communiter appellatur, & pereunt velut Phthiſici.

Hic cùm ſic habuerit in anno corruptus, malè perit.

Hoc eſt prognoſticum hujus Tabis, quod confirmat in fine textus, dicendo: *Eſt autem morbus lethalis, & pauci hunc effugiunt.*

Et primùm quidem Veratrum bibendum dare. Infra autem ſubpurgare Epithymo, aut Peplio, aut grano Enidio, aut Tithymallide, hæc quater in anno dare oportet, ſurſum bis, deorſum bis.

Curationem hujus Tabis incipit à purgatione per vomitum, & alvum. Hujus indicatio habetur à redundantia humoris ſeroſi in corpore, quæ purgationem per ſe indicat; & quia apud Hipp. purgatio per vomitum magis

gis conducit ad expiationem totius, ab hac incipit, & etiam quia materia in pulmonibus contenta vomitu diſponitur ad promptum exitum per tuſſim, ut in ſuperioribus utrumque demonſtratum fuit. Ideò *Veratro*, hoc eſt *Helleboro albo*, purgationem incipit, in cujus locum ſubſtitui poteſt *Vitrioli Sal album*, *Sappa Antimonialis*, *Hepar Antimonii*, *Tartarum Hemeticum*. Pro purgatione per alvum utitur *Epithymo*, ex quo conficitur *Decoctum Meſue ex Epithymo*. *Epithymum* ex *Meſue* pituitam purgat, & ex *Gal.* calefacit, & exſiccat; & in hac macie utramque indicationem habemus, cùm ex Hipp. peccent, quæ purganda ſunt, nempè excrementa, & quæ calefacientibus, & exſiccantibus, corrigenda, ut ſunt pituita, & ſerum. Addit pro purgante *Peplium*, ſeu *Portulacam ſylveſtrem*, *Granum Enidium*, ſeu *Semen Thymeleæ*, & *Tithymallidem*, quæ omnia purgant pituitam; nos benignioribus uti poſſumus, nempè *Agarico*, *Turbith*. *Senna*, *Manna*, *Mel Roſ. ſol. Pil. de Agar. Cochiis*, *Aureis*, & ſimilibus. Vomitivis, & purgantibus prædictis quater in anno utendum, bis purgandum per vomitum, bis per ſeceſſum. Regulam moderandi has purgationes nobis reliquit *Hipp. lib. 4. aphor. 4.* ubi habet: *Medicamentis purgare oportet Aeſtate quidem ſuperiores magis, Hyeme verò inferiores*; quare vomitus Æſtate promovendus, & quia bis in anno hanc evacuationem exercendam imperat, vel ante Solſtitium æſtivum per duodecim dies, ut alio in loco monuit, & ante Æquinoctium autumnale per duodecim dies vomitivum exhibendum; vel in Verè, utpotè Æſtati magis proxima, quàm alia tempeſtas, & præcipuè in ejus fine, pro una vice exhibendum vomitivum, & pro altera vice ante Canem per multos dies, ne difficilis evadat purgatio, ut pronunciavit *Hippocr. in Aphoriſmis*: *Ante Canem, & poſt Canem difficiles ſunt purgationes*, & ante, & poſt comprehendit terminum duodecim dierum. In Hyeme per infernam alvum purgandum, vel ante Solſtitium hyemale, & ante Æquinoctium vernale, vel in medio Autumno, & in medio Hyemis.

Dandum Lac coctum ad ſubpurgationem aut bubulum, aut caprinum; bibat etiam crudum Lac bubulum, tertia parte Aquæ mulſæ ammixta per quinque, & quadraginta dies ammixto etiam Origano. Caput autem ipſius prius purgetur pharmaco ad nares appoſito.

Facta purgatione alterans medicamentum, & cauſæ, & morbo appropriatum proponit, & eſt Lac. Morbus eſt Tabes, ſeu Macies totius; hæc indicat ablationem per optimè renutrientia; in hoc genere eſt Lac, quod *in lib. 5. aphor. 64.* Tabi convenire ſancivit, dum ſcripſit: *Convenit autem exhibere tabeſcentibus Lac, non valdè multum febrientibus*, ut in noſtro caſu, in quo Hipp. ait, febrem eſſe lentam. Cauſa maciei eſt pituita ſalſa, quæ eſt moderanda dulcificantibus; nullum remedium ad hoc magis efficax, quàm Lac, ſalſedo, ut plurimùm, à calore in maſſa ſanguinea æſtuante refrigerantia expoſcit, Lac hoc præſtat, quapropter in hoc habemus remedium, & morbum, & cauſam oppugnans. Quantitatem Lactis non determinat; *in eod.* verò *lib. de intern. affect. n. 4.* ubi proponit Lac in morbo pulmonum, ut in noſtro caſu, præbet ad *heminas tres*, ſi æger aſſumere poterit; quia in hoc loco admiſcet *tertiam partem Aquæ mulſæ, duæ hemine Lactis, & una Aquæ mulſæ* exhibendæ, & in unica vice, dum Lac propinat in uno poculo tres heminas continente. *In cit. n. 4.* Lacti admiſcet *Origanum*, ratione tuſſis, cui opitulatur, & in eumdem finem *Aquam mulſam* adjungit; *Origanum* urinam movet, per quam ſerum, ſeu pituita redundans expurgari poteſt. Tempus exhibendi hoc remedium, eſt per *quadraginta quinque dies*. Duo ante exhibitionem Lactis præmittit: Primum eſt lenis purgatio, ideſt lenitiva; hanc importat nomen *Subpurgatio*, quo utitur Hipp. in textu; purgationem hanc lenitivam molitur Lacte cocto aſinino, vel bubulo, vel caprino, pro lubricitate, vel ſtipticitate ægrotantis. Perpendenda ſententia *Hipp. lib. 2. de diæt. n. 6.* ubi habet: *Lac caprinum magis per alvum ſecedit, bubulum minùs, equinum, aut aſininum magis;* ideò aſininum pro purgatione eligit, ad hoc ut moveat alvum, *ad quinque, vel ſex libras* aſſumendum. Secundum eſt *purgatio capitis per nares*. Determinavit Hipp. hunc morbum à capite malè affecto proficiſci, & *in lib. 5. aphor. 64. ſupracit.* ſancivit, *Caput dolentibus, Lac malum*; ut caput uſum Lactis tolerare poſſit ſine incommodo, caput purgat, & per nares, nempè cum *Errhynis*, pro quo nil meliùs *Succo radicis Cyclaminis* per nares attracto. Alia etiam Errhyna multis in locis deſcripta ſunt. Hujus remedii tempus erit Ver, in quo Lac magis activum habemus, & poſt purgationem per vomitum.

Diæta lactea, à *Morthono* deſcripta, poterit cum fructu ad uſum redigi quolibet anno per duos menſes, ſicut & regula exhibendi Lac ab Hipp. tradita, quolibet anno ſequenda. Ab Hippocratis methodo colligimus etiam, in reliquo anni tempore ſeligenda remedia Lacti ſuccedanea, ut ſunt *Emulſiones ſeminum Melonum, & Papaveris, Succus Hordei Aqua mulſa diſſolutus, addito Origano, vel Hyſſopo, vel Botryde, vel Pulmonaria*; & quia Lactis uſu lubrica alvus ſervatur, monemur, hoc intermiſſo, ſi alvus non correſpondeat, hanc movere, *vel clyſtere ex Lacte, vel Lacte epoto ad libras, vel Elect. Lenitivo, vel Diaſebeſten.*

Cibaria autem, & obſonia dentur neque pinguia, neque nidroſa, neque valdè acria; hæc autem morbum obſervando facere oportet, & ambulationibus ad cibos uti, obſervando ne frigeat. Hyeme verò juxta ignem habitationem faciat. Vinum autem bibat auſterum nigrum, quam vetuſtiſſimum, ac jucundiſſimum, verùm modicum. Et ſi tibi viſum fuerit, ante pharmacum fomentum adhibere, & ſic pharmacum dato; ſi verò dare nolueris, facto fomento, vomitum ex cibo facere cogito, velut prius ſcriptum eſt. Huic, ſi commodè fuerint, deambulationibus utatur; ſi verò non, conducant, corpore, quam maximè quieſcat. Hoc modo tractatus, quàm facillimè in morbo deget.

Diætam, in hoc textù, Tabi à pituita convenientem proponit Hippoc. *Alimenta non ſint pinguia*, dum replent, ex *Hipp. lib. de diæt. n. 19.* & etiam pituitam cumulant; multò minùs *nidroſa*, ideſt quæ odorem fœtentem, aduſtionem redolentem habent, facilè enim aduruntur, & aduſtione bilem producunt, acrimoniam humorum augentem. *Acria* rejicienda, quia ſalſedinem non ſolùm conſervant, ſed augent. *Poſt cibum deambulet*, ad excitandum calorem, & fermentum digeſtivum valdè iners in hoc morbo, cavendo *frigus*, à quo pulmones læduntur, & ſalſedinis acrimonia vires ſuſcipit, ob particulas nitroſas in aere frigido exuberantes; hac ratione utile erit Hyeme juxta ignem, vel in loco calido habitare, ſeu potiùs tepido, ut frigus arceatur ſine colliquatione humorum, à calore excedenti timenda. *Vinum generoſum vetuſtum bibat*, ſed modicum, ut ſufficiat ſolùm pro virium refectione, non pro augmento fluxionis, & intenſione acrimoniæ, & ſalſedinis. Ultimo loco *fomentum* proponit *ante pharmacum purgativum*, vel *vomitivum*, à quo fluxiles redduntur humores, commodam, & facilem evacuationem præſtantes. Hoc fomentum fit aqua tepida, fovendo ventrem. Advertendum autem eſt, an hæc medicamenta conveniant; ideò dicit: *Si verò dare nolueris pharmacum*, in quibus verbis ſupponit caſum, in quo non poſſit tutò pharmacum exhiberi, ut in virium debilitate; & in hoc caſu proponit vomitum poſt cibum, quem vires, etiam debiles, ſuſtinere valent, & ut faciliùs ſuccedat, fomento utitur. *Si deambulationes non ſint ægro commodæ*, quia vires non ſufficiant, *quam maximè quieſcat*, multa quiete vires non abſumentur, & per quietem refocillationem accipient.

Secunda Tabem deſcribit *in n. 12.* & ait: *Secunda Tabes fit à labore; eadem autem æger patitur, quæ & prior. Morbus autem hic magis priore quieſcit, & Aeſtate remittit; ſalivam verò expuit craſſiorem priore, & tuſſis premit, maximè Senes, & dolor fortior eſt in pectoribus, & velut lapis incumbere videtur ipſis. Dolet etiam dorſum, & color ipſius limpidus exiſtit, ſi quid laborarit, flatus, & anhelatio oboritur.*

Si in hoc caſu æger eadem patitur, quæ in priori, ſi hic dicitur Tabes etiam ille, & conſequenter ſupponenda in hoc caſu macies, febris, & tuſſis, & ea omnia, quæ in textu referuntur ab Hippocrate, oſtendunt ſolùm differentias quaſdam diſtinguentes hunc caſum à præ-

à præcedenti, per quas non mutatur morbus, ſed ſolùm accidentia iſtius variant, & cauſa etiam differt à priori idem tamen eſt affectus, quia idem morbus, multi ſunt morbi, qui in ſua unitate multiplicitatem cauſarum cognoſcunt.

Cauſa præcedentis caſus determinata fuit pituita, in hoc eſt *labor*, & videtur potiùs determinare cauſam extrinſecam Tabis, quàm intrinſecam, quæ, meo judicio, eſt eadem, nempè pituita fluens ad pulmones, & talem oſtendunt omnia ſymptomata cum priori Tabe convenientia, à pituitæ fluxu promanantia, nec labor valet eadem ſymptomata excitare, niſi remotè, humores alterando, & ad fluxum diſponendo; quapropter admittendus humoris ſeroſi, & pituitoſi cumulus à laboribus movendus, & diſpoſitio pulmonum ad recipiendos humores motos, & eſt illud vitium in textura, quod admiſi in explicatione ſuperioris caſus, & conſiſtit vel in dilatatione poroſitatum, à quibus excipitur alimentum, vel in ampliatione vaſorum cum veſiculis, & bronchiis communicantium. Humoris ſeroſi redundantis habemus indicium in illis verbis Hipp. *Color ipſius limpidus exiſtit*; *Calvus*, & *Martianus* legunt *dilutus*, ideſt color ad pallidum vergens, à quo humoris ſeroſi, & pituitoſi copia colligitur. Cum hac diſpoſitione humoris prædicti, & diſpoſitione partis à laboribus fluxio iſtorum ad pulmones promovetur, à labore incaleſcit ſanguis, rareſcit, & attenuatur, hinc ſeri ſegregatio; hujus magna portio à pulmonibus à labore excalefactis, & dilatatis excipitur, ibique ſtagnans ſymptomata ſuperiùs explicata parit, tuſſim, dolorem pectoris, & pondus in eo, à quibus humorum abundantia in pectore deducitur. *Quieſcit*, & *Aeſtate remittit*, ob inſenſibilem tranſpirationem in hac tempeſtate copioſiorem, à qua minuitur humorum redundantia; à calore Æſtatis funduntur humores, liquidiores fiunt, & eorum ſtagnatio impeditur, & ſtagnantes ſolvuntur, tamquam ablato compede, vel vinculo, quòd non evenit in antecedenti Tabe, ob ſalſedinem pituitæ. Sal coagulationis, ſeu craſſitiei in fluidis principium, concedunt Chymici, unde in humoribus ſalſis difficilis, & diminuta tranſpiratio; hac ratione Carnes, Piſces Sale conditi tranſpirationem non experiuntur, non ſolùm quia humido carent, ſed etiam quia à Sale eorum particulæ condenſatæ tranſpirationem non permittunt, quod cùm ſuccedat in pituita ſalſa, morbus ſupradictus ab ea pendens non remittit Æſtate. Tenuitas humoris in hoc caſu dat differentiam à præcedenti, in quo eſt craſſities humoris. *Tuſſis premit*, *maximè Senes*, tam ob debilitatem conatus in expectorando, quàm ob admixtionem humoris craſſi cum ſero, quo ſcatent, vel ob ſerum in Senibus facilè concreſcibile. *Dolor fortis in pectoribus*, non ſolùm ob materiam moleſtam membranis pulmonum, qua imbibuntur, ſed etiam quia in labore defatigati muſculi interni thoracis, ſeroque impleti, cum diſtenſione, & turgentia dolent, & membranæ thoracis cavitatem tegentes à laboribus excalefactæ, ſpatium copiæ humoris ad eas fluentis pararunt, à qua turgidæ factæ earum fibræ, cum moleſtia, dolor fortis in pectore excitatur. *Dorſum*, ob eamdem rationem, *dolet*, affectis modo dicto muſculis ejus. Hinc patet ratio, per quam dolor in præcedenti Tabe non eſt fortis, quia muſculi, & membranæ thoracis ab humorum copia non premuntur. Ab hoc humorum affluxu ad pulmones, ad muſculos, ad membranas thoracis, non mirum, ſi pondus pectori incumbere videatur. A labore anhelatio premit, dum in hoc requiritur expeditus muſculorum motus, ob neceſſitatem frequentioris, & elatioris reſpirationis, qui cùm ob impedimentum ab humore poſitum exerceri non poſſit, ex neceſſitate oritur anhelatio; materia etiam in pulmone exiſtens à labore rarefacta, magis implet partes, in quibus ſtagnat, quæ comprimendo bronchia anhelationem facit. Hanc preſſionem facit etiam materia in pulmonibus contenta, dum à labore hùc illùc movetur, & mota verſus bronchia, hæc premit; ab eodem calore à laboribus excitato rarefactæ ſeroſitates in ventriculo, & inteſtinis exiſtentes, in flatus attenuantur, à quibus impedita elevatione, vel depreſſione diaphragmatis, anhelatio ſuccedit.

Prognoſticum Hipp. eſt hoc: *In tribus annis maximè moritur*, *à febre*, *à macie*, *à tuſſi oppreſſus*, quorum ſymptomatum cauſa eſt eadem, qua explicata fuere dicta ſymptomata in præcedenti caſu, nempè ob læſam ſanguificationem à vitio pulmonum, in iſtorum flaciditate conſiſtente; & concludit: *Eſtque morbus gravis*, quare hic morbus protrahitur magis, quàm præcedens, de quo dictum fuit. *In anno corruptus*, *malè perit*, ob ſalſedinem pituitæ majori vi partem affectam petentem.

Curationem, ait, dirigendam eſſe *modo in priori Tabe tradito*, cùm hæc Tabes differat ratione ſolùm cauſæ extrinſecæ, & ratione humoris magis tenuis. Hæc ſententia patitur magnam difficultatem, quia in hoc caſu non adeſt ſalſedo moderanda, nec calor attemperandus, prout in priori; quapropter non apparet indicatio Lac exhibendi; imò cùm humor ſeroſus, & pituitoſus ſolùm exuberet, Lac in hac humorum redundantia communiter noxium cenſetur, quia refrigerat, & refrigerato ſanguine humores prædicti redundant. Verùm attentè conſiderata natura Lactis, tollitur difficultas. Lac ab omnibus optimum nutrimentum ſuppeditare admittitur; in macie, in cacochymia, ubi pravi, & inutiles humores redundant, prout in caſu propoſito, eſt indigentia optimi nutrimenti, conſequenter Lac convenit, & in cacochymia ſuperanda unicum remedium eſt ſanguinem bonum paulatim remittere, quod fit nutrimento optimo facilis digeſtionis, quale eſt Lac, quòd Natura adinvenit pro nutritione fœtus, in quo omnes facultates debiles. Et ſi pro refrigeranda maſſa ſanguinis Lacte utimur, id non arguit frigiditatem poſitivam in lacte, ſed ſolùm reſpectivam. Lac non eſt poſitivè frigidum, quia à natura determinatum pro nutritione pueri, & augmento, quæ à frigido poſitivo non poſſunt haberi, cùm à nutrimento calor naturalis ſit conſervandus, & ad hoc non pervenit frigidum poſitivum. Refrigerat quidem reſpectivè, ſi ſanguis ſit ſummè calidus, dum ab admixtione minus frigidi tepeſcit, eo modo quo aqua fervida ab admixtione aquæ tepidæ, intenſionem caloris amittit. Habet ergo calorem Lac non diſſimilem calori noſtro nativo, cùm hunc conſervet in infanti, ſed temperatum, quo calorem fovere oportet; quapropter ubi adeſt neceſſitas boni nutrimenti, & caloris debilis fovendi, prout in macie, & cacochymia etiam ſeroſa, Lac eſt optimum, & hoc fine Lac exhibet Hipp. in præſenti caſu. Ut indicatio ſuum habeat intentum, oportet Lac, prout è mammia mungitur, cum ſuo calore naturali potare. Urgente verò cachexia valida cum ventriculi debilitate, magis proficuum, & tutum erit Lac in parva quantitate exhibere, quàm in copia, ad vitandum periculum corruptionis iſtius in ventriculo debili. Ab hac Hipp. doctrina colligere licet, quantum valeat recta victus ratio in corrigenda univerſali cacochymia, alimenta optimi ſucci, facilis digeſtionis exhibendo, in ea quantitate, quam ventriculi conſtitutio ferre poteſt.

Tertiam Tabem deſcribit *num.* 13. his verbis: *Tertia Tabes*, *ab hac hæc patitur*: *Medulla ejus ſpinalis ſanguine plena fit*. *Tabeſcit tamen ſimiliter*, & *à cavis venis*. *Hæ verò pituita hydropiformi*, & *bile replentur*. *Patitur autem eadem*, *ab utris tandem tabeſcat*, & *homo ſtatim niger fit*, *ac ſubtumidus*, & *partes ſub oculis tabidæ fiunt*, & *venæ in corpore pallidæ diſtentæ ſunt*, *quædam verò valdè rubicundæ*, *maximè autem manifeſtæ ſunt*, *quæ ſub alis exiſtunt*. *Et ſpuit pallida*, *quæ*, *ubi ipſum invaſerint*, *ſuffocant*, & *tuſſire volens aliquando non poteſt*. *Quandoque autem*, *præ ſuffocatione*, & *tuſſiendi cupiditate*, *bilem acervatim vomit*, *aliquando verò pituitam*, *ſæpè verò etiam cibos*, *quum comederit*, & *ubi revomit levior ſibi eſſe videtur*, *deindè*, *modico tempore interpoſito*, *in iiſdem doloribus jacet*; *hic etiam acutiùs loquitur*, *quam cùm ſanus eſt*, & *rigor*, *ac febris interquieſcens*, *rurſus ſudoroſa corripit*.

Tabem intendit in hoc textu deſcribere, ut apparet à primis verbis iſtius, *Tertia Tabes*, & ab illis, *Spinalis medulla ſanguine plena tabeſcit*, & inferiùs ait, *Ad utris tandem tabeſcat*; à quibus apertè demonſtratur loqui de Tabe; at proponendo ſigna hujus, non loqui-

loquitur, ſicuti fecit in duobus præcedentibus textibus, de corporis emaciatione, imò recenſet contrarium in venarum plenitudine, & in tumore totius corporis, à quibus omninò excluditur Tabes. Inſolubilis eſſet difficultas, niſi ſolutionis modum attenderemus in prognoſtico, ubi habet: *Morbus autem durat, maximè annos novem, poſtea durat, dum corrumpitur*, ideſt *emaciatur*, ex *Gal.* enim *lib. de Maraſmo*, *corruptio*, & *macies* ſunt ſymptoma; loquitur ergo de Tabe, quam præcedit morbus, cum ſymptomatibus deſcriptis in allegato textu.

Morbus hic, vel mala diſpoſitio eſt cacochymia, ſeu redundantia excrementorum, & colligitur ab illis verbis, *Hæ verò* (loquitur de venis) *pituita hydropiformi* (hoc eſt pituita aquea) *& bile replentur*; hujuſmodi repletio venarum à pituita aquea, & bile determinat redundantiam excrementi aquei, & bilioſi in venis, quæ eſt eſſentialiter conſtitutiva cacochymiæ; & inferiùs ſubjungit: *Et venæ in corpore pallidæ diſtentæ ſunt, maximè verò manifeſtæ ſunt, quæ ſunt ſub alis*. Hominem ſtatim nigro colore tingi, ſubtumidum fieri, ſunt ſigna redundantiæ pravi humoris in corpore, & experientia demonſtrat in cachecticis, & tumorem carnium, & pravum colorem. In hoc affectu tumor non eſt magnus, ſed parvus, ideò dicit *ſubtumidus*; talis verò tumor, quamvis parvus, opponitur maciei, & ſi ait, *Medulla ipſius ſpinalis ſanguine plena fit*, non eſt intelligendum de ſanguine puro, ſed impuro, ob admixtionem excrementorum, & ſi aliquas venas afferit eſſe rubicundas, in iſtis purior ſanguinis portio colligitur (cùm excrementis adeſt portio ſanguinis puri) vel ſunt in loco, in quo calor magis viget, & ab ejus activitate ſanguis plus accenditur, & accenſus ruborem acquirit. A redundantia humorum prædictorum cum ſanguine, & ſi medulla ſpinalis, vel venæ cavæ, hoc eſt magnæ, implentur, tabeſcit tamen, non quia emacietur ſtatim, ſed quia repletis dictis partibus diſponitur ad Tabem, ſeu maciem; hæc diſpoſitio advenit, vel à medulla ſpinali, vel à venis impletis.

Medulla ſpinalis impletur ſanguine derivato ab arteriis per eam ſparſis, & has non parvas obſervavit *Vvilliſius* in ſua *Anatome Cerebri cap.* 29. & repletur, quando copia ſanguinis in ejus poroſitates deponitur, vel quando vaſa ſanguiflua per eam diſſeminata humore ſummè turgent; & ſi à fluxione humoris à capite ad ſpinalem medullam voluit *Hipp. in lib. de loc. in hom. num.* 18. Tabem occultam fieri, hanc ſanguinis copia parere poteſt, dum à dicta copia nervi à ſpinali medulla erumpentes comprimuntur, & compreſſione via ſpiritibus animalibus fit anguſta, diminutuſque ab anguſtia viæ fluxus dicti ſpiritus ad partes nervorum vertebralium beneficio fruentes, emaciationem parit in iſtis, ſivè hæ à nervis humorem nutritium accipiant, ut aliquibus placet, ſivè à nervis per ſpiritum animalem corroboretur calor, & fermentum partium nutritioni earum ſerviens, cum tali robore, & vigore, ut ſpiritu animali deficiente nutritio ceſſet, ut communis eſt ſententia, per quam redditur ratio emaciationis partis paralyticæ, licèt ad hanc liber ſit fluxus ſanguinis. Plenitudo medullæ, & derepentè, & ſenſim ſuccedit, in priori caſu cita macies, in ſecundo lenta, & tarda, ideòque occulta, & de hac loqui Hippocratem in præſenti textu cenſendum eſt, cùm Tabes manifeſta ex læſione ſpinalis medullæ ſit, cum dolore lumborum, capitis, colli, & motus læſione, ut patet *in n.* 14. *cit. lib. de affect. intern.* quæ in præſenti caſu abſunt, & læſa medulla læduntur nervi, & eorum actiones, ſenſus, & motus; & cùm talis læſio non deſcribatur inter ſigna hujus Tabis, concludendum eſt, Tabem deſcriptam à vitio medullæ ſpinalis non eſſe manifeſtam Tabem, ſed occultam, ideſt eſſe in ægro diſpoſitionem ad Tabem, itaut, ubicumque aderint ſymptomata deſcripta, ab eis, tamquam à ſignis ſuſpicanda ventura Tabes.

Signa ſunt: *Sputa pallida*, hoc eſt, ſputa ſunt albo, & flavo colore mixta, adeòut ſint flava pallida; & talia neceſſe eſt ſint, ſi venæ implentur pituita alba, & bile flava, quæ per arterias in veſiculas, & bronchia pulmonum depoſita, tandem tuſſi per ſputa excernuntur, dummodò conceſſum ſit tuſſis conatum exercere, cùm in tanta copia quandoque deponantur, ut vel comprimendo, vel implendo dicta bronchia, & veſiculas ſuffocationem minentur, aeris ingreſſum impediendo, & tuſſis motum ſufflaminando; aliquando verò adeſt irritamentum ad tuſſim promovens, quod communicatur œſophago, & tunc ventriculus ad vomitum ſtimulatur, per quem bilis, & pituita in eo contenta excernitur, & ſi cibi, hoc tempore in ventriculo exiſtunt, per vomitum expelluntur. A vomitu aliqualem experitur utilitatem, vel quia cum vomitu per tuſſim aliqua portio materiæ expellitur, vel quia à materia in ventriculo exiſtente nervi ventriculi aliqua moleſtia affecti, illam pulmonum augebant, ob communionem, & conſenſum iſtorum, & à vomitu ejuſdem materiæ ablata dicta moleſtia, aliquod levamen percipit æger, ſecundùm partem affectam, pulmonum nempè, ſed per breve tempus, cùm vel à reliquiis eorumdem humorum, vel à novo affluxu aliorum ejuſdem conditionis denuò ſub eiſdem doloribus jaceat. *Acutiùs loquitur, quàm cùm ſanus eſſet*, vel quia à pondere materiæ in pulmonibus collectæ aſpera arteria deorſum tracta, ſecundùm ſuam cavitatem anguſta redditur, & ab anguſtia, vox acuta, vel à copia materiæ fluentis ad pulmones, & præcipuè pituitæ, incraſſatur mucoſitas illa obliniens ſuperficiem internam aſperæ arteriæ, uſque ad anguſtiam aliqualem ſpatii ejuſdem, unde vox acuta, quæ ab anguſtia ejuſdem arteriæ proficiſcitur. *Fit niger*, ob rationem ſupradictam. *Subtumidus evadit*. Hujus tumoris ratio deducitur ab *Hipp. lib. de loc. in hom. n.* 18. ubi habet: *Fluxio, cùm retrò ad vertebras, & in carnes defluxerit, fit Hydrops*, qui non eſt, niſi tumor à congregatione aquæ; ita tumor corporis, in caſu præſenti, erit à congregatione humoris in carnibus totius corporis, quæ facilis eſt, ubi reperitur abundantia pituitæ in venis, prout ſuperiùs eſt explicatum; in carnes diſtribuitur dictus humor ab arteriis per ſuperficiem extimam corporis diſperſis, in quam ſerum, vel pituitam effundunt in copia, quæ à venis non abſorpta, ibi remanet, & ex paulatina ejus congeſtione ſuperficies corporis in tumorem attollitur. *Febris cum rigore*, ſed per intervalla *interquieſcens* accenditur, quia putredo redundantis humoris non eſt continua, ſed interrupta, cùm humor pituitoſus hydropiformis, hoc eſt aqueæ naturæ, non adeò citò accendatur, quia, ut ait, *Hipp. lib.* 4. *de morb. n.* 23. *Humor aqueus febri eſt infeſtiſſimus*; rigoris cauſa ſuperiùs eſt tradita; ſi putreſcat humor in pulmonibus, ſi in ſuperficie corporis vellicata membrana carnoſa à putridis vaporibus, rigor ſuccedit.

Prognoſticum ſubjungit Hipp. *Morbus autem durat, maximè annos novem, poſtea durat, dum corrumpitur*, ideſt *dum emaciatur*; *pauci verò ex ipſo effugiunt, gravis eſt enim morbus*.

Curationem ſic deſcribit: *Hunc, ubi ſic habuerit*, cum ſymptomatibus mox deſcriptis, *cibis, ſorbitionibus, & potibus, ac pharmacis, & reliquis omnibus curato, velut priores*. Ratio talis curationis eſt, quia adeſt redundantia humoris excrementitii indicans purgationem per vomitum, & per ſeceſſum, modo in priori expoſito; adeſt cacochymia indicans attemperationem pravi humoris, & generationem paulatinam boni, quam explet Lactis exhibitio.

Incipiente emaciatione aliam curandi methodum proponit, & incipit *à fomento*, à quo ſiccitas partium moderatur, ejuſque augmentum retardatur, & humores magis fluxiles redduntur ad purgationem illorum placidè molliendam; & quia cogitat ſequenti die de purgatione per vomitum, ideò præmittit *fomentum*, & ab hoc deducitur, fomentum adhibendum eſſe calidum, & humidum, nempè *Aquam tepidam ſimplicem*, vel *Decoctum cum Violaria, Malva, Branca Urſina, & Parietaria*. *Poſtera die dimidium congium*, ideſt libras quinque, *Aquæ Mulſæ, modico Aceto affuſo, bibere jubet, citra reſpirationem*, ut materiam non interrupto motu agitet cum majori vi, & agitata à tunicis ventriculi faciliùs ſeparetur, & pari facilitate ſequatur ejus ſecretio. Poſt potationem ægrum *ſtragulis per multum, & longiſſimum tempus* tegito, ut coercito calore corporis mulſa efferveſcat, & fermentet, & fermentatione materiam in ventriculo exiſtentem commoveat, diſſolvat, attenuet, ad vomitum prom-

promptum diſponendo: *Et ſi vomendi pruritus accedat, vomat. Hoc verò quieſcente aliquo interpoſito tempore* à potatione mulſæ, *poculum magnum aquæ tepidæ ad vomitum renitentem provocandum exhibet*, addito irritamento *pennæ in gulam immiſſæ*, & ſi oleo imbibatur, irritamentum fit magis validum. Indicationem vomitus deſumit à redundantia pravi humoris in ventriculo, ut patet ex vomitu bilis, & pituitæ ſuperiùs in hoc textu obſervati, & ex redundantia humorum ejuſdem naturæ in toto, quod per vomitum purgari, ſuperiùs demonſtratum fuit. Blando utitur vomitivo, quia anni novem præceſſerunt morbi, à quo vires reſolutæ, & quia macies, quæ jam incœpit cum virium languore, à vehementi vomitivo majus incrementum ſuſciperet à copioſa humidi, & ſpiritus evacuatione. Hippocratem imitantes poſſemus uti, ad vomitum excitandum, *Decocto Raphani, cum Oxymelite, Decocto florum Camomillæ, & Anethi, cum Aceto, & Aqua Roſarum* exhibito tepido. Secuto vomitu quieſcat æger, uſque ad cœnæ tempus, quiete pro cibo contentus.

Cœna fit *modica Maza, obſonium ſalſamentum, & Porrum*, & de his multum edi conſulit. *Maza* eſt *Mixtura ex Farina, Oleo, & Aqua*, vel *ex Farina, Aqua Melle*; ab aliquibus, teſte *Caſtello in ſuo Lexicon*, accipitur pro *Offa*, ex eis compoſita, & loco panis utitur Hipp. dum *obſonia* adjungit, quorum nomine veniunt ea omnia alimenta, quæ cum pane eduntur, *caro, piſcis, olus, fructus*. Obſonium cum Maza determinat *ſalſamentum, & Porrum*. Salſamentum eſt caro, vel piſcis Sale conditus; propriè verò dici de carne Thunni piſcis, teſtatur *Caſtell. in ſuo Lexicon*. Alimenta Sale condita, abſterſiva Salis facultate lubricam alvum ſervant, & ſuperfluas humiditates exſiccant; ita teſtatur *Hipp. lib. 2. de diœt. num. 16. Porrum*, in affectibus pulmonum, in Phthiſi, etiam commendat *Dioſcorides* ad ſatietatem. Hæc permittit alimenta, ut alvi ſubductio ſit plenior, & pectoris, ſeu pulmonum purgatio talis ſuccedat. Pro potu *Vinum* concedit *dulce*, à quo alvus ſubducitur. Hanc victus rationem unit quotidianæ alvi motioni per *Succum Braſſicæ, & Betæ*, modo in textu deſcripto exhibitum, ſumpta indicatione à neceſſitate prohibendi congregationem excrementorum, à quibus conſervari poſſit cacochymia, & à purgatione aliqualis portionis excrementorum in vaſis exiſtentium, ut puritas ſanguini paulatim accedat. Talis indicatio à cacochymia demonſtratur, & in hunc finem, præmiſſa purgatione per vomitum, molitur blandam purgationem per ſeceſſum, quam nos promovere poſſumus magiſtali Apozemate, vel Oxymelite, cum ſimplicibus pectoralibus, *ut Pulmonaria, Botryde, Farfara, Liquiritia, Enula campana*, additis *Rhaub. Agar. ſem. Carthami*, ſed in quantitate, quæ blandè purget. Addit *Balneum aquæ multum calidæ in exordio diei, cavendo frigus poſt balneum, & quieſcendo, atque ſomno indulgendo per horas; poſt ſomnum exercitium imperat, viginti ſtadia permeando prima die, aliis diebus ſemper quinque ſtadia omni die addendo, uſque ad centum ſtadia. Stadium* continet *centum viginti quinque paſſus*, & eſt *octava pars mille paſſuum*. A balneo, ab exercitio, humorum pravorum fit conſumptio, & calor naturalis corroboratur; hujus rationem habemus ab *Hipp. lib. 1. de diœt. numer. 2.* ubi habet: *Homo edens ſanus eſſe non poteſt, niſi etiam laboret*. Contrarias enim inter ſe habent vires cibi, & labores. Verùm inter ſe mixti conferunt ad ſanitatem; labores enim ea, quæ inſunt, conſumere ſolent, cibi autem, & potus ea, quæ evacuata ſunt, explent. Hæc omnia, cum ſupradicta victus ratione facienda jubet per triginta dies, & colligitur ab illis verbis: *Victus rationi ſubjunctis. Reliquo tempore per totam diem, exordio manè facto, multa calida*, ita legit *Marinellus*; *Foeſius* autem legit: *Reliquo verò tempore, toto die, ſtatim prima luce, multa calida*, ideſt, *In reliquo tempore, uſque ad triginta ſequentibus jam dictis utatur, in prima luce die multa calida lavetur*; & quia inter iſta, quæ deſcribit facienda in triginta diebus diœtam non includit fundamentum habemus cenſendi velle eam ſervandam eſſe, quam pro cœna propoſuit poſt vomitum, nempè *Mazam* pro pane, *obſonium ſalſamentum, & Porrum, & Vinum album*, quæ ſunt alimenta parvi nutrimenti, quæ pro majori parte ſecedunt, & ſunt illa, de quibus dicitur mortem prohibent, vires non tribuunt. Inter carnes hujus generis *lib. 2. de diœta numer. 9. Hippocr.* enumerat *Caprinas, Agninas, Suillas*, quæ facilè ſecedunt, & magis ſi Sale condiantur; inter has poteſt enumerari caro *Anatis*, & *Occarum* Sale condita; iſtis verò addendum Sal, & etiam Porrum, vel cum eis coquenda aliqua herba pectoralis; Porrum tamen pro cibo meliùs eſt omni alio olere.

In ſecundo menſe pro cibo panem, & Suillas carnes, hoc eſt Porci junioris, *exhibet*, quia iſtæ maximè ſecedunt, & licèt pinguedo ſit æſtuoſa abſente febre, vel levi, & debili exiſtente, permittuntur, ob facilem ſeceſſionem per alvum; ex quo colligitur etiam, in ſecundo menſe alvi lubricitatem æſtimare per alimenta. Præter hæc, nil aliud pro cibo exhibet. *Vinum* concedit *album, & auſterum*, ut carnis Suillæ digeſtio à vino magis perficiatur. Tale vinum robur addit corpori, & exſiccationem humidi, ubi exceſſerit, ut in cacochymia hydropiformi, promovet. *Ante cœnam exercitium triginta ſtadiorum* conſulit, *& poſt cœnam decem, contra frigus veſtibus ſe muniendo. Hæc ſi fecerit, morbum leviùs feret*, ſubjungit Hipp.

Tertio verò Cyceonem bibendum præbet paulò ante prandium. *Cyceon* eſt miſcellanea potio, alimenti, & potus rationem ſimul habens, modum parandi ibi docet. Cyceonem *in lib. 2. de diœt.* dixit calefacere, nutrire, & ſiſtere alvum, ſi cum vino paretur, ut hoc in loco parari jubet, & ut magis calefaciat addit varias herbas calidas, nos commonefaciendo, ut in hoc caſu, poſt vomitum, & purgationem per alvum, & diœtam parùm nutrientem calefacientibus utamur, ad hoc ut ſanguis incaleſcat, & ſpiritus addantur illi, & quieſcentes excitentur ad motum; hoc enim ſpirituum beneficio reliquiæ excrementorum domantur, & eorum ſecretio perficitur; idcircò poſſumus uti omnibus remediis, quæ in cachexia pituitoſa, & ſeroſa proponentur inferiùs, & præcipuè Vinis medicatis, cum ſimplicibus ibi deſcriptis; in hoc genere ſunt omnia cœphalica, & aromatica; Chyatum præbendo in primo paſtu, cum ipſe paulò ante prandium Cyceonem exhibeat; Galenum addit, quem *in lib. de veter. Medic. n. 37. Gracilibus conferre mirabiliter*, pronunciavit.

Prandium parat ex pane, & pro obſonio piſces optimæ conditionis, & carnes Suillas coctas, ideſt elixatas. Carnes Suillas appellat eas Suis junioris, Porcinas dicit illas ſenioris; primæ ſunt ſanæ, & valdè nutriunt, ideò in hoc caſu exhibet; craſſum enim fieri ægrum optat, & hujus intuitu quietem maximam indicit; ſicut enim motus extenuat, ita quies huic contraria impinguat, prout citò exequentur alimenta boni ſucci in quantitate moderata ſuſcepta. Addit *quolibet decimo die, in hoc menſe, fomentum leve*, ad liberam tranſpirationem fuliginoſæ materiæ conſervandam, ad partes magis humectandas, ut nutritio perfecta, & copioſa conficiatur.

Quarto menſe omni quinto die ægrum lavari leviter hortatur; hujus rationem nobis dedit *Hipp. lib. de affect. n. 47.* ubi habet: *Balneum calidum moderatum quidem* (ut in hoc loco imperat) *mollit, & auget corpus*, quod principaliter intenditur, & præcipuè ſi à cibo exerceatur, docente *Hipp. lib. 2. de diœt. num. 20. Balneum à cibo calefacere, & humectare*, dum ea, quæ ſunt, in corpore, diffundit in majorem molem, cujus beneficio expeditiori curſu ad partes alimentum fluit, illarumque poroſitates penetrat, & implet, cum plena earumdem reſtauratione. *Obſonium multum* concedit pro nutritione partium augenda; *exercitium multum* addit, triginta ſtadia manè, triginta ante cœnam, & poſt hanc viginti; ab hoc diſtributio cibi perfectè ſuccedit, partes excalefactæ in copia recipiunt, & earum ſpiritus ad motum provocati, & facultates corroboratæ perfectè apponunt; quod docuit *Hippoc. lib. 2. de diœt. n. 28.* ubi ait: *Curſus longi curvi ſenſim facti calefacientes carnem concoquere, ac diffundere poſſunt, & vim ciborum in carne concoquunt*. Non excedat labor cibum; nam *Hippocr. lib. 3. de diœt.* ſancivit morbos fieri, quando labor ſuperat cibum, vel cibus laborem.

borem. Alimenta ex carnibus, & piſcibus deſumpta exquiſiti nutrimenti vult, & cartillagineos etiam concedit, in quorum genere *Oſtreæ* numerantur, & communiter nutrimenti boni, & ſolidi cenſentur. Sed, quod maximè notandum eſt, quando æger dormire vult, *poculum duarum heminarum*, ideſt ſexdecim uncias cum dimidio continens, *Vini nigri jucundi*, & *vetuſti* exhibet, & ejuſdem conditionis Vinum per diem inter cibum exhibet. Rationem verò hujus conſilii habemus ab *Hipp. in li. 2. de diæ. num.* 13. ubi habet: *Vinum nigrum, & dulce* (quod jucundum eſt, ſit moderatæ dulcedinis) *humidum eſt; calefacit autem, & inflat, humiditatem inducens*. Humidum dicit, quia nutrit; quod deducitur ab eo, quòd dicit inferiùs, *Sapa humectat, quia alit*; ſic Vinum dulce humectare dicitur, quia alit, & maximè ſi dulcedo fuerit moderata, cùm immoderata inflet, flatus ſubminiſtrando. Vetus Vinum alvum movet; quod cognovit *Hipp.* in Vino, quando *cit. loc.* dixit, *Habet purgatorium*, & quid à materia, ideſt à tartaro, in quo virtus purgans hoſpitatur; & de Vino veteri hæc habet *Vander Linden in Select. Medic. Exercit.* 5. *ex Authore Græco fol.* 128. *num.* 78. *Vetus enim Vinum ventrem ducit, & obſtructiones deobſtruit, & convenit, quibus coacervatus pituitoſus chylus in corpore, eò quia attenuat, incidit, quæ craſſioris ſunt ſubſtantiæ, & calefacit*, ut idem ſubjungit; cùm ergo Hipp. multum obſonium edendum imperaverit, & cùm oſtreaceis, & cartillaginoſis, ut in ſomno concoctio perfectior ſuccedat, hujuſmodi Vinum ante ſomnum exhibet, & in dicta quantitate, & etiam ut fœces ſeparentur, & citò educantur; ex qua ſententia ita accepta poſſumus deducere. Hippocratem ſenſiſſe in ſomno perfectiorem non fieri alimentorum digeſtionem ea, quæ fit in vigilia. Hunc magnum morbum ſola diæta curat Hipp. excepta leni purgatione per vomitum, & ſeceſſum, ut nos moneat, quanti facienda ſit in morbis, & ut methodum ea utendi apprehendamus, & maximè in cachexia, & omni malo habitu corporis, in quo agitur de renovanda maſſa ſanguinis. Videndus, & perpendendus textus.

Cùm in præcedenti Tabem à plenitudine ſpinalis medullæ propoſuerit, *in num.* 14. *li. de intern. affect.* deſcribit Tabem a medulla ſpinali reſiccata. *Reſiccatur autem*, ait, *medulla ſpinalis, maximè cùm venulæ, ad medullam tendentes fuerint obturatæ, itemque ex cerebro acceſſus. Propter corporis afflictionem, hæc patitur, & ægrotat, reſiccatur etiam à Venere*.

Cauſam reſiccationis ſpinalis medullæ duplicem proponit hoc in loco. Prima, obſtructio venarum alimentum ſpinali medullæ diſtribuentium; his obſtructis alimentum deficit, hoc deficiente medulla ſpinalis exſiccatur. Ab inedia totum corpus emaciatur; inediam patiente, parte particulari in alimenti ſuſpenſione neceſſe eſt emaciari. Huic cauſæ addit *obturatum ex cerebro acceſſum*, hoc eſt impeditum ſpirituum animalium cum ſucco nerveo acceſſum, ſeu fluxum ad ſpinalem medullam, à quibus, ſi hæc nutrimentum non ſuſcipit, aliquod nutritioni neceſſarium ſuppeditant, quo ſi privetur, medulla contabeſcit, prout patet in omnibus partibus ſpiritibus animalibus deſtitutis. Obſtructione nervorum hic influxus ſpirituum impeditur, vel à ſucco nerveo incraſſato viam per ſpinalem medullam non inveniente. Non eſt tamen hoc impedimentum totale, cùm non ceſſet motus in partibus, per quas ramificationes nervorum à ſpinali medulla exeuntium diſperguntur, ſed tale eſt, ut non ſufficiat pro illius nutritione, & operationum integritate. Cauſæ obſtructionis tam arteriarum, quàm nervorum, inditium habemus in doloribus diverſarum partium.

Dolor acutus incidit ipſi in caput, & in collum, & in lumbos, & lumborum muſculos, crurum, ut aliquando flectere non poſſit, & ſtercus non ſecedit, ſed ſiſtitur, & urinæ difficultate vexatur. Hic in principio quidem morbi quietiùs degit; quantò verò magis tempus morbo prolongatur, tantò magis omnia dolet, & crura, velut ab aqua inter cutem, tument, & ulcera à lumbis emergunt, & alia quidem ſaneſcunt, alia verò naſcuntur.

Symptomata hunc morbum concomitantia deſcribit, à quibus tamquam à ſignis morbus demonſtratur. Dolor eſt, triſtis ſenſatio facta ab objecto ſenſibili agente violenter in organum ſenſus, quod eſt membrana, & quo violentia actionis eſt major, eo dolor eſt acutior; ſi dolor acutus in hoc morbo cruciat caput, lumbos, collum, & crura, fatendum eſt, membranas, vel nervos per membranas ab objecto ſenſibili in iſtas violenter agente moleſtari. Hoc objectum eſt materia mordens, vellicans, rodens, quapropter aſſerendum pariter, materiam acrem ad membranas capitis, & aliarum partium fluere, à qua vellicatæ violenter dolent; hujus humoris acrimonia fit ſatis manifeſta in ulceribus lumborum. Hinc neceſſariò admittenda diſtillatio humoris acris ad dictas partes. Hæc in arteriis congregatur, & per has in membranas capitis, & muſculorum partium deſcriptarum transfunditur; portio hujus materiæ, ſucco nerveo mixta, per extremitates nervorum in eaſdem partes deponitur, cum incremento doloris, unde acuties iſtius. Craſſiuſculæ particulæ iſtius humoris hærentes in extremitatibus capillarium arteriarum ſpinalis medullæ orificia iſtarum obſtruunt, ſanguinis, alimentique effuſionem ad dictam medullam impediendo, maciem ejuſdem præparant; eædem particulæ in orificiis nervorum ſpinalis medullæ congregatæ, in aliquibus obſtructionem totalem inducunt, in aliis ſemiobſtructionem, ut in nervis muſculorum crurum, quæ cum difficultate flectuntur. Difficultas urinæ, & ſtercoris retentio, læſionem nervorum à ſpinali medulla prodeuntium, & ad dictas partes tendentium demonſtrat. Ejuſdem diſtillationis materia abundanter in poroſitates crurum expulſa, & ſtagnans, ob craſſitiem, vel inclinationem ad coagulationem, tumorem illarum facit.

Prognoſticum habet in fine textus: *Eſt autem morbus hic gravis*, quia medulla ſpinalis eſt inter partes principes, quarum exſiccatio eſt ſemper lethalis, & ab hac ſequitur totius exſiccatio, & macies, ob ſpirituum animalium deficientiam in omnibus partibus nervos ab ea recipientibus, quæ ſunt multæ, ſtante neceſſitate illorum pro nutritionis officio, quibus accedit doloris contumacia. Hic, licèt in principio ſit mitis, progreſſu temporis fit acutus; à dolore conſumptio ſpirituum, malitia ſanguinis, depravatio nutrimenti, à quibus macies totius corporis.

Huic cùm ſic habuerit caput purgato, Hippophais ſucco, aut Cnidio grano, corpore prius valdè benè foto. Veſperi verò poſt purgationem, ptiſanæ duas heminas ſorbeat Melle affuſo; Vinum autem bibat album molle.

In capite, ſi non generatur materia diſtillationis, in eo ſecernitur, & congregatur; ideò cum ratione curationem hujus morbi à purgatione hujus humoris in capite collecti, cùm ſit excrementitius, & qualitate peccans, incipit Hipp. cum *Succo Hippophais*, herba Antiquis nota, in terris circa Mare naſcens, ex *Dioſcoride*, in Italia tamen à *Matthiolo* numquam reperta. Hujus ſuccus pituitam, ſeroſitatemque purgat, ideò in hoc affectu maximè congrua; & ejuſdem conditionis eſt *Granum Cnidium*, ſeu *Semen Thymeleæ*; horum vice nobis adſunt *Semen Chartami*, *Jalappa*, *Mecheocan*, *Manna*, *Syr. Roſ. ſol. Pil. Alephanginæ*, *Aureæ*, quibus addi poſſunt *Magiſterii Jalappæ* grana aliquot. Purgationi more ſolito præmittit fotum, ſeu fomentum, cum aqua calida partium circa ventrem, quod cum ſpongia, aqua calida imbuta, optimè fit. *Veſperis*, hoc eſt purgatione terminata, *ſuccum ptiſanæ* exhibet *ad heminam duas*, hoc eſt ad uncias ſexdecim, *cum Melle* ad abſterſionem ventriculi, & inteſtinorum, tam pro humoribus ad hæc ductis à purgante, & non ejectis, quàm pro reliquiis medicamenti expellendis; ut hæc certò ſuccedant, Mel Ptiſanæ adjungit; quod maximè notandum; nam abſterſiva, quæ à nobis incipiente operatione purgantis exhibentur, ab Hippocrate exhibentur in fine, & nullum alimentum præbet, niſi purgatione confecta, & in hoc caſu valdè periculoſo leve medicamentum dandum eſſe monet, cùm loco etiam alimenti Ptiſanam præbeat. Addit *Vinum album molle*, quia & hoc alvum movet.

Poſtera die aſinini Lactis cocti, Melle affuſo, heminas octo ebibendas ipſi dato; ſi verò aſininum non habeas, bubuli, aut caprini cocti tres ſemicongios, Melle affuſo.

Abun-

Abundantia humoris ſeroſi, & partium multarum affectio, unica purgatione non tolluntur, ideò hanc reiterat Hipp. ſed blando medicamento, ne vires dejiciantur. Lac exhibet ad quantitatem ſupradictam, nempè ad uncias ſexaginta ſex, quæ excedens videtur; tempore tamen Hipp. talis non exiſtimabatur, & frequenter tali quantitate uſus eſt, cùm quantitas in Lacte iſtius purgativam vim evocet. Lac præbet aſininum, quia magis purgat, quàm aliud Lac, ob ſeri copiam, quod valdè abſterſivum eſt, ob redundantiam particularum nitroſarum; coctum præbet, quia Lac coctum magis purgat, quàm crudum, dum à coctura partes nitroſæ ſeri ab evaporata aqua, à qua aliquantulum retundebantur, maximè activæ redduntur in abſterſione, & irritatione; Mel affundit, tamquam ſtimulum virtutis purgantis Lactis. Si Lac aſininum non ſit in promptu, ſubſtituit bubulum, aut caprinum ad tres ſemicongios, quæ menſura correſpondet octo heminis; ſemicongius continet quatuor libras & ſemis, & cum Melle propinat.

Et dum temporis opportunitas adeſt, Lac bibat, Sero, & Lacte utens per quinque, ac quadraginta dies. Cibis autem, & obſoniis utatur, quàm maximè per alvum ſecedentibus; Vinum bibat molle album mendæſium.

Hujus morbi cauſam diximus ſerum redundans, & acre; ut redundans, cacochymiam conſtituit ſeroſam, quæ, præmiſſa purgatione, corrigenda cum eis, quæ ſanguinem optimum generant; ut acre, attemperandum, & dulcificandum. Tendit ad maciem hic morbus, hæc declinanda humectantibus, & benè nutrientibus. Lac hæc omnia ſpondet, ex conſenſu omnium Scriptorum antiquorum, & recentiorum, qui de hujus facultatibus ſcripſerunt. Lac ergo tamquam medicamentum utramque paginam implens proponit Hipp. Pro recta hujus remedii executione, temporis opportunitatem requirit; opportunitas attendenda in remedio, & in ægro. Lac tempore Veris magis ſolvit, quàm nutriat, ſicut illud, quod ex herba virenti in animali progignitur; quod verò Æſtate, & Autumno colligitur, magis nutrit, minus alvum ſubducit, prout à ſicciori alimento genitum. Ex parte ægri, opportunitas deſumenda ab ejus viribus, & à neceſſitate remedii dilationem excludentis. Verùm opportunitas propriè ad anni tempus refertur; legit enim *Foeſius: Si anni tempus ferat;* Hyems enim non eſt tempus opportunum. De Lactis quantitate nihil habet Hipp. ſed ſolùm dicit, *Lac bibat*; hæc enim determinanda menſura ab ægri ventriculo robuſto, vel debili deſumpta. Regula univerſalis, meo judicio, ſit talis quantitas, ut movere poſſit alvum leniter, ut tres, vel quatuor libræ, in ventriculo robuſto ſex, & octo. Regulam in Lactis aſſumptione ſervandam nobis dedit *Conr. Genſurus li. de Lacte*, ubi hæc ſcribit, vel potiùs tranſcripſit *ab Aetio tetrab.* 1. *ſerm.* 1. *cap.* 93. *Qui Lac bibit, ſummè cavere debet, ut interim à reliquis cibis abſtineat, donec illud exactè concoctum ſit, atque alvo ſeceſſerit. Si namque eo nondum confecto novum alimentum ingeſſeris, præter quòd ipſum putreſcet, etiam quidquid adjeceris ſimul ad putredinem trahet. Mane verò bibendum nuperrimè mulctum, atque interim magno labori parcendum, ſenſimque deambulandum interjectis quietibus, quæ tamen citra ſomnum ſint; his enim conditionibus potum Lac ſecedet, educens ſecum, quæ ſupervacua fuerunt; illud enim, præ cæteris, maximè obſervari oportet, ut primum ſemper ſecedat, quod ubi ſeceſſerit, optimum eſt. In principio igitur ſecedit commodè quidem purgans, non tantum, quæ in tota corporis mole ſunt;* (*Aetius* verò dicit, *purgans non totam corporis molem, ſed in primis, quæ in ventriculo inteſtinis, proximiſque membris continentur*;) *poſtea verò, cùm jam per venas diſtribuitur, optimè nutrit, neque ampliùs dejicit alvum, ſed ſiſtit potiùs.* Ambiguitas illa, quæ continetur in illis verbis, *Maximè obſervari oportet, ut primum ſemper ſecedat*, ſic tollenda: Si enim plura pocula in uno die eſſent ſumenda, aliquis intelligere poſſet non eſſe ſumendum ſecundum poculum, niſi primum priùs ſeceſſerit; quod non eſt ita intelligendum, ſed quòd non ſit ſumendum Lac ſecunda vice, niſi illud in prima ſumptum ſeceſſerit. Ad hoc ut prima vice ſecedat, ſit pro regula infallibili, eam majorem Lactis quantitatem, quàm ventriculus ægrotantis ferre poteſt, exhibere, ei adjungendo vel *Mel*, vel *Sapam*, vel *Sal*, quæ ſtimulos purgationi addunt; præter illud, quòd quantitas habet, error eſt recentiorum Medicorum Lac ad quatuor, vel quinq; uncias in prima vice exhibentium, quia cùm non poſſit educere per alvum excrementa in ventriculo, & inteſtinis exiſtentia, cùm ea non moveat ab illis, corrumpitur, cum torminibus, doloribus, & nauſea, & numquam à Lacte utilitatem obtinebimus, niſi priùs per alvum ſeceſſerint dicta excrementa, purgando, & non ſecedet, niſi in copia Lac aſſumatur, addito etiam ſtimulo ſupradicto, & quando vel parùm, vel nihil alvum movet, tunc excrementa in infimo ventre non ampliùs reperiuntur, & Lac totum venas ingreditur, ſanguini miſcetur, pravas iſtius qualitates corrigit, & in optimum cedit alimentum, & ita paulatim tota maſſa ſanguinis ad perfectum ſtatum reducitur, & morbus eradicatur; hac ratione in pluribus morbis, febribus eſſentialibus, & morbis acutis exceptis, Lac valdè utile. Lacte alvum non ampliùs movente, minoranda ejus copia, quia tunc ut alimentum exhibetur, & magna quantitas à ventriculo non rectè conficietur. Notandum eſt etiam, in Lacte alvum movente numquam cibum alium eſſe ſumendum, niſi confecta purgatione; in Lacte verò pro cibo ſumpto optimum cenſeo cibum differre, uſque ad horam cœnæ, itaut Lac pro prandio ſerviat, vel *Eruo*, & *Lacte* utatur, juxta Hippocratis ſenſum; ita legit *Foeſius* illa verba textus, *Sero, & Lacte utens*; error enim eſt Typographi in verbo *Sero*, cùm legendum ſit *Eruo*. Præparandum *Eruum* modo tradito à *Matthiolo in Dioſcoridem:* terendum, ut in farinam abeat, hæc Lacti in parva quantitate miſcenda, & coquenda, & in cibum ſumenda. *Eruum* urinam provocat, ideò correctioni ſanguinis ſervit, & ſanguinem dicitur depurare, & bonum colorem efficere, ut notat *cit. Matthiol.*

Obſonia per alvum facilè ſecedentia commendat, *ut alvus lubrica ſervetur*, & quæ facilis ſunt digeſtionis; in horum genere ſunt carnes caprinæ, agninæ, Vituli lactantis, Pulli junioris, Anatis domeſticæ, & aquaticæ, piſces. *Vinum* concedit *album molle*, ideſt dulce; idem ſonat *mendæſium*. Tale Vinum alvum movet, ob aquoſitatem, per quam leve etiam eſt, & non nocet in uſu Lactis, quia acidum Vini, quod Lac coagulat in Vino levi molli, ab aqua dominante debilitatur.

Cùm autem craſſiſſimum fuerit, in lumbos ipſius ab utraque ventriculorum parte cruſtas quatuor inurito, & in dorſum utrinque quindecim, & in cervicem duas inter tendines; ſi enim uſtio ſucceſſerit, ſanum facies.

A Lactis uſu craſſefactus multùm æger, ideſt impinguatus, ad iſtius præſervationem uſtionem, ad inſtar cauterii, in deſcriptis partibus probat. Per ventriculos intelligit illam partem lateralem ſub coſtis exiſtentem, mollem, preſſibilem, lumbis conterminam. Ventriculum nominat, quia cavitatem repræſentat. Per has uſtiones materia fluens ad dictas partes evacuatur, nec permittitur in illis ſtagnare, qua de cauſa à morbo præſervatio ſuccedit. Non inutilem, imò maximè efficacem cenſerem in hoc morbum *Aquam ſtibiatam*, cùm ſit maximum dulcificativum ſanguinis, non ſolùm in morbo Gallico, ſed in qualibet ejus depravatione in aciditate, & ſalſedine, cujus deſcriptionem invenietis *in meo Syſtemate de lue Gallica curanda*, & poſt hanc uſus Lactis.

Non diſſimilem affectionem deſcribit *Hipp. lib. de glandulis num.* 10. cui conjungitur etiam oſſis ſacri, & coxendicis dolor, in quo textu curationem non deſcribit. Debet verò curari modo, quo curatur deſcripta Tabis curatio.

Alteram cauſam Tabis ab exſiccatione ſpinalis medullæ dixit *Hipp.* eſſe Venerem, & de hac cauſa particularem facit mentionem *li.* 2. *de morb. num.* 49. ſub titulo *Tabes dorſalis*, his verbis:

Dorſalis Tabes à medulla fit; corripit autem maximè recenter Sponſos, & Veneris deditos. Sunt autem ſine febre, & benè cibum capiunt, ac conſumuntur.

Dorſalis Tabes eſt macies, ſuam ſedem, & principium

pium habens in dorſo, & ſpinali medulla, ideò dicitur dorſalis: & licèt communiter de toto dicatur, ut patet in illo verbo, *conſumuntur*, ſignificante maciem totius, dicitur tamen dorſalis à ſua origine, quæ eſt dorſum, quatenus comprehendit ſpinalem medullam. Ex eo quòd corripiat recenter Sponſos, & Veneri deditos, declaratur nimiam, & excedentem ſeminis effuſionem ponendam eſſe pro cauſa hujus maciei dorſalis, inhærendo principio Hipp. quo ſemen à medulla ſpinali provenire determinat *in li. de Genit. num.* 1. his verbis. *Cùm verò pudendum teritur* (loquitur de actu coitus) *& homo movetur, & humidum in corpore caleſcit, ac diffunditur, & à motu conquaſſat, ac ſpumeſcit*; & quemadmodum etiam alii humores omnes conquaſſati ſpumeſcunt, id quòd robuſtiſſimum eſt, ac pinguiſſimum ſecernitur, & ad medullam ſpinalem venit, ad hanc poſtquam genitura venit, procedit ad renes, à renibus verò tranſit per medios teſtes ad pudendum. In magna ſeminis effuſione fit conſumptio humoris excedens in medulla, à qua ſequitur illius macies. Verùm hæc ratio maciei ſpinalis medullæ non ſubſiſtit, quia falſo nititur fundamento. Anatomica demonſtratio, quæ cum magno Medicinæ damno nota non fuit Hippocrati, ſicut noſtræ ætati evincit, materiam ſeminis, non à ſpinali medulla ad teſtes, ſed à vaſis ſeminalibus ab arteria emulgenti divaricatis profluere. At licèt principium prædictum ſit falſum, non eſt tamen falſum in magna, & copioſa ſeminis effuſione ſpinalem medullam pati; nam principia læſionis in hac effuſione ſunt in cerebro, & nervis, & in ſpinali medulla per concomitantiam, prout ab hoc textu colligitur, dum ait Hipp. *Ubi iter fecerit, aut cucurrerit, tum alias, tum ad acclivem locum, anhelatio, ac debilitas, & capitis gravitas, & aures ſonant*. Hæc læſionem facultatis animalis arguunt. Superiùs verò habet: *Et benè cibum capiunt*, indicium facultatis naturalis integræ; *Et ſunt ſine febre*, argumentum vitalis facultatis illeſæ. Et experientia demonſtrat in coitu facultatem animalem, quoad ſuas operationes, magis, & primò lædi, quàm cæteræ facultates, & cum hæc in ſpinali medulla ſuum exerceat dominium; ſi læditur facultas animalis primò, læſio eſt communis ſpinali medullæ. Hac ratione forſan convictus Hipp. in hanc venit ſententiam, ſemen à ſpinali medulla defluere. Spinalis medulla, & cerebrum patitur primò in ſeminis effuſione larga, & patitur ob copioſam ſpiritus animalis diſſipationem cum ſemine effuſo, per quam languet facultas animalis, & ejus inſtrumenta, cerebrum, & ſpinalis medulla, ut oſtendunt ferocia etiam animalia, quæ poſt coitum etiam moderatum languent in motus exercitio. Læſionem cerebri in immoderato coitu oſtendunt tot fluxiones, tot morbi cerebrum affligentes, ab eo principaliter orti, & pariter læditur, conſumpta ab immoderato coitu materia alimenti ei præparata, in cujus defectu contabeſcit, & eadem deficiente ſpirituum animalium generatio interdicitur, cum proſtratione virium animalium univerſali; & ſi vera eſſet ſententia aliquorum, materiam ſeminis eſſe ſuccum nerveum, evidens eſſet primam læſionem, ab immoderato coitu enatam, eſſe cerebri, & ſpinalis medullæ dicti ſucci promptuarium.

Ex his eruitur cauſa conſumptionis, & contabeſcentiæ totius, dum alimentum, modo dicto de medulla, in toto deficit, conſumpto humore nutritioni totius deſtinato. Febris non adeſt, quia, licèt ſit aliquod vitium in ſanguine, non eſt talis conditionis, ut valeat fermentatione, vel accenſione præternaturali ſanguinem afficere.

Et ſi interroges, ita affectum dicet, ſibi ſupernè de capite in ſpinam, velut formicas deſcendere videri; & ubi mingit, aut ventrem exonerat, prodit ipſi genitale ſemen multum, ac liquidum, & genitura minimè fœcunda eſt, & in ſomnis ſemen profundit, ſive dormiat cum uxore, ſive non. Et cùm iter fecerit, aut cucurrerit, tum alias, tum ad acclivem locum, anhelatio, & debilitas ipſum corripit, & capitis gravitas, & aures ſonant. Hunc temporis progreſſu, ubi febres fortes ipſum corripuerint, perdunt febres lipyriæ. Legit *Foeſius: Hic temporis progreſſu vehementibus febribus correptus, perit ex lipyria febre*.

In quo conſiſtat Tabes dorſalis, & quibus cognoſcatur, exponit in hoc textu Hipp. Conſiſtit in ſeminis effuſione copioſa voluntaria, & involuntaria: Voluntaria eſt in recenter Sonpſis, & Veneri immoderatæ deditis, in quibus ſeminis effuſio eſt excedens voluntate imperante, à voluptate irrationabili determinata. Involuntaria ſuccedit in actu excretionis urinæ, & fęcum per alvum, & in ſomno. Voluntaria aliam non habet cauſam, niſi appetitum venereum; quandoque excitamentum accipiens à corporis temperie, & humorum abundantia, & craſi. Seminis abundantia, & ejuſdem moderata acredo inclinationem ad coitum inſpirant, & ab hac appetitus facilè movetur. Seminis abundantia eſt à ſanguine redundante, & à vaſorum ſeminalium amplitudine, teſtiumque robuſta facultate. Acrimoniam ſemen ſuſcipit à ſanguine fervido, à quo elaboratur; calor fervidus mordax eſt, à particulis acribus in ſanguine præexiſtentibus, & in ſemine remanentibus; hac ratione bilioſi ſunt maximè ad Venerem inclinati. Ab his appetitus venereus excitatur eo modo, quo ab acido ventriculi excitatur fames; ſemen vel quantitate, vel qualitate capſulas ſeminales vellicando; hujus vellicationis motus per nervos ad cerebrum, ubi adeſt ſenſus communis delatus, appetitum venereum movet, percepta à ſenſu communi in eo motu coitus indigentia, de qua monefacta phantaſia, & perſuaſa de apparenti bono in jucunda ſeminis effuſione, hanc appetit, mediaque pro eadem eligit. Hoc excitamentum explicandum eo modo, quo excitatur appetitus famis, prout demonſtrabitur de Fame.

Involuntaria ſeminis effuſio eſt à cauſa omninò præternaturali irritante vaſa ſeminaria, contentique ſeminis ejaculationem determinante. Hujus Hiſtoriam habemus *in Hipp. li. 6. Epid. ſect. 8. n. 42. de Satyro nomine Grypalopax annorum viginti quinque, cui non ſolùm per ſomnum genitale ſemen excernebatur, ſed per diem multoties ſponte exhibat; perventus ad annum trigeſimum, Tabe correptus obiit*.

Cauſam hujus morbi colligimus *à cit. text.* ubi habet ſemen excretum eſſe *liquidum;* ex quo videtur concludi poſſe per Hippocratem, unicam cauſam effuſionis ſeminis eſſe ejus liquiditatem, ſeu tenuitatem, quam contrahit, vel à copia ſeri excedente alias particulas, ex quorum mixtione ſemen conficitur, & præcipuè ſi ſerum non ſit incraſſationis capax; vel à partium ſemen elaborantium languore, & caloris paupertate non miſcente, nec incraſſante materiam receptam pro ſemine conficiendo, ſed hæc relinquitur cum ea tenuitate, qua ſubtiliſſimos teſtium tubulos pertranſivit, & talem retinet in capſulis ſeminalibus: copia ſeri, & calor debilis in partibus genitalibus, & in toto immoderatæ Veneris ſunt effectus, cùm ab hac copioſa ſpirituum diſſipatio, & concoctiones depravatæ contingant, & ab his caloris nativi defectus, & ſeri redundantia. Ab utroque habetur ſeminis profluvium, ſine delectatione, & penis erectione, quia per tenuitatem, & caloris defectum non ſit titillatio illa in membrana capſularum, à qua delectatio pendet in emiſſione ſeminis. Non ſatis eſt ſeminis fluiditas, & tenuitas, ad hoc ut involuntariè fluat à capſulis, niſi conjungatur poroſitatum iſtarum dilatatio, & carunculæ eiſdem appenſæ laxitas, aperturam, vel fixuram relinquens, per quam tenue ſemen effluere poſſit. His duobus ita poſitis facilis eſt effluxus ſeminis involuntarius, & per hæc dicitur facultas retentrix capſularum debilitata in immoderato coitu; hæc ſuccedunt à continua impletione, & inanitione capſularum in excretione ſeminis, à qua debilitatæ capſulæ à continuo motu, & exercitio, & orificium, & poroſitates dilatantur. Non mirum ergo, ſi ſemen hujus conditionis in uterum ejaculatum, ab hoc citò exeat, & ſterile evadat, ſi per capſulæ ſeminalis poroſitates fluat involuntariè à parvo conatu in urinæ, & fæcum per alvum excretione commoto. Non negandum tamen effuſionem involuntariam ſeminis poſſe fieri à quantitate ſeminis à particulis acribus, & pungitivis in eo redundantibus, quatenus gravando, & vellicando, determinant capſulas ad effuſionem ſeminis, prout contingit in temperamentis calore pungitivo præditis, & valdè bilioſis. Verum tamen eſt, ubi immoderatus ſucceſſerit coitus, prout ab Hipp. ſupponitur, dictam effuſionem ſeminis ſemper eſſe à ſupradictis cauſis. A motu debilitatur valdè, ob ſpi-

ob ſpirituum animalium carentiam, ut dictum eſt ſuperiùs. Anhelatio, capitis gravitas, & ſonitus aurium in motu ſunt ægro moleſta, dum per effuſionem ſeminis pars tenvior, ſpiritoſior ſanguinis conſumitur remanente parte craſſa, & fecoſa; & quia in motu major quantitas ſanguinis ad pulmones impellitur, quàm in quiete, & ob ſuam craſſitiem circulationis motum per pulmones tardè peragit, citò vaſa iſtorum implentur, & diſtenduntur, gravitateque, & pondere humoris motus illorum in aliqua parte impeditur, unde reſpiratio difficilis ſuccedit, & anhelatio. Gravitas capitis eodem modo gignitur, gravatis, & preſſis membranis cerebri à collecta in iſtarum vaſis ſanguinis copia, ob lentam iſtius circulationem. Sonitus aurium conjungitur, quia ſanguis ſtagnans in vaſis prædictis cerebri effervescit, incaleſcit, & calore concepto, auribuſque communicato, implantatum iſtarum aerem cum violentia agitando ſonitum efficit.

Progrediente morbo febres fortes, ideſt magnæ, affligunt, ob ſanguinis pravam conditionem ab hoc affectu impreſſam. Continua ſeminis effuſio, ut dictum fuit, ſanguinis virtute debilitat. Hinc excrementorum varii generis in maſſa ſanguinea proventus, à quibus præternaturaliter ſanguis fermentatur, & in principio exiſtente adhuc in ſanguine aliqua ſpirituum copia fermentatio ſuccedit cum magnitudine, & aliquali violentia, unde febres fortes; diminuto verò ſpiritu febris fit lenta, cum frigiditate partium externarum, & caliditate internarum, quæ dicitur lipyria. Frigent externæ, quia per has ſanguis in parva quantitate circulatur; impulſus enim cordis, quo ſanguis impellitur ad partes externas languens, ob effuſionem ſeminis ſubtrahit à partibus externis illam copiam ſanguinis aptam calorem debitum in eis conſervare, quo deficiente neceſſe eſt, ut refrigerentur; collecta verò ea quantitate ſanguinis, quæ reperitur in vaſis circa partes internas, in iſtiſque veluti ſtagnans cum calore febrili calorem illarum auget.

Cùm ita habuerit, ſi ab initio curandum ſuſceperis, fomento per totum corpus adhibito, medicamentum ſurſum purgans bibendum ipſi dato, & poſtea caput purgato, deinde deorſum purgans exhibeto. Optandum autem fuerit, ut verè hanc curationem aggrediamur. Poſtea verò Serum, aut Lac aſininum bibendum dato.

Suppoſito hanc ſeminis involuntariam effuſionem pendere, vel à ſero excedenti, vel acri, & ſalſo, vel ab aliis humoribus hujus naturæ, deducitur neceſſariò horum humorum copiam eſſe minuendam. Hoc fundamento proponit Hipp. pro curatione in principio hujus morbi vomitivum, & poſſumus uti blando, in aliis locis ſuperiùs propoſito, præmiſſo priùs fomento. Deinde caput purgat. Innui ſuperiùs, in effuſione ſeminis caput lædi, & in eo excrementorum copiam colligi, à quibus ſublevandum, ut majora damna vitemus, eorum purgatione, non medicamentis per os ſumptis, ſed Errhynis, quibus aliis in locis uſus eſt Hipp. pro capitis purgatione, & quando de purgatione capitis loquitur indiſtinctè, ſine determinatione remedii, intelligendus ſemper de purgatione per Errhyna, quæ verè caput purgant immediatè, ſine ullo ægrotantis incommodo. Poſt purgationem per vomitum univerſalem, & capitis particularem, purgationem deorſum per alvum addit ad educendas reliquias humorum peccantium; purgans determinandum habito, reſpectu ad humorem peccantem, ſi ſerum, *Hydragoga*, ſi bilis, *Cholagoga*, ſi humor acidus, melancholicus, *Melangoga*; ſi craſſus judicatur, ſi tenuis, *Hydragoga*; ſequenti verò die à purgatione, vel Serum, vel Lac aſininum ad blandam purgationem reiteranda, & ad integram inteſtinorum abſterſionem præbet, quibus nec Serum, nec Lac ſufficit, niſi in magna quantitate propinentur ad quatuor, vel quinque libras. Optat in Vere hanc purgationem ineundam, quia in tali tempore humores ſunt magis fluxiles, & vires magis purgationibus reſiſtunt, & eſt tempus magis aptum ad purgandum. Reiteratæ purgationes præſcriptæ, monent robur virium requiri in ægro, ideò etiam exercendæ in principio morbi; eo enim tranſacto, & augmentum, vel ſtatum attingente vires, debilitate dictas purgationes non ſuſtinebunt, ideò, ſi caſus eveniet, leniori purgatione, vel epicratica utendum.

Cæterum bubulum Lac per quadraginta dies bibendum præbeto; ad veſperam verò quamdiu Lac potat, Alicam ſorbendam dato, à cibis autem abſtineat.

Purgato corpore à ſero, vel acri, & ſalſo humore, incraſſanda ſeminis materia, quæ eſt ſanguis. Hoc melius non perficitur, quàm cum aliquo, per quod optimus ſanguis generetur, in quo adeſt aliqualis viſcoſitas, & tanta Seri copia, quantum ſufficit ad ejus motum circularem, & ad permeandas capillarium vaſorum anguſtias. Tale eſt Lac, à quo optimus ſanguis generatur, eſt facilè digeſtibile, quod attendendum eſt in hoc affectu, ob enervatas facultates ventriculi ab immoderato coitu, in optimo ſanguine eſt moderata craſſities, & inclinatio ad hanc ſuſcipiendam; hinc principium materiale generandi ſemen craſſum, ab optimo ſanguine optimi ſpiritus animales, & in copia extrahuntur; hæc duo ſufficiunt ad corroborandas omnes corporis partes, hoc modo corroboratæ capſulæ ſeminales ſuæ poroſitates reſtringuntur, & orificium roboratur. Lac bubulum hæc omnia præſtat, & maximè in tribuenda ſanguini conſiſtentia, & moderata viſciditate. In Lacte ergo colliguntur omnes virtutes opportunæ pro curando prædicto affectu. Conveniet etiam ſi acrimonia ſeminis erit cauſa illius effuſionis immoderatæ, cùm quamlibet acrimoniam temperet, & moderet. Lac bubulum exhibet per quadraginta dies, nec minori tempore reſtauratio maſſæ ſanguinis indiget. Quantitatem non determinat; colligere tamen poſſumus, dum niſi ad veſperas cibum exhibet, unde deducere poſſumus tantam quantitatem Lactis exhibere, quanta ſufficit ad alendum uſque ad veſperas cum cibo levi, quale eſt propoſitum in textu; hæc quantitas eſt determinanda ſumpta menſura à ventriculi robore, à quantitate cibi ægro conſueta. In hoc tempore Lactis, ad veſperam exhibet *Alicam*. *Alica* eſt *Spelta decorticata*, granum medium inter frumentum, & hordeum optimi nutrimenti, ex cujus farina conficitur panis laudatus, quia facilioris digeſtionis, quàm triticeus. Ab hoc grano in aqua cocto exprimitur ſuccus eo modo, quo exprimitur ab hordeo; hic diſſolvitur vel in jure, vel in aqua hordei, & ſervit pro cibo, cui poteſt addi Ovi Vitellus, cùm ſit facilis digeſtionis, & optimi nutrimenti. Ad hujus imitationem ſolet parari pulmentum *ex farina Oryzæ*, vulgò *Riſo*, *in Lacte*, *cum Vitello Ovi*, *& Saccharo*, *& pauco Cinnamomo cocta*. *Emulſiones ex Pineis* conferunt. Dum Lacte utitur æger, ab omni cibo abſtinere ſuadet Hipp. hoc eſt ab omni alimento ſolido.

Poſtquam verò Lac bibere ceſſarit, cibis mollibus ipſum reficito, ex modico initium ſumens, ac quam maximè craſſum, ac pinguem facere ſtudeto. Per annum ab ebrietatibus, & Venere, & laboribus abſtineat, exceptis deambulationibus, in quibus vitet frigus, & Solem; tepida autem lavet.

Tranſactis quadraginta diebus à Lactis aſſumptione, ad alimenta ſolida tranſeundum, quæ *mollia* Hipp. determinat, hoc eſt facilis digeſtionis, ut *Ova ſorbilia*, *caro Pulli*, *Columbi domeſtici*, *Vituli*, *Capri junioris*, *piſce ſaxatiles*. Modum quantitatis determinat, dum ait, *Ex modico initium ſumens*, nempè in primis diebus pauca ſit horum quantitas, ne ventriculus ab inuſitato per quadraginta dies cibo gravetur, & à perfecta digeſtione deviet; paulatim verò augeatur omni die ad unciam, ut paulatim ventriculus aſſueſcat tali cibo, cum perfectiori ejus concoctione. Hac regula victus, ſi craſſus, & pinguis evadat, in tuto erit.

Non ſatis pro integra curatione optima victus ratio, ſed ulterius multa ſunt vitanda, quæ propoſuit *Hipp. in text.* aliqua enim excrementa congregant, ut ebrietates, alia debilitant facultates, ut Venus, alia reſolvendo, nimis exſiccant, ut labores; hæc declinanda exercitium moderatum non derelinquendum, ob rationem ſuperiùs traditam ex Hipp. placito, vitando frigus, & Solem, à quibus, vel humores acres fiunt, ut à frigore, vel nimis attenuantur, ut à Sole. Lavacrum tepida æquivalet exercitio.

Pro Diæta lactea ſupra propoſita notandum eſt, ſi in primis diebus tormina adſint cum fluxu alvi, non ſtatim deſiſten-

deſiſtendum eſſe, ut aliqui Medici imperant, exiſtimantes Lac corrumpi in ventriculo, & per alvum corruptum ſecedere; quod falſum eſt, quia alvi fluxus eſt à Lacte purgante, quia in quantitate bibito, prout notatum fuit ſuperiùs, purgat, quamdiù ventriculum, & inteſtina continent excrementa; ideò non eſt timendus alvi fluxus in Lactis ſumptione, ſed continuandus Lactis uſus, ob rationem ſuperiùs dictam. Hac diœta lactea patet curari poſſe etiam effuſionem involuntariam ſeminis ab acrimonia ejuſdem. Si verò pingui, & craſſo facto ægro adhuc fluxus ſeminis, ſed diminutus perſiſtat, correctam eſſe ſanguinis maſſam oſtendit, ſed vitium laxitatis remanere in veſiculis ſeminalibus, quod tollitur *fomentis*, *ungentis*, *ceratis* ex adſtringentibus paratis, quæ inter utrumque ſexum apponenda.

Aliam Tabem habemus deſcriptam *li.* 2. *de morb. n.*48. ſub his verbis: *Alius morbus, ſi ex fervido ulcere, aphtha appellato, pulmonum fiſtula laborarit. Febris debilis tenet, & dolor medium pectus, pruritus corporis adeſt, & vox raucoſa, & ſalivam liquidam, & tenuem ſpuit, quandoque etiam craſſam velut ptiſanæ ſuccum, & in ore odor oboritur ipſi gravis, velut à piſcibus crudis, & aliàs, atque aliàs apparent in ſaliva dura velut fungus, ab ulcere, & ſupernæ partes attenuantur, atque adeò homo totus, & circuli faciei rubeſcunt, & progreſſu temporis ungues contrahuntur, & aridi, & cum virore pallidi fiunt.*

Hæc Tabes eſt cum ulcere aſperæ arteriæ, quam pulmonum fiſtulam appellat; ulcus dicitur fervidum, quia cum phlogoſi, & calore valido unitum. Ideò definiri poteſt, *Macies ab ulcere aſperæ arteriæ.*

Si eſt ulcus cauſa, ſtatim manifeſtatur, nempè humor acris, & erodens, à quo aſpera arteria ulceratur. Hic humor, vel eſt ſanguis, quo nutritur, vel humor ille lymphaticus à glandulis in interna ſuperficie membranæ cavitatis tranſudans, quæ in mucoſitatem, qua oblinitur, tranſit, hancque continuo fluxu fovet, cujus portio, ſi ſalſa, & erodens extiterit, & diù hæreat in determinato loco, ulcus in eodem corrodendo aperit. Talis conditionis humorem reperiri in hoc caſu, deducimus à pruritu totius corporis humorum acrimoniam in maſſa ſanguinea indicante; hæc humorum acrimonia ſupponit cauſas externas huic conferentes.

Signa hujus Tabis: *Febris debilis tenet*, prout ſunt omnes ab ulceribus pendentes, cùm parva ſit fermenti febrilis materia ab ulcerata parte membranoſa, vel cartillaginoſa, qualis eſt trachea exanguis prodiens, ideò etiam febris debilis. *Dolor eſt in medio pectoris.* Dolor eſt ſemper cum ulcere, cùm in hoc ſit ſolutio continui à cauſa ſenſibili violenter agente, & etiam quia pars ulcetata eſt ſenſu prædita; eſt in medio pectoris, quia hunc ſitum aſpera arteria ulcerata occupat. *Vox raucoſa eſt*, ſignum patagnonomicum, & inſeparabile ab hac Tabe, cùm à voce raucoſa indicetur aſperæ arteriæ vitium. Hæc fit ab inæqualitatibus iſtius, in quibus aer expiratus interrumpitur, & variè frangitur, ex quo vox raucoſa, ſicut clara, lenis, & æqualis ab ejuſdem æquali lenitate ſuperficiei prodit. In omni ulcere excrementa congregantur, alia ſub puris, alia ſub ſeroſæ humiditatis ſpecie; idem in ulcere tracheæ obſervatur, dum ægri in hac *ſalivam liquidam ſpuunt*, hoc eſt tuſſi, aliquando ejiciunt; aliquando verò *ſalivam purulentam*, *qualis eſt* illa *ptiſanæ ſuccum* referens, & quæ in ore pravum odorem relinquit, qualis eſt ille piſcium crudorum, qui niſi à putredine humoris per os tranſeuntis relinquitur. *Dura in ſaliva velut fungus.* Hic in Medicina habetur pro excreſcentia partis ulceratæ ex humore nutritio nata, velut tuberoſa eminentia, quæ paulatim ab humore acri, à motu tuſſis, & excreationis corroſa, cum ſputo exit. In hoc ſtatu febris, ulceris, tuſſis æger emaciatur, ob rationem ſuperiùs allatam pluribus in locis. *Circuli faciei*, hoc eſt, genæ rubeſcunt ob calorem ulceris, qui facilè faciei communicatur in incaleſcentia pulmonum, ut patet in magna vociferatione in pulmonum inflammatione. *Ungues contrahuntur*, ob rationem adductam de Empyemate. *Aridi fiunt*, ob maciem, *cum virore pallidi*, hoc eſt flavi, cum virore, ob cacochymiam univerſalem, à qua color cutis depravatur.

Prognoſticum exprimit in illlis verbis: *Statim* (ideſt citò) *moritur, ſi non curatus fuerit ſanguinem, ac pus ſpuens* (ſerpente ulcere, à trachea, ad pulmonis ſubſtantiam vaſa iſtius rodendo, & portionem in pus convertendo, unde puris, & ſanguinis excretio.) *Poſtea etiam febres vehementes accedentes ipſum perimunt.* Ulcere dilatato pus augetur, & cum hoc febrile fermentum, à quo febris incrementa ſuſcipit cum vehementia; *ſi verò curetur, effugiet ex hac Tabe.*

Curare porrò oportet, ut Lenticulæ decocto poto vomat. Quòd ſi tempeſtivum eſſe, viſum fuerit Veratrum bibat, ſiquidem potens fuerit homo per ſe, ſin minus dimidium potionis ad Lenticulæ decoctum amiſceto, ita ut in quinta, aut ſexta potione deſinat.

A vomitu curationem auſpicatur Hipp. hujus Tabis. Hoc Hipp. documentum fulcitur, ratione ſuperiùs allata, per vomitum nempè materiam in pulmonibus contentam expurgari, unà cum aliis excrementis ſanguinis, & etiam ratione infra dicenda, nempè alvum non eſſe movendam.

Duo verò in hac purgatione requirit: Primò, quòd tempeſtivum ſit, hoc eſt, hanc purgationem correſpondere tempori anni; docuit enim *li.* 3. *aphor.* 4. *Æſtate per ſuperiora, Hyeme per inferiora purgandum.* Secundò, ægrum eſſe robuſtum. Hæc duo applicanda ſunt vomitivo ex Veratro, pro quo ait, *Si æger non potens fuerit, dimidium potionis* (intellige ex Veratro) *miſcendam eſſe cum Lenticulæ decocto.* Hoc eſt mediam partem doſis Hellebori, quæ ſi potens eſſet, ægro tota præſcriberetur, hancque infundendam eſſe in liquore proportionato, & miſcendam eſſe cum decocto Lenticulæ, ut violentia actionis Hellebori retundatur; nec contentus hac moderatione pro virium conſervatione, jubet ut in quinque, vel ſex partes hæc mixtura dividatur, & unam ab alia diviſam accipiat; an verò in unica die tota mixtura ſit ſumenda, duas, vel tres horas intermittendo ab aſſumptione unius partis medicamenti, ad aſſumptionem alterius, vel omni die uſque ad quintum, vel ſextum ſit ſumenda una portio medicamenti, vires conſulendæ: in gravi virium languore omni die ſumenda una portio medicamenti, in minori languore in una die, ſed partitis vicibus accipiendum medicamentum. Si verò anni tempus vomitum non permiſerit, provocandus hic ſucco Lenticulæ puro epoto, quo uti poſſumus in virium languore.

At ventrem infernum medicamento ne moveas, ſi febres fortes corripuerint, ſi verò non corripuerint, Lacte aſinino ſubtus purgato, quòd ſi debilis ſit, ut bibere non poſſit, per Clyſterem infundito.

Vomitum imperat, purgationem prohibet, quia vires reſolvit, & ulceri non medetur, nihil ei conferendo, vel ab ea malos humores expurgando; ideò *in* 2. *de morb. num.* 46. aſſerit, *Alvi profluvium ſputa putrida, & graveolentia expuentes interimere*; & 5. *aphor.* 12. *Profluvium alvi in tabidis, lethale* dicit. E contra vomitus permittitur pro purgatione, quia hujus conatu pulmonibus communicato puris, & humoris in ulcere, & circa hoc expurgatio promovetur. Hoc præceptum limitat in caſu febris vehementis, quæ non ab ulcere accenditur, ſed à putreſcentibus humoribus in aliqua minera exiſtentibus, reſpectu iſtorum purgatio convenit pro eductione putridorum humorum. Si verò febris non ſit fortis, hoc eſt non putrida, ſed ad hæcticam accedens, purgationem Lacte aſinino molitur, à quo cùm blanda ſuccedat purgatio, hanc non videtur interdicere febris hæctica, ſed ſolùm copioſam, & gravem; & ſi æger ad quantitatem Lactis ſumendam pro movenda alvo neceſſariam non ſit diſpoſitus, Lac Clyſtere infundit, ut alvus lubrica ſervetur, & ſæpè reiterandus, ob dictum *Hipp. in li.* 2. *prædict. num.* 11. 12. 13. aſſerens, *In Tabe alvum quotidiè egerere in ea quantitate, quæ cibis correſpondeat, bonum eſſe.* Ab hujuſmodi Clyſtere ſanguis refrigeratur, partes in inteſtinis humectantur, & nutrimentum præbetur in aliquorum ſententia.

Minus autem caput moveto, & ſiquidem ſaliva ad os prodierit multa, ac ſalſuginoſa ad nares apponito quid, quod bilem non ducat. Si verò fluxio ad hos non fiat, nihil capiti adhibeto. Ubi verò ſaliva graveolens fuerit, interpoſitis inter Lenticulæ decocti uſum diebus medicamentum in pulmonem infundito, & interpoſita una die ſuffito.

Præter

Præter alvum, caput non eſſe movendum monet Hipp. movetur caput non purgantibus per alvum, vel per vomitum, ſed *Errhynis*, *maſticatoriis*, *fomentis*, *balneis*, *& lavacris particularibus*. Hæc omnia ableganda, quia vel vocant materiam ad caput, vel eam in eo exiſtentem ſolvunt, & fluxibilem faciunt, ideòque paratur dictæ materiæ via ad deſcenſum in pulmones, prout admittitur ab Hipp., & ſuperiùs notatum fuit. In uno caſu ſolùm admittit *Errhyna*, nempè ſi ſaliva ad os fluat multa, & ſalſuginoſa, ad diverſionem materiæ, ne fluat ad aſperam arteriam. Errhyna proponit, ut per nares evocetur humor ad os fluens, Errhynum pituitam, non bilem educat, ut eſt *Ireos*, *rad. Cyclaminis pulverizata*, & *pulveri Majoranæ* mixta in parva quantitate. Nulla fluxione ad os delata, caput non movendum eſſe ullo medicamento, iterum monet. Si verò ſaliva graveolens fuerit, medicamenti in pulmonem infuſionem laudat, modo recenſito ſuperiùs de Empyemate, quod remedium cùm ſit in praxi difficile, ut ibidem dictum eſt; illius loco ſubſtituerem *Decoctum ex Ligno ſancto*, *Santal. rub. rad. Conſolidæ majoris*, cum *Antimonio*, *Pumice* paratum ad formam decocti ſtibiati, *in meo Syſtemate novo deſcripti*, & eodem modo exhibiti ad libras decem omni die, præmiſſa magna deterſione ulceris per duos dies nempè cum *farina Erui*, *ſucco Scyllæ* ſubacta in paſtillos maſſa redigatur, & exſiccetur; de his accipe ℨ. *i. pulv. & cum Melle excipiatur q. ſ.* & præbeatur manè jejuno ſtomacho. Diœtam etiam Lactis probo, modo ſuperiùs ab Hipp. edocto, ſed Animal, cujus Lacte uti volumus, *herbis vulnerariis* veſcatur. *Decoctum* etiam *vulnerarium* utile erit, ſed Lac alia antecellit remedia. *Suffitus* proponit Hipp. & ſunt magnum remedium, aer ſolùm ſine moleſtia tracheam ingreditur, & deferendo ſecum particulas odoras, ſi hæ ſint virtutis balſamicæ, ulcus etiam curare poſſunt; inter hæc laudantur *Maſtix*, *Thus*, *Myrrha*, *Belzoim*, *Aloes Hepatica*, *Hypericum*, *Burſa paſtoris*, *Conſolida*. Hæc in pulverem redigantur, & ſuper prunas injiciatur, accipiendo per os fumum. In cubiculo benè clauſo accendatur *Sulphur*, & æger ibi per horas aliquot commoretur, & in reliqua parte diei odoret *Spiritum Vini*, in quo infuſa fuerint *ſimplicia vulneraria*, & ad ſatietatem eorum virtute balſamica imprægnatum. *Fumus Tabaci* idem præſtat, quia inter vulneraria deſcribitur.

Cibis utatur carnibus ovillis, & volucrum, & piſcibus cartillaginei generis, & Scorpiis coctis, Quarto quòque die ſalſamentum optimum, ac pinguiſſimum, & in prandio mazam ſumat, in cœna verò etiam panem huic addat, & nihil ſorbeat, neque cyceonem, ſi edere poterit. Porro obſonia condiat, ac edat de Seſamo pro tritico, & Coriandro, & Anetho. Silphio autem ne utatur, neque alio quopiam olere acri, præterquam Origano, aut Thymo, aut Ruta. Deambulationibus autem utatur ante, & poſt cibum, vitans ventum, & Solem. Ab ebrietatibus, & re venerea abſtineat. Lavet tepida, excepto capite, quod quam rariſſimè lavari debet.

Diœtam in hoc textu deſcribit, quæ eſt exſiccans, ut ſalſamentum, *Origanum*, *Thymus*, *Ruta*, vel quæ ſanguinem bonum, ſed conſiſtentem generat, ut carnes Ovillæ, quas agninis robuſtiores dixit *Hipp. li. 2. de diœt. num. 9.* & piſces cartillaginei, & Scorpius, quos ſicciſſimos *li. cit. n. 11.* dixit *Hipp.* Hanc diœtam ulceris conſolidatio requirit conſiſtens in excrementitiæ, & morboſæ humiditatis exſiccatione, & carnis reſtauratione, quibus ſatisfacit diœta exſiccans, & conſiſtentem ſanguinem generans, ſed bonæ conditionis. In hunc finem ſalſamentum omni quarto die concedit, ut à Sale exſiccatio habeatur humoris; non omni die, ne nimia ſuccedat exſiccatio totius. Hoc reſpectu forſan Lac non exhibet Hipp. ob excedentem in hoc humiditatem, & quia ſanguinem tenuem præbet, licèt optimi ſucci, medicatum tamen exhibendo, modo ſuperiùs tradito, his omnibus difficultatibus occurrimus. Deambulationes ante, & poſt cibum, ratione ſuperiùs tradita, permittit, vitando ventum, & Solem, à quibus fluxiones excitantur. Prohibet ebrietates, & Venerem, quia excrementa cumulant, & ulceris ſanationem retardant, & vires debilitant. Lavacrum cum tepida proponit, ut moderata, & utilis provocetur tranſpiratio; ab hoc excipit caput, ob rationem in principio hujus textus traditam de purgatione capitis prohibita.

De alia Tabe cum ulcere pulmonum, locutus eſt *li. de Grandulis n. 10.* Curatio eodem modo inſtituenda, vel dirigenda, prout de Empyemate cum ulcere pulmonum, de quo ſupra de Empyemate.

C A P. VII.

De Hydrope Pulmonum.

Eſſentia hujus morbi declaratur ab ipſo titulo. Hydrops, collectionem aquarum ſignificat, unde eſſentia Hydropis pulmonis erit Collectio aquarum in pulmonibus. Per pulmones intelligimus cavitatem, in qua pulmones poſiti ſunt, ut patebit ex ſignis ab Hipp. in hoc textu relatis, & ab hoc reſultat vera definitio, quæ eſt *Collectio aquarum in cavitate thoracis*.

Cauſa eſt eadem, ac illa de Hyatidibus ex Hipp. de quibus diffusè agendum de Hydrope Aſcite; aliæ etiam ibidem recenſitæ, ſunt communes huic Hydropi. Pro nunc ſatis eſt ſcire, aquam colligi in cavitate thoracis, vel quia à vaſis ibi deponitur, vel quia veſiculæ erumpunt in ſuperficie pulmonum aqua plenæ, & dum rumpuntur aquam contentam in ſubjectam cavitatem effundunt. Hæ veſiculæ non ſunt niſi vaſa lymphatica pulmonum dilatata, vel à copia lymphæ, vel ab iſtius craſſitie, qua impedito curſu in eis congregatur uſque ad dilatationem vaſorum, quod contingit etiam quando eadem vaſa ſunt obſtructa.

Signa hujus affectus recenſet *Hipp. in li. 2. de morb. num. 59. Febris* fit ab efferveſcente aqua in cavitate thoracis, & ab hac incaleſcente nimis corde, & ſanguine ſpiritalium partium. *Tuſſis tenet*. Hæc, ut plurimùm, ſicca, cùm materia in dicta cavitate contenta pulmonum bronchia pervadere non poſſit, à vaporibus verò iſtius acribus, & vellicativis irritata membrana pulmonum, & etiam bronchiis, tuſſis ſicca promovetur. *Acervatim reſpirat*, pulmonibus à copia aquæ oppreſſis, ut ad amplam dilatationem ſe extendere non poſſint, ſed ſolùm ad contractam, quæ cùm citò reiteranda ſit, reſpirationem acervatam, ſeu frequentem parit. *Pedes tument*, quia læſa pulmonum craſi, & textura ab aqua cavitatis thoracis, læditur ſanguificatio, ut explicatum fuit de Empyemate, cum redundantia ſeri, cujus portio remanet in partibus extremis, in quibus, ob caloris diminutionem craſſeſcit, cum earum intumeſcentia. *Ungues contrahuntur*. Hoc non contingit, niſi cùm corpus incipit emaciari, & decreſcente carne ſub unguibus, minoremque dilatationem habente, ungues ſequentes carnis diminutionem æqualem contractioni, ratione ſpatii, & ipſi contrahuntur. *Patitur talia, qualia Is, qui ſuppuratus ſit, ſed debilius, ac diuturnius*. Loquitur hìc de ſuppuratis non in ſubſtantia pulmonum ſed de ſuppuratis in cavitate thoracis, hoc eſt de eis quorum cavitas thoracis impletur pure; & cùm in hoc caſu nulla alia ſit differentia, niſi materiæ, quæ in Hydrope eſt aqua, in ſuppuratis modo dicto eſt pus, ſymptomata ſunt uniformia, cùm pulmones premantur, & afficiantur tam ab aqua, quàm à pure, verùm ab illa debilius, quia illius qualitates ſunt in actione magis debiles, quàm illæ puris, quòd acredine, fœtore, eroſione, aquæ qualitates ſuperat. Diuturnior verò eſt læſio aquæ, ob eamdem rationem, quia debilior, ideò citiùs interimit pus, tardiùs aqua. *Et ſi quid infundas aut fomentum, aut ſuffitum adhibeas, pus non ſequitur, ideſt non expuitur*. Ad certum judicium Empyematis exiſtentis formandum, utimur infuſione medicamenti in aſperam arteriam, ſuffitu, & fomento, à quibus commota materia in pulmone contenta expuitur per tuſſim; & ſi his adhibitis non ſequatur ſputum, ſignum eſt, materiam non contineri in pulmone, ſed in cavitate thoracis. Hoc ſignum valet pro diſtinguendo Empyemate pulmonum, ab iſtorum Hydrope, non pro diſtinguendo Empyemate thoracis, ab ejuſdem Hydrope. *Et ſi multo tempore aurem ad latera adhibere tentaveris, ebullit velut acetum*, ideſt materia aquea in thorace concluſa virtute caloris pulmonum, & cordis ebullit, non ebullitione valida, ut vini in dolio, ſed debili, & ſubmiſſa, qualis illa aceti, & ab auribus perceptibili.

ptibili. Hæc aliquamdiu patitur, poſtea erumpit ad alvum, & ſtatim quidem ſanus ſibi eſſe videtur, ac à morbo liberatus. *Verùm progreſſu temporis alvus incenditur, ac denique illa patitur, & adhuc ampliùs.* Praxis oſtendit, aliquando ab alvi fluxu ita moderari ſymptomata Hydropis pulmonum, ut æger ab hoc liberum eſſe ſibi perſuadeat, & incautus Medicus ſpem ægri corroborat, pari credulitate ab ignavia inſpirata; nam & ſi ſeroſa materia ſolita ad thoracem per apertas hyatides fluere, per alvum erumpat, cum moderatione antecedentium ſymptomatum, non tamen ab alvi fluxu orificia clauduntur hyatidum. Hinc alvo ſiſtente, quòd idem ſonat, ac incenditur, materia ſeroſa de novo per vaſa lymphatica excurrit, & ab apertis eorum orificiis antiquum fluxum in thoracem renovat, ideò in tali ſymptomatum moderatione à fluxu alvi, non eſt ſperandum, imò prædicenda majora detrimenta, cùm redeunte materia ad thoracem debilitas in alvi fluxu contracta, eadem ſymptomata redeuntia majora faciat. *Aliqui etiam intumeſcunt ventre, ſcroto, & facie, & quidam ab inferna alvo id eſſe putant, cùm videant ventrem magnum, & pedes tumentes; intumeſcunt enim hæc, ſi ſectionis tempus tranſgrediaris.* In hoc Hydrope ſolent pedes, ſcrotum, facies intumeſcere, & aliqui exiſtimant id evenire vitio partium inferiorum hepatis, lienis, renum, meſenterii, quod falſum eſſe monet Hippocrates, reddendo cauſam hujus intumeſcentiæ, nempè dilationem ſectionis thoracis; hoc enim impleto, ſeroſitas ad alias partes tendit, à qua intumeſcunt. Mihi verò magis arridet ratio allata ſuperiùs de Empyemate, de læſa ſanguificatione ob vitium pulmonum.

Prognoſticum addit Hipp. in fine textus: *Si facta ſectione, & turundæ in quinta die pus adhæſerit, plerumque ſanus fit; ſin minus, ubi aquam exhauſeris, ſitis corripit, & tuſſis, moritur.*

Curationem unico complet remedio, & eſt ſectio, ultra quam nullum aliud eſt remedium. Incognita nobis eſt via, per quam tutò pellenda ſit materia, incognitum remedium, quo eam pellamus, & conſtans eſt indicatio aquam removendi è thorace, & ſola thoracis ſectio noſtræ cognitioni præponitur, quam imperat Hipp. & modum faciendi proponit his verbis: *Hunc ſiquidem ſi extrà intumuerit, inter coſtas ſectum curare oportet.* Quandoque Hydropici ad latera circa coſtas intumeſcunt, nobis demonſtrando aquam exitum moliri, ſi concederetur per partem tumefactam, quæ ſecanda eſt, ſi tumor ſit inter quintam, & ſextam coſtam, quæ correſpondet extremitati ſuperficiei ſupernæ diaphragmatis, & ſectione in hoc loco facta de integra evacuatione aquæ certi ſumus; in ſuperiori verò ſitu minimè, quia poteſt remanere aqua, quæ occupat ſitum inter diaphragma, & orificium ſupra hoc apertum. *Si verò non intumuerit, multa calida lotum, velut ſuppuratos collocato,* & de hoc modo locuti ſumus de Empyemate, *qua parte ſtrepitum perceperis, ea ſecato*, quia à ſtrepitu indicium habemus aquam cum majori facilitate exituram. Sectio facienda eſt, ex Hipp. monito, in infimo loco, ob rationem jamdudum allatam, & in dicto loco inter quintam, & ſextam coſtam. Sectio poſtea curanda.

CAP. VIII.

De Tuſſi.

DE Tuſſi locutus eſt *Hipp. li. de flat. num. 16.* ubi, de fluxionibus agens, modum, quo fit tuſſis, aperit his verbis: *Quòd ſi fauces teneras alias petiverit fluxus, eas exaſperat; ſpiritus enim* (hoc eſt aer) *qui fauces ingreditur, ad pectus uſque procedit, ac rurſus effertur per eamdem viam; cùm autem ſpiritus ingrediens in fluxum, qui intus inciderit, tuſſis gignitur, & repellitur cum pituita.*

Supponit Hipp. materiam fluere ad fauces, quas teneras appellat, quia valdè laxæ ſunt, & ab his poſtea deſcendere ad pulmones, ut colligitur ab illis verbis, *ſpiritus ingrediens in fluxum,* hoc eſt in materiam, *qui intus inciderit.* Aer, qui per inſpirationem attrahitur in pulmones, idem in expiratione emittitur, in emiſſione pulmo, & ejus bronchia conſtringuntur, aerque expellendus invenit materiam in eis impedientem liberum, expeditumque efluxum, quem impetu facto, prout moris eſt, aeris in anguſtiis incluſi, materiam obſiſtentem movet cum aliqua violentia; hæc mota, cum impetu irritat bronchia, & ex irritatione tuſſis, uſquequò aer impedimentum ſuperaverit; in hac victoria ſæpè obſtaculum ſecum rapit, & cum expiratione ſputum materiæ conjungitur. Hac de cauſa obſervamus tuſſim ferè ſemper in expiratione moveri, quando materia eſt in bronchiis, in inſpiratione verò ferè numquam, quia in hac bronchia dilatantur, & locus remanet aeri, etiam materia in eis exiſtente; in inſpiratione excitatur, quando vitium eſt in larynge, ſeu capite aſperæ arteriæ. Si materia impedimentum aeri ponens ſit acri qualitate depravata, irritamentum magis urget, & tuſſis eſt violenta; ſitque etiam talis, quando aer in impedimento ſuperando laborat, & conatus ſunt reiterandi, & quandoque aer viam ſibi parat, bronchium, in quo concluditur dilatando, remanente in cavitate bronchii materia; hinc tuſſis moleſta, & ſicca. Hanc materiam per fauces defluere ad interna pulmonum credidit, juxta ſua principia, Hipp. tenenda tamen in hoc Recentiorum ſententia exponenda inferiùs de Catarrho.

Alterum modum, quo fit tuſſis, exponit *Hipp. in li. de loc. in hom. n. 27.* ubi habet: *Reſiccatum enim, quod influit, & in gutture compactum, utpotè quòd non eluitur, ſed paulatim influit, ac detinetur, tuſſim excitat.* Partem affectam in tuſſi, in hoc textu, guttur determinat Hipp. quatenus caput aſperæ arteriæ ſub hac comprehenditur; in hac parte tuſſim fieri dicit, dum id, quòd fluit ad guttur, in hac detinetur, & reſiccatur; hoc eſt incraſſatur magis, cùm craſſities in materia fluente ſupponenda ſit, dum detinetur in gutture, ob hanc viſcoſitatem non delabitur in pulmones ex fluxibilitatis defectu; ideò dicit Hipp. *In pulmone multam humiditatem, non facit,* quia detinetur materia in gutture, & moleſtiam inferendo capiti aſperæ arteriæ, ſeu laryngi, vel quantitate, vel qualitate demonſtratam à pruritu continuo in gutture, quòd eſt diſtinctivum hujus, à tuſſi cum affectione pulmonum; ab hac liberari contendit motu violento reiterato, qui eſt tuſſis. Hanc materiam à capite derivare vult Hipp. Recentiores, vel à glandulis in regione gutturis exiſtentibus, vel à membrana pituitaria partes gutturis inveſtiente deducunt, ut demonſtrabimus de Catarrho in genere.

Hinc patet, tuſſim, ex Hipp. definiendam eſſe *Motum violentum aſperæ arteriæ, pro expulſione materiæ irritantis ſua bronchia, vel ſuum caput.* Eſt motus violentus tuſſis, licèt à principio intrinſeco aſperæ arteriæ reſpectu irritamenti, quod eſt extrinſecum illi, & eſt principale determinativum talis motus; eſt etiam violentus, quia talis motus non eſt naturalis aſperæ arteriæ, & quia eſt valdè moleſtus. Ex eo quòd hic motus ſit ab irritamento, tuſſim ſiccam comprehendimus factam à vapore, à calore, à frigore irritante, & ab acribus humoribus ventriculi, ſuis vaporibus non minus laryngis, quàm œſophagi principium irritantibus.

Cauſæ externæ ab Hipp. traduntur: *Frigus, & calor, in li. de locis in hom. num. 15. Tempeſtas aquilonaris, li. 3. aphor. 2. Tempeſtas aquilonaris, eod. li. aphor. 5. Æſtas ſicca. & borealis, li. de Aer. Loc. & Aqu. nu. 28. Auſter, & Aquilo, li. 6. Epid. ſect. 7.* Omnes iſtæ cauſæ, vel humores ſeroſos cumulant, vel eos præexiſtentes ſolvunt, & ſegregant.

Curatio dirigenda methodo deſcribenda de Catarrho, & remediis infrà de Aſthmate tradendis, quare pauca ſolùm ad leniendam tuſſim, univerſalibus præmiſſis, proponam.

℞. *Styracis Calamitæ* ℨ. *i.*
Succi Liquiritiæ condenſati ℨ. *ii.*
ſ. p. & cum Butyro recenti, & Melle deſpumato F. B. parvi, ſub lingua detinendi. Vel

℞. *Julap. ex Terebinthina* ℥. *ii.*
Emulſ. Pinearum, factæ cum Aqua Tuſſilaginis, ℥. *iv. M.*
paulatim deglutienda, per vices, & maximè tuſſi moleſtante. Vel

℞. *Piperis* ℨ. *i.*
Pulegii
Hyſopi
Calaminthæ
Sem. Urticæ } *a.* ℨ *ß.*

ſ. p.

ſ. p. & cum melle deſpumato excipiantur, & ad ignem parum bulliant ad formam liquidi Electuarii; parvum cochlear accipiatur, in ore detinendo, & paulatim degluciendo; vel cum *Melle*, *Butyro*, & *Cumino* fiat mixtura, eodem modo ſumenda. *Ficus ſiccæ*, in Vino dulci generoſo macerentur, poſtea edantur, & Vinum bibatur, vel jejuno ſtomacho, vel ante ſomnum. Vel

℞. *Styracis* ʒ. *i.*
Myrrhæ
Galbani } *a.* ℈. *i.*
Contunde in pila, & Sapa affuſa ſubige in maſſam, F. B. x. Sumantur duo omni mane, cum decocto Paſſularum.

C A P. IX.

De Aſthmate.

NUllibi Hippoc. ex profeſſo de hoc morbo locutus eſt, & incidenter ſolùm aliqua ſparſim reliquit, ex quibus licet deducere, qualis fuerit ejus ſententia de cauſa, & modo generationis iſtius *In lib. de morb. ſacr. n.* 7. ubi, poſtquam determinaverit pueros, quorum capita in utero matris purgata fuerint, vel poſt nativitatem, morbo ſacro, ſeù comitiali non laborare; eos verò, qui nec ab ulceribus in capite affecti fuerint, nec muci, nec ſalivæ excretione non purgati fuerunt, ſed mundi permanſerunt, morbo comitiali corripi, ob materiam pravam retentam, cujus purgatio neceſſaria erat pro integra ſanitate capitis, & utilis, hæc ſubjungit: *Venæ autem violenter perfrigeratæ ad pulmonem, & cor aſſiliunt, & cor palpitat, ut præ hac neceſſitate anhelationes incidant, & ſpiratio cervice erecta*; & cauſam addit: *non enim ſpiritum* (ideſt aerem) *ſuſcipere*. Et paulò inferiùs ſubjungit: *Deindè & pulpitatio, & anhelatio ſedatur; ſedatur autem, prout copia ejus fuerit* (nempè ſpiritus, ſeu aeris) *ſi non ampliùs influxerit tardiùs, ſin minus, citiùs*. Ab his colligimus, anhelationes, hoc eſt difficultatem reſpirandi, etiam recta cervice, per Hipp. pendere ab impedita ſuſceptione aeris, qui reſpirationi ſervit, quatenus à pulmonibus excipitur, ſi non excipiatur, neceſſaria eſt reſpirationis difficultas, & pro copia aeris majori, vel minori, reſpiratio eſt vel cita, vel tarda, prout exprimit in illis verbis, *ſi non ampliùs influxerit*, hoc eſt, ſi aer in copia non influxerit in pulmones, reſpiratio tardiùs peragitur, *ſin minus*, ideſt, ſi in copia influxerit, reſpiratio erit cita, & libera. A quibus apertè demonſtratur Hippocratem ſtabilire cauſam anhelationis, ſeu difficultatis reſpirationis eſſe impeditum ingreſſum aeris. Hanc cauſam confirmavit *lib. de oſſibus n.* 20. ubi habet: *Interceptis verò tranſitibus per calloſam duritiem, velocitas, ac difficultas ſpirandi oboritur, cùm neque emittere, neque attrahere ſpiritum poſſint facilè.* Difficultatem reſpirandi hìc oſtendit Hipp. à calloſa ſubſtantia impediente ſuſceptionem ſpiritus, ſeu aeris, & ejuſdem emiſſionem, quam neceſſariò ſupponere debemus in bronchiis pulmonum, quæ aeris ſunt via, & receptacula. Hoc exemplo nos docet, quodlibet impediens aeris ſuſceptionem, & emiſſionem in pulmonibus exiſtens eſſe cauſam immediatam difficilis reſpirationis. Et magis apertè demonſtratur *in lib. de loc. in hom. n.* 27. ubi, poſtquam docuerit humorem per guttur ad aſperam arteriam, & pulmones frequenter, & paulatim fluere, ſubjungit: *Id, quòd influit, detentum, utpotè cùm anguſta foramina aortæ* (hoc eſt aſperæ arteriæ bronchia, ut notat *in ſuo Lexicon Caſtell.*) *habeant, anguſtum ſpiritui locum exhibet, & talem ſpiritum habere facit, qui velut defectus ſemper reſpirare concupiſcit.* Detenta ergo materia humoralis in bronchiis, à quocumque fonte derivata fuerit, horum ſpatium anguſtum reddit, & parvam capacitatem relinquit, aeris per inſpirationem ingredienti; ex defectu aeris tollitur pulmonibus dilatatio ad naturalem reſpirationem requiſita, & difficilem reſpirationem inducit (ita interpretanda illa verba textus. *Et talem ſpiritum habere facit.* ut exprimant difficilem reſpirationem, prout notat *cit. Caſtell. in ſuo Lexicon*) in qua cùm ſit defectus lædens integritatem, & facilitatem reſpirationis, iſtiuſque finis conſecutionem impediens, deſiderium majoris reſpirationis relinquit. Omnis ergo humor collectus in bronchiis pulmonum in tali copia, & modo, ut impediat ingreſſum, & regreſſum aeris neceſſarium ad liberam, & expeditam reſpirationem naturalem, hanc difficilem reddit, eodem modo lapilli, tubercula, arenæ difficilem facient reſpirationem.

Humor ab arteria bronchiali deponitur in bronchia, non à capite, ut ſuperiùs dictum fuit, depluit: Debet eſſe craſſus, vel talis conditionis, ut citò craſſeſcat in bronchia extravaſatus; nam in Aſthmate ſputa difficulter excernuntur in principio paroxyſmi, & ſunt valdè craſſa, & in tali copia, ut bronchia pulmonum occupans humor anguſtum aeri ſpatium relinquat. Hæc eſt conditio principalis pro Aſthmate. Recentiores aliam cauſam Aſthmatis addiderunt, nempè affectionem ſpaſmodicam, & convulſivam nervorum pulmonum, quæ ſi ad talem exceſsum deveniat, ut fibras carnoſas extenſas ſupra bronchia, & veſiculas conſtringant, capacitatemque eorum coarctent, ut aeris ingreſſus, & regreſſus neceſſarius impediatur, difficilis fit reſpiratio; à convulſione etiam nervorum muſculorum inſpirationi ſervientium, & Diaphragmatis, originem habere poteſt, quia per convulſionem iſtorum pulmo non dilatatur, quia thorax non elevatur, & ſine dilatatione anguſta manent ejus bronchia.

Hoc Aſthma eſt ſine tuſſi, & ſputo, ideò *Aſthma ſiccum* ab Antiquis aliquibus dictum, à Recentioribus verò *Aſthma convulſivum* nuncupatur, à *Vuilliſio* ingenioſè explicatum, à *Jouberto*, & *Platero* inter antiquos ſubodoratum, & ab *Hipp.* expreſſum fuit hoc ſymptoma *in lib. de vict. rat. in acut. n.* 36. ubi habet: *Spirituum propenſiones in recta cervicis ſpiratione ſicca, quibus pus non ſubeſt.* Cauſa ergo immediata Aſthmatis eſt anguſtia bronchiorum, & veſicularum pulmonis facta ab humore in iſtis collecto, vel à convulſione nervorum, & fibrarum carnoſarum pulmonum. Cauſa extrinſeca erit quælibet humores ſeroſos facilè concreſcibiles cumulans, & ad pulmones eos ducens.

Ab his deducimus, Aſthma definiendum eſſe *Difficilis, & laborioſa reſpiratio, cum anxietate conjuncta, ob anguſtiam bronchiorum ab humore, vel convulſione factam.*

Difficilis reſpiratio multos habet gradus, à quibus Scriptores varias deducunt differentias. Primus gradus eſt, in quo nec ſtertor, nec anguſtia obſervatur, & dicitur *Dyſpnœa.* Secundus, in quo reperitur ſtertor, & anguſtia, æger tamen in lecto proſtratus decumbit, & dicitur *Aſthma.* Tertius, in quo reſpiratio eſt valdè difficilis, cum anguſtia, & ſtertore magno, à quibus cogitur æger erecta cervice reſpirare, & dicitur *Orthopnœa*. Addendum Aſthma humidum, & ſiccum, ſive convulſivum.

Signa diagnoſtica, & diſtinctiva habentur à dictis. Prognoſtica habemus ex *Hipp. in lib.* 6. *aphor.* 46. *Qui gibbi ex Aſthmate, & tuſſi fiunt ante pubertatem, moriuntur. In lib. Coac. prænot.* habet: *Cum ſpirandi difficultate lateris dolor, & levitas inteſtinorum, incidit in Tabem. Si frequens, ſi longa ſit ſpirandi difficultas, timendum de Empyemate*, Tabe, Hydrope pulmonum, & ventris.

Curationem non tradit Hipp. in particulari, reſtrinxit tamen in generali præcepto fluxiones curandi tradito *in lib. de loc. in hom. n.* 42. quod dilucidabitur in Diſſertatione de Catarrho, & in Aſthmate omnia ibi dicta obſervanda. Atquia *in cit. loc.* dicit *Hipp.* ultimò, *Quod influxit eſſe educendum*, proponam ſolùm aliqua remedia, quibus educenda eſt materia in bronchiis pulmonum collecta, eaque obſtruens. *Decoctio Caricarum, Paſſularum, Dactylorum in vino dulci facta, & cum forti expreſſione extracta. Decoctio Caryophylatæ, Pulmonariæ, Saturejæ, facta in aqua Mulsa, lambitivi forma ſumenda*; vel *Succus Scyllæ, cum Ol. Amygdalarum D. rec. mixtus.* Vel

℞. *Butyri rec. loti* ℥. *ii.*
Pinearum contuſ. ℥. *i. ſimul miſceantur, iſtis adde*
Pulv. Ireos ʒ. *i.*
Myrrhæ
Styracis Calamitæ } *a.* ʒ. *ii.*
Flor. Sulph. ℈. *ii.*
Sal Armon. ℈. ß.
Spermat. Cæti ʒ. *i. M.*
F. Boli, ſub lingua detinendi, paulatim deglutiendo, quòd diſſolvitur.

Pro

Pro Aſthmate convulſivo eligenda remedia, quæ nervoſum genus corroborant, & acidum, quòd eſt cauſa lædens mortificant, qualia ſunt *Cephalica*, *omnia Aromatica*; *Spiritus Cornu Cervi*, *Fuliginis*, *Sanguinis humani*, *Spiritus Lumbricorum*, *iſtorum Succus*, *Millepedes*, *Caſtoreum*, quibus adjungenda illa, quæ de motibus convulſivis ſunt tradita. Multa videantur *in Vvilliſio de morbis convulſivis cap. de Aſthmate*, *& in Etmull. cod. cap. de difficili inſpiratione*. Ex *Hipp. in cit. loc.* convenit ſectio venæ.

CAP. X.

De Tuberculis Pulmonum.

De Tuberculis Pulmonum egit *Hipp. in lib.* 1. *de morb. numer.* 14. ubi habet: *Tuberculum fit in pulmone hoc modo, cùm pituita, aut bilis coacta putreſcit.*

Coacta dicitur pituita, & bilis, quando in una determinata parte pulmonum colligitur, ut tumorem efficiat, eo modo quo in aliqua parte externa collectus humor in ea quantitate majori ſpatium vaſorum, & poroſitatum excedente, partem tumefaciendo, facit tumorem, & quia in pulmone materia colligitur, ut parvum faciat tumorem, hic dicitur Tuberculus, quaſi parvus tumor. Unde definiri poteſt Tuberculus, *Tumor, ſeu callus parvus in pulmonibus à materia in eo condenſata.* Hanc materiam dicit Hipp. eſſe pituitam, aut bilem, ſeu potiùs eſt ſanguis craſſus, aut ſubtilis, qui nomine pituitæ, & bilis ſæpe ab Hippoc. deſignatur.

Colligitur in parte humor, vel vitio iſtius, vel partis. Vitio illius, quando craſſus orificia venarum capillarium non ingreditur, ſed in earum oſtiis remoratur, ibique coacervatur, & coagulatur, prout moris eſt ſanguinis extravaſati, vel quando in multa copia ab arteriis deponitur in pulmones, ut ad totam quantitatem recipiendam venarum anguſtia ſit incapax, remanente portione extra vaſa, quæ modo prædicto in tumorem coacervatur. Vitio partis, quando orificia venarum capillarium ſunt obſtructa, ſanguini enim eis advenienti ingreſſum defendendo, cogit hunc ibi ſtagnare, & tumorem paulatim præparare. Tuberculi hac de cauſa nunquam enaſcuntur, niſi præcedente vitio, & labe pulmonum, vel à naturali depravata organizatione, vel ab intemperie, cum materia contracta à primordiis generationis, vel à fluxu particulari humorum.

Bilem, & pituitam dicimus putreſcere, non ſolùm quando actu putredine inficiuntur, ſed etiam quando diſponuntur ad putredinem, quæ poteſt conſiderari actu, & potentia (liceat obſoletis ferè terminis Scholarum uti in re, cui meritò adaptantur) dum ab hac diſtinctione oritur differentia Tuberculi in crudum, & maturum, quam proponit Hipp. in textu; hoc adeſt, quando materia coacta in pus eſt converſa, & dicitur putredo in actu, illud, quando materia ſuas qualitates, proprietates retinet, & adhuc ſub ſua naturali textura permanet, ſed paulatim ab eis diſcedit, & eſt in via ad putredinem, ideò dicitur putreſcere potentia. Ab iſtis humoribus alteram Tuberculi differentiam colligimus, nempè Tuberculum à bile, à pituita, & ab utroque humore mixto.

Et quamdiu quidem adhuc crudiùs fuerit, dolorem exilem, ac tuſſim ſiccam inducit; poſtquam verò maturum factum fuerit, dolor, & antè, & retrò acutus fit, & calores corripiunt, ac tuſſis vehemens. In lib. 2. *de morb. n.* 55. agendo de eodem morbo, addit *difficilem reſpirationem.*

In his verbis allatam Tuberculi crudi, & maturi differentiam inſpicimus, & ſigna utramque differentiam demonſtrantia: In crudo, *dolor exilis* in regione pulmonum, quia à preſſione, & diſtenſione, quæ duo ſequuntur tumores partes ſubjectas prementes, ſuperiores, & laterales diſtendentes, ab his dolor exilis. *Tuſſis* eſt ab irritamento Tuberculi, ideò *ſicca*, quia materia humoralis excretionis capax, ad eam non concurrit. Fit tuſſis à Tuberculo, dum in motu pulmonum tam dilatativo, quàm conſtrictivo veſiculæ iſtorum ſenſibili preſſione, ideòque irritativa afficiuntur, & ab irritamento tuſſis. Hæc duo accidentia ſine febre moleſtant, & hac abſente, dolor exilis, ſtabilis, & fixus diuturnus in eodem ſitu, & tuſſis ſicca. Hæc ſunt ſigna ferè patognomica Tuberculi crudi in pulmonibus. *Dolor acutus antè, & retrò, calores*, intellige febriles, *tuſſis vehemens.* An ſit humida, vel ſicca, non explicat Hipp. ex eo verò quòd priùs expreſſerit tuſſim ſiccam, hic verò reticuerit, argumentum eſt tuſſim eſſe humidam, & hanc probabilem reddit maturitas Tuberculi. Hæc ſunt ſigna maturi Tuberculi, juxta Hipp. ſententiam: *Dum pus conficitur, dolores, & febres fiunt;* dolores à materia effervèſcente nimis, cum violenta diſtenſione partium ſenſitivarum, quæ in pulmone ſunt membranæ, & nervorum ramificationes multæ, & ab ejuſdem acrimonia à converſione in pus acquiſita, à qua per vapores ejuſdem naturæ continuò pungitur pleura, & partes prædictæ; febres à materia putrida in Tuberculo collecta, ſanguini per ſolos vapores communicata, fermenti præternaturalis conditionem retinente oritur. Tuſſis humida eſt, dum in principio pus magis tenue tranſudat à Tuberculo in veſiculas, vel bronchia pulmonum, quæ ab acrimonia puris, cum moleſtia irritata tuſſim vehementem pariunt, & cum ejus expulſione humidam reddunt, rupto verò Tuberculo, impletis pure bronchiis, vehementer inſurgit ſitis, & tuſſis magis humida, aucto à copia materiæ irritamento, & ſputo; ab eadem fit reſpiratio difficilis impediens aeris ingreſſum; ante verò maturitatem, ſi Tuberculum fuerit magnum, ut pulmonum bronchia comprimat, difficilis conſurgit reſpiratio, & hæc ſunt ſigna tutiſſima maturi Tuberculi, ſi præceſſerint illa ſupra dicta immaturi. Tuberculi à bile dolore magis intenſo affligunt, febres ſunt intenſiores, & omnia alia ſymptomata graviora; in eo à pituita mitiora; ubi mixtio utriuſque humoris, mediocritatem ſervant ſymptomata.

Prognoſtica ſunt varia, pro vario ſtatu, & conditione Tuberculi. Ab Hipp. in textu deſcribuntur, & primò ait: *Et ſiquidem, ſi quam citiſſimè maturaverit, & eruperit, & pus ſurſum vertatur, ac totum expuatur, & ventriculus* (hoc eſt cyſtis, ſeu folliculus) *in quo fuerat pus contrahatur, ac reſiccetur, penitùs ſanus evadet. Si verò ruptum fuerit quidem celerrimè, & maturatum, verùm penitus reſiccari non poterit, ſed ipſum tuberculum à ſe ipſo pus produxerit, & à capite ſanè tunc, itemque reliquo corpore pituita ad tuberculum fluens putreſcit, & pus fit, ac expuitur, homo perimitur.*

Tuberculum, vel brevi tempore ad maturitatem pervenit, quam *in decima quarta* determinavit *Hipp. lib.* 2. *de morb. n.* 55. ſed eſt terminus breviſſimus, & pari temporis brevitate rumpitur, & materia eruptura exiens citò expuitur, citòque exſiccatur, ſeu potiùs ruptura conſolidatur cicatrice inducta, ſive ruptura fuerit in folliculo, ſive in ſubſtantia (quandoque Tubercula membrana involvuntur, quam Hipp, *ventriculus* appellat, cui vaſa communicantur, à quibus incrementi materiam exſugit; quandoque verò tamquam tubera in carne, vel parenchymate excreſcunt) ut nulla materia ampliùs per ſputum exeat, ceſſante dolore, tuſſi, & febre, ſanitatis perfectæ ſignum irrefragabile; adeòut maturitas, eruptio, materiæ excretio, & conſolidatio cita, ceſſantibus omnibus præcedentibus ſymptomatibus, ſigna ſalutis ſint. Si verò cita extiterit maturatio, ruptio, excretio, attamen non ceſſaverit, ſed nullus ſit terminus tuſſi, & excretioni materiæ, ſignum lethale, & mors prædicenda. Rationem reddit Hipp. deſumptam à mala diſpoſitione partis ruptæ, & ſuppuratæ, à qua ſangnis fluens ad eam pro nutritione, vel pro neceſſitate circulationis, à mala diſpoſitione, vel à fermento depravato ejuſdem corrumpitur, & in pus convertitur, à quo conſolidatio rupturæ, & exercitio materiæ finem non invenit, vel à capite, ut ait Hipp. pituita ad ruptam partem etiam defluit, ibique corrupta continuum pus pro tuſſi, & excretione, & febre ſuppeditat. Recentiores alio judicio, non à capite, ſed ab excrementis maſſæ ſanguineæ materiam in pus convertendam derivant, omnibus hiſce tamquam ad partem debiliorem, vel fluentibus, vel tranſmiſſis; hinc impoſſibilis ruptu-

rupturæ unio, partiſque conſolidatio, & ſi primò excrementa fluant ad dictam partem, cum iſtis tractu temporis fluit etiam ſanguis, à quo puris generatio conſervari non poteſt, quin ille deficiat, cum exſiccatione totius, ob alimenti defectum, quia in pus converſum, & ob aduſtionem ſanguinis à febre, conniventibus ex aduſtione ſanguinis venis, ſuperveniente etiam perfrigeratione totius in defectu ejuſdem, qui eſt fons caloris, à quibus ſiccitas, & emaciatio totius acceleratur. Ab his cauſis tota maſſa ſanguinis, & fermenta partium contaminantur novis ſupervenientibus morbis, & ex neceſſitate mors accidit, ut dicit Hipp. in textu, *Ægro loquente, & intelligente omnes res æquè, ut in priori tempore*, in quo morbus erat mitis, quod contingit, dum morbus lentè conſumit, ideò etiam lentè omnes facultates diminuit, ſine earum perturbatione, quam inducunt morbi violenti.

Alteram conditionem addit Hipp. *Quòd ſi multo tempore rumpi non poſſit, neque ſua ſponte, neque à medicamentis, conſumitur æger debilitatus à doloribus vehementibus, & inedia, & tuſſi, & febribus, ut plurimùm, perimitur. Si verò jam attenuato, & in lectum reclinato pus eruperit, neque ſic valdè revaleſcunt, ſed tali modo moriuntur.*

Si Tuberculum non pervenerit ad maturationem, neque rumpatur, nec ſponte, nec à medicamentis, perſeverantibus doloribus, tuſſi, inedia, ideſt appetitu ciborum abolito, & febri, ut ſub iſtorum ſævitia cadat æger, oportet; quapropter nulla eſt ſalutis ſpes, niſi in maturatione, & ruptione Tuberculi, hac non accedente, ſpes extinguitur vitæ.

Maturatio non ſuccedit, ob materiæ reſiſtentiam actioni caloris concoquentis, & fermentationi illi à puris generatione exigitæ, & requiſitæ ad tollendam texturam propriam humoris, & ad introducendam illam puri convenientem; ab hac materiæ contumacia, dolor, tuſſis, & febris fit contumax, & diſſolutiva virium. Quandoque ægro jam debilitato, ut reclinatus in lectum quieſcere cogatur, inhabilis ad quemcumque motum, fractis omnibus facultatibus corporis; Tuberculum rumpitur, pus exit, ſed ſine fructu, auxilii incapace natura exiſtente, unde æger perimitur. Hac de cauſa exitus puris, ægro debilitato valdè, ſuperveniens, lethalis.

Tertia conditio Tuberculi pro prognoſtico eſt, quando, ut ait Hipp. *Eruperit quidem, quam celerrimè, & maturaverit, maturatum autem multa ſui parte ad ſeptum tranſverſum effundatur, ſtatim quidem melius ſibi habere videtur; verùm progreſſu temporis ſiquidem totum per ſputum rejecerit, & ventriculus, in quo pus inerat, conſidat, & reſiccetur, ſanus evadit. Si verò & tempus longiùs protrahatur, & ipſe debilior fiat, & per ſputum rejicere nequeat, ſed uſtus fuerit, & pus exeat, ſtatim quidem, & ſic melius ſibi habere videtur; virùm tempore procedente perimitur, ab iiſdem, quæ priùs relata ſunt.*

Ultimum ſtatum Tuberculi repræſentat in hac ſententia Hipp. & eſt, quando Tuberculum citò matureſcit, & rumpitur, materiaque in eo ſuppurata non remanet in ſubſtantia pulmonum, ſed in cavitatem thoracis effunditur, ſepto tranſverſo incumbens, taliſque effuſio, cum ſenſibili utilitate, & ſymptomatum moderatione ſuccedit, materia extra pulmones effuſa; & verè talis eſt, ſi temporis progreſſu tota materia ſuperiorem ſepti tranſverſi ſuperficiem alluens per tuſſim ejiciatur, à pulmonibus abſorpta, dum ſeptum tranſverſum in expiratione ſurſum verſus pulmones aſcendit, curvata ſua parte, cum mutuo contactu, per quem materia ſuperficiem diaphragmatis irrigans, à pulmonibus abſorberi poteſt, vel in eos transfundi; & ſi cum integra materiæ expurgatione ventriculus, ſeu folliculus, in quo materia continebatur Tuberculum conſtituens, exſiccatur, orificium rapturæ claudatur, nulla ampliùs in eo generata, vel concurrente ab alio loco materia, ſanus fit æger. Hujus reſiccationis, & unionis partium rupturæ indicium præbetur à paulatina, ſed ſenſibili diminutione quotidiè materiæ excretæ, uſque ad integram ceſſationem ejuſdem, cum paulatina moderatione, & extinctione ſymptomatum. Si verò expurgatio materiæ in longiùs tempus protrahatur, & vires ægri debilitentur, ſputumque præ debilitate rejicere nequeat, mors certa expectanda, cùm à materia putrida retenta, ob prohibitam excretionem, ob virium deficientiam, & pulmones, & ſeptum tranſverſum corrumpantur. In hoc ſtatu debilitatis, ſi uſtus fuerit æger, aut ſectus, & pus totum per apertam ab uſtione, & ſectione viam exierit, melius ſibi habere videtur; verùm levamen infidum, cùm tempore procedente perimatur æger, non reſiccato Tuberculi ventriculo, nec conſolidato aperturæ orificio, ſed continuò materia transfuſa ad ſeptum tranſverſum, quæ cùm per virium defectum expurgari non poſſit ab ægro, corruptionem ſupradictam infert, & perdurante inedia, tuſſi, & febribus, quæ ſunt illa, de quibus dicit Hipp. *Ab iiſdem, quæ priùs relata ſunt*, neceſſe eſt, ut æger perimatur; ubi ergo, poſt ſectionem, & uſtionem, dicta ſymptomata perſeveraverint, mors prædicenda.

De curatione hujus Tuberculi, nihil habet Hippoc. ab ipſo textu tamen aliqua ad curationem directa colligenda. In primo ſtatu Tuberculi ſuprà explicato habemus maturationem, & ruptionem Tuberculi, cum integra excretione materiæ, & exſiccationem folliculi, & rupturæ, ſanitatem reſtituere, & in his documentum reliquit in curatione omnis Tuberculi, primò maturationem materiæ in eo collectæ quærendam maturantibus, & emplaſticis. Secundò ruptionem folliculi, & habetur cum iis, quæ motum materiæ præbent, ejuſque efferveſcentiam excitant. Tertiò materiæ excretæ per diſruptionem Tuberculi expurgationem moliendam, per ſputum præcipuè, & etiam per urinam, natura docente quandoque hanc viam. Quartò exſiccationem loci affecti, aperti, & diſrupti.

Maturatio fit cum *Decocto Althea*, *Malvarum*, *Branſhæ Urſinæ*, & *Ficubus ſiccis*, & *Syrupo de Hibiſco* exhibito, etiam bis in die; potus parum, & ſæpe fit *ex decoctione Paſſularum*, & *rad. Althea*. Extrinſecus foveatur locus dolens in pectore *cum aqua tepida*, *vel cum decocto Fœnu græci*, *Meliloti*, *Malvarum*, *Althea*, vel *Emplaſtrum Meliloti*, *cum Unguento Dialthea*, applicetur loco doloris. Maturitatem promovebat *Hipp. lib. 2. de morb. num.* 55. *Aqua Mulſa*, *Ptiſanæ ſucco*, & *Vino aquoſo*; Vinum humorum digeſtionem efficit, ſed febris ſincerum vetat.

Maturitate à ſignis ſuprà traditis demonſtrata, ruptio, ſi à naturæ conatu non ſuccedat, medicamentis erit promovenda; in horum genere ſunt *Radix Cyclaminis*, *Enulæ Campanæ*, ſi horum Radices exſiccatæ in pulverem redigantur, & Melli miſceantur, de mixtura Lambitivi inſtar, ſæpe, & parum ſumat æger; & efficacius erit, ſi jungatur *Antimonium Diaphoreticum*, & *Sal Nitr. antimoniale*, vel ſuccus à dictis ſimplicibus exprimatur, & exhibeatur cum decocto *Hyſſopi*. Extrinſecus applicetur *Emplaſtrum* dictum *de Meliloto*, cui admiſceatur *Fermentum*, & *Crocus*. Si ab his remediis non ſuccedat ruptio, vomitus provocandus, docente *Hipp. lib. 2. de morb. n.* 55. nam conatus ventriculi in vomitu, communicatus pulmonibus, vim maturo Tuberculo inferendo rumpit.

Rupto Tuberculo, ad expurgationem materiæ ea uſurpentur expectorantia, quæ deſcripta ſunt de Pleuritide. Pro exſiccatione aperti ulceris in folliculo, vel ſubſtantia pulmonum, deſcribenda exſiccantia de ulcere pulmonum erunt congrua, cùm ſancitum fuerit ab *Hipp. lib. de affect. n.* 34. *Tubercula effluxo*, hoc eſt expurgato, *pure, velut ulcera curanda eſſe*; hæc verò curantur exſiccantibus.

Hac occaſione, non eſt prætermittenda tractatio de Tuberculis in latere, de quibus agit *Hipp.* poſtquam declaraverit generationem, & cauſam Tuberculi pulmonum, *in cit. lib.* 1. *de morb. n.* 15. & *in lib. de intern. affect. n.* 10. In primo loco hæc habet:

Porrò in latere fiunt tubercula, & à pituita, & bile, eadem ratione, qua in pulmone, cui adaptanda ſunt omnia ſuperiùs dicta de modo generationis Tuberculi in pulmonibus.

Fiunt etiam à laboribus, cùm vena aliqua tracta rupta fuerit, non tamen penitùs rupta, ſed itaut acutus tractus in ipſa factus ſit.

Cauſam externam Tuberculi lateris, determinata priùs interna, bile nempè, & pituita, hìc proponit Hipp. Hanc cauſam externam reducit ad labores, eò

quia

quia labores fluxum bilis, & pituitæ ad latera copioſum promoveant, quod etiam tribuendum eſt aliis cauſis, ut magnis vociferationibus, caſibus, & percuſſionibus laterum. Quomodo ab his cauſis externis generentur Tuberculum, ſic explicat: Ab his cauſis extrinſecis vena, vel arteria ſanguine impletur, impleta diſtenditur, diſtenſa trahitur; hac ratione venam ſanguine impletam valdè tractam appellat. Hic ſenſus verborum Hipp. confirmatur à ruptione venæ tractæ, vena non rumpitur, niſi ſanguine impleta multum diſtendatur; ad Tuberculi verò generationem non requirit Hipp. venam ruptam penitùs, nam ab hac non fit Tuberculum, ſed immediatè ſuppuratio; ideo ſubjungit: *Siquidem igitur rupta fuerit, ſanguis ſtatim è vena effuſus putreſcit, & ſuppuratur*, nullo tumore duro ante ſuppurationem inducto, & conſequenter ſine Tuberculo, ſed in hoc vena ita impletur, & diſtenditur, ut in aliqua parte diſtenſioni magis capaci aliqua protuberantia ſupra alias partes venæ impletæ ſuccedat; hæc protuberantia dicitur *tractus* ab Hipp. Has protuberantias in varicibus, & hæmorrhoidibus tumefactis obſervamus.

Si verò auctus tractus in vena fiat, principio quidem dolorem exhibet, ac pulſat; progreſſu verò temporis diſtribuit vena ſanguinem in carnem, atque hic in carne putreſcens pus fit.

In hac venæ protuberantia, dolor excitatur à violenta diſtenſione membranarum vaſis, quibus ineſt ſenſus paſſio, & cum dolore pulſatio conjungitur, nam ſi vena eſt impleta, arteriam ſubjectam comprimendo pulſationem maximè ſenſibilem efficit; ſi arteria ſit impleta à ſanguinis arterioſi motu, major evadit ejus pulſatio naturalis, & cùm copia ſanguinis reſiſtat, vi ſanguinis ab arteria per motum circulationis de novo recepti ejus impetus totus in membranam diffunditur, aucto illius pulſu. A quo fundamentum diſtinguendi Tuberculum ab aliis morbis pectoris habemus, in quibus ſi dolor reperitur, non invenitur pulſatio; diſtinguitur etiam à Pleuritide, non ſolùm ratione pulſationis, ſed febris, difficultatis reſpirationis, & tuſſis, de quibus nullam facit mentionem Hipp. febrem verò admittit in ſuppuratione Tuberculi *in lib. de intern. affect. n.* 10. cùm hæc puris generationem ſemper concomitetur. Protuberantia venæ temporis progreſſu ſanguinem effundit in carnem, quia à plenitudine vas valdè diſtenditur, in diſtenſione poroſitates ejus dilatantur, viam aperiendo ſanguini in eo contento, coadjuvante exitum tenuitate ejuſdem ſanguinis, contracta ab effervescentia in vaſe, & impetu ab eadem effervescentia ſuſcepto. Sanguis extravaſatus in carnem receptus putreſcens in pus convertitur, prout huic ſemper evenit à proprio loco evulſus, & ablata continuatione cum alio, à qua conſervationem ſuſcipit; putreſcit, non aliter ac partes ſolidæ, quæ unitate cum aliis conſervantur, & continui ſolutione corrumpuntur. Caro in latere, in qua putreſcere poſſit ſanguis è vena extravaſatus, alia non eſt, niſi illa muſculi interni, & externi pectoris, in quibus Tuberculi ſedes reponenda.

Eodem modo, & caro ſiquidem magis doluerit, & ſanguinis plus in ſe ipſam trahit ex viciniſſimis venis, & ſtatim ſuppuratur. Si verò minus doluerit, tardiùs & trahit, & ſuppuratur.

Cùm vena protuberante, dolet caro circumſtans, non quia qualitas dolorifica communicetur carni, ſed quia vena carni conjuncta, dum impleta ſanguine protuberat, ſurſumque elevatur, carnem conjunctam diſtrahit, ſecumque violenter ducit, & à violenta diſtractione dolet, quomodo omnes partes ſenſitivæ, diſtractæ dolent. Caro dolore affecta ſanguinem in majori copia, quàm pro ſuo munere conveniat, in ſe ipſam à viciniſſimis venis trahit, non per facultatem attractricem, ſed quia per motus ſpaſmodicos nervorum, & membranarum per carnes extenſarum omnium dolorum comites, concuſſis vaſis ſanguiferis carni adhærentibus, vel contiguis ſanguis copioſè in carnes effunditur; hæc effuſio ab Hipp. dicitur *tractio*. Effuſus ſanguis in ſubſtantiam carnium ſtatim ſuppuratur, ob rationem ſuperiùs dictam. *Si verò minus doluerit caro, tardiùs trahit, & ſuppuratur*. Dolor parvus motus ſpaſmodicos debiliores ſupponit; hinc vaſorum ſanguinis debilior, & tardior conſtrictio, & concuſſio, cum parva ſanguinis effuſione, à qua tarda repletio carnium, ſeu, per Hippocratem, tarda tractio, cum tarda ſuppuratione, quæ citiùs contingit in magna, quàm in parva copia extravaſati ſanguinis, quia in hac eſt validior fermentatio, à qua citiùs tollitur primæva illius textura, illa puris introducta; agens enim principale fermentationis, nempè particulæ activæ mobiles ſanguinis in parva quantitate ſunt debiliores, in magna robuſtiores, ratione quantitatis, ideò celerior puris generatio in hac, tardior in illa. Modus generationis Tuberculi à cauſa interna, nempè bile, & pituita, erit idem ac à cauſa externa in præſentis textus commento explicata.

De curatione nihil nobis reliquit *Hipp.* in hoc textu, *in* 2. verò *de morb. n.* 58. *& lib. de intern. affect. n.* 10. ubi agit pariter de Tuberculo lateris, curationem ponit, à qua regulam medendi Tuberculum lateris, quacumque à cauſa mutuabimur.

Tuberculum lateris *in cit.* jamdudum *loco* deſcribit ſic *Hipp. Cùm in latere tuberculum fit, tuſſis emergit dura, & dolor, & febris, & gravitas in latere incumbit, & dolor acutus in eodem loco ſemper urget, & ſitis vehemens, & calidum potum averſatur, & in dolens latus decumbere non poteſt, ſed in ſanum. At ubi decumbit, velut lapis ipſi decumbere videtur, & intumeſcit, & rubeſcit, & pedes intumeſcunt.*

Cauſam Tuberculi reticet in hoc textu Hipp. quia ſuperiùs hanc demonſtravit, & ſigna Tuberculum lateris demonſtrantia proponit; & ſunt: *Tuſſis dura*, hoc eſt valdè moleſta, & vehemens. Tuſſis eſt pulmonum affectus, in quibus labem primario non ineſſe tuſſis effectivam certò conſtat, cùm pars affecta determinetur latus, excluſo pulmone, à quo erudimur tuſſim eſſe quidem ab affecto pulmone, non primario, ſed per conſenſum, nec alio modo tuſſis, determinatis muſculis pro ſede Tuberculi lateris excitari poteſt, niſi fuligines à materia Tuberculi acres exeant, & membranam pulmonum irritando, tuſſim efficiant, quam auget calor in Tuberculo exiſtens à materia illius fermentante, pulmonibuſque, cum dictis fuliginibus calidis communicatus, tuſſi augmentum parat, vel quia nervi muſculorum thoracis ſpaſmodica affectione dolorifica afflicti ſimilem affectionem nervis pulmonum, cum quibus conſentiunt communicant, à qua tuſſis oritur, & ſicca, abſente omni materia fluida humoroſa à bronchiis, & veſiculis pulmonum; & ſicca cenſenda, licèt ab Hipp. talis non dicatur, cùm materia in latere coacta in Tuberculum humida tuſſis excitari non poſſit, niſi à motu tuſſi vocetur humor ad bronchia pulmonum, qui poſtea per tuſſim excernitur. Tuſſi conjungitur *Dolor*, cujus cauſa explicata ſuperiùs, ſicut illa *Febris*. *Gravitas in latere incumbit*, à Tuberculo comprimente ſubjectas, & circumſtantes partes, non aliter ac ſi pondere ſuperpoſito premerentur, & ita premit Tuberculum, ut ægro in latus affectum decumbere non conveniat, ob dolorem ab addita preſſione corporis, cui incumbit auctum, ideò in ſanum latus ſolùm decumbit. *At in hoc* etiam ægro videtur *veluti lapis impendere*, Tuberculo valdè gravitante ſupra partes ſuperiores ipſius, & pondere diſtrahente inferiores, dolor eſt fixus, à Tuberculo ſemper immobili, continuoque determinatum locum premente. *Sitis vehemens* eſt febris effectus, & caloris acris à Tuberculo ſuppurante pulmonibus communicati, quibus excalefactis ſitis adeſt. *Calidum potum averſatur*, quia calorem in Tuberculo à fermentante ibi materia accenſum auget, cum doloris intenſione, dum materia ad turgentiam magnam à calore perductam, cum violentia diſtendit partem, à qua dolor valdè acutus, qui cùm ſit ab intenſione caloris, averſionem calido potui imprimit. *Intumeſcit, & rubeſcit*, externa pars, internæ Tuberculi ſedi correſpondens, quia materia ad ſuperficiem ſemper magis expellitur, ratione maturitatis, & fermentationis, vi cujus ſemper ad exteriora dilatatur, tumorem, & ruborem materia ad ſuperficiem deducta efficit, eo modo quo efficit, dum in interna parte conſiſtit. *Pedes intumeſcunt*; rarum hoc, & difficile ſymptoma in Tuberculo lateris, cum quo nullus pedum conſenſus intercedere videtur, unde in ſolam pituitæ abundantiam, à qua fieri Tubercula ſancitum fuit cum Hipp. ſuperiùs, referendum hoc

hoc ſymptoma, quæ à calore febrili fuſa abundanter fluit ad partes; in pedibus verò, in quibus calor eſt ſemper minor, craſſeſcit, ideò in his remanet, cum illorum intumeſcentia.

Curationem aggreditur Hipp. dum ait in principio curæ, *Hunc ſecato, aut urito*. Hoc remedium ſupponit maturationem Tuberculi, & hanc in relatione ſignorum indicavit, quando dixit *Intumeſcit, & rubeſcit*, & locutus eſt de latere. Et hi ſunt effectus maturationis, & expulſionis materiæ ad ſuperficiem lateris affecti. Conſiderata cura tradita, manifeſtum fit totam eſſe directam ad Tuberculum maturatum, ideòque dicendum eſt, in allegato hoc loco loqui de Tuberculo maturato, ſignaque tradita hoc indicare. Si curandum foret Tuberculum crudum, à maturantibus incipienda curatio, & confirmavit in ſubſequentibus verbis: *Et poſtea pus emittito, uſque ad decimum diem lineamento*, ideſt turunda, *ex lino crudo indito. Decima autem die pure omni emiſſo, vinum, & oleum tepida immittito, ne derepentè rejiciatur, & lineamento ex linteolo*, hoc eſt turunda ex panno lineo, vel ex iſtius filamentis diſſolutis, *utitor; ubi verò, id quod infuſum eſt emiſeris, aliud infundito, & hoc per dies quinque facito*. Ita ſubjungit Hipp. ad docendum modum curandi uſtionem, vel ſectionem, qui eſt valdè clarus. Adnotandum ſolùm in primis curandam puris eductionem, quam ſupponit in decima ſuccedere, ſine alio remedio, quàm turunda, ulceris orificium apertum conſervante, in decima infundendum Oleum, & Vinum tepidum, non pro curatione, ſed pro integra, & totali eductione puris; niſi enim dictis liquoribus, vel ſimilibus humectaretur, interna pars ulceris exſiccata exſiccaretur, & corrugata puris exitum impediret, & ante tempus ulcus conſolidatum, à pure retento, & congeſto nova aperitione reviviſceret. Hanc humectationem per quinque dies reiterat, & nos docet, nunquam permittendam eſſe ulceris exſiccationem in primis diebus. Subjungit: *Poſtquam autem pus tenue, ut ſuccus ptiſanæ effluxerit, ac modicum ad manus contactum* (ſupple effluxerit.) Hæc verba concoctionem, & parvitatem puris connotant, cum inſtanti ulceris ſanatione, quam ut acceleret exſiccando, *Penicillum, ſeu cannulam ſtanneam immittit, ſemper modicè diſſecto penicillo*, ut caro excreſcat, tandem inducitur cicatrix. Hæc clariùs traduntur ab *Hipp. libr. 2. de morb. nu.* 45. & *nu.* 58. videndis.

In cit. lib. de affect. intern. nu. 10. agens *Hipp.* de Tuberculo, ait: *Si in latere tuberculum naſcatur, & ſuppuratus fiat*. Per ſuppuratum non intelligit perfectam, & integram humoris in pus converſionem, ſed ſolùm inclinationem, & diſpoſitionem Tuberculi ad pus, & colligitur ab illis verbis textus, *Et ne ſitiat, donec latus ſuppuratum fiat; ſuppuratur autem maximè in quadraginta diebus, aut paulo priùs*; ſi loqueretur de Tuberculo ſuppurato, non prohiberet tolerantiam ſitis ante ſuppurationem, nec ſuppurationis tempus determinaret, cùm jam facta eſſet ſuppuratio.

Hæc patitur: rigor tenet, & febris, & tuſſis ſicca per multos dies, & dolet latus, & ad mammam, & ad claviculas, & ad ſcapulas dolor impetum facit.

Hæc omnia ſunt ſigna imminentis, vel incipientis ſuppurationis. Horum ſymptomatum cauſas ſuprà tradidimus, & ſi ſunt communia cum Pleuritide, Tuberculum ab hac diſtinguendum per difficilem reſpirationem, quæ in Tuberculo non obſervatur; à tuſſi ſicca per multos dies, quæ, ut plurimùm, in Pleuritide fit humida ante quartam; & ſi liberæ reſpirationi cum tuſſi ſicca uniatur dolorificus decubitus ſuper latus affectum, coaleſcet ſignum proprium ſolius Tuberculi in latere.

Hic cùm ſic habuerit, in primis decem diebus ſorbitionibus utatur ptiſanæ ſucco cocto, melle affuſo, cùm ſorbitio cocta fuerit, vino autem utatur albo dulci, aut auſtero, & aquoſo, & ut vinum ſæpe ſorbeat, ac expuat jubeto, & à ſomno impedito, donec undecim dies præterierint.

Victu tenui, humido, & maturativo utitur Hipp. in principio Tuberculi. Sorbitio ex ſucco Ptiſanæ cum Melle, eſt tenuis victus; hoc utitur, ne à copia cibi augeatur fluxus major humorum ad partem affectam. Dicta ſorbitio eſt cibus humidus, quem laudat, quia maturationem promovet. Mel addit, in quo virtus fermentativa reſidet, valdè apta ad fermentationem materiæ Tuberculi apprimè neceſſariam ad pus generandum, & ad corrigendas Ptiſanæ qualitates, quæ fermentationi videntur contrariæ. Vinum exhibet in auxilium fermentandæ materiæ aquoſum, ne fermentatio immoderatior exurgat. Collutionem oris cum Vino imperat ad ſitim arcendam, quam ſuſtinere infrà vetat, & etiam ad calefaciendas, cum moderatione partes ſpiritales pro citiori maturatione, cujus calor eſt principale agens, & calor partium ſpiritalium fit communis lateribus pectoris, in quibus eſt morbus. Per decem dies hac victus regula utitur valdè tenui, cùm in tali tempore ſupponatur terminus fluxus humoris ad partem affectam. Somnum prohibet, non qualemcumque, quia per undecim dies ſine ſomno non conſervarentur vires, ſed longum, & vigilias longas parvo ſomno interruptas amat, eò quia vigiliæ ſanguinem, & etiam humorem fluxum, ad aliquam partem fundendo ſunt diſpoſitiones ad celeriorem maturationem illius; quod ſancivit idem *Hipp. lib.* 1. *prædict. n.* 19. ubi habet: *Vigiliis infeſtati derepentè, cum inquieta jactatione ſanguinem fundunt, tum aliàs, tùm ſi quid antea perfluxerit*; & ratio eſt, quia in vigilia bilis exaltatur, à qua humores attenuantur, & fermentatio activior iſtorum procedit. Et alibi ſancivit, ſomnum corpus refrigerare, è contrà vigilia calorem excitabit, promptum ad peragendam ſuppurationem. Poſt undecimam à vigiliis recedendum eſt; neceſſaria eſt enim ſpirituum refocillatio, & reſtauratio, quæ fit in ſomno, & magna, & extrema tenuitas, & fermentatio humorum non eſt permittenda, quapropter ſomno indulgendum.

Poſt hos dies cibis pauciſſimis utatur, carnibus catulinis, & Galli calidis. Oportet autem ipſas probè cum juſculo præparare, & juſculum abſorbeat, & ſorbitionibus priuſquàm cibo utatur, & ne ſitiat, donec latus ſuppuratum fuerit; ſupppuratur verò, quam maximè in quadraginta diebus, aut paulò priùs. Hoc autem cognoſces, ubi ſuppuratum fiat latus; pus enim non expuit, nec revomit.

A tenui diæta per decem dies exercita, ad paulò pleniorem tranſit Hipp. ut vires pro concoquenda materia Tuberculi robur acquirant, & ut certi de prohibito fluxu novi humoris ad partem morboſam, & de caloris augmento per paulò pleniorem victum puris generationem promoveamus. Ad caloris mediocre augmentum carnes calidas proponit, ut ſunt *Catuli, & Galli*. His addi poſſunt carnes *Columbi turrialis, Perdicis, Phaſiani, Turdi, Paſſerum*; in pauca tamen quantitate ad cavendam & plenitudinem, & redundantiam excrementorum, ſi depravata ſuccederet concoctio. De jure dictarum carnium abſorbeat, & carnes cum dicto jure præparandæ, & fit, ſi contundantur, & cum multo jure diſſolvantur. Hujuſmodi cibus probè vires reficit, calorem corroborat, nec implet. Si verò carnes ſolas edere placuerit, ſorbitiones priùs aſſumat, & poſtea cibos in dicta pauca quantitate; à ſorbitionibus enim primò aſſumptis ſitis arcetur, humectatis probè tunicis ventriculi, quam cavendam conſulit, dum ait, *Ne ſitiat*. Ratio eſt, quia ſitis ſiccitatem inducit, & ſupponit; ſiccitas in Tuberculo peſſima, dum materiam exſiccat, indurat, & ſuppurationem omninò ſufflaminat, hoc malum vitamus copioſo humido, & alimentali, prout ſunt jura carnium, ventriculum, & totum corpus humectantia, humectatio aquæ reprobanda, cùm frigiditate fermentationem materiæ in Tuberculo minuat, & ſuppurationem impediat. Suppuratio Tuberculi fit in quadraginta diebus, aut, paulò priùs, ideò hac norma vivendi utendum, uſque ad dictum tempus.

Signum ſuppurationis dicit, *Si nihil expuat puris, neque revomat*; tranſactis enim dictis diebus, & nullo pure excreto per tuſſim, ſignum eſt ſuppurationem eſſe factam in parte externa, non exeunte pure per tuſſim.

Hunc cùm ſic habuerit, ubicumque tumor ſignificationem de ſe præbuerit (hoc eſt ſigna ſuppurationis dederit;) *ſecato, & urito, & poſtea paulatim pus emittito* (ne ab ambiente extrinſeco ſpatium à pure derelictum

occu-

occupante, pars ab eodem diù detento, & in quantitate ſuſcepto debilitata, majori noxæ ſubjiciatur) *& poſtquam exhauſerit* (hoc eſt pus paulatim eductum fuerit) *linamentum indito, & rurſus tertia die, & aliis deinceps bis per diem exhaurito, donec reſiccatum fuerit* (hoc eſt conſolidata fuerit ſectio, vel uſtio.) *Dato autem & cibos, & obſonia, ſi admiſerit; & bibat modicum, non multum, ſive vinum, ſive aquam;* (à potu immoderato augetur magis pus, quàm à cibo;) *edat etiam Origanum tenellam plurimam melle tinctam; ſive verò tenellam non habeat, ſiccam tritam, & melli mixtam plurimam exhibeto.* (Origanum pulmonum tumoribus medetur, ideò etiàm convenire videtur lateris Tuberculis, ob viciniam pulmonum, & exterius applicatum apoſtemata ſanat, *ex Dioſcoride*, & eamdem virtutem in internis apoſtematibus ſervat.) Non incongrua erunt folia, & flores *Hyperici*, *Scabioſæ*, *Tuſſilaginis*, *Conſolidæ majoris*. *Et neque frigeat, & lavet balneis, & mollitur cubet*; legit *Foeſius*: *Frigus non ſentiat, balneis lavet, & molliter dormiat*. Frigus eſt ulceribus inimicum, lavare balneo in ſuperioribus partibus, ubi adeſt ulcus, humidum iſti infenſum vetat; inferioribus ergo ſolùm adhibendum, ut humores à parte affecta revellantur, & ut citior ſuccedat exſiccatio, cui conferet, à balneo in tota maſſa humorum attemperatio, & impartita dulcedo. *Molliter dormiat*, ne preſſio corporis duri in ſomno latus moleſtando morbum in eo exaſperet.

Et ſi hunc morbum curans, celerrimè ſanum facies. Sola victus ratione, prætermiſſa omni purgatione, & ſanguinis miſſione, quam ſi requirerè videtur revulſio humoris à parte affecta, huic ſupplet diœta tenuis per decem dies, inducias promittente morbo non acuto, ſed longo, qui cùm ſit in parte ignobili circa coſtas, ubi ſunt venæ parvæ, non eſt timendum ejus augmentum à copioſo influxu materiæ in brevi temporis ſpatio, quod prohibere non valeat.

Hoc documentum nobis ſerviat in morbis, in quibus minuere plenitudinem poſſumus cum diœta, hanc amplectendo, prætermiſſa ſanguinis miſſione, à qua exhauſtis ſpiritibus, caloreque debilitato, fermentatio materiæ in Tuberculo, & ejus maturatio protrahitur.

Externa maturantia non proponit in hoc caſu; admittit tamen in aliis; quapropter non ſunt prætermittenda, imò ſunt neceſſaria ad præparandum ruptionem in parte externa, quæ ſi ſuccedat in interna, timorem magni mali incutit, ſi non ipſum malum pariat. Dicta maturantia ſuperiùs ſunt propoſita.

Cùm autem ſanus evaſerit, vitet frigus, calorem, Solem (fluxiones ab iſtis ſtimulantur) *& deambulationibus modicis utatur poſt cibum, ne laſſitudo corpus corripiat*. A tali deambulatione concoctio ciborum perfectiùs conficitur calore à motu excitato; deambulationes verò cum laſſitudine, eamdem concoctionem depravant. A dictis deambulationibus humores redduntur fluxiles, tranſpiratio totius vigoratur, cum maxima utilitate, prohibendo ſtagnationem humorum in parte à præcedenti morbo debilitata.

Ex his morbis, quoſcumque uſſeris porrum multum tritum ſuper uſturas imponito, & per diem unam ſinito; eſcheram enim ab uſtione citò, & cum facilitate auferri ſinit Porrum.

Hi morbi raro in praxi obſervantur, non quia raro ſuccedant, ut obſervatum fuit ab Hipp. ſed quia pro Pleuritide notha accipiuntur à Medicis parum verſatis in Medicina Hippocratica, & quia curantur ut Pleuritides, ſine præceptis ab Hipp. relictis; ideo etiam ruptio ad interna ſuccedit, cum periculo Empyematis, & aliqui Empyematici fiunt, ex defectu in Medicis cognitionis Tuberculorum in latere.

Ex his, quomodo ſint tractandi Tuberculi conſilio Hippocratis diſcere poſſumus.

CAP. XI.

De Sputo Sanguinis.

PEr multas partes corporis ſanguis præternaturaliter exit, inter has adeſt pulmo; hic ſanguinis exitus definitur communiter *Rejectio ſanguinis, cum tuſſi*, quam definitionem indicavit *Hipp. lib. de intern. affect. n. 1.* ubi enumerando ſymptomata hujus affectus propria, ait: *Primùm quidem tuſſis ſicca obtinet, deinde paulò poſt expuit ſalivam ſubcruentam, temporis progreſſu ſanguis amplior prodit, poſtea ſanguinis grumos paulatim, & frequenter emergentes rejiciunt.*

Ex eo quòd ſit *Rejectio ſanguinis*, convenit cum vomitu ſanguinis, cum fluxu hæmorrhoidali, & menſtruo ſanguineo immoderato, & à naribus. Ex eò quòd ſit *cum tuſſi*, differt ab omnibus ſupradictis fluxibus, qui ſunt ſine tuſſi, & demonſtratur pars affecta, ſedes principalis hujus affectus, nempè pulmones, quorum labis ſignum eſt tuſſis cum excreatione; vel ſputo materiæ pulmonum irritativæ, & in eis exiſtentis; nam licèt dentur tuſſes à vitio ventriculi, hepatis, diaphragmatis, ſunt ſiccæ, non cum ejectione materiæ, niſi ejus, quæ exprimitur à vaſis pulmonum, & glandularum trancheæ à tuſſis conatu. Nec admittenda eſt illorum ſententia, qua determinatur ſanguinem fluere poſſe à capite, pèr tracheam ad pulmones, deinde per tuſſim expelli, ſine vitio pulmonum. Stante evidentia, quam habemus, nec pituitam à capite, nec humorem ſeroſum per tracheam deſcendere, & ſi à rupto vaſe in confinio cerebri, vel in faucibus ad oris cavitatem flueret, per os exiret, & ſi etiam deſcenderet in pulmones, & per tuſſim poſtea rejiceretur, tuſſis eſſet ſignum ſanguinis in pulmonibus exiſtentis.

Cauſam ſputi ſanguinis exulcerationem arteriæ, vel rupturam venæ, *cit. loc.* determinat *Hipp.* his verbis: *Si pulmonis arteria fuerit exulcerata, aut aliqua tenuis venula, ex his, quæ in pulmonem dependent, rupta fuerit*. Addit rupturam aſperæ arteriæ, dum ſubjungit: *Aut aliqua fiſtula* (ideſt ramificatio aſperæ arteriæ) *& aliam in aliam diſtracta fuerit* (legit *Foeſius*: *& inter ſe confringantur*) *& ſanguine fuerint impletæ.* Quomodo verò ab arteria aſpera fluat ſanguis, & hæc impleatur, ſi rupta fuerit, explicat anatomica demonſtratio pulmonis à doctiſſimo *Malpighio* patefacta de bronchiis, quæ non ſunt niſi ramificationes aſperæ arteriæ unitæ cum veſiculis, cum tali textura, ut pateat aditus à bronchiis ad veſiculas, & ab iſtis ad bronchia; per veſicularum ſubſtantiam vaſa ſanguifera minutiſſima, & penè inviſibilia, & niſi microſcopii beneficio apparentia diſſeminantur; ſi hæc vaſa rumpantur, in cavitatem veſicularum transfunditur ſanguis è ruptura exiens, ab hac ad bronchiorum ſpatia tranſit, & per ſputum ejicitur.

Rupturam ergo ſolùm vaſorum, vel iſtorum ulcerationem cauſam immediatam ſanguinis ſputi voluit Hipp. quæ *Diæreſis* communiter dicitur, excluſa *Anaſtomaſi*, & *Diapediſi*, quæ communiter inter cauſas ſanguinei fluxus deſcribuntur, cùm de iſtis nunquam *Hipp.* verba fecerit *n. 2. cit. lib.* ubi affectum pulmonum deſcribit cum aliquo ſanguinis fluxu, ait: *Si verò arteria convulſa fuerit*; legit *Foeſius*: *Si arteria divellatur*, quòd continui ſolutionem ſignificat, per quam ſanguis exire poteſt. Et idem aſſerit *lib. 2. de morb. n. 51.* ubi habet: *Si vulnerata fuerit arteria, tuſſis habet, & ſanguinem tuſſiendo rejicit*, & de arteria non vulnerata ab accepto vulnere extrinſeco loquitur, ut patet ex ejus curatione, ſed de arteria rupta ſine vulnere inflicto intelligendus Hipp. & magis hanc ſententiam demonſtravit *in cit. n. 1. de intern. affect.* ubi, enumerando cauſas externas ſputi ſanguinei, ait: *Propter laborem, propter curſum, ob caſus, ob plagas, ob vomitus violenter obortos, ob febres*, quæ omnia ruptioni vaſorum ſerviunt, non *Anaſtomaſi*, *& Diapediſi*; & majorem confirmationem recipit ab anatomica obſervatione, demonſtrante vaſa pulmonum ſanguiflua, nempe arterias, & venas, quæ à corde ad pulmones ſanguinem ferunt, & quæ à pulmonibus ad cor deferendum ſuſcipiunt, conjungi ſimul, unumque corpus, retis inſtar efformare, & circulationem ſanguinis in dictis vaſis confici, ſine ulla extravaſatione; quapropter conſtat in iſtis vaſis nulla eſſe orificia, quæ aperitione ſanguinem in copia fundere poſſint in pulmonum ſubſtantiam. Anatomica obſervatio demonſtrat etiam arteriam bronchialem à *Ruiſvich* detectam, & deſcriptam *lib. de Valvulis lymphaticarum venarum*. Hæc arteria diſſeminata per bronchia, veſiculas, & interſtitia pulmonum in ca-

in capillares ramos extenuatur adeò ſubtiles, ut viſum effugiant, & niſi microſcopio detegantur, unio illorum vaſorum, quæ in retis formationem uniuntur, liberæ circulationi ſanguinis per pulmones ſerviunt, & extravaſatio ſanguinis ab iſtis prohibetur, ne ſua mora in bronchiis, & veſiculis impedimento eſſet aeris ingreſſui, & egreſſui. Hanc unionem vaſorum agnovit *Hipp. lib. de intern. affect. n. 6. Venæ pulmonum cum ſanguine, aut atrabile impletæ fuerint venulæ, aliæ in alias rumpuntur, ut quæ anguſtis ſunt concluſæ, & exitum non habeant*, quo ſtante excluditur aperitio orificiorum arteriarum ſub *Anaſtomaſi* cadentium, cùm ſequi non poſſit unitis ad invicem venis, & arteriis in rete prædicto; ideo rejicienda omninò eſt in ſputo ſanguinis aperitio orificiorum in iſtis vaſis, cùm orificia in eis non reperiantur, ob unionem vaſorum rete conſtituentium; neque expectanda dicta cauſa in arteriæ bronchialis orificiis, cùm hæc adeò exigua ſint, ut viſum effugiant, non poſſint effundere illam ſanguinis quantitatem, quæ quandoque per tuſſim ejicitur, & ſi etiam dilatarentur, non poſſet exilium vaſorum tantam conſequi dilationem, quantam exigit copioſa quantitas ſanguinis rejecti.

Diapediſis excluditur ab atteriarum conformatione ex triplici tunica, quarum media eſt valdè craſſa, quia muſculoſa, unde impoſſibilis apparet rarefactio talis poroſitatum in arteriis, ut per eas exſudet ſanguis, & iſtis excluſis remanet ſolùm, ut ſanguis per ruptas arterias in ſputo illius exeat; nunquam verò, vel raro à venis, cùm iſtæ revehant ſanguinem ad cor, & hic ſemper fluat in iſtis, tranſeundo à ſpatio anguſto in amplum, in quo ruptura majorem invenit difficultatem.

Inter cauſas ſputi ſanguinei febrem enumerat, quia efferveſcentia ſanguinis in iſta immoderata turgeſcentiam in arteriis inducit, & impetum ſanguini tribuit, ut ab utroque arteria rumpi poſſit.

Quæ de ſputi ſanguinis cauſa dicta ſunt cum Hipp. ab hac excludendo *Anaſtomaſim*, & *Diapediſim*, illi ſolùm propria ſunt, non cæteris fluxibus ſanguinis, ab aliis partibus, ob ſupradictam vaſorum unionem ſoli pulmoni propriam, cùm cæteræ partes diviſa ad invicem obtineant vaſa, & arteria ſanguinem effundat in carnium poroſitates, quem venæ abſorbent, vel in has impellitur impulſu ſanguinis arterioſi in cordis conſtrictione accepti, & ab arteriarum conſtrictione conſervati; præterquamquòd orificia vaſorum in iſtis partibus poſſunt ita dilatari, ut magnam copiam ſanguinis effundant in partem, vel ab impulſu valido arteriarum, & ſanguinis in partem, inſignis iſtius quantitas in carnes exundare poteſt, ut à venis reaſſumi non poſſit, ſtagnante in parte magna copia ſanguinis, à qua gravata illius expulſionem molitur inſito conatu, ut contingit in vomitu ſanguinis. Ex his patet, aperitionem vaſorum in aliis fluxibus admittendam eſſe; *Diapediſim* verò ab omnibus rejiciendam, ob rationem ſuperiùs dictam.

Si à ſola ruptura vaſorum ſanguis à pulmonibus exit, cauſæ magis remotæ hujus affectus illæ erunt, quæ rupturam efficere valent, & ab *Hipp.* deſcribuntur *in cit. loco de affect. intern.* Rumpuntur ob has maximè cauſas: *Propter laborem, propter curſum, ob caſus, ob plagas, ob vomitus violentos* obortas, *ob febres*; omnes enim cauſæ iſtæ violenter vaſa movendo rumpunt, vel magnam copiam ſanguinis ad ea tranſmittunt, ut curſus, labores, vomitus violenti, à qua implentur, & à vi ſanguinis implentis diſrumpuntur, & hæc eſt cauſa principalis ſputi ſanguinei. Cauſa externa abſente difficile eſt rumpi vaſa continentia adæquatam ſuæ cavitati humoris quantitatem. Ad cauſas ruptioni vaſorum reduco humorum acrimoniam corrodentem vaſa, & hæc mihi videtur apertè ab *Hipp.* demonſtrata in verbis *in princ. text. 1. de intern. affect.* deſcriptis: *Si pulmonis arteria fuerit exulcerata*; in exulceratione comprehendit omnes cauſas iſtius, inter quas eſt acrimonia humorum.

Diſrupto vaſe retis ſanguiſluo in pulmone, bronchia, & veſiculæ iſtius implentur, cùm inter iſta ſit unio, & ſanguinis irritamento tuſſis excitatur, qua per ſputum iſte ejicitur; ita etiam ſi vaſa arterioſa magna, antequam in unionem cum venis coeant diſrumpantur, vel in tracheam, vel in bronchia ſanguinem transfundunt, cùm iſtis unita ſemper procedant. Hinc ſi vas magnum copiam ſanguinis vehens ruptionem, vel corroſionem patiatur, ſputum ſanguinis, copioſum efficit, ſi parvum ſanguinis quantitas rejecta pauca. Sanguinis etiam impetus, quantitatem moderatur ſputi; ſi enim impetu, & motu valido, & citato accepto, vel à corde, vel ab extraneo admixto fluat per vaſa ſanguis, è ruptura vaſis etiam parvi in copia exundabit, à qua ſine dicto impetu, & motu in copia diminuta exiret. *Vvilliſius* ad explicandam parvæ, vel magnæ quantitatis ſanguinis exeuntis cauſam, dividit pulmones in tres ſitus, in ſitum laryngi vicinum; in medio pulmonis, & in extremitate ejuſdem. In ſitu laryngis vas ruptum in tracheam ſanguinem in pauca quantitate effundit, & ab eadem exire dicit ſolo motu contractionis fibrarum motricium tracheæ, ſine tuſſi. Magna quantitas ſanguinis cum impetu exiens, ac ſi vomitu ejiceretur, à vaſis majoribus in medio pulmonum ruptis exire oſtendit, quia in hoc ſitu vaſa ſunt magna, & dilatata. Ab ultima extremitate pulmonum, cum vaſorum læſione ſanguis erumpit in parva copia, & per vices, & cum tuſſi frequenti, & ſæpiùs repetita.

Cauſas remotas magis accipiemus ab eis, quæ plenitudinem ſanguinis colligunt, vel effervescentiam immoderatam cum turgentia ſanguini communicant. Craſſities ſanguinis motum circulationis retardando, plenitudini vaſorum ſervit, quæ ſuccreſcit etiam in vaſis obſtructis, & ſi acrimonia depravatus fuerit, corrodit vaſa. Redundantia humoris ſeroſi in bronchiis, & veſiculis pulmonum comprimendo vaſa ſanguiflua, & ſanguini circulanti obſtaculum ponens, eorum plenitudinem auget; qua de cauſa quandoque à magna tuſſi humida, & ab Aſthmate ſputum ſanguinis obſervamus.

Signa deſcribuntur ab *Hipp. in cit. text.* in his verbis: *Primùm quidem tuſſis ſicca obtinet* (ab irritato vaſe à qualitate, vel quantitate ſanguinis) *deinde paulò poſt expuit ſalivam ſubcruentam* (quia in principio rupturæ parva eſt eroſio vaſis, & parva ab hac ſanguinis quantitas exit, quæ mixta cum humore ſeroſo à glandulis tracheæ exſudante, hanc tingit, & ſaliva cruenta fit) *aliquando verò puram* (quia ſanguis à parvo foramine, quo vas in principio perforatur, non ſemper exit, vel ob craſſitiem iſtius, vel ob concidentiam, & approximationem labiorum foraminis; vel quia ſanguis etiam exiens non miſcetur ſalivæ, ſeu ſputo in pulmonibus, & ſputum exit ab alia parte ſana, ideò purum.) *Et ſi hic brevi à morbo liberetur, ſatis eſt.* His verbis aliquando ſputum parvum ſanguinis ulterius non progredi oſtendit, nec ad majorem morbum tranſire monet, vel quia cauſa rupturæ debilis ceſſat, vel quia ſanguis concreſcens in loco foraminis partium iſtius agglutinationem permittit. *Si verò non, temporis progreſſu ſanguis amplior prodit, aliquando purus, aliquando etiam ſubputridus; ſæpe etiam fauces non animadvertentibus ſanguine implentur*, hoc eſt, ſi non ſanetur, ſequuntur prædicta. *Sanguis amplior prodit*, quia foramen dilatatur, & prout alteratur, ob moram in parte, ratione cujus putreſcit, vel non alteratur; exit purus, vel putridus ſanguis; fauces implentur ſanguine, ob rationem Vvilliſii ſuperiùs allatam. *Poſtea ſanguinis grumos paulatim, & frequenter emergentes rejiciunt.* Grumeſcit ſanguis, quando extravaſatus ab eo expirat, vel ſpiritus ille calidus, vel ſalſus, a quo fluxibilitatem acquirit, & fibræ ille, de quibus agemus, de *Polypo cordis* uniuntur, & condenſantur. *Aliquando etiam graveolentia ab ipſis contingit* (dum portio ſanguinis putredine depravatur) *& fauces aliquando ſpuma quadam replentur*, & maximè in tuſſi inani, per quam humor ſalivalis à concuſſione vaſorum in copia transfunditur in fauces, & ab aere per tuſſim inſpirato, & expirato cum impetu agitatur, & agitatione ſpumeſcit. *Et rigor, ac febris apprehendit circa initia quidem morbi vehementer, progreſſu debiliùs*, quia magna effervescentia ſanguinis eſt cauſa rupturæ, & in hac magnæ febris, & vehementis natura fundatur; in progreſſu eſt debilis, quia minuitur effervescentia ſanguinis ab ejus ejectione. Rigor præcedit, dum membranæ pulmonum in principio febris vellicantur, & mordentur; membranas malè affectas ab irritante rigorem, & ſenſum frigoris percipere docet tremor poſt urinæ emiſſionem in tempore frigido, ob malè laceſſitam veſicam à frigiditate

aeris,

aeris, irritantia ore aſſumpta, ut Spiritus Vini, Piper, & ſimilia ventriculi orificium irritando tremore totum corpus concutiunt, & hoc ob connexionem, quàm habent omnes membranæ ad invicem, ut una affecta, omnibus communis evadit affectio, ita laceſſitis membranis pulmonis à vaporibus acribus in initio febris rigore totum corpus concutitur. *Et aliàs, atque aliàs corripit* (prout à parte rupta, & exulcerata ſanguis corrumpitur, & maſſæ humorali miſcetur eam febriliter fermentando) *& dolor quandoque in pectoribus inſitus eſt, & in dorſo, & in lateribus*. Eſt dolor in pectoribus loco ruptionis correſpondens; ubi eſt ruptura in parte ſenſitiva, ibi eſt dolor; pulmo ex membranis totus conflatur; vaſa ſanguiflua ſunt ſenſitiva, ideo iſtorum ruptura, & vellicatio, vel irritatio membranarum pulmonum dolorem parit. Latera, & dorſum dolore afficiuntur, quia pulmones, velut fibroſis ligamentis iſtis connectuntur, & per hæc paſſio pulmonum communicatur pleuræ, & pars læſionis particeps dolet. Nervi etiam muſculorum thoracis, cum nervis pulmonum communionem habent, & conſentiunt ad invicem, ut motui muſculorum obtemperent, nervi pulmonis, & motum nervorum iſtius obſecundent nervi muſculorum thoracis, ut probat *Vvilliſius tract. de nerv. deſcript. c.* 24. Non mirum ergo, ſi paſſio dolorifica nervos pulmonis afficiens, ob iſtius magnam læſionem, illis muſculorum circa thoracem communis fiat. *Et ubi ſanguinem ſpuere deſierit, ſalivam multam expuit, ſiquidem quandoque etiam viſcoſa*. In loco rupturæ, per quam exit ſanguis, fit temporis progreſſu ulcus ſanguis ad ulceratam partem fluens; ab hujus morboſo fermento alteratur, & in excrementum abit modò fluidum, modò craſſum. Facto ulcere, ſanguis ſiſtitur. *Atque hæc ſic patitur quidem, donec quatuordecim dies prateterierint. Poſt hos verò ſi non deſierit morbus*, hoc eſt, ſi non ceſſaverit & ſanguinis ſputum, & ſalivæ ejectio per tuſſim, & tuſſis ipſa, *ſquamas ab arteria*, intellige aſpera, *tuſſiendo evellit, quales à puſtulis decedunt*. Sanguine acri, à ſaliva, ſeu materia acrimonia donata, ſuperficies aſperæ arteriæ abraditur, à motu violento tuſſis ſuperficies illius deisjunguntur, unde facilis abraſio in particulas parvas, quæ unà cum materia per tuſſim excernuntur. *Et dolor incidit in pectus, & in dorſum, & in latus, & præcordia contingens, velut ulcus dolet*. Hæc ſunt ſigna ulceris facti in pulmonibus à ruptura, à quo omnes partes, cum pulmonibus conſentientes, ut dictum fuit ſuperiùs, afficiuntur.

Prognoſtica habentur *in cit. loc. in fine text.* ubi habet: *Morbus autem multa curatione opus habet; eſt enim difficilis; ſi enim curatus, & ſanus factus, non ſe ipſum cuſtodierit, pleriſque revertens morbus interitus cauſa fit*.

Curationem ſputi ſanguinis inſtituit Hippoc. primò motum ſanguinis reprimendo, quietem imperando, omnem laborem interdicendo, cùm ab iſtis dolor fiat acutior, & tuſſis magis premat, & rigor, ac febres augentur; à laboribus valdè commotus ſanguis, ad pulmones in magna copia fluit, dicta augendo ſymptomata. Ad hoc augmentum concurrit etiam agitatio humorum in pulmonibus exiſtentium, & partis ruptæ multa incaleſcentia, unde febris occaſio; id experimur in parte aliqua vulnerata, quæ motu defatigata dolet, & ab eadem defatigata, & excalefacta febris excitatur. Cibis frigidis, & ſiccis ſanguinis motum reprimere contendit, ideò piſces in menſa exhibet, ſed qui ſint melioris conditionis, ut *Squatina, Pagurus, Galæus*, quos condit *Rhoe*, hoc eſt *Seminum Sumach, & Origano*; Semen Sumach adſtringit, Origanum vulnera conſolidat; obſervatum eſt enim *Perdices, Ciconias, Palumbos* vulneratos Origanum imponere vulneri, & ſanati. Ulceri convenit adſtrictio, & conſolidatio his piſcibus, qui apud nos non inveniuntur, noſtri ſubſtituendi ſunt, nempè *Lucius, Perca, Truta, piſces Saxatiles* dicti, *Sturio, Ranæ, Gambari*. Inter carnes numerat carnem *Galli* aſſatam ſine Sale, & carnem *Capræ* coctam. Hujuſmodi alimenta dicuntur ſicca, quia parvo humido abundant, & exſiccatio rupturæ vaſorum conducit; iſtis alimentis addi poſſent *Columbi turriales, Perdices, Turdi*. Pro potu utitur *Vino auſtero vetuſtiſſimo, & jucundiſſimo, nigro*; in hoc, præter virtutem exſiccandi, qua ruptura conglutinatur, reperitur virtus balſamica ulcus in parte affecta conſolidans; in tali tamen moderatione exhibendum hujuſmodi Vinum, ne ſanguinem ad æſtum, & turgentiam ducat. Deambulationibus moderatis utatur æger, quales ſufficiant ad tranſpirationem fuliginum promovendam, non ad ſanguinem calefaciendum, & ad magnum motum excitandum. Hæc agit, ſi ſine febre ſit æger.

Si verò febris adfuerit, omni alimento, & obſonio ſolido interdicto (& ſi permittendum ſit, in parva valdè quantitate) quæ alvum ſubducant, *& ſimplicem ſorbitionem farinæ, aut Milii* concedit, quæ pro victu valdè tenui uſurpantur, qualem in febribus ſemper laudat Hipp. Purgationem permittit, ſi Medico videbitur neceſſaria, & talis erit, ſi indicans hanc aderit, nempe cacochymia, & redundantia humorum excrementitiorum, & abſente hoc, non admittere videtur purgationem Hipp. & ſi indicanti non adjungatur permittens, nempè virium robur. Contra hujus documentum faciunt Medici illi, qui indifferenter in omni ſanguinis ſputo, & ſputo copioſo purgationem præſcribunt. Pro purgatione utitur *Cnidio cocco, vel Tithymallide*; nos uti poſſumus mitioribus, & horum electio pendebit à natura humoris peccantis, & redundatis. *Foeſius* legit, *Aliquantulum purgato*, & denotatur lenis purgatio; hæc lectio eſt maximè conſona menti Hipp. qui totam curam in hujus affectus ablatione ponit in virium conſervatione, & in prohibenda extenuatione, & macie corporis. Poſt purgationem *Farina cocta pinguis*, ideſt craſſæ, *heminam ſorbendam* dari jubet; craſſa debet eſſe, ut ſorberi poſſit; hujus exhibitio, non tam abſterſionem humoris à purgatione in inteſtinis relicti, quàm vaſorum, per quæ fuit facta purgatio, corroborationem, & occluſionem reſpicit, ne purgatio ulterius procedat, obſervantibus nobis aliquando vim medicamenti, per aliquos dies perſeverare, & purgationem ſequi, cui pro virium conſervatione occurrere intendit Hipp. *Poſt purgationem, quam maximè reficiendum* eſſe; ait Hipp. & rationem reddit, quia *ad hujuſmodi morbum non conducit eſſe tenuis*. In macie humores fiunt acriores, conſumpto humido oleoſo, à quo attemperantur, & acrimonia vel rupturam dilatabunt, vel conſolidationi reſiſtent. *Deambulationes etiam primùm paucas faciat, ut ne laſſitudo ſuccedat*; in hac enim vires patiuntur, & eſt documentum univerſale in omnibus ægris, & convaleſcentibus, non permittere deambulationes ad laſſitudinem. cùm per hanc natura nunquam robur acquirat. *Fomentum aliàs, atque aliàs adhibendum* conſulit Hipp. Quod rationi repugnare videtur, cùm à fomento ſanguis incaleſcat, ſpiritus in majori copia excitentur in ſanguinis maſſa, & à calore, & à copia ſpirituum ſanguis impetum acquirit, quo per rupturam copioſiùs exit; vel eam non benè conſolidatam denuò aperit. Ad evitandum oppoſitum incommodum jubet Hipp. *die fomenti ægrum ſine cibo ſtare*, ne ab hoc ſanguis magis incaleſcat, *& hemina ſola farinæ cocta ægro ſatisfacit*, à qua ſanguinis fervor aliquo modo cohibetur, ob ſuam craſſitiem, *& Aquam pro potu* exhibet, ubi in aliis diebus Vinum generoſum: præbeat. *Sequenti etiam die minus cibi, quàm aliis diebus*, in eumdem finem præſcribit conceſſo Vino, & his omnibus occurrit damno à fomento imminenti. Iſtius verò uſum neceſſarium, & utile eſſe, ideòque non intermittendum. Suppoſito ſomentum fieri aqua calida, & partibus inferioribus utile eſſe colligo, quia à fomento vaſa magis dilatantur, & poroſitates partium capaciores fiunt, unde etiam majorem quantitatem ſanguinis prædictæ partes ſuſcipiunt, & quo major copia ſanguinis ad partes inferiores fluit, eò minor ad ſuperiores, & ad venam ruptam fluit, & ideò fluxus minoratur ſanguinis per eam. Fomento etiam macies retardatur humectatis partibus, & ſanguine ad earum nutritionem vocato in copia. *De cætero verò bis, aut ter in die cibi dato. Sic autem paulatim huic dato, donec ventrem confirmaveris*; legit *Foeſius*: *Sicque ſenſim exhibito, donec ventriculum ad priſtinum ſtatum revocaveris*; & rationem reddit, *quia ab inedia, & febribus* debilitatus fuit; *& ſi os appetit, & ventriculus ſuſcipere non poſſit*, quia gravatur à quantitate, *dum acervatim ſuſcipit, inflammatur*, quia cibi fermentatione æſtuant,

æſtuant, ob moram, quam in ventriculo trahunt deficientibus huic viribus, & ad bonam digeſtionem, & expulſionem, & maximè ſi æger labores reliquerit, & deambulationes, *Cùm ventriculis à laboribus, & deambulationibus non perfrigeretur*, quia à laboribus, & deambulationibus aperiuntur pori, & exitus fuliginibus ab æſtuante cibo exhalantibus paratur; intermiſſo verò labore, & deambulatione retinentur fuligines, quæ calorem in ventriculo majorem accedunt; & febrem etiam. Et cibi per quietem compacti, cum fibrarum ventriculi debilitate, exitum è ventriculo nec quærunt, nec inveniunt. A motu verò laborum, & deambulationum fibris aliqualis impetus impertitur ſufficiens ad cibi expulſionem; quapropter hoc deficiente, cibos, præ quantitate, ventriculo graves quieſcere in eo oportet; data verò parva cibi quantitate, hæc omnia declinamus, parvitati verò cibi ſupplendum cum reiterata ejus exhibitione. *Hunc quam maximè reficere oportet, quo quam craſſiſſimus fiat*, quod inſinuavit etiam *lib. 2. de morb. n.51.* A craſſitie ſignum conſolidati vaſis habemus, & optimi ſanguinis apti ad nutritionem, ſine timore plenitudinis, conſumpta magna iſtius copia in nutritione abundanti; & licèt *Hipp. in lib. 1. de morb. n.10.* agendo de rupta vena in pulmonibus, & de iſtius curatione, imperet diœtam, à qua, *quam ſicciſſimus, & exanguiſſimus fiat*, advertendum, ibi loqui de curatione ſuppurationis à ſanguine è rupta vena extravaſato in pulmones, non de curatione ſputi ſanguinei; in illa pro conſumptione puris diœta prædicta convenit, in hac pro conſolidatione rupturæ, & attemperatione humorum diœta impinguans, quæ niſi ſputo intermittente adhibenda, & vaſe occluſo, à quantitate enim ſanguinis fluxus perſeveraret. Alia legantur in textu ſatis clara.

Remedia ad conſtringendum fluxum proponit Hipp. *Radicem Centaureæ, & minor* accipienda inter vulneraria deſcripta. In hunc finem valet *Vinca Pervinca in vino infuſa per 24. horas, vel in aqua decocta, bibendo vinum, vel aquam manè jejuno ſtomacho. Nummularia*, eodem modo præparata, idem præſtat; ſicut *Radix Tormentillæ in pulverem exhibita ad ʒ. ii. in Aqua Plantaginis*, vel *cum decocto Conſolidæ, Aqua à tota planta Tormentillæ diſtillata* idem præſtat. *Cinis Sarmentorum Vitis ad p. i. in Aqua Plantaginis ſumitur, vel in Aqua communi. Folia Vitis, quæ rubeſcunt, integra, & ſana, ante vindemiam collecta, & exſiccata, & in pulverem redacta, ad ʒ. ii. exhibetur pulvis in Aqua communi, vel Plantaginis. Aqua Stiptica, ab Hoffmano in Clavi Schroderiana cap. 39. lib. 2. deſcripta, cum petiis in ea madefactis pectori applicata*, ſiſtit ſanguinem; *ſumitur etiam à ℈. ß. ad ℈. i. in Aqua Centinodiæ. Liquor etiam Stipticus Joann. Cornel. Vveber, eodem loco deſcriptus, & eodem modo adhibitus*. Ab eodem *lib. 3. cap. 2. Spiritus Terræ ſigillatæ* proponitur, admirabilis virtutis in omni ſanguinis fluxu, & ſic paratur.

℞. *Terræ ſigillatæ minutim contritæ,*
affunde Spiritum Vitrioli, digere, abſtrahe, iterum affunde, id & materia coagulabitur in lapidem durum, pulveriza, pone in cella, & ſolvetur in liquorem, qui exhibetur à ℈. ß. ad ℈. i. in ſucco Portulacæ. Præparetur *Opium* modo deſcripto *in Syſtemate meo: Hujus*

℞. *Gr. viii.*
Pulv. Polygoni ʒ. i.

exhibetur cum Aqua Portulacæ, vel Decocto Burſæ Paſtoris. Cortex Ovi recentis, detracta pellicula interna, exſiccatur in furno, cavendo ne rubeſcat, in ſubtiliſſimum pulverem reducitur, ad ʒ. ii. exhibetur cum Aqua Plantaginis. Caudæ equinæ cinis, in Aqua Plantaginis, ad ʒ. i. exhibita. Decoctio in Vino foliorum Salicis. Decoctum vulnerarium Quercetani ad ℔. i. cum ʒ. i. Philonii Perſici.

℞. *Cort. interioris Glandis, pulpæ adhærentis, ʒ. i.*
Thuris ℈. i.
Boli Armenæ ℈. ß. M. F. P.

exhibendus cum Decocto Scabioſæ, Plantaginis, & Portulacæ. Vel

℞. *Chamædryos m. ii.*

contunde, infunde in Aqua Sabioſæ, & Vino auſtero, exprimatur, calefiat, & exhibeatur. Vel

℞. *Schænanti m. iii.*
bulliant in Vino rubello ad conſumptionem tertiæ partis, da manè, & ſerò. Valet etiam *Pulvis Scaligeri:*

℞. *Spodii*
Boli Armenæ }
Terræ ſigillatæ } *a. ʒ. v.*
Hematites }
Corall. rub. }
Charabe }
Margar. præp. }
Gummi Arab. }
Tragacanthi }
Sem. Papav. albi } *a. ʒ. ii.*
Malvæ }
Roſarum }
Plantaginis }
Juſquiani }
Cornu Cervi uſti }
Amyli torrefacti ʒ. iii. M. F. P.

ad ʒ. ii. datur in Decocto vulnerario, vel ex Polygono, & Burſa Paſtoris, & Conſolida parato. Amylum in aqua decoctum ad inſtar panatellæ, per menſem integrùm manè ſumptum, valet multùm.

Proponit etiam Hipp. pro tuſſi, quæ in ſputo ſanguinis, & poſt hunc moleſta eſt, *Dracontium pulverizatum, & Melle mixtum, & lambitivi more deglutitum*. Exſiccare, incidere, attenuare creditur ſequens Electuarium, & etiam pro tuſſi valet:

℞. *Sem. Papaver. alb. ℥. ii.*
Liquiritiæ }
Paſſul. } *a. ℥. ß.*
Fol. Scordii ℥. ii. Decoquantur in Aqua Farfaræ vaſe clauſo, colat. adde
Sacch. Penid. ℥. ii.
Amyli ℥. iii.
Tragacanthi }
Gummi Arab. } *a. ℈. i.*
Bol. Arm. ℥. ß. Pulv. cum dicta decoct. F. Elect. lambitivi more accipiendum.

In loco iſtorum ſubſtituit Hipp. *Lac bubulum*, cui addatur tertia pars *Aquæ Mulſæ*. Quantitatem Lactis determinat cum adverbio, *quamplurimum*, & poſſet determinari Lactis quantitas talis, ut alvum non moveat; datur ad nutritionem, & impinguationem, quæ non præſtat Lac, ſi alvum movet, & in ea majori quantitate accipiatur poſſibili, ab ægri ventriculo tolerabili, & citra alvi motionem. Magna Lactis quantitas non admittit prandium; hoc ergo prætermittendum, & ſola cœna gaudeat æger; neque Lac exhibendum ſtatim poſt copioſam ſanguinis effuſionem, juxta *Hipp.* documentum *aphor. 64. ſect. 5.* exaratum: *Lac malum, & quibus ſanguinis multi egeſtio facta eſt*, & ratio eſt, quia ventriculus à ſanguinis copioſa effuſione debilitatus uſum Lactis non admittit, & in eo corrumpitur. Vires, & calor ægri primò remittendus cibis optimi ſucci cardiacis, & calori nativo amicis remediis, & poſtea accedendum ad Lactis uſum; quod documentum, vel ignoratum, vel non intellectum à vulgaribus Medicis ægros præcipitat. Hoc remedio utendum, donec æger *craſſefactus* fuerit, in quo caſu ad ægri præſervationem, *Ægrum in pectore, & dorſo urit*, & ſubjungit, *ſi ſucceſſerit uſtio, fugæ morbi ſpes eſt*. Modum inurendi videat Lector apud *Martianum in comm. lib. de affect. verſ. 25.* & apud *Proſperum Alpinum lib. de Medic. Ægypt.* Rationem hujus remedii fundatam cenſeo in copioſa pulmonum tranſpiratione per ulcera inuſta, prohibente turgentiam ſanguinis, & ejuſdem acrimoniam moderante fuliginum expiratione, & etiam derivationem ſanguinis à pulmonibus, fluente hoc in majori copia ad dolentem, & exulceratam partem.

De ſanguinis miſſione mentionem non facit Hipp. in hoc affectu, ſicut neque *in n. 2. lib. cit. de affect. intern.* neque *in lib. 2. de morb.* ubi agit de ſputo ſanguinis; ex quo deduci poſſe videtur, non admittere Hipp. hoc remedium, & tamquam non neceſſarium, nec indicatum ab hoc affectu prætermittere. Verùm quia video *in lib. 1. de morb. n. 10.* venæ ſectionem proponere in ſputo ſanguinis, perſuaſus ſum, Hipp. hujuſmodi remedium non rejicere in hoc affectu. Ejus ſententiam colli-

colligemus circa hoc remedium, ponderato *text.* propoſito *libr.* I. *de morb.* ubi habet: *Et ſi magis repleta fuerit vena, ipſam ſanguinis copiam acervatim à ſe ipſa revomit.* Et agendo de curatione, ait: *Conducit autem talibus, ſi ab initio curandos ſuſcipias, ut & venæ de manibus ſanguinem emittant, & diæta à qua quam ſicciſſimus, & exanguiſſimus fiat.* Qualis verò ſit æger in principio, in quo ſanguinis miſſionem imperat Hipp. oſtendit ſuperiùs his verbis: *Hic ſi anticipetur incipiente morbo, priuſquam venæ ſanguinem fundant, ac fortiter laxetur, & priuſquam attenuetur*; & cùm ſuperiùs etiam dixerit *venas eſſe ſanguine impletas*, concludendum, ex Hipp. mittendum eſſe ſanguinem priuſquam venæ impletæ ſanguinem, intellige copioſum, fundant & fortiter laxetur vena, hoc eſt, quando prima ſanguinis ſputa, & parva copia iſtius rejecta fuerit ad minuendam plenitudinem venarum pulmonis, & fluxum ſanguinis copioſum aliò evocandum; diminuta enim plenitudine, à qua ruptura vaſorum imminet, hæc prohibetur, & æger in tuto ponitur; facta verò ruptura, ſuperflua viſa fuit Hipp. ſanguinis miſſio, hac ad illius medelam nihil conferente. Concludendum ergo, Hippocratem venæ ſectionem probare apparente ſanguinis ſputo, copioſo verò ſecuto, non admittere; & ſi verum ſit in parte ſecatæ venæ celeriorem ſanguinis fluxum evadere, & conſequenter iſtius copiam in dicta parte augeri, non eſt verum minorem copiam ſanguinis ad partem affectam fluere in noſtro caſu, quia foramen eſt in vaſe pulmonum; & ſicuti foramen apertum in vena ſcalpello eſt cauſa, per quam fluit ad partem, in qua aperitur foramen ſanguis citiori curſu, & in majori copia; ita apertum foramen in ruptura vaſis pulmonis, id efficiet, & ſi non eo tempore, in quo aperitur vena ſcalpello, & in quo fluit ſanguis à ſecta vena, obturato foramine id eveniet, illo venæ ruptæ in pulmone aperto remanente.

De alio ſanguinis ſputo agit *Hipp. in libr. cit. de intern. affect. n.* 2. non à vena, ſeu arteria rupta, & ut ait ipſe, *ab arteria convulſa*, legit *Foeſius*, *divulſa*; per divulſionem enim fit in vaſe parva fiſſura fibrulis aliquibus vaſis à proximis valdè diſſociatis, per quam exit ſanguis, ſed in pauca quantitate, ut colligitur à ſignis deſcriptis in textu; à divulſione irritativa fit tuſſis ſicca, & ſanguis hærendo in fiſſura, cùm liberè exire non poſſit, in pus vertitur. Hic morbus dicitur pejor priori, in quo adeſt ruptura vaſis, & copioſior ſanguinis effluxus, quia periculum imminet inflammationis ſanguine circa repturam hærente, & putreſcente, & ſanguine etiam in cavitate vaſis ob copiam ſtagnante, ideòque facilis eſt inflammatio, quæ pejor eſt ſanguinis fluxu; qua de cauſa jubet Hipp. ſi febris adfuerit, non eſſe purgandum, accepta febre pro ſigno factæ inflammationis, in cujus principio purgationem prohibet *libr. de rat. vict. in acut.* & ſi in caſu præcedenti purgationem præſcribit febre ſuperveniente, id agit, quia in ſanguinis ſputo copioſo, prout in eo caſu ſuccedit, inflammatio non eſt timenda. Curationem tamen inſtituit modo ſupradicto quoad ſanguinis ſputum, quia reſpectu hujus, ſunt eædem indicationes; & ſi ſuppuratus fuerit, modo de ſuppuratione dicto curationem inſtituit.

Alium ſputum ſanguinis deſcribit *lib.* 2. *de morb. n.* 51. cujus explicatio à dictis colligi poteſt.

CAP. XII.

De Catarrho.

SEminarium multorum morborum eſt Catarrhus, non tantùm unam aliquam determinatam partem, ſed ferè omnes tangit ſua labe; pulmonibus, faucibus, & palato frequenter eſt noxius.

Definitur *Depoſitio humoris aquoſi in aliquam partem, cum læſione operationis iſtius.* Eſt *depoſitio*, quia aliundè fluit Catarrhus ad partem, non generatur in parte affecta, ſed in ea colligitur ab alia origine tranſmiſſus; eſt depoſitio permanens, alioquin non affligeret partem, ſaltem diu, ſi ſolùm tranſeunter partem luſtraret, ſtagnando, & permanendo in parte, vitium, & moleſtiam diuturnam imprimit. Eſt depoſitio *humoris aquoſi*, quia ſi ab uno loco ad alium fertur Catarrhus, fluidum velut aquam eſſe oportet; ſi craſſus eſſet, in ſua origine firmaretur, & cùm per anguſtos capillarium vaſorum meatus tranſire debeat, fluendo ad partem determinatam, tenuitatis, & fluxibilitatis beneficio indiget. Eſt depoſitio *in aliquam partem*, quia non unam tantummodo pro ſui ſubjecto nactus eſt, ſed varias, & ferè omnes totius corporis, ita ut Catarrhus ſit vel morbus, vel cauſa morbi toti corpori communis, & pro partis diverſitate variam denominationem aſſumit. Si ad pulmonum fluit bronchia, tuſſim parit; ſi ad cavitatem illorum, Hydropem pulmonum; ſi ad coxendicem, Iſchiadem; ſi ad articulos, Arthritidem facit. Hæc depoſitio humoris aquoſi in partem, ad hoc ut morbi ſit cauſa, *læſæ operationis partis*, in quam deponitur, oportet eſſe cauſam.

Originem Catarrhi cerebro donarunt Antiqui Hipp. ſecuti, qui *lib. de carn. n.* 17. ſcribit: *Ubi cerebrum ipſum de ſe ipſo plurimum liquefecerit, in palatum, fauces, pulmonem, ac reliquum ventrem, ac corpus diſtillat*; & *in lib. de gland. n.* 7. *Facit autem morbos cerebrum, cùm in infernas corporis partes redundantiam, ac ſuperfluitatem ſuam ablegarit*; & *n.* 8. *ejuſd. lib.* ait: *Fluxiones de capite uſque ad ſecretionem contingunt, per aures ſecundùm naturam, per oculos, & per nares, & hæ tres ſunt, & aliæ per palatum in guttur, & gulam*, ut apertè docet *lib. de loc. in hom.* & *in lib.* 4. *de morb. n.* 7. apertis verbis oſtendit, dum ſcribit, *Si ubi bibit, aut edat, quid pituitoſi homo non rurſum exeat, quod redundat, neque per os, neque per nares, neceſſe eſt ipſum manere in capite, aut ad corpus deſcendere de capite, & ad ventriculum pervenire*; & *n.* 2. *cit. lib.* dicit, *Caput fontem eſſe pituitæ*. Viam deſignarunt à capite ad partes inferiores, Infundibulum, per quod defluit ſeroſitas, & à ſubjecta glandula pituitaria excipitur, & ab hac ſenſim extillando oſſis cuneiformis, ſeu ſellæ turcicæ, poroſitates penetrando in palatum deſcendere. Aliam etiam viam Medici humori à capite fluenti aſſignarunt, nempè proceſſum mamillarem in principio narium, ab hoc ad os cribriforme, & per ejus foramina ad nares, & ab his per foramen cum palato conterminum ad fauces, & per tracheæ parietes ad pulmones.

Verùm hæc ſententia à Recentioribus falſitatis convicta per experientiam adductam, quæ oſtendit connexionem glandulæ pituitariæ cum vena jugulari, à qua probatur tranſitus humoris in dicta glandula collecti ad venam jugularem, & ejus reditus ad ſanguinem, & ad cor. Aperiatur vena jugularis paulò infrà tortuoſum ſinum, ſyphone injiciatur in aperturam aqua, hæc propè glandulam diverſis in locis erumpet, certiſſimum argumentum connexionis glandulæ pituitariæ cum vena jugulari, & tranſitus dictæ glandulæ humoris ad jugularem. Addunt, in homine os cuneiforme impervium eſſe, ita ut nulla pateat via humori deſcendenti à glandula ad palatum; & in animalibus, in quibus os prædictum eſt poroſitatibus ſenſibilibus perforatum, has poroſitates, & vacuitates à vaſis quibuſdam cavis impleri, quibus ſi liquor ater per ſyringam injiciatur iſte oſſis compagem trajiciens, plurima alia vaſa oſſi ſubjecta, ac demum venæ jugularis truncum pervadit, & hoc certum inditium eſt, humorem glandulæ minimè in palatum deſcendere. Vaſa autem, quæ oſſis foramina obducunt, quæque numeroſius eidem ſubjiciuntur, aut venæ, aut lymphæ ductus eſſe videntur. Talia experimenta, & corporis conſtitutio prædicta, ſi Hippocrati nota fuiſſent, humoris defluxum à capite in palatum utique non admiſiſſet, & ſi viveret, cum Recentioribus ſentiret, & rigidè increparet contumacem ignaviam illorum, qui prædictum defluxum ſuſtinent contra experimenti evidentiam, cui contradicere extremum eſt ignaviæ. Pro hac ſententia vide *Vvilliſium de Cereb. Anat. capit.* 12. *Louver tract. de Corde fol.* 159. *Rolfinc. Diſſert. Anatom. lib.* 2. *cap.* 2. *Scheiner lib.* 3. *de Catarrho*.

Aliam viam excrementorum ad nares *Stheno* detexit. Invenit in interiori narium tunica, ſeu membrana duo vaſorum lymphaticorum genera, unum longum, alterum breve. Hæc, compreſſa eadem tunica, fiunt manifeſta. Oriuntur hæc vaſa ab effuſis glanduloſis portioni-

tionibus dictæ membranæ interioris, quæ in anteriori parte naſi ſunt minores, in poſteriori majores; à minoribus vaſa breviora diſcedunt, quæ compreſſione ſolùm fiunt manifeſta? à majoribus in poſteriori parte à glandulofis portionibus ortis multæ vaſorum radices proficiſcuntur, quæ in ramum ſatis patentem ſtyli capacem confluunt & per narium latera progrediendo, in ſinum intrà cartillaginoſam alarum protuberantiam ſitum humorem contentum exonerant. Hunc humorem accipiunt dicta vaſa à glanduloſa portione ſupradicta, & ab arteriis in illis implantatis; hic eſt humor per nares excretus, qui non à cerebro, ſed ab arteriis provenit.

Alteram viam *Gulielmus Brig. in ſua Ophtholmographia* deſignavit, ab oculo ad nares. A glandula lacrymali internum oculi angulum occupante duo, vel tria vaſa lymphatica oriri obſervavit, quæ per anteriorem palpebræ partem excurrunt, in hacque deſinunt, & expreſſa lympha irrigant. Hæc, poſt palpebræ irrigationem, in duos meatus, ſeu puncta lacrymalia, & canaliculum à *Sthenone* in narium oſſe repertum, devolvitur, & per iſtius cavitatem excurrendo, per nares expellitur. Hinc eſt, quòd in fletu copioſa lympha exeunte, portio iſtius per nares extillat, & in Catarrho obſtruente nares impedito exitu lymphæ ad eas dimiſſæ, cum lacrymatione oculorum exit; hæ ſunt viæ excrementorum ad nares, excluſo cerebro.

Aliam Catarrhi generationem deduxerunt Antiqui, etiam ab *Hipp.* qui *in lib. de morb. n. 6.* caput *cucurbitam* appellat, & pituitam à cibis in ventriculo generatam, & in vapores attenuatam attrahere, eo modo, quo cucurbita attrahit carnem; & ſicuti obſervamus in diſtillatione herbarum, & aliarum ſubſtantiarum, vapores aſcendere ad cucurbitam ſupra alembicum poſitam, & ibi in aquam condenſari ab ambientis frigiditate; ita ex vaporum aſcenſione ad caput à ventriculo, meſſenterio, & inteſtinis Catarrhum generari concluſerunt à frigiditate cerebri, condenſatis in aquam dictis vaporibus.

Hæc ſententia diu ab antiquitate celebrata, & amplexata, à Recentioribus impugnata, & oppugnata fuit, unà cum via Catarrhi à cerebro ad palatum, & partes inferiores, quia non datur iſta attractio, niſi modo aliàs explicato ex *Hipp.* ſententia *in libr. de loc. in hom. num.* 15. & maximè excludenda eſt iſta humorum attractio, admiſſa ſanguinis circulatione, qua humores ad omnes partes feruntur, non ab iſtis trahuntur, nec refrigeratio vaporum aſcendentium ad caput, per quam condenſentur, & in aquam vertantur admitti poteſt, cùm cerebrum, licèt per temperamentum à mixtione ſubſtantiæ ſuæ propriæ reſultans eſſet frigidum, à calore tamen ſanguinis copioſi per innumeras arterias membranis ſuis infixas circulantis valdè incaleſcit; talis calor eſt major calore vaporum aſcendentium, idcircò iſti non poſſunt condenſari, ſed potiùs magis attenuari, & rarefieri.

Stante hujus ſententiæ improbabilitate, originem, & ſedem Catarrhi diligenti attentione proſecuti ſunt Recentiores, & detectis vaſis lymphaticis, & uſu glandularum in partibus aliàs incognitis, multa de Catarrhi generatione pronunciarunt. Lympham, & ſerum ſanguinis concreſcibile, pro Antiquorum pituita accipiunt Recentiores, & quidem conveniunt in qualitatibus, cum illis pituitæ donatis, ex quo utrumque eſſe materiam Catarrhi conſentiunt. Sedes ergo Catarri, & ejus origo invenienda in horum humorum ſede, & origine.

Sedem, & originem Lymphæ eſſe in glandulis, cum *Sthenone in tract. de gland.* admittunt Recentiores oculari demonſtratione perſuaſi, cùm nullum detur vas lymphaticum, quòd non oriatur à glandula, vel in glandulam non inſeratur; idcircò rectè deducunt, Lympham eſſe humorem in glandulis præparatum, & per vas proprium excretorum, nempè per vas lymphaticum aliundè tranſmiſſum. Ab hac humoris lymphatici præparatione in glandulis vaſe excretorio donatis, deduxerunt glandulas omnes, quæ dicto vaſe excretorio carent, humorem lymphaticum præparare, cùm iſtarum conſtitutio ſit eadem cum illis, & arteria, & venas eas inveſtiat, & humor ab iſtis exiens ſit ejuſdem conditionis cum lympha, & vice vaſis excretorii aperitur in eis foramen parvum, per quod humor præparatus exit, prout patet in membrana faucium, palati, & vicinarum partium, tracheæ, & cutis, in quibus obſervare licet. In parte poſtica dictarum membranarum numeroſam glandularum congeriem, in quibus arteriæ, & venæ inferuntur, & nervorum ramificationes, & in antica oculis noſtris obvia, parvo foramine eſſe aperta, & ab hoc exire liquorem, quo membranæ dictæ obliniuntur. Hunc glandularum humorem nobis propoſuit *Hipp. in lib. de gland. n.* 1. ubi habet: *Si verò diſſeces* (intellige glandulas) *ſanguis largus erumpit ſpecie albus, & velut pituita.*

Sedes Catarrhi, & origo non poſſunt eſſe glandulæ excretorio vaſe lymphatico donatæ, eò quia tale vas humorem contentum ad aliquam partem ſolidam non ducit, ut plurimùm, prout oportet, cùm fluxio aliquam partem malè afficit, ſed vaſa lymphatica immediatè ſanguini contentum humorem conſignant, eximendo omnes partes ab iſtius læſione, interdicta in illas effuſione, ſed ſolùm illæ excretorio vaſe deferente carentes, & orificio ſolùm donatæ, debent cenſeri eſſe originem Catarrhi, cùm humor in glandulis præparatus in partes contiguas, & proximas depluere poſſit, & in iſtis retineri, & ratione iſtius qualitate, vel quantitate peccantis morbum in parte efficere, cujus cauſa dicitur Catarrhus. Hujus conditionis eſt membrana fauces, guttur, & palatum inveſtiens multis glandulis, ut ſuperiùs dixi inſtructa, è quibus copioſum humorem seroſum per apertas poroſitates effundit, ideò membrana pituitaria à *Scheinero* appellatur. Hujuſmodi copia humoris à neceſſitate circumſtantium partium irrigationis determinata fuit, cùm à continua aeris inſpiratione, & expiratione, à loquela diuturna, à maſticatione ciborum exſiccentur, & pro ſuo officio humectatione continua indigeant; ideo etiam continuo humore perfundi beneficio glandularum perforatarum Natura decrevit. Quòd ſi contingat à majori copia humoris dictas partes irrigari, quàm eorum neceſſitas determinet, & ab iſta earum ſtatus, & operatio lædatur, Catarrho præternaturam affici dicimus. Et in hanc ſententiam inclinaſſe videtur *Hipp. in lib. de gland. nu.* 2. ubi habet: *Glandulas in ſe ſuſcipere, & trahere, quod ſupernè in cavas partes, in quibus multæ adſunt influit, & ſi quid humiditatis in corpore gignitur, non ſtatim multa ſuccedit humectatio, cùm tum modica, & multa humiditas in glandulas conſumatur, & iſtius redundantiam cibi lucrifaciunt;* quibus videtur, ſedem humiditatis facere glandulas.

Duas ergo habemus Catarrhi origines, glandulas lympham in aliquam partem effundentes, & ſerum in arteriis cum ſanguine commixtum.

Ab eiſdem elicimus, cauſam materialem Catarrhi eſſe ſerum exundans in aliquam partem, vel à glandulis, vel ab arteriis, cum læſione operationum iſtius. Hujuſmodi ſerum Hipp. dicit *diſgregatum*, & tale debet dici, cùm à maſſa ſanguinis diſgregetur, ſive ab arteriis, ſive à glandulis proficiſcatur; quapropter cauſam immediatam fluxionis ſtatuit Hipp. diſgregationem unius humoris à conſortio aliorum, ut patet *lib. de morb. ſacr. numer.* 11. & omnium morborum *in libr. de nat. hum. num.* 6.

Cum materia Catarrhi, nempè ſero, conjungitur quandoque qualitas morboſa, & præcipuè ſecunda ſapida, unde eſt vel acida, vel ſalſa, vel auſtera materia Catarrhi, & has qualitates recipit vel à partibus materiam ſanguinis, vel ſanguinem concoquentibus, vel à vitio glandularum in earum fermento, vel temperameto, vel conformatione mala radicato; per malam conformationem, præcipuè poroſitatum glandulæ, admittunt particulas ſalinas diverſi generis, quas natura rejecit pro lymphæ præparatione, & pro quorum rejectione natura poroſitates ita efformavit, ut non eſſent capaces recipiendi dictorum ſalium particulas.

Cauſæ externæ ad Catarrhi generationem concurrentes ſunt omnes illæ, quæ ſeri copiam colligunt, ut copioſus potus, fructuum humidorum, & herbarum immoderatus uſus, depravata alimenrorum digeſtio in ventriculo præcipuè debili, cum imperfecta partium alimenti mixtione, dum humidum, & fluidum alimentorum

rum

rum cum partibus craſſis perfectè non miſcet, ex quo facilis iſtius ſeparatio, & exuberantia ſuper alias partes. Prohibita corporis tranſpiratio ſeroſitatem ſuperfluam congregat, fuliginibus, & vaporibus retentis in humidum ſeroſum condenſatis. Irritamentum in parte ſenſitiva, cogendo hanc ad motus inordinatos, ſpaſmodicos, conſtrictivos, & dilatativos, receptionem humoris ſeroſi, & ejuſdem expulſionem promovet, unde copia iſtius, durante irritamento in parte coacervatur, prout obſervamus in digito, in quo ſpina ſit infixa, hic intumeſcit à concurſu copioſo ſanguinis in eum expreſſo à vaſis concuſſis à motu ſpaſmodico digiti concepto per irritamentum ſpinæ, & hoc manifeſtum fit in doloribus, quibus ferè ſemper conjungitur tumor partis dolentis, qua ratione dixerunt Antiqui dolorem trahere humores ad partem. Irritamentum, quo validius, & diutius partem affliget, eò major erit fluxus ad irritatam partem. Accedit etiam ad fluxum promovendum conatus ſpiritus, & partis molientis irritamenti expulſionem, in hoc conatu expreſſa ſemper majori copia ſeri à glandulis partis, & ab arteriis in illius ſubſtantia diſſeminatis, tumor in irritata parte elevatur; & ſi ab hujuſmodi irritamento craſis partis præternaturalem ſuſcipiat alterationem, nutritio ejus pervertitur, & materia huic deſtinata in excrementum degenerat, cum augmento humoris in eam expreſſi.

Hippocrates, *in lib. de loc. in hom. n.* 15. tres aſſignat cauſas fluxionis, quæ ſunt cauſæ diſgregationis, frigiditatem, caliditatem, & plenitudinem, dum ait: *Fluxiones fiunt perfrigerata valdè carne, ac percalefacta, ac ſuperinflammata* (Legit *Foeſius*, *ſupertumefacta*.

A frigiditate fieri fluxionem per expreſſionem docet, dum pars à frigore conſtipata conſtringitur, & conſtrictione humor in ea contentus exprimitur; unde ſubjungit: *Quidquid inde expreſſum fuerit, idipſum quocumque contingerit fluit*. A caliditate fluxiones factas ita deſcribit: *Fluit etiam propter caliditatem, cùm partes rarefactæ tranſitus præbuerint, & humor calefactus tenuior redditus fuerit; omnis enim humor calefactus tenuior fit, & omne cedens fluit, maximè verò ubi fuerit valde inflammatum, propter hanc fluit cauſam.* De plenitudine loquitur *nu.* 16. *cit. libr.* ſic: *Carnes valdè plenæ factæ, cum capere non poſſint, fluit humor, qui capi non potuit, fluit autem quocumque contingerit; ubi verò ſemel fluidæ factæ fuerint fluxiones, diffluunt ad locum, quo tandem contigerit, donec tranſitus fluxionis compreſſi fuerint, propter gracilitatem.* In hac ſententia explicat cauſam fluxionis à plenitudine alicujus partis, à qua prohibetur receptio novi humoris, & ad aliam deſcendere cogitur, vel viciniorem, vel magis debilem, quod expreſſit in illis verbis, *quocumque contingerit*. Pars recipiens talem humoris quantitatem, cùm non valeat ſibi apponere, vel venæ illius reabſorbere non poſſint, in ea cogitur ſtagnare, & ſtagnatione morbum à fluxione parit. Hæc doctrina poteſt etiam applicari parti obſtructæ, nec humorem per ſua vaſa admittenti, expulſo ad aliam partem humore à parte obſtructa non recepto.

Aliam cauſam à plenitudine fluxionis colligimus ab *Hipp. in lib. de Inſomn.* ubi habet: *Repletione intus facta ſecretio contingit, quæ animam perturbat.* Quod ſecernitur eſt materia fluxionis, & morbi, ubi conſtiterit.

Secretio fit à plenitudine humoris in vaſis: Primò, quia per hanc augentur qualitates maſſæ humoralis ad iſtius diſſolutiones tendentes, cujus initium eſt ſecretio. Secundò, quia in plenitudine ſemper ſuperabundat aliquis determinatus humor ſua prævalentia renuens mixtionem cum aliis, & tali robore, ut totam maſſam ad diſſolutionem diſponat præcedente ſecretione humoris magis tenuis, & debilis, minuſque uniti cum aliis; hac ratione dicebat *Hipp. de Athletis*, *cum non poſſint in eodem ſtatu bonitatis perſeverare, neceſſe eſſe, ut in deterius decidant*; & hoc modo ſuccedit diſgregatio humoris à copia ejuſdem.

Cauſas caloris, & frigiditatis in fluxionibus dilucidat magis *Hipp. in lib. de morb. ſacr. n.* 11. ubi *fluxionem à calore fieri* ait, quia colliquat, attenuat, & maximè fluxibiles facit humores, & ſerum præcipuè; & quia in Pueris, ob humiditatis exceſſum, & mollitiem carnium, colliquatio eſt magis facilis, ideò etiam dicit, *Puerorum caput à Sole, vel ab igne percalefactum eliquari, & fluxionem pati*; & à Puerorum exemplo arguimus, eos humida nimis conſtitutione donatos, tam quoad ſolidas, quam quoad fluidas partes, fluxionibus valde moleſtari, ſi calori exponantur inconſueto, vel quocumque alio modo incaleſcant, ut humores liquari, attenuari poſſint. A frigore fiunt fluxiones contrario modo per concretionem, dum ab hac ſecernitur humor ſeroſus concreſcenti ſanguini permixtus, ut patet in Lacte coagulato, à quo concretionis medio ſerum ſecernitur, & demonſtravit *Hipp.* in illis verbis *cit. text. Segregatur autem à frigore, ac concretione, & ſic defluit*; omne enim fluidum concreſcens à frigore ad minus ſpatium reſtringitur, & ſi fluidum diverſi generis liquida contineat, inter quæ aliqua concretionis incapacia à frigore, cùm hæc in minus ſpatium contrahi non poſſint, ab aliis liquidis ſe conſtringentibus ab eo ſpatio, quod ipſa per concretionem occupant, & in quo liquida non concreſcibilia permanebant, expelluntur, & ſegregantur; ita ſanguis, ſeu ſubſtantia rubra maſſæ ſanguineæ à frigore condenſationem aliquam contrahit, cum ratione ſuarum partium conſtituentium, & fibrarum, quibus conſtat, ad condenſationem, & concretionem inclinationem habeat, ut patet in ſanguine extravaſato; ideò etiam frigore condenſatur, & ad minus ſpatium reſtringitur, cum ſegregatione ſeri in eo contenti, quod concretioni reſiſtit, loquendo de ſero urinoſo, & de nutritio, quod citiùs concreſcit à calore, quàm à frigore; urinoſum verò, nec à calore, nec à frigore concreſcit, ideo ſerum urinoſum, & nutritium per condenſationem ſanguinis ab hoc ſegregatur, & à maſſa ſanguinea ſeparatur, & ſegregatum materia fluxionis efficitur; ex quo apparet, Hippocratem velle frigus eſſe diſtillationum cauſam, quatenus humores, & partes iſtos continentes condenſat, & condenſatione humorem aliquem huic reſiſtentem exprimit, non forti illa conſtrictione, qua aqua è ſpongia exprimimus, ut aliqui explicarunt, fortis enim conſtrictio à frigore, vel partium, vel ſanguinis, cum vitæ conſervatione conjungi non poteſt. Hac de cauſa in Hyeme à frigore ſanguinem condenſante, & ſerum exprimente fiunt fluxiones, & diſtillationes. *A timore* hoc modo fieri fluxiones cognoſcimus, & ab omnibus, quæ ſpiritum quieſcere faciunt, & ſanguinis motum impediunt; quodcumque enim impedimentum ſanguinis motui opponatur, ſtatim ſerum ab eo ſeparatur, ut patet experimento in venis jugularibus ligatis, cum ſtatim poſt ligaturam momentanea totius capitis intumeſcentia ſuccedat à ſero in ſanguinis quiete à ligatura impetrata ſegregato, quod per carnes diffunditur, cum intumeſcentia iſtarum, ut in *Hydrocephalo*. Alium modum, quo frigus fluxiones facit, declarat *Hipp.* in eodem *text.* in illis verbis: *Sive etiam derepentè inhorruerit cerebrum*; & de horrore carnium in fluxionibus verba fecit etiam *in lib. cit. de loc. in hom. n.* 15. Horror, ex communi ſententia, ſi *ab irritante partes ſenſitivas*, & quia frigus eſt irritativum, ideò etiam horrorem facit, & frigori applicanda ſunt ea, quæ dicta fuerunt ſuperiùs de irritamento partium fluxionem promovente.

Inter fluxionum cauſas enumerat *Hipp.* repentinas mutationes *in cit. lib. de morb. ſacr. n.* 12. ubi dicit: *A capite ad Solem excalefacto in Vere fluxiones moveri, minimè autem Æſtate à calore iſtius excalefacto*; & rationem reddit, quia in Æſtate non fiunt repentinæ mutationes, caput enim in Æſtate jam aſſuetum eſt calori, & humores liquefacti, & attenuati ſunt ſenſim, quantum exigit tempeſtatis caliditas, ideò ab hac ulterius alterari non poſſunt cum violentia; in Vere autem humores capitis à calore Solis actuari, cum violentia tranſeunt à condenſatione à frigore Hyemis introducta, ad liquefationem, & rarefactionem, qualem à calore Æſtatis reciperent, & in iſta violenta mutatione ſeroſus humor ſegregatur à maſſa ſanguinis, & in partes defluit. Hac de cauſa vult *Hipp. eod. n.* 12. *Senes in Hyeme iſtis infeſtiſſima*, quia frigida multum, & parvitati caloris Senum contraria fluxionibus moleſtari, dum ait: *Ad multum ignem Senex caput, & cerebrum percalefecerit*,

cerit, deinde in frigore verſatus fuerit, ac inhorruerit, & ex frigore ad teporem acceſſerit, & ad ignem deſederit, idem hoc patitur, nempe fluxiones, de quibus in ſuperioribus text. locutus eſt; incaleſcere enim, & refrigerari Seni eſt repentina mutatio, ideo etiam fluxionis cauſa; idemque dicendum de eis, qui priùs aquilonari vento, poſtea auſtrino alterantur, ut notat *Hipp. in cit. text.* 11. *de morb. ſacr.* Ab omnibus iſtis cauſis apparet diſgregatio humoris.

A cerebri, & totius corporis vitio fluxiones fieri docuit *Hipp. lib. de gland. n.* 5. ubi habet: *Caput ſupra ſitum eſt ſurſum, cavum, & rotundum exiſtens, & humiditatem ex reliquo corpore complectens, & corpus ſimul vapores omnis generis ſurſum in caput dimittit, quos caput rurſus retrò dimittit.* (Non poteſt alio modo retrò dimittere, niſi in aquam, vel ſerum vapores abeant, à quo dimiſſo retrò ad inferiores partes fit fluxio.) Cauſam, per quam cerebrum dimittat dictos vapores in ſerum tranſmutatos, condenſatione aſſignat in ſubſequentibus verbis: *Non enim immorari, ac permanere poteſt id, quod influit, non habens, ubi ſedem firmet, niſi ſanè caput ægrotet; tunc enim non remittit, ſed iſthic retinet. Poſtquam verò attractionem remiſerit, in glandulas fluxio vergit*; quæ verba notanda, tamquam connotativa ſedis humoris ſeroſi in glandulis, & ad has deferri per venas docuit *num.* 1. *ejuſd. lib.* his verbis: *Influit autem ex reliquo corpore per venas, quæ per ipſas*, ideſt glandulas, *extentæ ſunt, & cavæ, ut humor quemcumque tandem tranxerint, facilè in ipſas ſequatur, & nihil moleſtat*, ut in *text.* 5. *ejuſd. libr. donec pauca, & moderata fluxio fuerit, ac ipſæ glandulæ validæ, & potentes extiterint.*

Modum, quo fiunt fluxiones, expoſuit *Hipp. in cit. lib. n.* 8. loquendo de fluxione à capite, his verbis: *Et ſi id, quòd cerebro influit, copioſum fuerit, fluxio deſcendens non deſinet, donec multitudinem influentis exhauſerit, atque ſic id, quòd influit, foras dimittens, & aliud ſuſcipiens, atque ſemper in conſimili ſtatu conſiſtens, & humores trahit* (notandum verbum *trahit*, ab Hipp. accipi etiam pro influere, cùm uſus ſit in principio hujus ſententiæ, & in fine verbo *trahit*) *& morbos facit.* Ab hac ſententia patet, fluxiones à capite per Hipp. fieri, quia ab aliqua parte in illud materia fluxionis influit, & à cerebro in ſubjectas partes deſcendit, & in eis, in quibus firmatur fluxio, morbum ibi facit, ſicut etiam ſi in cerebro commoratur, ægritudinem in eo parit. Pari pacto concludendum, in omni fluxione eſſe partem mandantem, & partem recipientem, & fluxionem morbum deſignare, & in parte mandante, & in parte recipiente, juxta *Hipp.* ſententiam *lib. de nat. hum. num.* 6. ubi habet: *Neceſſe eſt enim, cùm quid horum ſecretum fuerit, & per ſe ſteterit, non ſolum eum locum, unde ſeceſſit, morbidum fieri, ſed etiam eum, in quo ſtat, & in quem, propter nimiam copiam diffuſum eſt, dolore, ac morbo vexari*, quando in parte ſtagnat.

Pars mandans prima, & principalis ſunt arteriæ, humores ad partes ſolæ deferentes, itaut nulla detur fluxio, quæ ſuam originem è ſanguine non agnoſcat, & ducem arteriam non habeat. Et ſi vera eſt Hipp. ſententia; in capite colligi materiam fluxionis, hanc recognoſcere poſſumus in humore ſeroſo reſidivo à generatione ſpirituum animalium, cùm ſit inutilis, ſuperfluus, & etiam excrementitius, ex eo quòd ſanguis ad cerebrum per arterias delatus plus ſeri contineat, quàm exigant ſpiritus animales, quibus pro vehiculo ſervit, adeòut extracto ſpiritu animali copia ſeri inutilis in cerebro remaneat, vel quia pauco ſpiritu ſit donatus ſanguis, ut quantitas debita ſpirituum animalium, niſi à majori copia ſanguinis elici poſſit, à major etiam copia ſeri relinquitur in cerebro. Et ſi vera eſt ejuſdem Hipp. ſententia, vapores à partibus inferioribus ad cerebrum attolli, prout veram judico contra aliquorum Recentiorum opinionem, quia ſi aer totum corpus undequaque penetrat, cùm ſit undequaque permeabile, & tranſpirabile, etiam ſecundùm partes oſſeas, & præcipuè in capite, cùm obſervemus vaporem ſenſibilem ſub ſpecie fumi, & nubis à capite valdè excalefacto, & exſudante exhalare, vapores poſſunt exire per oſſa capitis, & non poſſunt ingredi? aer poteſt penetrare oſſa capitis, & non penetrabit vapor aeri in ſubtilitate æqualis? Et ſi verum pariter eſt, vapores elevatos ad cerebrum in aquam condenſari, quidquid in contrarium adducant Recentiores, quia vapor ab aqua à Sole elevatus, non eſt niſi aqua attenuata, & valdè rarefacta; & ſi contingat, ut de facto contingit, quòd vapor denuo condenſetur, & incraſſetur, per majorem unionem particularum in aquam tranſit; ita vapor ad caput elevatus à partibus inferioribus, non eſt niſi humidum corpus fluxile attenuatum, & rarefactum, in anguſtis cerebri poroſitatibus introductus, neceſſe eſt, ut coerceatur, conſtringatur, & condenſationem, & craſſitiem primævam acquirat liquidi formam recuperando, & in aquam tranſeundo; qua ratione probabilem cenſeo Hipp. ſententiam de vaporum aſcenſu in caput à partibus inferioribus, & de eorumdem tranſitu in aquam. Improbabilem verò, imò falſam concludo eſſe ſententiam Antiquorum aſſerentium, vapores ad cerebrum elevatos in aqueam ſubſtantiam commutari à cerebri frigiditate, ob rationem ſuperiùs allatam, nec converſio in aquam vaporum poteſt ſuſtineri, niſi modo explicato. Licèt hæc omnia enarrata ſint vera, non eſt tamen verum à cerebro humorem collectum immediatè depluere ad partes ſubjectas, ſed à venis, vel à vaſis lymphaticis abſorbetur, & ad venam cavam dextero ventriculo cordis implantatam defertur, & ab hoc ad arteriam venoſam in pulmones, ab his ad venam arterioſam, & in ſiniſtrum cordis ventriculum deportatur, & ab hoc in arteriam magnam, ubi toti maſſæ ſanguineæ denuò miſcetur; & manifeſtum fit, humorem in cerebro collectum, vel generatum redire denuò in arterias, à quibus diſceſſit, & ab iſtis in varias partes, vel in unam affundi, in quibus, ſi ſtagnet, morbum parit, & dicitur fluxio à capite proveniens, ſi remota conſideretur origo, ab arte-riis, ſi proxima.

Signa Catarrhi per ſe ſunt manifeſta ex morbis, qui ab eo efficiuntur. Si à calore Catarrhus proveniat, præceſſerunt cauſæ calefacientes; ſi à frigore, cauſæ refrigerantes; ſi à plenitudine, vel redundantia alicujus humoris, cognoſcemus à temperamento, ab erratis in rebus non naturalibus antecedentibus.

Prognoſtica deſumuntur à qualitate fluxionis, benigna, vel maligna, miti, vel acri; à parte recipiente, quæ quo nobilior, eò pernicioſior fluxio, à parte etiam mandante, quæ quo magis eſt intemperata, eò difficilior evadit fluxionis curatio.

Curationem fluxionis generali præcepto collegit *Hipp. in lib. de loc. in hom. n.* 42. iſtis verbis: *Morbos à principio curare oportet* (hoc eſt morborum curationem à cauſæ ablatione, quæ principium morbi dicitur auſpicari; fruſtrà enim eſt curatio illa, quæ morbi cauſam, & principium non tollit; ex quo redarguendi Medici illi, qui effectum ſolùm curatione proſequuntur, cauſam prætermittentes, dum calorem in inflammatione refrigerantibus moderari ſatagunt, humoris verò ſtagnationem, & coagulationem, principium, & cauſam inflammationis negligunt.) *Et ſiquidem à fluxionibus fiant, primùm fluxiones ſedare. Si vero ab alia cauſa, principium morbi ſedare, & curare. Deinde id, quòd influxit, ſiquidem multum fuerit, educere, ſin modicum, per diætam moderari, ac componere.*

Sedatur fluxio, ablata cauſa iſtius immediata, quam diximus eſſe humorum diſgregationem, & etiam correcta frigiditate, vel caliditate, & copia humorum, quas diſgregationis cauſas poſuimus.

Diſgregatio corrigitur nova permixtione, & unione humoris diſgregati cum eis, à quibus diſgregatur, prout colligimus ab *Hipp. libr. de nat. hom. n.* 6. ubi poſtquam in ſuperiori textu dixerit *Hominem in ſe habere ſanguinem, utramque bilem, & pituitam, & ob hos humores, & ſanitati, & morbo ſubjici*, ſubjungit: *Sanus equidem maximè eſt, ubi temperamentum hæc* (ideſt humores) *inter ſe habuerint moderatum, tùm facultate, tùm copia, & ubi maximè fuerint permixta*, quòd idem eſt, ac concocta, prout demonſtravit *Hipp. lib. de veter. medic. n.* 32. ſcribendo: *Fit autem concoctio ex mixtione, temperaturaque mutua, & quaſi coctura.*

Concoctio diſgregationi humorum conveniens perficitur

tur attemperatione caliditatis, frigiditatis, à quibus diſgregationem fieri diximus cum *Hipp.* & hoc recepimus *lib. de vet. med. n.* 31. ubi habet: *Reliquas antem omnes fluxiones, quas propter humorum acrimonias, & intemperantias ego fieri ſentio, reſtituuntur, & curantur, ubi temperatæ fuerint, & concoctæ*; & ſuperiùs in eodem *n.* 31. habet: *Omnibus autem liberatio hæc eſt*, & loquitur de fluxione, *ut ex frigiditate quidem affecti percaleſiant, ex ardore verò perfrigerentur*. Diſgregatio, & fluxio à plenitudine tollenda evacuatione ſuperabundantis humoris; plenitudinem tamen hic conſideramus factam, collectam ab erratis in ſex rebus non naturalibus. Hoc modo curari omnes morbos à plenitudine docuit *Hipp. lib.* 2. *aphor.* 22. *& lib. de flat. n.* 2. & ut dixit *in cit. text. de loc. in hom. n.* 42. *Humorum influxum educendum eſſe ſolùm ſedata fluxione*. Ibi loquitur de fluxione ab alteratione maſſæ humoralis, non à plenitudine humoris ab erratis proveniente, nam illa non poteſt corrigi, niſi alteratione correcta, quia eſt fluxionis cauſa; hæc verò ſola evacuatione tolletur, cùm pendeat à multitudine humoris ab erratis cumulata, & de humore in parte recipiente contento. Fluxio verò à plenitudine pendens, alicujus humoris evacuatione, & inanitione partis mandantis, & maſſæ ſanguineæ indiget. Nam ſi concoctio conſiſtit in permixtione nova humorum, hæc ſemper impedietur ab humoris redundantia, quæ ſi potens fuit ad efficiendam ſeparationem ab aliis, eadem virtute mixtioni cum aliis reſiſtet. Facta verò aliquali diminutione humoris redundantis, tunc tentanda concoctio, ſeu mixtio humoris diſgregati cum aliis. Pariter ſi à ſanguinis plenitudine diſgregatio ſuccedat, mittendus ſanguis, pro illius diminutione, in alio verò caſu redundantiæ humoris excrementitii, & alieni à natura ſanguinis, purgatione educendus, poſtea mixtioni humorum incumbendum; in quem finem exiſtimo cum *Dioſcoride*, Opium eſſe maximè proficuum, & conſequenter omnia ex *Opio* parata remedia, cùm ab iſtis humorum, & ſpirituum motus inordinatus coerceatur cauſa diſgregationis, & motus placidus introducatur à permixtione, & concoctione humorum deſideratus, & experientia patet, ab opiatis magis, quàm ab aliis remediis diſtillationes moderari, & etiam curari Hac de cauſa Antiqui *Pilulis de Cynogloſſa* in fluxionibus utebantur, & *Philonio Perſico*, quibus addiderunt Recentiores *Nepenthes*, *Laudanum liquidum*, *& Laudanum cydoniatum*. Omnia etiam remedia ex *Papavere*, & hujus ſeminibus parata idem præſtabunt, ſed debiliùs. Adſtringentia dicta eumdem finem promittunt, & præcipuè remedia ex *Coton eis*, *Decoctum Santalorum*, *Electuaria ex Bolo Armena*, *Terra ſigillata*, *Spodio*, *Gummi Arabico*, *Tragacantho*, ſi ſumantur cum *decoctione Plantaginis*, *Polygoni*, *Conſolidæ*, *rad. Tormentillæ*, *& Biſtortæ*.

Et quia dixi, Catarrhum quandoque ab irritamento humoris pendere, & conſtat nobis ex acrimonia ſenſibili in ſalſedine, vel amaritie, vel corroſione humoris, vel ex dolore partis, in quam decumbit, in hoc caſu primò humoris mala qualitas irritativa temperanda demulcentibus propriis, quamdiù enim hæc vigebit, fluxio etiam perdurabit, & pars irritata novum ſemper ſuſcipiet humorem, ad vicinas, vel ſibi connexas partes tranſmittendum. Hinc eſt, quòd primò ſit ſedandum irritamentum, tamquam cauſa principalis fluxionis; hoc perficiunt omnia demulcentia, & præcipuè *Lac*, vel crudum, vel coctum; ex quo manifeſtus eſt error Medicorum, qui in fluxionibus ab irritamento humoris acris Lac ultimo loco exhibent, in ejus locum ſubſtituendum Lac artificiale ex ſeminibus *quatuor frigidis*, ex *Amygdalis*, *Cremor Ptiſanæ*, *& Ptiſana Saxoniæ*, & ſimplex, & compoſita, cum *China*, & *Santalis*, quæ methodus ſervanda etiam in fluxibus ſanguinis, & aliis cujuslibet generis. Poſt hanc humoris modificationem, diſgregatio humoris corrigenda ſupradictis remediis, & poſtea ſi in parte recipiente remanſerint humores, iſti purgatione educendi, ſi fuerint multi. Per purgationem hic non ſola eductio humoris per alvum accipienda, ſed etiam reſolutio humoris per externa remedia, quæ valde ſunt proficua:

℞. *Hermodactyl.* ℥. *iii.*
Vitell. Ovorum coctorum n. 4.
Flores farinæ tritici quartarium i.
cum Decocto Ivæ Arthreticæ F. Empl. loco dolenti applicandum. Vel

℞. *Caſtorei* ℨ. *i.*
Baccar. Lauri ℥. *i.*
Spir. Vini ℥. *ii.*
cum Oleo Terebinthinæ F. Linim. quo inungatur pars, ſuperponendo pellem. Valet etiam *fricare partem dolentem cum Melle, & poſtea inſpergere ſupra Mel Pulverem ſeminis Naſturtii, & pelle agnina, vel vulpina tegatur pars, cum ligatura.* Valet etiam *Oleum Olivarum mixtum cum felle bubulo, & igne leni digeſtum ad mixtionem, ſi pars dolens inungatur*. Sicut *Leporinum ſtercus, cum Vino calido mixtum, & Lithargyrium tritum, & cum urina Muli mixtum.* Si pauci ſint humores, ſola diæta exſiccandi; talis eſt, quæ ſolidis alimentis completur, ut cum pane biſcocto carne bubula, & aliis valdè aſſatis, & cum parvo potu aqueo; & in hoc documentum relinquit, humores, quos diæta tollere poſſumus, non eſſe purgante movendos.

Eadem methodo utendum in fluxionibus à cauſa frigida, & calida, illa calidis, inter quæ excellit *Decoctum Serpilli*, *& Saſſafras*; *Decoctum Ligni*, *& Baccarum Juniper. Roſmarini*, *Salviæ*, *Chamædryos*, *Origani*, *Pulegii*, *Adjanthi*.

℞. *Saſſafras* ℥. ß.
Viſ. Querc. } *a.* ℨ. *vi.*
Lentiſci }
Fol. Betonicæ m. ii.
infund. in ℔. *viii. Aquæ pluvialis, bulliant per quadrantem horæ, poſtea adde Antimonii crudi in petia ligati craſſo modo cont.* ℥. *i. bulliant ad conſumptionem tertiæ partis, poſtea coletur; de hoc Decocto ſumat manè, & ſerò* ℔. *i.* Calida frigidis auferenda. Poſtea diſgregatio nova permixtione tollenda, ultimo loco purganda materia in parte relicta, vel medicamento, vel diæta.

Hujus curationis fluxionum exempla habemus ex Hipp. in curatione doloris coxendicis *in lib. de intern. affect. n.* 54. ubi deſcribit hoc ſymptoma *à calore Solis introductum*, *dum humores in articulis exiſtentes ab eo exſiccantur*, ideſt incraſſantur, fluiditate ablata, *condenſantur*, *& conſtringuntur*, ut ait Hipp. humido enim tenui à caloris activitate reſoluto craſſum relinquitur, condenſatum, & conſtrictum, eo modo quo ſucci herbatum liquidi Soli expoſiti, humido tenui ab illius calore reſoluto, condenſantur, & in minorem molem reſtringuntur, & ſoliditatem acquirunt; deficiente enim humido tenui, cui commixtæ partes craſſiores ſuccorum, in minimas particulas diviſæ fluidæ reddebantur, deſinunt eſſe tales, & ad invicem conglomeratæ, & in unam ſubſtantiam craſſam unitæ ſolidum repræſentant. Hanc condenſationem, & conſtipationem humorum deducit Hipp. ab eo quòd *Movere coxendicem non poteſt æger*, *non ſolùm præ dolore*, *ſed etiam quia verticula ſunt compacta* ab humore craſſo, itaut moveri non poſſint. Hæc condenſatio, & conſtrictio humoris poteſt eſſe impedimento motui oſſium, ſed non doloris cauſa, niſi à calore conſtrictionem, & condenſationem humoris efficiente irritativam etiam qualitatem introductam admittamus. Ulterius, dum Hipp. ſupponit coxendices calefactos, videtur etiam ſupponere humorum fluxum ad iſtos, & totum corpus excalefactum, & exſiccatum, & maſſam ſanguinis incaleſcentem. Cauſa externa hujus ſymptomatis eſt calor Solis.

Signa diagnoſtica deſcribuntur ab Hipp. *Dolor in lumbis*, *& in verticulis ex obliquo juxta coxendices*, *& genua*; *dolor multo tempore conſiſtit in inguinibus*, *ſimulque coxendicibus acutus*, *& æſtuoſus*, *& ſi quis ipſum erigat*, *aut tranſmoveat*, *præ dolore ejulat*, *quam maximè poteſt*. *Aliquando etiam convulſio*, *& febris ſuccedit*; & in caſu propoſito convulſio eſt ab inanitione, à calore coxendici impreſſo, exſiccatis, & contractis muſculis, ligamentis, quæ motui coxendicis ſerviunt pro parte extendenda, vel motus ſolùm convulſivi fiunt à magna violentia irritantis, interpolatè irritantis. Febris oritur in omnibus doloribus ab excandeſcentia ſpiri-

ſpirituum in ſanguine, quæ pro diſpoſitione iſtius major, vel minor fit, & etiam quandoque lethalis. Prognoſtica deſcribit in fine textus: *Ex hoc morbo multi claudi facti ſunt.*

Curationem auſpicatur Hipp. à totius humectatione, ſumpta indicatione à calore totius corporis, & maſſæ ſanguineæ, quem calor Solis in iſtis introduxit. Humida calorem attemperant, ſicut ſicca augent, unde dicitur ſiccitas lima caloris, cùm hunc acuat; è contrario humiditas ſiccitati oppoſita aſſerenda caloris moderatrix. Hanc indicationem executioni mandat fomento totius corporis. Quod poteſt parari ſola aqua tepida, & etiam alterata humectantibus herbis, ut *Malva*, *Parietaria*, *Fœnu græco*, *Violaria*, *Boragine*, *Branca urſina*, fomentum exercendum, non balneo, ſed lavacro, & ſpongiis. Pro eadem indicatione cibum, & potum, & alia, quæ exhibentur, tepida, ac humida imperat, & omnia cocta. *Humida*, ut humores tenues generentur, à ſolidis enim humores conſiſtentes generantur, à quibus conſiſtentia, & conſtipatio humorum in coxendice augeri poteſt; à tenuibus verò, & maximè fluidis iſti attenuari poſſunt, & ad priſtinam fluiditatem reduci; in quorum genere ſunt carnes contuſæ, & jure diſſolutæ: panis tritus coctus in jure, & liquidus ſorbitioni aptus: ſuccus Hordei, maximè diſſolutione in jure, vel aqua fluxibilis redditus; ex Lacte etiam parata fercula liquida exhiberi poſſunt. Hipp. *Mazam* præbet, quæ communiter accipitur pro farina frumenti lacte diſſoluta, & liquida reddita, ideò dicit *Mollem*, & dum ait, *Vino dulci non ſubactam*, intelligendum eſt Vino ſubactam, ſed quòd non ſit dulce, & ſi Vino ſubigenda, ſit illud acipiendum, quod magis competere ægro judicavit Hipp. proponendo *Vinum album aquoſum* pro potu; *album*, quia quam maximè tenue, *aquoſum*, quia magis humectans. *Tepida* exhibet *alimenta*, quia magis penetrando corpus laxant, & humectant, ut obſervamus aqua tepita lotas manus, magis humidas, & laxas fieri. *Omnia alimenta* vult *cocta*, ut digeſtione in venticulo tenuiora evadant, & ut excrementitia humiditate, ſi hac ſcatent, purgentur, vel coctione corrigantur; hac ratione fructus coctos pro alimento in hoc ſymptomate, non cenſeo excludendos, quia humectant. Motum videtur omninò interdicere, cum dicat *Corpore quietem habeat*; verùm ſubſequentibus verbis explicat, non quietem omnimodam velle, ſed à modico exercitio interruptam, dum ait: *Et quamvis impotens fuerit, ut exurgat, tamen modicè ſingulis diebus deambulet*, ut tali motu ſpiritus in vigore, & exaltatione detineatur pro morbi reſolutione, & ne pars affecta immobilitatem acquirat, quam videmus aliquos apprehendere lecto infixos. Dum exercetur *ne frigeat*, quia frigus nervis, & nervoſis partibus inimicum, quæ in hoc ſymptomate ſunt malè affectæ, & etiam condenſationi, & conſtrictioni humorum in coxendice augmentum tribuit. Et prohibendo inſenſibilem tranſpirationem excrementitios humores congregat, qui ſtante irritamento dolorifico coxendici infixo continuò fluent ad dolentem partem. Ab iſtis patet, curationem doloris coxendicis à cauſa externa Hippocratem dirigere ad ablationem principii hujus ſymptomatis.

Hac curatione totius præmiſſa, particularem loci affecti aggreditur, dum ait: *Cùm tibi viſum fuerit benè habere, & humidius corpore eſſe* (ideſt humores in corpore eſſe fluxibiliores) *à fomento leni* (ideſt in virtute non valido, & debilis activitatis, quale eſt ſupradictum, quo humor condenſatus, & conſtrictus, parti fixus fluiditatem aſſumat) *vehementer foveto* (hoc eſt maximè calido, & continuo fomento pars foveatur) & rationem reddit, *quia ab hoc articuli humectantur, & relaxantur*. Poſt fomentum purgationem molitur *Cnidio grano in potu exhibito*; nos uti poſſumus *Pil. de Hermodactylis*, vel *Pulvere Hermodactylato*, vel *Pil. Cochiis ad* ʒ. *i. cum* ℈. *i. Mercurii dulc.* vel ſequenti infuſ.

℞. *Hermod. opt. & decorticat.* ʒ. *i.* ß.
Agar. trocis ʒ. ß.
Epithimi
Cinam.
Garyophil. } *a.* ℈. *i.*
Santal. citrin.

infund. in ſ. q. Aquæ Scabioſæ, vel Boraginis per horas 16. poſtea col. & adde Syr. Roſ. ſol. ℥. *i.* ß. *Si verò non profuerit purgans*, *Clyſterem* imperat, cujus deſcriptio *in cit. lib. de intern. affect.* videnda, adeò violentum, ut per tres dies ab eo æger purgetur. Ratio hujus violentæ purgationis deducitur à materia in loco valdè remoto congeſta, quos dies, ſi purgatio exceſſerit, ad hanc ſiſtendam *heminas tres lactis bubuli aut caprini* exhibet, cùm à Lacte irritamentum purgantis retundatur. Documentum nobis relinquens per tres dies ægrum purgandi, & valido medicamento, prout ſuperiora deſcripta ſunt in doſi majori, tamen propria exhibita. Poſtea *Betas pingues*, *non ſalſas condimentis conſperſas edendas* imperat. A Beta ſervatur alvus lubrica, quæ per longum tempus poſt magnas purgationes reſtringitur; ne tamen magis irritetur, Sal eis miſceri prohibet, imò aromatibus, ſeu condimentis aſpergit ad refocillandos ſpiritus à purgatione copioſa debilitatos, vel ad diſſipandos flatus, quos copioſos ſuppeditant Betæ, & debilitas ventriculi à magna purgatione contracta emendetur. Hic notandum, purgationem non imperare Hipp. niſi cùm melius ſe habuerit æger, & talis ſtatus eſt cùm dolor remiſerit, & in coxendice à cauſa externa purgandum non eſſe, niſi dolore ſedato, & materia ad fluxibilitatem redacta.

A bile *n.* 55. *ejuſd. lib.* dolere declarat coxendicem: Signa diſtinguendi coxendicis dolorem à bile ab aliis humoribus, non tradit; ſitus tamen doloris ſuprà deſcriptus idem eſt, cùm pars affecta ſit eadem. Differentia diſtinctiva poteſt eſſe ſolùm à conditione doloris, qui à bile, utpotè maximè acri, & corroſiva, & maximè calida, erit intenſus, & atrox, & bilis redundantia, temperamentum bilioſum, errata bilis generationi accommodata, quæ anteceſſerunt, dolorem à bile deſignabunt.

Modum generationis doloris coxendicis à bile neque exponit Hipp. ſed ex eo quòd in præcedenti dolore coxendico determinaverit humorem conſtrictum, & condenſatum eſſe in articulis, ita in præſenti tenendum humorem bilioſum eſſe in articulo coxendicis. Per bilem, non intelligit Hipp. illam, quæ in cyſti fellis continetur, ſed quæ in ſanguine reperitur, in eo generatur, ſeparanda poſtea in dicta cyſti, cùm ab hac ad coxendicem non ſit via, per quam humor bilioſus deferri poſſit ad dictam partem, nec alia excogitanda via, quàm illa, per quam nutrimentum accipit pars læſa, & ſunt arteriæ, quæ non ſolùm perioſtio oſſium, & iſtorum ligamentis alimoniam deferunt, ſed eamdem diſtribuunt oſſeæ ſubſtantiæ, quam penetrant, ut viſu conſtat, & multæ Anatomicorum obſervationes comprobant; ſed quod magis facit ad rem noſtram, arteriæ continuò ſerum nutritium in vacuitate articulationis deponunt, ad conſervandum, & reparandum humorem illum glutinoſum, quo Natura oſſium conjunctiones perpetuò irrigari voluit pro motus facilitate, & ipſorum oſſium conſervatione diuturna; citò enim conſumerentur oſſa, ſi continua attritione ad invicem in motu confricarentur. Pro hujus detrimenti declinatione cavitatem oſſium conjunctorum implevit craſſo humore, quem *Synoviam* appellat *Helmontius*, & à ſucco nutritio, vel ſero alimentali ortum omnes volunt Recentiores. Per eamdem ergo viam, per quam oſſa, & circumſtantes, illiſque ſervientes partes alimentum ſuſcipiunt, per eamdem materiam morbificam fluere credendum; imò hanc materiam morbificam cum eodem alimento deferri, cum quo ſi particulæ ſulphureæ, & ſalinæ ſanguini commixtæ, & exuſtæ à calore, & effervescentia ſanguinis, & quæ ſunt materia immediata bilis, quando in Hepate ſegregantur à tota maſſa, miſceantur cum dicto alimento, dicitur bilis alimento commixta, & hoc modo intelligenda præſens ſententia Hipp. de bile, prout cauſa doloris coxendicis. Recentiores huic ſententiæ Hipp. de bile addiderunt acidi humoris miſcellam; hi duo humores ſero nutritio commixti in oſſium articulatione confluentes, & concluſi paulatim exaltantur, & invicem effervescunt, eo modo quo bilis, & ſuccus pancraticus in inteſtino duodeno, calorem in parte continente excitant immodicum, ſuis ſalinis acidis halitibus, & perioſtia, & ligamenta, & partes ſentientes coxendici unitas, & circumſtantes vellicando, & forti roſione ferien-

feriendo doloris cruciatus inferunt, maximè bile in copia, & activitate acidum humorem ſuperante, prout ſupponendum cum Hipp. in præſenti caſu; tale enim ſymptoma dicitur à bile, quia hæc excedit, & dominium in ratione cauſæ morbificæ accipit. A dolore, & calore fluxus ſanguinis promovetur, ut ſuperius explicatum fuit, unde pars intumeſcit cum calore, & tandiu durat, quamdiu efferveſcentia dictorum humorum perſiſtit, vel à novo fluxu conſervatur, & per hanc efferveſcentiam dicuntur hi humores corrumpi, juxta Hipp. ſententiam *libr. de affect. num.* 32. ubi habet, *Podagram fieri à ſanguine corrupto, à bile, & pituita*. Corruptionem humorum admittimus, ſcilicet bilioſi, & acidi humoris, non ſanguinis, ſed humoris in ſanguine exiſtentis, & ſeparati. Et hic eſt modus generationis doloris coxendicis, ſecundùm Hipp. ſententiam, pro majori, & principaliori parte explicati. Quibus ex Hipp. addenda diſpoſitio articulorum ad ſuſcipiendam materiam fluentem, & ad eam retinendam, quam expreſſit *in lib. de loc. in hom. n.* 34. his verbis: *Nam cùm obturatus fuerit fluxus, & non habeat, quo iter faciat, viam ad articulos facit, & in id, quod cedit, influit.*

Quoad curationem, primò purgationem Helleboro nigro, quem ſi non nominat, tacitè explicat, dum ait, *Veratrum deorſum purgans bibendum dato;* tale Veratrum eſt nigrum, nam album vomitum promovet. *Succum Scammoneæ* etiam proponit, à quo bilis purgatur, & nullo alio præmiſſo, ſicut in priori caſu, purgationem molitur, quia ſupponit redundantiam bilis in ſanguine, & cum ea diſgregationem, & certè quando morbus aliquis fit ab uno humore, ut Dyſenteria à bile, hujus redundantia credenda, ſic coxendicis dolor à bile indicat iſtius redundantiam, & diſgregationem à maſſa ſanguinis; ideò purganda, & minoranda iſtius humoris quantitas; & in hoc habemus rationem, per quam in præcedenti caſu purgat ſedato dolore, in hoc verò in principio doloris redundante bile in ſanguinis maſſa; in priori redundat humor in parte ſolùm, amiſſa neceſſaria fluiditate ad purgationem. *Poſt purgationem ſuccum ptiſanæ, mellæ affuſo, heminas duas exſorbendas* præbet ad abſterſionem humorum in inteſtinis, ad ſanguinis motum à purgante inductum ſiſtendum, ptiſanæ frigiditate, & craſſitie. *Poſtea die, aut tertia fomenta adhibeto, lacte aſinino cocto ſubpurgato.* Fomentum debet eſſe anodynum, & moderativum acrimoniæ bilis; fiat cum *Fœnugræco*, *Meliloto*, *Anetho*, *Althea*, *Mercuriali*, *ſem. Lini*, *Fœnugræci*, & aliis ſimilibus rationem, per quam fomentum imperat poſt purgationem, deduco cùm in præcedenti caſu purgationi fomentum præmiſerit, quia in præcedenti caſu conſtabat de conſiſtentia, & conſtrictione humorum à ſiccitate, quibus qualitatibus priùs occurendum utpotè purgationi facili reſiſtentibus. Poſt purgationem à Lacte, quo utitur tamquam blandiori purgante, *ad veſperam Betæ pinguis heminas duas edendas præbeto, polenta inſperſa*. Hic notandum, Hipp. non præbere niſi in ſerò cibum, quando æger purgatur, intermiſſo prandio, quod alibi etiam inculcat; alimentum etiam præbet abſterſivum, ut Beta, Polenta inſperſa, quo reliquiæ humoris purgandi relictæ in inteſtinis, vel in extremitatibus vaſorum educantur. *Vinum* concedit *album dulce*, ſed *aquoſum*, ne augeatur bilis acrimonia, & diſgregatio copioſioris bilis ſuccedat, & ex altera parte vigor naturæ conſervetur pro expulſione, vel reſolutione humoris in coxendice fixi, & ut urinam promovet, pro derivanda bile à parte affecta.

A pituita eſt coxendicus dolor, ex *Hipp. n.* 56. *cit. lib.* & patet à temperamento pituitoſo, ab erratis pituitam congregantibus. Pituitam verò cum acrimonia vel acida, vel auſtera, vel ſalſa ſupponere debemus, ratione doloris, qui niſi ab irritante fieri poteſt.

A pituita generatur eo modo, quo dixi de bile, & acida eſt magis apta, & ſi bilis huic conjungatur quandoque, ſuperior tamen eſt pituita acida in quantitate, & actione.

Curatio verſatur circa purgationem pituitæ, primò cum eiſdem purgantibus ſuperiùs deſcriptis, quibus addo *Elect. Caryocoſtinum*, cujus deſcriptio eſt ſequens:

℞. *Mel.* ℥. *iii.*
Vini optimi ℥. *vi. Bull. in olla nova lento igne uſque ad conſumpt. vini, ſemper deſpumando, diligenter abſtrahabatur ab igne, & adde Hermodact. opt. à cort. mund. & pulver.* ʒ. *ii. Caryophil.* ʒ. *ii.*
Coſti veri, ſeu Cannellæ albæ ʒ. *ii. Hæc omnia pulv. ſ. & poſtea miſceantur, & mixta addantur Melli adhuc calenti, refrigerato Melle, adde*
Scammoneæ opt. præp. & ſubt. pulv. ʒ. *ii. optimè miſcendo, & per aliquod tempus, ut Scammonea optimè uniatur cum aliis ingredientibus, & fiat Elect.*

Doſis *ad* ℥. ß. in robuſtis, in debilibus *ad* ʒ. *ii. & iii.* ſumitur diſſol. in vino, vel jure in parva quantitate, & aſſumpto medicamento, aſſirmat patens *Cyathum vini, vel juris*, ſi accipiatur in bolo, ſtatim ſumpto, *vel vinum, vel jus* exhibeatur; poſt ſex dies reiterandum medicamentum, ſi non ceſſerit dolor, huic remedio adjungatur purgatio Lactis. Secundo loco, cum eadem potione, ob dictam rationem ſuperiùs de redundantia humoris pituitoſi diſgregati, in intermediis diebus inter primam, & ſecundam purgationem *diœtam leviſſimam* imperat Hipp. Quæ humoris reſolutioni ſervit, & purgationi, cùm à cibo tenui non relinquantur excrementa impedientia copioſiorem humoris peccantis evacuationem. Ubi bilis peccat, hac diœta non utitur, quia auget acrimoniam humoris, & in furorem inedia bilem adigit, cum morbi augmento.

Si ab his remediis utilitatem ſentiat æger, benè eſt. Unde iſtis inſiſtendum, prout inculcavit *in lib. de loc. in hom. n.* 20. ubi habet: *Et ſemper non ſanantem oportet variare modum, & ſiquidem pejus reddiderit, malum ad contrarium te converte. Si verò ad ſanitatem tendat, omninò nihil ab eis, quæ adhibentur auferre oportet, neque quicquam aliud addere, vel apponere.* Hoc documentum in praxi maximè obſervandum, & fugienda criminoſa obſtinatio in exhibitione remediorum, in quorum uſu morbum augeri, vel non curari obſervamus. Si verò à dictis remediis coxendicus dolor non cedat, *uſtionem partis multis, ac profundis cruſtis* conſulit Hipp. *in oſſeis quidem partibus perfungos, in carnoſis autem per ferramenta*. His emiſſariis facilis eſt eductio materiæ in coxendice, vel circa illum collectæ; ad hoc reſpexit *Hipp.* etiam *in libr. de loc. in hom. n.* 34. ubi, agendo de doloris coxendicis curatione à fluxione, ait: *Cucurbitam medicam affigere oportet, & foras trahere, & non ſcarificando pertundere; & calefactoriis medicamentis in potu exhibitis calefacere, quo exitus fiat tùm foras ad cutim per cucurbitæ attractionem, tùm intus ad ventrem per caliditatem.* Ab hac ſententia docemur, in hoc ſymptomate proficua fore diaphoretica, quæ materiam ad exteriores partes propulſant, & purgantia ad ventrem ducentia; ideò Decocta ſudorifica, quibus utimur in lue Gallica, præſcribenda, cum ſudoris provocatione, & Decocta ejuſdem generis purgantia, admixtis purgantibus cum remediis exſiccantibus, quia per exſiccationem, & per purgationem quotidianam citò pervenimus ad integram exſiccationem humoris. Quotidiè ergo hæc Decocta propinanda, ut mediocris quotidiè ſuccedat purgatio, ſaltem per quindecim dies, menſurata purgationis quantitate cum virium robore ægri.

A ſanguine coxendicis doloris curationem deſcribit *Hippocrat. citat. libr. de intern. affect. numer.* 57. Si vera eſſet ſententia Hippocratis, ſanguine omnes partes nutriri, & ad eas fluere, dubitandum non eſſet de dolore coxendico à copioſo fluxu ſanguinis ad hanc partem, à quo dolor excitari poſſet, & maximè ſi aliqua qualitate acri donatus eſſet; cùm autem magis probabile, meo judicio, ſit partes membranoſas, & nervoſas ſero nutritio nutriri, non eſt admittenda ſententia Hippocrat. à ſanguine, ſeu à rubra illa ſubſtantia in maſſa ſanguinis conſpicua dolorem coxendicum fieri. Si verò pro ſanguine accipiatur aliqua pars ſanguinis, poteſt ſuſtineri Hippocrat. ſententia, cùm & ſerum nutritivum ſit pars ſanguinis. Sed forſan ſolidiori fundamento ſuſtinebitur Hippocrat.

pocrat. ſententia, ſi admittamus, eum hoc in loco loqui de plenitudine ſanguinis, quæ ſit cauſa fluxus humorum ad coxendicem & colligi poteſt à miſſione ſanguinis, qua utitur in curatione hujus affectus, & convenire in ſola plenitudine aliàs docuit.

Fit à redundantia ſanguinis dolor coxendicis, ob diſgregationem, quam parit dicta redundantia humorum etiam excrementitiorum in maſſa ſanguinis latentium, ut dictum fuit de cauſa Catarrhi. Humores iſti diſgregati, & ſeparati uniuntur ſero nutritio, & ad coxendicem feruntur modo ſuperiùs explicato. Cognoſcemus redundantiam ſanguinis à temperamento plethorico, à venarum turgentia, à lauta victus ratione, à ſuppreſſione conſuetæ alicujus evacuationis ſanguinis.

Curationem incipit Hippocrat. à miſſione ſanguinis, indicata à plenitudine. *Vena in poplite ſecta*; ſectionem reiterat, ut videtur indicare in illis verbis, *Venas in poplitibus ſecato*. Ex hoc habemus, non ſemper in dolore coxendico mittendum eſſe ſanguinem, ſed ſolùm ubi adeſt redundantia ſanguinis; contra ſententiam ergo Hipp. agunt Medici illi, qui in omni dolore coxendico ſanguinem mittunt. Præmittit tamen *fomentum*, *&* *cucurbitam* patti dolenti, ad doloris mitigationem; fomentum ideò eligendum anodynum, & ad extractionem materiæ intus latentis ad exteriores partes aptum. Poſt ſectionem venæ ait: *Si tibi viſum fuerit, etiam cnidium granum bibendum dato*, inhærens rationi *in libr. de vict. rat. in acut.* traditæ in his verbis: *Sed & poſt venæ ſectionem purgans medicamentum ſecuritate, & moderatione opus habet*; ponderandum enim an cum plenitudine conjungatur aliqua humoris excrementitii copia, an vires ſint validæ, & alia purgationem permittentia.

Diœtam ſicciſſimam præſcribit ad majorem plenitudinis minorationem. *Vinum* prohibet, ne diſgregatio major ſuccedat à Vino, ſpiritus addente, & impetum eiſdem impartiente; *& ſi bibat, ſit aquoſiſſimum*, à quo caventur prædicta detrimenta. *Exercitium multum* commendat, ſi æger ſit potens, cùm ab hoc reſolvatur humor, & etiam intus exiſtens ad exteriora reducatur; *modicum*, ſi non ſit potens, ne partes dolentes contrahantur, ut plerumque contingere videmus; quod innuit *Hippocrat.* in ultimis verbis *text. Ut ne intus cartilagines concreſcat, & ſi non poteſt ſtare in lecto, ob doloris intenſionem, quam frequentiſſimè circumferre oportet; & hoc faciendum, à quacumque cauſa dolor proveniat*, ut advertit *Hipp.*

CAP. XIII.

De Catarrho ſuffocativo.

SUffocationis periculum aliquando premit hominem, cujus cauſa, cùm communiter cenſeatur à Catarrho, Catarrhus ſuffocativus appellatur; ſed malè, ut demonſtrabitur.

Definitur, *Impedita reſpiratio, cum ſuffocatione; aliquando cum tuſſi, & ſputo ſpumoſo*.

Suffocatio pendet ab impedito ingreſſu aeris in pulmones, à quo reſpiratio, ſeu attractio, & expulſio aeris à pulmonibus. Ex eo quòd in Catarrho ſuffocativo impediatur reſpiratio, differt ab Aſthmate, & aliis ejus differentiis, in quibus reſpiratio eſt difficilis; non eſt tamen ita impedita, ut videatur æger ſuffocari, & periculum imminens ſuffocationis appareat, etiam ſi recto corpore, & capite maneat, quod in Aſthmate, & Orthopnea non invenitur.

Reſpiratio impedita pulmones affectos, & hos morbi hujus ſubjectum declarat, & maximè tuſſi, & ſputo ſpumoſo apparente, cùm hæc ſint pulmonis affecti ſigna.

Cauſa cenſetur communiter Catarrhus, à capite ad pulmones illabens. Cui ſententiæ videtur adhærere *Hippocrat. libr. 1. de morb. mulier. numer.* 16. ubi loquendo de ſuffocatione mulierum, ait: *Et à capite pituita defluit ad præcordia, velut ab eo quòd ſuffocatur.* Talis defluxus pituitæ à capite, ſuperiùs de Catarrho fuit excluſus, ideò alia cauſa inveſtiganda, quam cum *Etmull.* & *Lindano* determino eſſe ſanguinem in vaſis pulmonum ſtagnantem, eiſque motum interdicentem. Hujus ſententiæ fautorem habeo *Hippocrat.* qui *in libr. citat. numer.* 18. habet: *Aliquando verò ſtrangulatio fortis accidet, & caligo ante oculos obverſabitur, ut vertigo, utpote purgatione* (hoc eſt ſanguine menſtruo) *ſurſum vergente, & aſcedente*; à ſanguine ergo præcordia opprimente (inter quæ pulmones enumerantur) per Hippocrat. ſtrangulatio, ſeu ſuffocatio fieri poteſt. Excluſo defluxu Catarrhi, alia cauſa non eſt aſſignabilis, niſi ſanguis. Sanguinem poſſe colligi in ſubſtantia pulmonum, non eſt dubium, ſicut nec ab ejus collectione motum illorum impediri, & praxis oſtendit, per venæ ſectionem ſuffocationem multum moderari, ſi non tollitur; ex quo licet concludere, ſuffocativi Catarrhi cauſam eſſe ſanguinis vitium in motu retardato per ſubſtantiam pulmonum cum ſtagnatione iſtius in copia, à qua oppreſſa ejus potentia motiva, reſpiratio impeditur cum ſuffocatione, ſi ſanguinis miſſio ſuffocationem hanc, vel moderatur, vel tollit.

Sanguinis vitium in motu circulationis retardato conſiſtit, vel in copia ſanguinis, vel in iſtius viſciditate, & lentore, vel in coagulatione.

Sanguinis copia pulmones opprimere valet, ut non moveri poſſint; hac de cauſa in ſuppreſſis menſibus, & hæmorrhoidibus ſuffocationem obſervamus; in magnis etiam ſanguinis ebullitionibus, in quibus ſanguis valdè rarefactus vaſa ſummè diſtendit, prout diſtenduntur à quantitate, ſuffocatio apprehendit. Viſciditas, & lentor ſanguinis tardam iſtius circulationem efficit, & dum novus ſanguis ad pulmones pervenit, non excreta portione ei correſpondenti in cor, brevi temporis ſpatio pulmonis vaſa implentur. Cujus confirmationem nobis exhibent cacochymia, vel pituitoſa, vel biliosa laborantes, qui à quolibet etiam levi motu velut ſuffocantur, ob ſanguinis motum retardatum ab ejus viſciditate, cujus cauſa non expellitur à vaſis pulmonum tanta portio ſanguinis, quanta admittitur per motum impellentem. Coagulatio ſanguinis in pulmonibus, eodem modo ſuffocationem facit.

Hanc ſententiam non oppugnat materia craſſa per tuſſim ejecta, & ſputum ſpumoſum, ſtante ratione data ab *Etmull.* loquendo de Catarrho ſuffocativo, in explicanda cauſa horum duorum accidentium. Materia enim illa craſſa, eſt humor, ſeu lympha à glandulis ſubtus membranam tegentem ſuperficiem aſperæ arteriæ exiſtentibus expreſſus, à vaſis turgidis nimis eas comprimentibus. Sputum ſpumoſum, ait non eſſe niſi *ichorem ſanguineum*; ſepoſitum enim hoc ſputum, & per aliquod tempus reſervatum, & deſpumeſcens ichorem ſanguineum repræſentat. Talem ichorem, probabile eſt à vaſis ſanguine turgidis tranſudare, vel exprimi in bronchia, quibus firmiter adhærent.

Non rejicio, admiſſa hac ſententia, illam, quæ admittit ſuffocationem ex affectione laryngis, ratione epiglotidis, cujus irritatio, & ab hac pertinax ſtrictura ſequens, omnem ferè aeri ingreſum interdicit, ſuffocationemque inducit. Manifeſtum facit experientia guttulam vini, aquæ, vel micam panis laryngem ingreſſam, hanc irritare, & ab irritamento ita convelli, & reſtringi, ut aer non admittatur, cum aliquo ſenſu ſuffocationis, quæ ſequeretur, niſi ab excitata forti, & vehementi tuſſi irritans expelleretur. Hoc fundamento *Platerus* Catarrhum ſuffocativum anguſtiam in faucibus appellat.

Irritans eſt lympha, Catarrhus, vel humor acredine aliqua donatus exiens à glandulis membranæ pituitariæ fauces inveſtientis, effuſus in cavitatem oris, & ob ſuam craſſitiem hærens circa epiglotidem, & laryngem, haſque vellicans, & convellens, cum rimulæ conſtrictione, & anguſtia. Et ſi in hoc irritamento, & Catarrho ſuffocativo copia materiæ per tuſſim excernitur, hujuſmodi materia non eſt illa pariens ſuffocationem, ſed eſt humor ab irritamento laryngis, & à tuſſi, à glandulis aſperæ arteriæ, in bronchia, & cavitatem illo-

illorum expreſſione effuſus. Et aliquando redundante humore ſeroſo, vel lympha in corpore, implentur bronchia modo dicto, cum agumento ſuffocationis, cum ſtertore, & ſonitu materiæ abullientis in pulmonibus. Hæc dilucidant dicta ab *Hipp. lib. 2. de morb. nu. 56.* ſub titulo *Pulmo repletus.*

Cauſæ externæ ſunt, quæ plenitudinem pariunt, ſanguinem augendo, & conſuetam evacuationem ſanguinis impediunt, quæ à ſuis locis, & tractatibus deſumendæ, Cacochymiam pituitoſam, & melancholicam efficiunt omnia illa, quæ pituitæ, & melancholiæ generationi conferunt, & quæ acidum ſtomacis, pancreatis, lymphæ augent, inter quæ alimenta, & fructus acidi, & condimenta alimentorum acida, & animi paſſiones triſtes. Irritamentum addunt humori membranæ pituitariæ omnia illa, quæ aciditatem, acrimoniam humoribus tribuunt, & ſunt, omnia alimenta talis conditionis, motus violentus, inſolatus, vehemens ira, animi paſſiones, & intenſa applicatio.

Signa diagnoſtica cauſarum ſunt, quæ redundantiam ſanguinis manifeſtam faciunt, venarum turgentia, rubor faciei, victus ratio optimi ſucci, & copioſa, otium, ſuppreſſa evacuatio, ab ægri relatione aperta fient. Cacochymia à temperamento pituitoſo, vel melancholico aperietur à præcedenti victus ratione, ab erratis in ſex rebus non naturalibus aptis pituitam, vel melancholiam producere. Irritans ſalſum, vel acidum comprehendemus à ſapore ſalivæ. Signa diagnoſtica affectus ſunt manifeſta ex ſuffocatione.

Prognoſtica ſunt mali ominis, cùm à ſuffocatione totalis ſpirationis defectus immineat, & maximè ſi ſpuma circa os apparuerit in ſuffocatione, juxta *Hippoc. aphor. 43. ſect. 2. Ex his, qui ſtrangulantur, aut ſubmerguntur, nondum autem mortui ſunt, non reconvaleſcunt, quibus ſpuma circa os fuerit.* Spuma oritur à materia aerea ſpiritoſa ingreſſa fluidum craſſitie aliqua donatum, & ab eadem agitatum; ita aqua, vinum, oleum agitatione ſpumeſcit ingrediente aere, in bullaſque dicta corpora elevante. Spuma in ore fit à materia ſubtili, motu concitato ſalivam in ore agitantem; in ſuffocatis aer ſalivam non agitat, quia non ingreditur pulmones in copia, nec cum motu agitato in os recipitur, prout ad ſpumam efficiendam neceſſarium eſt; quapropter cauſa ſpumæ, in hoc caſu, videtur non poſſe refundi, niſi in fuligines in copia à redundantia ſanguinis pulmones opprimente elevatas, quæ impetu, & motu violento, quo ſunt inſignitæ, exitum à pulmonibus per coarctatam laryngis rimam ſibi parant, & eodem impetu ſalivam etiam agitant, & in ſpumam elevant. Hujus exemplum habemus in Equis, qui citato, vel laborioſo motu incaleſcentibus, circa os ſpumam colligunt, agitata, & commota ſaliva à fuliginibus copioſis ab incaleſcente in pulmonibus ſanguine ad os deductis; eadem ratione in iratis ſpuma circa os quandoque apparet, ob ſanguinis in pulmonibus vehementem incaleſſcentiam. Aer per anguſtam januæ rimam ingrediens, majori impetu, & actione ferit; ita fuligines per anguſtiam laryngis exeuntes, cum majori impetu, & motu ſalivam agitant. Spuma ergo indicat redundantiam, incaleſcentiam ſanguinis, & turgentiam vaſorum in pulmonibus, quæ vel inflammationem, vel rupturam eorum, vel ſubſtantiæ pulmonis magnam diſtractionem à vaſorum turgentia cum ſolutione debitę unitatis oſtendunt, magnam etiam laryngis anguſtiam ſpuma indicat, à quibus lethalis deducitur eventus. Et *aphor. 34. ſect. 4.* ait: *Si febricitanti tumore non exiſtente in faucibus ſtrangulatio ſubitò accidat, lethale,* quia pulmones dicto modo affectos denotat; & *in lib. de coac. prænot. Suffocatio in acutis, ægris attenuatis, perniciofa*; & *in lib. 1. prædict. n. 6. Suffocatio in dentium ſtridore, valdè mala,* quia convulſos pulmones, unà cum convulſis nervis maxillarum demonſtrat.

Quoad indicationes, ubi adeſt ſanguinis redundantia, vel ſuppreſſa iſtius evacuatio, unicam habemus mittendi ſanguinis indicationem, in ea quantitate, qua redundantia, & vires requirunt. Si non cedat ſuffocatio, habemus ſanguinem coagulatum in pulmonibus, unde ſecunda oritur indicatio hunc diſcoagulandi, cum lambitivo facto *ex decoctione Bellidis, & tincturæ florum rubrorum ejuſdem, cum ſpermate Ceti, Mumia, Myrrha.* Diœta ſit valdè tenuis, extenuativa, & ſit ſolus potus parùm nutritivus, *jus Pulli, Aqua Mulſa Aqua ex Dactylis parata.*

Si à Cacochymia, purgandus humor pituitoſus, & ſeroſus, & melancholicus; huic cauſam præbens purgantibus, quæ excrementorum redundantiam ſine agitatione auferant, & ſi non cedat ſuffocatio, mittendus ſanguis, poſt purgationem, cùm hujus ſtagnatio in pulmonibus præſupponenda ſit; non remittente ſuffocatione poſt purgationem, ſanguinis enim miſſione illi motum conciliabimus. Si extrema fuerit ſuffocatio, in principio miſſio ſanguinis præmittenda ad depletionem pulmonum, & motum ſanguini reſtituendum; & hæc eſt prima indicatio. Secunda erit, Cacochymiam auferendi medicamentis in hujus particulari Diſſertatione dicendis, ubi proponuntur remedia viſciditatem, lentorem, & acidum ſanguinis oppugnantia. Diœta ſit ejuſdem conditionis.

Irritans dat indicationem ejus moderationis, per epiceraſtica obtinendæ. Inter quæ *Succus Raparum, Mucilago, ſeminum Malvæ, Altheæ, Pſylii, cum Aqua Malvarum, Tuſſilaginis, Violarum,* vel *cum decoctione eorumdem, extracta, & in modum lambitivi aſſumenda.* A ſaccharatis, vel melitis omninò abſtinendum, quia irritamentum augent. *Oleum Amygd. D. ſine igne* convenit; *Butyrum multoties lotum,* cui miſceatur *Succus Liquiritiæ condenſatus, & in parvos bolos redactum in ore detinendos, paulatim deglutiendo, quòd diſſolvitur*; *Trochiſci de Papavere, Mynſicht. Emulſiones ſem. Papaveris albi,* non ſunt negligendæ; & in contumaci affectu opiata, ut *Laudanum liquidum,* prædictis lambitivis additum. Si copioſus erit affluxus materiæ irritantis, diſtinguendus à copioſa ſalivatione, & ſcreatione, ſecunda aderit indicatio purgandi. Extrema ſuffocatio tertiam præſtabit indicationem ſanguinem mittendi, ob rationes ſupradictas. Veſicantia, ubi adeſt affectio nervorum convulſiva, docente *Williſio*, conveniunt; in aliis cauſis nequaquam. Diœta eadem ſuperiùs deſcripta.

Specifica in Catarrho ſuffocativo, pro præſervatione, *Decoctum Hornungii.*

℞. *Ligni Saſſafras* ℥. ß.
Viſci querc. }
Lentiſci } *a.* ʒ. *vi.*
Fol. Betonicæ m. i.
Rad. Caryophilat. ℥. ß.

infund. in ℔. *ix. Aquæ pluviaris, vel fontanæ limpidæ, per diem poſtea bulliant, vaſe clauſo, per quadrantem horæ, poſtea adde Antimonii crudi craſſo modo contuſi, in petia ligati,* ℥. *i. & ſequatur ebullitio ad conſumptionem tertiæ partis; coletur refrigerato Decocto; de hoc ſumat manè* ℔. *i. & poſt tres, vel quatuor horas à cibo aliam libram, permanendo in lecto per duas horas poſt aſſumptionem, & fugiendo ventum; & aeris inclementiam.* Aliud Decoctum:

℞. *Rad. Caryophilat.* ʒ. *vi.*
Acorii ℥. *iii.*
Pulv. florum Sambuci m. ß.
Fol. Major. }
Serpilli } *a. m. i.*

inf. in Vini optimi ℔. *xvi. ſtent in loco calido per diem,* & ſit pro potu ordinario. Vel

℞. *Ligni Saſſafras* ℥. *ii.*
Caryophilat. ℥. *i.*
Fol. Roſmar. }
Serpilli } *a.* ℥. ß.
Vini generoſi ℔. *viii.*

Coquantur vaſe clauſo, lento igne, per horas octo poſtea removeatur, & inter cibum bibatur. *Vinum decoctionis ſimplicis radicis Caryophilatæ,* egregiè valet in præſervando à Catarrho. Ubi verò adeſt Cacochymia, valet ſequens Vinum mirificè:

℞. *Ligni Guajaci* ℥. *iii.*
Ligni Rhodii }
Saſſafras gummoſi } *a.* ℥. *iii.*
Cort. Tamariſc. ℥. *iii.*
Fol. Abſinthii m. i.
Scolopend. }
Lupul. }
Menthæ } *a. m.* ß.
Hyſſopi }

Rad. Helenii
Caryophilat.
Centaur. maj. } *a.* ℥. *i.*
Zedoariæ
Cinam.

Affunde Vini ℔.*xii. ſtent in infuſ. per tres dies in loco calido; de hoc ſumatur hauſtus primus in prandio, & cœna. Bolus armena orientalis rubra in lingua poſita, & palato admota tempore noctis; Theriaca recens, per duas vices in hebdomada ad* ℥. *i. tempore ſomni deglutita*, fluxum materiæ ad fauces, & laryngem prohibent. Idem præſtant ſequentes Pilulæ:

℞. *Myrrhæ* ℈. *ii.*
Thuris ℈. *i.*
Succi Liquir. ℈. *i.*
Croci gr. viii.
Charab. ℈. ß. *ſ. p.*

& cum Syr. Flor. Papaveris erratici formentur Pilulæ, grana quatuor pendentes, una ex his ſub lingua detinenda, & ſaliva deglutienda, donec conſumpta fuerit.

C A P. XIV.

De Incubo.

DE hoc affectu ſiluit Hippoc. & cum eo Galenus, & confirmatum manet ab aſſertione aliquorum de origine hujus ſymptomatis tempore Tiberii. Hunc à Dæmonæ excitari voluerunt Antiqui aliqui, contra quos valent rationes ab Hipp. allatæ de morbo ſacro. *Ephialtes* dictus fuit, ab inſaliendo, eo quòd ægro videatur ab homine ſuprapoſito invadi, & opprimi, & ſecundùm aliquos, cum actus venerei tentamine, unde forſan dictus Incubus, ſumpta denominatione à Spiritibus, qui dicuntur Incubi, & alii Sucubi. Quidquid ſit de iſtius denominatione, certum eſt à Medicis ſumi pro ſymptomate talis naturæ à ſua definitione manifeſtatæ;

Quæ eſt, *Reſpiratio difficilis, vocis interceptio, motus impedimentum, cum falſo inſomnio, ponderis, vel hominis pectori incumbentis.*

Talis eſt difficultas reſpirandi, ut ægri ſuffocari videantur, unde à *Dioſcoride* Incubus appellatur ſuffocatio in inſomnio. Adeſt vocis interceptio, ut auxilii cupidi hoc voce petere impediantur, ſuffocationis argumentum. Motus impedimentum conjungitur, dum enim vel ab opprimente pondere, vel à larva timorem incutiente liberare ſe tentant, nec membra, nec corpus movere poſſunt. Ponderis ſenſum in pectore omnes hac affectione detenti percipiunt. Fatentur aliqui, Saga, Gigante, Dæmone opprimi, Venerem cum ipſis exercente, ſeu exercere nitente imaginantur in actu oppreſſionis, eum in modum, quo fœminæ à Spiritibus Incubis compræſſæ opprimuntur, à quibus nomen morbi Dæmoniaci deſumpſit hic affectus, & etiam Incubi, cùm invadat eo modo, quo Spiritus Incubi fœminas eis familiares comprimunt. Accidit hoc in ſomno per inſomnium ab imaginatione conceptum, in quo repræſentatur tale corpus pectori incumbens, & de hoc recordantur ægri, omnes paſſiones, & circumſtantias narrando, quomodo alia inſomnia terribilia narrantur à patientibus, cùm hæc memoriæ maximè infigantur.

De ſubjecto hujus ſymptomatis dubitarunt *Fernelius*, & *Platerus* contra Antiquos, unanimi conſenſu tenentes, cerebrum eſſe ſedem principalem Incubi, & cum hoc nervos, vel leviter obſtructos, vel irritatos. Hanc ſententiam ſecuti ſunt Recentiores, *Williſius*, *Le-Boe*, *Doleus*, contra quos ſtetit *Etmull.* ſentiens cum *Fernelio*, & *Plateo*, Incubum eſſe in partibus reſpirationi ſervientibus, tamquam in primario ſubjecto. Fundamentum ſententiæ Antiquorum fuit impedimentum motus corporis, quod niſi ab affectis nervis, & cerebro eorum origine provenit, & inſomnium, cui tota ratio ſymptomatis hujus innititur, cum hoc, evanaſcente ſymptoma, ceſſet, & niſi in ſomno, cum inſomnio conjuncto, tale ſymptoma affligat. Exiſtente ergo impedimento motus in cerebro, & cùm in eodem ſit ſomni, & inſomnii, ſedes Incubum in hoc malè affecto reſidere fatendum eſt, cùm prædicta duo in hoc conjungantur.

Contrariam ſententiam ſuſtinentes validioribus rationibus muniuntur. Eò quia ex data definitione, colligimus, eſſentiam hujus ſymptomatis explicari per difficilem reſpirationem, cum ſuffocatione, & per vocis amiſſionem, quæ ſunt paſſiones partium ſpiritalium, conſequenter Incubi ſedes iſtæ ſtatuendæ, in quibus eſſentiales iſtius proprietates permanent, & validè confirmata manet hæc ratio, à pondere in pectore ſenſibili, quod connotat cauſam oppreſſionis, & ſuffocationis eſſe in partibus ſpiritalibus; cùm in difficili reſpiratione, & ſuffocatione cauſa cerebri, tale pondus non præſentiatur, ut patet in Aſthmate convulſivo, in quo, licèt conjungatur ſuffocatio, ponderis ſenſus non adeſt in pectore. Solutio ſymptomatis cita, cum excitatione à ſomno, nullam eſſe labem cerebri, nec nervorum docet, cùm materia etiam vaporoſa nervis communicata, intra anguſtam eorum capacitatem recepta, non poſſit tam citò reſolvi, obſiſtente medulloſa, & valdè compacta membranoſa ſubſtantia illorum; quod obſervamus in convulſione *Crampes* dicta, quæ, licèt ex multorum, imò ferè omnium ſententia à flatu producatur, per aliquod tempus perdurat, nec adeò facilè ſolvitur, ſicut Incubus: prætérquamquòd admiſſa læſione in nervis cerebri incolis, non poſſumus explicare, cur Incubus invadat ſemper ſupino, & dormiente ægro non in latus, ut explicabimus, admiſſa ſententia mox deſcribenda; nec valet ratio à *Duncano in tract. de motu Animal.* allata, in Incubo quartum ventriculum impleri ſero ſuſcepto ab anterioribus ventriculis, dum æger ſupinus jacet, ab hoc ventriculo impleto comprimitur octavum par nervorum, ſecundùm alios ſextum actioni involuntarii motus ſerviens, à cujus compreſſione interdicto influxu ſpirituum animalium impediuntur dictæ actiones, inter quas eſt reſpiratio, loquela. Non valet inquam, cùm hic ventriculus, ſecundùm aliquos, ſit receptaculum ſpirituum animalium, & in eo elaborentur, ideòque nomine nobilis ventriculi diſtinguitur, & ab *Herophilo*, ratione hujus officii, præſtantiſſimi elogio decoratur; quo ſtante, à ſero recepto turbaretur generatio, diſtributio ſpirituum, nec tempore, quo Iucubus evaneſcit, reſtitui poſſet ventriculus ſuo recto officio, nec eſt via, per quam dictus ventriculus à fluxo ſero ſe exonerare poſſit in eo tempore, in quo cedit Incubus. Præterea quartus ventriculus eſt ſupra medullam oblongatam, octavum par è medio medullæ oblongatæ naſcitur, & compreſſio à pauco ſero non poteſt eſſe tanta, ut valeat medullam per dictum ſpatium comprimere, ut ſuccedat compreſſio octavi paris; & ſuccedere debet priùs compreſſio aliorum parium, quæ ſunt ſupra octavum, cum læſione viſus, auditus, guſtus, motus labiorum, maxillarum, & tamen hoc non ſuccedit, conſequenter non poteſt admitti iſta compreſſio.

Pro explicanda ergo cauſa immediata hujus affectus, præmitto hunc invadere pituitoſos, melancholicos præcipuè, & etiam præcedente crapula, & ſupino dormiente ægro. In hoc ſitu incaleſcunt maximè humores in utroque pulmonum lobo contenti, & eorum tranſpiratio inſenſibilis prohibita retinetur, compreſſione poris cutis obturatis regioni pulmonum correſpondentibus. Sanguis pituitoſus, & melancholicus eſt maximè vaporoſus, & in crapula vapores redundant. In ſomno ſanguis refrigeratur, ex Hipp. tardè, & lentè movetur, & parùm efferveſcit, ut colligitur ex pulſu parvo, expiratio eſt lenta, tarda. In ſomno ergo ſanguis, ob ſui frigiditatem, lentè circulatur per pulmones, in eis etiam quantitate excreſcit, ex decubitu ſupino incaleſcit, non ut fluidior evadet, ſed tantum quantum requiritur ad vapores elevandos à ſanguine craſſo, viſcido, qualis eſt pituitoſus, & melancholicus, à vapore copioſo, cujus prohibita tranſpiratio per partes poſteriores, ratione ſupini decubitus, pulmones opprimit, ac ſi per pondus ſuperpoſitum pectori opprimeretur, cum ſuffocatione. Oppreſſionem auget, tarda in ſomno ſuccedens expiratio, per quam retinetur pars aeris inſpirata, & fuligines, quæ cum copia ſanguinis in pulmonibus collecta ramificationes aſperæ arteriæ cum eiſdem vaporibus opprimunt, & ſicuti iſtæ oppreſſæ reſpirationi non ſerviunt, ita nec vocis articulationi, unde impedita loquela, cum reſpiratione. Hæc poſſunt ſuccedere à ſolis vaporibus è ſanguine elevatis, & à vaſis expirantibus, ambitumque exteriorem occupantibus pulmonum; hujuſmodi vapo-

vaporum tranſpirationem extra vaſa, probat aer expiratus calidus, licèt frigidus inſpiratus fuerit, incaleſcit enim à vaporibus, ſeu fuliginibus à ſanguine in vaſis expirantibus, & aeri admixtis, ſed etiam ab eiſdem vaporibus in vaſis incluſis, dum hæc diſtendunt, & motum eorum ſufflaminant, unde ſanguinis plenitudinem colligunt, opprimentem pulmones, vel à quantitate fuliginum retenta, oppreſſo ſpiritu ſanguinis ſtatio ibi figitur, & ſuo pondere rei incumbentis ideam exhibet imaginationi, Si addatur crapula, vapores ab hac elevati Diaphragma opprimunt, & difficilem reſpirationem augent.

Vapores ergo ſunt cauſa immediata Incubi, ideòque facilè cedit; expergefacto enim ægro ſanguis motum recuperat, cum eo vapores fluunt, & deonerato pulmone à ſanguine, vapores etiam diſſipantur, & per celeriorem expirationem, & cutis liberam tranſpirationem, mutato ſitu, liberi ab oppreſſione evadunt pulmones. Hinc patet jure merito, Incubum affectionem pulmonum eſſe, hoſque iſtius eſſe principale ſubjectum. Rejiciendo etiam *Etmulleri* ſententiam, ſecundùm eam partem admittentem motum convulſivum in nervis diaphragmatis, cùm non ſit aſſignabilis ratio, per quam poſſit explicari motus illorum convulſivus homine ſupino dormiente.

Rationes allatæ pro ſtabiliendo cerebro Incubi ſubjecto, invalidæ demònſtrantur. Perit motus vigor, non ob vitium cerebri, ſed cordis, cui, ob difficilem reſpirationem, debitus ſanguinis fluxus denegatur, cum ſpirituum vitalium diminuta ſegregatione à ſanguine in ejus ventriculo ſiniſtro in parva quantitate delato. Ab horum diminutione languor, & deficiens ſpirituum animalium energia proficiſcitur, unde motus debilitas, & impedimentum, prout obſervamus in omnibus affectibus cordis, cum diminutione ſpirituum vitalium, ut in animi deliquio, & lypothimia, in quibus motus impedimentum reperitur. Et manifeſtum fit à pulſus conditione in actu remiſſionis hujus ſymptomatis, qui paulatim ad validiores pulſationes devenit, ſed cum inordinatis vibrationibus, ſaltibus, & irregulari motu pulſationum, ob ſanguinem irregulari motu, & impetu à pulmone ad cor fluentem, & tunc ſolùm æqualitati reſtituitur pulſus, quando ſenſus oppreſſionis in pectore cedit, quia tunc ſanguis æquali motu ad cor tendit, vaporibus diſſolutis, & vaſorum pulmonis plenitudine diminuta.

Nec ſemper affecti cerebri ſignum infallibile inſomnium depravatum; quandoque enim partium inferiorum paſſiones huic occaſionem præbent. Hoc demonſtrat *Etmullerus in diſſentatione de Incubo*, exemplo eorum, quorum ſeminis abundantia vaſa ſeminalia proritat, quæſita moleſti expulſione, cui ſatisfacit imaginatio venereum phantaſma ſibi proponendo, ſeminis expulſionis excitativum. Imaginationem à ſeminis irritamento determinari ad venereas imaginationes probant illi, qui ſemine turgidi continuis imaginationibus venereis moleſtantur, quæ ceſſant deoneratis vaſis à ſeminis copia. Ita enim ſe habet Veneris, ſicut famis appetitus; hic excitatur à paſſione ori ventriculi ſuperiori inflicta, vel ab acido eſurino, vel ab indigentia cibi; ita appetitus Veneris à paſſione vaſis ſeminalibus à contento ſemine impreſſa. Inſomnium hominis pectori incumbentis, non parit in hoc ſenſum ponderis, nec difficilem reſpirationem, nec loquelæ deperditionem inducit, ſed pondus in pectore à ſanguine, & vaporibus pulmones afficientibus pendens, occaſionem dat tali inſomnio. Per ſenſum enim ponderis à pulmonibus oppreſſis reſultantem, à ſenſu communi perceptum, & imaginationi, & phantaſiæ repræſentatum tamquam quid ſimile ponderi pectori ſuperpoſito, & aliàs forſan per corporis impoſitionem percepti, phantaſma corporis ſupra pectus impoſiti à Phantaſia componitur, à quo inſomnium talis conditionis evenit.

Cauſa ergo Incubi reducitur ad vapores, & ad ſanguinem facilè in iſtos reſolubilem, qualis pituitoſus, melancholicus, ideò etiam talis ſanguis inter cauſas primarias hujus affectus enumerandus.

Inter cauſas remotiores habendæ, ſunt illæ, quæ ſanguini pituitoſo, & melancholico generando opem ferunt. Aerem nebuloſum, epidemialem Incubum Romæ excitaſſe teſtis eſt *Cæl. Aurel.* Victus ratio, & voracitas infantes huic ſymptomati ſubjicit, & ebrietas, & crapula adultos. Suppreſſæ evacuationes ſanguinis, & alvi conſuetæ originem huic ſymptomati parant, ſicut ſeminis redundantiæ, pro qua conſultationem habet *Zechius de Nobili*, *qui Incubo frequenter correptus, in eo à venereis ſemper, cum inſomnio occupabatur.*

Signa diagnoſtica ſunt enumerata in definitione, *difficilis reſpiratio*, *vox impedita*, *motus languidus*, *ponderis pectori incumbentis ſenſus.* Differt ab Apoplexia, quia non aboletur motus; in illa adeſt libera reſpiratio, in hoc difficilis: à Syncope, quia in hac pulſus deficit, in Incubo minimè.

Prognoſtica: Si morbus raro invadat à cauſa externa, nullius eſt periculi; ſi ab interna, ſolitarius, ſine vitio cerebri, pulmonum, cordis, non interimit. Si frequens ſit, timendum ſymptoma, & magis timendum, ſi quotieſcumque advenit, augeatur. Si poſt ſymptomatis remiſſionem æger, vel ſpaſmo, vel ſyncope, vel ſudore frigido corripiatur, lethale.

Indicationes, aliæ reſpiciunt curationem in paroxyſmo, aliæ præſervationem extra paroxyſmum. In paroxyſmo, principale remedium eſt ægrum à ſomno excitare; qua de cauſa huic ſymptomati ſubjecti, numquam ſoli in lecto decumbant, ut correpti ab Incubo excitatorem habeant, à ſomno excuſſo molienda vaporum diſſipatio, & ſtagnantis ſanguinis motus excitandus, & accelerandus; in quem finem proſunt omnia aromatica, cœphalica, & volatilia alkalica, ut *Aqua Cinamoni*, *Theriacalis*, *Aqua vitæ Matthioli*, *Spiritus carminativus Sylvii*, *Oleum Cinamomi*, *Macis*, *Citri*, *Garyophilorum*; *Aqua Antipopletica*, *Magnanimitatis dicta*, *Majoranæ*, *Pulegii*, *Lavendulæ*, *Serpylli*; *Spiritus*, & *Oleum Juniperi*, *Quinta eſſentia Roſmarini*, *Salia Roſmarini*, *Salviæ*, *Lavendulæ*, & ſimilia. Alkalica ſunt: *Oleum Charabe*, *Spiritus fuliginis*, *Cornu Cervi*, *Salis armoniaci*, *Spiritus*, ex quibus varia poſſunt parari remedia. Mixturæ in hoc caſu magis propriæ, cùm æger non ſit in ſtatu longa, & copioſa remedia deglutiendi, remedia ſæpè, & in parva quantitate accepta, erunt ei magis commoda, & ſalutaria:

℞. *Aquæ Theriacalis*
Cinam.
Origani } *a.* ℥. *ii.*
Aquæ vitæ Matthioli ʒ. *ii.*
Spir. Carminat. ʒ. *i.*
Ol. Macis gutt. v.
Sal. Armoniaci ℈. *i.*
Spermatis Cæti ʒ. *i.*
Syr. de Stecade ℥. *i. M.*

Aquis prædictis, cum Oleis prædictis, & Spiritibus alkalicis, epithemata & pectori, & cordi paranda. Venæ ſectio non convenit, niſi affectio cordis conjuncta urgeat, ut lypothimia, ſyncopes, anguſtia, & ſuffocatio reſpirationis; in his ad conciliandum motum ſanguini, in illis ad avertendam copiam ſanguinis à corde.

Quoad præſervationem, habemus primò indicationem pituitam, ſeu melancholiam ſanguinem depravantem præparandi. Secundò eoſdem humores purgandi; remediorum normam pro utraque indicatione adimplenda habebimus de Cachexia; ſanguinis miſſio, ſi ſit cum plenitudine æger, vel aliqua evacuatio ſanguinis in eo ſuppreſſa, exercenda. Tertiò errores externi, ut crapula, ebrietas, vitandi: his commiſſis occurrendum vomitu. Quartò ſpecificis utendum, inter quæ *Vinum Abſinthii*, *vinum baccarum Juniperi*, *Sem. Peoniæ maris*, *cum Spec. Pliris arcoticon a.* ʒ. *i. cum Aqua Salviæ manè aſſumpta*, valdè præſtantia ſunt in hoc affectu; ſicut *Theriaca* bis in ſeptimana ante ingreſſum lecti aſſumpta *in Aqua Peoniæ*. *Decoctum Ligni Lentiſci*, & *Saſſafras*, *cum Raphano ſylveſtri*, & *Naſturtio aquatico*. *Mixtura ſimplex à Rolfincio in Chymia ad artem redacta*, *cum Aqua Cardui benedicti*, ſunt efficacia remedia.

Diœta ſit directa ad fugienda omnia alimenta vaporoſa, & craſſa. A Vino generoſo abſtineat, Aquam relinquat pro potu, ſed Vino tenui moderato utatur; Aqua & flatus, & pituitam generat; Vinum generoſum, quia fumoſum, & colliquativum, ideòque fluxionum excitativum, pituitæ parens eſt. Inter cœnam, & ſomnum

tres ſaltem horæ intercedant, cubitum iturus aliqua ex ſupradictis aſſumat remedia.

C A P. XV.

De Morbis Cordis. De Uſu Cordis.

SUprema Cordis dignitas, ſuæ actionis neceſſitas, & excellentia, internum munimentum pericardii, aquæ circumvallatio, externum coſtarum propugnaculum, non ſufficiunt ad excludendos, morbos a Cordis aggreſſione, cùm vi, vel arte, vel invitati ab erroribus ſuperatis propugnaculis Regiam Vitæ ingrediantur, vexilla mortis in ea figant. Horum morborum artes, & modos aggreſſionis detecturus, ut faciliùs rejiciantur, & debellentur, aliqua de Cordis actione, & uſu præmittenda.

In Corde motus, calor, ſanguinis perfectio, ſpirituum generatio obſervantur.

Motus Cordis eſt manifeſtus, in motu arteriarum, & pulſus, & etiam manus regioni Cordis admota, de hoc nos certos facit. Antiqui hujus motus principium facultatem ſtatuerunt, quam aliqui definierunt *Principium operationum; Fernelius* dixit, *Vim, quam à ſuo ſinu promit Anima, & ad munerum functiones profert.* Recentiores negant, & ſuſtinent, ſolùm organum, & materiam, ſeu ſpiritum ad motum Cordis ſufficere, quam ſententiam omnibus facultatibus dictis applicant.

Pro hujus quæſtionis deciſione videndum, quod intelligendum ſit nomine facultatis, & an hoc ſit applicabile motui Cordis.

Per facultatem intelligunt communiter omnes Philoſophi, & Medici, operandi, ſeu agendi facilitatem; cùm verò operari, & agere principium actionis, & operationis ſupponat, ideò etiam dicitur principii activi, & operativi facilitas, & hoc à Recentioribus, & Antiquis eſt receptum.

Cum hac ſuppoſitione conſidero Corpus humanum totum organicum, prout oſtendit definitio Animæ ab *Ariſtotele* tradita, *Actus Corporis organici*. Organizatio Corporis pro Animalis integritate, præter communem aſſertionem, etiam Recentiorum ſenſu probatur; omnis enim pars iſtius propriam, & peculiarem habet organizationem alicui functioni, vel familiari, vel communi deſtinatam. Hujuſmodi organizatio, non ſolùm in homine, ſed in brutis, & plantis manifeſta demonſtratur. In Corpore Cor eſt organum hujus motus. Omne organum eſt relativum, & dicit reſpectum ad illud, cujus eſt organum, nempè ad aliqnod principium, quod pro ſui operatione indiget organo tali. Malleus eſt inſtrumentum pro percuſſione, & dicit reſpectum ad manum, quæ eſt principium illius motivum; ita Cor, ſi eſt organum, motus in eo exercitus dicit relationem ad aliquod principium, & ſicuti malleus numquam percutiet, niſi à manu tamquam à principio movente, moveatur, ita cor, ſi eſt organum, numquam motum pulſus exercebit, niſi à principio, ad quod habet reſpectum, moveatur, unà cum organo; ergo admittendum principium; imò neceſſarium cum organo admittere principium, & conſequenter in Corde, quod eſt organum pulſus principium movens, admittendum. Cor eſſe organum ſancivit *Hippoc. lib. de cord. num.* 4. ubi Cor *Muſculum* appellat, & ejus textura oſtendit, cùm ad iſtar muſculi ſit contextum. Muſculus ab omnibus admittitur organum motus, & pariter Cor, ſi eſt muſculus, erit organum motus in eo obſervati; ſi eſt organum, ei concedendum principium, & tale, ut motum æqualem conſtrictionis, & dilatationis in Corde moderetur. Hoc principium Antiqui voluerunt Animam, à qua facultas pulſifica, Recentiores ſpiritum animalem, & ſanguinem, & ex organo, & iſtis haberi motum pulſus. Verùm dubium mihi eſt, an integritas organi, ut organum requirat ſpiritus, & ſanguinem, & ultrà hæc requiratur principium. Quid ſit autem de hoc, certum eſt ad pulſum requiri organum, & principium; quodcumque admittatur, admiſſa autem *Anima in Corpore, tamquam forma totius*, ut determinatum eſt *à Sacroſancto Concilio Tridentino*, hæc credenda principium, vel Anima ſenſitiva in brutis.

Quocumque poſito principio motus Cordis, ex hoc, & organo conſtituitur facultas pulſifica; nam principium motus in homine ſe ſolo non ſufficit ad edendum pulſum, ſicut nec organum ſolùm; ex utroque ergo debet coaleſcere facultas pulſifica, quæ dicenda illa, à qua motus pulſus in Corde efficitur, ſed emanat à principio movente unà cum organo; ergo facultas pulſifica cognoſcenda eſt in principio movente, & in organo, quorum complexus facit facultatem, cùm ab hoc complexu operationes proveniant.

Hinc deducimus, facultatem pulſificam non diſtingui ab aliis facultatibus in ratione principii moventis, cùm ſit idem in omnibus partibus, ſed in ratione organi, quod pro facultatum diverſitate diverſificatur: & ſimul inferendum eſt rationem ſanitatis, & morbi non eſſe conſiderandam in principio movente organum pro functionibus corporis, ſed in organo, à cujus diſpoſitione bona, vel mala determinatur principium ad benè, vel malè agendum, itaut organum ſit determinativum principii, non ſolùm ad hanc vel illam actionem exercendam, ſed ad hanc benè, vel malè efficiendam.

Quoad calorem, Cor ſemper habitum fuit pro fonte caloris; talem appellavit *Hipp. li.4.de morb. n. 2. & li. de carn. num. 7. Et calidum plurimum in venis à Corde ineſt*, quibus verbis Cor deſignatur fons caloris in ſanguine exiſtentis. Et *in cit. loc. de carn. Cor. eſſe calidiſſimum* ſcribit *in Puero*, & calidum Cordis reliquo Corpori, & omnibus partibus motum præbere, quod *in li. de oſs. num.* 18. confirmavit.

Pro intelligentia mentis Hippocratis, licet ſupponere naturam ſanguinis variis conditionibus circumſcribi: Eſt ſubſtantia numeroſis particulis calidi conſtans, in reſolutione alimentorum à fermento ventriculi, & à depuratione à fermentis inteſtinorum exercita collectis in unum, cum portione humidi alimentalis, à quo in unum fluidum colligantur. Copia harum particularum demonſtratur à copioſa generatione ſpirituum animalium, & vitalium, quam à materia ſpiritoſa ſanguinis agnoſcimus, ab ejus diſtillatione copiam ſpiritus volatilis exhibente. Portio harum particularum ſemper eſt in motu, à quo fermentatio in ſanguine adeò neceſſaria perennis conſervatur, & ab hac novæ particulæ quieſcentes ſemper excitantur, in locum earum, quæ tranſpirant, & in ſpiritus animales abeunt ope Cerebri. Quo plures particulæ calidæ in ſanguine exaltantur, & libertati donantur, eò magis calor in eo excreſcit, ut patet in manibus frigefactis, quæ per confricationem incaleſcunt, non ob excitatum calorem Cordis in manuum confricationem, ſed per excitatos ſpiritus calidos à ſanguine in manus poroſitatibus, ſeu in iſtius vaſis exiſtente, ſicut in eadem introductum fuit frigus, ob compreſſionem particularum calidarum quietem iſtis indicentem; à quiete ad motum redeunt illæ particulæ, non ob caloris actionem, ſed per motum confricationis ſpiritus compreſſos excitantem. Ab hoc erudimur, calorem in ſanguine excitari non ſemper à calore ignis, vel corporis calidi, ſed multoties partium ſanguinis diſtractionem, comminutionem, & contritionem ejuſdem ſubſtantiæ talem raritatem inducere, vel partes adeò diſtrahere, & dividere, ut locus relinquatur ſeparationi particularum calidarum, eo modo quo Spiritus Chymici odori agitatione plus odoris exhibent, & granum Moſchi, vel Ambræ contritum, & comminutum, odorem magis intenſum, & ad majorem diſtantiam effundit, non alia de cauſa, niſi quia in dictis caſibus fit diſtractio, vel diviſio partium libertatem multis particulis odoris impertiens.

Præter hæc concipiendus modus, quo fit Cordis motus; hic eſt motus compoſitus ex conſtrictione, & dilatatione; primus dicitur ſyſtoles, ſecundus dyaſtoles, ſeu dilatatio, & conſtrictio. Motus conſtrictionis Cordis, quo ſanguis ſiniſtri ventriculi iſtius in arteriam magnam impellitur, ſupra omnes à *Borello tom.* 2. *de motu Animal. cap.* 2. *propoſ.* 2. explicatur demonſtratione Anatomica, qua docemur in conſtrictione Cordis fibras carnoſas ſiniſtri ventriculi, & papillas ejuſdem ſanguine à coronaria arteria deſcendente impleri ad turgentiam, & in plicas, & rugas valdè duras, & tenſas contrahi ob plenitudinem; turgentia, & plenitudo iſtarum cavitatem ſiniſtri Cor-

Cordis ventriculi implet, & impetu quodam, & vi compreſſionis à dicta turgentia, & plenitudine fibrarum, & papillarum emanante conterritur, & comminuitur ſanguinis ſubſtantia compreſſa, eo modo, quo à compreſſione comminui videmus ſubſtantias molles, cum ſuarum particularum diſgregatione, & ſeparatione; eodemque impetu compreſſionis ſanguis in dicto ventriculo contentus, cum vi, & impetu in arteriam magnam eidem ventriculo appenſam impellitur, non abſimili modo, quo nucleus ceraſorum pollice digitis cum violentia compreſſus ad multam diſtantiam, cum vi, & impetu projicitur, concurrente principii moventis efficacia, quòd ad motum, & impulſionem determinatur à ſtimulo moleſto plenitudinis, & turgentiæ fibras prædictas afficiente, impetum, & vim à turgentia, plenitudine, duritie, & tenſione fibrarum proficiſcentem auget, effervescentia in fibris carnoſis ſanguine plenis excitata, ob mixtionem ſpiritus animalis cum ſanguine in iſtis contento. Spiritum animalem carneis fibris largiuntur fibræ nervoſæ, quæ in quamlibet fibram carnoſam tranſmittuntur, iſtique figuntur, prout excitatur in aliis muſculis ex eorumdem concurſu, quanta ſit vis effervescentiæ, & maximè in anguſto ſpatio ſimili illi cavitatis fibrarum carnearum, demonſtratur à vi Vini effervescentis in dolio clauſo, qua non ſolùm lignum, ſed & feramenta illud circumcingentia diſrumpuntur; iſtius ſanguinem in arteriam impellentis efficaciam arguere poſſumus, ex eo quòd parva illa portio ſanguinis cum impetu concepto valeat movere totam maſſam ſanguinis in arteriis contentam, quæ de facto movetur, ut probat pulſus arteriæ in qualibet parte, eodem tempore, quo pulſat in Corde, arteria illi connexa recipiendo ſanguinem à Corde, cùm dicta vi, quam *Borell. prop. 73. cit. lib.* probat eſſe majorem virium ponderis librarum 18000. & nobis argumentum offert judicandi, quanta ſit vis, qua comprimitur ſubſtantia ſanguinis in ſiniſtro ventriculo Cordis, & determinandi talem eſſe, ut ab ea ſuccedat magna contritio, & comminutio ſubſtantiæ ejuſdem, non aliter, ac ſi prælo comprimeretur, à qua ampla particulis calidis, & ſulphureis via aperitur, ut in copia diſgregentur, & ſeparentur à particulis craſſis, quarum major copia in ſanguine remanens, præcipuè arterioſo, perennem, & inſignem in hoc conſervat calorem, quem fovet duplicatum membranarum munimentum, à quo tranſpiratio dictarum prohibetur non ſolùm, ſed repercuſſæ à dictis membranis particulæ fugam molienes intra ſanguinem repelluntur, & ab his ſummè, ſed naturaliter excalefacto ſanguine, & in partes effuſo calor iſtarum communi totius beneficio conſervatur. Portio altera diffuſa per ſubſtantiam Cordis, calorem valdè inſignem iſti communicat. Hæc omnia patent ex ſuperiùs adnotatis, & ſuppoſitis de natura ſanguinis, & de principio pulſus, à quo omnes dictæ affectiones, & impulſus reguntur.

Hæc omnia manifeſtum faciunt, mineram, fontem caloris humani Corporis eſſe ſanguinem, non Cor, quod non effectivè ad dictum calorem concurrit, ſed inſtrumentaliter, & excitativè, conterendo, & comminuendo ſanguinem ſuo motu, eo modo quo ſilex eſt fons, & minera ignis, ferrum, & percuſſio eſt inſtrumentum, quo ignis extrahitur, neutiquam verò nec à ferro, nec à percuſſione efficitur.

In hoc ſenſu intelligendi ſunt *cit. text. Hipp.* Cor eſſe fontem caloris inſtrumentaliter, vel excitativè, non effectivè, & fontem caloris verum eſſe ſanguinem, quatenus ab hoc extrahuntur omnes illæ particulæ calidæ, per quas & ſanguis ipſe, & Cor, & totum incaleſcit, has fovet, & in ſe colligit ſanguis.

In hujus confirmationem addo, in Ovo incubato apparere primò punctum, ſaliens dictum, in quo obſervatur motus dilatationis, & conſtrictionis proprius Cordis, & quòd verè eſt rudimentum, & principium Cordis, hoc in ejus loco enaſcente. In puncto ſaliente apparet ſanguis, antequam Cor perfectum appareat; ex quo deducendum, ſanguinem habere ſuum eſſe, & calorem independenter à Corde, ideòque deducendum eſſe, ſanguinem non recipere calorem à Corde, ſed Cor à ſanguine, & ex hoc verificari dictum *Hipp. in li. de carn. n. 7. Cor calidum eſſe, quia ſpiritum habet.* Talem ſpiritum in ſua ſubſtantia ſolida habere non poteſt Cor, à quo inſignem recipiat calorem, cùm ſoliditas partium motum particularum impediat, à quo actus caloris dependet, & ſi Cor habet calorem, potiùs dicendum a ſpiritu ſanguinis habere, quàm à ſua ſubſtantia, cùm ſpiritus, ex dicto *Hipp. in cit. loc.* calidus ſit.

Motus dilatationis, ſeu dyaſtoles Cordis, contractioni ſuccedit modo contrario, quo ſit conſtrictio, hæc, ut oſtenſum eſt, ſit à plenitudine ſanguinis, fibrarum, & papillarum dilatatione; ergo ab inanitione ſanguinis ſit dilatatio, dum per vim compreſſionis, per energiam effervescentiæ ſpiritus animalis cum ſanguine, per actionem principii moventis ab irritamento plenitudinis determinati, ſanguis à ventriculi ſiniſtri Cordis conſtrictione in arteriam magnam impellitur, eodem motu, & cauſis ſupradictis ſanguis in fibris, & papillis collectus exprimitur in dictum ventriculum, & ab hoc in arteriam magnam. Hoc modo depletæ fibræ, & papillæ illæ extenduntur, iſtæ detumeſcunt, & Cor in hoc ſtatu dicitur eſſe in dilatatione, ad quam concurrere principium motivum Cordis ſuadetur ab hoc, quòd talis dilatatio ſit actio vitalis; provenire etiam à ſola partium diſpoſitione in fibris, eo modo quo virga incurvata, ſibi relicta extenditur per ſolam diſpoſitionem ſuarum partium, & texturæ, non eſt improbabile.

Hiſce principiis explicatur natura, modus, pulſus, unà cum ſuis differentiis.

Sanguinem in Corde perfici, cum Ariſtotele ſenſerunt omnes Medici; hanc perfectionem cognoverunt in calore, quem à Corde illi impartiri crediderunt, unà cum volatilitate, & ſpiritualizatione. Calorem, patet ex dictis à Corde non proficiſci; volatilizatio, & ſpiritualizatio Cordi poteſt concedi, ſed non per aliam actionem, niſi per contritionem, & comminutionem ſuperiùs dictam.

A Corde ſanguificationem confici ſancitum fuit à multis Philoſophis, cum Ariſt. à Medicis conceſſum fuit hoc privilegium, à Recentioribus excluſum ob multas rationes, & prima deſumpta à parte primò recipiente chylum, quæ eſt ſanguis; nam chylus in inteſtino depuratus à fœcibus ope fermentorum bilis, & ſucci pancreatici, ingreditur orificia lactearum aperta in inteſtinis, ab his transfertur ad magnam glandulam lumbalem, ſeu ciſternam chyli; ab hac perductum thoracicum in ſubclavias effunditur, miſcetur ſanguini, cum eo ſemper manſurus. & fluxurus, conſequenter ſanguini, qui eſt pars, & vivens noſtri Corporis concedenda chyli in ſanguinem tranſmutatio; & hæc ratio convincit in ſententia Antiquorum determinante hepar ſanguificare, quia primò recipit chylum mediantibus venis meſſeraicis; ſtante verò demonſtratione Anatomica, chylum meſſeraicas non ingredi, nec ad hepar pervenire, ſed per lacteas ſanguini conſignari, excludendum hepar à ſanguificatione, & iſtius loco ſubſtituendus ſanguis, ob eamdem rationem. Secunda deſumitur à ſanguine, qui propriam habet actionem fundatam in ſua temperie reſultante à mixtione elementorum, quorum particulæ erant in chylo, & recepit ab alimentis in prima quaſi elementa reſolutis in digeſtione, cui in ventriculo ſubjecta fueruut, à fermento digeſtivo ejuſdem paracta. Per hanc temperiem habet ſanguis principium agendi, & convertendi in ſui naturam paſſum diſpoſitum; recipiente ergo ſanguine chylum, cum diſpoſitione ad mutationem in ſanguinem ab omnibus admiſſa, neceſſe eſt, ut ſanguis mutet in ſui naturam chylum, cùm in eo ſit potentia mutandi, ratione ſui principii activi, & in hoc ſit diſpoſitio ad hanc mutationem ſubeundam, & in utroque ſit neceſſitas agendi reſpectu principii ſanguinis, & patiendi, ſequendique virtutem principii reſpectu patientis chyli. Præterquamquòd nullum eſt in Corpore agens magis proportionatum ad ſanguificationem, quàm ſanguis, cùm nullum agens ſit magis ſimile ſanguini, quàm ipſe ſanguis. Et ſi in ſententia Thomiſtarum aqua vino commixta, actione vini mutatur in vinum, non obſtante magna, & oppoſita contrarietate qualitatum aquæ cum illi vini, nulla debet eſſe difficultas in aſſertione mutationis chyli in ſanguinem à virtute iſtius, cùm in chylo nulla ſit repugnantia ad hanc mutationem, imò inclinatio, ob diſpoſitionem ſupradictam. Si ſanguis ſanguificat, hujuſmodi actio non eſt Cordi tribuenda; verùm quia per motum Cordis excitatur calor in ſanguine potio-

potiorem partem occupans in ſanguificatione, & quia per eumdem motum comminuitur chylus, ut perfectiùs, & intimiùs cum ſanguine uniatur, quòd maximè eſt neceſſarium ad ſanguificationis opus, ad hoc concurſus, ſaltem diſpoſitivus, vel coadjuvans, non eſt Cordi denegandus.

Quoad ſpirituum vitalium generationem, facilè eſt decidere, an ſit Cordis opus, cùm pendeat à principio caloris, & ſanguificationis, & cùm Cor non ſit tale principium, neq; erit principium generationis ſpirituum vitalium, iſti non ſunt niſi particulæ calidæ in ſanguine exiſtentes, & in eodem ad motum excitatæ. Cor non producit has particulas, ſed ſolùm excitat, ut dictum eſt de calore, conſequenter eſt ſolùm principium excitativum, non effectivum ſpirituum vitalium; Cor ſuo motu conterendo, & comminuendo ſanguinem, occaſionem præbet ſpiritibus ad motum, ideò poterit dici cauſa occaſionalis ſpirituum, non effectiva.

C A P. XVI.

De Lypothimia, & Syncope.

DUo ſunt affectus, ſed natura connexi, ab eadem cauſa originem accipientes, nec aliam habent differentiam, quàm quæ magis, & minus largitur, ideò communi definitione eorum natura explicatur, licèt in diverſa actionis læſæ differentia ponantur; nam deliquium ponitur ſub actionis læſæ diminutæ Cordis differentia, Syncopes ſub differentia actionis læſæ abolitæ; quia tamen deliquium includit ultimum gradum actionis læſæ diminutæ, à quo eſt ſubitus tranſitus ad Syncopem, ideò videntur ſolùm ſecundùm magis, & minus differre, quia ſi deliquium parùm augeatur, fit Syncopes. Notandùm, per abolitam virtutem non intelligere Authores extinctam de facto, ſed quoad ſenſum ſolùm, unde hæc remanens, ſed verè languida, & extinctioni proxima, oſtendit etiam à deliquio non differre, niſi ſecundùm magis, & minus.

Uterque ergo affectus eſt *Præceps virium lapſus ad tempus, cum motus, & ſenſus læſione*. Quia ex improviſo in utroque vires deficiunt, & quia virium defectus, ſeu lapſus aliquam habet latitudinem pro majori, vel minori lapſu, ab hac latitudine hi duo affectus naſcuntur; ubi præceps virium lapſus major, Syncopes eſt, ubi minor, Lypothimia.

Lapſus virium in his affectibus, eſt deficientia omnium; in Lypothimia, ſeu animi deliquio, & Syncope, non ſolùm virtus vitalis labitur, ſed ſenſitiva, & motiva, quæ in præcipiti virium lapſu ſemper deficiunt, cùm ægri motum voluntarium, nullo modo, vel languidè nimis exerceant; ſenſus etiam ita deficiunt, ut nec objecta viſibilia præſentia diſtinguant, nec quandoque, quæ circa eos aguntur percipiant; quæ verò primò deficiunt, ſunt vitales, ut patet à pulſu diminuto, languido, vermiculari in Lypothimia, & in deficiente, vel vix ſenſibili in Syncope, in calore corporis ferè extincto, in reſpiratione vel diminuta, vel inſenſibili. Aliæ vires labuntur dependenter ab iſtis, cùm omnes pendeant à ſpiritu vitali, qui eis ſervit vel tamquam materia, vel tamquam inſtrumentum, vel tamquam concauſa. In animi deliquio minus patiuntur ſenſus, & motus, in Syncope ferè aboliti videntur, itaut quandoque opus ſit motum reſpirationis, vel ſpeculo, vel bombace carminato explorare, an hic exerceatur, & cum hujus exercitio cognoſcere, an vivat æger. Eſt *Præceps* hic *virium lapſus*, quia ſubitò advenit; non ita ſubitò, ut æger non percipiat hunc lapſum virium imminere, cùm ſoleant præcedere ventriculi turbationes, nauſea, & vertigines, dolores in capite, ſed ſubitò dicitur advenire, quia breviſſimo tempore aggreditur, & ſubitò, quia non ſicuti alii morbi ſenſim adveniunt, & per ſua tempora procedunt, ſed hæc ſymptomata ſtatim tota adſunt, & qualia extant in invaſione, talia durant ad remiſſionem, per quod diſtinguitur ab Epilepſia, cujus inſultus ab ægro non prævidetur, & ab eo virium lapſu, qui ſenſim fit à morbis longis, vel ab aliqua morboſa indiſpoſitione paulatim, & ſenſibiliter vires minuente. Dicitur *cum læſione motus, & ſenſus*, quia uterque læditur, in deliquio minus, in Syncope magis, ut videantur aboliti, & hæc eſt differentia inter deliquium, & Syncopem. Deficit motus, & ſenſus, quia ſpiritus animalis ſuo principio, nempè ſpiritu vitali, vel diminuto, vel deficiente languet, & quieſcit, cùm ſenſu, & motu corporis concidit motus Cordis, tali caſu, ut in Syncope motus hic aliquando non ſit ſenſibilis, aliquando percipitur ſubobſcurus motus alicujus corporis in carpo manus, ſed non diſtinguitur pro arteriæ motu, & idem evenit applicata manu Thoraci in regione Cordis; in animi deliquio verò eſt ſenſibilis motus pulſus, ideò dicitur etiam motus Cordis in Syncope abolitus, in deliquio diminutus.

Ad tempus dicitur, quia redeunt ægri ad functiones ſenſus, & motus, & poſt breve ſpatium; diu enim non poſſunt perſiſtere in hoc virium lapſu, nec diu ſine ſenſibili pulſatione arteriæ in carpo, prout ſæpè obſervatur in Syncope, & rarum, & prodigioſum eſt, quod narrat *Bart. cent.* 2. *hiſt.* 7. de eo, *qui per quatuor menſes antè mortem caruit pulſu*, qui ſi non eſt ſenſibilis in brachio, eſt ſenſibilis in regione Cordis, ſed diminutè, & in modum rei lentè ſub digitis ſe moventis, itaut umbra pulſus potiùs dicenda ſit.

Si omnes vires præcipiti lapſu labuntur, quia vires Cordis deficiunt, habemus ſubjectum horum morborum eſſe Cor, & ejus actionem læſam eſſe motum, cùm hæc ſola ſit principalis actio illius, quia muſculus, & omnes aliæ ab hac pendent; quapropter ea, quæ motui Cordis neceſſariò pro ſanitate, & ad vitæ integræ conſervationem concurrunt, ſi lædantur, erunt cauſa læſionis motus; ſunt autem hæc illa omnia, quæ motum muſculorum perfectum ſuo concurſu coadjuvant, ſanguis ſpiritus vitalis, animalis, & organum, nempè fibræ carnoſæ, & nervoſæ muſculorum, & earumdem textura, & in fibris carnoſis mixtio ſpiritus animalis, cum ſpiritu vitali, & ſanguine, & efferveſcentia, ebullitio in iſtorum congreſſu, & mixtione; ita ſanguis, ſpiritus vitalis, animalis, & textura Cordis, ſeu ſuarum fibrarum læſa, lædent, & impedient motum Cordis.

Sanguinis vitio fit Syncopes, vel animi deliquium, quando hic, ob ſuam craſſitiem, parùm ex mixtione ſpiritus animalis in fibris Cordis efferveſcit, & ebullit, cum motus conſtrictionis, diminutione, vel abolitione, ſanguis enim arteriarum parùm movetur, vel ad ſenſum aboletur, & quieſcente ſanguine, neceſſe eſt, ut totum corpus quieſcat, & concidat, ut ait *Hipp. li.* 2. *de morb. n.* 8. Hac de cauſa Melancholici, Hypochondriaci, Scorbutici in hæc ſymptomata incidunt, & in paſſione timoris, à qua ſanguis condenſatur, & ſpiritus animalis in ſucco nerveo concentratur, animi deliquia obſervantur. Obſervationem habet *Hildanus* de Servo ſuo, qui *ex ſola narratione calamitoſæ ſtragis bellicæ, timore concepto incidit in Syncopem*. Sanguinem in vaſis Cordis coagulatum, itaut ab iſtis extraheretur velut enſis à vagina, obſervavit *Schenk. li.* 2. *obſer.* 10. *in diſſecta Puella Syncope defuncta ex pudore*, qui eſt ſpecies timoris; *mortuum Homerum* referunt Hiſtorici, *ex aſpectu Muris; Serpentis timore concepto, multæ Mulieres in deliquia animi incidunt*. Quæcumque cauſæ ſanguinem ſiſtere aliquo modo valent, hæc ſymptomata inferunt; *ex potu Vini nive refrigerati, in copia aſſumpti ad refrigerandam magnam ſanguinis efferveſcentiam, & ſitim validam demulcendam, mortuum eſſe Juvenem Syncope*, narrat *Beni. cap.* 17. *de abditis; Mortem ſubitam à refrigerato ſanguine*, prædixit. *Hipp. de morb. num.* 8. *&* 30.

Sanguis, quando in magna copia irruit in fibras cordis, deliquium, vel Syncopem parit; dum à copia ita opprimuntur fibræ, ut non poſſint ſe movere ad motum conſtrictionis peragendum, vel debiliter ſolùm, & cum parvo, vel nullo impetu ad ſanguinem in ventriculis Cordis exiſtentem in aortam impellendum; & hoc demonſtravit *Hipp. li.* 1. *aphor.* 3. exemplo Athletarum; per illa verba, *Neceſſe eſt, ut in deteriùs dicidant*, omnes Commentatores aſſerunt poſſe intelligi, & de ruptura vaſis, vel ſuffocatione caloris naturalis, quæ tunc ſuccedit, quando motus Cordis impeditur oppreſſis ejus fibris à copia ſanguinis. Hac de cauſa in magna lætitia copioſum ſanguinem ad Cor mittente, Syncopes obſervata fuit. Narrat *Livius lib.* 22. *cap.* 7. *de Matre, quæ reduces à bello duos filios, quos extinctos in eo credebat, animi lætitia defeciſſe*; & *Riverius cap. de Syncope*, narrat

narrat *de Juvene, qui ſubſcribendo capitula deſponſationis cum Amata, excedenti gaudio perfuſus Animam ſubitò Syncope efflavit;* & *Platerus* refert, *Avum ſuæ Uxoris gaudio ſubita morte interemptum.* A paſſione iræ, qua ſanguis in Corde valdè effervеſcit cum plenitudine vaſorum, varios defunctos improvisò narrat *Camerarius*. Eadem eſt cauſa deliquii. Poſt ſectionem venæ, & ex veſtibus arctè conſtrigentibus muſculos Thoracis ſanguis enim à ligatura in Phlebotomia detentus hæc ſoluta; cum copia, & impetu ad Cor fluit per venas, à quibus Cor opprimitur, & à forti conſtrictione veſtium impedita libera reſpiratione, ſanguinis copia in pulmonibus, & vaſis Cordis congregatur in tanta copia, ut uterque opprimatur, & à ſuo motu deficiat. Idem parit arteriarum jugularium obſtructio, à qua ſanguinis motus ſurſum impeditus, hic ad ſuum principium, Cor nempè retrocedit, & collectus circa orificium arteriæ magnæ exitum novi ſanguinis ab ea impedit, reſiſtendo impetui fibrarum, quo illum expellere contendunt, & ſanguis remanens in ventriculo Cordis fibrarum motum impediendo, totum Cordis motum interdicit. De hac venarum interceptione locutus eſt *Hipp. lib. ration. vict. in acut. num.* 37. & aliqui ab extremorum frigiditate, quam in hoc caſu reperiri dicit, arguunt loqui de Syncope.

Arterias intercipi videtur difficile, ob impulſum novi ſanguinis in eas ejecti, & ob amplam illarum capacitatem, quam ita occupare humorem craſſum, ut non tranſeat ſanguis, videtur incredibile; attamen ponderata ſententia *Hipp. in lib. de flatib. num.* 15. ubi ſtatuit, ſanguinis fluxum per vaſa à flatu in vaſis ſanguineis recepto impediri, non video rationem, per quam non poſſit mora à flatu ſanguini indici, ſi à flatu ſanguis motum habeat in contrariam partem illi, per quam movetur impulſu Cordis, & ita hunc ſiſtere. Flatus vaſa ſanguinis ingredi poſſe, poſt *Hippocratem* ſancivit *Andreas Laurentius li. 9. Anatomicarum quæſt.* 18. ſed apertis verbis *in cit. li. num.* 21. *Hipp.* docet, *Sanguinem à flatu remorari*; hæc ſunt verba: *Dico itaque, & ſacrum morbum fieri, cùm plurimus ſpiritus per omne corpus univerſo ſanguini fuerit permixtus; tum enim multæ oppilationes fiunt multifarias per omnes venas, cùmque in craſſiores, & pleniores ſanguine venas aer prodierit, progreſſuſque diutiùs maneat prohibet ſanguinis curſum;* & obſervamus in aquæductibus curſum aquæ ab aere ingreſſo impediri, nec hunc alio modo promoveri, quàm aperto aeri ſpiraculo.

Ad Cor ſi influxus ſpirituum animalium prohibeatur, Syncopes, vel deliquium animi ſuccedit; prohibetur, quando inordinatè moventur, & ab inordinato motu à ſuo motu regulari à ſolitis viis retrahuntur. Hoc modo fiunt prædicta ſymptomata ab odoribus, vel gratis, vel ingratis, quibus ineſt maxima vis ſpiritus agitandi. *Amatus Luſitanus cent.* 2. *obſer.* 36. refert de quodam, *qui ab odore, imò ab aſpectu Roſæ, ob timorem conceptum, & ob fortem imaginationem mali ab eo imminentis, in gravem Lypothimiam incidit. Hoferus in Hercule Medico fol.* 311. habet *Puerperam, ex odore Strophioli, in quo Roſæ fuerunt, lethali Syncope correptam.* Fœminæ Iſtericæ ab odoribus ſuavibus, vel in Syncopem, vel in Lypothimiam incidunt. A ſpirituum animalium diverſione oriri deliquia, dolores vehementes deliquia animi concomitantes probant, ſpiritu animali ad partem dolentem copioſo fluxu concurrente, negata Cordi neceſſaria copia; hac de cauſa *Colliſio pedis*, referente *Alex. Bened. lib.* 11. *ſuæ Pract. cap.* 5. *deliquium efficit.* A ſpirituum vitalium defectu Lypothimiam, & Syncopem probant inedia, magna ſanguinis effuſio, evacuatio per alvum diuturna, & copioſa, dolores acuti, & vehementes, ab oppreſſione ſpirituum fit deliquium, ut in gravidis, à vapore uterino malignæ qualitatis, & à ſemine, vel copia, vel corruptione depravato, à quibus ſpiritus vitalis opprimitur, dum ejus motus validus impeditur.

A motibus convulſivis nervorum cardiacorum, vel connexionem habentium cum eis, oritur uterque ſymptoma, dum ab iſtorum convulſione influxus ſpiritus animalis in fibras Cordis impeditur, & à tali cauſa puto frequentia deliquia proveniſſe in muliere prægnante, de qua obſervationem habet *Schenk. li. cit. obſerv.* 9. In Epilepſia, & in palpitatione Cordis accidunt animi deliquia, & Syncopes, quia in iſtis motus convulſivi reperiuntur; hac de cauſa in Cardialgia, in fame urgente, in ſuffocatione uterina, & hypochondriaca deliquia contingunt.

Ab organo, nempè à Corde læſo fit Syncopes, & Lypothimia, quando fibræ ab aliquo extraneo impediuntur ad motum contractionis, prout oportet perficiendum; tale impedimentum ponunt tumores in Corde enati, comprimendo fibras, & earum motum oppreſſione, vel gravitate interdicendo. De his tumoribus cum Lypothimia, & Syncope obſerv. habet *Tulpius li.* 2. *obſer. cap.* 16. ubi recenſet *tumorem in ſiniſtra auricula Cordis*, *Schenk. in obſer. p.* 273. narrat, *diſſecto cadavere Bibliopolæ frequenter Lypothimia correpti, inventum eſſe apoſtema in Corde, mediam ejus partem occupans,* & de alio, *cui apoſtema dimidii ovi magnitudinis in Corde efformatum fuit.* Ulcera, tabes, calculi, polypi, hyatides, ſitus mutatus partis ſenſitivæ, idem faciunt, cujus obſer. habet *Plater. li. cit. obſerv. p.* 636. *de Puero, qui ſolitus manibus terræ innixis corpus circumrotare, ejus Cor circa regionem ventriculi pulſabat; & in dextera parte Cor pulſaſſe* duas obſerv. habet *Bonet. in Sepulchr. Anatom. lib.* 2. *ſect.* 8. *obſer.* 42. & 43.

Vitium organi poteſt eſſe in nervis, ſi ab aliquo humore tenui facilè reſolubili oſtruantur, & impediatur tranſitus ſpirituum animalium ad Cor pro aliquo tempore, in quo neceſſe eſt, ut deficiat in eo motus naturalis dilatationis, & conſtrictionis cum Lypothimia, & Syncope, & cum ſpecie ſemiparalyſis in ſuis nervis; hic defectus, motus protractus, & deficiens, mortem infert, & huic caſui applicanda ſententia *Hipp. lib. de morb. ſacr.* loquendo de fluxione pituitæ à capite ad Cor, à qua ſanguis refrigeratur.

Differentia, alia eſt per eſſentiam, alia per conſenſum. Illa per eſſentiam eſt, quando nervi Cordis, vel ejus ſubſtantia eſt malè diſpoſita, vel in ventriculis adeſt cauſa. Per conſenſum, quando à partibus inferioribus cauſa immediata aſcendit ad Cor; ita in Hypochondriacis fit Lypothimia à vaporibus ab hypochondriis elevatis, in Mulieribus à menſibus retentis, à ſemine corrupto, & hoc in Viris etiam obſervatur. A ventriculo ſæpè contingit; ideò aliam differentiam addunt Medici, nempè Cardiacam Lypothimiam, & Syncopem, quæ à Corde, ſtomachicam, quæ à ſtomacho, quæ in Cardialgia, & dolore ventriculi eſt frequens.

Signa, alia ſunt, quæ futuram prædicunt, alia præſentem demonſtrant; alia ſunt diſtinctiva, alia prognoſtica.

Imminentem, & futuram indicant titillatio in orificio ventriculi, ventris diſtractio, rugitus in ventre, tormina, caligines, & tenebræ ob oculos, vertigines, auriumque tinnitus, reſpiratio incommoda, aliqua compreſſio Cordis, linguæ aliquod impedimentum, anxietas improviſa.

Præſentem oſtendit virium lapſus, cum caſu corporis: in Lypothimia pulſus parvus, ſenſus præcipuè interni, & externi feriantur à ſuo opere, color pallidus faciei, velut mortuus jacet æger: in Syncope nullus pulſus, in regione Cordis aliquis motus, ſed parvus, reſpiratio nulla viſibilis, ſudores frigidi, ſenſuum omnium abolitio, tam internorum, quàm externorum.

Diſtinguitur ab Apoplexia, quia in hac pulſus, & reſpiratio ſervantur, in Syncope deficiunt: ab Uteri ſtrangulatu, quia adeſt reſpiratio difficilis, gula intumeſcit, pulſus ſervatur, quæ omnia abſunt à Syncope, & Lypothimia.

Signa cauſarum ſunt magis neceſſaria, & hæc manifeſta ſunt per cauſas ferè omnes extrinſecas morboſas præcedentes. Si plenitudo, & craſſities ſanguinis ſit cauſa Lypothimiæ, & Syncopis, diſtinguitur ex ſignis plenitudinis, & cacochymiæ. Seminis copia cognoſcitur à continentia, aliàs non exercita, ut in Viduis, Si à ventriculo, & Hypochondriis iſtorum vitium adeſt; ſi à capite læſiones iſtius apparent, obſcurus tumor in Corde cognoſcitur à frequentia Lypothimiæ, vel Syncopis, & à pulſus frequentia, debilitate, parvitate, inæqualitate, difficultate in reſpirando, & maximè poſt iter etiam breve.

Prognoſtica timenda eſſe hæc duo ſymptomata prædicunt,

dicunt, ratione partis principis, & ratione virium, quæ ſubitò concidunt; ſi à cauſa externa tamen proveniant, & rarò, nihil timendum; ſi verò frequenter, & cum vehementia corripiant, ſine cauſa externa, mortem repentinam inducunt, *ex Hipp.* 2. *proret. part.* 4. *Quæ cum exolutione fiunt, & Catoche, & aphonia, periculoſæ ſunt*; exolutio eſt animi deliquium; & *in li.* 1. *proret. part.* 24. *Quæ cum exolutione fiunt aphoniæ, valdè malæ*; & *li.* 2. *part.* 19. *Quibus ex doloribus aphoniæ, hi cum dolore moriuntur*; & *in Aphor.* habet, *Qui frequenter animo deficiunt, derepente moriuntur*; & eò magis ſunt periculoſi hi affectus, ſi à remediis ſpiritoſis, volatilibus, & efficacibus non remittant.

Indicationes, quæ reſpiciunt ablationem paroxyſmi, omnes tendunt ad remittendos ſpiritus vitales, & animales, excepta cauſa plenitudinis; qua ſtante determino, mittendum eſſe ſanguinem à partibus à Corde diſtantibus; plenitudo enim à ſolis volatilibus non poteſt ſuperari, imò rarefaciendo ſanguinem in Corde, hanc majorem efficiunt. Miſſio ſanguinis convenit etiam in obſtructione arteriarum jugularium à flatu, cujus impetum enervare poteſt ſanguinis miſſio. A ſanguine craſſo, & lento Syncopem indicare ſanguinis miſſionem multi contendunt, pro conciliando motu ſanguini à craſſitie retardato; in hunc finem Cucurbitulæ ſcapulis ſcarificatæ laudantur, & *Zacutus* in pectore circa regionem Cordis ſcarificat, & poſt miſſionem ſanguinis in uſu reducenda volatilia, & quæ calorem addunt.

Inter hæc eſt *Spiritus Vini Juniperatus*, & *cum Cinamomo*, *Spiritus Vini Matthioli*, *Spiritus*, *ſeu Oleum Cinamomi*, *Juniperi*, *Citri*, *Spiritus Ambræ*, *ſeu Eſſentia Ambræ*, *cum Spiritu Roſarum extracta*; omnes enim compoſitiones cum *Ambra* ad Spiritum redacta, præferendæ ſunt aliis remediis; ſicut *Spiritus Vini*, cui ſi addatur *Spiritus Salis Armoniaci*, *ſeu Spiritus Sanguinis humani*, eſt efficaciſſimum remedium: *Eſſentia Croci*, & præcipuè illa, quæ paratur cum *Aqua à Vite tempore potationi extillante*, hæc exhibeantur in *Aqua Theriacali*, *Meliſſæ*, *Liliorum Convallium*, ſi poſſibile ſit, ſi non, aperto vi ore indantur dicta medicamenta, quæ in parva quantitate exhibita, faciliùs degluriuntur. Si à doloribus animi deliquium, hi ſedandi remediis à cauſa doloris indicatis, *Opiata* ſuſpecta habenda in virium proſtratione. In ſpirituum vitalium deficientia, valent ſpiritoſa dicta ſuperiùs, Vinum generoſum, & alimenta ſpiritoſa, & aromatibus condita. Si à motibus convulſivis, antiſpaſmodicis in tractatu de Epilepſia deſcriptis ſuccurrendum.

Externè poſſunt applicari Cucurbitulæ ſiccæ, frictiones, ligaturæ, ad excitandos ſpiritus; frictiones ſub plantis pedum Sale, & Aceto factæ, cum panno lineo aſpero labia fricata cum Sale, validè excitant ſpiritus. Inſperſio aquæ frigidæ in faciem, quæ motu, quo impellitur, & frigiditate ſpiritus in ſuperficie cutis latentes, excitat, movet, & ad interiora impellit, & hi ſuo motu alios movent, *odoramenta cum Aceto bezoartica*, & aliis Spiritibus ſuprà recenſitis; *Suffitus ex Charabe alba*, ſpiritus addit, & otiantes ſpiritus vitales excitat; *odor Panis recentis*; & recreat, & ſuſcitat ſpiritus: *Epithema ex Theeriaca in Vino malvatico diſſoluta*, & *regioni Cordis applicata*, *ejuſdem inunctio ex Oleo Citri*, *Caryophil. Aquæ Reginæ*, vires, & motum ſpiritibus languidis ſubminiſtrant.

Præſervatio petenda à remotione cauſæ, pro cujus diverſitate remedia diverſa exquirenda.

Si plenitudo ſanguinis ſit cauſa, hæc minuenda reiterata ſanguinis miſſione, & diœta, & aliis remediis morbis à plenitudine convenientibus. Si ſuppreſſa evacuatio plenitudinis ſit cauſa, hæc promovenda; ſi ſint menſes ſuppreſſi, remediis propriis iſtorum fluxus excitandus; ſi Hæmorrhoides deficiant, iſtarum fluxus ſtimulandus. Si craſſities ſit in ſanguine ob affectum melancholicum, hypochondriacum, ſcorbuticum, vel cachexiam, cura dirigenda eo modo, quo dirigitur illa iſtorum affectuum. Si à ventriculo morboſo, ſi à retento ſemine, ea adhibenda remedia, quæ morbis iſtarum partium conveniunt. Si cauſæ externæ hæc ſymptomata efficiant, removendæ. Si à ſpirituum, & ſanguinis deficientia ob inediam, ob ſanguinis evacuationes, reparandi ſpiritus, & ſanguis, alimentis optimis, & copioſi ſucci, & potu ſpiritoſo.

Pro his omnibus cauſis inveniat Lector ſylvam remediorum *in Aetio retrab.* 2. *ſerm.* 1. *à cap.* 96. *ad* 114. quibus proportionata diœta à natura cauſarum determinata correſpondeat.

CAP. XVII.

De Cordis Palpitatione.

Definitur Palpitatio, *Motus Cordis convulſivus cum impetu*, *aliquando cum moderatione*, *pendens ab irritamento in Corde.*

Si conferantur ea, quæ dicta ſunt de motibus convulſivis in tractatu de morbis Capitis, cognoſcemus, palpitationem eſſe talis conditionis motum; omnis enim motus inordinatus pendet ab irritamento partis virtute motiva, & ſenſitiva præditæ, ideò eſt motus convulſivus; cùm verò Cor ſit tali virtute inſtructum, motus iſtius inordinatus ab irritamento determinatus, prout eſt motus palpitationis, erit motus convulſivus. Cor motiva virtute frui colligitur ex dictis ſuperiùs; ſenſitiva donari dixit *Hipp. in li. de morb. ſacr. n.* 18. ubi, reprobando ſententiam illorum, qui aſſerebant, Cor, & præcordia eſſe ſedem Scientiæ, & Sapientiæ, ait: *Quapropter Cor, & præcordia maximè ſentiunt*, *ſapientiam tamen minimè participant*; conſequenter motus Cordis determinatus ab irritamento, prout eſt in palpitatione, erit motus convulſivus; & Cor convelli apertiſſimis verbis docuit *Hipp. loc. cit.* dicendo: *Verùm hoc ita ſe non habet* (ideſt Cor non habet Sapientiam) *ſed convellitur quidem, velut præcordia*; & ſi dixi *cit. loco de morb. Capitis*, motum convulſivum eſſe involuntariam contractionem, & extenſionem partis, ibi locutus ſum de partibus motui voluntario ſervientibus determinatis ad motum ab extraneos, & extrinſeco determinante, quod eſt irritamentum; in Corde verò cùm motus ſit ſemper involuntarius, ſatis eſt concipere pro ejus motus convulſivi intelligentia, talem motum eſſe ab extrinſeco, & præternaturali determinativo, à quo illius principium motus determinatur ad peragendum motum Cordi minimè naturalem, ſed depravatum, & ſi non eſt motus contra voluntatem, eſt motus contra naturam principii moventis. Ex hoc habetur etiam differentia motus Cordis in palpitatione, à motu, quem habet in febre, quia hic, licèt ſit inordinatus, eſt à principio ordinario motus, cum augmento ſolùm iſtius, in palpitatione motus eſt ab extrinſeco, & totaliter præternaturali determinante.

Eſt *cum impetu*; teſte enim *Fernel. lib.* 5. *Patologiæ cap.* 12. habemus, aliquando à motu Cordis palpitantis vicinas coſtas fractas fuiſſe, & quæ ſunt ſub mamma à ſuo ſitu dimotas, & arteriam magnam circa Cor Aneuriſmate ad pugni contracti magnitudinem fuiſſe dilatatam, hæc ſine magno impetu non efficiuntur. Aliquando eſt *cum moderatione*, & talis motus ab ægro ſolùm percipitur, non ab exterioribus viſu, ut contingit, quando eſt cum impetu.

In irritamento explicatur cauſa immediata palpitationis. Irritamentum eſſe cauſam hujus nobis oſtendit *Hipp. li. cit. de morb. ſacr.* ubi, poſtquam ſancivit Cor. & præcordia convelli, ait: *Et magis etiam propter eaſdem cauſas*, gaudium nempè, & triſtitiam, quas ſuperiùs nominavit; hæc autem licèt immediatè non irritent, cùm tamen more paſſionum ſanguinem inordinatè moveant, hic ſervit pro irritamento. *Ab ira* palpitationem obſervat *Thymæus li.* 2. *cap.* 15. *A melancholia*, & *metu*, *Foreſt. lib.* 16. *obſerv.* 5. & *à triſtitia cum ira*, demonſtrat *Fonſeca tom.* 2. *conſ.* 41.

A frigiditate ſanguinis, hoc eſt à paucitate caloris, & ſpirituum in ſanguine, palpitationem Cordis fieri docuit *Hipp. li. de morb. ſacr. n.* 7. quando ſcripſit: *A fluxione pituitæ ad Cor ſanguis præfrigeratur*, *venæ autem violenter præfrigeratæ ad pulmonem*, & *Cor aſiliunt*, & *Cor palpitat.* Textus eſt obſcurus; clarus tamen fit, ſi ly *præfrigeratur* metaphoricè accipiamus, hoc eſt venas, & vaſa ſanguiflua pati ea, quæ patiuntur partes à frigore violento affectas; hæc intumeſcunt, ut patet in pernionibus, à frigore, etiam tremunt. Sanguinem refrigerari à pituita fluente ad Cor, explicavi ſuperiùs, quia pituita nervos ingreſſa impedit debitum influxum ſpirituum animalium ad Cor, quod hujus cauſa debili motu movetur,

tur, & ſanguis in eo parùm incaleſcit, & dicitur perfrigerari, acquirendo craſſitiem, lentorem, & tarditatem motus. Vaſa ſanguiflua circa Cor hujuſmodi ſanguine impleta, & tumida dicuntur perfrigerari, & dum à copia ſanguinis gravata exonerationem, motu, & impetu, quo valent, quærunt, Cor etiam, cui appenduntur, eodem motu inordinato movent, & tunc dicitur palpitare. Motum, quo moventur dicta vaſa eſſe convulſivum, videtur demonſtrari à verbo *aſilire;* hoc enim importat ſaltu ad aliquem locum tendere; talis motus cum ſaltu, motum explicat convulſivum. Ab hac ſententia Hipp. colligitur, mentem iſtius fuiſſe palpitationem Cordis effici à ſanguine congeſto in vaſis Cordis, & circa hoc exiſtentibus.

Fieri etiam à ſanguine coagulato in ventriculis Cordis, docent nos obſervationes multæ Authorum. *Vvillis in cap. de palpitatione* refert, *in ventriculo Cordis palpitatione defuncti diſſecti reperiſſe copiam ſanguinis concreti. Bonet. in Sepulchr. Anatom. lib. 2. ſect. 8. obſerv. 13. in ventriculis Cordis ſanguinem concretum reperit, cum magna Cordis dilatatione*; & *in M. E. A. 4. obſ. 40. in defuncto à palpitatione diſſecto reperta fuit una tantùm cavitas in Corde plena ſanguine concreto ad uncias ſexdecim.* Sanguis concretus irritat ſuo pondere, & etiam ob cauſam concretionis, quæ eſt acidum excedens, hanc qualitatem acrem retinens ſanguis concretus hoc irritamentum Cordi imprimit, & à continuo motu Cordis convulſivo dilatatio ipſius advenit, fibris diſtracti valdè, & elongatis.

Ab hac frigiditate ſanguinis accipitur ratio explicans cauſam palpitationis in cachexia, & choloroſi Virginum, quia cùm humore craſſo, viſcido, & tardo in motu abundent, facilè in vaſis Cordis retinetur, ea implet, eo modo quo in varice, & motum Cordis convulſivum, ratione dicta ſuperiùs, efficit ſanguis retentus. Eadem eſt ratio palpitationis ab aſcenſu ſcalarum; impellitur enim per motum copia ſanguinis ad vaſa pulmonum, & Cordis, quæ cùm non poſſit tota à Corde recipi, ob motum circulationis ſanguinis à craſſitie, & lentore ejuſdem retardato, remanet portio in dictis vaſis, à qua implentur cum dictis effectibus.

Impedita circulatio ſanguinis in partibus inferioribus, palpitationem Cordis inducit, ut conſtat *ex obſer. 1. li. 17. Foreſti, de Viro, qui conſtrictis nimis tibiis in ſomno meridiano palpitatione oppreſſus fuit*; & ſimilem caſum refert *Scholtzius conſ.* 104. Sanguis enim, qui naturaliter fertur ad partes inferiores, impeditus à tali motu, furſum impellitur, ideò in partibus ſuperioribus congregatur magna copia ſanguinis, recipientibus iſtis eam portionem, quæ deberet fluere ad partes inferiores; ideò vaſa turgent iſtarum partium, & præcipuè ea circa Cor; ab hac turgentia irritamentum, ab irritamento palpitatio, quæ major ſuccedit, ſi dicta turgentia in ſomno contingat, quia à ſomno ſanguis refrigeratur, ut ait *Hipp. lib. de flat. num.* 20. refrigerato ſanguine, motus iſtius retardatur magis, ad augendam dictam turgentiam, qua aucta, augetur irritamentum, & cum hoc palpitatio.

Obſervationem habet *Amatus Luſit. cent.* 3. *obſerv.* 43. de ſero in pericardio palpitationis cauſa; idem habet *Piſo de colluvie ſeroſa p.* 168. Aquæ redundantia in pericardio impedit liberum motum dilatationis Cordis, & vis motiva repercuſſa corpus Cordis inordinatè movet, & augetur motus inordinatus à ſeri copia irritante. Tubercula irritando ſuo pondere, & ſanguinis motum in Corde impediendo, ſunt palpitationis cauſa; horum exempla habentur apud *Schenk. lib. 2. obſer. Zacut. lib. 6. Princip. Medic. Hiſt. cap. 8. obſer. 3. Sepulchr. Anatom. Bonet. cap. de palpitatione.* Polypi, oſſa, non ſolùm irritando, ſed ſanguinis exitum perfectum impediendo, ſi ſint in orificio ſiniſtri ventriculi, vel in orificio arteriæ huic appenſæ, irritamentum augent, & palpitationem efficiunt. Vermes in Corde morſu, & halitu pravo, palpitationis ſunt cauſæ; de his vermibus in Corde, vide *Etmull. de Cord. palpitat. & de verme Pericardii, Schenk. lib. 2. obſer. de vermibus Cordis, Zacutus lib. 1. obſer.* 140. habet obſervationem de angue in ventriculo Cordis reperto, irritante Cor. Calculi in defunctis à palpitatione reperti ſunt in Corde; de his vide obſervationes *in Sepulchr. Anatom. Bonet. to. 1. fol.* 238. & *Etmull. fol.* 264. *Schenk. li. obſ. fol.* 273. *de Calculis.*

In Hypochondriis ſæpè latet cauſa palpitationis ab affectione ſpaſmodica nervorum, & præcipuè rami ſplenici ſatis inſignis, qui laceſſitus ab humorum acrimonia in Liene, & Hypochondriis exiſtentium, convulſivos motus, cum palpitatione patitur. In ſimilem affectionem trahit plexum meſſenterium ei connexum per ramificationes, & cum hoc ſurculus paris vagi ſpaſmo, & motu convulſivo afficitur, à quo concutitur truncus, cujus multæ propagines per ſubſtantiam Cordis diſſeminantur, & cum motu convulſivo iſtius nervi, Cor palpitat, & convulſivè agitatur; ita ſentit *Etmull. cit. loco*, & omnes Recentiores. Non eſt negandum tamen, à flatibus aliquando palpitationem oriri, ſtante obſervatione *Andreæ Laurentii lib. 9. Anatom. quæſt.* 18. qui aſſerit experientia edoctum eſſe, de flatuum in vaſis ſanguinis exiſtentia, & ab his quandoque cauſam Hæmorrhogiæ procedere, dum oſcula vaſorum ſuo impetu flatus aperiunt; quod ſancivit *Hipp. lib. de flatibus num.* 15. Obſerv. habemus palpitationis à flatu *in Schol. ad Holerium cap. 29. lib.* 1. Et ſi vapores corporis odori nares, & cerebri ſubſtantiam ingrediuntur, cùm hoc calefaciunt, dolore afficiunt, & ſpiritus perturbant, eadem ratione vapores ab Hypochondriis ad Cor poſſunt elevari, patet enim vaporibus ampla via in corpore vivente, per iſtius poroſitates valdè dilatatas. Hac ratione pariter vitio uteri palpitatio moleſtat frequenter, & ex teſte muliebri ad ovi magnitudinem aucto; & ſphacelato ortam palpitationem notat *Bonet. Sepulchr. Anatom. lib. 2. ſect. 8. obſerv.* 30. & ex ulcere teſtium intempeſtivè ſanato ortam palpitationem aſſerit *Zacut. de palpit. in obſerv.* adjuncta. In his caſibus Cor pati non poteſt dependenter à vitio dictarum partium, niſi mediantibus vaporibus ab his partibus elevatis, & ſpaſmodica affectione Cor turbantibus. Pari ratione à vaporibus ad Cor, à materia in utero corruptione depravata, & in veneni ferè naturam converſa, palpitatio effici poteſt, vel laceſſita ab eorum mala qualitate Cordis ſubſtantia, vel plexibus meſſenterii connexis cum nervis cardiaci; pro quo videatur *Vvilliſius de affectione Hyſterica, in tractatu de morbis convulſivis.* Eodem modo explicanda eſt cauſa palpitationis ab odoribus, quam ſæpè contingere præcipuè in fœminis obſervamus; perturbati enim, & inordinatè agitati ſpiritus animales à particulis odoris, cum eadem inordinatione, & agitatione feruntur ad nervos cardiacos, hoſque inordinatè, & convulſivo motu concutiendo, & agitando, Cor movent inordinatè, & motu convulſivo palpitationis. Hinc deducere licet, à materia vitioſa in capite congeſta, & ſucco nerveo commixta palpitationem Cordis oriri poſſe modo deſcripto. Hanc palpitationem vitio capitis admiſit *Hipp. cit. loco de morbo ſacr. n.* 7. ubi habet: *Si fluxio à Cerebro ad Cor progreſſum fecerit, palpitatio apprehendit*; & quamvis Hipp. ibi loquatur de pituita refrigerante ſanguinem, deducitur tamen palpitationem fieri vitio Cerebri, & apertam eſſe viam ab hoc ad Cor, per quam fluere poſſit tam materia refrigerans, quàm ſpaſmodica.

Cauſæ externæ ſunt omnes res non naturales, quæ prędictas cauſas fovere poſſunt, & naturales, ut temperamentum, ſed præcipuè animi paſſiones, timoris, & mœroris, & temperamentum melancholicum, & pituitoſum.

Colligo alia eſſe palpitationem per eſſentiam à Corde, & ſanguine, in iſtius ſubſtantia vitiato, ſuperiùs explicatam; aliam per conſenſum à partibus inferioribus, & ſuperioribus.

Ex hoc, quòd parpitatio Cordis ſit motus convulſivus Cordis, differt à tremore ejuſdem Cordis; in hoc pulſus eſt magis debilis, quàm in palpitatione; hæc fit à materia irritante, tremor à debilitate, cum ſenſibili valdè virium proſtratione.

Signa palpitationis per ſe patent viſui, auditui, & tactui; pulſui, non eſſe fidendum docet *Thymæus epiſtol.* 23. in qua deſcribit palpitationem, cum deficientia totali pulſus in carpo.

Prognoſtica ſunt: Symptoma eſt periculoſum, ſi fuerit continuum, ſi in juventute incœperit, ſi cum virium debilitate, & febre contiuua conjunctum. Si per conſenſum fuerit, cum intermiſſione, & rarò accidat, non adeò periculoſum.

Indi-

Indicationes, pro variis cauſis, ſunt variæ, tam in paroxyſmo tollendo, quàm in præſervatione.

A quacumque cauſa procedat, mittendus in paroxyſmo ſanguis, ſi urgeat neceſſitas, & difficilis reſpiratio aſſocietur palpitationi. De ſanguinis miſſione non eſt dubitandum, ubi cauſa palpitationis eſt effervеſcentia ſanguinis, plenitudo, vel ſuppreſſa evacuatio ſanguinis, quia ſunt propria iſtius indicantia, neque de ſanguine ob ſui coagulationem remorante in vaſis Cordis, dum à miſſione ſanguinis deplentur vaſa circa Cor, quibus depletis, ſanguis in eis collectus, & ſtagnans liberiori motu circulatur, cum palpitationis remiſſione. Major difficultas eſt de vaporibus, quibus nulla ratione videtur convenire ſanguinis miſſio, quòd verùm eſt iſtis tantummodò ſpectatis; conſiderata verò illorum cauſa, & ſuo effectu, colligimus ſanguinis miſſionem deberi. Vapores ab inferioribus partibus, Hypochondriis nempè, ex utero aſcendunt ad Cor, & elevantur à materia, ſeu humore in dictis partibus exiſtente, & in quibus effervеſcit; ad effervеſcentiam ſedandam, opportuna ſanguinis miſſio. Effectum horum vaporum eſt, vel ſanguini effervеſcentiam majorem tribuere, vel motum retardare, & utrique effectui debetur ſanguinis miſſio. Si ſola irritatione vapores palpitationem efficiant, cùm unà cum ſanguine irritans vapor exire poſſit, vel à Corde diverti per motum ſanguinis, etiam in hoc caſu videtur convenire. *Zacutus* Hirudines regioni Cordis applicat, & alii per Cucurbitulas ſiccas, ligaturas, frictiones, veſicantia, à Corde, & ſanguinem, & vapores retrahunt; ideò à quacumque cauſa procedat palpitatio, conveniunt.

Si à ſanguinis effervеſcentia nimia palpitatio ſit, quòd cognoſcemus à calore conjuncto cum motu Cordis, & ab iſto valdè calido, & vehementi, cùm ab effervеſcentia vis, & energia motui addatur, præter ſanguinis miſſionem exhibenda, quæ hanc effervеſcentiam ſedant eligenda frigida, cordialia, ut *Borago*, *Bugloſſa*, *Viola*, *Papaver erraticum*, *Roſa*, *Fragaria*, iſtorum ſimplicium aquæ, vel decocta propinanda, & eis miſcenda acida; *Succus Granatorum acidorum Ribes*, vel iſtius *Roob*, cum illis diſſolvendus. *Spiritus Salis*, vel *Salis nitri*. *Sal nitrum ſepties fuſum*, & *toties in aqua frigida extinctum*, *ad* ℥. *i.* Mixtura pariter paretur *ex Aqua Boraginis*, *Nenupharis*, *Viol. a.* ℥. *ii. Species trium Santal.* ℥. *i. Laudani Liquidi* ℈. ß, *cochleatim*, & *per intervalla ſumenda.* Vel

℞. *Confectio ex Hyacintho ſ. o.* ℥. *i.* ß.
Spec. Diamargarit. frigid. ℥. *ii.*
Succi Granati ℥. *i.*
Syr. Viol. ℥. *i. m. eodem modo exhibeatur.*

Exterius *Epithema ex Succ. Sempervivi*, *Acetoſæ*, *Nenuphar. cum Aceto*, & *Spec. trium Santalorum paretur.*

Pro præſervatione, facta leni expiatione primarum viarum cum miſſione ſanguinis, nil utiliùs *Aquis acidulis*, in quarum locum ſubſtitui poteſt *Serum caprinum*, quod incipiat acceſcere *ad* ℔. *i.* ß. & *duas admixta tinctura Roſarum*, *vel Santal. rubrorum ad* ℥. *ii.* Vel

℞. *Succi Pomorum redol.* } *a.* ℥. *i.* ß.
Granatorum
Succi Plantaginis ℥. *ij.*
Aquæ Papaver. errat. ℥. *iij.*
Succ. Limonum ℥. *i. m.*

Per multos dies his remediis utendum. Balneum frigidum puto convenire in hoc affectu.

Si à ſanguinis abundantia, cujus ſignum eſt anteacta victus ratio lauta, & otium, venæ ſanguine turgidæ, pulſus parvus, ſed reſiſtens, quia oppreſſus, & ſuppreſſa evacuatio ſolita ſanguinis, nullum remedium aliud, niſi ſanguis miſſio, & diœta tenuis pro avertendo paroxyſmo, & pro præſervatione. Miſſio ſanguinis Vere, & Autumno exercenda. Obſervationem habet *Schenk. de Viro*, *qui ſanguinis miſſione per multos annos præſervatus fuit à palpitatione*. Exercitium manè, & ſerò moderatè peragatur. Diœta tenuis, & parvi nutrimenti ſervetur, & ſolita promoveatur evacuatio, ablatis impedimentis huic obſiſtentibus.

Si à ſanguine coagulato, cujus inditium eſt cacochymia ſanguinis in colore cutis demonſtrata, & morbi ab hac pendentes, & palpitatio conjuncta cum gravitate, & pondere Cordis, diſcoagulantia, & ſanguinem fundentia conveniunt; inter hæc eminent *Aromatica*, & Sale volatili referta. *Oleum Caryophil. Cinamomi*, *Macis*, *Citri*, *chymicè extracti*, & *Oleum Cornu Cervi*, *Faliginis*, *Spiritus Salis Armoniaci*, horum aliqua *ad gutt. vi. vel viij. in Aqua Cinamomi*, *Theriacali*, *Meliſſæ*, *Pulegii*, *Cochleariæ*, *cochleatim exhibeantur. Elix. vitæ*, *Elix. propriet. Aqua vitæ Matthioli*, *Electuarium de Coagulis*, *cujus compoſitionem vide apud Schenkium lib. 2. de palpitatione fol.* 277. *Camphora*, & *Charabe* in omni palpitatione valere docet idem *Schenk. loc. cit.* Pro præſervatione, ea adhibenda, quæ cachexiæ conveniunt, de quibus ſuo loco. *Chalybeata Antimonialia*, & *Tartarea* ſunt propria, *in Decocto Angelicæ*, *Galangæ*, *Zinziberis* per cochlearia aſſumpta. Vel hæc mixtura;

℞. *Aquæ Pulegii* } *a.* ℥. 3.
Fœniculi
Aquæ Cinam. ℥. *i.*
Aquavitæ Matthioli ℥. *i.*
Spec. lætific. Galeni ʒ. *i.* ß.
Antim. diaph. ʒ. *i.*
Bezoar. mineral. ʒ. ß.
Syr. de cort. Citri, *vel Coral. vel Cherm.* ℥. *i. m.*

Exterius regio Cordis inungatur *Theriaca*, & *Mithridato in Vino malvatico diſſolutis*. Pro potu utatur *Aqua*, *qua bullierit lignum Aloe*, & *Saſſafras*; cavendo ab omnibus alimentis craſſis, acidis, & auſteris, & utendo tenuibus, & aromatibus conditis.

A vermibus fieri palpitationem dixi, & diſtinguitur ab aliis cauſis per hoc, quòd morſus in regione Cordis interpollatè ſentiuntur, cum magna moleſtia, dolore, & augmento palpitationis. Remedium tamquam arcanum proponit *Schenk. cit. loc. de vermibus*, conſiſtens *in Succo Allii*, *Raphani*, *Naſturtii*. Alterum eſt: *Tanaceti ramuli teneri in umbra exſiccati terrantur*, *hujus pulveris* ℞. ℥. *vi.*

Rad. Gentianæ } *a.* ʒ. *i.*
Peoniæ longæ
Myrt. ʒ. ß. *m.*

ʒ. *ii. hujus pulveris in aqua propria exhibeantur.* Pro pueris, cum aqua miſcetur hic pulvis in pultis formam, labia illorum illiniantur, vel paulatim in ore imponatur. Eiſdem remediis præſervantur à vermibus ſubjectis iſtis. Victus ratio ſit exſiccans putredini reſiſtens, acidis, & oleoſis vermibus inimicis condita.

Ab aqua in pericardio ſi palpitatio ſuccedat, adeſt continua, & ferè ſemper æqualis palpitatio, æger vellut ſuffocari videtur reſpiratione læſa, Cor velut in aqua huic innatare videtur, & pulſus velut formicans adeſt. Hydropem pulmonum ſecum trahit, ſi palpitatio cum his ſignis valdè excreſcat. In paroxyſmo, vel in magna anguſtia reſpirationis, ſpiritoſa dicta ſuperiùs conveniunt, & magnum remedium, ſerum Hydragogis purgare, & urinam promovere, cum *Balſamo Sulphuris Terebinthinato in Aqua Aſparagorum*, *vel Parietariæ*, *vel Sem. Dauci*, & *Miliiſolis*, *cum Terebinthina mixta accipiantur*, *ſuperbibendo Decoctum Rad. Ononidis*, & *Filipendulæ*, *vel Virgæ-aureæ*; hæc præſervant etiam, ſicut *Decocta* exſiccantia *ex Ligno Sancto*, *Juniperino*, & *Nephritico*, à quibus habetur etiam præſervatio, & cum iſtis ſudorem promovere non erit incongruum. Victus ratio ſit exſiccans, omnia humida vitando, & potum copioſum fugiendo.

A flatu diximus fieri palpitationem, & diſtinguimus ab aliis per hoc, quòd citò invadit, à levi motu exacerbatur, per flatus eruptionem miteſcit. In paroxyſmo conveniunt flatus diſcutientia. *Oleum Citri*, *Caryophil. Macis*, *cum Aqua Theriacali*, *vel Cinamomi*, *Spiritus Carminativus Sylvii*, *cum Aqua Camomillæ*, *Raponticum ad* ʒ. *ij. in Vino malvatico*, magnum eſt remedium. Pro præſervatione, utero, hypochondriis, vel alteri parti affectæ, in qua flatuum, & vaporum minera latet, providendum cum diœta congrua affectui præternaturali.

A Polypo fit palpitatio, de quo agemus inferiùs. A lapide, à tumore, ab ulcere, ab oſſibus fieri palpitationem probant obſervationes apud *Schenk. Bonet. in Sepulchr. Anat.* & *Zacutum* deſcriptæ. Ab his enata palpitatio, incurabilis eſt; ſolùm adnoto, in magna anguſtia mittendum eſſe parùm ſanguinis, & reiterandam miſſionem, ſi anguſtia non cedat.

CAP.

C A P. XVIII.

De Tremore Cordis.

PAlpitationi conterminus eſt Cordis tremor, & adeò ratione partis affectæ, & motus depravati ad illam accedit, ut ab aliquibus hi duo affectus confundantur; revera tamen inter ſe ſunt diſtincti, ratione modi depravationis motus. Differentia patet ex definitione.

Definitur tremor Cordis, *Motus trepidationis carnium, ſeu fibrarum Cordis, quo fibræ motrices celerrimè, & tantùm ſemicontractè, & ſemiextensè conſtrictionem, & dilatationem Cordis efficiunt, cum pulſu parvo, debili, diminuto, & celeri.*

Ab hac definitione manifeſta fit differentia inter palpitationem, & tremorem; in illa adeſt motus Cordis inordinatus, conſtrictionis, & dilatationis, & convulſivus; in hoc, præter motum inordinatum dilatationis, & conſtrictionis, reperitur *Trepidatio carnium Cordis*. In palpitatione obſervatur motus inordinatus vehemens, in tremore parvus, & debilis; in palpitatione adſunt plurimæ dilatationes, & conſtrictiones Cordis, & arteriarum integræ ad ſuum terminum protractæ, in tremore dimidiatæ, & abruptæ ſemper.

Cauſa hujus affectus eſt valdè obſcura, & in hujus obſcuritate cœcutirem, niſi *Hipp.* facem accenderet *in lib. de flat. n.* 11. ubi cauſam tremoris in partibus declarat, & poſtquàm dixerit, *Partes, quæ parvo ſanguine irrigantur, palpitare* ſolùm, ſubjungit: *Sanguine autem abundantes, propter ſanguinis multitudinem, & tremunt, & inflammationes ſuſcitant*; & rationem reddit: *Nequit enim fieri, ut ſanguis multitudo conquieſcat.*

Admiſſa hac Hipp. ſententia determinandum eſt, tremorem Cordis fieri à moltitudine ſanguinis in ejus fibris, & papillis collecta, & ſtagnante, pròut colligitur ab Hipp. citata ſententia, dum ait: *propter multitudinem ſanguinis & tremunt, & inflammationes ſuſcitant.* Inflammatio fit à ſanguine in parte ſtagnante, ob impedimentum in ea exiſtens, ſanguinis curſum liberum interdicens; & ſi eadem eſt cauſa tremoris in parte, ac illa inflammationis, cùm hæc fit à ſanguine ſtagnante, concludendum eſt, etiam partes tremere ob ſtagnationem ſanguinis, & ſanguinis multitudo admiſſa ſtagnationem neceſſariam demonſtrat, ut patebit inferiùs.

Remanet ergo, & ſtagnat ſanguinis multitudo in Corde, ex Hipp. hujus ſtagnationis cauſa inquirenda, ut cauſam tremoris, & modum, quo fit, accipiamus

Multiplex poteſt eſſe cauſa ſtagnationis: Primò impedimentum in fibris curſum ſanguinis recepti prohibens; hoc impedimentum ponitur à particulis ſanguineis, craſſiuſculis, vel orificia fibrarum, vel poroſitates, vel viam illam, per quam effundunt ſanguinem contentum, occupantibus non integrè, quia aliquam portionem effundi pulſus arteriæ oſtendit, ſed parvum ſpatium relinquendo, per quod parùm ſanguinis dilabitur, ut oſtendit pulſus parvus, & diminutus. Hac de cauſa fit tremor Cordis à timore, dum ab hac paſſione ſanguinis motus retardatur in Corde, & in hoc ſtagnat, & ab eadem ſpirituum actio, & impetus minuitur, dum in maſſa ſanguinis à dicta paſſione concentratur; deficiente verò actione, & impetu ſpiritus, motus ſanguinis valdè retardatur. Debili actioni ſpiritus reſiſtit fibra Cordis à timore contracta, & ſecundùm ſuas poroſitates, vel cavitatem coarctata, itaut per motum Cordis parva portio ſanguinis è fibris expellatur, & multa in eis relinquatur, & ſtagnando plenitudinem in eis colligat, cum depravatione ſui motus.

Secundò à ſanguine procedit iſtius ſtagnatio, ſi ſpiritu vitali depauperetur; hic eſt, qui impetum facit, à quo fibræ impletæ ſanguine, & iſto turgidæ vim accipiunt impellendi ſanguinem è ſiniſtro Cordis ventriculo, & à ſuis fibris: ſpiritu diminuto, minuitur, & debilitatur impetus ſupradictus, & ſolùm effunditur à fibris illa parva portio ſanguinis, in qua ſpiritus reperitur, & è ventriculo Cordis illa expellitur, quæ debili virtuti, & energiæ fibrarum impellentium correſpondet: impellens directum in corpus capax ſui impulſus non movet hoc, niſi cum proportione ſui impulſus; ſi hic validus, validè movet, ſi debilis, debiliter, ita etiam movet totum, ſi impulſus, & vis talis ſit, ut toti corpori applicari poſſit, ſi verò ſit debilis, ut niſi portioni illius corporis applicabilis ſit, non movet niſi partem illius corporis; pari pacto cùm impulſus, & vis ſanguinis ſit à ſpiritu, ſi ille ſit debilis, ob paucitatem, vel ob diminutam energiam, non valet movere totam multitudinem ſanguinis exiſtentem in fibris, & ventriculis Cordis, ſed ſolùm illam portionem, quam movere, & impellere poteſt, immota manente ea portione, cui impetus applicari non poteſt; idcircò dicta portio ſanguinis ab impulſu non tacta, in dictis locis ſtagnans relinquitur.

Tertiò, ſi ad acquirendum impetum validum, & energiam efficacem pro impellenda multitudine ſanguinis requiritur mixtio ſpiritus animalis cum ſpiritu vitali, & ſanguine, ſi ille deficiat, vel in puritate, vel in actione delinquat, debilis ſequetur efferveſcentia, & cum hac debilis impetus portionem ſolùm ſanguinis valens expellere à fibris, & ventriculis Cordis, altera portione in Corde remanente, quæ à novo ſanguine per arteriam coronalem adveniente, ſemper magis augetur.

Quartò, ſpirituum animalium motus ad nervos circumvolutionibus plurimis amplectentes vaſa ſanguifera ſanguinem ad Cor diferentia, ad ejus fibras, & ventriculos (ut adnotavit *Vvilliſius in ſua Nervologia*, quo medio explicat ingenioſiſſimè motum varium ſanguinis ad Cor, ob animi paſſiones) ſanguinis copiam in Corde, & ejus fibris congregare valet; nam ſi prædictus motus ſpirituum animalium talis ſit conditionis, ut validè conſtringat vaſa ſanguifera, circa quæ contorquetur, neceſſe ſit, ut exprimant in fibras, & papillas Cordis multitudinem ſanguinis, à qua implentur dictæ partes cum turgeſcentia, quæ non tollitur, per conſtrictionem ventriculorum Cordis, & fibrarum, cùm expulſio quantitatis ſanguinis recepti impediatur ab enervata vi conſtrictiva dictarum partium à magna quantitate ſanguinis, per quam fibræ valdè diſtenſæ, & compreſſæ non valent ſe conſtringere tantum, quantum exigit expulſio totius ſanguinis admiſſi, quapropter magna portio ejuſdem relinquitur in dictis partibus. Hunc motum nervorum, cum dicta plenitudine obſervamus in paſſione gaudii tantam ſanguinis copiam ad Cor evocante, ut ſyncopem inducat; hanc inordinationem, & energiam in valida conſtrictione vaſorum ſanguifluorum ſpiritus concipiunt, vel à paſſione animi, vel ab extraneo acri, acido, vel ſalſo ſpiritibus dictis commixto.

Quintò, organizatio, textura fibrarum Cordis requiritur ad motum validum Cordis, & ad expulſionem integram ſanguinis in illis contenti; in textura enim conſiſtenti, dura, & compacta impetus majorem acquirit efficaciam, quàm in molli, rara, & parùm compacta, quod experientia docet; impetus in ligno impreſſus majorem habet vim ad percutiendum, quàm idem numero impetus in palea; data etiam pari quantitate molis, ſi fibræ Cordis fuerint molles, etiam ſi impetu magno moveantur à propria mollitie, ita enervantur, ut non poſſint per eum ſanguinem expellere totum in ſe ipſis contentum, ſed ſolùm parvam portionem capacem ſui impetus enervati, ob mollitiem, vel laxitatem.

Ab his cauſis multitudo ſanguinis in Cordis fibris congregatur, & ſtagnat, dum fibræ Cordis à multitudine ſanguinis oppreſſæ contractionem neceſſariam ad expulſionem ſanguinis in ſuo ſinu contenti exercere non poſſunt; quod obſervamus in muſculis partium, qui à ſanguine, vel ab humore turgidi, vel nullum, vel parvum motum partis proprium contractionis, & extenſionis exercent. Hac de cauſa fibris parùm conſtrictis, parùm ſanguinis effunditur, remanente alia copia ſanguinis in eiſdem fibris, qui tamquam in palude ſtagnat, cum plenitudine vaſorum, & fibrarum.

Modum, quo fit tremor Cordis, à multitudine, docet *Hipp. in cit. ſententia*, dum ait: *Nequit enim fieri, ut ſanguinis multitudo conquieſcat*, ideſt numquam quieſcit, ſed ſemper eſt in motu; conſequenter, ex Hipp. motus ſanguinis continuus in fibris partium, & conſequenter in illis Cordis, & papillis ejuſdem collecti, & ſtagnantis, erit cauſa tremoris. Hoc non eſt difficile intelligere, quia dum ſanguis movetur in dictis fibris, has, ut moveat continuò, neceſſe eſt verſus aliquam partem, ultra quam cùm progredi non poſſint,

ſint, ratione ſuæ extenſionis, per quam ulteriùs extendi non datur, ratione motus ſanguinis, à quo ultra impelli non valent, ratione reſiſtentiæ aliarum partium, à qua retropelluntur, & eodem motu ſanguinis verſus primum ſitum moventur, & hoc modo fit motus itus, & reditus, ſimilis tremori, motui in pendulo, quod in hoc operatur pondus, in motu Cordis fibrarum operatur motus ſanguinis; qua de cauſa motus tremoris partium à *Borello* dicitur *motus oſcillatorius itus, & reditus.*

Sanguinem collectum in Cordis fibris moveri demonſtratur à novo ſanguine adveniente in fibras, in locum illius parvæ copiæ, quæ per conſtrictionem effunditur in cavitatem ventriculi Cordis, & in arteriam magnam, & ab iſtius ſanguinis impulſu movetur ſanguis ſtagnans in fibris Cordis, cum deſcripto effectu; movetur etiam ſanguis fibratum motu conſtrictionis Cordis, licèt parvo, cùm enim moventur partes ſolidæ continentes, non poſſunt non moveri contenta in eis. Ideò ſanguis ſtagnans in fibris cordis ad motum iſtarum movetur, & ſuo motu, & impulſu movet motu itus, & reditus fibras Cordis, in quo conſiſtit ratio formalis tremoris.

Duo remanent explicanda in definitione poſita: Cauſa *diminutæ, & abruptæ contractionis, & dilatationis Cordis*; ſecundò cauſa *pulſus debilis, parvi, celeris.*

Pro primi explicatione memoriæ mandanda, quæ dixi de modo, quo fit conſtrictio Cordis, & ejus fibrarum in prima Diſſertatione, nempè à ſanguine tranſmiſſo ab arteria coronali ad fibras, has impleri ad turgentiam, in plicas corrugari, tenſionem cum conſiſtentia, & duritie contrahere; quibus qualitatibus cunei officium exercent, comprimendo vi, & energia accepta à ſpiritu vitali ſanguinis, quo implentur, & ab effervefcentia illius, cum ſpiritu animali ſanguinem in ventriculo Cordis ſiniſtro exiſtentem expellunt cum impetu, & eodem tempore fibræ, & papillæ ſanguinem ſuo ſinu contentum effundunt in ventriculum Cordis, & ab hoc in arteriam tranſit, & in iſtius effuſione elongatæ fibræ parant dilatationem Cordi.

In tremore Cordis non tota multitudo ſanguinis in fibris contenta ejicitur, dum fibræ, & cum iſtis Cor in motu conſtrictionis exiſtant, ob cauſas dictas ſuperiùs de ſtagnatione, nempè vel ob obſtructionem fibrarum, vel impetum debilem, ſed ſolùm parva portio ſanguinis in Corde, & fibris contenti ejicitur, quæ dimidiatam facit conſtrictionem; nam ſi tota ſanguinis multitudo fibrarum expelleretur, conſtrictionis mótus per quatuor, v. g. momenta duraret, parva quantitate ſolùm expulſa duo momenta complet, & ideò dicitur dimidiata; tantum enim protrahitur conſtrictio, quantum durat expulſio ſanguinis; ſangnis parvus citò expellitur, ideò citò terminum ſuum attingit conſtrictio, & dicitur dimidiata: dicitur etiam interrupta, quia ſanguis ſtagnans, & non exiens prohiber integram, & valdè contractam conſtrictionem, quæ ſequeretur, ſi tota multitudo ſanguinis fibrarum expelleretur, & quia non exeundo impedit talem conſtrictionem, dicitur etiam hanc interrumpere.

Dilatatio eſt diminuta, & interrupta, quia dilatatio, ut diximus, fit, quando fibræ effuſo ſanguine contento elongantur; ſtagnante verò ſanguine in fibris, non ſuccedit iſtius effuſio totalis, ſed parvæ portionis, ex quo fibræ adhùc cum aliqua plenitudine manent, & parùm elongantur, & cùm dilatatio à majori, vel minori extenſione, & elongatione fibrarum menſuretur, cùm in tremore parùm extendantur, ob ſtagnationem ſanguinis, parùm, & diminutè extenduntur, & conſequenter parva, & diminuta contingit dilatatio, quæ dicitur etiam interrupta, quia ſanguis ſtagnans, & non expulſus, totalem dilatationem inceptam impedit modo dicto, & velut interrumpit.

Ab eadem multitudine ſanguinis ſtagnantis minoratur impetus ab effervefcentia ſpiritus animalis, & ſpiritus vitalis in ſanguine emanans, quia talis effervefcentia, ob ſanguinis multitudinem, fit diminutè, & debiliter; & quidem multiplici de cauſa: primò quia ad hoc ut effervefcentia valida fiat, neceſſe eſt, ut totus ſpiritus animalis libero motu maſſam ſanguinis in fibris collectam penetret; ſecundò, ut ſpiritus vitalis ſit ſolutus, & in motu; tertiò, ut ſpatium aliquod in fibris relinquatur, ad quod ſe extendi poſſit ſanguis effervefcens. A multitudine ſanguinis, iſtius particulæ valdè preſſæ ad invicem ita conſtipantur, ut ſpiritui animali ingreſſus in ſanguinem intercludatur, & mixtio eorumdem ſpirituum impediatur, ob eamdem conſtipationem ſpiritus vitalis motus interdicitur, ſed oppreſſus quieſcit, & à multitudine ſanguinis omne ferè ſpatium fibrarum occupatur, & anguſtum pro fermentatione dilatata relinquitur; hinc exigua, & debilis fit fermentatio, & effervefcentia, idcircò debilis, & diminutus impetus ab ea profluens.

Ex cauſa hujus effervefcentiæ deficientis dilatatio Cordis etiam minuitur, cùm ſanguis in fibris remaneat impediens iſtarum extenſionem, & elongationem, quæ non poteſt haberi, niſi ſanguinis multitudo in eis exiſtens ex toto effundatur in cavitatem Cordis.

Cùm ergo impetus, quo motus conſtrictionis, & expulſionis ſanguinis perficitur, tam ex parte ſpiritus vitalis, quàm ex parte effervefcentiæ cum ſpiritu animali, & ſpiritu vitali, & ſanguine, fit debilis, diminutus, & æquivaleat ſolùm medierati, v.g. impetus in tempore ſanitatis exiſtentis, & ad medietatem ſolùm illius ſpatii conſtrictio ducat fibras, quod naturali, & validæ conſtrictioni debentur, ideò dicuntur conſtrictiones, dimidiatæ, & abruptæ.

Quoad ſecundum, *pulſus eſt debilis, parvus, celer*; debilis, quia impetus, quo ejicitur ſanguis in arteriam magnam, eſt debilis, & languidus, ideò etiam debiliter, & languidè elevat arteriam magnam, & ab hac debili, & languida elevatione pulſus dicitur debilis, ſicut à magna, & robuſta elevatione pulſus dicitur robuſtus, & validus.

Parvus eſt pulſus, quia parva copia ſanguinis impellitur in arteriam magnam, à qua parùm elevatur arteria, & ab hac parva elevatione dicitur pulſus parvus, ſicut à magna elevatione facta à quantitate ſanguinis in arteriam expulſi, & implente cavitatem arteriæ fit pulſus magnus, & plenus. Cauſa hujus diminutæ quantitatis ſanguinis in arteriam, eſt vis, & energia fibrarum debilis, ut explicatum eſt ſuperiùs, & etiam diminutus, & parvus fluxus ſanguinis à ventriculo Cordis ſiniſtro, & à fibris iſtius; cùm enim dictum, & determinatum fuerit in tremore fibras, & papillas Cordis eſſe turgidas, ſanguine cavitatem ventriculi iſtius ſiniſtri implente, ut niſi diminuta portio ſanguinis locum inveniat ab eiſdem fibris parva, & minima ſanguinis portio effunditur, cùm ad ſanguinis in eis contenti totalem effuſionem requiratur vis, impetus, & energia conſtrictionis valida; cùm autem hæc fuerit demonſtrata debilis, niſi parva, & minima portio effundetur, & conſequenter cùm parva portio ſanguinis, tam illius in ventriculo contenti, quàm illius in fibris collecti in arteriam exprimatur, pulſus neceſſariò parvus. Adde craſſitiem ſanguinis in fibris contenti reſiſtentem expulſioni. Celeritatem pulſus menſuramus à motu elevationis, & dilatationis arteriæ, ſicut frequentiam à quiete; illæ, ſi breviſſimo tempore perficiantur, itaut in eo tempore, in quo naturaliter fit una dilatatio arteriæ, & pulſus duæ, tres, & quatuor efficiantur, dicitur pulſus celer. Hujus pulſus cauſa petenda à dictis ſuperiùs, nempè pulſum fieri ab expulſione ſanguinis à ſiniſtro ventriculo Cordis, & ab ejuſdem intromiſſione in arteriam magnam, à quo hæc elevatur, & dilatatur; talis dilatatio, & elevatio dicitur pulſus. Expulſionem ſanguinis à Corde fieri per fibras impletas, turgidas, & tenſas, demonſtravi cum *Borello*, & in tremore Cordis ſanguinem ſtagnare in fibris, ex quo hæ ſunt ſemper cum plenitudine, & turgentia, quæ diminuitur, à parvo illo ſanguine, quem in ſua contractione, vel conſtrictione expellunt; at quia paucus eſt, breviſſimo etiam tempore reſtituitur fibris eadem quantitas ſanguinis ab eo per arteriam coronariam eiſdem impertito; quapropter breviſſimo tempore ad eamdem plenitudinem, & turgentiam, & tenſionem redeunt neceſſariam ad expellendum eum ſanguinem, qui eodem tempore, in quo illę recipiunt illum ab arteria coronaria in ventriculum Cordis ſiniſtrum ab auricula ſiniſtra deponitur; ideò breviſſimo tempore una pulſatio arteriæ, ſeu pulſus alteri ſuccedit, & breviſſimo tempore hæc pulſatio conficitur, ob paucitatem ſanguinis in arreriam expulſi, majus etenim temporis ſpatium requiritur ad extenſam, & protractam arteriæ dilatationem, quàm ad contractam, & diminutam; obſervamus enim pondus aliquod citiùs elevari ad unum palmum altitudinis, quàm ad qua-

ad quatuor, in arteria citiùs elevatur ad contractam, & diminutam dilatationem, quam ad extenſam, & protractam. Hinc eſt, quòd pulſus parvus ferè ſuper eſt celer, & licèt ſucceſſio unius pulſationis alteri brevi temporis ſpatio facta includat etiam quietem; ſi tamen conſideretur ſolùm in iſtis pulſationibus motus, pulſus dicitur celer; ſi verò ſolùm quies, quia breviſſimo tempore perdurat, dicitur frequens, & ita pulſus celer, & frequens differunt ſolùm per diverſos reſpectus, cùm celer ſint etiam frequens, & frequens celer.

Addo, breviſſimo etiam tempore fieri dilatationem arteriæ, quia reſiſtentia iſtius vincit ſtatim vim impetus debilis, quo ſanguis in eam impellitur, unde ſtatim etiam deprimitur, & conſtringitur, cum motus elevationis intermiſſione.

Ab his intelligemus, quomodo fiat motus itus, & reditus, in quo conſiſtit tremor Cordis, dum ſanguis exiſtens in fibris Cordis, & qui non expellitur, ob ſui vitium, movetur è motu Cordis conſtrictivo, & ab adveniente ſanguine ab arteria coronaria, & non expellitur à fibris hoc motu ad unum parietem fibrarum impellitur, quæ reſiſtendo repellunt ad oppoſitum parietem, & hæc reſiſtendo repellit ad alterum parietem, & cùm talis motus in omnibus fibris contingat, omnes fibræ etiam tremunt; quod contingit etiam, ſi dictus motus ſuccedat in extremitate infima fibræ, & reflectatur ad ſupremam, & pari reflexione ad infimam redeat.

Signa diagnoſtica tremoris Cordis ſunt, motus trepidationis, & tremoris perceptibilis in regione Cordis, & in pulſu, qui ſemper eſt *parvus*, *debilis*, *& celer*.

Prognoſtica ſunt eadem, & pejora, cum eis palpitationis.

Diſtinctiva cauſarum ſtagnationem ſanguinis efficientium: Si ab obſtructione poroſitatum, vel orificiorum fibrarum ſit ſtagnatio, adeſt cacochymia melancholica, vel pituitoſa, præceſſit paſſio timoris, vel mœroris, & triſtitiæ. Si à ſanguine ſpiritu vitali depauperato, anteceſſit mala victus ratio cum alimentis pravi nutrimenti, vel cum illis, in quibus eſt deficientia particularum, quæ ſpirituum generationi inſervire poſſint, & cauſa diſſipans ſpiritus, ut animi paſſiones triſtes, immoderata Venus, intenſa applicatio ſtudio, labores violenti. Si à deficiente effervefcentia vitio ſpiritus animalis, adeſt, vel adfuit cauſa iſtos diſſipans, cacochymia depravans, & inertes reddens. Si ab inordinatione ſpirituum animalium, conjungitur vertigo, vel paſſio nervoſi generis, in aliqua alia parte, ut dolor capitis. Si à fibrarum Cordis laxitate, adeſt abundantia ſeri, & temperamentum ad hujus generationem aptum.

Indicationes variæ pro varietate cauſarum, quæ tamen ſemper miſſionem ſanguinis requirunt, ut fluxus ſanguinis copioſus à Corde evertatur; ideò ſæpè, ſed in parva quantitate mittendus ſanguis, & præcipuè ſi cum tremore anguſtia reſpirationis conjungatur.

Si ab obſtructione poroſitatum, vel orificiorum fibrarum oriatur, ea adhibenda, quæ de palpitatione à ſanguine coagulato dicta ſunt, tam externa, quàm interna.

Si à ſanguine ſpiritu depauperato, omnia aromatica, & ſpiritoſa ibidem enumerata conveniunt, & victus ratio ſpiritui, & bono ſanguini generando idonea inſtituenda; & ſi ſauguis cum tali imperfectione vitio alicujus partis generetur hoc, tollendum.

Si à ſpiritus animalis impuritate, vel deficientia, depurandus *Aquis*, *vel Decoctis ex herbis cæphalicis*, *cum ſpiritibus volatilibus Cornu Cervi*, *Fuliginis*, *Cranii humani*, *Salis Armoniaci*, *Sanguinis humani*, *Antidoto cephalico*, *Mithridato*, *ſpec. Diambræ*, *Decocto ligni Aloes*, *& granorum Juniperi*, quibus non proficientibus, ſudorifica, & diuretica adhibenda.

Si à ſpirituum animalium inordinatione, hæc ſedanda; ſi inordinatio ſit à paſſione, hæc abjicienda; ſi ab extraneo ſpiritui commixto, ut ſunt bilis, vel melancholiæ particulæ acidæ, & ſalſæ, hi humores evacuandi, & attemperandi; poſtea ſeditivis primò, refrigerantibus, & cephalicis, ut *Viola*, *Roſa*, *Boragine*, *Bugloſſa*, *Nymphæa*, *Papav. errat.* & ſimilibus utendum; ſecundò opiatis. Si à melancholicis particulis acidis, *Cœphalica calida*, *& aromatica* uſurpanda, paulò ante deſcripta.

A qualitate cauſæ convenientis diætæ qualitatem accipiemus. Et hoc ſit univerſale documentum, diæta tenuis omnibus præferenda, cùm à copia ſanguinis ſaltem particulari morbus pendeat, ut parva ſanguinis quantitas generetur.

C A P. XIX.

De Polypo Cordis.

POlypus eſt *Excreſcentia ſolida in ventriculis*, *vel vaſis*, *& orificiis Cordis concreta ab humore ibidem fixato.*

Nullus magis accuratè Polypi texturam, & generationem dilucidavit, quàm *Malpighius in lib. de ſtructura viſcerum*, *in fine.*

Polypi Anatomen aggreſſus concludit, hunc aliud non eſſe, quàm congeriem ſuperpoſitarum, extenſarumque pellicularum, quæ in modo ſuæ ſubſtantiæ nervoſum corpus, cum aliquali tamen mucoſitate referunt, & ſi eædem lacerentur, in longa, & ſolida filamenta ſolvuntur, quæ manifeſtiora apparent in ejus appendicibus, quæ faſciculi inſtar in fibras reſolvuntur.

Harum pellicularum, & conſequenter excreſcentiæ Polypi materiam putat à ſanguine derivatam, & eſſe cuticulam illam, qua pellis inſtar ſuperficies ſanguinis extracti, & refrigerati, aliquando tegitur, atque ſectioni ſanguinis reſiſtit.

Hanc ſententiam deducit, & confirmat experimento facto in ſanguine concreto, qui multiplicatis aquæ communis lotionibus, relicta in aqua parte rubra, à qua liquor ſanguineus tingebatur purpura, non exhibet de ſua ſubſtantia niſi album corpus, quod microſcopio inſpectum nerveis fibris compaginatum apparet, in cujus ſpatiis (cùm retis ad inſtar ſit efformatum, itaut rete membranoſum dici poſſit) tamquam in cellulis rubicundus ichor relictus in aqua per lotionem, ſtagnabat; & ſi corpus hoc album nudis oculis inſpicias, mucoſæ membranæ ſpeciem refert, quæ ſi in aqua fervida ad elixandum ponatur, gracileſcit mucoſitate, qua oblinitur abſterſa, & in aqua liquefacta, & ſuperaſſata tenuem membranam repræſentat, quod adamuſſim obſervatur in Polypo diſſecto aquæ calenti immerſo ad elixandum, vel ſuperaſſato; & ſi tam fibræ retis ſanguinis, lotura modo ſupradicto præparati, quàm membranæ Polypi oleo Sulphuris irrorentur, colorem rubiginoſum acquirunt, à quibus experimentis cum ratione deducitur, & Polypi, & retis hujus ſanguineæ fibroſæ communem eſſe materiam Hanc materiam fibroſam in ſanguine nobis demonſtravit *Hipp. in lib. de carn. n. 9.* dum ſanguinis è vena emiſſi coagulationem his fibris tribuit; ait enim: *Si quis autem eum conquaſſet*, *& fibras eximat*, *non congelatur*, *fibræ enim frigidæ ſunt*, *& glutinoſæ.*

Detecta materia Polypi, modum, quo fit, explicare non eſt difficile. Membrana reticularis, quæ in ſanguine extracto, & refrigerato, continua inſpicitur in ſanguine intra vaſa fluente in minimas particulas eſt diviſa, cum aliis enim particulis rubris fluit, & fluiditatem à ſola diviſione ſuæ ſubſtantiæ in minutiſſimas particulas acquirit, quæ poſtea in congelato ſanguine, ſimul congregatæ ob ſimilitudinem ſubſtantiæ rete ſupradictum efformant, eo modo quo particulæ ſanguinis tenuiores ad invicem congregatæ in ſuperficie uniuntur, & craſſæ in fundo, licèt ante, dum fluerent per vaſorum cavitates, eſſent omnes indiſcriminatim confuſæ.

His ſtantibus, ſi contingat hujus corporis albi, & retis ſanguinei particulas non ritè comminui, ſed craſſiuſculas remanere, hæ ſuo pondere, fluente etiam maſſa ſanguinea, ab aliis particulis iſtius præcipitatæ ſeparantur, & ei parti, in qua ſeparantur, adhærent, eo modo quo ſabulum, & materia tartarea ab aqua proprio pondere in aquæductibus, per quos excurrit, præcipitatur, etiamſi aqua continuò fluat, & tartarea cruſta ſuperficiem aquæductus, in qua ſeparatur, tegit. Separatæ à maſſa ſanguinis particulæ illæ craſſiores fibroſæ retis, parti adhærent, adhæſioni ſervit naturalis mucoſitas, qua obliniri diximus, & etiam inæqualitas, ac aſperitas partis, in qua ſeparantur, & præcipitantur; idcircò in orificiis vaſorum Cordis, in quibus ob valvulas adeſt aliqua inæqualitas, frequentes ſunt Polypi, & etiam in ſubſtantia pulmonum, ubi veſiculæ illum efformantes, aliquam inæqualitatem in eo relinquunt. Aliqua

qua etiam mora ſanguinis in parte, ſeu iſtius retardata circulatio præcipitationem dictarum particularum craſſiuſcularum ſummè coadjuvat, dum in hac mora ſanguinis facilè præcipitantur dictæ particulæ, eo modo quo aqua turbida, ob admixtionem luti, & terræ rapido motu ceſſante, & lentè decurrens, lutum, & terram deponit; & quia in orificiis Cordis, ob valvulas dictas contingit aliquando ſanguinem ibi immorari, & tardè moveri, ſeparatio etiam iſtis particulis ibi evenit. Similitudo etiam ſuperficiei partis, cum ſuperficie iſtarum particularum adhæſionem illi non adeò facilè ſuperabilem faciunt, cùm ad mutuum, & æqualem contactum ſe accomodent, ut à præterlabenre ſanguine abripi, & diſcontinuari non poſſint; ſicut enim corpora, textura, ſuperficie, actione diſſimilia aſſociari detrectant, ita quę figura, ſuperficie, & actione ſimilia ſunt, facilè ad invicem adhærent.

Particulæ primò ſeparatæ, & parti adhærentes inæqualitatem in ea efficiunt, quæ ſanguinem parùm in motu retardando ſeparationi aliarum ſimilium confert, quarum adhæſio cum primis jam fixatis facilis fit, ob ſimilitudinem ſuæ ſubſtantiæ, & ſuperficiei, ita paulatim incrementum ſuſcipit excreſcentia, & fit Polypus, eo modo quo à parvis arenulis in veſica collectis, & conglobatis per novam additionem ſimilium, cum urina delatarum excreſcit lapis in magnitudinem excedentem.

Cauſæ ſunt, quæ craſſitiem ſanguini tribuunt; & inter internas enumeratur *pituita*, quam Polypi cauſam principalem, & unicam cognovit *Hipp. in lib. de affect. n. 6.* & certè album illud corpus in formam retis efformatum, non eſt niſi pituita, vel ſubſtantia humida concreſcibilis hic analoga taliter diſpoſita, & cum hac maximam ſimilitudinem in ſubſtantia, & qualitatibus habens; huic poſſet addi ſanguineę maſſę imperfectio ſeu craſſities, ob deficientiam illius Salis volatilis, à cujus actione fluxibilitas, cùm partium tenui diviſione, & ſolutione oritur, & cum Salis acidi abundantia, & exaltatione. Ideò corpora temperamenti melancholici, & pituitoſi incidunt in Polypos.

Inter externas enumeratur victus craſſus, & alimenta viſciditate donata, ut Caro bubula, ſuilla, legumina, Caro ſalita, & fumo exſiccata. Animi paſſiones ad Polypi generationem concurrunt; ab iſtis enim ſanguis alterationem in Corde ſuſcipit incraſſatione, fixatione, & coagulatione, & tarda circulatione. A timore Polypum in Corde fieri obſervavit *Platerus.*

Signa diagnoſtica Polypi Cordis, eſt palpitatio iſtius continua, pulſus ſemper eodem modo inæqualis, reſpiratio difficilis; cum enim ſanguis à pulmone in Cor liberum non habeat ingreſſum, ob impedimentum Polypi, portio regurgitat, & alium ſanguinem ad Cor tranſmiſſum retardat, & cogit in pulmonibus ſtagnare, à quo oppreſſus pulmo, difficilem, & anxioſam reddit reſpirationem.

Prognoſtica, deſperatus eſt pro curatione morbus; in naſo curatur ab *Hipp. lib. 2. de morb. num.* 33. & 34. *inciſione, & uſtione*, quæ cùm in internis partibus exerceri non poſſint, incurabilem faciunt affectum, à quo mors expectanda, cùm ſuffocatione, vel ſyncope, niſi à ſanguine perfodiatur, & aperiatur in Polypo meatus, per quem, tamquam per canale liberè fluere poſſit; quod obſervavit *Malpighius* dicta diſſertatione.

Indicationes erunt, pro impedimento ejus incremento ſanguinem attenuandi, & cum eo corpuſcula fibroſa, ut tenuitate inducta, non adhæreant facto Polypo, acidum infringendi, à quo principaliter habetur craſſities, & ſanguinis, & ſubſtantiæ fibroſæ, & Polypi corpus exſiccandi, qua exſiccatione fit minor, ut patet in experimento ſuperiùs allato, & ideò impedimentum etiam minuitur.

Chirurgiæ non eſt locus in hoc affectu, quia ſanguis quantitate non peccat; ſi verò à ſtagnante in pulmone ſanguine ſuffocatio immineat, mittendus ſanguis ad minorandam plenitudinem in eo coacervatam, ad motum eidem ſtagnanti conciliandum.

Purgatio convenit, quia humores qualitate peccant, & pituitoſi, & melancholici, à quibus, & ſanguis, & ſubſtantia fibroſa craſſitiem nanciſcitur, à qua utriuſque ſolutio in minutiſſimas particulas impeditur. Quę Phlegmagoga, & melanagoga dicuntur, conveniunt. *Mel. Roſ. ſol. Syr. de Polyp. ſol. Extract. Hellebori nigri, infuſ. Agarici, Turbith. Mercurius dulcis, Pil. de Agar. Aggregat. de Ammoniaco Querc. de lapide Lazuli.* Evacuationem laudo Epicraticam, & per quindecim dies ſumantur *Pil. de Amoniac. Querc.* ℨ. *i. Merc. dulcis gr. xvi. cum Mel. Roſ. ſol. q. ſ. F. P.* Purgato hoc modo corpore.

Alterantia eligenda, inter quæ ſunt omnia incidentia, & deobſtruentia. *Quinque radices aperientes, Radix Curcumæ, Marrubii, Chelidoniæ majoris, Enulæ Campanæ, Lappæ majoris; Fol. Eupatorii, Cetrach, Agrimoniæ, Cuſcutæ, Fumoterræ, Fœniculi, Origani.* Acidum infringunt *Caryophilata, Hirundinaria, Galanga, Millefolium, Raphanum ſyveſtre, Naſturcium aquaticum;* omnes herbæ, Cœphalicę dictę, *Majorana, Salvia, Roſmarinum, Satureja, Lavendula, Chamædryos, Serpyllum, Spica Nardi, Calamus aromaticus;* ex his parentur decocta, miſcendo incidentia, cùm acidum infringentibus, & ad libræ quantitatem aſſumantur, addendo *Tincturam Chalybis ad* ℨ. *ii.* vel *Tincturam Antimonii ad* ℨ. *i.* vel *Spir. Sal Armon.* vel *Arcanum duplicatum Minſich;* vel præmittendo bolum, paratum ex *Extracto Baccarum Juniperi* ℨ. *i. Pulv. Viper.* ℈. *i. Ol. Ligni Sancti* ℈. ß. *Oxymel Scillit. Oxymel Chalyb.* poſſent etiam decoctis miſceri. Omnia volatili Sale referta conveniunt, ut *Oleum Cornu Cervi, Fuliginis, Charabis. Spir. Sang. hum. Urinæ.* Olea Aromatica, *Oleum Macis, Caryophilorum, Citri, Nucis muſc. Cinamomi, Spiritus Vini*, in quo aliqua ex dictis ſimplicibus, & aromatibus infuſa fuerint, efficaciſſimum eſt remedium, manè, & ſerò, ante, & poſt cibum per horam aſſumptum.

Inter exſiccantia, quæ ſunt magis proficua, in Polypo, eſt *Decoctum ex Ligno Sancto, ejus cortice, Saſſafras, Ligno Juniperino, & Cornu Cervi paratum, additis herbis Cæphalicis ſuperiùs recenſitis, & nodulus, cum limatura Chalybis, ſuſpendatur in vaſe.* Hoc Decocto utatur æger per quadraginta dies. *Vinum etiam paretur ex dictis ſimplicibus, bibendum in menſa, vel ſaltem primum poculum ſit hujus Vini medicati.*

Laudatur in Polypo *Succus Sempervivi condenſatus ad* ℨ. *ij. cum* ℈. *i. Croci Martis aperitivi, &* ℈. ß. *Antimonii diaphor. Florum Sulphuris* ℈. ß. *f. b.* qui ſumi poteſt ante Decoctum deſcriptum.

Diœta pro curatione eſt magni facienda, quia juxta naturam alimentorum etiam ſanguis generatur. Sit hęc tenuis, cum cibis ſubſtantiæ facilis concoctionis, & optimi nutrimenti, fugienda omnia alimenta craſſa, viſcoſa, pinguia; ab aqua abſtinendum, Vino generoſo utendum, ſed in quantitate moderata; à cibo aliquod concoctionem adjuvans aſſumat, quia ſtomachi indigeſtio magnam partem habet in hujus affectus generatione: in hunc finem optima ſunt *Diatrion Pipereon Gal. Confect. Diambræ, Zinziber conditum, Aqua vitæ Juniperata, Grana Juniperi, Saccharo condita, & ſpiritus Vini ſuprà deſcriptus.*

FINIS LIBRI SECUNDI.

LIBER

LIBER TERTIUS.

DE MORBIS INFIMI VENTRIS.

C A P. I.

De Inappetentia, ubi de Fame, & Appetitu.

A Morbis Cordis tranſeundum ad morbos Ventriculi . Hic à Natura datus ad alimenta ſuſcipienda, & retinenda, & concoquenda , prævia fame, ſiti , & appetitu cibi, & potus, à quibus determinatur ad eos quærendos , & capiendos , tam ad reparationem illius, quòd deperditum eſt, & cujus defectus indigentiam parit , quàm ad conſervationem caloris , & ſpiritus cibi exiſtentis, & ſuperſtitis.

Ut clarè explicetur eſſentia propoſiti ſymptomatis , videndum prius, quid ſit Fames, in quo conſiſtat, & quomodo excitetur , & quomodo lædatur ; ſecundò , quid ſit Appetitus, ejus differentia à Fame , in quo conſiſtat , quomodo excitetur , quomodo lædatur , & ſatietur.

Famem hìc conſidero, prout eſt, ſimpliciter in ventriculo ſejunctam ab omni alia operatione Animæ ſenſitivæ , cum qua conjunxit *Ariſtot.* quando definivit Famem eſſe *Appetitum calidi , & ſicci* , quia Appetitus eſt actus , ſeu actio Phantaſiæ , quæ eſt una ex potentiis Animæ ſenſitivæ , & licèt cum hac conjungatur in quærendo, eligendo, & capiendo cibo, non conſtituit tamen eſſentiam Famis propriæ ventriculi , cùm hæc priùs adſit, quàm adſit Appetitus. Acceptam ergo Famem ſejunctam à quacumque alia potentia Animæ ſenſitivæ.

Dico eſſe *Paſſionem orificii ventriculi ſuperioris, factam ab indigentia cibi, & ab acido in ventriculo exiſtente.*

Eſſe paſſionem ventriculi Famem patet , quia huic eſt moleſta, & ab hac patitur , & cùm quiſque hanc moleſtiam, & commotionem in Fame patiatur, probatione majori non indiget; & ſi omnis commotio, & perturbatio animi, dicitur animi paſſio , ita cùm ventriculus à Fame perturbetur, commoveatur, & patiatur, Fames dicenda erit ventriculi paſſio.

Indigentia cibi in vegetabilibus, eſt iſtorum Fames; hac præſente alimentum ſuo modo appetunt, quærunt, attrahunt, ſeu ſuſcipiunt, directa à ſuo principio conſervationis individui vegetabilis ſtudioſo, quod principium dicitur *Inſtinctus naturalis*, per quem fertur ſemper in ea, quæ ſibi conveniunt, ita determinante Natura pro conſervatione vegetabilium, alioquin tamquam improvidam criminaremur juſto judicio; & ſi vegetabile non percipit, nec cognoſcit hanc indigentiam modo ſenſitivo, modo tamen vegetativo hanc attingit, & quod eſt principium ſenſitivum in animali, eſt inſtinctus naturalis in vegetabili , quo alimenti indigentiam ſuo modo percipit, & quærit.

Hanc, ut dicam, Famem ab indigentia cibi demonſtravit *Hippoc: in lib.* 4. *de morb. num.* 12. his verbis : *Pro hac etiam ratione corpus trahet ab ipſis fontibus , donec humor parcior, quam oportet, fiat, & tunc appetit homo, & edere, & bibere, tale quid, quod portionem illam expleat , ac aliquis adæquet* ; & clariùs hanc Famem naturalem expreſſit *lib. de humor. num.* 4. ubi venriculum Terræ comparat , dicendo : *Quemadmodum terra arboribus, ita animalibus ventriculus, & nutrit, & calefacit, & frigefacit: Frigefacit, dum evacuatur* (ideſt alimentis vacuus eſt) *calefacit, dum impletur* ; *quemadmodum terra ſtercorata hyeme calida, ita ventriculus*; quo exemplo communem cum vegetabilibus actionem in ratione alimenti animali tribuit , cùm ventriculus terræ officio in animali fungatur.

Antiqui voluerunt, Famem hanc fieri ſuctione, tractione partium à partibus vicinis , donec perveniat ad ventriculum , in quo fit ſenſibilis tractio , & Fames ; hæc ſenſatio dicitur Fames . Eamdem ſuctionem in Plantis , in cibi indigentia fieri admiſerunt, non ſenſibilem , ut in animalibus , ſed ſuo modo perceptibilem.

De hac ſuctione locutus eſt *Hippoc. lib.* 4. *de morb. num.* 3. his verbis : *Poſtquàm verò comedit, aut bibit homo, corpus ex ſe ipſo humorem relatum ex ventriculo, & fontes trahunt per venas de ventriculo ſimilis humor ſimilem, & corpori diſtribuunt* ; & ibidem ad probandam hanc ſuctionem, utitur exemplo florum, qui humorem ſibi ſimilem trahunt. Hos fontes vult eſſe Cerebrum , Hepar , Lien , & Cor , & hos fontes à ventriculo alimentum trahere, & alias partes ab his . De hac ſuctione, & tractione verba facit *Hippocr. in cit. lib. de morb.* 4. *num. 6. uſque ad* 10. & hanc tractionem ventriculi à toto corpore in neceſſitate alimenti probavit *Hipp. cit. lib. n.* 11. exemplo vaſorum, ita accommodatorum, ut unus recipiendo aquam alia impleat vaſa, & illo aqua exinanito , aquam ab aliis vaſis , quibus dederat, accipiat.

Hanc ſententiam impugnant , & rejiciunt Neoterici ; cùm experientia Anatomica conſtet , totum corpus alimentum ſuſcipere ab arterioſo ſanguine, ad eas motu, & impulſu cordis demandato, non attracto, & exemplum de terra allatum, & de arboribus , & floribus ab ea nutrimentum trahentibus , nihil valere ajunt , cùm ab aere terram premente, ſucci in ea contenti expreſſione in radices arborum, florum , herbarum impellantur; ex quo excluditur omnis attractio , ſicut excluditur attractio humoris ſibi ſimilis à conformitate figuræ porroſitatum, cum particulis determinatis ſanguinis, per quam facillimè partes ingrediuntur, & in eis detinentur; ab earumque actione naturali elaboratæ cedunt in augmentum , & nutrimentum earumdem partium , itaut attractio non ſit niſi receptio particularum ſanguinis , quæ figuram habent congruam porroſitatibus partium ; per hanc conformitatem partes recipiendo ſanguinem , dicuntur hunc attrahere.

Iſtæ rationes talem habent efficaciam, ut perſuadeant ablegandam eſſe facultatem attractatricem, unà cum aliis facultatibus. Cùm verò tales rationes proceſſerint à doctrina circulationis ſanguinis Antiquis ignota, juſta iſtis concedenda excuſatio.

Præterquamquòd cenſeo , Hippocratem huic ſuctioni adhæſiſſe, ut explicaret illos effectus, & illam moleſtiam , qua ventriculus affligitur in alimenti indigentia, quæ benè explicantur data tali ſuctione, & tractione : ſicuti etiam explicatur , quomodo Fames à cibi indigentia in partibus proveniat , quod fuit unicum intentum Hippocr. modum verò explicavit dependenter ab eis principiis, quæ tunc erant ab omnibus accepta , à ſuctione nempè , & tractione , quibus etiam rejectis, non poteſt negari aliquis motus in venis, & arteriis capillaribus præcipuè; nam ſi iſtæ contrahuntur, parùm ſanguinis in carnes infundunt, & dicuntur expellere ; ſi illæ extendantur , parùm ſanguinis exugunt, & dicuntur attrahere . Hoc motu poteſt defendi facultas attractrix , & expultrix Antiquorum . Aliquis motus conſiderandus eſt etiam in fibris partium urgente cibi, & alimenti indigentia , ſimilis motui periſtaltico inteſtinorum, quo concutiunt, & agitant arterias capillares, & majorem copiam ſanguinis ab eis proliciunt, & ſucceſſivè propagata quaſſatione, & concuſſione per totam arteriam , cujus ramificationes ſunt arteriæ capillares, major ſanguinis fluxus ad partem alimento indigentem promovetur , & talis motus æquivalet motui tractionis.

Cùm

Cum modus, quo fit Fames à cibi indigentia ab Hippocr. traditus, non rectè conveniat, cum noviter in Medicina detectis, & experientia comprobatis aliter explicandus.

Sicuti in vegetabilibus indigentia alimenta reperitur, quando in eorum radicibus, quæ ſunt proprii alimenti promptuarium, hoc deficit, & tunc methaphoricè dici poteſt famem pati ex alimenti indigentia; ita quando in ventriculo animalis deficit alimentum, fames excitabitur ex alimenti indigentia; ſi ſatiatur fames ab alimento in iſtius deficientia vigebit. Si vegetabilia inſtinctu naturali ſuo principio vitali conjuncto, & conſervatione vegetabilis intento, alimenta ſuo modo quærunt, quia ſi datum eſt eis eſſe, data eſt etiam potentia, hoc eſſe conſervandi per alimentum. Hæc alimenti perquiſitio, vel inſtinctus naturalis, in hoc tendens fami animalium æquivalet, & dicitur fames naturalis, inſtinctu naturali percepta, & eodem inſtinctu in hujus indigentiæ remedium quæſitum eſt alimentum, ita indigentia alimenti in ventriculo hunc determinabit ad alimenti perquiſitionem, in quo fames naturalis conſiſtit.

Hac de cauſa Natura animali perfectione ſuper vegetabilia elevata, dedit etiam modum percipiendi hanc indigentiam alimenti inſtinctu naturali, quem, ut vegetabilia, ei conceſſit, determinativum hujus naturalis inſtinctus in animali ad ſui muneris executionem, id-eſt ad perquiſitionem alimenti, eſt languor, deficientia ventriculi, quæ poſtea communia toti corpori fiunt, cum univerſali deficientia virium, ſine alio ſenſu animali convenienti, quibus animadverſis, ſuo modo inſtinctu naturali vegetabilium proprio, animal cibum quærere credendum eſt; ex quo deducitur differentia inter famem naturalem, & animalem, quia hæc fit ab humore acido vellicante, ut mox videbimus, illa à cibi deficientia in ventriculo.

Sic etiam apparet, famem naturalem non eſſe deficientiam alimenti in toto, quia in fame quotidiana vaſa ſunt ſanguine plena, qui cùm ſit materia nutritionis, & immediatum alimentum partium, non poteſt hoc dici deficere, quia vaſa ſanguine, ſunt plena alimento, ſed ſolùm in ventriculo, quem in beneficium animalis ita conſtitutum voluit Natura, ut deficiente cibo, quo lætatur, & deficientibus particulis ſpiritoſis alimentorum, quibus fibræ ſuarum membranorum implentur, & vigorem accipiunt, triſtaretur, & langueret vegetativo modo, ob cibi indigentiam, & languore determinante quæreret alimentum; quod demonſtravit *Hippoc. lib.* 4. *de morb. num.* 2. ubi dixit, *Ventriculum colliquamento corporis vice cibi frui*, *ventriculus*, *dum plenus eſt horum* (ſcilicet ciborum) *corporis fons eſt*, *verùm ubi vacuus eſt*, *corpore fruitur colliqueſcente*; & experientia confirmatur Hippocr. ſententia, dum deficiente in ventriculo cibo, & eo languente impletur humoribus excrementitiis, quæ corporis colliquamenta vocat Hippocr. & ventriculum in cibi deficientia hunc quærere, & quidem ſolo inſtinctu naturali, quo præditum eſſe non poſſumus negare, cùm talis inſtinctus ſit proprius vegetabilium, quorum naturam, & proprietates animal eminenter continet.

Fames naturalis ergo erit invigentia cibi inſtinctu naturali percepta, & inclinatio ad cibum requirendum impulſu ejuſdem inſtinctus.

Fames animalis pendebit à potentia ſenſitiva animalis propria, cùm per ſenſum ſit perceptibilis in ventriculo, in quo Famis ſedem ſtabiliri conveniens erat, ex eo quòd in eo recipiuntur alimenta per famem expetita. Eſſe perceptibilem famem per ſenſum, docuit *Hippocr. lib. de flat. num.* 2. ubi ait, *quare ſtatim*, *ubi fames moleſtat*, *morbus fit*; quod moleſtat, eſt perceptibile per ſenſus, cùm per qualitates ſenſibiles, quæ ſunt objectum proprium ſenſus, ſit moleſtum. Hæc moleſtia manifeſtatur in fame à languore, & deficientia ſenſibili ventriculi à morſu, & dolore ejuſdem, & animi deliquio, quæ quandoque fami conjunguntur.

Neceſſaria erat hæc moleſtia in fame, præcipuè homini, ut admoneretur de neceſſitate capiendi cibi, negotiis, meditationibus intentus, & curis diſtractus, à quibus inſtinctus naturalis ab indigentia cibi, inefficax pro iſtius præquiſitione reddi poteſt. Moleſtiam famis voluerunt Antiqui fieri ab acido melancholiæ in Liene præparato ad ventriculum delato per vas breve venoſum, atque ab hoc acido irritari, vellicari os ſuperiùs ventriculi, cum aliqua moleſtia, à qua ſenſus famis oritur; hoc acidum ſubobſcurè, & deductivè demonſtravit *Hipp. in lib. de Medic. purgan. num.* 4. his verbis: *Bile commota*, *& non purgata*, *æger non vult ſorbere*, in quibus verbis demonſtrat famem deficientem à bile; quapropter deduci poteſt, famem ab acido bili contrario excitari, ſi bilis famem extinguit.

Recentiores ſecuti ſunt Antiquos, retinendo iſtorum ſententiam de acido famis excitativo; diſſentiunt verò in loco iſtius præparationis, & in materia, à qua præparatur. Communi etenim conſenſu ſtabiliunt, in ventriculo præparari hoc acidum; in materia verò diſſentiunt: alii volunt eſſe ſalivam, cui acidum occultum tribuunt, quod in ventriculo fermentatione manifeſtum fit: alii à reliquiis alimentorum in ventriculo ob longam moram aceſcentibus, eo modo quo fœx Vini, & Cereviſæ in dolio relicta aceſcit, & pro fermento ſervit: alii (quorum ſententiam ſequor) volunt, acidum, ſeu acido ſalſum humorem famis cauſam, hocque præparari à glandulis, quæ multiplici agmine in membrana villoſa ventriculi diſponantur. Ab his glandulis humorem acidum ſupradictum præparari convincit commune officium glandulis omnibus conceſſum, nempè præparationem Lymphæ, ſeu humoris acidi, & experimenta à *Virideto in ſuo tractatu de prima concoctione cap.* 11. allata convincunt. Materiam pro elaboratione hujus humoris glandulis arteriæ deferunt.

Quomodo verò dictus humor in ventriculum colligatur, non eſt difficile explicare; nam continuò per arterias hæ glandulæ materiam præparandam recipiunt; præparata excipitur à tubulis, ſeu ſyphonibus, ſeu villis excavatis villoſam ſuperficiem internam dictæ membranæ conſtituentibus, & ab iſtorum orificiis cavitatem ventriculi reſpicientibus, in hanc præparata depluit materia paulatim, & totum humorem contentum effundunt glandulæ, quando à pondere cibi in ventriculo exiſtentes diſtrahuntur, vel comprimuntur in diſtractione conſtrictæ circa latera humorem effundunt, ſicut etiam compreſſæ à pondere cibi.

Quando humor guttatim tranſudat à poroſitatibus glandularum, ubi attingit fibras ventriculi, & præcipuè nervoſos plexus orificii ſuperioris ejuſdem, circa quod ſunt numeroſiores, & majores, ut adnotavit *Viridetus cit. tract. cap.* 9. Vellicando leniter, mordendo, moleſta ſenſatione afficit, quæ fames dicitur, & quo copioſior eſt hic humor, acrior, eſt fames major, ut patet in Porcis, & Lupis voracibus, in quibus dictæ glandulæ circa orificium ventriculi ſunt magnæ. Eadem ſenſatio moleſta delata ad ſedem ſenſus communis, modo explicato *in tractat. de morb. Cap. diſſertatione de Senſu in genere*, hanc percipit, & phantaſiæ repræſentat, quæ in dicta ſenſatione ſuo modo judicat Animal indigere cibo, & dependenter ab hoc phantaſtico judicio determinatur ad eliciendum actum appetitus, quo Animal fertur in cibum, tamquam in bonum deficiens, cùm Appetitus nil aliud ſit, quàm vis Animæ, qua Animal fertur in bonum deficiens. Hoc modo excitatur fames, & colligitur famem includere moleſtam ſenſationem ventriculi, perceptionem iſtius, & emanationem actus appetitus à Phantaſia, quam ad famem concurrere colligere licet ab *Hippocrate libr.* 4. *de morb. numer.* 12. ubi habet: *Quæ verò maximè appetimus*, *pro eorum ratione etiam illi jucundi ſunt*. Alimenta verò non ſunt jucunda, niſi prout talia à Phantaſia determinantur.

Sedatur fames, dum à cibo, & potu tranſeunte per orificium ventriculi abſtergitur; abluitur humor acidus illius fibras vellicans, & ab illorum particulis Balſamicis acrimonia acidi, aliquo modo moderatur, & à ſpiritibus alimentorum, & potus corroboratæ fibræ nervoſæ contractionem ab acido contractam ſuperant, & ſuo ſtatui ſe reſtituunt, & hoc modo à pauco cibo etiam aſſumpto moleſtæ ſenſationis famis mitigationem experimur. Effuſio totalis humoris acidi in ventriculi cavitatem, & ejus mixtio cum cibo omninò famem ſedat, deficiente in fibris nervoſis vellicativo.

Hoc

tivo. Hoc modo cibus dicitur remedium famis, prout ſancivit *Hipp. lib. de flat. n.* 2.

Appetitus quid ſit, patet ex dictis; excitatur à Phantaſia conſcia facta à ſenſu communi de neceſſitate cibi; ſedatur, quando ſedata eſt paſſio ventriculi, quæ fuit conditio ſuæ originis, à quibus reſultat manifeſta differentia Appetitus à Fame: hæc eſt paſſio ventriculi percepta à ſenſu communi, & à Phantaſia, & Appetitus eſt actus à Phantaſia emanans, dependenter tamen à dicta paſſione; per hunc actum eligit Animal uſum talis determinati cibi, quia magis ſenſui gratus eſt, & delectabilis, & magis bonus; eſt enim Appetitus vis Animæ, qua Animal fertur in cibum, tamquam in bonum.

Humor glandularum totus effuſus in ventriculi cavitatem, & alimentis commixtus ſervit pro fermento concoctionem illorum perficiente, prævia eorumdem diſſolutione, ut videbimus *de concoctione alimentorum*; ex quo patet, famem, & digeſtionem alimentorum ab uno humore glandularum membranæ villoſæ ventriculi pendere, cum allata ſolùm differentia, nempè cùm exit guttatim à glandulis, & vellicat fibras nervoſas ventriculi, famem excitat; quando miſcetur cum alimentis totali effuſione ſui, fermenti munere fungitur, pro copia, actione, & qualitate hujus fermenti varii effectus in digeſtione alimentorum promanant; fames non redit, niſi de novo impleantur dictæ glandulæ recenti humore ad turgentiam, cum aliis circumſtantiis ſuperiùs deſcriptis, in quibus citò teplentur, & humor receptus citò præparatur, citò fames redit, tardè, in quibus tardè replentur, & humor tardè præparatur.

Ad hoc reſpexit *Hipp.* quando dixit *in lib. de veter. Medic. n.* 20. *Ventres debiles majori opus habere ceſſatione, & quiete*, in qua colligatur ſufficiens quantitas humoris fermentantis.

Præmiſſa hac explicatione Famis, ad Inappetentiæ naturam, & cauſas, & curationem indagandas accedo.

Suppono Famem, cujus eſſentia eſt in paſſione, lædi ad modum læſionis actionum, abolitæ, diminutæ, depravatæ, quia paſſio poteſt nullo modo fieri, & eſt abolita fames; poteſt diminutè imprimi, & eſt diminuta; poteſt modo præternaturali ſuccedere paſſio, & erit depravata fames.

Pro Inappetentia intelligimus paſſionem abolitam in orificio oris ventriculi, quæ definitur, *Omnium ciborum deficiens appetitus*.

Si Inappetentia eſt cum appetitu aliquorum ciborum, non eſt fames abolita, ſed diminuta, cùm abolita non poſſit dici fames, ubi fit aliquorum ciborum fames.

Abolctur fames multipliciter: Primò ex defectu principii famis, quod diximus eſſe acidum; ſi iſtius vellicatio deficiat, neceſſe eſt famem deficere, & ex iſtius vellicationis defectu non determinatur Phantaſia, ad eliciendum actum appetitus. Secundò ex defectu perceptionis, vellicationis, licèt acidum adſit, & agat, & vellicet

Deficit acidum, primò quando non generatur, ob bilem in maſſa ſanguinis dominantem, ſuaque actione, ſui contrarii, acidi nempè, generationem impedit; omne agens ponit impedimentum generationi ſui contrarii; ita calor impedit frigoris efficientiam, ſi prævaleat in actione, ſi bilis dominetur in maſſa ſanguinea, cùm ſit contraria acido, ut iſtius generationem impediat neceſſe eſt. Hanc cauſam demonſtravit *Hipp. lib. de medic. purg. n.* 4. his verbis: *Bile commota, & non purgata, non vult ſorbere æger*, nec alia quidem cauſa, quia bilis acidi eſurini actionem, & ejus vellicationem in orificio ſiniſtro venrriculi impedit; & *in lib. de affect. n.* 14. habet: *Si febris non tenuerit, os verò amarum habuerit, & corpus gravetur, & cibum averſetur, pharmacum dandum eſt; patitur enim hæc à bile*; quibus verbis determinat, averſionem cibi eſſe à bile, & confirmatur à tempore anni æſtivo, in quo bilis dominatur, & appetitus dejicitur, & à vini generoſi uſu in bibonibus, quibus fames nulla, bile à Vini calore, & ejus ſpiritu volatili ſuper alios humores; cum acidi depreſſione exaltata; quod innuit *Hipp.* quando dixit, *Potio vini famem ſedat*; quod contingit etiam eis aromatum quantitate utentibus, cùm hæc acidum extinguant prout docet experientia, & doctrina Recentiorum huic innixa.

Deficit in ſua actione, quando generatum, & in ventriculo collectum non vellicat, ut quando parùm aciditatis poſſidet, enetvato fermento acido glandularum, à quo elaboratur, & aciditatem contrahit, vel quia acidum à glandulis præparatum aqueo humore copioſo ei mixto ita diluitur, ut aciditatis actio pereat, eo modo quo aciditas Aceti mixtione aquæ multæ perit, quod contingit cum materia, ex qua præparatur. Eſt aqueo humore valdè diluta, vel quando fibræ ventriculi humido nimio irrigantur, vel pituita craſſa obliniuntur, retundente ſtimulos humoris acidi, ut iſtius actio non ſit ſenſibilis; hanc cauſam colligimus ab *Hipp. libr.* 5. *epid. numer.* 22. *in Cleomenes Filii Hiſt.* ubi ait, *Cibum averſabatur, & ejus faſtidio vexabatur, citra febrem vomebat cibos, & pituitam*.

Deficit actio, quando hoc acidum eſt valdè fixum, & quia lento, & tardo motu penetrat fibras nervoſas, cum parva vellicatione, quæ motus conditionem ſequitur; ad hoc enim ut fiat ſenſatio in organo ab objecto ſenſibili, neceſſe eſt, ut efficaciter agat in illud intimè penetrando organum, & motu valido illud movendo, & afficiendo; omnis enim actio eſt in motu, unde à lento, & tardo motu agentis actionis efficacia tollitur, quod patet in acu, quæ parti paulatim, & lentè infixa inſenſibilem puncturam efficit, ubi majori vi infigitur, dolorem imprimit, & ſi natura doloris, ad quem paſſio ventriculi in fame referri debet, requirit objectum ſenſibile efficaciter agens, patet etiam acidum famis cauſam debere agere cum efficacia, quæ conſiſtit in motu accelerato, non tardo. Hujuſmodi acidum habent, qui ad excitandam famem indigent ſpiritu vini, & aromatibus, à quibus hoc acidum efficaciam in motu acquirit, ſine iſtius diminutione, ſi aromata, & ſpiritus vini ſint in tali quantitate, quæ valeat fermentum acidum attenuare, & movere, non enervare, & qui numquam famis moleſtiam ſentiunt, menſæ verò aſſidentes, & parvo cibo aſſumpto famis moleſtiam experiuntur, ideò experiuntur, quia à cibo acidum ad motum, ex ſui natura iners, provocatur, & cum efficacia.

Deficit vitio partis, in quam licèt actio acidi imprimatur, ſenſationem in ea non parit, quia iſtius incapax, ſic ſi nervi plexus orificii ventriculi reſolvantur, non moventur à vellicatione acidi, eo modo quo partes in paralyſi reſolutæ motu, ac ſenſu privantur; quomodo à reſolutione nervorum amittatur ſenſus, docui *in diſſert. de Senſu*, ubi cauſam reſolutionis nervorum de Paralyſi expoſui. A calore etiam excedenti valdè molles, & laxæ fiunt fibræ, ut reſolutioni æquivaleat hæc laxitas. Hac de cauſa in febribus à calore proſternitur appetitus, ſi faciat fibras molles, & proſternitur etiam, dum acidum extinguitur, vel diſſipatur à calore.

Deficit etiam vitio partis, quando orificium ventriculi ſuperius ſtupore afficitur, vel quia ſpiritus animalis concurſus ad illud, & ejus nervos ſit aliquo modo impeditus, vel ab opiatis, vel à venenis.

Differentiæ appetitus proſtrati ſunt duæ: prima, in qua non adeſt nauſea, nec abominatio ciborum; ſecunda, in qua adeſt nauſea, & abominatio. De prima actu eſt hucuſque, de ſecunda dicendum, pro qua.

Sciendum ex *Hipp. lib.* 4 *de morb. n.* 12. quæ appetimus pro eorum ratione eſſe jucunda; è contrariò ea abominamur alimenta, quæ ſunt injucunda, & ingrata. Alimenta jucunda dicimus, quæ blandam, & lenem titillationem in organo guſtus, & in orificio ventriculi pariunt; injucunda, quæ vellicationem aſperam, moleſtam dictis partibus imprimunt. Hujuſmodi grata, vel ingrata affectio poteſt pendere, & ab objecto, & ab organo: ab objecto quando alimentum ex ſui natura eſt ingratum, & particulis corroſivis, & acutis, quibus mordicat, & non titilat; ab organo, quando talem acquiſivit diſpoſitionem, per quam aliquod alimentum, quod ex ſui natura eſt gratum, & jucundum, ratione indiſpoſitionis contractæ ingratum, injucundum evadit. Heri nobis ſanis unum alimentum fuit jucundum, hodie nobis ægris eſt injucundum, & nauſeabundum; hoc

non provenit ab alimento, quòd eſt ejuſdem naturæ, & conditionis, & qualitatis, & ſaporis, ac erat heri; ergo ab organo mutato.

A variis mutatur organum, & ejus textura; in noſtro caſu dico mutari ab humoribus pravæ conditionis, putridis, & irritativis in ventriculi fibris infixis, vel in cavitate exiſtentibus. Qui ab odore, à guſtu, à cibo aſſumpto agitati, commoti mordent, vellicant, irritant fibras, quibus figuntur, unde triſtis ſenſatio, & ab hac abominatio cibi talis.

Si poſt eſum rerum dulcium vinum nobis gratiſſimum, & jucundiſſimum bibamus, ingratum experimur, quia à rebus dulcibus ſuis particulis in papillis linguæ infixis mutata eſt textura illarum, quæ ſunt organum guſtus, per quam actio vini in eas variatur, & ingrata fit. Idem dicendum de humoribus infixis fibris nervoſis ventriculi, & ſi adſit copia humoris in cavitate ventriculi irritativis qualitatibus depravati, iſtius motus à cibo, talem parit irritationem, ut vomitum excitet; & quia à calore fit motus major humoris, & actio alimenti intenditur, ideo etiam à cibo calido nauſea, & abominatio major. Hanc cauſam oſtendit nobis *Hipp. in citat. ſuperius loco* 5. *epid. nu.* 22. ubi faſtidium ciborum cum vomitu pituitæ deſcribit, itaut cenſendum ſit ab ea proveniſſe. Odor, guſtus talis cibi eadem de cauſa ingratus evadit, depravata iſtorum organorum textura ab eiſdem humoribus: voluit Natura connexionem talem inter organum guſtus, & odoratus, & organum ſenſus ventriculi, ut illa tamquam exploratores conditionis alimentorum, de iſta admoneant ventriculum; ideò à ſolo guſtu rei nauſeabundæ ventriculus alteratur, irritatur, & in vomitum erumpit, quia ingrata affectio, & moleſta organo guſtus, & odoratus ſtatim tranſit ad ventriculum, ob connexionem ſupradictam, ſicuti ſtatim tranſit grata, & jucunda eorundem affectio, cùm nobis conſtet à grato odore, & guſtu alimenti excitari in ventriculo appetitum iſtius.

Signa diagnoſtica per ſe patent. Signa diſtinctiva cauſarum, ſi à deficientia acidi, adeſt temperamentum bilioſum, errata præceſſerunt bilem congregantia. Acidum fixum fit manifeſtum à temperamento melancholico, ab animi paſſionibus diuturnis, ab eſu immoderato adſtringentium, & fixantium. A ſero nimis dilutum acidum oſtendunt ſeri redundantia in corpore, ſaliva aquea, & copioſa, ptyaliſmus continuus à vitio ventriculi. Si à reſolutione nervorum, adſunt alii affectus nervorum, capitis, & ſpinalis medullæ. Si à veneno, adeſt iſtius ſuſpicio, & alia veneni ſigna apparent. Si à narcoticis, iſtorum uſus anteceſſit, vel ſummè frigidorum.

Prognoſtica ſunt mali ominis, ſi diu duret appetitus dejectus; ſi paulatim incipiat reviviſcere, nullum periculum imminet. Cum appetitu virtus concoctrix alimentorum deficit, dum ab eodem acido, & fames, & concoctio procedit; ideò illo deficiente, utraque deficit, & ſine alimentorum concoctione vita non conſervatur. *Hipp. lib. de carn. n.* 21. probat, *Vitam hominis ſeptem dierum eſſe*, hoc eſt, fœtum in utero ſeptimo die à conceptione vivere, ex eo quòd *ſi per ſeptem dies nec edat, nec bibat homo, moriatur*; & ſi plures ſint obſervationes Authorum de vita protracta ad multos dies, ſeptimanas, & annos ſine cibo, hæc cùm ſint raræ, non tollunt veritatem ab Hippocratis ſententia, cui ſubjungit: *Et ſi aliqui poſt ſeptem dies edant, nihilominus moriuntur, quia venter amplius non ſuſcipit; jejunum enim inteſtinum his diebus concrevit*, de quo dixit ſuperiùs *n.* 13. *Venas ſupra hoc inteſtinum exiſtentes trahere tenuiſſimam partem alimentorum. Si aliis morbis inappetentia adjungatur, ut febribus, malum eſt ſignum; ſicut enim bene ſe habere ad oblata, bonum eſt ſignum*, ex Hipp. *ita male ſe habere, ut in appetitu proſtrato, malum ſignum eſt.*

Indicationes ſunt variæ pro varietate cauſæ. Si à copia bilis acidum eſurinum mortificatur, hæc evacuanda *Cholagogis*, & eius acrimonia acido inimica demulcenda aqueis, & frigidis, & acidis præcipuè, quæ & bilem mortificant, & acidum deficiens reſtituunt, in quorum numero *Succus Limonum*, *Aurantiorum*, *Granatorum acidorum*, *Ribes*, *Berberis*, *Spir. Vitrioli*, *Salis communis*, *Salis nitri*, *Decoctum Tamarindorum*, *iſta acida Aquis*, *vel Decoctis*, *Acetoſæ*, *Portulacæ*, *Lactucæ*, *Endiviæ*, *Sonchi*, *Papaveris erratici miſcenda*.

Si ab acido fixo, ob redundantiam humoris craſſi, pituitoſi, vel melancholici in corpore, hic præparandus, & attenuandus incidentibus, & attenuantibus, poſtea purgandus *Melanagogis*, *& Phlegmagogis*, deinde acidum volatilizandum cum *Spiritu Vini*, in quo infuſa fuerint aromatica in parva quantitate, ut *Nux. muſcata*, *Cinamomum*, *Macis*, *Grana Paradiſi*, *Calamus aromaticus*, *Spica Nardi*, *vel cum Elix. proprietatis Paracelſi*, *in Aqua Meliſſæ*, *Pulegii*, *vel cum decoctione Roſmarini*, *Rutæ*, *Lavendulæ*, *Rad. Zedoariæ*. *Galangæ*, *Zinziberis*.

Si a ſero copioſo diluatur nimis acidum aderit indicatio, hoc purgandi *Hydragogis*, poſtea exſiccantibus intemperies generans corrigenda, ut *Decocto Santalorum*, *Lentiſci*, *Saſſafras*, *Ligni Juniperi*, *cum Meliſſa*, *Abſynthio*, *Origano*, *Pulegio*, & aromaticis ſuperiùs dictis; ſi à calido excedenti in ſanguine exiſtente, vel à bile fundente maſſam ſanguinis, ſeri copia contingat, refrigerantia, & adſtringentia conveniunt.

Si à fibris reſolutis, omnia Paralyſi convenientia remedia exhibenda; ſi à calore laxante, & emolliente, omnia frigida, & adſtringentia, terracea, & cruſtacea conveniunt: *Bolus Armena*, *Terra ſigillata*, *Corallæ*, *Margaritæ*, *Matriſperla*.

Si à narcotico, *Acetum* eſt præcipuum remedium, *Caſtoreum*, *Theriaca*, *Mitridatum*; ſi à veneno, *Alexipharmacum*.

Ab iſtis hucuſque dictis de abolita fame, deducitur quid ſit Fames diminuta, ejus cauſa, & curatio; fit enim à cauſa cum minori efficacia agente in acidum, nec hoc ex toto extinguente, ſed ſolùm debilitante, & ideo eiſdem etiam remediis curanda.

CAP. II.

De Fame Canina.

Depravatur Fames, quando excedit limites naturæ, & hominem ad excedentem, & valdè inſolitam ei ciborum aſſumptionem ſtimulat, cum magna aviditate, & modo, quo Canes avidè cibos conterunt, avidè maſticant, avidè degluciunt, & in magna quantitate, & non ſaturantur; ideò Fames Canina dicitur.

Definitur, *Inſatiabilis*, *& moleſta edendi cupiditas*, *aliquando cum vomitu*, *aliquando cum diarrhæa*.

Eſt *Inſatiabilis cupiditas*, quia hæc unquam expletur, itaut fames deſerat, & extinguatur, ſed poſt incredibilem cibi quantitatem adhuc aliquid famis relinquitur, & paucas poſt horas augetur.

Eſt *moleſta*, quia cum valido ſenſu vellicationis, ſeu potius corroſionis ventriculi conjungitur hęc fames & hac tolerata, & dilata cibi aſſumptione dolore, tormine ventriculi, & inteſtinorum cruciatur æger, & quandoque à nimio dolore in cordialgiam, deliquium animi, & ſyncopem incidit; eſt adeò inſatiabilis, ut quandoque incredibilem ciborum quantitatem devorent, ut conſtat ab obſervationibus *Schenkii*, *Hildani*, *Zacuti Bruyerini de re cibaria*; *& Zuingeri in Theatro Vitæ humanæ*.

Aliquando cum vomitu, *aliquando cum diarrhæa*, à quibus fames præternaturalis demonſtratur, cum dictis ſymptomatibus morboſis aſſocietur, per quæ diſtinguitur à fame naturali excedente, & cum indigentia naturalis cibi, qualem habebat Mulier ab *Amato Luſitano cent.* 7. *obſerv.* 37. relata, *quæ macie correpta, excedenti fame ſubſequente, à copia alimentorum devorata, pinguis, & carnoſa evaſit*. In convaleſcentibus aliquando obſervatur talis fames, ferè inſatiabilis, quæ cùm ſerviat eorum nutritioni, & augmentationi, & reparationi deperditi, ſine vomitu, diarrhæa, & alio ſymptomate morboſo, eſt fames naturalis, non præternaturam, & eorum bona nutritio, & reſtauratio melioris conditionis, abeſſe morbum demonſtrat.

Quoad cauſas hujus famis, ſtante axiomate medico; *Actio læſa fit ab eodem principio, à quo fit actio ſana*, cùm fames naturalis fit ab acido in ventriculo exiſtente, præternaturalem, & inſatiabilem ab eadem cauſa provenire putandum eſt.

Fames naturalis fit ab acido in quantitate, & qualitate mo-

te moderato, blanda, ſuavi vellicatione ventriculi orificium ſuperiùs, & etiam ejus fibras irritante, & vellicante.

Fames præternaturalis erit ab acido immoderato in qualitate, & in quantitate, actione mordendi, & corroſiva os ventriculi, & iſtius fibras rodente. Hujus acidi indicium habemus à materia acida corroſiva, cum vomitu, unà cum excrementis ejecta, à torminibus, & corroſione ventriculi, & inteſtinorum, ſi cogantur famem tolerare.

Excedens, & immoderata aciditas originem trahit à multiplicatis in copia particulis acidis in humore acido proprio ventriculi, à quo fit fames; quo enim major copia iſtarum colligitur in ſubſtantia aliqua, eò magis augetur iſtius aciditas, ut patet in vino aceſcente, in principio grata, & lenis aciditas percipitur, ſed exaltatis continuò particulis acidis, & ad motum provocatis corroſiva evadit. Augetur etiam aciditas prædicta, ob admixtionem bilis cum humore acido ventriculi; ab iſtius enim ſale corroſiva corrodendi vim acquirit, eo modo quo Acetum Sale mixto magis acre, & corroſivum fit, itaut ex particulis iſtis acidis, & corroſivis reſultet velut aqua fortis diſſolutiva, & corroſiva alimentorum, cùm hæc corroſionem nanciſcatur à particulis acidis, & ſalinis ſalium ſimul combinatis; ex quo patet error illorum exiſtimantium Famem Caninam fieri à ſola bile, quia hæc ex ſui natura famem extinguit, non facit, nec auget, ſed ab acido mixto ſali bilioſo, ita tamen ut ſuperet acidum, à quo fames, & à ſale bilioſo acrimonia, & corroſio, in cujus confirmationem obſervare licet, facillimè hoc ſymptoma oriri in temperamento atrabilari, ex mixtione melancholiæ acidæ, & bilis reſultante.

Quantitas talis humoris hunc reddit immoderatum in ſua actione, & acrem, & corroſivum, cùm verum ſit, quantitatem agentis ſervire iſtius qualitatis augmento; idcircò copia humoris acidi bili mixti ad ventriculum delata immoderatam vellicationem, cum mordicatione, & corroſione ventriculi excitativam famis præternaturalis, & caninæ efficit. Lumen accipimus à præmiſſis, ad explicandum primò, quare fames nunquam extinguatur; ſecundò, quare citò augeatur, & redeat moleſta, non obſtante ciborum magna quantitate; tertiò, quare vomitus, & diarrhæa, & macies.

Quoad primum dixi de cauſa famis naturalis, hanc ſedari, dum à cibis abſtergitur humor acidus glandularum vellicans fibras nervoſas plexus orificii ventriculi, quo abſterſo ceſſat vellicatio dictarum fibrarum, & conſequenter fames: in fame canina à cibo non totus abſtergitur, ſed iſtius portio remanet in fibris infixa, forſan ob ſui craſſitiem, vel novus humor tranſudatione in eas labitur, vel quia à cibi preſſione copia acidi in glandulis exiſtentis tota, modo dicto de fame naturali, effunditur in cavitatem ventriculi, & miſcetur alimentis, ab hac miſcella maſſa tota cibi acido ita coinquinatur, ut ſuis vaporibus fibras nerveas irritantibus fames conſervetur, & inſatiabilis evadat.

Quoad ſecundum, citò redit fames, quia citò regeneratur eadem copia humoris acidi transfuſi in cavitatem ventriculi à glandulis milliaribus ejuſdem, eò quia adeſt copia ſeri acidi, vel lymphæ in ſanguine, & fermentum glandularum valdè acidum; citò etiam elaborat hoc acidum corroſivum præternaturale, & hoc modo citò remittitur, & citò tranſudat in fibras nerveas dictis plexus, & fames moleſta redit citò.

Quoad tertium, ab eodem acido glandularum depravato, & valdè activo inficitur maſſa alimentorum, non ſolùm acido præternaturali, cujus peſſima conditione alimenta in excrementa degenerant, ſed diſſolutione, quæ fit ab eodem acido alimentorum; eſt diſſolutio tendens ad corruptionem illorum, quia facta ab agente violento, nempè ab acido corroſivo, & præternaturali, non diſſolutivo, & tendente ad alimentorum ingeſtorum particularem, & novam mixtionem cum perfectione, qua mediante, fit alimentum idoneum corporis; quapropter alimenta in maſſam omninò nutritioni inutilem degenerant, unde macies, & ab acido corroſivo præternaturam, & à qualitate acri à corruptione talem acquirunt acrimoniam ea excrementa in quæ degenerant alimenta, ut irritando inteſtina, & ventriculum, hæc ad vomitum, & ad diarrhæam illa determinentur.

Alteram cauſam video communiter allatam à Scriptoribus, famis præternaturalis, vermes nempe. Exemplum habet *Trallianus*, cui ſimile eſt illud à *Zacut. lib. 2. Medic. Princ. Hiſt. 68. & Schenh. lib. 3. obſerv. 27.* relatum, *de Muliere, quæ intenſiſſima fame afflicta, curata fuit uſu Hieræ, cum excretione vermis admodum longi*. Non video tamen, vermes poſſe facere hanc famem, dum ex praxi colligo in Pueris, ubi vermes frequentes ſunt, inappetentiam adeſſe; & ratio perſuadet, quia vermes à putredine excrementorum originem trahunt, & putrida famem extinguunt, ita apparet in febribus, & in alimentis putridis indigeſtis. Si vermis aleretur copioſo alimento ſuſcepto, inſatiabilis fames in vermem poſſet refundi, à quo alimentum, quod deberet ſervire corpori, devoraretur, unde continua eſſet indigentia alimenti, cum fame, quæ non poſſet ſatiari, quia ſemper deficeret alimentum, ſed neque hoc poteſt dari, quia paucis diebus vermis in tantam molem excreſceret, ut ventriculum, & inteſtina impleret; ſed cenſendum potiùs cum cruditate putredinali, cruditatem acidam etiam conjungi, à qua fames excitetur.

Cauſæ externæ ſunt, quæ acidum corroſivum generare valent, ut alimenta acida acribus ſalſis mixta, & etiam acida valida, quæ acidum ventriculi multum augere poſſint.

Differentiæ duæ aſſignantur famis auctæ: Fames Canina, de qua agitur, & Bulimus altera, ſeu Bovina; hæc definitur *Magna fames*, ſed quæ pauco cibo ſedatur, *cum nauſea, & virium dejectione, & Lypothimia.* Cauſam hujus famis volunt Medici eſſe externi ambientis frigiditatem, ideoque itinerantes tempore Hyemis, & per loca nive tectu hoc ſymptomate corripi; & videtur iſtorum peculiare ſymptoma: *Hoc correptum Brutum*, narrat *Plutarchus in ejus vita, dum Dyrracho Apolloniam per altas nives proficiſceretur, additque Milites, qui eum comitabantur in itinere, pane ab Urbis hoſtilis Excubatoribus impetrato, Ducem ſuum jam ſemivivum refocillaſſe. Cyri etiam Militibus per altam nivem iter facientibus, hoc ſymptoma ſuperveniſſe*, narrat *Xenophon lib. 4. cap. 7.*

Modum, quo frigus hujus famis fit cauſa, varii variè explicant. Mea ſententia eſt, ab aere frigido per œſophagum ad ventriculum delato, & ab eodem illuc per poros cutis perveniente, corrugationem fieri in orificio ventriculi nervoſo, qualis efficitur ab acido vellicante in famis excitatione, unde fames prædicta; & ſi frigiditatem aeris in corpuſculis nitroſis, & acidis ſalinis cum Recentioribus explicemus, patet evidenter veritas ſententiæ, quæ confirmationem recipit à ſententia admittente ſalis nitri particulas copioſiſſimas in aere, & confirmata rationibus, & experimentis, & à ſententia admittente in nive, & grandine particulas ſalinas, à quibus coagulatio aquæ naſcitur, à corrugatione dictæ partis, ſeu orificii ventriculi tolerata, & protracta oritur aliqua mortificatio ejuſdem, quæ à frigiditate in externis partibus afflictis obſervatur, à mortificatione facilis tranſitus ad Lypothimiam; mortificatio enim conſiſtit in ſpiritu animali concentrato, fixato, & in motu debilitato; ſpiritu ita affecto adeſt Lypothimia. Ab hac cauſa ſic explicata oritur ratio ſolutionis famis à pauco cibo, dum ab hoc ſpiritus ad motum revocantur, calor remittitur, corrugatio tollitur, & conſequenter fames ceſſat, & Lypothimia. Eadem eſt cauſa ſolutionis magnæ etiam famis naturalis à pauco cibo, dum irritans acidum à parvo cibo, vel abſtergitur, vel imbibitur, novo non ſuccedente, unde ceſſat irritamentum, corrugatio, & fames.

Signa ſunt manifeſta. Prognoſtica dedit *Hipp. in lib. de veter. medic. n. 15. Fames aliquando ſanat, aliquando occidit & aphor. 4. ſect. 2. Non fames, non ſatietas, neque aliud quidquam bonum eſt, quod naturæ modum excedat.* In Cachexiam quandoque terminatur, conjuncta cum animi deliquio timenda; ſi ſuperveniat morbis longis, ut Quartanæ, Hydropi, Tabi, eſt mali ominis.

Indicationes ſunt, humorem peccantem evacuandi; & ejus malam, & auctam qualitatem acidam attemperandi.

Quoad primam indicationem, dubium eſt, an in principio ſit excercenda purgatio humore non attemperato, vel

vel attemperandus priùs humor, & poſtea evacuandus. Adhæreo ſententiæ *Hartmani*, & *Etmulleri*, qui volunt purgationem præcedente attemperatione humoris, quia ſi ſurſum per vomitum educatur, periculum imminet, ne *Cholera morbus* concitetur ab humore corrodente in copia ejecto; ſi per inferiora, ne ulceret inteſtina, præterquamquòd *humores acidi medicamentis purgantibus non obediunt*, ut adnotavit *Le Boe*; & Antiqui de melancholico humore acido pronunciarunt, his de cauſis attemperandus primò humor intensè acidus, qui attemperatione in fluidum abit ſerum, ut adnotat *Etmull.*

Attemperantur humores acidi à ſalibus fixis lixivialibus per incinerationem factis, ut *Sal Tartari*, *Centauriæ min. Gentianæ*, *Abſynthii*, *Cardui benedicti*, Salia volatilia, ut *Spir. Cornu Cervi*, *Salis armoniaci*, *Spiritus Fuliginis*, *Urinæ*, *Charabis*, & *Spiritus Vini*, aciditatem enervant. Omnia terracea, cruſtacea, acidum hoc infringunt: *Bolus Armena*, *Terra ſigillata*, *Lapis Ematites*, *Creta*; *Oculi Cancr. Corallia*, *Margaritæ*, *Cornu Cervi uſtum*, *Matriſperla*; *Cochleæ*, *Cortices Cancrorum fluviatilum*, *Cortices Ovorum recentium*. *Ferrum*, & *Chalybs*, tam non præparatus, ut *iſtius limatura ſimplex*, quæ mirè omne acidum abſorbet, & temperat, quàm præparatus, dummodo præparationem non ingrediatur acidum, quia tunc nihil utilitatis affert; imprægnatus enim acido in præparatione bibito, illud humoris intactum relinquit. Omnia etiam remedia ex marte confecta, optima ſunt. Oleoſa, ut *Oleum Amygdalarum dulc. Lini*, *Butyrum*, *Jus pingue*, ſpicula acidi corroſivi retundunt, & cum majori virtute, ſi addantur Olea aromatica, *Aniſi*, *Caryophil. Citri*, *Cauri*, Simplicia Sale volatili prædita, ſpecifica ſunt in hujus humoris correctione; inter quæ omnia cephalica ſuperiori Diſſertatione deſcripta, *Raphanus ſylv. Naſturtium aquat. Gentiana*, *Centaurea*, *Raponticum*, *Galanga*, *Zedoaria*, *Enula Campana*, *Hirundinaria*, *Meliſſa*, *Pulegium*, & *Solanum furioſum Vino infuſum*, certò appetitum caninum ſedat, in ea doſi, in qua mentem, & phantaſmata turbare non poſſit; *Decoctiones iſtorum ſimplicium in magna doſi*, *citò extinguunt acidum*, *ſi ſint virtute illorum benè ſaturatæ*, & *paratæ vaſo clauſo*, *quibus admiſceri poſſunt dicta Salia*, *tam fixa*, *quàm volatilia*, & *terracea*, *ſed inter omnia præſtabit limatura Chalybis ad* ʒ. *i.* ß. & *ad ii. Infuſio dictorum ſimplicium in Vino generoſo*, *multùm valebit*, *ſi poſt infuſionem per aliquot dies Soli exponatur*, & *hoc Vino utatur æger ad* ℥. *vi. vel viii. manè*, & *veſperi. Spiritus Vini alteratus cum infuſione granorum Juniperi. Calami aromat. Spicæ Nardi*, *Nucis muſc. eodem modo ſumptus ad* ℥. *i. erit afficax.* Pulveres ex dictis Salibus, & teſtaceis poſſunt parari, ut

℞. *Bol. Armeneæ* ʒ. *i.*
Salis Tart. }
Abſynthii } *a.* ℈. ß.
Limat. Martis ʒ. ß.
Corallor. rubr. ʒ. ß. *M.*

F. P. doſis ʒ. *i.* & *irroretur cum Spir. Sal. Armon. gutt. vi.* Aromatica omnia, ut *Nux muſc. Garyophilum*, *Cinamomum*, *Macis*, *Spica Nardi*, *Zinziber*, *Galanga*, *Lignum Aloe*, & ſimilia, in noſtro caſu magnam vim habent, & *præcipuè*, *ſi infundantur Vino*, & *paretur ex his Vinum Hippocraticum*, quod maximum eſt remedium ab *Hipp.* commendatum *in 21. aphor. ſect. 2.* his verbis: *Vini potio* (intellige generoſi) *famem ſedat.* Fit generoſum Vinum cum aromatum infuſione. *Fumus Tabaci deglutitus*, *certò famem ſedat;* obſervatum eſt *Tabaci fumi bibones*, *parùm edere*. *Indi iter longum facturi cum parvo viatico*; *parant bolos cum Conchiliis calcinatis*, & *ſucco Tabaci*, *qui in ore detenti famem ſedant.*

Humore attemperato, purgandum, v. g. potione, cum infuſione.

℞. *Rhaub.* {
Agar. { *a.* ʒ. *i*
Rad. Hellebor. nigri ʒ. ß.
Facta infuſ. in Aqua Meliſſæ per noctem, *poſtea colaturæ adde manè*
Syr. Roſ. ſol. ℥. *iii.*
Aquæ Cinam. ℥. *i.*

Vel in bolo:

℞. *Pil. de Nitro*, vel *Alephang.* ℈. *i.*
Extr. Rhaub. ʒ. ß.
Magiſt. Jalappæ gr. vi.
cum Syr. Roſ. ſol. F. P.

Vel

℞. *Scammoneæ Sulphur. gr. viii.*
Magiſt. Mechoac. gr. x. M. F. Pulvis.

Inter omnia purgantia mihi magis placet *Syr. de Helleboro Fernelii*, ſi per tres, vel quatuor vices repetatur.

Diœta ſit, & ipſa attemperans, ideò conveniunt pulmenta cum Lacte, & Panis in Lacte, Oriza, Milium cum Lacte, condimenta cum Butyro, & Oleo, caro Suilla, Cancri fluviatiles, Cochleæ, Ova dura; maximè proficua Cerebella Animalium, pedes, caput, inteſtina eorumdem, Pineæ, Amygdalæ, Piſtacia. Vinum ſit generoſum, Poſt cibum *Theriaca*, & *Mithridatum* ſummè proficiet, & poſt cœnam aliqui adjungunt *gr. ii. Nepenthes*, omni tertio, vel quarto die, ſed opiata non curant, ſopiunt tantùm humorem, qui quamdoque exhalata narcotica virtute, fortius urget.

CAP. III.

De Pica, & *Malacia*.

Pica dicitur ab *Ave Pica*, quæ terræ globos devorat; ita qui terram, calcem, carbones, aliaque inuſualia edunt, Pica laborare dicuntur. *Plinius lib. 26. cap. 6.* Picam nominat *mollitiem ventriculi*, eò quia hac laborantes ſuo appetitui nimis indulgent, eligendo pro cibo ea, quæ natura rejecit, & appetitu accenſo guſtando, quibus contrariatur ratio, perſuadendi illud non eſſe alimentum hominis congruum.

Definitur Pica, *Appetitus depravatus inuſualium*, *ſeu alimenti præternaturalis*. Terræ, calcis, carbonum eſus determinatur ab appetitu iſtorum, à quo patientes violenter feruntur in tales res, tamquam in alimentum delectabile, & ſi à tali cibo arceantur, triſtitia magna affliguntur, quam omnes in privatione boni experiuntur, cùm in tali cibo, licèt præternaturali, guſtum, delectationem, & voluptatem perſentiant, unde iſtius alimenti privatio eſt afflictiva; & licèt hæc objecta ſint ingrata, & injucunda in ſe, ſunt tamen jucunda, & grata reſpectu illius, in quo eſt appetitus talium rerum, cùm hic ſemper in bonum feratur, & non excitetur niſi præcedat ſenſus communis, vel Phantaſiæ determinatio de bonitate objecti, & confirmationem habemus ab *Hipp.* qui *lib. 4. de morb.* ait: *Nos appetere jucunda*, *ſi appetimus calcem*, *carbones*, & *ideo appetimus*, *quia jucunda*.

Ab his principiis certiſſimis determinandum eſt, in Pica non eſſe errorem Phantaſiæ, quia à Phantaſia non excitatur ſponte appetitus inuſualium, nec adeſt talis appetitus, quia Phantaſia, ſecluſo quocumque præcedenti determinativo, imperat talis appetitus excitationem, quod requireretur in errore Phantaſiæ, ſed hæc imperat talem appetitum, quia alimenta inuſualia, & præternaturam per guſtus, & odoratus ſenſum, tamquam bona, jucunda, delectabilia repræſentantur, ex qua repræſentatione appetitum illius alimenti elicit Phantaſia, in quo nullus eſt iſtius potentiæ error, quia juxta præcepta à Natura impoſita operatur, quæ voluit Phantaſiam per ſenſuum affectiones illis ab objectis ſenſibilibus impreſſas percipere iſtorum bonitatem, vel malitiam, jucunditatem, vel injucunditatem; cum neceſſitate eliciendi actum appetitus circa objecta bona, & jucunda, & actum fugæ, & odii circa objecta mala, & injucunda. Alimenta inuſualia, & præternaturam, ſenſum guſtus, & odoratus jucunda, & grata affectione movent, à qua Phantaſia admonetur de illorum bonitate, & jucunditate, à quibus neceſſariò determinatur ad eliciendum actum appetitus circa illa objecta, cum deſiderio illis potiundi, & fruendi; hoc ſtante, error non eſt in Phantaſia actum appetitus eliciente, ſed in repræſentan-

ſentante alimentum inuſuale præternaturam ingratum, injucundum, tamquam gratum, & jucundum.

Senſum guſtus, jucunda, & grata affectione ab iſtis alimentis moveri fatentur hoc ſymptomate laborantes, & niſi adeſſet jucunditas, & voluptas, guſtus ſenſus non inclinaret ad ea. *Stercora humana fuiſſe grata, & jucunda guſtui Mulieris*, narrat *Borell. cent.* 4. *obſerv.* 2. & *Salmuth. cent.* 2. *obſerv.* 62. refert *de Virgine, quæ calcis à pariete abraſæ dulcedinem, & ſuavitatem deprædicabat. Ammonius in libr.* 5. *de Loc. affect. Gal.* narrat *de Medico, qui caſeum putridum, fœtidum, magis quàm Perdices, & Phaſianos amabat pro cibo*. A ſenſu odoratus appetitum excitari probat experientia, cùm ab odore alimenti, vel condimenti aliàs non percepti, ſed grato, & jucundo, moveamur ad illius appetitum, vel averſionem, ſi odor ſit nobis ingratus. Odores ex ſui natura ingratos, ob organi odoratus depravationem apparere gratos, & jucundos, probat *Salmuth. loc. citat. obſerv.* 63. *de Virgine, quæ aſſerebat ſuavem odorem percipere à libris veteribus, tineis, baltiſque eroſis, ab eoque recreari, licèt cum fœtore ab eis exhalaret odor*; & *Borell. loc. cit. de altera Virgine* refert, *quæ ita odore Corii delectabatur, ut ſemper in ore detineret, & maſticaret, ut odore ejus continuò cum jucunditate, & voluptate frueretur.*

Senſus, guſtus, & odoratus depravatur in Pica, itaut odor, & ſapor aliis ingratus, & moleſtus, iſtis gratus, & jucundus evadat.

Ab his ſenſibus depravatis repræſentatur objectum gratum Phantaſiæ, ut dixi ſuperiùs, quæ ſtatim appetit dicta objecta, ut potiùs à ſenſu videatur Phantaſia depravari, quàm à Phantaſia depravata appetitum vitiari, & ita vitiatur, ut difficile ſit etiam ratione vitium appetitus corrigere, & impoſſibilis eſt Phantaſiæ hujuſmodi correctio, cùm ad corrigendas impreſſiones ſenſuum ejus actio non extendatur, & ratio veluti cogitur cedere ſenſui determinanti alimenta hæc inuſualia, & præternaturam eſſe ſuaviora, & jucundiora, quàm alimenta naturalia, & homini propria; & mihi videtur eamdem currere paritatem inter Pica laborantes, & eum, qui lauto aſſidens convivio, epulas minus conditas, ruſticas, & ab aliis neglectas, ſuavibus, jucundis ab omnibus exiſtimatis præferet, quia illæ ſunt ſuo palatui magis ſuaves; ita illi Pica laborantes hæc inuſualia, & præternaturam alimenta, aliis uſualibus, & naturalibus præferunt, quia jucundiora, & ſuaviora experiuntur; & ſicuti qui epulas ſuaves pro ruſticis dimittit, non dicitur in Phantaſia, & ratione depravatus, quia eligit id, quòd ei magis ſuave, & jucundum eſt, ita nec in Pica dicendum eſt rationem, & Phantaſiam depravari, quia eligitur id, quòd eſt magis ſuo guſtui ſuave; ex quo rectè in definitione dicitur *Appetitus depravatus*, non Phantaſia, nec ratio depravata, quia appetitus tendit in id, quòd alimenti rationem non habet, licèt illi ſit ſuave, & jucundum.

Dicitur *inuſualium*, ad differentiam Malaciæ, quæ eſt *Appetitus depravatus uſualium*; ex his patet, ſubjectum hujus ſymptomatis principale eſſe ventriculum, & organa guſtus, & odoratus.

Cauſam hujus ſymptomatis ſubobſcurè demonſtravit *Hipp. libr.* 2. *prorrhet.* his verbis: *Juvenes, quibus colores diu, & continenter pravi ſunt, non tamen Icteri modo, ſive viri fuerint, ſive mulieres, capite dolere, terramque, & lapides devorare*. Malus color diuturnus cacochymiam ſanguinis deſignat; hæc ergo erit cauſa Picæ. Bilioſa cacochymia, quæ ab Hepate vitiato naſcitur, excluditur ab illis verbis, *non tamen Icteri modo*, in quo bilioſa viget cacochymia. Pituitoſa excluditur à ſuæ naturæ conditione, quia hæc appetitum extinguit, non depravat. Cacochymia ergo ſolùm melancholica, in qua acidi humores, ſed excrementitii præternaturam abundant, ſola potens erit depravare appetitum, quia ſi fames naturaliter fit ab humore acido, puro volatili, & ritè depurato, ratio demoſtrat non poſſe depravari, niſi ab acido excrementitio impuro, & non depurato; & ſicuti fermentum naturale acidum moleſtiam infert ori ventriculi, quæ fames dicitur, & ſedatur moleſtia ab alimentis aſſumptis; ita moleſtia, quæ ab acido excrementitio infertur ori ventriculi, à ſolo eſu terræ, carbonum, calcis, & ſimilium ſedatur, ideoque jucunda, & ſuavia apparent; & ſicuti ſuavia dicuntur alimenta in ſtatu ſanitatis, quæ ſuis particulis gratam, & jucundam titillationem in orificio ventriculi pariunt; ita ab hoc humore partes ſentientes ventriculi ita diſponuntur, ut à dictis inuſualibus fiat titillatio in illis grata, & jucunda, & per eamdem diſpoſitionem alimenta uſualia mordicationem, & roſionem in ore ventriculi efficiant, vel nulla, unde inſipida evadunt, vel injucunda.

Tria hìc explicanda veniunt pro dilucidatione cauſæ hujus ſymptomatis. Primò, quomodo hæc Cachexia melancholica alteret fermentum glandularum ventriculi. Cauſam hujus invenimus, in modo, quo glandulæ prædictæ ſuum humorem fermentativum in cavitate ventriculi effuſum alimento in ea exiſtente, ut dictum fuit de fame naturali, eique commixtum, denuò regenerent, quod certè ſuccedit nova materia à ſanguine per arterias illis inſertas ſuſcepta, & ab earum inſito fermento, vel temperamento elaborata. Stante Cachexia melancholica, in qua humor melancholicus eſt vitiatus à pravis qualitatibus primis, & ſecundis, & omninò præternaturalis factus in modo agendi, & præcipuè in acido præternaturali, quia corrupto, glandulæ pro regeneratione acidi neceſſarii ad famem excitandam, & ad coctionem alimentorum peragendam, non alia materia uti poſſunt, niſi prædicto acido, quod cùm ſit depravatum, & præternaturale, neceſſe eſt, ut fermentum illarum ex tali materia elaboratum depravatam, & præternaturalem ſortiatur conditionem, quam corrigere non poſſunt glandulæ naturali, & inſito fermento, ſeu temperamento, cùm ab eadem materia acida ſanguinis depravata vitietur, cum eadem ſerviat reparationi ejuſdem fermenti, qua indigent glandulæ cum omnibus aliis partibus; hoc modo depravatur fermentum glandularum.

Secundò explicandum eſt, quomodo ab hac Cachexia introducatur diſpoſitio depravans organum ſenſum in ventriculo, organum guſtus, & odoratus, quæ alterata præternaturam in hoc affectu demonſtravimus. Hoc explicatur per texturam dictarum partium alteratam, cùm ab hac, à ſenſibili actione, & ſenſu communi, ſenſus ratio formalis conſtituatur; in hoc caſu non vitiatur guſtus à ſapore humorum, organum iſtius irrigantium, quia omnia, quæ guſtantur, eſſent ejuſdem ſaporis, ſicuti quando bile irrigatur lingua, omnia amara ſentiuntur: at in Pica omnia ſunt ingrata, vel inſipida, præter calcem, terram, & carbones, conſequenter non à ſapore humoris, ſed à textura organi vitiata, alioquin ob humorem hunc omnia alia alimenta eſſent grata, ſicut calx, quia ab eiſdem moveretur humor, cujus ſapor gratum faceret guſtum, ſicuti gratum reddit ſaporem calcis, terræ, & carbonum. Diverſa textura organi, actionem alimentorum variat, ut apparet in alimento, quòd uni eſt gratum, alteri ingratum, non alia quidem de cauſa, niſi quia varia eſt textura in uno, ac ſit in alio, quia alimentum eſt idem, ſed pro varietate texturæ actio alimenti eſt grata, & levis in eo, cui gratum eſt tale alimentum: ei verò, cui eſt ingratum, actio alimenti ſuæ texturæ eſt moleſta; quod confirmatum manet ab organis quinque ſenſuum, quæ non ſunt niſi membranæ, ſed diverſimodè contextæ, & ab hac texturæ varietate varii ſenſus oriuntur, ſpecie, & natura diverſi.

In quonam verò conſiſtat iſta variatio texturæ organi ſenſus in ventriculo, & in aliis organis, eſt verè incognitum, quia eſt ultima differentia hujus rei, & acuties ingenii in modis texturarum, ad quas referunt omnes varias ſenſationes mixtorum, & animalium, explicandis attonita hæret, quia texturæ hujus diverſitatem, per quam unum alimentum huic ſit gratum, alteri ingratum neſciunt, & ideò non explicant, nec aliud dicunt, niſi variam texturam, conditionem, modum, combinationem partium, ſitum earumdem, locum, diſpoſitionem particularum, per quę variatur textura, ſed non declaratur, nec cognoſcitur; ſicut Antiqui in explicandis variis formis, & qualitatibus, quoad modum agendi herent.

Ut aliquid proponam de hac variata textura ab humoribus pravis in propoſito caſu, dico, hos humores,

membranas, vel nervos, vel papillas membranoſas, & nerveas, quæ conſtituunt dicta organa indurari, incraſſari, & tendi, itaut ad leniter, & ſuaviter hæc movenda, impulſus moventis validus exigatur, & impulſus lenis, & ſuavis ea minimè moveat; & quia in alimentis uſualibus lenis adeſt impulſus, hæc nullo modo movent organum guſtus, & ſenſus ventriculi, ſeu illius fibras, proptereàque inſipida apparent: quia verò ab impulſu valido calcis, terræ, carbonis leniter, & ſuaviter moventur ob illorum reſiſtentiam à duritie, tenſione, & craſſitie contractam, ideò ſapor ſuavis, & gratus iſtorum reſultat, ubi in ſtatu naturali hujus texturæ ingratum excitant, quia nimis violenter, & perturbatè movent fibras dictorum organorum, ob illorum facilitatem ad motum, & à dicto motu perturbato, & violento moleſtiam inferunt dictis organis, à qua triſtis ſenſatio, & ingrata.

Tertiò explicandum eſt, an terra, calx, carbo appetantur, quia ſint ſimilia indiſpoſitioni dictarum partium, vel contraria.

Explicationem dat *Hipp. in lib. de flat. n.* 2. ubi habet, *Famem eſſe morbum, & cibum eſſe remedium, quia famem ſedat.* Calx, terra, carbo in patientibus Picam ſedant famem; ergo ſunt remedium famis in iſtis, ſed morbus, & remedium ſunt contraria, conſequenter hujuſmodi ſubſtantiæ erunt contrariæ diſpoſitioni excitanti famem depravatam; quod confirmatur magis, quia non omnis cibus eſt remedium cujuslibet famis, ſeu vellicationis factæ ab acido in orificio ventriculi, in qua conſiſtit famis, cùm Animalium ſpecies multæ diverſa exigant alimenta pro fame ſedanda, alia Animalia fœnum, alia granum, alia carnes, alia vermes, alia terram exigunt, quia vellicatio facta ab illorum acido ventriculi non melius ſedatur, quàm ab iſtis ſubſtantiis, & à tali determinato, ſeu ſpecifico alimento; in Hominibus etiam id experimur, quia unus ſedat ſuam famem cum majori delectatione, & citius uno alimento, quàm alio, quia illud alimentum eſt magis aptum ad ſedandam famem cum delectatione, quàm aliud alimentum Ad ſedandam famem, & vellicationem ventriculi factam ab acido ventriculi depravato in Pica, nulla ſubſtantia eſt magis apta, quàm calx, terra, & carbo, quod experientia conſtat, cùm à nullo alimento magis famem ſatiari afferant, & cum delectatione hoc ſymptomate affecti, quàm dictis ſubſtantiis; & ſi ab his ſedatur vellicatio orificii ventriculi, ſequitur etiam contrarietatem habere cum agente illius vellicationis, quia ſi ſimilitudo adeſſet, augeretur vellicatio, non ſedaretur. Et licèt *Hipp. in lib. de loc. in hom. n.* 51. doceat curationem fieri à contrariis, & ſimilibus, ſi hæc ſimilia cauſam morbi diſſipent, dat exemplum de tuſſi; hæc fit ab irritamento vellicante veſiculas pulmonis, ab eodem irritamento ſanatur, dum vi iſtius expellitur irritans humor, quæ ratio non militat in Pica, ubi non agitur de expulſione materiæ, ſed de ſedatione moleſtiæ, quæ à ſimili eam cauſante major fieret, & quæ ad dolorem refertur, de quo dixit *Hipp. in eod. loc. Sananturque dolores à contrariis, idque etiam unicuique morbo proprium eſt*; & in hoc ſenſu intelligendus eſt *Aphor.* 38. *ſect.* 2. *Paulò deterior potus, & cibus, ſuavior tamen melioribus quidem, ſed in jucundioribus eſt præferendus*, quia deterior cibus melius eſt remedium illius moleſtiæ ſociæ famis, & appetitus excitati, quia ſuavior; qua de cauſa judico, cauſam hujus depravati appetitus eſſe acidum depravatum, cujus remedium eſt alkali in dictis alimentis copioſum, illud imbibens; admittenda tamen, ſed non in hoc caſu, ſententia *Hipp.* à *Paracelſo*, & *Helmontio* decantata, & exaltata in eis remediis, quæ naturam corroborando, & vires ſpiritui addendo cauſæ morbi expulſionem coadjuvant; corroboratio enim, & virium augmentum in natura, & ſpiritu habetur à ſimilibus, & etiam quando per ſimilia cauſa morbi eradicatur, cujus exempla in febre, & vomitu proponit *Hipp. in cit. text.* & habemns experientiam in Eryſipelate tumore calido, quod per Spiritum Vini calidum curatur, dum hic ſuo calore poros dilatat, & per os facilè expirat materia bilioſa in tumore contenta.

Cauſæ externæ ſunt illæ, quæ cacochymiam cumulant, & ab Antiquis dicuntur cauſæ humoris melancholici, quia copioſæ generationi hujus inſerviunt. Suppreſſa ſanguinis evacuatio, huic cacochymiæ occaſionem præbet.

Signa diagnoſtica ſunt manifeſta. Prognoſtica, Hydropem, vel Maciem minantur, quia ab hoc alimento obſtructiones contumaces, unde Hidrops; & ſanguis nutritioni tandem ineptus fit, unde Macies.

Ex dictis patet, primò ventriculum multis impuritatibus, & fermento pravo abundantem purgandum; ſecundò, cacochymiam acidam auſteram eſſe tollendam, & humores in hac acidos, craſſos, fixos eſſe volatilizandos, & attenuandos, acidum extinguendum, & humores præparatos purgandos; tertiò ventriculum corroborandum.

Pro prima indicatione, oportet prius ventriculum, & primas vias mundare vomitu; pro hoc faciunt *Antimonium Hyacinthinum*, *Hepar Antimonii*, *Tartarum Æmeticum*, *Sal album Vitrioli*, & *Radix Aſari*; poſt vomitum, die ſequenti exhibenda *Aqua Tetutii*, per decem dies, more conſueto, & cum ſuo vehiculo.

Pro ſecunda indicatione, humores pravi in maſſa ſanguinis, qui ſunt ex ſui natura ad exitum parati, purgandi cum *Melanagogis*, nempè cum *Pilulis de Ammoniaco Quercetani* ʒ. *i.* & *de Lapide Lazuli* ʒ. ß. *F. Maſſa cum Syr. de Polypod. ſol.* de hac per alios decem dies omni manè ante prandium aſſumat ℈. *i.* &. etiam ante cœnam; & diminuto humore pravo in venis, pro correctione humoris acidi deveniendum ad uſum *Martis*, capiendo ʒ. *ii. Limaturæ ſimplicis iſtius*, *cum Pil. de Lapide Lazuli* ʒ. *i.* per viginti dies; vel *Syrupus chalybeatus* exhibendus *ſolutivus ad* ℥. *iii.* deſcribendus de *cap. de morb. Lienis*. Pro ſanguinis attentione, & volatilizatione faciet *Decoctum Saſſafras*, *Ligni Juniperini*, *Lentiſci*, *cum Pulegio*, *Meliſſa*, *Zedoaria*, *Cinamomo. Libræ iſtius Decocti præmittatur Pulveris Cachectici Quercet.* ʒ. *i.* Per quindecim dies purgationem omni tertio, vel quarto die inſtituendo cum *Pil. de Ammoniaco Querc. & gr. xv. Mercurii dulcis*. Decoctum herbarum ſale volatili abundantium, quæ in præcedenti Differt. deſcriptæ fuerunt, valdè efficax cenſetur. His peractis ad ſanguinis volatilizationem, per quam impurum à puro ſecernitur, deveniendum, quæ peragitur *Spiritibus volatilibus Cornu Cervi*, *Fuliginis*, *Sanguinis humani*, *Charab.* in Decocto, vel Aqua alicujus herbæ ſupradictæ, ſed nihil magis proprium, & efficax pro hoc cenſeo, quàm *Spiritum Vini aromatizatum cum Cinamomo*, *Nuce muſcata*, *Cardamomo*, *Maci*, *Spica Nardi ab* ℥. ß. *ad* ℥. *i. in Aqua Boraginis*, *vel Agrimoniæ*. Specifica in hoc affectu ſunt, *Aqua Pampinorum Vitis*, *Aqua ab iſtius palmitibus putatis extillans*, *cum Aqua Theriacali*, *Fabæ ad inſtar Amygdalarum Sacchàro obductæ. Infuſio Anethi in Vino. Aqua Virgæ Paſtoris. Amylum cum jure Columborum diſſolutum. Sem. Ameos ad* ʒ. *i. pulver. cum Vino acceptum per quinque vices*.

Ultimò ventriculus corroborandus, quod mirificè præſtat *Elix. proprietatis Paracelſi ad* ℈. ß. *in* ℥. *i. Aquæ totius Citri*, *vel Meliſſæ*. *Mithridatum* idem præſtat, *Confectio Diatrion Pipereon*, *Diamoſchi*, *Diambræ*, *Syr. de Cinam. Quercet. Extractum Baccarum Juniperi*, *& Vinum iſtis alteratum*.

De miſſione ſanguinis cogitandum eſt. Si ſuppreſſa fuerit aliqua evacuatio, ſi gravida fuerit intrà primos quatuor menſes; his tranſactis ſuſpendenda, quia poſt hos non ſuſpicandum de plenitudine, cùm majori copia ſanguinis fœtus indigeat, quomodo ſuſpicari poſſumus in primis quatuor, in quibus fœtus parvus retentam menſium quantitatem in ſui nutritionem convertere non poteſt. Extra hunc caſum cenſeo miſſionem ſanguinis non convenire in nulla cacochymia, quia ſanguis non peccat, ſed humor excrementitius, niſi contingat caſus *Galeni* in Muliere, cujus venæ turgebant ſanguine atro nutritioni inepto, quia tunc adeſt plenitudo ſecundùm quid dicta, cui competit venæ ſectio; nec obſervatio *Rhodii*, de quodam per fluxum Hæmorrhoidum curato à Pica, contrarium mihi perſuadet, quia unum exemplum non ſufficit ad firmandum axioma univerſale. Ulterius talis evacuatio numquam viſa eſt in principio Picæ, ut colligitur ex relatione ejuſdem Auctoris, & tamen quando agitur de miſſio-

ne

ne ſanguinis in Pica, & Malacia, agitur de principio, in quo cum natura ſanguinis evacuationem non aggrediatur; ideò neque Medicus imperare debet, ſi in progreſſu morbi natura tentaverit, & Medicus noverit, quæ præmiſerit natura, & in quo ſtatu, & cum quibus conditionibus id operata fuerit. Concurrat Medicus cum Natura ad miſſionem ſanguinis; certum tamen manet, non eſſe mittendum in principio.

Diæta ſit cum alimentis boni ſucci, attemperantibus acidum acutum, & aromatibus conditis in eumdem finem: Vinum pariter generoſum concedendum.

Malacia eſt *Appetitus intenſus alimentorum uſualium, & immoderatus eorum uſus*. Affectus eſt in gravidis frequens, & talis eſt appetitus, ut, ſi ab appetitorum eſu arceantur, in Lypothimiam incidant, vel rei appetitæ ſtigmate fœtum ſignent. Si fames morbus eſt, & cibus remedium iſtius affectus, cauſa erit acidum ventriculi ita diſpoſitum in gravida à ſanguine menſtruali retento, ut tali determinato irritamento os ventriculi irritet, quod ſedari non poſſit, niſi à tali cibo determinato; irritamentum eſt validum, cùm niſi à copioſo determinato cibo ſedetur. Moleſtiam eſſe validam, & irritamentum excedens Lypothimia à denegato tali determinato alimento ſuccedens, manifeſtum facit. Cujus naturæ, & indolis ſit hoc fermentum, poſſumus colligere à qualitatibus alimenti appetiti, concludendo fermentum eſſe contrariæ naturæ, ſtante *Hipp.* principio, *Alimentum eſſe remedium famis*.

Cura erit irritamentum demulcire remediis de fame aucta dictis, & etiam perpendere qualitates alimenti appetiti, & remedia eiſdem qualitatibus contraria præſcribere. Sanguinis miſſio in primis menſibus poteſt exerceri ad minuendam quantitatem ſanguinis, qui materiam depravationi appetitus ſuppeditat. Specifica de Pica recenſita, poſſunt in Malacia ad uſum reduci.

CAP. IV.

De Siti Aucta.

AD conſervationem Animalis non ſufficit cibus, ſed requiritur etiam potus pro diſſolutione cibi, ut liquidus fiat, & fluidus, & facilè fermentabilis, ſicque à ventriculo ad inteſtina tranſire, & ab his in venas ingredi, & ſanguini miſceri poſſit, quæ omnia præſtat fluiditas à potu etiam concepta; ab hoc fine determinatur quantitas potus, ut tantus ſit, quantus ſufficit cibi diſſolutioni, & fluiditati, cujus partem à diſſolutione ſui in ventriculo recipit à vi fermenti.

Sicut Natura Animali dedit ſtimulum ad cibum capiendum, qui dicitur fames; ita largita eſt ſtimulum ad potum, qui dicitur ſitis. Præcipua ſedes iſtius, eſt ſedes famis os ſuperius, nempè ventriculi; non unica tamen hæc ſedes eſt ſitis, ſed alia in ore, & faucibus collocata fuit à Natura, quæ voluit dictas partes continuo fluxu materiæ aqueæ irrigatas. Hinc duos præcipuos fontes in ore aperuit, à quibus aqueum humidum continuò extillat, nempè vaſa ſalivalia, quæ à glandula circa œſophagum oriuntur, & terminantur in glandulas ſitas ſub lingua ad frenuli latera utrinque una; ſalivam ſuſceptam hæ glandulæ expellunt per poroſitates membranæ, qua teguntur: hæc vaſa cognovit *Avic. libr.* 3. *Canon. fen.* 6. *capit.* 1. *& Gal. de uſu partium capit.* 10. Sunt alia vaſa ſalivalia à *Stenone* detecta, orta à glandula poſita ad radices auris, quæ parotis nuncupatur; hæc vaſa tamdem terminantur in cavum oris ſub confinio utriuſque labii, & ibi effundunt humorem delatum. Eſt, & membrana, pituitaria dicta, quæ gulam, fauces inveſtit; hæc in parte interiori innumeras habet glandulas humorem ſalivalem præparantes, per has ſalivam effundit in cavitatem oris per poroſitates glandularum hiantes in exteriori ſuperficie ejuſdem membranæ. Humorem recipiunt glandulæ ab arteriis, hunc præparant ad Naturæ inſtitutum, nempè pro voce articulanda, pro maſticatione ciborum conficienda; emollita enim ſolida alimenta à dicto humido, faciliùs maſticantur, & pro continua humectatione linguæ, palati, gulæ, & faucium, ideò in harum exſiccatione & corrugatione ſitis eſt moleſta: in deficientia iſtius humidi ſalivalis, ſtimulum ſitis poſuit Natura, ut Animal ad iſtas potu humectandas impelleretur; hoc ſtimulo percepto à Phantaſia, mediante ſenſu communi, actum elicit appetitus humidi idonei ad dictum ſtimulum ſedandum. Hinc rejicitur ſententia defendens, ſitim fieri à bile vellicante, ſicut fames ab acido, cùm ſitim videamus ſemper fieri à cauſa humidum reſolvente, ideò ſemper cum iſta ariditatem linguæ, palati, & faucium obſervamus. Fit etiam ſitis ob craſſitiem humoris impedientem fluxum humidi ad dictas partes, & hoc impedito ſiccitas oritur, non aliter ac à cauſa reſolvente humidum; ſtante hac ſiccitate, non poteſt explicari, quomodo vellicato ore ventriculi à bile, lingua fiat arida, & impediatur fluxus ſalivæ, & humidi ad os; ideò non à bile, ſed à defectu humidi cauſa ſitis deducenda.

Sitis vel augetur, vel minuitur, rariſſimè, vel numquam depravatur in appetitu liquorum inconſuetorum. De aucta modò agendum.

Definitur ſitis aucta, *Major, & frequentior potionis conſuetæ appetentia*, quòd idem eſt, ac *Appetitus auctus frigidi, & humidi*, cum Antiquis: definitur enim ab *Ariſt.* ſitis naturalis, *Appetitus frigidi, & humidi*. Per humidum tollitur ſiccitas, in qua conſiſtit ratio formalis ſitis; per frigidum tollitur cauſa efficiens ſiccitatem, quæ eſt calor.

Appetentia potionis fit ab exſiccatione illius humidi, quo os ventriculi ſuperius abluitur; ſaliva enim, quæ continuò deglutitur, continuò etiam humectat dictum orificium, & fauces ab eadem continuò irrigantur; hac deficiente, corrugantur dictæ partes, quæ corrugatæ, cùm ſint ſenſitivæ, moleſtam concipiunt ſenſationem, quæ dicitur ſitis, à qua Animal ad potum incitatur, tamquam ad remedium illius moleſtæ ſenſationis in ſiti affligentis, præcedente appetitu potus, à Phantaſia conſcia illius ſenſationis per ſenſum communem elicito.

Cauſa ſitis eſt manifeſta, nempè quidquid valet exſiccare humiditatem in dictis partibus. Calor precipuam partem in ratione cauſæ tenet; ſummæ enim eſt activitatis in exſiccando humido; hac de cauſa *Hipp. lib. de vict. rat. n.* 18. dixit, *Sitim, & repletionem inducit Panis calidus*, quia humiditatem exſiccat calore, & imbibit ſpongioſa ſua ſubſtantia. Hinc eſt, quòd in febribus, in Æſtate, in vehementi exercitio, & in qualibet corporis incaleſcentia, immoderata ſitis invadit, ob humidi exſiccationem.

A pulmonum calore, & æſtu ſitis ardens proficiſcitur, & illi teſtantur, qui pulmonum inflammatione laborant; ex quo aliqui ſtabilierunt ſedem ſitis alteram eſſe pulmones. Hujus ſententiæ fundamentum eſt ſitis à motu pulmonum, à cantu, & vociferatione; his addit dicta ſententia Animalia pulmonis expertia ſitim neſcire; idcircò etiam veſica carere, quæ eſt inſtrumentum pro excretione ſuperfluæ, & inutilis ſeroſitatis à potu acceptæ, quæ verò pulmone ſunt exangui, parùm potant, ſicut ex adverſo, quæ pulmonem obtinuere ſanguineum, bibacula ſunt.

Verùm pulmonum calorem ſitim excitare, & vehementem, non poteſt negari; ſed per hoc non convincitur eſſe ſedem ſitis, cùm hæc pro ſede debeat habere partem acuti ſenſus, ut ex iſtius affectione percepta à Phantaſia, hæc determinetur ad eliciendum actum appetitus humidi, & frigidi, & hoc manifeſtavit natura inſertione plexus magni nervei in orificio ventriculi, pro ſenſu famis, & ſitis excitando; cùm pulmones non ſint hujus exquiſiti ſenſus, non poterunt eſſe ſedes ſitis, & ſi ab excalefacto pulmone hæc accenditur, id non ſuccedit, quia ſit pulmo ſedes illius, ſed quia à dicto calore exſiccatur humidum glandularum œſophagi, parotidum, & membranæ pituitariæ, perveniente calore pulmonum ad has partes, quæ ſunt iſtis proximæ, & adnexæ, & illo exſiccato, partes oris, & os ventriculi exſiccantur, deficiente humido, à quo irrigantur, & humectantur. Animalia, quæ carent pulmone, non bibunt, quia eorum venter humido ab alimentis elicito, ſufficienter ad excluſionem ſitis perfunditur, & diu durat in eorum ventre hoc humidum, quia ab exiguo calore naturali vix incaleſcunt, ut ab iſto non poſſit humidum dictum reſolvi, nec in eis operationibus ſe

ſe exercent, quæ reſolutioni humidi ſerviant; imò in locis opacis, humidis, paluſtribus, à Sole, & aere calido remotis degendo, à cauſis externis humidum reſolventibus non afficiuntur, & ab eiſdem conſervationem ſui humidi accipiunt. Præterquamquòd ſi non habent dicta Animalia pulmones, habent æquivalens iſtis; Vermes, qui carent pulmonibus, inſpirationem, & expirationem peragunt medio poroſitatum ſui corporis, unde evenit, ut iſtis oleo oblinitis, & obſtructis intereant, deficiente inſpiratione, & expiratione, quo ſtante, poteſt aſſeri habere ſedem ſitis, cùm habeant aliquod æquivalens pulmoni, & in hoc ſtatuenda eſſe ſedes ſitis; ita Piſces non habent pulmones, æquivalet tamen iſtis pars illa ſub maxilla exiſtens, in filamenta diſtincta, & ex iſtis contexta, cùm in iſta obſervetur motus proprius pulmonum, & tamen iſti, licèt non habeant pulmones, & ſitiunt, & bibunt. Motus pulmonum in cantu, & vociferatione, & in longa loquela ſitim promovet, non quia ſitis habeat ſedem in pulmone, ſed quia calor pulmonum conceptus in dicto motu, ob concurſum copioſum ſanguinis ad eos, exſiccat modo dicto humidum irrigans dictas partes, unde potiùs dicendus eſſet motus pulmonum cauſa ſitis, non ſedes.

Aqua aliquando eſt cauſa majoris ſitis, ut obſervamus in aliquibus ſanis, & ægris, quibus aqua, pro extinguenda ſiti epota, hanc auget. Pro hoc affectu explicando utuntur aliqui ſententia *Hipp. in libr. de vict. rat. in acut. n.* 30. ubi habet, *Aquam bilioſæ naturæ eſſe bilioſam, & in affectione præcordiorum eſſe peſſimam, & bilioſiſſimam*, eò quia vertitur in bilem; ideò ſitim auget; & hoc confirmat *in eod. text. Hipp.* ubi reprobat aquam in morbis acutis, & præcipuè in Peripneumonia, dum dicit, *Alias neque ſitim ſedat, ſed exacerbat*. Aliqui cenſent loqui Hipp. de aquis paluſtribus, quæ, dum ſtagnant, & actionem caloris Solis patiuntur, amareſcunt, ut docuit *Hipp. lib. de Aer. Aqu. & Loc.* A concepto amarore facilem eſſe tranſitum in bilem volunt; ſed decipiuntur prædictum textum in hoc ſenſu accipientes, quia ibi Hipp. de aqua loquitur, quæ ægris ſolet offerri à Medicis; iſti verò numquam in morbis acutis aquam paluſtrem præſcribunt, non quia vertatur cum facilitate in bilem, ſed quia ſtagnando, & putreſcit, & particulis diverſi generis, & pravæ conditionis coinquinatur, à quibus fermentum partium primæ digeſtionis, & maſſa ſanguinis depravatur; ſed potiùs dicendum bilioſa corpora, de quibus loquitur Hipp. ſanguinem habere multis particulis retorridis bilioſis refertum; hæ, & etiam bilis permanens in ventriculo, & inteſtinis, non exeunte aqua per alvum, vel per urinam, ut notat *Hippocrat. in dicto text.* ab aqua retenta diſſolvuntur, & iſtorum diſſolutione amarorem concontrahunt, & majorem, quàm ſit in dictis particulis non diſſolutis, ut habemus in felle Animalium, quod in parva quantitate diſſolutum in aquæ copia, hanc totam magis amaram reddit, quàm ſit fel, cùm iſtius particulæ diſſolutæ fortius agant, quàm unitæ, aqua bibita in corpore retenta, cum hac diſſolutione bilis facta amara ſitim majorem parit, eo modo quo à bile ſitis excitatur: hoc modo intelligendus *text. Hipp.* de aquæ mutatione in bilem, non quia aquæ ſubſtantia in bilis ſubſtantiam mutetur, ſed quia bilis ab epota aqua diſſoluta naturam illius quoad effectus inducit. Poſſet etiam dici aquam epotam non ſufficere ad moderandum calorem ſitim facientem, ideò à calore calefieri, & concepta caliditate calorem internum extenſivè ſaltem augere, & à majori calore ſitim incrementa ſuſcipere.

Salſa omnia ſitim excitant. Cauſam colligimus à mixtis ſale conditis; Sal in carnibus, v. g. eo conditis exprimit omnem humiditatem ſuperfluam in iſtis contentam, dum in iſtis fluore accepto penetrat intima ſubſtantiæ carnis, & eodem fluere exit, & ſecum rapit illarum humiditatem, quam attenuavit ſua acrimonia; ita operatur in ore ventriculi, faucibus, & palato exſiccando humiditatem, quod experitur unuſquiſque in uſu ſalitorum. Salſa irritando vaſa ſalivalia, hæc determinant ad effuſionem ſui humidi, eo modo quo purgantia, ut patet in maſticatione pyrethri, & tabaci; ab hac effuſione copioſa exſiccantur fontes pituitæ, cum ariditate partium oris, & orificii ventriculi. Ita vapores ſalini, vel ab Hypochondriis elevati, vel à ſaliva ſalſa in ore, & glandulis parotidibus ſitim provocant: hac de cauſa Hypochondriaci, & Scorbutici ſiti magna premuntur.

Si Lympha non fluat ad partes ſupradictas, & deficiat, exſiccantur à privatione talis humoris: hac de cauſa poſt excedentes evacuationes ſanguinis, vel per purgationem, ſitis vehemens inſurgit, ob privationem ſeri, vel Lymphæ; & à maſticatione multi cibi, & à repletione ventriculi, juxta ſententiam Hipp. citatam, fit ſitis, quia cum cibo miſceatur ſaliva, à copia magna cibi exhauritur magna copia ſalivæ, itaut hæc pro aliquo tempore deficiat, cum ſiccitate faucium, & linguæ, unde ſitis; à magno cibo excalefactus valdè ventriculus, à concepto calore exſiccatur orificium ejus, cum ſiti magna.

Si Lympha craſſa ſit nimis, ſitim inducit, quia non fluit, & ſi fluit, non humectat, dum per craſſitiem non ingreditur poroſitates partium, à quarum irrigatione ſitis extinguitur, nec ſuperficies ipſa partium à craſſo humore humectatur, quia quod humectat, debet eſſe tenue, & aquoſum; ideò obſervamus craſſam ſalivam expuentem ſemper ſitire, & quando nos ſitimus, craſſum expuimus. Craſſitiem acquirit, vel ab acido exiſtente in materia, à qua elaboratur, vel in acido à glandulis ſuperabundanter contracto, vel à calore excedenti.

Animi paſſiones triſtes, quia motum humorum retardant, & hos incraſſant, & præparationem ſalivæ in glandulis minuunt, ſitim pariunt, & præcipuè timor humores fixando, & velut coagulando, unde motus ſalivæ debitus impeditur, & partes oris non irrigantur, humidum idcircò in iſtis deficit, cum ſiti.

Conſuetudo bibendi cauſat ſitim; per hoc aſſueti compotationibus multis, ſi ab eis abſtineant, ſiti torquentur, ſic aſſueti in una determinata hora bibere, illa ſine potu tranſacta ſitiunt; dantur enim habitus corporales, ſicut ſpirituales, quorum interruptio eſt moleſta, & qui tali tempore bibendi habitum confirmavit, tali tempore ſitit, cum moleſtia.

Differentiæ ſitis deſumuntur à majori, vel minori afflictione, & etiam à cauſis.

Signa diagnoſtica demonſtrat æger in potus deſiderio. Si à bile, adeſt amarities in ore, bilioſum temperamentum, errores præceſſere bilem generantes; ſi à ſalſo, ſalſedo in lingua percipitur; ſi à craſſitie ſalivæ, hæc fit viſu manifeſta; defectum humidi, præceſſerunt cauſæ exſiccantes.

Prognoſtica, reſpectu ſitis parvæ, nihil timendum; reſpectu ſitis intenſæ, valdè timendum quia arguit cauſam violentam exſiccantem humidum, & quia impedit digeſtionem alimentorum, & quia abominationem ciborum inducit, & maciem totius minatur, & ægri cruciatu ſitis ad immoderatum potum impelluntur, à quo multa mala pendent, Cachexia, Hydrops, ventriculi diſſolutio: reſpectu morbi, cui conjungitur, valdè timenda ſitis; in ardentibus febribus, in inflammationibus, eſt mali ominis.

Indicationes eliciuntur à cauſis. In hoc omnes conveniunt, quòd humidum refrigerans, & attemperans ſit corpori tribuendum per potum, ut conſideranti patebit, & ſic unica in quacumque cauſa erit indicatio potum exhibendi, & humidum corpori addendi, cùm ſitis à quacumque cauſa fiat ſit humidi defectus: potui acida miſcenda, quæ quantum valeant ad ſitim extinguendam, omnes notum habent, & quia æſtum caloris reprimunt, & vellicando vaſa lymphatica, lympham ab eis exprimunt, cum irritatione partis.

Inter potulenta ſunt *Aqua Acetoſæ*, *Portulacæ*, *Sempervivi*, *Boraginis*, *Cicorei*, *Sonchi*, *Noceræ*, *Nymphea*, *Lactucæ*, & ſimilium; *Decoctum Tamarindorum* omnibus præeſt, ſicut etiam *Decoct. Prunorum*, *& Amarenarum exiſiccatarum*, *Emulſiones Sem. Melonum*, *& quimque Sem. frigid. Serum depuratum*, *& diſtillatum*. Inter acida *Succus Citri*, *Limonum*, *Aurantiorum*, *Ribes*, *Cydoniorum*, *Agreſtæ*, quæ miſcenda ſunt dictis Aquis ad acetoſitatem. Sitim egregiè ſedat *Decoctio radicis*, *& fol. Acetoſæ*, addito *Succo Ribes*, vel diſſoluto in ea *Roob Ribes*, vel *Succo Granatorum acidorum* admixto, *Aqua Hordei*, *cum Succo Cydoniorum*, *Tinctura Roſarum*, *& florum Bellidis*, *facta in Sero*

capri-

caprino diſtillato, *cum infuſione Spir. Vitrioli ad aciditatem*; hæc tinctura aquæ addita, non ſolùm ſitim mitigat, ſed cuilibet detrimento à quantitate aquæ occurrit; tollit enim malas affectiones, quæ ab aquæ potu nimio excitantur. *Nitrum* ritè depuratum, æſtum ſanguinis, & ſitim reprimit, & minus nauſeabundum eſt, quàm *Sal Prunellæ*, quod in ſiti eſt magnum remedium. Gargarizatio cum aqua, & acido, ſi ſitim non tollit, multùm mitigat.

Si bilis foveat caloris exceſſum, & aucta amarities diſſipet, & reſolvat humidum in ſuis fontibus, eſt primò purganda cum *Pulp. Tamarind.* ℥. *vi. Rhaubarb. elect.* ℈. *ii. vel Syr. ſol.* ℥. *vi. diſſol. in Sero caprino diſtill.* ſuperbibendo paulò poſt medicamentum *Aquæ Nocera* ℔. *iiii.* vel *v.* ſequendo *Hipp.* conſilium *in lib. de rat. vict. in acut. n.* 13. deſcriptum, quo jubet, *non dandam eſſe ptiſanam in media purgatione*, unde, quæ dantur ratione abſterſionis, & in auxilium operationis purgantis, danda ſunt potiùs in principio, & ratio eſt, quia ſorbitiones alvum aliquo modo ſubducentes purgationi medicamenti opitulantur, ut ait *Hipp. in text.* & ptiſana, & aqua in magna quantitate alvum ſubducunt, ideò danda ſtatim aſſumpto medicamento. Exhibendæ etiam ſorbitiones dictæ poſt medicamentum ſtatim in doloribus ſedandis, ut colligitur *ex cit. text.* in media verò purgatione tales ſorbitiones alvum ſiſtunt, dum fractam purgantis actionem in media purgatione extinguunt; hac ratione ad ſiſtendam alvum nimis excitaram à purgante, Lac ad *heminas* exhibet *in lib. de intern. affect. n.* 54.

Purgatione peracta, utendum dictis potionibus refrigerantibus, vel ſeligenda una ex illis, quam *Hipp.* deſcribit *in fine lib.* 3. *de morb.*

Si humores ſint ſalſi, nempè ſaliva, cùm ſalſedinem accipiat ab humore aquoſo ſalſo in ſanguine exiſtente, hic evacuandus *Rad. Jalappæ*, vel *Mecoachan*, vel iſtorum *Magiſter. ad gr. vi. vil viii.* unitis *Electuario lenitivo ad* ℥. *vi. Elect. Diaſebeſten* eſt magis proprium in humoribus ſalſis. Purgatione peracta, ſtatim exhibenda dicta refrigerantia, addendo *Epiceraustica* dicta, quæ ſalſedinem propriè demulcent, & ſunt *Althea*, *Malva*, *Parietaria*, *Liquiritia*, *Hordeum*, & *Sebeſten*.

Si ſaliva craſſa nimis, non irrigat ſufficienter palatum, fauces, & os ventriculi, ob calorem intenſum ſanguinis, vel alicujus viſceris, eadem refrigerantia conveniunt; ſi ab acido ſuperabundante in vaſis, ob temperamentum melancholicum, vel ob errores commiſſos acidi generationem ſuperfluam promoventes, vel à cruditate acida ventriculi craſſitiem acquirat lympha, humor acidus purgandus *Hydragogis*, poſtea utendum refrigerantibus prædictis, nam aquea acidum etiam demulcent, & fluidiores reddunt humores; abſtinendum tamen ab acidorum unione, & adjungenda, quæ acidum imbibunt, & enervant, ut ſunt *Coralla*, *Margaritæ*, *Matriſperlæ*, *Bolus Armena*, *Terra ſigillata*, *Cornu Cervi uſtum*, *Decoctum Bellidis*.

Si à deficientia humidi, ob inſignes evacuationes alvi, vel ſanguinis, cùm hæc unà cum ſiti caloris nativi diminutionem inferant, à validis refrigerantibus abſtinendum, ne calor majus patiatur detrimentum, addendum corpori humidum, quod alimenti etiam rationem habeat, qualia ſunt jura, carnium, & diſtillata eorum, iſta ſępe exhibendo, & ad caloris reſtaurationem addendæ *gutt. Elix. proprietatis*, *vel vitæ*, vel *cochlear Aquæ Cinam. ſtill. vel Theriacalis*, vel *Julap. perlatum*, vel *Spir. Juniperi*.

Conſuetudo bibendi, abſtinentia eſt corrigenda.

Si à repletione, curatur inanitione facta, vel per purgantia, vel per diœtam.

Sanguinis miſſio non convenit, quia experientia docet, multos à ſanguinis miſſione valdè ſitire.

Si his remediis ſitis non cedat, *Aquæ thermales acidulæ* ſunt efficaciſſimæ, *Aqua Villenſis*, *Brandolæ*, *Noceræ*, & *Balnea Aquæ dulcis*. *Hipp. in lib. de ſalub. diœta n.* 13. ſitim curat ciborum, & laborum detractione, & Vino aquoſo, & frigidiſſimo. Somnum ſedare ſitim, *in lib.* 3. *de morb. popul. ſect.* 4. docuit *Hipp.* ex quo colligitur, *Opiata* in ſiti convenire; & os continere, tacere ſitis eſſe remedium docuit *l.* 6. *Epid. ſect.* 3. & *aphor.* 27. *ſect.* 5.

Victus ratio ſit refrigerans, & humectans: Aceto, & Succis acidis condiantur cibi: Fructus, niſi ab alio prohibeantur, ſunt maximè proficui, in moderata tamen quantitate.

Sitis defectus frequens eſt, præcipuè in Mulieribus: Obſervat. raras de hac vide collectas in *Etmull. fol.* 18. *de ſiti*; neminem tamen vidi, qui, ob ſitis defectum, opem medicam requireret, ideo ab èjus curandi methodo deſcribenda ſuperſedeo, niſi à ſtupore oris ventriculi proveniat, in quo caſu cura eadem præſcribenda, quæ tradita fuit de fame abolita à ſtupore oris ventriculi.

CAP. V.

De Læſa Concoctione Alimentorum diminutè.

Concoctio alimentorum, cùm ſit actio ventriculi in alimenta, tripliciter lædi poteſt, prout omnes aliæ actiones, diminutè, abolitè, depravatè. Concoctio diminuta à Græcis dicitur *Bradipeſia*, depravata dicitur *Diſpepſia*, abolita *Apepſia*. Non poſſumus horum ſymptomatum naturam, & cauſam percipere, niſi concipiamus, & intelligamus, quid ſit Concoctio alimentorum, & quomodo fiat.

Alimentorum digeſtionem, eſſe opus ventriculi, eſt manifeſtum ex *Hipp. lib. de morb. n.* 16. & *a n.* 3. *uſque ad* 10. ubi probat, omnes corporis partes trahere à ventriculo alimentum, argumentum ventriculum illud toti præparare. Digeſtionis eſſentia *eſt mutatio alimentorum*, *etiam diverſi generis*, *in unam maſſam fluxibilem ſenſu homogeneam*, *ope fermentationis propriæ ciborum*, & *fermenti ſtomaci*, & *caloris peracta*.

Eſt mutatio, non per deperditionem formæ, & acquiſitionem alterius, ſed per mutationem texturæ; quidquid erat in alimentis, eſt in chylo confecto, ſed cum diverſa textura eſt in maſſa chyloſa, ac fuerit in alimentis, itaut alimenta in chylificatione non amittant, niſi texturam; hac de cauſa alimenta alterant corpus ad calidum, frigidum, juxta eorum naturam, quia quidquid calidi, & frigidi eſt in alimentis, remanet in chylo, & magis probatur à flatibus in fine digeſtionis per os emiſſis, qui redolent odorem, & ſaporem alimentorum, & oſtendunt alimenta alienam formam, ſeu naturam non recepiſſe, ſed propriam retinuiſſe. Hæc mutatio texturæ conſiſtit in fluxibilitate, per quam alimenta, etiam ſolida, fiunt fluida, quia diſſoluta in minutiſſimas particulas, & alimenta differunt à maſſa chyloſa, eo modo quo differt caro ſolida à carne confuſa, & diſſoluta jure, vel alio liquore. Per hanc diſſolutionem facilè miſcentur omnium alimentorum particulæ, & ex mixtione accidentali, non ſubſtantiali una maſſa reſultat, quæ ſenſu homogenea in colore, in modo ſubſtantiæ fluxibilis; verè tamen eſt ætherogenea, ſicuti erant alimenta, ex quorum particulis ſub diverſa textura poſitis coaleſcit.

Hæc diſſolutio alimentorum, & nova mixtio eorundem habetur à propria alimentorum fermentatione, ab illa fermenti ventriculi cum alimentis commixti, & a calore.

Alimenta contrita dentibus, fermentationem concipiunt per ſe. Fermentatio *eſt motus inteſtinus particularum componentium mixtum*; illæ, quæ ſunt ſolutæ per maſticationem in cibis maſticatis, in ventriculo receptæ liberè moventur per ſubſtantiam alimentorum, & particulas minus explicatas agitando, quatiendo movent, & a craſſis, quibus ligantur ſeparatæ, cum aliis pari motu moventur, & craſſas partes motu aucto dividunt, & comminuunt, & quo alimenta magis fuerint contrita, eò facilior fit alimentorum diviſio, & fermentatio perfectior; qua de cauſa dicitur primam digeſtionem fieri in ore, partes verò alimenti parùm contritæ a concoctionis beneficio arcentur, & in excrementa degenerant, & ita cibi dicuntur fermentari principio illis intrinſeco. Id experimur in Uvis, quæ calcatæ nullo extrinſeco interveniente, niſi motu particularum Uvam componentium, inſignem illam fermentationem ſuſcipiunt, qua muſtum tranſit in vinum. Pari pacto alimenta in ore contrita in ventriculo fermentationi ſubjiciun-

ciuntur per ſolutionem particularum ſubtilium, activarum, mobilium, à quibus aliæ moventur, libertati donantur, & motus iſtarum particularum dicitur fermentatio; & quia hujuſmodi fermentatio non ſatis erat ad illam perfectionem, & præcipuè volatilitatem, quam exigit in alimento Animalis conſervatio, in ſubſidium fermentationis propriæ alimentorum, conceſſit Natura fermentum ſtomacho, quod mixtum cum alimentis vi diſſolutiva, qua pollet integram diſſolutionem alimentorum peragit uſque ad fluxibilitatem; fermentatione perſeverante particulæ alimentorum ſolutæ, ad invicem miſcentur, & mixtione tota maſſa chyloſa perfectionis initium aſſumit, requiſitum ad opus perficiendum à Natura deſtinatum.

De hoc fermento verba fecit *Hipp. lib.* 4. *de morb. n.* 16. ubi, loquendo de alimentis, quæ in corpore remanent per plures dies, & quomodo remaneant, ſubjungit: *Alter autem coctus à caliditate diffunditur, & tenuis factus poſtera die ad ventriculum accedit, & per omne tempus à recenti expellitur; ubi verò ad ventriculum pervenit, ibi cibos concoquit, & de ſe ſanguinem facit in corpore.* Cognovit Hipp. humorem à ſanguinis maſſa extractum ad ventriculum deferri, & ibi concoquere alimenta. Hæc cognitio planè concordat cum illa Recentiorum, per quam ſentiunt glandulas membranæ villoſæ ventriculi recipere materiam à ſanguine per arterias, qua præparant fermentum excitativum famis, & etiam digeſtivum ſuſceptorum alimentorum. Modum præparationis, & partem, in qua præparatur hoc fermentum, ignoravit Hippoc. eſſe verò neceſſarium aliud præter calorem, agnovit Divinus Præceptor.

Ubi præparetur hoc fermentum, diximus in Diſſertatione de Fame, ubi innuimus etiam modum, ſecundùm quem miſcetur alimentis. Hoc fermentum eſſe acidum, vel acido ſalſum, communiter admittitur, & videtur *Hipp.* innuiſſe, quando *in aphor.* 1. *ſect.* 6. dixit, *Ructum acidum in lienteria eſſe bonum.*

Neceſſitatem hujus fermenti colligimus ab indigentia alimenti liquiditatis, & fluxibilitatis, maximè neceſſariæ alimento communi totius, cùm harum qualitatum ope ad omnes deferatur partes, nec materia in ventriculo præparata non poteſt mutari in ſanguinem, niſi venas ingrediatur, nec iſtas ingredi poteſt, niſi facta fluxibilis. Texturam fluidi, & liquidi, ut acquirant alimenta, neceſſe eſt, ut in particulas minutiſſimas dividantur invicem ſibi cohærentes, non conjunctæ, & quòd iſtæ particulæ, vel ſemper ſint in motu, vel à minimo impulſu ſint mobiles. Hoc eſt opus validi diſſolventis, quale eſt aqua fortis reſpectu argenti. Nec calor noſter ſufficit ad præſtandum hoc opus, cùm obſervemus alimenta contrita igni, qui eſt activior ſupra noſtrum calorem expoſita, non liquari, ſed comburi. Oſſa in Canis ventriculo liqueſcunt, in olla à qualibet actione ignis minimè. Piſces parvo calore donati ſunt, & tamen alios Piſces crudos devoratos in liquidam, & fluidam ſubſtantiam vertunt, & hanc fluiditatem ab igne non accipient. Nummi aurei, & argentei deglutiti, & per alvum ejecti, pondere diminuti inveniuntur, quod in igne non amittunt, ſed ſolùm in aqua forti, vel regia. Grana frumenti, & alterius generis liquida non reddit ignis, prout facit brevi tempore ventriculus Galli, & Gallinæ. Admittenda ergo neceſſariò in ventriculo, præter calorem, ſubſtantia, cujus actio ſit alimenta diſſolvere, fluida facere; & hæc ſubſtantia à Recentioribus dicitur fermentum.

Fermentationem tam propriam alimentorum, quàm fermenti ventriculi coadjuvant calor huic à circumſtantibus partibus communicatus; calori enim convenit, quod de igne dixit *Hipp. lib.* 1. *de diæt. n.* 4. *omnia, per omnia movere;* & experientia oſtendit, à calore externo promoveri fermentationem, ab eodem temperato fermentationem perfectionem ſuſcipere, ſicut ab eodem intemperato imperfectionem, & vitium. Neceſſarius erat calor in hac actione, ut tamquam primus motor moveat particulas, & alimentorum, & fermenti. In omni enim actione, quæ eſt vel motus, vel eſt cum motu, requiritur movens, & hic ex Hipp. eſt calor. Præter hoc movens, requiritur aliud, & eſt motus periſtalticus ventriculi, incipiens ab orificio ſuperiori iſtius, & tendens ad orificium inferius; & forſan ab hoc ad inteſtina, quæ pari motu moventur deſcendens, ab hujuſmodi particulæ alimentorum in continuo motu pro fermentatione detinentur. Calorem etiam in ventriculo, præter dictos fines, voluit Natura, ut materia, quæ deſtinata eſt ad alendum partes corporis, & iſtarum calorem fovendum, & reparandum calore animali, & individuo proprio in ſua prima præparatione muniretur, ad hoc ut eſſet magis apta ad caloris individualis conſervationem.

Fermentum admittitur ab omnibus Recentioribus in ventriculo; ejus natura eſt acido ſalina, diſſolvit, & movet, ex quo fit fermentatio, & mixtio. In omni ſpecie Animalium eſt ſpecificè diverſum, in omni individuo ſpeciei eſt diverſum, ſecundùm magis, & minus.

Fermentationem in cibis, & in ventriculo expreſsè admiſit *Hipp. in lib. de veter. Medic. n.* 20. ubi, agendo de errore illorum, qui præcedenti cibo non cocto novum ſuperaddunt, ait: *Sed in ferventem adhuc, & fermentatum cibum novum ingeſſerunt.* Operandi modus eſt diſſolvere alimenta in minutiſſimas particulas, & eas reducere in ſuas particulas componentes, & motum imprimere iſtis, quod facit, dum diſſolvit, non poteſt particulas diſſolvere, niſi has moveat; movet motu ſuarum particularum, hæ enim cùm ſint ſubtiles, ſpiritoſæ, volatiles, ſunt ſemper in motu; movet, dum particulæ acidæ fermenti unitæ cum particulis alkalicis alimentorum ſimul efferveſcunt, & ebulliunt, eo modo quo Spiritus Vitrioli acidus, cum Oleo Tartari alkalico unitus ebullit, & efferveſcit; ab hac efferveſcentia movetur, & agitatur tota maſſa alimentorum, & ita fermentatur. Has particulas alkalicas eſſe in alimentis multas, colligitur à natura Alkali à Recentioribus explicata, per hoc quod Alkali ſit materia communis, & contraria aliquo modo acido, ſed tali contrarietate, quæ in amicitiam tranſire poteſt præcedente aliquali pugna, & efferveſcentia, per quam diminuta utriuſque actione ceſſat contrarietas, & inimicitia, & diſſimilitudo inde tollitur, per quam amicè in unum coaleſcunt, ut patet in Spiritu Vitrioli, & Oleo Tartari, quæ poſt ebullitionem in unam maſſam amicè uniuntur. Ulteriùs Alkali ita ex natura ſua diſpoſitum eſt ad accipiendam quamlibet mutationem, ad quam determinabitur à virtute agentis acidi, itaut Alkali ſolùm patiatur, non agat. Alimentum eſt aptum mutari in ſubſtantiam omnium partium, mediante actione principii activi iſtarum, conſequenter eſt alkalicum, quia alimentum ſolùm patitur; ergo de Alkali magis participat.

Ex his colligo, alimentorum concoctionem conſiſtere in eorum diſſolutione, uſque ad ſuarum partium componentium diviſionem, per quam texturam alimenti primam amittunt, & in nova mixtione earundem particularum, per quam novam texturam ſuſcipiunt propriam maſſæ chyloſæ, & idoneam ad ſuſcipiendam ſanguinis texturam; & deduco fermentum digeſtivum fermentativum alimentorum, non eſſe illis ſimile, ſed contrarium, quia diſſolvit alimenta, & cum iſtorum particulis efferveſcit, ſimile non diſſolvit ſimile, nec ſimile, cum ſimili mixtum efferveſcit, ſed quod diſsolvit eſt diſſimile, & contrarium, & contraria ſolùm mixta efferveſcunt; conſequenter falſa demonſtratur illorum opinio, qua aſserunt fermentum faciliùs diſsolvere aliqua alimenta, quia his ſimile.

Definitur diminuta concoctio: *Tarda, debiliſque digeſtio alimentorum, in qua alimenta ſemicruda relinquuntur, vel niſi longo tempore perficitur.* Hæc definitio à dictis ſatis manifeſtè dilucidatur. Per *ſemicruda* intelligo, non benè diſsoluta, fermentata, attenuata, volatilizata; in ſanguinem tamen mutabilia, ſed imperfectum.

Habemus etiam diminutam concoctionem conſiderari, non ſolùm ratione alimenti imperfectè concocti, ſed etiam ratione temporis, in quo perficitur, cùm à Natura determinatum ſit ad alimentorum digeſtionem ſpatium quatuor, vel quinque horarum, in quo, ſi non perficitur digeſtio, ſed protrahatur ejuſdem terminus, dicitur concoctio diminuta, cùm protractio hujus actionis principii infirmitatem arguat.

Cauſæ patent ex dictis; vel ratione alimenti, vel vitio fermen-

fermenti, & caloris diminuta provenit digeſtio, vel elixatio alimentorum.

Alimenti vitio fit diminuta digeſtio, quando hoc eſt maximè craſſum, durum, reſiſtens, ſine humido, cujus defectu diſſolutionem neceſſariam non recipit, nec partes ſpiritoſæ poſſunt ſeparatione à craſſis ad motum excitari pro fermentatione requiſita ad alimentorum concoctionem, vel iſtæ deficiunt, unde propria deficit fermentatio. Talis conditionis ſunt caro, piſces ſale conditi, vel fumo exſiccati; deficit enim iſtis humidum neceſſarium ad facilem fermentationem, & ſpiritoſæ particulæ cum hoc; caro cervina, & bubula, hædina plurium annorum ſunt hujus conditionis, ſicut legumina, & omnia alimenta frigida, ſicca pauco ſpiritu referta, quia cùm ſint duræ, & reſiſtentis ſubſtantiæ, non patiuntur minutiſſimam diſſolutionem, & etiam quia ob paucitatem ſpirituum fermentationis ſunt incapaces.

Quantitas excedens cibi, tam continua, quàm diſcreta, eſt cauſa tardæ, & diminutæ concoctionis, cùm à quantitate continua alimenti impediatur motus ſpirituum in eo exiſtentium, & penetratio, & actio fermenti cum integra efficacia, & alimenta, ob quantitatem in ſe ipſa preſſa, & conculcata, motus fermentationis perfectæ ſunt incapacia; his ita exiſtentibus deficit conditio neceſſaria ad fermentationem, quæ eſt amplitudo loci; à quantitate enim impletur illud ſpatium, quod fermentationi debetur, quatenus per ipſam turgeſcit, elevatur, & rareſit corpus fermentatum, unde hæc interrumpitur ex defectu hujus conditionis. A quantitate diſcreta impeditur concoctio prioris aſſumpti, cui ſuperadditur aliud antequam primum alimentum ſit concoctum; & hoc modo fieri diminutam digeſtionem voluit *Hipp. lib. de veter. Medic. n.* 20.

Vitio fermenti diminuta fit concoctio alimentorum, quando hoc eſt parum activum, quia particulæ ejus diſſolutivæ, & excitativæ ad motum, vel paucæ, vel debiles, ut partes alimentorum nec diſſolvere, nec fermentare, prout exigit illorum perfecta concoctio, valeant, vel quia fixum, & craſſum, ut ubique per alimenta penetrare datum non ſit, ideò particulæ alimentorum ab ejus actione valida exemptæ inconcoctæ manent; ſi craſſis particulis ſit refertum, à quibus volatilitas, & ſpiritalitas, & activitas valida ad agendum perfectè neceſſaria minuitur, hoc vitium contrahit à ſpiritibus languidis, ab acido inerti, & pauco in ſanguine exiſtente, à vitio glandularum ventriculi, in quibus fermentum præparatur, quod ritè non volatilizatur, ob ſpirituum animalium inertiam, vel deficientiam, ob admixtionem humoris craſſi, vel bilis, à quibus virtus hujus fermenti in agendo enervatur, multitudo excrementorum in ventriculo illud opprimit, & agere cum actione, & vi integra impedit, bilis ad ventriculum delata enervat; ad hanc fermenti diminutionem concurrunt omnes cauſæ ſuperiùs recenſitæ de fame abolita, & diminuta.

Vitio caloris, qui licèt ut agens principale, concoctionem non conficiat, ut partiale ad hanc requiritur; quapropter ſi calor à partibus ventriculo circum, & ſuprà ſtantibus fuerit parvus, debilis, cum enervata actione, fermentatio alimentorum, cui opem fert, erit debilis, iners, & conſequenter etiam concoctio, eſt enim calor iſtarum partium tamquam ignis lebeti circumpoſitus; & ſicuti hic ſi debilis fuerit, carnem in lebete exiſtentem imperfectè concoquit, ita ſi calor iſtarum partium fuerit debilis, diminuta alimentorum concoctio ſuccedet. De hac cauſa loquitur *Hipp. lib. de ſalub. diœta n.* 12. ubi agit de cibis, qui poſtridie eructantur, & ait, *Quicumque poſtridie cibos eructant, & præcordia ipſis elevantur, utpotè cibis incoctis, & crudis exiſtentibus*, ſubjungit poſtea: *palam eſt enim, quòd ventriculus, præ imbecillitate, & frigiditate ciborum multitudinem, concoquere non poteſt*; hac de cauſa, quæ calorem partium minuunt, imperfectæ, & diminutæ concoctionis ſunt cauſæ remotæ, ut exercitium, labor, motus violentus, & præcipuè poſt cibum, Venus immoderata, animi paſſiones triſtes, & graves, longa meditatio, in ſtudio indefeſſa applicatio.

Aliæ cauſæ debilitatæ concoctionis enumerantur, ut procidentia Cartillaginis enſiformis, de qua diſſerit *Zacut. lib. de Princip. Medic. Hiſt.* 96. *q.* 36. Polypus in ventriculo, de quo *Foreſt. lib.* 18. *obſerv.* 18. & 30. ab Omento, vel deficiente, vel corrupto, de quo *Gal. lib. de uſu part. cap.* 9. ubi *in gladiatore vulnerato ab abſciſione omenti putridi læſam coctionem alimentorum* teſtatur, quia deficit cum omento magnum fomentum caloris ventriculo; ſicut etiam deficit colliquata pinguedine in partibus, vel circa, vel ſupra ventriculum poſitis, ideò circa abdomen emaciati in coctione ciborum languent; & forſan hac de cauſa determinavit Hipp. ventrem pinguem conſervari in morbis bonum eſſe ſignum. Ab ulcere, tumore, & ſcirrho, ventriculi digeſtiones vel depravantur, vel abolentur: vel minuuntur. Alii addunt calorem hepatis, à quo velut à cucurbita dicunt attrahi calorem ventriculi, & ita hunc ſine calore frigidum remanere volunt; hæc opinio à ſententia negante ſanguificationem in hepate fieri, experimentis anatomicis confirmata, omninò deſtruitur, & ſine riſu audientium proferri non poteſt, de qua alibi forſan agemus.

Signa ſunt, ventriculi diſtenſio, & inflatio toto tempore digeſtionis alimentorum; ructus copioſi cum odore ciborum aſſumptorum, etiam poſt multas horas à cibo; gravitas in ventriculo, cum difficultate reſpirationis; vomitus frequens. Diſtinguimus debilitatam concoctionem ratione ciborum, ab eſu ciborum difficilis digeſtionis. A vitio fermenti, parva adeſt fames, vel citò ſedatur; ſi à calore diminuto, præceſſerunt cauſæ hunc diminuentes, vel temperamentum naturale frigidum patiens obtinuit.

Signa prognoſtica: ſi ſit continuum, hoc ſymptoma tranſit in depravatam concoctionem, à qua morbi innumeri.

Indicationes ſunt, alimenta dictæ ſuperiùs conditionis prohibendi, & horum loco ſubſtituendi alimenta fermentationi apta, & ad hanc facilè ſuſcipiendam idonea; præcedat tamen ventriculi purgatio, vel per vomitum, vel per ſeceſſum, lenitivaque in quacumque cauſa exercenda.

Si à fermento acido debilitato, conveniunt omnia illa remedia de fame abolita, & diminuta dicta; interpolatè tamen ſemper parum purgandum blandis remediis, ad evacuandos humores excrementitios à debilitata concoctione collectos: in horum genere ſunt *Pil. Maſticinæ*, *Alephanginæ*, *de Charabe*, *Cratonis*, *Syr. de Floribus Perſicorum*. Hujus acidi debilitati cauſæ diſtinguendæ, prout ibi dictum eſt, & remedia juxta cauſarum exigentiam applicanda.

Si à calore debilitato, hic corroborandus cum *Decocto ex Saſſafras*, *Lentiſco a.* ℥. ß. *Rad. Zedoariæ*, & *Zinziberis a.* ℈. *ij.* adde *Aquæ Theriac.* ℥. ß. *M.* vel cum *Vino parato ex infuſione Abſinthi ad* ℥. *vi.* ante prandium per horas tres, vel in prandio, pro primo potu; vel cum *Extracto Baccarum Juniperi*, *cum Succo Abſinthi condenſ. a.* ℨ. ß. ſuperbibendo ℥. *iii. Aquæ Meliſſæ*, & ℥. ß. *Aquæ Cinam. Elix. propriet. Paracelſi ad* ℈. *i. cum pauco Vino generoſo*, ſummè valet; vel cum *Decocto Cinamomi*, & *Galagæ*; ſicut *Syr. de Cinamom. Pulvis ſtomatichus Querc. ad* ℨ. *i.* cum *Decocto granor. Juniper. Specul. Diambræ*, *Diamoſchi*, *Aromat. Roſ.* Vel

℞. *Pulv. Maſtic.* ℈. *i.*
Balſam. Peruan. gutt. iii. M. F. B. ſuperbibendo *Vinum generoſum*, vel
Syr. de Cinam. ℥. *ii.* cujus deſcriptionem *vide in Quercet.*

Vinum Hippocraticum, & *Spiritus Vini alteratus cum Nuce moſc. Macis*, *gran. Parad. gran. Juniper.* ſunt maximè efficacia ad calorem roborandum. *Aqua Tetutii*, more ſolito exhibita cum ſuo vehiculo, robur addit ventriculo, & calorem remittit deficientem. Extrinſecus *Cerat. ex Maſtice*, & *Taccamacca*; unctio ex *Ol. Nucis moſc.* & pauco *Balſamo*; fomentum ex *Foliis Abſinthii*, *Meliſſæ*, & *Lavendulæ in Vino generoſo coctis leni ebullitione paretur*, & *ventriculo apponatur*: *Pellis Vulturis*, aliarum pellium more præparata, ventriculi regioni admota, ventriculum mirificè corroborat.

Poſt cibum facilis digeſtionis, & optimi nutrimenti, & in moderata quantitate, *Pulv. Pepticus* ſumendus; ut

℞. *Co-*

℞. *Coriand. præpar.* ℥. ß.
Spec. Aromat. Roſ. ʒ. *ii.*
Sem. Fœniculi } *an.* ʒ. *i.*
Anethi
Nuci moſcat. } *a.* ʒ. ß.
Cort. Auran.
Sacch. ad pondus omnium.

ʒ. *i. hujus pulveris inſpergitur ſuper offam Panis, Vino generoſo maceratam, & poſt prandium ſumitur*; vel *Spir. Vini, Saccharo ad Julap. conſiſtentiam redacto moderatus ad* ℥. *i.* poſt cibum, vel ℥. ß. *Aquæ Cinam.* vel *Zinziber* conditum, vel *grana Juniper.* condita, vel *Roob* iſtorum, vel *grana Maſt. electi duo, vel tria* aſſumantur.

CAP. VI.

De Diſpepſia, hoc eſt depravata Concoctione.

Diſpepſia eſt *Ciborum corruptio, & in alienam qualitatem mutatio, vitio depravatæ fermentationis alimentorum.*

Dicitur *Corruptio ciborum*, hoc eſt degeneratio iſtorum in materiam inhabilem ad illum finem, ad quem deſtinantur à Natura, prævia eorum concoctione in ſtomacho.

Alimenta voluit Natura pro Animalis nutritione, & ad hanc diſponi media digeſtione in ventriculo; ſi ibi in materiam inhabilem nutritioni, ob malas qualitates ſuſceptas, degenerant, dicuntur corrumpi.

Dicitur *in alienam qualitatem mutatio*. Explicatur cauſa degenerationis, & corruptionis, quæ ſunt pravæ qualitates, quas alimenta in opere concoctionis acquirunt, quæ ad duas reducuntur, ad aciditatem, & nidorem, à quibus oritur cruditas alimentorum acida, & nidoroſa; ex quo patet differentia inter concoctionem diminutam, & depravatam; in illa nullum aliud adeſt in alimentis digeſtis vitium, quàm privatio illius perfectionis, quam alimenta à ventriculi actione exigunt, & per quam diſponuntur ad accipiendam perfecti ſanguinis naturam, & ad mutationem in partes viventes, & ad fruitionem vitæ, unà cum parte aucta, & nutrita, quòd eſt ſumma perfectio. In concoctione verò depravata alimenta, præter privationem dictæ perfectionis, malam habent qualitatem, vel acidam, vel nidoroſam. Harum qualitatum introductio in alimentis, dum concoquuntur à ventriculi fermento, & calore, dicitur *mutatio*, quia alimentum acquirit qualitates, quas non habebat, nec ei competunt, ideò dicitur mutatum.

Dicitur *vitio depravatæ concoctionis*, quia has malas qualitates aciditatis, & nidoris, per quas ineptum eſt nutritioni alimentum, contrahit à mala, & depravata digeſtione, quæ eſt fermenti, & caloris ventriculi opus.

Explicandum remanet, quid ſit cruditas nidoroſa, & cruditas acida, & quomodo generentur.

Cruditas nidoroſa, eſt illa, in qua alimenta in ventriculo nidore quodam, hoc eſt odore fœtido, inficiuntur, qualis eſt odor ovorum frixorum, piſcis putridi, & olei frixi, & ſapore amarulento depravantur, qualis eſt vini rancidi, & pinearum, nucum, amygdalarum, axungiæ, & lardi rancíditate contaminatorum, quæ non ſolùm ſaporem ingratum præbent, ſed pravum etiam, & fœtidum odorem exhalant.

Modum, quo ranciditas in alimento introducitur, deduco à conſideratione conditionis illarum ſubſtantiarum, quæ ranciditate noſtris ſenſibus manifeſta contaminantur: Primò oleoſæ, & oculis, & tactui apparent; ita nuces, pinei, piſtachia, olivæ, lardus, pinguedo, cum hac oleoſitate manifeſta molleſcunt, pluſquam ſuæ naturæ conveniat. Secundò, hæ ſubſtantiæ factæ pingues, & oleoſæ, ſulphure abundant, ideòque alendæ flammæ ſufficiunt; hoc manifeſtum fit in pinguedine, lardo, pineis, amygdalis. Tertiò, obſervamus has ſubſtantias, vel à calore, vel à diuturnitate temporis rancidas fieri.

Oleoſitas apparens in ſubſtantiis rancidis oſtendit primò oleum in dictis ſubſtantiis occultè latuiſſe, quia ante non apparebat, ſicut apparet in ranciditate; occultabatur, quia cum aliis particulis non oleoſis ſparſim interpoſitum erat, & cum iſtis arctè unitum, itaut nullum de ſui exiſtentia præberet ſignum. Secundò, ſi hoc oleum latens manifeſtum fit, ut ab unione prædicta diſcedat, & illius particulæ diverſis locis ſparſæ ad invicem conveniant, & inter ſe aſſocientur, neceſſe eſt, cum oleum exiſtens in dictis ſubſtantiis rancidis occultè, non poſſit alio modo manifeſtari ſenſibus; nulla enim nova generatio olei eſt admittenda. Oleum hoc modo diſpoſitum ſe ſpargit per totam ſubſtantiam rei, & dicitur oleum exaltatum in ea prædominari. Hanc ſeparationem, ſeu diſgregationem olei, ab aliis partibus, & congregationem, calor operatus eſt, rarefaciendo, diſgregando, & unionis particularum vincula laxando, quæ omnia efficit fermentatio interna particularum dictarum ſubſtantiarum temporis diuturnitate. Actio caloris eodem tempore ſalinas particulas, & ſeparat, & exaltat, quæ unitæ cum oleoſis, & fœtorem, & amarorem, cum ranciditate ſubſtantiæ impertiunt. Hic eſt modus, quo fit ranciditas in ſubſtantiis pinguibus, & oleoſis, nempè exaltatio partis oleoſæ, pinguis, vel ſulphureæ, cum exaltatione partis ſalinæ, & hæ duæ partes mixti exaltatæ, ſimul unitæ ranciditatem cauſant.

Idem modus determinandus in alimentis à ventriculo concoctis; ſi enim à calore ventriculi, vel circumſtantium partium oleoſa, pinguis alimentorum portio fundatur nimis, empyreuma ſuſcipit, & exaltatur, unà cum particulis ſalinis, & dominium utræque in maſſam chyloſam uſurpant, cum aliis unionem renuunt, & per totam chyli maſſam fuſæ perfectam mixtionem aliarum partium non ſolùm impediunt, ſed pravo, & fœtido odore, & ſapore amaro, reſultante ab unione particularum ſulphurearum aduſtarum, & ſalinarum, totam maſſam depravant.

A pingui parte alimentorum fieri cruditatem nidoroſam perſuadent omnia oleoſa dulcia, pinguedine abundantia, quæ in quantitate comeſta, hanc cruditatem ferè ſemper generant. A calore etiam pendere, colligitur à frebibus cum calore magno, in quibus frequens eſt hæc cruditas, & in crapula cum vini generoſi magna potatione ſemper obſervatur, ob calorem ventriculi auctum à calore cibi, & vini in copia aſſumpti. Fit quandoque à bile inverſo motu ad ventriculum delata, à qua non ſolùm fermenti digeſtivi acidi actio enervatur, ſed ſua actione, & corroſiva facultate partes pingues, & ſalinas exaltat, ex quorum unione nidor; hac de cauſa in bilioſis frequens eſt hujuſmodi cruditas nidoroſa.

Signa cruditatis nidoroſæ ſunt: flatus nidorem redolentes, calor ventriculi, propenſio ad vomitum, appetitus dejectio.

Cruditas acida eſt illa, ex qua maſſa alimentorum in ventriculo tota aciditate corrumpitur.

De hujus cauſa acriter litigant Medici; alii à calore, alii à frigore acidam cruditatem provenire contendunt. Hujus quæſtionis deciſio à dicendis reſultabit.

Certum eſt, & ab omnibus noſtræ ætatis Medicis admiſſum, digeſtionem alimentorum fieri ab acido ventriculi; hoc acidum, ſi præternaturale augmentum ſuſcipiat, itaut nimis acidum evadat, nemo negabit totam maſſam chyloſam ab hac aciditate nimia contaminatam iri, reliquiæ alimentorum craſſæ, quandoque in ventriculo commorantur diu, & ab iſtius plicis detinentur, ob moram facillimè aceſcunt, & aciditate ſuſcepta alimenta contaminant. De hac cruditate loquitur *Hipp. lib.* 3. *de Diœta n.* 4.

Hujuſmodi cruditas acida non pendet nec a calore, nec a frigore, ſed ab acido in maſſa ſanguinis exuberante materiam acidam copioſè ſuppeditante, fermento ventriculi, vel parti, in qua elaboratur in augmentum morboſum ſuæ naturalis aciditatis, vel à corruptis reliquiis alimenti per ſuſceptam aciditatem à ſola exaltatione acidi in illis exiſtentis, facta ab interna fermentatione ſuarum particularum, ſine caloris, & frigoris actione.

Fit cruditas acida, quando fermentum, & calor ventriculi debilis poteſt quidem diſſolvere alimenta, ſed ea

neque

neque volatilizare, neque perfectè miſcere, prout exigit naturalis chyli conditio; hinc ſal alimentorum fixum fluorem, non volatilitatem acquirit, nec ritè miſcetur, ſed acquiſito fluore, ſeu fuſione per totam maſſam diffunditur, eamque acore præternaturali corrumpit, quod contingit etiam quando maſsa alimentorum & diſsolvitur, & miſcetur optimè, ſed longo tempore in ventriculo detinetur, ob vitium fibrarum expulſioni ſervientium in hac detentione diuturna, & præternaturali chyli, iſtius pars craſſior, in qua ſal fixum conſervatur, quamdiù in ventriculo detinetur, tamdiù fermenteſcit, & à protracta fermentatione prædictum ſal exaltatur, & præcipuè ſecundùm particulas acidas hæ, exaltatione valdè activæ factæ, mixtionis vinculum rumpunt, & totam maſsam chyli pervadunt, & penetrant, & aciditate perfundunt; ſic Lac reſervatum, per breve etiam ſpacium aceſcit, & notatu dignum eſt, omnia alimenta reſervata putreſcere, & cum putredine acorem expirare; unde mirum non eſt, alimenta, ob diuturnam moram in ventriculo, aciditate nimia infici. Vitium fibrarum diuturnam moram cibis in ventriculo, inducens eſt laxitas illarum, per quam non valent tam citò contrahi, ut exigit cita, & naturalis expulſio illorum. Cruditas in primo caſu dicitur à frigiditate, non abſoluta, ſed reſpectiva, ob caloris defectum, per calorem intelligendo etiam fermentum: de hac frigiditate loquuntur Auctores, quando dicunt ab ea cruditatem acidam fieri, & quæ obſervatur in ventriculi languore, & debilitate. In ſecundo caſu poſſumus conſiderare pariter frigiditatem reſpectivam, quatenus mora cibi in ventriculo à vitio fibrarum inducta; correſpondet illi, ad quam fluida determinantur à frigiditate abſoluta in eis dominante.

Fit etiam cruditas acida, eo modo quo fit acetum. Si calori Solis vinum exponatur, brevi tempore in acetum tranſit, dum à calore Solis æſtuante, & ferveſcente vino tranſpirant, & exhalant ab eo partes ſulphureæ, & oleoſæ, & ſalinæ tartareæ acidæ, quæ ab illis frænabantur, & opprimebantur, exaltantur, & dominium in vino uſurpant, & vinum aceſcit; ita ſi ab excedenti calore ventriculi, & partium circumſtantium talis ſuccedat in alimentis fermentatio, ut ab eis expirent particulæ oleoſæ, pingues, ſulphureæ, & exaltentur ſalinæ acidæ, maſſa chyloſa aceſcit, dominium in ea exercente, parte ſalina acida; & hæc eſt aciditas, quæ à calore procedit, & quam experiuntur illi temperamenti calidi, & bilioſi. De hac locutus eſt *Hipp. in lib. de Aff. n.4.* ubi ait, *Pinguia, caſeoſa, & mellita, & ex Seſamo parata, ructum acidum maximè faciunt*. Hæc alimenta, & condimenta ſunt valida, & Hipp. ab iſtis ructum acidum, ideſt cruditatem acidam fieri docet, dum ab iſtis particulæ pingues, & oleoſæ dulces evaporant, & præcipuè à mellitis, his diſſipatis, remanet ex melle acidum corroſivum, quod aquam fortem æmulatur; tale etiam in Sacchαro obſervatum eſt à Chymicis, ab hoc acido ructus acidus; & hæc eſt differentia, quæ intercedit inter cruditatem nidoroſam, quæ ſemper eſt à calore, & cruditatem acidam, à calore pendentem; in hac diſſipantur, & abeunt particulæ oleoſæ, ſulphureæ, & remanent ſalinæ acidæ ſolùm; in illa remanent ſulphureæ, & ſalinæ, & ſimul miſcentur; unde concludo, acidam cruditatem, & eſſe à frigore reſpectivè, & à calore.

Signa cruditatis nidoroſæ ſunt, flatus cum odore ovorum frixorum, piſcis putridi, calor in ventriculo, ſitis, & nauſea.

Signa cruditatis acidæ, ut dixi, ſunt, ructus acidum odorem redolentes, ſaliva acida, roſio in ventriculo, quaſi ab aceto; quæ vomuntur, ſunt acida.

Signa ab acido fermento aucto, ſunt, fames aucta, aciditas in ore magis ſenſibilis, ante cibum dolores etiam ventriculi, & flatus eodem tempore, dum acidum à nullo moderatum vellicat membranas ventriculi cum moleſtia, & reſolvit mucum membranarum ventriculi in flatus.

Signa cruditatis acidæ à debilitate fermenti, & caloris, ſunt ſigna ventriculi debilis, gravitas à cibo, flatuum copia, dolores poſt quinque, vel ſex horas à cibo, & tunc temporis flatus cum odore alimentorum exeunt, itaut aliquando etiam poſt unam diem talis odor perſentiatur; appetitus diminutus, & poſt horas, in quibus ſolet perfici concoctio, ita ſe habent circa ventriculum, ac ſi tunc à menſa diſcederent.

Signa aciditatis à caliditate, adeſt ſitis, calor in ventriculo, flatus erumpunt calidi, manus, & pedes valdè incaleſcunt tempore digeſtionis, temperamentum bilioſum viget, vel præceſſit uſus alimentorum bilioſorum, & pinguium.

Signa prognoſtica ſunt, non eſſe ſymptoma lethale, ſed poſſe eſſe cauſam morbi lethalis, & chronici, & multi ſunt morbi, qui ab his cruditatibus originem trahunt.

Indicationes, & curatio, quæ reſpiciunt nidoroſam cruditatem, ſunt uniformes cum illis de ſiti deſcriptis, & præcipuè valet *Tinctura Florum Bellidis*, *& ejus Decoctum*, *& Tinctura Roſarum*, *& Santal. rubrorum*, *& Succi acidi*, *cum Aqua refrigerante*. Si à bile regurgitante ab inteſtino duodeno ad cavitatem ventriculi, hæc purganda, & moderanda acidis, & frigidis ſæpe recenſitis.

Quoad curationem cruditatis acidæ, ſi à longa mora cibi, vel reliquiis iſtius in ventriculo procedat, ob laxitatem ſuarum fibrarum à nimio humido, vel ob languorem earundem, exſiccandæ cum *Decocto Lentiſci*, *Saſſafras*, *Santal. Ligni Juniperini*, *Zedoariæ*, *Meliſſæ*, *Galangæ*, *Zinziberis*, præmiſſis ſuperfluam humiditatem purgantibus. Si à vitio acidi ventriculi, curatio eſt eadem cum curatione deſcripta de acido aucto in fame; inter omnia remedia præſtat *Elix. proprietatis Paracelſi*, *Aqua vitæ Matthioli*, *Pulvis ſtomaticbus Quercet. & ſpecificum ſtomaticum Poteri*, *Syr. Cinamomi*; *Aqua vitæ, cum infuſione aromatum*; poſt cibum bibat *Vinum medicatum*, *cum granis Juniperi*, *manè*, *& ſerò in menſa ad quantitatem unius cyathi*. *Uſus herbæ The*, *& Succolatæ* acidam cruditatem prohibet, Chinenſibus, & Japonenſibus medicina rara in hoc affectu.

Cruditas acida à calore, curanda, ſicut nidoroſa. Purgatio inſtituenda cum *Pilulis de Aloe*, *de Maſtice*, *Spec. Hier. Gal.* omni decimo quinto die ſunt proficuæ ad ſtomachum detergendum à cruditate; & ſi non ſit frequens, ſed interpollata, conſulo, ut quando adſunt ejus ſigna, purgatio præſcribatur cum dictis remediis.

CAP. VII.

De Vomitu.

Vomitus ſequitur cruditates, & iſtarum effectus ſæpiſſimè exiſtit. Definitur *Rejectio per ſuperiora*, *cum vi*, *& impetu ſenſibilis*, *palpabilis materiæ moleſtæ*, *& irritantis in ventriculo contentæ*.

Dicitur *Rejectio per ſuperiora*, *cum vi*, & eſt conſtitutiva eſſentiæ vomitus, quia omnis rejectio per ſuperiora, cum vi, & impetu, eſt vomitus, & vomitus eſt rejectio per ſuperiora, cum vi, & impetu; & Hipp. quando vomitum pro remedio imperat, utitur ſemper hoc modo dicendi, per ſuperiora purgandum. Eſt etiam eſſentiale diſtinctivum ab omnibus aliis evacuationibus, quæ per urinam, alvum, ſudorem fiunt; & ex eo quòd ſit cum vi, & impetu, diſtinguitur ab evacuatione, quæ fit per ſimplicem ſalivam, cùm hæc exeat ſine vi, & impetu; & ſimul oſtendit, non eſſe motum naturalem, hoc eſt, non eſſe motum ex naturæ proprio inſtinctu, & naturaliter agentis excitatum, cùm hæc quidquid propria determinatione agit, ſine violentia, & impetu agat; & ſi vomitum criticum excitat, non propria electione, ſed ab irritamento determinata excitat.

Hæc rejectio dicitur *ſenſibilis*, *& palpabilis*, ad differentiam rejectionis flatus per ſuperiora, quæ eſt rejectio, ſed non palpabilis; & per rejectionem palpabilem intelligimus materiam non aeream, ſed craſſam, corpoream, omnibus ſenſibus perceptibilem.

Dicitur *materiæ moleſtæ*, *& irritantis*, & aſſignatur cauſa vomitus, nempè irritamentum; ex quo deduco, vomitum eſſe motum depravatum ventriculi, quia fit à

mate-

materia irritante, & irritamento determinante naturam ad hunc motum per ſuperiora, ei minimè convenientem; motus enim ventriculi eſt ſemper deorſum, tam pro depuratione chyli in inteſtino duodeno, quàm pro expulſione fœcum per ſeceſſum, unde motus per ſuperiora, cùm non ſit naturalis ventriculo, ſed ab irritamento, erit motus depravatus; & licèt fiat vomitus mediante textura, & organizatione naturali ventriculi, nihilominus motus depravatus dicendus, non naturalis, quia hic fit ab organo, & à cauſa determinata à natura pro motione organi, itaut motus naturalis, hæc duo comprehendat. Vomitus fit quidem ab organo naturali, ſed non à cauſa naturali, cùm Natura nullum irritamentum ventriculo dederit ad motum iſtius ſurſum; dedit tamen organum ad hunc, ut cauſam morboſam irritantem iſtius ope expellere poſſet per ſuperiora, ſi per inferiora deſcendere renueret. Adeò provida fuit Natura pro conſervatione Animalis; ideò vomitus cùm determinetur à cauſa morbifica irritante, & ſit motus ventriculi ſurſum à Natura minimè decretus, & illi naturalis ſit, ſolùm motus deorſum dicendus eſt motus depravatus.

Hæc materia in ventriculo continetur, etiamſi vomitus fiat per conſenſum, vitio uteri, Hipochondriorum, Lienis, Pancreatis, bilis, & ſucci pancreatici, quia materia vitio iſtorum congregata, non poteſt ejici per vomitum, niſi in ventriculi cavitatem tranſmiſſione colligatur; etiam irritamentum vitio aliarum partium vomitum provocans, ventriculo debet imprimi, & membranæ carnoſæ figi, cùm hæc ſit principium omnium motuum ventriculi. Sic vitio renum, pancreatis multoties cibi vomitus provocatur, dum materia irritans ab iſtis partibus tranſmiſſa ſubſtantiæ ventriculi, & membranæ ejus carnoſæ imprimitur; idcircò tam materia excreta per vomitum, quàm irritamentum debet eſſe in ventriculo.

Sedes ergo hujus ſymptomatis eſt ventriculus, dum in iſto eſt materia excernenda, & irritamentum; non quælibet pars ejus irritata eſt cauſa vomitus, ſed ſolùm illa, qua irritata ventriculi fundus ad orificium ſuperius elevatur, cùm ſine tali vomitu, & diſpoſitione ventriculi, non poſſit fieri rejectio materiæ per ſuperiora.

Partem ventriculi affectam in vomitu colligimus ab obſervatione *Olai Rudhech citat. ab Etmull. in Diſſert. de Vomitu*, facta in Cane vivo diſſecto; per quam obſervationem apparuit primò pylori contractio, mox conſtrictio totius ventriculi, ab orificio inferiori ad ſuperius ſequebatur, ac tandem conſtrictio œſophagi materiam effundentis, pars primariò affecta in vomitu ab hac obſervatione demonſtratur eſſe orificium inferius ventriculi, quod contrahitur, & conſtringitur ad hunc motum: conſtrictione pylori conſtringuntur fibræ circulares nervoſæ circa ipſum orificium exiſtentes, & cum iſtis omnes fibræ circulares ventriculi tunicas intertexentes conſtringuntur; & quia hic motus conſtrictionis incipit à parte inferiori, & tendit ad orificium ſuperius, materiam in cavitate inferiori ventriculi contentam conſtringendo ad orificium ſuperius, ad quem tendit ille motus, impellit, & cum fibræ œſophagi circulares ſequantur motum illarum ventriculi, poſtquam materia pervenit ad orificium ſuperius, per conſtrictionem fibrarum œſophagi expellitur per os extra ventriculum. Ex quo patet, partem primò affectam eſſe orificium inferius oris ventriculi, in quo fit conſtrictio, & contractio convulſiva fibrarum illius circularium.

Ab his duo colligenda veniunt: Primò motum vomitus eſſe convulſivum, ideòque minimè voluntarium; vulnera capitis, dolores ejus, quandoque vomitum faciunt, ob conſenſum, quem membranæ cerebri habent cum nervis ventriculi, & illis motu ſpaſmodico cruciatis, etiam iſti laborant, & ab hoc motu vomitus; talem eſſe experientia jamdudum allata oſtendit; & licèt vomitus imperio voluntatis excitetur, pendet enim à membrana carnoſa ventriculi ad muſculi formam contexta, cujus munus eſt motus etiam voluntarius: & experientia eſſe voluntarium demonſtrat in multis, qui quotieſcumque volunt, vomunt; & vomitus voluntarii exempla habet *Bartol. cent.* 1. *Hiſt.* 39. ſed hæc non probant vomitum morboſum eſſe voluntarium; muſculi ſunt organa motus voluntarii, & tamen irritati motu involuntario moventur. Secundò colligitur differentia inter vomitum, & nauſeam; vomitus fit affecto orificio inferiori ventriculi, nauſea verò ſuperiori conſtricto, & contracto à motu ſpaſmodico, quod fit manifeſtum in nauſeantibus aliquem cibum, vel medicamentum; in his enim non liberè deſcendit per œſophagum cibus, vel medicamentum, ſed ſolùm cum violentia clauſuræ orificii ſuperioris, quæ ſuperatur, & ſi non ſuperetur, regurgitat ad os cibus, vel medicamentum, & ſi talis motus conſtrictionis orificii ſuperioris perſeveret, corripit fibras inferiores, & hoc prævalente vomitus nauſeæ ſuccedit.

Cauſa vomitus eſt irritans, ut dictum eſt, motum ſpaſmodicum efficiens in orificio inferiori ventriculi; hanc cauſam nos docuit *Hipp. lib. prognoſt.* dum ſcripſit, *vomitum imminere iis, quibus morſus ventris adeſt; & in lib. de Coac. prænot. n.* 1. *Vomitus fit, quibus oris ventriculi morſus cibi faſtidia; & lib.* 4. *aphor.* 17. ſancivit purgatione per ſuperiora indigere, qui cordis morſum (hoc eſt oris ventriculi) & amaritudinem oris ſentit; & *in lib.* 2. *de morb. n.* 71. ubi agit de morbo nigro, in quo adeſt vomitus, ait, *Nigrum vomit velut fæcem* (quæ ſemper in quolibet mixto eſt acris, quia in hac ſal fixum reſervatur, & ab iſtius acrimonia vomitus excitatur) *quandoque acre velut acetum, quandoque bilem cum virore pallidam*; iſti humores ſunt irritativi, ideòque vomitus excitativi; & *n.* 72. de alio morbo nigro agens; ait: *Et poſt vomitum totum corpus dolet, aliquando verò antequam vomat;* dolor irritamentum præſupponit, & contractionem ſpaſmodicam: quapropter laxitas fibrarum ventriculi, & debilitas ejuſdem excluditur omninò à cauſa vomitus.

Irritans ſunt humores acres, mordaces, corroſivi, bilis atra, de qua locutus eſt *Hipp. cit. n.* 71. *lib.* 2. *de morb.* ubi ait: *Et ubi quidem nigrum cruentum evomerit, cadaveris fœtorem infert, & fauces, & os à vomitu aduruntur, & dentes ſtupent, & id quod vomitu rejectum eſt, terram elevat.* Omnes iſtæ qualitates atram bilem exponunt, ideſt melancholiam maximè acidam factam, & ſummam acrimoniam ab aucta aciditate habentem; *In eod. text.* acidum acre cum vomitu nominat, & bilem, quam in vomitu recenſuit *in n.* 72. & 73. itaut per Hipp. ſtatuendum videatur acidum acre, & corroſivum, & acre bilioſum eſſe irritans vomitum efficiens: in humoribus præternaturaliter alteratis hæ qualitates irritativæ reperiuntur, ut unicuique patet, ideoque cauſæ vomitus exiſtunt.

Nec abeſt irritamentum in vomitu à ſcirrho pylori, ut obſervavit *Salmut. cent.* 1. *Hiſt.* 20. & ex callo in regione pylori, ut narrat *Bertol. cent.* 6. *obſerv.* 47. ex ſteomate in utroque orificio adnato, quia iſta premendo fibras ventriculi ſuo pondere irritant, & impediendo exitum alimentis, iſti ob moram contracta qualitate acri irritant; ubi verò adeſt ulcus ventriculi, certum eſt irritamentum, quod excedens obſervavit *Panarolus. pentec.* 1. *obſerv.* 43. in ventriculo.

Hujuſmodi irritamentum eſt in humoribus excrementitiis, cùm in naturalibus irritamentum vomitivum non reperiatur. Hi humores vel in ventriculo generantur ab errore externo, & præcipuè ab alimentis acribus, vel ſalſis, vel acidis valdè, vel à prava illius digeſtione, vel à bile ab inteſtino ad ventriculum aſcendente, vel à ſaliva acri, & irritativa; vel tales humores à maſſa ſanguinis ſegregati per arterias ad cavitatem ventriculi deferuntur.

Differentiæ vomitus magis conſiderandæ ſunt illæ, quæ deſumuntur à ſpecie, & differentia humoris, & à vomitu per eſſentiam, & per conſenſum, quia iſtæ variant curationem.

Signa præſentis vomitus ſunt manifeſta, & natura humoris ab excretis colligitur. Signa alia *vide lib.* 2. *de morb. n.* 71.

Signa cauſarum à natura, & conditione humoris excreti, partes affectæ à propriis ſignis affectionum, quibus afficiuntur, dignoſcuntur.

Prognoſtica, complexus eſt *Hipp.* in una ſententia *in lib. prognoſt. Vomitio utiliſſima eſt, ſi pituita, ac bile permixta, quam maximè eſt: ſi non multa, non craſſa eſt, ſincerior enim deterior eſt, mala quoque eſt, ſi porracea,*

aut

aut livida, aut nigra fuerit; & ſi idem homo omnes vomat colores, lethale eſt; livida, ſi grave olet, ocyſſimam indicat abolitionem; tandem omnis putridus, & fœtidus odor, in omni vomitione malus eſt.

Pro curatione perfecta vomitus, differentias iſtius à diverſitate peccantis humoris deſumptas conſidero, & primò textum Hipp. *in lib. 2. de morb. n.* 71. deſcriptum, explicandum aſſumo, in quo agit de curatione vomitus ab atra bile, ubi hæc habet:

Nigrum vomit velut fœcem, quandoque cruentum, quandoque velut vinum ſecundarium, quandoque velut polypi atramentum, quandoque acre velut acetum, quandoque ſalivam, & pituitam, quandoque bilem cum virore pallidam; & ubi quidem nigrum cruentum vomerit, cadaveris fœtorem refert, & fauces, & os à vomitu aduruntur, & dentes ſtupeſcunt, & id quòd vomitu rejectum eſt, terram elevat, & poſtquam vomuit paululum melius ſe habere putat, & neque ſine cibo eſſe, neque ampliorem cibum ferre poteſt. Verùm ubi ſine cibo manet, viſcera ſugunt, & ſalivæ acidæ ſunt. Cùm verò cibum accepit, gravitas in viſceribus eſt, & pectus, ac dorſum velut ſtylis pungi videntur, & dolor tenet latera, & febris debilis eſt, & caput dolet, & oculis non videt, & crura gravantur, & color niger eſt, & conſumitur.

Vomitum à toto in hoc textu Hipp. delineare; febris lenta, mutatio coloris in corpore, macies ejuſdem ſatis clarè demonſtrant, cùm à ſanguine in ſuis principiis læſo, & excrementorum redundantia depravato pendeant prædictæ affectiones. Symptomatis longa duratio, & remediis contumax reſiſtentia, in ventriculi primò læſi affectibus valdè rara, idem confirmant.

Sanguinis maſſam à copia melancholiæ depravati humor acidus velut acetum, dentes ſtupefaciens perſuadet, cùm à Medicis communiter pro melancholia hujuſmodi humor accipiatur; color niger velut atramentum, melancholiæ proprius, vel rubor fuſcus, qualis in ſanguine extravaſato cernitur, à quo humor tinctus dicitur cruentus, licèt nullam ſanguinis mixtionem admittat, idem perſuadet. Melancholiam eſſe atram, probat acrimonia illius, qua fauces, & os aduruntur, & fermentatio terræ, ſi ſuper hanc cadat, quam acria pariunt.

Hujuſmodi humor, ſanguini commixtus, media circulatione ab arteriis in ventriculi glandulas deponitur, & ab his in cavitatem illius, & poroſitates fibrarum depluit, à cujus acrimonia hæ irritatæ inſito conatu per vomitum expellunt irritantem humorem, cum diminutione afflictionis ab humoris acrimonia inflictæ: Hæc augetur, niſi à cibo demulceatur, ideò ſine hoc ſtare non poteſt, & à famis irritamento talis copia humoris acidi ad ventriculum invitatur, ut ſalivæ acidæ ob ore fluant, vel ob vapores hujus humoris illi commixtos, vel portione illius ad fauces aſcendente vi motus periſtaltici œſophagi; à frequenti vomitu, & prava humoris qualitate debilitatæ fibræ ventriculi, niſi cum moleſto ſenſu gravativo cibi pondus tolerare valent, hujuſmodi moleſtia partibus ventriculi ſubditis facilè communicatur. *Pectus, dorſum pungitur, & latera dolent*, quia irritamentum nervorum ventriculi fit commune nervis iſtarum partium, ſtante connexione inter iſtos intercedente. *Caput dolet, & oculis non videt*, quia ab acrimonia humorum, vel vaporum membranæ cerebri, nervi optici, & retinæ punctæ irregulariter moventur, ab irregulari motu viſus defectus, quem efficiunt etiam vapores ſpiritus animales in oculo obfuſcantes. *Crura gravantur* à virium debilitate, quam omnis ſanguinis depravatio efficit, à qua macies etiam, & febris, cùm dicti humores pravi fermenti febrilis naturam adepti ſint. Vomitum ſcorbuticum, & hypochondriacum ad unguem delineare videtur Hipp. qui tamen etiam à ſimplici atrabile fieri poteſt, maximè in ætate juvenili, cùm dicat Hipp. hunc vomitum cum ætate aufugere; *& in lib. de nat. hum. n.* 12. ait, *atrabilem infeſtare à* 25. *anno ad* 40. *& Autumno.*

Prima indicatio ab Hipp. elicita in hujus morbi curatione, eſt humorem melancholicum ſummè acidum purgare, dum ait: *In principio curationis Pharmacum* (hoc eſt medicamentum alvum ſolvens) *bibendum dato frequenter*, quia, ut dixi, hic morbus originem habet à maſſa ſanguinea, & purgationem iſtius per frequentes evacuationes intendit. Hoc verbum *frequenter*, importat evacuationem epicraticam; nam frequentes evacuationes validas, & copioſas natura non ſuſtinet, & documentum eſt in omni excrementorum redundantia, qualis reperitur in deſcripto morbo, non eſſe vehementer purgandum, ſed blandè, & per iteratas vices; multitudo enim humorum, cùm non poſſit unica vice evacuari, opus eſt per iteratas vices ejus evacuationem abſolvere, & cum minori virium reſolutione. Talis purgatio videtur convenire, ratione revulſionis, quia ſicut in alvi fluxu vomitus pro revulſione ex Hipp. conſilio provocandus, ita in vomitu pro revulſione alvus purganda.

Tale medicamentum eſſet noſtris temporibus *Diacatol.* ℥. v. *Conſ. Amech* ℨ. iii. Vel ℨ. i. *Pil. Aggregat. & ſine quibus* ℨ. ß. *F. Pil.* Vel *Syr. de Polyp. ſol.* ℥. iii. *Mel Roſ. ſol.* ℥. ii. *diſſolvantur in Aqua Boraginis, vel cum Aqua Meliſſæ.* Vel *Syr. Magiſt. ſol. præparetur cum alterantibus humorem melancholicum, & eumdem purgantibus, in ea doſi, per quam poſſit obtineri blanda purgatio*; ſi æger viribus polleat, omni die poteſt aſſumi tale medicamentum, uſquequo appareat redundantia humoris atrabilaris valdè diminuta; ſi verò debilis ſit æger, omni tertia die reiteranda purgatio, vel omni quarta pro virium reſiſtentia, & pro anni tempore.

Secunda indicatio eſt humores attemperandi, pro qua exhibet Serum, & Lac; humorem enim atrabilarem hæc efficaciter attemperant, & præcipuè ſi Sero addantur *Succi Pumorum, Boraginis, Bugloſſæ, Malvæ*. Vel ſi tam Serum, quàm Lac diſtillentur cum herbis *Malvæ, Parietariæ, Violariæ, Hordeo, Liquiritia, Sebeſten, Alchechengi, Pſyllio, althea*, & ſimilibus; iſta contuſa infunduntur in Lacte, vel Sero per diem, poſtea diſtillentur, vel Succi herbarum Lacti, & Sero addantur, & diſtillentur, & hæc exhibeantur per longum tempus.

Advertendum tamen Lac exhiberi poſſe etiam pro purgante, & præcipuè *aſininum* coctum ad libras quatuor, vel quinque in qualibet ſeptimana unà vice, nam humorem præparatum hoc modo blandè educemus.

Duo dilucidanda remanent in uſu Lactis: primum quantitas, ſecundum tempus opportunum, quod memorat *Hipp.* dicendo, *Et pro anni tempore, & ſerum, & lac.* Quoad primum, quantitas limitetur à libra una ad duas, ſi pro alterante ſumatur; quoad ſecundum, tempus magis opportunum anni eſt Ver, & Autumnus, ſecundùm communiorem ſententiam.

Abſtinere *à dulcibus, & oleoſis* imperat, quia atram bilem acido occulto fovent. Dulcia acidum in ſe continere docet aqua, ſeu ſpiritus acidus corroſivus, qui à Melle, & Saccharo diſtillatur, & quo utuntur Chymici ad eliciendam tincturam Corallorum, quæ potius eſt corroſio. Oleum habere acidum occultum, docet *Techenius in ſuo Hipp. Chymico*. *A frigidiſſimis abſtinendum* monet *Hipp.* nam *nimium frigida exſiccant*, ut ait *lib.* 1. *de morb. & lib.* 6. *de morb. popul. ſect.* 5. *Frigus indurat, quæ in ventre ſunt*; quo verò ſiccior evadit atrabilis, eò acrior fit: prohibet etiam frigidiſſima, quia *in lib. de fiſtul. n.* 6. *quæ frigefaciunt fluere prohibent*; & ſi à frigidis fixetur bilis in ventriculo, & inteſtinis, ſphacelum, & gangrenam facit.

Cibos per alvum ſubeuntes laudat, quia hi alvum lubricam ſemper tenent, & atrabilis continuò evacuatur; tales cibi etiam temperant humorum acrimoniam humido, quo laxant.

Tertia indicatio eſt *caput purgandi*; videtur ſine ratione hujuſmodi conſilium purgandi caput in hoc vomitu ab atrabile; ad quid enim purgare caput, cùm ventriculus, & maſſa ſanguinis ſint vitiati? Sed hæc ſunt conſilia, quæ Hipp. Divinitatem conceſſerunt, quia humani ingenii capacitatem tranſcendunt. Ratio hujus magni, & admirandi conſilii latet in ſententia ſcripta *in lib. 2. de morb. n.* 6. *Cum atrabilis in capite commota fluxerit, maximè in partem, in quam ſunt plurimæ venæ, in collum ſcilicet, ac pectus, derepentè dolet caput, & ſtatim vox intercipitur, & ſui impotens hic fit, in ſeptem diebus moritur, ſi febris non invaſerit.*

rit. Si à prædictis remediis non ceſſerint ſymptomata prædicta, & atræbilis generatio impediri non poſſit, ad evitandum periculum in hac ſententia enunciatum purgandum caput. Addo alteram rationem: Poſt peractas frequentes purgationes lenes, vomitivum exhibet, à conatu vomitus vaſa ſanguiflua in capite replentur, & hujuſmodi repletio, redundante atrabile in maſſa ſanguinea, eſt periculoſa; ideò purgatione capitis vaſa exinanire tentat, ne à ſubſequente reiterato vomitu caput atrabile repleatur; purgat verò caput, & medicamento purgante, *Hypophacis ſucco*, aut *Cnidio grano*, & etiam medicamento naribus appoſito, ut *in l.* 2. *de morb. n.* 48. *& in lib.* 2. *de morb. Mulier. n.* 22. pro purgante ſpecificum capiti, ut eſt *Helleborus niger*, eligendum, & pro nare *Succus Betæ*, *& radicis Cyclaminis*. In hoc caſu purgationem capitis per nares eligere deducitur ab imperato vomitivo poſt capitis purgationem; à vomitivo caput purgatur, attenta conſuetudine Hipp. utendi pro vomitivo medicamentis validis, quale eſt *Helleborus albus*, quo ferè ſemper utitur Hipp. unde videtur ſuperflua non ſolùm purgatio capitis per medicamentum purgans, ſed etiam periculoſa, ob duo medicamenta valida, quæ eſſent exhibenda parvo interpoſito tempore, unum pro purgando capite, alterum pro vomito excitando.

Quartò. Poſt purgationem capitis vomitiones purgantes imperat, pro integra ventriculi emundatione. Adnotanda ſunt Hipp. verba, *Et poſt medicamentorum potiones ſurſum purgantes*, quæ denotant reiterationem vomitus; ideòque lenibus vomitivis hunc eſſe promovendum monet, cùm valida, & frequentia vomitiva natura etiam robuſta ſuſtinere non valeat. Inter hæc ſunt *Decoctio corticis radicis Raphani*, *florum Camomillæ*, *Aſarum* ʒ. *i.* exhibitum, *Sal album Vitrioli ad* ʒ. *i.* Debetur purgatio per vomitum ventriculo, ut humores, qui blandis medicamentis purgantibus reſtiterunt, evacuentur, & quia vomitu totalis depletio ventriculi habetur, ideò etiam eo affecto, ut in caſu noſtro, vomitus maximè neceſſarius; & quia ob ejus pravam affectionem quotidie congregat, & recipit excrementa, ſæpe etiam vomitus promovendus.

Attenta conſideratione ponderandæ ſunt cautiones, quibus utitur Hipp. in vomitu promovendo. Prius redundantiam humoris minuit purgatione, ne cum vomitivo humorum raptus furioſus ad ventriculum ſuccedat; attemperat humores, ne ſua corroſiva qualitate noceant parti, per quam ſunt evacuandi; caput purgat, ut iſtius vaſa depleta, ſine detrimento excipiant illam ſanguinis atrabilaris quantitatem, quæ in conatu vomitus ad illud impelletur. Tot præcautiones præmittit Hipp. ad vomitum excitandum in vomitu atrabilari, quæ accipiendæ ſunt etiam pro moderatione ſuæ ſententiæ *in lib. de loc. in hom. n.* 51. *Vomitus vomitum curat*, dum priuſquam partis affectæ curationem aggrediatur, vomitui univerſalia cum tanta circumſpectione præmittit, quo præcepto indigent Medici noſtri temporis, qui, ſine ulla præcautione, vomitum in quolibet caſu promovere non formidant, audaces facti ab illa ſententia *Hipp. cit. de loc. in hom.*

Quintò. Vomitu excitato, *de manibus ſanguinem detrahito*, *ſi non fuerit æger debilis*. Hujus remedii indicans non apparet, ſed contra indicans, nempè vitium humoris excrementitii atrabilaris, plenitudinis vaſorum abſentia; deplevit enim vaſa frequenti purgatione, & vomitus excitatione. Indicans miſſionem ſanguinis poſt vomitum expoſuit. *Hipp. lib.* 3. *de Diæta n.* 8. his verbis: *A vomitu os*, *& fauces vino auſtero colluantur*, *quo oſcula venarum conſtringantur*, *& nihil retrahant*, *ut à vomitu fieri ſolet*; in vomitu ergo aperiuntur ora venarum, & humoris motus determinatur à vomitivo ad ventriculum, & per aperta orificia ejus talis motus augetur; ad reprimendum hunc motum imperat Hipp. miſſionem ſanguinis, quia adeſt indicans motum ſanguinis moderandi, & alio avertendi, ne vomitus nimius excitetur; cum hac cautela tamen admittit hoc remedium, ut æger non ſit debilis; in omni enim miſſione ſanguinis conſiderandæ vires *à cit. ſententia lib. de Diæta*, colligo corroborantia eſſe exhibenda, quæ etiam æquivaleant *Vino auſtero*, Vinum ſuo calore calorem ventriculi à morbo, à vomitu debilitatum reſtituit; *auſtero ſapore* adſtringit; calida, ſed temperata conveniunt etiam ubi peccat bilis, ad reficiendos ſpiritus reſolutos; cum adſtringentibus verò miſceantur ad corroborationem, ut

℞. *Succi Cydoniorum* ℥. *i.*
cum ℥. *i. Confect. ex Hyacintho.*
Vel
℞. *Tinctura Corall.* } *a.* ʒ. *i.*
Julap. gemm.
cum Aqua Menthæ ℥. *ii. miſceantur.*
Vel
℞. *Eboris ſine igne parati* ℈. *ii.*
Rad. Biſtortæ ʒ. ß.
Corall. rub. ℈. ß.
cum Vino Granatorum exhibeatur.

Si alvus nòn egerat, *molli infuſo per Clyſterem excitanda*. Maximam curam in curatione hujus morbi cum vomitu habet de purgatione per inferiora, cùm ab hac impediatur illa per ſuperiora, & eſt magnum nobis præceptum.

Poſtquam expoſuit Hipp. quid agendum in hoc morbo, innuit quod non eſt agendum. *Abſtineat ab ebrietatibus*, quæ excrementorum generationi ſerviunt; *à coitu*, quia debilitat, & in hujus remedium, *ſi cojerit*, *fomentum jejuno ægro* proponit, à quo corroboretur; hujuſmodi fomenta, *pro uſu Hipp.* ſunt lotio cum aqua calida totius corporis, ſed quia inferiùs aquæ calidæ lotionem prohibet, admittenda ſententia *Hipp. in lib. de affect. n.* 39. *Quibus lavari non convenit*, *ungantur vino*, *& oleo calido*, ideſt tepido, *& alternis extergantur* (hoc eſt, modò oleo, modò vino extergantur.) Fomenta etiam ventriculi regioni applicanda; à coitu enim hæc pars ſummè debilitatur. Fomentum cum corroborantibus adſtringentibus parandum, ut cum *Mentha*, *& Roſis ſiccis in vino coctis*, *& applicatis*. *A Sole abſtineat*, *neque multùm ſe exerceat*, *neque deambulet*, *neque calida lavet*, *neque acria edat*, *neque ſalſa*; hæc enim omnia acrimoniam atræ bilis augent, vel illam movent.

Alium vomitum deſcribit *Hipp. lib. cit.* 2. *de morb. n.* 72. *Subfulvus*, *& gracilis*, *& oculis cum virore pallidis ſit*, *& tenuem cutem habet*, *& debilis ſit*.

Hic eſt habitus corporis, non naturalis, ſed acquiſitus, per morboſam diſpoſitionem illius, qui à ſequentibus ſymptomatibus affligitur, & bilem inſpicimus prædominantem à calore ſubflavo, ab oculi cum virore pallidis, ab habitu gracili (bilis enim prohibet, ne corpus impinguetur, ob ſui amaritiem, *dulci enim*, *& temperato nutrimur*) & debili: magnus calor à bile excitatus copioſam tranſpirationem promovet, per quam plus diſſipatur, quàm per quotidianum alimentum remitti poſſit, & ab eodem calore dilatati pori, tenuis cutis, ut loquitur textus, & facili, & copioſæ tranſpirationis ſerviant, & caloris interni ſummæ diſſlationi, à quibus æger maximam debilitatem patitur.

Et quando magis morbus progreditur, *tantò magis morbus affligit*, quia bilis magis deſævit, & ejus copia creſcit. *Et vomit omni tempore velut ſtillamentum modicum* (hoc eſt guttatim, vel fili inſtar materia per vomitum excernitur) *ad duorum poculorum parvorum menſuram exiens*. Continuò exit ab ore hoc ſtillamentum, & materia exiens unius diei ſpatio non excedit duorum parvorum poculorum menſuram; hunc humorem à ventriculo ad os tranſmitti, & per vomitum connotat Hipp. per verbum *vomit*; vomere enim eſt materiam in ventriculo contentam per os expellere, cum aliquo conatu, & multi obſervantur, quibus continuò ſtillamentum hoc exit ab ore. Cujus cauſa eſt, vel ſerum in ventriculo exundans, vel humor tenuis, non ſolùm fibras iſtius, ſed œſophagi implens; hic qualitate, vel quantitate irritativa motum periſtalticum dictarum fibrarum naturaliter à parte ſuperiori ad inferiorem tendentem immutat, fibrarum motum determinando dicta qualitate, vel quantitate à parte inferiori ad ſuperiorem, cum quo humor ſeroſus in ſtomacho redundans, à cavitate ventriculi ad fauces per œſophagum fertur, eo modo quo bilis in inteſtinum duodenum confluens ſua acrimonia mutando motum periſtalticum inteſtinorum retrahitur à motu deorſum, ad quem

naturalem habet inclinationem, & ad motum ſurſum cum violentia determinatur, à quo bilis in ventriculi cavitatem impellitur. Ab hac cauſa pendet *vomitus cibi*, *cum bile*, *& pituita mixtus*, ut ait Hippocr. & irritantis naturam ab his verbis comprehendimus, nempè bilem, quæ differentiam hujus vomitus à præcedenti, qui ab atrabile pendere diximus, oſtendit; & tale eſt irritamentum bilis, ut à pituita illi mixta non modificetur; imò pituita, etiamſi craſſa, à bile attenuatur, retenta aliqua craſſitie, ut fiat ſerum craſſum, quod inſtar ſtillamenti craſſi ab ore exit. *Poſt vomitum dolet totum corpus*, ſunt verba Hipp. (ſuperiùs dixit ægrum eſſe debilem, huic debilitati, & languori adjunctus conatus vomitus, quo membra quaſſata concuſſione defatigantur, & dolent, eo modo quo membra dolent à labore defatigata) *aliquando etiam antequàm vomat* (ideſt dolet corpus etiam ante vomitum, dum materia, quæ facit horrores, quos in ſubſequentibus verbis deſcribit, eſt irritans, à qua dolor etiam fit) *& horrores tenues* (horror fit, vel à materia irritante per membranam carnoſam diſpetſa, vel nervos ventriculi afficiente, & cum iſtis totum nervorum genus compatiente; ab iſtorum affectione horror, ut experimur in acrium ciborum aſſumptione, & in potu liquoris generoſi, & pungentis, & præcipuè Spiritus Vini, poſt cujus potum brevis horror totum corpus concutit) *ac febris tenet*, ob rationem dictam in commento ſuperioris textus; *& ad dulcia, ac oleoſa maximè vomit*. Dulcia, & oleoſa bilem augent, hac aucta irritamentum augetur, unde vomitus.

Hunc medicamentis ſurſum, ac deorſum purgare oportet, ſed cum cautionibus ſuperiùs dictis, ut præcedant purgantia, & poſtea vomitiva, & juxta materiæ abundantiam, virium robur repetenda; *& lac aſininum poſtea præbere* bibendum jubet, ad attemperandam acrimoniam bilis; & pituitæ, & ad ducendum humorem peccantem per vias urinæ, & alvi, ut dicta materia revellatur à ventriculo. Attemperationem humoris irritantis *cibis* augere tentat *molliſſimis*, *& frigidis* (non frigidiſſimis) *Piſcibus litoralibus*, quia ſaniores cenſentur, *& cartillaginei generis*, *Betis*, *Cucurbitis*, *& carnibus tritis*; omnes iſti cibi ſunt facilis digeſtionis, & bilem attemperant, ideò etiam bili peccanti convenient, ſicuti *vinum aquoſum*, in quo aqua ſuperat vini quantitatem. *Labore*, *& deambulatione utatur*, ſed moderatè, prout admiſit ſuperiùs. Prognoſticum addit: *Verum morbus lethalis quidem*, *non autem cùm ſeneſcit*.

Obſervatione dignum in his duabus curationibus vomitus, ſola purgatione, vomitu, & attemperatione humorum Hippoc. uti, quæ confirmant propoſitam ſententiam de cauſa vomitus, ſtabilientem eſſe irritamentum; & curatio ab Hippoc. delineata confirmat; nam purgatio humoris, & attemperatio illius irritamenti totam complet vomitus curationem, nulla habita conſideratione de ventriculi debilitate, & ſuarum fibrarum laxitate, ad quam alſqui cauſam vomitus reducunt, quæ corroborantia expoſcit, & de his nullam facit mentionem Hippocr. neque adſtringentia admittit, & ſolùm à vomitu *in cit. lib. de Diœta*, hæc approbat, & blanda, inter quæ eſt vinum auſterum, & hoc utitur ad ſimplicem collutionem oris, & faucium, & à vomitu, hoc eſt ſedato vomitu, vel valdè diminuto, præcedentibus purgatione, vomitu, & attemperatione; & ſi adhuc, his præmiſſis, perduret vomitus, adſtringentia adhibenda modo ſuperiùs dicto, quia tunc inſurgit ſuſpicio venarum apertarum, cui conſtrictione occurrendum.

In hac Hippocratis doctrina agnoſcant errorem ſuum Medici, qui in vomitu primis diebus adſtringentia, & valida exhibent, & languorem, & debilitatem ventriculi cauſam vomitus exiſtimantes, corroborantia inutiliter præſcribunt; & diſcant, totam curationem vomitus conſiſtere in purgatione, vomitu, & attemperatione humoris pravi irritantis.

Verum quidem eſt, quòd ſedato vomitu, plerumque languor ventriculi obſervatur in depravata concoctione alimentorum, & cruditatum generatione, & tunc conveniunt medicamenta iſtis affectibus ſuperiùs aſſignata; pariter ſi laxitas fibrarum ventriculi poſt ſedatum vomitum dignoſcatur à gravitate ventriculi, poſt cibum corroborantibus auferenda, quæ temperatè calefaciant, & exſiccent, & adſtringentibus ad ſuam conſiſtentem texturam reducendæ fibræ. Ad hoc valet *Decoctio Tormentillæ*, *Menthæ*, *Meliſſæ*, *cum Succo Cydoniorum*, *vel Vino Granatorum*, *vel cum Spiritu Vitrioli*, *& Salis dulcificato; Pulvis ex Maſtice ad* ℈. *i.* ß. *Bol. Arm. Terræ ſigill. Corall. præp. a.* ℈. ß. *cum Aqua Citri*, *vel Theriacali*, ſed hæc in utroque exhibenda, non pro vomitus curatione, ſed pro curatione ſymptomatis à vomitu relicti.

Hac methodo quilibet vomitus curandus, ſi ab humoribus, quia quicumque peccet humor irritando efficit vomitum, & ſola attemperantia indicat, & irritamentum humorum eſt vel in acido, vel in amaro, & ſalſo bilis; ſi verò à ſcirrho, vel callo, vel ulcere, vel tumore vomitus pendeat, incurabilis eſt. A veneno ſi fiat vomitus, veneni natura cognita, alexipharmaca opponenda.

C A P. VIII.

De Vomitu Sanguinis.

NOn ſolùm excrementa, & alimenta aſſumpta per os, cum vi, & impetu rejiciuntur, ſed etiam quandoque *ſanguis*, & dicitur vomitus *ſanguinis*, cujus ejectio eſt toto genere præternaturam, etiam ratione loci, cùm Natura decreverit ventriculum receptioni, & digeſtioni alimentorum præſidere, non expulſioni ſanguinis.

Cauſa poteſt reduci ad irritamentum, tam reſpectu effuſionis ſanguinis à ſuis vaſis in ventriculi cavitatem, quàm reſpectu rejectionis ab hac per os. Non egreditur ſanguis è vaſis, ut transfundatur in ventriculum, niſi vel aperto orificio alicujus arteriæ, vel rupta arteria, vel vena (ſanguinis fluxum per tranſudationem puto fieri non poſſe in ullo caſu, licèt hæc cauſa ſit communiter acceptata) quæ duo irritamentum ſupponunt.

In quo conſiſtat hoc irritamentum, colligere poſſumus ab *Hippocrate in lib: 2. de morb. num. 5.* ubi loquendo de morbo, quem cerebri corruptionem appellat, in quo ſanguis è naribus fluit, & per os cum vomitu rejicitur, ait: *Cùm igitur calefactæ fuerint venæ in capite à cerebro*, *& ſanguis in ipſis efferbuerit*, *diſtribuunt ipſum ad nares*, *& os*; dicitur ſanguis diſtribui, quia ad has partes fluit, & quia ab iſtis exit. Ab hac ſententia colligitur, fluxum per nares, & rejectionem per vomitum ſanguinis cauſari à ſanguinis fervore, & effervescentia; hæc autem non ſemper fluxum ſanguinis parit; nam in febribus, ubi adeſt magna effervescentia, non obſervatur, niſi raro, fluxus ſanguinis ab aliqua parte, ſed ad hoc ut à fervore ſanguinis efficiatur fluxus, neceſſe eſt diſponatur ſecundùm conditiones, quas recenſet *Hippoc. in lib.* 1. *de morb. num.* 17. agendo de vena convulſa, ubi ait, *Fit varix*, & ſubjungit, *craſſeſcit ſanguis*, *& multipliciter* (ſupple multiplicatur) *ipſe ſe ipſo ea parte*, *qua convulſa vena eſt*, *& morboſior fit*, *& amplius ſtabilior*, *& cùm copioſior factus fuerit*, *plenitudo ipſa tranſmigrat*, *quocumque tandem contigerit*.

Si contingat venam, vel vas ſanguineum varicoſum fieri ſanguinem in ea craſſeſcere, ex quo ſtabilior evadit, & ſtagnantem evadere neceſſe eſt, præ copia, ſanguinis plenitudo in hoc vaſe colligitur, quæ ſi fermentationem inordinatam, & fervorem concipiat, impetum, & vim acquirit, quo vas disrumpit, vel ejus orificium reſerat, & extra vas erumpit, eo modo quo vinum fermentans in dolio clauſo, ejus ſpiritus multiplicatus, eique prohibito exitu, tantam vim concipit, ut lignum, & ferramenta etiam ſolidas disrumpat, cum effuſione vini. Si ſanguis ſtagnet in varicibus alicujus partis, ut impleantur, ſuperveniens multitudini collectæ ſanguinis effervescentia, quæ ſanguinem ſtagnantem rarefaciat ſpiritibus, & fuliginibus, vim, & impetum impertitur, & ſi nullus pateat locus tranſpirationi ſpirituum, & fuliginum, nec via naturalis, per quam rarefactus ſanguis fluere poſſit, aperiatur, neceſſe eſt, ut ab impetu, & vi ſupradicta ſpirituum, & fuli-

fuliginum directò in vas ſanguinem continens diſrumpantur, vel orificium ejus aperiatur, & ſanguis è vaſe effluat. Hic impetus, hæc vis eſt irritamentum, nec poteſt dari fluxus ſanguinis, niſi cum iſtis conditionibus deſcriptis ab *Hippocr. in cit. duob. loc.* & ſi ſanguis impetum concipiat, & efferveſcat, ſi ei ſit motui circulationis locus, numquàm è vaſis prorumpet, ſed ſolùm quando ſuo motui oppoſitum invenit impedimentum.

Hoc modo vomitus ſanguinis fit, & præcipuè liene obſtructo, & humoribus infarcto, ut obſervavit *Zacutus in lib. 2. Medic. Princip. Hiſt.* 10. impedito enim libero curſu ſanguinis per arteriam cæliacam, ad ſplenem, vel venam ſplenicam ab obſtructione cellularum, vel prædictorum vaſorum, ſanguis regurgitat ad ſuperiora per dictam arteriam, & in hac ſtagnat, & præcipuè in vaſe brevi arterioſo, quod ventriculo inſeritur, & per illud diſſeminatur, & in hoc collectus ſanguis ad plenitudinem, ſi efferbuerit ea, quæ dicta ſunt ſequentur, ſanguis effunditur in cavitatem ventriculi, & irritando iſtius fibras vomitus excitatur, modo ſuperiori Diſſertatione deſcripto; & hoc eſt alterum irritamentum, quod eſt cauſa immediata vomitus; ſanguis irritat quantitate, coagulatione, per quam malam, & infeſtam qualitatem contrahit, & quia eſt extraneus ventriculo.

Vomitus ſanguinis fit etiam ruptis, vel apertis alii vaſis ſanguifluis in ventriculo ab humoribus corrodentibus in eo collectis; fit quandoque rupto, vel corroſo vaſe in Pancreate, à quo effunditur ſanguis in inteſtinum duodenum, & ab hoc irritato, motu periſtaltico inverſo in ventriculum deponitur.

Signa hujus affectus ſunt manifeſta, unde ſymptoma per ſe ipſum fit manifeſtum. Signa cauſarum: ſi vitio lienis, eſt ſenſibilis ipſius obſtructio, adeſt pulſatio arteriæ in Hypochondrio; ſi à Pancreate, cum vomitu ſanguinis conjungitur iſtius evacuatio per alvum; ſi à corroſione venæ in ventriculo, adſunt ſigna, vel acidi, vel ſalſi corroſivi in ſaliva, vel in excrementis, quæ per vomitum ejiciuntur.

Quoad prognoſticum, ſi copioſus eſt ſanguinis vomitus, ſemper periculoſus; ſi cum febre conjunctus, & in morbis malignis Variolarum, Morbillorum, Petechiis, eſt lethalis. *Hippocr. lib.* 7. *aph.* 37. *Qui evomunt ſanguinem, ſi ſine febre, quidem ſalutare; ſi verò cum febre, malum.* Poſt ſuppreſſam evacuationem ſanguinis, vomitus iſtius non timendus. Si ſanguis exeat coagulatus, melioris ominis eſt, quàm ſi exeat tenuis, fluidus, niger attramenti inſtar; corruptionem enim talis ſanguis contraxit.

Indicatio curationem aſpiciens, prima eſt ſanguinem revellere à ventriculo; ſecunda, ejus exitum prohibere per adſtringentia, & refrigerantia, ut ſancivit *Hippoc. cit. lib.*7. *aph.* 37.

Quoad primam indicationem, mittendus ſanguis à partibus inferioribus; documentum habemus ab *Hippoc. aph.* 32. *lib.* 5. *Mulieri ſanguinem vomenti, menſtruis erumpentibus ſolutio fit*; huic accedunt cucurbitulæ, frictiones, & ligaturæ in partibus prædictis.

Quoad ſecundam intentionem, adſtringentia ſunt, *Succus Urticæ majoris ad* ℥. *iv. cum Spir. Vitr. op. gutt. viij. Liquor ſtipticus, factus ex Terra ſigill. ſ. p. & impregnata Spir. Vitriol. & Spir. Nitri ad formam pultis; hæc in loco frigido ponatur, ut in lapidem concreſcat, lapis in pulverem reducatur, & in loco frigido iterum condatur, & in liquorem abibit, cujus* ℈. *i. cum Aqua portulacæ, ſed melius cum Succo ad* ℥. *iij. exhibeatur. Lapis Ematites, cum Succo Plantaginis, ſuper porphidum in tenuiſſimum pulverem reducatur; hujus* ʒ. *i. cum gutt. xij. Laudani liquidi cydoniati, vel cum gr. ij. Opii præp. exhibeatur cum Aqua Plantaginis, vel Decocto Polygoni. Pulvis ex acinis Agreſtæ exſiccatis, & pulverizatis ad* ʒ. *i. in Aqua Plantaginis, vel Urticæ*, ſummè efficax eſt. Refrigerantia conveniunt, quia ſanguinem incraſſant, & minùs fluidum reddunt, ſed multùm proſunt, ubi adeſt efferveſcentia ſanguinis. Hæc exhibenda poſt cibum, quo tempore, ob calorem iſtius, efferveſcit. *Emulſio ſem. Melonum, & Papaveris, & Urticæ, extracta cum Aqua Conſolidæ major. Aqua Portulacæ, Plantaginis, cum Tinctura Corall. & Santal. rub.* huic intentioni ſatisfaciunt. *Pulvis ex Opio, deſcriptus in Syſtemate meo; Tinctura parata ex capite mortuo Vitrioli rubificati, deſcripta ab Etmull. f.* 191. ſummè valent; ſicut *idem caput mortuum rubificatum, & edulcoratum ad* ʒ. *i. Mixtura à Sylvio deſcripta lib.* I. *Practicæ cap.* 9. *& Aquæ ſtipticæ, & Liquor ſtipticus, deſcriptus in Clavi Schroderiana.*

Diœta adſtringens, & refrigerans, & tenuis ſit; jura ſint cum aqua chalybeata, & cum pedibus, & capite Animalium parata; Vinum ſit leve, aquoſum, auſterum.

Ad præſervationem, ſi ſit à liene obſtructo, referandæ obſtructiones, prout exarabitur de lienis morbis; ſi ab eroſione, ab humore acri, hic attemperandus modo ſuperiùs dicto de vomitu.

CAP. IX.

De Dolore Ventriculi, ſeu Cardialgia.

DEfinitur Cardialgia *Triſtis ſenſatio oris ſuperioris ventriculi, facta ab objecto ſenſibili, tangibili, violenter agente in illud.*

Triſtis ſenſatio, eſt eſſentia doloris in genere, quare dolor ventriculi erit triſtis ſenſatio ejuſdem; ex quo deducitur, ſubjectum hujus ſymptomatis eſſe ventriculum, & præcipuè ſecundùm partem *orificii ſuperioris*, quæ eſt maximè ſenſitiva, ob multas nervorum ramificationes in ea diſſeminatas, & plexum nerveum contexentes. De hoc dolore locutus eſt Hippocr. ſub nomine *Cordis morſus*, non quia Cor primò patiatur, ſed quia in dolore orificii ſiniſtri ventriculi Cor compatitur, ob communicationem, & conſenſum, quem habent nervi illius cum nervis per ſubſtantiam Cordis diſſeminatis, prout legitur *in aphor.* 65. *lib.* 4. *In febribus circa ventriculum, & fortis æſtus, & cordis morſus, vel dolor, malum*; & *aphor.* 17. *ejuſdem ſect. Si quis febrem non habens abſtineat à cibis, & cordis morſum, ſeu vertiginem patiatur*; & omnes Interpretes fatentur loqui de morſu ventriculi, prout apparet in ſecunda ſententia: loquitur enim de inedia, quæ eſt paſſio ventriculi, & à qua dolor, & morſus ventriculi ſæpiſſimè obſervatum eſt; vel loquitur de affectione partis circa ventriculum exiſtentis, ut in prima, à qua os ventriculi lædi poteſt, ob proximitatem partis affectæ cum orificio ventriculi, confirmavit *lib.* 7. *de morb. popul. numer.* 13. ad noctem Cordis, ac ventriculi dolor, accipiendo pro dolore Cordis ventriculi dolorem, & clarè declaravit *in lib.* 4. *de morb. numer.* 13. ubi habet: *Quæ homines Cardiogmum, hoc eſt cordis morſum, vocant.*

Facta ab objecto ſenſibili, tangibile, violenter agente in ventriculum, & determinatur cauſa doloris, nempè objectum ſenſibile in ventriculum violenter agens; cùm enim dolor ſit in ſenſu Tactus, cujus objectum eſt ſenſibile, & tangibile, ad dolorem neceſſariò requiritur, ut objectum ſenſibile, tangibile, violenter agat in organum ſenſus Tactus, alioquin non faceret triſtem ſenſationem, ſed ſenſum naturalem, & jucundum; dolorem ventriculi eſſe ab objecto violenter agente in ſenſum Tactus illius, docuit Hippocr. quando dolorem ventriculi morſum Cordis appellavit. Morſus eſt ab objecto ſenſibili, tangibili, violenter agente, pungendo, lacerando, & continuum ſolvendo; & clarè expreſſit *Hippocr. lib. de loc. in hom. num.* 51. ubi ait: *Inſuper etiam dolor, & propter frigiditatem fit, & propter caliditatem, & propter valdè exuperantem, in quo adeſt violentia, & propter imminutam*, intellige à contrario valido; quod colligitur à verbis ſubſequentibus textus: *In ſingulis enim, quorum natura permutatur, ac corrumpitur, dolor*; quod permutat, & corrumpit, violenter agit; *& in lib. de flat. nu.* 18. *Violentia quadam diſcedunt, & ſinduntur carnes, fixarum ſubtercurrit ſpiritus, & dolore affligit*; dolorem ab acri, tamquam à ſpiculo infixo in parte, explicavit *idem Hipp. in eod. lib. n.* 14. *& lib.* 2. *de morb. n.* 30. ait: *Hic caput dolet, præ nimia ejus excalefactione.*

Licèt omnes qualitates tangibiles poſſint eſſe cauſa doloris ventriculi, ut calor, & frigus; ſecundæ tamen, ſapidæ dictæ, ut aciditas, ſalſedo, amarities, acrimonia,

nia, ſunt magis potentes, & efficaces; & ab his fieri dolores docuit *Hipp. lib. de rat. vict. in acut. num.* 37. ubi habet: *Quum dolores acceſſerint atrabilis, & acrium fluxionum affluxus fiunt, dolent autem partes internæ, dum mordentur*; & *in lib. de veter. medic. num.* 32. *Rurſus quæcumque fluxiones ad oculos vertuntur, ut fortes, & omnigeneas acrimonias habentes exulcerant, dolores autem, & ardor, & inflammatio adſunt aliquando, donec fluxiones fuerint concoctæ*; & de bile cauſa doloris ventriculi expreſſis verbis locutus eſt *Hippocr. lib.* 4. *de morb. numer.* 8. ubi ait: *Hoc enim contingente præcedit à veteri bile, propter multitudinem ad ventriculum, & ex hoc tormen ventriculo oboritur.* Quod efficit bilis in ventriculo ſua acrimonia, efficit etiam pituita, acida, ſalſa, auſtera, & ſerum acre, & acidum fermentum, bilis atra, & æruginoſa, prout experientia oſtendit dolores ventriculi vomitu dictorum humorum ſanatos. Ad acria mordicantia reducitur pus in ventriculo collectum; vel ab apoſtemate in eo rupto, vel in angina deſcendente pure in cavitatem ventriculi. Pus eſſe cauſam doloris, docuit *Hippocr. lib.* 4. *de morb. numer.* 22. dum ait: *Pus exitum non habens, & iſthic unà cum eo humore, qui acceſcit permanens, dolorem inducit.* Reducuntur etiam vermes ad mordicantia, cùm morſu dolorem in ventriculo exiſtentes pariant, & etiam ſuis malignis vaporibus; de hac cauſa ſcripſit *Hippocr. lib.* 4. *de morb. numer.* 27. loquendo de lumbricis, & ait: *Exilit* (ideſt lumbricus) *aliàs, atque aliàs ad hepar, & dolorem inducit*; & inferiùs ſubjungit: *Et tormen multum in ventriculo aliàs, & aliàs oboritur.*

Quæ diſtendunt, & comprimunt membranas ventriculi doloris ſunt cauſa, ſi diſtenſio, & compreſſio fuerit violenta; fit enim utraque per motum violentum, qui inter qualitates ſenſibiles, tangibiles numeratur. De extenſione doloris cauſa locutus eſt *Hippoc. in ſuperius cit. lib. de flat. num.* 18. & flatus hanc diſtenſionem efficiunt in ventriculi cavitate collecti, vel intra membranas illius concluſi depreſſione locutus eſt *Hipp. lib.* 4. *de morb. n.* 17. his verbis: *Si cibi in ventriculo maneant, & dum premuntur à plenitudine venæ, calor, ac dolor corpori acceſſerit.* Ad hanc cauſam reducitur cartillago Xyphoides intus curvata ventriculum premens, cum ſummo dolore.

Cauſæ remotæ ſunt omnes illæ, quæ acrimoniam humoribus tribuunt, ut fervor ſanguinis pro multiplicanda bile, & ejus conſtitutio melancholica pro acidi exuberantia, & utriuſque conſtitutionis bilioſæ, & melancholicæ æqualis prævalentia pro ſalſi generatione; conſurgit enim hoc ex mixtura æquali alkali, prout eſt bilis, & acidi, ut eſt melancholia, conſtitutio in calore excedens, & adurens bilem in atram commutat, & calor debilis ventriculi materiam attenuationis capacem in eo exiſtentem, in flatus attenuat, vermes efficit putredo alimentorum, vel humorum in ventriculo, ut ſancivit *Hipp. lib.* 4. *de morb. n.* 27. Externæ cauſæ ſunt omnes illæ, quæ horum humorum generationem coadjuvare poſſunt.

Signa diagnoſtica ſunt ſatis clara ex ſitu doloris in regione ventriculi. Signa cauſarum ſunt maximè neceſſaria pro curatione dirigenda. Si bilis peccat, adeſt cum dolore ſitis, & oris amaritudo, inappetentia, nauſea, vomitus bilioſus; dolor eſt maximè acutus, quia bilis maximè activa; dolor eſt vehemens, cum oppreſſione cordis, pulſu parvo, & animi deliquio, & maxima virium debilitate, unde Cardialgia, hoc eſt dolor oris ventriculi ſuperioris; diſtinguitur à cœteris ventriculi doloribus, in quibus deſcripta ſymptomata non reperiuntur. Si à pituita acida dolori adjungitur appetitus, ſapor acidus in ore, expuitio eſt frequens, & vomitus eſt materiæ acidæ. Si à pituita auſtera, ſapor auſterus in ore ſenſibilis, dolor rodens percipitur. Si à pituità ſalſa, adeſt ſitis intenſa, ſed ſine amaritudine, & quod expuitur eſt ſalſum; ſi ab atrabile, dolor eſt corroſivus exulcerans, cum calore moleſto; ſi à vermibus, morſus interrupti, & diſpoſitio ægri ad vermium generationem, vel ad excluſionem iſtorum ab ovo; ſi à flatibus, dolor eſt laceratívus ab extenſione membranarum ventriculi, adeſt inflatio in regione iſtius, & flatuum per ſuperiora eruptio, cum difficultate reſpirandi, impedito contractionis debitæ motu diaphragmatis.

Timendum eſt hoc ſymptoma, quia citò vires reſolvit, & maximè ſi cum frigore extremorum conjungatur ex *Hipp. aphor.* 11. *ſect.* 4.

Indicatio, prima eſt irritans in ventriculo fixum expellere; ſecunda, acrimoniam ejus attemperare, & cauſam auferre; tertia, dolorem mitigare.

Quoad primam, *Hippocr. in lib.* 5. *de morb. popul. num.* 30. ſanguinem mittit; ait enim: *Aliquando etiam dolor ad cor, quem venæ ſectio ſolvit.* Hanc Hippocr. ſententiam rejecit communis Practicantium ſenſus, ratione corroboratus, quia quod eſt extra venas, à venæ ſectione non evacuatur. Cauſa faciens dolorem ventriculi, eſt extra venas, quia in cavitate ventriculi; ergo non poterit evacuari à venæ ſectione. Secundò venæ ſectionis indicans eſt plenitudo venarum, & ejus redundantia, & motus ejuſdem depravatus; ſed in dolore ventriculi neutrum adeſt, conſequenter venæ ſectio non convenit, & hanc exercere, eſt contra rationem, & ſine utilitate ægri; pauciſſimi ideò Hipp. adhærenr. Hippoc. præcepti ratio fit clara *in lib.* 1. *de morb. n.* 17. ubi habet:

Ipſa quidem vena, in quantum tracta eſt, in loco manet. Quum autem tracta fuerit (*trahitur autem, & convellitur à labore, & violentia*) *fit velut varix.* Notentur illa verba, *trahitur, & convellitur à violentia*; in dolore adeſſe violentiam, demonſtravi ſuperiùs ex natura, & eſſentia ipſius doloris; quapropter à dolore poteſt vena convelli ad ſimilitudinem nervorum, quorum propriè ſolùm dicitur convulſio, metaphoricè verò de venis ex convulſione varicoſa. In vena varicoſa adeſt plenitudo ſanguinis, conſequenter, ex Hippocr. poteſt in dolore partis venarum ipſius plenitudo contingere; quòd confirmavit inferiùs *in eod. textu* his verbis: *Et ubi mixta fuerit ſanguis, & humiditas, de carne craſſeſcit ſanguis, & multipliciter ipſe ſe ipſo* (hoc eſt multiplicatur, augetur ipſe ſanguis ſe ipſo, per congregationem novæ copiæ ſanguinis) *ea parte, qua vena convulſa eſt, & morboſior fit, & amplius ſtabilior, & cùm copioſior factus fuerit, plenitudo ipſa tranſmigrat*; clariùs non poteſt explicari plenitudo in vena convulſa, vel tracta à violentia, & dolore. Hanc ſententiam confirmat *lib. de rat. vict. in acut. nu.* 37. his verbis: *Dolent autem partes internæ, dum mordentur, converſæ verò* (ideſt tractæ) *& valdè ſiccæ factæ venæ intenduntur*, ideſt trahuntur ad modum convulſionis, *& inflammatæ affluentia attrahunt*. Si inflammantur, plenæ ſunt ſanguine; ſi affluentia attrahunt, neceſſe ut impleantur; à dolore ergo cùm poſſit plenitudo ſanguinis in venis dolentis partis coacervari, ſi aderit indicium hujus plenitudinis, aderit indicans miſſionem ſanguinis. Indicium verò aderit, quando, præmiſſa purgatione humoris irritantis, & etiam præmiſſis dolorem lenientibus, adhuc perſiſtat dolor, tunc nobis ſe offert ſufficiens indicium plenitudinis venarum ventriculi, à qua dolor fovetur, & tunc apparet indicans mittendi ſanguinem; ex quo colligo, errorem eſſe in principio doloris ventriculi ſanguinem mittere, quia ſi datum eſt purgatione ventriculi, & Anodynis dolorem curare, ad quid ſanguinem mittere, & ægro vires auferre? & maximè cùm non poſſimus eſſe certi de plenitudine venarum ventriculi, niſi prædictis remediis præmiſſis.

Pro humoris peccantis evacuatione, Hippocr. uſus eſt purgante medicamento; *in lib. cit.* 9. *Epidem. numer.* 30. Veratrum exhibuit nigrum, pro ratione humoris peccantis exhibenda purgantia, ſi bilis, quæ hanc educunt, cum hac tamen advertentia, quòd purganti admiſceantur opiata, ad leniendum eodem tempore dolorem, & ad frænandum tumultum, tormina, & agitationem moleſtam, quam purgantia ſolent inferre, quomodo uſi fuerunt inter Antiquos *Scholt. in conſ.* 114. *Riverius in ſua Praxi Medic. Faventinus*; hunc uſum Recentiores ſumma cum ægrorum utilitate renovarunt: v. g.

℞. *Mannæ el.* ℥. 3.
Syr. Roſ. ſol. ℥. 3. *diſſolvantur in Aqua Malvarum, vel Endiviæ, cui adde*
Laudani Cydoniati gr. 7.

Vel

℞. *Pil. Alephang.*
de tribus, cum Rhaub. } *a.* ʒ. 1.
Laud. opiat. gr. 2.
cum Syr. Roſ. ſol. R. Pil.

Si acidum, cum pituita unitum peccet,

℞. *Mel Roſ. ſol.* ℥. v.
Crem. Tartar. ſ. p. ʒ. 2. *diſſolv. in Aqua Abſynthii, cui adde*
Phil. Rom. ʒ. 1.

Vel

℞. *Pil. de Agar.* ʒ. 1.
Aggregat. ʒ. 1.
Laud. opiat. gr. 2. *m. cum Mel Roſ. ſol. R. P.*

Si acidum ſit cum ſero conjunctum, *Electuarium Hydragogum Le-Boe* exhibendum; vel *Pil. Alephanginæ* ʒ. 1. *Magiſt. Jalappæ gr.* 6. *Laudani op. gr.* 2. Vel *Crem. Tart. ſ. p.* ʒ. 3. *Scamm. ſulph. gr.* 5. *Magiſt. Mech. gr.* 3. *Opii præp. gr.* 2.

Si melancholia atra,

℞. *Syr. de Polyp. ſol.* ℥. 5.
Aquæ Meliſſæ q. ſ. ad diſſolutionem,
Laud. op. liquid. gutt. x. m.

Vel

℞. *Pil. Aggreg.* ℈. 2.
Extr. Helleb. nig. ʒ. ß.
Phil. Rom. ʒ. 1. *m.*

Si flatus ſint doloris cauſa, purgantibus pariter utendum, dum adeſt minera, à qua elevantur. *Spec. Eleſcoph.* in flatibus pro purgatione ſunt magis propriæ *ad* ʒ. 1. *&* 2.

Purgatione per vomitum utitur etiam Hipp. in dolore ventriculi, ut patet *in lib. de affect. nu.* 15, *n.* 13. Inter vomitiva ſunt: *Radix Aſari ad* ʒ. *i. cum decoctione florum Camomillæ*: *Sal album Vitrioli ad* ʒ. *i. Aqua Roſ. in Alembico ex ære ſimplici compoſito diſtillata*; vel *Antimonialia*, ut *Aqua Rulandi*, *Sappa Antimonialis*, vel *Infuſio Antimonii in Vino*. Moderatum, & tutum vomitivum habemus in *Tartaro Aemetico*. Vomitus in eis, quibus eſt facilis præferendus purgationi per alvum, & etiam in flatibus, qui à conatu vomitus coguntur ad exitum, ad uſum iſtorum non deveniendum, niſi dolore modificato, ob rationes dicendas de dolore Colico, ex Hipp. mente.

Quoad ſecundam indicationem, attemperantia varia ſunt pro varietate cauſæ. Acidam qualitatem dolorificam attemperant omnia acria blanda, & ſale volatili alkalico prædita. *Radix Angelicæ*, *Zedoariæ*, *Caryophilatæ*, *Zinziberis*, *Galangæ*, *Cardamomum*, *Caſſia lignea*, *Nux moſchata*, mirifica præſtat; ex his parantur decocta, pulveres, & vina medicata. *Spec. Diagalangæ*, *Aromatici Roſ. Diambræ*, *Theriaca*, *Mithridatum*, *Aqua Cinamomi*, *Theriacalis*, *Elix. propr. ſine acido*, ſunt efficacia.

Ubi bilis, & ſal amarum corroſivum peccat, omnia acida, ſunt attemperativa; ut *Spir. Vitrioli*, *Salis communis*, *Salis Nitri rectificati*, *& optimè præparati*, *Succus Cydoniorum*, *Ribes*, *Granatorum acidorum*, *Decoctum Tamarindorum*, egregium eſt ſedativum bilis, *quæ exhibenda ſunt in Aqua*, *vel Decocto Camomillæ vulgaris*, quæ eſt ſpecificum in omni dolore ventriculi, à quacumque cauſa ſuccedat; vel *Florum Verbaſci*, *& ad libram unam*, *& etiam plus*, *vel in Aquis Malvæ*, *Boraginis*, *Acetoſæ*, *Portulacæ*. Flatus attemperant, quæ reſolvunt, ut *Sem. Anethi*, *Petroſelini*, *Fœniculi*, *Sinapis*, *cum floribus Camomillæ decoctis*; *Spir. Carminativus Sylvii*, *Spir. Juniperi*, *cum Aqua Camomillæ*, *Baccæ Lauri in pulverem redactæ ad* ʒ. *i. in Vino*, *Spir. Vini Aromatizatus*. *Pulvis ex Myrrha*, *& rad. Ariſtolochiæ rotundæ*, *Elect. de Baccis Lauri. Confect. Diacymini*, *Theriaca*, *Mithridatum*, *Aqua Cinam. Theriacalis*, ſunt ſpecifica in flatibus.

Opiata in omni cauſa conveniunt; ideò, dolore non cedente, cum ſupradictis remediis miſcenda. *Nepenthes*, *Laudanum Cydoniatum*, maximè bile peccante, *Philonium Romanum*, *Pil. de Cynogloſſa*, *Sedativum majus*, *& minus*, *Oleum Amygd. d.* eſt univerſale ſedans dolores.

Victus ratio exhibeatur cum acidis, ſi bilis, cum aromatibus dictis, ſi acidum peccet. Cœteri dolores ventriculi extra orificium ſuperiùs, ab eiſdem procedunt cauſis, & eamdem expoſcunt curationem.

CAP. X.

De Ventriculi Adſtrictione.

Adſtrictio ventriculi, alterum ſymptoma ventriculi, ad dolorem ejus reducit *Sennertus*. In hoc conſiſtit, quòd ventriculus ſecundùm orificium ſuperiùs, & inferiùs, adeò ſit adſtrictum in tempore concoctionis, ut ne vapores, nec exhalationes per illa exire poſſint; conjungitur etiam cum adſtrictione utriuſque orificii, adſtrictio pororum cutis, prohibito exitu vaporibus, & exhalationibus tam cibi in ventriculo exiſtentis, quàm totius corporis.

Retenti vapores incaleſcunt, & ad invicem accenduntur, ut univerſum corpus æſtuet, præcipuè autem manuum, & pedum extremitates, cum rubore faciei, mutatione pulſus, ut febricitare videantur patientes; quod tamen non eſt verum, cùm poſt paucas horas deſcendente cibo, calor evaneſcat, & pulſus ad motum naturalem redeat; ita hunc affectum *Petrus Salius de rara morborum curatione* deſcribit, & accepit ab *Aetio tetrabil.* 3. *ſerm.* 1. *cap.* 13.

Hoc ſymptoma videtur deſcripſiſſe *Hippocr. in lib.* 4. *de morb. num.* 23. his verbis: *Si cibi plures*, *quàm opportunum eſt*, *qui jam concocti ſunt*, *intus maneant*, *& homo non purgetur*, *& alii cibi ſuperingerantur corpus ab humore priore*, *ac recenti repletum caleſcit*, *& febris ex hoc homini oboritur*; *verùm ea febris non periculoſa*, *neque fortis eſt*, *in qua humor æqualis eſt copia paululum uberiore nos affligens*. Hippocratem loqui de alimentis in ventriculo contentis, ſatis manifeſtum fit, & ab eiſdem colligitur, prædictam affectionem deſcriptam fieri modo contrario ei, per quem fit lienteria; in hac velocem eſſe ſeceſſum alimentorum in ventriculo, nec per multum tempus in eodem concoqui ſancivit *lib. de affect. numer.* 25. qui locus ad hujus veritatis dilucidationem videndus; in deſcripto verò affectu tarda eſt ciborum, vel alicujus portionis iſtorum expulſio, & per multum tempus in ventriculo concocti, vel concoquendi remanent.

Hujus affectus cauſam innuit in illis verbis *cit. text. Si cibi plures*, *quàm opportunum eſt*, *qui jam concocti ſunt*, *intus maneant*, & deſignat impedimentum in motu fibrarum ventriculi, quarum munus eſt motu ſuo periſtaltico alimenta digeſta paulatim expellere; quapropter cenſendum eſt, cauſam hujus ſymptomatis eſſe vitium fibrarum ventriculi, per quod diù alimenta in hoc detinentur; quod manifeſtè demonſtratur; nam ſi hoc ſymptoma eſt à retentione alimenti in ventriculo, pluſquàm conveniat, ex Hippocr. alia non erit illius cauſa, niſi ea, quæ afficit, & alterat principium, quo alimentum concoctum debito tempore expellitur; hoc principium ſunt fibræ ventriculi, conſequenter ejus præternaturalis retentio eſt à vitio fibrarum, nec aliud poteſt aſſignari in hoc caſu, quàm earum debilitas in motu, quia laxæ. Ab hoc vitio fibrarum afficitur ita ventriculus, ut alimenta detineantur, ac ſi orificia ventriculi eſſent adſtricta, prout cenſet *Salius Diverſus*, contra quem tenenda ſententia Hippocratis modò deſcripta, quia fibra rupta, & relaxata non poteſt conſtringere orificia, ſed potiùs laxare, & dilatare; & aſſignare cauſam conſtrictionis temporaneam dictorum orificiorum tempore cibi, & cauſam eorumdem reſerationis alia explicatione, meo judicio, non eſt facile. Eſt adſtrictio utriuſque orificii ventriculi eſt omninò improbabilis, quæ non permittit exitum, nec halitibus, nec vaporibus, ex ſententia *Salii*; & tamen certi ſumus, ſalivam ægrum in hoc ſtatu deglutire, quæ in ventrieulum non deſcenderet clauſo orificio ſuperiori, cum excluſione halituum; & ſi non poteſt dari talis conſtrictio orificii ſuperioris, excluditur etiam illa inferioris, cujus talis eſt ſtructura, ut claudi non poſſit halitibus, nec vaporibus, nec ſalivæ, conſequenter nec chylo fluido, neque adſtrictioni poroſitatum cutis tribuenda cauſa hujus ſymptomatis; nam hæc adſtrictio, vel eſt continua, & tunc febrem veram, & con-

& continuam parit, & alios morbos aſſiduè affligentes, vel accidit, quando ventriculus ſecundùm orificia conſtringitur, cujus ratio reddi non poteſt, cùm nulla ſit connexio, & conſenſus nullus poroſitatum cutis, cum orificiis ventriculi, ut his conſtrictis, conſtringi poroſitates cutis ſit neceſſe; in ſententia verò Hippoc. modo prædicto explicata, & clarè, & facilè redditur cauſa detentionis, & incaleſcentiæ, & expulſionis poſtea ciborum, pro qua explicanda recolendum eſt.

A recentioribus Anatomicis ſancitum eſſe, alimenta in ventriculo paulatim concoqui, & paulatim expelli per contractionem ſuæ cavitatis, factam à contractione ſuarum fibrarum circularium. Alimentum præparatum, factum leve per concoctionem, & per fermentationem ſupernatat in tota maſſa, & ab iſto motu contractionis cavitatis verſus orificium inferius ventriculi, chylus, qui concoctione factus liquidus, facilè expellitur. Quando hic motus deficit, gravante fibras motrices alimentorum multitudine, nulla, nec minima portio alimenti concocti expellitur, ſed tota multitudo hæc uſque ad integram coctionem omnium alimentorum detinetur; ab hac portione concocta, & continuò fermente innumeræ particulæ calidæ ſolvuntur, quæ liberè per totam maſſam retentam in ventriculo moventur alias particulas calidas in tota maſſa exiſtentes à craſſioribus liberando hoc motu; ab his unitis tota maſſa alimentorum valdè incaleſcit, cum hac incaleſcit ventriculi ſubſtantia, & ſanguis per hunc circulans, itaut, per continuatam novi ſanguinis circulationem per ventriculum, tota maſſa ſanguinis incaleſcat, particulis calidis prædictis eam ingredientibus, unde totum corpus valdè incaleſcit, eo modo quo à moderata portione aquæ vitæ epota excalefacto ventriculo totum corpus ad ſudorem uſque in non aſſuetis incaleſcit. Ab hujuſmodi particulis calidis, & ſpiritoſis fibras ingreſſis, hæ corroborantur, quia ſpiritus ei additur, & à calore materiæ chyloſæ aliquo modo irritatæ, ad motum, & contractionem cavitatis ventriculi validam determinantur, & fit totalis expulſio alimenti concocti per pylorum ad inteſtinum duodenum. Hic calor à mora cibi in ventriculo excitatus, & per corpus diffuſus, calorem febrilem æmulans decipit, & patientes, & ignaros Medicos exiſtimantes paſſionem hanc ventriculi à calida intemperie viſcerum proficiſci.

Frequens obſervatio hujus ſymptomatis in eis, qui ventriculum alimentorum multitudine implent, ſententiam hanc Hippocraticam confirmat; & ſi continuò aliqui moderato, & ſano victu utentes hoc ſymptomate affliguntur, id evenit, quia talis alimenti copia, licèt ſecundùm ſe ſit moderata, reſpectu tamen magnæ debilitatis fibrarum eſt excedens, & iſtis gravis, ideòque illarum motum impedit, cum deſcripto effectu.

Dicta de tota maſſa chyloſa applicari poſſunt portioni ejuſdem craſſæ indigeſtæ, reſiſtenti vi enervatæ fibrarum, & quæ eſt velut fœx alimentorum; retenta enim talis portio alimenti, ſemper magis incaleſcit, à diſpoſitionibus ad putredinem ob moram acceptis, pravas qualitates aciditatis, vel amaritiei, odoriſque fœtidi contrahit, & paulatim in flatus reſolvitur. Ab his omnibus pendent illa ſymptomata, & afflictiones ventriculi, quæ in fine digeſtionis alimentorum multos torquent.

Cauſa debilitatis deſcriptæ fibrarum, eſt earum textura, rara, mollis à principiis generationis, vel talis reddita à copia humoris ſeroſi eas irrigante, vel intus, ſi cum ſucco nerveo fibris motus virtutem, & forſan nutrimentum præſtante miſceatur, vel extus, ſi in cavitate ventriculi colligatur, ab hujus copia feri laxantur fibræ membranarum molles redduntur, cum impotentia ad validam contractionem, & ad motum periſtalticum.

Signa diagnoſtica ſunt manifeſta ex dictis, & ſymptoma non eſt ſpernendum, cùm incurabiles quandoque ventriculi paſſiones gignat; & ſi à nativitate dicta laxitas contracta fuerit, eſt ferè incurabilis.

Indicatio eſt, fibras humido ſuperfluo laxatas exſiccandi; quod habebimus primò à purgantibus *Hydragogis* ſæpiùs recenſitis, ſed præcipuè à *Pil. Maſticinis*, *Alephanginis*, *Cratonis*, addendo aliqua grana *Magiſterii Jalappæ*, vel *Mecheocan.* Secundò ab alterantibus cum exſiccatione, nempè à *Decoct. Santal. rub. Ligni Lentiſci*, *Saſſafras*, *Juniperi*, *& rad. Biſtortæ*. *Elix. propr. Paracelſi ad gutt. viij. cum Aquæ Abſynthii ℥. iv. vel Raſuræ Eboris ℥. i. Maſticis ℈. i. cum decoctione Tormentillæ*, *& radice Cyperi*, *Pulvis ſtomatichus Poteri ad gr. xvi. cum Pulv. Viper. ℈. ß. vel Pulvis ſtomatichus Quercetani*, *cum Aqua*, *vel decoctione Meliſſæ*, ſunt efficacia ad exſiccandum, & ad robur fibris impertiendum. *Jus Columbi turrialis*, *cum dictis lignis*, *& herbis paratum* valet, ſicut *Vinum Hippocraticum*, *& Aqua vitæ aromatibus condita*.

Diœta ſit cibi facilis concoctionis, nec iſtis fames ſatietur.

C A P. XI.

De Ardore Ventriculi.

Ardor ventriculi, eſt alltera differentia doloris hunc affligentis, & eſt *Immoderata effervescentia*, *& ebullitio materiæ acris*, *& ſalinæ in ventriculo*, *quam ſequitur calor præternaturalis à ventriculo ad gulam uſque pertingens*, *ad inſtar fumi ignis copioſè aſſurgentis*, *& præcipuè in eruptione ructuum*, *cum quibus exit materia fluida acris calida*, *ſummè moleſta*, *cum ſpecie corroſionis*. Hic humor, ſeu materia in ventriculo exiſtens, vel à flatibus ſurſum per œſophagum impellitur, vel in ipſis flatibus in bullas contractis colligitur, & in exitu ruptis bullis contentus humor diffunditur per œſophagi ſubſtantiam, cum ardore, & corroſione.

Cauſa hujus affectus ſunt humores acres calidi, ex ſua natura facilè fermentationem ſuſcipientes, & in alios inducentes.

Generantur iſti humores in corruptione alimentorum in ventriculo, à qua acrimoniam, & calorem ſuſcipiunt. Corrumpuntur à fermento ventriculi nimis activo, vel à calore excedenti circumſtantium partium, ſi ab iſtis procedat copioſa ſolutio, & exaltatio partium ſulphurearum, & ſalinarum, quæ unitæ acrimoniam humori, in quo uniuntur, impertiunt; vel ob dilatam nimis eorum moram in ventriculo, vel ab iſtius æſtu ab aliqua cauſa concepto; ut à violento exercitio poſt cibum; vel ab alimentis talem humorem acrem aptis generare, qualia ſunt Cæpæ, Allium, Porri, Caſeus vetus, & putridus, dulcia, mellita, quæ facilè in acorem degenerant, & rancida; vel humor talis tranſmittitur aliundè ad ventriculum, & facilè bilis vicina ad hunc tranſit, dum in inteſtino duodeno continuò fluit; ideò bilioſa frequenter ardorem ventriculi pariunt.

Huic ſymptomati poteſt accommodari ſententia *Hippocr. in lib. 4. de morb. numer. 17.* deſcripta his verbis: *Si cibi maneant in ventriculo ampliore tempore*, *quàm opportunum eſt*, *& alii ad ipſos incidant*, *corpus utique repletur* (ſed præcipuè ventriculus) *& dum premuntur à plenitudine venæ calor*, *& dolor corpori accedunt*, & magis ventriculo, in quo adeſt plenitudo; & hujuſmodi plenitudo ſemper eſt conjuncta cum ardore, dum incaleſcunt venæ, ut ait Hippocr. ſcilicet caleſcentibus venis, poſtea ſubjungit, *& ſi calido adhùc exiſtente ventriculo calidior*, *quàm opportunus eſt*, *ſpiritus*, hoc eſt aer, *homini accedat*, *nihil miri eſt hominem ex tali* (intellige calore) *febrire;* cibi effervescentiam magnam cum calore ſuſcipiunt, & cum hac acrimonia exaltato nimis ab illa ſale, & ſulphure alimentorum; talem ergo admittit calorem Hippoc. in ventriculo, qui per calorem aeris in febrilem intendi poteſt. Dictus calor ardorem ventriculi parere ſufficiens eſt, & hunc calorem à longa mora alimentorum in ventriculo deducit, à qua fermentatio valida eorumdem provenit, & etiam corruptio, unde acrimonia, acredo, & corroſiva virtus in alimento concocto, quæ unà cum calore, ardorem ventriculi efficiunt, ut plurimùm verò ſuccedit, vel ab acido ventriculi nimis acri, vel à bile in ventriculi cavitatem ab inteſtino duodeno aſcendente, vel à nimio calore ſanguinis per ſubſtantiam ventriculi circulantis, & per partes huic proximas, à quo ſal, & ſulphur alimentorum in copia ſummè exaltatur acrimonia inficiente partem maſſæ chyloſæ. Alimenta acria, & aromatica valdè conferunt ad hunc ardorem, & ad materiam acrem generandam.

Indicatio eſt, bilem purgandi, ſi in ægrotante excedere cognoſcatur. Secundò calorem, & effervefcentiam temperandi, unà cum acrimonia.

Quoad primam, ea proficiunt, quæ dicta ſunt ſuperiùs de Vomitu, & de dolore ventriculi.

Quoad ſecundam, exigit hæc refrigerantia, & acida, ut *Aqua Portulacæ*, *Acetoſæ*, *Boraginis*, *Sonchi*, *decoctio Trifolii*, *fol. Vitis*, *capreolorum ejuſdem*, *Berberis*, *Tamarindorum*; his addendus *Spir. Nitri*, *Vitriol*, *Sal Prunellæ*, *Sal Nitrum purificatum*.

℞. *Succi Portulacæ* ℥. *iij.*
Aquæ Endiviæ ℥. *iv.*
Salis Prunellæ ʒ. *i. m.*

Per plures dies exhibeatur. Valent omnia terracea: *Terra ſigillata*, *Bolus Armena*, *Creta*, *Cornu Cervi uſtum*, *Ocul. Cancrorum*.

℞. *Terræ ſigillatæ* }
Boli Armenæ } *a*. ʒ. ß.
Conſervæ fructuum Cynoſbatis ℥. *i. m.*

Superbibatur Aquæ ſummitatis Quercus ℥. *v. cum* ℥. *i. Syr. Portulacæ*, *per plures dies*. *Cynoſbates*, *vel fructus Roſæ ſylveſtris*, *quando aperiuntur fibrillæ*, *quibus arilli carni adhærent*, ſunt arcanum in ardore ventriculi. *Carlina*, *cum ſemine*, *ſolo viſu*, *huic ſymptomati medetur*, teſte *Vedelio in Amœnitatibus Medicis*, *ubi plura vide de hac herba*.

Diœta ſit refrigerans: vitentur cibi acres aromatici ſale conditi, vinum generoſum, & vetus, & aromaticum. Cyathus aquæ poſt cibum, effervefcentiam inordinatam alimenti prohibet, & iſtius cauſam debilitat.

CAP. XII.

De Attritione Ventriculi.

Dicitur attritio ventriculi, quando velut diſſolvitur, cum moleſtia quadam, & virium defectu. Hic affectus poteſt definiri, *Paſſio orificii ventriculi*, *cum languore virium*, *frigiditate totius*, *pulſu contracto*, & *difficili reſpiratione*.

Hæc paſſio non eſt cum dolore, alioquin conveniret cum Cardiaglia; eſt tamen affectio moleſta, poſt cibum affligens velut ab oppreſſione, & qualis accidit Hypochondriacis à flatu orificium ſuperiùs ventriculi premente, quæ flatu erumpente ceſſat, ad differentiam aliarum paſſionum dicti orificii, quæ ab humoribus, vel flatibus originem ducunt; unde patet, non loqui nos de illa attritione ventriculi *à Gal.* deſcripta *lib. de præcog. ad Poſthumum cap.* 11. cujus cauſam refundit in cibum, antequàm excernatur exæſtuantem; hujuſmodi namque affectio potiùs referenda ad ventriculi adſtrictionem, de qua ſuperiùs locuti ſumus.

Hujus affectus cauſa in obſcuro abſcondita eſt. Ego lucem pro ea detegenda ab Hipp. expoſcam, & hanc largitur *in lib. de flat. n.* 10. ubi explicat, quomodo à cibis frigus, & horror corpori accedat; & quamvis ejus ratio noſtro caſui applicari non poſſit, dum loquitur de frigore à cibo diu in ventriculo commorante, & in attritione ventriculi, de qua modò agitur, paulò poſt à cibo corpus refrigeretur; nihilominùs ejus veſtigiis inſiſtendo, pro præſentis caſus cauſa detegenda lumen accipiemus. Frigoris cauſam vult eſſe refrigerationem ſanguinis à flatu, & hæc cauſa eſt valdè rationabilis; ſi incaleſcit corpus à calore ſanguinis, hoc oppreſſo, & diminuto refrigerari neceſſe eſt, vel ex eo quòd minor calor, reſpectu majoris dicatur frigiditas, vel ex eo quòd calore corporis diminuto, ambientis frigiditas ei magis ſenſibilis ſit, non poteſt diminui calor ſanguinis, niſi diminuatur motus cordis, à quo ſanguinem calorem accipere dictum fuit de morbis Cordis. Hujus diminutionem in hoc ſymptomate, cognoſcimus à pulſu, & contracto, & parvo.

Quomodo à cibo prædicta ſurgant ſymptomata, explicandum dependenter à calore debili ventriculi, & fermento languido, quæ à cibi quantitate opprimuntur, ut in deſtinatam non exeant actionem cum virtute neceſſaria, prout demonſtratur ab hoc ſymptomate invadente, ut plurimum convaleſcentes, quorum calorem, & fermentum ventriculi præcedens debilitavit morbus, & eos ſimili debilitate affectos, ratione ſui temperamenti, & eos cibi quantitate ventriculum ad extenſionem implentes, à qua caloris, & fermenti actio conculcata languet; quapropter ſi cibi moderata quantitas dicti caloris, & fermenti oppreſſiva ſit, ſtatuendum eſt, hanc oppreſſionem procedere à magno languore caloris, & fermenti ventriculi, quæ etiam à parva cibi quantitate opprimuntur, cum impedimento ſuæ actionis, & moleſtia ſui organi, cui inſident. Hujus exemplum habemus in quantitate lignorum ignem magnum ſuffocantem, & in parva lignorum quantitate parvum opprimentem. Cura iſtius ſymptomatis caloris oppreſſionem, & languorem manifeſtum facit, ſuccedens à Pipere in Vino exhibito, & à calidis ventriculi fomentis, prout colligitur à *Bayro lib.* 11. *Pract. cap.* 9. Oppreſſo calore, & fermento ventriculi à cibis, remanet in iſtis ſola fermentatio propria, de qua *in Diſſert. de concoctione* actum fuit, quæ cùm non ſufficiat ad ciborum concoctionem, exhalationibus, & fumoſitatibus viam aperit; non aliter ac in igne à copia lignorum oppreſſo ſolus fumus relinquitur. Ab his exhalationibus, & fumoſitatibus plexus nerveus orificio ſuperiori ventriculi implantatus opprimitur, & vellicatur leni mordicatione, ſed cum aliqua triſti ſenſatione, non dolorifica, ſed moleſta, cum ſpaſmodico motu, ſed leni, quo ſuccus nerveus in eo contentus expellitur in cavitatem ventriculi, & oppreſſio novi ſucci receptionem prohibet, unde moleſtæ ſenſationi languor ventriculi conjungitur. Motus ſpaſmodici plexus fiunt communes nervis cardiacis, cum hoc conſentientes, & commercium, ob connexionem conſervantes, à quibus motus cordi diminutus tantummodò conceditur; ex quo pulſus contractus. Ad hos motus ſpaſmodicos refertur nimis exquiſitus ſenſus fibrarum ventriculi, cui alimentorum qualitates etiam moderatæ, & pondus ipſum eſt moleſtum, & irritativum, adeòut in contractiones ſpaſmodicas fibræ membranarum, & nervi ducantur. Talis ſenſus contingit, quando mucoſitas obliniens extimam ſuperficiem membranæ cavitatis ventriculi valida abſterſione, vel reſolutione deficit, ut accidit in copioſo, & frequenti vomitu, & purgatione per medicamentum, & in magna inedia, & aliis de cauſis. Hoc munimento fibris deficiente, à quo actio qualitatum alimenti moderabatur, hæc tota in fibras recipitur, cum illarum moleſtia. Iſtis triſtes fert ſuppetias fumoſitas à cibis ad cor exhalans, vaſa ſanguinis opprimens, vel nervos ea circumligantes ita compreſſione afficiens, ut parùm ſanguinis in cor effundere valeant, unde pulſus contractus, dum parva copia ſanguinis in cor effunditur, major remanet in pulmonibus, à qua impeditus eorum motus, difficilis exurgit reſpiratio, aucta à fumoſitatibus ventriculum diſtendentibus, cum prohibita expanſione Diaphragmatis. Humor acris, & mordax in ventriculo contentus, hujus ſymptomatis eſt cauſa; cùm enim quieſcit, nullius eſt incommodi, ubi verò à cibo intromiſſo motum acceperit, tunc vim ſuam in orificium ſuperius ventriculi exerit, modo ſupradicto.

Cauſæ ſunt quæcumque calorem reſolvunt; ſi hæ non præceſſerint, & ſymptoma invadat, hujus cauſa quærenda in humore pravo, & erroribus præcedentibus, & à temperamento naturali, vel acquiſito, humoris vitioſi naturam colligemus.

Signa diagnoſtica patent ex dictis. Prognoſtica, ſi diuturnæ ſit durationis, mali ominis eſt.

Curationem demonſtrat indicatio ventriculum purgandi, ut in aliis affectibus ſupradictis, & calorem ejus debilem remittendi, & fibras languidas, laxas ad ſuum ſtatum naturalem reducendi.

Ideò calida ſtomaticha conveniunt; remedium commune pro ſymptomate præſente ſuperando, eſt ʒ. *i. Piperis pulver.* in Vino generoſo exhibita, *Lanam ſuccidam*, *Oleo Nardino imbutam*, ori ventriculi applicare, pedes aqua calida lavare. *Species Diagalangæ ad* ʒ. *i. in Vino malvatico*, *vel iſtius Confect.* & *inunctio cum Oleo Nucis moſchatæ*. *Spir. Vini cum Cinam. Nuc. moſc. Galanga*, & *baccis Juniperi alteratus*, vel ante cibum, vel poſt cibum *ad* ℥. *i.* ſymptoma prædictum oppugnant; ſicut munire ventriculum cum *Cerato ex Maſtice*, & *oleo Nucis moſc. parato*, vel *ex Cerato cum Taccamaca*.

Præſervant ab hoc ſymptomate, *decoctio ligni Saſſafras*,

ſafras, *cum Meliſſa*, per triginta dies aſſumpta, vel ſequentes Pilulæ:

♃. *Ambræ Griſæ gr. ij.*
Moſchi
Croc. Orient. } *a. gr. i.*
Extract. Baccarum Juniperi ʒ. *i. m.*

Manè, vel ſerò poſt cœnam ſumatur, *cum Aqua totius Citri*, *vel Meliſſæ. Balſamum Peruvianum*, *vel Orientale*, valet, ſi *gutt. v.* iſtius, *cum Aqua Meliſſæ*, ſumantur jejuno ſtomacho.

Diœta ſit ad calidum vergens, & aromatibus condiantur alimenta; Vinum generoſum, ſed in moderata quantitate conducit.

Si à deficientia mucoſitatis in fibris ventriculi procedat attritio, hæc reſtituenda mucilaginoſis, ut *Succo Malvarum*, *Boraginis*, *Bugloſſæ*, in quibus diſſolvatur *Confectio Diatraganti ſimplex; Lac coctum*, *addita mucilagine*, *ſem. Pſylii*, *& Cytoniorum*, *vel Gelatina Cornu Cervi*, quæ mucoſitatem renovant.

Diœta ſit cum alimentis ejuſdem naturæ, nempè cum pedibus, & capite Vituli coctis, gelatina ex jure iſtorum parata, & etiam ex pedibus Capponum. Gambari, Limaces, Oſtreacea, omnia concedi poſſunt. Vinum ſit aquoſum, quia meracum nimis mordet fibras.

Si ab acri humore in ventriculo deliteſcente, hic evacuandus lenientibus; ut *Manna*, *Syr. Roſ. ſol. ſuperbibendo tres*, *vel quatuor libras Seri caprini*, *vel vaccini*, *vel Aquæ Noceræ*; poſtea attemperandæ ejus reliquiæ, & cauſa generans eiſdem attemperantibus tollenda, & conducent ea dicta de dolore ventriculi à materia bilioſa. Diœta ſit ejuſdem conditionis.

CAP. XIII.

De Ructu.

NOn de quacumque Ructus eruptione eſt ſermo, ſed de ea ſolùm, quæ Medicinæ opem requirit, eò quia eſt frequens, & moleſta; illa enim, quæ raro contingit ſine moleſtia, & multoties ob expulſionem aeris cum cibis in ventriculo introducti ſuccedit, medicam conſiderationem tamquam inutilem excludit.

Ructus, priori modo ſumptus, definitur: *Eruptio per os violenta*, *& ſonora flatus in ventriculo ſtabulantis.*

Eſt *Eruptio violenta*, quia eſt à cauſa externa flatui, nempè à contractione violenta fibrarum ventriculi, & œſophagi, & quandoque requiritur magna violentia dictarum fibrarum, ut expellatur, & multoties non ſufficit, prout experiuntur Hypochondriaci, cum ſumma illorum afflictione; ideò expellitur eo modo, quo omnia noxia corpori expelluntur. Eſt etiam violenta, quia facta cum impetu, flatus à loco anguſto, nempè ab œſophago, cum vi impulſus aerem in faucibus, gutture, & ore exiſtentem, cum impetu impellit, unde ſonus, prout docuit *Hippocr.* loquendo de ſternutatione, *aph.* 52. *lib.* 7. Additur *per ſuperiora*, ad differentiam flatus per anum exiens cum ſonitu.

Per flatum intelligenda eſt materia ſubtilis vaporoſa, ſimilis vapori ab aqua virtute Solis exhalanti, in raritate, & denſitate quandoque excedens; hic in ventriculo hoſpitatur, & aſſignatur ſedes hujus affectus, ventriculus nempè.

Cauſa flatus à Medicis controvertitur; quæ aſſignatur ab Hipp. ſolùm examini ſubjiciam.

A materia craſſa, & à calore in hanc agente flatus oriri docuit *Hippocr. lib. de intern. affect. numer.* 26. ubi ait: *Ab hepate fit aqua intercus*, *cùm in hepate pituita acceſſerit*, *& hepar ipſam ſuſceperit*, *& humectum fuerit*, *ſtatim igitur calorem exhibet* (ideſt hepati) *& flatum inducit*, *deindè temporis progreſſu aqua impletur.* Pituita, quæ ex ſui natura eſt per Hipp. craſſa, & calor determinantur cauſa flatus. Difficultas enodanda in hac ſententia remanet, cujus conditionis ſit hic calor; Ut hoc agam,

Conſidero primò, hunc calorem à pituita pendere, quod demonſtratur ab illius verbis, *Calorem huic* (ideſt hepati) *exhibet;* hoc verbum eſt relativum, & non poteſt referri, niſi ad pituitam ſuperiùs expreſſam; calor ergo hic pendet à pituita, conſequenter eſt calor debilis, cùm hæc ex ſui natura excedentis caloris non poſſit eſſe cauſa, & quando accendit calorem febrilem, eſt mitis, & debilis calor in genere febrilis. Secundò conſidero illa verba: *Hepar ſuſceperit*, *& humectatum fuerit.* Humidum caloris exceſſum temperat, ſicuti ſiccitas auget; ſi calor eſt in hepate humectato, eſt calor temperatus, & potiùs debilis. Tertiò conſidero eſſe calorem, cujus actione aqua hepar impletur; ſolùm calor debilis hoc permittit, & certè explicatur à ſubſequentibus verbis, quæ demonſtrant actionem caloris, nempè generationem aquæ, itaut calor, cujus actione generatur aqua, flatus etiam producat; ſed illa, niſi à colore debili generatur; ergo, & à calore debili flatus; quod apertè demonſtratur ab Hipp. cura, ibi *in cit. text.* deſcripta, quæ in calidis conſiſtit; & magis elueſcet, perpendendo modum, quo humiditas introducit calorem in corporibus, & eſt ſimilis illi, qui obſervatur in corporibus, propter humidi exceſſum putreſcentibus; hæc incaleſcunt, ſed leni calore excitato à particulis calidis in humido corpore exiſtentibus, & per rarefactionem ſolutis, & exaltatis; laxata dicti corporis textura, & unione particularum illud componentium, actio iſtarum ſemper moderatur, & reprimitur ab exceſſu humidi, unde calor mitis.

Ita dicendum de humido calorem hepati exhibente, non putredine, ſed humorum in ſua ſubſtantia contentorum fermentatione ab humido in ea collecto promota, dum ab illo laxatur textura, & humorum, & ſubſtantiæ, & particulis in textura comprehenſis, libertas ad motum conceditur, non naturalem, cum fermentatione, quæ calorem lenem efficit, à quo flatus copia generatur, eo modo quo à fermentatione vini mitem calorem accendente, flatus, & vapores in copia generantur. In hujus confirmationem habemus ſententiam *Hip. in lib.* 2. *de Diæt. n.* 25. ubi, agendo de modo, quo calefacientia alimentum, non præbentia refrigerent, evacuata humiditate à carne, ait: *Nam præſente humiditate mota* (ideſt fermentata, & efferveſcente) *flatu ab ipſa repletur* (ideſt caro) *ac perfrigeratur.*

Cura flatus per calida, ab *Hipp.* exarata *in lib. de affect. n.*92. calorem debilem cauſam flatuum oſtendit; curat enim potione Vini meraci, ſi ab eis, quæ calorem augent flatus diſſipantur; ab excedente calore non poſſunt generari, quia diſſipantur; ergo à debili, valente materiam in flatus attenuare, ſed hos non reſolvere. Hippocratem ſequuntur omnes Practici, qui in tradenda curatione flatuum calorem internum augentibus utuntur cum felicitate, quæ abeſſet, ſi ab exceſſu caloris flatus excitarentur. Sed clarè magis locutus eſt *Hippocr. lib. de affect. num.*44. ubi habet: *Quæcumque quidem venter ſuperat* (loquitur de alimentis) *& corpus ipſa ſuſcipit*, *ea neque flatum exhibent*, *neque tormen*; *ſi verò venter non ſuperat* (ecce debilitas caloris) *ab his*, *& flatus*, *& tormen*; *& alia hujuſmodi fiunt;* & inferiùs, ubi loquendo de flatu, de tormine ab alimentis ſubjungit: *Hoc ipſum etiam contingit*, *cùm quis plura ederit*, *ac biberit*, *quàm venter concoquere poteſt;* & *in lib. de Diæt. ſalub. num.* 12. ubi habet: *Quicumque poſtridiè cibos eructant*, *& præcordia ipſis elevantur*, hoc eſt ſignum flatus, ſubjungit in fine: *Palam enim eſt*, *quòd ventriculus*, *præ imbecillitate*, *ac frigiditate ciborum multitudinem concoquere non poteſt.*

Verùm hujuſmodi calor non debet conſiderari talis ſolùm in ſe, ſed etiam reſpectu materiæ, in quam agit; calor vegetus in ſe, agendo in materiam reſiſtentem ſuæ activitati, ab hac flatus elevat, & calor talis, reſpectu reſiſtentiæ materiæ, dicitur debilis; hac de cauſa multa alimenta dicuntur ex ſui natura flatuoſa, quia cuilibet caloris nativi activitati reſiſtunt, talia ex *Hipp. dicto in lib. de vict. rat. in acut. n.*59. ſunt *omnia legumina*, *& cruda*, *& cocta*, *& macerata*, *& frixa*; aliis verò cibis mixta corriguntur, & flatui occaſionem non præbent, quia aliis cibis tritutatione mixta reſiſtentiam amittunt, & ab aliorum humiditate emollita à calore vegeto, ſine flatu ſuperantur; & ſententia *Hippoc. in eodem text.* de Allio pronunciata his verbis: *Allium flatum*, *& calorem circa thoracem facit*, intelligenda eſt de Allio cum aliis cibis mixto, quia illius calor, cùm ſit incapax humiditatem aliorum alimentorum reſolvere, hanc in flatus tantummodò attenuat, & licèt

Allium ſit ſui natura calidum, reſpectu copiæ humiditatis aliorum alimentorum dicitur debilis; ita ingenioſè hunc locum explicat *Martianus*.

Cauſa efficiens flatuum eſt calor debilis; materialis, quam flatuum generatio expoſcit, eſt omne humidum; hoc eſt maximè in flatus attenuabile, ideò quæ humido carent, & ſicca dicuntur, à flatuum materia excluduntur. Humidum cum craſſitie, eſt magis proportionatum ad flatuum generationem, quia cum reſiſtentia attenuationem admittit, & cum majori reſiſtentia à craſſitie impertita reſolutionem rejicit.

Cauſæ externæ erunt eædem cum illis, quæ deſcribuntur de vitiis concoctionis.

Fit hic morbus, cùm materia craſſa, viſcoſa collecta in ventriculo, à calore debili, vel ab agente alio languido attenuata fuerit, ideò in fine concoctionis magis moleſti flatus, remanente in ventriculo alimentorum fœce, quæ actioni caloris reſiſtendo in flatus attenuata abit; quod innuit *Hipp. lib. 3. de Diæt. nu. 12. Quibuſdam verò venter concoquit cibum, Carnes autem non ſuſcipiunt, alimentum autem intus manens, flatum inducit.*

Hujuſmodi morbi ſpeciem quamdam ſubobſcurè delineavit *Hippocr. lib. 2. de morb. numer. 67.* ſub titulo *Morbus ructuoſus. Dolor corripit acutus, & dolitat vehementer, & ipſe ſe ipſum jactat, & vociferatur, & frequenter eructat, & ubi eructarit, meliùs ſibi habere videtur; ſæpè etiam bilem revomit modicum copuli parvi menſuræ, & dolor corripit à viſceribus ad imum ventrem, & laterum mollitudinem, & ubi hoc factum fuerit*, hoc eſt evomerit, eructarit, *meliùs habere ſibi videtur, ac venter inflatus, ac durus fit, & ſtrepit, & flatus non egreditur, neque ſtercus.* Non ſolùm ſigna morbi ructuoſi, ſed etiam inflationis ventriculi in hac ſententia deſcribuntur.

Adnotandum eſt, inter ſigna enumerari vomitum bilis modicæ, & deſignari cauſam hujus morbi, quia ſi per vomitum bilis meliùs ſe habet æger, & per vomitum, bilis rejicitur, cenſendum eſt etiam, bilem eſſe cauſam hujus morbi, & acrimonia, qua irritat, & fibras ad motus conſtrictivos cogit, à quibus aer in ventriculo contentus expellitur cum motu ſimili ei, quo ructus ſuccedit; hac acrimonia, diſſolvendo, & liquando materiam craſſam, caliditati ejuſdem bilis vires addit ad materiam craſſam, & viſcidam attenuandam, qua attenuatione eſt cauſa flatuum, quotieſcumque attenuatam materiam reſolvere non poteſt, quia reſpectu illius reſiſtentiæ, debilis eſt in ſua actione. Hanc ſententiam Hippocr. de bile, quæ ſit cauſa flatuum, dilucidavit *Silvius Le-Boe in ſua Praxi*, & alii Recentiorum ad imitationem Hipp. Hoc fundamento Hipp. crediderunt multi flatus à cauſa intenſa calida, prout eſt bilis, provenire poſſe; quod verum eſt, conſiderata bilis caliditate abſolutè, non reſpectivè ad materiam, in quam agit, quæ ſua viſciditate, vel quantitate reſiſtendo validæ actioni bilis, hanc debilem reddit, attenuationem in flatus admittendo, reſolutionem prohibendo: ab acido etiam attenuante, flatus oriri crediderunt, quæ ſententia tenenda, ſi acidum fuerit corroſivum; acidum ſimpliciter coagulans, & incraſſans, ſolùm cauſa materialis dicenda, dum materiam craſſam præparat.

Quoad ſigna diagnoſtica, ſunt manifeſta in ructus frequentia. Prognoſtica: ſi cum ructu adſit inflatio ventriculi, & dolor, timendum eſt prognoſticum *Hipp. in lib. 4. aphor. 11. Quibus inteſtinorum dolores, & circa umbilicum labores, & lumborum angor, qui non ſolvuntur, neque à purgante medicamento, neque aliter in Hydropem ſiccum firmantur.* Si ructus ſunt fœtidi, ſunt peſſimi, quia putredinem, & corruptionem materiæ in ventriculo oſtendunt.

Hujus affectus curam proponit *Hipp. loc. ſuperiùs cit. lib. 2. de morb. nu. 67.* & licèt ibi doloris ſolùm à flatu curationem exponere videatur, multa tamen habentur flatuum diſſolutioni accommodata, & præcepta dictat in flatuum diſſipatione obſervanda.

Primò proponit ſibi indicationem flatus reſolvendi, quæ in curatione affligentis ructus, eſt prima indicatio; non enim à ructus moleſtia ſublevabitur æger, niſi flatus diſſipetur. In hunc finem *lavacrum aquæ calidæ* imperat; calefacta enim ſanguine, ab hujuſmodi lavacro auxiliares ſpirituum copiæ ad diſſipandos flatus expediunt. Poſtea *calefactoria*, hoc eſt fomenta, applicat; ubi per calefactoria, non ſolùm, quæ actu calida applicantur, ſed quæ interna calefaciendi, & reſolvendi virtute donata ſunt, intelligit; talia enim exigit flatus curatio. Fomenta ergo ventriculo applicanda, quæ flatus reſolvant; inter quæ, *Decoctio Camomillæ, Rutæ, Salviæ, Satureja a. m. ß. Anethi, Fœniculi, Baccarum Lauri, Granorum Juniperi a. ℥. ß. in vino, & aqua facta*, qua cum ſpongii, vel lino crudo in Decocto calido immerſis, & expreſſis, regio ventriculi fomentetur. In eumdem finem uti poſſumus inunctionibus cum *Oleo Nucis moſcatæ, Balſamo Peruviano, Oleo Juniperi, mixtis cum Oleo Abſinthii, & Menthæ*; vel *Aqua vitæ, in qua madefacta ſit petia duplicata, regioni ventriculi apponatur*, vel *Emplaſtrum de Baccis Lauri*.

Secunda indicatio ab Hippoc. elicita, eſt evacuatio materiæ, à qua flatus elevantur, per Clyſterem, dum ait: *Ubi verò dolor, & flatus in ventrem fuerit, Clyſterem adhibeto.* Ad hunc finem, ut materia flatus, & doloris cauſa in inteſtinis, evacuetur, & cùm per Clyſterem poſſit evacuari materia in ventriculo contenta, à qua flatus proveniunt, in hoc affectu etiam conveniunt; & quia pro purgatione adhibentur purgantia, etiam Clyſteribus hæc miſcenda, ſed eligenda, quæ materiam magno tumultu non agitant; in hunc finem *Clyſteres carminativi, cum ℥. i. Empl. de Bacc. Lauri*, ſunt proprii, addita *Benedicta laxativa*, vel *Diacathol.* vel *Mel. Roſ. ſol.* Clyſteris operationem coadjuvat blandè Hipp. cum potione facta ex *Succo Mercurialis, & Ptiſana, ſuperbibendo Vinum dulce aquoſum*; hæc enim omnia alvum lubricam faciunt, non purgant, ut patet de Mercuriali debiliſſimo apud Antiquos medicamento, de Ptiſana, quæ emollit, & de Vino dulci ex *Hipp. lib. 2. Diæta num. 13. & in lib. de rat. vict. in acut. num. 251.* & nos docet, flatu vigente, alvum lubricam eſſe ſervandam, non verò eſſe purgandum; nec opponendum ex Hippoc. præſcripto, Ptiſanam multos dare flatus; nam hoc oppoſitum ſolvit *Hippoc. de vict. rat. in acut. num. 7.* ubi ait, *Ptiſanam flatus, & dolores cauſare eis, quibus intus concluſus eſt, & non facta deorſum evacuatione*; ideò Ptiſanæ Clyſterem præmittit. Loco Ptiſanæ ſubſtitui poteſt laxans *Decoctum ex foliis Malvæ, Paſſularum, Brunorum Damaſc. & Roſ. virid.* vel *Decoct. Sebeſten, cum Crem. Tart. ℥. vi. facta colat. & Cremore ſeparato, exhibeatur poſt Clyſterem.*

Tertia indicatio Hippoc. eſt, materiam, à qua flatus reſolvere, & hoc peragit diæta rigoroſa, dum ait: *Cibum ne exhibeas, donec dolor remiſerit*; & hoc præceptum applicari poteſt ructus curationi, cibum non exhibendo, donec ructus non ceſſerit. Quantum valeat diæta ad humorum reſolutionem, docent illi, qui ab inedia emaciantur. Licèt à cibo ſubminiſtretur materia pro flatuum generatione, à pauco cibo pauci flatus provenient, & facilè reſolubiles, & à diæta materia antecedens reſolvetur; idcircò *Uvarum expreſſarum retrimenta* (hoc eſt illud, quòd ab expreſſo Uvæ ſucco remanet, ſed aliquantulum humido, & fęces, vel recrementa Uvæ appellantur) *ſolùm exhibet*; in hoc enim, ob humidum, quòd de Uva retinet, nutrimentum, ſed parvum reſervat, humidum verò flatulentum Uvæ cum ſucci expreſſione ſeparatur; hoc retrimentum in aqua decoquit, qua ægrum per ſex dies nutrit. Noſtra ætate huic correſponderet jus ſolùm carnium, vel *Aqua decoctionis Paſſularum, & Prunorum dulcium, & unà cum Pane in hac decoctione macerato, & bullito alimenti præparatio.*

Ad reſolvendam materiam flatus, Medici poſt Hipp. non contenti ſola diæta, vel in hac nimis largi, cauſa inobedientiæ ægrorum, vel aſſiſtentium aliter ſe gerunt, ideò viſum eſt eis diætæ utilitatibus ſupplere cum reſolventibus medicamentis ad uſum redactis, inter quæ primum locum tenet *Camomilla*, & omnia ex hac parata remedia, *Grana Juniperi, Cinamomum, Nux moſcata, & Ambra*; *Radix Zinziberis, Galangæ, Zedoariæ, Ariſtolochiæ, Cardamomum, Calamus aromat. Spica Nardi, Lignum Aloes*; ex quibus parari poſſunt Decocta, Mixturæ, Aquæ, Electuaria; ut

℞. Roob

℞. *Roob. de granis Juniperi* ℥. ß.
Pulv. Cinam. ʒ. ß.
Nucis moſc. ℈. i.
diſſol. in Aqua Meliſſæ ℥. *vi. & cochleatim aſſumatur:* vel
℞. *Decoct. Calam. aromat.*
Zinzib. } ℥. *viii.*
Galangæ
Spec. Diambræ
Aromat. Roſ. } *a.* ʒ. *i.*
eodem modo aſſumenda. *Syr. Cinam.* ℥. *i.* ß. *cum decoctione Cardamomi, Ligni Aloes, Calami aromat.* ℥. *viii.* ſumantur manè, & ſerò per tres horas ante cibum.

Quarta indicatio Hippoc. eſt, purgandi per ſeceſſum, dolore ſedato; ait enim: *Poſtquam dolorem evomerit, medicamento deorſum purgato*. Maximum Hippoc. præceptum, vigente dolore à flatu, non eſſe purgandum. Hujus præcepti fundamentum, eſt materiam purgandam à vi medicamenti purgantis agitatam flatus multiplicare; irritans medicamenti qualitas dolorem auget. Aliud fundamentum eſt, quòd in dolore, & etiam in flatu, quandoque medicamentum affligit, & non operatur, ut multoties in praxi obſervatum eſt, cùm partes internæ, præ dolore convulſæ, vel à flatu compræſſæ, & diſtenſæ exitum humorum per propria vaſa non permittant, impedito per compreſſionem, vel diſtenſionem vaſorum, & inteſtinorum motu illo neceſſario ad humorum purgationem. Ceſſante verò dolore, purgatio ſine moleſtia ſuccedet. Ulterius ceſſante ructu, non eſt exiſtimandum totam materiam in flatus abjiſſe, & diſſipatam fuiſſe; ideò ſuperfluam eſſe purgationem; nam materia craſſa non tota ſimul diſponitur in flatus, ſed paulatim per partem poſt partem; & hæc adeſt, abſque eo quòd ſint, qui tunc erumpant flatus, ſed alia materia remanet in flatus diſponenda; hæc eſt purganda, & etiam illa, à qua ructus fomentum ſuſcipere valent, cùm iſtius velut cinis remaneat humido in flatus reſoluto, hic cinis à novo humido alimentorum, & potus imbibitus, denuò ructui ſerviet; ideò hæc purganda medicamentis ſuperiùs deſcriptis pro purgatione pituitæ, & melancholiæ; ſed inter omnia præſtabit *Aqua Tetutii*, vel alia *mineralis*, ſale, vel ſulphure ditata more conſueto, per plures dies exhibita, cum vehiculo *Mel. Roſ. ſol.* vel *Syrupo è floribus Perſici*. Hoc Hippoc. præceptum aliud nobis aperit, nempè non eſſe permittendam materiæ collectionem in ventriculo, facta in omni hebdomada leni purgatione, vel cum *Pil. de Hiera cum Agarico*, vel cum *Pil. ſine quibus*, vel cum *Cremore Tartari*, vel cum *Mel. Roſ. ſol.*

Diætam ſervandam in præſervatione hujus morbi, docet *in fine text. Hipp.* nam de Diæt. in actu ructationis ſuperiùs egit; in hoc conſiſtit, quòd alimenta ſint *molliſſima*, ideſt facillimæ concoctionis, & etiam facilis digeſtionis, quæ petenda ſunt potiùs à Piſcibus marinis, quàm à carnibus, quia Piſcis faciliùs digeritur, quàm caro, & marinus, quia carnis magis denſæ, & minus humidæ flatus non exhibet. Inter carnes verò, ovillas, & volucrum, cœteris præponit coctas. Inter olera, *Beta* nempè, quia eſt laxativa, & *Cucurbita*, quæ licèt frigida, non eſt flatuoſa, quia humido aqueo abundat, ideò à ſtomacho citò diſcedit, & ructus materiam non relinquit. Olera omninò prohibet, cùm dicat, *Ab aliis verò abſtineat*.

Si huic Diætæ adjungantur remedia ventriculum calefacientia ad imitationem *Hippocr.* qui *in lib. de ſalub. diæt. num.* 12. in ventriculo imbecilli frigido Vinum maracius, & ampliùs exhibet, citiùs curationem, & permanentem obtinebimus; hæc ſuperiùs de læſa, & diminuta concoctione alimentorum, & de cruditate acida deſcripta fuerunt. Diæta tamen in hac principalem habet partem, ideò de hac præcisè locutus eſt Hipp.

CAP. XIV.

De ſingultu.

Singultus eſt *Motus depravatus convulſivus interruptus, vel ventriculi, vel Diaphragmatis, vel utriuſque ab irritamento pendens.*

Eſſe *Motum depravatum* patet, quia talis motus non eſt naturalis, ſuccedendo cum ſenſibili moleſtia, & mortem inferendo; & hanc prædicit, ſi alicui morbo ſupervenìat. Eſſe *convulſivum*, docuit *Hipp. in aphor.* 39. *ſect. 6.* Convulſio fit, aut à repletione, aut evacuatione; ſic autem & ſingultus convulſionem per Hippoc. idem eſſe cum motibus convulſivis, demonſtratum eſt *in diſſertatione de motibus convulſivis*. Convulſionem eſſe *motum depravatum partium nervoſarum*, omnibus eſt inconfeſſo. Singultum eſſe motum depravatum, patet ſenſu, eſſe convulſivum, oſtendit motus, qui eſt elevationis, & depreſſionis, contractionis, & dilatationis partium, in quibus reſidet paſſio ſingultus, & prædicti motus ſunt convulſivi. Eſt convulſivus, quia eſt motus depravatus ob affectionem nervorum, qui ſunt cujuslibet motus animalis inſtrumentum, & eſt motus violentus, tamen non durans, ſed mox interruptus, & ceſſans, iterumque ſæpè numero repetens, & hæc omnia eſſentiam motus convulſivi conſtituunt, ut de motibus convulſivis demonſtravi ex Hipp.

Eſſe ſingultum convulſivum ventriculi motum, licet certò colligere ab iſtius apparentia paulò poſt aſſumpta alimenta acria, & etiam in actuali aſſumptione iſtorum, ut patet in Piperis quantitate cum Vino deglutita, in aſſumptione Aquæ vitæ ſimplicis, in quibus caſibus ſtatim moleſtat ſingultus, & pars ab iſtis acribus affecta, non alia eſt, quàm ventriculus; ſi ab ingeſto in ventriculum acri hic ſingultu ſtatim afficitur, ita ſi ab aliquo acri interno afficiatur ventriculus, ſingultus ejus motum depravabit, & evidenter demonſtratur à curatione ſingultus per vomitum habita, & Hipp. paſſionem ventriculi eſſe ſingultum videtur ſenſiſſe.

Fieri à Diaphragmate irritato cenſuit *Platerus*, quem ſecuti ſunt noſtræ ætatis Recentiores omnes, quorum rationes ſunt: Primò, non poſſe fieri ſingultum, niſi inſpirando, ideſt aerem trahendo, & ita Diaphragma deorſum movendo. Secundò, ſingultus eſt motus voluntarius, quia imperio Voluntatis quilibet poteſt ſingultum efficere, in ventriculi cavitate non adeſt motus voluntarius. Tertiò, ſæpiſſimè curatur ſingultus ſola inſpiratione retenta, & expiratione diù compreſſa, & ſi eſſet paſſiò ventriculi, à protracta inſpiratione ſingultus exaſperaretur, cùm per inſpirationem Diaphragma verſus ventriculum impellatur, & ſupra hunc incumbat, adeout iſtius gravitas pro irritamento illi ſerviat. Hæ rationes probant à Diaphragmate læſo oriri poſſe ſingultum, ſed non probant ſemper Diaphragma eſſe ſedem ſingultus, ut patet in ſingultu ab acribus eſculentis, vel potulentis aſſumptis. Ab harum partium ergo motu convulſivo oriri poteſt ſingultus. Quapropter ſedem hujus affectus ponimus & in ventriculo, & in Diaphragmate, vel per ſe, vel per conſenſum læſo ab irritante, ſicut contingit in inflammatione hepatis, in qua ſingultus ferè ſemper exit in apertum, docent *Hipp. in aphor.* 58. *lib.* 5. *Hepati inflammationem patienti, ſingultus advenit*, illæſo ventriculo, ſed ſepto tranſverſo, cui alligatur hepar à calore acri inflammatorio hepatis, irritato.

Dictum eſt *ab irritamento pendens*, ut aſſignetur cauſa efficiens ſingultus.

Cauſam ſingultus eſſe irritamentum, demonſtratur ab eo, quòd ſingultus ſit motus convulſivus, qui ſemper ab irritamento pendet, ut demonſtratum fuit ex mente *Hipp. in cit. diſſert. de motibus convulſivis*, & doctrinæ Hippoc. ibi allatæ ſingultui applicari poſſunt; ſed in terminis de ſingultu demonſtratur ab *aphor.* 13. *ſect.6. Hipp.* ubi habet: *A ſingultu detento, ſternutationes accedentes ſolvunt ſingultum*. Hæc ſententia eſt univerſalis de ſingultu, & ſine limitatione prolata, itaut de omni ſingultu accipienda ſit; ſed ſternutatio non poteſt tollere ſingultum, niſi ſit ab irritamento, cùm per motum convulſivum ſternutationis, materia irritans fixa ventriculo, vel

vel Diaphragmati excuſſione expellatur ab eis. Si admittatur repletio, vel inanitio ſimpliciter cauſa ſingultus, ſternutatio non poteſt eſſe remedium iſtius cauſæ, cùm nec repletionem, nec inanitionem tollat, ſed ſolùm ſi iſta duo accipiantur tamquam irritamentum, quomodo accipienda eſſe determinavi *in cit. diſſert.* Unde humores acres corrodentes ad ventriculum deſcendentes ab arteriis, ſunt cauſa ſingultus, vel aciditate, vel ſalſedine, vel corroſione. Flatus ab humoribus dictæ mox conditionis elati ad ventriculum, pus in hoc collectum ſua acrimonia ſingultum excitant.

Cauſæ externæ ſunt alimenta, & medicamenta acria, & ſingultus proveniens poſt evacuationes, non præcisè ab inanitione pendet, ſed è particulis irritativis medicamenti. Cibi in ſtomacho corrupti, ſi per corruptionem acrimoniam acquirant; venena acria, & irritativa facultate prædita; refrigerantia valida, ut potus nive refrigeratus, eſt enim frigus irritativum validum partium nervoſarum, inter quas os ventriculi, & tunicæ ejus: mala conformatio partium circa ventriculum, ut coſtæ verſus ventriculum depreſſæ, de quo vide *Schenkium*. *Rhodius* ab undecimæ coſtæ compreſſione verſus ventriculum orti ſingultus obſervationem habet *lib. 2. obſerv. 61.* vertebratum compreſſio verſus ventriculum.

Signa diagnoſtica per ſe ſunt manifeſta. Signa cauſarum: ſi ab acribus humoribus, præceſſit cauſa externa hos generans, à ſapore flatuum, à colore, à qualitate humorum, qui ſæpè cum ſingultu expelluntur; à ſapore etiam in ore, ſalſo, amaro, acido, qualitatem, & conditionem irritantis humoris, vel flatus diſtinguimus. Venenum, ab eis, quæ iſtius ſuſpicionem præbent, diſtinguendum. Flatus, ab inflatione ventriculi, ab eorum eruptione cum conferentia cognoſcetur.

Quoad prognoſim, ſi diuturnus erit, periculoſus; enervatur enim tali motu violento tonus, fibrarum ventriculi, & Diaphragmatis, iſtorumque textura valdè læditur, ubi primorum principiorum earumdem partium everſionis jaciuntur fundamenta. Durare per multos dies, quotidiana demonſtrat experientia; & per viginti dies Theologum ſingultiſſe narrat *Epihan. Ferdin. Hiſt.* 43. & ad annos, obſervavit *Bartol. cent. 2. Hiſt. Anatom.* 4. quo frequentiùs, & violentiùs ſuos reiterat acceſſus; ſolet enim quandoque in omni inſpiratione apparere, eò periculoſior. *In febre ſingultus, malum*; *in lib. enim 2. de morb. num. 62. mortem intrà ſeptem dies* prædicit *Hipp.* in febribus malignis cum ſingultu, omnes ferè moriuntur, ſuperveniens in febre cum ſignis concoctionis crifis indicium, quæ ſi non ſuccedat, lethale. *A vomitu ſingultus, & oculorum rubor, malum, aphor.* 3. *ſect.* 7. & *aphor.* 10. *Ab ileo vomitus, ſingultus, deſipientia, vel convulſio, malum*; & *aphor.* 17. *ejuſdem ſect. In hepatis inflammatione ſingultus, malum*; & *aphor.* 3. *ſect.* 5. *Ubi ſanguis plurimum effluxerit, ſingultus, aut convulſio ſuperveniens, malum; & aphor.* 4. *Ex ſuperflua purgatione convulſio, aut ſingultus ſuperveniens, malum*; *& in Coac. prænot. n.* 1. *In ſingultu, ac ſpiritu delirium, lethale*; & *n.* 4. *Singultus in meracis vomitionibus, malum*; & *in lib.* 1. *prædict. n.* 3. *Cum ſingultu vocis interceptiones, mala.*

Indicationes duæ à cauſa ſingultus oſtenduntur: Prima eſt irritamentum, quod debet tolli; & hoc innuit *Hipp.* quando dixit, *ſternutationem ſanare ſingultum*, quia expellit cauſam ſingultus; purgatione, vomitu tolli hujuſmodi irritans; quod demonſtravit *Hipp. lib.* 5. *de morb. popul. num.* 4. ubi choleræ, & ſingultus curationem oſtendit per *vomitum, & purgationem à Veratro cum ſucco Lentium.* Secunda eſt attemperatio irritamenti, ad quam reduco *narcotica.*

Quoad purgationem, propria ſunt in hoc affectu purgantia ex *Aloe, Mercurio dulci, & Scammonea*; ut

℞. *Pil. Alephang.* ʒ. *i.*
Mercurii D. ℈. *i. M.*

Vel

℞. *Spec. Hieræ S. Gal.* ℈. *ii.*
Diagridii gr. viii.

Purgantibus verò ſemper opiatum aliquod admiſcendum. *Mel Roſ. ſol. Syr. Roſ. ſol. Manna* uti poſſumus, ſuperbibendo *Aquam Tetutii*, vel *Serum ad libram.*

Vomitus excitetur *Antimon. præp.* & in infuſione, ſi æger robuſtus, & facilis ſit ad vomitum; ſi non, utendum *Aſaro*, & *Sale albo Vitrioli.* Hæc duo remedia conveniunt, tam ſi ventriculus, quàm ſi Diaphragma fuerint pars affecta.

Dubium eſt, an venæ ſectio conveniat in auferendo hoc irritante. Non convenire, probat natura irritamenti, quòd inter excrementa, ut plurimùm collocandum; huic impropria, & inutilis eſt venæ ſectio, & ſitus ipſius irritamenti eſt extra venas, & partis infixus; miſſio ſanguinis non eſt ſufficiens ad materiam extra venas exiſtentem evacuandam, conſequenter ſanguinis miſſio non convenit in ſingultu, cùm irritamentum ſit extra venas, & ſit excrementum. Ex altera verò parte habemus *obſervationem in Aet. p.* 143. *de ſingultu pertinaci, & periodico, nullis remediis cedente, venæ ſectione copioſa in brachio curato; & Hollerius* narrat *de ſexagenario copioſo ſanguinis fluxu à convulſione, & ſingultu liberato.*

Pro dubii reſolutione dico, ſi ſingultus, præcedente vomitu, vel purgatione, & opiatorum uſu, non ceſſerit, ſuſpicandum eſſe ſingultum pendere à parva plenitudine venarum in ſtomacho, vel Diaphragmate, vel ab inflammatione harum partium non adeò magna, ſi febris ſingultui conjungatur, & in hoc caſu mittendus ſanguis.

Chirurgia habet alia remedia pro ſingultu, inter quæ eſt *ligatura ſtricta cum faſcia circa coſtas mendoſas*, à qua libera inſpiratio, & dilatatio ampla thoracis impeditur, in qua ſingultus affligit, & qua repreſſa impeditur, vel minuitur; quod patet in ſingultu à cibo acri, qui cum retento ſpiritu, ſeu inſpiratione aeris diù retenta ceſſat; & ſi ſupra regionem ventriculi applicetur *omentum Vituli*, vel *Caſtrati, Oleo Anethi, & Caſtorei infuſum*, & ſupra cum faſcia ligatura fiat, magis efficax erit remedium. *Cucurbita magna* ventri appoſita, incantamenti inſtar, ſingultum, præcipuè à flatibus ſedare, docent *Zacut. lib. Prax. admirandæ, Fonſeca to. 2. conſ.* 27. *Impoſitionem, & detentionem manuum, & pedum in aqua calida* laudant.

Quoad ſecundam intentionem, attemperantia debent reſpondere cauſæ: ſi hæc fuerit acidum irritans, conveniunt aromatica, ſed opiatis mixta, quæ in quacumque cauſa præſcribi debent; ut *Zinziber*, & maximè conditus, ab india delatus, *Caryopholi, ſem. Aniſi, Oleum, & Spir. eorumdem, ſemen Anethi ad m. i. in nodulo ligetur, bull. in Vini generoſi* ℔. *ii. de hoc bibat manè, & ſero cyathum unum, habetur pro arcano*, & magis valet, *ſi addantur ſemina Papaveris.* Sequentes Boli ſunt efficaces:

℞. *Galangæ*
Croci
Spicæ Nardi } *a.* ℈. *i.*
Ligni Aloes
Macis } *a.* ℈. ß.
Opii præp. gr. vi.
cum Succo Pſylii fiant paſtilli, doſis ℈. *i.* omni manè cum *decoct. Anethi.* Vel

℞. *Theriacæ* ℈. *ii.*
Ol. Aniſ. gutt. iii.
Macis gutt. ii.
Laudani opiati gr. i. ß. *M.*

Sequens Mixtura, cochleatim, & ſæpè ſumpta, valet:

℞. *Aquæ Meliſſæ* ℥. *iv.*
Aqua vitæ Matthioli, vel Theriacalis, vel Reginæ ℥. ß.
Spec. Diambræ ℈. *ii.*
Conf. Alchermes ʒ. *i.*
Laudani opiat. gr. iii. M.

Externè conveniunt *Cer. ex Galbano crocato Mynſicht, Panis è furno extractus, Vino malvatico imbutus, fomentum factum cum ſpongia madefacta, & expreſſa in Vino, in quo bullierint Piper, Sinapis, ſem. Carvi, & Anethi.*

Si irritans fuerit bilis, nil melius *Aceto, & Opio, Aqua Portulacæ, Acetoſæ, Sempervivi minor. cum Succo, vel Rqob de Ribes, vel Cotoneòrum*; *Cornu Cervi uſtum, Ebur uſtum*, conveniunt. *Species trium Santol. Diarodon Abb. Diatraganthi, Elect. Diaſcordion, Sal Prunellæ, Spir. Nitri, Nitrum purificatum. Syr. à Foreſto*

reſto li. 7. *obſer.* 31. deſcriptus, in materia acri, & bilioſa, meo judicio, omnia antecellit remedia deſcribitur ab *Etmull. fol.* 240. *de ſingultu*. Vel

℞. *Spec. trium Santal.* } *a.* ʒ. ß.
Damargar. frigid.
Cornu Cervi uſti ℈. *i.*
Nitri purif. ʒ. *i.*
Opii præp. gr. iv. M. pro mixtura cochleatim ſumenda.

℞. *Aquæ Acetoſæ* } *a.* ℥. *iii.*
Portulacæ
Aceti diſtill. ℥. *i.*
Diaſcordii ʒ. *i.*
Spec. trium Santal. ʒ. *i.*
Spir. Camphoræ ℈. ß.
Laudani opiat. gr. iii.
Syr. Foreſt. ſuprad. ℥. *i.* ß. *M. pro mixtura cochleatim, & ſæpè ſumenda.*

Aqua decoct. Tamarind. & fol. Portulacæ, & ſeminum Papaveris albi, cui pro lib. adde ℥. *i.* ß. *Syr. Foreſt. vel Succum Ribes, vel iſtius Roob, paretur pro potu in die ad libitum.*

Externa, quæ conveniunt in hac cauſa, ſunt, *fomentum ventriculi regioni cum ſpongia Aceto, decoctionis Sempervivi, Portulacæ, Papaveris imbuta applicatum*; vel

℞. *Specier. trium Santalorum* ℥. ß.
Roſarum ſiccarum ʒ. *iii.*
Sem. Papaveris ʒ. *ii.*
Opii gr. vi.

miſceantur cum fermento acri, & tota maſſa diſſolvatur cum Aceto ferventi in formam emplaſtri, quod petiæ impoſitum regioni ventriculi applicetur. Omentum etiam Vituli, vel Caſtrati, cum Aceto excalefactum, & ventriculo appoſitum, vel Panis calidus ex furno extractus, & ventriculo in emplaſtri formam ſuperpoſitus, ſingultum moderatur.

Si ab aliis morbis pendeat ſingultus, iſtorum, curatio invenienda in illorum tractatu; in febribus malignis non curabitur ſingultus, niſi urinæ, vel ſudoris incitatione per diuretica, & diaphoretica, à quibus curatio dictæ febris perficitur.

Diœta varianda, & ipſa juxta varias cauſas, in acido peccante, aromaticis condiendus cibus; in bilis vitio, acidis; ſemper tamen ſit parca.

CAP. XV.

De Cholera.

AB excretione cholerica, ſeu bilioſa, quæ, ut plurimùm, in hoc morbo obſervatur, & per ſuperiora, & inferiora, nominatur Cholera; licèt quandoque excernantur humores ſeroſi, & aquoſi; quia tamen de acrimonia bili ſimili participant, Cholera nihilominus nuncupatur.

Hujus morbi naturam, & definitionem delineavit *Hipp. lib.* 5. *de morb. popul. n.* 27. ubi habet: *Contigit, ut in affectiones cholericas delaberetur bile ſurſum, ac deorſum exeunte*; quod repetit *cit. lib. n.* 29. *& lib.* 7. *de morb. popul. n.* 40. Unde communis, & acceptata orta eſt Choleræ definitio: *Aſſidua, & immoderata humoris bilioſi, vel acris, cum vehementi perturbatione, & violentia per ſuperiora, & inferiora ejectio; his uniuntur etiam dolores ventris, convulſiones, ſingultus*, ut idem *Hipp.* teſtatur *in lib.* 9. *de morb. popul. n.* 4. & habemus ſubjectum hujus ſymptomatis eſſe ventriculum, & inteſtina.

Cauſas tam internas, quàm externas habemus ab *Hipp. in cit. loc. In omnibus enim*, ait, *bilem, & per vomitum, & per alvum excerni*, & cùm excernatur in copia, monemur bilem in quantitate, & qualitate excedere. Proprium eſt bilis ſua acrimonia naturam ſtimulare ad expellendas quotidianas alimentorum fœces, cum quibus, & aliis excrementis exit; ſi in copia exit, ut in Cholera, oſtendit irritamentum eſſe validum, & ejus acrimoniam præternaturaliter auctam, unà cum quantitate excedenti. Pariter ſi per vomitum expellitur, idem cenſendum, vel humore excrementitium bili æquivalentem in copia colligi in ventriculo, & inteſtinis determinandum.

Cauſa ergo immediata Choleræ erit bilis, & quantitate, & qualitate peccans, nimis acris facta, & valido irritamento ventriculum ad vomitum, & inteſtina ad excretionem per alvum ſtimulans, hujuſmodi bilis in caſibus ab Hipp. deſcriptis Choleram parit: ex quo ſequitur poſtea, quòd ſi humores alii acres in corpore colligantur, & quantitate exuberent, Choleram morbum poſſint facere, adeout dictum Hippoc. ad omne acre extendendum ſit, quod eodem tempore & ventriculum, & inteſtina irritet. Hac de cauſa obſervamus aliquando in Cholera ſeroſitates acres, mordaces, cum parva bilis quantitate exire & per vomitum, & per ſeceſſum.

Modus, ſecundùm quem fit hic morbus, à paucis proponitur, & declaratur; colligitur tamen à cognitione modi, ſecundùm quem fiunt omnes copioſæ evacuationes per vomitum, & per ſeceſſum: ad hoc ut hæ ſuccedant, neceſſe eſt, ut humor deferatur ad ventriculum, & ad inteſtina, cùm humor copioſus ejectus per multos dies totus priùs non colligeretur in dictis locis, utique materia per trecentas evacuationes ejecta in ſene, de qua *Fontanus in Analectis cap.* 15. *exemplo* 12. nec illa per trecentum ſexaginta ſedes ejecta in Cholera, prout habet *Zacut. Luſit. lib.* 7. *Prax. Admir. obſer.* 15. tota non collecta in ventriculo, & inteſtinis, ſed paulatim, & ſucceſſivè ad ea fluebat per arterias, quæ alimentum vehunt, vel in ſubſtantiam membranoſam internam inteſtinorum, vel in eorum glandulis deponunt; quod contingit etiam in ventriculo, & in iſtis partibus paulatim coacervatur, donec in tanta quantitate colligatur, ut & ventriculo, & inteſtinis factus gravis humor receptus irritans, ſua qualitate acri ad expulſionem determinet & ventriculum, & inteſtina: Hoc modo fiunt omnes evacuationes ſpontaneæ alimentorum quantitatem excedens, quæ ſerviunt depurationi ſanguinis ex naturæ inſtituto, licèt aliquando ab hoc aberret; harum evacuationum materia copioſa in ſanguine priùs exiſtebat, & paulatim per arterias ad dictas partes defertur. Id quòd in evacuationibus ſpontaneis fieri judicamus, etiam in Cholera ſuccedit, in qua uno, & eodem tempore & vomitus, & ſeceſſus conjunguntur, quia conatus virtutis ſtomaci in vomitu, & moleſtia excrementorum irritantium talem agitationem, & perturbationem in eo inducunt, quæ ad inteſtina ventriculo connexa, continua ſucceſſione tranſit, cum agitatione humorum ibi exiſtentium, qui agitati irritant, & ab irritatione determinatur pars irritata ad eorumdem expulſionem. In hac agitatione, moleſtia, & irritamento inteſtinorum, adeò perturbatur illorum motus, ut ab hoc exprimatur copia bilis à cyſtifellis in cavitatem inteſtinorum, & ab hac etiam per pylorum ad ventriculum feratur, & deorſum verſus anum portio deſcendat, ob motum inteſtinorum periſtalticum convulſivo modo peractum, modò ſuperiora verſus, modò ad inferiora; ab eodem motu materia in glandulis tam ventriculi, quàm inteſtinorum collecta ad exitum promovetur, unde copioſa evacuatio bilis per ſuperiora, & inferiora.

His determinatis, patet in Cholera non eſſe læſionem facultatis dictæ retentricis, ſed læſionem facultatis expultricis nominatæ, quia adeſt irritans, quod ſolùm movet expultricem; ſed partem, non laxat; patet etiam hoc irritamentum à ſanguine exire, in quo latitat fermentum diſſolutivum ejus ſubſtantiæ, & iſtius commutativum in humores acres, & bilioſos. Hoc fermentum ſanguini impreſſum fuit à cauſis externis, quas, ut plurimùm, præcedere Choleram obſervamus, licèt poſſit in eodem ſanguine ab interna illius diſpoſitione mala, & ab impedita ſuorum excrementorum ſenſibili, vel inſenſibili evacuatione, & vitio naturalis ſuæ fermentationis emergere.

Humores corrupti pravis qualitatibus conceptis ſanguinem ad Choleram diſponunt, ſicut & venena; qua de cauſa in febribus malignis Cholera ſæpè obſervatur.

Cauſas externas recenſet *Hipp. in cit. loc.* & primò enumerat *Carnes porcinas crudiores, ebrietatem ex vino odoroſo, placentas, dulciaria ex Melle, Cucumere*,

mere, *Pepones*, à quibus ortam Choleram obſervavit *Zacut. Luſit. li.* 1. *prax. admir. obſer.* 17. & *ex eſu Cucumerum*, idem *cit. loc. obſer.* 15. *li.* 7. *Et Polentam recentem*, addit *Hipp.* 7. *de morb. popul. n.* 40. *Sepias*, *Locuſtas*, *Gammaros*, *Porros*, *Cœpas*, *Lactucas coctas*, *Braſſicas*, *Rumices crudiores*, *Poma*, & *Vinum lactei ſaporis*. *Ex oriza*, & *lacte parata edulia*, & *frigida aſſumpta*, Choleram vidit *Henricus ab Her. in obſer. oppido raris obſer.* 15. & *Zacut.* 1. *loco cit. obſer.* 16. Hæc omnia alimenta varii generis cruditates generant, acidas, acres, & ſeroſas, quæ ſi ventriculi, & inteſtinorum regionem non pertranſeant, brevem Choleram faciunt, cùm non perduret, niſi per illud temporis ſpatium requiſitum à purgatione interpollata dictarum cruditatum; & de hac locutus eſt *Hipp. li. de affect. nu.* 28. ubi habet: *Quum à vino*, & *convivio bilis ſupernè*, *ac infernè fluxu*; his verbis Choleram à cibo, & potu in ventriculo corrupto exponit, & ſine læſione maſſæ ſanguineæ; quod colligitur à curatione *in hoc text.* deſcripta, per potiones humectantes, & per balnea, quæ humorem ſolùm in ventriculo, & in inteſtinis exiſtentem educunt, & purgationem omninò interdicit, ſupponendo maſſam ſanguineam omni læſione immunem. E contra, ubi cognovit in Cholera vitium etiam maſſæ ſanguineæ *Helleborum* exhibuit, ut patet *in curatione Viri Athenienſi cholera correpti*, *deſcripta li.* 5. *Epid.* Si dictæ cruditates ſanguinem ingrediantur, cùm iſtius naturæ minimè convenientes ſint, & aſſimilationem cum eo renuant, imò contraria actione, & motu illam oppugnent, oritur tumultus ille in maſſa ſanguinea nomine fermentationis deſignatus, quo natura ætherogeneum hoſtile ſanguini mixtum ſegregare, & expellere ſolet, in hac fermentatione, pro hoſtilis cruditatis expulſione concepta, aliqua excrementa in eodem ſanguine latentia, & quieſcentia ſegregantur portiones etiam ſanguinis boni, tam à motu dicto fermentationis, quàm à qualitate, & actione cruditatum in excrementum mutantur, quæ à motu naturæ prævalent, omninò à ſanguine ſeparantur, & ad ventriculum, & inteſtina expelluntur, cum cholerici vomitus, & fluxus augmento, & continuatione. Talem Choleram, & modum ſuæ generationis videtur innuiſſe *Hippoc. li. cit. de affect. text.* 28. ubi haber: *Fiunt autem hi dolores* (& loquitur de Cholera) *qui ex potationibus*, *aut ex convivio oriuntur*, *cùm cibi*, & *potus plus ſolito in ventrem ingreſſi fuerint*, & *quæ extrinſecus corpus ſupercalefacere ſolent*; *bilem*, *ac pituitam moverint*. Motus iſtorum humorum fermentationem exprimit, & in hoc loco Hipp. loqui de Cholera à ſanguine, ſeu à toto, notat *Martianus in comm. hujus textus*. Vi iſtius fermentationis fructus horarii dicti, quia ad paucas horas integri ſervantur Choleram pariunt facillimè, ſale enim volatili fermentativo abundant, quo citò mollis eorum textura cum putredine diſſolvitur, & eorum ſucci expreſſi, citò, & valdè actione dictarum particularum volatilium fermenteſcunt, quapropter dictis particulis facile eſt ſanguinem fermentare, ſi iſtorum ſuccum recipiat. Hanc fermentationem ſanguinis in Cholera probat febris ei ſuperveniens, & pulſus celeritas. Mirabilem habet obſervationem *Amat. Luſit. cent.* 3. *Hiſt.* 88. *de Muliere*, *quæ cholera*, & *febre affecta*, *menſtruali fluxu ſupervenientе ceſſabant*, & *hoc intermittente redibant*; ex quo arguitur ſanguinis efferveſcentia, quæ menſes promovebat, quibus ceſſantibus Cholera, & febris redibat. In genere horum alimentorum particulis volatilibus, & fermentativis abundantium recenſentur *Raphani*, ſi immoderatus ſit iſtorum uſus, de quibus habet *obſer. Amat. Luſit. cent.* 2. *verſ.* 32. *Muſtum*, *Cereviſa*, *Novella*, *Vinum non defecatum*, *Fungi*, de quibus habet obſervationem *Schenckius li.* 3. *Ova Piſcium*, *Barbi*, *Lucii* Choleram excitare, experientia docet. *Medicamenta purgantia generoſa*, vel *in magna doſi exhibita*, in pluribus Choleram excitarunt, ut videre eſt *in Riverio cent.* 2. *obſer.* 19. *in Rhodio cent.* 2. *obſer.* 68. imò ex *Antimonio* non ritè correcto *ſingulis hebdomadalibus per biennium Choleram periodicam revertentem* ibi narrat, & *per aliquot horas perdurantem*; cujus cauſam non eſſe refundendam in Antimonii reliquias puto, ſed potiùs in ventriculi languorem ab Antimonii violentia effectum excrementa cumulantem, quæ in tali quantitate aucta, ut moleſti eſſent ſtomacho, brevi horarum ſpatio, per ſuperiora, & inferiora detrudebantur. *A radice Hellebori nigri* exhita Choleram obſervavit *Foreſt. li.* 18. *obſer.* 44. Ex quibus colligere licet, Choleram humidam aliam eſſe eb errore externo, aliam à ſanguine, ſeu à toto.

Signa diagnoſtica per ſe clara ſunt. Signa cauſarum externarum, à quibus ut plurimùm pendet hic morbus, ab ægri relatione colligenda.

Quoad prognoſtica, per ſe periculoſiſſimus morbus, paucis diebus mortem inferens; ex *Hipp.* enim *li.* 7. *morb. popul. num.* 40. *quinta*, *ſeptima*, & *nona judicatur*, conſulit verò expectandam *decimamquartam*, quia ſolent recidivare; quo magis ventriculus patitur ob dolorem, ob deliquium animi, & ſi cum iſtis extremorum frigiditas conjungatur, res acta eſt; ſi excrementa fuerint nigra, vel fœtentia, multùm æruginoſa, porracea, parùm, vel nihil ſperandum; vehementiam enim cauſæ arguunt, & à naturali ſtatu magnum receſſum; qui morbos ſemper lethales facit, ſi in declinatione febris cum ſignis concoctionis, & viribus conſtantibus pro criſi habenda.

Cholera ſicca, altera eſt differentia Choleræ, quæ definitur, *Spiritus flatuoſi per ſuperiora*, & *inferiora excretio*, *cum inflatione ventris*, *ſtrepitu*, & *lumborum*, & *laterum dolore*; Hæc definitio communi conſenſu approbata fundamentum habet in verbo *Cholera*, quæ ſignificat excretionem per ſuperiora, & per inferiora, & in verbo *humida*, quod importat corpus humectans, & fluidum, itaut in Cholera humida debeat eſſe excretio per ſuperiora, & inferiora corporis fluidi, & humectantis; ex altera verò parte Cholera ſicca dicitur, quia Cholera debet includere excretionem per ſuperiora, & inferiora, & quia eſt ſicca, excretio debet eſſe corporis non humidi aquei; tale verò corpus eſt ſolùm flatus, conſequenter ex vi verborum definitio communiter acceptata verificatur. Si verò Præceptorum Hippocratem attendamus, qui primus, vel morbis nomina dedit, vel hæc ſecundùm ſignificationem à ſuis proximis prædeceſſoribus acceptatam expoſuit, falſa eſt, & rejicienda prædicta definitio, tamquam non expreſſiva Choleræ ſiccæ in eo ſenſu, in quo acceptata fuit ab Antiquis; quod apertè innoteſcit *in li.* 4. *de vict. rat. acut. nu.* 61. ubi hæc habet: *In cholera ſicca venter inflatus eſt*, & *ſtrepitus inſunt*, & *dolor lumborum*, *ac laterum*; *ſecedit autem nihil deorſum*, *ſed alvus adſtricta eſt*; ubi notanda ſunt illa verba, *nihil deorſum ſecedit*; ſi nihil, ergo neque flatus; conſequenter in Cholera ſicca, nec per Hipp. nec per Antiquiores Cholera ſicca non importat eruptionem flatuum per inferiora. Habemus per Hipp. Choleram ſiccam non includere in ſua eſſentia eruptionem flatus, nec per ſuperiora, nec per inferiora, ſed Choleram ſiccam eſſe Inflationem ventris, cum ſtrepitu, laterum, ac lumborum dolore, & cum alvo adſtricta; per dolores prædictos habet ſimilitudinem cum Cholera, in qua dolores adeſſe, ſuperiùs ex Hipp. demonſtratum eſt; dicitur verò *ſicca*, quia nihil per os, nec per alvum ſecedit.

Cauſam hujus affectus tacitè demonſtravit Hippoc. in cura eodem loco propoſita, & tota dirigitur ad alvum adſtrictam ſolvendam, qua ſoluta, morbus curatur; ait enim: *Et ſi caleſcenti ipſi alvus ſubjerit*, *morbus ſolutus eſt*; ergo alvus adſtricta, eſt cauſa morbi iſtius.

Adſtricta alvo retinentur fœces, & humores, quos continuò à glandulis inteſtinalibus in cavitatem inteſtinorum paulatim pluere cenſeo, unà cum ſucco pancreatico, & bile, & inteſtina irrigare. Si iſti in ſuis qualitatibus depravationem in exceſſu ſuſtineant, non ſolùm inter ſe inordinatè efferveſcunt, ſed & tota maſſa ſanguinis, in venis, & arteriis inteſtinorum contenta, & inteſtinorum mucus, unà cum eis fervent, & ebulliunt; ab horum efferveſcentia, & fermentatione continuò halitus, & vapores in copia exeunt, & ſua copia inteſtinorum cavitatem implent, & diſtendunt, & ſuis qualitatibus irritativis redendo, dolorem efficiunt.

Signa, ſunt ſuperiùs in definitione deſcripta. Prognoſtica, dubia ſunt ſalutis, aut mortis; ſi dolores fuerint acuti, cum virium dejectione, cum anxietate, & diſ-

& difficili reſpiratione, periculum mortis eſt imminens; ſi dolor moderatus, cum virium robore, ſperanda ſalus.

Si cauſa deſcripti affectus, nempè Choleræ humidæ, eſt humoris excrementitii redundantia in toto, & acrimonia eorumdem, habemus indicationem purgandi primò, & ſecundò attemperandi dictam acrimoniam. Utramque indicationem nobis manifeſtavit *Hipp. in cit. li. 5. de morb. popul. nu. 4.* ubi curationem aggreſſus Choleræ humidæ, *Veratrum* exhibet, cum *Lentium ſucco*, & eumdem ſuccum ſuperbibendum exhibuit. A Veratro habetur purgatio, à *Succo Lentis paluſtris, vel aquaticæ,* moderatio efferveſcentiæ, & æſtus ſanguinis, quam mirificè operatur dicta Lens, in quo præſtando mirificè valet. Duæ utilitates emergunt ab eadem Lente ſua virtute ſedativa, vim purgantis minorem reddit, & ſuper purgationem impedit, quæ facilè contigere poſſet ab unita vi medicamenti, cum vi à natura concepta pro expulſione irritantis, & humoris purgatione educendi, acrimoniam mitigat, ne detrimento ſit cum ſua acrimonia partibus, per quas tranſire debet; ab hoc documento Hippoc. illuminati Recentiores, in Cholera purgantia cum *opiatis* miſcent, à quibus dictæ utilitates feliciter habentur. Purgandum ergo non *Veratro*, ſed mitioribus medicamentis, cum admixtione *opiatorum*, ut

℞. *Pulpæ Tamarid. mund.* ℥. ß.
diſſolvatur in ℥. *iv. Infuſionis ſolutivæ Roſar.* (Saccharata, & mellita ſunt vitanda, quia æſtum humorum augent;)
Philonii Perſici ʒ. *i. M.*

Vel

℞. *Pul. Tamarind.* ℥. ß.
Rhaub. ʒ. ß.
Philonii Perſici ℈. *i. M.*

Vel

℞. *Rhaub.* ʒ. *ii.*
Agar. ʒ. *i.*
infund. in ſ. q. Aquæ Endiviæ per noctem, manè, facta levi ebull. col. adde colaturæ
Infuſ. Roſ. ℥. *iv. in qua diſſolv.*
Pulpæ Tamarind. ℥. ß.
Philonii Perſ. ʒ. *i. M.*

Hujuſmodi medicamenta per tres dies, ſecundùm doctrinam Hippoc. de vomitu explicatam, exhibere conſulo. Purgatio etiam cum *Lacte Aſinino* cocto ad multas libras, prout uſus eſt Hipp. ſæpè inſtitui poteſt, & poſt quatuor horas à cibo attemperantia exhibenda, quæ innuit Hipp. *in Succo Lentis paluſtris, poſt Veratrum propinatum.*

Attemperantia ſint talis conditionis, ut ſanguinis fermentationem immoderatam, Choleram, ſemper præcedentem, & concomitantem, moderentur, & ejuſdem, & humorum acrimoniam temperent. Inter hæc ſunt, *Tinctura, Roſarum, Santalorum, Succus Cotoneorum, Granatorum*; & omnia acida, quæ ſunt bilis in hoc affectu peccantis, alexipharmacum, *Aqua Portulacæ, Sempervivi majoris, Plantaginis, Nymphea, Nenupharis*. Præcipitantia à Recentioribus dicta, quia humorem acrem in maſſa ſanguinis exiſtentem ſeparant, & in ſero urinoſo præcipitant dicuntur attemperare; ideò conveniunt in hoc affectu. Inter hæc ſunt *Cryſtallus* in tenuiſſimum pulverem redactus, *Antimonium Diaphor. Tinctura Antimonii, Specificum ſtomatichum Poteri*, quod maximè exiſtimandum in hoc affectu, quia fermentum extraneum ventriculi corrigit, & maſſam ſanguinis dulcificat, *Bezoarticum Minerale, & Solare, Diaſcordium, Terra Sigillata, Bolus Armena, Sal Prunellæ*, ex his plura parantur remedia, ut

℞. *Tinct. Roſ.* } a. ℥. *ii.*
Santal. rub.
Succi Coton. ℥. *i.*
Aquæ Portulacæ } a. ℥. *iii. M.*
Sempervivi

℞. *Cryſtall. præp.*
Stomat. Specif. Poteri, vel
Antim. Diaphor. gr. xvi.
Corall. præp. ℈. ß. *M. F. P.*

exhibendus *cum Decoc. Portulacæ, & Nenupharis*, cui *Succus Granatorum addendus*. Mixtura poteſt parari, de qua parùm, & ſæpè ſumendum cum magno fructu:

℞. *Aquæ Portulacæ* } a. ℥. 2.
Menthæ
Plantaginis
Tinct. Antim. ʒ. *i.*
Confect. ex Hyac. ℈. *iv.*
Philon. Perſici ʒ. *i*
Succi Cotoneorum ℥. *i. M.*

Cuicumque remedio exhibendo addatur *opiatum*, præſtat verò inter hæc magis *Philonium Perſicum*, & *Laudanum liquidum Cydoniatum*. Odore ſuavi condienda medicamenta ſuadet *Helmont.* & *Etmullerus* laudat; in hunc finem miſceantur cum aliis remediis, *Ambra, Cinam. eſſentia, Oleum Citri, Caryophil. Macis*, quia ait *Helmont. odoribus ſuavibus corroborari ventriculum*; in hunc finem utitur etiam *Emplaſtro odorifero*, quod poteſt parari ex *Maſtice*, addito *Pulvere Cinam. Nucis moſcat. Caryoph. Ligno Aloes, Moſch.*

Clyſteres omni die imponendi, & ad modum *Riverii*, cum *Lacte*, & ʒ. *i. Theriacæ novæ.* Attemperatur à Lacte humor exiens, ab illius unctuoſitate muniuntur inteſtina contra humoris acrimoniam, à Theriaca glandulæ inteſtinorum corroborantur, & ab Opio eam ingrediente ſedatur dolor, & enervatur acris qualitas.

Adſtringentia magna conveniunt, ſed modo dicto de vomitu, nempè niſi vomitu, & fluxu diminuto; & eiſdem utendum, quæ in vomitu propoſita ſunt. Externa proponentur *de Lienteria, & Diarrhæa.*

Diæta ab *Hipp. in cit. loc.* præſcribitur, ubi ait: *Poſtera verò die* (hoc eſt poſtquam ſanatus fuit) *polentam bibit ex aqua* (bibit, non maſticavit; ſi bibit, ergo valdè tenuis polenta, cum pauca farina, & multa aqua.) Tenui victu utendum eſſe in Cholera, hoc exemplo docet Hipp. & multò magis morbo vigente. Si ægro huic jam ſano polentam bibendam præſcripſit, & cum ratione, quia ventriculus, & fermenta inteſtinorum debilitata, niſi parvam alimenti quantitatem digerere, & depurare ritè valent; ideò ægro minor portio convenit. Loco polentæ, nos utimur *Amylo* cum jure pulli cocto, & etiam gelatina ex pedibus Vituli, & Caſtrati. Hæc victus ratio ab Hipp. inſtituta illos arguit Medicos, qui præſentes vires reficiendi cauſa cibum exhibent opimum, cum magno ægri detrimento, & morbi augmento, & in hoc morbo valet maximè ſententia Hipp. *Corpora impura, quantò magis nutries, tantò magis lædes*, quia fermentum ventriculi eſt depravatum, & ſanguis valdè contaminatus, ita ex horum vitio tota alimentorum maſſa in excrementa abit, unde quo plus aſſumitur alimenti, plus excrementi colligitur.

In Cholera à veneno corroſivo, omnia pinguia, & oleoſa conveniunt, ut *Lac, Butyrum, Oleum Olivarum, Amygd. Axungia liquefacta, cum additione Terræ Sigillatæ ad* ʒ. *i. & ad* ʒ. *ii.* contra enim hujuſmodi venena eſt ſpecificum.

Choleram ab errore externo curat potionibus madefacientibus, quæ vomitum faciliorem, & ſine angore reddunt, vomitus enim in ventriculo vacuo magis moleſtus; lavacro etiam calido utitur ad ſedandum dolorem, & ad vomitum facilem faciendum; lavacrum toti corpori, excepto capite, exhibet, quia caput nullam partem habet in morbo, & ne humores in capite à lavacro calido fuſi, fluendo ad ventriculum augeant vomitum, hæc enim à capite aliquando originem trahere cenſuit Hipp.

Curationem Choleræ ſiccæ docet *Hippoc. lib. cit. de vict. rat. in acut. num. 16.* Prima indicatio Hipp. eſt alvum movere, quia, ut dixi, alvus adſtricta, cauſa hujus affectus eſt, & prohibet vomitum; materia enim in inteſtinis ſtagnans, à vomitu duceretur ab illis ad ventriculum, quod ſemper eſt malum, & alvus adſtrictio fieret, cum augmento cauſæ morbificæ; adnotavit enim *Hipp.* vomitu alvum ſiſti *in lib. de loc. in hom. num. 22. Pro movenda alvo citiſſimè* (ut oſtendat non differendam eſſe curationem hujus affectus) Clyſterem parat ex materia pingui, & calida hujus modi: eſt *Lac, Oleum, Butyrum*, & ſtatim ægrum Oleo illitum in aquam plurimam calidam demittit, novæ aquæ effuſione calidæ, calorem in aqua conſervando, à balneo aquæ calidæ laxante, & molliente inteſtina, & calore ejuſdem vim muſculorum abdominis ad alvum egerendam neceſſariam corroborante,

rante, & à ſtimulo Clyſteris impoſiti alvi motio ſperanda, & etiam attemperatio humorum, quos in inteſtinis efferveſcere diximus, ubi de cauſa hujus affectus actum eſt.

Hæc ſunt remedia rudis, & impolitæ adhuc artis, ſed rationi, & experientiæ conformia, quorum uſus non ſolùm neglectus, ſed à memoria exul, cum contemptu doctrinæ *Divini Magiſtri*, quia Medici noſtri temporis ægrorum magis ſatisfactioni, & voluptati, quàm morborum curationi ſtudent. Ad imitationem Hippoc. parandus Clyſter emolliens cum decocto *Malvarum*, *Violariæ*, *Altheæ*, *Parietariæ*, *& cum Oleo Viol. vel Amygd. D. Benedicta laxativa* pro ſtimulo *ad ℥. i.* vel *Diaſcœnic. ℥. i.* & ſtatim ab injecto Clyſtere foveatur venter, umbilico tenus cum ſpongiis, vel petiis in decocto prædicto emolliente immerſis, reiterandi Clyſteres, & tentanda alvi ſolutio; abſque eo quòd per os aliquod medicamentum aſſumat, ne ab hoc vomitus excitetur, quem arcendum rigoroſè jubet Hipp. & ſi Clyſteribus non ſolvatur alvus, nec à glandulis acribus, quæ poſt Clyſteres adhibendæ, tunc ad alia remedia tranſit Hipp. dum ait: *Dormire quoque tali conducit, & bibere vinum tenue, & vetus, ac meracius.* Somnus conducit, non quia à ſomno ſolvatur alvus, cùm potiùs alvi fluxus à ſomno ſedetur, ſed quia in ſomno ſedatur dolor, hoc ſedato, motus periſtalticus, qui in contractione ſpaſmedica fibrarum inteſtinalium exiſtente dolore interdicebatur, reſtituitur redeuntibus fibris ad motum ſuum extenſionis, & reſtrictionis, à quo fœces, & humores expelluntur. In his verbis reliquit tacitum, ſed maximum documentum ſomnum conciliandi, ſi natura ab hoc capiendo deſiſtat, vel averſetur; nam quæ à natura facta conducunt, ſi ab his deſiſtat, arte ſunt comparanda, ſi dormiat æger conducit, non dormit, ergo conciliandus ei ſomnus per opiata. *Vinum tenue*, hoc eſt facile permeans, ſed *vetus*, *& generoſum* exhibet; Vinum talis conditionis vires reficit, & flatus diſſolvit.

Ab his, quæ Hipp. proponit, elicimus ſecundam indicationem ſomnum conciliandi, & flatus diſcutiendi, cui ſatisfaciet *Decoctum Camomillæ*, *Florum*, *& folior. cum Cinamomo*, *Spica Celtica*, *& Galanga*, addito, vel præmiſſo *Bolo Nepenthes ad gr. ii.* Vel

℞. *Aquæ Theriacalis ℥. i.*
Cinam. ℥. ß.
Meliſſæ } *a. ℥. iii.*
Camomillæ }
Laudani opiat. gr. ii. M.
Vel
℞. *Mithridati ʒ. ß.*
Confect. Alcherm. ℈. ii.
Nepenthes gr. ii. M. cum
Aqua Rutæ } *a ℥. iii.*
Pulegii }
Spir. Carm. Sylvii ʒ. i.

Decoctio in vino Granorum Juniperi, cum ℈. ß. Elix. propriet. Paracelſ. & gr. ii. Nepenthes, ad ſedandum dolorem, & quietem conciliandam, quæ ſit via ad ſomnum, valet. *Oleum* exhibet Hipp. tamquam anodynum, & laxativum alvi, quale eſt etiam *Oleum Amygd. Dulc. rec. ſine igne ad ℥. v. vel vi. Ol.* etiam *Lini recens*, & *Ol. Rutæ factum cum mixtione Succi Rutæ*, *cum Oleo Amygd. D.* parat, ideò his utendum. Iſta ſedativa doloris ſunt primò exhibenda ante opiata, quia ſi dolor non ceſſit opiatis, minus cedet Oleo in virtute illis inferiori; exhibendum ergo Oleum primo loco, & poſt opiata; nec ab Oleo vomitum timet Hippoc. quem adeò prohibet, quia Oleum per ſe non eſt vomitivum, & raro, niſi coadjuvetur, vomitum excitat, & ſi excitetur, non eſt cum tali vehementia, quæ ſupradicta poſſit inferre damna.

Dolore tandem non ceſſante, ad purgationem devenit Hipp. ſed blando laxante potiùs, quàm purgante, quando ait: *Si verò remiſerit dolor*, *Lac aſininum bibendum dato*, *donec purgatus fuerit.* In hoc præcepto tria continentur conſideratione digna: Primum eſt neceſſitas purgandi orta à contumacia doloris; multa ad ſedandum dolorem præmiſit, qui adhuc permanens, & remediorum vires contemnens, efficaciora determinat remedia, inter quæ purgationem agnoſcit Hippoc. & quamvis purgationem prohibuerit in cura morbi flatuoſi citati in cura Ructus, ubi vetat purgationem, niſi æger dolorem evomerit, ubi verò dolor perſiſtit, & cura coacta indicat purgationem, Hippoc. hanc coactè permittit. Secundum eſt conditio medicamenti, quod eſt Lac; hoc eſt laxativum, non purgativum, eſt attemperativum acrium qualitatum, & nutritivum. Tertium eſt continuatio hujus remedii, uſque ad totalem evacuationem humoris peccantis; & quia nullum medicamentum laxans talis conditionis agnoſcit Medicina, ideò hoc ſolùm in curatione hujus morbi locum habet, & ſi aliud invenire Medicinæ conceſſum ſit, debet includere conditiones prædictas. Quantitas Lactis aſcendat ad tres, & quatuor libras; hæc enim eſt, quæ purgationis vim Lacti tribuit. An crudum, vel coctum exhibendum ſit, non memorat Hippoc. utroque modo purgat. *In lib. de intern. Affect. num.* 4. Lac aſininum ad purgandum imperat; in ventriculo robuſto, crudo uti poſſumus, in debili cocto, & ad tutiorem purgationem in primo poculo *Mannæ ℥. ii.* diſſolvendæ, vel *℥. iii. Mel. Roſ. ſol.* vel *Syr. è florib. Perſicorum*. Hic modus purgandi cum Lacte videtur magis proficuus, quàm illæ cum Aquis dejectorio modo ſumptis. Si talis modus non placet, utendum noſtris blandis purgantibus, nempè *Manna*, *Syl. Roſ. ſol. Mel. Roſ. Sol. Rhoub. Pil. ex Aloe*, adjungendo flatus diſcutientia, prout adnotatum fuit in curatione Ructus. Hippoc. enim nobis indicationem curandi morbos demonſtravit quocumque medio huic ſatisfactum ſit, parùm refert; qua de cauſa poſſumus uti *Syr.* vel *Apozemate* ex purgantibus blandis, & attemperantibus compoſito, & per *Epicraſim* omni die purgare. Subjungit ultimo loco: *At ſi liquida fuerit alvus*, *& bilis ſubeat*, *& tormina ſint*, *& vomitus*, *& ſuffocationes*, *his optimum fuerit quieſcere*, hoc eſt ab omnibus dictis remediis ſuperſedere, quia ſunt ferè omnia ad movendam alvum, vel ad hanc diſponendam idonea, ut moveatur, ſed conſulit in caſu motæ alvi, & cum dictis ſymptomatibus, & doloris perſeverantia *bibere Aquam mulſam*, *ſed non movere*, hoc eſt in tali quantitate moderata, quæ vomitum non irritet. Mulſam exhibet ad ſollicitandum bilis exitum, exterſoria facultate, qua pollere docuit *Hippoc. in li. de vict. ration. in acut. nu.* 26. & bilem ad alvum derivando vomitui occurrit, & etiam ad flatus reſolvendos. Si à Vino meraco flatus reſolvi voluit Hippoc. cum activior ſit meracitas Mellis, quàm illa Vini in dupla proportione ex *Hippoc. in cit. loc. de vict. ration. num.* 27. erit etiam Mulſa activior Vino in reſolvendis flatibus; ex quo deduco, Mulſam in hoc caſu debere eſſe cum majori portione Mellis, quàm aqua ſuſtinere poſſit; ſicut etiam Vinum meracum dicitur, quo minus aquæ ei admiſcetur, ita Mulſa meraca, quæ minus aquæ in ſe continet, & talis Mulſa eſt magis inebriativa, quàm Vinum; quod experiuntur *Lituani*, *& Moſcovitæ*, qui, defectu Vini, utuntur potione ex Aqua, & Melle ſimul fermentatis, à qua inebriantur non minus, ac à Vino, & à qua elicitur ſpiritus ardens in copia, ſicut elicitur à Vino Aquæ vitæ. Ad imitationem hujus remedii abſterſorii bilis, & flatus diſſolventis, poſſet ſubſtitui *Infuſio ʒ. i. Rhaub. in Aqua Abſinthii*, *cum ʒ. ii. Crem. Tart. & ʒ. i. Cinam. & Aniſorum*, *& facta levi ebullitione*, *& expreſſione*, *& colat. manè per tres*, *vel quatuor dies exibere*, vel *Syr. de Cicorea cum Rhaub. ℥. iii. Syr. de cort. Citri ℥. i. Aquæ Meliſſæ ℥. ii. M.* Quietem imperat, ne à motu bile agitata per ſuperiora erumpat, & ut fluxum bilis ſiſtat, juxta *aphor.* 15. *ſect.* 4.

Quoad Diœtam, ſuperiùs imperat *in eodem text.* 61. ut à cibis, & aliis abſtineat, quod intelligendum eſt de primo, vel ſecundo die, in quibus concedit Vinum; ſed de toto morbi decurſu non eſt accipienda talis ſententia, ſed victus ad bilis moderationem, & ad flatus diſcuſſionem dirigendus.

CAP.

CAP. XVI.

De Lienteria.

Lienteriam deſcripſit *Hipp. in lib. de affect. n.* 25. his verbis *: In Lienteria, hoc eſt inteſtinorum levitate, cibi ſecedunt non putrefacti, liquidi ; dolor autem non adeſt, & corpus attenuatur.*

Per cibos non putrefactos intelligere debemus non concoctos. Concoctio aliquam ſimilitudinem cum putredine retinet; in hac putreſcens corpus in ſuas particulas componentes diſſolvitur; pari pacto cibi in coctione patiuntur diſſolutionem, itaut in iſtis concoctis nullum appareat veſtigium ſuæ naturalis, & præcedentis formæ, & per hanc ſimilitudinem cum putredine, ratione diſſolutionis, concoctio ciborum putredo nuncupatur. Huic auctoritati Hipp. innixi, aliqui ſtatuerunt concoctionem alimentorum fieri per putredinem eorum in ventriculo; differt verò à putredine communiter accepta, quia diſſolutio alimentorum in ventriculo dirigitur ad majorem, perfectionem iſtorum, cùm per hanc diſponantur ad ſtatum novum, & perfectiorem, qua fruuntur, cùm mutati ſunt in ſubſtantiam aliti. Diſponuntur etiam ad præſtandum Animali neceſſarium beneficium pro ſua conſervatione; ideò per hanc diſſolutionem diſponuntur ad novam mixtionem, ſub qua primum corporis alimentum fiunt; è contra putredo communiter dicta non tendit ad perfectionem, ſed ad corruptionem, quæ eſt ſumma imperfectio, nec eſt in beneficium corporis, ſed in ejus ruinam, quam variis ægritudinum machinis oppugnat.

Unde ex Hipp. mente poteſt definiri Lienteria, *Excretio celer alimentorum, ea forma, qua aſſumpta ſunt.* Eſt *celer excretio*, quia alimenta excernuntur antequam concoquantur, & ita eſt celer reſpectu finis, qui eſt concoctio, cùm hac non peracta excernantur: eſt etiam celer excretio reſpectu temporis, quia paulò poſt aſſumptionem excernuntur, itaut in tali brevitate temporis non poſſint concoqui; non tamen ſubitò excernuntur ab aſſumptione, aliquam enim alterationem ſubeunt, præcipuè ſolida maſticata, quia, ut ait Hipp. *liquida exeunt*. Fluxibilitas eſt initium præparationis alimentorum; non poſſunt enim concoqui alimenta ſolida, & in chyloſam maſſam reduci, niſi fluida priùs fiant; quantum temporis exigit liquefactio ſolidorum, tantum morantur in ſtomacho, & ſolida, non totaliter, nec ex omni parte liqueſcunt, cùm in excretis ſolidæ, & non liquefactæ alimentorum partes inſpiciantur, quæ fluunt aliis fluidis unitæ, eo modo quo corpora ſolida aquæ innatantia, cum aqua fluant. Liquida verò citiùs excoquuntur, conceſſo eis tranſitu à fluiditate, & tam ſolida, quàm liquida alimenta exeunt immutata in colore, odore, & modo ſubſtantiæ eis ſpecifico, & diſtinctivo ab aliis ſubſtantiis; & hoc eſt eſſentiale diſtinctivum Lienteriæ ab aliis fluxibus, nempè alimenta exire, non alterata, nec immutata in colore, & odore, & modo ſubſtantiæ, ſive textura eis ſpecifica, ſive ſtatim, ſive poſt aliquod temporis intervallum excernantur; quod dixit *Hipp. in fine cit. text.* in illis verbis, *Dum ſimul cibi per multum tempus in ventre non concoquuntur*. Quod de univerſa alimentorum quantitate non eſt aſſerendum; nam citò, & paucis diebus deficeret æger, & cùm diu Lienteria perduret, ut colligitur ab *Hipp. aphor.* 1. 6. *ſect. In longis levitatibus inteſtinorum* exiſtimandum aliquam portionem concoqui, & in alimentum tranſire, ſaltem ſpiritoſam, pro imperfecta, & diminuta vitæ, & corporis conſervatione; hæc portio poroſitates venarum, & arteriarum ingrediendo ſpiritoum reſtaurationi, licèt diminutè inſervit, vita tamen conſervatur.

Quale ſit ſubjectum hujus affectus, colligere licet eſſe ventriculum, cùm alimenta in eo concoquantur, & defectus concoctionis ab eo procedat.

Cauſa Lienteriæ ab *Hippoc.* aſſignatur *in cit. ſuperiùs loc. de affect.* his verbis *: Hunc per eadem curato velut à diſſenteria detentos; morbus autem fit, cùm ex capite, & ſuperiore ventre pituitæ defluxu fit in inferiorem ventrem; quod ubi contingit, cibi ab ipſo frigeſiunt, & humectantur; & ſeceſſus ipſorum non putrefactorum velox contingit, & corpus liqueſcit.*

Duo in hac ſententia adnotanda veniunt: Primum, quòd à pituitæ fluxu ad ventriculum à ſuperioribus partibus cibus refrigeratur, & humectatur, quod utique non eſt intelligendum de actione immediata pituitæ in ventriculum, quia hæc in vivente corpore non eſt actu frigida, ſed calida, prout ſunt omnes alii humores, & dicitur frigida reſpectivè ad alios humores magis calidos, ſed de mediata, quatenus refrigerat, opprimendo calorem in eo ſubjecto, in quo redundat in copia præternaturali, dum particulas calidas agentis immobiles reddit ſua viſcoſitate, & ab aliis particulis ſeparari prohibet, & actionem illarum à ſeparatione, & motu conceſſam interdicit; hinc ventriculus pituitæ copia refrigeratus dicitur, dum ejus particulæ calidæ, & activæ fermenti innati à pituita pro majori parte immobiles redduntur, & harum explicatio prohibetur, non per frigiditatem abſolutam, ſeu per particulas actu frigidas immediatè, ſed mediatè per frigiditatem reſpectivam opprimendo calorem ventriculi, & ejus fermentum, & impediendo utriuſque actionem in cibum aſſumptum, qui debito calore deſtitutus refrigerari dicitur reſpectivè; & hoc modo ſententia Hipp. de cauſa Lienteriæ debet reduci ad calorem ventriculi debilitatum, impotentem ad peragendam ſua actione digeſtionem alimentorum, impedita ejus actione à pituitæ redundantia, vel ad debilitatem, & languorem illius ſubſtantiæ, ſua actione concoctionem perficientis, quam per Recentiores validiſſimis rationibus, & Hipp. patrocinio oſtenſum eſt ſuperiùs eſſe fermentum, cujus languor, debilitas diminuta actio erunt cauſa Lienteriæ, ad talem ſtatum reducitur à pituita, modo dicto de calore; ſed debilitas caloris, & fermenti non erit unica cauſa Lienteriæ, licèt ab Hippoc. ſola exponatur, docendo enim pituitam eſſe cauſam Lienteriæ, quia debilitat, & enervat principium digeſtionis alimentorum; docet etiam, quòd omnia, quæ tali modo afficiunt hoc principium, ſunt cauſa Lienteriæ, & ita omnes cauſæ ſuperiùs enumeratæ concoctionem lædentes, ſi ita agant, ut prohibeant calorem, & fermentum ventriculi non immutare cibos, erunt cauſæ Lienteriæ, ſi conjungantur cum conditione, & ſtatu ventriculi mox explicando.

Secundum ab Hipp. ſententia colligendum, eſt *ſeceſſus velox* ciborum non concoctorum. Non ſufficit ad conſtituendam Lienteriam læſa concoctio, ſed requiritur velox ſeceſſus alimentorum, cujus cauſa ab Hippoc. determinatur eadem pituita, quæ eſt cauſa læſæ concoctionis; poſtquam enim dixerit à pituita cibos frigeſieri, ſubjungit, *& ſeceſſus velox*; propoſitio eſt copulativa, itaut utriuſque cauſa referenda per Hippoc. pituitam. Hæc ſua humiditate fibras membranæ ventriculi internæ in plicas, & rugas contractas retentioni aſſumptorum ſervientes laxando obliterat, & ventriculi cavitatem levem, & glabram, æqualemque reddit retentioni aſſumptorum inſufficientem, unde iſtorum velox ſeceſſus, à pituita inſtrumento retentioni alimentorum præſidente corrupto. Adde, quòd plicaturæ, & rugæ ventriculi, non ſolùm conſervantur à molli conſiſtentia ſubſtantiæ membranoſæ aptæ diverſas ſuſcipere modificationes, & retinere, ſed etiam à ſpiritu in eis exiſtente, qui ſua vi, & energia ſuſceptam à membrana modificationem tuetur; hinc ſequitur, quòd à pituita oppreſſo, debilitato, & immobili reddito ſpiritu, plicaturæ cedant, & unà cum humiditate pituitæ laxante obliterentur, nec alio modo pituita velocis ſucceſſus aſſumptorum è ventriculo, poteſt eſſe cauſa, unde concludendum eſt ex Hipp. cauſam dicti velocis ſeceſſus eſſe ablationem illius, qui ſervit retentioni ciborum, & nomine facultatis retentricis inſignitur, & præcipuè in ea parte, in qua apertum eſt orificium, exitum naturalem alimentis præparatis concedens, cujus ablatione pars illa levis glabra, & æqualis redditur, cum inaptitudine ad retinendum cibum. Hac ratione Lienteria dicitur ſymptoma facultatis retentricis læſæ, non quia detur hæc facultas, ſed quia læditur inſtrumentum, quo cibi retinentur; ideò Lienteria morbus nomine levitatis inteſtinorum appellatur, quia ejus ſubjectum eſt illa pars inferior ventriculi, à qua inteſtina elongari incipiunt.

Pituitam, à capite non ſolùm, ſed à ſuperioribus partibus

tibus vult ad ventriculum deſcendere, unde poſſumus concipere, ab arteriis ad ventriculum aſportari, vel à membrana pituitaria fauces, guttur inveſtiente, pituitoſum, & ſeroſum humorem in ſuis glandulis reſervantem, hunc per œſophagum in ventriculum copiosè tranſmitti. A pituita Lienteriam oriri confirmavit *in lib. de Aere, Aquis, & Locis num.* 27. his verbis : *Inteſtinorum levitas, & aqua intercus à concepta in venticulis humiditate.*

Ab hac ſententia Hipp. de cauſa Lienteriæ, quæ eſt frequens, non excluditur omne irritamentum, & conſequenter læſio facultatis expultricis dictæ; de hac enim cauſa locutus eſt *Hipp. in lib. de Coac. prænot. num.* 3. ubi habet : *In inteſtinorum levitatibus, cum animalculis dolores tormine ſoluti, partes circa articulos tumefaciunt ex talibus ſquamulæ rubicundæ puſtuloſæ, hi ubi exudarint, velut flagris cæſi rubeſcunt*, quæ omnia acrimoniam ſanguinis in toto, & etiam circa ventriculum, ut dolor, & tormina patefaciunt; & ſubjungit : *Qui in longis inteſtinorum levitatibus, unà cum animalculis tormina patiuntur, & doloribus afficiuntur, his ſolutis intumeſcunt* (materia acri per metaſtaſim à ventriculo ad partem intumeſcentem translata.) Si pituita deſcendens in ventriculum modo ab Hippocrate deſcripto ſalſa fuerit; ſi liquor à glandulis milliaribus membranæ villoſæ præparatus, & tranſudans in cavitatem ventriculi fuerit acris ob admixtionem bilis, vel alterius ſalis vitioſi, deſcendente cibo in ventriculum, hi humores commoti, & à pondere ejuſdem cibi altius in membranam ventriculi infixi, hanc vellicando excitabunt ad expulſionem noxii, cum quo expelletur cibus ſtatim aſſumptus; quod ſequi non poteſt, niſi pars circa pylorum ſit irritata. Pro irritamento ſerviunt Aphtæ, & ulcus ventriculi, de quo cum Lienteria obſervationem habet *Foreſt. lib.* 22. *obſer.* 3.

Cauſæ externæ, ſunt, quæ pituitam cumulant, & retundunt ventriculi fermentum, & quæ calorem, & ſpiritus debilitant, vel diſſipant, de quibus actum eſt de læſa concoctione; & quæ humores acres, ſalſos, bilioſos generare valent.

Signa, per ſe manifeſta ſunt in celeri exitu alimentorum non alteratorum.

Signa cauſarum ſunt, redundantia pituitæ in corpore, naturalis intemperies humida ventriculi, abſentia doloris, & torminis in exitu ciborum, ſicut præſentia iſtorum eſt ſignum irritantis.

Quoad prognoſtica, habemus ab *Hippoc. in lib.* 1. *de morb. num.* 3. *Ex lienteria in aquam inter cutem tranſitus ſit. In aphor.* 1. *ſect.* 6. *In longis levitatibus inteſtinorum, ſi ructus acidus fiat, qui priùs non erat ſignum bonum* ; & *aphor.* 43. *ejuſdem ſect. Quicumque lienòſi à difficultate inteſtinorum capiuntur, his ſuperveniente longa difficultate inteſtinorum, aqua intercus, aut levitas inteſtinorum advenit, & moriuntur* ; & *aph.* 72. *ſect.* 7. *Diſſenteriæ lienteria ſuccedit. In aph.* 3. *ſect.* 6. *In longis inteſtinorum levitatibus cibi faſtidium, malum, & cum febre pejus.* Et *in Coac. prænot. n.* 3. *Inteſtinorum levitates, cum ſpirandi difficultate, & lateris punctura, in tabem decidunt.*

Pro curatione hujus affectus, tres à dilucidatis cauſis ex Hipp. mente, occurrunt indicationes, & præcipua eſt intercipere, & avertere pituitam à ſuperiori ventre ad ventriculum defluentem, ut loquitur *Hipp. num.* 26. *cit. ſuperiùs lib.* Quapropter diverſio materiæ fluentis ad ventriculum præmittenda purgationi materiæ in ventriculo exiſtenti ; fruſtranea enim eſt purgatio materiæ illius partis, in quam materia purgationem exigens continuò fluit. Præterquamquòd purgatio ducens cum violentia humores ad ventriculi vias, per quas humor, ut dixit Hippoc. *à ſuperioribus partibus fluit ad ventriculum*, ampliores facit, ut copioſiori fluxu ad eum fluere poſſit, & purgare ventriculum in fluxu humorum ad hunc, non eſt aliud, niſi humori indicare viam, per quam fluat ad ventriculum ; qua ratione Antiquis fuit pro axiomate, *Humores ad partem affectam non eſſe trahendos*. Hæ rationes valent, etiamſi materia non fluat à capite, dummodo ducatur ad ventriculum, ad quem ducunt purgantia. Prima ergo indicatio in Lienteria erit, humores à ſuperioribus partibus ad ventriculum fluentes avertere. In hanc ſententiam, miſſis etiam rationibus prædictis, potiſſimum me trahit extrema ventriculi debilitas, & laxitas, & major expectanda à purgante cum irreparabili ægrotantis damno; & nullam tutiorem video viam, pro hac indicatione exequenda, quàm diuretica, quibus admiſcenda ſemper adſtringentia, & aromatica, ut

℞. *Rad. Aſparag.*
Petroſel. } *a.* ʒ. *ii.*
Ononidis
Ligni Saſſafras ʒ. *i. Bull. in ſ.q. Aqu. Menthæ, colat. facta, adde*
Mivæ Cydon. arom. ℥. *i.* ß.

Vel

℞. *Rad. Lappæ major.*
Fœniculi } *a.* ʒ. *ii.*
Urticæ
Nucis moſc. ʒ. ß.
Gran. Juniperi ʒ. *i. Bull. in Aqua Lavendulæ, cui adde*
Spir. Vitrioli martis ad aciditatem.

Alios diverſionis modos vide *in Diſſenteriæ curatione.*

Secunda indicatio eſt purgandi materiam pituitoſam ad ventriculum fluxam, & nil melius *Tamarindis Mirobolanis, & Rhaub. torrefacto*; ex quibus poſſunt parari variæ potiones, infuſione, diſſolutione, & boli, & iſtis addenda ſemper corroborantia, ut *Maſtix, Zinziber, Macis, Lignum Aloes.*

Tertia indicatio, & principaliſſima deducitur ab eis, quæ dicta ſunt de cauſis; Pituitam nempè debilitare calorem ventriculi, & fermentum acidum, & plicaturas obliterare; ex quo inſurgit indicatio calorem remittendi calefacientibus, & fermentum acidis, & rugas laxatas adſtringentibus.

℞. *Rad. Galand.*
Zinziberis } *a.* ʒ. *i.*
Cyperi
F. decoctio in jure, & ſuſpendatur in vaſe nodulus, in quo ſit fruſtulum Aluminis, ℥. *vi. iſtius decoctionis adde*
Syr. Maſticis Querc. ℥. *i.*

Vel

℞. *Decoct. Macis*
Nucis moſc. } ℥. *viii.*
Ligni Aloes
Spicæ Celticæ
Mivæ Cydoniorum aromat. ℥. *ii.*
Syr. Corall. ℥. ß.

Tinct. Corallorum ad ʒ. *ii. cum Syr. Cinam. Querc. parati cum Vino gereroſo ad* ℥. *ii.* valdè proſunt in Lienteria. *Elix. proriet. Paracelſ. cum acido parati ad* ℈. ß. *in Vino*, eſt medicamentum egregium in Lienteria, ſicut ſequens mixtura:

℞. *Aquæ Cinam.*
Menthæ } *a.* ℥. *ii.*
Lavendulæ
Extract. vel Roob Juniperi ʒ. *ii.*
Spec. trium Santal. ʒ. *i.*
Mivæ Cydon. arom.. ℥. *i.* ß. *M.* parùm, & ſæpè per cochlearia aſſumatur.

℞. *Membranæ interioris ventriculi Gallinæ, vino lotæ, & in furno exſiccatæ;* } *a.* ʒ. *i.*
Coaguli Leporis, vel hædi exſicc.
Spongiæ Roſæ ſylveſt.

F. pulv. & divid. in tres partes æquales, & per tres dies una pars ſumatur cum Vino decoctionis Balauſtiorum, Acaciæ, & Boli Armen.

Externa conveniunt odorata emplaſtra ſuperiùs de Vomitu, & Cholera deſcripta. *Hippoc. in notis additis in fine lib.* 2. *de morb. mulierum* : habet hoc remedium : *Lentes, ac triticum recens duarum chænicum* (hæc eſt menſura, qua Antiquis diurnum granum pro pane Servis metiebantur, & pendet ſextarios duos, quilibet ſextarius pendet libram unam cum dimidio) *aqua macerato, & ubi mollia facta fuerint, in pilla, & mortario fortiter conterito, deinde aquæ heminas ſex affundito, fortiter commoveto, & ubi purgamenta diſceſſerint, in ollam infundito, & modico melle affuſo coquito, & valdè cocta torrefacito, ac edenda prabeto; ſi verò ſitierit, vinum vetuſtiſſimum bibat, atque utatur, donec ſanus fiat.*

Si ab

Si ab irritamento ſit Lienteria, erit indicatio attemperandi irritamentum, & removendi, quæ ſunt etiam indicationes curandi vomitum; idem enim irritans eſt cauſa vomitus, & Lienteriæ, quatenus modò irritat fibras, quæ ſerviunt expulſioni per ſuperius orificium, modò illas, quæ ſerviunt expulſioni per inferius; ideò eadem remedia utrique morbo ſunt communia, ubi peccat irritans.

CAP. XVII.

De Cœliaca Paſſione.

DEfinitur hic affectus, *Fluxus materiæ chyloſæ per alvum.*

Materia chyloſa deſignat mutationem alimentorum in ventriculo, ad differentiam Lienteriæ, in qua alimenta nihil immutantur. Materia chyloſa poteſt dupliciter conſiderari: Primò, qualis eſt illa, quæ deſcendit à ventriculo in inteſtinum duodenum concoctione alimentorum peracta, & eſt materia chyloſa impura, quia adhuc fœces, & partes nutritioni inutiles, & per alvum ſecernendas cum utilibus puris mixtas retinet. Altera materia chyloſa eſt perfectus chylus, quia depuratus ab excrementis in inteſtino duodeno ope ſucci pancreatici, & bilis.

Utraque materia chyloſa Cœliacam conſtituit paſſionem, ſi per alvum exeat; ideò duplex oritur differentia hujus affectus: Prima, quando exit per alvum, loco ſtercoris naturalis, materia albicans, ſeu potiùs cinerii coloris, pultis inſtar. Secunda, quando cum fœcibus aluinis flavo, vel viridi, obſcuro colore tinctis, exit mixta materia alba fluida, vel iſtis ſupernatat, & in copia.

De hoc affectu videtur locutus eſſe Hipp. *lib.* 3. *de Diœta n.* 12. his verbis: *Quibuſdam venter quidem concoquit cibum, carnes autem non ſuſcipiunt.* Unde deduci poteſt, ſi carnes, quæ primò ad ſuſcipiendum alimentum in ventriculo concoctum ſunt deſtinatæ non ſuſcipiunt, fit Cœliaca paſſio, partes primò ad ſuſcipiendam materiam à ventriculo præparatam deſtinatæ ſunt venæ lacteæ; ſi iſtæ non ſuſcipiunt, neceſſarius eſt fluxus per alvum dictæ materiæ; ex quo dilucidata manet cauſa hujus affectus, impedimentum nempè in venis lacteis, per quod impeditur tranſitus materiæ chyloſæ ad lacteas, & ad venas, & talis cauſa reperitur in utraque differentia, & quælibet oritur à dicto impedimento, nam ſi non depuratur materia chyloſa à fœcibus, non poteſt anguſta lactearum orificia permeare, & ex ſe ipſa ponit impedimentum ad ingrediendas illas; hæc eſt prima differentia. Si verò fiat depuratio, & pars defœcata utilis, licèt ſit ſubtilis, non penetret orificia dictarum lactearum, inferendum eſt illa eſſe obſtructa ab humore craſſo glutinoſo, vel à callo, vel à cicatrice, & oritur altera differentia fluxus chyloſi.

Cauſam alteram habet Cœliaca paſſio, in qua maſſa chyloſa impura evacuatur, & eſt depuratio maſſæ chyloſæ, & ſeparatio fœcum à partibus utilibus impedita ex defectu, vel inertia cauſæ, quæ tali depurationi præſidet, & eſt bilis, unà cum ſucco pancreatico, à quorum actione, & efferveſcentia præcipitatis fœcibus à maſſa chyloſa è ventriculo provenienre, depuratio, & perfectio iſtius prodit.

Cauſa impediens ingreſſum lactearum chylo depurato, eſt mucus inteſtinorum obſtruens dicta orificia, vel ſaliva deglutita, circa illa orificia incraſſata, vel portio fœcum remanens in chylo, quæ in tranſitu circa orificia ſeparatur, & in eis fixatur; cicatrices, callum addunt aliqui, ſed puto difficile totum tractum duodeni, & jejuni callo, vel cicatrice obduci, cùm totum dictum tractum ſupponant prius exulceratum, & ab ulcere mors, priuſquàm in hac vel callus, vel cicatrix ſupercreſcat. Obſtructio glandularum meſſenterii ad cœliacum fluxum concurrit, & præcipuè obſtructio illarum, quæ ſunt proximæ orificii venarum lactearum; impedito enim ab obſtructione ingreſſu in glandulas chylo, hic regurgitat ad cavitatem inteſtinorum, & per alvum exit; ab hac glandularum obſtructione pendet cauſa Hydropis, fluxum chyloſum concomitantis. Ab his cauſis communi conſenſu noſtra hac ætate admiſſis inferendum eſt, in Cœliaca paſſione nullum eſſe vitium ventriculi, ſed verum eſſe, quod ait Hipp. *Ventrem concoquere cibum, carnes vero non ſuſcipere*; & experientia oſtendit, in fluxu chyloſo appetitum conſervari, & nullas eſſe de ſtomacho querelas.

Signa diagnoſtica petuntur ab excretis albis, vel cinetitio colore tinctis; ille fluxum chyli depurati, hic fluxum chyli impuri, qualis à ventriculo deſcendit, manifeſtat. Signa diſtinctiva unius differentiæ ab alia, ſunt, maſſa excreta per alvum pultis inſtar, cum colore cineritio, & ſine diſtinctione unius partis ab alia; ſi cum hac materia fœces flavo colore tinctæ non appareant, vel portio ipſius pultis dicto colore non tingatur, defectum bilis oſtendit. Fœces verò flavo colore tinctæ, & in quibus diſtinguitur materia albicans fluida eis permixta, vel ſupernatans, chyli ſeparationem à fœcibus, & bilis fluxum ad inteſtina oſtendit, & fluxum chyloſum ab obſtructione orificiorum vaſorum lacteorum, vel glandularum demonſtrat, ob rationem ſuperiùs dictam. Si color ſit flavo-pallidus, bilis inertiam. Si appetitus deficiat in principio morbi, acidi defectum in ſanguine oſtendit, & etiam ſucci pancreatici; inertiam iſtius indicant errata præcedentia acidum enervantia, & ſunt aromatica, ſpiritus Vini immoderatus potus.

Prognoſtica ſunt mali ominis, in Atrophiam, & Maciem univerſalem incidunt ægri, vel in Hydropem.

Indicatio eſt, ſi bilis deficiat ob obſtructionem ductus Cholydoci, hanc auferre; pro quo vide curationem Icteri à vitio obſtructionis dicti ductus. Si bilis ſit iners, illius acrimonia, & ſpiritus augendi; quod optimè peragunt omnia aromatica, etiam herbæ dictæ cœphalicæ, & quæ acri ſale abundant, ut *Naſturtium aquaticum*, *Raphanus ſylveſter*, *Gentiana*, *Centaurea*, *Enula campana*, *Hirundinaria*, *Scordium*, *Marrubium*, *Calendula*, *Chelidonia major*; *hæc tria ſunt ſpecifica in hoc caſu*. Si ab obſtructione venarum lactearum, nil melius *Aqua Tetutii*, per plures dies, pro abſtergendo humore craſſo, & poſt hanc uſus *Oxymelis Chalybeati*, *& Oxymelis Scillitici*, purgando interpollatè *Pil. de trib. cum Rhaub.* vel *de Ammoniaco Quercetani*, & cum *Mercurio dulci*. Majora remedia ſcribentur *in diſſertatione de obſtructione Meſſenterii*. Si acidum pancreatis deficiat, vel ſit iners, eis utendum remediis, quæ propoſita fuerunt de appetitu deficiente, & de læſa concoctione ex defectu acidi fermenti, vel inertis.

Sanguinis miſſio non convenit, ob rationem multoties adductam, deſumptam ab indicante ſanguinis miſſionem.

Diœta ſit optimi ſucci, & tenvium partium, & in quantitate diſcreta potiùs, quàm continua, & moderanda habito reſpectu ad cauſam peccantem.

CAP. XVIII.

De Diarrhæa.

A Diverſitate materiæ præternaturam in copia excretæ per alvum, & modo excernendi variam ſuſcipiunt denominationem tales excretiones.

Excretio per alvum excrementorum immoderata, *frequens*, *diuturna*, *ſine dolore vehementi*, *ſine ſanguine*, *& premitu*, dicitur Diarrhæa.

Dicitur *Excretio per alvum*, ad diſtinctionem illius, quæ fit per vomitum, & pro determinando genere, ſub quo variæ fluxuum ſpecies continentur. Dicitur *excrementorum*, ad differentiam fluxus ſanguinis, hepatici dicti, & Lienteriæ, & Cœliacæ paſſionis, in quibus, vel alimenta inconcocta, vel chylus per alvum excernuntur. Per excrementa humores fluidos intelligimus, & præternaurali qualitate donatos, qui propriè excrementa dicuntur, ſolidum enim illud, quod ſtercus dicitur, propriè fœx eſt concoctionis alimentorum; ex quo deducitur differentia inter alvi fluxum, qui dicitur Diarrhæa, & alvi fluxum ſtercoraceum.

Dicitur *immoderata*, *frequens*, *& diuturna*, & aſſignatur conſtitutivum eſſentiale Diarrheæ. Alvi fluxus moderata-

deratus, rarus, & brevis, non poteſt dici Diarrhæa; excluditur etiam à Diarrhæa alvi fluxus criticus, quia eſt moderatus, non valdè frequens, & brevis, & etiam ille, quem aliqui omni die per tres, & quatuor vices experiuntur naturaliter, quia talis excretio, cùm ſit naturalis, non poteſt dici immoderata, cùm omnis actio naturæ ſit cum moderatione. Dicitur, *ſine dolore vehementi*, ad differentiam Diſſenteriæ, in qua adeſt dolor vehemens, ob corroſionem inteſtinorum, & ulcus.

Dicitur, *ſine ſanguine*, ad differentiam fluxus hepatici, & alterius fluxus ſanguinei, & etiam Diſſenteriæ, in qua ſanguinis portio excernitur: *ſine premitu*, ad differentiam Teneſmi, in quo cum muco ſanguis, cum premitu excernitur.

Has omnes conditiones eſſentiales Diarrheæ reſtrinxit Hipp. *in lib. de affect. n.* 26. paucis his verbis, Diarrhæam deſcribere intendens: *Profluvium ventris longum.* Profluvium dicitur de excrementis præternaturam in copia exeuntibus, & cum immoderatione. Dicitur *ventris*, & locum proprium Diarrheæ connotat, & etiam excrementa, quæ ex naturæ inſtituto per ventrem excernuntur, natura rectè operante; quod explicavit ſequentibus verbis: *Secedunt quidem primùm liquida, quæ ingeſta ſunt, poſtea pituitoſa*, quæ verba ſunt declarativa profluvii humoralis, & excrementitii. Per *longum*, demonſtrat diuturnitatem Diarrheæ.

Hæc definitio poterit clarior fieri, ſi dicatur *Profluvium ventris longum excrementorum.*

Cauſam Diarrheæ ſtatuit Hipp. *in citat. ſuperiùs loco* eamdem cum Lienteria, & Diſſenteria, nempè *defluxum pituitæ à capite, vel à ſuperioribus partibus ad ventrem*; quod confirmavit *aphor.* 3. *ſect.* 7. *Quibus in alvi profluvio excrementa ſpumoſa ſunt, iis pituita ex capite defluit*; & *aphor.* 31. *ſect.* 5. ait: *Balbos* (quia capite humidos) *à Diarrhæa longa maximè capi*; & *aphor.* 25. *ſect.* 3. *Alvi profluvia maximè pueris fieri*, ſcribit, *cùm caninos dentes emittunt, & iis præſertim, qui craſſiſſimi ſunt, & alvo dura*; à dolore enim in eruptione dentis fit fluxus materiæ ad partem dolentem, & ad circumſtantes fauces, quæ ad ventriculum paulatim deſcendit, cum Diarrheæ excitatione. In hujus Hippocraticæ ſententiæ confirmationem facit *obſerv. Meare in Hiſt. Medic. p.* 13. *de Diarrhæa ſeroſa*, quæ quando ſupprimebatur, pediculi multi in capite naſcebantur, recurrente evaneſcebant, ſignum certum Diarrheæ à capite; & hanc ſententiam adeò certam, & evidentem exiſtimat Hipp. ut afferat, *neminem hanc eſſe reprehenſurum.* Huic decreto addit conſilium non prætereundum, quia maximè neceſſarium, & utile, nempè conſiderandum, & indagandum, unde principium, origo, & natura morborum. *Nam hoc percepto, & apprehenſo, minimè aberraveris*, ait ipſe (ſupple in curatione.) In hac ſententia theoricæ neceſſitatem oſtendit, quæ ſola in cognitionem naturæ, & cauſæ morbi nos ducit, & increpat eos, qui practicam ſolùm conſiderant, & theoricam ſpernunt. Hæc enim etiam Empirico neceſſaria, quatenus originem, & naturam morbi aperit.

Si pituita à ſuperiori ventre defluens in ventrem eſt cauſa Diarrheæ, & Lienteriæ, prout expreſsè docet in *num.* 25. loquendo de cauſa Lienteriæ, his verbis: *Morbus autem fit, cùm ex capite, & ſuperiori ventre pituitæ defluxus fit in ventrem inferiorem*; & *n.* 26. loquendo de Diarrhæa, ait: *Morbus autem ab iiſdem fit, à quibus etiam inteſtinorum levitas*; ſequitur ex mente Hippocrat. defluxum pituitæ à ventre ſuperiori ad inferiorem ventrem eſſe cauſam & Diarrheæ, & Lienteriæ.

Modus operandi pituitæ, diſpoſitio ſubjecti, circa quod operatur, debet eſſe diſſimilis in Diarrhæa, & Lienteria, cùm non poſſint ab unica cauſa, eodem modo operante cum eadem diſpoſitione ſubjecti, diverſi affectus oriri. De hac diverſitate non eſt locutus Hipp. ſed Lectori indagandam reliquit, eò quia facilem exiſtimavit hujus diverſitatis operandi cognitionem, ſtabilita cauſa, & ſede propoſiti affectus; ideò hujus declarationem prætermiſit. Nam ſi pituita à ſuperiori ventre deſcendens in ventriculum ibi conſtiterit fermenti iſtius actionem abolendo, & fibras laxando, prout dictum eſt Lienteriam parit, alio modo debet operari pituita in Diarrhæa.

In hac, pituita non afficit ventriculum, ut habemus ab aliis verbis textus, *Et probè quidem edit*; hoc eſt ſignum optimæ conſtitutionis fermenti eſurini ventriculi, à quo etiam alimentorum digeſtio conficitur. A perfecta iſtius conſtitutione, ſicut habemus perfectum appetitum, ita perfectam actionem in digeſtione alimentorum in eo reſidere fatendum eſt, & ventriculum nullam partem in Diarrhæa habere, etiamſi verificetur ventriculum cum hoc fermento acido plus appetere, quàm concoquere poſſit, quia impotentia ad concoquendum, non à fermenti debilitate, ſed ab improportionata ſuæ actioni quantitate alimenti proficiſcitur, & in hoc caſu ſolùm allatum verificatur axioma. Sed afficit inteſtina pituita in Diarrhæa, ut colligitur ab Hipp. *num.* 24. *cit. lib. de affect.* ubi, loquendo de Dyſenteria, ait: *Morbus hic fit, ubi bilis, & pituita in venas, & alvum incubuerint.* Diarrhæa non differt à Dyſenteria, nec in ratione loci, nec in ratione cauſæ, ſed in ratione ulceris, quare ſi Dyſenteria fit à pituita, & bile afficiente alvum, ideſt inteſtina, etiam in Diarrhæa pituita afficiet inteſtina, & omnes fluxus alvi diuturnos eſſe inteſtinorum affectionem comprobat finis, ad quem à natura deſtinata ſunt, & eſt fœces non ſolùm alimentorum, ſed maſſæ ſanguineæ, ſi opus ſit excipere; quapropter cùm natura ſecundùm ſuos fines ferè ſemper operetur, probabile etiam eſt excrementa ſanguinis per alvum ſecernenda ad inteſtina immediatè tranſmittere, non ad ventriculum, quem voluit digniori officio, nempè alimentorum digeſtioni præſidere. Media etiam ad prædictum finem diſpoſuit, cùm inteſtinis multas, & amplas arteriarum ramificationes pro delatione humorum, & excrementorum conceſſerit natura minores ſatis ventriculo.

Ab hoc aliquas Diarrhæas oriri depravatè concoquente alimentum negandum non eſt. Sed profluvii alvi, & Diarrheæ eſſe principium, improbabile eſt. In hac excretorum quantitas valdè excedit alimentorum quantitatem. In Diarrhæa vitio ventriculi parum, quia ſi Diarrhæa eſt ab alimentorum depravata digeſtione, fluxus alvi in hac ſecundùm quantitatem debet correſpondere quantitati ſolùm alimentorum, quorum indigeſtio, vel corruptio eſt cauſa immediata fluxus. In Lienteria ergo pituita afficit ventriculum, in Diarrhæa inteſtina, & ex diverſitate loci affecti diverſitas morbi habetur, licèt cauſa ſit una, ut ſancivit Hipp. *lib de flat. n.* 4. dum ſcribit, *Morborum autem unus, & idem modus, locus verò ipſe differentiam eorum facit, quare videntur quidem morbi nihil inter ſe ſimile habere, propter diverſitatem ſcilicet locorum, cùm ſit tamen una morborum omnium ſpecies, & cauſa quoque eadem.*

Modus læſionis pituitæ in Lienteria, eſt diverſus à modo læſionis in Diarrhæa. In illa laxat pituita fibras ventriculi; in hac verò, vel laxat orificia ductus cholidoci, vel pancreatici, vel orificia glandularum inteſtinalium, vel hæc irritat, ſi fuerit acris, vel implet, ſi quantitate exceſſerit prædictas glandulas, & illas pancreatis.

Quomodo ab affectione prædictarum partium ſuccedat Diarrhæa, declaravit Hipp. loquendo *in cit. text.* de Lienteria, cujus cauſam eſſe eamdem Diarrheæ aſſerit, ſcribendo: *Morbus autem fit, cùm ex capite, & ſuperiori ventre pituitæ defluxus ſit* in ventrem inferiorem. Hic dufluxus fit per arterias, ut determinavit idem Hipp. *in ſuperiori text. num.* 24. *cit. lib. de affect.* loquendo de Dyſenteria, ubi habet: *Morbus hic fit, ubi pituita, & bilis in venas, ac alvum incubuerit*, legit *Foeſius*, *decubuerit*, ideſt ingreſſa fuerit per venas, intelligere etiam quandoque arterias omnes Commentatores admittunt. Redundante ergo pituita, ſub qua venit etiam ſerum cum exceſſu in maſſa ſanguinea, vel quia in eo collecta, vel ab alia parte vitiata tranſmiſſa cum naturæ moleſtia, omni conatu dictam quantitatem moleſti humoris tranſmittere contendit arteriarum medio ad glandulas pancreatis, & inteſtinorum, à quibus in illorum cavitatem transfunditur apertis dictarum glandularum poroſitatibus, vel vaſorum apertis orificiis. Hinc alvi profluvium vel moderatum, vel immoderatum, pro moderata, vel immoderata humoris pituitoſi, vel ſeroſi quantitate in vaſis reddundante. Si bilis redundaverit in maſſa ſanguinea per vaſa deſtinata, fertur ad cyſtim

ſuam,

ſuam, & per ductum cholidocum copioſo fluxu in inteſtinum depluit, & Diarrhæam bilioſam efficit. At exiſtente fluxu ſeroſo, & pituitoſo à glandulis inteſtinorum, & pancreatis proveniente cum aliquali acrimonia, & in ſitu, in quo orificium ductus cholidoci irritare valeat, ab irritamento determinatur dictus ductus ad deponendam copiam bilis in inteſtina, quæ unita cum materia ſeroſa, & pituitoſa, Diarrhæam ſeroſam, pituitoſam, & bilioſam ſimul conſtituit. Quilibet enim humor exiens per alvum in Diarrhæa, iſtius differentiam diverſificat, juxta ſpecificam humoris differentiam.

Pituita à capite deſcendens ponitur ab Hipp. pro cauſa hujus morbi, quia cenſuit in capite eſſe fontem pituitæ, & ab hoc deſcendere per manifeſtam viam ad inferiorem alvum. Hæc Hipp. ſententia quomodo ſit accipienda, demonſtratum fuit in Diſſertatione de Catarrho, ad quam Lectorem remitto.

Demonſtrata diverſitate modi agendi pituitæ in Lienteria, & Diarrhæa, deducta à diverſitate loci, & actionis, colligere licet, omnem Diarrhæam eſſe à toto, ideſt ab univerſa maſſa ſanguinis, cùm omnis materia per alvum evacuata ab arteriis defluat, ut ſuperiùs demonſtratum eſt, conſequenter à tota maſſa ſanguinis, rejiciendo omnes Diarrhæas à determinata parte provenientes, ut aliqui ſtatuerunt, & etiam illas à ventriculo quotieſcumque quantitas excretorum excedit quantitatem alimentorum, nam illa quantitas humoris, quæ eſt ſupra quantitatem alimentorum, eſt à tota maſſa ſanguinis, & cùm ferè ſemper in Diarrhæa id eveniat, ideò omnes ſtatuendæ à toto, etiamſi ventriculi vitio maſſa ſanguinis depravetur, ut multoties contingit, in quo caſu ventriculus eſt ſolùm cauſa remota, & mediata Diarrhæa, proxima verò, & immediata eſt vitium maſſæ ſanguineæ; & quamvis in qualibet Diarrhæa alimentorum corruptio obſervetur, & macies totius dictæ corruptionis effectus, nihilominus id non eſt tribuendum vitio ventriculi, ſaltem in principio Diarrhæa, in quo, ut ait Hipp. *optimè edunt ægri*, quia ventriculus eorum liber ab omni vitio, ut demonſtratum eſt ſuperiùs, ſed vitio humorum ab arteriis ad duodenum, & jejunum inteſtinum fluentium, alimenta digeſta ibi concurrentia inficiente, & pravis qualitatibus communicatis ad corruptionem diſponente. In progreſſu Diarrheæ facultas digeſtiva alimenti depravatur à vitio ſanguinis, dum pro conſervatione fermenti digeſtivi ventriculi particulas pravis, & incongruis qualitatibus infectas ſubminiſtrat, à quibus fermentum depravatum reſultat, itaut depravatio ventriculi cenſenda ſit effectus vitiati ſanguinis, qui eſt cauſa Diarrheæ.

Concludendum ergo ex Hipp. cauſam immediatam hujus affectus eſſe vitium ſanguinis, & omnem Diarrhæam eſſe à toto. Non omne vitium ſanguinis eſt cauſa Diarrheæ, ſed illud ſolùm, à quo ſanguinis maſſa alteratur; eo modo quo alteratur à medicamento purgante fermentationem ſegregativam excrementorum, & deſpumativam in eam inducendo, & etiam depravativam alicujus portionis ejuſdem maſſæ non reſiſtitivæ actioni medicamenti, & magis imperfectæ. Hoc vitium ſanguinis conſiſtit in admiſſione, & retentione excrementorum, quæ ab aliis partibus recepit, vel peperit, concurrente aliqua cauſa externa morboſa, ubi vires acquiſiverint dicta excrementa fermentando, has in maſſam ſanguinis dirigunt, & ſuis pravis qualitatibus hujus perfectionem, vel ejus mixtionem diſſolvere contendunt, turbato ſuæ naturalis fermentationis rhythmo, tali motu, quo copioſa excrementorum diſgregatio promovetur, & diſſolutioni maſſæ ſanguineæ initia ponuntur, concurrit ad hoc ipſa maſſa ſanguinis, dum hoſtis expulſionem molitur; ab hac lucta ſanguinis, & excrementorum oritur illa fermentatio deſpumativa, à qua ſegregantur excrementa, & ad alvi emunctoria expellentur. In hac fermentatione, nova exſurgunt excrementa, vel quia de novo ſeparentur, cùm eſſent aliis particulis optimis firmiter unita, vel quia de novo generentur, ab actione prava excrementorum, qua particularum ſanguinis perfectarum craſis, & textura immutatur ad excrementi naturam tranſeundo; ab hac continuata excrementorum generatione nutritur fluxus alvi, & augetur. Actio hæc excrementorum, quia fermenti naturam habet, eſt conſtans, & valida, nec adeò facilè ſuperabilis, ut patet in omnibus fermentis, à quibus alteratur facilè, & indeſinenter ſubſtantia, cui miſcentur, & ferè totam in ſuam ſimilitudinem commutant. Fermentum commune panificium acidum, ſi diu commoratur in paſta, & citò ab igne non ſupprimatur, hanc totam acidam facit; ſimili modo excrementa in ſanguine, ſi fermenti naturam contraxerint, totam maſſam inficiunt, & in caſu noſtro diſponunt totum ſanguinem ad fovendam Diarrhæam. Acrimonia humoris, ad cyſtimfellis, ad ductum pancreaticum, ad glandulas inteſtinorum meſſenterii ducti cum ſanguine circulante Diarrhæam facit, ſi irritamentum acrimoniæ ſit continuum, eo modo quo ab irritamento purgantis fit purgatio durans, uſquequo durat irritamentum.

Cauſæ concurrentes ad dictam collectionem excrementorum in maſſa ſanguinea, erunt cauſæ mediatæ, & magis remotæ Diarrheæ. In horum numero aliæ internæ, aliæ externæ. Inter primas enumeratur morboſa diſpoſitio alicujus partis excrementa congregantis ſanguini conſignanda, ut illa ventriculi alimentorum digeſtiones depravans, hæc in excrementa tranſmutando, vitium bilis, & ſucci pancreatici partes inutiles, & fœcoſas ſecernendas, in chyli depuratione relinquens ſanguineæ maſſæ conſignandas, vel qualitas dictorum ſuccorum, aciditas nempè, & amarities, ad præternaturalem ſtatum intenſione redacta, univerſam chyli maſſam ſalſedine, vel aciditate inficiens, à quibus excrementi naturam ſuſcipit. Hæc Diarrhæa dicitur à ventriculo, & ab hypocondriis modo ſuperiùs explicato, cujus ſignum ſunt querelæ de ventriculo, nempè de dolore, de copia flatuum, cum appetitu, vel aucto, vel diminuto, ſapore pravo in ore, cum cruditate, vel acida, vel nidoroſa. Vitium bilis oſtendit temperamentum bilioſum, ſicut ſucci pancreatici melancholicum, rugitus, tormina, dolores, æſtus in hypochondriis, præcipuè in fine digeſtionis apparent. Vitium partis etiam ſeparationi excrementorum præſidentis, concurrit ad collectionem iſtorum in maſſa ſanguinea, ſi ſeparatio prædicta non ſequatur, ut contingit hepati, ſi bilem non ſeparet à ſanguine, lieni, ſi non diſponat ſanguinem ſuo fermento rarefactivo ad relinquenda excrementa in ſuis emunctoriis, utero, ſi menſes retineantur, capiti, ſi excrementa in generatione ſpirituum animalium ſegregata non purgentur, cauſa ſui vitii per apertas in eo à natura vias, ſed ſanguini de novo miſceantur, cum reduce ſanguine à venis abſorpto. Retentis his excrementis, adeſt Diarrheæ cauſa, quæ à vitio partis denominationem ſuſcipit, & dicitur hepatica, ſi in hepate, lienaris, ſi in liene, uterina, ſi in utero, renalis, ſi in rene, à capite, ſi in hoc ſit vitium. Signa Diarrheæ ab his cauſis demonſtrantia, ſunt læſio manifeſta per propria ſigna harum partium.

His perceptis, cognoſcimus vitium partium eſſe cauſam mediatam, & remotam Diarrheæ, quia hoc ſolùm, vel ſanguini excrementa ſubminiſtrat, vel eorum, quæ in eo congregantur ſeparationem prohibet, cùm Diarrhæa immediatè ſit à redundantia excrementorum in ſanguine; ideò quidquid concurrit ad hujuſmodi redundantiam, ut vitium partium prædictarum eſt cauſa remota. Unde patet error illorum, qui volunt, Diarrhæam immediatè ab his partibus oriri.

Excrementa ad ſanguinem tranſmiſſa, vel in eo retenta, ad hoc ut ſint cauſa Diarrheæ, oportet, ut habeant diſpoſitionem ad accipiendam naturam fermenti purgantis, ut dictum eſt ſuperiùs, alioquin non erunt apta ad Diarrhæam promovendam, nec mediatè.

Cauſæ externæ, ſunt omnes res non naturales malè ad uſum redactæ, & præcipuè, quæ bilem, vel acidos humores redundare faciunt, & quæ morbos dictarum partium efficiunt, de quibus in ſuis locis dictum. Fructus horarii dicti, multùm valent ad excitandam Diarrhæam, ſi immoderatus ſit iſtorum uſus, quia eorum ſuccus facilè in pravum humorem corruptione degenerat, vim fermentativam retinendo, qua pollere fermentatio, cùm in vaſis reſervatur, oſtendit. Influxus cœleſtes, quandoque ſunt cauſa Diarrheæ, quando eſt epidemica,

ca, ab his ſanguinem humores alterari docuit etiam Hipp. *lib.* 4. *de morb. n.* 25. *&* 26. ubi etiam explicat modum, ſecundum quem procedit hæc alteratio applicabilem Diarrheæ, & confirmantem ſententiam de fermentatione ſuprà deſcriptam.

Differentiæ habentur ab humore in excretis excedente: ſi bilis excedat, eſt bilioſa Diarrhæa; ſi pituita, pituitoſa; ſi ſerum, ſeroſa. Aliqui addunt Diarrhæam ſanguineam, ſed hanc differentiam puto rejiciendam, cùm Diarrhæa ſit ex data definitione *Profluvium excrementorum*, non ſanguinis; & quando eſt profluvium ſanguinis, vel dicitur Dyſenteria, vel fluxus hepaticus. A partibus etiam alias habemus differentias, quæ concurrunt ad fovendam Diarrhæam, & ſunt ſuperiùs recenſitæ. Alia eſt cum febre, alia ſine febre.

Signa diagnoſtica in genere, ſunt nota in fluxu excrementorum immoderato per alvum; in ſpecie, ab humore in excretis alios quantitate excedente. Signa partium læſarum ſuprà ſunt recenſita.

Prognoſtica, recenſet Hipp. *in aphor.* 71. *ſect.* 7. *In alvi profluvio egeſtio valdè rubicunda, mala*; *& in lib. de judic. n.* 11. *Qui ab alvi profluvio multo tempore detinentur, unà cum tuſſi, non liberantur, ſi non dolores vehementes in pedibus inciderint*; *& in aphor.* 14. *ſect.* 5. *A tabe habito profluvium alvi ſuperveniens, malum; & aph.* 12. *Diarrhæa in principiis morborum, & febrium, mala*; *& aphor.* 16. *ſect.* 6. *Pleuritidi, & peripneumoniæ alvi profluvium ſuccedens, malum*. Diarrhæa in gravidis, cùm remedia curativa ſpernat, non multum laborandum in ea ſiſtenda; fit enim ab excrementis reſiduis ſanguinis conſumpti in nutritione fœtus, & ut plurimùm non cedit, niſi poſt partum. Si diu duraverit, in tabem deſinit.

Curationem proponit Hipp. *in cit. text.* 26. *lib. de affect.* dicendo: *Hunc ſurſum verſus reſiccato, veratro in potu dato, & capite à pituita purgato*. Vomitum primò movet, cùm Veratrum, ideſt Helleborum album exhibeat, à quo vomitus principaliter movetur, & indicationem habet reſiccandi, ut patet à verbis citatis. Exſiccatur corpus ablatione humidi copioſi, prout in vomitu à Veratro ſuccedit, & exſiccationem præcipuè patiuntur ventriculus, & etiam inteſtina, quorum fluxus ſedatur à vomitu, quia exſiccantur. Aliam video indicationem, quam manifeſtat in illis verbis textus: *Et oportet ipſos ſic ſanare, itaut defluxum à capite, & ſuperiore ventre intercipias*, & eſt intercipiendi, & divertendi humores ab arteriis ad inteſtina, vomitu autem fit hæc interceptio, & derivatio. Hinc colligimus, Hipp. pro curatione Diarrheæ primam indicationem habere derivandi, & intercipiendi humorem à maſſa ſanguinis ad inteſtina fluentem, quod vomitus perficit. Hujus indicationis fundamentum dedit *in lib. de loc. in hom. n.* 42. ubi, loquendo de fluxionum curatione, ait: *Primùm fluxionem ſedare oportet*. Hæc ſedatur aliqua ex parte minorata materia interceptione, & derivatione, quas primo loco convenire in curatione morbi pendentis ab humorum fluxu docet univerſa Medicorum Schola; & quia purgatione in alvi fluxu non intercipimus, nec derivamus materiam ab alvo, ſed ad hanc ducimus, contra commune axioma, & receptiſſimum, *Non eſſe ducendum materiam ad partem affectam*; ideò Hipp. vomitum in Diarrhæa commendat, neglecta purgatione per alvum.

Vomitum excitabimus *Infuſione Antimonii Hyacinthini, Croci Metallorum, Sappa Antimoniali, Radic. Aſari ad* ℥. *i.* ß. *Sale Vitrioli albo ad* ℥. *i.* quod eſt magis tutum, quia minus violentum; tale eſt etiam *Tartarum Æmeticum ad gr. v. vel vi.* Si leniora vomitiva deſideramus, utendum *Succo Raphani ad* ℥. *iv. cum decocto florum Camomillæ, vel Aqua Roſarum in æneo vaſe diſtillata ad* ℥. *iv.*

Capitis purgationem deſiderat Hipp. quia fluxum pituitæ ab hoc ad inteſtina credidit in Diarrhæa, conſequenter fontem pituitæ exſiccandum cenſuit evacuatione. Quidquid ſit de hac ſententia Hipp. dico, per vomitum purgari etiam caput docuit Hipp. *lib. de loc. in hom. n.* 47. & ſi caput cauſare poteſt Diarrhæam, dum ejus copioſa excrementa à venis abſorpta ad cor reducuntur, & ab arteriis excipiuntur, ab hiſque ad alvum deducuntur, vomitus etiam ſerviet evacuationi humoris in arteriis exiſtentis, per os ſuperius ventriculi intercipiendo, & derivando dictum humorem ab inteſtinis, cùm vomitus totum corpus evacuet, ſtante Hipp. ſententia, *Ventriculum omnibus dare, ab omnibus recipere;* & ſi recipit ab arteriis ſanguinem, & ejus glandulæ ſerum, poteſt etiam recipere pituitam, & alia excrementa vomitu expellenda, cùm ſolæ arteriæ, & nervi ad partes deferant.

Præter purgationem capitis à vomitu, ſi opus erit, purgandum etiam *Errhynis, & maſticatoriis*, prout multis in locis utitur Hipp. quæ ſi non purgant, ſaltem derivant à capite materiam.

Poſt vomitum jubet ventrem *abluere lacte cocto*: Ablutionem, & abſterſionem ſolùm inteſtinorum Lacte cocto vult Hipp. non purgationem, quam Lacte ſimplici etiam reformidat, licèt ſit purgans adeò blandum, & attemperandi facultate polleat; & reprobat blandam etiam purgationem, quia & hæc ducit humores ad partem affectam, ablutione ſolùm inteſtinorum contentus, ut humores in extremitatibus vaſorum, vel in orificiis, & ſubſtantia glandularum exiſtentes ſenſim, & ſine violentia educantur, irritando enim dictas partes novos humores ad affecta inteſtina vocamus; in hunc finem ablutionis inteſtinorum valent, Clyſteres ex ſimplici Lacte cocto omni die, & etiam bis reiterati.

Ab illis verbis textus, *Et oportet ipſos ſic ſanare, ut defluxum à capite, & ventre ſuperiore intercipias, & avertas*, certò colligimus, facta derivatione humoris per vomitum, proficua eſſe & diuretica, & diaphoretica, cùm ab iſtis intercipiatur, & avertatur materia in ſanguine exiſtens à fluxu ad inteſtina, ea ducta ad renes, & ad ſuperficiem corporis. In fluxu bilioſo ſincero uſus iſtorum ſuſpendendus, uſquequo bilis fervor, æſtus, & acrimonia fuerint moderata, maſſam ſanguinis dicta remedia valdè exagitant, & agitatione bilis furorem, & ſævitiam acuunt. Pro *diuretico* ſit *decoctio Parietariæ, Liquiritiæ, Capill. Vener. Ononidis cum Tincturæ Tartari* ℥. *i. in Aqua Parietariæ, vel cum Terebinthinæ* ℥. *ii. cum Sale ſtipitis Fabarum* ℈. *i. ſuperbibendo* ℔. *i. decoctionis Urticæ, & Alchechengi*. Pro *diaphoretico*, *Emulſio ex ſeminibus Aquilegiæ, Napi, Cardui benedicti, extracta cum Aqua Scorzoneræ*; vel

℞. *Roob baccarum Sambuci* ℈. *ii.*
Aſſæ fœtidæ } *a.* ℈. ß.
Myrrhæ }
Spir. Cornu Cervi gutt. iii. M.

Superbibat ℔. *i. decoctionis Biſtortæ, Tormentillæ, Angelicæ; vel* ℥. *i. Rad. Lappæ majoris, cum decoctione Cornu Cervi ad* ℔. *i. exhibeatur*. Electionem diuretici, vel diaphoretici determinabit, vel propenſio naturæ, vel inclinatio, & facilitas patientis ad urinæ, vel ſudoris excretionem.

Complementum curationis Diarrheæ tradidit Hipp. in illis verbis: *Deinde reliqua cibis, ac potibus curato, à quibus venter, & corpus reſiccatur*. Unica indicatio exſiccandi in his verbis continetur, duas partes reſpiciens, ventrem inferiorem, qui recipit, & ventrem ſuperiorem, nempè venoſum genus, in verbo *corpus* principaliter indicatum, tranſmittens humores ad inteſtina.

Hæc indicatio continetur in illo generali præcepto deſcripto *in cit. n.* 42. *lib. de loc. in hom.* his verbis: *Morbos à principio curare oportet, & ſiquidem à fluxionibus fiunt; primùm fluxiones ſedare, ſi verò ab alia cauſa, principium morbi ſedare, ac curare, deinde quod influxit, ſiquidem multùm fuerit, educere, ſin modicum, per diætam moderari, ac componere*.

Exſiccare ventrem, & corpus, nil aliud importat, quàm fluxionem ſedare, prohibendo materiæ collectionem in parte mandante, & receptionem ejuſdem in parte recipiente; ex utroque enim habetur exſiccatio in Diarrhæa & ventris ſuperioris, & ventris inferioris; quapropter exſiccare idem eſt, ac fluxionem ſedare. Sedatur fluxio, quando principium hujus, ſeu cauſa ſedatur, prout habetur in citato textu, quæ verba, licèt prolata de aliis morbis, accommodari poſſunt etiam fluxioni per alvum, imò debent, ſtante axiomate univerſali, *Ablata cauſa, aufertur morbus*.

Modum ſedandi principium fluxionum tradidit Hipp.

Hipp. *lib. de vet. med. n.* 31. ubi , loquendo de curatione fluxionis ad nares, ait: *Sedatur poſtquam fluxus craſſior, & minus acris, concoctuſque , & magis permixtus priore fuerit, tunc ſanè etiam ardor ceſſat. Omnibus autem liberatio hæc eſt, ut ex frigiditate affecti percalefiant, ex ardore vero perfrigerentur, atque hæc brevi accedunt, & concoctione nulla opus habent . Reliquæ autem omnes fluxiones , quas ego , propter humorum acrimonias, & intemperantias fieri ſentio , reſtituuntur , & curantur , ubi temperatæ fuerint , & concoctæ .*

Diarrhæa ergo inter fluxiones recenſenda , curanda alteratione, & concoctione humorum, illa ſit contraria qualitatibus humoris fluentis : Si caliditas exceſſerit in excrementis , ut in Diarrhæa bilioſa , frigidis utendum; ſi frigiditas, ut in ſeroſa, pituitoſa , & in ea , quæ communiter appellatur à ſtomaci indigeſtione calidis . Concoctio requiſita in fluxione, & Diarrhæa, debet eſſe talis conditionis, ut humores incraſſet, & attemperet; quod docuit Hipp. *cit. mox lib. n.* 33. his verbis: *Ubi verò craſſiores*, nempè fluxiones, *& maturiores factæ fuerint, & ab omni acrimonia liberatæ, tum jam & febres, & alia hominem lædentia ſolvuntur;* & confirmavit *in n. præcedenti* 32. *Hæc concoctio fit ex permixtione , temperaturaque mutua , & quaſi coctura,* per quam *omnia mitiora, & meliora fieri,* docuit Hipp. *cit. lib. de vet. medic. n.* 35.

Concoctio fit ex mixtione particularum diverſarum in humore, vel humoribus exiſtentium, & mixtio à motu dictarum particularum pendet. Si immoderatus hic extiterit, vel ſi nimis debilis , & deficiens , nunquam mixtio ſuccedet , & diſgregatio humorum in fluxionibus ſemper permanens perſeverabit, ideò immoderatus motus reprimendus, deficiens corroborandus , ut perfecta ſequatur mixtio, & cum hac concoctio. Primus eſt conjunctus cum febre, & bile excedenter acri, & calida. Secundus, ubi peccat ſerum, & pituita , niſi hæc acrimonia inficiantur.

Si ex Hipp. cauſa, & principium fluxionis eſt tollendum, cùm hoc ſtatutum fuerit eſſe acrimoniam humoris excrementitii , per quam hoſtilis eſt ſanguini , & corrumpit portiones ejus minus perfectas , hæc eſt primo loco attemperanda; & quia hæc acrimonia, vel eſt bilioſa, ubi bilis ſuperabundat, hæc acidis bili adverſis eſt extinguenda , in quorum genere eſt *Succus Acetoſæ, Portulacæ, Sempervivi, cum Aqua Acetoſæ, vel Aqua Noceræ, vel Sero Lactis. Decoctum Tamarindorum*, cum tali quantitate iſtorum, per quam aciditatem accipiat, non vim purgandi, per quatuor vices in die exhibitum, erit valdè efficax in Dirrhæa bilioſa; ſicut *Syr. de Agreſta, cum decoctione Plantaginis, & Portulacæ, & Serum Lactis acidum, cum Tinctura Roſarum, & Santalorum rubrorum,* ℥. *ii. iſtarum in* ℔. *i. Seri miſceantur: Lac, vel coctum, vel recenter multum cum ſuo calore naturali , aſininum , vel caprinum, cum pauco Saccharo, vel Melle, omnibus præfero ad* ℔. *i.* ß. *& ad ii.* Primò *Lac caprinum, vel aſininum,* poſtea *ovillum, vel vaccinum, quia magis incraſſant,* ex Hipp. *lib.* 2. *de Diæt. n.* 6.

Vel acrimonia eſt acida , ut ferè eſt ſemper, cùm ſerum ſuperexcedit alia excrementa ; hæc attemperatur *aromaticis, & imbibentibus* , ut *decoctione radicis Peoniæ, Trifolii, Verbaci, cum Syr. Myrthino.* Laudatur *decoctio Rutæ, fol. Quercus, ſem. Lapathii acuti , cum Syr. Maſticino, & decoctio rad. Biſtortæ, & Tormentillæ. Bolus Armena in pulvere, vel in aqua, vel vino decocta cum Maſtice ,* valet . *Cornu Cervi uſtum , Spodium , Acini Uvæ pulv. & cum Aqua Pulegii* exhibeantur *ad* ʒ. *ii.*

Vel acrimonia eſt ſalſa , prout ferè ſemper contingit, ubi in excretis eſt copia mucoſitatis, & corrigitur *Pulmonaria ſecunda,* dicta *Althea, ſemen Papaveris nigri, Beta nigra , Lens ſylveſtris* extolluntur ſupra alia remedia in hac cauſa, ex quibus parari poſſunt decocta.

Secunda cauſa fuit aſſignata in fermentatione deſpumativa ſanguinis, non diſſimili ab ea, quam actio medicamenti purgantis excitat ; hæc moderationem exigit, quam efficaciter donat *Lac,* à quo etiam purgantium efficacia debilitatur; exhibetur coctum, & crudum in ea quantitate, quam æger tolerare poteſt. *Coquitur, addita aqua ad medietatem lactis , poſtea ſupra ignem ſemper miſcendo coquitur, extrahendo partes lactis, quæ coagulantur, coquitur, donec portio aquæ fuerit conſumpta. Lac crudum accipiatur calidum, ſtatim ac emunctum. Theriaca recens , Radix Filipendulæ ad* ʒ. *i. habentur pro ſpecificis in ſuperpurgatione ;* qua ratione talia ſunt cenſenda in Diarrhæa. Omnia valida adſtringentia fermentationem prædictam moderantur, conſtipando, & condenſando particulas ſanguinis , haſque corroborando contra actionem fermentantis humoris; ideò ſi *Lac* non ſufficiat, huic admiſcendus *Succus Polygoni, vel Burſæ-Paſtoris ad* ℥. *iii.* Vel

℞. *Acaciæ*
Hypociſtidis } *a.* ʒ. *i.*
Sem. Plantaginis
Sumach
Acetoſæ } *a.* ʒ. ß.

f. p. & ℥ *i. exhibeatur, vel in Conſerva Roſarum antiqua, vel in Diaciconite, vel Diacornolata* ante Lac, quod ſit *chalybeatum, & ovillum* eligendum, vel cum *decoctione Rad. Tormentillæ, & Conſolidæ maj. ad* ℔. *i.* Dicuntur ſpecifica *Capita Papaveris torrefacta ad* ʒ. *ii. Mora immatura exſiccata, & pulverizata ad* ʒ. *i. Acini Uvæ agreſtæ exſiccati, & pulv. ad* ʒ. *i. Decoctum corticis quercinæ, glandis, & corticis Caſtanearum, cortex Avellanarum ſylveſtrium, pulverizetur, ad* ʒ. *i.* exhibeatur . *Calices Roſarum exſiccati, & pulv. in Vino auſtero propinentur ad* ʒ. *i.* ß. His addi poſſunt opiata , ſi contumax ſit affectio, in qua primum locum tenet *Laudanum liquidum cydoniatum.*

Hujuſmodi adſtringentia , & opiata motum inordinatum particularum humoris fermentantis, & particularum ſanguinis fermentati , à quo continua diſgregatio humorum Diarrhæam conſervantium proficiſcitur, moderantur, dum illas conſtipatione, & condenſatione magis uniunt cum aliis particulis, ex unione prava illarum qualitas emendatur; ab hac unione mixtio etiam perfecta dictarum particularum , & omnium maſſam ſanguineam componentium completur, quam ſequitur concoctio ab Hipp. in fluxionibus deſiderata, unà cum craſſitie, quam in eiſdem curandis requirit, à quibus deducitur ad mentem Hipp. prædictas cauſas , & ab his elicitas indicationes eſſe concinnatas.

Hoc unum advertendum, priuſquam opiata, & adſtringentia ad uſum redigantur , eſſe attemperandam humorum acrimoniam, & pravas qualitates moderandas per contrarias , prout ſancivit Hipp. *in cit. ſuperiùs ſententia*; his enim in vigore conſiſtentibus, impoſſibilis eſt mixtio prædicta, & concoctio, quia ſicuti humores , per pravas qualitates unionem particularum ſanguinis ſolvunt , corruptionem aliquarum efficiunt , fermentationem pravam inducunt, ita per eaſdem hæc mala conſervant, & ſi etiam ſequatur mixtio, vel non durat, qua de cauſa frequens eſt Diarrheæ recidivatio, vel ab ea intempeſtivè ſuppreſſa , alii pernicioſiores morbi pullulant . Hoc modo , attemperato humore , concoctione in iſtis introducta totum corpus, & venter exſiccatur, & fluxio ſedatur.

Quod ſi non contigerit, ad exſiccantia deſcendendum, juxta Hipp. dictatum præſcribendo *Decoctum ex Santalis, Rad. Cannæ, Ligno Avellanarum ſylveſtrium, & ſummitatum Ligni Cotonei , cum Radice Biſtortæ , Tormentillæ, & Conſolidæ majoris.*

His addendi *Clyſteres omne die, primò ex Lacte ſimplici, & Saccharo, poſtea ex Lacte chalybeato, & Succo Plantaginis,* vel *ex Lacte, & Decocto Tormentillæ, Conſolidæ, Burſæ-Paſtoris, & Polygoni.*

Diæta ſit tenuis, ſaltem in primis diebus; hæc enim exſiccat, ſit attemperans, ideò oriza, & Alica in Lacte cocta utendum , & etiam Pane in Lacte cocto ; pulmenta etiam ex herbis conveniunt. Potus ſit diminutus, ab hoc enim ſiccitas habetur, ſicut à nimia redundantia humidi, à qua fluxus fovetur . Somnus, ſi poſſibile eſt, prolongetur, nil enim magis confert ad ſiſtendos fluxus alvi, quàm ſomnus.

Si cum Diarrhæa conjungatur febris , curatio difficultatibus implicita manet , ob diverſas , et contrarias indicationes ab his duobus conjunctis reſultantes.

Pro inſtituenda methodicè hac cura, conſiderandum poſſe contingere unionem febris cum Diarrhæa: Primò, ſi Diarrhæa incipiat, & poſt aliquot dies febris addatur. Secundo, quando febris invadit primò, & Diarrhæa ei adjungitur, vel in principio, vel in augmento, vel incipiente vigore; nam ſi ſuccedat in fine vigoris, cum ſignis concoctionis, vel in declinatione univerſali, cum tunc ſit critica, curationem non expoſcit, imò curare piaculum eſt. Tertiò, diligenter perpendenda qualitas, mos, conditio febris, & fluxus

In primo caſu febris ſupponenda ſymptoma Diarrheæ, quam diximus fieri ab humore fermentante maſſam ſanguinis, cum iſtius deſpumatione: fermentatio ſanguinis, ſi tranſeat à deſpumatione ad validam efferveſcentiam, cum accenſione, ſtatim febris adeſt. A conditione effervefcentiæ febris erit vel parva, & lenta, vel magna, & acuta, ſi effervefcentia fuerit parva, vel debilis, vel magna, vel vehemens: febris exacerbationes, & remiſſiones habet dependenter à nova pravi humoris generatione, vel diſgregatione in maſſa ſanguinis, à qua fermentata maſſa iſtius, præternaturaliter accenditur calore febrili, & ab ejuſdem fermenti tranſpiratione, vel evacuatione, vel reſolutione remittit. In hoc caſu curanda Diarrhæa modo dicto, quia hac ceſſante, febri terminus imponetur, cùm ſit ſymptoma illius.

In ſecundo caſu Diarrhæa eſt ſymptoma febris, quæ calore, & effervefcentia præternaturali corrumpit portionem ſanguinis, hæc ad glandulas inteſtinales tranſmittitur, & fluxu ejicitur. Curatio hujus Diarrheæ, cùm ſit ſymptoma febris, ab iſtius expugnatione pendet.

In tertio caſu, ſi excretio ſit fœtens, pulſus parvus, cum virium debilitate, febrem malignam ſuſpicari licet, & à malignitate Diarrhæam; ideò ad hanc tota curatio dirigenda. Si febris fuerit acuta, vel à colliquatione, vel à diſſolutione maſſæ ſanguineæ, timenda Diarrhæa; ideò ad febrem debellandam propriis remediis omnis conatus applicandus. Si febris fuerit parva, & excretio multa, à Diarrhæa febrem pendere cenſendum; ideò hæc curanda. Si febris parva, & excretio parva, potiùs Diarrhæam à febre, quàm illam ab hac provenire exiſtimandum, quia plus poteſt febris alterare ſanguinem pro Diarrhæa, licèt illa ſit parva, quàm paucus humor excitare cum Diarrhæa febrem, conſequenter ad hanc tollendam omnis cura ſit.

CAP. XIX.

De Dyſenteria.

DEſcribit Dyſenteriam *Hipp. in lib. de affect. n.* 24. his verbis: *Dyſenteria cum habuerit, dolor adeſt per totum ventrem, & tormen, & egerit bilem, ac pituitam* (hoc eſt mucum) *& ſanguinem combuſtum.* Et *in libr.* 3. *de Diœta n.* 12. idem ſentit, dum ait: *Ubi corpore calefacto, purgatio acris fiat, tunc & inteſtinum raditur, & exulceratur, & ſanguinolenta egeruntur.* Unde communis Medicorum Schola, Hipp. inhærendo, definit Dyſenteriam, *Alvi dejectio frequens, ſanguini mixta, cum dolore, & ulcere inteſtinorum à materia acri corrodente.*

Per hoc, quòd dejectio per alvum ſit cruenta, conſtituitur eſſentia Dyſenteriæ, & contradiſtinctivum à quocumque alio fluxu alvi; & per hoc, quòd ſanguis exeat ab ulcere per corroſionem ab humoribus factam, contradiſtinguitur ab omni alio fluxu cruento. Ad eſſentiam ergo Dyſenteriæ, per Hipp. requiritur *dejectio*, id eſt exitus per alvum materiæ humoralis excrementitiæ, & noxiæ, cùm ab hac fiat ulcus; hæc dejectio eſt ſanguinolenta per mixtionem ſanguinis erumpentis ab ulcere inteſtinorum cum excrementis. Ex quo patet, omnes dejectiones humorales, ſed cruentas, in quibus non adeſt ulcus inteſtinorum, impropriè vocari Dyſenterias, ſed propriè Diarrhæas ſanguinolentas, prout rectè appellavit *Rhodius cent.* 2. *obſerv.* 85. ubi habet multa de Diarrhæis criticis ſanguinolentis in febribus.

Diſtinguimus Diarrhæas ſanguinolentas à Dyſenteria per dolorem, & paucam quantitatem ſanguinis in hac, ubi in Diarrhæa cruenta copia eſt major, & ſine dolore. Si dejectio cruenta ob ulcus eſt eſſentiale diſtinctivum Dyſenteriæ ab aliis fluxibus, eſt etiam demonſtrativum ſedis hujus affectus, quæ alia non poteſt aſſignari, niſi locus ulceris; ideò excludenda illorum opinio, qui ventriculum ſedem hujus affectus ponunt, & licèt fluxus materiæ corrodentis poſſit eſſe à ventriculo, ſaltem remote, etiam ſecundùm Hippocratem, non conſtituit tamen Dyſenteriam, niſi ulcus in inteſtinis reperiatur.

Cauſa Dyſenteriæ deſcribit Hipp. *in cit. loco de affect.* his verbis: *Morbus hic fit, ubi bilis, & pituita in venas, ac alvum incubuerint; ægrotat quidem ſanguis, & corruptus ſecedit; ægrotat autem & inteſtinum, & raditur, & exulceratur.*

Bilis, & pituita in venas incumbens, hoc eſt venas ingrediens (dicitur ingredi, quando in venis, & in maſſa ſanguinea colligitur in ea copia, quæ eſt moleſta.) Bilis ergo collecta cum pituita in venis, in copia, & cum qualitate moleſta, fit cauſa Dyſenteriæ; modum oſtendit Hipp. quia corrumpitur à bile, & pituita ſanguis, dum portiones iſtius minus reſiſtentes hoſtili qualitati ab illis morboſis dictorum humorum, pituitæ nempè, & bilis, alterantur, ut in excrementa acria degenerent, mutata textura, & modo agendi naturali in præternaturalem, & cum ſanitatis detrimento, eo modo quo ab intemperie fervida ſanguinis illa generari communiter dicuntur.

Iſta excrementa, quæ à ſanguine alterato proveniunt, & quæ dicuntur ſanguis corruptus ſecedunt, hoc eſt à ſanguine ſeparantur, tamquam quid illi hoſtile, & cum eo minimè miſcibile, & ad alvum demandantur, ut è corpore expellantur. Via ad expulſionem per inteſtina ducens dicta excrementa, ſunt recenſita receptacula pancreas, cyſtis fellis, glandulæ inteſtinales; arteriæ etiam poſſunt addi, quarum orificia in inteſtina terminantur; in his enim receptus humor brevi tramite in inteſtinorum cavitatem effunditur, bili miſcetur, nec non ſucco pancreatico, & præcipuè in inteſtino duodeno à mixtione duorum horum acrium, quorum acrimonia in Dyſenteria ſemper eſt aucta, humor acris corrodens componitur, & hujus corroſio fit major, ſi humor à maſſa ſanguinis ſecedens acrimoniam portaverit: hæc mixtio poteſt dici ex bile, & pituita cum Hippocrate. Si mucus inteſtinorum excidens à glandulis inteſtinalibus pro pituita accipiatur, prout accipi debet, & etiam ſuccus pancreaticus craſſior, & acidior redditus, ab hac mixtione bilis, & acidi reſultat humor valdè corrodens, & eſt illa materia acris, de qua locutus eſt Hipp. *lib. de Diœta ſuperiùs cit.* quæ inteſtinorum viam progrediendo, ſi in mixtione lentorem, vel craſſitiem contraxerit, ut alicui parti inteſtinorum adhæreat mucum priùs, quo hæc oblinitur abſtergendo, inteſtinum paulatim per abraſionem ſubtilium ramentorum exulcerat; hac de cauſa in Dyſenteriis, antequam ſanguis appareat, obſervantur muci copioſi in excretis, & etiam ramenta; mucus verò, qui exit facto ulcere, non eſt mucus inteſtinorum ſuperficiem cavitatis illorum incruſtans, ſed liquor albus è corroſis inteſtinis extillans, & qui illorum nutritioni ſervire debebat incraſſatus, & cum ſanguine rejectus; idem evenit, ſi à plicaturis, & cellulis inteſtinorum motus humoris à ſanguine ſecedentis, & à ſupradictis partibus depluentis ſuſpendatur; ibi enim quieſcente humore, quæ dicta ſunt, ſequuntur incommoda, hoc demonſtrare voluit Hipp. quando dixit, Dyſenteriam fieri à bile, & pituita; bilis corroſionem ſua acrimonia, pituita craſſitiem huic compoſito tribuit, demonſtratur à dictis humorem Dyſenteriam parientem eſſe corroſivum, cum craſſitie, & lentore, quod experientia fit notum, cùm Diarrhæas, obſervemus à bile vitellina, porracea, & æruginoſa, ſine Dyſenteria, quia dicti humores fluidi, cum tenuitate citò pertranſeunt inteſtina, nec illorum motus retardatur, vel prohibetur, ideòque inteſtinorum partes, per quas tranſeunt, non corrodunt; hæc ratio excludit neceſſitatem in medium adducendi qualitatem occultam, pro explicando, cur ab humoribus acrioribus non fiat Dyſenteria, quæ obſervatur à minus acribus, quia iſti ob moram ab eorum creſſitie imperatam continua actione partem, cui adhærent, ita afficiunt, ut corrodant, qui verò ſine mora fluent non corrodunt, licèt magis acres,

quia per motum fluxus illorum actio eſt tranſiens, ideòque minus activa, cùm inteſtinorum ſuperficie corroduntur etiam parvæ venæ, vel arteriæ illi patti alimentum deferentes, vel arteriæ illæ, quæ glandulis inteſtinalibus inſeruntur, quibus corroſis ſanguis effunditur, & humori corrodenti, & per illam partem tranſeunti miſcetur, & unà ſimul permixti ſecernuntur humore excrementitio ſanguine tincto exeunte ab hac venarum corroſione ulcus inteſtini efformatur; quod apertè teſtatus eſt Hipp. in illis verbis cit. ſententiæ, *Et inteſtinum raditur, & exulceratur*. Nec obſtat huic dicto Hipp. *aphor.* 24. *ſect.* 6. ubi ait: *Si ex inteſtinis tenuibus aliquid diſſetum fuerit, non coaleſcit*; quod aſſerit etiam ſuperiori *aphor.* 18. quibus utuntur aliqui ad negandum ulcus in Dyſenteria, quia non eſſet ſanabile in Hipp. ſententia, non obſtat inquam, quia *dicti aphor.* loquuntur de diſſectione alicujus partis inteſtini, quæ ſenſibilem, & læſam unitatis ſolutionem inferat, & cujus latera non poſſint ad invicem uniri, non de diviſione, & corroſione alicujus partis inteſtinorum, in qua unitas inteſtini cum integritate ſuæ cavitatis conſervatur. Tenue inteſtinum ſuam habet profunditatem, non una indiviſibili ſuperficie conſtitutam, ſed ex pluribus, quia craſſitiem aliquam habet; poteſt ergo abradi una ſuperficies, & etiam plures, ſervata integritate unitatis in ſua cavitate; & in hoc caſu non dicitur diſſectum inteſtinum, quod unitatem retinet, ſaltem ſecundùm cavitatem, ſed abraſum cum integra cavitate, ſed inæquali in ſua ſuperficie abraſa, quæ inæqualitas dicitur ulcus, quod eſt ſanabile, obſervata unitate cavitatis in parte; quando verò ab ulcere perforatur inteſtinum, tunc quidem ulcus eſt inſanabile, quia latera, ſeu labia partis ſolutæ non poſſunt uniri, nec illi immediatè medicamenta applicari; ubi verò ex vulnere ſecantur inteſtina tenvia, & vulneris labia uniri poſſunt, & remedia applicari inteſtinorum ſoluta unitas curatur, & de hoc innumeræ extant apud Chyrurgos obſervationes, quia licèt partes ſimilares, inter quas ſunt inteſtina regenerari non poſſint, diviſæ tamen uniri poſſunt per callum, vel quid aliud ſimile. At omnem ſolvit difficultatem autopſia, quæ demonſtrat in apertis cadaveribus Dyſentericorum ulcus inteſtinale, & ipſa excreta de ulcere nos certos faciunt, quia primò exit ſanguis, poſt cum eo puris exitus apparet, ſed pus poſt exitum ſanguinis ulceris ſignum eſt ex Hipp. *aphor.* 75. *lib.* 4. *Si quis pus, aut ſanguinem mingat renum, exulcerationem ſignificat*; in Dyſenteria verò utrumque reperitur, conſequenter in hac eſt ulcus.

Cauſa Dyſenteriæ, hoc modo explicata, non poteſt damnari, nec rejici, quia ſit menti Hipp. apertè contraria, licèt *in cit. lib. de affect. n.* 25. agendo de Lienteria, dicat: *Hunc per eadem curato, velut à dyſenteria detentos*; ſi cura eſt eadem Dyſenteriæ, & Lienteriæ, eadem etiam cauſa; ſed à data ſuperiùs explicatione cauſæ Lienteriæ, & Dyſenteriæ notabilis diverſitas, imò contrarietas in curatione dictorum ſymptomatum manifeſtè eluceſcit; ergo data explicatio eſt contra mentem Hippocratem, ideoque damnanda.

Et apertius demonſtratur explicatæ cauſæ repugnantia cum *Hipp.* doctrina *in cit. lib. n.* 26. ubi habet, loquendo de Diarrhæa, *Morbus autem ab iisdem fit, à quibus etiam inteſtinorum lævitas*. Hi morbi, Dyſenteria inquam, & Lienteria, ac Diarrhæa, ſive profluvium ventris, conſimiles ſunt, ſed à data explicatione cauſæ in his morbis apparet manifeſta diſſimilitudo; ergo non eſt cohærens doctrinæ Hipp.

Propoſitam difficultatem arduam, ſed non irreſolubilem fateor. Quando Hipp. dixit hos morbos eſſe ſimiles, non voluit eſſe ſimiles in omnibus circumſtantiis, diſſimiles verò in aliquibus; quo demonſtrato, dicta explicatio manebit vera, & integra, & Hipp. doctrinæ conformis.

Hos morbos ſimiles in origine demonſtravit Hipp. cùm, loquendo de Lienteria, *n.* 25. ait *Fieri à defluxu pituitæ à capite, & ſuperiore ventre in ventrem inferiorem*. Per ſuperiorem ventrem omnes partes ſupra ventriculum intelligendæ ſunt, & arteriæ, quæ deferunt ſanguinem ad ventriculum, & humores ad glandulas illius, quæ ex eo quòd oriantur à corde, dicuntur in ventre ſuperiori; & quia humor, quem continent vel in pulmone, vel in corde elaboratur, vel à ſanguine in vaſis harum partium, utpotè calidiore exiſtente, & activiore, ideò quemcumque humorem receperit ventriculus ab arteriis, dicetur recipere à ventre ſuperiore: ideò Hipp. originem horum morborum non reſtrinxit ad ſolum caput, ſed ad totum ventrem ſuperiorem, in quo continentur omnes illæ partes, quas enumeravi in Diſſertatione de Lienteria, & cùm demonſtraverim materiam Lienteriæ, Diarrheæ, & Dyſenteriæ provenire, vel à partibus ſupra ventriculum, vel ab arteriis, demonſtravi cum Hipp. provenire à ventre ſuperiore, ideòque ratione originis materiæ, hos morbos eſſe ſimiles confirmavi.

Sunt etiam hi morbi ſimiles in curatione, prout demonſtravit *Hipp. in n.* 26. in illis verbis: *Et oportet ipſos ſic ſanare, itaut defluxum à capite, & à ſuperiore ventre intercipias, aut avertas*. Intercipere, & avertere materiam fluentem ad ventriculum, & inteſtina eſt indicatio communis in Lienteria, Diarthæa, & Dyſenteria, ſicuti communis eſt exſiccatio materiæ fluentis, quam innuit *Hipp. in cit. n.* dum ait: *Deinde reliqua cibis, ac potibus curato, à quibus venter, & totum corpus reſiccetur*; cùm ergo hi morbi, ex mente Hipp. ſimilitudinem inter ſe habeant in origine, & in curatione, licèt in aliis circumſtantiis ſint diſſimiles, doctrina Hipp. & data explicatio cauſarum horum morborum integra, vera, & ſecundùm Hipp. ſubſiſtit.

Cauſæ externæ, ſunt omnes illæ, quæ bilem in maſſa ſanguinis colligere poſſunt, & ſunt omnia alimenta calida, acria, aromatica, & aer calidus, & exercitia, & labores violenti, mixta cum eis, quæ pituitam etiam generant, & præcipuè acidam.

A cauſa externa ſimpliciter Dyſenteriam admittit *Hipp. in lib.* 3. *de Diœta n.* 12. ubi, loquendo de damno illato ab alimentis ingeſtis, & nondum à ventriculo egreſſis, ſi novi ſuperaddantur, ait: *Verum malum multo majus poſtridie accedit. Quum autem quotidiè augeſcens* (ideſt cibus) *fortius invaluerit, id quòd prius ineſt, ſuperingeſta ſuperat, & calefacit, & perturbat corpus, & profluvium ventris facit*; *ſic enim nominatur, quandiù ipſum alimentum putrefactum ſecedit. Ubi autem calefacto, purgatio acris fiat, tunc & inteſtinum raditur, & exulceratur, & ſanguinolenta egeruntur; hoc autem Dyſenteria à mala inteſtinorum affectione appellatur*. Quis in hac ſententia non videt delineatam Dyſenteriam à cauſa externa, nempè ab alimentis ingeſtis, ſuper ea, quæ adhuc in ventriculo permanebant, ut inconcocta, & ſimul corruptis? quod apertè declarat Hipp. in illis verbis: *Sic enim nominatur* (alvi profluvium, quod dicit fieri à cibis modo dicto ſuperingeſtis) *quamdiù ipſum* ſolùm *alimentum putrefactum ſecedit*; alimentum ergo præexiſtens in ventriculo incoctum, & aliud de novo ſuper ingeſtum incaleſcentiam concipiendo ſimul putreſcunt, & profluvium alvi faciunt. Cùm verò materia hujus profluvii acris facta fuerit in caleſcente corpore (omnis enim putredo putreſcens corpus acrimonia perfundit, quam actio caloris externi ſuperveniens auget, ut docet Mechanica, à qua accipimus, omnia acria ab igne ſupra modum acriora fieri) tunc Dyſenteria ſupervenit.

Ab hac Hipp. doctrina deducitur, qua ratione ab una, & eadem cauſa, & Diarrhæa, & Dyſenteria proficiſcatur, & etiam quomodo alimenta acria, ut *Allium, Cæpa, Raphanus, & Sinapi condita* Dyſenteriam pariant, nempè putreſcendo, cùm per putredinem eorum acrimonia naturalis intendatur, ut corroſiva evadant, & eodem pacto fructus dicti horarii in copia tali ingeſti, ut concoqui non poſſint putredinem ſubeunt, à qua eorum aciditas naturalis demonſtrata à facilitate, qua eorum ſucci aceſcunt, ita intenditur, ut corrodere valeat, & præcipuè poſt incaleſcentiam, eorum fermentatione excitatam; (dixi enim de Cholera horum fructuum ſuccum eſſe valdè fermentativum) augetur enim acrimonia ab illius calore excitato, ut corroſioni ſit valdè apta.

Inter cauſas externas enumeratur etiam *Mercurii inunctio* pro cura luis Venereæ, quæ quandoque Dyſenteriam cum torminibus excitavit, ſicut *Pulvis Adamantis* non benè trituratus, ut refert *Vvormius in Muſeo ſuo de Adamante*, & *Zacutus Luſit. lib.* 2. *Prax. admir. obſerv.*

obſerv. 16. *Qui navigant in Indiam, ex eſu carnium putridarum incidunt in Dyſenteriam*, ex relatione *Othon. Heurn. In Ægypto, & India eſt frequens Dyſenteria, ex eſu carnium, animalium caſſia fiſtulari nutritorum. Ulcus pedum diuturnum curatum Dyſenteriam lethalem intuliſſe*, obſervatum eſt *in obſerv. German. anni* 31. *fol.* 145. *Lindanus* recenſet *Dyſenteriam ab aquæ potu per canales plumbeos diſcurrentis. A ſuppreſſione menſium per ſeptem annos Dyſenteriam ortam* narrat *Hipp. lib.* 4. *de morb. popul. n.* 21.

Materia acris, quæ corrodit inteſtinum, cùm ſit improportionata organo ſenſus Tactus in membranoſis inteſtinis poſito, & violenter in hæc agat, parit tormina, & dolores, qui etiam ab eadem materia acri per partem ulceratam tranſeunte excitantur.

Differentiæ Dyſenteriæ poſſunt deſumi à duplici gradu ab Hipp. obſervato in Dyſenteria: Primus *in aphor.* 67. *ſect.* 7. & conſiſtit in parva abraſione ſuperficiei inteſtinorum in minutas partes, quæ ramenta dicuntur, *& quæ* (ſunt verba Hipp.) *egeſtiones, ſi ſtare permiſeris, & non moveris ſubſiſtunt, velut ramenta.* Secundus gradus eſt in læſione glandularum, quæ tunc fit manifeſta, quando catunculæ, quæ non ſunt niſi partes carnis inteſtinalis, vel glandulæ hujus orificia cuſtodientes, cum excrementis, & ſanguine exeunt. De hac differentia locutus eſt Hipp. *aphor.* 26. *ſect.* 4. *Si à Dyſenteria occupato, velut carnes ſubierint, lethale eſt.*

Alia eſt benigna, quæ eſt ſine ſymptomatum vehementia, & cum virium robore: alia maligna, & contagioſa, quæ contagio ſerpit, & propagatur, & qui ſella, in qua Dyſenteriæ evacuationes erant, uſus eſt, Dyſenteria correptus fuit; imò ex relatione *Elidei in obſerv. p.* 104. contracta fuit Dyſenteria ex cannula ſiphonis, quo utimur in Clyſteribus imponendis, non benè abluta, qua antea Dyſentericus fuit uſus. De hac maligna, & contagioſa Dyſenteria non loquitur Hipp. Habentur obſervationes apud *Schenkium de morbis malignis*, *Bartol. cent.* 2. *Hiſt.* 65. *Amat. Luſit. cent.* 3. *cur.* 90. *Sepulchr. Anatom. Boneti de Dyſent. Salmuth. cent.* 3. *obſerv.* 95. narrat, *Dyſenteriam contagioſam graſſari in Canes, & Feles.* Cujus cauſa eſt fermentum, hoc eſt ſubſtantia ſubtilis in ſanguine collecta, ex minutiſſimis, ſubtiliſſimis, & valdè mobilibus, acribus, corroſivis, & activis particulis, ab eodem ſanguine ſecretis, & in unum cum particulari textura unitis, cui ineſt etiam vis corrodendi, ob particulas corroſivas, quæ concurrunt in ejus compoſitione. Hujuſmodi corpus, ratione volatilitatis, & validæ actionis, ſe inſinuat in alias partes ſanguinis, & eas in ſimilitudinem ſuæ naturæ, & texturæ elaborat, & ita ſe multiplicat, & etiam aliis corporibus facilè ſe communicat illorum ſanguinem, eodem modo depravando, in quo conſiſtit contagii natura, hoc venenum in ſanguine collectum hunc acrimonia depravat, in excrementa acria commutat, quæ poſtea ad inteſtina delapſa hæc corrodit, & Dyſenteriam parit.

Signa recenſentur ab Hipp. in allata ſententia *lib. de affect.* & patent in fluxu alvi copioſo, cum dolore, & ſanguinis excretione.

Signa cauſarum: ſi ab errore externo, colliguntur ab ægri relatione; ſi à bile in ſanguine, præceſſerunt cauſæ bilem congregantes, temperamentum adeſt bilioſum, & febres ferè ſemper conjunguntur, & ſymptomata ſunt vehementiora: à malignitate virium ſubita proſtratio habetur, excrementa ſummè fœtent, & ſunt liquida multùm, & pravi coloris, & eſt contagioſa.

Signa prognoſtica deſcribit Hipp. *lib. de affect. n.* 24. *Fit hic morbus & longus, & laborioſus, & lethalis, & ſiquidem robuſto adhuc corpore curetur, ſpes eſt fugæ; ſi verò colliquato jam, & ventre omninò exulcerato; nulla vitæ ſpes ſupereſt. Et aphor.* 24. *ſect.* 4. *Difficultas inteſtinorum, ſi ab atra bile inceperit, lethalis*, & hanc credo eſſe malignam Dyſenteriam. *In lib.* 6. *de morb. popul. ſect.* 7. *In Dyſenteriis longis cibi faſtidia, mala, tum aliàs, tum ſi inſuper febrierint. Et in aphor.* 3. *ſect.* 6. *In longis difficultatibus inteſtinorum cibi averſationes, malum, & cum febre pejus; & aphor.* 43. *ejuſd. ſect. Quicumque lienoſi à difficultate inteſtinorum capiuntur, his ſuperveniente longa difficultate inteſtinorum aqua intercus, aut levitas inteſtinorum advenit, & moriuntur; aphor.* tamen 48. *ſect.* 6. ait: *Lienoſis, ſi dyſenteria ſucceſſerit, bonum*, intellige de brevi. *Et lib. Coac. prænot. n.* 3. *In dyſentericis vomitus bilioſus, & in principio, malum;* & ibidem: *Dyſenteria ſuppreſſa intempeſtivè, abſceſſum in coſtis, aut viſceribus, aut in articulis facit; & aphor.* 5. *ſect.* 7. *In delirio dyſenteria, bonum. Dyſenteria in omni inflammatione, & morbo acuto, mala. Pueri, uſque ad decimum annum maximè moriuntur, quàm alii in alia ætate, Dyſenteriæ commodæ*, hoc eſt non valdè moleſtæ, nec gravibus ſymptomatibus aſſociatæ, *morbos præexiſtentes ſanant. In gravidis dyſenteriæ non periculoſæ, niſi dolor affuerit magnus, aut aliquod aliud ſignum;* hæc habet Hipp. *lib.* 2. *prædict. n.* 30.

Curam hujus affectus deſcribens Hipp. *in cit. text.* 24. *de affect.* Ait: *Hujus, ubi purgaveris caput, pharmaco in potu exhibito, quod ſurſum pituitam purgat.* Indicationem elicit caput purgandi per vomitum, hoc eſt ſuperiorem ventrem, quod idem eſt, ac totum venoſum genus, à cauſa, quam determinavit eſſe pituitam, & bilem à capite, & ſuperiore ventre. Exiſtimavit enim Hipp. à vomitu cohiberi alvi fluxum, ut oſtenſum eſt in præcedenti Diſſert. Ratio fundamentalis Hipp. hanc indicationem firmans deducitur à natuta Dyſenterias vomitu curante, ut patet *in aph.* 15. *ſect.* 6. *A longo alvi profluvio habito ſpontaneus vomitus ſuperveniens, morbum ſolvit;* & ab univerſali axiomate in Medica Schola vigente, revellendos eſſe humores ad partem affectam ruentes. Bilis, & pituita ruit ad inteſtina, & hæc exulcerat; ergo revellenda, nec alia eſt tutior via revulſioni excrementorum ab alvo, quàm per vomitum. Medicus debet imitari Naturam; hæc curat Dyſenterias vomitu, ergo Medicus debet excitare vomitum.

Nec prohibet hanc revulſionem humorum per vomitum, tractio iſtorum ad partem nobilem, nempè ad os ventriculi, cujus irritatio eſt adeò periculoſa in Cardialgia. Nam experientia docet, bilem vitellinam, porraceam, & æruginoſam per vomitum ſponte excerni, ſine noxa ventriculi, & ſui orificii, & in vomitu ab antimonialibus acerrimi humores expelluntur, illæſa ſubſtantia ventriculi. Addo, læſionem provenire à mora, quam trahunt humores in parte, prout explicatum fuit ſuperiùs de cauſa Dyſenteriæ; in vomitu verò per medicamentum excitato, cum continuo ab hujus ſtimulo excitetur ventriculus ad rejectionem excrementorum, iſtis mora non permittatur. Ulterius, non ſola bilis acris per vomitum excernitur, ſed unita cum pituita, ſero, lympha, ut patet ab inſpectione excretorum per vomitum à medicamento, à quibus acrimonia bilis attemperatur, ut nullum ſuperſit corroſionis periculum; convenit ergo, ex auctoritate Hipp. & ratione, vomitus in Dyſenteria, & licèt huic ſententiæ videatur contrarius *ſupracit. text. n.* 3. *Coac. prænot.* determinans vomitum bilioſum in Dyſenteria eſſe malum, ſi intelligatur *text.* prout intelligi debet, de vomitu continuo, vel frequenti, itaut ex hoc, & ex Dyſenteria quaſi conſtituatur Cholera, vomitus erit ominis mali cum Dyſenteria, nam hæc eſt pejor alvi fluxu ſimplici, cum Cholera inſeparabiliter unito. Præterquamquòd Hipp. loquitur de fluxu bilioſo ſincero, & omnes evacuationes ſpontaneæ ſinceræ ex eodem, in quocumque caſu ſunt malæ.

Fateor à validioribus vomitivis abſtinendum, quia valdè naturam proſternunt, & mitioribus utendum, qualia ſunt, quæ propoſuimus de Diarrhæa, & tale eſt illud *Sal. Vitriol.*

℞. *Sal. Vitriol.* ʒ. *i.*
Syr. Cydon. }
Aquæ Betonicæ } *a.* ℥. *i.*
Aquæ Cinam. ℥. *i. M.*

Facta revulſione humoris à parte affecta vomitu, & eodem ſuperiore ventre, & univerſo corpore purgato, humores in inteſtinis exiſtentes reſpicit Hipp. & ab iſtis elicit indicationem ſecundam purgandi, ut citiùs exeat, & cum minori patientis incommodo. Pro hujus executione utitur Lacte cocto, dum ait, *Et alvum lacte cocto elueris.* Ad plures libras exhibendum Lac, ſi purgatio habenda. Sed duo magna documenta in hoc reſtrinxit: Primum eſt, quòd purgantia in Dyſenteria

ſint

ſint blanda, & ab omni qualitate acri, & irritante immunia. Secundum eſt, quod purgantia pro Dyſenteria, ſint etiam attemperantia acrimoniam humorum. Hinc ſi Lacte non poſſumus uti, exhibeantur *Syrup. Roſ. ſol.* ℥. *iiii. diſſolv. in Aqua Portulacæ*, ſuperbibendo poſt horam ℔. *iiii. Aquæ Nocera*. Vel

℞. *Mannæ elect.* ℥. *iii.*
diſſolv. in ſ. q. Seri caprini, ſuperbibendo ejuſdem Seri ℔. *ii. in quo Syr. de Roſ. ſicc* ℥. *ii. diſſolvantur.* Vel

℞. *Infuſionem Rhaub.* ʒ. *i.*
Mirabol. Citrini } *a.* ʒ. *i.*
Chebul.
factam in Aqua Plantaginis, vel Sempervivi major. Superbibendo Decoctum Hordei integri, cum cortice Liquiritiæ, & Paſſularum, ad ℔. *ii.* iſtis admiſcenda ſemper *Opiata, vel Phil. Perſic. ad* ʒ. *i. vel Nepenthes ad gr. ii. vel Laud. Cydon. ad gr. xii.* ad ſedationem ſpirituum, & ſanguinis æſtus, & doloris.

Tertiam indicationem à toto corpore elicit, dum ſubjungit: *Reliquum corpus curato*. In hoc adeſt bilis mota, hoc eſt effervefcens, acris, corrodens, & ulcus in inteſtinis; frænandus ergo bilis æſtus, pro quo nihil melius *Santalis rub. Papavere errat. Tinctura Roſarum, & opiatis*; temperanda acrimonia bilis, *Soncho, Endivia, Nenuphare, Malva, Lacte, Sero, & acidis blandis, Spiritu Vitrioli dulcificato*. Ulcus vulneraria requirit inferiùs deſcribenda. His indicationibus correſpondent ſequentia remedia:

℞. *Lactis Caprini* ℥. *viii.*
Aquæ ſummitat. Quercus ℥. *iiii.*
Laudani opiat. gr. ii. M.
Vel

℞. *Seri Caprin. depur.* ℔. *i.*
bull. in eo Santal. rub. ʒ. *ii.*
Fol. Nenuphar. } *a. m.* ß.
Menthæ
Saracenicæ
facta colat. adde Laud. op. gr. ii.
Vel

℞. *Flor. Nymphea* } *a. m.* ß.
Papaver. errat.
Fol. Perfoliatæ p. ii.
bull. in ℔. *i. Aquæ Hordei ſ. a. facta colat. adde*
Tinctura Santal. vel Roſ. parùm acidam,
quia acidum ulceribus inimicum. *Laud. op. gr. ii.* Lac crudum, ſi febris non adſit, vel coctum, ſi febris, prædictas adimplet indicationes, vel ſi coquatur, aliqua ex deſcriptis herbis aqua miſceri poteſt pro cocctione, addendo Lacti cocto *gutt. viii. Laudani opiaticydoniati*.

De venæ ſectione mentionem non facit Hipp. ideò tamquam inconveniens non exercenda, quia Hipp. de hac non loquitur, nec ſanguinis quantitati exeunti convenit, cùm pauca ſit, nec humori bilioſo corrodenti competit. Si verò ſanguinis copia exeat, ſi plenitudo adſit, ſi ex dolore inflammatio immineat, tunc mittendus ſanguis, quia hæc correſpondent generali præcepto mittendi ſanguinem.

Dixi, ulcus in inteſtinis fieri ob moram humoris corrodentis in parte; ab hoc elicit Hipp. indicationem quartam, alvum quotidie promovendi, dum ait: *Pinguibus, & dulcibus, ac liquidis ſemper ea, quæ inſunt, ex alvo ſubducito*, quæ continuam connotat purgationem, ſed modicam, à qua educatur humor ſolùm, qui eſt in inteſtinis, nec mora ei concedatur; ita prohibetur major ulceris dilatatio, dolor minuitur, & continua ulceris abſterſione ulcus conſolidabitur. In hoc genere ſunt, *Oleum Amydg. D. rec. ad* ℥. *iiii.* exhibitum in jure pingui, *Succus Hordei factus liquidus cum Aqua Florum Papaveris errat. & cum hoc diſſolvatur* ℥. ß. *Mannæ. Ol. vel Jus, cum decoct. Malvarum, Paſſularum ad* ℥. *vi. facta forti expreſſione, cum additione Mel. Roſ. ſol. ad* ℥. *ii. Retrimenta Uvarum dulcium expreſſarum, ſed adhuc ſucco aliquo madida in aqua infudit Hipp. & facta colatura exhibet hanc in Dyſenteria;* poſſet fieri cum *Aqua Plantaginis*; cum hac tamen advertentia, ut exhibeatur, *ſi febre caruerit æger*, ita monente Hipp. Dulcia enim effervefcentiam augent febrilem, & oleoſa, & pinguia pabulum calori febrili præbent; præſente ergo febre, alia via incedendum eſt, nec prætermittenda iſta indicatio, ſequens potio valdè commendatur:

℞. *Sebeſten n. viii. vel x.*
Paſſul. mund. contuſ. ℥. *ii.*
bull. in aqua facta cum Hordeo non decorticato ℔. *i. facta expreſſ. col. & exhibeatur*. Hujus generis ſunt remedia illa, quæ deſcribit *Hipp. lib. 2. de morb. mulier. in fine in notis n. 7.* Moventia, ſeu laxantia exhibeantur manè, quæ attemperant, ſuperiùs deſcripta, poſt levem cœnam. Lac coctum, febre exiſtente, habet omnes partes requiſitas à prædicta indicatione. Clyſteribus ex Lacte, cum decoctione vulnerariorum, ſolùm uti poſſumus cum fructu.

Si hac curatione morbus non cedat, ad generalem indicationem exequendam tranſeumdum, quam exponit *Hipp. n. 26. cit. lib. Deinde reliqua cibis, & potibus curato, à quibus venter, & totum corpus reſiccetur*. Exſiccatio fit humidi eductione; ſiccitas enim eſt privatio humiditatis, ideò *in hoc n.* ait: *Hunc ſurſum verſus reſiccato, veratro in potu dato*. Evacuatione per vomitum vult exſiccari; ſi verò purgatione, & vomitu peracto perduret Dyſenteria, nec liceat iterum purgatione per vomitum uti, ob virium imbecillitatem, ad eductionem humoris per alias vias deveniendum; quod conſuluit *Hipp. in eod. n.* imponendo interceptionem, & diverſionem humoris à ſuperiore ventre ad inteſtina. Hanc indicationem adimplent *diuretica, & diaphoretica*, prout demonſtravi in ſuperiori Differt. de Diarrhæa. Exſiccantia inſenſibiliter in hac indicatione comprehenduntur, & adſtringentia, quæ à Natura ſiccandi facultate donata ſunt.

Diuretica ergo, & *diaphoretica* deſcripta de Diarrhęa, tentanda, cum animadverſione ibi facta, nec febris ab iſtis removere debet, cùm hujus cauſam eradicare poſſint.

Adſtringentia convenire in Dyſenteria, univerſali conſenſu firmatum eſt; & *Hipp. lib. 2. de morb. mulier. in notis lib. adjectis n. 7.* confirmat, adſtringentia pro cura Dyſenteriæ proponendo, & eſt quinta indicatio. De tempore utendi, ſolùm poteſt eſſe dubium. Medicorum turba in principio adſtringentia imperat, ſine ulla conſideratione, ac ſi in Dyſenteria adſtringere eſſet unica, & principalis indicatio. Talis error palmaris oſtenditur à cauſa Dyſenteriæ, quæ manifeſtè apparet eſſe humorem irritantem, acrem, & corrodentem, attemperationem exigentem, & ſi non attemperetur, irritans ſemper aderit, & corrodens, & adſtringentia, vel irrita erunt, & fluxum non ſiſtent, ſi in adſtringendo erunt minus efficacia, quàm humor irritans in aperiendo orificia vaſorum, & ſi adſtringentia prævalebunt irritamento humoris, ut vaſa occludant, irritans, & corrodens humor intrà vaſa clauſus majori morbo occaſionem dabit, nec raræ, ſed frequentes ſunt obſervationes febris malignæ, inflammationis, tumoris, abſceſſus partium internarum ab intempeſtiva à Dyſenteriæ curatione. In principio ergo non conveniunt adſtringentia, & niſi humore acri attemperato, & dyſenterico fluxu diminuto. Adſtringentia ſint etiam vulneraria ad conſolidationem ulceris, cujs maxima habenda eſt ratio: pro hac intentione, nil melius Decoctis vulnerariis, quæ adſtrictoria, & conſolidativa qualitate polleant, & pro hoc

℞. *Fol. Quercus* } *a. m.* ß.
Plantaginis
Rad. Conſolidæ maj. } *a.* ʒ. *ii.*
Biſtortæ
Maſticis ℈. *ii.*
bull. in ℔. *i.* ß. *aquæ pluvialis, vel fontis ad conſumpt. tertiæ partis vaſe clauſo, col. & colaturæ adde*
Syr de Roſ. ſicc. ℥. *i. M.*
Vel

℞. *Balſaminæ fructus n. vi. contundantur*
Fol. Perfoliatæ } *a. m.* ß.
Menthæ
Saracenicæ
Rad. Sumach } *a.* ʒ. *ii.*
Serpentariæ
bull. eodem modo, & col. colaturæ adde

Tin-

Tinctura Santal. rubrorum ℥. *i.* ß.

Vel

℞. *Succi Hederæ tereſt.* ℥. *ii.*
cum decoctione Maſticis ℥. *iiii.*

Folia Millefolii minutim incidantur, & cum duobus Ovis recentibus conquaſſatis fiat placenta, edenda primo loco in prandio, & cœna. Folia Centumnodiæ infundantur in vino, vel aqua, & de his bibat æger in prandio, & cœna. Pulv. Roſ. rub. ſicc. ad ℥. ß. *& ad i. in Aqua Plantaginis ante cibum, & poſt cibum per aliquot horas. Fructus Roſæ ſylveſtris immaturi colliguntur, horum m. vi. in* ℔. *Vini vi. bull. igne moderato ad coctionem illorum, poſtea col. Vinum cum forti expreſſione, cui adde Julapium, & ad Syrupi formam redigatur, tria, vel quatuor cochlearia hujus Syrupi per intervalla omni die ſumantur. Lignum Quercus totus ignitus ſine flamma, extinguatur in vino rubro, de quo bibat æger in prandio, & cœna, & ſolùm de hoc bibat; ſi adſit febris, extinguatur in aqua.* Ex eiſdem Decoctis vulnerariis parentur Clyſteres, ſed hac regula uſus dirigatur: Primò initiatur *Clyſter.* abſtergens *ex Aqua Hordei, & Mel Roſ. ſol.* vel *cum Aqua Tetutii, & Villenſi, cum Mel. Roſ. ſ.* poſtea hoc reſtituto, Clyſter ex vulnerariis initiatur, qui detinendus quantum æger poterit. Alia adſtringentia videantur in cura de Diarrhæa.

Alteram indicationem habet Hipp. & eſt ſexta, in illis verbis: *Et multa calida partes ſub umbilico lavato, ſi dolor affuerit*, & eſt dolorem in Dyſenteria ferè continuum, & valdè moleſtum mitigandi; quod præſtant omnia illa attemperantia cum opiatis ſuprà deſcripta. In Clyſteribus diſſolvatur *Philonium vel Romanum, vel Perſicum ad* ℈. *ii. vel* ℥. *i.* Extrinſecus fomentum apponatur ex aqua calida, ut proponit Hippocrat. in qua ſi bullierint *Malva, Melilotus, Cæpæ ſylv. alb. ſem. Juſquiami, Anethi*, erit magis efficax.

In Dyſenteria maligna conveniunt ſupradicta purgantia, ſed cordialibus etiam mixta, *Confect. Alchermes, ex Hyacintho, Aqua cord. Saxoniæ, Aqua Theriacalis*; & poſtea nil præſtantiùs *ſudorificis*, *Decocto ex Rad. Angelicæ, Zedoariæ, Imperatoriæ, Vincetoxici, Lappæ major. Contrajervæ, & fol. Cardui benedicti, Scordii, Petaſitidis, Rutæ caprariæ, Granorum Sambuci, & Juniperi, Sem. Aquilegiæ.* His Decoctis paratis addetur *Spir. Camphoræ*, vel *Mixtura ſimplex, dicta Diaphoretica*, vel *Roob gran. Juniperi, & Samb. Pul. Panonicus, dictus ruber. Electuarium de Ovo, Bezoarticum minerale; Cornu Cervi Philoſophicum*, & alia ſuperiùs deſcripta.

Diæta ſit tenuis, attemperans, & conſilium Cratonis in hac obſervandum, omnia ſcilicet alimenta parare, vel condire cum Lacte, vel Amygd. D.

CAP. XX.

De Teneſmo.

De Teneſmo locutus eſt *Hipp. lib. de affect. n.* 27. & ejus naturam delineavit his verbis: *Teneſmus, ubi apprehenderit, ſecedit ſanguis, & mucus, & dolor fit in ventre inferiore* (hoc eſt in regione inteſtini recti, & in muſculo ſphinctere) *maximè ubi ad ſeceſſum devenerit*; & per hæc verba exprimitur dolor ille moleſtus in inteſtino recto, à quo excitatur deſiderium alvum deonerandi. Et *lib.* 1. *de morb. num.* 3. definivit Teneſmum his verbis: *Inevitabilis voluntas egerendi*, à quibus Medicorum Schola apprehendit Teneſmum definire ſic:

Aſſidua cupiditas egerendi per alvum cum dolore, in qua aut nihil, aut parùm muci, & ſanguinis ejicitur.

Egerendi naturalis cupiditas oritur ab irritamento, quo fœces ad rectum inteſtinum delatæ ſtimulant muſculum ſphincterem illius extremitati connexum ad ſui dilatationem, qua viam aperit fœcibus ad exitum, quo ſtimulo deficiente Animal raro, vel numquam ad fœcum expulſionem determinaretur, cum magno ſui incommodo; ideò fuit neceſſaria Animali hæc moleſtia ab irritamento fœcum inducta, ut utilitate excretionis fœcum frueretur, & ab utilitate irritamenti moleſtia compenſaretur. Si hæc moleſtia excedat, & ſit cum dolore, & frequenter affligat, & à fœcibus non proveniat, oritur morboſa *egerendi cupiditas, in qua parùm, aut nihil excernitur*, quia irritamentum non eſt in copia materiæ, nec in fœcibus alvi, ſed in materia acri, & mordaci, quæ vellicando, & corrodendo ſtimulat dictum muſculum ad permiſſionem exitus corpori irritanti; & quia tale irritamentum in parva materiæ quantitate latet, ideò parvum eſt illud, quòd excernitur; & quia quandoque adeò adhæret irritans materia muſculo ſphincteri, ut per egerendi conatum divelli, nec excerni poſſit, ideò quandoque nihil excernitur, licèt adſit ſtimulus moleſtus, ac dolorificus magis, quàm in neceſſitate naturali fœces egerendi, etiamſi in quantitate colligantur, & quandoque pruritus in muſculo ſphinctere excitatus provenit à materia acri, parva, & ferè inviſibili in intimiores illius fibras illapſa, à qua ejiciendi inanè excitatur deſiderium, & dolor, & pruritus ſine ejus expulſione, quia per conatum conceptum in deſiderio egerendi materia intima fibrarum dicti muſculi ingreſſa conatui prædicto reſiſtit. Quod excernitur eſt parva portio muci, & ſanguinis, ille materiam irritantem oſtendit, nam muco excreto ceſſat per aliquod tempus ſtimulus excitans illius expulſionem, ceſſant premitus, & dolores, certiſſimum argumentum hæc ab illo pendere; præterquamquòd certum eſt ejiciendi deſiderium ab irritante pendere, & hoc ab excretione irritantis fieri manifeſtum, ut videre eſt in irritamento naturali fœcum, quarum ſola excretio oſtendit hæc irritaſſe inteſtinum ad excretionem, cùm iſtis expulſis egerendi ſtimulus evaneſcat. Ita cùm in Teneſmo, poſt moleſtiam irritamenti, ſolus mucus appareat, & excernatur, hunc eſſe materiam irritantem determinandum eſt.

An verò hic mucus exiens ſit ejuſdem generis, cum muco obliniente ſuperficiem internam inteſtinorum, vel ſit tamquam pus, vel excrementum genitum à parte inteſtini ulcerata, ex ſanguine fluente ad eam pro ſui nutritione, eo modo quo obſervamus veſicam, vel ulcere, vel lapide laborantem muci magnam copiam cumulare, & excernere, qui nihil aliud eſt, quàm proprium alimentum, ob ſui morboſam indiſpoſitionem in excrementum commutatum. Cùm tanto muco non poſſit oblinire, qualis eſt quantitas, quæ excernitur, dubium eſſe poteſt, inquam, an mucus in Teneſmo ſit ille, quo inteſtina incruſtantur, vel ſit materia ab affectæ partis indiſpoſitione generata. Pro hujus dubii reſolutione conſidero, mucum excretum in Teneſmo irritare, & in principio iſtius, cùm adhuc ſanguis non exit, apparere in excretionibus, quapropter credendum eſt, mucum eſſe cauſam ulceris, non mucum eſſe effectum iſtius; exit ſanguis, & ab aperto vaſe; imò à corroſo exire certum eſt, dum enim adhæret irritans, & mordicans viſcidum, prout eſt mucus in Teneſmo, corroſio vellicatæ partis eſt facilis, imò eſt certa; quod ſenſit *Hipp. in lib.* 1. *de morb. n.* 3. ubi habet, *Ad Dyſenteriam Teneſmus tranſit*. In Dyſenteria eſt ulcus, in Teneſmo ſaltem erit corroſio, à qua ſanguis. His poſitis concludendum, conſequenter mucum eſſe cauſam ulceris, non ulcus cauſam primam muci exiſtere, licèt hic poſſit augeri à depravata nutritione partis ulceratæ; nec credendum, ab apertis ſuperioribus hæmorrhoidibus in conatu excretionis ſanguinem in Teneſmo exeuntem procedere, non à corroſione vaſorum, ut aliqui volunt, quia in majori copiâ utique exiret, ſi ab hæmorrhoidibus proveniret, nec eſſet cum muco permixtus, ſicut obſervatur.

Cauſam Teneſmi breviter, ſed integrè *Hipp. in cit. loc. de affect.* expreſſit his verbis: *Et fit quidem ex iiſdem, à quibus, & dyſenteria, verùm debilior, brevis, & non lethalis.*

Materia ergo corroſiva ad inteſtinum rectum, & ad muſculum ſphincterem delata, erit cauſa interna, & immediata Teneſmi, cùm eadem ſit cauſa Dyſenteriæ. Hac qualitate corroſiva, qua irritat ad exonerandam alvum, corrodit, & ulcus in hac parte excavat. Eſt debilior cauſa Teneſmi, quàm illa Dyſenteriæ, quia materia acris, & corrodens in Dyſenteria facit morbum lethalem, in Teneſmo verò non; ideò neceſſe eſt, ut cauſa in iſto ſit debilior, quàm in illa, ſi ambo iſti affectus ab una cauſa procedunt. Eſt debilior, quia materia in Teneſmo

eſt

eſt minor in quantitate, & in acrimonia, & corroſione minus efficax, quàm illa, à qua procedit Dyſenteria. Eſt etiam debilior cauſa Teneſmi, quàm illa Dyſenteriæ, ratione partis affectæ, quæ in Teneſmo eſt muſculus ſphincter, cujus erroſio eſt minus periculoſa, quàm illa inteſtini. Partes ſuperiores immunes relinquit ab irritamento, & à corroſione deſcripta materia, quia in eis non quieſcit, ſed libero motu per eas labitur, in extremitate verò inteſtini recti, & in muſculo ſphinctere ſiſtit, & quieſcit, ob inæqualitatem, quam ibi facit connexum cum muſculo ſphinctere inteſtinum rectum; ideò ibi vim irritativam, & corroſivam exercet. Non improbabile etiam mihi videtur, hanc materiam profluere à glandulis recti inteſtini, vel ab ejus arteriis, ideòque ſolùm partes vicinas inferiores, non ſuperiores corrodere.

Hæc materia irritans, & corrodens, vel à ſanguinis maſſa per ductum cholidocum, vel pancreaticum, vel per glandulas inteſtinales depluit in inteſtina, & horum muco, vel humori ſalivali incraſſato unita craſſitiem acquirit, & viſcoſitatem, qua dictæ parti adhæret. Vel eſt concreſcibilis, eo modo quo eſt concreſcibilis materia à glandulis extillans in inteſtina, & concreſcens in mucum. Nec aliter cum Hipp. ſentiendum, qui voluit cauſam Teneſmi eſſe eamdem cum Dyſenteria, & hæc conſiſtit in materia à ſuperiori ventre deſcendente, cujus via eſt mox dicta, vel à ventriculo modis dictis de Dyſenteria. Probabilius tamen cenſeo ab ultimis inteſtinis provenire, nempè ab eorum vaſis, vel glandulis. Cauſam torminum ibidem declarat Hipp. in his verbis: *Tormina enim evacuato ventre, à ſanguine, & muco pertranſeuntibus, & ad inteſtinum allabentibus fiunt*. Tranſitus materiæ acris per inteſtina eſt cauſa torminum, quia tranſeundo vellicat, & major ſuccedit vellicatio, quando inteſtinorum ſuperficies, per quam tranſeunt, muco non eſt munita, ut in Teneſmo; tunc enim materia actis immediatè ferit partem membranoſam, & ſenſitivam inteſtini, & ſi in loco vellicato quieſceret, corroderet, & ulcus excavaret, tormina à cibo minorari dicit, cùm à temperatis particulis alimenti humoris acrimonia moderetur; qua de cauſa hunc morbum plures cibos expetere determinat.

Cauſæ externæ, ſunt eædem recenſitæ de Dyſenteria, ſed magis debiles, & generativæ parvæ portionis humoris, qui ſi augeatur, Dyſenteriam parit. Aſcarides mordicando, & ulcerando inteſtinum, & muſculum Teneſmum pariunt, ſicut calculus veſicæ preſſione irritando dictum muſculum, & calculus renum, aliquando hoc excitat ſymptoma per conſenſum nervorum renum cum illis, qui ad inteſtinum rectum excurrunt, unde illis à dolore irritatis, irritationem per conſenſum ſentiunt illi inteſtini recti, & ab irritatione *egerendi cupiditas*.

Signa, manifeſta fiunt à deſcriptis in definitione. Prognoſtica *Hipp.* declarat minimè lethalia *in cit. loc. de affect.* Et *in lib.* 1. *de morb. n.* 3. ait: *Teneſmus eſt affectio non lethalis, niſi quid ipſi accidat*; ſed quandoque in Dyſenteriam tranſit. *Si mulieri utero gerenti adveniat, abortire facit*, ob iteratos, & vehementes conatus expulſivos uterum per conſenſum afficientes, *Hipp. aphor.* 27. *lib.* 7.

Curationem paucis reſtringit *Hippocrat. cit. libr. de affect. numer.* 27. his verbis: *Huic conducit ventrem humectare, & pinguefacere, & tepefacere, & quæ inſunt, vel ducere, & calida lavare, excepto capite*.

In Teneſmo adeſt humor mordacitate, & craſſitie vitiatus. Hic tenaciter adhærendo parti maximè pungit, & corrodit; humectatione attemperatur acrimonia, & & fluidior factus humor craſſus, acris per partem liberè, & ſine mora fluit, cum minori iſtius detrimento. Hinc prima indicatio Hippocrat. in Teneſmo, eſt acrimoniam, & craſſitiem modificare; quod præſtant attemperantia propoſita in cura Diarrheæ bilioſæ, & Dyſenteriæ; humectatur etiam Clyſteribus, ſed in pauca quantitate.

Secunda indicatio eſt *pinguefacere*, hoc eſt pinguedine oblinire, quia viſcida alicui corpori adhærentia pinguedine olei ſeparantur, & pinguedine munita parte, illa obtundit acrimoniam humoris, nec adhæſionem iſtius admittit. In hunc finem

℞. *Florum Verbaſ.*
Roſarum ſicc.
Fol. Quercus } *a. m.* ß.
bull. in ℔. *i. Lactis vaccini, cum Lumbric. terreſtr.* ℥. *i.*
Sem. Pſilii
Fœnu-græci } *a.* ℥. *ii.*
col. adde Servi Hirc. liquefact. ℥. *i. M. pro Clyſt.*

Cum jure Carnis vervecinæ, & Ol. Ceræ ad ℥. *i. & mucilagine Sem. Pſilii, & Cotoneorum* paratur etiam Clyſter magnæ efficaciæ in Teneſmo; vel ℞. *Decoct. Cicer. rub. cum florib. Verbaſci* ℥. *vi.*
Sevi Hircini liquefacti ℥. ß.
Ol. Ceræ ℥. *ii. M.*

Tertia indicatio eſt *tepefacere* fomentis, vel ſuffumigiis partem affectam ad doloris ſedationem, ad moleſtiam pruritus ani ſedandam, quibus tepefactoriis uſus eſt Hippocrat. in doloribus. Sacculus, in quo includantur *Verbaſcum, Fol. Quercus, Amſerina*, & in Lacte calido impoſitus ad calefactionem, & poſtea ano applicatus, prodeſt. *Decoctum Fol. Caulium, Fœnu-græci, cum furfure, in aqua Chalybeata factum, & ſpongiis in hoc madefactis, & ano applicatis*, tollit Teneſmum. Idem præſtat *Suffumigium ex Charabe, ſummit. Pini, & Myrra, ano exceptum*; & *Suffumigium ex Thure, & Pice*; vel *Suffumigium ex decoctione Verbaſci, Caulium, Furfuris, Fœnugræci, exceptum, ſuper ſellam ſedendo*.

Quarta indicatio eſt, *quæ inſunt ſubducere*, hoc eſt purgare. Non caſu purgationem ultimo loco propoſuit Hippocrat. Motivum verò, quo perſuaſus fuit ad tale remedium, quòd in aliis alvi fluxibus primo loco exercendum conſuluit, puto fuiſſe deſumptum à natura hujus ſymptomatis, in quo excrementa quantitate non redundant, ſicut in Diarrhæa, & Dyſenteria, in quibus redundantia humoris timere facit morbi incrementum, pro quo evitando in aliis alvi fluxibus purgationem in principio aggreditur; ſed cùm in Teneſmo pauca ſit humoris quantitas, ut dictum eſt ſuperiùs, ſatius eſt humoris præparationi, & partis tutelæ incumbere, quàm purgationem inire; attemperato ergo priùs humore ad partem paulatim fluente, & parte munita, tunc purgationem aggreditur, ſed lenem, humoris paucitati correſpondentem, quæ fieri poteſt cum lenientibus de Dyſenteria propoſitis; & documentum nobis reliquit, in humorum fluxu ad partem aliquam tutius eſſe, horum vitium corrigere prius localibus, & alterantibus, quàm magnis remediis, ut eſt purgatio, & venæ ſectio, morbum in ſui initio oppugnare. Hujuſmodi curatione in Teneſmo utuntur *Indi, ex relatione Bontii de Medic. Indor. cap.* 5. ubi habemus, Teneſmum in hac regione, nempè in India, familiarem, & lethalem, ſolis extrinſecis feliciter curari.

Lavacrum cum aqua calida præſervationis gratia proponit Hipp. quia ab hoc humores attemperantur, craſſi, fluxibiles fiunt, & tranſpiratio copioſa ſuccedit, cum diſſipatione fuliginum, quæ retentæ acrimonia inſita ſanguinem inficiunt, & in humores acres concreſcunt. Caput excipit à balneo, quia cenſebat materiam à capite ad inteſtina fluere in Teneſmo, ſicut dixit fluere in Dyſenteria; quod ſi verum eſſet, à capitis lotione materia in majori copia flueret ad caput, & ab hoc ad partes inferiores.

Diœtam comprehendit in illis verbis: *Solet autem hic morbus plures cibos expetere;* quod intelligendum eſt reſpectivè ad Diarrheam, & Dyſenteriam, in quibus exſiccandum eſſe voluit. Determinavit etiam diœtam tenuem, quæ eſt valdè efficax ad exſiccationem, qua cùm non indigeat Teneſmus, ideo in hoc majori cibo indulgendum, qui convenit etiam, quia iſtius appetitus viget, nec facultates digeſtivæ ſunt adeò languidæ, ſicut in Diarrhæa, & Dyſenteria.

CAP.

CAP. XXI.

De Hæmorrhoidum Fluxu.

HÆ*morrhois*, apud Græcos ſignificat ſanguinis evacuationem; per quamcumque partem hæc ſuccedat, invaluit tamen in Medica Schola uſus, ſanguinis fluxum per venas ani tantùm, hæmorrhoidalem appellare.

Definitur, *Copioſa*, & *præternaturalis ejectio ſanguinis per venas hæmorrhoidales.*

Omnis fluxus ſanguinis eſt præternaturalis, quia datus hic à Natura non, ad excretionem, ſed ad retentionem, pro Animalis conſervatione, excepto ſanguine menſtruo in fœminis; ideò præternaturalis evadit ſolùm iſtius excretio, quando in excedenti copia profunditur; ſic fluxus ſanguinis ab hæmorrhoidibus non eſt præternaturalis in quacumque copia excernatur, quia à Natura conceſſus in aliquibus ad perſervationem, & curationem multorum morborum ex Hippocrat. multis in locis de prognoſtico afferendis. Et ſi non omnis vomitus eſt præternaturalis, quia Natura ventriculo tales fibras conceſſit, per quas vomitu, quod illi noxium & ingratum eſt, expellere valeat, ſed ſolùm ille vomitus eſt præternaturalis, qui & noxium, & utile excernit alimentum, & qui copia excedit, cum Animalis detrimento, & vitæ periculo; ita nec omnis fluxus hæmorrhoidalis eſt præternaturalis. Experientia enim oſtendit, aliquibus viris ſanguinem per hæmorrhoides fluere omni menſe, ſicut in fœminis per menſes, cum magno beneficio, ut notat *Amat. Luſit. cent.* 3. *cur.* 3. in qua notat etiam, quòd in aliquibus viris ſuppreſſus menſtruus fluxus hæmorrhoidalis periculoſam induxit Hæmoptiſim. Credendum ergo, Naturam hæmorrhoides dediſſe Animali, ut per has excretio ſanguinis, vel ſuperflui, vel vitioſi perficeretur; quod comprobatum manet in fœminis, in quibus, ſi vel ratione ætatis, vel morbi alicujus menſtruales purgationes fuerint ſuppreſſæ, cum redundantia ſanguinis in toto, menſtruus per hæmorrhoides ſuccedit fluxus, ut notavit *Hipp. libr.* 4. *de morb. popul. n.* 14. in muliere, cui ſuppreſſis menſibus per duos annos, ſupervenit fluxus hæmorrhoidum; & confirmavit hunc fluxum à menſibus retentis *lib. de Coac. prænot. n.* 3. imò in junioribus excitatum fluxum hæmorrhoidalem in ſupplementum retenti menſtrui, obſervavit *Horſt. lib.* 5. *obſerv.* 45. conſenſum enim habent inter ſe venæ hæmorrhoidales externæ, & uteri, cùm deriventur omnes à ductu venæ cavæ Hypogaſtrico, hoc intercedente conſenſu, faciliter redundantia ſanguinis in venis uteri minui poteſt per fluxum hæmorrhoidalem. Situs hæmorrhoidum in loco, in quo adſunt omnia excrementorum receptacula, ad quæ concurrunt, pro expulſione videtur comprobare earum finem, ad expulſionem etiam eſſe, vel ſuperflui, vel moleſti ſanguinis, ſi neceſſitas exegerit. Harum conſtitutio, etiam hoc hoc perſuadet; ſunt enim ita conſtitutæ, ut eorum extremitas ſenſui pateat, & ſit valdè conſpicua in tumefactis hæmorrhoidibus, & cùm quælibet venarum extremitas, & arteriarum orificium habeat, ab hoc recipit aptitudinem ad effundendum ſanguinem, quapropter cùm hæmorrhoidalibus venis nòn ſit denegandum tale orificium ſatis manifeſtum in fluxu ſanguinis ab eis, & quia arteriarum officio funguntur, non eſt denegenda aptitudo naturalis, & à natura intenta ad effuſionem ſanguinis pro beneficio hominis. Et ſi obſervatum ſit per varia loca, ut oculos, gingivas, ungues, ſanguinis abundantiam depletam fuiſſe, & morbos curatos, cùm hoc raro evenerit, & ut prodigium decantetur, hujuſmodi evacuationem naturalem non dicimus; cùm verò illa per hæmorrhoides ſit frequens, additis frequentiæ rationibus ſupradictis, naturalis dicenda eſt, & ſolùm præternaturalis, quando excedit.

Dicitur *per venas hæmorrhoidales*, ad differentiam aliarum evacuationum præternaturalium ſanguinis, & ad determinandum ſubjectum hujus ſymptomatis, quod eſt in venis hæmorrhoidalibus; nec rejiciendum eſt tale ſubjectum, ex eo quòd venæ non ſunt aptæ excretioni ſanguinis, cùm ſint datæ ad illum revehendum ad cor, quia omnis vena aperta, vel perforata ſanguinem effundit, licèt reductioni ſanguinis ad cor ſerviat, & portio, quæ foramini eſt proximior, exit, quæ remotior ſurſum vehitur. Ulterius venæ hæmorrhoidales internæ, cùm ſocias non habeant arterias, ut adnotavit *Bartolinus in ſua Anatomia renovata*, arteriæ munere funguntur ſanguinem vehendo, prout eodem munere fungitur ramus ſplenicus, cujus iſtæ ſunt propagines externæ, quæ in extremitate inferiori muſculi inſeruntur, & quæ viſu ſunt conſpicuæ, arterias habent; illarum tamen extremitas non divaricata in ramos aperiri poteſt, & aperta effundere ſanguinem deorſum, licèt hic ſurſum tendat, eo modo quo in tubulo à fonte rectè ſurſum aquam deferente, ſi in medio perforetur, deorſum aquæ pars effunditur, altera parte ſurſum delata.

Cauſam fluxus hæmorrhoidalis deſcribit *Hipp. lib. de Hæmorrhoid. n.* 1. his verbis: *Hæmorrhoidum morbus fit hoc modo: Cùm bilis, aut pituita ad venas recti inteſtini decubuerit, ſanguinem, qui in venis eſt, calefacit; caleſcentes autem venæ, ex vicinis venulis ſanguinem attrahunt, & ubi implentur, interna ſedis pars intumeſcit, & capita venarum ſupereminent, & partim dum à ſtercore exeunte comprimuntur, partim dum à conſervato ſanguine coguntur, ſanguinem ejaculantur, atque hoc maximè quidem unà cum ſtercore, aliquando etiam ſine ſtercore.*

In hac ſententia explicante cauſam fluxus hæmorrhoidalis, vult Hipp. primò ſanguinem incaleſcere in venis recti inteſtini à bile, & pituita ad eas deſcendente, & multis in locis incaleſcentiam totius, & partis horum duorum humorum mixtioni tribuit, quaſi crederet hos duos humores unitos efferveſcere, & calorem excitare modo, quo explicat *Le-Boe* in concurſu bilis, & ſucci pancreatici. Hac cauſa admiſſa, non rejiciuntur omnes aliæ cauſæ, per quas ſanguis incaleſcere poteſt; ſunt enim multæ, ſed omnes in qualitate ſimiles, præcipuè bili; & admiſſa *Sylvii Le-Boe* ſententia, facilè cauſa incaleſcentiæ à bile, & pituita innoteſcit; primum ergo principium fluxus hæmorrhoidalis eſt incaleſcentia ſanguinis in venis recti inteſtini.

Secundò. Non ſufficit omnis incaleſcentia ſanguinis, ſed talis requiritur, ut ſerveat, & ebulliat; quod colligo ab eodem *Hipp. in lib.* 2. *de morb. num.* 5 ubi reddendo cauſam vomitus ſanguinis in corruptione cerebri, ait conſiſtere in venis cerebri excalefactis, poſtea ſubjungit: *Quum igitur calefactæ fuerint venæ, & ſanguis in ipſis efferbuerit, quæ quidem ſunt in capite venæ, diſtribuunt* (hoc eſt impellunt) *ad nares, & os*, unde poſtea fluxus ſanguinis per nares, vel per vomitum. In vomitu ſanguinis iſtius incaleſcentiam, & efferveſcentiam ſimul admittit Hipp. Sanguis incaleſcens à qualibet cauſa in confinio efferveſcentiæ, & ebullitionis conſiſtit, ideòque huic facillimè dat manus, cùm non poſſit multùm incaleſcere, quin iſtius particulæ igneæ, ſpiritoſæ, activæ motu valido non agitentur; quod ebullitionem, & efferveſcentiam includit, vel proximam oſtendit.

Tertiò. Venas incaleſcentes vult repleri, itaut internæ partes recti inteſtini, & muſculi ſphincteris intumeſcant, & cavitas ani ab intumeſcentia venarum, & propria, anguſta redditur, & capita, ſeu extremitates venarum hæmorrhoidalium ſupereminent tumidæ. Hanc repletionem venarum obſervamus, ubi partes incaleſcunt; ideò hac de cauſa, Æſtate venæ turgidæ, & repletæ apparent, quia incaleſcunt cum ſanguine; à calore venarum ſubſtantia rareſit, & illarum capacitas amplior redditur, ut niſi à copia ſanguinis impleri poſſit, quæ non deficit, fluente ſemper ſanguine ad partes. Repletionem hanc coadjuvat ſanguis in venis incluſus efferveſcens, & ebulliens, cum magna extenſione ſuæ ſubſtantiæ exigitiva majoris ſpatii, quod ſibi parat, extendendo venarum ſuperficiem, uſquequo extenſione ſpatium ſuæ extenſioni proprium acquirat, eo modo quo muſtum in utre ebulliens, hunc dilatat efferveſcendo, & hoc ab Hipp. dicitur attrahere, quia venæ ita implentur, ut attraxiſſe videantur, & talis quandoque eſt extenſio venarum, ut extra orificium ani ad multum ſpatium turgidæ extendantur; tanta eſt venarum dilatatio, & concurſus ſanguinis, & fervor iſtius, ut tumor ſuccreſcat implens cavitatem inteſtini recti, itaut in ali-

quibus,

quibus, nec parvo ſpecillo ingreſſum permittat,. & ideò tumore capita, ſeu extremitates venarum attolluntur. Obſervavit *Lindanus* hæmorrhoidas extra anum ad pugni magnitudinem auctas; in aliquibus tumores criſtis, & condylomatibus ſimiles imitantur.

Quartò. Cauſam exitus ſanguinis à tumefactis venis refert in compreſſionem factam à ſtercore exeunte, à qua ſanguis foras exprimitur; à preſſione enim portio ſanguinis in parte preſſa exiſtentis impellitur ad extremitatem venæ, quæ à quantitate ſanguinis, & ab impetu, quo impellitur, aperitur, cum exitu ejuſdem ſanguinis. Sanguis etiam coacervatus ſuis particulis activis ad motum excitatis à ſuo ſpiritu impetum faciente, vim exerit in venam impletam pro exitu, & reſiſtentia iſtius ſuperata, apertione orificii ſanguis effunditur, eo modo quo particulæ valdè activæ vini fermentantis in dolio clauſo, ſuo impetu, vel lignum, vel ferramenta rumpunt, vel operculum foramen claudens expellunt, & vinum per apertam viam cum impetu exit; quod reſtrinxit *Hipp.* in illis verbis: *Partim dum à coarcevato ſanguine coguntur* (impetum declarat) *ſanguinem ejaculantur.*

A cauſa immediata elicimus remotam, & externam, quæ ſanguinem calefaciunt, non ſolùm in venis hæmorrhoidalibus, ſed etiam in toto corpore, à cujus calore ſanguis in dictis vaſis exiſtens, poſtea magis incaleſcit, erunt cauſæ remotæ fluxus hæmorrhoidalis. Hinc obſervamus eos, qui dolorem hæmorrhoidum patiuntur, vel fluxum, ab erratis in rebus calidis, & acribus, maximè lædi. Externa motio fortior, curſus diuturnus, equitatio, ſaltatio, ſanguinem in hæmorrhoidibus calefaciunt; conatus laborioſus in partu, alvi ſtipticitas, cum magno conatu in egeſtione fœcum, purgantia cum *Aloe*, & *Senna*, obſervatum eſt inducere hunc affectum.

Cùm autem plures ab hiſce cauſis externis afficiantur, & à fluxu hæmorrhoidali immunes conſerventur, requiritur ad hujus ſymptomatis naturam explicandam, diſpoſitio aliqua naturalis in partibus, per quam eis adveniat facilitas ſanguinem in copia recipiendi, & in eis effervеſcendi, cùm videamus à conatu in partu, & in alvi ſtipticitate pro fœcum ejectione hoc ſymptoma inſurgere, quia venæ ampliores redduntur, & ſanguinem in majori copia recipiunt quàm aliæ venæ correſpondentes pro circulatione poſſint recipere; ſi naturaliter adſit iſta amplitudo venarum, & concurſus ſanguinis ſemper abundans, aderit diſpoſitio naturalis ad fluxum hæmorrhoidalem: requiritur etiam laxitas extremitatis venarum, cùm in aliquibus valdè intumeſcant, & ſanguinem non profundant, quæ, ſi erit iſtis naturalis, ob laxam illarum texturam conſtituetur diſpoſitio naturalis ad hoc ſymptoma.

Adverto etiam, hunc affectum contingere, ut plurimùm, Lienoſis, & Melancholicis, Hypochondriacis, in quibus obſtructiones in vaſis meſſenterii reperiuntur, & fermentum lienis eſt vitiatum, quare ſi contingat in ramis venæ ſplenicæ proximis illis, qui deorſum tendunt, & hæmorrhoidas internas conſtituunt, obſtructio, ut liberè per illos fluere non poſſit portio ſanguinis, cujus ſunt capaces, neceſſe eſt, ut per apertos ramos ſplenicos hæmorrhoidales hic fluat, & eos impleat. Pariter ſi fermentum lienare ſit valdè activum, & volatile, effervеſcentiam, & fermentationem validam in ea portione ſanguinis ad venas hæmorrhoidales fluentis excitat, in iſtis eadem effervеſcentia, & fermentatione perſeverante, neceſſe eſt, ut plenitudo dictorum ſuccedat, & aperitio orificii dictorum vaſorum ab efficacia, & energia ſpiritus in fermentante ſanguine modo dicto exiſtentis, unde fluxus ſanguinis cui inſervit etiam motus periſtalticus inteſtini recti; & hæc eſt diſpoſitio venarum hæmorrhoidalium internarum pro fluxu ſanguinis, quæ poteſt contingere etiam externis, ſi ſanguis ab internis ad has deferatur per anaſtomaſim, quam obſervavit *Bartolinus*, cum hæmorrhoidibus internis, & externis.

Signa diagnoſtica, per ſe ſunt manifeſta.

Prognoſtica habentur ab *Hippocrat. libr. 5. de morb. popul. num.* 10. *Hæmorrhoidibus cancer ſucceſſit, febris irruit, & non dimiſit antequam occiderit. In libr. de Coac. prænot. num.* 3. *Si Syderatis accedant hæmorrhoides, bonum;* quod confirmat de atrabilaris cum phrenitide *libr. de Judic. num.* 10. *& aphor.* 11. *ſect.* 6. *Hæmorrhoidali fluxu detentos, neque Pleuritide, neque Peripneumonia, neque Phagedæna, neque furunculis, neque tuberculis terebinthi figuram habentibus corripiuntur, fortaſſe autem neque lepris, neque vitiliginibus; multi tamen intempeſtivè curati, talibus non tardè correpti ſunt, & ſic pernicioſæ fuerunt, & quicumque alii abſceſſus, & fiſtulæ aliorum medela ſunt*; hæc ſcripta reliquit *in* 6. *de morb. popul. ſect.* 3. *pag.* 144. In hujus confirmationem *in libr.* 4. *de morb. popul. num.* 30, ſcripſit: *Alcippus, cùm haberet hæmorrhoidas, à curatione prohibebatur, curatus inſanit, febre acuta ſuccedente ceſſavit*; hac de cauſa admonuit *in libr.* 6. *aphor.* 12. *A diuturnis ſanato hæmorrhoidibus, ſi una non ſervetur, periculum eſt aquam inter cutem, vel tabem advenire. In libr. de Coac. prænot.* habet: *Ex hæmorrhoide parùm apparente vertigines obortæ, parvam, & modicam ſyderationem ſignificant; ſolvit venæ ſectio, & quidquid hoc modo apparuerit, mali aliquid ſignificat.*

Si ſanguis collectus in vaſis hæmorrhoidalibus non exeat, ſed retineatur, & valdè diſtendatur vas, fit dolor, qui dicitur hæmorrhoidum, cauſam habens ab inflammationis initio. Collectus enim ſanguis fervet, & ebullit, & concepto calore præternaturali, venam affectam, & partes circumſtantes calore præternaturali afficit, in effervеſcentia, & ebullitione venam majorem reddit, unde tumor, & dolor ſocii indiviſibiles inflammationis; à calore præternaturam mordicante membranam ſenſitivam venarum, ab acido, vel ſalſo ſanguinis vellicante eamdem membranam, à quantitate ſanguinis violenter diſtendente, à circumſtantium partium violenta diſtractione facta, ab excedenti diſtenſione vaſis connexi dolor ſuccedit vehemens.

Cauſa eſt ſanguis ſtagnans, & inflammationem pariens, quam ſolvi obſervamus per ichores, & mucos à vena tumefacta exſudantes, & multoties à ſuppurata inflammatione, ulcera, & fiſtulæ oriuntur, aliquando etiam ſphacelus.

Hæmorrhoidalis fluxus curationem exponit *Hipp. in libr. citat. de Hæmorrh.* quæ tota conſiſtit in operatione Chirurgica, de qua locutus eſt etiam *aphor.* 12. *ſect.* 6. ubi conſulit unam apertam ſervari, omnibus aliis curatis, ut ab Hydrope præſervetur æger. Hoc conſilium Hipp. accipiendum eſt in eo caſu, in quo vires, non obſtante fluxu ſanguinis, conſervantur cum bono, & florido totius cutis colore, dum omnibus hæmorrhoidibus occluſis, una tantùm aperta relicta, minor cópia ſanguinis fluit, & ſpiritus in minori copia diſſipantur, & quantitas excedens ſanguinis, quæ erat cauſa fluxus, paulatim, & ſine incommodo virium minoratur. Si verò omnes hæmorrhoides clauderentur, quantitas redundans ſanguinis intrà venas remanere cogeretur, cum periculo Hydropis. Quando verò fluxus ſanguinis hæmorrhoidalis vires enervat, & proſternit, cum mutatione coloris boni in pravum, & cum principio Cachexiæ, Hipp. ſententia locum non habet, de relinqueda una hæmorrhoide aperta, nec in hoc caſu accipiendus eſt aphoriſmus cit. Hipp. dum æger in ſtatu deſcripto exiſtens, nec parvam ſanguinis quantitatem per unam tantùm hæmorrhoidem exeuntem, ſine incommodo virium, & ſine incremento Cachexiæ ſuſtinere poteſt: Hac ratione in fluxu hæmorrhoidali, virium robore deficiente, & Cachexia incipiente, omnes venæ hæmorrhoidales claudendæ, & fluxus ſanguinis ſupprimendus. In hoc ſenſu audiendus eſt *Aetius in tetrabili* 4. *ſer.* 2. *cap.* 5. In fluxu ergo hæmorrhoidali à quantitate ſanguinis, conſtantibus viribus, & florido cutis colore permanente, cenſeo hujuſmodi operationem eſſe certum in hoc affectu remedium, ſi rectè, & tutò exerceatur; & pro hac Lectorem ad Chyrurgos remitto; remedia ſolùm indagabo, quæ Medicina pro hoc fluxu ſuggerit.

Cauſam hujus affectus dixi cum Hipp. eſſe plenitudinem vaſorum hæmorrhoidalium, cum caleſcentia, & effervеſcentia ſanguinis

Plenitudo, venæ ſectionem exigit, quam morbi natura indicat; eſt fluxus ſanguinis, cum motu vitiato extra vaſa; hic retractionem à parte, per quam fluxus fit, requirit, & ita venæ ſectio in fluxu hæmorrhoidali convenit,

venit, & tamquam remedium minuens plenitudinem, & tamquam revellens; hac de cauſa in ſuperioribus partibus ſecanda vena, quæ utrique ſatisfacit intentioni, & hæc eſt prima indicatio. Quantitas ſanguinis determinanda juxta quantitatem plenitudinis, & virium robur; melius tamen eſt, ſanguinem in pauca quantitate mittere, ſed venæ ſectionem reiterare, & à diverſis partibus. Frictiones, cucurbitulæ ſiccæ in partibus ſuperioribus, revulſioni ſerviunt.

Purgatio, etiamſi conveniret, ratione bilis, & pituitæ pro cauſa hujus fluxus ab Hipp. aſſignatæ, ratione tamen partis affectæ, per quam humor in purgationis actu pertranſiens continuo irritamento eam ad majorem ſanguinis expulſionem ſollicitaret, non convenit. Sed neque convenit ratione bilis, & pituitæ in ſtatu effervefcentiæ, & ebullitionis, quia non obediunt virtuti purgantis effervefcentes, & ebullientes humores, & ideò non purganda; & etiam ſi purgarentur, eſſet inutilis purgatio, cùm à ſanguinis maſſa eliminatis dictis humoribus, adhuc effervefcentia, & incaleſcentia ſanguinis incepta perduraret in venis hæmorrhoidalibus, quotieſcumque enim ſanguis ab aliqua cauſa orgaſmum concipit; etiam hac remota conſervatur, ſi particulæ activæ excitatæ, etiam abſente cauſa in concepto motu perſeverent, prout ſæpiſſimè obſervamus in conſervatione ebullitionis ſanguinis, etiam remota cauſa externa, à qua excitata fuit. Cùm ergo purgatione dictorum humorum non ſit certa ſedatio ebullitionis, & effervefcentiæ ſanguinis, & certum ſit ab actione fermentativa purgantis augeri, magis conſultum erit ab hac ſuperſedere. Purgatio ergo non convenit, ratione partis affectæ, ratione humoris crudi, ideſt actu effervefcentis, & ebullientis, & quia eſſet inutilis.

Secunda indicatio eſt incaleſcentiam, & effervefcentiam ſanguinis ſedare. In hunc finem probantur *Plantago*, *Portulaca*, *Nymphea*, *Nenuphar*, *Sonchus*, *Santali*, *Roſæ ſiccæ*, *& eorum Tincturæ*; ex quibus paranda *Decocta*, vel exhibendæ *Aquæ* à dictis ſimplicibus diſtillatæ, *Emulſiones ſem. Melonum*, *& aliorum frigidorum*, *Serum Lactis caprini*, quibus addi poſſunt *Sal Prunellæ ad* ℨ. *i.* vel *Diaſcordium Fracaſtorii*.

Tertia indicatio eſt communis omnibus fluxibus, nempè conſtringendi. In caſu propoſito ab Hipp. in quo venæ hæmorrhoidales turgent, locum non habet hæc indicatio, niſi in principio detumeſcentiæ venarum, vel in principio languoris virium, ob rationes ſuperiùs allatas de Diarrhæa, & Dyſenteria, & tunc adſtringentia ſedantibus effervefcentiam ſunt adjungenda; hac ſedata, ſolis adſtringentibus utendum. Inter adſtringentia ſunt *Succus Urticæ major. ad* ℥. *iiii. Decoctum Millefolii*, *vel pulvis ad* ℨ. *ii.* quæ pro arcano commendatur; *Pilulæ de Bdellio.*, & hæ pro ſpecificis habentur. Harum Pil. compoſitionem habet *Soleander ſect.* 4. *conſ.* 20. Valent *Trocis de Charabe*, *limat. Chalybis*, *cum pulv. Abſinhtii pont. & Conſerva Roſ. antiqua.* Vide alia *de ſputo ſanguinis*, *& de vomitu ſanguinis*. Inter externa numerantur tamquam ſpecifica, *Sanguis recenter excretus ab hæmorrhoidibus in lamina ferrea calefacta multùm exſiccatus*, *pulverizatus*, *& aſperſus ſupra apertam hæmorrhoidem*, *vel in anum inſufflatus*. *Crepitus Lupi dictus ſiccatus*, *& eodem modo applicatus*; *ex Mumia*, *& Subere uſto æquali portione fit pulvis valdè efficax*. Si applicetur parti affectæ *Pulvis ex capite mortuo Vitrioli rubificato paratus*, *& media parte Terræ ſigillatæ*, certam dabit curationem, quocumque modo applicatus.

Dicta ſit adſtringens, & incraſſans, ſicut de Diarrhæa, & Dyſenteria dictum fuit.

Si hæmorrhoidum fluxus nimius conſuetæ expurgationis ſanguins adjungatur, prout obſervatur quandoque poſt conſuetos menſes, tunc immoderatus fluxus adſtringentibus ſtatim moderandus, & etiam ſtatim, quando ab ulcere, vel à ruptura vaſorum, ſine ullo ſigno intumeſcentiæ iſtorum exit. Sanguinis acrimonia dulcificantibus moderanda, quæ dicta ſunt de vomitu ſanguinis, & ſputo.

Aliquando ſanguis loturæ carnis ſimilis exit per ſeceſſum, ſine hæmorrhoidum intumeſcentia, & calore, & dolore, ab Antiquis fluxus hepaticus dictus, quia hujuſmodi ſanguinem credebant ab Hepate in actione ſanguificationis debilitato generari, & ab iſto ad venas inteſtinorum deſcendere, & harum retentricem languentem per aperta orificia ad inteſtinorum cavitatem viam ei concedere, & unà cum fœcibus, vel mucis per alvum ſecedere; quæ ſententia à demonſtrata ſanguinis circulatione excluditur, unà cum tali morbo, quia ſanguis in hepate non elaboratur, nec ab hoc ad venas inteſtinorum fluit, ſed ab iſtis ad hepar ſanguis aſcendit.

Sed talis fluxus pendet quidem à ſanguificatione læſa, quam oſtendunt etiam totius pravus color, palpebræ tumentes, virium languor, appetitus abolitus, quæ ſemper cum tali fluxu conjunguntur. Procedit etiam hic fluxus ab abundantia ſeri, quam calor naturalis diminutus cumulat, conjuncta cum ſanguine tenui, & caloris deficientia, & venarum hæmorrhoidalium laxitate; his concurrentibus dictæ venæ ſanguinem profundunt à qualibet levi cauſa irritatæ, etiam ab ea, quam naturaliter patitur inteſtinum rectum, pro expulſione naturali fœcum. Succedit etiam hic fluxus, quando ſanguis in ſua origine accepit tenuitatem ſimilem lymphæ, qua mediante, unà cum hac glandulas inteſtinales ingreditur, & cum hac deſtinata ad conſervandum mucum inteſtinalem depluit in cavitatem inteſtinorum, & cum fœcibus expellitur, & etiam ſolus.

In hoc fluxu corroborantia calorem naturalem, & facultatem ſanguificatricem proſtratam exigentia conveniunt, de quibus agendum de Cachexia pituitoſa, & ſeroſa, & iſtis miſcenda adſtringentia ſuperiùs deſcripta. Diœta ſit eadem, ac in dictis morbis.

Hæmorrhoidum dolor, ſi pendeat à ſuppreſſo ſanguine conſueto ſtatis temporibus effluere, miſſione ſanguinis ſupplendum, quæ ſerviet etiam revulſioni ſanguinis ab affectis venis. Hæc facienda à venis ſuperioribus, & eſt prima indicatio. Si dolor perſeveret, & venæ turgidæ ſint, ac extrà promineant, harum aperitioni incumbendum, *Succo Cyclaminis* illiniendo, cui poſſunt miſceri, in caſu contumaciæ, *Succus Betarum*, *Cæpæ*, *Ari*, *& Aloes*, *foliis Ficus*, *& herbæ Mercurialis fricandæ*. *Fiat linimentum cum Pulv. Colocynthidis*, *Aloe*, *Melle*, *& Felle bubulo*, *vel porcino*, quo vena tumens illinienda. Internæ non adeò facilè aperiuntur, ideò *Turundis*, vel *ſuppoſitoriis* illitis, dictis ſuccis, vel linimento ſupradicto tentanda aperitio, & eſt ſecunda indicatio. Fluente ſanguine, & non ceſſante dolore, ad *Anodyna* deveniendum; & eſt tertia indicatio. Inter hæc ſunt, *Momordica Balſamina dicta*, *cujus fructus in Oleo Lini infuſus*, *& Soli expoſitus*, *dat Oleum ſingulare ad dolorem hæmorrhoidum*; eodem modo, *ex Millepedibus contuſis*, *& etiam Scarabæis*, *& infuſis in Oleo Lini*, *vel Nucum recenti*, *fit Oleum Anodynum*. *Flores Verbaſci*, *& Sambuci ponantur in vaſe vitreo*, *ſuperaddatur Oleum Lini*, *ponatur vas clauſum in fimo calido per* 20. *dies*, *poſtea fiat expreſſio omnium*; *eſt præſtantiſſimum remedium*, *& magis valebit*, *ſi addantur dictis floribus*, *Millepedes*, *loti priùs vino*, *& poſtea contuſi*, *& etiam fructus Balſaminæ*. *Unguentum ex Linaria factum*, *cujus deſcriptionem habet Hart. in Praxi Chymiatra*, *& Pharmacopea Auguſtana*. *Ung. de Scrophularia*, *deſcriptum à Matthiolo in tractatu de hac herba*, *cujus radicem Autumno collectam*, *& coxæ alligatam*, *curare*, *& præſervare à dolore*, *& fluxu hæmorrhoidum dicunt*. *Infuſio etiam totius herbæ in vino*, *prædicatur*, *ſi de hoc bibatur per menſem tempore Veris*, *vel Autumni*. *Millefolii Decoctum*, *dicitur idem præſtare*. *Balſamum Sulphuris Rulandi terebinthinatum* valet illitum, *Ol. Buxi* in magno dolore, & opiata adhibentur.

Diœta ſit parvi ſucci, in pauca quantitate, & refrigerans.

CAP. XXII.

De Volvulo, ſeu Iliaco Dolore.

Volvulum in communi ſignificatione à Medica Schola acceptatum conſidero, quatenus dolorem inteſtini connotat, quomodo conſideravit *Hippocr. in lib.* 3. *de morb. numer.* 15. ubi ita deſcribitur: *Vulvuli fiunt*, *cum*

cùm ſuperiùs ventriculus calefcit, infernus verò frigeſcit; reſiccatur enim ſimul inteſtinum, præ inſtammationis caliditate obturatur, ut neque flatus, neque cibi pertranſeant, ſed venter durus fit, & quandoque vomat, primùm pituitoſa, deinde bilioſa, poſtremum ſtercus, & æger ſitim habet, ac dolorem, maximè circa præcordia. Verùm & totum ventrem dolet, & inflatus eſt, & anxius eſt, & febres corripiunt, & fiunt, maximè ſeptima die.

Huic ſententiæ Hipp. inhærendo, poteſt definiri Volvulus, *Inflammatio inteſtini Ilei*. Quòd ſit inflammatio apertè teſtatur Hipp. quòd ſit inteſtini *Ilei*, colligitur ab illis verbis, *Poſtremum vomit ſtercus*; conſequenter inflammatio eſt in inteſtino, in quo colligitur ſtercus; tale eſt Ileum, & præcipuè in ea extremitate, per quam cum *Colon* conjungitur. Hanc definitionem tuetur *Vander Linden in ſelect.* 4. *n.* 55. 19. & 20.

Inflammatio eſt talis conditionis, ut obſtruat cavitatem inteſtini Ilei, non permittendo deſcenſum, nec flatui, nec alimentis, nec fœcibus. *Obſtruit* per Hipp. quia inteſtinum calore inflammatio exſiccatum in rugas contrahitur, prout contingit membranæ igni expoſitæ, & ab hac contractione membranæ inteſtinalis in rugas reſtringitur ejus cavitas, & à tumore inflammationis totaliter obturatur, & impletur, cùm nulla ſit inflammatio ſine tumore; totaliter clauditur, ut nec fœces, nec flatus, nec alimenta tranſeant.

Ab hac inflammatione *venter inferior frigeſcit*, & *ſuperior calefcit*, ex Hipp. Ratio eſt, quia cum in inflammata parte ſanguis ſtagnet, ad inferiores partes non deſcendit, quæ in fluentis ſanguinis calida ſubſtantia privatæ frigeſcunt; è contra partes ſuperiores impletæ ſanguine, qui ad inferiores deberet deſcendere, magis quàm par eſt incaleſcunt. Altera ratio hujus effectus peti poteſt ab Hipp. repetita ſæpe ſententia, *Ventres à cibo incaleſcere*, cùm venter ſuperior in Volvulo cibum ſuſcipiat, & retineat incaleſcit, etiam quando in eo currumpitur; inferior verò, cibo omnino deſtitutus interdicto ei tranſitu ab inflammatione, frigeſcit.

Ab inflammatione obſtruente impeditur tranſitus, & alimentis, & fœcibus, itaut per alvum nihil exeat, etiamſi à purgantibus irritetur; & ſi *Hipp.* 3. *Epid. ſect.* 2. *t.* 7. *in hiſt. mulieris volvuloſæ, quæ apud Thyſamenum habitabat*, ſcribat *dejectiones tenues crudæ, paucæ*, intelligendus eſt de principio Volvuli, in quo fœces infra locum affectum exiſtentes ejiciuntur; his verò ejectis, aliæ non apparent, tranſitu in ſuperiori parte ab inflammatione obſtruente occupato.

Cur fœces per os ejiciantur, explicandum eſt per motum inteſtinorum periſtalticum, qui naturaliter incipit à ſuperiori parte, & tendit ad inferiora, prout exigit motus alimenti à ventriculo ad inteſtina, & fœcum à ſuperioribus inteſtinis ad inferiora, uſque ad ani orificium: hic motus periſtalticus poteſt inverti præternaturaliter, itaut ab inferioribus partibus incipiat, & in ſuperioribus terminetur; talem obſervamus in tranſitu bilis ab inteſtino duodeno ad ventriculum, qui non poteſt fieri, niſi motus inteſtini duodeni, deorſum naturaliter inclinans, inverſo ordine ſurſum tendat, impellendo bilem in ventriculum. Vomitus non eſt niſi motus periſtalticus ventriculi immutatus ad ſuperiora; ventriculi munus eſt ſuo motu alimenta ſuſcepta deorſum pellere, in vomitu ita immutatur, ut ſurſum expellat, & quòd eſt vomitus in ſtomacho, eſt dolor Iliacus in inteſtinis; vomitus ergo in Volvulo humorum, & fœcum ideo fit, quia ab inflammatione motus inteſtinorum periſtalticus ad ſuperiora in loco inflammationis cum majori vi, & energia mutatur; & obſervatum eſt, ſi vera referuntur, quandoque ab ipſo *podice* mutari motum periſtalticum verſus ſuperiora magis impulſivum in vomitione, Clyſteris, & glandis in anum immiſſæ.

Ab his deducimus, ſubjectum, & partem affectam in hoc morbo eſſe inteſtina, in quibus fœces primò colliguntur. Tale eſt inteſtinum *Ileum*, & *Colon*; hinc à ſenioribus Medicis decretum, ſedem Volvuli eſſe in fine *Ilei* circa *Cæcum* in principio *Coli*, ubi eſt Valvula, & capacitas inteſtinorum eſt etiam magis anguſta, ideòque faciliùs ab inflammatione obturari poteſt. In hujus confirmationem faciunt obſervationes *Hildani* 6. *ſect.* 1. *de volvulo ex ſcyrrho*, & *ulcere canceroſo*, *quod Ileum occupaverat, ut nihil ad Colon penetrare poſſet*; & *Nicol. Tont. in conſil. & reſponſ.* habet caſum *de volvulo à materia indurata i & quaſi lapidoſa in inteſtino Cæco*.

His ſtantibus, rejicitur opinio illorum aſſerentium Volvulum oriri à contorſione, & circumvolutione inteſtinorum, apertè enim rejicitur ab Hippocrat. admittente inflammationem pro cauſa Ilei, & falſitas talis ſententiæ declaratur à connexione valdè ſtricta inteſtinorum cum meſſenterio: impoſſibilis eſt circumvolutio inteſtini in ſe ipſum, quandiù cum meſſenterio unitur, & ſi à fautoribus hujus ſententiæ proponuntur obſervationes factæ per Anatomen in Iliacis defunctis teſtantes circumvolutionem inteſtinorum, hoc poteſt contingere ſolùm, ubi per dolorem Iliacum gangræna corruptum fuerit inteſtinum; quod comprobat *obſerv.* 26. *cent.* 3. *Riverii*, ubi notat *paſſionem Iliacam*, in qua per diſſectionem cadaveris repertum fuit inteſtinum Ileum tribus complicationibus convolutum, & complicatum, & quaſi compactum in unam maſſam, circa finem illius, & tota hæc portio gangræna affecta erat; per hanc enim laxatur, vel tollitur connexio inteſtini cum meſſenterio, itaut à motu agitationis, & circumvolutionis ægri, ob dolorem poſſit inteſtinum in ſe circumvolvi.

Cauſa immediata inflammationis eſt impeditus circulus ſanguinis toties deſcriptus; mediata, & occaſionalis eſt omne irritans, quod vellicando, mordendo copiam ſanguinis ad partem vellicatam, & mordicatam invitat. Exemplum habemus in Urtica, quæ ſolo affrictu vellicante, & mordicante ruborem, & tumorem in parte excitat, vocata copia ſanguinis ad partem; ideo omne irritans, ſive flatus, ſive humor poteſt eſſe cauſa inflammationis in Volvulo, & ſæpiſſimè habet pro cauſa præcedentem dolorem, ſine inflammatione, & ſolùm quando dolori ſupervenit febris eſt facta inflammatio, & tunc ſolùm poteſt dici Volvulus, nec niſi adveniente febre, ea ſuccedent ſymptomata Volvuli propria; & ſi in principio doloris, vel paulò poſt ſuperveniat febris, Volvuli principium eſt inflammatio, ideò Colicus ſæpiſſimè tranſit in Volvulum, facta à dolore præcedente inflammatione. Fœces induratæ irritando dolorem faciunt, à dolore concurſus ſanguinis cum inflammatione, quam accelerat preſſio vaſorum à cumulato ſtercore, fluxui ſanguinis motum circularem impediens, & ſtagnationi condemnans. Hanc cauſam Volvuli habet *Hipp. in lib. de affect. n.* 22. ubi ſcribit; *Talis autem morbus fit, cùm ſtercore acervatim combuſto in inteſtino, pituita, circa hoc colligitur, & inteſtinum intumeſcit*, propter inflammationem factam.

Intruſio portionis inteſtini inferioris in cavitatem ſuperioris, vel deſcenſus portionis inteſtini ſuperioris in cavitatem inferioris, aſſignatur à multis pro cauſa Volvuli, & vomitus fœcum; & de hac intruſione varias habet obſervationes *Sylvius Le-Boe de Volvulo*, *Schenk. lib.* 3. *obſerv. Bartolin. cent.* 4. *Epiſtol. fol.* 542. & *Peyerus de Gland. inteſtin. in Puella octimeſtri* hujuſmodi inteſtinorum ſuſceptiones obſervavit, & modum explicat cum obſervatione facta *in Ranis vivis diſſectis: Etenim eorum inteſtina laceſſita in diverſis locis pertinaciſſimè mox ſe conſtringebant, contentis ſurſum, & deorſum expulſis, & mox in cumulos congerebantur. Inde quædam inteſtinorum portiones impletæ, aliæ prorſus inanes, & arctè clauſæ perſtiterunt; inteſtinis verò valdè ſe contingentibus, cum expulſione contentorum modo dicto factum, ut inteſtini partes, quædam alicubi plus debito ampliarentur in ſacci morem, ita dilatatæ, ut intrà ſe receperint conſtrictas ejuſdem teſtini alias portiones vicinas, eaſque ſinu ſuo abſconditas, aliquandiu detinuerint, donec fibris ſe denuò exporrigentibus inteſtini pars una è latibulo alterius in priſtinam ſedem abiret*. Hac data intruſione inteſtini apparet occaſio inflammationis, in hac enim complicatione, ſeu intruſione, vel deſcenſu portionis inteſtini adeſt irritamentum dolorificum, vaſa etiam inteſtinorum complicantur, comprimuntur, & flectuntur, ut liber circulanti ſanguini non remaneat motus, ſed in flexura vaſis ſiſtit, unde inflammatio; & ita à quacumque cauſa occaſionali fiat Volvulus, ſemper eſt cauſa inflammatio-

mationis, prout aſſertum eſt ab Hippocrat. Quod comprobat febris magna omni Volvulo ſuperveniens inflammationis ſoboles, quæ à dolore ſine inflammatione abeſt, & ferè ſemper in defunctis ob Iliacum dolorem diſſectis obſervata gangræna præcedentem arguens inflammationem.

A data explicatione deducitur cauſa motus periſtaltici inteſtinorum immutati, cum vomitu humorum, alimenti, & ſtercoris. Nam omnis pars ſenſitiva irritata, ſui naturalis motus oblita, in motus irregulares, & inordinatos, quia ſpaſmodicos, erumpit, quibus irritans excutere conatur, & ad hoc tendit excandeſcentia, & impetus ſpirituum animalium in excuſſione irritantis conceptus; hinc eſt, quòd inteſtinum ab irritamento laceſcitum irregulari, & inordinato motu agitatum pervertit ſui motus periſtaltici modum à ſuperioribus ad inferiora, movendo ſuas fibras contrario modo, & cum majori vi inferiores partes ad ſuperiora motu irregulari propellendo, & poſito impedimento in cavitate inteſtinorum, facilis eſt talis perverſio motus, etiam ſine irritamento, quia motus periſtalticus inteſtinorum à ſuperioribus ad inferiora, ubi pervenerit ad impedimentum in inteſtino poſitum, cùm non poſſit hoc movere, & illi reſiſtat ex lege reflexionis motus cogitur retrocedere, movendo partes inferiores verſus ſuperiora, quòd ſi ab irritamento huic motui vires addantur, motus erit violentior, & cum conatu, & impetu valente quodcumque fluidum ſurſum propellere, vel quodcumque ſolidum fluido mixtum.

Ab eodem irritamento pendet dolor, quia hoc violenter agens in inteſtina ſenſitiva facit triſtem ſenſationem, in qua conſiſtit dolor; hic eſt circa præcordia, hoc eſt circa Hypochondria, ubi eſt ſitus Ilei, & Coli; præcordia enim quandoque ab *Hipp.* ſumuntur pro Hypochondriis, ut videre eſt *in lib. prognoſt. com.* 1. *part.* 27. Dolor inteſtinorum ad partes etiam ſpiritales, quæ propriè præcordia dicuntur, dilatari poteſt per nervos inteſtinorum, & plexus meſſenterii conſenſum cum nervis partium ſpiritalium, & præcordiorum conſervantes. Inflammatio, quæ in parte ſentiente nunquam à dolore ſeparatur, illum irritantis auget, ſicut febris inflammationis eſt productum, utramque ſitis ſequitur.

Inflatio ventris à materia contenta in inteſtino ſupra obſtructionem fermentante, & in vapores reſoluta, pro aliqua ſui parte pendet. Ab inflatione, anxietas, quia prohibetur libera expanſio, & depreſſio Diaphragmatis, & etiam quia in inflammatione læſi nervi inteſtinorum in conſenſum trahunt illos ventriculi, & diaphragmatis, cum quibus connectuntur, ab horum læſione anxietas.

Prædictum irritamentum eſt tale per exceſſum qualitatum primarium caliditatis, & frigiditatis, vel qualitatum ſecundarum, ſi excedat in amaritie, aciditate, ſalſedine, auſteritate. Ab aliis cauſis, & morbis Volvulum, vide *apud Bonetum in ſuo Polyanthe*.

Cauſæ externæ, ſunt, quæ tale irritamentum producunt, ut corruptio alimentorum in ventriculo ob nimiam eorum quantitatem ingeſtam, & præcipuè ſi uni corruptioni altera ſuperaddatur, renovata brevi crapula; de hac cauſa habet obſervationes *Foreſt. lib.* 21. *obſerv.* 19. *&* 20. *Ballonius conſil.* 63. *lib.* 1. Potio frigidæ poſt ſudorem magnum, ſubitò ſanguinem coagulando inflammationi initia ponit, & fuligines tranſpirationi deſtinatas comprimendo, & condenſando, irritans congregat. Hanc cauſam obſervavit in Ileo *Zacutus lib.* 2. *Prax. Hiſtor. obſerv.* 98. *Jachinus cap.* 96. Hæmorrhoides ſuppreſſæ, ut adnotavit *Ballonius loc. cit.* idem faciunt & menſes ſuppreſſi. Ex ira accendente ſanguinem, cum diſpoſitione ad inflammationem pariendam, bilis excandeſcentia, & motu, vidit Volvulum *Fulpius lib.* 2. *obſerv.* 41. Hernia inteſtinalis in inguine, ſcroto, & umbilico, Iliacum dolorem excitavit, ex *Hoffmano lib.* 3. *Inſtit.* §. 10. *Foreſt. obſerv.* 20. *lib.* 22. A venenis Ileum determinat; inter hæc ſunt, *Arſenicum*, *Emetica violenta*, *Fungi*; & à veneno admittendus Ileus contagioſus, ex relatione *Schenkii lib.* 3. & etiam ille *Endeminus in Inſula Jamaica*, de quo *Bartolinus cent.* 4. *epiſt.* 1.

Signa diagnoſtica ſatis clarè ſunt demonſtrata ab *Hipp. in cit. ſententia*.

Prognoſtica: *in cit. ſententia* habet, *Si Clyſteris infuſum ſuſceperit, & dimiſerit, ſanus fit; & in libr. de Coac. prænot. num.* 3. *Volvulus in urinæ ſtillicidio accedens, ſeptima die perimit*, quia morbus lethalis, ut eſt Volvulus, cùm urinæ ſtillicidio adjungitur; hanc ſententiam repetit *in aphor.* 44. *ſect.* 7. addendo ſupracitatæ ſententiæ, *niſi febris ſupervenerit*. Hæc ſententia ſupponit à febre reſolvi materiam Volvulum efficientem in urinæ ſtillicidio; hæc reſolutio non poteſt ſuccedere, niſi principio primo doloris, in quo febris non ſolet apparere, & ideò ſententia prædicta accipienda de febre ab affluxu humorum, & putredine, non de febre inflammationis ſocia. *In Volvuloſis vomitus, & ſurditas, malum, & aphor.* 10. *lib.* 7. *Ex volvulo, vomitus, ſingultus, aut convulſio, aut delirium, malum; & in libr. de affect. num.* 22. declarat morbum acutum, & periculoſum, ubi etiam habet: *Et ſi ſuſceperit* (loquitur de Clyſtere) *ſeceſſum emittit, & ſanus evadit; ſi verò non ſic ſuſceperit infuſum, moritur, maximè ſeptima die.*

Curatio petenda ab *Hipp. lib. cit. de morb.* 3. *n.* 15. & primò proponit purgationem ſuperni ventriculi, non per ſuperiora, ſed per inferiora, ne excrementa in ventriculo contenta vomitum accelerent, cum perverſione ſupradicta motus periſtaltici fibrarum ventriculi, & inteſtinorum, vel ne morbo augeſcente deſcendant ad obſtructionem augendam, & ut eodem tempore per purgationem inteſtinorum aperta via in inteſtino affecto ſervetur pro exitu humorum, & fœcum. Hanc purgationem citiſſimè faciendam conſulit Hipp. antequam tota inteſtini cavitas ſit obſtructa. Lenibus etiam medicamentis aggredienda, quia ſolùm humores, & excrementa in ventriculo contenta purganda; quod perficiunt lenitiva, & laxantia, *Syr. Roſ. ſol. Mel Roſ. ſol. Crem. Tart. cum Sacch.* & alia, cavendo à flatuoſis.

Secunda indicatio elicitur à natura morbi fundata in inflammatione, quæ exigit miſſionem ſanguinis; debetur etiam, quia, ut dictum eſt, ſupernus venter incaleſcit ob plenitudinem ſanguinis in eo collectam, quæ diminutionem expoſcit per venæ ſectionem; huic innixus indicationi ſanguinem detrahere jubet Hippocr. *à capite, & à cubitis*. A capite mittendus ſanguis, quia ubi venter ſuperior plenitudine ſanguinis redundat, caput, ob copiam vaſorum, ab hac magis, quàm aliæ partes læditur, ideò mittendus ſanguis à capite; quando venter ſuperior plenitudine ſanguinis premitur, mittitur vel à fronte vel à naribus, vel à jugularibus, & ab his miſſio ſanguinis eſt magis proficua; poſtea à cubitis ad minorandam plenitudinem in thorace, & partibus vicinis. In hac reiterata ſanguinis miſſione nos docet Hipp. ſanguinem in Volvulo eſſe in copia mittendum, & cenſeo aliud remedium in hoc affectu non valere, ob inflammationem, niſi ſanguinis miſſionem uſque ad animi deliquium, remedium certè periculoſum, ſed unicum, à quo poſſit expectari ſalus, cùm ſpiritus in dicta ſanguinis miſſione ad extremam paupertatem redacti fibras inteſtinorum, quas ſuo æſtu, fervore, & elaſtica virtute roborata contrahebant permittunt laxari, & extendi, ſpatium relinquendo in cavitate deſcenſui humorum, fœcum, & alimentorum. Hoc remedium innuit Hipp. in illis verbis, *Ut ſupra alvus* (ideſt venter) *caleſcere deſinat*; tantum enim ſanguinis detrahendum eſſe ſuadet Hipp. quantum ſufficit ad extinguendum calorem in ſuperiori ventre, ad quòd requiritur ſanguinis ad animi deliquium evacuatio.

Animadverſione dignum eſt hoc in morbo, in quo eſt inflammatio, præmittere purgationem venæ ſectioni, quando *in libr. de vict. rat. in acut.* agendo de curatione inflammationis, præmittendam eſſe venæ ſectionem purgationi imperavit; in caſu enim Volvuli adeſt neceſſitas purgandi fœces ſupra locum obſtructum exiſtentes, ne ad hunc locum deſcendentes, & exſiccatæ inſuperabilem reddant obſtructionem; quapropter ſententia *in libr. de rat. vict. in acut.* ſervanda, quando nulla adeſt neceſſitas præmittendi purgationem venæ ſectioni.

Non contentus Hipp. refrigeratione ventris ſuperioris facta per copioſam ſanguinis miſſionem, externa refrigerantia partibus ſupra ſeptum tranſverſum, excepta regione cordis, applicat, toti nempè thoraci, excepta parte

parte ſub mamma ſiniſtra, & media, ubi ſitum eſt Cor. A frigore calor excedens minuitur, vaſa contrahuntur, & anguſtiora evadunt, & conſequenter incapacia ad ſanguinis copiam recipiendam, cum excluſione inflammationis, & intenſionis calori, à frigore ſanguis condenſatus ab effervefcentia inflammationis prodroma præſervatur. In hunc finem, *Aqua Cicorei*, *Endiviæ*, *Lactucæ*, *Nenupharis*, *Sonchi*, foveri poſſunt dictæ partes petiis in eis madefactis.

Et quia dixit Hippoc. *Partes inferiores ventris frigeſcere*, ob defectum ſanguinis, ideò tertiam elicit indicationem has partes calefaciendi, imperando *Balneum aquæ calidæ*, *& Oleo ægrum illinire in eodem balneo*. Conſiderandum tamen in hujus remedii executione, an vires ſufficiant ad balnei tolerantiam; à ſanguine enim in copia extracto debilitatæ fuerunt, & in hoc caſu ſatis erit illinire ventrem inferiorem *Oleo Amygd. D. Liliorum alb. Camomillæ*, *Anethi*, & poſtea ventrem ſpongiis, vel linteis in aqua calida madefactis fovere; ſi verò vires conſtent, eodem balneo utendum. *Calefactoria* etiam *humida*, ideſt fluida, imperat, quia hæc magis penetrant; v.g. ℞. *Agni*, *vel Caſtrati inteſtina*, *& ventrem*, *bulliant in aqua cum Camomilla*, *Anetho*, *Fœnu-græco*, *Abſinthio*, *Baccis Lauri*, *& Aniſ. Cum ſpongia in hoc Decocto calido imbuta foveatur per multum tempus venter inferior*. Medici poſt Hippocratem uſi ſunt *Sanguine Veſpertilionis* ad lenienda Hypochondria, *& Oleo*, *in quo decoctæ fuerint exuviæ Serpentum*.

His præmiſſis, *alvi irritamenta* addit, & eſt quarta indicatio fęces expellendi, & *Glandem longam decem digitos* parat *ex Melle ſimplici*, *quam Felle taurino oblinit in ſummitate*, *& hanc in anum immittit*, *his*, *& ter hoc remedio eductionem fœcum combuſtarum circa rectum*, *& princeps inteſtinum* (hoc eſt Colon) *exiſtentium tentat*, ne hæ retentæ, & exſiccatæ augeant impedimentum eductioni fœcum ſupra locum inflammatum exiſtentium, & remediis parandis reſiſtant; ideò poſt glandem, ſi fęces hac fuerint eductæ, Clyſterem imperat ad integram fœcum eductionem, & à parte ſuperiori obſtructa, ſi poſſibile ſit; ſi verò non, *Cannulam follis fabrilis in anum immittit*, & flatum in ventrem impellit, ad hoc, ut ventris, & inteſtini contractio diſtendatur, & ſuperficies internæ inteſtini tunicæ ſe tangentes ab aere inſpirato ſeparentur, & dividantur, & etiam fœces à membranis inteſtinorum vi aeris amoveantur, extracto folle, Clyſterem injicit compoſitum, non ex calefactoriis, ſed ex eis, ut ait, *quæ ſtercora diſſolvunt*, *& colliquant*. Puto decocta laxantia, quæ communiter pro Clyſteribus adhibentur, eſſe talia, ſi iſtis Sal aliquod addatur, cùm emolliendo fœces eas diſſolvant, & Sal diſſolutione, roſione coadjuvar, nullo addito purgante, & irritante (quia cùm iſtis non valeret æger Clyſterem in balneo detinere, prout imperat Hipp.) excepto *Sale Gemmæ ad* ʒ. *i.* à quo fœces mirè diſſolvuntur; pariter *Sal Nitrum*, *& Mel* dicuntur fœces diſſolvere. Orificium ani obturat *ſpongia*, ne Clyſter exeat; ægrum, ſuſcepto Clyſtere, in aquam calidam imponit. & omni conatu Clyſterem retinere ſuadet, quia *Si hoc infuſum ſuſceperit æger*, *& rurſus dimiſerit*, *ſanus evadit*, ſunt verba Hipp. Signum enim habemus inteſtina naturali ſtatui eſſe reſtituta, quia ſuſcipiunt, & emittunt. De hoc modo curandi Volvulum locuti ſunt, & in praxi propoſuerunt, *Amat. Luſit. cent.* 1. *cur.* 100. *River. de Volvulo*, *Zacut. Luſit. lib.* 2. *Prax. admirandæ obſer.* 25. *Epiphan. Ferdinandus Hiſt.* 74. Hoc remedium eſt unicum in Volvulo à fœcibus induratis. *Hipp. in lib. de affect. nu.* 22. ubi proponit curat. hujus Volvuli, utitur fiſtula ad introducendum aerem in ventrem. In Volvulo, in quo pars ſuperior inteſtini ingreditur inferiorem, magis valet hoc remedium, quàm *globuli plumbei*, *& Mercurius*; quando pars inferior inteſtini ingreditur ſuperiorem, tunc magis proficui ſunt globuli plumbei, & Mercurius; ad diſtinguenda hæc duo, nullum aliud eſt ſignum, quàm primò experiri fiſtulam, poſtea globulos; valet etiam in inflammatione, poſt miſſionem ſanguinis modo dicto, quia ab impetu aeris ſubſidens tumor magis comprimitur, & decreſcit, locum in inteſtino reliquendo.

Volvulum ab induratis fœcibus curat *Hipp. cit. loco de affect. n.* 22. cum humectantibus extra, & intra, urinam moventibus, & alvum ſubducentibus, & per inſufflationem aeris in inteſtina cum fiſtula.

Diæta eligatur communis omnibus inflammationibus.

CAP. XXIII.

De Dolore Colico, *& aliis Doloribus Inteſtinorum*.

COlicum dolorem fuiſſe Hipp. & ſuis Succeſſoribus, uſque ad tempora *Tiberii Imperatoris*, incognitum, teſtatur *Plinius lib.* 26. *cap.* 1. ipſumque Imperatorem fuiſſe primum ab hoc dolore afflictum; quod confirmat *Scribonius Largius*, qui primus contra hoc ſymptoma antidota excogitavit, & deſcripſit, ad opem ferendam Imperatori. In cujus confirmationem accedit in Hippocratis Scriptis non inveniri hoc nomen Colici doloris, & multi addunt, neque in aliis Scriptoribus uſque ad tempora *Tiberii*, & ab iſtis ſolùm factam fuiſſe mentionem de dolore Iliaco, quem volunr eſſe doloris Colici intenſionem, & incrementum.

Verùm ponderando, quæ ſcripſit *Hippoc. lib.* 2. *de morb. num.* 67. *ſub titulo Morbi ructuoſi*, Colici doloris naturam, & eſſentiam, & proprietates videtur delineaſſe, quem locum Lectori ponderandum propono, ut judicium ferat, an Hippoc. cognitus fuerit Colicus dolor, nec ne. Verba Hippoc. ſunt: *Dolor corripit acutus*, *ac dolitat vehementer*, *& ſe ipſum jactat*, *& vociferatur*, *& frequenter eructat*, *& ubi eructavit*, *melius ſibi habere videtur*; *ſæpè etiam bilem evomit modicam poculi parvi menſura*, *& dolor corripit à viſceribus ad imum ventrem*, *& lateram mollitudinem*; *& hoc ubi factum fuerit*, *melius ſe habere videtur*, *& venter inflatus*, *& durus fit*, *& ſtrepit*, *& flatus non egreditur*, *neque ſtercus*. Ultimò ſubjungit: *Morbus hic*, *ſi juvenem corripiat*, *tempore decedit*, *ſi ſeniorem*, *commoritur*. Hæc ultima verba ſunt intelligenda de recurſu, & recidiva paroxyſmi Colici, quæ difficulter in Senibus prohibetur, ſed faciliter in Juvenibus, prout experientia demonſtrat. Acuties, & vehementia deſcripti doloris ſitus in imo ventre, ubi inteſtinum Colon extenditur, & in laterum mollitudinem (hoc eſt in Hypochondriis, quæ Colon cingit) flatus, & ſtercus impeditum repræſentant ideam, naturam, & proprietates doloris Colici, in quo non ſolùm fœces, ſed multoties etiam urina ſupprimitur. Nomen Colici doloris Hippocrati credo fuiſſe incognitum, non naturam ejus, quam in cit. ſententia expreſſam video, & ſaltem ideam Colici doloris à flatu, & à bile.

Unde definiri poteſt dolor Colicus *Triſtis ſenſatio acuta*, *& vehemens inteſtini Colon*, *ab irritante valido orta*.

Sedes hujus doloris determinata manet in inteſtino Colon, à qua diſtinguitur ab aliis doloribus. Non ad unam determinatam partem inteſtini Colon hujus dolor reſtringitur, ſed in omni parte inteſtini Colon ſuam ſedem habere poteſt; magnam enim extenſionem, & circumferentiam habet in ventre hoc inteſtinum: In dextero inguine incipit, ſupra, & citrà dexterum renem ſurſum aſſurgit, verſus Hepar, cui incumbit cum cyſti fellea, & ſub coſtis nothis in gyrum ductum transverſim fertur ad Hypochondrium ſiniſtrum, cujus magnam partem occupat; mox tamen diminutum contorquetur ad renem ſiniſtrum, in Hypochondrio ſiniſtro, indeque oſſi Ileo adhærendo, ad inguen ſiniſtrum pergit, ubi tandem ad hos Sacrum in inteſtinum rectum devolvitur. Quæcumque pars inteſtini Colon in prædicta circumferentia ab inguine dextero ad renes, & ab his ad inguen ſiniſtrum deſcripta continetur, ſi à cauſa irritante, & mordente afficiatur, erit ſedes doloris Colici. Unde pater error illorum aſſerentium Colicum dolorem ſolùm debere dici illum, qui in parte Hypochondriorum circa lumbos figitur, hancque partem cruciat.

Cauſam hujus doloris colligo *in cit. ſent. Hipp.* duplicem, bilem, & flatum; uterque dolorem efficit, irritando, vellicando, diſtendendo, & mordendo, prout definitio con-

continet. Ab irritamento, punctura dolorem fieri docuit *Hippoc. lib. de flat. num.* 14. ubi, loquendo de dolore facto à ſpiritibus, ſeu particulis ſubtilibus, ait: *Nam his* nempè ſpiritus, & flatus) *cùm contingit locos teneros inconſuetos, ac priùs intactos, quamadmodum ſpiculum infixum penetrans per carnem perrumpit, aliquando præcordia petens, aliquando illa, imò quandoque utraque ſimul adfligens.* Spiculum, irritans, pungens, eximiè explicat.

Bilem ſua acrimonia, ſuo ſale corroſivo irritare, nemo dubitat; quapropter ſi in aliqua parte inteſtini Colon figatur, & quieſcat bilis, mordendo, & corrodendo ſua acrimonia, & ſale partem, dolorem, cum triſti ſenſatione efficit. Facilis eſt collectio bilis in inteſtino Colon, in quo multæ cellulæ, & plicaturæ, ſeu rugæ ſatis profundæ reperiuntur, idoneæ ad humorem retinendum. Præter humoris biliofi acrimoniam, ad dolorem acutum, & vehementem requiritur convulſio fibrarum membranæ inteſtinalis, & nervorum per hanc purgatorum; à cauſa enim mordicante, fibræ dictæ in contracturas violentas, & dolorificas ſe contrahunt, tamquam ſi crampo apprehenderentur; ab hoc motu convulſivo, & corrugatione fibrarum violenta dolor acutus, & vehemens efficitur; hoc docuit *Hipp. in lib.* 7. *de morb. popul. nu.* 37. his verbis: *Convulſio facit dolorem*; & *lib.* 1. *de morb. n.* 16. *Cùm caro afflicta fuerit, aut convulſa, aut percuſſa, & plus ſolito perſiccata, incaleſcit, & dolorem exhibet*; & *in li.* 4. *de rat. vict. in acut. nu.* 27. ait: *Dolent morſa interna, morſæque, atque ad modum arefactæ venæ intenduntur*; & *in li.* 1. *præd. n.* 14. *Lumborum dolor convulſorium quidem habet.*

Ex hoc, quòd bilis mordicando, corrodendo dolorem Colicum efficiat, perſuademur admittere pro cauſa doloris Colici alios humores acres, & corroſivos, ut atram bilem, pituitam, acidam, & auſteram, à quibus adeò frequenter Hypochondriaci in dolores Colicos impelluntur; qui tunc atrocius inſurgunt, & per totum ventrem inferiorem dilatantur, quando convulſivi, & ſpaſmodici motus fibrarum nervearum, quæ per inteſtinum Colon diſſeminant, in ſuos motus ſpaſmodicos trahunt plexus nerveos, meſſentericos, quorum ſunt ramificationes. Hi plexus ſpaſmo affecti omnes ſuas ramificationes, quas ad alia inteſtina, & ad alias inteſtini Colon partes, ad renes, ad ventriculum diſtribuunt, in motus ſpaſmodicos trahunt; ex quo deducitur ratio doloris totius ventris, dolore fixo in una parte inteſtini Colon, vomitus, & etiam urinæ ſuppreſſæ ſpaſmodica affectione nervorum meſſenterii, & inteſtinorum communicata nervis ventriculi, & veſicæ, cum illis conſentientibus; de quo vide *Vvill. in tract. de nervorum uſu,* ubi agit *de plexibus meſſenterii.*

A flatu fit Colicus dolor, quando hic inteſtinum Colon, & præcipuè ejus cellulas ingreditur in tali copia, & motu, ut cum violentia diſtendat inteſtini membranas, & ejuſdem membranoſas cellulas, cum dolore violento, acuto, & vehementi, qui ſuccedit, quando diſtenſio eſt contermina lacerationi, quæ ultimus doloris acuti terminus exiſtit. Præter diſtenſionem, flatus ſpaſmodicos, & contractivos motus dolorificos excitant in fibris membranoſis, & nervoſis partis Colon diſtentæ, & diſtractæ, & præ diſtenſione, & diſtractione dolentis, à quibus motibus ſpaſmodicis dolor augetur, prout dictum eſt ſuperiùs. Motus hi ſpaſmodici à flatibus efficiuntur, quando acri, & mordente qualitate depravantur contracta à materia acri, & corrodente, à qua exeunt. Ab hujuſmodi qualitatibus vellicatæ, & morſæ fibræ inteſtini Colon in contractiones ſpaſmodicas, & dolorificas ſe contrahunt, eo modo quo tendines vellicati contrahuntur, cum paſſione dolorifica.

Hinc deducitur ratio impeditæ expulſionis flatuum per inferiora, quæ non poteſt fieri niſi à motu periſtaltico naturali inteſtinorum, à diſtenſione nimia fibrarum, vel à contractione earumdem interdicto; dum enim nimis diſtenduntur, ut non poſſint contrahi, vel nimis contrahantur, ut extenſio prohibeatur motus periſtalticus in contractione, & extenſione conſiſtens, ex neceſſitate ceſſat, & conſequenter expulſio flatus, & fœcum ſuſpenditur, donec à tali motu iſtorum expulſio perficiatur. A contractione excedenti, & præcipuè in principio, & extremo iſtius, ita anguſta redditur capacitas inteſtini, ut flatus pertranſire non poſſint; quod comprobat *Obſer. Volchii,* per quam in ſectione Colico dolore defuncti, totum Colon flatibus diſtenſum reperit, in inſertione verò cum inteſtino recto adeò contractum, ut ſimul coaluiſſe viderentur.

Etiam explicatur cauſa rugitus, ſtrepitus, & inflationis ventris; non exiens flatus retrocedit, in retroceſſione ſuperiores flatus movet, unde rugitus, & ſtrepitus, & quia ſemper magis flatus attenuantur, vel novi adduntur, creſcit eorum moles valdè diſtenſiva ventris, cum inflatione.

Cauſæ remotæ, ſunt, temperamentum bilioſum, & melancholicum, bilem, & acidum humorem generans, ſicut etiam diſpoſitio liquorem ſalſum progignens, ſicuti ventriculi propenſio ad acidam cruditatem; omnes res naturales, quæ poſſunt productioni ſimilium humorum contribuere, pro cauſa externa habentur: à frigiditate pedum Colicum dolorem, *Foreſt. lib.* 21. *obſer.* 4. in Fratre ſuo narrat; & idem aſſerit de Oſtreis; à quibus excitatus fuit dolor Colicus, *cit. obſer.* 7. & à caſeo duro Colicam, refert *Plater. lib.* 2. *pract.* Hæmorrhoides retentas, alvi excreta juſto diutius vi ſupreſſa Colicam excitaſſe, narrat *Foreſt. lib. cit. obſer.* 9. A retento crepitu, & flatu exitum quærente per anum, pluries obſervatum fuiſſe dolorem Colicum. Animi pathemata faciunt ad excitationem Colicæ, quia productioni dictorum humorum irritantium ſerviunt.

Inter cauſas Colicæ præternaturales numerantur etiam calculi, ex obſerv. *Horſt. li.* 4. *obſer.* 13. Curatum dolorem Colicum ab excretione lapidis, narrat *Benivenus c.* 5. A nummis aureis deglutitis Colicam, vidit *Bart. cent.* 2. *epiſt.* 60. & *Borellus cent.* 4. *obſer.* 25. A febre tertiana ortam Colicam, narrat *Horſat. li.* 4. *obſer* 14. & ab Hernia, *Lotichius li.* 4. & 6. In Scorbuto eſt frequens Colica.

Differentiæ principales doloris Colici deſumuntur à modo affligendi cauſæ: alius eſt dolor cum ardore, & calore valdè ſenſibili, & moleſto, bilis effferveſcens, vel putreſcens, vel acido ſucco mixta in Colon, eſt in cauſa; utroque enim modo copioſas particulas calidas, & acres, ex quibus componitur, emittit cum ardore, calore ſenſibili, & dolore partis, in qua reperitur. Dolor quandoque cum ſenſu frigoris in parte dolente cruciat, cujus cauſam puto eſſe eamdem cum cauſa frigoris in febribus, nempè oppreſſionem ſpiritus vitalis in parte factam, vel à copia materiæ, vel ab acido iſtius figente ſpiritus. Dolor quandoque eſt fixus, & velut à terebello pars perterebrari videtur; & dicitur dolor perterebrans, ab humore viſcido, acido, auſtero immoderato hujuſmodi dolor producitur; pituita vitrea, acida ſimiles dolores parit. Dolor eſt diſtendens, & velut dilacerans, & tunc eſt à flatibus. Dolor quandoque gravans præſentitur, velut à pondere parti dolenti impoſito; hic cauſam habet materiæ copiam cum craſſitie, ſine alia qualitate irritativa. Dolor torſionis eſt omnium acutiſſimus, quo inteſtina contorqueri, & velut convolvi videntur, & frequens eſt in inteſtino Colon, & oritur à convulſione, ſpaſmodica inteſtinorum contractione.

Signa diagnoſtica: dolor eſt, vel in regione renum, vel in circumferentia abdominis, inguini correſpondens; eſt dolor terebrans, & perforans; adeſt fœcum, ac flatuum ſuppreſſio, nauſea, ructus, & vomitus; aliquando conjungitur Dyſuria: in ſcorbutica Colica adeſt ſtranguria.

Signa diſtinctiva ab aliis doloribus, & præcipuè à Nephritico, cum quo magnam habet connexionem, ſeu ſimilitudinem, ſi ſit in latere, ſunt, quòd Colicus magis pungit, amplius ſpatium occupat, à paſtu ſedatur, renalis exacerbatur; in renali adeſt mutatio urinarum, in Colica nulla; in renali adeſt motus cruris impeditus, & dolor ad teſticulos perveniens, quæ à Colico abſunt.

Prognoſtica: per ſe non eſt lethalis, niſi ſuccedat inflammatio, & abſceſſus; ideò ſi febris ſuperveniat, timendus, & ſi ſit vehemens, itaut æger de ejus tolerantia deſperet. Apud *Panarolum Pentec.* 4. *obſer.* 50. habetur interitus à dolore Colico, Patricii Romani ſpatio decem horarum; aliquando Epilepſiam advocat, ut notavit *Hocfferus in Hercul. Med. pag.* 188. quæ converſa eſt in Cephalalgiam, Maniam, cum cæcitate. *Jonnerus in lib. obſer. p.* 93. obſervat Colicam in geminatam viſionem, & Epilepſiam tranſmutatam; aliquando in Pa-

in Paralyſim deſinit. Signa differentiarum patent ex dictis.

Doloris Colici à flatu curam delineat *Hipp. lib. cit. de morb. 2. num. 67.*

Primam indicationem ſibi proponit dolorem leniendi, dum primo loco ait; *Hunc, ſi dolor habuerit, multa calida lavato, & calefactoria ipſi adhibeto*, utrumque dolorem ſedat, flatus diſſipando. Ad imitationem Hipp. parantur balnea, ſeu potiùs inſeſſiones *in Lacte, cum Oleo Viol. & cum Decocto Pulegii, Anethi, Marrubii, Abrotani, Camomillæ, Meliloti, Sem. Aniſi, Fœnu-græci, Lini. Baccarum Lauri, Juniperi*. Si non poſſit fieri inſeſſio, cum eodem Decocto totus venter, & præcipuè in parte magis dolente foveatur cum ſpongiis, vel filtiis lini crudi in eodem Decocto immerſis per horam, & plus; poſt fomentum fiat inunctio, *cum Oleo Rutæ, Nardino, Camomillæ*, vel *cum Oleo Nucis moſcatæ, Garyoph. Macis*, adjuncto *Zibeto*, & ſæpè fomentum, & inunctio reiteretur, vel emplaſtrum applicetur *de Baccis Lauri*, vel factum cum *Mentha, Ruta, Chelidonia maj. Parietaria, Camomilla Rom. contuſis, cum Mel. & Vino generoſo in formam emplaſtri redactis. Saculus ex Milio, Furfure, Sale decrepitato, calefactis in ſartagine, & Baccis Lauri, & Floribus Camomillæ, calefactus, & parti appoſitus dolenti. Galbanetum Paracelſi*, cujus deſcriptionem vide apud *Schorder. & Etmull. in Schrod.* Fiat etiam *Empl. ex ſtercore Equino, cum Oleo Rutæ*. Hæc omnia ſunt calefactoria ab Hipp. laudata. *Cucurbitula magna* ventri applicata poſt fomenta, & inunctiones, ſi non ſedetur dolor, incantamenti inſtar dicitur dolorem tollere.

Si calefactoria externa ad flatus reſolvendos applicat Hipp. eadem ratio perſuadet interna ejuſdem activitatis; nec audiendi ſunt illi, qui horum uſum reformidant, nulla facta purgatione materiæ, à qua flatus elevantur. hac falſa ratione ducti, quòd à calidis in materiam agentibus major copia flatuum præparetur. Nam ſi flatus cauſa eſt calor debilis, ut probatum fuit de Ructu, calida augendo calorem flatus non excitabunt, imò hos reſolvent, cùm calor magnus, & robuſtus hos diſſiper, & materiam iſtorum reſolvat, conſumat, vel expellat. Exhibenda ergo flatus reſolventia interna, eodem tempore, quo externa in hunc finem applicantur.

In horum numero ſunt, *Decoctum ex Rad. Veronicæ* ℥. *ii. Helenii* ℥. *i. Camomillæ Rom. ad m.* ß. *in* ℔. *i. Vini generoſi vaſe clauſo, ad conſumpt. tertiæ partis paratum, & ad* ℥. *viii. exhibitum*, præmittendo bolum *ex Myrrhæ* ℈. *ii. Caſtorei* ℈. *i. cum Aqua Cinam. ſtill. F. B.* Vel

℞. *Cort. Aurantiorum* ℥. *ii.*
Quatuor Sem. calid. a. ℥. ß.
Granorum Juniperi ℥. *iii.*
contuſ. bull. in Aqua Camomillæ, vel Vino generoſo ad ℔. *i. ad tertias, facta colat. adde*
Spir. Carminativi Sylvii ℥. *ii. M.*

Spir. Anticolicus Hartmani. Spiritus ex Nitro, Tartaro, & Spiritus Vini deſcriptus ab Etmull. de Cardialgia. Oleum Roſmarini, Juniperi, Terebinthinæ chymicè extractum, Aqua vitæ Matthioli, ſunt miræ efficaciæ, ſi quodlibet iſtorum miſceatur cum Spiritu Nitri, & exhibeatur in decoctione Camomillæ Rom. vel Abſinthii, vel ligni Saſſafras, vel radicis Allii. Oleum Nucum à multis laudatur, cui poteſt addi aliquis ex dictis Spiritibus, vel præmitti *Theriaca, vel Mithridatum. Menthæ viridis decoctum flatus diſcutit, & ſi per tres dies omni menſe accipiat æger præſervat, decocto addantur Lauri teneriora virgulta areſacta. Marrubium in Vino mulſo decoctum* flatus tutò diſſipat. *Rhamni folia viridia contuſa in paſtillos redigantur, exſiccentur, exhibeantur ad* ℥. *i.* non febrientibus, *in Vino*, febrientibus, *in hydromellite*.

℞. *Bacc. Lauri n. viii.*
Piperis gr. vii.
Opopanacis ad quantitatem ciceris, ponantur in tribus cyathis aquæ, calida exhibeantur.

Vel

℞. *Abſinthii*
Piperis albi
Cymini ſyveſtris
Baccar. Lauri decorticat. } *a.* ℈. *i.*

pulv. ſ. & exhibeantur in aqua calida. Ovo ſorbili dematur albumen, ejus loco adde Oleum Olivæ, miſceatur benè, & exhibeatur. Decoctum fol. & flor. Roſmar. mirificè diſcutit flatus.

Si hiſce remediis, quorum uſus brevi horarum ſpatio expeditur, flatus non diſſolvantur, & dolor non ceſſet, ad ſecundam indicationem tranſit Hipp. quæ eſt evacuatio materiæ, à qua flatus ſubminiſtrantur, & hanc primò Clyſtere tentat, cujus medio facilis eſt evacuatio dictæ materiæ, cùm in inteſtino craſſo contineatur, ſicut eſt difficilis per Clyſteres evacuatio materiæ ſtabulantis in tenuibus inteſtinis. Ab hac indicatione fit manifeſtum Clyſteres proponi, ut ſerviant materiæ evacuationi, & flatuum diſſolutioni. Forma ſit:

℞. *Fol. Mercurialis*
Lauri
Camomillæ
Rutæ } *a. m.* ß.
Sem. Cymini
Aniſi
Baccarum Lauri } *a.* ℥. *ii.*
Fiat decoct. in aquæ comm. & Vini malvat. a. ℥. *viii. Col.*

℞. ℥. *x.*
Olei Nucis ℥. *ii.*
Rutæ ℥. *i.* ß.
Caſtor. ℥. ß.
Terebinthinæ Vitello ovi ſolutæ ℥. ß.
Benedictæ laxat. ℥. *i.*
Salis Gemmæ ℥. *i. M.*

Vel

℞. *Decoct. Carm. commun.* ℥. *x.*
Ol. Camomill.
Caſtorei } *a.* ℥. *i.* ß.
Diaphœnic. ℥. *i.*
Mel. Roſ. ſol. ℥. *iii. M.*

Si non cedat dolor, Clyſteribus deſcriptis addatur *Infuſum Antim. factum in aqua, cum Croco Metall.* vel *Vitro Antim. ad quantitatem trium unciarum.* Clyſter *ex decoct. Rad. Veronicæ, Baccar. Laur. & Gran. Juniperi, & Myrrh. in Vino, addito Ol. Amygd. dulc. ad* ℥. *iii. & Sale Gemmæ ad* ℥. *i.* Fit Clyſter cum urina pueri impuberis, cui addatur parùm fermenti, & in ea coquantur *Sem. Anet. Aniſi, Fœniculi, hujus Urinæ*

℞. ℥. *x.*
Mel. deſpum. ℥. *i.* ß.
Terebinthinæ Vitell. ovi diſſol. ℥. *i.*
Salis Gemmæ ℥. *i.* ß. *M.*

Sunt aliqui, qui reprobant tales Clyſteres, obſervatione facta multoties, vel nihil operari, vel dolorem exacerbare; ideò laudant magis Clyſteres cum Vino ſimplici, additis *duobus Vitellis ovi, & pauco Sacchаro*, vel *cum æquis portionibus Vini, & Olei Nucum, vel cum Oleo Olivarum ſimplici, vel cum Oleo Nucum.*

Si Clyſteres ſint inutiles, materiæ evacuationem per medicamenta aſſumpta experitur, ſed lenibus valdè utitur. *Mercurialis*, nempè coctæ ſucco, cui addit *Succum Ptiſanæ*; valida enim flatus agitando nocent, novos flatus ſuſcitando, & nativo, validoque irritamento inteſtinorum dolorem augent, nihil operando, prout experientia comprobat, quia ab acuto dolore contractæ valdè fibræ inteſtinorum, & cum iſtis vaſa ſanguiflua, nec humores recipiunt, nec effundunt, unde nulla purgatio; hac de cauſa documentum, & exemplum purgandi in doloris vehementia cum blandis medicamentis dedit nobis Hipp. Hoc exemplum ſecuti meliores Medici, pro evacuanda materia, in qua eſt flatuum minera, utuntur *Ol. Amygd. dulc. ad* ℥. *iv. cum* ℥. *i.* ß. *Mannæ El. vel* ℥. *i. Spec. Hieræ, cum Aqua totius Citri in bolum redactis, ſuperbibendo Decoctum in jure ex Malva. Crato* utitur *Ol. Amygd. dulc. rec. ſ. i. cum Vino malvatico, &* ℥. ß. *Sperm. Cet.* Hæc medicamenta interna, & externa flatus diſcutientia, & alvum laxantia alternatim reiteranda, donec dolor remiſerit. Valdè commendatur decoctio *Cicoreæ ſylv.* vel *Dentis Leonis, facta cum radice iſtorum, &* ℥. *ii. Rad. Lapathii maj. ſeu Rhaub. Monach. &* ℈. *ii. Sem. Fœniculi in aqua ad conſumpt. medietatis.*

Et tunc alteram elicit indicationem Hippocrat. alvum purgandi, dum ait: *Poſtquam autem dolorem*

 evome-

evomerit medicamento deorſum alvum purgato. Inter hæc valet *Mel. Roſ.* ℥. *v. cum Aqua Camomil. diſſolutum*, & poſt horam ℔. *iv. Aquæ Tetutii ſuperbibendæ*. *Mercurius dulcis* pro purgatione, & inciſione humoris craſſi peccantis omnibus medicamentis palmam arripit.

℞. *Pil. Aggregat.* } a. ℈. *i.*
de Agar.
Mercur. dulc. ℈. *i.*
cum Mel. Roſ. ſol. refor. Pil.

Vel

℞. *Mercur. dulc.* ℈. *i.*
Scammon. præp. gr. x.
cum mucilagine Tragacanthi F. P.

Hinc adnoto, vomitiva ab Hipp. ad uſum non vocari in dolore à flatu.

Diœta eſt, nihil dare durante dolore, vel parùm, ut jus ſimplex, vel decoctum Paſſularum, cum Cinamom. Poſt dolorem, pro præſervatione, eſt eadem cum illa de Ructus curatione deſcripta. *Pil.* ſupradictæ omni menſe acceptæ, magnam habent efficaciam in perſervando, in Vere, & Autumno etiam ad uſum reducendæ, præmiſſo aliquo ex dictis medicamentis flatum diſcutientibus, per ſeptem, vel octo dies; at cùm hic morbus à cruditate, & caloris imbecillitate oriatur, pro præſervatione ea convenient, quæ de cruditate acida corrigenda dicta ſunt.

Si bilis peccaverit, iſtius acrimonia attemperanda eadem methodo ab Hipp. propoſita; primò externis fomentis, ut

℞. *Decoct. Malv.*
Altheæ,
Parietariæ,
Violariæ,
Nymphea,
adde Aceti q. ſ. ad aciditatem, & ſpongiis fovenda pars dolens, vel venter.

Vel

℞. *Decoct. Papav. errat.*
Endiviæ,
Flor. Nymphea,
Nenupharis,
Hyoſciami, in Lacte,
adde Salis Nitri q. ſ. Fiat cum hac foment.

Cataplaſma ex farina Hordei, & ſem. Lini, cum Ol. Viol. valet. *Clyſteres* iniiciantur *cum Urina*, ut ſuperiùs dictum eſt; & *ex ſtercore Canis in Vino, & Lacte cocti, cum Ol. Papaveris, & Violarum, & Philonio Rom.* ʒ. *i.* paretur Clyſter. Si dolor ſit acutus, cum magno calore in parte dolente, ſanguinis miſſionem laudant multi ad prohibendam inflammationem, & opinio non eſt damnanda, ſi dolor non remiſerit. Interius exhibeatur *Emulſio Sem. frigid. major. & Papaveris albi, extracta cum Aqua Hordei ad* ℔. *i, Spir. Sal. Nitri* ℈. ß. *Laudani opiati gr. ii. M.* Opiata, bile deſæviente, ſunt efficaciſſima pro ejus attemperatione.

℞. *Aquæ Flor. Papaver. errat.* } a. ℥. *iv.*
Endiviæ
Acetoſæ
Succi Limonum ℥. *i.*
Salis Prunellæ ſ. p. ʒ. *i. vel Nitri puri* ʒ. *i. M.*

Sequens Pulvis, bile peccante, valet:

℞. *Cort. Aurant. ſ. p.* ℥. ß.
Ocul. Canc. } a. ʒ. *i*
Terræ ſigill.
Bol. Armenæ
Succini præp.
Margar. præp.
Salis Nitri puriſſimi ℈. *iv.*
Opii præp. gr. ii. ſ. p.

Hujus Pulveris ʒ. *ii. in Aqua Papaveris erratici exhibeantur*. Valet etiam *Spiritus Anticolicus Hartmani*, ratione nitri, cum decocto, vel ſucco herbarum refrigerantium. *Opiata* in doloribus acutis convenire, recepimus ab *Hipp. aphor.* 25. *lib.* 5. ubi docet, *Aquam frigidam dolorem articulorum ſolvere*, & reddit cauſam, quia modicus torpor dolorem ſolvit; opiata hunc torporem inducunt, conſequenter ex Hipp. admittenda; & frequens eſt uſus opiatorum in *Hipp.* qui etiam in medicina facienda commendat *ſpecifica*. In dolore Colico ſunt ſpecifica *Teſticuli Equi Vino malvatico loti, poſtquam in taleolas inciſi fuerint, in furno exſiccati, pulv. & ad* ʒ. *i. exhibiti, cum* ℈. *i. Pulv. Aniſ. in Aqua Camomillæ. Filipendulæ. Aqua diſtillata è glandibus Quercus, vel iſtarum Succus* commendatur pro arcano in Colica. *Talus Suillus uſtus, & Leporinus totus exhibitus in Aqua Pulegii, vel Fumariæ*, ſunt ſpecifica. *Fumaria major exſiccata, & in pulverem redacta à* ʒ. *i. ad* ʒ. *ii. in Vino, vel jure. Membrana nucleum nucis inveſtiens, vel cartillago dividens nucleum, exſiccata ad* ℈. *ii. in Aqua Carminativa; Radix Gentianæ ad* ʒ. *ii. in Vino albo*, Summè valent. Habetur pro arcano *Radix Conſolidæ maj. & Sigilli Salomonis ad Solem exſiccatæ, & in charta albæ involucro conſervatæ pulvis iſtarum in æquali portione* ʒ. *i. exhibetur in Vino per quatuor horas ante prandium, vel cœnam. Cœpa in Vino cocta, & umbilico in emplaſtri formam applicata*, ſedat dolorem.

Sedato dolore, purganda bilis cum *Syr. Roſ. ſol.* ℥. *v. diſſol. in Sero capr. depur. poſt horam ſuperbibendo Aquam Noceræ ad* ℔. *iiii.* vel *Infuſione Rhaub. ad* ʒ. *i. diſſolvendo in ea Mannæ elect.* ℥. *iii.* vel *cum Pil. Alephang.* ʒ. *i. Extract. Rhaub.* ℈. *ii. M.* Vel

℞. *Ol. Amygd. D. ſ. i.* ℥. *iiii.*
Vini malvat. ℥. *i.*
Syr. Papaver. ℥. ß.
Sperm. Ceti ʒ. ß.

Diœta, dixi ſuperiùs ex Hipp. ſit abſtinentia, vel ſimplex jus permittendum, vel *Decoctum Tamarindorum, & Paſſularum*, pro præſervatione refrigerans, & in uſu ſint ex Lacte parata fercula.

Si à bile, ut fieri ſolet, Colica convulſiva superveniat, fomentum, in hoc caſu, cum Cephalicis, & nervinis parandum; v. g.

℞. *Decoct. Roſmarini*,
Pulegii,
Origani,
Menthæ,
Rutæ,
Lil. Convall.

Hoc foveatur venter, & pars dolens, vel cum dictis ſimplicibus impleatur ſacculus, & immergatur in dicto decocto calido, & ventri applicetur.

Clyſteres ex *Lacte, Oleo Caſtorei, Lumbricorum, & Philonio Romano* adhibeantur. Quæ nervorum affectus ſpaſmodicos in Hypochondriaca, & Hyſterica affectione conveniunt, in dolore Colico convulſivo ſunt proficua. *Sclarea coquatur in Vino, huic percolato miſceantur flores Sulphuris* ʒ. ß. *Antim. Diaphor.* ℈. *i.* eſt remedium ſpecificum, ſicut *Zedoaria, cum Myrrha in Vino decocta*. Vel

℞. *Succcini præp.* ℈. *ii.*
Cranii hum. } a. ℈. *i.*
Corall. rub.
Antim. Diaphor. ℈. ß.
Caſtorei ℈. *ii.*
Myrrhæ ℈. *i.*
Aſſ. fœtid. ℈. ß. *M. cum Aqua Pulegii F. B.*

exhibendi cum *Aqua Flor. Papaveris errat. & Lilior. Convall. a.* ℥. *iiii.* Omnia *Diaphoretica*, & *Diuretica* conveniunt, non evacuatur humor in nervis hoſpitans melius, quàm per urinam, & ſudorem.

Alii dolores eodem modo curandi; nam cauſam habent, vel à flatu, vel ab humore acri, vel à convulſione nervorum in Hypochondriis. Sic dolor ardens à bile, diſtendens à flatu, cum torſione à convulſione curam expoſcit jam exaratam. Dolor algens, & perterebrans, quia à materia viſcida, & acida gignitur, requirit curationem per aromatica deſcripta in dolore à flatu, & per ea deſcripta in curatione cruditatis acidæ, ſed ſemper ea methodo præſcribenda remedia, quam Hippoc. dictavit. Urinam provocantia exhibet Hipp. in doloribus à labore, quæ videntur etiam propria in doloribus ab humorum fluxu. *V. Hipp. lib. de ſalub. Diœta nu.* 3. *& de affect. num.* 16.

CAP.

CAP. XXIV.

De Dolore Nephritico.

NEphritícis ex ſui ſignificatione inflammationem exprimit, communiter tamen accipitur pro dolore nephritico à calculo.

Nephriticum dolorem deſcribit *Hipp. lib. de intern. affect. num.* 15. *Dolor acutus incidit in renem, in lumbos, & in teſtem ſecundum renem ſitum* (hoc correſpondentem reni dolenti) *& frequenter mingit, & adſtringit paulatim, & urina ſupprimitur, & cum urina procedit arena, & ubi per urinæ meatum exit, urina dolorem fortem in meatu exhibet; cùm autem ipſam per urinam* (hoc eſt arenam) *ejecerit, dolor remittit. Poſtea verò rurſus in iiſdem doloribus jacet; cùm autem mingit, etiam colem præ dolore fricat; vulgus autem Medicorum, quod non intelligit morbum, ubi videt arenam, putat veſicam calculo laborare, at non veſica, ſed ren lapide laborat. Morbus fit à pituita, cum ren in ſe ipſum ſuſceptam pituitam, non demiſerit rurſus, ſed in ipſo in tophum concalluerit, & fiunt ex ea tenues lapilli, velut arena.*

Definire poſſumus dolorem renalem, dependenter ab hac Hipp. ſententia, *Triſtem ſenſationem partis ſenſitivæ renum, factam à calculo*. Eſt *Triſtis ſenſatio*, quia eſt dolor; & ſub triſti ſenſatione comprehenditur etiam dolor acutus, & vehemens. Pars ſenſitiva renum, ſunt uretheres, vaſa renibus appenſa, per quæ urina à renibus ſecreta defertur ad veſicam, & dicuntur partes renum, quia in ſua origine ſunt renibus appenſa, & urinæ à renibus ſeparatæ excretioni ſerviunt. Nulla alia pars doloris acuti eſt capax in renibus, quàm uretheres, quia membranoſi, & nervos à ſexto pari, & à lumborum vertebris ſuſcipiunt, ſubſtantia renum ſenſitiva quidem, ſed obtuſi ſenſus, ideò doloris acuti incapax.

Cauſa triſtis ſenſationis eſt calculus, ſua duritie, ſua aſperitate premendo, vellicando, magnitudine diſtendendo uretherem, dum per hunc tranſit; manifeſtum enim eſt, dolorem nephriticum non eſſe acutum, niſi quando calculus, vel arena conglobata per uretherem tranſit.

Calculi materia eſt dura, terrea, quia compacta ſaxeæ indolis, de cujus generatione variæ ſunt ſententiæ. Alii à facultate lapidifica, alii à ſpiritu lapidificante, alii à miſcella duorum liquorum contrariorum, quorum unus dicitur acidus, alter alkali, qui ſimul congredientes poſt conflictum, quem ratione ſuæ contrarietatis ineunt in unam ſolidam ſubſtantiam uniuntur; alii à quieſcentibus particulis rei fluidæ, unà cum æquali figura particularum acquiſita, per quam poſſunt omnes ſibi adhærere, & ex hac quiete, & adhærentia particularum corpora ſolida conſtitui volunt; alii à materia craſſa, à calore indurata. Quid de hac re ſenſerit Hipp. videndum.

In cit. ſententia cauſam calculi aperit *Hipproc.* in illis verbis: *Hic morbus fit à pituita, cùm ren ſuſceptam pituitam in ſe ipſum, non rurſus dimiſerit, ſed in ipſo in tophum concalluerit*, quòd idem eſt, ac obduruerit.

Pro declaratione hujus ſententiæ Hippoc. ſuppono, quòd certiſſimum eſt in urina naturaliter reperiri materiam tartaream, terream, tartaro Vini ſimilem, quam vel fundo, vel lateribus matulæ adhærere obſervamus; & eſt pars tartarea, & terreſtris ſanguinis, priùs in alimentis, & potu exiſtens, ex ſalis, & terræ particulis compoſita; tartarum hunc in humoribus probant pituita gypſea, & dentes ab hoc velut incruſtati, & lacrymæ, quæ in tenuiſſimas conſolidantur arenulas, imò cervorum lacrymæ in lapides conſolidantur; partes terreas, & fixas in liquoribus ſubtiliſſimis, & fugaciſſimis, reperiri, docet Chymia: Oleum Camphoræ, & Oleum Tartari, æqua portione diſtillentur igne valido, donec omne fluidum exeat, remanent in fundo fœces ignem violentum ſine mutatione tolerantes, & iſtæ fœces, vel iſtarum materia in minima diviſa præexiſtebat in dictis Oleis; ſimiles particulas in ſanguine minus ſubtili, & diverſis ſubſtantiis compoſito licet admittere, ſub nomine tartari apparentes, ut dicebam in urina omnium indiſtinctè, in dentibus, & tophis podagrorum, in pituita gypſea. Hic tartarus in maſſa ſanguinea, non diſtinguibilis, ſed in minutiſſimas particulas comminutus, cum cœteris humoribus fluit, accepta fluiditate à parvitate ſuarum particularum, & diviſione, ſeu potiùs disjunctione mutua earumdem, in qua disjunctione volunt Recentiores naturam fluiditatis conſiſtere; hac de cauſa arenulæ minutiſſimæ in Horologio inſtar aquæ continuo, & non interrupto motu fluunt, & pari pacto fluunt cum ſanguine dictæ minutiſſimæ particulæ tartari, non diſtinguibiles ob ſui parvitatem, & ob miſcellam cum aliis diverſæ conditionis, & eadem ratione urinoſo ſero conſignatæ, & fluunt cum eo, & non diſtinguuntur ab aliis particulis, quibus miſcentur, urina excreta, & quieſcente hæ particulæ tartari minutiſſimæ, à particulis urinæ diſgregantur, & ſeparantur, quia graviores particulis ſeri urinoſi, ideòque proprio pondere in fundum vaſis urinam continentis præcipitantur, & fiunt conſpicuæ in arenulis, & in tartaro unito. Hic fluxibilis, quia in minutiſſimas, & disjunctas particulas diviſus in lapidem, & duram ſubſtantiam minimè fluxibilem, & ſolidam tranſibit, ſi dictæ particulæ minutiſſimæ, & disjunctæ uniantur, & forti, ut ita dicam, vinculo ligentur; quod neceſſariò eveniet, ſi ab humido craſſo particulæ illæ minutæ excipiantur, & ſimul uniantur, & poſtea humidum exſiccetur; ab exſiccatione illa maſſa ſoliditatem, & duritiem contrahere neceſſe eſt, prout habemus ab *Hipp. li.* 4. *de morb. nu.* 28. ubi, explicando cauſam lapidis veſicæ in pueris lactantibus, ait: *Et puer, ſi de nutrice lac non purum ſuxerit, ſed bilioſum, prout dixi;* (in bile eſt ſal facilè concreſcens in lapidem, ut patet in lapidibus frequenter repertis in cyſti fellis;) *at ubi ſuxerit lac non purum, ſed terreum* (tartarum in lacte, & materiam in lapidem concreſcibilem deſignat, lapides enim non ſunt niſi terra cum humido viſcoſo exſiccatione indurata) *& pituitoſum, & habuerit puer venas à ventriculo ad veſicam tendentes amplas, ac attrahentes*. Et poſtea addit: *Siquid ſanè in lacte non purum fuerit id, quo veſica fruitur, lapis fit tali modo, velut in aqua non pura in calice; aut vaſe æneo turbata, & rurſus ſedata, fœx fit in medio acervata; ſic ſanè & in veſica de urina pura non exiſtente*. Et inferiùs ait: *Et à pituita cruda concreſcit, glutinum enim fit pituitam ad fœcem ammixta*. Totus textus videatur.

Vidi in Religioſo, urinam craſſam ſine ullo impedimento exire, & in copia naturali, quæ ſtatim refrigerata, tota in tophum, ſed friabilem condenſabatur, cujus cauſam exiſtimavi eſſe urinam cum humido viſcoſo, ſed à calore interno partium liquato; hoc tartari prædicti fluxibilis particulis ſaturabatur, & quamdiu in renibus, & veſica talis urina permanebat, dictæ particulæ tartareæ non erant conſpicuæ, ſed cum humido viſcoſo à calore liquefacto fluebant; Urina autem è corpore expulſa, & calore à viſceribus excepto expirato, materia viſcoſa condenſabatur, & particulas tartareas ſtringebat, in unamque maſſam friabilem tophaceam uniebat, & accedente exſiccatione neceſſaria ad arctam, & reſiſtentem unionem, tota urina in lapideam, & minimè friabilem ſubſtantiam coaluiſſet. Non eſt ergo dubitandum de materia tartarea, terrea, ſalina concreſcibili in ſanguine exiſtente.

Si contingat urinam in pelui renum aliquantulum morari, & pro eo temporis ſpatio particulas tartari præcipitari, & in ea quieſcere, vel particulas eaſdem magis craſſiores in ſolo tranſitu eamdem præcipitationem proprio pondere ſortiri, itaut aliqua portiuncula cumuletur, & huic ſuperveniat pituita craſſa cum urina delata, quæ à rene non dimittatur, ut ait Hipp. illa portio tartari inviſcatur cum hac pituita, & à calore renis agitata perfectè miſcentur, & unam, ſolidam, non fluentem ſubſtantiam componunt, quæ à calore renum exſiccata obdureſcit in lapidem. Idem etiam poteſt contingere, ſi primò pituita mucoſa, viſcida concreſcibilis in parva quantitate illabatur ad peluim renum, in eaque quieſcat, impedimentum ponens portioni urinæ, quæ detenta deponit in ipſa pituita particulas tartareas, vel terreas ſalinas, unde calculus modo ſupradicto.

In hoc ſenſu interpretata ſententia Hippocratis, omnem meretur veritatem, & ab hac interpretatione patet cauſa hæreditariæ indiſpoſitionis calculoſæ; requiritur enim indiſpoſitio organica, per quam motus urinæ in pelui

pelui retardetur, & organica laxitas orificiorum vaſorum pituitæ craſſæ, & viſcidæ exitum concedens; indiſpoſitio etiam ſanguinis, fœces aduſtas, terreas, cum ſale unitas cumulans, quæ & hæreditaria poteſt eſſe cum temperamenta totius à ſanguine pendentia, per multas ætates in una familia obſerventur, ſicut & indiſpoſitiones, & vitia partium organicarum. Hujuſmodi læſam organizationem notavit *Hipp. in cit. n. 28. de morb.* ubi habet, venas, quæ ducunt à ventriculo ad veſicam, eſſe amplas, & deſignat organizationem iſtarum læſam. Hic textus attentè legendus.

Cauſæ magis remotæ ſunt, quæ generationi tartari, & arenæ maximè ſerviunt, & eſt materialis, & efficiens; illa conſiſtit in fœce ſanguinis craſſa, terreſtri, quia particulis craſſis, & terreis referta, qualis eſt fœx vini, & omnium ſuccorum à fructibus, & herbis expreſſorum, à qua maſſa ſanguinis per tot digeſtiones, & philtrationes non eximitur. Efficiens eſt, calor ſanguinis has particulas craſſas, terreſtres adurens, in tartarum, & arenam reducens. Fœx vini, & aliorum liquorum, ſeu ſuccorum exſiccata, in materiam arenoſam abit. Hujuſmodi materiam habent omnia alimenta etiam liquida, ut vinum, à quo, non obſtante ebullitione, & fermentatione, tanta copia tartari ſegregatur; hujus portio ſemper remanet in chylo tranſeunte in ſanguinem, in quo conſervatur, & paulatim per urinam excernitur. Hæc materia terreſtris, arenoſa redundat præcipuè in eis, qui pituitam craſſam, viſcidam elaborant, & colligunt vitio ventriculi in ſua digeſtione deficientis, alimentorum partes craſſas comminuendo quidem, ut unà cum chylo venas lacteas ſubeant, & ſanguini miſceantur, diſpoſitionem verò neceſſariam ad mutationem in ſanguinem bonum, & alibilem non tribuendo. Hinc fit, quòd particulæ iſtæ in maſſa ſanguinis exiſtentes paulatim congregatæ tamquam ſimiles, & ob ſuam texturam facilè ad invicem adhæſibiles pituitam craſſam conſtituunt, à qua apprehenſæ particulæ tartari diviſæ, arenulæ formantur, & ſi hæ ad invicem à pituita colligantur, calculus formatur. Hanc pituitam in ventriculo Nephriticorum obſervamus in vomitu ſuccedente in actu doloris, & etiam abſente dolore. Ejuſdem collectionem in ſanguine, ab excrementis, ab urinis, & à depoſitione craſſa urinarum diſtinguimus, itaut dubium non ſit ventriculum fovere hunc morbum ſuis cruditatibus, & indigeſtionibus, quibus maſſa ſanguinis impletur excrementis tartareis, terreis, viſcidis, & craſſis, cùm verum ſit dictum *Hipp. in cit. text. 28. 4. de morb. Conſentiunt enim corpus, & ventriculus*, ideſt maſſa ſanguinis ſequitur conditionem chyli à ventriculo præparati. Hanc debilitatem digeſtionis coadjuvant alimenta difficilis digeſtionis, carnes bovinæ, ſuillæ, fumo maximè exſiccatæ, vel ſale conditæ; Lac, quia facilè corrumpitur, legumina, piſces ſaliti, Oſtreacea omnia; Caſeus, à cujus nimio eſu generatum lapidem in veſica obſervavit *Salmuth. cent. 2. obſer. 92.* ad magnitudinem ovi gallinacei; ex Lacte lapidem in veſica generari, docuit *Hipp. in lib. de Aer. Loc. & aqu. n. 23. & cit. lib. 4. de morb. nu. 28.* Vinum eſt ſuper alias cauſas efficax ad ſubminiſtrandam materiam pro calculo, ratione tartari.

Signa diagnoſtica ſunt deſcripta in ſententia Hippoc. ſupracitata. Diſtinctiva patent ex eis, quæ dicta ſunt de ſignis diſtinctivis Colici doloris.

Prognoſtica: eſt morbus periculoſus, quia inflammationes renum, & urinæ ſuppreſſionem inducere poteſt calculi permanentia in renibus, & ex dolore mors ſæpè ſuccedit, ſi ſit auctus, nec calculus ob magnitudinem exire valet. *Gravidæ calculo afflictæ moriuntur*, ut obſervavit *Panarolus Pent. 3. obſer. 8.*

Hipp. in loc. cit. de intern. affect. n. 15. curationem auſpicatur ab indicatione à dolore deſumpta, qui ſui mitigationem, & ablationem indicat, quam aggreditur *fomento*. Habet enim: *Huic cùm ſic habuerit, cum Scammonii Succo, aut ipſa radice, fomento prius adhibito, totum corpus purgato.* Purgationi præmittit fomentum, quo in omnibus doloribus pro eorum ſedatione utitur. Fomentum parari poteſt ex *decoctione Parietariæ, Violariæ, Malvæ, Altheæ, Meliloti, Fœnu-græci*, & ſpongiis, vel filtiis lini crudi in hoc Decocto calido madefactis partem dolentem continuò fovere. Eodem Decocto parandi Clyſteres, quos dolori demulcendo inſervire, praxis comprobat. *Emplaſtrum de Meliloto, Unguentum Dialtheæ* convenit; ſed inter cætera præſtat *Cratonis Emplaſtrum*:

℞. *Cancros fluviales. n. x. quos contuſos coque in Lacte, & ab eis coctis ſuccum fortiter exprime; adde*
Succ. medullæ panis ℥. *iii.*
Vitell. ovor. n. iii.
Butyri rec. }
Ol. Camomillæ } *a.* ℥. *i.*
Croci ℈. ß. *M.*

Cataplaſma applicetur parti dolenti. Fit etiam Cataplaſma *ex Succo Cancrorum*, eodem modo parato, & cum *Parietaria* minutim inciſa mixto ad ignem redigitur in formam Emplaſtri.

Secundam indicationem deſumit ab excrementis, præcipuè in primis viis ſtabulantibus, & quibus dolori nephritico ſubjecti abundant. Hæc indicatio reſpicit iſtorum expurgationem, quia à dolore agitati ſuis pravis, & irritativis qualitatibus hunc augent, & ſanguinem ad æſtum, & fervorem cum periculo inducunt, ideò *Succum Scammonii*, vel *Radicem iſtius* exhibet pro purgante blando; notat enim *Meſue, & Dioſcorides, Scammoneam Antiquorum in purgando, adeò mitem extitiſſe, ut ad ʒ. i. exhiberetur, ſine periculo*, qua doſi *Rhaub.* utimur, quod mite, & blandum purgans cenſetur; cum dictis ſtat *Falopius lib. de ſimplic. medicament. purgantib.* quare documentum reliquit Hipp. nobis, in dolore nephritico leni, & miti medicamento purgante utendum eſſe; quod confirmavit, quando dixit, *Vel radice Scammonii purgandum eſſe*; hæc enim magis blandè purgat, quàm ejus ſuccus. Cùm hac Scammonea careamus, aliis conſimilibus utendum remediis, inter quæ uſu probatum eſt *Terebinthinam*, & *Rhaubarbarum* ſimul mixta multùm prodeſſe.

℞. *Terebinthinæ puræ* ℥. ß.
Rhaub. ʒ. *i. ſ. p.*
Succini præp. ℈. *i. M. cum Ol. Terebintb. F. B.*
Vel
℞. *Rhaub. El.* ʒ. *i.* ß.
Sem. Viol. ʒ. *iii.*
Cinam. ʒ. *i.*
infundantur in ſ. q. Aquæ Endiviæ per noctem, facta colatura adde.
Terebinthinæ, Vitello ovi diſſolutæ, ℥. ß. *M.*

Tertiam indicationem ad doloris ſedationem majorem dirigit, & ad cauſæ ablationem, promovendo urinam blandè, & huic ſatisfacit *Succo Cicerum alborum ad congios duos*, addito *Sale*. *Ciceres albi*, & leniunt dolorem, & urinam promovent; addit *Sal*, quia aperit, incidit, abſtergit, & urinam provocat: hoc probant Chymici, qui *Spiritu Salis* ad urinam promovendam utuntur. Pro hac indicatione exequendam, innumeris remediis anteponendum *Decoctum à Foreſt. deſcriptum lib. 24. obſer. 16.*

℞. *Sem. Malv.* }
Althea } *a.* ʒ. *iii.*
Sem. quatuor frigid. maj. a. ʒ. *ii.*
Hordei ℥ *ii.*
Jujubarum pinguium n. viii.
Sebeſten n. vii.
coquantur in aquæ ℔. *iii. ad dimidiæ partis conſumpt. colatura detur, cui ſi addantur Semina Dauci, Hyperici, Grana Juniperi*, ad calculum pellendum magnæ efficaciæ remedium parabitur. *Thymæus*, ad Hippoc. exemplum, huic Decocto addit *aliquot guttas Spiritus Salis communis dulcis*. *Decoctum Sem. & folior. Altheæ* dolorem lenit, & calculum expellit. *Oleum Amygd. dulc. rec. ſ. i.* etiam optimum. Poſt purgationem admittitur communiter venæ ſectio, ob rationem de Colica dictam.

Quartam indicationem deſumit Hippoc. à doloris extirpatione per remotionem cauſæ, cum *Balneis*, & cum *Diureticis medicamentis*. Balneum *Olei communis* primum locum tenet, ſecundum, balneum *decoctionis herbarum emollientium, & laxantium*, non quia laxent vias, per quas calculus tranſire debet ultra earum naturalem capacitatem, ſed quatenus acrimoniam tollunt, & dolorem leniunt, quo lenito, tolluntur dolorificæ contractiones, & criſpaturæ vaſorum, à quibus multum

cavi-

cavitas illorum, per quam tranſire debet calculus, coarctabatur, & hoc modo dicetur via dilatata ab emolliente, & laxante medicamento. Tertium, balneum *Aquæ communis tepefactæ*. Quæ urinam movent, enumerat *li.2. de Diæta n.* 14. Præter illa ab Hipp. recenſita, experientia alia manifeſtavit non inferioris conditionis; pauca, inter innumera, ſeligam, nempè: *Sem. Dauci*, *Lappæ maj. a.* ℥. *i. pulv.* & exhibeantur *cum decoctione Ononidis in vino. Fructus Cynosbatis Saccharo conditi*, vel *in pulverem redacti ad* ℥. *ii. cum Vino malvatico* ℥. *iii. Succi Limonum* ℥. *i. & Sacchar. cand. ſ. p.* ℥. ß. *Arilli in Cynosbate contenti, ſeparati, exſiccati, in pulverem redacti, in vino ad* ℥. *i. exhibetur pulvis*, & eſt magnum arcanum pro expellendo calculo; ſicut *Vinum, in quo infuſæ fuerint per noctem Baccæ Juniperi contuſæ. Alchekengi fructus*, quocumque modo exhibiti, vel *in pulv.* vel *in eſſentia*. vel *in ſucco*, cum *decoctione foliorum, & Baccarum Hederæ terreſtris. Millepedes præparati ad modum Augenii ad* ℥. *i. cum decoctione Armoraciæ, ſeu Raphani ſylveſtris, in Vino*, eſt arcanum. Vel

℞. *Baccar. Hederæ*
Granor. Juniperi } *a.* ℥. ß.
Cicer. rub. m. ß.
Cort. Fraxini interioris ℥. *i.*
bull. in ℔. *duabus aquæ, & Vini ſimul vaſe clauſo, lento igne, ad conſumptionem medietatis, coletur, adde colaturæ*
Spir. Terebinthinæ ℈. ß.

In caſu deſperato, *Pellicula interior ventriculi Gallinarum menſe Februarii extracta, Vino malvatico lota, in furno lento calore exſiccata, & in pulverem redacta, ad* ℥. *i. exhibita in decocto Parietariæ, Sem. Lappæ major. & grana Milii ſolis*, eſt magnum ſpecificum. *Cantharides præparatæ ad gr. v. in aceto, vel Vino acido, à quo virtus illarum corroſiva enervatur. Crura, & pedes Galli exſiccati, in pulverem redacti, ad* ℥. *i. exhibetur pulvis in Vino decoctionis rad. Tormentillæ. Urticæ mortuæ fol. m.* ß. *infundantur per noctem in* ℥. *vi. Vini albi generoſi, manè facta colatura exhibeatur ægro; remedium reiteretur durante dolore, facta nova infuſione. Anſerinæ folia ad m.* ß. *bull. in Vini* ℥. *vi. ad conſumpt. medict. manè jejuno ſtomacho Vinum bibat æger, reiterandum remedium uſque ad lapidis excretionem. Hoc Vinum per duodecim dies ſumptum frangit lapidem veſicæ. Radix Raphani minutim inciſa, infund. in* ℥. *iii. Vini malvatici, Soli exponatur, vel in loco calido conſervetur per* 15. *horas, poſtea coletur Vinum, huic adde* ℥. *ii. Aquæ Milleflorum. Aquæ Fragarum, huic* ℥. *ii. Pulv. Rad. Virg. Aureæ* ℥. *i. Succi Limonum parum, Sacchari q. ſ. ad gratum ſaporem, exhibeatur ægro manè jejuno ſtomacho, ante cibum per quinque horas, & reiteretur per* 12. *dies*; hoc remedio, non ſolùm calculus renum expellitur, ſed lapis veſicæ conteritur. *Aqua Milleflorum, eſt aqua deſtillata è ſtercore Vaccarum, & Bovum in menſe Maii collecto, quando herba viridi veſcuntur; ſtercus colligendum in die ſereno*. Hæc ultima quatuor remedia, ſunt arcana in calculo renum expellendo, & pro perſervando.

Advertendum, quæcumque exhibentur pro expellendo calculo, eſſe adhibenda per horam ante balneum.

Si iſtis non cedat dolor, calculus non expellatur, lavare, ideſt balneare multa calida ægrum Hipp. jubet, *& tepefactoria*, hoc eſt fomenta, *qua parte maximè dolet* applicare, itaut & balneum, & fomentum ſit unicum remedium, in quo caſu retinenda ſuperiùs dicta.

Pro præſervatione commendatur *Capitulum Alli minutim inciſum, in Spiritu Juniperino infuſum, ſingulis noviluniis aſſumendum*. Vel

℞. *Sem. Hypericonis*,
Urticæ,
Dauci,
pulverizentur, & cum Terebinthina F. B. & per quindecim dies aſſumantur ℥. *ii. manè jejuno ſtomacho*, deinde omni ſeptimana una vice, per aliquot menſes. *Lapis Lyncis, Spongiæ, Judaicus, Cancrorum oculi. Matrisperlæ, Sem. Dauci a. quantum vis, cum Terebinthina excipiatur*, eodem modo exhibeantur. *Aqua diſtillata ex Periſcaria, & ſuper alia folia ejuſdem Periſcariæ cohobata multoties, à calculo perſervat ad* ℥. *iii. ſumpta per duas vices in hebdomada. Aqua Betulæ* prædicatur ab *Helmontio* pro arcano in præſervatione à calculo. Purgatio omni menſe facta cum *Pil. de Charabe Cratonis*, & etiam *Maſticinis* perſervat.

Maximè notandum eſt, quòd ſubjungit *in fine text. Hipp.* per hæc verba: *Cùm autem intumuerit, & elevatus fuerit* (ideſt tumor, in regione renum obortus fuerit) *ſub id tempus renem ſecato, & extracto purè arenam per urinam cientia ſanato. Si enim ſectus fuerit, fugæ* (hoc eſt ſalutis) *ſpes eſt, ſin minus morbus homini commoritur*. Supponit Hipp. in dolore nephritico tumorem fieri in regione externa renum, cujus ſuppuratione ſalus ægro eveniat, & hac non eveniente, vel neglecta, ægrum interire; idcircò accuratam hoc exigit obſervationem. Sint ergo oculati, & attenti Medici nephriticum dolorem curantes, & eveniente caſu ſuppurationis, utantur opera Chyrurgi. De calculo expulſo, & extracto à tumore ſuppurato in regione lumborum meminit *Fernel lib.6. Patol.* Hunc tumorem crederem à multitudine ſanguinis per dolorem collecta in regione circa renem, à quo tumore, compreſſione, vel halitu moleſto prohibeatur actio renum pro expulſione calculi; quapropter tumore ſuppurato, facilis evadet per medicamenta calculi expulſio.

Diæta ſit cum cibis optimi ſucci, & facilis digeſtionis, fugienda omnia alimenta, quæ craſſos, viſcidos, tartareos humores generant. Vinum generoſum, craſſum rejiciatur; tenue, aquoſum eligatur.

CAP. XXV.

De Urina Sanguinea, & purulenta, & Renum Suppuratione.

ALios Renum dolores deſcribit *Hipp. in cit. lib. de intern. affect. n.* 16. 17. *&* 18.

Primus eſt dolor à ſanguine in copia congregato in venis renum, itaut præ copia venæ rumpantur, & renes ſanguine repleantur; à plenitudine diſtendente, à ruptione vaſorum, à copia ſanguinis premente, & irritante principium vaſis uretheris maximè ſenſitivi fit dolor, ſicut fit à calculo. In hoc dolore exit urina ſanguini mixta, & progreſſu temporis pus; hæc omnia continetur *in n.* 16. *ſupracit. li.* ubi habet: *Dolores fortiter premunt velut in priori* (ideſt in calculo, & arena multa.) *Fit autem morbus è labore, cùm ruptæ fuerint venæ tendentes ad renem, & poſtea ſanguine ren repletus fuerit. Hic, ubi hæc patitur, cum urina ſanguinem mingit in principio morbi, deinde progreſſu temporis pus*. Per hæc verba deſcribi patet urinam cruentam, & purulentam, excludendo mictum ſanguinis evenientem poſt evacuationes ſuppreſſas menſium, vel hæmorrhoidum, cùm talis fluxus non ſit morboſus, ratione evacuationis ſanguinis, quia hic ad excretionem deſtinatus erat, ſed ſolùm ratione viæ inconſuetæ tali excretioni debeat dici morboſus; quandoque viſus eſt ſanguinis fluxus per renes periodicus, qualis erat ille menſium, & hæmorrhoidum, ut obſervavit *Foreſtus li.* 24. *obſer.* 7. *& obſer.* 9. *& Salmuth. cent.* 3. *Hiſt.* 43. animadvertit mictum ſanguinis periodicum ad formam menſtrui fluxus in mulieribus, qui cohibitus fuit cum morte patientis, & excludendo criticas evacuationes ſanguinis per urinæ vias à natura factas; de qua effuſione ſanguinis exemplum habet *Zacut. Luſit. li.* 2. *Prax. admir. obſer.* 69. in febre ardente ſanguinis mictu extincta. Pleuritides etiam ſanguinis mictu curatas, obſervavit *Hildanus cent.* 2. *obſer.* 31. *& Schenkius li.* 2. *obſer.* 20. ſimiles enim evacuationes ſunt in patientis beneficium. *Hippoc. in hoc text.* loquitur de fluxu ſanguinis à renibus, per ruptionem venarum, & de urina purulenta ſine ulcere renum, ſed à ſola ſuppuratione ſanguinis renem implentis, ut loquitur Hipp. hæc repletio poteſt intelligi de cavitate, & de vaſis renum, & utrobique ſanguis ſtagnando in pus convertitur, quod paulatim per urinam excernitur, & urina fit purulenta, excluſo ulcere; quod colligo ab illis verbis textus, *Hic ſi quietem corporis habuerit, celerrimè ſanus erit*; ſi pus eſſet ab ulcere, ſanitas tam citò non adeſſet, pus ergo ab alia cauſa, quàm ab ulcere, nec altera poteſt aſſignari, quàm ſanguinis in cavitatem renis extrava-

ſati ſuppuratio, & docemur poſſe, urinam ſanguinolentam, & poſtea purulentam fieri ſine ulcere renum, ſed per præciſam ſuppurationem ſanguinis à rupta vena in ſubſtantiam renum depoſiti: docemur pariter, per ruptam venam non intelligere Hipp. venam corroſam, vel laceratam: hoc enim patiente vena neceſſarium eſt ulcus in ea, quia eſſet diviſa, & in ſuperficie diviſionis ante iſtius unionem ſuccederet pus, quomodo ſuccedit in vulnere; ſed per ruptam venam intelligenda eſt potiùs arteria in parte ſui orificii aperta, ſanguinemque in ſubſtantiam renum cum urina effundens.

Cauſa hujus affectus, aliam non aſſignat, niſi extrinſecam, laborem nempè; per hunc incaleſcit ſanguis, efferveſcit, & rareſit, vaſaque implet, & diſtendit, & ſi in labore partes circa renes, & lumbos magis exerceantur, venæ iſtarum partium diſtenduntur magis, & implentur, quàm in aliis partibus. A diſtenſione vaſorum, venarum, arteriarum, nervorum, membranarum, unà cum uretheribus reni annexis, fit dolor ille acutus deſcriptus, ſimilis illi à calculo, & eò magis ſi ſanguis acrimonia præditus ſit. Ab eadem plenitudine diſtendente, & ab impetu ſpirituum ſanguinis venæ rumpuntur, ideſt aperiuntur, cum effuſione iſtius, qui quamdiu fluiditatem ſervaverit, urina cruenta evadet, ubi verò concreverit, in pus vertitur, quod cum urina excretum, hanc purulentam facit ſine ulcere; quod confirmatum habemus ab *Hipp. lib. 1. de morb. n.12. Cùm vena convulſa rupta fuerit, ſanguis effuſus putreſcit, ac ſuppuratur.* Nec *Hipp.* quando *in cit. text.16. de int. affect.* dicit, *Si autem concreverit ulcus*, loquitur de ulcere renum, ſed de ulcere, hoc eſt vulnere per ſectionem facto, ut patet ex verbis ſubſequentibus.

Ab hac cauſa, nempè à labore, effuſionem ſanguinis per urinam efficiente, modo dicto, erudimur, omnia ea, quæ plenitudinis vaſorum in renibus poſſunt eſſe cauſa, hanc effuſionem etiam efficere; hinc diuretica valida cum ſero, ſanguinis copiam ad renes ducentia, plenitudine renes vitiare poſſunt; ſicut Vini generoſi, & Spiritus Vini nimius potus, quia urinam copioſè movent, & copiam ſanguinis ad vaſa renum ducunt, à qua implentur; equitatio, ſaltus, curſus, luſus parvæ pilæ, defatigatio in Veneris exercitio, à quo quandoque viſus eſt fluxus ſanguinis per vias urinæ, quem adnotavit *Foreſt, li. 24. obſer, 9.* implentur enim vaſa in genitalibus, & in rene ſanguine ab œſtro venerea ad has partes vocato.

Quoad ſigna diagnoſtica, hæc deſcripta ſunt ab *Hipp. in præd. ſententia*. Prognoſtica, quæ eliciuntur ab Hippoc. mala; *in fine* enim *ejuſd. text.* habet: *Hic morbus gravis eſt, & multi ex ipſo ad tabem renalem devenerunt*. Curationem tamen admittere, & facilè, colligimus à verbis ſuperioribus, quæ ſunt: *Hic ſi quietem corpore habuerit, celerrimè ſanus erit*; ex quibus habemus morbum eſſe dubium, & in principio benè tractatum admittere curationem, contemptum verò ad interitum tendere.

Pro curatione deſcripti affectus, licet animadvertere plenitudinem, & redundantiam ſanguinis in vaſis ſanguifluis renum reperiri, à qua venæ rumpuntur, ſeu aperiuntur; & labor non eſt, cauſa hujus morbi, niſi ob hanc plenitudinem, quam in vaſis renum cumulat.

Ex præceptis univerſalibus *Hipp.* & præcipuè ex 3. *aphor.1. ſect.*. habemus, omnem plenitudinem eſſe ſtaſtim ſolvendam venæ ſectione, quia nullum remedium eſt, quod ſtatim plenitudinem ſolvat, niſi venæ ſectio; hoc præceptum extendendum eſſe ad plenitudinem particularem alicujus partis; docuit pariter, quando in inflammationibus, quæ ſemper cum plenitudine particulari conjunguntur, ſectionem venæ exercuit. Stante hoc præcepto, & plenitudine vaſorum in renibus manifeſta apparente, prima indicatio erit mittendi ſanguinem in hoc affectu, menſurata quantitate à temperamento, ætate, virium robore, & plenitudine.

Secundam indicationem elicit Hipp. à cauſa, cujus remotionem molitur per contrarium. Cauſa fuit labor, quietem huic contrariam imperat, & talis efficaciæ hanc judicat, ut citiſſimam ſanitatem ab hac ſibi promitat, & magna cum ratione; nam ſi labor plenitudinem effecit, hac dempta per ſanguinis miſſionem, & ſuccedente quiete, nova plenitudo non eſt timenda, ſed per quietem prohibenda; quod citiùs, & tutiùs aſſequemur, ſi poſt ſectionem venæ ſanguinem ſiſtentia, quæ de vomitu ſanguinis, fluxu Hæmorrhoidum, & Dyſenteria dicta ſunt applicentur.

Tertia indicatio, à dictis de exiſtentia ſanguinis coagulati in renibus connotat, diſcoagulandum eſſe, ut pus impediatur, & ſanguis fluidus factus exeat ſuppuratione impedita. Diſcoagulant ſanguinem *Oculi Cancror. Mumia; Antim. Diaphor. Coagulum Leporis, Sanguis Hirci, Sperma-Ceti, & Decoctum herbæ Bellidis cum flore rubro*, cui ſi addatur *vel Sanguis Hirci, vel Sperma-Ceti*, pro infallibili diſcoagulante decantatur. Alii utuntur *Tinctura florum Bellidis, extracta eo modo quo extrahitur Tinctura Roſarum*. Adnoto, diſcoagulantia adſtringentibus ſanguinem præmittenda, quia per hæc coagulationem contumaciorem ſuſcipiet ſanguis, & in veneni naturam degenerabit.

Sanguis coagulatus in rene, & etiam in extremitatibus vaſorum, ſi ſuppuratur, & in pus degeneret, aliquando circa ſpinam intumeſcit æger, hoc eſt tumor fit in parte externa correſpondenti regioni renis affecti, & talis tumor à multis Practicis obſervatus fuit, & de eo loquuntur.

Hic fit ob collectionem puris in muſculis renibus conjunctis, ut patet ab exitu puris in diſſectione tumoris. Quomodo colligatur pus renum in parte externa illis contigua, non poteſt explicari, niſi vel quia à pure corroſus ren, per apertum foramen materiam purulentam in partes contiguas transfundat, vel per renum poroſitates in hos tranſcoletur, vel per metaſtaſim à renibus ad contiguos, & adhærentes muſculos expellatur; quonam ex his modis tumor prædictus ſuccedat, facilis eſt deciſio ab illis Hipp. verbis, *Siquidem ſucceſſerit ſectio, è veſtigio ſanum facies*; ſi renes eſſent corroſi, vel perforati, non poſſet dici *è veſtigio ſanum facies*; multum adhuc operis perficiendi relinqueretur in ulceris renalis ſanatione, & ſolùm verificatur ſtatim *ſanum facies* in hoc caſu metaſtaſis, ſeu depoſitionis puris à renibus ad muſculos contiguos, quia extracto pure in muſculis exiſtente, & clauſo foramine ab arte facto, æger ſanus reſurgit; hæc depoſitio poteſt fieri per vaſa ſanguiflua his partibus, nempè muſculis lumborum, & renibus, communia. De hujuſmodi abſceſſu locutus eſt *Hipp. aphor. 36. ſect.7.* nec novum eſt naturam materiam morbificam in una parte exiſtentem, ad longinquam etiam tranſmittere cum ſolutione morbi. Dolor in parte externa regionis renum, hujus metaſtaſis præludium.

Curationem hujus tumoris, & prædicti affectus renalis auſpicatur Hipp. à ſectione tumoris, nulla facta præparatione, quia jam pus eſt factum, & collectum, quando tumor apparet. *Hunc uti ſic habuerit, circa tumentem partem ſecato profunda maximè ſectione juxta renem.* Sunt verba. Hippoc. & continent duas conditiones ad hanc ſectionem neceſſarias: Sectio juxta renes profunda, non ut feriat renes, ſed ut nullum impedimentum remaneat inter ſectionem, & renes, quod totalem puris collecti expurgationem remoretur. Poſtea ſubjungit: *E veſtigio ſanum facies; & ſi aberraveris, periculum eſt, ne ulcus linamentis curandum fiat*, Ab his verbis Hipp. colligitur primò, tumorem prædictum muſculorum eſſe à tranſmiſſione puris à renibus, non à vitio illorum, dum ſtatim pure evacuato ſanus fit æger; quod utique non ſuccederet, ſi à vitio muſculorum tumor eſſet. Et quia per ſectionem evacuatur pus renum, ideò ſtatim fit ſanus, quia liberatur non ſolùm à tumore muſculorum, ſed etiam à pure renum. Secundò colligo, tumores factos à tranſmiſſione materiæ ad aliquam partem, non indigere præparatione materiæ pro ſectione, ſed ſtatim ſecandos eſſe; pars enim recipiens, & huic contiguæ à variis periculis ſubtrahuntur; hoc conſilium ſectandum principaliter in tumoribus à pure aliunde tranſmiſſo ſuccreſcentibus. Tertiò colligo, ſectionem tali diligentia, & animadverſione eſſe perficiendam, ut tota materia in tumore collecta exeat, itaut nullo alio remedio ſit opus pro pure evacuando, & ſi tota non evacuetur materia, oportet poſtea *linamentis*, ideſt turundis apertam ſervare viam relicto puri, cum periculo, dum Hippoc. ait, *Periculum eſt, ne linamentis curandum fiat*; ab his enim cura protrahitur, & fibræ partis ab eorumdem continuo affrictu, & compreſſione afflictæ, & cruciatæ rumpuntur, & pars ab aere in curatione admiſſo alteratur, unde poſtea ulcus ejuſdem.

Alte-

Alterum periculum notat Hippocr. à ſectione, per quam non evacuatur totum pus, in illis verbis, *Si ulcus, ſeu ſectio facta concreverit, ſeu coaluerit, venter intrinſecus à rene ſuppuratur*; (ideſt clauſa ſectione fit tumor, ideſt collectio puris, quod per ſectionem non fuit eductum, cum intumeſcentia in parte interna circa renes.) *Et ſiquidem pus intus rumpatur, & ad inteſtinum rectum procedat, fugæ ſpes eſt; ſi verò contingerit alterum renem* (ideſt ſi materia ſuppurationis in uno rene fixata contaminaverit alterum, & ad putredinem diſpoſuerit) *periculum eſt ne pereat*. Ex quibus apparet, quanta diligentia ſit ſectio facienda, ut totum pus collectum in tumore evacuetur; diligentia verò conſiſtit in electione declivis ſitus, in quo ſectio eſt facienda; nam ſuo pondere pus totum per apertam in declivi ſitu viam exibit. Sectio ſit etiam lata, ut materia craſſa exitum habeat.

Curationem per Chirurgiam hucuſque deſcripſit Hipp. Modo, quæ per Pharmaca tenenda ſit, aperit, & ait: *Curetur autem Pharmacis, & iiſdem omnibus, quibus & priorem, & eamdem Diætam habeat*. Cenſendum eſt curam deſcribi huic morbo convenientem ſecto tumore, pureque pro majori parte expurgato; & ſi ſectione peracta, dixit factum eſſe ſanum, ibi dixit, non quia ceſſaret remediorum indigentia, & tota expleta fuerit per ſectionem, ſed quia æger eſt in tuto; remanet tamen oppugnanda diſpoſitio illa mala renum, per quam facta eſt collectio ſanguinis in renibus, & iſtius in pus converſio. In quo conſiſtat iſta diſpoſitio, colligimus à cura ab Hippocr. propoſita poſt ſectionem conſolidatam, & eam præſcribit, quam in ſuperiori morbo propoſuit, ubi tumorem renum cum ſectione curandum aſſumit, & ait, *Arenam per urinam cientia ſanato*. Purgatio ergo per hæc aggredienda; his enim renum cavitas emundabitur, impedimenta, quæ ſanguinem in vaſis detinuerunt, & plenitudinem ſupradictam effecerunt, ab eiſdem remediis dejicientur. Hæc propoſita fuerunt in ſuperiori Capite.

C A P. XXVI.

De Urina Cruenta ab Ulcere Renum.

Altera differentia doloris renum deſcribitur *in n.* 17. *cit. lib.* ubi ait: *Urina prodit velut à carnibus bubulis aſſatis ſuccus. Fit autem morbus ab atra bile, cùm bilis in venas confluxerit, quæ ad renem tendunt, & cùm conſtiterit* (hoc eſt moram in venis contraxerit) *exulcerat venulas, & renem; ab exulceratione igitur tale quidam procedit cum urina* (ideſt urina ſimilis ſucco à carnibus bubulis aſſatis diſtillanti, & loturæ carnis.) *Dolores autem hærent in lumbis, & in veſica, & internum, & pudendum, & in ipſo rene ad modicum tempus; deindè remittit dolor, & rurſus acutus brevi corripit, & in tenuem ventris partem aliquando dolor incidit.*

Dolorem renum Hippocr. repræſentare in hac ſententia apertè patet. In ſuperiori textu locutus eſt de dolore renum à plenitudine ſanguinis, & cum urina ſanguinea, poſtea verò cum pure mixta; in præſenti repræſentat dolorem renum, cum urina ſanguinolenta, & loturæ carnis ſimili, & cum ulcere, ut clarè demonſtrant illa verba, *Exulcerat venulas, & renem*; & ſequentia, *Ab ulceratione igitur tale quidam cum urina procedit*, nempè urina ſemper tincta ſanguine; & quia colore repræſentat ſuccum à carnibus bubulis aſſatis diſtillantem, qui parùm rubeſcit, parùm etiam ſanguinis fluere cum urina indicat Hippocr. & licèt in hoc fluxu ſanguineæ urinæ adſit ulcus, & venæ, & renis, ut dictum eſt, non ſuppuratur, cùm pus non emittatur, ſed ſolùm per apertum ulceris foramen exeat ſanguis, ut colligitur ab illis verbis, *Ab exulceratione igitur tale quid procedit*, & in pauca quantitate, quia parùm urina ſanguineo colore tingitur, quia capillaris vena, minor venulis in ſuperiori textu nominatis roditur. Rumpi, & corrodi venas ſine ſuppuratione, experientia docet in parvis venulis vulnere ſimplici diſſectis, in hæmorrhagia narium, & hæmorrhoidum; unde per ulcus debemus intelligere ſolam corroſionem venulæ, & renis, non corroſionem cum pure, ſed excoriationem ſimplicem, licèt corroſio immineat, & tractu temporis ſit ſecutura. Non fit pus, quia ſanguis non detinetur, ſed ſemper fluit è vena, & non coagulatur. Dolor non eſt acutus, ſicut deſcriptus in præcedenti textu, cùm de acutie verba non faciat Hippocrates; qua de cauſa in rene dolorem adeſſe obtuſum, prout exigit pars non valdè ſenſitiva, cenſendum eſt, niſi corroſio perveniat ad papillas membranoſas renum, in quibus dolor acutus forſan poteſt excitari, dolor acutus in principio uretheris valdè ſenſitivi fit, de quo intelligenda ſunt illa verba, *Et rurſus acutus brevi corripit:* interpollatim enim portiones ſeri, cum humoribus ſalinis acribus per uretherem tranſeunt, à quibus morſa hæc pars dolet; & talis etiam erit ille, qui in veſica inter anum, & pudendum, ubi adeſt veſicæ collum, perſentitur, cùm iſtæ partes ſint exquiſito ſenſu prædita, ſicut ille, qui in tenuem ventris partem incidit, & correſpondet extenſioni uretheris. Cauſa hujus doloris in his partibus, colligenda à cauſa exulcerationis, & à conſenſu renum cum dictis partibus, & à materia acri corrodente ulceris cauſa, cum urina exeunte, & veſicam, vel ejus collum, & partes uretheris vellicante, & mordicante.

Cauſam deſcribit Hippocr. in illis verbis. *Fit autem hic morbus, cùm bilis atra in venas confluxerit, quæ ad renem tendunt, & cùm conſtiterit exulcerat* ſua corroſiva acrimonia, & pro bile puto intelligendum eſſe quemcumque humorem ſimili acrimonia donatum. Modus, quo bilis exulcerationem faciat, declarat in confluxu bilis ad venulas renum, hoc eſt in permanentia bilis in ſanguine ad venulas renum confluentis; non poteſt enim humor corroſivus partem, per quam tranſit, corrodere, niſi in hac aliquam moram trahat, vel quia aliqua craſſitie præditus per anguſta vaſa præterfluere non poſſit, vel quia à ſanguine hunc præcedente remoretur, vel quia viſcidus adhæreat vaſis, & ad fluxum indigeat impulſu ſubſequentis ſanguinis circulantis: quacumque de cauſa moretur ſua acrimonia corroſiva, partem, in qua moratur, unà cum venis in ea diſperſis corrodit, in actu corroſionis dolorem infligit; hinc renum triſtis ſenſatio, & idem humor tranſeundo per uretheres ad veſicam, & ejus collum, eadem acrimonia dolorem in dictis partibus excitat.

Si bilis, & quicumque humor acris eſt cauſa corroſionis, & doloris, patet cauſas remotas, & externas eſſe, quæ humori acrimoniam imprimunt, ut ſunt alimenta acria, ſalſa, amara, auſtera, potus vini generoſi, motus violenti, & ſimilia.

Signa diagnoſtica colliguntur in prædicta ſententia. Prognoſtica ſunt communia cum omni fluxu ſanguinis, qui ſemper timendus, quia periculum ſemper minatur, cum omnis exitus ſanguinis ſit toto genere præternaturam. Admittere tamen curationem hunc affectum, docet Hipp. in ultimis verbis textus: *Hæc ſi ita feceris, morbum in melius diſpones*; longum morbum tamen eſſe, prædicit in illis verbis ſuperioribus: *Hic morbus non valdè* (ideſt non tam citò) *deficit*.

Pro curatione hujus affectus, indicationem deſumit Hippoc. primam à cauſa, quam dixit eſſe atram bilem, cui competit purgatio, quia eſt humor qualitate peccans, & moleſtus actu; ideò iſtius humoris purgationem molitur cum *Epithimo*, aut *Radice Scammoneæ*, quæ purgant blandè, exemplum nobis relinquendo purgandum quidem eſſe in ulcere renum, ſed blandè; quod præſtabunt *Decoctum Epithimi Meſue*, vel *Infuſio Rhaub.* ℥. *i* cum *Manna* ℥. *iij.* vel *cum Syr. de Polyp. ſol. ad* ℥. *iv. cum Crem. Tart. ſ. p.* ℥. ß. diſſolutis in Sero caprino. Aliqui laudant uſum *Mercurii dulc. ad* ℈. *i.* qui miſceri poteſt cum ℥. *ij. Mannæ*, & iſtius iteratus uſus *ad gr. ij. vel iij. in Aqua Plantaginis*, dicitur ſanare renum corroſiones. *Vomitum* à multis video præſcriptum; mihi tamen videtur ſuſpectus, cùm in conatu vaſorum exulceratio major evadat, & conatus ventriculi renes etiam attingat, ob conſenſum ſatis manifeſtum inter hæc duo membra.

Secunda indicatio continetur in illis verbis Hippocr. *Bibenda verò eadem dato, quæ & ex urinæ ſtillicidio laboranti*. Hujuſmodi remedia in Capite de Stranguria inveniet Lector. At quia in hoc affectu ſupponitur ulcus, ſaltem ſuperficiale, congruam cenſerem electionem diute-

diureticorum, quæ balſamicam etiam virtutem continent, quorum aliquas formulas propono:

℞. *Fol. Hyperici*
Hederæ terreſtr.
Petroſelini
Cherefolii } *a. m. ß.*
Rad. Ariſtol. rotundæ ℥. *i.*

bulliant in ℔. *i. ß. aquæ, vel vini ad conſumpt. tertiæ partis, colatura exhibeatur*, præmittendo *Terebinthinæ* ℥. *ii.* vel *Trociſc. Alchekengi recent.* ℥. *i. in bolo. Decoctum Vulnerarium Quercetani ad ulcera renum*; *Decoctum herbæ, & rad. Fragariæ, Agrimoniæ, Burſæ-Paſtoris*; *cum Balſamo Sulphur. therebinthinato ad* ℈. *ß. Syr. Magiſtr. Hildani ad ulcera renum, deſcriptus lib. 6. obſerv.* 44. In ulceris renum curatione communiter proponitur decoctum *Salſæ, Guajaci, Santalor.* cum ſudoris promotione ad ichores ſanguinis ſalſos evacuandos, & ad ulcus exſiccandum; quod nec laudo, nec reprobo, ſed ſuperfluum cenſeo, cùm per balſamica propoſita, quæ ſunt magis propria, & ſine incommodo, univerſalis emaciationis, moleſtiæ, & morbi curatio obtineatur.

A dolore elicit tertiam indicationem; pro hac adimplenda proponit *Aquæ calidæ lavacrum*, modo dicto de dolore à calculo, *& ſorbitionem farinæ coctæ, Melle affuſo*; Farina enim emollit, & lenit, ut patet ab ejus uſu in apoſtematibus, ideò internè aſſumpta lenit dolorem: Mel affundit ad diſſipandos flatus, qui in doloribus conjunguntur, quibus correſpondentia remedia de Calculo deſcripta.

Diæta præſcripta ab Hipp. admittit ſolùm alimenta, quæ per alvum quam maximè ſecedant; his enim prohibetur humorum pravorum cumulus, & præcipuè ſi acri qualitate non ſint donata, & in parva etiam quantitate ſumantur. Vinum concedit album jucundiſſimum, & temperatum; balſamicum enim, & corroborans eſt diureticum.

Ultimo loco *Lac per quadraginta quinque dies propinat*, pro remedio curativo ulceris, & ejus cauſæ, & à Macie præſervativo, attemperando acrimoniam, & vim corroſivam bilis, optimumque ſanguinem generando. De modo particulari exhibendi non loquitur Hippocr. Medici judicio relinquens ſpeciem, & quantitatem Lactis. Speciem Lactis in principio morbi, eam meliorem cenſeo, quæ magis abſtergit; talis eſt *Lac aſininum*, multo ſero abundans: facta abſterſione, proficuum magis erit Lac magis craſſum aſinino, quia ad conſolidandum ulcus magis efficax; in hac ſpecie eſt *Lac vaccinum*; quare per viginti dies exhibendum Lac aſininum, in reliquis vaccinum. Quoad quantitatem, ſi ab iſtius virtute renes alterandi ſunt, oportet, ut quantitas non ſit parva, ideò in ea majori quantitate exhibendum, quàm patientis ventriculus tolerare poteſt, *ad duas libras uſque ad quatuor*, cum conditionibus conſuetis, & notis, quo major erit quantitas Lactis, major debet eſſe ſpatium inter aſſumptionem Lactis, & prandii. Lacti ſi addatur *Eſſentia floris Hiperici*, vel *Tinctura floris Bellidis*, vel *Succus, & Roob fructuum Alchekengi*, vel *Syrupus ſupradictus Hildani*, virtuti ejus attemperandi addemus illam conſolidandi vaſa. Loco Lactis, *Aquæ acidulæ minerales* ab omnibus commendantur.

C A P. XXVII.

De Urina impedita in Renibus, & iſtorum abſceſſu.

Ultima differentia doloris renum deſcribitur *in numer. 18. cit. lib.* his verbis: *Dolores premunt ipſum in lateris mollitudinem* (hoc eſt in Hypochondriis, ſed in illa parte, quæ lumbis eſt proxima, ut ſubſequentia indicant verba) *in lumbos, & lumborum muſculos* (hoc eſt in parte interna lumborum, ideò dicit *lumbos*, & in parte externa, ideò dicit *muſculos*) *& patitur, qualia ſolet mulier ex partu laborans* (& indicat doloris acutiem, ſimilem ei, quam Parturientes experiuntur, & ſitum doloris, nempè lumbos; in hac parte acutè dolent Parturientes.) Dolor in lumbis, muſculos affectos iſtorum indicat, à materia ad hos fluente, & in his commorante, quæ ſit moleſta parti. Subjungit: *Et non ſuſtinet in partem ſanam decumbere, ſed valdè dolet* (ſupponit lumbos in uno tantùm latere eſſe malè affectos, dum ſanam partem ſupponit ſuper hanc decumbens.) *Valdè dolet*, quia muſculi lumborum dolentes, ſunt humore pleni, & in iſtis eſt abſceſſus, vel tamquam abſceſſus; quod manifeſtum fit ab illis ſubſequentibus verbis: *Si verò prolongetur morbus, & magis dolet, & ſuppuratur.* Suppuratio ſupponit tumorem, dum æger in ſanum latus decumbit, pendent muſculi, cum abſceſſu in latus ſanum, & pendendo proprio pondere, & illo materiæ, qua imbuuntur, diſtrahuntur. Quælibet diſtractio in parte dolente, etiam ſi ſit parva, eſt dolorifica; id experimur in manu dolente, quam ſi pendulam detineamus, magis dolorem percipimus, quàm ſi flexam, & faſcia ſuſtentatam detineamus. *Et ex lateris mollitudine quadam pendere videntur velut abrupta*; pondus partis tumidæ humore, & dolentis indicatur, à quo tamquam divulſa, & abrupta, & nemini connexa apparet, cùm talis pars gravitet ſupra partem, cui incumbit, eo modo quo ſi aliquod ſeparatum ab alio corpore ſupra eam incideret. *Si verò pronum decumbat, non dolet* (ſunt verba textus) quia in tali ſitu fibræ muſculorum, licèt materia turgidæ manent in ſua naturali extenſione; ideò nullus dolor. *Et tibiæ ipſius ſemper frigent*, vel quia muſculi interni lumborum ab humore, & à contractione dolorifica turgidi comprimunt arteriæ magnæ truncum, ut ſanguis liberè, expeditè, & in copia debita non fluat ad partes inferiores, & tibias, unde iſtarum frigiditas, vel quia ſpiritus ad partem dolentem concurrens copioſo fluxu, partes inferiores debito calore deſtituta relinquit; qua de cauſa frigeſiunt. *Urina verò vix prodit, præ pituitoſitate, & craſſitudine ſua, & ſi ſineris ipſam ad modicum tempus depoſitam, donec deſederit videbis ſubſidentiam craſſam, velut farinam, & ſiquidem bilis prævaluerit, ſubfulvam ipſam videbis; ſi verò à pituita, alba, & craſſa erit.* Hæc verba textus alteram partem affectam oſtendunt, præter muſculos lumborum abſceſſu preſſos, nempè renes, & maſſam ſanguinis, cùm urina, quæ ab eis ſecernitur, & expellitur, vix exeat, impeditus exitus affectionem morboſam renum declarat. Cauſam etiam aperiunt hujus impedimenti illa verba: *Urina vix prodit, præ pituitoſitate, & craſſitudine*, & docet, urinæ exitum impediri, non vitio renum, ſed urinæ craſſitie; eſt craſſa, ob admixtionem pituitæ, itaut per naturale ſpatium renum, ſeu ſuorum vaſorum excretioni dicatorum vix tranſire poſſit.

Pituitæ concurſus, ad efficiendum hoc ſymptoma, deprehenditur à ſubſidentia craſſa in urina poſt aliquod tempus apparente.

Dolores renum, quos tetigit Hippocr. in principio hujus ſententiæ, pendent à vi, & conatu, quo neceſſe eſt uretherem diſtendi ultra ſuam extenſionem naturalem, pro excipienda urina craſſa, & viſcida in hac extenſione, quia violenta dolent; ad dolorem concurrit etiam acrimonia bile pituitæ conjuncta, urinæ impartita, ut innuit Hipp. in aſſignanda cauſa hujus affectus. In vaſe urethere eſſe dolorem, colligo ab eo, quòd urina exit, & cum violentia, quia vix prodit, & etiam quia urina detenta in renibus, nullum dolorem facit, ut patet in ſuppreſſione urinæ vitio renum, & ſuorum vaſorum, in qua ægri nullo minimo dolore moleſtantur.

Definiri poteſt ex dictis hic affectus, *Urinæ impedimentum in renibus à materia craſſa illimixta, cum abſceſſu muſculorum lumborum.*

Cauſam hujus ſymptomatis tetigit Hipp. in principio hujus ſententiæ, ubi ait: *Fit hic morbus à bile, & pituita, maximè tempore æſtatis; fit etiam à Venere hic morbus.*

Pituita bili permixta, ad muſculos lumborum in copia fluendo, iſtos ad turgentiam implet, maximè eorum tendines, à nimia diſtenſione, à turgentia, & à vellicante, & mordente bile; in iſtis fit dolor, & dolor acutus, quia muſculi maximè ſenſitivi, ſecundùm tendines, & ob exquiſitum ſenſum dolent dolore ſimili dolore Parturientium, in quibus dicti tendines

magnam

magnam patiuntur diſtractionem; ad renes verò pituita bili permixta, delata per arterias, & cum ſero in renibus ſeparata, urinam craſſam, viſcidam reddit, à qua dolor modo explicato.

Fit maximè tempore æſtatis, quia tunc à calore fuſa pituita, fluida maximè evadit, ideò etiam ad muſculos lumborum, & ad renes, cum ſero in copia penetrandi, facilitatem contrahit; in his locis per moram craſſitiem ſuam recuperat, dum quieſcendo aliquantulum particulæ pituitæ diviſæ ad invicem accedunt, & craſſitiem recuperant. Bilis in Æſtate fit magis acris, & ejus copia augetur, & cum his efficaciam ad mordendum, pungendum, & vellicandum cum dolore acuto. *Fit à Venere*, dum in hujus exercitio concurſus ſanguinis ad lumbos, & renes ſuccedit, cùm ſint partes, quæ magis defatigantur in Veneris uſu; & circa quas fluit ſanguis ad genitalia in ſemen elaborandum, quod cùm prodigè ejaculetur, ad novi regenerationem liberale ſanguinis ſubſidium requiritur, hujus copioſus effluxus ad vaſa ſeminalia circa renes exiſtentia, ſecundùm aliquam portionem derivatur, ob proximitatem ad renes, & ad muſculos lumborum, cum iſtorum morboſa affectione. Venus etiam huic ſymptomati occaſionem præbet, dum calorem, & fermentum omnium partium debilitando, pituitæ copioſum proventum promovet.

Cauſæ externæ, ſunt res naturales, & non naturales, generationi pituitæ, & bilis inſervientes.

Signa deſcribuntur in Hippocratis ſententia. Prognoſtica ab eadem colliguntur ab illis verbis: *Et primum quidem in annum, aut paulò amplius, aut brevius tempus, æger talia patiens perſeverat*; & inferiùs ſubjungit: *Si hæc fecerit, & non celerrimè ſanus evaſerit, nihil novi eſt; morbus enim graviſſimus eſt*. Si pituita impediat omninò exitum urinæ, oritur ſuppreſſio iſtius lethalis.

Cùm dixerit Hipp. in hoc morbo ſuppurationem fieri materiæ in lumbis, & circa renes, cujus ſignum eſt doloris incrementum, juxta Hipp. ſententiam, *Dum pus conficitur, dolores fiunt*, & addiderit in ſuppurationis loco tumorem elevari, ſectionem imperat in loco tumoris modo ſuperiùs dicto, & cum eadem curatione, & à ſectione ſanitatem ſpondet.

Antequam verò tumor appareat, inſinuat Hippocr. purgationem in principio morbi bilis, & pituitæ, cùm ab utroque humore pendeat morbus. Purgantium formulæ ſint:

℞. *Pil. de tribus cum Rhaub.* ʒ. *i.*
de Agarico ʒ. *i.*
cum Mel. Roſ. ſol. refor. pil.

Vel

℞. *Syr. Roſ. ſol.* } *a.* ℥. *ij.* ß.
Mel. Roſ. ſol. }
diſſolvantur in Aqua Abſynthii q. ſ. vel fiat infuſio Rhaub. & Agar. trocis an. ʒ. *i. per noctem*; *& facta colat. adde*
Mannæ ℥. *iij. m.*

Purgationem vult præcedere fomentum dolorem leniens, & humorem attenuans, ut ita ad purgationem præparetur, v. g.

℞. *Malvæ*
Biſmalvæ
Fœnu-græci
Anethi
Camomillæ } *a. m.* ß.
Pulegii
Abrotani
Roſmarini
bull. in ſ. q. aquæ pro fomento.

Balneum etiam ſit frequens, vel cum aqua ex eiſdem ſimplicibus parata, vel aqua fontis tepida; frequens erit, ſi multoties reiteretur ante purgationem; fomentum verò poſt purgationem, & quotieſcumque dolor moleſtat reiterandum. Conſiderando verbum *ſubpurgatione* in textu poſitum, non licet per hoc intelligere novam purgationem, ſed unam tantùm, & apertè manifeſtatur ex textu, dum dicit, *Oportet, & purgare, & ante ſubpurgationem*, hoc eſt ante purgationem *fomentum adhibere*; quod confirmatur à *Foeſii* commento, in quo hoc verbum *ſubpurgationem* omittit.

Facta purgatione, promovenda urina, ex Hippocr. decreto in ſuperiorum morborum curatione ſancito; cum diureticis, quæ in urinæ ſtillicidio etiam conveniunt ſuperiùs propoſitis, quibus addi poteſt *Mel Hiſpanicum*, *Tinctura Tartari*, *Spir. Salis*, *Spir. Vini juniperatus*, *Spir. Terebinthinæ*.

Si urina promoveatur, diſſolutioni humoris collecti in regione lumborum, & renum incumbendum, fovendo partem tumentem cum decocto ex cœphalicis, & poſtea linteum duplicatum in Spiritu Vini juniperato immerſum parti tumenti applicare, & eo exſiccato reiterare; vel ſequenti Cerato munienda pars.

℞. *Bdelii* ℥. ß.
Colophoniæ } *a.* ℥. *iij.*
Picis navalis }
Succini citrini ℥. *ij.* ß.
Gummæ Ammoniaci } *a.* ʒ. *ij.*
Myrrhæ }
cum Cera, & Ol. Vitell. ovor. q. ſ. F. Empl.

Non inefficax eſſet ſudoris provocatio, applicitis lateribus calefactis linteis involutis parti affectæ, vel pane recenti calido, cum *Iva arthetica*, *& Baccis Juniperi* parato, & poſt ſudorem tumens locus inungendus *Ol. ex lateribus*.

Proponit ultimo loco modum curandi hunc morbum & alios ſuperiores, ſola diœta, in fine textus, ubi hæc habet:

Si verò citra pharmaca curari velis, craſſum ex diœta facere oportet, ſive ex hoc morbo ægrotet, ſive ex aliis de prioribus, diviſis cibis, quos edere ſolet, in decem portiones, itaut una parte detracta, reliquas comedat; obſonium autem habeat carnem Suis tritam; in ea die decem ſtadia deambulet.

Diœta conſiſtit in diviſione cibi, quo veſcitur æger in his morbis renum, præter obſonium, pro quo determinat carnem Suis, adeòut quod ſervit pro obſonio, non ſit aliud, quàm dicta caro. Cibos extra obſonium non recenſet, quia horum electionem Medico relinquit, qui ratione utendo eos eliget, quæ boni ſint ſucci. Cur exhibeat carnem Suis, comprehendimus à ſententia, quam deſcripſit *lib. 2. de Diœt. numer. 9.* in qua habet: *Suillæ carnes robur quidem magis, quàm caprinæ corpori inducunt; multum verò alvo ſecedunt.* Dixit Hippocr. in principio hujus textus, *Craſſum ex diœta facere oportet*, ideſt pinguem; ut hoc obtineat, priùs per diœtam tenuem exſiccat, ut humores pravi, à quibus dixit hunc morbum fieri, per dictam diœtam conſumantur; hiſce enim permanentibus, alimenta numquam in bonum ſanguinem impinguationi idoneum convertentur; iſtis verò exſiccatis, optima ſuccedet ex alimentis ſanguificatio, & ab hac pinguedo; & quia alimenta, quæ facilè per alvum ſecedunt, pauci ſunt nutrimenti, licèt aliqua portio in nutrimentum abiens robur addat corpori, ideò etiam diœtam tenuem, & exſiccantem reddunt, & ad hanc facit caro Suis, cùm facilè per alvum ſecedat; vult etiam carnem tritam, ut faciliùs digeratur, & ſecedat; Cibum ſolitum ægro præbendum in decem partes dividit: prima die, una parte detracta, novem exhibet, *& deambulationem per decem ſtadia* imperat; ſecunda, & tertia die alteram partem ex decem; in qualibet die detrahit, non intermiſſo exercitio decem ſtadiorum in quolibet die, & etiam plurium: hoc modo uſque ad decem dies ſe gerat æger, omni die unam partem ex decem cibi detrahendo, & exercitium dictorum decem ſtadiorum, & plurium continuando. *Cùm verò ad ultimam partem cibi devenerit, centum ſtadia deambulet*; tempus hujus exercitii determinat Hippocr. *poſt cœnam viginti, manè quadraginta*, reliqua, quæ ſuperſunt ad complementum centum ſtadiorum, non habent locum niſi poſt prandium. Cum cibo *Vinum mendæum* exhibet, *album, auſterum*. Ex hac victus ratione colligere licet, intentum Hippocr. eſſe attenuandi, & exſiccandi ægrum, humoreſque pravos hoc modo reſolvendi, cui intentioni ſummoperè confert exercititium præſcriptum. Hujuſmodi victus rationem per *tres menſes* conſulit; at cùm deſcripta diœta ſit ſolùm decem dierum, non poteſt per tres menſes inſtitui, niſi completis decem diebus, & ultima cibi parte comeſta: redeat

adhuc

adhuc ad diviſionem ordinatii cibi, relinquendo in primo die, unam, in ſecundo duas, in tertio tres, & ſic uſque ad unam partem redeundo, poſtea de novo ad principium diviſionis, & ita per tres menſes hac uti diœta, & exercitio; vel poſt conſumationem ultimæ portionis aſſumat altero die duas, & ſic omni die unam addat, uſque ad conſumationem decem portionum, & poſtea ab iſtis unam detrahat omni die, uſque ad unam, & ſic per tres menſes progrediatur. *Tranſactis tribus menſibus, exercitium minuat, & cibos plurimos edat*, ita determinat Hippocr. in textu, plurimus cibus accipiendus, reſpective ad antecedentem, ut ſit major iſto, & ita ſit plurimus, ut poſſit augere ſine detrimento ægri; augmentum enim cibi quotidianum imperat Hippoc. in ſubſequentibus verbis: *Cibos plures comedat, eodem modo additione facta, velut detrahebatur*. Cibi quantitati conjungatur perfectio, ad vitandam excrementorum collectionem. Hinc colligo, cibum pro temperamenti conditione pro ventriculi robore in quantitate eſſe exhibendum, & augendum, & hac victus regula craſſus ſit æger. Miror hanc victus regulam à Medicis oblivioni traditam eſſe, cùm multi morbi ferè incurabiles ab hac curari poſſint. Reliqua in textu ſunt clara.

CAP. XXVIII.

De Morbis Splenis, & primò de Inflammatione Splenis, & Tumore.

Renibus conjungitur Splen per vaſa ſanguiflua, & per ligamentum; ab hac conjunctione motivum accepimus tractationi de morbis renum conjungendi illam de morbis ſplenis, de quibus multis in locis egit *Hipp. In lib. de intern. affect.* quinque proponit.

Primus eſt, febris vitio lienis. Deſcribitur *cit. lib. num.* 33. his verbis: *Fit hujuſmodi morbus, propter caliditatem Solis bile commota, cùm ſplen in ſe ipſum bilem traxerit. Hæc igitur patitur æger: febris acuta in principio accedit, progrediente verò morbo, remittit* (non cedit cum intermittentia) *excepto ipſo ſplene, in quo ſemper calor hæret, & dolor aliàs, atque aliàs incidit acutus, & in lateris mollitudinem, & in ventrem; & cibos quidem à principio admittit, non valdè ſecedunt; progreſſu autem temporis, & calor pallidus fit, & dolor fortis irruit, & claviculæ attenuantur, & cibos non ſimiliter admittit, velut in principio, & à modico impletur. Lien verò aliàs, atque aliàs magnus fit eadem die, & aliàs minor.*

Inflammationem lienis, in hoc textu ab Hipp. deſcribi ab enarratis ſignis colligere licet, nempè *à febre acuta, calore, dolore, & tumore lienis*, quæ omnia ſimul unita veram inflammationem demonſtrant, præcipuè in parte, quæ ſanguine abundat, ut lien; & ſi febris, progrediente morbo, remittit, per hoc non tollitur, quòd non ſit acuta, ut fatetur Hippoc. in principio hujus textus; progrediente enim febre, particulæ ſulphureæ materiæ in parte ſtagnantis expirant, vel reſolvuntur, his diminutis accenſio diminuta, & hanc diminuta febris ſequitur; hujuſmodi diminutio febris non tollit acutiem à præcedenti. Sæpiſſimè in praxi hujuſmodi febres obſervamus, cum vehementi impetu ægrum aggredientes, & paulatim à concepta in primis inſultibus acutie declinare, & ad cronicas tranſire; & verificatur talis tranſmutatio in omnibus febribus acutis ex decidentia.

Definiendus ergo deſcriptus affectus *Inflammatio lienis*. Ex eo quòd ſit inflammatio, convenit cum aliis omnibus inflammationibus; ex eo quòd ſit lienis, differt.

Cauſam hujus febris, & dictorum ſymptomatum tribuit Hippocrat. *bili*, prout oſtendunt verba illa in principio textus: *Fit hic morbus, propter caliditatem Solis bile commota, cùm bilem ſplen in ſe ipſum traxerit.*

Cauſa externa ponitur Sol bilem commovens, hoc eſt, vi ſui caloris effervefcentia fermentatione, & æſtu præternaturali bilem agitans, & effreni motu movens: hoc efficere poſſunt omnes cauſæ calore efficaci præditæ.

Cauſa interna, eſt bilis commota, à ſplene in ſe ipſum attracta. Per attractionem, fluxum materiæ accipiendum eſſe ad aliquam partem, alibi dixi; at cùm ad inflammationem non ſatis ſit fluxus materiæ ad partem inflammatam, ſed ſtagnatio ejuſdem, tumorem patientis, in quibus conditionibus conſiſtit inflammationis eſſentia febre adjuncta, hinc determinandum, vel bilem fluxam ad lienem ſtagnare, vel eſſe cauſam ſtagnationis, per quam tumorem cum dolore in dicta parte efficit.

Pro demonſtrando modo, quo à bile commota in liene ſuccedat calor febrilis, & tumor, recolendus uſus lienis à Recentioribus communiter admiſſus, & eſt in liene, ſeu potiùs in ſuis cellulis, glanduliſque in iſtis inſertis fermentum latere, quod ſanguini in cavitate cellularum effuſi inſpiratum volatilitatem, raritatemque communicat, quibus conditionibus diſponitur ad relinquenda excrementa, quibus ſcatet in receptaculis, per quæ motu circulationis tranſiturus eſt, & præcipuè ad relinquendam bilem à glandulis minimis hepatis ſuſcipiendam, mediantibus ramificationibus porri biliarii illis appenſis, à quibus deducenda ad cyſtim fellis.

Bilis à Sole, vel ab alia cauſa calefaciente commota, ſeu fervore, æſtu, & ebullitione agitata, & cum ſanguine ad lienem delata, virtute fermenti lienaris magis, magiſque rareſcit, fervet, æſtuat, & ejus particulæ ſulphureæ accenduntur, igneoque calore concepto lienem, & ſanguinem in hoc exiſtentem, & per ſua vaſa circulantem, præternaturaliter calefaciunt, exiens à liene ſanguis incendium in hoc conceptum per totam maſſam ſanguinis diffundit, in eaque conſervat, cum febre acuta.

Febris, progrediente morbo, remittit, ob rationem ſuperiùs dictam, quibus diebus circumſcribatur progreſſus febrilis acutiei non declarat Hippocr. probabile tamen eſt contingere in illis diebus, à quibus declinatio vigoris inflammationum completur, quamvis remittat febris, non remittit calor ſplenis, prout colligere licet ab illis verbis textus: *Febris remittit, excepto ipſo ſplene, in quo ſemper calor hæret*, ob inflammationem hujus viſceris cum calore conjuncta, qui cùm in primis diebus ſit excedens, febrem acutam cum intenſione caloris parit; his verò tranſactis, diminuto calore inflammationis, remittit febris: in hac diminutione caloris inflammationis, & ſanguinis major ſemper eſt calor in inflammata parte, quàm in ſanguine, ut patet in apoſtemate externo, in quo, dum pus conficitur, adeſt febris, confecto pure, ceſſat; remanet tamen calor ſenſibilis in parte.

Dolor aliàs, atque aliàs incidit acutus, & in lateris mollitudinem, & in ventrem. Cauſa hujus ſymptomatis petenda ab acrimonia materiæ inflammationem parientis, ab uſtione in loco ſtagnationis concepta, & à nerveis propaginibus per hoc viſcus in copia diſſeminatis; quotieſcumque particulæ materiæ acris, & aduſtæ multæ exaltatæ fuerint, & multas nervorum ramificationes cum impetu vellicaverint, dolor acutus ſuccedit; ſi aliquas tantùm, & cum diminuto impetu, & in parva copia particulæ dictæ punxerint, dolor erit mitior; & quia aliàs, atque aliàs ſuccedit dictarum particularum exaltatio, & actio in nervoſas propagines, ideò *aliàs, atque aliàs acutus incidit dolor, deſcendit in mollitudinem lateris* (hoc eſt in Hypochondrio ſiniſtro, in quo lien ponitur) *& in ventrem* (ſeu in loco inteſtinorum.) Quotieſcumque enim nervi lienis ſpaſmodicas dolorificas affectiones ſenſerint, in has trahuntur illorum ramificationes ad Hypochondria tranſmiſſæ, & inteſtina, à quibus dolor iſtarum partium.

Cibos in principio admittit æger, permanente acido ventriculi, à quo appetitus excitatur cum moderato vigore, & illud lienis, in ſententia illorum, qui volunt, acidum ventriculi ab hoc præparari, adhuc viget, non obſtante iſtius inflammatione.

Aſſumpti cibi non ſecedunt, hoc eſt alvus torpet, quia vel à febrili incendio exſiccatæ fœces motui periſtaltico inteſtinorum reſiſtunt, in iſtorum cellulis permanendo, vel dictus motus egeſtioni fœtum inſerviens ceſſat, à calore febrili laxatis valdè illorum fibris, quæ dicti motus ſunt principium, ut nec ampliùs contrahi, nec extendi poſſint pro motus periſtaltici executione, niſi

niſi valido ſtimulo excitatæ, eo modo quo à febrili incendio muſculorum fibræ ita laxantur, ut motui voluntario non ſufficiant, deficiente ob laxitatem virtute ſe conſtringendi, & extendendi.

Temporis verò progreſſu color pallidus fit. Si per pallidum colorem intelligamus colorem ſine naturali rubedine, vel album ſine luciditate, hujus cauſa eſt ſanguis à calore febrili turbatus, itaut ejus color rubicundus lucidus ſub cute tranſparere non poſſit; ideò rubor deficit, vel quia ab eodem calore diſſipati ſpiritus vitales, & animales, luciditatem albedini cutis non impertiunt, unde pallor. Si verò per colorem pallidum intelligamus flavum colorem, prout multoties hunc nomine coloris pallidi expreſſit Hipp. iſtius cauſam reducere debemus ad excretionem bilis flavæ, à maſſa ſanguinis ad cutem in immoderata effervefcentia iſtius ſecretæ, cui ſecretioni forſan concedenda eſt remiſſio febris.

Dolor fortis irruit, non obſtante tranſmiſſione bilis ad cutem, ob rationem ſuperiùs dictam.

Claviculæ attenuantur, ideſt oſſa collum circumdantia, & ſcapulas ſterno connectentia emaciantur: in iſtis numquam invenitur, nec multa caro, nec multa pinguedo; ita tamen ab iſtis teguntur in ſtatu naturali, ut non appareant valdè conſpicua; quando verò talia obſervantur, magnæ, & extremæ Maciei ſunt ſignum, quam demonſtrare voluit Hippocr. in ſola clavicularum attenuatione: talis Macies inducitur à febre acuta carnem, & pinguedinem colliquante, à bile commota, qua maſſa ſanguinis prava qualitate infecta nutrimenti conditiones amiſit, quo deſtitutæ partes emaciantur; lienis optima conſtitutio ſanguinem ad nutritionem perfectam, & bonam diſponit, quid mirum, ſi malè affecto, ſanguis inhabilis evadat ad partes nutriendas?

Cibos ſimiliter non admittit, ſicut priùs; quia à febre acuta enervatur acidum ventriculi, & etiam diſſolvitur, hoc enervato, & diſſoluto, appetitum enervari neceſſe eſt; & ſi admittatur lien concurrere ad elaborandum acidum pro ventriculo, malè affecto liene deficiet, deficiet acidum perfectum, & cum iſto appetitus principium.

A paucis impletur ventriculus, hoc eſt à paucis ſatiatur appetitus, qui ubi eſt magnus, ob copiam acidi, niſi à magno cibo, à quo ſolùm illius actio retunditur, ſatiatur; cum verò in hoc caſu appetitus ſit parvus, & actio acidi eſurini debilis, à parvo cibo actio acidi retunditur, & appetitus ſatiatur. Dicitur etiam impletus ventriculus à parvo cibo, quando ejus fibræ ulteriorem non patiuntur diſtenſionem, quàm illam à parvo cibo exigitam; ſi dictæ fibræ ad talem deveniant languorem ob febrem, & vitium lienis, ut à pauco cibo gravatæ non valeant ulteriori diſtenſione ſe extendere, & ventriculum dilatare, hic, ut impleatur, pauco cibo indiget.

Lien verò aliàs magnum fit eadem die, & aliàs minor. Fervet materia in liene inflammato, ſeu potiùs inflammationem paſſo ſtagnans: ab hac fervente continuò vapores exhalant; ſi retineantur, tumeſcit lien, ſi expirent, tumor evaneſcit; hoc obſervamus in ſubſtantiis fermenteſcentibus.

Signa diagnoſtica, ſunt deſcripta in textu, & declarata.

Prognoſtica addit Hippocr. in fine textus, ubi ait: *Sanum facies, verùm non brevi, opus enim habet, morbus curatione; gravis eſt enim, & diuturnus, ſi non fuerit ſtatim curatus.*

Ab hoc prognoſtico deducitur difficultas, quomodo poſſit eſſe diuturnus morbus deſcriptus, ſi eſt inflammatio lienis, cùm inflammationes viſcerum ſanguine abundantium, ob multitudinem vaſorum ſanguifluorum, ſint inter morbos acutos adſcriptæ, quorum terminus non excedit diem vigeſimum. In eodem textu reperitur ſolutio hujus difficultatis, dum ait Hipp. *Diuturnus, ſi non fuerit ſtatim curatus*, unde longitudo morbi præciſè pendet ab omiſſa curatione. Multæ ſunt inflammationes, quæ non curatæ aliis morbis, & diuturnis viam parant in eadem parte, ceſſante tamen inflammatione, ut patet in Pleuritide, & Peripneumonia, quibus quandoque ſuccedit Empyema, vel Hydrops pulmonum, ſed jam inflammatio pulmonis, & pleuræ ceſſit; ita inflammatio lienis evaneſcit, ſed in hoc relinquit diſpoſitionem ad morbi diuturni productionem, & præcipuè ſi à principio curata non fuerit inflammatio.

Curationem auſpicatur Hipp. à purgatione: ait enim in cit. textu: *Huic cùm ſic habuerit, veratrum purgans deorſum bibendum dato, & cnidio cocco ſubpurgatio*, unde unica purgatione non contentus, alteram reiterat cum purgante bilem.

Ab hujuſmodi purgatione oritur maxima difficultas contra ſtabilitam ſententiam, nempè, Hippocratem loqui de inflammatione lienis; habemus enim celeberrimam ſententiam *in lib. de rat. vict. in acut.* deſcriptam *numer.* 36. *Quicumque ea, quæ inflammata ſunt, ſtatim à principio morborum medicamento ſolvere aggrediuntur, hi de intento quidem, & inflammato nil auferunt, non enim remittit affectio, quæ adhuc cruda eſt; quæ verò morbo reſiſtunt, & ſana ſunt, colliquat; debili verò evadente corpore, morbus invaleſcit; cùm verò morbus corporis prævaluerit taliter, jam incurabiliter affectum eſt.* Si purgatio ex Hipp. in principio inflammationis non convenit, & maximi eſt detrimenti, cùm deſcripti morbi in principio purgatione utatur, determinandum eſt, non eſſe inflammationem; quod magis confirmatum manet ab aliis, quæ pro curatione proponit, & eſt exercitium *in lignis ſecandis per triginta dies, & diæta lactea cum carnibus, & piſcibus*, qua vivendi ratione in inflammationibus numquam uſus eſt Hipp.

Tollitur prima difficultas ab Hipp. doctrina, qua docemur, inflammationes fieri à plenitudine, & redundantia ſanguinis, & à cacochymia. Expreſſam habemus ſententiam *in cit. lib. num.* 52. in dolore in Hypochondriis deſcendente, purgationem imperat in principio, quia, ratione loci, in quo adeſt dolor, ſupponit, cacochymiam plenitudini prævalere, & ab illa inflammationem minari; & *in lib.* 2. *de morb.* purgationem in Pleuritide pariter venæ ſectioni anteponit; ſi æger biliofus natura, impurgatus à natura correptus fuerit Pleuritide; cùm autem exiſtimaverit Hipp. lienem eſſe humoris melancholici excrementitii ſedem, rectè etiam deduxit, inflammationem ab humore excrementitio melancholico, & à cacochymia ſuam ſortiri originem, ideòque ei purgationem, non ſanguinis miſſionem convenire.

Et licèt Hippocr. ſententia de liene, per tot ſæcula, uſque ad noſtram ætatem inconcuſſa ſteterit, & hanc circulatio ſanguinis ad evidentiam demonſtrata deleverit; vera nihilominus exiſtimanda eſt ſententia de purgatione, in lienis inflammatione, quia ſi lien non eſt ſedes, & receptaculum humoris melancholici excrementitii, in eo tamen omnia excrementa ſanguinis ad ſeparationem in ſuis emunctoriis diſponuntur; & ſi contingat, ob præternaturalem hujus viſceris indiſpoſitionem, excrementa non ſeparari, & detineri, itaut ſuccedat bilis in liene fermentatio, cum omnibus aliis ſupradictis conditionibus, inflammationis cauſa ab excrementis habetur; & ſpeciem excrementi determinavit Hippocrat. quando dixit in textu: *Hunc morbum à bile commota fieri*; ratione hujus cauſæ, purgationem primò imperat. Non excludenda tamen eſt ſanguinis miſſio, ex Hippocr. doctrina, quam adducit, & dilucidat *Martianus in lib. de rat. vict. in acut. numer.* 26. ubi ait: *Si inflammatio à plenitudine, & à cacochymia fit, illa prævalente, mittendus eſt ſanguis primò, & poſtea purgandum*; è contra arguere licet, ſi inflammatio à cacochymia, & à ſanguine fiat, illa prævalente, ut in noſtro caſu, congruum erit purgare primò, & poſtea ſanguinem mittere. In hoc caſu prævalere bilem, demonſtravit Hipp. quando dixit *fieri hunc morbum à bile commota à Sole*, & intelligit quidem de bile excrementitia in ſanguinis maſſa exiſtente, nondum in hepate ſegregata, cui debetur purgatio, & præcipuè cùm ſit commota, & ſine trepidatione. Purgatio peragenda, ſi temperamentum ægri fuerit bilioſum, ſi præceſſerint errata bilem congregantia.

Secunda difficultas tollitur ab eodem textu, in quo habemus imperari diætam lacteam in principio, in quo

quo inflammatio viget; febre verò remiſſa, & ad lentam redacta, remanentibus in parte inflammata ſolis cineribus humoris, à quo inflammatio præcedens pendebat, tunc diœtam mutat, & ea utitur, quæ morbis longis convenit.

Purgationem mitioribus purgantibus perficere nobis datum eſt; & quia bilis peccat, cum *Rhaub. in ſubſtantia, vel in infuſione cum Manna, cum Syrup. Roſ. ſol. cum Pilulis de tribus cum Rhaub.* promovenda.

Poſt purgationem, ad veſperam exhibet Hippocrat. *ſorbitionem ex Lenticula acida ad heminam*, hoc eſt *ad* ℥. *x.* acidam facit aceto, *lib. de affect. numer.* 39. An Lenticula paluſtri, an ſativa utatur, Hippocrat. non explicat, unde dubia manet electio; cùm verò Lenticulam exhibeat ferè ſemper in inflammationibus, & in magnis æſtibus ſanguinis, cenſendum eſt uti decoctione paluſtris, quæ iſtos compeſcit ſola applicatione herbæ pedibus. Hinc documentum habemus, poſt purgationes in magnis febribus, & cum æſtu, & fervore in maſſa ſanguinea, exhibendi refrigerantia, quæ hæc moderentur; cùm à purgante augeantur, nos poſſumus uti *Sero caprino diſtillato, Aqua Nocera, Aqua Sonchi, florum Papaveris erratici, & Nymphea, cum ſucco Limonum, Granatorum, Spiritu Vitrioli, Ol. Sulphuris.* Conveniunt enim acida, ratione bilis, & hac intentione ſorbitionem Lenticulæ acidam aceto parat; & notandum, ſorbitionem indicare Lentem coctam, contuſam, & humido aliquo, ſeu ſua decoctione diſſolutam, quo modo exhibet etiam ſub ratione cibi *Betarum pinguium heminam, polenta inſperſa*, & ab utroque alvus abſtergitur.

Si à purgatione febris non minuatur, & ſymptomata morbi non remittant, ad venam ſecandam transeundum, ob rationem ſuperiùs allatam ex doctrina *Martiani.*

Ab his remediis ſtatim tranſit Hipp. ad diœtam, ſi febris citò acutiem dimittat, & lentæ naturam aſſumat, quia tunc aliam curationem expoſcit; cum victus ratione morbis acutis ex decidentia convenienti, quæ ab omnibus paulò plenior determinatur; ſi verò non tam citò hunc tranſitum confecerit, curanda ſicut aliæ inflammationes, & præcipuè cum diſcoagulantibus, & volatilibus, de quibus actum eſt *de Angina, de Pleuritide, de Peripneumonia*; aliqua ſolùm ſpecifica addenda, de quibus inferiùs, & quæ ex *Saturni Saccharo.*

Inflammationis periculo ſuperato, ſymptomatum reliquiæ extirpandæ, & febris lenta eradicanda; & licèt ſymptomata ſint varia, ut dolor, appetitus proſtratus, macies, tumor lienis, & febris lenta, curationem totam, omnibus aliis ſpretis, dirigit ad lienem, & quæ hunc attenuant, & deobſtruant imperat, dum ait: *Dato etiam, quæ ſplenem attenuare poſſunt, ſingulis diebus*, quia omnia alia ſymptomata, & febrem cognovit pendere à lienis obſtructione, & à ſanguinis in eo ſtagnatione; idcircò radicem tot malorum evellere tentat, ut unico ictu omnia tollat. Adeſt calor in liene, adeſt febris, & tamen calida exhibet, quia cauſam tollunt, & hac ablata, omnia illi conjuncta pereunt. Noſtri Medici, Hippocratis doctrinam non intelligentes, ubi adeſt calor, ubi adeſt febris, refrigerantia volunt, etiamſi cauſa exigat calida, ad productum magis reſpicientes, quàm ad producens, ſeu ad cauſam, & ita refrigerantibus continuis morbum incurabilem reddunt. Inter remedia pro ſplene, recenſet *Aſphodelii ſemen, aut Viſci folia, aut Fœnum-græcum, aut Viticis ſemen, aut Rutam, aut Mentham; ex his quodcumque volueris, in vino auſtero dato jejuno.* Et iſtis adjungenda diuretica, quæ *in lib. de affect. num.* 22. dixit attenuare lienem. Procraſtinanda non eſt horum remediorum exhibitio, quia ait Hippocr. *Opus enim habet morbus curatione; gravis eſt enim, & diuturnus, ſi non fuerit ſtatim curatus.* Aggredienda ergo citò cura cum ſplenĉticis deobſtruentibus, ut monet Hipp. Formulas iſtorum aliquas proponam, ex regno vegetabili, & minerali depromptas.

℞. *Rad. Gentianæ*
Raphani ſylveſtris
Chelidoniæ maj.
Rubiæ tinct. } *a.* ℥. *ij*
bull. in ℔. *ij. aquæ, vaſe clauſo, ad conſumpt. med. poſtea coletur; col. adde*
Tincturam Martis, vel Tartari ad ℥. *ij.*

Vel

℞. *Rad. Ari.*
Aſari
Rapontici
Rubiæ tinct. } *a.* ℥. *ij.*
bull. eodem modo, adde Tart. chalyb. ℥. *i.* ß. *& Sal Nitri Antim.* ℥. ß. *m.*

Vel

℞. *Fol. Sabinæ*
Abſynthii
Chamædrios } *a. m.* ß.
Cort. Fraxini
Tamariſci } *a.* ℥. *i.* ß.
Rad. Cappar.
Taraxaci
Filicis } *a.* ℥. *i.*
bull. eodem modo, adde
Spec. Dialaccæ ℥. *i. m.*

℞. *Linguæ Cervinæ*
Perſicariæ } *a. m. i.*
bull. eodem modo, adde
Spec. Diacucurmæ, ſed recenter factæ, ℥. *i.*

Poſſunt, ad normam Hippocratis, ex iſtis parari Vinum medicatum, vel eadem ſimplicia Vino mixta exhiberi; & ſi *Chalybs* in Vino infundatur, vel ligata ejus limatura in nodulo, ſuſpendatur in vaſe, in quo decocta parantur, hæc efficaciora evadent. In uſu horum remediorum omni tertio, vel quarto die purgandum, ſed blandè, *Pil. de Ammoniaco Querc. ad* ℨ. *i.* vel *Pilul. Aggregativis ad* ℈. *ii.* addito *Mercurio dulci gr. xvi.* talis enim evacuatio Epicratica valdè confert, & naturam non offendit, & per menſem perſeverandum in his remediis; morbus enim longus ex ſui natura, citam non admittit curationem.

Chalybeata ultimam manum curationi dabunt, poſt dicta remedia alterantia: variæ ſunt compoſitiones ſub forma *Syr. Oxymel. Electuarii, Pulveris, Tincturæ, Croci*; his omnibus *Chalybem* in ſua ſimplicitate præfero, *& ejus Scobem ad* ℈. *ij. ter in die exhibitam jejuno ſtomacho, poſt prandium à quatuor horis, & poſt cœnam*, ſuperbibendo ſemper ℥. *ij. Vini infuſionis cort. Tamariſci, & ligni Saſſafras*, vel hunc pulverem:

℞. *Chalybis in pulv. redact. part.* I.
Caſſiæ ligneæ part. iij.
Sacchari quant. ſat. ad pulverem gratum efficiendum.

Hujus ℨ. *i. eodem modo ter in die exhibeatur, cum eodem Vino.*

Vel

℞. *Fruſtum Chalybis ad* ℔. *i. candens extinguatur in Vini malvatici* ℔. *vi.*

bis, vel ter de hoc Vino capiat æger ℥. *ij. cum Aqua Cetrach, Capparor. vel Cicoriæ ſylveſtris.* His remediis chalybeatis per alium menſem utendum, omni tertio die purgationem inſtituendo cum prædictis Pilulis. *Decoctum Splenis Bovis Quercet.* ſpecificè prodeſſe dicitur.

Dum hæc adhibentur, *Emplaſtra* etiam lieni applicanda. Inter hæc præfero omnibus *Emplaſtrum de Nicotiana*, cujus deſcriptionem vide *in Pharmacopea Auguſt. reform. Emplaſtrum de Cicuta*, cujus deſcriptionem habet *Sennertus*; *Sinapiſmus ex Sinapi contuſa, & Urina in formam emplaſtri redacta*, commendantur.

Ultimo loco advertant Medici corroborandum eſſe ſtomachum, cùm hi morbi, ſicuti omnes chronici, vel à vitiata alimentorum digeſtione in ventriculo oriantur, vel ab iſtis digeſtio vitietur; idcircò conveniunt remedia de cruditate acida deſcripta.

Si à propoſitis remediis non melius habeat æger, uſtionem lienis imperat Hippoc. *decem magnis cruſtis in re-*

in regione lienis inuſtis, cum fungis exſiccatis. Hoc remedii genus ab Hippocr. in frequenti uſu habitum, ægrorum ſordida mollities, & turpis Medicorum adulatio à Medicina ejecit, cum detrimento ægrorum, cùm inter Recentiores Medicos *Bauhinus* fateatur, uſtionem lienis ſuo tempore, cum felicitate, & utilitate fuiſſe exercitam: locum uſtionis, ajunt eſſe illum, ad quem cubitus ſiniſter verſus lien inclinatus pervenit, & poteſt talis locus eligi, ubi lien totus eſt tumidus, ubi verò ſecundùm aliquam partem magis tumet, in hac uſtio eſt facienda.

Diœtam *cit. loc.* deſcribit *Hippocr.* & in duobus diebus purgationi proximis hanc diminutè concedit, & cum alimentis alvum ſubducentibus; ait enim: *Poſtera verò, & tertia die* (primo deſumpto à purgatione) *panem parvum dato; pro obſonio autem lenticula utatur, & carne Suilla in lenticula cocta trita. Vinum bibat auſterum nigrum, paulò meracius.* Obſonium correſpondere debet pani: hic conceditur parvus, tale ſit obſonium. Vinum meracius concedit, quia partibus circa inteſtina affectis prodeſt, ut ſcripſit *lib. de vict. rat. in acut. numer.* 25. Lien eſt circa inteſtina, Vinum auſterum, hoc eſt forte, & robuſtum, durum, atque ingratum, ad robur atque ſiccitatem commodum eſt, ut docet *lib. de affect. num.* 50. & in hoc affectu principaliorem indicationem ſibi proponit exſiccandi, ut patet ex textu, in quo *carnes caninas* concedit, *ſalſamenta, & ſaperdam,* quæ non ſunt niſi piſces ſaliti, *raphanidam, & apium,* Vinum meracum, quæ omnia exſiccant. Hanc indicationem expreſſit, quando dixit *Dato, quæ lienem attenuare poſſunt,* & idem eſt, ac exſiccare. Hæc indicatio à natura morbi emergit. Humor in liene redundat cum tumore, uterque auferendus; ſola exſiccantia id præſtare poſſunt. Diœta exſiccantibus alimentis compleatur, huic conjungatur exercitium, quod imperat Hippocr. *in deambulationibus, & in ſecandis lignis per triginta dies, & ſummis humeris luctetur; nam quieſcens anima non abſumit humidum è corpore, labor verò ſiccat, & corpus firmat;* ita ſcribit *Hippocr. 2. de Diœt. numer.* 24. Speciem motus eligit, præter deambulationes, in qua æger ſummis humeris luctetur: talis eſt motus, qui exercetur in ſecandis lignis: per hunc motum ad humeros copia ſanguinis deducitur, cujus portio ab excitato calore à motu conſumitur quidem, & præcipuè fluidior, tenuior; remanent verò craſſior nutrimento ſolido apta, à qua claviculæ emaciatæ renutriuntur.

C A P. XXIX.

De Dolore Splenis à Bile.

Hujus morbi deſcriptionem tradit *Hippocr. in lib. cit. numer.* 34. ubi habet: *Alius ſplenis morbus fit quidem ab jiſdem, à quibus prior; patitur igitur æger ab hoc morbo hæc: Venter inflatur, poſtea etiam ſplen intumeſcit, & dolores acuti in ſplenem incidunt. Color autem mutatur, & conſpicitur niger, pallidus, malicorii ſpeciem referens, & ex ore malè olet, & gingivæ malè olent, & à dentibus diſcedunt, & ex tibiis ulcera erumpunt, velut puſtulæ nocturnæ; membra verò attenuantur, & ſtercus non ſecedit.*

Arduam, & difficilem hujus textus expoſitionem faciunt illa verba in principio ejuſdem textus appoſita: *Alius ſplenis morbus fit quidem ab jiſdem, à quibus prior,* nempè à bile commota, & in ſplenem attracta; ſed qua ratione bilis à ſplene attrahatur, & vitio lienis ſanguis bile redundet, unde color flavus, malicorio ſimilis, & qua ratione ſplen à bile duritiem, & inflationem permanentem accipiat, valdè difficile eſt explicare, & maximè inhærendo principiis in explicatione præcedentis textus propoſitis. Senſum meum debiliter exponam meliora ab aliis expectans.

Certum eſt, Hippocr. velle morbum deſcriptum fieri à bile in ſplenem attracta, ſicut in præcedenti affectu, ſed certum eſt, non velle fieri eodem modo; nam in priori febris ab hujuſmodi bile accenditur, & calor ab eadem in liene, quæ à morbo in præſenti textu deſcripto omninò excluduntur, cùm de his duobus nihil dicat Hipp. imò diverſa recenſet ſymptomata à ſuperioribus.

Cauſa ergo hujus morbi, eſt bilis à ſplene attracta, ſeu potiùs ad hunc fluxa; ſed diverſo modo agens, ac in priori declarato morbo.

Pro hac modi diverſitate exponenda, aſſumo duo principia à Recentioribus communiter accepta: Primum eſt, lieni inſitum eſſe fermentum acidum volatile, quo fermentationem inſpirando in receptam ſanguinis portionem, excrementa in hac contenta blandè diſponit ad ſeparationem ſuſcipiendam in ſuis receptaculis, vel vaſis ſeparationi deſtinatis; hinc volunt, bilem in hepate ope fermenti lienaris ſeparari, ſerum in renibus, & lympham in glandulis. Hoc acidum lieni ineſſe, colligunt Recentiores ab odore, & ſapore lienis acidum redolentis; & experientia manifeſtans à mixtione fruſtulorum lienis cum lacte hoc coagulari, non aliter, ac à coagulo acido.

Hoc acidum in liene eſſe volatile, multitudo nervorum in hujus viſceris ſtructura concurrentium perſuadet, quia cùm non ſint dati ad motum, cujus eſt incapax, non videntur ad alium finem nervi conferre, quàm ad ditandum hoc viſcus copia ſpirituum animalium, quorum ſunt vehiculi nervi, ut volatilitate iſtorum fermentum lienis volatile reddatur, materia iſtius, cum illa ſpirituum mixta; volatile enim additum fixo, hoc fit volatile, juxta tritum principium chymicum; ad hunc volatilitatis gradum evectum fermentum, perfectionem, & energiam operandi nanciſcitur.

Alterum principium eſt: Dari in corpore ſubſtantiam acido contrariam, & eſt bilis, cujus ſal, quia alkalicum, ut ajunt Recentiores, eſt acido contrarium, ſi unum ex iſtis in virtute prævaleat alteri, contrarii debilioris actionem mortificat, & extinguit; ſi bilis excrementitia alkalicum ſal continens, quia acidum in corpore exiſtens mortificat, in ſanguine redundet, & ad lienem fluat, hoc eſt ſi ſanguis fluens ad lienem, particulas aduſtas ſalino-ſulphureas, ſeu biliofas, dictas alkalicas, in copia contineat, & lienis acidum ſit debile, enervatum, omnis actio iſtius à bilis activitate diſſipatur; hinc ceſſat iſtius operatio ad attenuandum, volatilizandum ſanguinem, & ad hunc diſponendum pro depoſitione ſuorum excrementorum in deſtinatis receptaculis, ideò hæc in ſanguine remanent, & ab iſtis depravationem ſentit in craſſitie, lentore, & tarditate motus; hujuſmodi retenta excrementa adeò cum aliis particulis ſanguinis uniuntur, ut ſeparari non poſſint, niſi in pauca quantitate.

Hujus probationem habemus in colore cutis deſcripto ab Hippocrate in hoc textu, *malicorii* colorem æmulante; hic aliam cauſam non agnoſcit, quàm humores excrementitios ſanguini mixtos ſpiritus ejuſdem opprimentes, eorumque lucem obfuſcantes, unde color cum nitore, & rubedine recedit, & fuſcus, niger, flavus, albus pro natura humoris prædominantis apparet. Et quia in præſenti caſu bilis vitio jamdudum explicato non ſegregatur in hepate, ſed delata cum ſanguine ad vaſa, & glandulas cutis, & per hanc cum ſeroſo humore diſperſa, ibique ſtagnans, & concreſcens, colore proprio ejuſdem bilis tingit, malicorii colorem æmulans: per hunc colorem hic affectus ab Hipp. deſcriptus differt à præcedenti. Hoc fundamento aliquibus placuit affirmare, omnem icterum à vitio lienis eſſe.

Prohibita ergo volatilizatione ſanguinis, & fermentatione adæquata iſtius in liene, ob acidum inſitum à bile debellatum, ſanguinis maſſa craſſa remanet, & in cellulis lienis receptus ſanguis ſtagnat, eaſque implendo, & tumorem, & duritiem hujus viſceris efficit. Salinæ partes ſanguinis, cùm à lienis fermento non poſſint volatilizari, in humido præcipuè ſeroſo liquantur, & ſulphureis particulis aduſtis bilis retentæ conjunguntur; ab hac diſſolutione ſalis, & unione ſulphurearum particularum bilis aduſtæ reſultat ſalſum valdè acre in ſero prædicto, quod in glandulis paroditibus, & ſalivalibus palati ſeparatum, malèque præparatum gingivas laxat, ut dentes diſcedant, ac corrodit, ut ulcuſcula efformentur, à quarum ſordibus, & putredine ab eis emanante, malus odor exhalat;

halat; quod ori etiam contingere videtur, ob humorum depravatorum miſcellam cum ſuo naturali excremento. Idem ſerum in liene retentum dolores etiam acutos, mordendo, & rodendo internas partes hujus viſceris, producit; nec mihi perſuadere poſſum, lienem totum membranoſis cellulis, & concamerationibus efformatum, & innumeris nervorum ramificationibus munitum, non eſſe exquiſito ſenſu donatum, ſed solùm obtuſo, ut plurimi ſentiunt, ſed perſuaſus ſum acutis doloribus eſſe ſubjectum, ob rationem prædictam, & multos dolores, quos inteſtinorum, & renum dicimus eſſe in liene. Eadem acrimonia, qua humores pariunt dolores acutos, eadem aperiunt ulcera in tibiis, quæ incipiunt à puſtulis nocturnis, ita dictis, quia de noctu erumpunt, & in tumorem elevatæ, poſteaque ſuppuratæ in ulcera degenerant. Sanguinis dicta depravatio nutritionem impediens membra extenuat, & atrophia exſiccat, & cum fermenta omnium partium ſuam conſervationem, & integritatem à ſanguinis perfectione accipiant; hoc depravato, fermenta depravantur, & omnes actiones ab eis emanantes languent; & nutritio deſinit, & ratione cauſæ materialis, nempè ſanguinis, & ratione cauſæ efficientis, nempè fermenti. Hac ratione dixit *Hippocrat. in lib. de loc. in homine numer.* 36. *Splenem fieri magnum, cùm corpus attenuatur; ex iiſdem enim ſplen floreſcit, & corpus contabeſcit*. Ab hac fermentorum depravatione in ventriculo, & inteſtinis cruditates proficiſcuntur, & excrementa colliguntur in principio morbi, nec tumore in liene apparente, cùm læſio fermentorum ſtatim ſuccedat læſo lienis fermento, dictæ cruditates ſunt materia flatuum, à quibus venter intumeſcit. *Stercus non ſecedit*, fermento vel diſgregativo, vel præcipitativo fœcum ab utili humore, deficiente, vel extenuatis inteſtinis, eo modo quo aliis partibus motus periſtalticus ad fœcum expulſionem neceſſarius deficit, ideòque alvus non ſecedit.

Febris non accenditur in hoc affectu, ſicut in præcedenti, quia humor in liene ſtagnans non effervèſcit, nec putreſcit, ut febrilem calorem in maſſa ſanguinea acendat, prout ſuccedit in humore ſtagnante cum inflammatione partis, in qua ſtagnat, & bilis, licèt apta effervefcentiam in maſſam ſanguinis inducere, unita ſali fixo torpeſcit.

Signa diagnoſtica, ſunt manifeſta *in text. Hippocr.* Prognoſtica, eadem cum priori ſunt cenſenda, cùm eadem ſit curatio, & cùm curationem à ſola lienis uſtione expectet, morbum gravem, & periculoſum exiſtimare debemus.

Curam ibi *in cit. loc.* lege; de uſtione V. *in Marinel. Vetio*, *Bonet.* 920. §. 1.

Curationem perficiendam jiſdem remediis in ſuperiori curatione propoſitis, decernit Hippocrat. dum ait: *Jiſdem Pharmacis, & eduliis, & potibus, & laboribus aliis omnibus purgato*. Purgatio ergo modo prædicto præmittenda, relicta ſanguinis miſſione, quia humores excrementitii ſine febre, & inflammatione peccant, & iſtis venæ ſectio non convenit. Medicamenta, quæ lien attenuant, præſcribenda, & præcipuè quæ ſale volatili donata attenuant, & volatilizant humores craſſos, & acidum lienis ad ſuam ſpiritualitatem reducunt. At quia humorum acrimonia corrodens apparet in gingivarum eroſionem, & ulcerum eruptione in tibiis, quæ omnia, licèt curata, lienis indiſpoſitione evaneſcant; manifeſtam tamen præbent indicationem attemperandi acrimoniam humorum, ſi prædicta accidentia in pejus ruant, & illis localia applicanda remedia pro gingivis, & ulceribus ſanandis.

Inter attemperantia ſunt, *Malva*, *Biſmalva*, *Hordeum*, *Liquiritia*, *Paſſulæ*, *Sebeſten*; ex iſtis aliqua miſcenda cum ſupradictis decoctis, vel poſt quatuor, vel quinque horas à cibo exhibeatur decoctum ſupradictum *Foreſt. ad* ℥. *x.* vel *Emulſio ſem. Melon. Papaveris, & Amygd. d. extracta cum Aqua florum Papaveris errat. & Malvæ*.

Ad gingivas confirmandas, & earum eroſionem auferendam valet præ omnibus *Tinctura Laccæ Mynſicht, & etiam ejus decoctio in Aqua Sedi majoris, cum Alumine uſto* ℥. *i. Laccæ* ℥. *ij. ſtent in infuſione in loco calido per xxiv. horas, poſtea filtrentur, & gingivæ illiniantur:*

Vel

℞. *Myrrhæ ſ. p.*
Laccæ ſ. p. } *a.* ℥. *i.*
Sacchari cand. ſ. p. ℥. ß.

in cavitatibus albuminis ovi duri, extracto vitello, imponantur, uniantur filo partes ovi, & in loco humido reponatur, liquor extillans colligatur, & eo gingivæ liniantur.

Ulcera tibiarum abluantur *Aqua Calcis*, poſtea curentur cum *Unguento Tabaci*; deſcriptionem habet *Hildanus*;

Vel

℞. *Unguenti Tutiæ* ℥. *i.*
Præcip. Vigonis ʒ. *i.*
Succi Tabaci q. ſ. F. linim.

Vel

℞. *Bol. Armenæ*
Terræ ſigill.
Tutiæ præp.
Cornu Cervi uſti } *a.* ʒ. ß.
Corall. præp. ℈. *i.*
Antim. diaphor. ℈. *i. ſ. p.*

& cum Ol. Hyperic. & Ung. ex Succis excipiantur in formam linimenti.

Alvus ſemper adſtricta Clyſteribus aperienda: utitur Hipp. pro Clyſtere *Decoctione Betarum*, cui addit *Mel. & Sal. Nitrum*.

C A P. XXX.

De Tumore Lienis à Sanguine.

Tumorem lienis à ſanguine deſcribit *Hippocr. in cit. lib. de intern. affect. numer.* 35. *Alius ſplenis morbus fit in anno, Veris tempore, verùm à ſanguine.* (Hic tali tempore dominatur, non ut quartus humor, ſed ut complexus omnium humorum maſſam ſanguineam conſtituentium; dicitur verò tempore Veris dominari, quia à frigore Hyemis mortificatus ejus ſpiritus concentratus, fomentis, & propugnaculo indiget, ut corporis neceſſitatibus proſpiciat; tempore autem Veris à calore aeris ab oppreſſione vindicatus, fervet, ebullit, turget, venas implet, & calorem, quem tempore Hyemis ab externis mendicabat, ſolus toti corpori liberali manu ſuppeditat; ideò dicitur tempore Veris dominari.) Subjungit Hippoc. *Quum enim repletus fuerit ſplen ſanguine*, quia pleno curſu in hunc fluit, & quantum ſanguinis arteriæ illi conſignant, tantum venæ non revehunt, ut ſuperiùs innui; ideò facilè eſt ſplenem impleri à fluente per illum ſanguine tempore Veris, & eò magis impletur, & citiùs, ſi adſit impedimentum obſtruens venas revehentes ſanguinem pro circulatione. Vitio nervorum per totum hoc viſcus ſparſorum, & per ſuas concamerationes, & cellulas vitiatas plenitudo contingere poteſt; dati enim ſunt nervi copioſi, non ſolùm ad volatilizandum ſanguinem, ſed etiam ad expulſionem iſtius è cellulis, & impulſionem in venas revehentes, quæ peragunt motu ſimili motui periſtaltico inteſtinorum; ſi hic motus languidè, ob vitium ſubſtantiæ nervorum vel ſpiritus animalis peragatur, parva portio ſanguinis à cellulis expellitur, & in venas impellitur remanente majori portione in cellulis, cui addita nova portio ſanguinis ab arteriis delata, brevi tempore, & in cellulis, & vaſis connexis, arteriis nempè, plenitudo ſanguinis colligitur; cellulæ ſi humore viſcido impleantur, in eiſque magis craſſeſcat, non admittunt novum ſanguinem, cui cogitur in vaſis ſtagnare, cum plenitudine.

In hac plenitudine ſanguinea lienis, non eſt inflammatio, quia eſt ſine febre; eſt tamen diſpoſitio ad hanc. *Erumpit in ventrem* (ſunt verba Hippocrat.) Lien ſanguine ad ſatietatem turgens, alium ſanguinem nauſeat, cùm iſti non ſit locus in ſua ſubſtantia, ideò retrocedere cogitur per alia vaſa proxima per ventrem diſperſa; unde rectè ab Hippocrat. dicitur erumpere in ventrem. Erumpendo ſanguine, ſeu pleno curſu ingredien-

te ar-

te arterias, hæ magis dilatatæ pulſant majori impetu, ut pulſus in ventre viſibilis evadat, & venæ etiam iſtis arteriis correſpondentes à ſuſcepta copia ſanguinis dilatantur, & varicoſæ fiunt, ut obſervatum eſt in diſſectione cadaverum. *Et dolores acuti in ſplenem incidunt, & in mammam, & in claviculam, & in humerum, & ſub ſcapulam* (ita ſubjungit Hippocr.) Dolor ſplenis præcedit à violenta diſtenſione cellularum membranoſarum à membrana eum veſtiente, quæ dum lien augetur violatur, diſtenditur, & à qualitate acri ſanguinis, à ſtagnatione, & fermentatione morboſa contracta. Dolor aliarum partium pendet à conſenſu, & connexione nervorum lienis, cum nervis earumdem, ut notat *Vvilliſius in tract. de nervorum uſu*, ubi docet, & demonſtrat plexum nerveum lienem reſpicientem, cum ventriculo, meſenterio, hepate, ac rene propinquo, cum præcordiis, aliiſque partibus diſſitis remotius communicare, unde liene affecto iſtis partibus affectio communicatur, & viceverſa turbatur lien ab iſtarum turbatione: vide *cit. tract. cap.* 27. *Color autem corporis eſt plumbi formis*, ſunt verba Hippocr. ubi enim ſanguis craſſeſcit, & condenſatur, atrum colorem, obſcurum, fuſcum contrahit, ut plumbi colorem referat, ut patet in ſanguine extravaſato ob contuſionem partis, & ſimili cutem tingit; per hunc colorem diſtinguitur hic morbus lienis à ſanguine, à priori, qui fit à bile ſolùm, in quo color adeſt ſimilis colori malicorii, & à primo cum febre, quia præter hanc color eſt Pallidus. *Parva ulcuſcula, velut lancinata*, hoc eſt velut à laceratione cutis, & carnis, *in tibiis exurgunt, ex quibus ulcera magna fiunt.* Harum cauſa eſt ſanguis craſſus, quia à liene non elaboratus ob vitium deſcriptum, ſua craſſitie ſtagnat, ſecundùm aliquam ſui portionem in tibiis, in quibus magis craſſeſcit ob diſtantiam à fonte caloris, ſtagnando putreſcit, & qualitate acri, & corrodenti à putredine acquiſita, corrodit, & ulcerat, & concurſu novi ſanguinis putredinem ſubeuntis ulcera dilatantur. *Quæ primum infra ſecedunt, ſanguinolenta ſunt, & æruginoſa.* Hæc verba Hippocrat. puto intelligenda eſſe de fæcibus alvi, quæ in principio egeſtionis quotidiè, vel quotieſcumque alvus movetur, ſecedunt, non in principio morbi; hæc ſanguinolenta ſunt, erumpente ſanguine ab hæmorrhoidibus, & æruginoſa, non acrimonia, ſed colore, ob admixtionem ſanguinis cum aliis humoribus, ab aliis etiam vaſis per inteſtina diſperſis fluere poteſt dictus ſanguis, ratione plenitudinis, quam coacervari diximus in dictis vaſis. Subjungit Hippocrat. *Et venter durus ſubit, hoc eſt creſcit, & ſplen velut lapis eſt.* Creſcit durus venter, quia inflatur; à fermentante enim fluido ſanguine in vaſis lienis ſtagnante, vel tardè circulante, vapor exit, cavitates inteſtinorum, imò ipſorum fibras, & tunicas diſtendens; ſic ventriculum, & etiam inteſtina à fermentante in eis alimento obdureſcunt, quæ ſummè diſtenduntur, etiam indurantur, ut paret in folle ab aere intruſo diſtenſo, quo enim magis diſtenditur, eò magis obdureſcit. Lien fit durus, ut lapis, quia ſanguis concreſcit, & incraſſatus obdureſcit, & fit ſcyrrhus; quando tumor ad lapidis duritiem devenit, dicitur ſcyrrhoſus, ideò Hippocrat. quando dixit, eſt durus, ut lapis, non dixit dolere, quia tumor ſcyrrhoſus non dolet, & quando in ſuperioribus dixit, de doloribus lienis cum tumore, hunc non conjunxit cum duritie ſaxea. Hic tumor fit progreſſu temporis, cùm tumor durus in principio morbi numquam obſervetur.

Cauſa ergo immediata hujus affectus, eſt ſanguis craſſus ob deficientiam fermenti lienalis ſtagnans, & concreſcens in liene. Cauſas externas recenſet in principio textus, olera multa, & aquam, quæ pituitæ generationi concurrunt.

Signa hujus affectus clarè patent. Prognoſtica dat Hippocr. in ſubſequentibus verbis: *Hic morbus magis lethalis eſt, quàm priores, & ex ipſo pauci effugiunt.*

Curationis initium facit Hipp. purgationem cum eiſdem medicamentis, ac purgatum eſt in ſuperioribus morbis lienis; ait enim: *Iiſdem purgato, quibus & priorem.* Advertit tamen non utendum illis, quæ vomitu movent; qua de cauſa *Veratrum* excludit in primo morbo præſcriptum, & ſolo *grano Cnidio* contentus eſt. Vomitum prohibet, quia lien cùm ſit ſanguine turgidus, & per vomitus conatum facilis ſit eruptio ſanguinis ab eo ſuperiora, ad hoc magnum inconveniens evitandum, vomitum prohibet.

Facta purgatione pharmacis, alteram imperat poſtera die, ſed *Lacte equino cocto ad quantitatem octo heminarum*, hoc eſt ad noſtras uncias ſeptuaginta duas: Lacti *Mel* miſcet pro vehiculo, à quo Lac per inteſtina ad exitum ducatur. *Si non adſit in promptu Lac equinum, bubulum, vel caprinum* ſubſtituit *coctum ad congios duos*, cui pendent libras ſexdecim noſtri ponderis. Poculis Lactis, *Mel* alternatim miſcet. Lac equinum magis eſſe purgans, in hoc docet, cùm in tripla ferè proportione alterum Lac exhibeat; magna quidem eſt quantitas, & temporibus Hipp. inveniebantur homines, qui hanc quantitatem Lactis, & accipere, & tolerare poſſent; noſtris verò temporibus neminem puto inveniri, qui Lactis libras ſexdecim horæ ſpatio ingurgitet ſine detrimento; per hoc tamen non dimittendum hoc remedium, ſed Lac tali modo præparatum in ea majori quantitate exhibendum, quàm patiens tolerare poſſit: ad veſperam poſt hanc purgationem imperat, ut exhibeantur, quæ in priori, & primi morbi lienis curatione exhibuit, nempè ad veſperam *Decoctum Lenticulæ acidioris heminam, & Decoctum Betarum pinguium heminam, polenta inſperſa.*

Hac purgatione peracta, ait: *Ab interna cubiti ſiniſtri vena ſanguinem detrahito, ſi viſum fuerit*, hoc eſt ſi omnia permittentia ſanguinis miſſionem adfuerint, & nullum adſit prohibens, quia redundantia ſanguinis in liene eſt verum indicans miſſionis ſanguinis.

Subjungit poſtea: *Reliquis diebus, quotidiè jejuno lactis bubuli quatuor heminas dato;* quælibet hemina pendet uncias novem; *tertia muriæ parte ammixta*, ideſt aquam ſalſam diſſolutionem ſalis in ea, donec ſal amplius non diſſolvatur ab aqua. Pro muria, accipitur etiam muria carnis porcinæ ſalitæ, & eſt illud liquamen à dictis carnibus ſale conditis emanans. Hoc liquamen ad ignem in lebete ponitur ad coquendum, optimè deſpumatur, donec ab omni immundirie ſit liberum, poſtea in vaſe fictili infunditur, donec refrigeratum ſit; per annum reſervetur. Eſt muria ex piſcibus ſalitis, quæ eodem modo paratur; Ego eligerem ſemper illam ex carne. De muria, vide *Salmaſium in Notis ad Solinum.* Utitur Hipp. muria, quia Lac dejectorium vult, cui ſal abſterſione, & irritamento ſervit, & etiam ad impediendam Lactis coagulationem. Tempus uſus hujus remedii non determinat Hippoc. certum eſt, ex verbo *quotidie*, per plures dies exhibendum eſſe. Alias utilitates ſperare poſſumus à dicta muria; nam incidit, abſtergit, conſumit ſuperfluitates, penetrat, aperit, quæ omnia in caſu noſtro conveniunt. Ulterius, ſuperfluum, & hoſtile ſal in humoribus exiſtens combibit, & ſecum per urinam, vel alvum rapit; & patet manifeſtè in urinæ diſtillatione, in qua ſale volatili urinoſo per alembicum exeunte, in fundo remanet ſal eſculentum, à quo imbibita fuerunt ſalia volatilia urinoſa, per diſtillationem ab eo ſeparata: confirmatur à Sale communi, quo carnes condiuntur; hoc paucis diebus in liquamen ſanguineum abit, quod diſtillatum, ut docet *Hoff. in Clavi Schroder.* Sal volatile urinoſum præbet, quod non eſt niſi ſal volatile carnium abſorptum à ſale, quo conditæ fuerunt. Amplius, qui coacti ſunt ex neceſſitate à ſale abſtinere, in multos incidunt morbos, & etiam febres peſtilentes, ob ſalia ſylveſtria in maſſa ſanguinea remanentia, à quibus coinquinatur, & corrumpitur, & quæ à ſale communi, ſi cum cibis aſſumerentur, imbiberentur, præcipitarentur, & foras educerentur; hac ratione muria deſcripta ab *Hoffman.* in peſte eſt efficaciſſimum remedium, ſudorem, urinam, & alvum movendo. Eodem motivo poteſt etiam exhiberi in caſu noſtro, etiamſi ſint ulcera, & corroſivi humores ſuperabundent, ob rationem datam. Corrigit etiam muria omnes Lactis qualitates, per quas ejus uſum in Lienoſis prohibuit *Hippocr. lib. 2. de morb. nu. 6.* Si mentem, & intentionem Hipp. in exhibitione Lactis attigerimus, etiam tempus illius exhibitionis cognoſcemus; non alio fine Lac exhibere credendum eſt, niſi pro integra curatione deſcripti morbi: Hujus longitudo, remedii longi-

longitudinem denotat, & in ſimilibus morbis ad quadraginta dies, & per duos menſes Lac propinat Hippocrat. & ſi intra hoc ſpatium morbus ad meliorem indolem non reducatur, dimittendum remedium, utpotè inutile in individuo, quamvis proprium pro curatione morbi in genere.

In principio morbi, quæ validam effervеſcentiam cohibent, ſunt neceſſaria multoties repetita, & quæ diſcoagulant de renum affectibus propoſita.

Indurato verò liene in progreſſu morbi attenuandum ſpecificis, & præter Lac ſupradictum, paretur Decoctum *ex cort. Cappar. Scolopendria, Chelidonia, ſemine Rumicis ſylveſtr. acuti, ſeu Lepatii acuti. Aetius* commendat *folia, & corticem Salicis. Semen Viticis contuſum, & cribratum ad ℨ. ij. cum poſca*. Commendat pariter *Bryoniæ radicem ſiccatam, contuſam, cribratam, reſervatam in vaſe benè munito contra aerem, & ventum, ad cochlear unum*, ideſt ℨ. *i.* Aliud componit *ex Scylla aſſata, & cort. Cappar. a.* ℨ. *i. exhibet cum poſca. Squamæ ferri ſeparatæ, dum ferrum ignitum Ferrarii in aqua extinguunt accipiantur, ſupra porphydum in tenuiſſimum pollinem redigantur; hujus ℨ. i. miſceatur cum ℨ. i. cort. Tamariſci pulverizati, vel Saſſafras, cum decoctione Scolopendriæ exhibeantur. Antidotum de oſſibus* ſupra omnia extollit *Aetius*, ejus deſcriptionem vide *tetrab.* 3. *ſerm.* 4. *cap.* 47. Optimum eſt ſequens:

℞. *Sem. Geneſtræ* ℨ. *ij.*
Piperis
Coſti
Scolopendriæ
Spicæ Nardi } *a.* ℨ. *i.*
Ammoniaci in aceto diſſoluti quant. ſat. ad excipienda omnia prædicta in pulver. redacta, addendo
Pulver. ex ſquamis ferri modo ſupradicto parati ℨ. *ij.*

Exteriùs applicentur *Emplaſt. ex Cicuta, Emplaſtr. Spleneticum Foreſti; deſcribuntur in Clavi Schrod.* In principio applicanda emollientia *ex Ammoniaco, Bdellio pingui, & Styrace*; emollito tumore, utere hoc Empl.

℞. *Aluminis liquidi*
Sulphuris vivi
Nitri
Ammoniaci
Mannæ
Cort. rad. Cappari
Farinæ tenuiſſimæ rad. Cyclam.
Reſinæ Pin. } *a.* ℨ. *i.*
Olei Cyperi q. ſ. pro Empl.

Salis flos in veſicam impoſitus, & calidus ſupra lienem applicitus, valdè efficax eſt in liene indurato. *Salis flos* eſt floſculus ſalis vicinis petris, ubi reſervatur adhærens. Potus, cibos, labores in ſuperiori curatione deſcripta laudat, Prohibet Venerem, & ebrietatem. Uſtionem etiam proponit lienis; videndus textus.

CAP. XXXI.

De Tumore, & Dolore Lienis à Pituita.

DE hoc morbo verba facit *Hipp. lib. cit. n.* 36. his verbis: *Alius ſplenis morbus accidit, & hic morbus Vere maximè, cùm ſplen pituitam aſſumpſerit in ſe ipſum, & ſtatim magnus factus fuerit, & durus, & deindè rurſus ſedatur, & cùm quidem elevatus fuerit, dolores incidunt acuti; quum verò mollis fuerit; doloris exors eſt; & ubi diuturnus factus fuerit morbus, obſcurior eſſe videtur, & inſurgit, & citò ſedatur. Hic cùm ſic habuerit, in principio morbi cibos admittere non poteſt, & citò attenuatur, & corpus impotentiam multam habet. Morbus autem, ſi non ſtatim curatus fuerit, aut ſua ſponte quieverit, interpoſitis quinque, aut ſex menſibus, rurſus ſurgit; intermittit autem maximè per hyemem.* Et in fine addit: *Hujus autem color fit exalbidus, ſubpallidus, ſqualidus.*

Ex hoc, quòd lien ſubitò magnus evadat, & durus, deindè rurſus ſedatur, motivum mihi præbet determinandi, augmentum, & duritiem lienis, non à pituita fixata in ſubſtantia lienis evenire, quia non poteſt tam brevi tempore per *ſtatim* ſignificato, totam capacitatem cellularum implere, ut ſit ſufficiens ad illius magnitudinem augendam, multò minus ad duritiem introducendam, quæ requirit copiam materiæ conculcatam, & compreſſam, & in ſe coactam, ut tactui prementis reſiſtat: multò minus magnitudo, & durities à materia pituitoſa facta, ſtatim poteſt *ſedari*, ſuperveniente mollitie; per ſedari intelligendum eſſe ſplenem mollem fieri, colligitur à verbis ſubſequentibus, *Cùm verò mollis fuerit.* Sed potiùs mihi videtur probabile, magis hunc morbum fieri quidem à pituita in lienem illapſa, ſed in flatus reſoluta; morbi enim, qui citò adveniunt, & citò recedunt, à flatu fieri pro axiomate à Medicis recipitur.

Et ita pituita erit cauſa mediata, & remota hujus affectus, flatus cauſa immediata, & proxima. Et omnes res non naturales, quæ pituitam congregare valent, erunt ejuſdem morbi cauſæ extrinſecæ. Tempore Veris fit hic morbus, quia ſanguis ab Hyeme, velut coagulatus ob calorem ambientis liqueſcit, & cum eo omnes humores, & pituita, quæ fluidior facta velociori fluxu, & in majori copia, quia liquefacta capillarium vaſorum capacitatem penetrat, & intra cellulas lienis admiſſa, ibique congeſta, unà cum ſanguine à calore lienis attenuata, vapores, & flatus in copia præbet, qui univerſas lienis poroſitates pervadendo, in eiſque retenti diſtendunt totum lienis corpus, & in tumorem attollunt; diſtenſio eſt talis, ut duritiem tumori communicet, modo ſuperiùs dicto.

Hanc doctrinam recepimus ab *Hippocrat.* qui *in lib. de intern. affect. numer.* 26. loquendo de Hydrope cauſa hepatis, habet: *Cùm in hepar pituita acceſſerit, & humectum fuerit, ſtatim huic calorem exhibet, & flatum inducit.* In iſta diſtenſione violenta dolores inſurgunt acuti, ratione ſuperiùs adducta; mollis evadit lien, cùm flatus, & vapores expirant, quia diſtenſio cedit, & etiam dolor, cum eis evaneſcit, itaut morbus ab Hipp. deſcriptus, potiùs dicendus ſit inflatio lienis, ſed cum pituita, vel humore ſeroſo in eo ſtagnante.

Diuturnitate minor fit morbus, dolor obtuſior, & inſurgens citò deficit; hæc oſtendunt materiam minorari, & hanc interpollatè ad lienem fluere, & reſolvi. Per aliquod tempus cedit, uſquequò nova pituita colligatur in ſanguine. Hyemis tempus eſt ad pituitæ collectionem maximè opportunum; hoc tempore tamen dolor quieſcit, quia pituita ab extrinſeco frigore condenſata, non adeò diſpoſita eſt ad fluxionem per vaſa anguſta. Colores deſcriptæ conditionis in textu, ſunt proprii pituitæ, & ubicumque apparent in cute, pituitam dominantem indicant; redundantiæ ſeri tamen ſunt communia.

Signa diagnoſtica colliguntur ex dictis, ſicut etiam diſtinctiva ab aliis tribus differentiis explicatis.

Prognoſtica dat Hippocrat. in illis verbis: *Sic enim celerrimè ſanus facies*; & paulò inferiùs habet: *Decem cruſtas in ſplenem urito, & ſtatim ſanum facies.*

Curationem hujus affectus, brevi expedit Hippoc. In principio morbi *decem in ſplenem urit cruſtas*; hoc uno, & ſolo remedio curari poſſe, nulla præmiſſa purgatione aſſerit, cùm de hac nullam faciat mentionem; per cauteria inuſta credit evacuandam eſſe materiam pituitoſam flatuum mineram, & divertendam fluentem. Si verò vel uſtionem renuat æger, vel Medicus neglexerit, vel in principio morbi non acceſſerit eiſdem remediis, Pharmacis, cibis, potibus, laboribus, & exercitiis, ac in priori deſcripto *ſub n.* 33. utendum eſſe inſinuat. Flatus diſcutientia, ut *Viticis ſemen torrefactum, Melanthium, Serpillum, Thymum, Pulegium, Origanum, Rutæ ſemen, Raponticum, & Scordium*, prædictis remediis miſcenda, & quæ de Ructu propoſita fuere, licet & illis uti, quæ lieni opitulantur, cùm & flatus diſſolvant. Emplaſtra etiam ad uſum reducenda ſuperiùs propoſita, & pro flatus, & pro materiæ diſſolutione. Sequens Emplaſt. valdè efficax eſt:

℞. *Cat-*

℞. *Cardamomi*
Meliloti
Semen Sabinæ
Baccarum Lauri
Nardi Celtici
Sem. Apii
Aniſi
Thuris — *a. ʒ. ß.*
Styracis ʒ. iv.
Myrrhæ ʒ. iv.
Terebinthinæ ʒ: iv.
Ammoniaci ʒ. ij.
Ol. Cyperi ʒ. ij.
Vini q.ſ.F. Empl. lieni applicandum.

C A P. XXXII.

De Dolore, & Tumore Lienis ab Atrabile.

Alius ſplenis morbus fit, Autumno maximè, ab atrabile; fit quidem ab olerum multorum, quæ cruda eduntur, eſu, & ab aquæ potu; patitur igitur æger hæc, cùm morbus corripuerit: Splenem vehementer dolet, & rigor, & febris apprehendit, & inedia ipſum habet, ac cibos adverſatur, & corpus citò concidit; ſplen autem magnus quidem non valdè fit, verùm durus, & ad viſcera allabitur, & adhærens ſurgit. Hæc ſcribit *Hippocr. lib. cit. n.* 30.

Atram bilem eſſe cauſam hujus affectus, aſſerit Hippocrat. non illam atram bilem, quam producit aduſtio bilis flavæ, ſed illam, quæ communiter dicitur melancholia; ſolet enim hanc atræ bilis nomine deſignare: in tali ſenſu accipiendam eſſe atram bilem, hoc in loco probat Autumni tempus ab Hippocr. notatum, in quo melancholiam dominari, omnes cum Hippocr. ſentiunt; & materia, ex qua dicit generari hunc morbum, Hipp. confirmat *Olera cruda* ſunt materia, quæ melancholiam generant, non atram bilem aduſtam, cùm ſint aduſtioni contraria, atræ bili ab aduſtione materiam tribuere non poſſunt. Additur *Aqua* pro materia atræ bilis generandæ, hæc aduſtionem prohibens generationi atræ bilis, ex aduſtione minimè congrua eſt, ſed potiùs melancholiæ ſine aduſtione, prout deduci poteſt ex *Hippocr.* qui 1. *de morb.* lienem *Aquæ fontem* dixit, & in liene melancholiam ſuam ſedem habere, multis in locis firmavit. Ulterius, in enarratis ſymptomatibus nullum eſt, quòd ad atram bilem poſſit reduci.

Hic humor melancholicus eſt in primis qualitatibus frigidus, quia minus calidus, quàm cœteri humores, & ſiccus, non abſolutè, quia fluidus, & humidus, ſed reſpectivè ad alios humores, quia eſt tardior in motu, cùm ſit minus ſpiritoſus, ideò etiam minus fluidus, & etiam quoad effectus, cùm exſiccet: in ſecundis qualitatibus eſt acidus, & in Autumno majorem quandoque contrahit aciditatem, dum à calore Æſtatis acidum illius exaltatur, & majorem acquirit activitatem, quàm in Autumno, victis omnibus contrariis diſpoſitionibus, dum aciditas Æſtatis Autumno conſervetur, & tunc morbi melancholici pullulant, & præcipuè quartanæ, erraticæ, & diuturnæ, quæ pro cauſa melancholiam agnoſcunt.

Dolorem febrem præcedere ait *Hippocr.* ut declaret febris ſedem eſſe, ubi eſt dolor, juxta documentum ſcriptum *in aphor.* 33. *ſect.* 4. *Sed ſi qua etiam pars aliqua doluerit priuſquàm ægrotet, ibi formatur morbus*; quapropter ſi ſplen dolet, & poſtea dolori ſupervenit febris, concludendum eſt, febrem ſuam mineram in liene habere. Doloris hujus cauſam, & modum, ſecundùm quem fit, ſatis declaratum eſt in ſuperioribus; remanet ſolùm, pro hujus textus dilucidatione, explicare, quomodo ab humore dolorem excitante febris naſcatur. Febris, de qua loquitur hoc in loco Hippocr. eſt de genere illarum, quæ per acceſſiones revertuntur, cùm initium habeat à rigore omnibus febribus dicti generis communi; hujuſmodi febres oriri ab humore in obſtructis vaſis contento, cum *Sylvio de Le-Boe* demonſtravi *in Iride Febrili*.

Obſtructum lienem demonſtrat Hippoc. in tumore, quo hoc viſcus intumeſcere dicit. Quotieſcumque humor in tumore collectus fermentationem præternaturalem concipit, ac turget, humor fermentans, vaſa continentia dilatat, cum ſenſu doloris, ſi cum turgentia incaleſcit: præternaturali calore, & impetu ab hoc concepto, per vaſis alicujus obſtructi reſerationem viam ſibi aperit ad libertatem, ſanguinem circulantem in reſerato vaſe ſequitur, non ut ſocius itineris, ſed ut hoſtis, dum calore, & virtute fermentativa in loco obſtructo contracta, maſſam illius ad præternaturalem, & febrilem effervеſcentiam cogit; ita dolori febris ſuccedit, quotieſcumque materia doloris cauſa incaleſcit, & fermenti indolem contrahit. Dolorem calor ſequitur, ut adnotavit *Hipp. in lib.* 3. *de Diœta n.* 20. & in praxi obſervamus dolentem partem ſemper incaleſcere, & ſi ad tale augmentum calor deveniat, ut humor fermentativam qualitatem contrahat, & ſanguini miſceatur, febris accenditur; quod contingere in propoſito ab Hipp. caſu cenſendum eſt; & ita quotieſcumque dolor lienis præcedit febrem, & tumor illius adſit in liene, febris focus determinandus. Ab his diſtingui hunc morbum lienis à primò ſuperiùs deſcripto patet, cùm in illo febris ſit dolore prior, & ſit acuta, quæ non reperiuntur in præſenti morbo, & ab aliis, quis ſine febre ſunt, eò quia humor in iſtis præternaturali fermentatione non fervet, in hoc verò fervet cum fermentatione præternaturali, ſed eo modo quo humor melancholicus fervet, & febrem accendit quartanam, & etiam multas continuas.

Calor febrilis acidum ventriculi, à quo appetitus, diſſipando, vel enervando in ægro inediam, hoc eſt inappetentiam, efficit, & cibos averſari cogit, licèt acidum melancholiæ prævaleat, ſed corruptum, & putredinale, quia febrile, quod eſt acidi eſurini naturalis deſtructivum, ab his corporis languor ſubitus; proſtratis enim viribus à dolore, à febre, ab inedia, neceſſe eſt, ut corpus concidat.

Splenis adeſt tumor, ſed non magnus, at durus; non magnus, quia ſecundùm altitudinem non multum attollitur, ſed ab excreſcentia ſupra ſtatum naturalem lienis tumor diſtinguitur. Eſt durus tumor, quia materia hunc producens ſecundùm ſuas particulas conſtipatione, & condenſatione tam arctè conſtringitur, ut reſiſtat cuilibet preſſioni; ab hac reſiſtentia durities oritur. Viſceribus allabitur, hoc eſt approximatur, ob tumorem lien, inteſtino, vel ventriculo, vel reni, & iſtis adhærens ſurgit, ideſt elevatur verſus ſuperficiem ventris in ſiniſtra parte, itaut videatur auctus, quia magis conſpicuus. Adhærendo enim coſtis his reſiſtentibus, quia magis duris, quàm lien, comprimitur ſecundùm latus coſtis adhærens; hoc latere compreſſo, elevantur ſecundùm mediam ſuperficiem.

Cauſa ergo interna, eſt humor melancholicus collectus in vaſis, & cellulis lienis tumorem durum efficiens in iſtis.

Cauſæ externæ, ſunt olera cruda, & aqua, & poſſunt eſſe omnes illæ, quarum actio tendit ad generationem melancholiæ in copia.

Signa diagnoſtica, & diſtinctiva parent. Prognoſtica in fine *cit. ſententiæ* deſcribit Hipp. *Hic morbus in pleriſque, ſi ſtatim curatus fuerit, brevi decidit*, quia in principio humor eſt fluidus adhuc, & medicamentis ceſſurus eſt, ubi verò per ſtagnationem craſſitiem contraxerit, diuturnas medicamentorum actiones ſuſtinebit.

Cùm febris huic morbo conjungatur, aliquam, & particularem præbet indicationem, ſi fuerit cum magno, & acri calore conjuncta, & cum periodis diſtinctis, & uniformibus curationem exigit ſuæ periodicationi convenientem, cum hac tamen animadverſione, quòd refrigerantia in parva quantitate exhibeamus, & iſtis ſemper diuretica addamus, memores ſemper dicti Hipp. lienem diureticis attenuandum eſſe, & ut virtute diureticorum potulenta aqua è corpore per urinam educantur, ne lien à frigidis, & aqueis retentis majus patiatur detrimentum, cùm ab iſtis ubi tumet, & dolet multùm patiatur. Splenetica etiam refrigerantibus addantur ad correctionem, & ſi non ad morbi curationem, ſaltem ad prohibendum illius incrementum. Uſu *Chinæ Chinæ* in infuſione aggredienda febris curatio, ut citò curetur, & impediens curationem lienis auferatur, præmiſſa debita

bita humorum purgatione; nec timendum eſt ab uſu hujus remedii tumorem reddi contumaciorem, eò quia remedium figat, & condenſet humores, cum experientia mihi conſtet obſtructiones ab hoc remedio reſerari, & humores in cachexia craſſos, & viſcidos attenuari.

Si febris à tali febrifugo non ceſſet, tota curatio dirigenda ad lienem, à cujus indiſpoſitione febrem foveri reſiſtentia febrifugo oſtendit. Idem faciendum ſi febris fuerit lenta, & ſine calore acri, ob eamdem rationem. Doloris habenda ſemper ratio etiam in febre, quæ dolorem leniunt, applicando, vel fomenta, vel emplaſtra, vel unctiones. In reliquis monet Hippocrat. curandum eſſe hunc affectum ſicut priorem, præcipuè cum diureticis; uſtionem etiam cum decem cruſtis inſinuat.

CAP. XXXIII.

De Hepatis Inflammatione.

INflammationem hepatis deſcripſit *Hippocrat. lib. de intern. affect. numer.* 30. *Morbus hepaticus fit atra bile cùm influxerit ad hepar, accidit autem maximè in Autumno, in mutationibus anni. Hæc igitur æger patitur: Dolor acutus ipſi in hepar incidit, & ſub ultimas coſtas, & in humerum, & in claviculam, & ſub mammam, & ſuffocatio fortis tenet, & aliquando lividam bilem revomit, & rigor, & febris primis diebus debilior habet, & dum attingitur hepar dolet, & color ipſius ſublividus, & cibi, quos priùs comedebat, ſuffocant ipſum, & ingeſti urunt, ac torquent ventrem, atque hæc quidem in principio patitur; morbo verò progrediente, & febres remittunt, & à paucis cibis repletur, in ſolo autem hepate dolor reſtat, & ipſe aliquando quietus, quandoque verò acutus corripit, & ſæpè derepentè animam æger efflavit.*

Deſcriptum affectum eſſe inflammationem, convincit dolor acutus in regione hepatis, & ſub ultimas coſtas; ſi tangantur hæ partes dolor augetur; hic aſcendit ad humerum, claviculam, & mammam, & cum difficili reſpiratione, & ſuffocatione: hæc ſymptomata ab omnibus Practicis pro ſignis inflammationis hepatis, addita tuſſi ſicca habentur.

Curatio hujus directa ad Hipp. cum regula curationis pleuritidis inflammationem eſſe declarat.

Cauſam hujus inflammationis atram bilem determinat. In quo ſenſu accipiat atram bilem, eſt valdè obſcurum. Certum tamen judico, non accipiendam hic atram bilem in ſenſu præcedenti Diſſertatione determinato, nempè, quatenus humorem melancholicum connotat, hic enim caret diſpoſitionibus neceſſariis ad inflammationem pariendam, ut conſideranti patebit. Inflammationes comprehenduntur ex omnium conſenſu ſub triplici genere, alia *Eriſipelatodes* à bile, alia *Phlegmonodes* à ſanguine, alia *Edematodes* à pituita, alia correſpondens melancholiæ nondum aſſignata; & ſi in eriſipelate acidum dominatur, ut ſentiunt Recentiores, non concluditur humorem melancholicum peccare, quia multa ſunt in corpore acida extranea, quorum natura differt ab ea melancholiæ.

Acidum eſt cauſa eriſipelatis impediendo circulationem ſanguinis, unde extravaſatio ſubtilioris partis iſtius in carnes, non prout eſt materia immediata inflammationis, à rubore enim floride cuti impreſſo ab eriſipelate, excluditur melancholicus humor, qui eſt in colore fuſcus, lividus, ater. Secundum alios duos modos accipi poreſt atra bilis, ex *Hippocr. lib. de Aer. Loc. & Aqu. numer.* 29. ubi docet, bilem atram fieri, & à bile naturali, & à ſanguine: *Si quod liquidiſſimum eſt in utroque conſumatur, & quod acerrimum relinquatur*, quod idem eſt, ac ſi uterque humor aduratur, ſecundùm utrumque modum poteſt accipi atra bilis in hoc textu, quia, & ſanguis, & bilis in hepate aduri poſſunt, & in eodem ſtagnare cùm in eodem continuo fluxu congregentur, & inflammationem parere quotieſcumque aduſti ſtagnaverint, vel ſtagnatione aduſtionem paſſi fuerint, inflammationem ex bile aduſta ſincera, impoſſibilem judico, cum mixtione ſanguinis frequentem in hepate. Quapropter cenſeo inflammationem hepatis ab atra bile fieri, vel quando obſtructis vaſis in aliqua parte hepatis, ſtagnat in obſtructo loco ſanguis particulis bilioſis in copia prægnans, ibique valdè incaleſcit cum humidi reſolutione, aduſtionem æmulante: cum tali diſpoſitione ſanguis, ſi tumorem, calorem, dolorem cum febre excitet, fit inflammatio in hepate, quæ poteſt dici ab atra bile generata ab aduſtione bilis flavæ cum aduſtione ſanguinis; ſi verò in obſtructo loco ſtagnet ſanguis, parvam, vel nullam admixtionem bilis admittens, & aduſtionem prædictam paſſus fuerit, inflammatio ab atra bile ex aduſtione ſanguinis ſuccedet, & de hac Hipp. loquitur in hoc loco, cùm inflammatio hepatis ab atra bile ex bilis aduſtione ſæviora ſecum trahat ſymptomata, quàm ea in textu enunciata.

Incidit in Autumno, & in mutationibus anni. In Autumno cenſuit Hipp. atram bilem dominari, & in hoc tempore, ſicut in Vere, inflammationes incidunt, & bilis in Æſtate collecta, in Autumno multoties vexat per mutationes anni, æquinoctia, & ſolſtitia intelligit, in quibus humores particularem morum, & ſeparationem patiuntur.

Hæc patitur, dolor acutus in hepar incidit; dolor eſt inflammationis inſeparabilis comes, dolor acutus in parte valdè ſenſitiva reperitur, ab harum numero, communi conſenſu excluditur hepar, quapropter in hoc non videtur admittenda paſſio doloris acuti, quod verum quando ſolùm hepatis parenchyma ab objecto violenter agente afficitur, non verò quando cum parenchymate ligamenta, quibus diaphragmati præcipuè alligatur, ab acrimonia caloris inflammationis ſubſtantiæ hepatis, vel ab exhalationibus à materia inflammationis exeuntibus punguntur, roduntur, quia dolor tunc acutus excitatur, cùm ſint exquiſitiſſimi ſenſus, quia tendinoſa: affectionem ligamentorum, ſivè per conſenſum, ſivè per eſſentiam demonſtravit in illis verbis: *Et ſub ultimas coſtas*, quæ correſpondent loco, in quo ligamentum latum hepatis tendinoſum diaphragmati unitur, membrana ſuccingens coſtas calore putredinali acri inflammationis cum violentia vellicata dolet circa *humerum, claviculam, & ſub mammam*, & membrana venæ cavæ ab hepate ad cor aſcendentis eodem modo vellicata in dictis locis dolorem acutum fovet, ex quo evenit, ut multoties inflammatio hepatis pro pleuritide à Medicis incautis accipiatur, ut adnotavit *Zacutus Luſit. lib.* 2. *Medic. Princip. Hiſt.* 101. *& Amat. Luſit. obſerv.* 1. *cent.* 4.

Et ſuffocatio fortis tenet, ob affectionem diaphragmatis, qua impeditur in ſuo motu reſpirationi ſerviente, hanc affectionem malam accepit à tendine hepatis ei connexo, modo prædicto læſo. Suffocatio fit etiam à muſculis intercoſtalibus, cum membrana coſtarum lædatur ab inflammatione hepatis, modo jam explicato.

Et aliquando lividam bilem revomit, hoc eſt corruptam, & in cyſti bilis reſervatam, & à calore inflammati hepatis corruptam, & apparentem, in ventriculo genitam à corruptis alimentis actione caloris præternaturalis hepatis inflammati; quandoque enim per corruptionem, ſaporem, & colorem veri humoris acquirunt alimenta corrupta.

Et rigor, & febris primis diebus debilior. Febris ab inflammatione in parte membranoſa, vel circa hanc ſemper cum rigore incipit, vapore acri à materia inflammationis copioſè effumante, & membranoſam partem irritante, ab irritamento rigor. Febris in principio debilior, quia *omnia circa initia debilia* ex Hippocr. dicit febrem debilem in primis diebus, ut febris debilitatem ad primos ſolùm dies reſtringat; his enim tranſactis augetur, major evadit aucta efferveſcentia, fervore, & putredine in materia. Id experientia patet in omni inflammatione.

Et dum attingitur hepar dolet à tactu regionis hepatis, dolor augetur, non à ſimplici tactu ſuperficiali, ſed à tactu, cum preſſione, hepar in profundo poſitum premente, dum preſſio actionem cauſæ dolorificæ auget. Hac ratione diſtinguimus inflammationem muſculorum abdominis circa regionem hepatis, ab inflammatione hepatis; in prima dolor à ſuperficiali contactu, in ſecunda à tactu cum forti preſſione augetur.

De

De hoc habemus obſervationem *Valeriolæ lib.* 4. *obſerv.* 5. *& Bartol. cent.* 2. *Epiſt.* 49. *& Gal. lib.* 5. *de loc. in affect. cap.* 7. idem confirmat.

Et color ipſius ſublividus eſt, ideſt ruber ad nigrum vergens; talis inſpicitur in omnibus inflammationibus internis, reſpirationem lædentibus, color cutis ruber eſt à ſanguine copioſo, & ſpiritoſo, quotieſcumque ſpiritus in eo minuitur, color ruber ad nigrùm vergit.

Cibi, quos priùs comedebat, ſuffocant ipſum. A quolibet cibo ventriculus illius pondere deorſum impellitur, & deorſum trahit diaphragma, cui arctè connectitur in loco, in quo illud perforat. Tractio deorſum diaphragmatis à ventriculo liberum motum iſtius impedit; & difficilem reddit reſpirationem, & quandoque hanc ita difficilem reddit, ut æger ſuffocari videatur.

Et ingeſti erunt, ac torquent ventrem. Urunt, vel quia augent proprio calore illum ventris ad exceſſum exaltatum ab hepate inflammato, quia ab inflammatione procedit moleſtia; accidit ventri, quia hic ab acrimonia caloris pungitur, vellicatur, vel roditur. Flatus ab eodem calore excitantur, qui diſtendendo ventrem in moleſtiam pariunt.

Signa diagnoſtica, ſunt enumerata in textu; diſtinctiva ſunt præcipuè conſideranda, ut rectè à Pleuritide, inflammationem hepatis diſtinguamus. In Pleuritide eſt dolor punctorius, qui non in inflammatione hepatis; tuſſis in hac parva, & ſicca, in Pleuritide frequens, & humida; hepate inflammato dolor tactu in regione hepatis exacerbatur, in Pleuritide deeſt; in hac, & inſpiratio, & expiratio eſt difficilis, in inflammatione hepatis inſpiratio eſt difficilis, expiratio facilis. Ab inflammatione muſculorum abdominis diſtinguitur, per illud, quòd eſt dictum ſuperiùs. Addo, in inflammatione muſculorum dolorem eſſe pulſatilem, in inflammatione hepatis minimè, quia hepar arteriam unicam tantummodò habet exteriorem, muſculi plures.

His verbis prognoſtica ſigna comprehendit Hippocrat. *Judicatur autem maximè in ſeptem diebus*; in his verbis manifeſtum fit eſſe morbum exactè acutum, colligitur etiam an lethalis ſit, nec ne. Et ſi in fine textus ait: *Hujuſmodi morbus gravis eſt, diuturnus*, loquitur de morbo tendente ad ſuppurationem, quæ non perficitur niſi per longum temporis ſpatium; ſuppuratio tamen non tollit inflammationem hepatis non eſſe morbum acutum. De hac ſuppuratione exemplum habet *Coiterus in obſervat. Anatom. pagin.* 120. Inflammatio partis cavæ hepatis perículoſior eſt, ea, quæ fit in gibba, licèt utraque ſit lethalis. *Inflammationi Hepatis, ſingultus ſuperveniens, eſt lethalis*, prout docuit *Hippocrat. in Aphor.* De hoc vide exempla apud *Foreſt. lib.* 19. *obſervat.* 8. *Si vigeſimum primum diem excedat, ſuppuratur*; & de hac ſuppuratione locutus eſt *Hippocrat. Aphor.* 44. 7. *ſect. Quorum hepar ſuppuratum aduritur, ſi pus purum fluxerit, & album evadunt, ſi verò qualis amurca fluat, pereunt.* Pus in ſuppurata inflammatione collectum multoties per alvum, & per urinam excernitur, aliquando verò per vomitum, ut adnotavit *Salmuth. cent.* 1. *obſerv.* 25. *&* 28. & per tuſſim obſervavit *Schneider. lib.* 4. *de Catharrh. p.* 103. nec alia patet via aperta, niſi illa venarum, ſi ab iſtis pus abſorbeatur, & arteriis poſtea conſignetur, à quibus in dictis partibus pro evacuatione deponitur. In ſuras pus in ſuppurato hepate decubuiſſe, teſtis eſt *Schenkius lib.* 3. *obſerv. de Hepate.*

Primam indicationem ſibi proponit Hippocrat. in curatione hujus affectus *loc. cit. de intern. affect. numer.* 30. doloris mitigationem, ad hanc obtinendam tepefactorium applicat dolenti parti, quod in curatione pleuritidis propoſuit; differunt enim iſti duo affectus ſolùm ratione loci, rationè verò cauſæ omninò conveniunt; pro ſedando ergo dolore rectè utitur Hipp. remediis, quibus uſus eſt in dolore pleuritidis, quæ videnda in curatione iſtius deſcripta; illis adde *Tritici farinam in decocto Abſynthii, & Anethi coctam, & in ſacculo immiſſam*, qui calidus applicandus parti dolenti.

Vel

℞. *Flor. Camomillæ*
Meliloti
Roſ. rub. } *a.* ℥. *ij.*
Sem. Lini
Fœnu-græci
coque in aqua ſimplici, col. ddde
Aceti q. ſ.
Succi Malvarum ℥. *iv.*
Vitelli ovi optimè conquaſſati n. 1.

Hoc decocto imbutæ petiæ duplicatæ, regioni hepatis applicentur.

Interna, ad ſedandum dolorem, exhibet. *Albumen ovi Gallinacei cocti* accipit, contundit, *Succum Solani ad mediam heminam*, hoc eſt *ad* ℥. *iv.* ß. affundit, *& Aquæ mulſæ* ℥. *ij.* ß. diſſolvitur albumen ad modum emulſionis, *quotidiè donec calor quieſcat præbeatur* (ſed puto legendum eſſe, *donec quieſcat dolor.*) *Silphii ſuccum ad erui magnitudinem*, exhibet *cum Origano trito, in vino albo, jejuno ſtomacho.* Succus Silphii noſtris his temporibus non invenitur, ejus loco ſubſtitui poſſet *Belzoin.* quem in facultatibus ſimilem Silphio cenſet *Matthiolus. Origanum* addit, quia acidum extinguit, vel craſſitiem humorum tollit diſſolvendo; his facultatibus omnes inflammationes curantur, cùm ab humorum craſſitie oriantur, à qua facta obſtructione, impeditur ſanguinis circulatio.

Stante hac doctrina Hippocrat. magnum remedium eſt in omni inflammatione *Decoctio Bellidis, Fumariæ, Scabioſæ, Cardui Mariæ, & Succiſæ*, quia omnia iſta ſimplicia ſanguinem coagulatum fundunt. Laudat omnia pro curatione Pleuritidis imperata. Præter dicta, Hippocrat. *Lac caprinum* exhibet *tertia parte mellis ammixta; ſint autem*, ut ait, *Lactis heminæ quatuor*, hoc eſt ℥. *xxxvj. hoc mane bibat, cùm alia non biberit*, hoc eſt jejune; Lac laudat ad dolorem mitigandum, ad inflammationis refrigerium, ad humoris coctionem accelerandam; ad evitanda damna à Lacte ſuſpicanda, Mel admiſcet, quo, & humor in parte inflammata fixatus diſſolvitur; nec à febre diſſuadetur uſus Lactis, cùm ſit ſymptomatica, & ablata inflammatione cedat; cùm verò exhibeatur Lac, præmiſſis multis remediis, & in magna quantitate, ratione cujus alvum ſolvit, & ſolutionem coadjuvat Mel additum; magnum, & efficax fundamentum habemus deducendi Lactis exhibitionem tendere ad alvi ſolutionem, qua materia in hepate concocta purganda ſit.

Si à fomentis, & medicamentis non cedat dolor, ſanguinem in hujus ablationem mittendum eſſe docet *Hipp. in lib. de vict. in morb. acut. n.* 27. ubi in morbis, cum dolore partis, & ejus læſione ob defluxum humoris, in quibus convenit miſſio ſanguinis, præmittit fomenta; nam ſi iſtis cedat dolor, magna remedia non conveniunt, ſi non cedat, mittendus ſanguis. Inflammationi hepatis deberi ſanguinis miſſionem ſuadet, & univerſale præceptum *Hipp. in cit. lib. n.* 19. his verbis: *In acutis morbis ſanguinem detrahes, ſi vehemens morbus videatur.* Advertendum hanc ſententiam verificari in illis caſibus, in quibus maſſa ſanguinis eſt, vel poteſt eſſe cauſa morbi magni; inflammatio hepatis eſt morbus acutus pendens à ſanguine, conſequenter convenit ſanguinis miſſio; & *in numer.* 21. ubi enumerat multos morbos, pro quorum curatione adhibenda ſanguinis miſſio, recenſet, & dolores jecinoris, & alia, hoc eſt omnes inflammationes; & ait: *Nam venæ ſectio præferenda eſt* (intellige purgationi) *deindè Clyſmis eſt opus; & in lib.* 1. *de morb. n.* 25. ubi, agendo de curatione pleuritidis, & peripneumoniæ, ait: *Huic venam ſecare conducit, atque ſic dolor mollior fit, & lateris, & aliarum partium*, & rationem reddit, quare à ſanguinis miſſione dolor fiat mollior. *Nam vena, & quantum in ipſa ineſt, & bilis, & pitutiæ, & ipſius ſanguinis ægrotantis, unà cum his magnam partem foras dimittit*; & ſi ex Hipp. decreto in hoc textu pro curatione hujus morbi conveniunt remedia pleuritidem curantia, conveniet etiam ſanguinis miſſio.

Sedato dolore, vel remiſſo, lavare ægrum multa calida jubet, *& aquam multam bibendam dare, &* vinum

vinum album dulce , aut auſterum utrum tandem profuerit . Hæc humores attenuant, & craſſos fluidos faciunt, & ſtagnantes ad motum impellunt . Vinum , & lavacrum aquæ calidæ pariunt eoſdem effectus, ut omnibus notum eſt ; Mulſam in eoſdem effectus concurrere , docuit *Hippocrat. lib. de vict. ration. in acut. numer.* 9. ubi ait , *Mulſam urinam movere , & ſputa molliora , & tenviora pro facili expulſione facere* . Documentum ab his accipimus , in inflammatione hepatis ſedato dolore, materiam attenuandi , & urinam etiam movendi cum *decoctis rad. Petroſelini , Aſparg. Marrubii , Hepaticæ* , & aliis diureticis alibi deſcriptis , additis aliquibus *guttis Spir. Salis Armoniaci* , vel *cum decocto Agrimoniæ , Traxaci , Abſinthii , Graminis , cum gutt. aliquot Spir. Nitri dulcis* . Eadem humorum attenuatio ſudorem promovere poteſt , & præcipuè illa facta à lavacro aquæ calidæ , & à vino , & ſi appareat ad hunc naturæ inclinatio , vel urinæ evacuatio non ſuccedat , ſudori promovendo incumbendum ; humores non poſſunt diſponi ad ſudorem , niſi attenuentur , & impetum acquirant exaltatis per attenuationem eorum ſpiritibus, & particulis activis in eis contentis ; ab hoc impetu impedimentum , ſeu obſtructio inflammationis cauſa mediata tollitur , & ſtagnans humor fluorem concipit . *Pulvis* deſcriptus *in meis Conſult. ad pleuritidem* his intentionibus ſatisfaciet.

His peractis Hippocrat. expectandam judicationem morbi conſulit , quæ in ſeptimo die advenit cum ſignis ſalutis , vel mortis , & in hoc tempore cibos omnes prohibet, ideſt omnia alimenta ſolida , & ſolùm potum, & ſorbitionem concedit ; potus eſt ſimplex decoctio alimentorum, ut *Aqua hordei , & jus*. Sorbitio eſt alimentum ſolidum , ſed in formam liquidam redactum in pauca quantitate , ut *Ptiſana , Ova jure diſſoluta , & carnes contuſæ jure pariter in liquidam formam redactæ*.

Pro complemento hujus curationis notat Hippocrat. ſuffocationem , ſeu difficultatem reſpirandi , huic morbo quandoque conjungi ob conſenſum , quem ſervat hepar cum diaphragmate , & cum pleura ; pro hujus ſymptomatis ablatione , vomitum proponit , dum ait : *Si verò etiam ſuffocatio acceſſerit, hæc dare oportet , quo vomat ;* pro hac intentione parat ſequens remedium *:* Accipit *Mel* , *aquam* , *acetum* , *ſal*, *hæc permixta in ollam novam infundit , deinde tepefacit , & origani ramulis , cum ſemine agitat , tepidum exhibet hoc medicamentum* ; & poſtea ſubjungit ; *Deinde ſtragulis injectis contectum* (nempè ægrum) *ſinito , donec quàm maximè exudarit* . Magna ab his verbis oritur difficultas Hippocrat. Hippocrat. vomitum imperat, pro hoc exhibet medicamentum , & poſtea ſudorem principaliter , & primò promovere experitur : tollitur difficultas , ſi dicamus , Hippocrat. cognoſcere neceſſitatem tollendi cauſam ſuffocationis in hepate radicatam , hanc tollere potens eſt vomitus, & ſudor. Vomitus ſuo conatu , & vi humorem in vicino hepate ſtagnantem, concutiendo, & agitando energiam in ſtagnatione ſopitam ad actionem validam revocat, qua viam ſibi parat , obſtaculum ſtagnationem indicens ſuperando , exeunt ab hepate humore remittit morbus illius , & hujus remiſſione ſuffocatio expugnatur. Sudor idem efficit , expurgata dicta materia . Utrumque remedium in ſuffocatione convenire , dicta ratione patet, nempè ſudor , & vomitus , & quia in ablatione dictæ ſuffocationis non eſt procraſtinandum , cùm ſuperiùs dixerit ; *Et ſæpè æger derepentè animam efflavit* . Hujus periculi reſpectu medicamentum componit, & vomitivum, & diaphoreticum ; tale eſt propoſitum , ratione *Mellis* , *Aceti* , *Salis* , eſt vomitivum ; ratione *Origani diaphoreticum ;* hanc virtutem in ſubtiliſſimis ſuis particulis , & facilè ſolubilibus exiſtentem relinquit in decocto ſola agitatione , & calore. Sudorem primò quærere oſtendit claris verbis textus. Ratio hujus eſt , quia cùm à ſudore poſſit vomitus excitari effervеſcentia , attenuatione , & agitatione materiæ , à vomitu ſudor nullum recipit ſtimulum . Melius eſt ergo illam remedii virtutem primò promovere , qua promota altera ad actum reducitur , quam illam primò promovere , quæ nullum alteri auxilium eſt exhibitura ; & quia , ut dixi , ſudor valet ad promovendum vomitum , non vomitus ad promovendum ſudorem, ideò primò quærit ſudorem. Ab hoc Hippocrat. præcepto ſudoris utilitatem in inflammationibus agnoſcimus. *Si vomitus apprehenderit*, ſunt verba Hippocrat. *promptè vomat irritatione per pennam facta , ſi verò evomere non poſſit, aquæ multæ tepidæ poculum duarum heminarum*, ideſt ad pondus decem octo unciarum, *inſuper bibat, & ſic vomat , & ſiquid pituitæ , aut bilis evomerit, rurſus id facere oportet , ad boras quatuor proderit enim* ; ubi notandum eſt, primò vomitum promovere Hippocrat. ſine ullo remedio , & ſola irritatione facta à digitis in gulam immiſſis , & ſi non ſequatur vomitus, abſtinere ab omni motivo irritante , ſed uti Mulſa in copia , ut ab hac humores ventriculi moveantur , agitentur , & nauſeam, unà cum copia Mulſæ moveant , & cum hac vomitum . Ab his verbis Hippoc. habemus etiam conſilium in difficultate reſpirationis , cum ſuffocatione vomitivi validi uſum ablegandi ; periculoſi enim ſunt in hoc ſymptomate violenti conatus vomitus.

Præſervandi à recidiva judicato morbo modum in fine tradit, victus ratione modica , & pura propoſita . *Et ſi panem edere cupidus erit* , ſunt verba Hippocrat. (quaſi non adſit neceſſitas edendi panem, cùm hunc concedat ad ſatisfaciendam voluntatem , & appetitum ægri) *panem calidum* (quia exſiccat, ut alibi dixit) *maximè purum edat , ſi verò mazam* appetiverit , ſumat *eam , quæ Vino dulci ſubacta non eſt ; ubi tamen acqua priùs ſubegit* , nempè mazam cum aqua ſubigat , & edat. *V. Cæl. Rhodiginum lib. 9. cap. 12. de modo parandi mazam . Obſonium autem habeat carnes Catuli coctas, aut Columbæ , aut pulli Gallinacei. Carnibus omnibus coctis utatur , ex piſcibus autem coctis galeo , torpedine , paſtinaca , & raiis parvis omnibus coctis . Lavetur autem quotidiè, & frigus vitet , & parùm deambulet ante in ſecuritate*, legit *Foeſius* , *quoad in tuto ſit*, ideſt uſquequo perfectam ſanitatem recuperaverit.

CAP. XXXIV.

De Dolore Hepatis.

VErba facit Hippocrat. de hoc ſymptomate *in cit. lib. numer.* 31. dum ſcribit : *Dolores quidem eo modo premunt in hepar* (excludit dolores claviculæ humeri & mammæ , & reſtringit ſubjectum doloris ad ſolùm hepar) *& color differt à priore* , nempè à ſublivido. *Malicorii enim formam habet* . *In tempore verò Æſtatis maximè incidit*; hujus enim cauſa eſt bilis, quæ in Æſtate viget. *Fit autem à bubulæ carnis eſu , & Vini potu nimio ; hæc enim omnia iſto anni tempore hepati ſunt infeſtiſſima, & bilem maximè ad hepar adducunt.*

Hæc igitur patitur: *Dolores acuti incidunt , & non deficiunt ulla hora , ſed ſemper magis premunt.*

Dolor eſt in hepate , ergo in parte iſtius ſentiente , nempè in membrana eum inveſtiente, vel in membranis arteriarum, vel venarum, vel ramificationum pori biliarii, vel cyſtis fellis; hæc duo eſſe ſubjectum doloris, mihi magis probabile eſt.

Dolor eſt continuus, ergo à cauſa dolorifica , fixa in parte ſentiente. Eſt acutus , ergo ab humore valdè rodente, & pungente, qualis eſt bilis. Bilem eſſe cauſam hujus doloris , præteracutiem iſtius confirmat tempus æſtivum, in quo hoc ſymptoma inſurgit, & in hoc tempore bilis non minus copia , quàm acrimonia viget , quapropter in parte ſenſitiva hepatis fixa , copia , & qualitate acri excedens, dolorem acutum in hepate ſuſcitat, & continuum reddit, dum in parte obſtructa intercluditur, in hacque ſtationem permanentem ſtabilire cogitur.

Aliquando etiam vomit bilem pallidam , ob admixtionem pituitæ ab errore externo in textu notato productæ. Et ubi vomit , paulò melius ſibi habere videtur. Ab hoc vomitu, cùm conferentia rectè deducitur bilem eſſe cauſam hujus doloris, & partem affectam , & dolentem hepatis eſſe cavam , cùm hæc affecta

dolo-

dolore, in ſuæ paſſionis moleſtiam ventriculum ſubſtantem trahat; à mitigatione doloris à vomitu bilioſo, non ſolùm arguimus bilem eſſe cauſam hujus doloris, cùm moderationem ſuſcipiat ab iſtius vomitu, ſed licet ſuſpicari dolorem hunc eſſe in veſica fellea, & in ramificationibus pori biliarii, quas eſſe capaces doloris demonſtrat membrana, qua componuntur, at veſicam felleam eſſe maximè ſenſibilem, convincunt nervi per ſuam ſubſtantiam diſſeminati; à cauſa ergo per qualitates ſenſibiles, tangibiles, violenter agente in dictas partes, & præcipuè veſicam felleam afficiente dolor acutus ortum inveniet.

Si non ſuccedat vomitus bilis, ad oculos fluit, ut ſubjungit Hippocrat. ut fiant valdè pallidi, hoc eſt flavi. Confirmationem bilis peccantis, & cyſtis felleæ affectæ præbet hoc ſymptoma coloris mutati oculorum ex albo naturali in pallidum, & flavum. Nam ſi bilis liberum haberet exitum per proprium ductum in inteſtina ad oculos non perveniret, quos dum inficit, argumentum eſt bilem in maſſa humorali relinqui, nec totam in hac collectam expurgari per ductum cholidocum, & portio remanens per membranam oculorum externam diſpergitur, hancque flavo colore tingit. Bilis non expurgatur, quia adeſt obſtructio in dicto ductu.

Et pedes intumeſcunt. Quid negotii habeant pedes cum dolore hepatis, ut hoc invaleſcente intumeſcant non video, tamen non poteſt ſine injuria afferi id ab Hippocrate ſine ratione fuiſſe obſervatum, & expoſitum; hujus ſymptomatis rationem aliam non invenio, niſi quòd vaſa ſanguiflua hepatis in motus ſpaſmodicos contractata, eo dolente, non ſint capacia ad recipiendam illam quantitatem ſanguinis, quam pro ordinario motu circulari iſtius recipiunt, unde qui ab extremitate pedum ſurſum advenit, cùm totus incapacitatem ramificationum cavæ recipi non poſſit ſuperior, impedimento eſt inferiori, ne aſcendat, ſed in pedibus commorari cogitur, & per carnes diffuſus intumeſcentiam pedum parit. *Quandoque hæc patitur valdè, quandoque minus*. Pro diminutione, vel augmento cauſæ, minoratur, vel augetur affectus, & ob quietem, vel motum humoris rodentis in parte affecta dolorem efficientis.

Signa patent diagnoſtica. Diſtinctiva, à priori deſcripto, ſunt carentia febris, nullam de hac mentionem fecit, ideò cenſendum eſſe ſimplicem dolorem hepatis ſimilem dolori inflammationis, ſed non eſſe inflammationem, cùm dolori febris non conjungatur.

Cauſæ externæ determinantur ab Hippoc. carnes bubulæ, & vinum tempore Æſtatis, quia iſtæ bilem ad hepar adducunt. Adducunt, ſed non omnes eodem modo vinum tamquam vehiculum humoris craſſi, tempus Æſtatis calidum tamquam præparativum viæ dilatando vaſa, & porroſitates, per quas bilis fluere debet. Adducunt bilem, ſed adducta invenit in hepate impedimentum, exitum, & curſum liberum impediens: hoc impedimentum objicit craſſus humor à carnibus bubulis genitus, unà cum bile ad hepar fluens; vi iſtius impedimenti detinetur bilis in partibus obſtructis ſupradictis.

Prognoſtica habet in illis verbis: *Cùm autem dies præterierint, in quibus morbus judicatur, dolor minus urget, ſi nihil deliquerit, & hujuſmodi Diœtam huic conſtituere oportet ſicut, & priori*. Ex his colligo, cùm ſola diœta curetur, hic morbus eſſe levem. Diſcant tandem Medici, morbos, etiam cum magnis ſymptomatibus, ſola diœta curandos, & maximè eos, qui ab errore externo ciborum, vel aeris oriuntur, ut præſens. *Si verò inebriatus fuerit intempeſtivè, aut Venere uſus fuerit, aut aliud quid fecerit, quod commodum non eſt, hepar ſtatim illis durum fit, & intumeſcit, & dolore pulſat*. Ab ebrietate, & aliis erroribus, facilè eſt intelligere, qua ratione morbus in deterius abeat, quia errores prædicati materiam dolori aptam ſubminiſtrant, at Venus non poteſt hac ratione concurrere, quia detrahit materiam, non addit, at quia detrahit ab univerſo corpore ſpiritus, & languorem inducit, ideò morbum exacerbat, pars, quæ debilitatur in uſu Veneris, erit hepar, quia infirmus pars debilitata excrementa corporis faciliùs ſuſcipit, à quibus ægrotat, ita hepar intumeſcens ab humorum fluxu, & retentione durus fit modo dicto de liene. *Pulſat*; pulſatio eſt ſignum morbi in parte. Fit pulſatio in hepate, vel quia ſanguis ibi ſummè efferveſcit, vel materiæ copia excedens arteriam comprimit, & utraque cauſa morbum deſignat in hoc caſu. Ab efferveſcentia non fieri pulſationem, colligo ab abſentia fdbris; efferveſcentia enim pulſationem faciens redundante materia bilioſa, à qua fit pulſatio, ut in præſenti caſu, apta eſt etiam febrem accendere. A quantitate ergo materiæ fluxæ probabilius eſt dolorem, & tumorem pulſatorium effici, & talem pulſationem in tumoribus externis experimur à tumore comprimente arteriam, cùm enim à compreſſione anguſta fiat via ſanguini per arteriam, energetica ſua vi hanc ſibi parat elevata cum impetu arteria, quæ tunc magis pulſat; hac ratione pulſus in tumore ob copiam materiæ timendus, prout dixit *Hippocrates* in fine *cit. text.* quia vel inflammationem, vel vaſis ruptionem prænunciat. *De cœtero ab aliis ſanus non evadens corrumpitur, ac moritur*.

Curationem hujus affectus orditur Hippocrates à diœta; ait enim: *Et hujuſmodi diœtam huic conſtituere oportet, qualem, & priori*, in qua nihil cibi concedit, ſed ſolo potu, vel ſorbitione ægrum reficit, cujus curationis rationem deduxit à cauſa, quam ſuperiùs dixit eſſe nimium eſum carnis bubulæ, & vini potum nimium, cum repletione particulari hepatis, quam diœta rigoroſa corrigere amat, ut humores per crapulam redundantes inedia conſumat.

Ante diœtam monet abſtinentiam ab omni errore externo in victus ratione, & in Venere, & à quocumque alio, quod commodum non eſt, ut ait Hippocr. adeò ut manifeſtum fiat, in principio hujus morbi inedia humoris redundantis conſumptionem voluiſſe, & errorum prohibitione novi excrementi generationem excluſiſſe. Ideò ſubjungit: *Ubi ſic habuerit, & primi dies præterierint*, hoc eſt, ſi diœta duorum, vel trium dierum valdè tenuis, & rigoroſa remedio non fuerit, *fomentum adhibeto* ad dolorem leniendum, & ſedandum, & eſt prima indicatio. Horum normam in præterita curatione, & pluribus aliis locis dedimus.

Secundam indicationem deſumit à cauſa, quæ eſt bilis redundantia, & purgationem indicat, quam aggreditur *Scammoneo*, tamquam medicamento apud Antiquos blando, quo in doloribus ſemper Hippocr. uti conſuevit; at nos molliori poſſumus uti, nempè *Rhaub.* in ſubſtantia, vel infuſione, vel in extracto, *Manna*, vel *Syr. Roſ. ſol.* vel *Cremore Tartari*. Ratio, per quam purgationi præmittat diœtam humore excrementitio peccante, deſumitur a redundantia humoris prædicti, collecta ab immoderato eſu carnis bubulæ, & potu vini, quæ coctionem ratione quantitatis ſubterfugiendo copioſam cruditatem cumulant, & à dolore acuto in hepate exiſtente redundantia excrementorum in primis viis, dolore circa has exiſtente non admittit purgantia, ſine magna agitatione, & perturbatione, quam patiuntur etiam humores in hepate commorantes, qui agitati, & perturbatè commoti actionem ſuam corrodentem, vellicantem in partem efficacius imprimunt, dolorem augendo, iſtius acutiem intendendo, & copioſiorem fluxum humorum ad dolentem partem vocando, inflammationem præparant, ad quam declinandam purgationem præmittit Hippocr. & diœta humorum diminutionem molitur, monendo Medicos, ut in doloribus ventris cum redundantia excrementorum, & præcipuè ab errore externo à purgantibus abſtineant, clyſteribus non interdictis, ſi tantùm emolliant, & dolorem ſedent. Non diſſimili ratione fomenta in principio negligit, quia ab horum calore materia dolorifica agitatur, perturbatè movetur, rarefit, in vapores attenuatur, à quibus omnibus dolor incrementa ſuſcipit, cum periculo prædicto.

Alvo exiſtente combuſta, legit *Foeſius*: *Si venter fuerit valdè incenſus*, ideſt excalefactus à bilis calore, & conſequenter aſtricta, poſt medicamentum purgans, quod parandum cum ſuperiùs deſcriptis, Clyſterem imperat ad expurgandas fœces retentas, qui parari

poteſt eiſdem decoctis, quibus componuntur fomenta, vel Lacte, & vitellis ovorum, additis medicamentis, *quæ probè*, ut ait, *educunt*, v. gr. *Mel. Roſ. ſol. Benedicta laxat. Diacatholicone*. Poſt Clyſterem *heminas octo lactis aſinini cocti*, ideſt uncias ſeptuaginta duo, *cum Melle* exhibet, pro nova purgatione bilis, à qua alvus incenditur, & pro attemperatione caloris ventris, & ut hoc intentum aſſequatur, in uſu Lactis perſeverat, ſed non in eadem ſpecie Lactis, cùm ſecunda vice *Lac* primò *caprinum* exhibeat, non coctum, *ad heminas quatuor*, hoc eſt ad uncias triginta ſex, *tertia parte Aquæ mulſæ ammixta, aut Melle affuſo*. Secundò, *Lac caprinum coctum ad heminas duas, tertia Aquæ mulſæ parte ammixta*. Tertiò, exhibet *Lac equinum*, eodem modo paratum velut aſininum, ideò in illius defectu hoc accipiendum. Hic notandum Hippocrat. curationem hujus morbi dolorifici, & lethalis, ſi contumax conſtiterit, ſperare à reiterata purgatione cum medicamento blandè purgante, & attemperante, quale eſt Lac cujuſcumque generis; utitur verò primò Lacte aſinino cocto, quia magis purgat; ſecundò, Lacte caprino, & in minori doſi, quia minus purgat; tertiò, Lacte equino, quod purgat ſicut aſininum: hoc eodem modo exhibet; inter duas magnas evacuationes à Lacte aſinino, & equino, interponit blandam pro virium conſervatione. Exemplo Hippocr. uti poſſumus *Aqua Noceræ, Villenſi, Hordei, Sero caprino* in quantitate octo, vel decem librarum, miſcendo in primo poculo *Syrupi Roſ. ſol.* vel *Syrupi è floribus Perſicorum* ℥. *iij.* & in reliquis poculis *Mel ſimplex Hiſpanicum, & depuratum* ad gratam dulcedinem.

Dolore his remediis non cedente, tertiam indicationem ſanguinem mittendi Hippocr. elicit; doloris enim contumacia reiteratas purgationes contemnens, imminentis inflammationis ſuſpicionem imprimit, ad quam evitandam nullum efficacius remedium, quàm ſectio venæ, ideò ait: *Sin minus dexteri cubiti venam ſecato, & ſanguinem detrahito*.

Si cognoſcat Medicus ægrum purgatione reiterata non indigere, vel ad eam ſuſtinendam impotentem eſſe, per Lac aſininum coctum alia via incedendum eſt, quam demonſtravit Hippocr. in illis verbis: *Si verò non viſus tibi fuerit per Aſininum lac ſuperpurgandus eſſe, Lactis bubuli crudi heminas duas dato, cum tertia parte Aquæ mulſæ ammixta, quotidiè ad dies decem. Deindè ad alios duodecim dies, ſexta parte Aquæ mulſæ affuſa, Lac bibendum dato*. Lacte bubulo utitur, quia minus purgat; addit Mulſam, ut alvus lubrica ſervetur, & reliquiæ bilis paulatim per ſolam alvi lubricitatem educantur: hac de cauſa primis decem diebus tertiam partem Mulſæ, in aliis duodecim ſextam partem Lacti addit, cùm in iſtis minorata ſit jam materia, ex his monemur, lubricam alvum eſſe ſervandam, & epicraticè purgandam materiam doloris; quapropter vice Lactis, *Elect. Lenitivum*, *vel Sebeſten ad tres drachmas* ante cœnam exhiberi poſſunt. *De cætero verò ipſum Lac duarum heminarum menſura, donec pingue fiat, exhibeto*. Sine Mulſa exhibet Lac, quia ibi ad ſolam nutritionem Lac præſcribit, & morbum debellatum ſupponit, ſuperfluamque eſſe alvum lubricandi intentionem. Quare Lac cum Aqua mulſa exhibeat primò Hippocrat. & poſtea pro nutritione, ut pingueſcat ſine Mulſa, rationem habemus ab *Hipp. lib. de victus rat. in acut. numer.* 26. ubi, loquendo de Mulſa, ait: *Habet vim quamdam exterſoriam, qua alvum movet, & urinas etiam ſufficienter ciet*. Iſtæ purgationes materiam morbificam minuunt, ſed nutritionem interdicunt, ideò in hujus neceſſitate Mulſa Lacti non additur.

Si his ad uſum redactis, adhuc pervicax ſæviat morbus, uſtionem imperat Hippocrat. *Si hæpar maximè tumidus factus fuerit, & eminuerit, Uſtio facienda cum fuſis buxeis in oleo fervente tinctis*, qui ſunt apponendi, donec uſtio facta fuerit, *vel per fungos fiat uſtio*; *& octo cruſtæ inurantur*; & ſubjungit: *Si uſtio ſucceſſerit*, hoc eſt, ſi ab uſtione bene habuerit, *ſanum facies, & reliquo tempore melius deget; ſi verò non ſucceſſerit, corrumpitur, & moritur*. Fit uſtio, ut humor in tumore collectus per ulcera purgetur, quòd ſi rectè ſuccedit, ſanus fit, cedente tumore, & hepate ab humore purgato. Si verò contrarium eveniat, corrumpitur, ideſt emaciatur, depravata ſanguinis maſſa à morboſa hepatis diſpoſitione.

C A P. XXXV.

De altera Inflammatione Hepatis.

DEteriorem differentiam inflammationis hepatis deſcribit *Hippocrat. in cit. lib. numer.* 32. his verbis: *Alius morbus hepaticus. Reliqua quidem patitur hic æger, velut priores*; dolorem nempè acutum, & meo judicio, etiam ad claviculam, mammam, & humerum moleſtantem, & tumorem, & ſuffocationem fortem pati, probabile eſt, quia ſevior eſt hic morbus prima differentia, ut conſtabit ab explicatione.

Color niger eſt, ſunt verba Hippocr. Per hunc differt hæc differentia à prima, in qua color eſt ſubpallidus, & à jamdudum deſcripta, in qua color eſt ſimilis malicorio. Hujus coloris cauſa eſt ſanguis ater, vel ab aduſtione, vel à paucitate ſpirituum, ſicut enim ſpiritus ſanguinis perfectè elaborati, & abundantes luce inſita nitorem colori rubro ſanguinis addunt, ita deficientes, velut tenebris atro colore obfuſcatur ſanguis, vel ab admixtione excrementorum cum ſanguine in tali copia, ut ab iſtis obtenebretur ſpiritus ſanguinis lucidus, eo modo quo nubes lucem Solis obtenebrant.

Ab hepatis fel (fel hepatis eſt bilis, quæ in cyſti illius collecta; non ſine ratione dicitur fel hepatis, ideſt bilis hepatis, ad differentiam bilis in ſanguinis maſſa exiſtentis: nomine cyſtis comprehendendæ ſunt etiam ramificationes pori biliarii per ſubſtantiam hepatis diſperſæ) *pituita, & ſanguine repletum, velut ratiocinamur diſrumpitur*. Repletur, fel, ideſt cyſtis, pituita, & ſanguine, quando iſti humores redundant in dictis ramificationibus, itaut impleantur, cum turgentia, diſtenſione, & exuberantia. Hanc humorum miſcellam ratiocinio comprehendit Hippocrat. dum de ea dicit, *velut ratiocinamur*. Deducit dictam miſcellam ab accedentibus inflammationem indicantibus à delirio concomitatam; delirium eſt à bile, omnis inflammatio eſt cum aliqua portione ſanguinis; pituita in hac non deficit, quia omnis inflammatio eſt cum ſtagnatione ſanguinis; hæc fit à pituita, ſeu humore craſſo obſtruente vias, per quas fluit ſuo naturali motu ſanguis, quibus obſtructis, indicitur ſanguinis ſtagnatio. Ab hoc ratiocinio unuſquiſque videt miſcellam bilis, ſanguinis, pituitæ manifeſtari.

Stagnans hoc modo bilis, ſanguis, & pituita invicem commixta, inſolita, & præternaturali mixtione, in ſubſtantia hepatis inflammationem pariunt, cujus certa indicia ſunt, dolor ſupradictus, febris acuta, & delirium, de quibus inferiùs loquitur Hippocr. Diſrumpitur, per Hippocrat. fel hepatis, ideſt bilis, vel hepar, non hepar, quia quod diſrumpitur inſaniam, & alia, quæ dicentur efficit, ſed hepar diſruptum non efficit hæc; humor ergo in hepate contentus diſrumpitur, & diſruptus dicta parturit ſymptomata. Humor diſruptus dicitur ille, qui priùs ſtagnando quieſcebat, poſtea ſuperato obſtaculo, à quo fluxus ejus impediebatur motum acquirit, & fluit. *Et ubi diſruptum fuerit, celerrimè inſanit, & indignatur, & loquitur ſtulta, & latrat velut canis*, ubi ſolutus fuerit humor, ideſt à ſtagnatione, & quiete ad motum, & fluxum redierit rapitur in caput, & ſpiritus animales accendendo, & eorum motum cum agitatione pervertendo, delirium parit, itaut diſrumpi, nil aliud importet, quàm raptum humoris in hepate exiſtentis ad caput. Vel per humorem diſruptum, poſſumus conſiderare humorem in parte concluſum efferveſcentem, & fermentantem, cum motu, & agitatione, quibus veluti diſrumpitur, cùm priùs quieſceret, & in hoc ſenſu accepto verbo *diſrumpi*, facilis eſt explicatio eorum, quæ ab Hippocrate recenſentur. Ab effervescentia humorum

morum in hepate collectorum, febris fit acuta, ab hujus excedenti calore accenſi, & inflammati ſpiritus animales delirium, ab ebullitione ſanguinis in febre acuta, circa cor, & orificium ventriculi fit indignatio. *Latrat ut canis*, ob motus convulſivos partis nervoſæ diaphragmatis, & partium reſpirationi inſervientium, hos motus efficit extraneum ſpiritibus animalibus mixtum, nempè vapores materiæ fermentantis in hepate, & fuligines acres ſanguinis ebullientis in vaſis, actione febrilis caloris intenſi vapores, & fuligines prædictæ ſpiritibus animalibus communicatæ, ad motus inordinatos, & ſpaſmodicos hos determinant, cum tali determinatione, æquali determinationi ſpirituum animalium in cane, quando ad latratus determinatur à ſua phantaſia. Hanc ſententiam fuiſſe Hipp. deduci poteſt ex *nu.* 25.4. *Epid.* ubi habet: *Quibus in dexteris* (intellige Hypochondriis) *diſtenſio ſubmollis phrenetici*, *niſi ſolvatur deſinente febre*, hoc eſt niſi ſolvatur diſtenſio, quia hac perdurante, ſignum eſt diſtenſionem pendere ab efferveſcentia humorum in hypochondriis.

Licèt datæ explicationes verbi *diſrumpi* ſalvari poſſint, aptius ratiocinari, ut verbo Hipp. utar mihi videretur, qui per diſrumpere intelligeret humorem ſua actione rumpere confinia partis, in qua continetur, & in aliam agere cum violentia. Bilis cum pituita, & ſanguine in hepate collecta inflammationem parit, quæ diaphragmati connexo communicata delirium, quod ſemper inflammatum diaphragma ſequitur, parit, & motus convulſivos ſupradictos, & ſuffocationem fortem, hoc eſt reſpirationem difficilem, cum ſuffocatione peculiari, ſymptoma inflammati diaphragmatis. Hæc dant nobis differentiam à prima inflammatione hepatis deſcripta *num.* 30. ab hac, in qua diaphragma cum hepate inflammatur, quod in prima non invenitur. Poſita hac ſententia, redditur etiam ratio aliorum ſymptomatum, quæ deſcribit Hipp.

Et ungues punicei fiunt: cùm ab immoderata febrili effervеſcentia rarefaciente, carnes etiam ſub unguibus hæ ſanguine repleantur, hujus color per eaſdem tranſparet; ſed quia ungues ſunt denſæ, color ſanguinis vividus, & rutilans per corpus denſum, cum lumine refracto tranſparens, puniceum colorem repræſentat. *Oculis videre non poteſt*, cùm à calore febrili elevati vapores ſpiritus animales, & humores oculorum obfuſcent, & perturbent, quorum limpiditas, luciditas, & quies eſt neceſſaria ad viſum, & ad clarum viſum, ab eodem calore agitante retinam organum viſus in continuo motu detinentur, turbatur, motus traductus in eam à ſpeciebus viſibilibus, & viſio impeditur.

Et pili in capite erecti ſunt. Contractione cutis à ſiccitate, vel ab irritamento glandularum, à quibus enaſcuntur, pili hi eriguntur, ut evenit in aliquibus ab ira. Plenitudo etiam dictarum ab effervеſcente ſanguine, vel potiùs lympha, pleno fluxu concurrente ad eas, & ad turgentiam implente, eriguntur capilli.

Et febris acuta corripit, ſubjungit Hipp. ex immoderata effervеſcentia humoris in hepate, per quam tota maſſa ſanguinis immoderatè effervеſcit, cum febris acutæ accenſione, quia bilis in effervеſcente humore dominatur.

Signa diagnoſtica, ſunt ab Hippoc. deſignata: diſtinctiva ſunt declarata, & pro majori intelligentia duas diſtinguit Hipp. hepatis inflammationes: Una cum febre moderata, levi, & facta à bile atra; altera cum inflammatione diaphragmatis; & febre acuta, & ſæviſſimis ſymptomatibus concomitata; de illa in ſuperiori agit, de hac in præſenti textu.

Prognoſtica his colliguntur verbis: *Plerique verò moriuntur undecima die*, *paucique effugiunt*.

Hujus acuti, & lethalis morbi curationem exequitur Hipp. cum eis remedis, quibus præcedentem primum hepatis affectum curavit, & præcipuè ſanguinis miſſione reiterata, à pede primò, & brachio, & in magna quantitate pro virium robore, ob rationem ſuperiùs dictam, & fomentis, & medicamentis dolorem mitigantibus, & quæ in pleuritide adhibentur. Purgationem Lacte cum Melle molitur in dicta prima inflammatione; & dolore ſedato, vel diminuto, ſaltem in hoc caſu aliquod leniens exhibendum, ut *Caſſia Cremor tartari*, quia dolor ſedatus, materiam purgationi diſpoſitam indicat.

Quando incipit inſanire, tunc denuò reiteranda miſſio ſanguinis, quam perſuadet doctrina Hipp. de inflammationibus tradita *li. de rat. vict. in acut.* Superveniens enim delirium, inflammationem diaphragmatis indicat, cui neceſſaria eſt ſanguinis miſſio, & præceptum habemus, *Superveniente inflammatione alicui morbo*, *mittendum eſſe ſanguinem*.

Diæta ſit tenuis, cum potu, & ſorbitione, prout monet Hippoc. in prima inflammatione, dum ait: *A cibis*, hoc eſt à ſolidis alimentis, *abſtineat*, *donec judicetur morbus*.

CAP. XXXVI.

De Ictero.

ICterus *eſt docoloratio totius corporis præternaturalis*, *in flavum*, *fuſcum*, *ſeu nigrum*, *& pallidum*. Hæc definitio ab Hippoc. eſt deſumpta *in lib. de intern. affect. num.* 38. ubi habet: *Conſiſtit igitur bilis ſub cute*, *& in capite*, *quare ſtatim corpus in alium colorem mutat*, *& fit pallidum*, *velut malicorium*. Ab hac ſententia habemus ex Hipp. mutationem coloris corporis in Ictero, & licèt hæc prolata ſint de Ictero flavo, ſunt tamen communia aliis differentiis Icteri, quas Hipp. ad tres dilatat, ad Icterum *flavum*, *nigrum*, *& album*. Quomodo fiat iſta decoloratio, explicat Hipp. in illis verbis: *Conſiſtit igitur bilis ſub cute*, hoc eſt, bilis ſub cute quieſcit, commoratur, fixatur, & colore, quo tingitur flavo, cutem flavam facit; firmatur in cute, dum cum ſanguine circulatur, & ubi una ſimul ad cutem devenerint, ibi ſeparatur bilis, ſordibus unita, quibus cutis excipiendis deſtinata eſt, & huic adhæret colorem mutando, & in porulis partium ſolidarum cuti contiguis, tamquam in colatoriis, & filtris excipitur, & paulatim hoc modo conglomeratæ particulæ bilioſæ partes bilis colore tingunt; per cutim tranſparente colore flavo. Partes internas, in Ictero flavo colore tinctas, *Zacut. lib.* 2. *prax. admir. obſer.* 156. obſervavit, quantum enim valeant, quæ ſub cute, vel in ſua ſubſtantia fixantur humores, ad colorem iſtius mutandum, nos docent contuſiones, in quibus cutis variis ſucceſſivè tingitur coloribus, prout extravaſatus ſanguis in colore alterationem ſubit.

Hæc decoloratio eſt præternaturalis, quia nec tales colores ſunt naturales, nec à tali cauſa naturaliter proficiſcuntur.

Cauſam Icteri deſignat Hipp. in illis verbis, *Æſtate corripit*, *bile commota*; ad quam partem moveatur, oſtendit in ſubſequentibus verbis, *ſub cute*, *& in capite*. Bilis flava mota ad cutem eſt cauſa Icteri immediata, & formalis; ad hanc non poteſt moveri, niſi naturæ inſtitutis contraveniendo, à quibus ad cyſtim fellis in hepate deſtinatur, hujuſmodi naturale receptaculum deſerendo ſanguini mixta ad cutim tendit, ad quam alia via pervenire datum non eſt.

Quæ ſit cauſa retrahens bilem à motu ad naturale receptaculum, mihi videtur demonſtrata ab Hipp. in illis verbis, *Et pallidam urinam mingit*, *& craſſum ſubpallidum in ipſa ſubſidet*, & etiam in illis, *Stercus autem excretum cum pallore albicat*, *& fœtet*. Per urinam pallidam intelligit ſubflavam, ſimilem colori malicorii, ideſt cortici granatorum; quod manifeſtum fit à ſuperioribus verbis, *& fit pallidum*, *velut malicorium*; hunc colorem accipit urinam à bile, unà cum ſero in renibus ſegregata, & cum urina ſecreta, ut oſtendit experientia; nam charta, linteum ictericorum urinæ immerſum, flavo colore tingitur bilis proprio; hæc naturaliter non excernitur per urinam, & palearem ſuum colorem bili debere, falſum eſt; cum experimento ſapientiſſimi *Bellini* in ſuo doctiſſimo tractatu *de urinis* conſtet, urinam à ſuis ſalibus, quibus impregnatur dictum colorem accipere. Stercus cum pallore albeſcit contra naturæ decreta, quæ in omnibus ferè Animalibus cyſti fellis donatis voluit ſtercus à bile tinctum, quia voluit fœcibus miſceri, ut ſtimulo ſuæ acrimoniæ commoneret Animal de neceſſitate, & tempore deponendi

nendi fœces per alvum; idcirco determinavit bilis in hepate ſecretionem, in cyſtifellis collectionem, & per ductum cholidocum in inteſtina excretionem.

In Icterum ergo non exit bilis ad inteſtina, nec per alvum cum fœcibus excernitur, cum quibus naturaliter excerni deberet, at exit urinæ mixta, cum qua naturaliter nec deberet miſceri, nec ſecerni. Deflectit urina à deſtinato tramite parato in ductu cholidoco, & inteſtina, quia ab aliquo impedimento tranſitus per hanc viam impeditur.

De hoc impedimento non loquitur Hipp. quia patet, dum ad hoc ut prædictam ſemitam teneat bilis, neceſſe eſt, ut ſit libera, ideò omnes Hipp. poſteriores Medici in obſtructione ductus cholidoci impeditum fluxum bilis ad inteſtina agnoverunt, & conſequenter in hoc cauſam Icteri repoſuerunt; ab obſtructione enim impedita bilis ad dicta loca regurgitat in ſanguinem, cum quo defertur ad cutim, & ad renes, & ita & cutis, & urina flavo tingitur colore.

Principale impedimentum eſt obſtructio in ductu cholidoco, à qua tranſitus bilis in inteſtinum impeditur, hæc fit ab humore craſſo viſcoſo, cum bile paulatim ad cyſtin delato, & in ea cumulato, vel à muco inteſtinali ſuperficiei dicti ductus adhæreſcente, vel in ejus cavitatem ingreſſo. A lapidibus in veſicula genitis factam obſtructionem, probant obſervationes apud *Schenkium*, *Bonetum*, *Etmull.* A bile ipſa craſſa poſſe fieri obſtructionem, obſervavit *Etmull. de Ictero* in cadavere diſſecto, in quo abſciſſo poro biliario, nec guttula quidem bilis profluxit, quia craſſiſſima, atque tenaciſſima erat.

Scio quandoque excitatum Icterum ſine prædicta obſtructione, quia cum Ictero conjunctæ fœces bile tinctæ, quandoque apparuerunt, talem refert ex triſtitia Icterum *Helmont. tract. ſextuplex digeſt.* §. 36. & Icterum à triſtitia recidivantem referunt *Acta. Aſſn. vol.* 3. *p.* 82. *Riverius* ex ira Icterum mirandum obſervavit, relatum in *Cent.* 2. *obſer.* 9 Ab eſu ſtaphidiſagriæ Icterum lethalem, notat *Loſic. in obſer. p.* 259. Icterum à medicamento ſudorifico in colica, vidit *Barthol. cent.* 5. *Hiſt.* 62. & à partu laborioſo; ab affectione Hyſterica, & à colico dolore Icterum ſuperveniſſe, à multis obſervatum fuit; & venena aſſumpta idem confirmant, quorum exempla habet *Marcell. Donat. li.* 1. *c.* 7. & in ſpecie de morſu Araneorum, *Joele in praxi de venenis pag.* 126. & de Viperis *Zacut. Luſit. li.* 5. *de Medic. Princip. Hiſt. li.* 5. *Hiſt.* 29. Aliqui Icteri, ut à dolore colico, hyſterico, ab ira, quia ſine obſtructione, ſunt momentanei, & tranſitorii, de quibus non eſt ſermo, cùm curatione non egeant; & ſi permanentes fuerint, ut illi à venenis, ſi non ab obſtructione, ab aliquo huic æquivalenti fiunt, nempè ab actione veneni fluxum bilis ad ſuum receptaculum impediente, eo modo quo impeditur ab obſtructione, & per actionem veneni permanet bilis in ſanguine, dum impeditur iſtius ſeparatio. Fit etiam à motu convulſivo, & ſpaſmodico muſculi in orificio ductus cholidoci exiſtentis, & nervorum per ſubſtantiam cyſtis diſperſorum, dum à dicto motu contrahitur, & clauditur dictum orificium. Ab hac cauſa Icterum provenire non nego, imò colore flavo tingi corpus vitio lienis demonſtravi de morbis lienis, ex ſententia etiam Hippoc. prætterquamquòd Hippocrat. ibi loquitur de Ictero à cauſa interna cum fœcibus alvi albis, cujus cauſa certò niſi obſtructioni cyſtis tribuenda, eamdem ſententiam refert *lib.* 3. *de morb. num.* 12.

Inter ſigna hujus affectus, eſt mutatio coloris ad flavum in toto corpore, præcipuè in oculis, quem pallidum dicit Hippoc. ob rationem ſuperiùs dictam, & in cute capitis. *Sub capillis velut cortex ſubeſt.* Corticem appellat Hippocrat. ſordes cutis capitis condenſatas ſuperficiem capitis tegentes, eo modo, quo ſuperficies externa arboris à cortice tegitur. Hic cortex eſt velut cruſta flavo colore tincta, fit à bile mixta ſordibus cutis, has ad duritiem reducit ſuo ſale, quo facilè in lapidem bilis concreſcit, ut colligere licet à multis obſervationibus de lapidibus in cyſti fellis repertis, urina, & ſedimentum flavum ob mixtionem bilis cum ſero urinoſo. *Et mane quamdiu jejunus fuerit ad cor, & viſcera exugitur*, ideſt bilis à ventriculo jejuno attrahitur; hoc enim fameſcente, & vacuo, motus fibrarum iſtius periſtalticus major fit, & ab hoc ſuccus glandularum tunicæ interioris exprimitur abundanter in cavitatem, & circa orificium illius cum ſucco, hoc unitur bilis in ſanguine retenta, à qua vellicatum, mordicatum os ſuperiùs ventriculi, cor ab Hipp. appellatum, moleſtiam, inquietudinem, anxietatem in ægro parit. Ab his paſſionibus afflictus æger, *Si ipſum alloquatur aliquis, & interroget ægrè fert, & anxius ſit, & non ſuſtinet audire*, ut ait Hippoc. Stercus exit cum pallore albicans, & fœtet; albicat, quia deficit bilis tingens, colore flavo, ſi exuberat, vel plumbeo, ſi æqualis ſit in quantitate, & actione ſucco pancreatico, ſed retinent colorem album maſſæ chyloſæ, à qua ſeparantur dictæ fœces: fętent fęces albæ, quia deficiente bile in eis, ob prædictam obſtructionem, non ſuccedit illa mixtio partium ſalinarum, & ſulphurearum cum aliis partibus craſſis, à qua tollitur fœtidus odor excedens, ſed illæ liberæ relictæ triſti affectione feriunt nares, unde fœtidus odor, quem Recentiores in particulis ſulphureis cum ſalinis conjunctis ponunt.

Morbi regii imminentis ſigna proponit *Hipp. in lib. de Coac. prænot. n.* 4. Morbum regium denotat *frequentes ad egerendum progreſſus paulatim fientes, pauca ſtercoracea ſubviſcoſa habentes; cum præcordii, & lateris dolore ſine cauſa manifeſta.*

Febrem regio morbo unit Hippocrat. in hoc textu, dum ait, *rigor, ac febris corripit*, & loquitur de febre conjuncta cum Ictero, quia, ab iſto pendens, non de febre præcedente Icterum, qui ſymptomaticè, vel criticè in febribus erumpit. Hujus cauſa eſt bilis in ſanguine retenta fermentativa virtute, qua pollet fermentationem febrilem in eo excitans, à qua febris acuta, cum mortem intra quatuordecim dies terminus acutorum morborum inferat, ut prædicit Hippocrat. in textu; per hanc prædictionem oſtendit bilem retentam in ſanguine moliri diſſolutionem, & corruptionem iſtius; hac ratione timendæ febres, unà cum Ictero invadentes, & præcipuè ſi ſint vehementes; non eſt tamen neceſſaria febris ad conſtitutionem Icteri, dum praxis oſtendit ſæpè Icterum cum fœcibus albicantibus ſine febre, vel cum febre lenta, ſi actio fermentativa bilis ſit iners apta ſolùm ad fermentationem febrilem lentam excitandam, vel ſanguis adeò conſiſtens, ut actioni fermentativæ bilis etiam validæ reſiſtat, & lentam ſolùm admittat, à qua febris lenta. Ubi verò actio bilis fuerit valida, & ſanguinis conſiſtentia tenuis, fermentatio febrilis vehemens ſuccedet.

Prognoſtica addit Hippocrat. in eadem ſententia his verbis: *Huic cùm ita habuerit, maximè moritur in quatuordecim diebus, ſi verò has effugiat, ſanatur*, & ſignum lethale eſt fœces malè olere, prout dicit Hipp. quia hæc magnam putredinem fœtoris cauſam deſignant. *Regius morbus cum hepatis duritie, malum*, ex *Hippocrat. aphor.* 42. *lib.* 6. *Si febri ſuperveniat ante ſeptimum, malum; in ſeptimo, nono, undecimo, bonum, niſi præcordia ſint dura, ſin minus ambigua res eſt, Hippocrate in Coac. prænot. num.* 1. *& num.* 2. *ex morbo regio fatuitas, malum: in morbo regio abundè colorati, moriuntur. Alba alvi egeſtio in his præcedit*, ideſt fluxus albus cæliacæ paſſioni ſimilis, à quo colligitur extincta facultas digeſtiva alimentorum in inteſtinis, ideſt facultas ſegregativa fœcum inutilium à partibus utilibus nutritivis, quæ cùm conſiſtat in bile, & ſucco pancreatico ſimul cum maſſa chyloſa à ventriculo deſcendente commixtis in defectu bilis non perficitur ſegregatio; *lib. de Coac. nu.* 1. *Regius morbus cum rigore ante ſeptimum diem accedens in febre bilioſa ſolvit febrem, verùm ſi ſine rigore accedat extra temporis occaſiones, pernicioſus*; *li. de ration. vict. in acut. nu.* 54. *& in li. de Affect. num.* 33.

Curationem hujus affectus dividit Hippocrat. Primò reſpicit Icterum cum febre acuta intra terminum quatuordecim dierum, in quo judicandus eſt, & maximè, ut loquitur Hippocrat. ad mortem. In hoc tempore, nec purgationem, nec ſanguinis miſſionem exercet; non primam, quia licèt conveniat humori peccanti, qui eſt bilis, cùm hæc ſit in venis mixta cum aliis humoribus, nec ſit concocta, & cum conditionibus ad purgationem requiſitis, hanc neceſſariò prætermittendam eſſe, docet; non ſecundam, quia peccanti humori, qui eſt ex-

eſt excrementum qualitate peccans, non debetur, limitanda hæc Hippocr. ſententia in caſu plenitudinis ſanguinis, vel magnæ efferveſcentiæ plenitudinis æquivalentis, quoad venæ ſectionem; ſicut limitanda in caſu purgationis, itaut non rejiciatur purgatio lenitiva primarum viarum. His ſpretis ad ſolam alterationem, & præparationem humoris peccantis ad bonam criſim idoneam, reſpiciendum medicamentis inferiùs dicendis, *Cùm febris remiſerit*, hoc eſt in declinatione extiterit, *multa calida lavat* ægrum Hippoc. ad attemperandum calorem febrilem, ad moderandam acrimoniam bilis, ad accelerandam concoctionem, & ſeparationem iſtius, magis fluxibili ſanguine reddito à calido lavacro; poſt hoc, *Aquam mulſam* exhibet, *hæc & urinam movet, & bilioſa per alvum egerit*, ut docet *Hipp. li. de vict. rat. in acut. n.26.* Hanc ergo exhibet, ut inclinanti naturæ ad humoris expulſionem per has vias vires addat, vel ut urinæ, vel purgationis motionem à Mulſa inceptam, naturæ poſtea perficiendam relinquat.

Audiant Medici ſuum Hipp. in acutis ab humoribus excrementitiis non turgentibus, nec purgationem in principio, nec venæ ſectionem exercere, ſed ſolam humorum attemperatione, & præparatione ad criſim diſpoſitivam contentum eſſe.

Alteratio reſpiciet bilis acrimoniam, quæ attemperanda, efferveſcentiam præternaturalem ſanguinis, quæ moderanda, ſanguinis tenuitatem, quæ incraſſantibus corrigenda, nec aliud agendum intra ſpatium quatuordecim dierum. Primam indicationem adimplent *Epiceraustica*, ut *Malva*, *Branca-urſina*, *Liquiritia*; ſecundam acida, ut *ſuccus Limonum*, *Spiritus Vitrioli*, & *Salis dulcificati*, *Acetoſa*, *Portulaca*, *Plantago*, *Ribes*, quæ & tertiæ ſatisfaciunt, ſicut *radix Biſtortæ*, & *Tormentillæ*.

Pro diæta *Ptiſanæ ſucco* utitur ad ſorbitionem, *Melle affuſo*, non cum ea coćto, & rationem hujus habemus *in lib. de Affect num.45. Mel coctum, eſt æſtuoſum, & ventri adhæret, cùm coctum fuerit, in ventre efferveſcit, venter ardet, & dirumpi videtur*; & alibi dixit: *Mel cum aliis comeſtum nutrit, ac bonum calorem exhibet*; hac de cauſa Mel affundit ſorbitioni, non coquit cum ſorbitione.

Tranſactis diebus quatuordecim, & febre extincta, curationem ad Icteri ſolutionem dirigit, & *lavacrum bis in die* imperat, ob rationem ſuperiùs dictam, & ut humores ad purgationem diſponat; qua de cauſa ſolet Hippocrat. ante *Veratri* exhibitionem corpus lavare, ut in *li.6. de morb. popul.5.* & alibi, & ut tranſpiratio augeatur, & bilis etiam in ſanguine collecta tranſpiret.

Quæcumque appetit, exhibet, ſed in parva quantitate, juxta ſuum axioma *im aphor.38. li.2.* deſcriptum: *Parùm deterior potus, ac cibus, ſuavior autem melioribus quidem, ſed minus ſuavibus præferendus*; auget poſtea paulatim, & hæc eſt regula univerſalis in morbis longis, quibus noxia eſt diæta tenuis, cibum paulatim augere, donec ad plenum victum deveniamus. *Vinum* concedit *album plurimum per diem*, ſunt verba Hippocrat. Non ſolùm tempore cibi vinum exhibet, ſed etiam extra cibum, quia vires reficit, diureticum eſt, & præcipuè album, & bilem par urinam ducere valet, & hoc modo ſanguinem ab iſtius redundantia purgat, & quia deobſtruit, & ita cauſam Icteri, obſtructionem nempè, in ductu cholidoco tollit; ſi in vino infundatur *radix Chelidoniæ majoris*, ut tingatur colore flavo, habetur pro remedio infallibili in curatione Icteri. Magnum etiam parabitur remedium, ſi in vino infundatur *Centaurea minor*, & *Fragaria*, & de hoc bibat in diem.

Subjungit poſtea Hippocrat. *Si progreſſu temporis videatur tibi pallidus eſſe*, hoc eſt magis flavus (quia jam enarrando ſigna Icteri pallorem, ideſt flavedinem recenſuit) *& debilis vomitum à cibis facere jubeto*, & ſine ullo alio irritamento aſſumpto, quàm ipſius cibi, à quo ut ſequatur vomitus, debet ſumi in magna quantitate, debet eſſe pinguis, vel multa pinguedine olei, vel butyri conditus; tunc enim accedente ſolo irritamento pinnæ oleo intinctæ, in gulam immiſſæ ſequetur vomitus cum magna facilitate, prout exigit virtus debilis ægri. Vomitus promovetur, quia in conatu huic conjuncto, vas cholidocum, & pori biliarii ramifactiones concuſſæ obſtruentem humorem è ſuis cavitatibus expellunt.

Si non cedat Icterus, *Veratrum bibendum dato*. Hìc adnotandum purgationem ultimo quaſi loco exercere Hippocrat. aliis præparatoriis præmiſſis, & expectata concoctione, ſeu ſegregatione bilis ab aliis humoribus, & attenuato humore obſtruente, contra uſum noſtrorum Medicorum, qui ab initio purgationem in Ictero imperant, & eam reiterant, cum maximo ægrorum detrimento. A Veratri exhibitione colligitur, ægrum non eſſe adeò debilem, ut ſuperiùs dixit, ut ſuſtinere non poſſit purgationem à Veratro. Ad veſperas cibum exhibet; quod maximè notandum, & imitandum, in Hippocrat. cibum non exhibendo niſi purgatione terminata, & hac de cauſa Ptiſanam in media purgatione prohibet *li. de rat. vict. in acut. n.13.* & cum cibo pleno, qualis eſt *Pullus Gallinaceus percoctus, & conditus*, prout deſcribit. *Vinum* etiam concedit *album auſterum vetuſtiſſimum*, *poſtera die alvum ſubpurgato ſucco cicerum alborum*, *Melle affuſo, ad duas heminas*, hoc eſt ad uncias decem octo. Succus Cicerum præparatur eis coctis, & expreſſis; purgare, & urinam movere Ciceres aſſerunt *Botanici*. Poſt purgans ſubpurgat leni medicamento, ad expellendas illas humorum reliquias, quæ motæ fuerunt, & ſegregatæ à medicamento purgante, ſed non expulſæ, qua ratione conſuevere multi Medici, poſt medicamentum purgans Clyſtere uti, ut perfectior ſuccedat purgatio.

Ultimò, quæ obſtructionem in ductu cholidoco, & ramificationibus pori biliarii tollunt, proponit in tribus remediis contenta. Primum eſt *decoctio Radicum tenuium Fœniculi, quantum tribus digitis capi poſſunt, in* ℥.*xx. aquæ ad conſumptionem medietatis*; *& altera decoctio* eodem modo facta *Cicerum alborum ad quantitatem Chænicis*, ideſt ad quantitatem duarum librarum menſuralium: *hæ duæ decoctiones colentur, & ſubdio per noctem exponantur, & miſceantur*; de hoc bibat cum vino ad attemperationem iſtius, & etiam ipſum decoctum ſolùm quantum velit pro libitu.

Secundò, *Si prædictam potionem recuſaverit æger, ſequenti utatur. Paratur cum Caricis albi ad quantitatem Chænicis, parato eodem modo decoctum in* ℔. *xx. aquæ bibendum*; *eodem modo*; monet tamen, *ne acervatim bibat*, *ſed paulatim ad* ℥. *v. pro vice*, *ne alvum moveat, & modico tempore interpoſito rurſus bibat*. Tertium remedium eſt, *Apii Semen*, *Cucumeris*, *Fœniculi, Cuminum Æthiopicum, Coriandrum, herba Adianthum*, *Uvæ paſſæ albæ, terantur, & in* ℥. *viii. Vini veteris diſſoluit*. Ad imitationem Hippocrat. fit decoctum *Fragariæ ad m. iii. Paſſular.* ℥. *iii. coquantur in* ℔.*vi*, *Vini ad conſumpt. tertiæ partis, ſæpè in die bibat æger. Hypericon cum herba, & flore* coquatur in vino, vel aqua, & de hoc capiat æger ℔.*i.* omni manè, & etiam poſt quinque horas à cibo, *herba, & flores reſidui à decoctione pedibus in formam emplaſtri applicentur. Decoctum Marubii à Matthiolo deſcriptum in tractatu de Marrubio, eſt ſpecificum.* Valet etiam ſequens remedium:

℞. *Rad. Curcumæ* ʒ.*i.*
Sem. Aquilegiæ ʒ.*ii.*
Croci gr.v.
Scor. chalyb. ℈.*i.ſ.p.& miſc.*

divid. in duas partes æquales, & exhibeantur in decocto fructuum Alchekengi, facta forti expreſſione dictorum fructuum: Si ſuſpicio ſit calculi in veſica fellea, exibeatur ʒ.*i. pulv. rad. Curcumæ, mixta cum* ʒ. *i. pulv. Mille pedum præp. cum prædicto decocto Alchekengi*. Item valet *decoctum Chelidoniæ majoris, & Granorum Juniperi*, paretur eo modo quo ſua parat decocta Hippocrat. & de hoc bibat æger plurimum in die. *De curatione magnetica Icteri, vid. Etmull. fol. 344. col.2.*

Alteram differentiam Icteri flavi proponi t Hippocrat. *cit. lib. num.40. Alius morbus regius popularis appellatur hic, eo quòd omni tempore corripit; fit autem à repletione maximè, & ebrietate, & poſtquam riguerit, ſtatim ſanè corpus immutatur, & pallidum fit, & oculi pallidi valdè ſunt, & ſub pilos, & ſub ungues morbus procedit, & rigor, ac febris tenet debilis, & debile eſt corpus*,

corpus, *& in capite dolor adeſt*, *& pallidum*, *& craſſum mingit*.

Hippocratem in hoc textu loqui de altera Icteri flavi differentia, certum eſt ex illius lectura, & conſideratione; & quia in hoc textu nullam mentionem facit de fęcibus albis, ibi motivum ſatis efficax ſuggerit, aſſerendi hanc Icteri differentiam eſſe cum fœcibus tinctis, non albis, & per hanc fęcum tincturam contradiſtingui à præcedenti differentia Icteri. Quo poſito, non eſt Icterus ab obſtructione ductus cholidoci, & cyſtis fellis, quare eſt differentia, quæ non conſtituitur per impeditum fluxum bilis in inteſtina, ſed per impeditam ſeparationem bilis à ſanguine non totalem, quia aliqua portio ſegregatur ad inteſtina defluens, dum fœces tinguntur, ſed pro majori parte in ſanguine retinetur, & ab hoc in cutem ſpargitur, cum tinctura iſtius flava, qua membrana oculorum albuginea etiam tingitur, itaut color flavus magis in hac, quàm in aliis partibus appareat. Copia bilis expulſæ ad ambitum corporis per carnes ſub unguibus, & ſub pilis effunditur, quod intellexit Hipp. quando dixit, morbum procedere ſub his partibus; portio bilis in vaſis cum ſanguine contentæ ſub cute capitis, vel in membranas cerebri eructata dolorem capitis; in hoc motu expulſionis bilis à maſſa ſanguinea, & ejus excurſu per partes cutaneas ſenſitivas, acrimonia rigorem efficit, poſt quem color cutis mutatus ad flavum colorem vergit, cùm bilis in actu rigoris expulſa partes cutaneas occupaverit, hoc modo, præcedente totius rigore, fiunt Icteri Critici, & ſymptomatici in febribus. Hoc modo in Cachexia bilioſa fit mutatio coloris ad flavum Icteri colorem repræſentans, & etiam ab hac cauſa pendet flavedo illa in cute diu durans, contracta in morbis longis, & etiam in obſtructionibus contumacibus Hypochondriorum, illæſo hepate, & ſua cyſti fellea.

In motu expulſionis bilis febris accenditur, & portio illius, quæ remanſit in maſſa ſanguinea, & quæ de novo generatur, febrilem alit effervescentiam, unde febris continuitas, & augmentum, quæ eſt debilis, eò quia craſſities ſanguinis ſeparationem bilis impediens, iſtius etiam virtutem fermentativam moderatur, & debilitat, & ſanguis etiam à craſſitie humoris ad parvam, & debilem effervescentiam concipiendam diſponitur.

Cauſa hujus impeditæ ſeparationis eſt, primò plenitudo, & repletio à ſanguinis copia, quæ impedit ſecretionem humorum, dum in plenitudine una pars humoris aliam premendo in cavitate vaſorum, motum ſibi impediunt, & conſequenter ſegregationem, hanc cauſam expreſit Hippocrat. in illis verbis *in text. Fit autem maximè à repletione*, & etiam confirmatur à modo curandi per ſanguinis miſſionem morbis à plenitudine pendentibus ſolùm convenientem. Secundò humor craſſus in ſanguine redundans, bili mixtus, hanc craſſam efficit, ut permeare non poſſit glandulas miliares ſubſtantiæ hepatis, & ab his abſorberi, neque ingredi ramos pori biliarii; hinc coacta eſt remanere in ſanguine, & cum eo circulari, uſquequo ad ambitum corporis expulſa fuerit. Hanc cauſam expreſſit in illis verbis allati textus, *& pallidum*, *& craſſum mingit*.

Cauſam externam recenſet Hippocrat. in textu, nempè repletionem à copioſo victu, & ab ebrietate, à quibus materiam pro plenitudine vaſa recipiunt, & etiam humor craſſus congregatur à reliquiis inconcoctis alimenti, quas fermentum digeſtivum ventriculi magnæ ciborum quantitati applicatum ſuperare non valet, nec perfecta ſubactionem; reſiſtentia partis craſſæ, & durioris alimentorum permittit. Notandum, omnes hos morbos, & majorem partem aliorum, vel ab errore externo, & ab erratis in ſex rebus non naturalibus originem trahere, vel à depravata digeſtione fermenti ventriculi, & vitiata conſtitutione, & actione ſucci pancreatici, & bilis in inteſtinis, vel à principio illo, cujus ope fœces alimentorum à purioribus ſuis partibus ſecernuntur.

A recenſitis ſignis cognoſcitur hic Icterus.

Prognoſtica ſunt boni ominis, quia ait Hippoc. *Hic morbus minus lethalis eſt prioribus*, *& curatus brevi ſanatur*.

Similem Icterum deſcribit *in lib.* 2. *de morbis nu.* 35. qui à præſenti explicatione declaratur.

Curationem incipit in hoc affectu *Hippocrat. cit. lib. de affect. num.* 40. à ſanguinis miſſione. Indicationem hujus remedii ſumit à repletione, quam in principio hujus textus vigere declaravit illis verbis: *Fit autem à repletione maximè*. Omnis repletio indicat miſſionem ſanguinis, quæ convenit etiam, ubi adeſt ſanguinis craſſities, quæ ſecretionem excrementorum impediendo, & tranſpirationem fuliginum plenitudinem quamdam, & efficit, & conſervat; convenit etiam ad motum ſanguini conciliandum, à craſſitie, & à redundantia retardatum.

Secunda intentio eſt purgandi, cujus fundamentum eſt ſeri abundantia ab ebrietate, & craſſities ejuſdem apparens in urinis, ideòque *Elaterio* ſerum purgante utitur, & ad iſtius craſſitiem auferendam, & ad diſponendum illud ad facilem fluxum fomentis utitur, hoc eſt aqua calida fovet partes circa ventrem, & etiam inferiores, prout moris eſt Hippocrat. Ante purgationes, vice Elaterii uti poſſumus *Manna*, *Syr. Roſ. ſol. Jalappa*, *Mecheocano*, vel iſtorum extracto. Purgationem reiterat ſequenti die cum Lacte aſinino, ob rationem dictam in ſuperiori Diſſertatione. Notandum, ſanguinis miſſionem purgationi præferri, ratione plenitudinis, quæ primò ſemper minuenda ante omnia remedia.

Tertia indicatio eſt materiam craſſam in ſanguine relictam à purgatione, & ſanguinis miſſione attenuare, & per urinam ducere, cui conducunt remedia ſuperiùs deſcripta; ideò dicit. Hipp. *Reliquas ſorbitiones*, *& potus*, *ac edulia*, *eadem dato*, *quæ in priori*.

Capitis purgationem imperat. Indicatio talis purgationis eſt manifeſta, cùm dixerit, *& caput dolet*, materiâ bilioſa membranis cerebri adhærens, ut dictum eſt, eaſque vellicans indicat ſui ablationem, non perficietur niſi capitis purgatione, ſed manifeſtum non eſt, quibus remediis purgandum caput, an verè purgantibus, an Errhynis, at cùm purgatio per nares, experientia magiſtra, dolorem capitis ſolvat, & tollat flavum colorem in facie expurgata materia exiſtente circa dictas partes per nares; cenſendum eſt Hippocratem caput purgare Errhynis; quod confirmatum manet ab *Hippocrate*, qui *in lib.* 2. *de morbis num.* 35. agens de cura Icteri, ait: *Medicamentum ad nares appone*. Efficaciſſimè hoc agit *ſuccus Cyclaminis* per nares attractus ſicut *ſuccus Betæ*, in quo *Manna diſſolvatur*. *Pulvis ex ſemine Nigellæ*, *Majoranæ*, cum pauco *Helleboro albo*, idem præſtat.

Poſt purgationem capitis ait: *de ſucco bibendum dato;* qualis ſit ſuccus non exprimit Hipp. cùm verò imperet ea, quæ in prioribus, & ibi præſcripſerit *ſuccum Cicerum alborum*, poſſumus cum ratione aſſerere de hoc ſucco loqui, & quia in hoc adeſt virtus alvum leniendi, ſi in magna copia exhibeatur, & urinam ciendi in minori, cujus purgatio cùm in curatione Icteri valdè conveniat, non irrationabile eſt Hippoc. de hoc ſucco loqui. *Foeſius* pro ſucco legit *ſuccatiunculam*, & *in notis ad librum de intern. affect.* ait eſſe ſuccum ab *intritis*, ideſt contuſis carnibus expreſſum, cui correſpondet uſualis noſtra ſorbitio, facta ex carne contuſa, cum jure diſſoluta, & percolata.

Cùm Hipp. capitis purgationem per Errhyna præſcripſerit ad tollendum ſymptoma coloris mutati in facie, proponit remedium ad idem ſymptoma in tota corporis cute abolendum, hoc eſt balneum, vel lavacrum cum multa aqua calida; efficacius erit balneum, ſi fiat cum decoctione *Saponariæ*, *Sigilli Salomonis*, *Bryoniæ*, *rad. Ireos*, *& Lupinorum*, & *Furfurum*, vel ſacculus impleatur *Farina Hordei*, *Fabæ*, & *Lupini*, & ſacculo in aqua calida madefacto corpus fricetur; addit Hippoc. *Carnium defricationem*, *& defricatas ſordes in vino albo bibendas dare*. Sordes cutis ſale volatili, & aqualiter acri, quo induſia etiam corroduntur abundant, & ab hoc aſſumpto humores attenuari poſſunt, & per ſudorem exire, cum ablutione, & abſterſione cutis, coloris pravi everſione, & etiam maſſæ ſanguineæ correctione, attenuata iſtius craſſitie à ſale volatili ſordium: ab hujus exemplo docemur, tutum eſſe in hujuſmodi Ictero volatilibus, & ſudorem moventibus uti.

Alteram

Alteram differentiam Icteri proponit *Hippocrat. cit. lib. 2. de morb. num. 35. in fine*, in qua adeſt aliquando febris, & urina craſſa. Hujus curationem molitur cum aquæ calidæ lavacro ad humoris viſcidi, & craſſi attenuationem in principio; nec ſanguinem mittit, quia non eſt plenitudo, ſicut in jam explicata, nec purgationem, quia materia craſſa abundans indiget attenuatione, antequam purgetur; ideò *per urinam cientia*, ut ait Hipp. curationem exorditur duplici de cauſa; prima, quia hæc attenuant, & incidunt materiam craſſam, eamque maximè fluxibilem faciunt; ſecunda, quia diureticis motum naturæ materiam craſſam ducentis per urinas obſecundamus. Hujus generis ſunt ea, quæ proponit Hippoc. in curatione prima Icteri, & etiam alia ibi addita. Diureticis præmiſſis, & melius ægro habente, & colore meliori apparente medicamentum ad nares apponit, ideſt Errhynum, ob rationem dictam ſuperiùs, & poſtea medicamentum deorſum purgans præbet, quia tunc materia eſt concocta, & præparata, & facilè purganti medicamento obediet, unde purgabitur tale, quale peccat. Purgantis ſpeciem non exponit, colligitur tamen à cauſa, quale eſſe debeat; materia craſſa, & pituitoſa eſt cauſa Icteri; ergo hæc evacuanda *Plegmagogis*, ut cùm *infuſo Agarici, Sennæ*, addito *Mel. Roſ. ſol.* vel cum *Syr. de Polyp. ſol.* vel cum *Pil. de Agarico, & Aggregativis*. Poſunt miſceri *Cholagoga*, pro bile retenta purganda.

Alteram differentiam Icteri proponit *Hippoc. in lib. cit. de intern. Affect. num.* 39. & eſt Icterus niger, qui communem habet cum Ictero flavo decolorationem totius corporis, & ſicuti in hoc ad flavum, ita ille ad nigrum inclinat.

Modum, quo fit hic morbus, explicat in illis verbis, *& humor, qui eſt in corpore, congelatur in cute*; & probat, quia lividum eſt ejus corpus, & ſubdurum. Corpus lividum, ſeu nigrum, eſt ab humore nigro, ſubdurum ab eodem humore ſub cute coagulato, & denſato; ergo humor in cute congelatur. Qualis verò ſit humor, qui eſt in corpore, declarat in ſubſequentibus verbis: *Et venæ per corpus diſtentæ* (ideſt diſſeminatæ per exteriorem corporis ſuperficiem; intelligimus etiam venas diſtentas, venas contractas, & duras, velut rigidas) *ſunt pallidæ, majores autem, & craſſiores ſunt, quàm priùs, & aliæ venæ ſubnigriores diſtentæ ſunt, & ſi quis ipſarum aliquam ſecet, ſanguis effluet pallidus*, hoc eſt coloris parùm rubri, *ſi pallidæ ſunt venæ; ſi verò nigræ fuerint, niger ſanguis effluet*; humorem ergo nigrum ſenſu apparentem in corpore, hoc morbo laborante, cognoſcit Hippocrat. Humorem hunc nigrum dicit congelari in cute, & tunc colore nigro cutis, & corpus tingitur. Hìc notandum, quando in ſuperiori locutus eſt de modo, quo fit Icterus flavus, dixit, *bilis ſub cute conſiſtit*, hoc eſt bilis ſolùm moratur, quieſcit ſub cute; hoc verò in loco de humore nigro, dicit *coagulatur*, quod ſignificat fixationem, cum coſiſtentia, & duritie.

Fieri Icterum nigrum ab humore nigro coagulato, probat Hippocrat. *Corpus eſt lividum*, ſeu nigrum, ab humore nigro in venis contento, ad cutem delato; corpus *eſt ſubdurum* (intellige corpus circa cutem, vel aliam partem corporis ſub cute exiſtentem) & cum eodem tempore, quo corpus fit nigrum, fiat etiam ſubdurum, cenſendum ab eadem cauſa, à qua fit nigrum, fieri etiam durum, hoc eſt ab humore nigro, ſed non poteſt fieri ab hoc durum, niſi coaguletur, acquiſita per coagulationem reſiſtentia, & duritie, conſequenter Icterus niger conſurget ab humore nigro in cute coagulato.

Pro integra hujus affectus intelligentia, tria veniunt dilucidanda: Primò origo, & ſedes hujus humoris nigri. Secundò cauſa nigredinis. Tertiò cauſa coagulationis.

De primo definitivam ſententiam pronunciat Hippoc. in illis verbis *cit. text. Et humor, qui eſt in corpore, congelatur in cute.* ideſt humor, qui eſt in maſſa ſanguinea, vel hanc conſtituit, hæc enim ſolùm propriè dicitur de toto corpore, & manifeſtum fit ab illis verbis, *congelatur in cute*, hæc accipit ab arteriis, quæ ſunt vaſa maſſæ ſanguineæ; quapropter humor, qui congelatur in cute, ab arteriis, & à maſſa ſanguinea exit; magiſque confirmatur ab illis verbis, *& aliæ venæ ſubnigriores diſtentæ ſunt*, niſi à ſanguinis maſſa nigra nigreſcant venæ, & partes, per quas talis ſanguis fluit, & in quibus quieſcit, ut nigro colore tingantur neceſſe eſt; & poſtea ſubjungit: *Si verò nigræ fuerint ſectæ, niger ſanguis effluet*, & deducimus maſſam ſanguinis nigram eſſe. Quando Medici dicunt, humores à toto corpore provenire, à tota maſſa ſanguinis diſcedere, & in ea generari intelligunt. Sic humor hic niger ſuam generationem habet à maſſa ſanguinea, in hac ſuam ſedem ponit; hæc eſt hujus humoris nigri origo; & hoc efficaciſſimè perſuadetur à deficientia receptaculi hujus humoris nigri in corpore, in quo talis humor genitus ſegregetur, & conſervetur, ſicut bilis in maſſa ſanguinis genita colligitur, & conſervatur in fellea cyſti; hoc receptaculum non invenitur, ergo humor hic niger genitus non aliud receptaculum habet, niſi arterias, venas, maſſam ſanguinis, & hæc erit ſua ſedes, & origo.

Quoad ſecundam, nihil expreſsè definitivi habemus in præſenti textu Hipp. Nigredinis tamen cauſam colligimus ab eodem *in aphor. 17. & 20. ſect. 5.* in quibus nigredinem frigiditati tribuit, pars ſphacelata nigreſcit, quia frigeſcit deficiente, extinctoque in ea calore, & ſpiritu, & pars contuſa expirato ſpiritu, & calore à ſanguine extravaſato pariter nigreſit. Melancholia, quæ eſt fœx ſanguinis, nigra dicitur, & apparet, quia pauco calore, & ſpiritu eſt referta, quæ aduruntur nigreſcunt, quia in eis combuſtione ſpiritus, & calor diſſipatur. Cauſa ergo nigredinis in humore, erit paucitas ſpiritus, & caloris in eo, quia à principio ſanguificationis debili, & in calore deficiente, vel à materia craſſa frigida ſpiritu, & calore depauperata. Hanc cauſam adeſſe in patiente hunc morbum, colligitur ab *Hippoc. in cit. text.* in illis verbis: *Hic promptus eſt ad iter faciendum, & ambulandum, ſed præ debilitate crura labeſcunt, ac ipſum non ſufferunt*; adeſt ergo in hoc morbo virium languor, conſequenter calor debilis, & ſpiritus languidi, & pauci, cauſa nigredinis in his reperitur; Cum hac cauſa coincidit illa à Recentioribus adducta, & ab experientia deſumpta Authore *Bartholino in cent. 3. epiſt. 47.* in qua narrat, *Sanguinem à cane extractum, & hoc calente liquoribus acidis aſperſum nigrum evaſiſſe, ſed ex infuſione ſolutionis aluminis nigrum non ſolùm, ſed fœculentum, & luridum apparuiſſe*; unde deducunt ab hac experientia Recentiores, Salia acida, auſtera, homogenea vitriolo, & alumini, in ſanguinis maſſa vi alicujus cauſæ collecta, totam maſſam ſanguinis nigrore inficere, non alia ratione, niſi quia ab acido auſtero ſpiritus in ſanguine, vel diſſipatur, vel fixatur, itaut ſanguis frigidus cum parvo ſpiritu volatili, languido, inerti remaneat, unde nigredo modo ſupradicto; ex quo patet, hanc cauſam ad illam ex Hipp. mente expoſitam reduci.

Tota maſſa ſanguinis non eſt ſibi ſecundùm omnes ſuas partes ſimilis in nigredine, cùm obſervaverit Hippoc. in hoc caſu aliquas venas pallidas, & extractum ab eis ſanguinem pallidum, ideſt rubrum dilutum, ob admixtionem aquei humoris, quo animadverſo fatendum in hoc caſu ſanguinis eſſe portionem nigram, & aliam rubro pallidam, quia multo ſero aſſociatam, & ita ſenſibilem eſſe in maſſa ſanguinis partium ipſius diviſionem, nempè partem craſſam nigram diviſam eſſe à ſero, & à ſubtiliori, & puriori ſanguinis portione, haſque ſimul uniri, ab illa venarum nigredo, ab hac pallor. Hujus diviſionis ſenſibilis cauſa eſt craſſities illius portionis nigræ, non admittentis perfectam comminutionem in minimas particulas, neque perfectam mixtionem cum partibus tenujoribus, qua impedita neceſſe eſt illas duas portiones ſanguinis remanere diviſas.

Quæ ſint venæ, quæ pallido ſanguine, & quæ nigro implentur, ab Hippoc. non determinatur; probabile eſt modò unam, modò alteram impleri, & pallido, & nigro ſanguine data circulatione, probabile etiam eſt venas ſuperiores pallido, inferiores atro impleri, ob rationem dicendam de Cachexia ſeroſa.

Quoad tertium, nempè ad cauſam coagulationis, facile eſt concipere ex obſervatione, qua docemur, *omnia frigida ex ſui natura à frigido agente facilè coagulari*; ideò humor hic niger frigidus ad cutim delatus, à frigore

gore ambientis facilè coagulationem cum denſitate, & reſiſtentia ſuſcipiet. Hanc cauſam manifeſtam fecit Hippoc. quando in principio *cit. text.* dixit: *Hic morbus corripit tempore Hyemis*, *& frigore*; à quo etiam ſolutiones ſalium, præcipuè acidorum, citò coagulantur, unde humor niger acidus, & auſterus citò ſub cute coagulationem accipit à frigore ambientis. Hunc humorem nigredini conjunctam habere acrimoniam, demonſtravit Hippoc. in illis verbis: *Et veſtem interiorem corpori adjacentem* (hoc eſt induſium) *præ pruritu non ſuſtinet*, acrimoniam acidam auſteram eſſe, cita ſub cute coagulatio demonſtrat.

Incipere hunc morbum cum rigore, & febre, dicit Hippoc. Rigor à materia nigra acri ad cutim tranſmiſſa irritando partes ſenſitivas febris ab eadem materia in ſanguine exiſtente, quæ extranea, & hoſtilis ſanguini effervеſcentiam febrilem promovet.

Cauſas externas duas recenſet Hippoc. Frigus, à quo calor debilitatur, & acidum in humoribus augetur; ebrietas aciditate humores inficit, cùm in vino ſit acidum occultum, per quod in acetum degenerat, & manifeſtum in ſuo tartaro.

Icterum nigrum alium deſcribit *Hipp. lib.* 2. *de morbis num.* 35. ſine febre, ſine pruritu in cute, ſine duritie in carne ſub cute, quia humor niger non eſt fermentativus ſanguinis, nec acris valdè, nec craſſus, nec coagulativo ſale impregnatus; nigredo tamen in iſto provenit ab eadem cauſa ſuperiùs ex mente Hipp. expoſita; & ſi vera eſt obſervatio *Plateri li.* 3. *p.* 5. 75. de Ictero nigro, in quo fœces alvi albæ excernebantur, admittenda eſt ſententia illorum, qua determinant bilem flavam per admixtionem acidi prævalentis corrumpi, & in nigram tranſire, & Icterus niger erit à bile, & communem habebit cauſam cum Ictero flavo, nempè obſtructionem ductus cholidoci, vel ramificationum pori biliarii, ſed non communem cauſam materialem; nam talis cauſa in Ictero flavo eſt bilis ſincera, in nigro eſt bilis ab acido in ſanguine exiſtente, & prævalente ſupra actionem bilis corrupta, & corruptione denigrata; hujuſmodi Icterus diſtinguetur ab Ictero nigro, primo loco deſcripto, quod in illo ſunt fœces alvi albæ, in iſto minimè. Icterus niger primo loco deſcriptus eſt rarus, ſecundus eſt frequens.

Prognoſtica exponit Hippoc. paucis verbis. *Hic morbus, non minus priore lethalis eſt. Procedit autem ad majus tempus, ſi non in primis diebus ſanus fiat. Si verò morbus prolongetur, & ad octavum, aut nonum diem duret, in morbum incidit*, ideſt & morbus, & dolor premit, & exurgere non poteſt, *& plerumque in hoc tempore ſtatim pereunt*. Secundus verò Icterus non periculoſus cenſendus eſt, dum Hipp. promittit ab eis remediis, quæ ab eo deſcribuntur, ſalutem.

Primi Icteri curationem differt. Hippoc. uſque ad ſeptimam tranſactam, eadem de cauſa, qua diſtulit curationem primi Icteri ad decimam quartam, cùm hic morbus in primis diebus delinquere ſoleat ægrum, ideò nullo utitur remedio; morborum enim, quos natura paucis ſanat diebus, Medicus curam ſuſcipere non debet. In octava, & nona, quandoque augetur, & interimit; in ſeptima habeantur ſigna ſalutis, aut durationis morbi; ait enim: *Procedit ad amplius tempus*, *ſi non in primis diebus ſanus fiat*, *ſi verò prolongetur morbus*, *& ad octavum*, *aut nonum diem duret*, *incidit in morbum*, ideſt augetur morbus. In hoc tempore, tranſactæ ſeptimæ, curationem aggreditur, *Veratrum* exhibendo.

Cur verò ante ſeptimam nihil operetur Hippoc. ad declinandum periculum imminens in octava, & nona, deciſum fuit ſuperiùs. Nunc decidendum, qua ratione curationem incipiat à purgatione, cùm *in lib* 2. *de morb. numer.* 35. curationem Icteri nigri incepetit à ſectione venarum ſub lingua, deciſionem à textu præſenti deſumimus. In hoc textu nulla deſcribuntur ſigna plenitudinis, & concoctionis, imò cruditatis, cùm poſt ſeptimam exacerbetur morbus, ideò venæ ſectio non convenit, quia non adeſt plenitudo, nec redundantia ſanguinis, quæ eſt iſtius principale indicans; cujus reſpectu *in lib.* 2. *de morb. num.* 35. *Primo venas ſub lingua ſecato*, quia, ut ait in principio *cit. text. venæ ſub lingua craſſæ*, hoc eſt turgidæ, ac *nigræ*, quæ redundantiam ſanguinis in partibus circumſtantibus arguunt, ideò ſanguinem ab ipſis venis ſub lingua mittit ad minorandam plenitudinem; & licèt in hoc textu *de intern. affect.* afferat venas craſſiores eſſe, quàm priùs, intelligit eſſe magis duras, quia humorem craſſum continent, & ſi etiam turgidæ appareant, turgentia eſt potiùs à compreſſione partium adjacentium, quæ ſunt ſubduræ, quàm à plenitudine. At ſi hoc in textu per venas craſſiores aliquis contendat intelligendas eſſe turgidas, & plenas, non aliter, ac tales intelliguntur *in cit. lib.* 2. *de morb.* adhuc affero præmittendam eſſe purgationem, prætermiſſa lectione venæ, quia licèt venoſum genus, in hoc caſu turgidum, & plenum admittatur, non eſt tale per redundantiam ſanguinis, ſed per excrementorum exceſſum, ut colligitur ab eodem *textu* illis verbis, *& venæ ſunt pallidæ*, *& ſi ſecentur exit ſanguis pallidus*; hic pallorem accipit ab excrementis in copia ei admixtis, ratione hujus redundantiæ excrementorum rejicitur miſſio ſanguinis, & admittitur purgatio.

Purgatio neque in principio morbi convenit; primò quia adeſt febris, & purgatio in hac non convenit, niſi materia concocta, & in principio damnatur, quia materia non eſt concocta; ſecundò quia humor, qui eſt in corpore congelatur in cute, & qui in vaſi continetur, & peccat, eſt craſſus, ut dixi de cauſis, ideò purgationi minimè diſpoſitus; cùm ergo nec venæ ſectio, neque purgatio conveniat in principio, neque alteratio, cùm nimis ſit breve tempus, in quo judicatur, cùm judicium in ſeptima eveniat, nihil aliud remanet agendum, niſi diœtæ directio.

Si alterantibus eſſet utendum, diuretica exhibenda, prout utitur *Hippoc.* in præcedenti Ictero *num.* 38. Hæc attenuant craſſum humorem, & per urinam ducunt, ideò dicit in fine præſentis textus, *alia eadem aſſumat*, *quæ prior*, & poſſunt addi cordialia valida, à quibus vires vigorantur, ut *Theriaca*, *Mithridatum*, *Confectio ex Hyacintho*, *Alchermes*, *Spec. Deambræ*, *Aqua Theriacalis*, *Aqua cordialis Saxoniæ*, *Elect. de Ovo. Orvietanum*, & ſimilia, niſi febris prohibeat, & tunc mitiora ſeligenda. Tranſacta ſeptima, & augeſcente morbo, imperat Hipp. *Veratrum*, quod humorem melancholicum purgat per vomitum, & ſeceſſum; quando enim Veratrum ſimpliciter dicit Hipp. *Helleborum album* intelligit. Ebrietas etiam hujus morbi cauſa vomitum indicat, Veratro ſubſtituenda uomitiva leviora ſæpius recenſita.

Si verò non ſit locus vomitivo, melancholiam purgantia per alvum exhibeantur; ut *Syr. de Polypodio ſolutivus*, *& ad* ℥. *v. diſſolvendus cum Aqua Boraginis*, *vel Fumoterræ*, *& infuſio Sennæ*, *cum Polypodio*, *addito Mel. Roſ. ſolut. Confect. Amech. Pil. de lapide Lazuli*; Sub purgationem altero die, ſicut in primo Ictero, molitur Hipp. cum *Succo Cicerum alborum*; in hujus defectu uti poſſumus *Oleo Amygdal. dulc. rec. ſ. i. ad* ℥. *v. vel* ℔. *duabus Seri caprini depurati*, *in quibus diſſolvatur Mannæ clect.* ℥. *i.*

Peracta purgatione, laudat alia pharmaca, quæ exhibita fuerant in priori, ſunt hæc omnia aperientia, deobſtruentia, & diuretica. Ita in curatione Icteri nigri *in ſecundo de morb. Decocto Rad. Aſphadelii*, *& fol. Apii* utitur, ad urinam movendam, per ſeptem dies, & etiam per alteros tres dies, niſi melius ſe habeat, hoc verò in loco *Cantarides quatuor tritas*, *ſine alis*, *& capite in* ℥. *v. Vini infundit*, *modicum Mellis addit*, atque, ut ait, *has bis*, *aut ter in die bibat*. Validum proponit diureticum Hipp. at periculoſum, maximè iteratum modo dicto, cùm veſicam exulcerare valeat; quia eſt valdè efficax ad movendam urinam, ſed cum periculo, ideò in caſu ſolùm deſperato utendum; multoties vidi à Canthаridibus in vino acido *ad* ℥. *i.* vel ℥. *ii.* exhibitis, feliciter urinam retentam procuratam, quia acidum vini corrigit particulas acres corrodentes illarum, eo modo quo acida emetici virtutem enervant, & pulvis pyrius acido aſperſus inflammabilitatem amittit; quaptopter iſto remedio uti poſſumus, ſed præmiſſis tutioribus. In horum numero, præter dicta ſuperiùs in Ictero nigro, conveniunt, *Fumaria*, *Chamædrios*, *Lingua cervina*, *Lupuli*, *Gentiana*, *Centaurea*, *Tamariſci*, *Geniſta*, *Marrubium*; & *Emulſio ſem. Cannabis* dicitur ſpecificum contra Icterum nigrum, extracta cum aqua diuretica. *Lib.* 2. *de morb. num.* 35. medicamentum naribus apponit,

ponit, de quo jam dictum in præcedenti Diſſertatione.

Diœtam reſtringit in his verbis: *Edat quæcumque admittit, Vinum bibat album auſterum, & alia eadem aſſumat, quæ prior.*

Notatu dignum eſt, in hoc Ictero febrem adeſſe, & Hippoc. de hujus curatione nullam mentionem facit, nec calida remedia pertimeſcit, quia hanc ſymptomaticam cognoſcit, & ceſſuram cum morbo, ideò huic ſolùm applicat remedia.

Alteram, & ultimam differentiam Icteri albi deſcribit *Hipp. lib. cit. numer.* 41. *Alius morbus regius fit quidem à pituita, Hyeme autem maximè corripit, & color ipſius ægri eſt albus, & pectora ipſius pituita plena ſunt, & ſpuit ſalivam, & cùm exerat, ſingultus ipſi oboritur, & album lotium, & craſſum mingit, & in urina ſubſidet velut farina.*

Patet de Ictero albo Hippoc. hoc in loco agere, cujus eſſentia eſt decoloratio cutis præternaturam, quæ eſt communis omnibus differentiis. Cauſam mutati coloris, in præcedentibus Icteris poſuit in humore ſub cute ſiſtente, in hac verò differentia humorem nominat pituitam, nempè à qua oritur talis differentia Icteri, ſed non ait ſub cute exiſtere, quod non caſu prætermiſſum, ſed ſtudio cenſeo, ad indicandum pituitam efficere Icterum album ſola permanentia in ſanguine; eo enim modo quo pallorem ab animi deliquio per faciem, & totum corpus ſpargi obſervamus, & in copioſa ſanguinis effuſione, ob ſpirituum vitalium deficientiam, & motum ſanguinis circularem diminutum, quo ſanguis ad partes externas ambitus corporis defertur in ea copia ſolùm, quæ ſervit conſervationi vitæ dictarum partium, & ob ejus effervefcentiam diminutam, per quam deficientes particulæ calidæ igneæ, & lucidæ in ſanguine omnem colorem à cute abdicant, & pallorem in hac relinquunt nullo humore ſub cute exiſtente; color enim naturalis in facie in cute naturaliter habetur à ſanguine florido, rutilo, ſpiritoſo in copia ad venas capillares circa cutim, & in cute, & ſub cute exiſtentes lento curſu diſcurrente. Sanguinis rubor fulgidus, lux ſpirituum, & particularum ignearum ſanguinis cuti communicata, vel per cutim tranſparens hanc nitore, rubore, luciditate ornat, & albedine data à cutis textura, levitate, & ſubtilitate proportionata; hiſce omnibus deficientibus color pallidus advenit, cadaveri magis, quàm vivo conveniens, quia in hoc, ſicut & in morti proximis deficiunt omnes dictæ conditiones in ſanguine, & in ſpiritu. Cùm ergo ſanguis in venis exiſtens pituita redundans purpuram abjecerit, ad inopiam particularum calidarum, & ſpirituum redactus fuerit, & harum particularum lucem obfuſcatam ſenſerit, neceſſe eſt, ut toti corpori color albus, ideſt pallidus adveniat, ſecluſo omni humore ſub cute ſtagnante.

Colorem album fieri à pituita ſanguini mixta, docuit *Hipp. in lib. de Affect. num.* 20. ubi ait: *Sanguis enim à pituitæ copia aquoſior fit, & non ineſt ſimiliter in ipſo bonus color, quapropter albidiores apparent*; à ſanguine aquoſiore, omnes deſcripti effectus ſpectantes ad cutis colorem proveniunt.

Color albus, pallidus ſolus non conſtituit eſſentiam Icteri albi, quia talis color convenit Cachexiæ chloroſi, & aliis morbis, qui cum Ictero non conveniunt; ideò hac ratione multi Medicorum Icterum album dari negant, ſed ſub alia morbi cathegoria adſcribendum eſſe docent. At ſi cum colore albo illa adjungantur, quæ deſcribit Hippoc. in hoc textu, tunc eſſentia Icteri albi horum unione conſtituitur. Sunt iſta adjuncta catarrhus in pulmonibus, ſalivatio immoderata, excreatio cum ſingultu, urina craſſa, & alba, cum ſedimento craſſo, & febris interpollatè invadens; ſi hæc omnia adjungantur colori albo totius corporis, conſtituitur Icterus albus, & per hæc diſtinguitur ab omnibus aliis morbis, in quibus color albus reperitur, & hiſce omnibus unitim ſumptis non poteſt negari Icterus albus, ſed cum Hippoc. admittendus, à quo puto ita denominari, ob ſimilitudinem modi generationis iſtius, cum modo generationis aliarum differentiarum Icteri. Harum productio principaliter conſiſtit in impedita ſeparatione bilis à maſſa ſanguinea, & in interdicto fluxu iſtius ad ſua receptacula, & emunctoria. Ita ſi prohibeatur ab aliqua cauſa præternaturali ſeparatio ſeri, & pituitæ à maſſa ſanguinea, ejuſque tranſitus ad partes excretioni iſtorum humorum deſtinatas, nempè ad nares, palatum, veſicam, glandulas cutaneas, alvum, uterum, retinentur in maſſa ſanguinea, hanc depravant modis ſuptadictis, unde non immeritò, ob hanc ſimilitudinem, dicitur ab Hipp. Icterus albus.

Cauſam internam hujus Icteri pituitam, ſub qua comprehendendum ſerum, determinat *Hipp. in text.* & ex dictis patet eſſe pituitam excretioni deſtinatam, ſed retentam, quæ tractu temporis vim à copia recipiendo viam ſibi parat ad exitum à maſſa ſanguinis per tuſſim, per ſalivationem, per urinam. Dum excernitur per tuſſim pituita ſingultus obſervatur, ut notat Hippoc. quia in conatu tuſſis motus diaphragmatis naturalis interrumpitur, ut in ſingultu, vel motu tuſſis movetur portiuncula ſeri in fibris diaphragmatis collecta, à qua irritatur, & ex irritamento ſingultus. Omnes cauſæ internæ, à quibus interdicitur ſeparatio pituitæ à ſanguine, erunt cauſæ Icteri albi.

Pro cauſa externa aſſignat Hyemem, in quo pituitam redundare omnibus notum, inter has omnes illæ recenſendæ, quæ pituitam in copia congregant.

Signa diagnoſtica, & quæ diſtinctiva habentur ex dictis.

Prognoſtica ſubjungit Hipp. in illis verbis: *Hic morbus non eſt lethalis, & brevi ſanatur.*

Curationem à purgatione incipit; in hoc enim morbo copia pituitæ in ventriculo, & in pectore oſtenditur, quæ purgationem ſubitam admittit; hanc molitur grano *Cnidio*: tali humori convenit Phlegmagogum, & hydragogum purgans, ut *Mel. Roſ. ſol. cum Cremore tartari, Syr. de Polyp. ſol. Pil. de Agarico, Hujus infuſio cum Sena, & Mel Roſ. ſol. addito. Pil. Aggregativæ, cum magiſterio Jalappæ*, & alia ſæpius repetita. Poſt purgationem, hoc eſt purgatione medicamenti terminata, *Succi Ptiſanæ ℥. xxxvi. Melle aſſuſo ſorbendas* exhibet, ad abſtergendas humorum reliquias ab inteſtinis, quo fine dictam quantitatem propinat. Pro eodem fine conſequendo, idoneus erit Clyſter.

A pituita in pectore collecta elicit indicationem vomitus, multùm enim hic confert ad expurgationem materiæ in dicto loco, & in arteriis, hoc eſt trachealibus ramificationibus contentæ. Medicamentum ad vomendum non proponit, & cùm dicat, *velut in prioribus tractandum eſſe ægrum*, vomitum à cibo admittere videtur, ſine alio medicamento, prout factum fuit in primo Ictero; at ſi ab hoc non proficiat æger, vomitus medicamento excitandus, ut conſuluit in Ictero citato; multùm ſidit Hippoc. vomitui in purganda pituita à pulmonibus. Gargariſmum, ſeu lambitivum frequenter præbendum ad pituitæ è pectore expurgationem jubet, quorum formam habuiſtis in Diſſertatione de Tuſſi, & aliis pulmonis affectibus. Addit: *De cætero verò iiſdem, quibus priores curato.* Pro eradicanda cauſa hujus Icteri, ad uſum ergo reducenda diuretica, attenuantia. deobſtruentia, volatilizantia, quæ proponenda ſunt *de Cachexia pituitoſa, & ſeroſa.*

CAP. XXXVII.

De Cachexia.

DEfinitur hic affectus, *Univerſi corporis tumida mollities, cum depravatione coloris, modò ad album, modò ad flavum, & nigrum, à redundantia humorum excrementitiorum in maſſa ſanguinis.* Eſt *univerſi corporis tumida mollities*, ad differentiam tumoris, inflationis determinatæ partis; tumida mollities eſt cum tumore molli, qui compreſſus preſſionis veſtigia cum fovea retinet, ad differentiam Icteri, in quo adeſt decoloratio, ſed non cum tumore corporis; decoloratio *eſt mutatio coloris in alienum non naturalem colorem*; fieri à ſanguine, docuit *Hipp. in lib. de natura homin. num.* 28. & *in lib. de humoribus*; quapropter pro coloris diverſitate in ſanguine, variat color cutis. Redundantia excrementorum, ut in cacochimia, & quolibet excrementum ſuum habet colorem naturalem, quo ſi redundaverit in maſſa ſanguinis, hanc ſuo colore tinget. Ab hac redundantia excrementorum tumor totius, quia humores fluunt continuò ad partes

pro

pro nutritione, ſi huic ſint impares, prout in Cachexia, humores non mutantur in ſubſtantiam partis, ſed ſolùm huic juxta ponuntur ſine ulla mutatione, & replicata juxta poſitione fit tumor. In nutritione, quia non reparatur, niſi quod deperditum eſt non fit tumor. In augmentatione, in qua partis apponitur, pluſquam deperditum, ſed ejuſdem rationis, & eodem modo diſpoſitum fit augmentum partis, non tumor, qui eſt præternaturalis, prout in Cachexia, in qua redundantis excrementi color per totam cutem diffuſus apparet.

De Cachexia locutus eſt *Hipp. in lib. de intern. affectionibus n.* 47. ſub nomine *Volvuli, Volvuli porrò vocantur hi morbi* (ubi notandum Hipp. hoc nomen non indidiſſe, ſed ſuo tempore ita vocabantur affectus cachectici, & noluit nomen immutare.) *Hæc igitur patitur: Flatus in toto corpore oboritur, & color ipſius fit plumbi formis, & riget ſemper, ut etiam calida ipſi affuſa, calida eſſe non videatur. Corpus autem ipſius, dum lavatur à calida deſquamatur, maximè ſeroſum, & ſi digito corpus compreſſeris impreſſionem facies, & notæ tibi apparebunt, velut in farina aqua ſubacta; maximè autem*, legit *Martianus, impreſſionem præfert; crura verò ipſius gravia ſunt, & ſi obambulet tremit, & ſi ad acclivem locum iter faciat, vehementer anhelat, & ulnæ* (ideſt brachium, & cubitum) *dependere videntur, & ſitis urget noctu; cibi verò crudi ſuccedunt;* legit *Foeſius, Cibos quoſcumque comedit, crudos per alvum dimittit.*

Hæc conveniunt cum ſignis ab Auctoribus traditis pro dignoſcenda Cachexia, unde non eſt dubitandum, in hoc textu loqui de Cachexia ſub nomine *Volvuli*; & Cachexiam cùm dominio melancholiæ deſcribere apertum fit ab illis verbis, *& color ipſius fit plumbi formis;* hic color eſt naturalis melancholiæ, hunc colorem, qui ſunt temperamenti melancholici oſtentant.

Cauſam externam tantummodo hujus affectus recenſet Hippoc. in textu, dum ait: *Si Hyemis tempore quis calido, & humido victu utitur, & non deambulationibus ſe exerceat, reſpectu ad cibos facto* (*verùm repletus ſemper dormit*) *& deinde longum iter perficere cogatur frigore ſæviente, deinde riguerit ſub oſſa, hæc patitur.*

His verbis hominem delineat victu pleno, quoad quantitatem ad repletionem utentem, ut deſignant illa verba, *repletus ſemper dormit;* quoad qualitatem victus ratio prædicta ad calidum, & humidum inclinat temperamentum, cùm tali victu nullus eſt labor, nullum exercitium, ſed otium, & ſomnus tantummodo hanc concomitatur; hæc omnia fiunt in tempeſtate valdè frigida. Ab his omnibus unitis depravata alimentorum digeſtio procedit, cum excrementorum redundantia, quorum vitium eſt craſſities, viſciditas, & aciditas.

Quantitas cibi replens fermentum, & calorem, quæ ſunt digeſtionis alimentorum principia opprimit, eorumq; actionem vel enervat, vel ſuffocat, non aliter, ac lignorum copia ignem extinguit, & pondus excedens facultatem motivam animalis enervat. Ductis his principiis ad hujuſmodi infortunium languida actione replentis cibi digeſtionem aggrediuntur, quæ cùm non ſit ſufficiens ad largiendam illi perfectionem neceſſariam, in maſſam imperfectam abit, cujus imperfectio excrementorum varii generis fœcunda mater exiſtit, quorum correctio in ſecunda digeſtione fruſtra expectatur. Hujus imperfectionis naturam, & modum, quo ſuccedit, diffuſè declaravimus in Diſſertatione *de Concoctione alimentorum læſa*. Fermenti languorem auget otium, exercitium intermiſſum, & ſomnus; ſicuti enim motus, labor, vigilia moderata ſunt principii digeſtivi excitamenta, ita horum intermiſſio eſt principii dicti depreſſio, juxta illud *Hipp. in lib. de Diœta, Labor debet correſpondere alimento.*

Principalis imperfectio hujus pravæ digeſtionis alimentorum deſcriptæ eſt viſciditas, craſſities, & aciditas. Viſciditatem, & craſſitiem tribuunt alimenta calida, & humida; quotieſcumque horum humidum magis incraſſatur, prout contingit, quando à calore debili alimenta calida humida actuantur; debilitas enim caloris, humidum, quod in dictis alimentis reperitur, aliqualem habens craſſitiem, non eſt potens liquare, & fundere, prout perfecta concoctio exigit, ſed ſolùm partes aquoſiores, & tenuiores hujus humidi reſolvendo, craſſitiem, & viſciditatem inſignem in hoc relinquit. Calor debilis ad viſciditatem, & craſſitiem chyli concurrit etiam, quia fermentationem alimentorum debilem valdè operatur, quæ non ſufficit ad attenuationem, & diſſolutionem integram alimentorum, ſed multæ partes craſſæ in maſſa chyloſa relinquuntur, à quibus craſſitiem vitioſam tota maſſa prædicta recipit. Caloris debilitas eſt vel abſoluta, vel reſpectiva; illa eſt à calidi diminutione poſitiva, hæc à reſiſtentia objecti digeſtibilis, vel ab excedenti iſtius quantitate, ut in caſu noſtro. Viſciditas hæc in alimentis malè digeſtis, non tollit ab iſtis fluxibilitatem, dum à ventriculo ad inteſtina deſcendunt; motum tamen à fluxibilitate pendentem tardum valdè reddit, ſed eſt apta humorem magis fixare, ejuſque motum prohibere; ſi ratione alicujus impedimenti in aliquo loco quieſcat humor, vel ſi huic deficiat calor, à quo ſufficientem fuſionem pro fluxibilitate ſuſcipere non poſſit. Si aciditas viſciditati conjungatur vi iſtius maximam inclinationem ad concreſcendum contrahit humor; quomodo hanc acquirat chyli maſſa in ventriculo, & præcipuè à debili calore, & fermentatione ſatis diffuſè dictum eſt *de cruditate ventriculi acida*, & omnia ibi enunciata præſenti caſui Hippoc. applicanda, cùm aciditas viſciditati conjuncta melancholicum humorem, vel huic valdè affinem pariat, & hunc deſignaſſe Hipp. in hoc caſu diximus.

Hæc cauſa externa recenſetur ab Hipp. non quia ſit unica, ſed ad demonſtrandum omnia illa agentia tam interna, quàm externa, quorum virtute digeſtio alimentorum cum craſſitiæ, viſciditate, & aciditate depravatur, hujus Cachexiæ cauſas eſſe.

Poſita hujuſmodi cauſa, ratio omnium deſcriptorum ſymptomatum manifeſta fit. Flatus fiunt à calore debili agente in materiam craſſam utrumque hìc adeſt; non mirum ergo, ſi flatus oboriantur. *Color cuti eſt plumbi formis;* hic color in temperamento melancholico naturali ſemper reperitur, in temperamento malancholico aſcititio advenit, ut in caſu noſtro, in quo ob abundantiam humoris craſſi acidi melancholiæ naturali æquivalentis, naturale temperamentum in melancholicum præternaturaliter tranſit, cùm hoc temperamento color cutis plumbi formis oritur. Sanguinem incraſſatum ab humoribus craſſis viſcidis color ater tingit, hoc ſanguine nutrita cutis eumdem retinet colorem, idem ſanguis per partes ſub cute diſperſus, & ſubtili effuſione eas atro inficit colore, colori plumbi ſimili. Rigor fiat à materia acri per partes ſentientes diffuſa, has vellicando, humor prædictus, per cutim, & per partes ſubtus hanc diſperſus aciditate, qua pollere diximus prædictas partes continuò vellicando, continuum rigorem facit, impedita perceptio caloris aquæ calidæ, ſi hàc lavetur corpus talis ægrotantis à cutis craſſitie, & duritie proficiſcitur, per quam, virtutem qualitates ſenſibilium percipiendi cutis amittit, prout obſervamus in callo, incraſſatur, & induratur cutis ab eodem humore à glandulis cutis in externam iſtius ſuperficiem extillante, in eademque coagulato, & in formam ſquamæ appoſito juxta glandulas; ea enim portio humoris appoſita parti cutis correſpondenti glandulæ, à qua extillavit, apponitur in modum ſquamæ, dum una ſeparatur ab alia, & una evellitur, non avulſa alia, ideò *dum corpus lavatur calida deſquamatur*; ab aqua enim calida portiones dicti humoris coagulati, & indurati ſeparantur à cute omnes ab invicem diviſæ velut ſquamæ; *& maximè ſcrotum*, hoc præcipuè deſquamatur: ſunt enim ferè naturales in ſcroto coagulationes humorum in ejus ſuperficie ad modum ſquamæ, quæ ſolo affrictu etiam ſenſibiliter ſeparantur. Corpus preſſum, preſſionis veſtigia in fovea permanente ad aliquod tempus retinet, eo modo quo farina ſubacta aqua, & in paſtam redacta preſſionis veſtigia conſervat, non alia ratione, niſi quia prædictus humor extravaſatus in partes ſub cute, ob ſui craſſitiem, & viſciditatem, & aciditatem, concreſcit in maſſam viſcidam preſſionis capacem, cum auxilio frigiditatis ambientis, & debilitatis caloris in toto, & in eodem humore, à quo citò expirat in exitu è vaſis parvus ille calor, & ſpiritus, quem à corde, & vaſis calore valido, deſtitutis accepit. Si mala eſt alimentorum digeſtio,

mala

mala erit ſanguificatio, & mala ſpiritus animalis generatio, in qualitate, actione, energia, & motu, hujuſmodi conditiones ſpiritus non ſunt aptæ cum vi, & energia corpus ſuſtinere, & localem motum exercere liberè, ſed cùm tremore, quem ſpirituum debilitas producit. *Ad acclivem locum iter faciens, vehementer anhelat*, quia in motu per acclivia muſculi intercoſtales reſpirationi ſervientes, elevatione coſtarum cum violentia moventur, eò quia corpori motus ſurſum eſt violentus, & ſpiritibus animalibus languidis exiſtentibus, prout concluſum eſt ſuperiùs, muſculi à dicto motu maximè defatigantur, & citò defatigati cum difficultate, & languore coſtas elevant, unde difficilis reſpiratio. In hoc motu corporis violento omnes nervi muſculorum cum contentione, & conatu valido muſculos totius movent, & regunt, ad eamdem contentionem, & conatum omnes nervi, ab officio motus localis excluſi, per conſenſum vocantur, cùm ab eodem principio diſcedant, & per aliquas ramificationes communionem inter ſe ſervent; hic nervi multas arterias circumligantes has prædicto conatu conſtringunt, & copioſiorem ſanguinis quantitatem ad partes ſuperiores, & ad pulmones præcipuè impellunt, à qua iſtorum vaſa implentur cum turgentia, motum ad liberam reſpirationem neceſſariam impediente, & unà cum motu ingreſſum aeris ad bronchia pulmonum interdicente, cùm vaſa ſanguine turgida, prædicta bronchia comprimendo, anguſtum ingredienti aeri locum relinquant, ad hanc plenitudinem vaſorum pulmonum. Concurrunt etiam inteſtina, quæ in motu ad acclivia corpore ad anteriora curvato premuntur, & ad interiora impelluntur, vaſa magna comprimendo, & compreſſione ſurſum copiam ſanguinis impellunt cum dicto effectu. Subjungit Hippocr. *& Ulnæ*, ideſt branchium, & cubitum dependere, ideſt ponderare videntur, cum ſenſu ſummæ gravitatis; hujus ſymptomatis cauſa eſt debilitas virium, & ſpirituum defectus, à quibus ulnæ ſuſtineri non poſſunt cum ea vi, per quam inſenſibile fit earum pondus parti, cui connectuntur. *Sitis urget noctu*, non per calorem ſalivam exſiccantem, prout in febribus, ſed præcisè per defectum ſalivæ impedientem humectationem, & irrigationem palati, & linguæ; hic defectus eſt à craſſitie humoris ſalivalis, à qua hujus ingreſſus in glandulas, & egreſſus ab iſtis impeditur; ex dictis enim habemus craſſitiem, & viſciditatem in maſſa humorali, quæ noctu augetur etiam in humore ſalivali, non ſolùm ob frigiditatem aeris in nocturno tempore vigentem, ſed etiam ob ſpirituum animalium quietem noctu iſtis conceſſam, à qua cordis motus diminutus, à quo pendet motus ſanguinis retardatus, & iſtius debilis efferveſcentia, quæ humoribus, cùm inclinatione ad coagulationem hanc ejus permittit. *Cibi verò crudi ſecedunt*, non omnes, ſed aliqua portio magis craſſa, quæ concoctionem reſpuit à calore per multitudinem, & copiam ciborum oppreſſo.

Signa jam ſunt recenſita. Prognoſtica tradit *Hipp. in cit. text.* ubi ait: *Sic enim curatas per annum deſinet; multis verò jam ſanis factis morbus reverſus eſt, & multa curatione opus habet, quia eſt morbus gravis.*

Excrementorum redundantiam in hac Cachexia demonſtravit Hipp. tam in ventriculo, quàm in maſſa ſanguinea, & in corporis ſuperficie, quæ eſt conditionis melancholiæ, quam deſignavit in colore plumbeo nigro.

Primam indicationem purgandi ab his arripit, & ait: *Huic cùm ſic ſe habuerit, Cneorum bibendum dato*. Cneoris, duæ ſunt ſpecies: alba una, nigra altera dicta; purgativam virtutem habere contra *Matthiolum*, deducitur ab *Hipp. text. præſenti*, in quo Cneorum præſcribit pro purgatione, pro Cneoro venit *Chamælea, & Thymelea*, & ambæ bilem, & pituitam violenter purgant, *Hipophais* eſt herba purgans bilem, & pituitam, ſed in Italia non invenitur teſte *Matthiolo*, aut *Cnidium granum*, eſt tamen *Thymele* purgativum bilis, & pituitæ. Notare hic licet hæc remedia purgantia, quæ ab Hippocr. in hoc caſu proponuntur purgare propriè bilem, & pituitam, quia validiſſima ſunt purgantia ob violentiam, purgare etiam melancholiam, & omnes humores, ut videmus in *Antimonio;* & cùm in hac Cachexia humor melancholicus prævaleat, alia excrementa nihilominus redundant, quorum purgatio habetur à medicamento violento, & erudimur in humorum miſcella validis purgantibus utendum. Præcedat tamen purgationem fomentum, quod Hipp. eſt præparativum, & diſpoſitivum ad purgationem, & præcipuè in hoc caſu, in quo humores craſſi redundant, & attenuatione indigent pro purgatione. Poſt purgationem ait: *dato, quæ in prioribus*. In morbis antecedentibus *Typhos* appellatis, in *n.* 43. præter purgationem, *farinæ coctæ, & pinguis duas heminas exſorbendas* dat, *n.* 44. ad veſperas poſt purgationem, *lenticulæ heminam ſorbendam* dat, *& betarum pinguium heminam, polenta inſperſa. n.* 45. Poſt purgationem *ſuccum ad veſperam, lenticulæ frigidæ, non ſalſæ, heminam* præbet. Nos utimur jure optimo, cum eadem intentione Hipp. abſtergendi, diſcedimus ab Hipp. quia exhibemus in media purgatione, vel in principio purgationis; quod vetat *Hipp. lib. de victus rat. in acut.* loquendo de *Ptiſana*; & ad veſperam purgatione terminata, exhibet ad abſtergenda excrementa in inteſtinis à medicamento collecta, & in eis relicta; talem eſſe Hipp. intentionem, colligimus à farina cocta, & pingui, & à betis, à quibus alvus movetur. Si verò exhibeantur in media purgatione à benigna alimenti facultate, qua pollent, & ab emolliendi virtute, qua donantur medicamenti purgantis, irritamentum retundendo purgationem ſupprimunt.

Poſtera die ait, *Lactis aſinini cocti congium*, ideſt *libras decem, dato bis bibendum*. Lac aſininum exhibet, quod purgat magis, quàm aliud Lac; exhibet in magna quantitate ad libras decem, dividendo pro duabus vicibus, quinque libras pro omni vice, adjecto *Sale* tam ad vim purgativam corroborandam, quàm ad prohibendam coagulationem Lactis. Poteſt intelligi congium Lactis integrum bis eſſe exhibendum; quod exequendum eſt, ſi natura ægri hanc quantitatem tulerit, cùm detur Lac ad purgandum, & pro majori quantitate Lactis, major ſuccedit purgatio. Hic apparet intentum Hipp. humores pravos redundantes reiterata purgatione, primò valido medicamento, ſecundò leni educendos. *Aqua Tetutii* cum eadem indicatione exhiberi poteſt, & etiam cum majori fructu.

Poſt has purgationes per alvum, vomitum imperat; & ait: *Intermediis verò diebus, vomitus faciat pro ſextum diem*, hoc eſt vomitus excitetur per ſex vices, ſed interponatur unus dies, ab uno vomitu ad alium, præmiſſo ſemper fomento.

Indicatio hujus eſt ventriculi perfecta emundatio à viſcida materia, quam evellere non potuerunt purgantia, eradicabit vomitus replicatis ſuis conatibus. Remedium pro vomitu non deſcribit, ideò judicandum eſt vomitum à cibo requirere ab ægro, qui violentum vomitivum ob præcedentes purgationes ſuſtinere non valeret; hoc vomitu uſus eſt, ſuperiùs *de Ictero* imperavit.

In hac Hippocratica curatione obſervandum, & purgatione, & vomitu ab humorum colluvie corpus mundare, & hæc remedia reiterare; & præcipuè obſervandum eſt vomitum ſæpe repetere, & ſine medicamento, quod epicraticam purgationem ab Hipp. maximè æſtimari indicat, & vomitum etiam ſufficere pro purgatione totius corporis, aliàs demonſtravi, ex Hipp. & præcipuè, quia vult ventriculum dare omnibus partibus, & ab omnibus accipere, & ſi accipit ab omnibus humores, etiam in omnibus partibus exiſtentes vacuari poſſunt per vomitum. Talem modum purgandi epicraticè in Cachexia, imitari debemus in iſtius curatione, & quia Cachexia modò propoſita eſt melancholica, purgativa ſunt *Melanagoga*, inter quæ primas partes tenet *Helleborus, Syr. ex Helleboro Quercet. ad* ℥. *i.* ß. vel *duas*. *Decoctum Epithimi Meſue*, *Extractum Hellebori ad* ʒ. ß. *cum* ʒ. *i. Pil. de Ammoniac.* vel *Sagap. Querc.* vel *Pomum cum rad. Helleb. nigri in eo infixis ſub cineribus coctum, & extractis radicibus, & eo decorticato manducatum*. Valent etiam *Pil. de lapide Lazuli ad* ʒ. *i.* Mihi verò magis placet *Syrupus*, vel *Apozema compoſitum ex alterantibus* infrà dicendis, addita *rad. Polypodii, Sena*, & aliqua parte *rad. Helleb. nigri*, cùm hac animadvertentia exhibenda dicta medicamenta, ut earum operatio non excedat tres, aut quatuor vices moderatas, quia continuas purgationes magnas natura ſuſtinere non poteſt. Cùm purgantibus admiſcenda etiam corroboran-

borantia, ut *Theriaca*, *Mithridatum*, *Confect. ex Hyacintho*, *Alchermes*, *Spec. Diambræ*; ut ℞. *Pill. Aggregat.* ℥. ß.

Extract. Hellebor. ℈. ß.

Mithridat. ℈. i. *M.*

Alia remedia non video ab Hipp. præſcripta, niſi *Sambuci*, & *Conycis folia cocta*, quotidie exhibita. In Sambuco adeſt virtus ſolutiva, in foliis præcipuè, & turrionibus teneris, & etiam Diaphoretica attenuans; & in *Conyce* virtus attenuativa, deobſtruens, calefactiva, amaritie, & acutie, qua donatur acidum abſorbet, & debellat. Hinc deduco, ex mente Hipp. pro curatione hujus Cachexiæ convenire remedia, quæ incidant, deobſtruent, acidum debellent, & continuò alvum leniter moveant. Quare ſequens remedium propono:

℞. *Rad. Helenii*
Raphani ſylveſtris
Vince-toxici
Ari } *a.* ℥. ß.
Fol. Abſcinthii
Cardui benedict.
Centaureæ min.
Chamædrios } *a. m. i.*
Rad. Hellebor. nigri præp. ʒ. *vi.*
Fol. Senæ ſine ſtipite ℥. *i.*
Baccarum Juniper. contuſ. ℥. *i.*
Cremor tartar. ſ. p. ℥. *ii.*

præp. omnia ſ. a. pulv. & in nodulo includantur, & in vini infund. generoſi libris ſex, & de hoc per quindecim dies bibat ℥. *iiii. manè jejuno ſtomacho; ſi non purget, augeatur quantitas vini, ſi nimis minuatur, hoc vino aſſumpto addatur alius nodulus cum limaturæ ſubtiliſſimæ Chalybis* ℥. *iii. & per alios quindecim dies* hoc utatur, & etiam plus, uſque ad quadraginta dies; eſt enim morbus longus, & valdè contumax; ſi cum hoc vino uniantur *Spec. Diacurcumæ*, vel *Diagalangæ ad* ℥. *i.* vel confectio ex iſtis parata, habebimus efficaciſſimum remedium. Poſt cibum aſſumat ℥. *i. & ii. Roob granorum Juniperi*. Si huic remedio non cedat morbus, proficuum expertus ſum multoties *Decoctum ſudorificum ex ligno ſancto, & ligno Juniperino, cum radice Zedoariæ, & Cyperi*, provocato ſudore cum lateribus excalefactis petiis involutis, & lateribus, & plantis pedum applicitis per 20. dies, & ante cœnam per duas horas ℥. *i. pulveris ſtomatici Querc. capiat in vino generoſo.*

Cùm ex Hipp. deduxerimus cauſam principalem hujus morbi eſſe debilitatam olimentorum concoctionem, quæ licèt inceperit à cauſa externa, nempè à quantitate cibi, ab excrementorum copia collecta, facultas digeſtiva labefactata fuit. Hac ratione manifeſta apparet indicatio, hanc eſſe corroborandam cum eis, quæ propoſita fuerunt *de læſa ventriculi concoctione*.

Pro præſervatione valet *Vinum cum granis Juniperi*, vel *cum foliis Abſinthii*: ait enim Hippocr. *Hunc morbum recidivam pati*; ideò præſervatione indiget.

Pro externis, & lavacrum, & unctionem proponit. Lavacrum pariter cum herbis reſolventibus, quales ſunt capitales. *Oleum Camomillæ*, *Lumbricorum*, *Anethi*, *Rutæ*, poteſt inſervire pro inunctione, ſeu *Unguentum de Artanita*. Aliqui utuntur balneo ſicco, cum arena calida, in qua ægrum immergunt. *Folia Bardanæ viridia* leviter contuſa, plantis pedum humores à toto corpore per poros pedum, & ſurarum educunt.

Pro diæta exhibet carnes oviculas coctas, & polypos coctos in vino cum ſorbitione juſculi, & colligimus diætam inſtituendam non tenuem, ſed plenam cum moderatione, & quæ ſit boni ſucci, & cum alimentis facilis digeſtionis. *Lentem* exhibet, ſed præparatam, & mixtam eis, quæ corrigere valeant qualitates in hoc affectu non convenientes, ut *Silphium*, *Allium*, *Pulegium*, *Acetum*, illa ſucci craſſi, hæc virtutis attenuantis, & inciſivæ.

Alteram differentiam Volvuli deſcribit *nu.* 48. *Alius Volvulus arcuatus* (hoc eſt Ictericus) *hic maximè Æſtatis tempore in paluſtribus regionibus corripit, magis autem ab aquæ potu. Multi verò jam à tali morbo correpti ſunt ex volutatione ad Solem capitis dolore affecti, verum ſimilia prioribus patiuntur, excepto colore, nam pallidus fit æger, vel ut malicorium, & oculi aliquando morbo arcuato implentur.*

Hanc eſſe Cachexiam bilioſam à colore flavo totius & oculorum, ab Hipp. pallidus dictus, cognoſcitur; & in redundantia excrementorum in maſſa ſanguinis bilem prædominari, idem color demonſtrat.

Cauſam hujus affectus paluſtris aquæ potum Hipp. dicit, & eſt cauſa externa ſolùm, à qua internam deducere poſſumus. Hanc aquam vocat *in lib. de Aer. Loc. & Aquis Hippocr.* decolorem, pravam, & bilioſam, quia Sol urit eam, & eodem loco calidas, craſſas, & olentes Æſtate dicit, & bibentibus ſplenes magnos, plenos, & ventres duros fieri tenues, ideſt impotentes, dum ſuas operationes debiliter exercent, ac calidos, quia ab obſtructione, quæ vaſa, & ſplenis, & ventris occupat, mediante aquarum craſſitie, calor in his partibus augetur, per antiquos à prohibita expiratione fuliginum ab humoribus in obſtructo loco quieſcentibus, quæ cum calore ſint præditæ, non ſolùm prædictum locum, ſed partes etiam adjacentes ſenſibili, & moleſto calore afficiunt; melius verò videtur explicari per fermentationem, cum effervecentia ſanguini inducta, à particulis diverſi generis fermentativis in aqua paluſtri collectis, cujus effervefcentiæ calor eſt effectus. Quare ſit bilioſa aqua paluſtris, inferiùs videbimus.

Cauſa Cachexiæ interna ab aquis paluſtribus firmata, eſt depravatio fermenti ventriculi ab earum pravis qualitatibus, & præcipuè fixatio ejus ſecundùm ſubſtantiam, & ſecundum qualitatem enervatio, unde facultatis fermentativæ, & digeſtivæ depravatio. Craſſities aquarum paluſtrium, ad incraſſandum fermentum, & ad ejus aculeo obtundendos ſufficiet; ab hac fermenti depravatione alimentorum concoctio depravata ſecundùm craſſitiem ſuccedit, & pari depravatione ſanguis contaminatur ab utroque, & chyli, & ſanguinis vitio, ſeparatio bilis in ſanguinea maſſa exiſtentis impeditur; non vitio hepatis, & cyſtis fellis, in qua ſegregata recipitur, & reſervatur, ſed vitio ſanguinis craſſitie tamquam vinculo bile cum ſuis aliis partibus colligante, ſeparationemque denegante. Bilis retenta, per cutem diſpergitur modo dicto *de Ictero*, hancque flavo colore tingit. In Æſtate floreſcit hic morbus, quia bilis hac tempeſtate abundat. Differt hic affectus ad Ictero ſuprà deſcripto ſolùm ratione cauſæ immediatæ, quæ in hoc eſt obſtructio ductus cholidoci, in illo craſſities ſanguinis bilis ſegregationem impediens; aliqua tamen portio ſubtilior in hepate ſecernitur, à qua fœces tinguntur.

Aquæ paluſtris potus ergo non eſt cauſa iſtius Cachexiæ bilioſæ cum Icterico colore cutis, quia bilem generet, ſed quia iſtius ſegregationem à ſanguine prohibet.

Sicut aqua paluſtris eſt cauſa hujus Cachexiæ, quia ſanguinem incraſſat, ita omnes cauſæ, quæ hanc craſſitiem ſanguini impartiri poterunt, quæ ſint impeditivæ ſegregationis bilis, erunt propriæ iſtius affectus cauſæ. Principaliores, & frequentiores ſunt, redundantia humoris pituitoſi excrementitii, & craſſi in maſſa ſanguinis, vel vitio ventriculi in digeſtione alimentorum generati, vel vitio ſucci pancreatici, & lymphæ nimis acidæ, coagulantis ſeri portiones craſſiores, vel ratione bilis in actione volatilizandi, & attenuandi chylum nimis inertis. Altera eſt vitium lienis, hic fermento ſuarum glandularum attenuat, rarefacit ſanguinem per ſui ſubſtantiam circulantem, & hoc modo diſponit illum ad permittendam ſeparationem bilis in hepate, ſi hoc fermentum fuerit iners, vel fixum, vel ſanguini ſuam actionem communicare non poſſit, ob vaſorum obſtructiones, vel ſi in liene ejus præparatio impediatur, vel effluxus ab eo in ſanguinem interdicatur, nec raritatem, nec tenuitatem recipiet ſanguis, conſequenter nec bilis ſegregabitur à ſanguine.

Eamdem curationem huic applicat differentiæ Hippocr. qua uſus eſt in priori; eadem enim eſt cauſa, nempè humoris craſſities, ſanguinis depravatio, excrementorum redundantia; non ſolùm in ſanguine, ſed etiam in partibus alimenta præparantibus, & concoquentibus, & licet adſit color bilis non arguendum iſtius vitium, hæc principaliter non peccar, ſed per accidens, dum ab humore craſſo in ſanguine exiſtente iſtius ſegregatio in hepate prohibetur, conſequenter eadem curatio adhibenda, tam quoad purgationem, quàm quoad vomitum. Addit ſolùm ſupradictis remediis, *Decoctum*

Ciceris

Ciceris albi, quia diureticum eſt. *Vino* miſcet, ut virtus diuretica augeatur; idcirco dictis remediis miſcenda diuretica, vel poſt eorum uſum diuretica de Icteri curatione deſcripta exhibenda. Diureticis uti puto Hippocr. ratione bilis detentæ, cujus expurgatio per urinam, eſt facilis, & neceſſaria, ne ſua mora ſanguinem diſſolvat, vel magis inficit. Diureticis etiam humorum craſſities attenuatur, & vinculum, quo bilis detinetur, ſolvitur. Caput purgat *Tetrapharmaco*, quia ſuperiùs dixit, capitis dolore eſſe affectos hos ægros; à quo humoris collectio in capite indicatur, ad cujus evacuationem caput purgandum imperat Tetrapharmaco, hoc eſt medicamento ex quatuor ſimplicibus compoſito, æquali portione mixtis; an tale medicamentum ſit internum, vel externum, & ex quibus componatur, reticet; certum eſt eſſe purgans, quare poteſt intelligi & de purgante interno, & externo, nempè de *Errynis*; pro curatione verò recta ſatis erit & internis, & externis caput purgare; internis, ſi Medico videbitur per præcedentia purgantia, & vomitiva ſatis non fuiſſe purgatum, & parùm curandum an Tetrapharmaco, an alio medicamento fuerit purgatum. Purgantia interna ſuperiùs ſunt propoſita, Errhyna caput purgantia multis in locis ſunt deſcripta.

In hac curatione conſideranda etiam cauſa hujus redundantiæ, & craſſitiei humorum, huicque occurrendum remediis; nam ſi ventriculus ob læſam alimentorum digeſtionem erit in cauſa, hæc oppugnanda remediis in Diſſertatione *de læſa concoctione deſcriptis*, ubi etiam habebimus ſigna læſi ventriculi. Si acidum pancreatis auctum, hoc ſuperandum remediis *de cruditate acida* dictis, & ibi accipiemus ſigna acidi exuberantis. Si ab inertia bilis, remedia præcipuè aromatica acidum debellantia vires bili tribuunt, & ſigna habebimus à temperamento pituitoſo, vel melancholico, à cauſis præcedentibus bilis activitatem enervantibus. Si lien occaſionem dederit huic affectui, deſumenda ſigna, & remedia ab eis, quæ dicta ſunt *de affectibus lienis*, & de hoc locutus eſt *Hipp. lib. de Affect. n.* 34.

Diœta ſit eadem, ac in priori affectu.

De altera Cachexiæ differentia ſub nomine *Volvuli Hæmatites*, locutus eſt *Hipp. in lib. cit. n.* 49. *Reliqua quidem patitur cum prioribus*. Differt, quia, ut ait *Hipp. incipit Autumno fieri, ex ore malè olet, à dentibus, & gingivæ abſcedunt, & à naribus ſanguis fluit, aliquando etiam ex cruribus ulcera pullulant, & alia ſaneſcunt, alia emergunt, & color niger fit, & cutis tenuis, eſt autem ad laborandum, & ad deambulandum promptus.*

In hoc caſu Cachexiam ſcorbuticam ad vivum delineat Hipp. itaut nihil addi poſſe videatur, & appellatur *Volvulus hæmatites*, ideſt ſanguinarius, quia in hac Cachexia frequentes ſunt fluxus ſanguinis è naribus, & à gingivis ſemper. Ex hoc colligitur, ſcorbutum non eſſe morbum novum, ſed antiquis, & Hipp. notum, & de hoc videtur locutum fuiſſe *in lib. de Affect. n.* 34. *& lib. 2. prædict. n.* 48.

Cauſam hujus affectus non manifeſtat, ex ſignis nihilominus allatis eam comprehendimus. Color cutis eſt niger, ergo in ſanguine prædominium melancholiæ, & tale prædominium, ut maſſa ſanguinis ſit ferè tota melancholia, ideſt tota melancholiæ qualitates habeat; craſſitiem, lentorem, opacitatem, aciditatem, paupertatem ſpiritus, & in tali gradu, ut naturalis melancholiæ perfectiones dimittat, & imperfectiones excrementitiæ ſecundùm qualitates aſſumat, & quoad aciditatem, cum tali exceſſu, ut corroſiva fiat, & irritativa, prout docent ulcera gingivarum, & crurum, & fluxus ſanguinis è naribus. Hæc eſt differentia diſtinguens hunc caſum à primo caſu Cachexiæ ſuperiùs explicato, nam in illo peccat melancholia, & prædominatur in maſſa ſanguinea, ſed corroſione caret.

Hujus aciditatis argumenta habemus in illo ſcorbuto, in quo ægri ſunt torpidi, anheloſi, enerves, quin & oppreſſione cordis, & ſpirituum, deliquiis, vertigine, convulſionibus, pectoris anguſtiis affliguntur, & exanthematibus, & eruptionibus cutaneis fœdantur, hæc omnia ſanguinis craſſitiem, coagulationem ab acido, & prædominantem melancholiam oſtendunt.

Non ab omni acido ſcorbutus emanat, ſed ab uno determinato, & ſpecifico in aliqua ultima differentia conſtituto, tam ſpectata natura acidi, quàm ſpectato gradu iſtius, & circumſtantia ei conjuncta, cùm notum ſit in multis acidum abundare, & tamen à ſcorbuto ſunt immunes. Scorbutus eſt contagioſus, & tot morbi ab acido non ſunt tales. Eſt hæreditarius, non ab omnibus acidum infringentibus curatur, ſed à ſpecificis, quæ conditionem ſpecificam acidi in hoc morbo oſtendunt.

Ut verò quantum rei difficultas expoſcit hujus acidi differentiam aſſequamur conſidero, hunc morbum curari à ſimplicibus ſale volatili alkalico in copia ſuperabundantibus, quo humores attenuant, fluxibiles reddunt, frigidos calefaciunt, ſpiritus torbidos corroborant, deficientes reſtauranr, oppreſſos ſublevant, incarceratos ſolvunt. Rectè ergo deducemus, in ſcorbuto humores eſſe craſſos, viſcidos, cum diminuta fluxibilitate, ab iſtis qualitatibus ſpiritus torporem, inertiam ſuſcipiunt, à viſciditate, & craſſitie tamquam à vinculis ligantur, ab eiſdem impedito illorum motu opprimuntur, vel deficiunt, cum defectu materiæ idoneæ ad illorum generationem. Omnes has conditiones acidum valdè activum ſecum trahit, & non inconcinè illuſtrantur à communi ſimilitudine muſti cum vino: quidquid eſt in muſto, eſt etiam in vino, & tamen à muſto non exeunt illi effectus à vino promanantes, ut omnibus notum eſt, & ſi diſtilletur muſtum, non elicitur ſpiritus ille ardens, quem à vino diſtillato accipimus, licèt hic reperiatur in muſto in eadem quantitate, ſecundùm quam in vino reperitur, nec alia quidem ratione, niſi quia muſtum eſt vinum crudum, & vinum eſt muſtum maturum, & coctum; ita in ſcorbuto ſanguis eſt crudus, & immaturus: pariter, ſicut muſtum eſt crudum, & immaturum, non per occultam quamdam qualitatem, ſed per meram texturam, & combinationem partium, inter quas ſunt multæ fœces, cum ſpiritoſis, & puris commixtæ, ex quarum combinatione ſpiritus opprimuntur, & puræ particulæ depravantur; ita ſanguis in ſcorbuto crudus, & immaturus, non eſt talis per occultam qualitatem, ſed per meram texturam, & diſpoſitionem partium excrementitiarum craſſarum, non volatilium cum ſpiritoſis utilibus, & puris, ex qua oritur illa combinatio qualitatum in ſanguine, & ſpiritu ſuperiùs deſcripta, & omnes cauſæ ſcorbuti, & ſymptomatum rationibus ab hac textura ſanguinis petitis, clarè explicantur. Si his addatur aciditas corroſiva ſuperiùs demonſtrata, hæc aciditas in ſanguine ſcorbutico ſe habet, ſicut in fructibus immaturis, in quibus per maturitatem introducta dulcedine deſtruitur, ita ad maturitatem à concoctione peractam deductus ſanguis acidus acris dulceſſit; hac de cauſa omnia, quæ à Recentioribus dicuntur de fructuum cruditate, & maturitate, applicanda ſunt ſanguini ſcorbutico.

Aciditas ergo ſpecifica ſcorbuti, eſt aciditas ab acri Sale hujus naturæ, omnia Salia maſſæ ſanguineæ ſuo dominio ſubmittente, conjunctè cum cruditate, & immaturitate ſanguinis, ideòque prima ſedes, & ſubjectum principale ſcorbuti, de quo loquimur, eſt ſanguis, non ventriculus, non lien, non meſſenterium, non hepar.

Maturitas ſanguinis eſt perfectio ſanguinis reſultans à perfecta mixtione partium alimentalium chyli, & ſecretione excrementitiarum cum tali proportione, & modificatione requiſita ad nutritionem, & generationem perfectam ſpirituum.

Cruditas, & immaturitas ſanguinis, eſt iſtius imperfectio reſultans ab imperfectione partium alimentalium chyli, & ab imperfecta, vel omninò deficiente ſecretione excrementorum, cum tali proportione, & modificatione, ut non ſufficiat muneri perfectæ generationis ſpirituum, & nutritionis.

Sanguis eſt liquor ſpiritoſus multis particulis ſalinis, & volatilibus refertus, non excluſis aliquibus aqueis, ſeroſis, & craſſis fibroſis, à quibus conſiſtentiam aliquam cum fluxibilitate conjunctam retinet; ejus perfectio eſt omne extraneum hoſtile, eique omninò degener excludere, & omnia componentia in tali determinata quantitate, numero, magnitudine ſibi unire, cum tali modo mixtionis, quo non ſolùm, quę ſuę perfe-

ctioni ſerviunt rectè miſcentur, ſed etiam excrementa ſegregantur, ut omninò purus evadat, cum perenni, & inteſtino ſuarum particularum motu certis regulis, & legibus alligato, à quo moderata fermentatio temperati caloris excitativa promovetur; hujus medio attritis, & comminutis particulis craſſioribus volatilizantur, & incluſi ſpiritus libertati conceduntur, qui ad motum provocati ſuccedunt in locum expirantium, rarefactio, fluxibilitas uniformis dictæ fermentationis opera conſervantur in tota maſſa ſanguinis; hæc eſt perfectio, & maturitas iſtius cum qua ſua munia cum ſumma perfectione exequitur.

Cruditas conſiſtit in collectione omnium, quæ iſtis ſunt contraria, ideòque ſanguis in omnibus ſuis officiis, & muneribus imperfectè, & depravatè agit, videatur *Vvilliſ. tract. de ferment. cap.* 7.

Cruditas ſanguinis, inter alia vitia, habet defectum, vel exceſſum ſecundùm quantitatem alicujus principii componentis; in cruditate ſcorbuti excedit Sal acidum, quod cum Hipp. omnes in corpore admittunt, & in ſanguine, quod ſi fuſionem patiatur, totam maſſam ſanguinis acore depravat. Fuſionem patitur, quando particulæ Salis hùc illùc diſperſæ, & aliis particulis diverſi generis combinatæ, ab iſtis ſecedunt, & ad invicem uniuntur, liquantur, & funduntur, quando portioni ſeri dictæ particulæ acidæ unitæ miſcentur, hoc ſero tamquam vehiculo totam maſſam ſanguinis pervadunt, & irrigant, aciditatem communicando. Particulæ Salis ab aliis ſecedunt quotieſcumque in ſpiritibus actio, cujus dominio omnes particulæ componentes, & ipſa mixtio obediunt deficit, vel debilitatur, & iſtorum actioni prævalet alicujus principii actio, per quam dominium in maſſa ſanguinis ſuper alia principia acquirit, quo unionem cum reliquis renuit, ideòque ſegregatur.

Cauſæ hujus cruditatis acidæ duæ ſunt: Prima ſanguis, cui ſi tamquam cauſæ efficienti debetur ex communiori Recentiorum ſententia ſanguificatio, pari ratione depravata ſanguificatio reſpectu cauſæ efficientis ſuo vitio tribuenda.

Hoc vitium ſanguinis, vel eſt à ſua actione debilitata ab ortu cum temperamento pituitoſo, vel melancholico, & cum caloris paupertate, ſpirituum inertia, texturæ denſitate perfectæ mixtioni chyli, & excrementorum ſecretioni reſiſtente, vel à cauſis accidentalibus, ut à febribus longis, à lue Gallica, affectu hypochondriaco, fluxu ſanguinis immoderato, à contagio inſpirato à ſcorbuto infecto, à cachexia inveterata; hæc omnia dictas ſaguinis indiſpoſitiones inducunt; ſicut cauſæ externæ, aer marinus, & paludoſus, à quo ſpiritus in ſanguine figuntur, & particulis craſſis aeris irretiti, motu debito privantur; victus ex carnibus, & piſcibus ſalitis, & fumo exſiccatis, cùm materiam craſſam ſpiritu depravatam ſanguini ſubminiſtrent. Hanc ſanguinis peſſundatam actionem indicavit Hipp. in illis verbis text. *Incipit autem morbus in Autumno fieri*, in quo ſanguis eſt maximè debilis, & enervatus ſecundùm ſuas facultates, & actiones à præcedenti, & longa deflagratione à calore Æſtatis.

Vitio ventriculi advenit ſanguini dicta diſpoſitio ſcorbitica, ſi chyli maſſam crudam excrementorum ſegregationem perfectam non admittentem præparet. Vitio bilis, ſi ob ſui inertiam chylus in inteſtino duodeno cum multis maneat excrementis, nec diſpoſitionem ad volatilitatem accipiat. Vitio meſſenterii, & ejus glandularum, ſi ab iſtarum acido incraſſetur nimis, vel ab earum poroſitatum dilatatione ea tenuitate privetur, quam tranſitus per anguſtum ſpatium concedit, vel quia ſpiritus animales ad eas non concurrant in ea copia, quæ volatilitati chyli ſufficiat, ob impedimentum in dictis glandulis exiſtens. Vel vitio lienis, ſi fermentum rarefactivum ſanguinis, & ad deponenda excrementa diſpoſitivum non præparet, vel non inſpiret ſanguini circulanti, vel non generet; ſi nimis acidum ſanguinem fixet, & excrementa forti vinculo cum aliis particulis uniat. Frequens magis eſt ſcorbutus vitio lienis, & ventriculi, quàm ab aliis partibus, ſi non eſt à vitio ſanguinis immediato. Hæ cauſæ dicuntur materiales, quia materiam depravationi ſanguinis ſervientem ſubminiſtrant.

Altera cauſa eſt aciditas conjuncta cum cruditate ſanguinis, & inſeparabilis à ſcorbuto melancholico, de quo agit hic Hipp. Hanc habet ſanguis à ſuis principiis conſtitutivis in temperamento melancholico; hoc enim aciditatem habet naturalem, & augetur cum ab excedenti calore alteratur, ut in caſu noſtro; ita vinum à calore Solis in acetum tranſit, & facilius illius fœx, cui correſpondet melancholia, quæ eſt fœx ſanguinis. Magna depreſſio, vel diſſipatio ſpirituum in ſanguine, ut intenſa applicatio, meditatio, timor, mæſtitia acidum augent, cùm hoc ſemper exaltetur, ubi ſpiritus deprimitur, ut patet in aceto. Ab aliis partibus materiam acidam ſubminiſtrantibus, ut à ventriculo, & pancreate ſanguis aciditatem contrahit; in his enim ſi acidum excedat, chylus ſummè acidus efficitur, & ab hoc ſanguis acrimoniæ exceſſum, corroſivæ ſuſcipit à fuſione, ut dictum eſt, & à miſcella aliquarum particularum ſalis bilioſi.

Notandum hanc ſcorbuticam ſanguinis indiſpoſitionem non ſemper intrà vaſa ſanguiflua reſtringi, ſed ſua dilatare confinia ad nervos, & tunc iſtorum læſiones in doloribus variarum partium, in læſione ſenſus, & motus apparent, quæ abſunt, quando ſola maſſa ſanguinis vitiatur. Hipp. in hoc textu loquitur de ſcorbuto à ſolo vitio ſanguinis, ideò ait: *Eſt autem ad laborandum, & deambulandum promptus*, quæ duo nervoſum genus à vitio immune denotant.

Signa hujus ſcorbuti ſunt laſſitudo ſpontanea, difficultas ſpirandi, color faciei obſcurus, pulſus parvus, inordinatus, urinæ cum ſedimento craſſo, vomitus materiæ acidæ, alvi fluxus recurrentes, febres inordinatæ, ſine typo, nec cum magno calore, ſudores nocturni, tormina ventris, maculæ crurum, primò rubræ, poſtea liveſcentes, & nigricantes, modò latæ, modò reſtrictæ, & parvæ, & aliquando cum exulceratione, gingivæ laxæ, ſanguinolentæ, & corroſæ, cum dentium titubatione.

Si labes ſcorbutica ad nervoſum genus tranſierit cum dictis ſignis, conjunguntur dolores in variis partibus, propter nervos, vel tendines, vel membranas vellicatas, vel eroſas ab acido. Debilitas in motu, & quandoque hic deficit in aliqua parte, vertigines ſuperveniunt, vigiliæ pariter contumaces, vel ad ſomnum extrema propenſio, & quandoque inſania.

Signa ventriculi affecti primario ratione acidi excedentis ſunt eadem cum ſignis cruditatis acidæ. Bilem inertem oſtendunt temperamentum pituitoſum, & melancholicum, errata bilem enervantia præcedentia, ſegnities in operationibus, alvus ſtiptica deficiente ſtimulo: Si à liene, hujus affecti ſigna adſunt.

Prognoſticum profert Hipp. *Hic morbus multa medela opus habet, ſin minus non exit, ſed cum homine moritur.*

A purgatione auſpicandam iſtius affectus curationem Hipp. jubet, dum ait: *Hunc eiſdem curato, quibus priores*, in quibus purgatione utitur, & in textu proponit *Clyſterem valdè acrem*, quo magnam humorum evacuationem intendit. Medici verò Septentrionalium Regionum, in quibus magis frequens eſt hic morbus, quàm in illis Hipp. longa obſervatione docti ſunt, purgationes cum medicamentis validis in principio hujus morbi eſſe valdè noxias, ſymptomata iſtius exacerbare, & nova inducere, ex quo lenibus ſolùm utendum eſſe conſulunt in neceſſitate ventriculum, & primas vias excrementis redundantes expiandi.

Hujuſmodi ſunt *Sal tartari ſolubile*, *Cryſtallus tartari*, *Syr. de Spina Cervina*, *Mel roſ. ſol. Pil. tartareæ Quercet. Antiſcorbuticæ Thimei*, *deſcriptæ ab Etmull. in cap. de Scorbuto*, *Diachartamum*; *Lactis magna quantitate*, *nempè heminis octo*, quæ complent uncias octoginta, utitur Hipp. ut patet in illis verbis textus: *ad ſubpurgationem* (ideſt poſt purgationem) *verò Lactis aſinini cocti heminas octo exhibeto*, *Melle affuſo*.

Poſt purgationem cum Lacte, ſtatim devenit ad uſum Lactis. Omnes tamen Practici de ſcorbuto ſcribentes concludunt, ante uſum Lactis digeſtiva, & præparativa humorem craſſum acidum in primis viis exiſtentem eſſe exhibenda, nec Lac corrumpatur, cum augmento pravi humoris; & re attentè conſiderata conſilium eſt rationabile, nam ſi vitio ventriculi, & hypochondriorum collecta ſit cachochimia ſcorbutica in maſſa ſanguinis, nullum eſt dubium huic vitio eſſe primò providendum. Si verò vitium ſit primò in maſſa ſanguinis radicatum, cùm ab hoc omnia fermenta partium digeſtioni, & ſeparationi depraventur, neceſſaria eſt iſtorum moderatio, ut ſanguini materiam minus

nus vitiatam contribuant, alioquin permanente hoc vitio in dictis fermentis, fermentum ſemper recipiet vitium ſanguinis, neque ad moderationem unquam reducetur.

Præparatio humoris iſtius molienda cum ſpecificis antiſcorbuticis, de quibus inferiùs, & poſt ſeptem, vel octo dies purgatio, ut ſuperiùs inſtituenda, & per duos, vel tres dies *Aqua Tetutii* abſtergenda inteſtina, & ventriculus.

Hac purgatione peracta, ad præparantia maſſam ſanguinis deveniendum, & non diſcedendum ab Hipp. in exhibitione *Lactis aſinini*, *vel Bubuli ad* 40. *dies* in tempore opportuno, ideſt Vere, & etiam Autumno; ita intelligenda ſunt verba textus Hipp. *In tempore*. Hipp. imitantur Recentiores in curatione ſcorbuti cum Diæta Lactea, & cum Lacte medicato antiſcorbuticis, licèt *Caprino* magis utantur.

Inter ſcorbutica remedia numerantur *Cochlearia*, *Beccabunga*, *Naſturtium aquaticum*, *Abſinthium*, *Chamædryos*, *Chamæpitios*, *cortex Aurantiorum*, *Chelidonium minus*, *Sedum verniculare*, *Trifolium aquaticum*, *Fibrinum dictum*, eò quòd ejus flores albis fibris conſtent, & ſuper aquam eminent, dum folia aqua immerguntur, *Perſicaria*, *Piperites*, *Ruta muraria*, *ſummitas Abjetis*, imò *tota Abies*. *Rad. Raphani ſylveſtris*, *Kelenii*, *Chelidonii majoris*, *Gentianæ*, *Scorzoneræ*, *Vince-toxici*, *Sem. Sinapis*, *Naſturtii*, *Erucæ*, *Aquilegiæ*.

Multiplex eſt modus iſtis utendi: Primò decoctione cum Lacte, qui modus à multis reprobatur, eò quia decoctione ſpiritus volatiles iſtorum, in quibus tota virtus curativa conſiſtit, evolant, ex quo inane reſultat remedium. Hoc non obſtanre cenſeo, ſi decoctio fiat vaſe benè clauſo, ſpiritus non evolare, ſed elevati, & ab operculo vaſis reflexi, liquorem de novo ingredi, & ſi decoctum retinet ſaporem, odorem, acutiem ſimplicis, prout retinet ſpiritus etiam volatiles recepit, & detinet, & maximè ſi decoctio fiat in liquore viſcoſo, qualis eſt Lac, à cujus viſcoſitate ſpiritus volatiles, licèt ſeparati à mixtionis vinculo adhuc in ſubſtantia Lactis detinentur, & præcipuè ſi decoctio fiat ſine ebullitione, & effervefcentia. Proximus huic eſt modus infuſionis dictorum ſimplicium, ſi contundantur, & Lacti, Sero, Vino infundantur, & in loco calido ſerventur. Secundus modus eſt per extractionem ſucci ab aliquibus ſimplicibus ex dictis, qui reſervantur in vaſe benè obturato, & poſtea *unciæ tres*, *vel quatuor* Lacti ſumendo adduntur. Tertius modus eſt cum *Tincturis*, *Elixiribus* cum menſtruo valido extractis, quale eſt illud *Vvilliſi* in cura de ſcorbuto propoſitum, conſtans ex una parte *Spiritus vini rectificati*, & ex tribus *Spiritus vini alkalizati*, in quo remedia antiſcorbutica ponuntur, & in mataracio digeruntur igne arenæ per ſex dies, poſtea decantatur menſtruum tinctum, & de hoc cum Lacte exhibetur ad ℈. 1. Videantur formulæ remediorum in dicto *Vvilliſio*.

Uſus hujus Lactis cum antiſcorbuticis in ea quantitate ab Hipp. determinata, ita dirigendus: Primo cyatho adjungitur medicamentum, ſive tinctura, ſive ſuccus, vel in aliqua portione Lactis decoquuntur herbæ antiſcorbuticæ per ſpatium horæ non aſſumatur aliud Lac, tranſacta hora accipiat æger reliquum octo heminarum breviori tempore quo poterit, & calidum, prout mungitur. Non prandeat, ſed cœna ſolùm ſit contentus; cibi ſint leviſſimi, facilis ſint concoctionis. Vinum poteſt etiam concedi, ſed tenue aquoſum.

Hoc remedio adimplentur omnes indicationes. Lacte modificatur acrimonia humoris, nutrimentum bonum ſubminiſtratur, antiſcorbuticis attenuatur craſſities, acidum debellatur, & in dicto tempore ferè renovatur ſanguinis maſſa.

Animadverſione dignum eſt, à longo uſu antiſcorbuticorum remediorum fermentum acidum ventriculi, & pancreatis, debilitari, & extingui, cum detrimento digeſtionis alimentorum, & ſeparationis excrementorum à maſſa chyloſa; ſunt enim antiſcorbutica acido contraria, & ab iſtis non ſolùm acidum præternaturam, ſed naturale vel debilitatur, vel extinguitur, ſi eorum uſus ſit diuturnus; ideò in uſu horum remediorum obſervata diminutione famis, & digeſtionis alimentorum læſione, intermittenda dicta remedia, exhibendo Lac ſincerum, vel minoranda doſis illorum, & ante cœnam exhibenda ℥. *i.* & etiam *duæ ſucci Citri cum Aqua acetoſæ*, parari poteſt Lac diſtillatum ſic:

℞. *Fol. Naſtur. aquatici*
Sedi vermicularis
Piperitis
Chelidonii maj. } *a. m. i.*
Rad. Gentianæ
Hellenii
Vince-toxici
Scorzoneræ
Imperatoriæ
Angelicæ } *a.* ℥. *i.*
contund. omnia, *& infundantur in* ℔. *xii. Lactis per diem*, *poſtea diſtillentur*, *& de hoc exhibeatur libra una*, *vel duæ manè*, *& ſerò*, & huic præmitti poteſt bolus paratus cum *Extracto Turrionum abietis*. Extractum Turrionum, ſic paratur:

℞. *Turrionum*, *ſeu ſtrobilorum pini*,
coquantur tandiù in aqua ſimplici, *donec eorum virtus in aquam tota tranſierit*, *decoctum inſpiſſetur ad conſiſtentiam Mellis.*

℞. *Hujus Extracti* ʒ. ß.
Extract. Granorum Juniperi ℈. *i.*
Spec. Diaglang vel *Diatrion pipereon.* ℈. ß.
M. F. B.

Uſus horum remediorum ſit per quadraginta dies. Decocta varii generis ex dictis ſimplicibus parari poſſunt, ſicut aquæ diſtillatæ, & ſpir. Uſus Lactis in Vere, & in Æſtate ab *Etmull.* conceditur, in Autumno vinum parat cum dictis ſimplicibus, & optimè advertit, poſt vinum aſſumendos eſſe *Oculos Cancri præparatos ad* ʒ. ß. pro moderanda vini aciditate, maximè in ſcorbuto noxia. Tranſactis quadraginta diebus diœtæ lacteæ, Lac alio modo, & ordine proponit Hipp. cùm ait: *Bibat item manè Bubuli lactis heminas duas*, *tertia Aquæ mulſæ parte ammixta*, *per intermedios dies*. Motivum hujus eſt blanda purgatio per alvum, quam Lac cum Mulſa movet blandè, & conſilium habemus correcta maſſa ſanguinis in ſcorbuto blandè eſſe purgandos humores excrementitios in correctione dictæ maſſæ ſeparatos, & diſpoſitos ad exitum, & ratio, eſt, quia maſſa ſanguinis à maligna diſpoſitionem ſcorbutica debilitata non ſuſtinet agitationem validi purgantis. Utitur hoc blando leniente Hipp. dum aliis, quibus abundamus, carebat, & iſtis poſſumus uti; mihi verò magis arridet Lac hoc modo paratum; Hujus blandæ purgationis indicia dedit in illis verbis, *per intermedios dies*, quomodo purgatio epicratica ſolet exerceri.

Ad gingivarum corroſiones, & ulcera, excellens remedium eſt *Tinctura gummi Laccæ Mynſicht. Lapis medicamentoſus Crolii. Decoctum in Lacte*, *vel Sero*, *Salviæ*, *Naſturtii aquatici*; *Roſmarini*, *ſummitatum Pini* pro ablutione gingivarum, & gargarizatione, eſt ſpecificum remedium, poſt ablutionem, gingivis applicatur ſequens pulvis:

℞. *Fol. Aquilegiæ*
Salviæ
Sem. Aquilegiæ } *a.* ʒ. *ii.*
Rad. Ireos
Aluminis uſti } *a.* ʒ. *i.* ß.
Myrrhæ ʒ. *i.*
Gum. Laccæ ʒ. *i.* ß.
Corall. alb. præp.
Corni Cervi uſti } ʒ. *i.* *F. P.*

Linimentum ſequens:

℞. *Fol. Aquilegiæ*
Menthæ criſpæ
Nicotianæ
Nucis moſchatæ
Myrrhæ } *a.* ʒ. *i.*
Gum. Laccæ ʒ. *ii.*
Aluminis uſti ʒ. *i.*
Vitrioli cipp. gr. vi.
Mellis q. ſ.
fiat linimentum, quo poſt ablutionem oris gingivæ illiniantur.

Ad ulcera crurum convenit abſterſio illarum, cum deco-

decoctione *Naſturtii aquatici*, *Raphani ſylveſtris*, *Salviæ*, mixta *cum Aqua calicis;* poſtea curentur cum *Unguento Tutiæ*, addito *Succo Naſturtii aquatici*, *& præcipitato Vigonis*, *& Saccharo Saturni*, vel cum *Unguento ex Nicotianæ ſucco*, *addito pulvere fol. Pini*, *& eodem præcipitato*. *Unguentum de Appio deſcriptum ab Etmull. de ſcorbuto cum præcipitato*, eſt valdè efficax.

Ad ſanguinem è naribus ſiſtendum, ea medicamenta valent dicta *de ſputo*, *& vomitu ſanguinis*, ſed cum decoctis antiſcorbuticis cum martialibus, ſeu in aqua chalybeata paratis. Remedia iſtorum ſymptomatum prætetivit Hipp. quia cenſuit ablatione cauſæ auferri, quod eſt veriſſimum, ſi verò hæc urgeant, & curationem ad ſe trahant remedia ſunt applicanda.

Alteram ſimilem differentiam Cachexiæ habet *Hipp. num. 52. cit. libr. Fit à pituita*, *ſeu ſero putrefacto*; quod probat ex ructu emiſſo odoris *Raphani*, & ex ſudore fœtido. In hoc affectu crura primò deinde venter afficiuntur, quo affectu, non nominat Hippocr. ſed cùm ſub ſpecie morbi craſſi reponatur, & in omnibus aliis tumor reperiatur in toto, vel in aliqua parte, ut patet ex lectura illorum, determinandum eſt, affectum eſſe tumorem, & confirmatur, ex eo quòd curetur ut Hydrops, qui ſemper eſt cum tumore; hunc tumorem augeri in exacerbatione ſymptomatum ferveſcente materia illius, vel in vapores rarefacta probabile eſt, tumori dolorem corporis, vel in aliqua parte uniri ex aliis differentiis colligitur.

Tumor à ventre decurrit ad viſcera (ventriculum nempè) & hoc probat *vomitus pituitæ acidæ*, *& ſubputridæ*, *& poſt vomitum delirat*, *& anguſtia circa viſcera ſuccedit*, *& quandoque caput acutè dolet*, *& ſurdus fit*, *oculi præ gravitate cæcutiunt*, *& ſudor multus diffunditur malè olens*, *& maximè cùm dolor habuerit*, *& levat*.

Hic manifeſtam cauſam facit hujus morbi, ſerum nempè turgens in corpore, ob ſui redundantiam, quam exprimit Hipp. in illis verbis, *& ſudor multus diffunditur*, & in illis, *vomitum facit pituitam acidam ſubputridam educens*; turget etiam ſerum ob motum naturæ, quod illud expellere contendit, & ad partes externas, & ad ventrem, & per ſudorem tandem; qualitate etiam peccat, nam hoc ſerum malè olet, pravus odor in ſero eſt iſtius mala qualitas, cum à naturæ inſtituto non recipiat, malus odor ſudoris connotat ſanguinis pravas qualitates; ubi enim ſanguis eſt depravatus, ſudor etiam malè olet: hoc manifeſtum fit in morbo Gallico, in febribus malignis, & etiam in ſanis, ſed mala ſanguinis conſtitutione depravatis, in quibus non ſolùm ſudor, ſed ipſa inſenſibilis tranſpiratio fœtat malam qualitatem ſeri demonſtravit etiam in principio textus, ubi habet: *eructat ab hac*, ideſt à pituita putrefacta, *quod odorem habet*, *ſi quis raphanides ediſſet*, putredinem admittit, quæ cum malis qualitatibus ſemper conjungitur. Bilis ſero ſanguineo unitur, unde *color arcuatus*, bilis malam qualitatem ſero imprimit, dolor adeſt gravis capitis, omnis dolor à mala qualitate.

Hanc qualitatem eſſe irritativam putredo humoris, dolor acutus capitis, vomitus, aciditas materiæ rejectæ, bilis unita ſero in copia declarat.

Cujus conditionis ſit irritamentum, colligimus à textu, in quo aſſerit pituitam ſemiputridam vomitu rejectam, eſſe acidam, unde aciditas eſt mala qualitas inficiens humores, & in principio textus ait, *per ructus ſpirare odorem raphano ſimilem*; hic odor connotat eſſe aliam conditionem acrimoniæ ad ſalinam alkalicam accedentis, quam pituita acida acquirit, dum ſemiputrida fit, ut loquitur Hipp. In hoc ſpeciem cruditatis nidoroſæ intueor ex vitiata fermentatione alimentorum potiùs corruptiva, quàm perfectiva, in qua partes ſulphureæ alimentorum in copia exaltatæ, & ſui juris factæ; ſalinas particulas acidas apprehendendo malo odori principium conſtituunt; ideò ſi pituitæ acidæ addantur particulæ ſulphureæ cum depravata fermentatione corruptiva ipſius pituitæ, ab hac malus odor, qualis eſt raphani exhalabit.

Quapropter credendum cauſam iſtius Cachexiæ eſſe depravatam digeſtionem alimentorum, cum multa ſeroſitate acri, & irritativa, quam recepit ab indigeſtis particulis ſalinis, & ſulphureis ad invicem copulatis.

Serum in cruribus, & ventre, ſeu iſtius in tegumentis exundans tumorem in iſtis elevat; ad ventriculum delatus irritativis particulis excitat vomitum, & nervis oris ventriculi, vel meſſenterii moleſtiam, citra dolorem ſenſibilem inferendo anguſtiam viſcerum parit. In capite collectus talis humor, ſi ſucco nerveo miſceatur, ſpiritus animales turbat, à ſuo motu placido divertit, luciditatem obfuſcat, & rationem cum delirio pervertit; poſt vomitum, dum in hujus conatus quantitas ſeri in cerebri vaſa, & ſubſtantiam exprimitur, hancque & ſpiritus animales depravat, & phantaſmata pervertit cum læſione rationis. Nervos auditorios, & viſorios eadem materia, vel vapore ab eo ſublevato, vel portione ejuſdem facilè reſolubili obſtructione occupando, & ſurditatem, & cœcitatem temporaneam parit, quandoque hæc materia ſpirituum concentrationem, ut in timore, perturbationem, ut in vertigine, tarditatem motus, ut in diſpoſitione ad apoplexiam inducit, ſeroſa materia per ſudorem evacuata omnia ceſſant, & æger paululum quieſcit. *Color* in ægro *eſt arcuatus*, hoc eſt flavus, ob bilem non ſegregatam in ſuis receptaculis, & ſanguini mixtam, quæ coloris flavi in cute cauſa eſt.

Ab hac explicatione colligere licet, hunc morbum nomine craſſi deſignatum, eſſe Cachexiam ſeroſam, ideſt redundantiam humoris ſeroſi, à qua tumor in toto, vel in aliqua parte, à quo denominatio, morbus craſſus deducitur. Nomine pituitæ ſerum deſignari, novum non eſt in Hippocr. & in hoc caſu manifeſtum eſt in illis verbis, *& cum in ventre conſtiterit*, *rurſus recurrit ad viſcera*; hic recurſus fluxibilitatem expeditam deſignat ſero, non pituitæ craſſæ convenientem. Hoc ſerum non ſolùm quantitate peccat, ſed qualitate, quam exprimit cum odore raphanidis comeſti, & ratione hujus pravæ qualitatis putridam pituitam, deſignat admittendo putredinem ſecundùm qualitatem.

Hic morbus in trigeſimo judicatur, cum ſignis vel ſalutis, vel mortis; *eſt gravis*, quia tendit ad Hydropem; *intra dictum tempus habemus ſigna*, *an ſuperventurus ſit*, *necne*.

Curationem deſumpta indicatione ab abundantia ſeri, & flegmatis aggreditur, à qua iſtius expurgatio demonſtratur; hanc molitur *Hippophae*, à quo, & pituita craſſa, & ſerum expurgatur, & Veratro vomitum promovet; ut optimè ventriculus copia humoris infectus mundetur, noſtris benignioribus medicamentis ſeri, & pituitæ purgationi accommodatis uti poſſumus, ſicut & vomitivis blandioribus ſæpius deſcriptis. Caput purgat *tetragono*, de quo in ſuperioribus locuti ſumus, & rationem hujus purgationis dedimus.

Poſt vomitum, *Lacte aſinino cocto poſtera die à vomitu alvum vomet*, ut oſtendat, non eſſe deſiſtendum in Cachexia ſeroſa à purgatione, ſed eſſe deſiſtendum à fortioribus purgantibus, blandioribus utendo, quale eſt Lac aſininum coctum ad ſex, vel ſeptem libras. Tertia, quarta, quinta die à vomitu, Lacte caprino cocto purgat, quia caprinum Lac coctum minus purgat, quàm aſininum, & parciorem amat purgationem in his tribus diebus, quam molitus eſt in primo cum Lacte aſinino, ne vires dejiciantur, ideò Lacte caprino utitur. In hoc modo purgandi admirandum latet Hipp. conſilium, dum præter purgationem, attemperat humorum acrimoniam, & nutrimentum aliquo modo præbet corpori.

Cùm cura Hippocr. tota verſetur in humorum purgatione vario modo determinata, prout apparet ex dictis, aliis purgantibus Lacte prætermiſſo uti poſſumus, dummodo exhibeantur cum eodem ordine, ut primò præcedant validiora ſerum purgantia, ut *Jalappa*, *Mechoacan. Sem. Ebuli*, *confect. Diachartami*, quæ per aliquot vices exhibeantur ſecundùm inſtitutum Hippocr. poſtea ad mitiora deveniendum, inter quæ laudatur *Syr. Spinæ cervinæ*, qui ad aliquot dies exhiberi poteſt *ad ℥. i. ß.* & ſi non excedat purgatio quotidie, ſi excedit minoranda quantitas ad ℥. *i.* vel exhibendus omni tertio die, per aliquot vices uſquequo humoris ſeroſi redundantia ceſſerit, nec incongruum erit huic remedio

dio addere *decoctum Malvarum*, *Liquiritiæ*, *Brancæ urſinæ*, *Paſſularum* ad attemperandam acrimoniam humoris, vel loco iſtius exhibeatur *Serum caprinum ad* ℔. *unam*, *vel duas*; vel paretur decoctum cum herbis ſtomaticis emollientibus, additis *ſem. Chartami*, *Ebuli*, *cum rad. Polypod. Rhaub. & cum Saccharo fiat Syr.* eodem modo exhibendus.

Ad Hipp. exemplum poſſet, meo judicio, purgatio inſtitui cum *aquis*, *vel Noceræ*, *vel Villæ*, dejectorio modo ſuſceptis cum vehiculo purgante loco Lactis *ad* ℔. *ſeptem*, *vel octo*, & etiam *decem*, prout ægri diſpoſitio, & tolerantia permiſerit. Vehiculum ſit *Mel. Roſ. ſol. ad* ℥. *iii. Syr. de Spina Cervina* ℥. *ii. Syr. de Flor. Perſic.* ℥. *iii. Rad. Jalappæ in pulv. redactæ* ℈. *i. & per decem*, *& duodecim dies continuandus talis uſus aquarum.*

Diminuta quantitate humoris per purgationem, ſecundam elicit indicationem à qualitate acris humoris deſumptam, & eſt hanc attemperandi, & dulcificandi, cum eodem Lacte, quod imperat crudum bubulum, vel caprinum, tertia parte *Aquæ Mulſæ* ammixta *ad congium unum*, ideſt ad decem, vel novem libras circiter. Uti hujuſmodi Lacte Hipp. pro attemperatione, colligo ex hoc, quòd pro purgatione utitur Lacte cocto, & aſinino, quod magis purgat, ut teſtatur *in lib. de intern. affect. num.* 4. quando ergo utitur Lacte crudo, & bubulo, vel caprino, quæ parùm purgant, non utitur pro purgatione, ſed pro attemperatione; & ne coaguletur aquam mulſam miſcet; verùm quidem eſt, quòd talis quantitas cum mulſa alvum laxabit, ſed parùm, & ſerviet ſolùm pro eductione reliqui Lactis non ſubacti, & ſeri, ne hujus copia congregetur maximè noxia in propenſione ad Hydropem, quam expreſſit Hippocrat. proponendo remedia Hidropi propria in hujus morbi curatione. In hujus Lactis uſu perſeverat, dum per viginti dies, ſi patiens tali quantitati non reſiſtat, minoranda, & ea accipienda, quæ ventriculo ſit tolerabilis. In uſu hujus remedii ea ſervanda, quæ ſuperiùs diximus circa diœtam. Aliis attemperantibus uti poſſumus, vel ſub forma decocti, vel aquæ diſtillatæ, ubi adeſt neceſſitas attemperandi humores ſeroſos in iſtorum redundantia, & in diſpoſitione ad earumdem generationem valdè efficaci, ſed memores moniti Hipp. attemperantia, & dulcificantia, diureticis, vel alvum reſolventibus miſcenda, vel omni tertio, vel quarto die, quæ ſerum evacuant exhibenda. Hinc eſt, quòd valdè ſanum eſt illorum conſilium, qui in tali caſu in jure optimo conficiunt decocta attemperantia, quia humidum juris nutritivum, etiam ſi retineatur non lædit, cùm tranſeat tale medicamentum in nutrimentum.

A ſeri redundantia timendus Hydrops, ideò ad iſtum præcavendum remedia Hydropi appropriata imperat, de quibus in ſequentibus.

Diœtam in tempore Lactis cum ſola cœna parat, & nos monet in uſu Lactis abſtinendum eſſe à cibo, quouſque Lac, vel in alimentum tranſierit, vel per purgationem ſeceſſerit, dum ait, *Reliquo verò tempore cum Lac bibit cœnet panem exaſſatum*. De prandio mentionem non facit, parùm etiam pro cœna exhibet panis, nempè aſſati, & monet victu exſiccante utendum in hoc affectu piſces, & carnem ovillam, aut pulli gallinacei exhibet pro cibo, quæ cùm correſpondere debeant pani, ſi parvam iſtius quantitatem concedit, parva etiam piſcis, & carnis portio tribuenda; & ſi panis aſſatur, multò magis aſſanda caro; & vinum, quale ægro magis conducit ad ſuſtinendam facultatem digeſtivam ventriculi, & ad ſpiritus recreandos, & augendos. Poſt cibum deambulationem imperat, ut à motu ſpiritus in copia excitatus, meliorem operetur digeſtionem, & ab eodem motu fermentatio ciborum perfectior ſuccedat. A frigore in deambulatione cavere ægrum monet, quia hæc duo prohibet; nempè perfectam digeſtionem, & fermentationem ciborum calore nativo debili exiſtente, ut in caſu noſtro. Si dicti cibi non conducunt ægro, ſorbitiones dat *Ptiſanæ*, aut *Milii*, à quibus legem accipimus noſtris uſualibus alimentis ad ſorbitionem redactis, ægros in tali affectu cibandi: Cùm de corroborando ventriculo verba non faciat Hippocr. licèt ſit hujus indiſpoſitio radis prædicti morbi, cenſendum eſt, illam prætermiſiſſe, quia crediderit extirpatam iri ab uſu Lactis: non erit tamen inutile aliqua in hunc finem ægro præſcribere. Omnibus præferendum *Specificum ſtomaticum Poteri ad* ℥. *i. pulvis Eboris ad* ℥. *i. Species trium Santalorum*, *& Diarrodon Abbat. in Aqua totius Citri*, *vel Abſinthii*.

Aliam differentiam Cachexiæ proponit *libr. de internis affect. num.* 46. *ſub nomine Typhos*, ubi ait: *Fit hic morbus*, *cùm humor*, *qui eſt in corpore*, *putrefactus fuerit*, *& magis quàm opportunum eſt reſiccatus. Fit igitur æger hoc morbo correptus ſpecie limpidus*, hoc eſt in facie limpidus, *ac humectus*, *ſubpallidus*, *pellucidus*, *& veſicæ urinæ ſimilis*, *verùm non intumeſcit*, *ſed tenuis*, *& aridus eſt*, *ac debilis*; *attenuantur autem in corpore maximè claviculæ*, *& facies fortiter gracileſcit*, *ut & oculi valdè ſunt excavati*, *& hæc quidem à morbo patitur. Color autem corporis niger eſt*, *cauſa verò hæc eſt*, *cùm bilis atra in venas*, *& ad cutem ſubierit*, *& poſtea calor ceſſerit* (legit *Foeſius*, *ſupervenerit*) *neceſſe eſt venas à calore comburi*, *ac reſiccari*, *quare ſanguis è venis excedit. Hæc igitur patitur. Hic tenuis ſit*, *& fortiter gracilis*, *& oculis raro nictat*, *& muſcas è ſtragulis venatur*, *& gravitas ciborum major eſt*, *quam quum ſanus eſſet*, *& lucernæ extinctæ odore delectatur*, *& frequenter ſemen per ſomnum effundit*, *ſæpe verò etiam inter eumdem genitura ipſi exit.*

Deſcriptum affectum eſſe Cachexiam, mutatio coloris in pravum inſeparabilis iſtius effectus evidenter concludit. De hac obſerv. habet *Borellus obſerv. 66. cent.* 3. Raritas caſus ſymptomatum multiplicata combinatio ejus originem occulta, nec alia eſt via hanc detegendi, quàm enaratorum ſymptomatum explicatio, & ſuarum cauſarum indagatio.

Fit ſpecie, ideſt facie, *humectus*; tale eſt omne illud, in quo aqua prædominatur, unde facies humecta erit aqueo humore plena, qui ſi velut roris inſtar guttatim per poros cutis exeat cum ſudore, magis humecta dicenda eſt facies. Juxta hanc ſignificationem intelligendum verbum *humectus*, in ſubjecto faciei, quia hæc continuò, ſed raro, & tenui ſudore humectetur.

Limpidus, ideſt color purus, qualis eſt color aquæ ſine admixtione alicujus coloris, limpiditatem faciei, & claritatem obfuſcantis; limpiditas hæc correſpondet humoris aquei limpiditati, ab illo enim vaſa, & poroſitates faciei replentur.

Subpallidus, ideſt aliquantulum pallidus, & ad pallorem accedens; talem colorem aqua corpori tranſparenti incluſa, qualis eſt cutis exhibet.

Pellucidus. Corpus dicitur pellucidum, quod per medium ſui luci tranſitum concedit, ut aqua, & vitrum. Si aqua in facie colligitur, pelluciditas etiam in ea prælucebit, ſed ad hanc neceſſaria eſt puritas aquæ, qualem habet lympha in corpore. Hæc omnia explicat Hipp. ſimilitudine veſicæ urinæ, quæ urina, vel aqua plena humecta limpida, ſubpallida, pellucida apparet.

Hæc omnia oſtendunt redundantiam humoris ſeroſi in vaſis faciei, & præcipuè lymphaticis. Qua de cauſa ſerum in regione faciei, ſolùm redundet cum pelluciditate, reliquum verò corporis nigro colore inficiatur inquirendum manet.

Certum eſt, aquam in facie collectam eſſe à mixtione alterius humoris opaci immunem cum faciem limpidam pellucidam reddat, nullus alius humor aqueus ſincerus eſt in vaſis, niſi lympha, idcirco probabile eſt vaſa lymphatica in facie turgeſcere lymphæ copia, iſtiuſque portionem, vel à ruptis minimis vaſis lymphaticis, vel à poroſitatibus iſtorum exſudantem in carnes cuti proximas depluere prædictos effectus pariendo, portio etiam iſtius per orificia lymphaticorum terminantia in ſuperficiem glandularum cutis guttatim, & interpollatè exiens faciem humectam facit.

Vaſa lymphatica copiam lymphæ accipiunt ab arteriis per faciem diſperſis, hæ quia humorem omnibus partibus largiuntur ſuæ texturæ convenientem, ratione hujus in glandulis per carnem diſſeminatis copiam ſeroſi humoris relinquunt, quæ in vaſa ſua excretoria lymphatica impulſa, hæc dilatat, deſcriptos effe-

effectus limpiditatis, pelluciditatis, & humectationis efficiendo modo ſupradicto. Arteriæ ad partes ſuperiores corporis tendentes plus ſeri, quàm ſanguinis a corde recipiunt, quia hic ob craſſitiem, & lentorem reſiſtit impulſui cordis ad motum ſurſum, ſed ſuo pondere ad interiores, & deſcendentes arterias trahitur, & cùm impulſum cordis per arterias aſcendentes non audiat, niſi ſerum nutritium, & aliqua portio ſanguinis tenuioris; hinc eſt, quòd copia ſeri aſcendentes arteriæ impleantur, & cum his vaſa lymphatica faciei.

Quantitatem ſanguinis, & humoris in corpore non eſſe excedentem fatetur Hipp. dum ab hac ait: *Non intumeſcere ægrum, ſed eſt tenuis*, ideſt emaciatus, *& aridus*, ideſt macie extrema affectus, *& debilis*, ideſt cum magno virium languore, quem ſemper ſequitur macies extrema. Ab his non ſolum ſanguinis, & humorum parvam quantitatem, ſed depravatam indolem arguimus.

Maciem maximè patiuntur claviculæ, & facies, quæ gracileſcit fortiter, & ex gracilitate limpiditas lymphæ in vaſis lymphaticis faciei collectæ magis apparet cum pellucido colore. Ab eadem macie oculi excavati, ideſt tamquam in caverna poſiti obſervantur, deficiente carne eos circumambiente, & cum oſſibus æqualiter connectente, partes ſuperiores magis attenuantur ob rationem ſuperius dictam de craſſitie ſanguinis, per quam in pauca copia ad eas concurrit.

Si facies eſt limpida, reliquum corporis colore nigro tingitur. Cauſam hujus coloris refundit Hipp. in bilem atram, hoc eſt melancholiam, ſeu fœcem ſanguinis; hoc perſuadet longitudo morbi ad viginti annos à fœce ſanguinis dependens, cùm ab atra bile ex aduſtione bilis morbi acuti, breves enaſcantur. Quomodo à melancholia hic color cuti communicetur, explicat Hipp. in his verbis textus ex lectura *Foeſii*: *Cùm in venas, & cutem atra bilis ſubierit, cùmque his calor ſupervenerit venulas à calore exuri, & reſiccari neceſſe eſt, ac proinde ſanguinem excedere.* Supponit ſanguinem melancholicum in vaſis redundare, & cùm per arterias capillares ad cutem transfertur, & per iſtius partes extravaſatus excurrit, ſuperveniente calore externo, vel calore interno partium ſanguinem excipientium, vel ſuperveniente calore ipſius ſanguinis extravaſati, excitato ab effervescentia concepta à ſtagnatione in parte prædicta ob ſui craſſitiem; venæ reſiccantur, cùm ob maciem calori maximè exponantur, nec ab integumentorum craſſitie à macie obliterata tueantur. Dum exſiccantur vaſa contrahuntur à contractione cavitas illorum ad anguſtias reducitur, & ſanguis in eis contentus compreſſione à contractis membranis exprimitur in carnes, & cutem (ita intelligendum eſt verbum *excedere*.) Sanguis expreſſus ab eodem calore exſiccatus, & cuti conjunctus colore nigro melancholiæ naturalis, & à ſiccitate, ſeu uſtione aucto, cutis colorem album nigredine delet, eamque nigro colore tingit. Color ergo limpidus faciei à limpha, corporis niger à ſanguine melancholico.

In hoc ſtatu æger *fit tenuis*, *& fortiter gracilis*. Differentia hujus Cachexiæ ab aliis oſtenditur. In aliis eſt redundantia humoris excrementitii cum nutritione, ſeu potiùs appoſitione talis humoris partibus, quæ correſpondet veræ, & legitimæ nutritioni, cum habitus craſſus, & pravus corporis ab illa conſervetur, ſicut bonus habitus craſſus à vera, & legitima nutritione conſervatur. In hac Cachexia humor qualitate, non copia peccat, ſicut peccat in Cachexia cum tumore corporis, & qualitas eſt talis conditionis, ut omnem excludat diſpoſitionem, non ſolùm à perfecta nutritione requiſitam, ſed etiam ad meram appoſitionem neceſſariam, unde macies totius ob defectum nutrimenti.

Duas Cachexiæ differentias diſtinguere poſſumus cum Hippocr. Una, quæ eſt cum redundantia humoris excrementitii qualitate peccantis, & in hac vitium eſt in quantitate, & qualitate. Altera eſt cum ſola qualitate humoris prava, non excedente quantitate; utraque eſt multiplex ratione diverſitatis humoris quantitate, & qualitate peccantis, & ratione diverſæ qualitatis.

Qualitas nutritionem prohibens eſt illa humori melancholico conveniens, ſed præternaturam aucta, quam deſignavit Hippocrat. quando humorem melancholicum in hoc morbo peccare dixit, & eſt aciditas, & craſſities, quæ ſi augeantur in maſſa ſanguinis nutritionem delent. Cum dulci perficiatur nutritio, aciditatem non eſſe idoneam pro ea manifeſtum eſt, quia aciditas craſſos extenuat, craſſities impedit penetrationem humoris per anguſtas vacuitates carnium relictas à diſſolutis, & exhalatis illarum particulis, unde nutritio non perficitur. Debilis eſt à ſpirituum animalium penuria, & impuritate ſanguinis pravitati correſpondente.

Nictat rarò oculis, ideſt rarò palpebres dimittit, & elevat; hoc ſymptoma cum oculis fixis immobilibus, ut in ſtupidis conjungitur. Spiritus animales impuri, torpidi, nervi, muſculi oculorum à macie exſiccati motum palpebrarum retardant, & frequentem prohibent.

Et muſcas à ſtragulis venatur, vapores tetri, opaci, diminuti ferientes retinam corpora parva opaca ſenſui communi repræſentant cum ſimilitudine muſcæ, vel feſtucæ.

Gravitas ciborum major eſt, quàm cùm ſanus eſſet. Supponit ventriculum etiam tempore ſanitatis malè affectum, & in hoc morbo augeri malam affectionem, quæ conſiſtit in gravitate à cibis aſſumptis, & eſt effectus debilitatis, & languoris ventriculi, caloris, fermentique activi diminutionem indicat, & fibrarum ventriculi languorem oſtendit.

Et lucernæ extinctæ odore delectatur, quia à pravo humore Cachexiam efficiente, & organum odoratus irrigante, hoc tali conditione alteratur, ut corpuſcula à lucerna extincta exhalantia, quæ antea irritabant, & mordebant dictum organum cum triſti ſenſatione, à qua malus odor ingratus, & abominatus; poſita illa alteratione exhalationes lucernæ extinctæ organum odoratus titillant, cum delectatione, ex quo odor evadit gratus, qui priùs erat ingratus.

Semen per ſomnum exit, quia aciditate ſanguinis, à quo elaboratur inficitur. Vaſa ſeminalia communem habent cum toto debilitatem, excalefacto, & agitato ſemine in ſomno, vel ab inſomnio venereo, vel à decubitu ſupra renes, aciditas magis ſenſibilis fit in vaſis ſeminalibus, ut irritentur ad expulſionem illius non contranitentibus vaſis ob debilitatem: eadem cauſa exit ſemen in ſomno.

Hunc affectum eſſe Cachexiam, demonſtratum fuit ſuperiùs; in hac peccare humorem melancholicum, unà cum ſeroſitate, ab explicatione ſymptomatum colligimus; quotieſcumque enim ſanguis incraſſatur, ut quando tranſit in melancholiam commixti ſeri copiam è ſuo ſinu exprimit. Vitium melancholiæ eſſe in qualitate acida, & craſſa præternaturam, probatum eſt. Duplex eſt cauſa hujus vitii: Prima ventriculi indiſpoſitio ſuperiùs deducta à verbis Hippocrat. per quam alimenta imperfectè diſſolvuntur, nec eorum particulæ ſubtiles volatilizantur, prout convenit maſſæ chyloſæ, & mutatio in perfectum ſanguinem exigit, ſed chylus ab hac ſeparatur craſſus, & particulis ſalino-acidis refertus, à quo ſanguis etiam craſſus generatur. Altera cauſa eſt ſanguinis aciditas præternaturam contracta ab aliqua cauſa vel intrinſeca, vel extrinſeca, cujus actione chylus in ſanguinem acidum commutatur, & intenſiorem ſuſcipit craſſitiem.

Signa ſunt manifeſta. Prognoſticum Hippocrat. eſt: *Hic ita curatus, à duobus maximè annis ſanus fit. Hic morbus corripit majorem viginti annis*. Melancholia non dominatur in hac ætate aliis humoribus, & principia corporis activa, cùm tunc temporis ſint valdè vegeta ſanguinis craſim, & conſtitutionem melancholiæ contrariam conſervant; ubi verò corripuit, ſi non à principio morbi quis curatus fuerit, non deſinit, niſi viginti anni præterierint, ſed adhæret; adeò contumax eſt humor melancholicus præternaturalis, ſi maſſæ ſanguineæ dominium rexerit, & alios humores ſubjugo poſuerit, poſtea ab aliquibus, dum curantur decidit. *Morbus autem gravis eſt*, non ratione acutiei, ſed longitudinis, & quia ægri ab hoc morbo interficiuntur.

Cùm adſit in hoc affectu ventriculi manifeſta imbecilli-

becillitas expreſſa in gravitate à cibis, ſupponenda etiam excrementorum redundantia in ventriculo, à qua emergit indicatio ea evacuandi, vel vomitu, vel per alvum, utrumque modum eligit Hipp. *Veratro nigro*; vomitum primò tentat, & cum ratione, quia excrementa, quæ ſunt in ventriculo, ſunt de natura melancholiæ, multùm craſſa, & acida, quæ non adeò facilè medicamentis purgantibus ſecedunt, & quandoque etiam purgantium virtutem obtundunt, ideò vomitum primò provocat; hoc peracto, purgat per infernam alvum cum *Succo Scammoneæ* ad purgandum humorem ſeroſum, qui in facie conſpicuus fit. Serum, & materia craſſa per vomitum, & per alvum poſſunt purgari mitioribus medicamentis, ſæpiùs repetitis in ſuperioribus.

Poſt purgationem per alvum, exhibitionem probat eorum, quæ in aliis exhibita ſunt, & eſt potio *Succi Lenticulæ*, quo uſus eſt Hipp. poſt purgationes ſemper, ſed addito *Succo Silphii* corroborante, ut in *n.* 45. *cit. lib.* hic in magno pretio apud Antiquos erat, & unà cum argento commune habebat pretium, *in regione Cyrene*, *ſita in Libia colligebatur*; ideò dicebatur *Succus Cyreniacus*; hodie pro *Silphio* utimur *Belzovin*. Hoc præcepto monet Hipp. poſt purgationem abſtergendas eſſe vias inteſtinorum pro integra purgatione, & ſimul corroborandum eſſe calorem, & ſpiritus in purgatione debilitatos, & præcipuè in corporibus vel natura, vel à morbo debilibus, ut in præſenti caſu. Hìc adnoto, Lenticula non paluſtri, ſed ſativa uſum frequenter fuiſſe Hippoc. Succo cum ſale ad perficiendam purgationem, decocto ſine ſale ad corroboranda vaſa, per quæ facta fuit purgatio, itaut ſi facta fuerit parva purgatio, ſucco Lentium promovet; ſi multa decocto corroborat, nos uteremur in primo caſu *Sero Lactis*, vel *jure pingui*, vel *aqua Hordei*, cum *Sale fixo tartari*; in ſecundo *Aqua florum Papaveris erratici*, & *Portulacæ*, *cum Theriacà*, *Mithridato*, vel *confect. Alchermes*. Ab hoc uſu Hipp. abſtergentia exhibendi poſt purgationes, approbatur conſilium illorum, qui poſt purgationes clyſtere emolliente, & laxante utuntur.

Ad humoris melancholici attemperationem, ſerum, & Lac bubulum, aut caprinum ad aliquod tempus exhibet, & ſi ſucci miſceantur herbarum, quæ humorem melancholicum reſpiciunt, attemperatio erit major. Sanguinem attemperatione indigere, macies totius corporis præcipuè perſuadet. Lac exhibet pro tempore, hoc eſt in anni tempeſtate Vernali, Æſtiva, & Autumnali. Modum exhibendi refert ad modum traditum in ſuperioribus, ubi *num.* 44. *cit. lib.* in curatione aliæ differentiæ, *Typhos*, ait, *Serum*, & *Lac ſemper bibat*, quod intelligendum eſt per aliquod tempus, ut ſuperiùs dictum eſt: Lac concedit caprinum, & bubulum, ſervanda ergo ea omnia in uſu Lactis, quæ dicta ſunt in curatione præcedentis Cachexiæ, & ſi purgandum ſit, id exequendum Lacte aſinino cocto, prout monet *Hipp. in textu*. Serum etiam proponit, ſed in hujus exhibitione procedendum cum multa circumſpectione circa correctionem ſeri.

Lac convenire non eſt dubitandum, quia omne acre tam acidum, quàm ſalſum attemperat. Lac ſuo ſero ſanguini mixto huic fluiditatem conciliat, & craſſitiem corrigit, maciem emendat continuo uſu ad optimi ſanguinis generationem concurrit, & depravatum præexiſtentem emendat.

Nec timenda ventriculi imbecillitas, per quam à cibi gravatur, ut ait Hipp. cùm Lac ſit alimentum leve, nec gravativum, maximè ſi ſumatur paulatim, & pro ventriculi tolerantia, augendo omni die quantitatem.

Addo, Lacti poſſe miſceri ſuccos antiſcorbuticorum ſimplicium ad attenuandam craſſitiem ſanguinis, & ſui volatilitatem renovandam modo dicto ſuperiùs, hoc docente Hipp. qui in curatione unius differentiæ *Typhos* ſub *num.* 43. *cit. lib.* in qua peccat humor craſſus, exhibet *Raphanidas* multas, & *Naſturtii ſemen*, quibus ineſt virtus volatilizandi, & attenuandi reſidens in antiſcorbuticis, & in hoc textu aſſerit pro hujus affectus curatione, optima eſſe exhibita in prioribus differentiis *Typhos*.

CAP. XXXVIII.

De Cacochimia Gallica.

De origine hujus morbi, & an fuerit Antiquis cognitus, vel morbus de novo excitatus inquirendum. Originem hujus morbi, aliqui narrant cepiſſe in Valentia Hiſpaniæ Taraconenſis à nobili quadam Muliere, quæ ad concubitum unius noctis admiſit nobilem Elephanticum pretio quinquaginta aureorum, & cum ad concubitum hujus mulieris frequens Juvenum copia accurreret, intra paucos dies ſupra quadringentos infectos lues extenſa eſt, quorum ex numero nonnulli Carolum Octavum Galliæ Regem Italiam petentem Anno 1494. ſecuti, in Napolitana obſidione mulieres, & meretrices illuc concurrentes infecerunt, quæ familiaritate, &contactu infectionem ultra propagavere; unde lues venerea ab Elephantico.

Alii aſſerunt à Columbo ab India reduce, unà cum Milite Indicas Meretrices evectas fuiſſe lue venerea infectas, quæ ibi familiaris eſt, & à quibus tacti fuerant Milites, qui in Italicis expeditionibus ſtipendia ſumentes morbum propagarunt, & præcipuè in Neapolitana obſidione à Gallis, ſub ſuo Rege Carolo Octava parata, cùm in hac non minus ab obſeſſis propugnata fuerit Urbs magna omni robore, ſed etiam dolo venenis puteos in Campo oſtili exiſtentibus infecerunt. De hoc non contenti Neapolitani Piſtores corruperunt; ut farinæ gypſum adderent in conficiendo pane, ut quod non ageret venenum, ageret gypſum. Dolum etiam hunc excogitarunt mulieres ex India advectæ. In Urbe morabantur hæ cum inutili plebe, & armis inhabili ejectæ à Gallis mulierum amantibus, humaniter, & læto animo exceptæ, cum quibus ad ſatietatem luxuriatis Gallis lues venerea per Exercitum propagata eſt, à qua plus damni, quàm ab hoſtibus accepit Regius Imperator in ſuis militibus.

Dicitur morbus Italicus, quia in Italia incepit: Neapolitanus, quia in Neapolis obſidione propagatus eſt: Gallicus, quia in Gallos debachatus eſt. Hiſpanus, quia cum meretrice primò ab India in Italiam translatus eſt cum milite Hiſpano. Ab hac meretrice ab obſidione Neapolitana à Gallis incepta, per totam Europam, Aſiam, Africam miſerè propagatus eſt.

Eſſe morbum Antiquis cognitum ſuſtinet *Zacutus Luſitanus in lib. de Hiſt. Princip. Medic. lib.* 1. *Hiſt.* 2. 3. in explicatione *text. Galen. in lib.* 3. *Epid. ſect.* 3. *com.* 25. ubi Hipp. narrat. *In multis ægris carnium*, & *oſſium*, & *nervorum lapſus*, *denudationes*, *pudendorum exulcerationes*, *menti*, *capitis glabritiem cum marcore*, *citra febrem*. Hæc ſunt ſigna gallicæ luis, & multa alia cumulat loca de ulceribus depaſcentibus capitis *lib.* 3. *epid. ſect.* 3. *text.* 4. & *lib.* 5. *epidem.* in initio, & *lib.* 2. *de morb. num.* 2. Vidit capitis futuram excavatam, & *lib.* 7. *Galebum* cognoviſſe hunc morbum, deducit, & colligit ex ulceribus depaſcentibus diuturnis. Confirmat ex *Vigone lib. de Morbo Gallico cap.* 1. aſſerente eſſe antiquum ex auctoritate *Svetonii*, de Cæſare Auguſto hoc morbo cum *Unguento* in antiquo ſcripto invento *pro ſcabie craſſa* ſanato, quo fuit curatus morbus Gallicus in ſuis principiis. Unguentum eſt ex *Mercurio*, & *Sulphure*. Ex quo evenit morbum gallicum Antiquos ſcabiem craſſam nominaſſe, in qua utebantur evacuantibus exſiccantibus, & ſudotificis, & hanc ſententiam ſecutus eſt *Valeſius in com.* 1. *lib.* 4. *epidem. Campeſius lib.* 2. *Prax. cap.* 12. qui faventes huic ſententiæ adducit *Salicetum*, *Gordonium*, *Valeſium*, & *Ugo Senenſis conſ.* 100. hunc morbum quaſi ſopitum repullulaſſe, videtur delineaſſe.

Si quæſtio ſit, an hic morbus fuerit cognitus Medicis antiquis, Græcis, & Arabibus, certum eſt multos morbos concomitantes morbum gallicum deſcripſiſſe; hunc tamen non cognoverunt, quia cauſam hujus morbi ex concubitu cum infecta muliere non aſſignarunt, & ſi ignota fuit iſtis cauſa, ignotus etiam fuit morbus, cùm hic non oriatur niſi præcedente concubitu, vel contactu fœminæ, vel maſculi infecti, & licèt omnia adducta mala ex Hipp. & Galen. in morbo gallico reperiantur, non dicuntur eſſe à morbo galli-

gallico, quia non aſſignatur cauſa concubitus cum infecto, vel infecta.

Adde, quòd remedia, quibus uſi fuerunt Antiqui in curatione illorum morborum, quos citati Auctores gallicum morbum appellant, nil valent in curatione luis gallicæ noſtris temporibus; & ſi antiquitus curata fuiſſet dicta lues cum illis remediis, modò etiam cum eiſdem remediis profligaretur, quod cùm non eveniat, dicendum eſt, morbos illos non fuiſſe morbum gallicum.

Si verò quæſtio ſit, an fuerit morbus Orbi incognitus, dico non fuiſſe incognitum, quia apud Indos eſt, & fuit familiaris, & quia temporibus dictorum Auctorum Indorum, & Americæ cognitio erat occulta, nec aperta erat via ad iſtam Regionem, ideò iſtis erat incognitus talis morbus.

Aliqui volunt, Deum voluiſſe morbum hunc antea incognitum morbis cognitis aggregari in pœnam luxuriæ vitioſæ, ad retrahendos homines ab hoc vitio propoſito tali morbo tot diris cruciatibus luxurioſos ſæviter, & contumaciter affligente.

Alii volunt, ex nimio Veneris uſu originem traxiſſe hunc morbum, prout refert *Zacut. lib. cit.* quæ ſententia non eſt admittenda, quia nimia Venus Cachexiam quidem, ſed non contagioſam, qualis eſt Cachexia gallica inducere valet.

Morbus gallicus de novo prodiit, & fuit incognitus Antiquis, uſque ab obſidione Neapolis à Carolo Octavo Rege Galliæ facta, prout Hiſtoriæ nobis tradunt.

Quidquid ſit de primo inficiente, an fuerit Gallus, an Hiſpanus, an Italus, an Indus; certum eſt ex India tranſiiſſe in Europam cum illis, qui hanc luem ſecum deferebant. Et hoc evidenter etiam deducitur à remediis, quæ ſpecificè hanc luem oppugnant, quæ in ſola India oriuntur; Providus enim Deus, & in puniendo clemens, ubi aliquam Regionem peculiari morbo affligere determinat, in eadem Regione remedia pro hujuſmodi morbo vult oriri. Hoc determinato, ad naturam hujus morbi perſcrutandam tranſeundum. Hæc nobis manifeſtabitur à definitione hujus morbi.

Definitur hic morbus: *Infectio virulenta, acida, contagioſa, præcipuè fluidorum corporis à fermento acido coagulativo, & corroſivo per contactum, & ſemper per concubitum venereum pudendis partibus communicato, & per totum corpus diſperſo, cum Cachexia, & nutritionis læſione; Hæc infectio, eſt comitata variis ſymptomatibus Bubonibus, Gonorrhæa, Ulceribus in pudendis, dolore capitis, & juncturarum Perioſtiorum, & Gummatibus.*

Dicitur primò *Infectio*, ut demonſtretur à lue gallica alterari ſolùm fluida corporis, non corrumpi, eo modo quo vinum felle mixtum, infectum, non corruptum dicimus, quia ab amaro fellis ſummè alteratur, non corrumpitur; dum manet integra ſubſtantia vini; ita in lue gallica non corrumpuntur fluida; alioquin per annos infecti non viverent, ſi fluida eſſent corrupta; ſed ſolùm alterantur valida alteratione, & præcipuè in ſecundis qualitatibus ſapidis, & in tertiis, quæ reſpiciunt raritatem, & denſitatem, fluxibilitatem, & concretionem, & ſi qualitates primæ aliquam alterationem patiantur, hæ non ita afficiunt in hoc morbo ægros, ſicuti afficiunt qualitates ſecundæ, & tertiæ; ideò in hoc morbo non coſiderantur neque tamquam cauſæ, neque tamquam indicantia modum curationis, ut videbimus infra; ideòque dicitur etiam infectio, eo modo quo venena occultè alterantia dicuntur inficere.

Dicitur *Virulenta*, quia veneni inſtar à pudendis primò infectis ſerpit per totam ſubſtantiam fluidorum, deinde per partes ſolidas. Sic virus viperæ morſu alicui parti communicatum, per partem, poſt partem per univerſam fluidorum ſubſtantiam ſerpit, hanc maligna qualitate inficiendo, bilemque dicta infectione exaltando, à qua exaltata demorſi flavo colore tinguntur; Et quia primò lues gallica per concubitum pudendis communicatur, & ab his per totum corpus, & præcipuè per univerſam fluidorum maſſam diffunditur, dicitur virulenta.

Dicitur etiam *Virulenta*, & quia occulto modo ſuæ vires in corpus exerere creditum more veneni, quod occulta qualitate agere exiſtimatur: & hac ratione etiam dicitur virulenta.

Dicitur *Acida*; & explicatur natura veneni fluida inficientis; infectio enim à lue gallica inducta in acido conſiſtit coagulativo, & corroſivo. Acidum coagulativum lui gallicæ uniri gummata in oſſibus apparentia demonſtrant; hæc enim à ſola coagulatione materiæ in ſuperficie oſſis proficiſcuntur. Eſſe acidum corroſivum, demonſtrant ulcera, caries, dolores in muſculis, tendinibus, in perioſtiis oſſium, quæ omnia à corroſione, vel irritatione proficiſcuntur. Pro quo vide *Syſtema meum*, & comprobatur, ex eo quod melancholici hanc faciliùs contrahunt, & in iſtis lues contumacior, & magis reſiſtens remediis viget, dum ab acido melancholiæ corroboratum acidum luis gallicæ, ejus actio in fluida, & ſolida fit efficacior, & talis actio propagatur primò in concubitu, unde pudenda inficiuntur, & talis infectio dicitur propagata per contactum, ideòque jure meritò dicitur contagioſa, eò quia ab uno in alium lues gallica per contactum transfunditur; contagioſa enim eſt infectio ab uno in alterum tranſiens; quapropter cùm talis ſit infectio luis gallicæ, dicenda eſt contagioſa: Patet etiam eſſe contagioſam, quia per contactum communicatur ſecundùm varias differentias contactus, dum in ſuo principio per oſcula, per alitum, per amplexus, per viciniam infecti cum non infecta in lecto, per uſum ejuſdem cyathi, in quo biberit infectus, per mammas nutricis infectæ lactantis puerum infectio iſti communicatur, contactum linguæ cum lingua, tranſit de lingua infecti ad non infectam; per fomitem etiam communicatur hæc lues, ut quando veſtibus alicujus gallicæ luis infecti utimur. Exhalationes enim veneni gallici veſti impreſſæ tranſeunt in corpus non infecti, omnia mala, quæ patitur infectus illi imprimendo.

Dicitur *Fluidorum corporis*, & denotatur principale ſubjectum hujus infectionis, & ſunt humores. Per humores non venit ſolùm maſſa ſanguinis, ſed etiam alii humores, qui à dicta maſſa originem trahunt, ut eſt ſemen, lympha, lacrymæ, & ſerum etiam urinoſum, ſuccus nerveus, & ſi pudenda primò apparent læſa non immediatè à lue venerea læduntur, ſed ideò læduntur, quia humores, & fluida corpora in pudendis exiſtentia virulenta infectione inficiuntur, quæ ab iſtis in maſſam ſanguinis infectio tranſit à ſanguine ad ſuccum nerveum, & ab iſtis duobus ad omnes partes corporis carnoſas, membranoſas, nervoſas, tendinoſas, & oſſeas. Quapropter rationabiliter aſſerere poſſumus, ſubjectum hujus luis eſſe humores, & fluida corporis. Communicatur dicta infectio à viro infecto mulieri non infectæ, à ſemine illius in vaginam fœminæ ejaculato. Tale ſemen infectione virulenta contaminatum in vaginam, vel uterum receptum rareſit, & particulæ veneni in eo contentæ, ſolutæ à partibus craſſioribus per rarefactionem à maſſa ſeminis virilis exhalant, hùc illùc diſperguntur, & in humores, & fluida circa vaginam, & uterum exiſtentia tranſeunt, & mulier miſerè inficitur.

Quomodo verò mulier infecta virum non infectum contaminet, explicari poteſt facta ſuppoſitione in muliere infecta ſanguinem, & fluida in vagina, & circa partes huic adjacentes eſſe veneno gallico contaminata; ideòque per exhalationes ſanguinis, & fluidorum veneno gallico affectorum, poſſe membrum virile in vagina introductum hoc veneno infici. Inficitur autem, dum membrum virile œſtro venereo excalefactum poroſitates ſuas dilatat, itaut exhalationes malignæ à fluidis fœminæ exhalantes in has poroſitates dilatatas ingredi poſſint, hæ in membro receptæ, ſanguinem, qui in dicto actu copioſior eſt, inficiunt, & gallica lue contaminant.

Dicitur *à Fermento acido coagulativo, & corroſivo*. Per hæc verba exprimitur cauſa efficiens immediata luis venereæ; non poteſt enim unum corpus ab alio infici, niſi per aliquod ei communicatum; omnia enim agentia in paſſum aliquid ab eis exiens introducunt. Hoc ſi citò paſſum alteret, & incognito modo, fermentum appellatur, per quod aliquo modo iſtius actio in genere ſaltem concipitur, & explicatur; ideò hoc nomine

mine fermenti Recentiores utuntur in explicandis morbis dictis occultis, quo nomine ego utor in præſenti caſu. In lue venerea neceſſe eſt, ut communicetur aliquid ab infecto in non infectum. Hoc aliquid dicitur fermentum, à quo tam fluida, quàm ſolida univerſi corporis contaminantur, ſicuti fermentum farinæ admixtum, licèt in pauca quantitate, totam maſſam farinæ fermentat; ita illud, quòd communicatur corpori ab infecto lue gallica, totam maſſam fluidorum fermentare dicitur; & ſicuti fermentum additum farinæ totam farinæ maſſam in ſui naturam convertere contendit, quia cùm ſit acidum, farinæ maſſam ad acidum deducere conatur; ita quod communicatur corpori ab infecto lue venerea, omnia liquida corporis in ſui naturam depravatam, & aptam alios inficere, convertere intendit, & hoc dicitur fermentum, quod ad hoc ut inficiat volatilitatem requirit. Nam non poteſt corpus, cui communicatur in ſui naturam convertere, niſi ſit volatile; quia non poteſt hoc, niſi excitando è corpore cui communicatur particulas ſibi ſimiles, ad quod requiritur volatilitas; nec mirum videri debet à ſpiritu volatili coagulationem effici, cùm potius coagulatum diſſolvere idoneus videatur: Nam hic valet doctrina data in mea Diſſertatione *de Acido, & Alkali*, ſpiritus vini, & ſpiritus urinæ ſunt volatiles, & fluidi, & ſi miſceantur in unam offam coagulantur; ita puto fieri in lue venerea. Fermentum gallicum eſt acidum, à quo tota maſſa ſanguinis aceſcit: Si huic acido conjungantur particulæ alkalicæ humorum etiam volatiles, & ſimul uniantur, humor fit craſſus, & lentus, & dicitur coagulatus. Ab his explicatum manet, quomodo fermentum volatile fixetur, & quomodo agat in corpus, & in maſſam ſanguinis; à quibus etiam deducitur infectionem gallicam non conſiſtere in qualitate occulta, ſed in qualitate manifeſta, nempè in qualitate ſecunda, acida, coagulativa, corroſiva. Quod eſt occultum in hoc fermento, eſt conditio, & natura iſtius acidi; differt enim valdè à natura aliorum acidorum, cùm alia acida non producant effectus, quos producit acidum fermenti gallici: Præterquamquòd hoc acidum non debellatur, niſi à ſpecifico contrario, quod eſt *Lignum ſanctum*, *& Salſa*. Quæcumque alia remedia, quibus alia acida perimuntur, contra hoc acidum fermenti gallici nihil valent. Ex quo evidenter deducitur, hoc acidum valdè diſtare à natura aliorum acidorum. Talis natura eſt verè nobis occulta, quatenus hanc explicare clarè, diſtinctè non valemus, & hoc ſolùm clarè, & diſtinctè cognoſcimus, luem gallicam conſiſtere in acido coagulativo, & corroſivo.

A viro communicari hoc fermentum per ſemen ejaculatum in vaginam certò conſtat, quia ſemen virile infectum lue gallica venenum diffundit, dum à calore vaginæ, & uteri diſſolvitur, quòd ſuperiùs explicatum eſt, & lacunis uteri, & glandulis, quæ circa meatum urinarium exiſtunt, communicatum, humorem in iſtis contentum coinquinat, & acido corroſivo perfundit: unde gonorrhæa, & vaſis ſanguifluis impreſſum maſſæ ſanguineæ communicatur, & hanc totam coinquinat.

Sciendum enim eſt, vaginam uteri, & collum iſtius eſſe fungoſæ, ſpongioſæque ſubſtantiæ multis poroſitatibus excavatæ, à quibus facilè ad intumeſcentiam, & detumeſcentiam reducuntur: ideò in actu venereo ita intumeſcit vagina, ut ſtrictè penem amplectatur, & comprehendat; ab hac comprehenſione mutuus contactus vaginæ, & penis fit firmior, & venenum viri facillimè communicatur; & quia vagina multiplicatis rugis conformatur, portio ſeminis inter iſtas detinetur, quæ cùm ſit virulenta, inficit humorem in dictis poroſitatibus contentum, & virus communicatur glandulis circa collum veſicæ, ab hac infectione gonorrhæa, idem ſanguini communicatum, alii morbi. Aliquando verò ab infecto viro non inficitur fœmina, ſi ſemen à viro ejaculatum ſtatim exeat.

Hoc ſolet evenire in meretricibus, in quibus ob frequentem confricationem, & admiſſionem viri ad concubitum, rugæ prædictæ ad retentionem ſeminis datæ obliterantur, unde ſtatim exit ſemen; & ſi mulier ſtatim ſe optimè abſtergat, & urina, vel vino, vel aqua decoctionis Ligni ſancti, ut iſtæ meretrices facere ſolent, à lue gallica præſervantur. A viro nulla infectione ſenſibili infecto inficitur fœmina, ſi jam ſemini in præcedenti concubitu paulò ante ſecuto cum alia infecta, communicata fuerit lues.

A mulieribus verò communicatur hæc virulenta infectio modo ſuperiùs recenſito, ab humiditate in delectatione venerea, fœminis propria diffuſa: poteſt etiam communicare fœmina hoc virus, ſeu fermentum malignum, quando carnes vulvæ, & pudendi muliebris hoc fermento virulento ſunt infectæ, & ab eis exhalat vapor infectus luis gallicæ communicativus, dum pudendum virile dictus vapor ingreſſus fuerit, & ſanguinem in eo per erectionem collectum infecerit, vaſis ſeminalibus infectionem gallicam imprimendo. Tunc ſolùm ſe exerit hoc fermentum, quando œſtro venereo excaleſcunt illæ partes, & à confricatione excitatur aura maligna, quæ aliquando fixatur in aliqua parte ſine ſui propagatione per corpus, ut patet in iis, qui ſola gonorrhæa afficiuntur, ſolo bubone, & aliquo ulcere gallico tantùm. Hoc comprobatur ab eis, qui præpoſtera Venere utendo gallica lue inficiuntur; quia licèt in illis partibus relictum non fuerit ſemen, & cum fœcibus ejectum fuerit, vel propria lubricitate foras exierit, relictum fuit tamen inquinamentum venereum in aliquibus particulis acidis, corroſivis, & coagulativis partibus communicatis, quæ paulatim ſe multiplicant, inficiendo ſanguinem tam in vaſis exiſtentem, quàm in poroſitatibus extravaſatum pro nutritione, & ab iſtis inquinamentum inficiens, in quo relinquitur pœna peccati vaſe contra naturam abutentis: & ſicuti in hoc caſu non poteſt explicari, quomodo inquinamentum inficiens relinquatur, niſi dicta ratione; ita poteſt etiam dici de muliere, quoad vaſa naturalia, abſque eo quod admittatur putredo, vel ſeminis, vel humorum in utero, ac pudendis, cùm obſervatum ſit à practicis, & rei venereæ aſſuetis infectos fuiſſe à mulieribus, à quarum pudendis nil humidi extillabat, nec fœtor ultra naturale, ſignum putredinis non perſentiebatur: Hoc fermentum ſe habet tamquam malus odor in vaſe terreo, vel ligneo, in quo ſi ponatur vinum, vinum recipit odorem ingratum; ita ab hoc deducitur ratio cùm mulieres, quæ nulla luis venereæ ſigna habent, & Amaſios inficiunt, quando hoc virus tamquam ſitus, idest malus odor fixus eſt in pudendis, & per concubitum communicatur membro virili cum infectione his gallicæ.

Dicitur, *per contactum, & per concubitum*. Communicatur lues venerea per concubitum modo dicto: per contactum, nempè oſcula ſuperiùs dicta.

Dicitur, *cum Cachexia, &c.* Inficitur enim tota ſanguinis maſſa à fermento gallico; à pudendis enim tranſit ad veſiculas ſeminales, in quibus ſemen inficitur, & ab hac infectione gonorrhæa, ab his maſſam ſanguinis ingreditur, eamque totam inficit, aucta maligni veneni actione, vel quia hoc particulas acidas volatiles in ſanguine exiſtentes homogeneas illis, à quibus dictum fermentum gallicum componitur, ſibi unit, vel quia ſua actione valdè efficaci particulas ſanguinis corrumpit cum eadem activitate, qua illud pollet, & per has veneni gallici quantitas, & actio augetur; itaut totam maſſam ſanguinis brevi tempore inficere valeat.

Ab hujuſmodi infectione Cachexia oritur. Cachexia eſt redundantia humorum excrementitiorum in maſſa ſanguinis. Si à fermento venereo citò Cachexia ſuboritur, neceſſe eſt fateri humores ante ingreſſum fermenti bonos, à fermento venereo ita alterari ſecundùm temperamentum, ſecundùm ſubſtantiam, ſecundùm qualitates ſecundas, & præcipuè ſecundùm craſſitiem, & ſecundùm aciditatem, à quibus qualitatibus ferè tota maſſa ſanguinis excrementitia evadit: Unde Cachexia. Ab eodem fermento gallico fermenta partium, quæ alimentorum digeſtioni, & concoctioni, ſanguificationi, & excretioni excrementorum ſerviunt, ita depravantur, ut major pars alimentorum in excrementa abeat, & iſtorum ſecretio ob fermenti ſecretivi debilitatem integra prohibeatur; unde à remanentibus excrementis, quæ neceſſariò deberent excerni in maſsa ſanguinis Cachexia augetur. Ab hoc tam-

quam

quam à principio tot dira, & ſæva ſymptomata luem gallicam concomitantia proficiſcuntur, prout excrementitius humor gallico veneno infectus, modò unam, modò aliam partem infeſtat.

Huic infectioni, & virtuti fermenti gallici, ſi maſſa ſanguinis reſiſtat ſuo ſpiritu, calore, & textura, infectio gallica vel extinguitur, vel ejus actio retardatur, & hac de cauſa per multos latet annos in corpore.

Signa hujus luis ſunt debilitas virium, caries, ulcus, bubo, gonorrhæa, dolores in articulis, muſculis noctu graveſcentes, quia noctis frigiditas acrimoniam acidam auget; & quia motus humorum in tenebris eſt lentior, quàm in luce; Lux enim dat motum humori, & ubi lentè movetur magis adhæret, & magis rodit. Puſtulæ per cutem faciei diſſeminatæ, defluvium capillorum, gummata in oſſibus corporis, ulcera alicujus partis. Hæc tamen omnia ad hoc ut demonſtrent luem gallicam inexiſtentem, concubitum cum infecto, vel cum infecta præſupponunt.

Quoad prognoſticum, hic morbus mitis reſpectu ſui principii; unde colligitur aliquando ceſſaturum: ſolet in Hydropem maraſmum, & hecticam degenerare.

Indicatio curativa unica eſt, dum reſpicit ſolùm fermenti gallici extinctionem; hoc enim ablato, vel à parte, vel à toto neceſſe eſt, ut auferantur omnia ſymptomata à lue gallica promanantia. Deſtruitur hoc fermentum gallicum à ſolis ſpecificis, quæ licèt ſint numero pauca, multa, & multa compoſita remedia à Medicis formantur; Alia ſunt, quæ urinam provocant, alia ſudorem, alia alvum, alia ſalivam.

In principio luis gallicæ conveniunt diuretica, inter quæ recenſetur *Aqua ſtybiata in meo Syſtemate* deſcripta, unà cum modo exhibendi. Pauperibus loco *Salſæ* ſubſtitui poteſt *Lignum ſanctum*, & addi etiam decocto *Saponaria*.

Si huic remedio non cedat gallica lues, ad ſudorifica tranſeundum, quæ parantur ex *Ligno ſancto*, *Salſa parilia*, *Viſco Quercino*, addita portione *Cornu Cervi* pro ſudore adjuvando. Hæc ſunt remedia, quæ ab India ad nos tranſmittuntur pro curatione hujus morbi. Non deſunt tamen noſtris Regionibus remedia in virtute prædictis ſimilia, & ſunt *Lignum Corolinum*, *Cortex nigra Juniperi*, *Radicis Smylacis aſperæ*, *Saponaria*, & *Viſcus Quercinus*, à quibus parantur decocta, eo modo quo parantur à prædictis. Modus parandi apud omnes Authores de hoc morbo differentes invenitur, ſicut & modus exhibendi, & de his methodicè tractat *Claudinus in lib. de Ing. ad Infirmos*, qui videndus. Sudor adjuvandus eſt cum arcubus in lecto, & in hac operatione adhibetur *ſpiritus vini* accenſus in vaſe proprio, & in quo *grana Juniperi contuſa*, & *prius infuſa fuerint in eodem ſpiritu vini*. Sudor moderandus juxta vires ægri, tam in quantitate ſudoris elicienda, quàm in tempore durationis ſudoris.

Si contumax fuerit morbus, & ſudorificis reſiſtat, purgantia valida eligenda, inter quæ valdè efficax eſt *Aqua* dicta *di Spagna*, cujus peſcriptio reperitur in *meo Syſtemate*, & modus hac utendi. Sequens etiam vinum valdè probatum, & expertum;

℞. *Sal. el.* ℥. *vi.*
Sen. el. ℔. *i.*
Saſſafras }
Polypod. } *a.* ℥. *v.*
Ermodactil. }
Aniſor. } *a.* ℥. *iii.*
Ligni ſanct. ℔. *i.*

parentur ſ. a. & bulliant ſpatio ſemi horæ in vin. alb. generoſ. ℔. *viii. Facta ebull. effunde omnia in vini alb. generoſi* ℔. *XL.* Doſis eſt cyathum unum, ſex unciarum manè jejuno ſtomacho: ad prandium verò prout exigit ſitis, nec aliud bibendum vinum, quàm hoc vinum medicatum.

Hìc adnoto, propriè non convenire in morbo gallico purgantia, niſi apparente Cacochimia, cùm purgatio non conveniat niſi in redundantia humoris excrementitii, & præternaturalis: ideò cenſeo in principio hujus morbi, in quo nondum apparent ſigna Cacochimiæ, convenire diuretica, & diaphoretica iſtis verò apparentibus purgantia convenire. Hac ratione excluditur miſſio ſanguinis. Si nec purgantibus lues cedat, ad ea, quæ ſalivam movent deveniendum, & præcipuè ſi gummæ in aliqua parte oſſea appareant. Inter talia remedia præcipuum locum habent *Unguenta mercurialia*. Unum expertum, & probatum in *meo Syſtemate* deſcripſi. Salivatio etiam promovetur à *Mercurio dulci* per multos dies aſſumpto; uſquequo ſalivatio frequens appareat. Sumatur hic Mercurius in ea doſi, in qua purgationem per alvum non promoveat, *à granis* nempè *quatuordecim*, *ad ſexdecim*, & iſtis addatur *ſcrupulus unus Theriacæ*.

Pro gonorrhæa gallica, in principio expertum eſt ſequens electuarium.

℞. *Florum Caſſiæ r. ex.* }
Conſ. viol. } *a.* ℥. *i.*
Terebinth. Venet. ℨ. *x.*
Rhaub. el. ſ. p. ℨ. *ii.*
Diacrid. ſulphur. ſ. p. ℨ. *i.*
Sal. prunel. ſ. p. ℨ. *vi.*
Panaceæ optimè præp. pul. ſub. ℈. *iv.*
Ext. Ligni ſancti }
Salſæ paril. } *a.* ℨ. *ii.*

m. & ſ. a. f. electuarium. Doſis ℨ. *i. ad* ℨ. *i.* ß. manè jejuno ſtomacho cum *Aqu. malv.* ℥. *vi.* per novem, & etiam quindecim dies, & in iſtis diebus fiat *injectio aquæ paratæ cum lapide medicamentoſo Crolii; hunc lapidem agitando, & commovendo in dicta aqua, donec turbida evadat* intra penem quater in die. Si gonorrhæa minuatur, ſed non ex integro ceſſet, & aliquæ parvæ guttulæ omni die appareant, ratione contractæ debilitatis, & laxitatis vaſorum, ſequens pillula ad corroboranda dicta vaſa efficax eſt.

℞. *Rad. Biſtortæ*
Tormentillæ
Nymphæa
Baccharum Hederæ
Sem. Lactucæ
Rutæ
Agni caſti
Succini
Maſtices
Olibani
Lacrym. ſang. Dracon.
Nucis moſcatæ } *a.* ℥. ß.

& cum Terebinthina Veneta q. ſ. f. maſſa. Doſis manè jejuno ſtomacho ad ℨ. *i.* per quindecim dies.

Si his remediis lues gallica non extinguatur, & gummæ in aliquibus partibus adſint, ad *Unguentum mercuriale* confugiendum, quale eſt illud in *meo Syſtemate* deſcriptum, & approbatum.

CAP. XXXIX.

De Hydrope.

Hydrops Hipp. omnibus in locis, idem eſt, ac Latinis Aqua intercus, accepto verbo *intercus* pro quocumque integumento alicui cavitati ſuperpoſito; imò ſi definiendus eſſet Hydrops ex mente Hipp. aliter definiri non poſſet, quàm *Aqua intercus*; hæc definitio eſt convertibilis cum ea, qua definitur Hydrops collectio aquarum in una parte, quod idem infert, ac aquarum collectio, ex quo deducitur Hydropem dictum *Timpanitem*, propriè in ſententia Hipp. non eſſe Hydropem, quia non eſt redundantia aquæ in eo, ſed flatus, & ſolùm impropriè Hydropem dici, & per ſimilitudinem, quia ſicut venter in Hydrope aqua intumeſcit, ita flatu etiam in eo collecto intumeſcit, & ob hanc tali de cauſa intumeſcentiam, & inflationem Hydrops dicitur, & talem dixit *Hipp. aphor.* 11. *libr.* 4. ubi Hydropem *Siccum* nominat; Siccum ob aquæ deficientiam, Hydropem ob inflationem ventris à flatu, & licèt huic Hydropi ſicco conjungatur tractu temporis aqua, in principio tamen ſolus flatus eſt ſenſibilis, quidquid in contrarium afferat *Martianus in com. text.* 614. acutorum *verſ.* 373.

Ideò retinendo communem ſententiam Scholæ Medicæ affero, tres eſſe differentias Hydropis, *Aſcites*, *Anaſarca*, *Timpanites*.

Aſci-

Aſcites eſt *Aqua intercus in ventre*, ſeu *collectio aquæ in ventre*.

Hujus cauſas tres invenio in *Hipp. lib. de intern. affectionibus*. Prima à colliquatione, ſecunda à tuberculis aquoſis, tertia ab errore externo.

De colliquatione loquitur Hipp. *lib. cit. n.* 24. ubi habet: *Pinguedo colliqueſcit, & à calore, qui in pituita eſt fit aqua*. Colliquationem in corpore dari non ſolùm humorum, ſed pinguedinis, & carnis, oſtendit *Diabetes*, in quo totum corpus gracileſcit, & venæ exinaniuntur, & fluxus alvi colliquativus dictus, dum brevi tempore totum corpus ab hoc extenuatur, ac ſi totum in liquorem excretum abiiſſet, in febribus hecticis, ardentibus hujuſmodi colliquationem, & fluidi, & ſolidi obſervamus, & ex pinguedine urinis ſupernatante olei inſtar colliquationem arguimus.

In allata Hipp. ſententia, duo conſideranda veniunt: Primò pinguedo, quæ colliqueſcit. Per pinguedinem poſſumus intelligere omne illud compactum in corpore exiſtens, quod eſt aptum fluere, quia fluxibilitatis capax, ſicut pinguedo, quæ licèt ſolida, à tenui etiam igne colliquatur, ut fluat ad inſtar humidorum, & cum carnes colliquationi ſubjiciantur, ratione hujus dici poſſunt pinguedo, quia cum hac conveniunt ſub formalitate aptitudinis ad colliquationem. Carnes colliquari, ut colliquamentum fluat, teſtatur Hipp. *in lib. de affect. num.* 23. ubi hæc habet: *Cùm quis ex longo morbo impurgatus manet, corrumpuntur enim carnes, colliquantur, & fit aqua*; & inferiùs ſubdit: *Cùm carnes à pituita, & tempore, & morbo, & non purgata immunditia, & mala curatione, ac febribus corruptæ fuerint, liqueſcunt, & fit aqua*. Humores verò, & maximè illorum pingue, & oleoſum, à quo accenſio perennis ſanguinis conſervatur, ac craſſum, quod pituita nuncupatur, ſub quo etiam fibra ſanguinis comprehenditur colliquationis, ſunt ſubjectum magis proprium: de hac colliquatione locutus eſt Hipp. *in lib. de intern. affect. n.* 25. ubi habet: *Et cùm in pectoribus fuerit calorem vehementem exhibet, ut pinguedo, quæ in arteriis ineſt, colliqueſcat, & ſi ſemel liquari pinguedo inceperit, multò amplius in brevi tempore aquam inter cutem facit*.

Ab hac Hipp. ſententia docemur, colliquationem in propoſito textu expreſſam eſſe intelligendam potiùs de pinguedine ſanguinis, & de iſtius partis craſſæ attenuatione, & fluxibilitate capaci, quàm de pinguedine carnium, & de iſtarum liquamine, quia licèt in diabete, & fluxu alvi colliquativo, & pinguedo, & caro evaneſcat, ſemper tamen dubitavi, quomodo, & qua via dictum colliquamentum vaſa ingrediatur, prout ingredi debet, ſi per urinam, & alvum excernendum ſit. Sed cenſui colliquatum ſanguinem incongruem eſſe nutritioni, & hac deficiente, & pinguedinem, & carnem ſenſibiliter reſolvi, & ſanguinis colliquamentum, vel per urinam, vel per alvum expurgari. In pinguedine ſanguinis colliquata habemus cauſam materialem Hydropis. Alterum notandum eſt in illis verbis, *à calore, qui in pituita eſt*, & deſignatur cauſa efficiens Hydropis à colliquatione; hæc eſt calor, & oſtenditur à natura ipſius colliquationis, quæ fit à ſolo calore, & experientia confirmatur.

Hydropem colliquativum ſemper præcedere, vel febres acutas, & etiam longas, & inflammationes, & in his Hydrops ſuccedens cum totius extenuatione à colliquatione dicitur.

Hunc calorem Hipp. in pituita reponit, quia agit de Hydrope colliquativo; qui fit à pituita, ut apparet in verbis in principio textus appoſitis: *A pituita maximè in aquam inter cutem tranſitus fit*. Hæc verba ſupponunt in ſanguinis maſſa pituitæ copiam, cujus colliquatio tranſitum ad Hydropem parat cavitatem ventris implendo, quæ non à pauca, ſed à magna copia fluidi ſolùm impletur cum tumore. Ut colliquetur pituita neceſſarius eſt calor, & præternaturalis excedens, qualis eſt febrilis, quem innuit Hipp. in hoc textu, dum ait, *& febres ſuccedunt*. Ab hac propoſitione particulari Hydrops colliquativus fit à calore in pituita præternaturaliter exiſtente, quando aptus eſt colliquare pinguedinem; poteſt verè deduci hæc propoſitio univerſalis à quocumque calore præternaturali apto pinguedinem ſanguinis colliquare, & in aquam mutare. Hydrops colliquativus poteſt fieri, ſi in ventrem colliquamentum colligatur quæ conditio eſt neceſſaria ad conſtituendum Hydropem à colliquatione, non ſatis eſt, quod pinguedo, humores, & carnes à colore colliquentur, ſed requiritur, quod in capacitatem ventris colligatur aqua à colliquatione reſultans; hanc conditionem expreſſit *Hipp. in cit. verbis primi textus, à pituita maximè aquam inter cutem*, hoc eſt in cavitate abdominis.

Ab hac Hipp. ſententia deducitur, cum eo non ſentire Medicos illos, qui omnem Hydropem à caloris deficientia prædicant, nam per colliquationem à calore fit ex Hipp. ſententia Hydrops.

Quomodo verò, & qua via aqua à colliquatione congregata in ventrem deſcendat, Hippocr. hoc in loco non oſtendit, in ſequenti verò textu hoc demonſtrare videtur; certum tamen eſt aquam à colliquatione eſſe in arteriis, & per eas, vel meſſenterii, vel inteſtinorum, vel glandularum iſtorum in cavitatem abdominis depluere.

Signum hujus Hydropis eſt, calor manifeſtus vel in toto, vel in parte cum exceſſu.

Prognoſtica habentur in illis verbis textus: *Cognoſces autem hoc, an quis ſanari poſſit, aut non, donec enim quis in pectine pinguedinem habet, fieri non poteſt, ut ipſum ſanes. Cognoſces autem ex his maximè, an pinguedo inſit in pectine, aut non, ſi quidem febres ſuccedant, & non poteſt exurgere* (legit *Foeſius*, *non poteſt reſpirare*) *& umbilicus inflatus extra prominet, indicium eſt non ampliùs ineſſe pinguedinem, & ſanabilem eſſe*. Ab hoc Hipp. prognoſtico videtur poſſe deduci pinguedinem, quæ colliquatur in hoc Hydrope eſſe illam carnium, cùm colliquata illa pectinis ceſſet colliquatio, & ideò ſanabilis eſt Hydrops, cùm non adſit ampliùs pinguedo, à cujus colliquatione poſſit conſervari Hydrops, & colliquamentum in ventre collectum, vel evacuari, vel exſiccari poteſt, nec difficilis ab aliquibus judicari poteſt via pinguedinis colliquatæ in carnibus ad ventrem, per venas in carnibus diſſeminatas, quæ abſorbendo pinguedinem colliquatam arteriis conſignant, & ab his ventris cavitatem.

Verùm ex eis, quæ ſcripta ſunt à *Malpighio* de pinguedine, & de vaſis adipoſis in ſacculis membranoſis collecta, manifeſtum fit à venis per carnes diſperſis non reaſorberi liquefactam pinguedinem, cum venæ carnium dictos ſacculos non penetrent.

Nec deficientia totalis pinguedinis in pectine, eſt ſignum futuræ ſanationis hujus Hydropis, ob allatam jamdudum rationem de colliquamento pinguedinis in carnibus. Applicari tamen poteſt pinguedini imi ventris, de qua loquitur Hipp. (legit enim *Foeſius*, *pro pectine imo ventre*) & quamdiu pinguedo eſt in hoc, non eſt expectanda curatio; nam conſervatio pinguedinis in imo ventre connotat in maſſa ſanguinis oleoſam, pinguem, & concreſcibilem materiam, à qua pinguedo conſervatur, & qua liquefacta Hydrops fovetur, & augetur. Idcircò talis Hydrops ſupponit vitium in imo ventre non in maſſa ſanguinis, prout enunciavit Hipp. in ſupradicto textu.

A tuberculis Hydropem deſcribit Hippocr. *eodem lib. num.* 25. *Quod autem fiat à tuberculis aqua inter cutem teſtimonium habeo, & in Bove, & in Cane, & in Sue; in his enim quadripedibus maximè fiunt tubercula in pulmone, quæ aquam habent; ſi enim diſſeccaveris, citiſſimè cognoveris, fluet enim aqua; videntur tamen talia multò magis in homine fieri, quàm in pecoribus, quanto etiam morbidiore diæta utimur*.

Similes veſiculas inter peritoneum, & inteſtina obſervavit *Aetius Tetrab.* 3. *ſerm.* 2. *c.* 20. & earumdem mentionem facit *Arateus* 2. *dict.* 1. *Cordeus in com.* 1. *lib. Hipp. de morb.* recenſet in cujuſdam mulieris hydropicæ cadavere, *Cyſtes ex omnibus viſceribus pendulas fuiſſe animadverſas aqua citrina turgentes, quæ octogenarium numerum ſuperabant*, & ſimilem Hydropem ex veſiculis in abdomine aqua plenis obſervavit *Senert. lib.* 3. *pract. cap. de Hydrope. Tulpius* in meſſenterio *lib.* 2. *obſerv. cap.* 34. *Hoeferus lib.* 10. *obſerv. pag.* 513. *&* 529. *Bartol. centur.* 4. *Epiſt.* 570. viderunt, & liene obſervit *Schenkius lib.* 2. *obſerv. Plater. in lib. obſerv. p.* 196. ubi refert Hydropem ex lienis, & hepatis veſiculis inſignes

ſignes veſiculas in hepate vidit *Panarolus obſerv. 16.* Ruptis his veſiculis effuſio aquæ in cavitatem ventris eſt evidens, & ſi ſit continua per apertas veſiculas, evidens eſt etiam cauſa intumeſcentiæ ventris, & Hydropis.

Cognovit has veſiculas Hipp. & aqua impleri, & ex earum ruptura Hydropem fieri percepit, & docuit, ut patet *ex cit. text.* de earum origine, & cauſa locutus non eſt, quia beneficio Anatomiæ harum cauſæ dilucidatio habetur; nil mirum, ſi Hipp. incognita, cujus tempore Anatomes vix lactabat. Detecta ſunt poſt tot ſæcula ab Hipp. vaſa lymphatica, ita dicta, quia lympham continent, hæc vaſa à glandulis, quibus appenduntur tamquam vaſa excretoria diramantur, & deſtinantur ad recipiendam Lympham, quam præparant glandulæ in ſua ſubſtantia ex materia ſeroſa ab arteriis illis implantatis ſuſcepta.

Hujuſmodi vaſa lymphatica diſſeminantur copioſa ramificatione per magna viſcera in abdominis cavitate contenta, Hepar, lien, renes, teſtes utriuſque ſexus; per hanc cavitatem excurrunt omnia vaſa lymphatica ab inferioribus partibus ad receptaculum commune, nempè ad glandulam magnam in medio meſſenterii collocatam, quæ aſcendendo in hanc terminum inveniunt, humoremque contentum tamquam in Cyſternam deponunt, ad quam tendunt etiam vaſa lymphatica ab ambitu corporis ſubtus Diaphragma diramata, iſtis adduntur venæ lacteæ, quæ innumeris ramificationibus meſſenterium perfodiunt, & quæ non ſunt niſi vaſa lymphatica, cum textura ad invicem conveniat, & non differant, niſi in ratione liquoris, quem devehunt. Lymphatica vaſa lymphæ circulanti à glandulis ad venas, & ab his ad arterias ſerviunt, vaſa lactea ſunt vehiculum chyli ab inteſtinis ad glandulas meſſenterii, ab his ad glandulam communem lumbarem, à qua per ductum thoracicum ad dexterum cordis ventriculum transfertur mediis ſubclaviis, quibus inſeritur ductus thoracicus.

Hæc principia ab Anatome non ſolùm illuſtrata, ſed demonſtrata evidentem reddunt modum, quo fit Hydrops ab Hipp. deſcriptus.

Hydatides turbercula, ſeu veſiculæ ab Hipp. nominatæ fiunt, vel quia vaſa lymphatica obſtruuntur, vel quia dilatantur: obſtruuntur, quando cum humore lymphatico, aliquæ particulæ humoris craſſi miſcentur, quæ paulatim adhærentes lateribus vaſorum tamquam gluten ſenſim etiam totam cavitatem vaſorum obſtruunt, eo modo quo particulæ tartari terrei aquæ per tubum decurrentis paulatim proprio pondere præcipitatæ tartarum ſenſim in maſſam excreſcere faciunt, ut tota tubi cavitas impleta aquæ fluxui locum non relinquat: remorata lympha ab obſtructione in loco huic proximo colligitur in tanta copia, ut vas diſtendat, & in diſtenſione Hydatidem, ſeu veſiculam efficiat, quæ à fluente lympha, & à vi ſui motus, quo impellitur in vas, & à vi ponderis à copia contracti ſemper magis, & magis dilatatur, eo modo, quo à ſanguine arterioſo dilatatur arteria parum, & ab impetu ſanguinis continuo aucta dilatatio in magnum tandem tumorem, & aneuriſma excreſcit; quouſque vaſa lymphatica dilatationis ſunt capacia Hydatides, ſeu veſiculæ ſemper à fluxu lymphæ dilatantur; quando verò non ſunt dilatationis capacia rumpuntur, & lympham in cavitatem abdominis transfundunt, eo modo quo aneuriſma rumpitur cum continua ſanguinis effuſione, quando membranæ arteriæ non eſt capax ulterioris dilatationis, & adeſt cauſa impulſiva dilatationem majorem tentans, ita veſica à continuo impulſu aeris ad extremam dilatationem ducta à novi impulſu aeris diſrumpitur, & incarcerato aeri libertatem concedit.

Hoc modo fit Hydrops in Cachexia, in qua humor craſſus abundat, & cum lympha, vel iſtius materia vaſa lymphatica ingrediens hæc obſtruit cum aliis conditionibus ſupradictis. A tumore in abdomine, in liene, & in hepate, in renibus comprimente vaſa lymphatica partium adjacentium fit obſtructio, & Hydrops, & ſi ab humore tumorem in parte efficiente comprimantur vaſa, maximè in ſuperficie partis exiſtentia obſtruuntur, ut liberè lympha circulari non poſſit, ab obſtructione dilatatio, à dilatatione ruptio, ab hac fluxus lymphæ continuus in abdominis cavitatem, qua impleta, & intumeſcente ventre adeſt Hydrops. Hujuſmodi obſtructio ab humore craſſo facilè ſuccreſcit circa valvulas vaſi lymphatici, cùm circa has retardetur aliquantulum lympha à ſuo motu, & in hac mora particulas craſſi humoris, quas continet lympha, ibi deponit cum obſtructione vaſis.

Signa hujus Hydropis ſunt abundantia humoris craſſi, cacochimia pituitoſa, tumor in aliqua parte abdominis, obſtructiones tactui ſenſibiles, eo modò quo poſſunt eſſe ſenſibiles.

Sine obſtructione dilatantur vaſa lymphatica, & Hydatides conſurgunt, quando copia Seri in ſanguinis maſſa, adeò excreſcit, ut vaſa lymphatica ſint impaа ria ad eum per corpus vehendum, & contingit vaſis lymphaticis, quod contingit vaſis ſanguifluis in magna redundantia ſanguinis, à qua primò diſtenduntur, & poſtea diſrumpuntur ita vaſa lymphatica à Seri, ſeu lymphæ redundantia diſtenduntur, poſtea diſrumpuntur.

Serum in copia colligitur à ſuppreſſa urina, vel ab aliqua cauſa à ſuo curſu ad renes diſtracta, ideò facilis Hydrops ab hujus ſuppreſſione inſurgit, & in Hydrope urina pauca exit; Seri copiam augent immoderatæ ſanguinis evacuationes, & fluxus alvi, dum calorem nativum, & fermenta digeſtiva alimentorum, & chyli depurativa debilitant, unde chylus in maſſam ſeroſam, aquoſam abit minimè miſcibilem ſanguini, nec in hunc mutabilem, non ſolùm ob dictam cauſam, ſed vitio ipſius ſanguinis in actione debilis, ob copioſos ſpiritus in dictis evacuationibus diſſipatos, ideò facilis eſt Hydrops in iſtis evacuationibus immoderatis. Prohibita tranſpiratio, qua fuligines, & vapores retenti in aquam abeunt ad augmentum Seri concurrunt; hanc prohibitam tranſpirationem in Hydropicis probat difficultas ſudoris per Diaphoretica; & per balneum. Evacuationes ſolitæ retentæ Hæmorrhoidum, menſium, & etiam per alvum copiam Seri ſubminiſtrant, ſicuti purgationes in febribus intermiſſæ, de quo loquitur Hipp. *in lib. de affectu num.* 20. & etiam in aliis morbis, ut habetur in eodem *lib. numer.* 25. ubi rationem reddit, cur iſti Hydropes ſint periculoſiores, his verbis, *Cùm corpori à præſenti morbo debilitato, alius morbus acceſſerit, præ imbecillitate perit, priuſquam alter morbus, qui poſterior acceſſit deſinat.* Immoderatus, & intempeſtivus aquæ potus, maximè poſt magnam corporis incaleſcentiam, hydropi ſeroſo occaſionem præbet, quia tunc ob dilatationem vaſorum à calore factam ad vaſa lymphatica brevi, & præcipiti curſu defertur, à qua frigefacto poſtea corpore conſtricta vaſa, fiunt incapacia ad continendam aquam ſuſceptam, quapropter impetum in hæc dirigendo diſrumpunt. Hujus ſigna ſunt cacochimia ſeroſa, digeſtio alimentorum depravata, errata Seri congregationi conferentia, urinæ diminutio, retenta evacuatio, ventris detumeſcentia à Seri evacuatione, & poſt paucos dies reditus ad eamdem.

Venæ lacteæ utrique infortunio dilatationis, & obſtructionis ſubjiciuntur, magna quantitas chyli dilatat, & rumpit; hic à crapula frequenti Hydrops, quia in hac alimenta imperfectè diſſolvuntur, cùm ſit improportionata actio fermenti diſſolutivi, ſeu digeſtivi alimentorum quantitati alimentorum, unde maſſa chyloſa craſſa, quæ ritè non depuratur à fœcibus in inteſtinis, ſed retentæ in chylo has in venis lacteis relinquit obſtructionem parientes, cum aliis damnis ſupra deſcriptis. Poroſitates inteſtini, per quas chylus depuratus tranſit ad venas lacteas, dilatatæ viam aperiunt particulis craſſis ad lacteas. Hæc cauſa vitii lactearum communiſſima, & frequens cenſetur à Recentioribus, quibus favet experimentum *Boyl. in ſua Philoſophia experimentali parte ſecunda, pag.* 38. qui aquam ab Hydropico per paracenteſim extractam igne examinavit. Hanc guſtu nonnihil dulcem, colore verò turbidam obſervavit, & cùm ſuper ignem aquoſitas tenuis ſucceſſivè exhalaret primò liquor craſſiuculus inſtar albuminis ovi remanebat, qui ulteriori exhalatione in gelatinam ſpiſſatus fuit, donec tandem hæc gelatina in craſſa-

craſſamentum viſcidum ſiſterit, quæ cùm obſerventur in chylo, & in Sero nutritio, aquam illam chylum eſſe oſtendit. Extenuatio etiam totius corporis augmento tumoris hydropis proportione reſpondens ab eo fieri hoc augmentum probat, à quo corpus nutritur, & cujus ſedes, vel præparatio ſit in abdomine, in quo eſt tumor, tale eſt chylus. Signum hujus Hydropis eſt anticipata emaciatio totius corporis, cùm huic deficiat in extravaſato chylo alimentum.

Alteram cauſam addunt Recentiores corroſionem dictorum vaſorum, quam cognoſcere non potuit Hipp. quia non cognovit hæc vaſa. Fit hæc corroſio à Lympha acri, vel ob amixtionem alicujus fluidi acris, ut bilis, vel acidi nimis, ut ſucci pancreatici depravati in exceſſu, aciditatis, vel alicujus ſalſi, ut pituitæ ſalſæ, vel illius ſalſi ex mixtione bilis, & ſucci pancreatici reſultantis, ſi in ſalſedine modum exceſſerit, corroſio fit eodem modo quo fit in venis, ob texturam vaſis lymphatici corroſioni valdè aptam, vel quia humor lymphaticus ſuum curſum remoretur, & mora corrodit, etiam ſi pauca ſit acrimonia illius, ratione moræ, & texturæ valdè debilis, & minimè reſiſtitivæ agenti corroſivo.

A potu aquæ nimio fieri Hydropem docuit Hipp. *lib. cit. de intern. Affect. num.* 29. & obſervavit *River. cap.* 5. *lib.* 11. *Fonſeca lib.* 2. *conſul.* 39.

Hæc habet Hipp. *Alia aqua intercus ab his fit Æſtatis hora, ſi iter faciens per viam longam in aquam pluvialem; ac ſtabilem inciderit, & biberit de ipſa multum, & affatim. Si igitur carnes abſorbuerint, & continuerint in ſe ipſis aquam; ſeceſſus autem nuſquam fiat hæc patitur.*

Supponit caſus hominem Æſtatis hora, ideſt in hora majoris caloris diei iter facientem per viam longam, incidere in aquam pluvialem ſtabilem, ſeu ſtagnantem, & à magna ſiti cruciatum, ratione itineris longi, & caloris tempeſtatis in hora illius exceſſus, de hac bibere multùm, & affatim, ſeu ſine interruptione notabili, neque hanc per urinam, neque per ſeceſſum è corpore effluere, ſed intus permanere, & à carnibus abſorberi, in iſtiſque contineri. Per carnes intelligenda ſunt vaſa diſperſa per viſcera naturalia, quæ ſunt deſtinata ad recipiendam materiam à ventriculo ſuſceptam, & ab eodem præparatam; hæc vaſa ſunt venæ lacteæ per meſſenterium diſſeminatæ, & glandulæ hujus viſceris, quibus lacteæ venæ implantantur, & vaſa lymphatica à prædictis glandulis exeuntia, ſive hæc ſint continuatæ cum lacteis, ſive ſint ſeparatæ. Per carnem intelligendus etiam ventriculus, inteſtina, quæ ad carnem impropriè reducuntur, ut notat *Brunonus in ſuo Lexicon Medico* aucto. Hæc inquit Hipp. patitur *ſiquidem fuerit in carne calorem facit, & in ventre, & in corpore, ut pinguedo ventrem ambiens colliquetur. Hic quidem quamdiu iter facit, nihil mali habere videtur. Poſtquam autem iter facere ceſſarit, & Sol occiderit, ſtatim dolorem multum habet, progreſſu verò morbi attenuatur; ſi verò etiam cibi faſtidium accedat, multò plus attenuatur. Si verò cibos edere poterit, & ad laborem impotens fuerit, etiam amplius læditur, & pleriſque tumor in totum corpus deducitur.*

Aqua pluvialis ſtagnans retenta in carne, ideſt in ventriculo, & vaſis prædictis calorem accendit in his partibus, quæ ſunt in ventre, & propagatur calor per totum corpus. Hujus caloris cauſa petenda à natura aquæ pluvialis, & à conditione paluſtris. Aqua pluvialis eſt vapor aqueus in aere condenſatus, & ex condenſatione in aquam de novo redactus. Hic vapor in minimas particulas diviſus volitat in atmoſphæra, unà cum particulis diverſi generis deciſis ab aliis corporibus, & ad aerem translatis, dum vapor aqueus, & particulæ iſtius diviſæ adinvicem in tali determinata quantitate uniuntur, particulas diverſi generis proximas, & intermedias inter particulas aqueas, quæ condenſantur ſibi uniunt aqua in guttulas conglobata deſcendendo particulas diverſorum coporum in ſpatiis, per quæ tranſiit commorantes ſua viſcoſitate, qua corporibus adhæret rapit, adeòut aqua pluvialis non habeat rationem corporis ſimplicis, ſed mixti, ideòque putredini, aqua pluvialis eſt facilè obnoxia, ut adnotavit Hipp. *lib. de Aer. Loc. & Aq.* Aqua pluvialis ſtagnans eſt magis mixta, cum terreis exhalationibus impleatur; ab hac corpuſculorum extraneorum mixtione malum odorem, & ſaporem hæc aqua concipit, limpiditatem, & diaphaneitatem amittit, ex quibus putrida dicitur.

Particulæ extraneæ aquæ pluviali commixtæ, cùm ſint volatiles, ſunt fermentativæ, ideò retenta aqua pluviali in ventriculo, & ejus poroſitatibus, in inteſtinis, venis lacteis, & lymphaticis vaſis à calore naturali iſtarum partium corpuſcula prædicta fermentativa ad motum provocata, fermentationem inſignem in aqua promovent, per quam incaleſcit, & portio illorum ſanguini per eas partes præterfluenti communicata parem imprimit fermentationem, à qua incaleſcit multùm; unde calor excedens in iſtis partibus, qui univerſali maſſæ ſanguineæ communicatus totum corpus exceſſu caloris afficit; ab hoc calore ventris, ejus pinguedo, ideſt omentum, & meſſenterium colliquatur. In itinere continuato nihil mali habere videtur, quamvis nulla aquæ excretio ſucceſſerit, & totum corpus incaluerit, quia tranſpiratio copioſa in motu, & in calore aeris materiam moleſtam reſolvit, & quia ſpiritus animales, & vitales in motu abundanter explicati vires afflictioni morboſæ ſuperiores ſuppeditant, ut leviter feratur, ideò nihil mali preſentit. Ceſſante motu, occidente Sole tranſpiratio copioſa ceſſat, ſpiritus quieſcit, ideò moleſtia aquæ, & ſanguinis fermentantis fit ſenſibilis; & patiens dolorem multum habet, ideſt morbo corripitur; dolorem morbum indicare apud Antiquos adnotavit *Rhodius in notis ad Scribonium*, & colligitur à ſubſequentibus verbis Hipp. *progreſſu verò morbi attenuantur;* nulla facta eſt mentio morbi in ſuperioribus, niſi doloris, conſequenter pro dolore intelligit morbum, ſeu moleſtiam doloroſam corporis, quæ exprimitur à *Foeſio* cum verbis, *multum laborem exhibet*. Quiſnam morbus ſit hic, ſeu quale ſymptoma, non aperit Hipp. Puto tamen eſſe febrem, & videtur improbabile ventrem incaleſcere, cum colliquatione ſuæ pinguedinis ægrum ſitire, ejus viſcera reſiccari, extenuari, quæ omnia leguntur in textu, & non febricitare, & cum moleſtia doloroſa, ſeu labore, vel dolore circa ventrem; ab aqua particulis etiam irritativis imbuta in eo fermentante, hæc moleſtia per nervos, & membranas ventris toti corpori communicatur. In progreſſu febris, & moleſtiæ attenuatur æger cum macie, & citius, ſi cibum averſetur, vel parum de hoc aſſumpto ſatietur, reliquo rejecto, utroque enim modo dicitur æger cibum faſtidire; deficiente enim toti alimento in cibi faſtidio, macies univerſalis totum occupat. Si verò cibum aſſumat, & vires non conſerventur cum comparatione ad cibum, ut nullum opus vires vegetas requirens exercere valeat, à cibo magis læditur, quia ſymptomata augentur, vires deficiunt, alimento in pravos humores degenerante, à quibus fovetur morbus, & vires detrimentum patiuntur, & illis circulante ſanguine ſubtus cutim relictis, quia ibi ab ambiente extrinſeco condenſantur, vel amiſſo ſpiritu in corde ſuſcepto coagulantur totum corpus in exteriori ſuperficie intumeſcit, & Anaſarca fit; hoc non in omnibus, ſed in pleriſque fit.

Et tenui quidem color corporis lividus fit, & venter magnus, & ſitis fortis tenet, & viſcera ipſius fortiter reſiccantur à calore: progrediente verò tempore ad edendum promptus fit, & edit quæcumque quis dederit, & bibit, & dolet nihil.

Duos caſus Hydropis in hoc textu diſtinxit Hippocr. Unus, in quo corpus circum ſuum ambitum extenuatur, ventre excepto; alter, in quo ambitus corporis intumeſcit.

In *tenui*. Hoc eſt in extenuato exceſſus caloris viget, ut colligitur ex mox citatis verbis, à quo viſcera exſiccantur, inde ſitis; vaſorum humores aduruntur, inde color cutis lividus à ſanguine aduſto, ſeu incraſſato à viſceribus exſiccatis exprimitur ſerum, cibus à calore colliquatus, & fuſus auget copiam ſeri; ſerum à carnibus eſiccatis expreſſum, & cibi colliquari per apertam

ab

ab aquæ pluvialis copia portam in ventrem tranſeunt, vel per extremitates arteriarum in meſſenterio terminantium, vel per glandulas, & vaſa lymphatica dilatata, vel rupta. A calore exſiccata humiditate ventriculi ab aqua ſuſcepta, & à qua obtuſo, enervatoque ventriculi fermento eſurino inappetentia proveniebat, reſurgit appetitus, & edit, & bibit æger quodcumque ei oblatum fuerit. Ventre multùm tumefacto fame reſtituta nihil dolet æger, nam intumeſcentia ventris ad extremum deducta ulteriorem diſtractionem membranarum doloroſæ moleſtiæ cauſam non patiuntur, ideò non dolet; Aqua, & Serum ad cavitatem ventris impulſa, quando apertam non habet viam, hanc vi, & impetu quærit, quibus moleſtiam doloroſam partibus patientibus, & ſenſitivis infert, vel has primò afficiendo, vel per conſenſum partes eis proximas, & connexas cruciando, itaut cruciatus ſit etiam ſenſibilis illis, dilatata via Sero ad ventrem, prout evenit in multa intumeſcentia; hunc penetrat ſine vi, conſequenter ſine dolore.

Si verò tumor obtinuerit; legit *Foeſius*: *Quòd ſi tumor laxus detineat, color hic ſit pallidus, & venæ nigræ frequentes per corpus diſtenduntur, indignatur autem, & triſtatur ex quavis re etiam ſi nihil novi accidat, venter verò aqua perhumeſcit, & magnus ſit, & lanternæ ſpeciem præſefert, & temporis progreſſu cibos non admittit, ſed videntur ipſi odorem cucumeris ſylveſtris habere præ abominatione.*

Secundi caſus ſymptomata proponit, in quo tumor laxus, ideſt mollis tactui cedens, ſubvacuus, non plenus, nec preſſus foveam retinet, & eſt tumor ab humore tenui ſubtus cutim collecto, cum elevatione iſtius ſine tenſione, & duritie, hic humor tenuis cùm ſit aqueus, ſeroſus, colore pallido ei correſpondenti cutim tingit. Serum collectum in ambitu corporis, & in cavitate ventris deficientiam iſtius in maſſa ſanguinea parit, ſaltem ſecundùm eam portionem, à qua dilui, & minui poſſit ejus color atro purpureus, qui maximè apparet in venis talis ægri, in quo venæ nigreſcunt, & diſtenduntur, quia ſanguis parum fluidus ob Seri penuriam lentè circulando, in venis partium externarum corporis in copia colligitur, à qua venæ diſtenduntur, deficiens ferè ex toto tranſpiratio maſſæ ſanguineæ ob craſſitiem, copiam auget ſanguinis. *Triſtatur, & iraſcitur ſine cauſa*, quia ſanguis tardè circulans opprimit vaſa cordis, ab oppreſſione triſtitia, ibidem efferveſcens iram concitat, morbi afflictio, & triſtitiam, & iram ſine cauſa etiam parit. Venter perhumeſcit aqua, dum aqua repletur in tanta copia, ut valdè intumeſcat, tota ferè ſeroſitate ſanguinis per arteriarum extremitates, & è vaſis lymphaticis ruptis in cavitatem ventris depluente, ea excepta, quæ in ambitu corporis ſtagnat. *Venter lanternæ ſpeciem præſefert*, ideſt pellucet velut lanterna laminis corneis fabrefacta; prout mos erat Antiquis; pellucet, dum à magnitudine tumoris diſtendente, ventris integumenta ita attenuantur, & rareſcunt, ut pelluciditas aquæ ſit viſibilis. Deficit appetitus, dum Serum nutritium, à quo elaboratur in glandulis fermentum eſurinum, totum in ventrem defluit, & natura proſtrata elaborationem fermenti derelinquit. Putreſcens in ventriculo alimentum defectu fermenti digeſtivi, putredine ſpecifica odorem cucumeris ſylveſtris repræſentat. Hic caſus debet eſſe regula pro Hydrope aſcite cognoſcendo, & curando adveniente à quocumque magno potu, ita in magnis pòtatoribus frequentes habemus Hydropes; in febribus ardentibus etiam ſuperveniunt à copioſo potu aquæ.

Prognoſtica dat Hipp. in his verbis: *Et ſic curatus brevi à morbo liberabitur tertio menſe, aut ſexto; ſi verò negligentia aliqua contigerit, & non ſtatim curatus fuerit, brevi moritur.* Diſtinctiva colliguntur à deſcriptis ſignis.

Alteram cauſam Recentiores proponunt à circulatione ſanguinis petitam, Hipp. incognita, quando nempè ſanguis ab impulſu arteriarum non adeò facilè venas capillares ingreditur, ſed pauliſper immoratur in poroſitatibus carnium, vel orificiis venarum ob ſui craſſitiem contractam ab exhalatione portionis illius ſalſi, à quo fluxibilitatem accipit, vel quia longè diſtet à fonte caloris, cujus ope fluiditas conſervatur; qua de cauſa obſervamus partes à corde magis remotas intumeſcere; in hac morula ſanguinis Serum ei mixtum ſeparatur, & per carnes vicinas diſpergitur, & paulatim congregatum in tumorem partes elevat. Hujus cauſæ veritatem confirmat experimentum *Lovverii de corde cap. 2. f.* 123. Ligata enim vena cava canis infra cor, brevi poſt abdomen animalis intumeſcit, ac ſi Aſcite laboraret, & ligatis jugularibus tumor in capite ſeroſus Hydrocephali inſtar accedit ex ſola circulatione ſanguinis impedita, in cujus confirmationem accedit *obſervatio Bartolini cent. 2. Hiſtor.* 74. de Hydrope ex geſtatione gravioris ponderis orta, & altera *Borelli cent. 2. obſervat.* 24. ex compreſſione oris ventriculi Hydropem factum advertentis, nec hujus alia ratio aſſignari poteſt, quàm à pondere, & à compreſſione venas adeò preſſas fuiſſe in loco ponderis, & compreſſionis, ut advenientem ſanguinem ab arteriis liberè non reciperent, ſed ibi impedito motu circulationis expedito immoraretur cum ſegregatione Seri à ſanguine ibi circulante, à quo poſtea Hydrops. Confirmationem etiam habemus ab eis, quibus à motu pedes, & crura intumeſcunt, quia per motum tanta portio ſanguinis fluit per arterias, quam venæ reaſſumere non poſſunt, & à remanente ſanguine Serum ſeparatur, quod diſperſum tumorem facit, & quia fluiditatem conſervat, per quietem reſorbetur à venis, & evaneſcit tumor, ubi verò Serum craſſeſcit per moram tumor diuturnus, & fixus.

Ab hac cauſa pendet Hydrops ille, qui incipit à tumore pedum, & crurum, & paulatim aſcendit per coxas, & ſcrotum ad ventrem, quia impedita circulatione in partibus inferioribus ſanguinis, ſeparatum Serum diſpergitur per proximas carnes, & in tumorem attollit. Ab hoc tumore compreſſis venis aliarum partium ſuperiorum, in iſtis impeditur pariter libera circulatio, & Serum diffunditur, & permanet cum tumore illatum, & ſic paulatim tumor aſcendit ad ventrem, craſſities etiam ſanguinis ſola cum abundantia Seri eumdem tumorem producit. Hydrops verò, qui primò ab intumeſcentia ventris incipit à læſione vaſorum lymphaticorum, & venarum lactearum proficiſcitur. Alias differentias Aſcitis ab hepate, & liene proponit Hipp. *lib. de intern. affect. num.* 26. 28. quæ ſatis explicatæ manent à dictis de morbis iſtarum partium, & ab eiſdem curatio deducitur.

Cùm Hydrops à colliquatione ſit collectio ſolius pinguedinis carnium, & ſanguinis in cavitatem ventris, & pinguedine dicta colliquata, nullum augmentum, & conſervationem habere poſſit ab alio, ideò hac collectione pinguedinis ablata ſequitur hujus Hydropis curatio; hinc Hipp. unicam elicit indicationem *in cit. lib. de intern. affect. num.* 24. in his verbis, *huic conducit ventrem ſiccare.*

Hujus indicationis executionem incipit à Diœta. *Panem* exhibet, *cui nihil furfurum deceſſerit*, quia minus nutrit; qua de cauſa etiam exſiccat, & alvum lubricat, & ſiccitati confert; *antiquum*, hoc eſt ſiccum, durum, & calidum, quem ſitim inducere docuit Hipp. *lib. de rat. vict. in acutis num.* 18. & rationem reddit, quia præ calore exſiccat; idem facit præ ſiccitate, quando antiquus, & exſiccatus biſcoctum æmulatur; *Carnes Leporinas*, *& Caninas perfectas*, hoc eſt Canis perfecti mediæ ætatis, *pro obſonio* laudat, quia valdè ſiccæ, *Ovillam*, *Suillam*, *& Gallinaceam*, *ſed aſſatam*, ut humiditas pro majori parte exſiccetur concedit, ſicut *vinum nigrum auſterum*, *quam craſſiſſimum*, *& acerbiſſimum*, quia exſiccat; nec timet colliquationem majorem, quia auſterum, & acerbum deſiderat, & ab iſtis qualitatibus ſanguinis maſſa conſtricta colliquanti cauſæ reſiſtit, & ſpiritus à vino augetur vires à colliquatione lapſuras confirmans. Piſces ſicciſſimos pariter tribuit, apud nos tales ſunt Lucius, Perſicus, piſces ſaxatiles; inter marinos nominat *Gobium*, *Draconem*, *Scorpionem*, *Callionymum*, *Cuculum*, *omnes coctos* imperat, *nec recentes*, hoc eſt recenter captos, quia duri, nec facilè concoquuntur, maximè marini. Piſces frigidos etiam rejicit, quia digeſtioni reſi-

reſiſtunt. *Inſulſos*, *non ſalitos* probat piſces, quia colliquationem promovet ſal, ut in carnibus ſalitis obſervare licet; & juſculum attingere prohibet. Motum, exercitia commendat, & in tali menſura, ut cum cibo, & motu corpus exſiccetur, & gracilis fiat, prout monuit *li. de affect. num.* 23. Per motum attenuatur humor, & diſponitur ad exitum, vel per ſudorem, vel inſenſibilem tranſpirationem; *& ex oleribus raphanum*, *& apium*, quæ concedit, non ſolùm quia calida exſiccant, ſed quia diuretica, & collectam quantitatem humoris in cavitate ventris per urinam ducere poſſunt, & ſiccum ventrem reddere, & licèt via non ſit adeò manifeſta à cavitate ventris ad renes; experientia tamen docet viam eſſe, cùm à copioſo fluxu urinæ, aquas in ventre diminutas, & Hydropes curatos demonſtrent Auctorum obſervationes; & ſi per medicamenta purgantia certò conſtat ventres aqua turgidos detumeſcere, ducta aqua à cavitate ventris in cavitatem inteſtinorum, pro quo tranſitu nulla eſt manifeſta via, ita per diuretica poteſt ad renes duci. Ideò in hoc caſu, cum Hippoc. conveniunt diuretica, quæ probavit *in li. de vict. ration. in acut. num.* 62. in quorum numero ſunt *Radix Aſparagorum*, *Ononidis*, *Virgæ aureæ*, *Rubiæ Tinctorum*, *Hederæ terreſtris*, *Vincetoxici*, *Saxifragiæ*, idem præſtat *Milium Solis*, *Zedoaria*, *Grana Juniperi*, *Lumbrici*, *Millepedes*; ex quibus variæ medicamentorum formulæ parari poſſunt, v.g.

℞. *Rad. Virgæ aureæ*
Vincetoxici } *a.* ℥. *i.*
Ligni Juniperi
Rhaub. ʒ. *i.*
In ℔. *iii. Vini malvatici infund. ſtent in digeſtione ſuper cineres calidos per dies duos*, ℥. *iv. hujus Vini per quatuor vices omni die aſſumantur*, *addendo cuilibet doſi*
Spir. Lumbric. terreſt. gutt. viii.

℞. *Rad. Hederæ tereſtris*
Veronicæ } *a.* ʒ. *i.*
Abſinthii m. ii.
bull. in Vino generoſo vaſe clauſo in ℔. *ii. ad conſumptionem tertiæ partis*, *aſſumat* ℥. *iii. manè*, *& ſerò*, *cum* ʒ. *ii. Roob Bacc. Junip. & gr. vi. pul. Buffonum. præp.*

Idem præſtat *Lixivium paratum ex cineribus vitis albæ*; *Geniſtæ*, *cort. Fraxini*, *fol. Juniperi*, *his Vinum generoſum ſuper cineres calidos infundatur*, *& coletur*, *de hoc Vino* ℥. *viii. bis in die aſſumat æger*, *miſcendo Vino Cinamomum*, *Nucem moſcatam*. *Lixivium Mynſicht* propinari poteſt.

Diuretica non ſunt propinanda, niſi purgatione peracta, quam Hippocr. imperat, ſi Diœta deſcripta ventrem non exſiccaverit, cum *ſucco*, vel *Hippophais*, vel *grani Cnidii*. Nos utimur feliciter *ſucco radicis Iridis noſtratis per ſpontaneam reſidentiam depurato ad* ℥. *i.* addendo. ℥. *i. Syr. Viol. ſ. & aquæ Cinamomi* ℥. ß. *&* ℥. *iii. Vini*, *in quo infuſæ fuerint* ʒ. *iii. rad. rec. ejuſdem Iridis*. *Syr. de Spina Cervina ad* ℥. *iii.* mirificè, & ſuaviter purgat ſeroſitatem ventris. *Elaterium* eſt ſpecificum purgans in Hydrope ad *gr. viii.* & etiam *Bryonia præp. Radix Jalappæ à* ℈. *i. ad* ʒ. *i. & Rad. Mecheocan. à* ʒ. *i. ad ii.*

Notatu dignum eſt, quod ſubjungit Hippoc. nempè, *bibat autem Pharmacum in die bis*, *donec vacuus fiat*.

Hoc conſilium maximè ſequendum in Hydrope à colliquatione, cùm evacuato humore à colliquatione in ventre collecto æger ſit ſanus, non exiſtente novo humore, qui per colliquationem ſuccedere poſſit in locum evacuati. Ad hoc conſilium ſequendum perſuadet evacuatio bipartita, etiam in eodem die, quia minus debilitat, quàm ſi unico medicamento totus humor educatur ad ventris detumeſcentiam, dummodo medicamentum, quod in una vice eſſet exhibendum, dividatur per duas vices, quia tunc diviſa actio minus agit. Dubium eſſe poteſt, an exhibitio medicamenti bis in die ſit intelligenda de primo, vel poſt primam purgationem factam cum purgantibus propoſitis ſit reiteranda purgatio, donec vacuus ſit venter, dubium ſolvit texus Hippoc. dum poſt primam purgationem, abſterſivum, nempè *duas heminas lenticulæ* proponit, & etiam cibum, nempè *Panem parvum*, *& Vinum bibat acerbum modicum*. Poſtea ſubjungit, *bibat autem pharmacum bis in die*; hic modus deſignandi curam, purgationes ſeparatas oſtendit bis in die poſt primam purgationem. Ratio hujus remedii eſt purgatio, & ventris pleni exinanitio, cum virium conſervatione. Medicamentum bis exhibitum purgat ſufficientem humoris quantitatem, quæ per aliquos dies continuata ventris tumorem tollit, vires non debilitat, dum reficiuntur in tempore interpoſito inter primam, & ſecundam aſſumptionem purgantis.

Si aderit tumor in ſcroto, *fœmoribus*, *ac tibiis ſcalpello frequentia ulcuſcula aperit Hipp.* ſine timore gangrenæ, quæ adeò à Medicis timetur, ut tale remedium ab eis eliminetur. Pro hac vitanda docet *Vvilliſius*, primò fovere partem decocto aromatico in vino, & deinde robur partis conſervare.

Aliud remedium pro ſiccando ventre proponit *Hipp. li.* 5. *de morb. popul. num* 27. Hydropicum oportet ſudare, cùm ſudore totum, & partes exſiccentur; & indicatio Hippoc. in hoc Hydrope ſit ventrem ſiccare, patet tale auxilium etiam convenire. Sudorem elicere poſſumus decocto, ut ℞. *Ligni Junip.* ℥. *i. cum rad. Lappæ ſ. p.* ℥. ß. *Cornu Cervi* ℥. ß. *bull. in* ℔. *ii. Vini ad conſumptionem tertiæ partis*, *reliquum in duas vices manè*, *& ſerò aſſumat cum* ʒ. *i. Mixturæ ſimplicis*, *vel Syr. S. Ambroſii ex Milio*, *cum Olei Ligni Sancti* ℈. *i. Aquæ theriacalis camphoratæ* ℥. ß. *M.* Valet *Emulſio cum Sem. Aquilegiæ*, *Cardui benedicti*, *Napi a. q. ſ. extrahatur cum Aqua Scorzoneræ*, adde *Spir. ſeu Olei Juniperi* ℈. ß. *M.* Alia Diaphoretica vide ſuperiùs. Hujuſmodi remedia verè exſiccant, ſed ubi adeſt colliquatio videntur valdè ſuſpecta, etiamſi adſit ſignum deficientiæ pinguedinis in pectine.

Exterius applicari poſſunt exſiccantia ventri, ut *Aqua Calcis*, *Unguentum de Artanita*, *Martiaton*. *Emplaſtrum è Cochleis*, *cum corticibus*, *inunctio ex Oleo Scorpionum*, *Buffonis*, *folia Hederæ terreſtris*, pro exſiccando, ſi ventri apponantur, laudantur.

Perfecta methodus curativa cauſam materialem, & efficientem in morborum curatione reſpiciens exigeret, ut calorem colliquantem moderantia, & pituitæ copiam minuentia, & prohibentia proponerentur, cùm in his duobus cauſa efficiens, & materialis hujus Hydropis contineatur, quæ ab Hipp. prætermittuntur, non quia conſiderata, vel ignorata, ſed quia nota maximè; nam ait quoad calorem febrem adeſſe, & ipſa colliquatio manifeſta calorem manifeſtum declarat, à quo manifeſta oritur indicatio iſtius attemperationis. Cauſa materialis, nempè pituitæ copia, pro curatione exigit diminutionem, quam molitur Hippoc. propoſitis in textu purgantibus; præſervatio prohibentia ejus generationem requirit, at cùm de hac non agat Hippoc. ſed ſolùm de curatione, mirum non eſt, ſi hanc indicationem prætermiſerit.

Moderandus ergo calor refrigerantibus, cum *decocto Lactuc. Viol. End. Papav. errat. Nenuf Nymphcæ*, *ſem. Papaver. alb. Sero lactis*, cum *ſucc. dict. herbarum*; Opiata etiam ſummè valent, cum *emuls. ſem. frigid.* & præcipuè *Laudanum liquidum cydoniatum*, *pil. de Cinogloſſa*. Ad prohibendam generationem pituitæ, faciunt dicta de cachexia pituitoſa, dicenda de Anaſarca, & in ſpecie omnia aromatica ſunt tuta remedia.

Hydrops Aſcites à ruptis vaſis lymphaticis, vel corroſis cum fluxu lymphæ in cavitatem ventris, vel à ruptis Hydatilibus, ut placuit Hipp. qui curationem in *cit. lib. de intr. affect. nu.* 25. in Hydrope pulmonum aggreditur ſectione Thoracis pro extractione aquæ, exhibendo poſt ſectionem medicamentum interius ex *Silipo*, *& Ariſtolochia*, *& Eruo*, *& Lente torrefacta*, *& polenta* ex his duobus facta, cum melle, & aceto format paſtillos, quos exhibet. Modum exhibendi lege in textu, ſicut & modum ſectionis, & hujus curationis. Conſiderando hæc ſimplicia eſſe vulneraria, cenſui etiam Hippoc. mentem in horum exhibitionem, fuiſſe apertas, vel laceratas Hydatides conſolidandi, quæ eſt unica indicatio, deſumenda in curatione Hydropis Aſcitis à corroſione vaſorum lymphaticorum, & lacteorum.

Decocta ergo vulneraria ſola hunc affectum curare poſſunt, & hinc patet ratio demoſtrans cauſam curationis Hydropis Aſcitis ab eſu magno *granatorum*, & à

vino eorundem, quia vi conſtrictiva aperta vaſa lymphatica conſolidarunt; hanc eandem intentionem habet remedium tamquam arcanum in Aſcite commendatum ex *ſucco Plantaginis*, & *Hæpaticæ*, quæ ambo ſunt vulnerariæ; *ex horum ſuccis impletur Olla nova, paſta, & pelle ejus orificium clauditur, ponitur in furno, pane extracto circa latera Ollæ ignis accenditur ad conſervationem caloris furni, maneat donec ſucci ad ſpiſſitudinem ſint cocti; manè, & ſero exhibeatur cum Saccharo ad* ℥. *ii.* vel *iii. Decoctum Calcatrippæ, & florum Cyani* commendantur in Aſcitæ, & ſunt vulneraria; ſequens ab aliquibus magnificatur.

℞. *Rad. Hederæ terreſt.*
Raphani ſylveſtr. } *a.* ℥. ß.
Florum Hiperici m. ß.
bull. in Vin. ℔. *i.* ß. *ad conſumptionem tertiæ partis, manè, & ſero* ℥. *vi.* exhibeantur, addito *Balſamo Sulphuris terebinthinato.*

Vel

℞. *Decoct. Parietariæ,*
Mille folii,
Quinque folii,
Pimpinellæ ℔. *i.*
Julap. ex Terebinthina ℥. *ii.*

Hujuſmodi decocta vulneraria videantur in *Pharmocopea Quercet.* Advertendum vulneraria accipienda eſſe, quæ etiam ſint diuretica, quæ propoſui in tractatu de Dyſenteria, & de Ulcere renum.

Antequam verò ad hujuſmodi remedia deveniamus, purgandum Serum in vaſis exiſtens, & in cavitate ventris, remediis ſupradictis ad imitationem Hippoc. qui in Hydrope pulmonum ſectione aquam educit à cavitate Thoracis. Et ſi tumor excreſcat, reiteranda purgatio per intervalla eo tempore, quo vulneraria aſſumuntur.

Poſt purgationem reiteratam Epithemata ventri applicentur, quæ deſcribuntur ab *Aetio Tetrab.* 3. *ſerm.* 2. *cap.* 24. & præcipuè *Emplaſtrum Manus* dictum pro cera ad compoſitionem hujus deſcripta, utere pharmaco *pentatheton*, quod deſcribit *Tetrab.* 4. *ſerm.* 3. *cap.* 35. *pro ſucco Coriandri* utere *ſucco Fœniculi*, vel *Rutæ*. Decocta vulneraria idem præſtabunt. Non derelinquendæ poſt purgationem ligaturæ propoſitæ ab eodem *Aetio Tetrab.* 3. *ſerm.* 2. *cap.* 27.

Aſcitis à cauſa externa curationem proponit *Hippoc. in li. cit. de Affect. intern. num.* 24. Purgationem imperat, ſed modo ab aliis curationibus diverſo, *Cneorum per ſextam diem, Hippophais autem ſuccum per octavam, Cnidium verò granum per decimam diem.* Et indicat incipiendam purgationem à ſexto die morbi (legit enim *Fœſius, Cneorum quidem ſexto die*) Cauſam dilationis purgationis ad dictum tempus puto fuiſſe imminentem magnam moleſtiam, ab agitatione aquæ adhuc in primis viis exiſtente à medicamento purgante facta, & etiam cum periculo nullius evacuationis à quantitate aquæ facultate purgativa medicamenti oppreſſa. Intentio hujus purgationis triplicatæ intermiſſa ſolùm una die, inter unam, & alteram eſt, ut venter expurgetur, & vacuus fiat, itaut, ſi hoc non eveniat in tribus purgationibus, reiterandæ ſit modo deſcripto, uſque ad totalem expurgationem aquæ in ventre, quod facilè obtineri poteſt, cùm Hydrops ſit à cauſa externa, nempè ab epota aquæ copia, qua evacuata neceſſariò tollitur Hydrops, quod non evenit in aliis differentiis, quarum ſtatus fovetur, vel à colliquatione, vel à vaſorum ruptura, vel ab alia cauſa permanente; hac de cauſa Hipp. purgationem ad integram ventris vacuitatem non imperat in iſtis. Hunc purgandi modum imitari poſſumus cum noſtris purgantibus: primò *Syr. de Spina cervina*, ſecundò *ſucco Iridis*, tertiò *Semine Ebuli*, vel *Jalappa*, & iſtis præſcripta methodo utendum, donec venter vacuus evadat, quod eſt principale Hippocrat. intentum, interpoſito die inter unam, & alteram purgationem; Advertendo ſtatim imperandam purgationem, ſi Medicus poſt ſextam diem vocatus fuerit.

Cibandus æger cibis jam ſuperiùs recenſitis in aliis differentiis, cùm in die purgationis alio modo ſit cibandus, prout colligere licet ex dictis ſuperiùs. Huic purgationi ejuſdem aquæ, à qua Hydrops factus, addit aquam ad tantam quantitatem potus, ut alvum turbet, & ſeceſſum valdè moveat, quaſi familiaritate ſubſtantiæ aqua in cavitate ventris ingreſſura ſit vehiculum eductivum aquæ antea potæ.

Remedium hoc irrationabile valdè videtur exhibere pro remedio aquam, quæ fuit cauſa morbi, at tale non judicabitur, conſiderato modo, ſecundùm quem exhibetur, circumſtantia, & quantitate, & fine. Exhibet cum cibo, ut patet ex lectura *Foeſii*, eadem, quæ priùs in cibo ſumat, potiſſimùm verò ejus aquæ, ex qua in morbum incidit quamplurimum propinato; cum cibo exhibet aquam, ut hic obſtaculum ponat aquæ, ne expedito curſu, vel ad arterias, vel ad partem affectam fluat, ſed in ventriculo, & inteſtinis cum eo commoretur; exhibet in magna quantitate aquam, ut ſuo, & cibi pondere ad inteſtina feratur, & hoc non ſolùm, ſed etiam ſuis particulis irritativis, & fermentativis determinet naturam ad purgationem, per quam eadem natura coadjuvante, educatur etiam aqua in ventre congregata. Verùm cùm aqua fluxura ſit in ventrem per viam à præcedenti paratam, ſi alvum non moveat, pace Hipp. Præceptoris, non videtur remedium tutum, & præcipuè cùm pro alvo movenda tutiora habeamus remedia.

Addit poſtea: *Si tibi videtur, Clyſteres frequentes adhibeto*, quos ex ſuccis propoſitis purgentibus *Melle*, & *decocto Betæ* præparat. Poſtera die à Clyſtere *Lactis aſinini cocti cum Melle, & Sale heminas octo* ad purgationem novam exhibet, & poſt purgationem ait, *utatur iiſdem, ac prioribus, tam cibis, quàm potu; & deambulationibus.*

Ex his apparet totam curationem inniti purgationi per alvum, qua peracta modo deſcripto ab Hipp. non incongrua mihi videntur diuretica, ſed ſudorifica maximè convenient, cùm agat ibi Hipp. de curatione primi caſus, in quo ſuperficies corporis intumeſcit, prout ſuperiùs diſtinximus.

Secundi caſus curationem proponit in illis verbis: *Sed & in attenuato iiſdem utendum remediis ad ſanationem*, nempè purgatione, cùm eadem ſit cauſa, nempè redundantia aquæ in priori circa ventrem, & ambitum corporis, in hoc in ventre ſolùm. Ante purgationem verò fomenta paranda monet, ut evacuatio ſine dolore, & moleſtia perficiatur, & ſine magno virium lapſu; ſtatim ab initio purgatio aggredienda, non ſexta die, ut conſulit his verbis, *at verò ſtatim curam adhibere oportet*, quia vires debiles non permittunt dilationem; nam in multis ex dilatione conſeneſcit morbus. In utroque caſu utitur Clyſtere facto ex *Vino, Melle, Nitro Ægyptiaco rubro torrefacto, & ſucco Vitis ſylveſtris, ſeu Bryoniæ.*

Extrinſeca ventri applicanda, ſuperiùs dicta non negligenda; vel

℞. *Cataputiæ,*
Radicis Cucumeris Agreſtis q. ſ.
coquantur in muria, poſtea contundantur, contuſis, adde
Salis Gemmæ ℥. *i.*
Sulphuris vivi ℥. ß.
Stercoris Columbi ℥. ß.
cum dicta muria F. Emplaſtrum. Vel

℞. *Ebuli folia,*
Baccas, & radices Bryoniæ,
coquantur in aqua ſulphurata, iſtis contuſis, adde
Farinæ Fabarum ℔. *ii.*
Salis marini
Sulphuris vivi } *a.* ℥. *i.*
cum decocto fiat Emplaſt.

℞. *Picis ſiccæ* ℔. ß.
Ceræ ℥. *iii.*
Reſinæ Pin. ℥. *i.* ß.
Farinæ Fœnugræci, pulveris, vel
Feculæ Rad. Chamaleonis nigræ } *a.* ℥. *i.*
Baccarum Lauri pulv. ℥. ß.
Cymini ℥. *i.* ß. *a. F. Empl.*

Ultimam cauſam Aſcitis, dixi eſſe impeditam circulationem ſanguinis, vel à craſſitie contracta, vel ab obſtructione vaſorum; utraque cauſa eiſdem tollitur remediis, quæ ſanguinem fuſione attenuant, obſtructiones

ctiones tollunt, quæ obſtructa vaſa reſerant, ſanguinem etiam fundunt; unde duplex reſpectu Objecti, indicatio; una, quoad remedium; Altera indicatio deſumitur ab origine craſſitiei ſanguinis, & obſtructionis, quæ eſt vel vitiata concoctio alimentorum ab indiſpoſitione fermenti ventriculi, ob quam excrementis ſemper abundat, ideò purgationem, tam per inferiora, quàm per ſuperiora indicat, vel acidum in ſanguine excedens, vel in glandulis, & hoc correctionem, & moderationem indicat.

Pro vomitu excitando valet *Aſarum*, vel in ſubſtantia, vel infuſione in vino exhibitum. *Sal album Vitrioli*, omnia antimonialia in eis, qui facilem habent vomitum, majoris eſt utilitatis, quàm purgatio, quæ exequenda *Agarico*, *Turbit*, *Senna*, *Helleboro nigro*, *Throcis Alhandal. Fil. de Agarico*, *Aggregat. Aurear. Cochi. Syr. de Polyp. ſol. Mel. Roſ. ſol.*

Materia obſtruens vaſa, vel ſanguinem incraſſans, & ipſa purgatione indiget, ſed priùs præparanda, fluxibilis enim facienda, vel à ſanguinis particulis aliis ſegreganda.

Hinc præparantia ſunt neceſſaria, & efficaciora deſumuntur à *Marte*, *Tartaro*, *& Antimonio*, & à vegetabilibus ſale volatili, acri, vel aromatico præditis.

Martialia dicuntur Sacra Anchora in iſtis affectibus; valet *Mars* ſimplex, ut propoſui *de Cachexia*, *Oximel. chalybeatum*, vel *Electuarium*, vel *Vinum chalybeatum officinale Tinctura Chalybis*, & præcipuè *ex ſucco pomorum præparata*, *ſpiritus Vitrioli*, *Martis*. Alias præparationes vide in *Schrodero*, *Hoffmano*, *in Clavi Schroderiana*, & *Etmull. tom.2.*

Ab Antimonio habemus *Antimonium Diaph. Tinctura Antim. Nitrum ſtybiatum.*

Tartarum reducitur ad tincturam, ad ſpiritum, ad ſal volatile, terram foliatam, tartarum chalybeatum. Nolo præterire medicamentum in hoc caſu efficaciſſimum ab *Aetio* propoſitum ſub nomine *Antidoti de Hiperico Tetrab.* 3. *ſer.* 4.

℞. *Chamædryos* ℥. *ii.* *&* ʒ. *ii.*
Centaureæ ℥. *ii.*
Ariſtolochiæ rot. ℥. *i.* *&* ʒ. *vi.*
Rad. Gentianæ ℥. *i.* ß.
Comæ Hyperici ℥. *i.* ʒ. *ii.*
Petroſelini ℥. *i.*
Mei athamatici ʒ. *vi.*
Phu pontici ℥. ß.
Agarici ℥. ß.
Mel. deſpum. ℥. *ix.*

Unumquodque per ſe contundito, & cribrato, deinde ponderata ſimul miſceto, ac rurſus cribrato, quo accurata permixtio fiat, deinde Melli deſpumato admiſceto, ac paſtillos formato pondere ʒ. *i.* *& unus pro vice exhibetur.* Uſus *manè poſt deonerationem ventris; diſſolvatur in aquæ calidæ medicamentum* ℥. *ii.* ß. *Poſt medicamentum deambulet æger.* Alias virtutes hujus magni remedii videat Lector *in cit. loc. Si unciæ iſtius remedii addantur* ʒ. *iii. Chalybis*, ſupra porfidum in pollinem optimè redacti, itaut Chalybs incaleſcat, efficaciſſimum in hoc morbo, & aliis ſimilis conditionis ab humore craſſo habebis remedium.

Inter vegetabilia numerantur omnes herbæ cœphalicæ; formulas medicamentorum multas propoſuimus de Cachexia; aliæ proponentur de obſtructionibus in genere.

Sanguinis miſſio in omni Hydrope Aſcite excluditur; in unico ſolùm caſu Hippoc. Magiſtro *in lib. de rat. vict. in acut. num.* 62. mittendus ſanguis, nempè ſi difficulter ſpiraverit in tempore æſtivo, prout legit *Martianus*, contra *Dioſcoridem*, & *Marinellum*, qui legunt *tempore verno*, & ſimul virium robur adſit, & ætas viguerit, & loquitur Hipp. de difficultate ſpirandi, quæ in principio Hydropis ſuperveniat fluente cum impetu humore à maſſa ſanguinis ad pulmones; hunc fluxum efficaciter promovet æſtatis tempeſtas in hoc caſu, viribus ſtantibus, & ætate florente, venæ ſectionem admittit Hipp. dum ait: *Si verò difficulter ſpiraverit, & tempus vernum fuerit, & ſimul ætas viguerit, & virium robur adſit, de brachio ſanguinem mittere oportet.* Vigor virium, ætatis robur ſunt permittentia, fluxus materiæ ad pulmones eſt indicans, ab hac Hipp. ſententia interdicitur miſſio ſanguinis in difficultate reſpirandi, quæ proveniat à tumore hydropico ventris diaphragma comprimente, quia in tali caſu adeſt virium languor, & ſuccedit etiam tempore hyemali, talis difficultas interdicitur etiam in reſpirandi à tumore Hypochondriorum comprimente diaphragma, ut notat *Martianus in commento cit. loc.* quia venæ ſectio his tumoribus non opitulatur, nec iſtos minuit, ut Diaphragmati liber relinquatur motus.

CAP. XL.

De Anaſarca.

HAnc Hydropis differentiam deſcribit *Hippoc. li.* 2. *de morbis num.* 69. his verbis ſub titulo *Pituitæ albæ*: *Intumeſcit totum corpus albo tumore* (intumeſcit ob ſtagnationem copioſi humoris in carnibus cuti propinquis, & contiguis) tumor eſt albus (quia talis coloris eſt humor ſtagnans, certum eſt enim cutim colorem aſſumere ab humoribus, à quibus irrigantur partes, quas immediatè tegit) *& venter ad contactum craſſus eſt pedes*, *& fœmora tument*, *tibiæ item*, *& ſcrotum*, ſunt verba textus (Venter craſſus ad contactum, quia tactui reſiſtit, reſiſtentiæ conjungitur tumor, ut colligitur ab illis verbis, *intumeſcit totum corpus*, partes deſcriptæ tument eadem de cauſa. Hi tumores partium magnam redundantiam humoris excrementitii in corpore deſignant) *& acervatim reſpirat* (id eſt frequenter, cumalatè, dum in univerſali tumore corporis muſculi intercoſtales tument, & ex tumore impotentes ſunt ad reſpirationem dilatatam exequendam, ſed ad frequentem, & citò repetitam coguntur) *& facies rubicunda*, hoc eſt ruffi coloris lixivialis, qualis in lixivio copia ſalis ſaturato obſervatur ex atro, & albo æquali ferè portione reſultans; talem colorem ichoroſitas ſalina in corpore repræſentat, ut patet in ſcorbuticis. De hujuſmodi colore locutus *Hippoc. li* 3. *epid. in ægro* 12. *li.* 2. *epid. ſect.* 1. *n.* 36. & ratio deducta à *n.* 20. *li. de Affect. Hipp.* mihi videtur clariùs explicare cauſam coloris rubri faciei, & albi totius corporis; ibi hæc habet: *Verum corporis color albidior apparet, ſanguis enim à pituitæ copia aquoſior, & non ineſt ſimiliter in ipſo bonus color, quapropter albidiores apparent* ob copiam Seri in ſanguine, à qua color purpureus diluitur, & Seri limpidus prædominatur, unde albus color. *Facies rubet*, quia ſanguis tenuior; levior, quia ſpiritoſior in majori copia, quàm Serum per arterias aſcendentes impellitur prævalente colore iſtius purpureo ſupra colorem limpidum Seri, unde facies rubet. *Et os ſiccum*, *& ſitis tenet*, quia humor ſalivalis craſſus non fluit à vaſis ſalivalibus, nec in glandulis parotidibus præparatur, dum ejus materia per totum corpus diſpergitur, unde nec fauces humectantur, nec palatum, ideòque os ſiccum remanet cum ſiti.

Et ubi cibum accepit, *ſpiritus frequens incumbit* (à cibo inflatus ventriculus deſcenſum liberum, & expeditum diaphragmatis impedit, ex quo citò, & frequenter elevatur, ideòque reſpiratio frequens) *Hic eadem die quandoque melius habet*, *quandoque pejus* (ventriculo vacuo melius habet, pleno pejus, humor in corporis ambitum diſperſus, ſi attenuatur, moleſtiam infert, cùm condeſatur cedit moleſtia)

Ab hac ſententia colligimus definitionem Anaſarcæ, eſſentiam exprimentem, & eſt *Tumor totius corporis conſiſtens*, *cum mutatione coloris ad album ab humore excrementitio*. Hanc definitionem Anaſarcæ convenire ab eis, quæ communiter admittunt Scriptores confirmatur, cùm tumor totius valdè excedens habeatur pro formali conſtitutivo Anaſarcæ. Nec audiendus *Petrus Salius* in commento hujus loci, determinans Hipp. in hoc loco non loqui de Anaſarca, eò quia hæc ab hepate debili chylum in pituitam tranſmutante proficiſcitur, ſed de pituita alba ab alimentis frigidis, & humidis cumulata, cum facultate hepatis robuſta, quia innititur fundamento falſo, nempè hepar ſanguificare; & allata ratio differentiam cauſæ, non differentiam eſſentiæ demonſtrat, cùm à quacumque cauſa proveniat, eſt ſemper tumor excedens totius, & perdurans.

Cauſam in hoc textu non declarat Hippoc. videtur tamen hanc præpoſuiſſe *li.* 3. *de Diœta numer.* 14. dum ait : *Alii porrò, quidam talia patiuntur, faciem decolorem habent, & ubi comederint, paulò poſt eructant acida, & acor in nares proſerpit*, adeò tanta eſt aciditas, ut odore percipiatur. *His corpora pura non ſunt . Et plus eſt, quod de corpore colliquatur præ labore, quàm quod purgatur præ circuitu* (hoc eſt, plus eſt illud, quod ſeparatur excrementorum per motum, laborem, & exercitium, eò quia corpora ſunt impura, & multis excrementis redundantia, quàm ſit illud, quod per omnia corporis emunctoria alvum, veſicam, os, nares, aures, & cutim excernitur è corpore) ita puto intelligendum eſſe illud *præ circuitu*, quaſi excrementa per circuitum in corpore neceſſariò moveantur, ad hoc ut in propriis receptaculis ſeparentur pro ſui expulſione. *Et hoc ſanè* (hoc eſt excrementum illud, quod ſeparatur, & non purgatur) *intus manens alimento contrarium eſt, ipſumque violat, & acidum facit . Alimentum quidem igitur eructatur* (hoc eſt ejicitur è vaſis) *illud verò ipſum ſub cutem expellitur, & hominem decolorem facit, & morbos ſimiles aquæ inter cutim parit.*

Quatuor in hac ſententia adnoto, quæ concurrunt ad cauſam totalem Anaſarcæ conſtituendam per Hippocratem. Primò ventriculum debilem, & alimenta in acidum convertentem excrementum; debilis eſt ventriculus, quia poſtquam alimenta ſuſceperit, evomit, quod eſt ſignum morboſæ indiſpoſitionis, per quam debilis dicitur. Quòd alimenta in acida excrementa convertat, patet, quia quod evomit æger, eſt acidum, non ſolùm guſtu, ſed odore, ob inſignem aciditatem. Hoc acidum vitioſum, eſt in ventriculo, & in acidam cruditatem vertit alimenta, vel quia ab aliqua cauſa Serum acidum digeſtivum alimentorum præter naturam auctum fuit, vel quia diù retinet alimenta in ſua cavitate, & à mora acidum contrahunt, eo modo quo paſta reſervata acida evadit. Secundò acida hæc excrementa ventriculi, cum aliis portionibus chyli in ſanguinem communi concurſu feruntur. Tertiò iſta excrementa, licèt à natura deſtinata ad ſuas cloacas, non omnia excernuntur, quamvis fermentatione naturali ſanguinis diſgregentur, ſed retinentur in ſanguine, & unà cum iſto in chylum venas ingreſſum ſua actione ſuperiore illi ſanguinis agendo ad ſuam naturam acidam trahunt, itaut chylus pro majori ſua parte in excrementa acida abeat, à quibus deinde tota maſſa ſanguinis, & ejus Serum acore ad coagulationem diſponente inficitur. Quartò hoc excrementum ventriculi, chylus depravatus, & in excrementum pro majori parte commutatus, dum colliquatur à labore, & non excernitur per poros cutis, ad quam motu laboris impellitur, ut per inſenſibilem tranſpirationem, vel per ſenſibilem ſudoris expellatur, in hoc quieſcit, & concreſcit, & hominem decolorem facit. Concretionis cauſa eſt aciditas contracta, cui vis coagulandi ineſt, refrigeratio ſanguinis in externis partibus, quia calor, quem in corde ſuſcipit ſanguis, dum ab eo elongatur, prout contingit quando ad partes externas pervenit, minuitur paulatim; ſi hæc diminutio ſit multa refrigeratur ſanguis, ex refrigeratione craſſeſcit, ex craſſitie concreſcit. Hæc omnia in ſanguine è vena extracto ſenſu obſervantur; humor hic ſub cute concreſcens, dicitur ad cutem expelli.

Quiſquis videre poteſt hanc cauſam applicari poſſe Anaſarcæ, cum in hac humor ſubtus cutem colligatur, ibi concreſcat, tumorem elevando.

In hac ergo cauſa licet admittere Serum, cum inclinatione ad coagulationem, quam recipit à craſſitie, ſeu fibroſitate; notum enim eſt in chylo partem fibroſam reperiri, quæ tota in parte ſanguinis rubra, quando in hanc mutatur, colligitur, tribuendo huic inclinationem ad concreſcendum, cùm ſint talis naturæ; ut à calore fluxibilitatem, ab hujus defectu craſſitiem, & ſoliditatem contrahant. Si Serum quantitatem harum fibrarum retineat, inclinationem etiam ad concretionem retinebit; fibræ in chylo redundant, quando ſuperfluo inficitur acido coagulante magnam partem chyli, excreſcit quantitas fibrarum, quando alimenta non ritè diſſolvuntur in ventriculo, vel ob calorem debili actione fermentum diſſolutivum actuantem, vel ob ejuſdem fermenti inertiam, vel fixationem.

Serum hoc modo præparatum, cum ſanguine circulando per partes cuti contiguas, & ſub ea exiſtentes amiſſo calore in corde ſuſcepto ad conſervandam fluxibilitatem, neceſſariò ibi concreſcit, & quo calor prædictus eſt magis debilis, eò faciliùs evaneſcit, & Serum ſolidum fit; humores, quo magis elongantur à fonte caloris, nempè à corde, ſemper de hoc magis amittere probat differentia caloris inter ſanguinem arterioſum, & venoſum. Idem Serum ab arteriis ad carnes in ſuperficie corporis translatum, à loco calido ad minus calidum, & reſpectivè frigidum transfertur, ratione cujus concreſcit, & inclinatio ad concretionem acquiſita ab acido, & à copia fibrarum ad actum ſecundum reducitur, non aliter, ac ſanguis è vena extractus, in aere etiam calido, ſed comparativè ad calorem arteriarum frigido, ob naturalem inclinationem ad concretionem craſſeſcit. His conceptis, ſtatim intelligimus cauſam Anaſarcæ eſſe Serum craſſum in arteriis fluidum, extra eas concreſcens; Serum, quatenùs limpidum colorem album exhibet, quatenus craſſum facilè concreſcit, & in copia ſub cute collectum tumorem efficit. Serum hujus conditionis originem trahit à calore ventriculi diminuto, vel ab acido fermento inerti, vel fixo, ſed cum excedenti aciditate.

Primum nobis oſtendunt naturale temperamentum frigidum, antecedentes cauſæ calorem enervantes. Secundum ructus acidus, vomitus materiæ acidæ, eroſio ventriculi ferè continua, appetitus excedens. Non diſſimilem cauſam proponit *Hipp. lib. de int. affect. nu.*23. in quo agit de hoc morbo, ut ſupra probatum fuit his verbis, *hic morbus maximè fit tempore æſtatis ex aquæ potu, & inſuper ex ſomno multo*, tempus æſtatis calore colliquando humores, Serum auget, acidum in humoribus exiſtens exaltando, valdè activum reddit. Aqua Serum auget, calorem minuit, ſomnus incraſſat; hæc duo feroſum humorem colliquant, craſſum faciunt, & ventriculi robur enervant.

Signa diagnoſtica patent. Prognoſtica habentur in illis verbis textus : *Judicatur autem in triginta diebus, an lethalis ſit, ant non, maximè à nullis diſcedit.*

De Curatione hujus affectus, tribus in locis locutus eſt *Hippoc. lib. cit. de morb. lib.* 2. *numer.* 69. *& de intern. Affect. numer.* 23. Primo loco agit de Anaſarcæ curatione in principio; hìc à redundantia humoris excrementitii indicationem purgandi elicit, quam cofirmat à modo procedendi naturæ, quæ ſi in principio Anaſarcæ alvum moveat, citò ægro ſanitas reſtituitur; ita ait *Hipp. in hoc textu*, & confirmavit *in aphor.* 29. *li.* 7. *& in li. de Coac. prænot. num.* 3. *Hydrops Leucophlegmatias appellatus, alvi profluvium ſedat*; convenit ergo in principio purgatio, & ſi natura hanc non promoverit, Medicus naturæ ſit auxilio cum medicamento purgante aquam; quia hæc peccat in ſua origine; humor enim qui ſub cute craſſus exiſtit, non talis in vaſis exiſtit, quia fluere non poſſet ad cutem; ſed eſt fluidus, & ſub cute ſtagnans craſſus evadit, hæc ſupra ſunt demonſtrata.

Hæc omnia comprehendit in illis verbis : *Huic ſi Ventre ſua ſponte turbatus fuerit in principio morbi, proximus ſanitati eſt, ſi verò non turbetur, medicamentum deorſum purgans dato.*

Subjungit poſtea : *Calida non lavet, & ſub dio exponatur, & ſcrotum, ubi impletum fuerit ſecato.* Ab aquæ calidæ lavacro vaſa cutis, glandulæ, & vaſa ſub cute dilatantur majorem copiam humoris feroſi vocando; puto hoc intelligendum eſſe, ſi lavacrum fit ſine ſudore, cum hoc non video, quare damnetur, cùm exſiccet; hoc eſt principale intentum Hipp. & hujus reſpectu ægrum *ſub dio*, ideſt ſub Cœlo aperto, & ſereno exponendum jubet, in hoc corpora exſiccantur, ſicut in umbra humectantur.

Scrotum ſecat ſi tumuerit, ne à copia aquæ oppreſſum ſcrotum, & teſtes calamitatem gangrenæ incurrant. Hic loci jubet apponere ſententiam *Hipp. lib. de Loc. in hom. num.* 36. ubi habet de pueri Hydropicis : *Partes tumidæ, & aqua plenæ aperiendæ ſunt ſcalpello, & frequenter & parum educendum eſt; educendum autem eſt à ſingulis corporis partibus, & fomentis utendum, & ſemper locum apertum, ubi eduxeris, calefactorio medica-*

dicamento illinies; in omni ergo Hydrope, ubi partes tument, & materia fluxibilis eſt, intrepidè ſcalpello aperiendæ, nec timenda in viris gangrena, quam non timuit Hipp. in pueris.

Cibis utatur pane puro frigido, & beta, & piſcibus Scorpiis coctis, juſculo autem, quam pauciſſimo, & frigida omnia edat.

Cùm unica intentio à cauſa principali demonſtrata ſit in cura hujus Hydropis exſiccandi huic paret Hipp. primò evacuatione, ſecundò Diœta, cibum parvi nutrimenti, & in parva quantitate exhibendo, prout exigit exſiccandi intentio.

Panis purus dicitur ille, qui ad mixtionem ſimplicis aquæ, & fermenti cum farinæ flore tantummodo admittit. Mos enim fuit Antiquis variis modis panem conficere, cum farina, & furfure aliquando, aliàs cum tota farina ſubtili, & craſſa, aliàs cum ſolo flore, modò admiſcebant oleum, modò vinum auſterum, modò non auſterum, prout videre eſt in *Hipp. lib. de ration. vict. in acut. num.* 110. *& lib.* 5. *epid. text.* 65. Panem purum exhibet, ut nutrimentum optimum, & ſine excrementis præparet, frigidum vult, quia calidus ſitim excitat, ut adnotavit *Hipp. lib. de rat. victus in acut.* & majorem faciet illam, quàm morbus unitam habet, ut patet ex verbis textus. Per panem frigidum poteſt etiam intelligi durum, & ſiccum. Betam proponit, quia ſuis aarticulis nitroſis alvum lubricam ſervando excrementis, à cibo ſeparatis motam in corpore non concedit, quia alvum movet; exſiccat etiam, ex Hipp. qui omnia alimenta alvum ſubducentia inter ſiccantia recenſuit. Piſcem Scorpium coctum addit, quia parvi nutrimenti, & inter piſces ſicciſſimos deſcripſit *lib.* 2. *de Diœt. num.* 11. frigidos exhibet, ſicut omnia alimenta; nam frigus etiam ſiccat, ut legitur 1. *de morb.* ſicuti calor fundendo humores humectat, ita frigus fuſionem prohibendo exſiccare dicitur: juſculum piſcium, quam pauciſſimum permittit indicatio ſiccitatis; omne humidum in quantitate prohibet.

Hac regula poſſumus inſtituere Diętam cum noſtris uſualibus cibis, pane biſcoto, carne aſſata; volucrum præcipuè, quos *lib.* 2. *de Diœt. Hipp. num.* 10. ſicciores quadrupedibus dixit, juſcula carnium excludenda, ſicut juſculum piſcium in quantitate excludit Hipp. etiamſi illa ſint magis nutritiva.

Et non dulcia, neque pinguia, ſed trita, & acida, & acria, excepto allio, cœpa, & porro, Saturejam, & Origanum multum edat, & Vinum vinoſum bibat, & ante cibum iter faciat.

A dulcibus abſtinentiam imperat, quæ *in lib. de Affect. num.* 49. dixit humiditatem, ideſt ſeroſitatem, & pituitam facere; his ſimilia ſunt pinguia de dulcedine participantia, ſed trita, & acida, & acria. Trita vult alimenta, ut faciliùs in ventriculo digerantur. Acida, quia exſiccant; hac ratione in nimia pinguedine tollenda, acidis utimur, acria pariter exſiccant; excludit verò Allium, Cœpam, & Porrum; inter acida erunt omnes fructus acidi, & herbæ, ut *Acetoſa*, *Portulaca*: inter acria *Raphanus*, *Draconcellum* in Horris creſcens, *Sinapis*, *Piper*, *Zinziber*, & his condiendi cibi; inter acria reponenda *Satureja*, & *Origanum* hujuſmodi acria, præter exſiccationem; acidum etiam hujus Hydropis cauſam remotam enervant, & extinguunt, neque per hoc excludenda acida, utpotè augentia acidum, cùm doceant Chymici unum acidum ab alio ſuperari, & humores ab acido incraſſatos, eò quia hoc ſaturatos à quolibet acido attenuari, & attenuatos facilè reſolvi. Vinum vinoſum, ideſt quòd aquæ admixtionem fert, laudat, quia ſuo ſpiritu exſiccat, prout facit etiam iter, & exercitatio vacuo ventriculo, quæ duo Hippoc. imperat.

His in unum collectis, eluceſcit hujus Hydropis curam Hipp. in exſiccatione ponere factam per purgantia, per cibos, & labores, juxta præceptum relictum in *lib. de Affect. n.* 23. dum ait: *Cibos autem, & potus, & labores conſtituito, & deambulationes, à quibus gracilis, & ſiccus evadat.* Acidum etiam cauſam remotam debellare contendit Satureja, & Origano, quibus adjungi poſſunt ea remedia *de acida cruditate ventriculi* propoſita.

Cur verò Allium, Cępam in hoc Hydrope excipiat, quæ concedit in Hydrope deſcripto in *lib. de intern. Affect. numer.* 23. ubi in magna quantitate edenda jubet, & crudum, & coctum, & aſſatum, & ſemper plus ſingulis diebus, itaut ſola curatio hujus morbi pendere videatur à virtute Allii inquirendum eſt, & quæ ſiti rationem dedit Hipp. in illis verbis textus: *Judicatur autem in triginta diebus, an lethalis ſit, aut non, atque hæc quidem faciat, ubi triginta dies præterierint*, & ita Allii eſum poſt triginta concedit. In tempore judicationis, quando apparent ſigna ſalutis, materia morbi ex magna parte eſt concocta, ideò tranſacto tali tempore, ſi natura non expellat materiam, Medici officium eſt hoc agere; & quia eductio materiæ in Anaſarca magis propria eſt illa per urinam, reſpectu materiæ in vaſis exiſtentis, & per ſudorem, reſpectu materiæ ſub cute ſtagnantis, ideò Allium poſt triginta dies, à quo, & ſudor, & urina movetur (idcircò Allium, Theriaca ruſticorum in morbis malignis dicitur) exhibet; ante verò triginta dies, prout in noſtro caſu, in quo aggreditur curationem pituitæ albæ in principio morbi, prout cantant verba textus, Allium prohibet, quia materia non eſt præparata, & fundamentum habet hæc indicatio in doctrina *Aphor. Concocta medicari, atque movere*, & docemur in Anaſarca Diuretica, & Diaphoretica convenire, ſed tranſactis triginta diebus, qui ſunt termini judicationis iſtius morbi, quo tempore eadem intentione Vinum nigrum auſterum, & fortè exhibet, ut *in li.* 2. *de morb.* ubi in principio Vinum vinoſum ſolùm concedit; tranſacto verò dicto termino, concedit meracius, quia urinam movet, & etiam ſudorem. Hujuſmodi remedia habetis ſuperiùs deſcripta, & præcipuè *Decoctum ex ligno ſancto, & Junipero, & Saſſafras, cum rad. Lappæ majoris. & Contrajerva. Diaphoretica* enim maximè conveniunt in Anaſarca, in qua materia eſt ſub cute.

Varia notanda veniunt in his duobus curationibus. Primò *in* 2. *de morb. numer.* 69. tradere curam Anaſarcæ, in principio ejus, in *lib. de intern. affect. num.* 23. curam Anaſarcæ confirmatæ, ideò dixit in principio text. *At ſi antiquior fuerit pituita, appellatur autem hæc pituita alba*; in fine verò ſubjungit aliqua, quæ conveniunt in principio hujus morbi, & ſunt *decoctum Lenticulæ acidæ, & ptiſanæ acidæ*, & cauſam reddit, *quo corpus præparatum ſit ad Pharmacorum potum*; hæc videntur contraria curationi, & ablationi cauſæ, quam diximus in acido conſiſtere, ſed tollitur difficultas à verbis ipſius textus. Acida exhibentur ad præparandos humores pro purgatione, dum craſſitiem iſtorum purgationi reſiſtentem attenuando, incidendo tollunt acida; *in* 2. verò *de morbis Origanum*, *& Saturejam* præbet pro acido debellando, & in hoc habetur altera indicatio præparandi humores attenuantibus, & incidentibus.

Secundò in eodem textu videtur Hippoc. poſſe ſupervenire indicationem mittendi ſanguinem, dum ait, *Si tibi viſum fuerit ſanguinem è lumbis detrahere, cucurbitam affigito, & venas in ſcroto craſſiſſimas ſecato*, ad tollendam plenitudinem partis hujus particularem ſphacelum minantem, à lumbis verò, ſi ab humore ibi collecto ſubtus cutem ita premantur vaſa, ut ſanguis ſtagnare cogatur, unde ad motum ſanguini conciliandum cucurbita ſanguinem mittit, ſed potius ad aperienda orificia, per quæ tranſcolare poſſit humor ſub cute exiſtens.

Tertiò monet in *lib. cit. de morb.* 2. nempè in curatione præſentis caſus; *Si à medicamento purgante exhibito tumeat*, ideſt ventris tumor augeatur, quia materia à vaſis, & ab ambitu corporis deducta ibi conſtiterit *Clyſteri*, *non alio medicamento purgante eductionem moliendam*; & ſubjungit, *& cibo, deambulationibus, & illuvie premito*, ideſt cibum tenuiſſimum, deambulationes multas ad ſqualloremm, ita interpretanda illuvies, opponito, vel dictis removeto, hæc duo ſonat verbum *premito*. Monet pariter medicamenta, quàm pauciſſima eſſe exhibenda in principio, & loquitur de purgantibus, vel per alvum, vel per urinam, vel per ſudorem, quia hæc non ſunt exhibenda, niſi tranſacta trigeſima; præparantia verò non excludit, quia exhibet *Origanum*, & *Saturejam*, & *acida*, quæ ſolùm præparationi ſerviunt, & in hoc tempore acidum debellantia ſunt exhibenda.

Quartò, in eodem loco ſancivit, non eſſe vomitum provocandum in Anaſarca, niſi cùm tumores ad infernas partes deſcenderint, ideſt tumores infernarum partium excreverint, cùm dixerit in principio textus, *totum corpus intumeſcit*, conſequenter etiam partes infernæ, ex quo infertur non loqui de tumore recenti, ſed de tumore præexiſtenre aucto, à quo indicetur vel humoris ſub cute exiſtentis attenuatio, qua ad partes infernas ducitur, vel novæ materiæ ſuperabundans generatio, & in utroque caſu minoranda in vaſis materia, vomitu cum facilitate, ſine moleſtia, & periculo; *Si verò in principio extenuato ægro ſuffocatio in pectore oboriatur, veratrum bibendum dato* conſulit Hippoc. pro vomitu, & capitis purgatione. *Et poſtmodum deorſum purgans medicamentum* quo revulſione materiæ ad partes ſpiritales præcipiti curſu fluentis. Hæc eſt cura Anaſarcæ in principio, tranſactis triginta diebus alio modo curationem proſequitur. Primò purgationem imperat, *Cncoro Hyppophae*, *Cnidio grano*, & *Magneſia*. Purgato corpore Diœta, & exercitio curam conficit; hoc debet eſſe ampliùs, quàm cibi quantitas exigat, qua ratione neceſſe eſt, ut corpus exſiccetur, cùm plus ab exercitio conſumetur, quàm à cibo reparetur. Diœta exſiccante utitur, ut *Pane aſſato*, & *Allio*, & ſi *pedes*, & *capita Suilla* concedit, quæ non exſiccant, quia mucilaginoſa, hac intentione concedit, ut prohibeatur aquei humoris generatio, à qua pendet morbus. Idem humor deficit, quando viſcoſo corpori continuò adduntur; reſolvitur enim citius à calore nativo humor aqueus, quàm craſſus, hoc reſoluto remanet ſolùm craſſus, qui pro fluxu ad ambitum corporis eſt impotens, unde fit, ut ceſſet tumor in ambitu corporis. In hoc caſu conveniunt ea, quæ propoſita ſunt de *Cachexia pituitoſa*.

C A P. XLI.

De Tympanite.

Tympanitem dixi ſuperiùs eſſe impropriè Hydropem, *Martianus* verò *in com.* 4. *de victu ration. in acut. verſ.* 373. negat abſolutè dari talem Hydropem, & vult eſſe Aſcitem, qui dicitur ſiccus, ex eo quòd cum eo ſiccitatis ſigna conjunguntur, & quæ recenſentur ab *Hipp. in lib. Coac. prænot. ſect.* 3. *ſub ver.* 56. *Martiani in com.* dum ait, *Quibus ex aliqua ægritudine ad Hydropem res devenit, his alvi ſiccæ excrementa caprini ſtercoris pilulis ſimilia egerunt, cum colliquatione mucoſa, & urina non bona, & diſtenſiones circa Hypochondria, & dolores, ac tumores circa ventrem, & dolores circa laterum mollitudinem, & juxta ſpinæ muſculos, accedunt febres, item & ſitis, & tuſſes ſiccæ ſequuntur*, quæ ſymptomata cùm ſint ſiccitatis ſoboles, inquit *Martianus*, meritò in Hydrope, in quo reperiuntur, debet dici Hydrops ſiccus, ideòque cenſet Hydropem ſiccum, non ideò dicendum eſſe, quia aqua in abdomine deficiat, ſed quia adſunt ſiccitatis ſigna; verùm omnes Hydropes ſicci deberent dici, cùm omnia enarrata ſymptomata in Hydrope confirmatò reperiantur, & etiam in principio, & fine, ut colligitur ex textu *Hipp. n.* 18. *de loc. in hom.* ubi Hydropis ſigna enumerat, & in Tympanite dicto, in principio nullum horum ſignorum aparet.

Verùm veſtigiis Hipp. inhærendo, aſſero dari Tympanitidem Hydropem. In *lib.* 4. *Aphor.* 11. ait: *Quibus tormina, & circa umbilicum dolores, & lumborum dolor, qui neque à medicamento, neque alias ſolvitur, in Hydropem ſiccum firmatur*. Non poſſumus dubitare. Hippoc. hìc non loqui de Hydrope, quia præcisè nominat Hydropem, & addit, *ſiccum*, ad diſtinguendum Hydropem hunc à doloribus circa umbilicum, & lumbos enatum ab alio Hydrope Aſcite, in quo adeſt aqua, & ſi in hoc ſicco dicto reperiretur aqua, ut vult *Martianus*, non diſtingueretur ab Aſcite: ad hoc ut diſtinguatur talis Hydrops ſiccus ab Aſcite, neceſſe eſt, ut in hoc, de quo loquitur *Hipp. in cit. Aphor.* non reperiatur aqua, cum ea, quæ humido, & aqua carent, ſicca dicantur, & propriè ſiccum eſt, quod humido caret, cùm ſiccitas in probabiliori ſententia ſit qualitas privativa ex privatione humidi, non poſitiva; quapropter non poteſt dici Hydrops, niſi quia adeſt intumeſcentia ventris, ſicut in Hydrope, in quo colligitur aqua in ventre. Dicitur *ſiccus*, quia eſt intumeſcentia ſine aqua, & hoc eſt Hydropem ſiccum, eſſe impropriè Hydropem, & ita cum Hipp. tenendum eſt.

Cauſam remotam hujus Hydropis aliam non habemus, quàm tormina, dolores circa umbilicum, & lumbos; quomodo verò ab his intumeſcentia ventris producatur, explicandum remanet.

Non fit à flatu in cavitate inteſtinorum exiſtente, ut communiter ſentiunt Medici, quia nec flatus erumpunt in hoc morbo, neque poſt mortem diſſectis cadaverum inteſtinis flatus exire obſervatum eſt. Aliunde ergo petenda eſt ratio iſtius intumeſcentiæ.

Admiſſa ſententia *Vuilliſii* à Recentioribus acceptata de motu ſpaſmodico, & convulſivo nervorum, & fibrarum membranoſarum, & rejecta ſua ſententia de cauſa Tympanitidis, utpotè maximè improbabili; Dico, tormina, & dolores eſſe à cauſa irritante nervos, & membranas inteſtinorum, & in contractiones ſpaſmodicas illorum fibras adducentes, ut ex Hipp. ſententia etiam alibi eſt demonſtratum; dum fibræ inteſtinorum irritantur ab aliquo acri motu ſpaſmodico contrahuntur, in contractione una ſuperficies interna inteſtinorum ab altera, cui adhæret diſcedit, & pro majori contractione, major etiam eſt diſceſſus, in quo inteſtina inflata apparent. Sic ab inſpirato aere inflantur inteſtina, & una ſuperficies ab altera diſcedit, quapropter quotiecumque apparet talis diſceſſus unius ſuperficiei ab alia ſine aeris inſpiratione, dicimus inteſtina inflata; cùm in contractione inteſtinorum una ſuperficies ab altera multùm diſcedat, inteſtina velut inflata apparent, & ventrem etiam elevant, & intumeſcentia dilatant. Quando inteſtina à flatu in ſua cavitate exiſtente, & diſtendente inflantur, ſi à virtute elaſtica illis inſita, & à propria textura accepta, una ſuperficies ad alteram adducatur concepto conatu, tunc flatus expellitur, & inteſtinum detumeſcit, ſi fibræ inteſtinorum ita ſint diſpoſitæ, ut ſua virtute elaſtica uti non poſſint, & unam ſuperficiem inteſtini ab altera diſtantem in contractione, ad mutuum contactum trahere non poſſint, tunc eſt neceſſe, ut in eadem contractione concepta maneant cum inflatione; quapropter inteſtina ad ſpaſmodicam contractionem à cauſa irritante percita, ideòque tumefacta, & inflata amiſſa virtute elaſtica in eadem contractura, & inflatione permanere coguntur, & hæc eſt cauſa Tympanitis, nempè *Contractio ſpaſmodica, cum virtute elaſtica inteſtinorum deperdita*.

Hinc clara patet explicatio *cit. Aphor. Si dolores circa umbilicum, & lumbos medicamentis non cedunt*; cauſa illorum irritans ad contractiones ſpaſmodicas adducit, cum abolitione ſuæ virtutis elaſticæ, ut inflata remaneant, cum ventris intumeſcentia, quod eſt idem, ac in Hydropem ſiccum incidere.

Suam virtutem elaſticam amittunt inteſtina, primò quando impetus conceptus in contractione ſpaſmodica inteſtinorum ob cauſam irritantem, adhuc in iſtis perdurat, ita ſuperficies illorum ab invicem maximè diſcederent, niſi à reſiſtentia integumentorum ventris, & inteſtinorum talis impetus reprimeretur. Quod obſervatum fuit à *Platero*, & *Sennerto* in diſſectionibus defunctorum à Tympanitide, reperta enim ſunt inteſtina turgida, & inflata, quæ ab aperto ventre ſtatim à ſectione proſilierunt cum impetu, & ob illorum inflationem reſiſtentem, in ventrem ampliùs non potuerunt reponi.

Ab hac obſervatione colligitur, inteſtina contractionem ſpaſmodicam conceptam à cauſa irritante, & unam ſuperficiem internam inteſtinorum ab alia per multum ſpatium ſeparante, conſervare, cum tali vi, ut nec à premente externo cum violentia ſuperari poſſit; hujuſmodi reſiſtentia probat in Tympanitide ab integumentis ſupraſtantibus impetum ad extenſionem majorem inteſtina impellentem reprimi, cùm in ſectione ventris proſiliendo iſtius capacitatem valdè ſuperent, dictumque impetum eſſe validum, ut vim, & conatum virtutis elaſticæ inteſtinorum ſuperet, quapropter hæc eſt impotens ad inteſtina in ſuo ſitu naturali reponenda, & ad eorum ſuperficies proximius adducenda, eò quia impetus ad contractionem perdurat, & vincit virtutis

elaſticæ potentiam extendendi fibras contractas: Secundò, quando à ſpaſmodica contractione, excedenti textura fibrarum neceſſaria ad adducenda ſuperficies inteſtinorum valdè diſtantes tollitur, quod demonſtratur ab eadem obſervatione *Sennerti*, & *Plateri*, in qua inteſtina adeò dilatata apparuerunt, ut illorum membrana ad inſtar membranæ veſicæ tenuiſſima, & tranſparens appareret, & cum tali mollitie, ut confricata molli contractu diſrumperetur. Iſta tenuitas, & pelluciditas, quæ habetur à textura, cùm non ſit inteſtinali membranæ naturalis, iſtius læſam texturam oſtendit, per quam fibræ non poſſunt ampliùs contrahi, & extendi, ſed manent in ea contractione, in qua læſa textura invenit; ideò dicitur inteſtinorum virtus elaſtica abolita.

Hinc explicatur cauſa difficilis, & impoſſibilis curationis Tympanitidis, cum Aſcites curationem, quandoque admittat, quia in hac ſolùm aquæ abundantia adeſt, quæ auferri poteſt, & etiam ejus reditus prohiberi, in illa verò adeſt læſio texturæ inteſtinorum, quæ curationem non admittit.

Cauſa ergo Tympanitidis eſt omne illud, quod ſpiritus animales in fibris membranæ inteſtinorum contentos ad validam, & ſpaſmodicam contractionem cogere poteſt, itaut dictarum fibrarum textura vitietur, & ab hac earum virtus elaſtica aboleatur. Inter irritantia ſunt flatus, primò inteſtina diſtendentes multùm, qui licèt poſtea excernantur, inteſtina in eadem diſtenſione relinquuntur; idem facit efferveſcentia præternaturalis bilis, & ſucci pancreatici in inteſtinis, quando hujus evaporationes inteſtina irritant, & ſpiritus animales in eorum fibris exiſtentes ad motus inordinatos, & ſpaſmodicos, provovent, humor bilioſus, & acidus, ſi ſpiritui animali deſcendenti ad dictas fibras miſceatur, & ſuis irritativis qualitatibus eaſdem rodant ad ſpaſmodicas contractiones fibras trahunt, quæ Tympanitidis ſunt initia, ab eadem mixtione humoris acidi, & bilioſi, cum ſpiritu animali excitetur fermentatio præternaturalis in ſucco nerveo exiſtente in fibris membranoſis inteſtinorum, à qua fit diſtenſio, cum contractione fibrarum prædictarum; obſervatione enim conſtat liquorem fermentantem in vaſe extenſionis capaci hoc dilatare, & extendere, cum contractione extremitatis inferioris ad ſuperiorem. Motus ſpaſmodicus fibrarum inteſtinorum cum contractione ſuccedit etiam, quando materia ſucci nervei elaborationi deſtinata particulis irritativis cum ea commixtis depravatur, ex hac ſuccus nerveus acris, irritativus generatur, ſaltem ſecundùm aliquam iſtius portionem, quæ ad inteſtinorum fibras demandata, in iſtis congregatur, vel ratione texturæ dictarum fibrarum, vel ratione figuræ particularum, in illiſque pertinaciter hæret, ſuccum nerveum in continua rarefactione, & ſpiritus animales commixtos in continua expanſione, vi ſuæ hoſtilitatis, vel extraneitatis conſervando, hocque modo motus ſpaſmodicos contractivos in fibris inteſtinorum excitat dicta materia irritativa ſucco nerveo commixta.

Alteram cauſam puto eſſe Hydatides, ſeu veſiculas in meſſenterio, & eorum glandulis extuberantes, in quibus aqua colligitur; de iſtarum exiſtentia in Hydrope plures recenſuimus obſervationes, quæ dum non rumpuntur, Hydropem Aſcitem non generant, cùm aquam non profundant, intumeſcentiam tamen ventris efficiunt, in qua nec volutatione ægri, nec percuſſione ventris aquæ exiſtentia eſt ſenſibilis, ideòque dicitur Hydrops ſiccus, ſaltem quoad ſenſum. Intumeſcentiam pariunt Hyatides, quando vaporibus, ab humore in iſtis contento elevatis fibræ inteſtinorum vellicantur, vel fermentatio in ſucco nerveo dictarum fibrarum inducitur.

Si Tympanitis, vel ab irritante, vel ab excitante fermentatione in ſucco nerveo inteſtinorum oritur, hujus evacuationem cura Tympanitidis exigit, quam à purgantibus obtineri non poſſe, quotidiana docet experientia in exacerbatione, & majori intumeſcentia ventris à purgatione. Verùm ſi redundet humor bilioſus, vel pancreaticus in primis viis, & periculum ſit, ne portio iſtorum ad nervos feratur intermediis lacteis venis, & arteriis, vel ſi ſanguis irritativis particulis ſalſis, & acidis ſcateat, quas ſucco nervoſo committat, non negligenda purgatio, ſed leni ſemper medicamento, & per vices interpollatas, nempè cum *Caſſia*, *Manna*, *Rhaubarbaro*, ſed omnibus præferantur *pil. de Charabe Cratonis ad* ℥. *i. vel ii.* Quæ urinam movent, videntur magis propria, cùm certò conſtet nervoſarum partium morbos ſæpiſſimè à natura curari per urinæ fluxum, rarò per alvum, cùm per illam particulæ aduſtæ bilioſæ, & etiam acidæ per ſanguinem oberantes, cum ſero urinoſo ſeparentur, & cum eo excernantur. Secundò irritans eſt attemperandum, & fermentatio moderanda.

Urinam movet *Sal nitri ad* ℥. ß. ſi diſolvatur *in Vini generoſi* ℔. ß. cujus repetiti hauſtus per diem ſumendi. *Operculum tartareum*, *quod claudit orificium limacum, tempore hyemali ſumatur*, *optimè abluatur aqua diuretica, poſtea pulverizetur, & exhibeatur ad* ℥. *i. in decocto Alchekengi*, hoc etiam valet ad attemperandam qualitatem irritativam, ſicut *Liquor è floribus Verbaſci*, qui paratur, *Si iſtis floribus vas terreum novum, non vitreatum impleatur, & comprimantur flores, operculoque benè clauſo orificio cum creta, vel paſta imponatur in furno, dum panes coquuntur, poſtea foribus exemptis liquor exprimatur, diſtillandus per Balneum Mariæ, cujus* ℥. *ii.* exhibeantur *in aqua Lil. convall. & florum Papaveris erratici*, additis *gutt. vi. Spiritus ſalis Armoniaci*; *Liquor è Lumbricis extractus*, efficax eſt ad urinam movendam, & ad motus ſpaſmodicos contractivos inteſtinorum ſedandos; paratur hoc modo: *Lumbrici loti induntur vitro anguſti orificii, obturatur optimè vitrum, paſta totum tegitur, ponitur vas in clibano cum pane, cocto hoc extrahitur vas, liquor in eo exiſtens decantatur, & reſervatur. Iſtius* ℥. ß. *in ſucco Malvarum, vel iſtarum aqua bis in die exhibetur*, attemperat, & urinam movet. Sequens etiam remedium ſummè valet: *Millepedes ad* ℥. *iii.* lotura præparentur *Nucis moſc. n.* 1. *incidantur minutim, ponantur in* ℔. *i. Aquæ Parietariæ, ſtent ſuper cineres calidos per ſex horas, poſtea fortiter exprimantur, & de hac expreſſione* ℥. *iii. in aqua flor. Nenupharis bis in die exhibeantur*. Efficax ad urinam ciendam in Tympanite eſt ſequens medicamentum:

℞. *Ammoniaci elect.* ℥. ß.
Rad. herb. Lonchitidis (ideſt *Xyridis*, qui eſt ſpecies *Gladioli*) ℥. ß.
Calami indici
Coſti
Spicæ Nardi
Myrrhæ } *a.* ℥. *ii.*
Sem. Rutæ
Phu
Styracis } *a.* ℥. *i.*
Sem. Dauci ℥. *i.* ß.
Omnia ſ. a. præp. cum melle excipiantur.
Doſis ad ℥. *i.* ß. *cum aquæ calidæ potu.*

In uſu horum remediorum ſervetur hic ordo: primò Diuretica per tres, vel quatuor dies exhibeantur, poſtea per tot dies exhibeantur attemperantia parata cum *Malva*, *Parietaria*, *Branca urſina*, *Violaria*, *Nenuphare*, *Papavere erratico*, & ita alternatim procedendum.

externa, meo judicio, debent eſſe refrigerantia cœphalicis mixta, quæ fermentationem moderantur, & etiam acrimoniam minuunt, ut *Aqua Endiviæ*, *Roſ. Flor. Papaveris errat. Nymphea*, *cum ſucco Cicorei*, *Portulacæ*, *Sempervivi*, *aqua Betonicæ*, *Salviæ*, *Rutæ*, *Majoranæ*. Inunctio *ex oleo de Charabe*, *& Lumbricorum* convenit, ſicut *Emplaſtrum ex farina Fabæ*, *Lolii*, *& Ervi*, *& ſem. Fœnugræci*, *cum oleo Lilior. alb. Caſtorei*, *& Lumbricorum*. Eſt ſummè utile, ſi diſſolvatur *in aquis prædictis Sal prunellæ*, *& petiæ iſtis imbutæ*, *frigidæ applicentur ventri*.

Diœta ſit tenuis, boni ſucci, & vinum aquoſum, vel nullum, & huic ſubſtituatur *Decoctum Paſſularum*, *cum pauco Cinamomo*.

C A P. XLII.

De Stranguria.

Urinæ expulſio naturalis, eſt actio voluntaria, cujus organum eſt muſculus ſphincter voluntatis imperio ſuam exercens actionem dilatationis, & contractionis, ad quam determinatur ab irritamento à copia, vel à qualitate urinæ pendente, ratione hujus expulſio urinæ ad actionem naturalem redducitur, hinc læditur urinæ expulſio, quando præſente ſtimulo, & irritamento, & voluntatem imperante excretionem urinæ, hæc impeditur, ut in ſuppreſſa urina, vel quando præter voluntatis imperium excernitur, ut in urinæ incontinentia.

Excretio urinæ naturalis fit liberè continuato fluxu, uſque ad depletionem veſicæ, hinc læſa manet, quando diminuta, & guttatim per ſtillicidium exit. Excretio urinæ naturalis reſpondet potui, ſi minus de urina excernatur, quàm fuerit quantitas potus, imperfecta, & cum vitio eſt urinæ excretio, ſit ſine dolore, labore, & moleſtia, hinc læſa erit, ſi cum dolore, & labore excernatur.

Minuitur urinæ expulſio in Stranguria, quæ definitur, *Continuus mejendi ſtimulus, cum urina guttatim fluente, modò cum dolore, modò ſine dolore.*

Natura in urinæ excretione eodem uſa eſt artificio, ac in fœcum excretione, non decebat, nec animali commodum erat eodem tempore paulatim, & interpollatè excernere fœces, quas paulatim, & interpollatè recipiebat inteſtinum rectum, ideò extremum iſtius clauſit, ita tamen, ut aperiri poſſet, quando copia fœcum collecta eſſet circa extremum inteſtini, & monitum eſſet animal de tempore excretionis, irritamentum mite tribuit, cum fœcibus harum quantitati, & qualitati appoſuit; conſtringens, & claudens extremum inteſtini voluit eſſe muſculum, cum virtute ſenſitiva, qua irritamenti affectionem ſentiret, & à moleſtia ſenſibili percepta determinaretur muſculus ad ſui laxationem, per quam via fœcibus pateret. Ita in excretione urinæ clauſum muſculo ſphinctеri voluit orificium colli veſicæ, pariter irritamentum voluit in urinæ quantitate, & qualitate ſalina acri; ab hoc irritamento duplici muſculus, accedente imperio voluntatis dilatatur, & viam urinæ aperit.

Continuus eſt *mejendi ſtimulus* in ſtranguria, continua ergo eſt actio irritamenti in muſculum ſphincterem; quomodo verò, cum hoc continuo irritamento muſculi ſuccedat ejectio guttatim urinæ, non eſt facilè perceptibile, quia urinam guttatim reddi effectus eſt anguſtiæ, & conſtrictionis orificii veſicæ, ab irritamento verò orificium determinatur ad aperitionem, & dilatationem, quapropter à continuo irritamento deberet orificium veſicæ à muſculo munitum continuò dilatari, & ſic urina continuato fluxu non guttatim exire, & imperceptibile redditur continuum eſſe in ſphinctere veſicæ irritamentum, & urinam guttatim exire; utriuſque tamen affectus unio reddetur perceptibilis, ſi attendamus à miti & naturali irritamento determinari ſphincterem veſicæ ad dilatationem; à præternaturali verò, admotus ſpaſmodicos, in ſuis fibris nerveis, tendinoſis ad contractionem impelli, ad quam omnes partes nervoſæ determinantur ab irritante præternaturali, & in hac contractione ſpaſmodica exprimitur extra collum veſicæ illa parva portio urinæ irritans, & ceſſante ſpaſmodica hac contractione dilatatur muſculus pro exitu urinæ cujus portio ſpaſmodicos motus renovando ad contractionem impellitur, in qua expellitur illa portio urinæ, & ſic guttatim ex dilatatione, & conſtrictione reciprocè, & frequenter reiterata fit expulſio urinæ guttatim. Hac de cauſa dicitur Stranguria, Teneſmus veſicæ; nam ſicuti ſe habet Teneſmus in podice, ejuſque Sphinctere, ita ſe habet Stranguria in veſica, ejuſque muſculo conſtrictoria, dum uterque muſculus, & inteſtini recti, & veſicæ continuo irritamento premitur, cum parva materiæ expulſione.

Quotieſcumque in ſphinctere veſicæ, motus ſpaſmodici ſuccedunt, Stranguria eſt cum dolore; aliquando verò eſt ſine dolore, & tunc adeſt altera differentia Stranguriæ, quæ ſuccedit, quando urina guttatim à renibus ad veſicam deſcendens ſtatim irritat ſphincterem, vel quia nimis acris, etiam in pauca quantitate, vel ob debilitatam virtutem ſphincteris, per quam à minimo irritamento dilatatur, & guttatim etiam ejicitur; quando enim eſt pauca urinæ quantitas, lentè, & guttatim expellitur, ut patet in fine copioſæ mictionis, in qua guttatim, & interpollatè urina emittitur, quia defecit impetus ille preſſionis impreſſus portioni urinæ circa orificium veſicæ exiſtentis à ſupra, & circumſtante quantitate urinæ, à quo, & cum vi, & continuato fluxu urina foras impellitur, ideò guttatim, & ſolo pondere proprio deſcendit per uretram, ſemiobſtructo etiam à pituita veſicæ orificio, urina ſine dolore guttatim fluit; dum urina tranſcolatur lentè, & niſi gutta iſtius per ſemiobſtructum ſpatium tranſire poteſt.

A definitionis explicatione patet cauſam immediatam hujus affectus eſſe acre, & irritans ad veſicam delatum vellicans, mordens, vel rodens muſculum ſphincterem veſicæ; hoc irritans demonſtravit *Hippoc. in lib. de affect. num.* 29. ubi dixit, *hic morbus fit à pituita* ſupple acida, ſalſa, vel auſtera, ad hoc enim, ut dolorem inferat, & motus ſpaſmodicos inducat irritans, neceſſe eſt, ut parti figatur, & adhæreat, prout facit pituita ſua craſſitiæ. Ad ſolùm acidum reſtringere hoc irritans, prout major pars recentiorum tenet principia recentiorum diſſuadent. Urina ſalibus alkalicis tota referta eſt ex ſui natura, ſi iſtis conjungatur acidum, & ſimul miſceantur fit Salſum, conſequenter acrimoniam urinæ potiùs ab alkalico ſale corrodente, vel à ſalſo ex alkali, & acido emanante oriri determinandum eſt. Verùm ab acidis veſicam irritari non eſt negandum, cùm experimento *Elmontii* de urina vino acidulo mixta, quæ in veſicam injecta, dolorem ſimilem Stranguriæ excitavit, & etiam cum ratione, quia acidum eſt irritans, & corrodens, ideòque aptum dolorem, contractionemque ſpaſmodicam inducere, multò minus abundantiam acidi in Stranguria perſuadent acidum attemperantia, quia hæc etiam ſalſum, & alkalicum irritans attemperant, & præcipitantia acidum in cura hujus affectus, cùm ſint neutræ naturæ, præcipitant etiam ſalia alkalica, & ea ex mixtione alkali, & acido compoſita; omne ergo acre, ſive acidum, ſive ſalſum corrodendo, Stranguriæ cauſa eſſe poteſt.

Alias cauſas addit *Hippoc.* in his verbis: *Et cùm quidem veſica ſiccata fuerit, aut perfrigerata, aut evacuata, dolorem exhibet.* Veſica ſicca dicitur, quando à calore iſti ſuperveniente ita alteratur craſis, vel fermentum nutritivum ad intenſam caliditatem, & ſiccitem, ut nutrimentum illi delatum cum ſanguine, in excrementum pro majori parte convertat cum acrimonia, prout moris eſt caliditatis, & ſiccitatis, ab hoc in cavitatem veſicæ delapſo irritatur, & mordetur ſphincter cum Stranguriæ inſultu; cum caliditate conjungitur inflammatio ſphincteris, vel veſicæ, à qua urinæ ſtillicidium.

Eodem modo à frigida intemperie veſicæ, hoc eſt à debilitato, & diminuto ejus calore, & fermento nutritivo, ſanguis pro nutritione in ſuam ſubſtantiam illapſus, & etiam, qui per eam circulatur, corrumpitur, & in excrementum vertitur, à corruptione ſalinas partes humoris ſolvente, & libertatem concedente acrimoniam, etiam corroſivam acquirit, à qua ſupradicto modo Stranguria originem habet; & quia frequenter ab hac cauſa fit Stranguria præcipuè in ſenibus, & ex refrigeratione externa abdominis, & pedum, & ex lumborum frigiditate tempore hyemis, ex *Hipp. lib. de Coac. nu.* 3. à qua fermentum veſicæ debilitatur, ideò etiam principalis cauſa Stranguriæ frigiditas cenſetur.

Evacuata dicitur veſica, quando illius mucoſitas obliniens cavitatem internam deficit, eò quia unà cum urina exierit, ideòque dicitur veſica evacuata, & ſine hac mucoſitate facilè ab urinæ acrimonia etiam naturali mordetur, itaut doleat, & in motus ſpaſmodices ejus fibræ nervoſæ adigantur.

A morbis partium veſicæ adjacentium ſtillicidium urinæ agnovit *Hipp. aphor.* 80. *ſect.* 4. ut ab inteſtini recti, uteri inflammatione, ab ejuſdem procidentia à purulentis renibus.

Cauſæ externæ ſunt omnes illæ tam internæ, quam externæ, quæ humores acres, ſalſos, acidos, auſteros in corpo-

corpore cumulare poſſunt, & quæ calefacere, refrigerare veſicam valent, & ejus mucoſitatem abſtergere.

Signa diagnoſtica per ſe patent; ſingulare verò eſt dolor magis acutus poſt mictionem. Signa diſtinctiva differentiæ ſunt dolor, ubi hic adeſt Stranguria ab irritamento procedit, ſine dolore urina guttatim reddita, vel debilitatam ſphincteris virtutem, vel obſtructionem orificii veſicæ arguit; ab acido humore adeſt dolor pungens, & lancinans temperamentum eſt melancholicum, præceſſit error in acidorum uſu; à ſalſedine dolor eſt erodens, ſaliva ſalſa, in ſalſis error præceſſit: frigiditas præcedens in ventre, vel in pedibus à frigiditate, urinæ ſtillicidium oſtendit.

Prognoſtica breviter reſtringit *Hippocrat.* in ultimis verbis textus: *Fit autem ſenioribus diuturnior hic morbus, junioribus autem brevior, neutris verò lethalis.*

Curationem Stranguriæ *Hippocrat.* docet in his verbis: *Conducit, aut forinſecus quidem corpus balneis calidis mollire* (hoc eſt dolorem lenire) pro qua valet fomentum regioni veſicæ applicatum, ex decoctione *Malvæ*, *Violariæ*, *Nymphææ*, *Hordei*, *Fœnu-græci*, *admixto Oleo Violato*, *& Scorpionum*. Balneum aquæ dulcis, laxando, & attemperando cruciatus Stranguriæ tollit. *Suffumigium paratum ex decoctione Raphani inciſi in vino vaſe benè clauſo, hoc ebulliens ſubtus ſellam perforatam ponatur, & æger ſedens, fumum excipiat in regione veſicæ.* A *Rulando* prædicatur tamquam arcanum *Cataplaſma, ex Parietaria, Cœpa Liliorum alborum, cum Oleo roſ. completo* paratum. Laudatur *Sevum Candelæ*, ſi hoc inungatur optimè umbilicus; ejus loco ſubſtituunt alii *axungiam Hirci*, cui addunt *Oleum Ceræ*, & hoc umbilicum inungunt, qui magnam habet connexionem cum veſica, ratione vaſis urachi.

Secundò ait *Hippocrat. Corpus intrinſecus humectare, alvum quidem per cibos, à quibus fluida fiat, veſicam verò per potus, à quibus urina quamplurimùm diffunditur* (hoc eſt materia plurima pro urina ſuppeditatur.) In hac ſententia reſpiciente curationem Stranguriæ, duo comprehenduntur; unum alvum lubricam eſſe ſervandam, ſi non cibis, alio modo, nempè Clyſteribus, qui parandi *Lacte cum mucilaginibus ſem. Altheæ, & Pſylii, & Oleo Amygdal. Dulc. & Vitello Ovi*, & etiam lenientibus ultraque non eſt progrediendum. Alterum eſt magno potu veſicam humectare, ut magna copia urinæ diffundatur, ſeu expellatur; à magno enim potu, & maximè aqueo acrimonia humoris, & urinæ moderatur, & motus ſpaſmodicus muſculi ſphincteris impeditur, & à vi quantitatis urinæ orificium apertum conſervatur; hoc præſtabit *Decoctum Malvæ, Liquiritiæ ad libram, & aqua dulcificata cum Sacchiaro candido pulver. bibenda ad libram per duas vices omni die. Aqua Roſarum ad* ℔. *i.* ß. *cum Ovi albumine optimè conquaſſato, addito Sacch. Decoctum Fragariæ in ſero lactis.* Talia remedia, juxta Hippocrat. conſilium in magna quantitate exhibenda, per vices tamen interpollatas, ſi urina debet diffundi.

Tertiò ait: *Danda ſunt medicamenta Urinam cientia, quæ ſcripta ſunt in libro medicamentario ſedantia dolorem.* Seligenda ergo Diuretica, quæ & ſint attemperantia.

Si acidum peccat, *cortices Aurantiorum coquantur in aqua Agrimoniæ ad libram unam*, & exhibeatur, vel eidem aquæ, *Oleum diſtillatum corticis Aurantiorum ad* ℈. *i.* infundatur. *Cancri fluviatiles loti contundantur, contuſi diluantur aqua Sonchi, exprimatur ſuccus, & exhibeatur ad* ℥. *iij. cum pulvere Glandis exſiccatæ ad* ʒ. *i. Decoctum Raparum* eſt ſpecificum in Stranguria, dum abſorbet acidum, exhibendum cum *ocul. Cancrorum ad* ʒ. *i. Pil. Quercetani ad Stranguriam* valent ad ʒ. *i.* exhibitæ cum aliquo ex dictis medicamentis.

In humore ſalſo exhibendum *Decoctum Fragariæ, & Liquiritiæ ad libram unam cum ſucco lacteo Sonchi ad* ℥. *iij. Decoctum fol. Ribes nigræ cum Jujubis, & Sebeſten, cum Syrup. de Hybiſco Fernelii* ſummè prodeſt. *Radix Filipendulæ decocta in aqua Parietariæ, & cum ſucco ejuſdem Parietariæ exhibita*, habetur pro arcano. *Aqua Roſ. cum albumine Ovi* ſupra deſcripta, vel *Decoctio fructuum Alchekengi, cum Paſſulis, & Liquiritia, ſicut extractum eorumdem fructuum, vel Roob, cum Terebinthina mixta, & cum aqua Malvarum exhibita*, efficaciter Stranguriam moderantur. *Lac etiam* primò *Aſininum*, deindè *Vaccinum* in magna quantitate eſt maximum attemperans. *Saccharum Saturni* omnibus propoſitis remediis mixtum, valet. Quamlibet acrimoniam infringunt *Cochleæ in pulverem redactæ ad* ʒ. *i.* exhibitæ, cum *Vino albo dulci per ſeptem dies.*

Si à frigiditate veſicæ Stranguria pendeat, valet *Decoctum Valerianæ Eringii ad* ℔. *i. cum* ʒ. ß. *Mithridati, ſicut Cyminum pulv. & cum Vino albo bibitum. Cæpa minutim incidatur, & infund. in aqua communi per viginti quatuor horas, aqua hæc infuſionis bibenda* cum fructu. *Vinum Malvaticum, cum granis Juniperi eo infuſis*, ſummè valet, vel *cum Nuce moſchata, ſicut etiam ſpir. Vini Juniperatus bibitus cùm cubitum it æger. Balſamum Peruvianum in decocto Petroſelini*, efficax eſt.

A cauſa calida Stranguria curatur *Sale Nitri ad* ʒ. *i. in aqua Sonchi, vel cum Emulſione ſem. frigid. & Papaveris, extracta cum aqua florum Papaveris erratici. Succo Portulacæ, cum aqua Sempervivi, &* ʒ. *i. Salis Prunellæ. Aqua Roſarum, & Nymphææ, cum albumine Ovi conquaſſato*, & etiam illis omnibus, quæ de ſalſedine humorum mitiganda dicta ſunt.

Hippocrat. lib. 2. epid. ſect. 7. circa finem ait: *Urinæ ſtillicidium venæ ſectio curat*; & *aphor. 48. ſect. 7. Stillicidium urinæ, & difficultatem urinæ vini potus, & venæ ſectio ſolvit.* Hæc ſententia non eſt indefinitè accipienda, itaut in omni ſtillicidio urinæ exercenda ſit venæ ſectio; nam ubi eſt à frigiditate, ab humorum acrimonia tantummodò, non convenit miſſio ſanguinis, & manifeſtum ſit ab indicante ſanguinis miſſionem, quod eſt morbus magnus à plenitudine ſanguinis, ſed locum habet ſententia *Hippocrat. de ſectione venæ*, ubi ſtillicidium eſt ab inflammatione, ſi à cauſa calida pendeat, cùm à calore veſicæ ſanguis in copia ad iſtius vaſa vocetur, minando plenitudinem particularem, vel quando dolor eſt adeò vehemens, & frequens, ut inflammatio timeri poſſit, ad quam avertendam neceſſaria eſt ſanguinis miſſio.

Diœta debet eſſe correſpondens cauſæ, & ejus electio à remediis propoſitis accipienda.

Neque vini potus, & ſectio venæ copulativè ſumenda ſunt, itaut utrumque exercendum ſit in omni urinæ ſtillicidio, ſed diſtinctivè, ut in aliquibus caſibus utendum ſit venæ ſectione, ut in ſupradictis in aliquibus vini potu, ut in ſtillicidio à frigiditate, & à ſemiobſtructione.

C A P. XLIII.

De Dyſuria.

DEfinitur, *Mictio cum ardoris, doloris ſenſu, & quandoque cum labore, ſed continua, & non interrupta.* Tota eſſentia hujus morbi conſiſtit in dolore, & ardore, & in continuo, & non interrupto fluxu urinæ, per quod diſtinguitur à Stranguria, in qua licèt ſit dolor in exitu urinæ, eſt interruptus, dum guttatim ſuccedit; aliquando conjungitur labor, & difficultas in urinæ exitu, ſed non interrumpitur, nec per guttas diſtinctas fluit urina, ſed continuato fluxu, licèt lento, & parvo, & cum labore, & premitu expellitur.

Communiter duplex cauſa iſtius affectus ſtatuitur, una in urina cum acrimonia, altera in urinæ via malè affecta ab excoriatione, vel ulcere, à quibus rectè deducitur ardor, & dolor; ſed difficultas manet, quare ab acrimonia urinæ in Dyſuria non eveniat urinæ fluxus guttatim, quomodo evenit in Stranguria; quæ ſolvitur, admittendo in Stranguria irritationem, & corroſionem ab urina fieri in ea parte muſculi ſphincteris, in qua ſunt fibræ, quæ ſua conſtrictione orificium claudunt, & ſua dilatatione aperiunt. Pro hac vide *Diamebroch. de Veſica.* In Dyſuria verò irritationem ſuccedere, & corroſionem in aliis fibris, quæ licèt corroſæ, vellicatæ, in motus ſpaſmodicos adigantur ſine clauſura orificii veſicæ, quapropter urina li-

na liberè exit; vel dicendum læſionem eſſe in canali urinæ, ubi deſinit ſphincter, idcircò differentiam, quæ intercedit inter Stranguriam, & Dyſuriam, conſtituit ratio loci affecti diverſi, non ratio cauſæ, & eſſentiæ.

Alteram differentiam colligo ab allata definitione contentam in ardore urinæ, quæ ſupponit tranſitum urinæ per locum exulceratum, ſola etiam acrimonia urinæ non ſufficit ad inducendum ardorem, ſed eſt neceſſaria ad hunc excoriatio, vel ulcus; idcircò non errant à vero, qui cenſent in Dyſuria ſemper adeſſe ulcus, vel excoriationem ſubtus muſculum ſphincterem; qua de cauſa urina liberè, & ſine interruptione fluit.

Corroſio, vel excoriatio ſupponit acrimoniam, ideò in Dyſuria, & ulcus, & acrimonia humoris cognoſcenda venit, quæ in principio antequàm ulcus pariat, levem facit ardorem, abradendo inſenſibiles partes ſuperficiei, quarum abraſio, cùm ſenſibilis evadat, ardor eſt magis ſenſibilis, & moleſtus. Et hoc modo à pure à renibus deſcendente, ardor fit in meatu urinario, quia diſponit aliquam partem iſtius inſenſibili abraſione ad ulcus, quod contingit etiam in inflammatione uteri, & inteſtini recti, ideò etiam iſtis Dyſuria ſupervenit, quia ab inflammatione, & tumore iſtarum partium compreſſus meatus urinarius anguſtus evadit, & urina exitum non invenit, niſi in ſe ipſam compreſſa, & valdè comprimendo ſuperficiem viæ anguſtæ; ab hac compreſſione acrimonia naturalis urinæ corroboratur, & fortiùs agit inſenſibilem abraſionem in via relinquendo, quæ temporis tractu durante compreſſione in ulcus tranſit. Eo modo in tuberculo, ſeu carnoſitate meatus urethcræ fit ardor urinæ. Hoc modo etiam à calculo in veſica fit ardor urinæ, quia ulcus excitatur ab eo. In Gonorrhæa gallica maximè apparet ardor urinæ, quia proſtratæ, & interna pars glandis fræno correſpondens ulcere afficiuntur à mala, & corrodente qualitate gallica, & ab urina præterfluente irrigatum ulcus maximè dolet, & ardorem exhibet, etiamſi urina, niſi naturalem habeat acrimoniam, & quotieſcumque ab aliqua cauſa fit ulcus in meatu urinario, iſta etiam ceſſante, ſed ulcere permanente fit ardor urinæ à ſolo tranſitu iſtius, à ſua conditione naturali non diſcedente.

Cum ardore urinæ, dixi quandoque conjungi conatum, & laborem in hac expellenda, cujus cauſa eſt mucoſitas illa, quæ in hoc caſu copioſa apparet, & ſubſidet in urina emiſſa refrigerata; hæc obſtruit meatum urinæ, & à conatu expulſa materia meatus liber relinquitur, & non interrupto fluxu urina fluit, licèt lentè. Hæc materia viſcoſa fluit ab excoriatione in veſica facta, vel ab ulcere, & eſt velut pus ulceris; ſicut enim pus fit à ſanguine depravato à parte ulcerata, ita hæc materia non eſt niſi ichor ſanguinis, & ſanguis ipſe depravatus à parte ulcerata corrodendi vim acquirens in depravatione, eo modo quo pus; ideò exeundo ab ulcere cum urinæ fluxu ardorem parit, & alias partes, per quas tranſit ad ulcus diſponendo ardorem auget.

Signa Diagnoſtica ſunt per ſe manifeſta, & cauſæ præceſſerunt humores acres generantes, qui corroſione ulcus efficere valent. Si ab aliis morbis proveniat, colligitur à ſignis propriis iſtorum.

Prognoſtica Dyſuria per ſe eſt ſymptoma valdè afflictivum, nec lethale, niſi ulcus augeatur, & degeneret in ulcus putridum cancroſum, ut quandoque accidit.

Indicationes ſunt acrimoniam humoris attemperandi, & ulcus conſolidandi, præmiſſa illius mundificatione.

Quoad primam, facta levi lenitione alvi, cum *Caſſia*, *Electuario Sebeſten*, *Electuario lenitivo*, *Cremore tartari*, omnia attemperantia ſupradicta ad uſum revocanda, & præcipuè *Malva*, & ex ea parata remedia; Decoctum ſcilicet, Syrupus, Succus, & conſerva, quibus addatur ſemper *Sal Nitrum* tamquam ſpecificum in hoc affectu, in fructu *Alchekengi*, *Sebeſten*, *Jujubis* ineſt maximum urinæ acris modificativum; iſtis uniantur, quæ ulcus conſolidant intus ſuſcepta.

℞. *Succini præp.* ʒ. *ij.*
Myrrhæ
Maſticis } *a.* ʒ. ß.
Thuris
Rad. Conſol. maj. ʒ. *i.* ß.
Omnia pulv. & cum Terebinthina excipiantur, & ʒ. *i. exhibeatur.*
Pil. Ellembergeri ab Etmull. deſcriptæ ad idem valent:

Vel

℞. *Cort. Ovorum rec. præp.* ʒ. *i.*
Succini præp. ℈. *ij.*
Mumiæ ℈. *i.*
Sem. Urticæ ʒ. ß. *f. p. & miſceantur* ʒ. *i. hujus, cum aqua, vel Decocto Caudæ equinæ* exhibeatur. *Veſica Capræ*, *& Apri ſylveſtris maſculi ſiccata*, *& pulverizata*, habentur pro ſpecifico, ſicut *Oſſa perſicorum cum nucleis in pulverem redacta*; hæc omnia exhibentur cum aliquo ex dictis alterantibus. Ex *Dactylis* paratur etiam remedium arcani loco habitum, *ſi caro ſeparatur ab oſſe*, *& exſiccetur in furno*, *& poſtea in pulverem redigatur*, *& miſceatur*, cum *ſcobe oſſium limatorum*, in Senibus exhibetur hic pulvis *ad* ʒ. *i. in vino malvatico*, in Juvene *cum aqua Nymphcæ* ℥. *vi. Julap. ex Therebinthina* ℥. *ij.*

Exteriùs conveniunt fomenta ex Lacte inter utrumque ſexum, ubi etiam applicatur *Serpillum*, *& Pulegium* calefactum, à quibus dicitur dolorem ſedari, & urinam promoveri, penis immergitur in *Decocto Malvæ*, vel *in Lacte*; injectiones fiant in penem cum *Decoct. Hordei*, *Malvæ*, additis *Trocis Alchekengi*, *& Sacchar. Saturni*, *cum Mel Roſ.* ad mundificandum ulcus.

Ulceris conſolidationi incumbendum externis, & præſtat *aqua Calcis* pro Gonorrhæa, deſcripta *in meo Syſtemate*. *Candelæ medicatæ cum cerato Gratia Dei*, addita aliqua portione *Præcipitati optimi*, ulcus conſolidant.

Victus ratio ſit attemperans, ratione acrimoniæ, ideò omnia lacticinia conveniunt, & ex iſtis parata alimenta, ſit etiam exſiccans, ratione ulceris.

C A P. XLIV.

De Iſchuria.

DEfinitur, *Urinæ ſuppreſſio totalis vitio veſicæ*. In hoc affectu urina turget, tumet veſica, ſtimulus ad ejus excretionem adeſt, & nihil de ea excernitur, & per hoc differt hæc urinæ ſuppreſſio ab ea, quæ fit vitio renum, in qua nec adeſt ſtimulus ad excernendam urinam, nec tumor in veſica.

Hujus affectus cauſam innuit *Hippocrat. lib.* 1. *prædict. numer.* 15. Ubi habet: *Urinæ ſuppreſſio, quibus rigores*, *& convulſoriis affectionibus*, *velut & ipſa*, *ubi inhorruit*, *ſudavit*. Quam ſententiam *Martianus* interpretatur de ſuppreſſione urinæ, quam rigor, vel antecedit, vel ſubſequitur. Rigor ſubſequens urinæ ſuppreſſionem, denotat, urinam, ſeu materiam ſeroſam aliò diverti, nempè ad cutem, & in tranſitu ad iſtam rigor ſequitur, tuncque expectandus eſt ſudor, ut deducitur ab illis verbis, *ubi inhorruit*, *ſudavit*. Rigor antecedens urinæ ſuppreſſionem, inflammationem in veſica prædicit, à qua urina ſupprimitur, cùm ab inflammatione obſtruatur orificium veſicæ, & convulſiones in fibris muſculi ſphincteris, & membranæ mediæ muſculoſæ veſicæ excitentur. Suppreſſio urinæ ab iſtius diverſione per ſudorem, non eſt propriè ſuppreſſio, ſed excretio per viam non conſuetam, quapropter in conſideratione hujus cauſæ non immorabor, ſed ſolùm inflammationis. Inflammatio ſuppreſſionem urinæ parit, quia tumor indiviſibilis ſocius iſtius viam urinæ obſtruit: hinc deduco, omne, quod obſtruit meatum excretorum urinæ in veſica, vel partibus annexis urinam ſupprimere. Ita præter inflammationem, de cujus natura, & modo fiendi alias dictum, erit cauſa ſuppreſſionis urinæ materia craſſa, viſcida, obſtruens orificium colli veſicæ, de qua obſervationem inſignem habet *Zacut. Luſit. lib. 2. prax. admir. obſerv.* 64. cùm ſanara fuerit per exitum filamento-

mentorum craſſotum ad craſſitiem calami Scriptoris. Calculus in veſica exiſtens juxta poſitus orificio veſicæ urinam impedit, caruncula excreſcens in collo veſicæ, & totum canalis urinarii capacitatem occupans, urinæ curſum interdicit, ſicut grumus ſanguinis in urina cruenta. Tumores glandularum proſtratarum collo veſicæ in interiori parte correſpondentium, ſi magni ſunt ductum urinæ in collo veſicæ, implent cum fluxu urinæ impedito, & de his tumoribus *obſervat.* habet *Plater. in ſuis obſervationibus*, in Juvene recenter nupto, cui ob immoderatum Veneris exercitium, adeò tumefactæ fuerunt proſtratæ, ut in ſuppreſſionem urinæ inciderit; & aliam habet *Etmull. in cap. de Iſchuria* ſimilem ab utero extra ſuum ſitum procidente, ab Hæmorrhoidibus tumidis comprimentibus veſicæ collum, in hoc fit obſtructio, & impeditur exitus urinæ.

Alterum in dicta Hippocrat. ſententia obſervandum eſt in illis verbis: *Et inconvulſoriis affectionibus*; quæ verba denotant non ſolùm ab inflammatione, quatenùs etiam convulſionem parit, oriri ſuppreſſionem urinæ, ut interpretatur *Martianus in com. hujus ſententiæ*, ſed ait *convulſoriis affectionibus* ad demonſtrandum ſuppreſſionem urinæ à quacumque cauſa convulſionis, & præcipuè veſicæ urinæ ſuppreſſionem effici. Sic ſi fibræ nerveæ muſculi ſphincteris convulſione contrahantur, & dilatationi non ſufficiant urinæ ſuppreſſio adeſt, hac de cauſa puto urinæ ſuppreſſionem contigiſſe, ob diuturnam moram in aqua frigida illi, de quo habet obſervationem *Amat. Luſit. lib.* 4. *obſervat.* 10. cum à frigore ita contractæ, & induratæ fuerint fibræ muſculi ſphincteris, ut dilatari non potuerint, cum aperitione orificii pro exitu urinæ, non quia ſtupor ſubſtantiam veſicæ, & muſculi apprehenderit, & ex inſenſibilitate ſtimuli urinæ expulſio deficeret; nam expulſio urinæ non pendet ſolùm à ſtimulo, ſed principaliter à voluntate, ideò etiam ſi ſtimulum urinæ non ſentimus, urinam pro voluntate, licèt paucam ejicimus; unde in hoc caſu, quamvis adeſſet ſtupor imperio voluntatis illæſo muſculo in motu urina poterat effundi, nec quia reſoluti fuerint nervi ejuſdem muſculi, quia ex reſolutione ſequi debebat urinæ involuntarius exitus, muſculus enim reſolutus non poteſt conſtringi, nec contrahi, ſed laxatur ſolùm, & muſculus ſphincter laxatus viam aperit, non occludit urinæ. Frequenter talis ſuppreſſio urinæ à convulſione muſculi obſervatur in doloribus, quibus conjungitur, ut in dolore nephritico, ſcorbutico, dum convulſivi motus in inteſtino recto, & in renibus fiunt communes muſculo ſphincteri. A violenta retentione urinæ diu dilata provenit ſuppreſſio urinæ, ut obſervavit *Schenkins in obſerv. de urinæ ret.* & *Foreſtus lib.* 25. *obſerv.* 34. non quia fibræ ſubſtantiæ veſicæ à nimia diſtenſione facta ab urinæ quantitate ſe conſtringendi potentiam amiſerint, & conſequenter urinæ facultatem expellendi, unde iſtius ſuppreſſio, ut communiter, ſed falsò exiſtimatum fuit, cùm excretio urinæ non fiat à fibris membranæ mediæ veſicæ in formam muſculi efformatæ ſe conſtringentibus, ſed à ſola aperitione muſculi ſphincteris habeatur ſuo pondere, & fluiditate per apertam viam urina effluente aperta fluxui via, nil aliud conferentibus fibris veſicæ, niſi fluxum urinæ cum majori impetu, ſic vinum apetto orificio exit à dolio immotis lateribus, & ſi latera conſtringerentur, cum majori vi, & impetu medio preſſionis exiret, non verò conſtrictio laterum eſſet cauſa principalis exitus. Sed quia in violenta, & protracta retentione urinæ à voluntate imperata, cum magno ſpirituum animalium concurſu, & magna eorumdem energia ſuccedit conſtrictio muſculi ſphincteris reſiſtitiva, ſtimulo illius aperitionem, & dilatationem expoſtulanti, eò quia fibræ muſculi per conſtrictionem validam in rugas frequentes, minutas ad invicem cohærentes firmiter contrahuntur, ac ſi convulſione afficerentur, ut nec imperio voluntatis ab ea conſtrictione removeri poſſint, cùm ſpiritus animales determinati pro extenſione, & relaxatione fibrarum non poſſint in eas adeò conſtrictas, induratas ſpiritu, ſanguineque turgidas ſuam actionem pro extenſione exercere, ideò nec eas movere poſſunt, unde ſuppreſſio urinæ hac de cauſa neceſſaria.

A collo veſicæ contorto urinæ ſuppreſſionem obſervavit *Platerus* in Piſcatore, in quo veſica, facta ruptura in inguine in ſcrotum deſcenderat cum tumore iſtius, quem ab humore putans Chirurgus ſecavit, à ſectione urina profluxit cum ægri levamine.

Signa Iſchuriæ ab inflammatione ſunt dolor, calor in parte circa veſicam, febris ardens, ſitis magna. Si ab obſtructione, à catarrho, vel pituita, expulſio iſtius per urinam antecedens ſedimenta craſſa; ſi à grumo ſanguinis, urina præceſſit ſanguinolenta. A calculo, dolor nephriticus primò afflixit, vel urinæ cum copioſa arenula apparuere; ſi à caruncula excoriatio ab humore ſalſo, vel Gonorrhæa gallica adfuit, cum urinæ ardore, candela parva, vel cathatere fit manifeſta; ſi ab utero, vel Hæmorrhoidibus, adſunt ſigna procidentiæ illius, & tumoris iſtarum. Si à convulſione, dolores, vel partes veſicæ vicinas, vel connexas, ut inteſtina, renes, rectum inteſtinum afficiunt, vel ipſam veſicam.

Quoad curationem, pro cauſæ varietate, hæc mutanda; ſi ex inflammatione, conveniunt remedia omni inflammationi communia; ſi à materia pituitoſa, præmittatur lene laxativum materiam pituitoſam educens, ut *Mel. Roſ. ſol. ad ℥. v. cum ℥. ß. Cremor. tartar. diſſolut. in aqua Meliſſæ, vel* ʒ. *i. Pil. de Agar.*

Poſtea attenuantibus, & incidentibus materia obſtruens ad exitum diſponenda; in horum genere valdè efficacia ſunt ſequentia medicamenta, ut

℞. *Rad. Raphani recentis inciſi*, melius raſi, *irrorentur Vino malvatico, exprimatur ſuccus, dentur ℥. ij. cum ℥. i. ſucci Limonum, & ℥. ß. Sacchari candidi pulv.*

Vel

℞. *Succi Parietariæ ℥. iij.*
Succi Naſturcii aquat. ℥. i. depur. adde
Vini Malvat. ℥. iv.
Sacch. candidi ℥. i. m.

℞. *Decoct. ſem. & fol. Trifolii ℥. viij.*
Oxymel ſcil. ℥. ij. m.

℞. *Capita duo, vel tria Allia,*
bulliant in Vino albo generoſo, poſtea coletur; colat. adde
Theriacæ, vel *Mithridati* ʒ. *i.* habetur pro arcano, ſicut ſequens:

℞. *Vini Hiſpani*, vel *Malvatici ℥. iv.*
Succi Limonum ℥. i.
Spir. Terebinthinæ ℈. *i.*
Vinum decoctionis fructuum Alchekengi, & fol. Ribes nigra, dicitur certò urinam provocare, ſicut *Emulſ.* facta cum *Sem. Viol. Purpurearum cum aqua Veronicæ*. Certò urinam provocat remedium *ex Cantharidibus:*

℞. *Cantharides pul.* ℈. *i.*
Infund. in Vini acid. ℥. iij.
Stent in infuſione per diem, poſtea coletur per chartam, hujus liquoris *cochlear unum* exhibeatur in Vino, ſecunda vice duo, tertia vice tria.
Empl. ex Cæpis coctis cum Parietaria, & Butyro applicetur pubi, & perineo.

Vel

℞. *Parietariæ m. ij.*
Cherefolii m. i. ß.
Inciſa coque ad conſiſtentiam Cataplaſmatis, adde
Butyri rec. ℥. ij.
Ol. Scorp. Matthiol. ℥. i. m.

Emollientia fomenta *de morbis renum* deſcripta, ſint in uſu, quibus non conferentibus ad uſum cathateris deveniendum, præmiſſo tamen priùs balneo aquæ dulcis, cum herbis emollientibus parato, pediculi etiam priùs in uretheram immittantur.

Si à grumo ſanguinis obſtruantur urinæ meatus, eis, quæ propoſui de urina cruenta utendum; Addo *Decoctum Artemiſiæ, & Cherefolii, & Hyperici*, vel *eſſentiam iſtius. Succinum cum radice Rubiæ tinctorum*. Externè *Stercus Bovinum recens calidum, cum oleo Scorpionum pubi, & perineo applicatum.* Inſeſſus in decocto ex ſimplicibus emollientibus parato, grumos diſſolvit.

Si à

Si à caruncula, hæc corrodentibus blandis eradicanda, inter quæ excellit *Sublimatum dulcificatum cum ſpiritu vini rectificatiſſimo ſuper deflagrato ſepties*, hoc pulverizato muniatur candelæ extremitas, hæc immittatur in uretheram, & reiteranda donec nullum appareat impedimentum. Conſolidanda cicatrix cum *cerato Gratia Dei*, admixto *Præcipitato rubro optimo Vigonis*, & hoc muniatur extremitas candelæ modo ſuperiùs dicto; ſi à calculo obſtruatur veſica, ea exhibenda, quæ *de calculo renum* dicta fuerunt, & ſi ſit major, quàm capacitas orificii veſicæ, & comminui non poſſit, aliud non eſt remedium, niſi operatio Chirurgica, cum Sectione.

Si obſtruatur ab utero, ab Hæmorrhoidibus, ab ani inflammatione, curandi hi affectus remediis illis appropriatis. Clyſteres emollientes in omnibus ſupradictis caſibus conveniunt.

Si à convulſione muſculi ſphincteris, conveniunt remedia ab Hippocrate propoſita, vini potio, & venæ ſectio, & cenſeo præcisè hæc remedia hunc caſum reſpicere. Venæ ſectio ſpiritus fibras contractas tenentes debilitat, quapropter illæ faciliùs relaxantur debilitato reſiſtente relaxationi. Vini potus vim ſpiritibus addit, qua ſuperatur reſiſtentia fibrarum ad expanſionem, ideò facta ſanguinis miſſione à pede, exhibeatur unum ex dictis medicamentis cum vino paratis, addendo decoctioni *Pulegium*, *Serpillum*, vel *Chamædrios*, *Saturejam*, *Calendulam*, cum *Theriaca*, vel *Mithridato*, & *Oleo Charabe volatili*, vel *ſpir. Sal. Armoniaci*, vel *Urinæ*. Exterius pars foveatur cum decoctione ex dictis ſimplicibus cœphalicis, quæ ad emplaſtri formam applicari poſſunt, unà cum emollientibus ſupradictis; Clyſteres etiam ex iiſdem ſimplicibus emollientibus, & cœphalicis parandi.

CAP. XLV.

De Diabete.

UT clara magis evadat hujus affectus difficilis tractatio, diſtinguendæ ſunt duæ Diabetis differentiæ. Prima eſt illa, in qua *cita potulentorum mictio, ſine ulla, aut parva eorumdem mutatione in ſubſtantia, colore, odore, & ſapore ſuccedit*, itaut in Diabete eveniat potui id, quòd evenit cibo in cæliaca paſſione. Hujus Diabetis exempla multa extant apud Auctores. *Bartol. cent. 1. Hiſt. 68.* refert de mictione vini cum eodem colore, odore ſapore, quibus potatum fuit. Idem obſervavit *Hoeferus in Hercul. medic.* & *Hildan. cent. 3. obſerv. 53.* habet Diabetem, in qua lac Amygdalarum aſſumptum per urinam immutatum excretum fuiſſe. *Horſtius in ſuis obſerv. p. 397.* narrat ſe vidiſſe vinum, & emulſionem ſeminum, paulò ante ſuſceptam, unà ſimul per urinam immutata exiiſſe. Sem. Aniſi, & radiculas Apii inciſas per urinam excretas, obſervavit *Sennert. in ſua praxi de Diabete*, & *Salmuth. cent. 2. obſ. 53.* hunc Diabetem in febre maligna obſervavit, & hic eſt legitimus Diabetes, ſed rarus.

Alter Diabetes eſt *copioſus fluxus urinæ excedens valdè quantitatem potus, & ſeroſitatis in maſſa ſanguinis exiſtentis*; de hoc multa habentur exempla *in Schenkio, Sepul. Anatom. Platero, Horſtio.*

Hic dicitur Diabetes nothus, quia potulenta mutata, & ſub forma urinæ exeunt, ſed in quantitate excedenti; de hoc primò agam, poſtea de alio.

Definitur, *Copioſa præternaturalis, & continua urinæ expulſio, cum macie totius, febre lenta, & ſiti magna.*

Dicitur *Expulſio copioſa*, quia excedit quantitatem potus, ad excluſionem copioſæ mictionis à copioſo potu. Dicitur *præternaturalis*, ad differentiam copioſi fluxus urinæ critici.

Circa cauſam hujus affectus, variæ ſunt Scriptorum ſententiæ, quas poterit Lector videre in *Sennerto*, *Zacuto*, *Riverio*, *Vvilliſio*, *Sylvio Le-Boe*, *Etmull.* In hac inquirenda Hippocr. doctrina utar, qui licèt de Diabete præcisè non egerit, varia tamen de colliquationis cauſa in ſuis ſcriptis ſparſa collegi, quæ Diabeti applicari poſſunt, cùm non ſit niſi colliquatio pinguedinis ſanguinis, & carnium corporis, ut iſtius macies oſtendit.

In lib. de morb. ſacr. numer. 13. reddendo Hippocrat. cauſam, per quam morbus comitialis inveteratus curationem non admittat, ait: *Cerebrum enim eroditur à pituita, & colliquatur. Id verò, quod colliquatur aqua fit, & foras cerebrum ambit, & circumalluit*; in hac ſententia habemus colliquationem fieri à corroſione, & corroſum in aquam abire; *in lib. de vict. rat. in acut. part.* 4. de alia colliquatione, à qua febris fovetur locutus eſt, dum ait: *Qui ventrem inferiorem calidum habent, ſubeuntque acres dejectiones, & inæquales, hi à colliquatione id patiuntur.* Colliquationis cauſæ ab acri humore, addit calorem *in lib. de affect. numer.* 23. Pinguedo colliqueſcit, & à calore, qui in pituita eſt, fit aqua; colliquationem à corruptione demonſtravit *lib. de intern. affect. numer.* 24. & expresſè de urina à colliquatione agit in *lib. 2. de morb. numer.* 1. *Urina emittitur, ubi caput incaluerit, liqueſcit enim in ipſo pituita, liqueſcens autem ſecedit partem ad nares, partim ad os, partim ad venas, quæ ducunt ad pudendum; cùm autem ad pudendum pervenerit, mingit homo, & patitur quemadmodum ab urinæ ſtillicidio.*

Si incaleſcente capite nimium pituita liqueſcit in eo, incaleſcentibus nimium renibus liqueſcet ſanguis per eos circulans. Calor ſua actione valet colliquare, ſanguis habet aptitudinem ad colliquationem, conſequenter incaleſcentibus nimium renibus ſanguinis per eos circulantis, colliquatio ſuccedet, ſicuti ſuccedit colliquatio humorum à nimio calore cerebri. Quod colliqueſcit, fit aqua, ex *Hippocrat. lib. cit. de intern. affect. numer.* 24. *& de affect. numer.* 23. Sanguis colliquatus in aquam tranſibit, quæ eſt urinæ materia; ſi multum de eo colliquabitur, multum etiam urinæ congregabitur. Colliqueſcit ſanguis, quando ejus ſubſtantia ita rareſcit, ut Sero in eo exiſtenti liberam permittat ſeparationem, à qua copia Seri in maſſa ſanguinea fit conſpicua, & totum eſt aptum per poroſitates renum tranſcolare, hanc raritatem ſanguini imprimit calor: colliqueſcit etiam, quando ita rareſit, & attenuatur maſſa ſanguinea, ut propriam amittat texturam, & illam aquæ induat, eo modo quo carnes, dum colliquantur in aqueam putrilaginem abeunt, depoſita textura ſolida, & ſuſcepta illa fluidi propria. Colliquationem accipiunt primò partes oleoſæ, & pingues ſanguinis, ultimò verò partes craſſiores, & terreſtriores, ſalinæ etiam à magna calore funduntur; ſic à caleſcentibus intensè renibus colliquata maſſa ſanguinis feri, & urinæ copia cumulatur. In hujus confirmationem faciunt cauſæ, à quibus ſolet oriri Diabetes, exercitium violentum in motu, in re venerea, à quibus renes incaleſcunt, & febres ardentes accenduntur.

A corroſione colliquationem, & aquæ augmentum fieri docuit *Hippocrat. in ſupracit. lib. de morb. ſacr. numer.* 13. & *in lib. de vict. rat. in acut.* Hic modus colliquationis renibus applicari poteſt, à calore valdè intenſo illorum fermentum ad acrem, & corroſivam naturam tranſit, qua ſanguis motu circulari per eos tranſiens corroditur. Secundùm aliquam ſui portionem, & acrimoniam ei imprimit, prout videmus malam qualitatem imprimi ſanguini circulanti per partem ulceratam, & pus in parte aliqua collectum interna ſanguinem per eam circulantem, & acrimonia, & aliis pravis qualitatibus inficere, quibus ejus virtus balſamica, & nutritiva tollitur, & obliteratur.

Sanguis, ut ita dicam à fermento acri corroſus in minutiſſimas particulas reducitur, quæ ſero unitæ iſtius quantitatem augent, licèt non ſint in ſero diſtinguibiles, eo modo quo argentum ab aqua forti corroſum in tam minutas particulas dividitur, ut non ſint diſtinguibiles ab aqua forti, licèt iſtæ augeant iſtius quantitatem, cum quantitati aquæ ſuperaddatur quantitas argenti, & portio ſanguinis, quæ in ſubſtantia renum non corroditur acrimonia inficitur, qua per partes corporis circulando iſtarum portiunculas minutiſſimas abradit; quæ ob tenuitatem, & disjunctionem

ctionem unius ab alia aquæ naturam ſuſcipiunt, & ſero uniuntur iſtius quantitatem augendo, aquæ minerales acidæ, quia fermentum hoc renum acre magis reddunt; ideò etiam Diabetem aliquando efficiunt, ut obſervavit *Hildanus cent.* 5. *obſerv.* 53.

Auctum ſerum in venis à ſanguinis colliquatione, & à partium corroſione, ſeroque ex potulentis confecto unitum in renibus ſecernitur, & copioſa indè fluit urina excedens quantitatem potulentorum, & humidorum aſſumptorum.

Non ſine ratione ergo Antiqui cauſam Diabetis excedentem renum calorem dixerunt; in hoc verò aberrarunt, determinando per calorem à renibus attrahi magnam quantitatem ſeri; nam non attrahitur, ſed colliquamento ſanguinis congregatur copia excedens ſeri.

Nec Recentiores decepti ſunt, determinando cauſam Diabetis eſſe acrimoniam ſanguinis contractam in renibus à fermento illorum acrimonia corroſiva infecto; licèt urina Diabeticorum ſit dulcis, non excludit acrimoniam ſanguinis, & fermenti renum à cauſa Diabetis, quia partes oleoſæ ſanguinis, & ſuccus nutritius colliquatus, & pinguedo, & ſuccus carnium commixta, cùm ſero dulcedinem illi communicant, quam urina retinet.

Non poſſumus etiam, his admiſſis, à cauſa Diabetis excludere acrimoniam ſanguinis ab alia cauſa, præterquam à fermento renum corroſivo communicatam, cùm acrimonia à ſalibus in ſanguine collectis in prima ſui generatione, vel ab alio viſcere contracta colliquationem efficere poſſit, non abſimili modo ab eo de renum fermento corroſivo explicato.

Symptomata Diabetem concomitantia ab hac Hippocrat. doctrina explicantur; nam ſitis ab humido in urinæ copia exhauſto provenit, macies à ſucco nutritio colliquato pendet. Febris accenditur à liquamine à carnibus colliquatis fluente, quod febris alimentum vocavit Hipp.

Signa diagnoſtica patent ex definitione. Signa cauſarum ſunt dolor, & calor in regione renum, à motu, à labore, à ventre augetur urinæ profluvium, ſi à renum vitio proveniat. Si à ſanguine acri, adeſt temperamentum bilioſum, atrabilare, præceſſerunt errata ſanguinis acrimoniam augentia, ſaliva acris, & erodens, pruritus in corpore.

Prognoſtica ſunt mali ominis; nam ſi in principio negligatur curatio, in Tabem, Hecticam irreparabilem tranſit.

Indicationes patent à cauſa: Adeſt excedens calor renum, hic moderandus; Acrimonia in ſuo fermento, hæc attemperanda; laxitas, & raritas in ſanguine, hic conſtringendus.

Primam indicationem omnia refrigerantia adimplent, tam interna, quàm externa; Interna erunt *Aquæ Sonchi*, *Nenupharis*, *Lactucæ*, *Cicorei*, *Papaveris erratici*, *Emulſiones ex Seminibus frigidis* additis etiam *Seminibus Papaveris albi*; iſtis præmittatur *Bolus ex Trocis de Carabe*, vel *Pulvis præp.* iſtius *ad* ℨ. *i.* Omnia dulcia fugienda, quia calorem effervefcentia introducta augent, ſicut acida acrimoniam fermenti. Diuretica non convenire eſt communis opinio; quia ab iſtis dilatantur magis porroſitates ſubſtantiæ renum, & ita fluxus urinæ augetur, & quia diuretica, & aquæ diureticæ præcipuè fundunt ſanguinem. Ratio hæc valeret; ſi Diabetes à dicta pororum dilatatione oriretur, ſed non ſubſiſtit hæc ratio, cùm ſanguis non profluat, prout neceſſe eſſet in pororum dilatatione, aut cauſa deſcripta Diabetis, nempè calor, & fermentum acre renum, diuretica exigit refrigerantia, & attemperantia; quoad alteram rationem valet, ſi loquamur de diureticis, quæ ſanguinem fundunt, & de acidis vitriolicis, & dealuminoſis, quæ acrimoniam fermenti renum augere poſſunt, ſed non excludit, quæ neutrum iſtorum efficiunt; & ſunt Aquæ diureticæ ſimplices, ut *Aqua Noceræ*, neque poteſt dici ab aquis laxari maſſam ſanguinis, ideòque ſeri ſeparationem faciliorem fieri; quin potiùs afferendum magis confirmari, & conſtringi texturam ſanguinis, dùm cauſa fundens, quæ eſt calor debilitatur, & aqua laxat ſanguinem, quando in eo remanet, non quando per urinam citò expellitur. *Balneum Aquæ dulcis* primas partes tenet, & præcipuè Aqua alterata cum *Lactuca*, *Nymphæa*, *Endivia*, *fol. Vitis Salicis*, *Plantaginis*, & à balneo herbæ dictæ in cataplaſmatis formam redactæ cum *farina Hordei*, lumbis applicentur, inunctio etiam *Unguenti refrigerantis*, *Santalorum*, addita *Camphora* exercenda.

Secunda indicatio perficietur cum *Decocto Plantaginis*, *Equiſeti*, *Burſæ paſtoris*, quæ pro ſpecificis habentur in hoc affectu, addendo ſanguinem *Symphiti* deſcriptionis *Quercetani*, & ter in die exhibendum *ad* ℔. *i.* vel *Decoctum radicis Tormentillæ*, *Biſtortæ*, *Conſolidæ majoris*, cum *pulv. Lapidis emathites naturalis præparati ad* ℥. *i.* vel *Lapidis emathites artificialis compoſiti ex Vitriolo Martis*, & *Sacch. Saturni*, deſcribitur *in Miſcell. Curioſ. anni* 2. *pag.* 227. *Lac Chalybeatum cum Philonio Perſico* idem præſtat.

Tertiæ indicationi ſatisfaciunt *Tinctura Antimonii*, *Antimonium Diaphoreticum*, *Tinctura Tartari*, *Charabe*, *Crocus Martis adſtringens*, *Coralli*, & *eorum Tinctura*.

℞. *Charabe præp.* ℨ. *i.*
Antim. Diaphor. ℈. *i.*
Croc. Mart. adſtringen. ℈. *i.* ß.
Coral. rub. præp. ℨ. ß.
Rad. Torment. ℨ. *i.* ß.
f. p. ſimul, & ℨ. *i. iſtius pulveris exhibeatur*, *cum* ℔. *i. Lactis Chalybeati*: Commendatur etiam ſequens pulvis:

℞. *Gum. Arab.*
Bol. Armen.
Balauſt. } *a.* ℨ. *v.*
Sumaci
Gland.
Amyli
Gum. Tragachanti, } *a.* ℨ. *iij.*
Sem. Lactucæ,
Portulacæ
Santal. Albi ℨ. *i.*
F. Pul. exhibetur ad ℨ. *iij. cum Succo Granatorum acidorum.*

De Purgatione, & ſanguinis miſſione non egi, quia huic morbo non convenire cenſeo, ſicut in omni colliquatione; & ratio manifeſta deducitur à cauſa, à calore nempè renum, à fermento illorum cum acrimonia, quibus venæ ſectio nihil levaminis præbet, præterquamquòd vires, quæ in omni humorum colliquatione ſunt debiles, non permittunt. Clyſteribus tamen utendum ad alvum apertam detinendam.

Diœta lactea ſupra quodcumque aliud remedium convenit, iſtius modum vice apud *Mortonum de Phthiſi*, & cum hac exhiberi poſſunt dicta remedia, Si ab acrimonia ſanguinis à propriis ſalibus exaltatis, vel à vitio alicujus viſceris contracta. Diabetes proveniat eiſdem attemperantibus, & refrigerantibus ſupra deſcriptis curabitur.

Diabetes verus eſt *potulentorum non immutatorum cita mictio*. In hoc affectu tria uniri neceſſe eſt: Parvam, & breviſſimam moram potus in ventriculo, itaut nec cum cibis miſceatur, dum exit immutatus; à mixtione enim iſtorum immutaretur, cum liquida, quia raræ, & facilè ſolubilis texturæ ſunt, mutationem citò, & alterationem ſubeant, quare dum potiùs immutatus per urinam exit, vix in ventriculo immorari putandum eſt. Viam deſignant Medici pylorum relaxatum, ſed urget maxima difficultas, quia pyloro relaxato exeat potus immutatus, & non exeat cibus. Secunda eſt potum modo dicto immutatum maſſam ſanguinis non ingredi, ut via regia ad renes feratur; nam impoſſibile eſt potum ſanguini miſceri, & per circuitum totius ferè corporis cum eo circulari, & non ſubire mutationem. Tertium eſt, quòd ſtante hac excretione potus immutati per urinam cogimur aſſerere adeſſe aliquam viam à cavitate ventriculi ad renes recta deferentem, quæ via ſit à Natura deſtinata ad alios uſus, non ad deferendum potum ad renes, quia talis delatio dicitur præternaturalis. De hac via nihil luminis habemus, tamen ab affectu prædicto comprehendimus illius exiſtentiam.

Renum

Renum laxitas in hujus morbi cauſa etiam ſtatuitur, ſed non video, qua ratione renes accuſentur; nam quod excipiant potulenta eſt eorum officium, quod excipiant immutata non eſt eorum culpa, ſed partium mutationi iſtarum præſidentium.

Curatio hujus affectus per adſtringentia, oſtendit cauſam eſſe laxitatem partium à ventriculo ad renes, quarum vero partium ignoramus. Adſtringentibus ergo utendum ſuperiùs deſcriptis, & etiam in Diſſertatione *de fluxibus albi*, *de Vomitu*, & *ſputo ſanguinis*.

C A P. XLVI.

De Urinæ Incontinentia.

DEfinitur, *Involuntaria urinæ emiſſio*. Eſt *involuntaria*, quia præter voluntatis imperium emittitur, & reſiſtente etiam patiente exit, ideòque morboſa, & præternaturam, quia, ut dixi, appoſitus fuit muſculus ſphincter inſtrumentum motus voluntarii collo veſicæ, ut voluntate imperante, ex determinatione irritamenti aperiretur muſculo dilatato orificium veſicæ, & urina expelleretur; ex quo patet involuntariam urinæ emiſſionem eſſe ex vitio muſculi ſphincteris.

Ideò reſoluto prædicto muſculo veluti paralyſi affecto urina involuntariè exit. Reſolutionem patitur ob eaſdem cauſam paralyſim inducentes, à nimia frigiditate conſtipante, & ingreſſum ſpiritibus animalibus in fibras nerveas muſculi interdicente, à copioſo fluxu materiæ ſeroſæ fibras prædictas laxante, ut contrahi non poſſint, pro conſtrictione, & clauſura orificii; Contuſio nervorum ad maſculum dictum tendentium iſtorum motum impedit, & etiam influxum ſpirituum animalium ad eos, ideò in caſu ab alto contuſa parte lumborum, oſſis ſacri, à quibus oriuntur nervi per ſphincterem diramati, urinæ incontinentia advenit, quod contigiſſe ex luxatione vertebrarum in dictis locis, aſſerit *Zacut. Luſit. lib. 2. Princip. medic. Hiſt.* 143. *Schenkius lib.* 3. *obſerv. Amat. Luſit. cent.* 2. *ver.* 11. Debilitas fibrarum prædictarum incontinentiæ urinæ cauſam præbet, quando vi ſtimuli in eas directa cedunt, & laxantur voluntate renitente; debilitas oritur à textura flacida, & laxa fibrarum, & à ſpiritu animali torpido; inerti; ab hac cauſa oritur incontinentia urinæ in ſenibus, in pueris, cùm noctu mingunt involuntariè, cui cauſæ accedit deficiens voluntatis imperium pro illius retentione, dum profundo ſomno immerſi pueri ſenſus communis arctè ligatur, nec percipit actionem ſtimuli, & voluntas non monita à ſenſu communi de neceſſitate reſtringendi magis muſculum non mittit auxiliares copias ſpirituum in ſubſidium hujus neceſſitatis. Ab eadem cauſa fit urinæ incontinentia à lapide veſicæ, ob vim irritamenti ſuperantem reſiſtentiam fibrarum conſtituentium orificium veſicæ. In gravidis, utero compreſſione ſtimulante orificium veſicæ in ultimis gravidationis menſibus, fit urinæ incontinentia, præterquamquòd uterus valdè diſtenſus vaginam pudendi mulierbris diſtendit, & hæc in eamdem diſtenſionem trahit orificium veſicæ in dictam vaginam hians, unde neceſſarius urinæ fluxus involuntarius. Laceratio dictarum fibrarum facta, vel in ſectione, pro extrahendo lapide, vel in partu difficili urinæ incontinentiam immedicabilem parit.

Signa diagnoſtica per ſe ſunt manifeſta. Signa cauſarum, ab earum præſentia, & à ſubjecto, in quo morbus incidit, colliguntur.

Prognoſtica; à vitio nervorum timenda eſt urinæ incontinentia, febribus ſuperveniens lethale ſignum; in Senibus eſt immedicabilis, in pueris, & juvenibus admittit curationem, ſi verò ultra vigeſimum tertium annum perduret eſt incurabilis.

Cura perficitur ſpecificis, potiùs quàm purgantibus, & manifeſtè alterantibus, excepta cauſa paralyſis, in qua adhibenda remedia pro hujus curatione loco proprio deſcripta, cum hac animadverſione, quòd externa remedia ſunt applicanda lumbis, & oſſi ſacro, à quibus oriuntur nervi tendentes ad ſphincterem, & etiam perineo, ubi ſitum eſt collum veſicæ.

Specifica multa ab Authoribus proponuntur *Agrimonia*, & *Taraxacum*, *guttur Galli exſiccatam*, *veſica*, & *ungues Capræ in olla exſiccata. Erinaceum in olla combuſtum*, hæc omnia prædicantur pro infallibili remedio adverſus incontinentiam urinæ. Sequentes pulveres commendantur:

℞. *Erinacei combuſti in olla*, } a. ℥. ß.
Gutturis Galli exſiccati
Ventriculi Gallinæ præp.
Agrimoniæ ℥. *iij.*
Copularum glandium ℥. *ij.*
F. P. doſis ℨ. *i. ad* ℨ. *ij. in aqua Agrimoniæ*, *vel in Vino Auſtero.*

℞. *Stomaci Gallin. præp.* } a. ℨ. *i.*
Maſticis
Galang.
Agrimoniæ } a. ℈. *ij.*
Ocul. Canc.
Alchimillæ
Copularum glandium ℨ. *ij.*
Nucis moſc. ℨ. *i.*
Erinacei combuſti ℥. *i.*
Sacch. ℥. *ij.*
Detur ad ℨ. *ij. in aqua Plantaginis.*
Maſtix } a. ℨ. ß.
Thus
Gum. Arabici
F. P. exhibendus in Vino, ubi adeſt incontinentia urinæ à ſtimulo valido, & in Senibus.

C A P. XLVII.

De Obſtructione Meſſenterii.

OBſtructionis nomen iſtius naturam, & eſſentiam in genere aperit, dum clauſuram, obſtructionem dicit, quæ impedimentum in corpore cava connotant alteri corpori ingreſſum excludens; unde definiri poteſt prædicta obſtructio: *Vaſorum meſſenterii impedimentum in cavitate iſtorum, vel in poroſitatibus ſuarum glandularum exiſtens, humorum fluxum per ea prohibens, cum ſtagnatione humoris ejuſdem.* Sic impedimentum in aquæductu impediens fluxum aquæ, dicitur obſtructio aquæductus, & aqua ab impedimento detenta, amiſſo motu, ſtagnat.

Hoc docuit *Hippocrat. in lib. de loc. in hom. numer.* 38. ubi explicaturus generationem febris ab obſtructione cutis, ait: *Febres porrò propterea fiunt; cùm corpore ſuperinflammato* (hoc eſt excalefacto) *carnes intumuerint*, & *pituita*, & *bilis concluſa quieverit*, & *neque refrigeretur*, *quicquam neque exeat*, *neque moveatur*, *neque aliud quid ſubeat.* In illis verbis, & *pituita*, *ac bilis concluſa quieverit*, obſtructionem, & impedimentum deſignat; quieſcens enim corpus in cavitate aliqua hanc obſtruit, itaut neque aliquid ab ea cavitate exire poſſit, neque per eam moveri, neque aliquid de novo ſubire; hæc prohibitum fluxum humoris novi, ſtagnationem concluſi probant, & tale eſt impedimentum, ut non ſolùm corpus craſſum fluidum à motu ceſſet, ſed aliquando neque corpus rarum, ſubtile, ut eſt fuligo, & exhalatio ab humore ſtagnante exiens tranſpiret; quod innuit Hippocrat. in illis verbis, & *neque refrigeretur*; humores enim refrigerantur per expirationem ſuarum fuliginum calidarum, & febres ab obſtructione fiunt, quia impeditur paulatina exhalatio fuliginum humoris in obſtructo vaſe contenti, quæ ſi ſuccedat, eſt obſtructio ſine febre.

Cauſam obſtructionis exponit Hippocrat. in illis verbis, & *pituita*, *ac bilis concluſa*, ideſt clauſa, fixata quieſcerit, dum quieſcunt iſti humores cavitatem vaſorum occupant, advenientemque humorem remorantur, & iſtius fluxum impediunt, ideòque obſtruere dicuntur. Humor quieſcit, quando capacitas vaſis non eſt proportionata craſſitiei humoris, ideò obſtructio fit ſemper in ea parte vaſis, quæ eſt magis anguſta, nempè in ramificationibus capillaribus vaſis; in ampla enim vaſis capacitate humor etiam craſſus fluit,

fluit; nec in humoribus eſt talis craſſities, quæ amplam vaſorum capacitatem obſtruere valeat, & humor, qui à capillaribus ramificationibus excipitur in truncum vaſis aſcendens, hoc obſtructione numquam impediet, quia ab anguſto ſpatio in ampliorem tranſit, & ſi anguſtum non obturavit, multo minus amplum, quapropter obturatio, ab humore per vaſa fluente neceſſe eſt, ut ſuccedat ſolùm quando humor ab amplo ſpatio in anguſtum deſcendit. Quælibet enim craſſities humoris fluidi invenit in amplo ſpatio capacitatem ad fluxum, quam non invenit in anguſto, unde in hoc quieſcere cogitur, cum obſtructione vaſis; quod contingit etiam quando humor exiens à vaſis capillaribus unius generis debet ingredi capillaria vaſa alterius, ut quando exit ab arteriis capillaribus, & ingredi debet venarum capillares ramificationes; ſi ob craſſitiem portio humoris ingredi non poſſit, anguſtum ſpatium venarum capillarium iſtarum orificia occupat, circa hæc ſtagnat, & obſtruit cuilibet fluido ingreſſum interdicens. Hinc patet ignominioſa ſupplantatio illorum Medicorum, qui ægros commonent de obſtructione in meſſenterio compreſſione manus ſupra ventrem percepta, cùm impoſſibile ſit vaſorum capillarium obſtructiones meſſenterii, ſolo tactu, & compreſſione ventris diſtinguere, ſtante impedimento integumentorum, & inteſtinorum, & obſtet profunditas ſitus illarum.

Varii generis per meſſenterium diramantur obſtructionis ſubjecta, à qua varii generis morbi pullulant. Primò ſunt venæ lacteæ, quæ ſub cruſta inteſtinorum tenuium incipientes ad meſſenterii glandulas tendunt, ad has chylum ab inteſtinis ſuſceptum deferentes. Secundò arteriæ, quæ eiſdem glandulis ſanguinem pro eorum nutrimento impertiunt. Tertiò venæ, quæ ſuperfluum à nutritione ſanguinem ſuſcipiunt, ad cor revehendum. Quartò adſunt nervi ſpirituum animalem contribuentes, & adſunt vaſa lymphatica à glandulis derivata, & lympham ab iſtis præparatam, vel ſeparatam ad magnam meſſenterii glandulam aſportantia. Quintò adſunt glandulæ ipſæ, quæ licèt vaſa dici non poſſint, vaſorum munere funguntur chyli translationi ſerviendo, & lymphæ præparatæ fluxui ad vaſa lymphatica viam concedendo.

Si venæ lacteæ obſtruantur, chylus per inteſtina deſcendit, ut in fluxu cæliaco cum macie totius. Si in arteriis capillaribus adveniat obſtructio, ſanguis ſtagnat, & ex continuo fluxu iſtius tumor inflammatorius, vel tumor cum pulſatione, qui dicitur *Aneuriſma*. Si venæ obſtructæ ſanguinem ab arteriis effuſum non reaſſumant, hic ſuppuratus abſceſſuum parit. Si ſanguis craſſus coaguletur, & fixetur in glandula, fit tumor durus in iſta, qui dicitur *Struma*, quo nomine omnes tumores glandularum duri appellantur. Si vaſa lymphatica obſtruuntur, lympha ab obſtructione retenta, & cumulata ea dilatat in Hyatides, & à dilatatione ruptio, & aquæ, ſeu lymphæ fluxus in cavitatem abdominis, unde Aſcites. Si in nervis glandularum obſtructio ſuccedat, volatilizatio in chylo deficit, cùm hæc habeatur ab admixtione ſpiritus animalis volatilis cum eo, & ob iſtorum motum, quibus ſummè maſſa chyli, & ejus particulæ attenuantur; hinc craſſities iſtius, & ſanguinis, & cachexia. A prædicta obſtructione emaciantur glandulæ eo modo, quo pars paralytica emaciatur, & fermentum depurans, & perficiens chylum extinguitur, cum imperfectione craſſitiei. Glandulæ obſtruuntur, quando iſtarum poroſitates pro majori parte occluduntur, per quas tranſcolatur chylus, pro totali ſua depuratione, & pro ſuſcipienda fermenti perfectivi actione; hinc chylus per paucas poroſitates apertas fit imperfectus ſanguinis depravationi inſerviens, & cachexiæ.

Obſtructionis ſubjectum ſunt etiam venæ, & arteriæ ſparſæ extra glandulas per ſubſtantiam meſſenterii, cum tumore in partibus, quibus inſeruntur, ab hoc quandoque inflammatio, abſceſſus, & minera febrilis oritur, ſed raro cum chyli, & ſanguinis depravatione; vaſa verò glandularum, quia magis anguſta, frequentiùs obſtructione afficiuntur, cum chyli, & ſanguinis depravatione.

Ab his deducitur, ſubjectum principale obſtructionum in meſſenterio eſſe iſtius glandulas, cum vaſis appenſis, & etiam venas, & arterias per ſubſtantiam meſſenterii diſperſas, & cauſam immediatam obſtructionis eſſe humorem craſſum, viſcoſum in cavitate vaſorum, vel poroſitatum glandularum quieſcentem, & fixatum, & adhærentem.

Hujus humoris originem, non eſt adeò facilè determinare. Communiter hic humor craſſus cenſetur eſſe primarum viarum, & præcipuè ventriculi cruditatem collectam in alimentorum digeſtione, vel in eorum depuratione, & defœcatione in inteſtino duodeno vitio facultatis digeſtivæ, vel fermenti ventriculi, vel vitio fermentationis, & effervescentiæ bilis, & ſucci pancreatici; hæ cruditates cum chylo mixtæ, ad glandulas, & vaſa meſſenterii deferuntur, ibique obſtructiones ſua craſſitie pariunt. Verùm tamquam improbabilem hanc ſententiam multi Recentiores damnant, quia via chyli ab inteſtinis ad lacteas venas, nempè filamenta bombacina dicta, per quæ chylus ab inteſtinis filtratione lactea vaſa ingreditur, adeò anguſti orificii eſt, ut particulas minimas craſſiuſculas excludat, & ſubſtantia chyli in vaſis lacteis per Anatomen obſervata, limpidiſſimam aquam æmulatur, itaut ſpiritus lacteus ab aliqua ſubſtantia extractus videatur ſine admixtione corporis alicujus ſenſibiliter craſſi; quapropter ſi in chylo talis humor craſſus, viſcoſus obſtructioni generandæ aptus non reperitur, ſequitur etiam vitio chyli obſtructiones non fieri nec in lacteis, nec in glandulis eorumque vaſis; nec in ſanguinea maſſa materiam obſtructioni aptam ineſſe credendum eſt, cum hæc totum, quod habet, à chylo acceptum referat.

His non obſtantibus credendum eſt à ſanguine, & à chylo materiam vaſa accipere, qua obſtruuntur. In ſanguine materiam craſſam inveniri cuilibet obſtructioni etiam in magnis vaſis idoneam, manifeſtum faciunt fibræ in ſanguine exiſtentes, quarum medio refrigeratus, vel extravaſatus concreſcit, & materia illa albicans ſanguini extracto, & refrigerato ſupernatans ad altitudinem quandoque medii digiti adeò denſa, & viſcida, ut ſectioni cultri reſiſtat, & quæ in corporibus ſanis, præcipuè tempore hyemis, & in principio Veris obſervatur, ſi è corpore ſano etiam ſanguis emittatur; materia illa craſſa, viſcida, mucilaginoſa in urinis ſubſidens, & iſtarum ſedimenta craſſa idem probant. In chylo, licèt materia craſſa actu non obſervetur, & non diſtinguatur, experientia tamen conſtat in materiam craſſam, & denſam abire, & concoctione ad ſimilitudinem albuminis ovi inſpiſſari, id apertum fit in lympha, in ſero ſanguinis nutritio, quæ in textura, & multis conditionibus cum chylo conveniunt; præterquamquòd licèt in chylo non ſit diſtinguibilis humor craſſus, poteſt tamen in eo exiſtere: quis in aqua limpida per aquæductum diſcurrens obſervat lutum, & arenam? & tamen in aquæductum, aqua illa limpidiſſima, & arenam, & lutum deponit, quia hæc arena, & lutum in minutiſſimas particulas ſenſu imperceptibiles diviſa, & ſparſim in aqua diſſeminata erant, quæ paulatim præcipitata, & in unum collecta, in aqua præexſtitiſſe à ſenſu non perceptibilia, oſtendunt. Non diſſimili modo in digeſtione alimentorum in ventriculo, & in eorum depuratione in inteſtino duodeno partes craſſæ excrementitiæ chyli comminuuntur in minimas particulas, vel in ſubtiliſſima filamenta ducuntur, ut non ſint diſtinguibilia, & præ illarum comminutione, & ſubtili extenſione adeò parvæ evadunt, ut anguſta lactearum orificia ingredi poſſint, unà cum ſpiritoſis, & ſubtiliſſimis particulis tenuioris conditionis; cum verò in lactea vaſa, & in glandulas meſſenterii receptæ fuerint dictæ particulæ, ſi ſecedant ab aliis, & invicem aſſocientur, humorem craſſum, & denſum efformant, à quo obſtructione, & vaſa, & glandulæ impediuntur; facilis autem eſt iſtarum ſeceſſus, & præcipitatio, quia cùm excrementitiæ ſint naturæ, non admittuntur ab alimentalibus ad mixtionem cum illis, ſed ab his ejiciuntur, unde præcipitatio, & ſeceſſio earum emergit.

Inclinatio tamen ad craſſitiem contrahendam, quam habet chylus, & ſanguis, de qua ſupra mentionem feci, ſunt cauſa principalis congregationis talis humoris: conſiſtit hujuſmodi inclinatio reſpectu chyli in acido

cido excedente, quod in digeſtione accepit à fermento nimis acido ventriculi, vel ab alia cauſa de cruditate acida deſcripta; hoc acidum quotieſcumque à particulis balſamicis ſpiritoſis, & alimentalibus chyli reprimitur nullum infert detrimentum, quando verò ab eorum mixtione ſolvitur, & dominium uſurpat in maſſa chyli, vel intra venas lacteas exiſtente, vel in glandulis commorante, tunc ſecundùm aliquas portiones coagulatur, & in humorem craſſum obſtruentem degenerat. In hoc ſenſu accipienda communis doctrina de cruditate ventriculi, quæ ſit cauſa obſtructionum. Si enim accipiatur pro cruditate craſſa, huic non permittitur ingreſſus intra lactearum orificia, ſed ſolùm illi tenui, habenti inclinationem ad coagulationem modo explicato. Pariter ſi acidum fermentum glandularum à multis admiſſum pro lymphæ generatione, excedat, & ſit nimis in aciditate activum, ſuſceptum in ſuis poroſitatibus chylum coagulat, & condenſat, cùm proprium ſit acidi fixi ſalini coagulare, & condenſare; Sic etiam glandulæ ſuſceptam ſeroſitatem ab arteriis in lympham præparandam aciditate condenſando in humorem craſſum obſtruentem commutant, & ſanguinem ipſum per has circulantem condenſando diſponunt, ut per capillares venas tranſire non poſſit, ſed in eis immoretur, & quieſcat, cum obſtructione dictorum vaſorum: Acidum in ſanguine excedens, vel cauſa chyli nimis acidi, vel cauſa alia externa, vel cauſa depravatæ effervescentiæ, humores craſſos in corpore cumulat obſtructionum cauſa. Ab his habemus, acidum eſse ſemper principium humoris craſſi, & conſequenter obſtructionis principalem cauſam.

Ab Antiquis deſignata fuit talis cauſa in humore melancholico acido contumaciſſimas obſtructiones parientе, in pituita, quam acidam, & auſteram denominarunt, & demonſtrata in curatione obſtructionum, omnia enim ab ipſis dicta deobſtruentia acidum debellant; pro hac doctrina faciunt quæcumque dicta ſunt de Ictero nigro, de Cachexia ab humore melancholico, & de cruditate ventriculi acida.

Hinc animadvertendum obſtructiones eſse producta potiùs morborum, quàm cauſæ iſtorum, ſemper oriuntur à ventriculi, & ſanguinis morboſa indiſpoſitione; id obſervamus in morbis longis, & chronicis, in quorum principio nulli hypocondriorum tumores, nulla duritics in abdomine, & in augmento, & declinatione, ubique tumores, ubique durities, quæ non ſunt cauſæ morbi longi, ſed producta iſtius, eò quia à morbo longo depravata maſsa ſanguinis in cachochimiam degenerat, & ab excrementorum redundantia vaſa in partibus Hypochondriorum obſtruuntur Lienis, & Hepatis, & Pancreatis Parenchimata, & poroſitates humore craſso inſaretæ tumores præbent.

Si ab acido ventriculi, & glandularum, & ſanguinis excedenti, ſeu exaltato obſtructiones oriuntur, rejicienda venit ſententia Antiquorum, & etiam noſtræ ætatis Medicorum determinans obſtructiones meſsenterii ab intenſo calore hepatis, ventriculi calorem debilitante; & ad ſe ipſum tamquam cucurbita trahente, à calore debilitato cruditatum proventus, à quibus obſtructiones.

Calorem hepatis incraſsare humores in vaſis Hypochondriorum, ut cum Antiquis hodie etiam Medicorum ignara plebs tenet, à circulatione ſanguinis falſum eſse demonſtratur; impoſſibile enim eſt humorem in continuo motu exiſtentem à qualibet cauſa etiam intenſè calida incraſsari, cùm vix incaleſcat, ut patet in aqua decurrente, ſub radiis ſolaribus Æſtatis tempore. Ulteriùs ſemper cum obſtructionibus meſsenterii conjuncta eſse deberet illa totius Hepatis, quia ſi calor iſtius diſtantes humores in vaſis meſsenterii exiſtentes incraſſat, & adurit, multò magis debet incraſsare, & adurere humores in propriis permanentes, ſed obſtructio meſsenterii adeſt ſine obſtructione hepatis multoties, ut colligimus ab ipſis Auctoribus, conſequenter talis cauſa rejicienda. Triplex membrana ventriculum componens hanc tranſpirationem caloris à cavitate ventriculi ad exteriora prohibet, & præcipuè exterior à peritoneo derivata, cujus poroſitates à calore excedente, quia exſiccante potiùs reſtringuntur, quàm dilatentur, ut patet in foliis membranæ pergamenæ; & ſi dilatantur pori dictarum membranarum, major quantitas particularum calidarum à ſupraſtantibus partibus in illas influere oportet, cum caloris augmento potiùs, quàm detrimento.

Addo, calorem à natura partibus concedi determinatum à menſura ſui officii, quæ ſibi ſolùm proſpiciunt parùm caloris largita eſt natura, plus verò illis, quæ ſibi, & aliis, multùm illis, quæ ſibi, & toti. Hepar ſibi ſolùm proſpicit calore ſuo, quo utitur pro unica ſui nutritione, cùm à munere ſanguificationis exemptum fuerit evidenti demonſtratione deſumpta à venis lacteis, ab ejus ſubſtantia ſeparatis. Et ſolùm relictum eſt munus percolatorii in ſecretione bilis à ſanguine, in quo caloris actio non requiritur, cùm à ſola diſpoſitione organica perficiatur. Si calor in hepate ex ſui natura eſt debilis, impotens etiam erit ad incraſsandum ſanguinem in vaſis meſsenterii, & ad dilatandas ventriculi porroſitates, etiamſi præternaturam intendatur. Præterquamquòd calor hepatis ſuum augmentum debet ſuſcipere ab arterioſo ſanguine, à quo omnes partes ſuſcipiunt, ſicut ejuſdem ſuſcipiunt conſervationem, & hepar parvas habet arterias, conſequenter ad parvam intenſionem caloris perveniet, quæ eſt inſufficiens ad præſtandos illos effectus, quos decantant Antiqui, & ſuprà recenſiti.

Signa obſtructionum meſsenterii ſunt calor in Hypochondriis, quæ eſt effectus obſtructionum ob impeditam tranſpirationem humorum in vaſis obſtructis, non cauſa obſtructionum, hic calor à cibo augetur, à cibo enim quiſque incaleſcit, quapropter magis incaleſcunt, qui calorem cum aliquo exceſsu à cauſa præternaturali receperunt; pulſatio arteriæ in dorſo, vel in Hypochondrio, præcipuè cum glandulæ meſsenterii tumefiunt, comprimunt enim ramos arteriæ cæliacæ, & ex iſtarum compreſſione pulſatio fit valdè ſenſibilis, eo modo quo à compreſſione arteriæ in carpo manus facta magis arteria pulſat, & vehementiùs. Gravitatis ſenſus in Hypochondriis à cibo eſt ſignum obſtructionis, non ſolùm quia ventriculus plenus cibo partes meſsenterii obſtructas comprimendo, ſenſum gravitatis in iſtis partibus efficit, ſed etiam quia calor in fermentatis alimentis exiſtens introducta effervescentia, & incaleſcentia in humore in partibus obſtructis contento, ab hac vaſa iſtarum valdè diſtenduntur cum gravitatis ſenſu.

Ab eadem incaleſcentia humores in vicinis partibus contenti effervescentes, vapores ad caput, ad cor transmittunt, cum paſſione, & moleſtia utriuſque. Ab eodem calore etiam in materiam craſsam, & cruditates in inteſtinis ſtabulantes agente, flatus, & rugitus in ventre fiunt. Difficilis reſpiratio ſæpè moleſtat, quia ab inflato à flatibus ventriculo elevatur, ſuſtentaturque diaphragma ſurſum verſus pulmones, cum impedimento ſuæ liberæ, & expeditæ extenſionis, & conſtrictionis, unde difficilis reſpiratio.

Prognoſtica. Per ſe non eſt affectus lethalis, moleſtorum tamen ſymptomatum radix, & ad Cachexiam, & Hydropem viam parat.

Curatio obſtructionum à cauſis petenda; hæc cùm ſit aciditas excedens ventriculi, moderanda, & ad ſtatum naturalem reducenda; & quia ventriculus cum hac imperfectione cruditatibus redundat, hæ evacuandæ priùs lenientibus ſolùm, & cum *Aqua Tetutii*. Sanguinis miſſio nullum habet locum, quia iſtius nulla abundantia, & ſi habet vitium, hoc eſt in qualitate, ideò alterantia contraria exigit; & quia hoc vitium eſt in acido, ideò eadem remedia ſupradicta de cruditate acida ventriculi, de Cachexia pituitoſa, & melancholica conveniunt. Obſtructio, cùm ſit ab humore fixo quieſcente, attenuantia, & incidentia, & volatilitate motum communicantia exigit; talia ſunt acidum infringentia, itaut tota cura redigatur ad remedia, quæ acidum temperant.

Inter hæc numerantur ſimplicia, & mineralia: Primi generis ſunt *Cochlearia*, *Beccabunga*, *Naſturtium aquaticum*, *Raphanus ſylveſter*, *Piperites*, *Ruta muraria*, *Abſynthium*, *Fumaria*, *Marrubium*, *Hyſopus*, *Centauria minor*, *Chamædrios*, *Perſicaria*, *Milzatella*,

la, *Lingua Cervina*, *Cicuta*; omnes herbæ Cephalicæ, *Radix Angelicæ*, *Helenii*, *Gentianæ*, *Scordii*, *Contrayervæ*, *Vincetoxici*, *Radix. Aſari*, *quæ in ſubſtantia*, *& vino exhibita*, *eſt vomitiva*: *in aqua eſt aperitiva*, *deobſtructiva*; *Juniperinum lignum*, *& iſtius grana*, *Cortices Tamariſci*, *Fraxini*, *Saſſafras*, *grana Sambuci*. Ex iſtis parantur Decocta, Syrupi, Apozemata, Oximel; Aquæ, Spiritus, Succi; & ſi iſtis adjungantur purgantia, ſed in doſi, qua blandè moveant, componunt medicamentum ſingulare ad tollendas obſtructiones, eodem enim tempore, quo humores attenuantur, & inciduntur, etiam purgantur.

Purgantia magis propria ſunt *Rhaubarbarum*, *Fol. Sennæ ſine caudicibus*, *& rad. Hellebori nigri*, *& pro qualibet libra Decocti infundantur* ℥.*ii. cujuslibet*; notandum cum *Etmullero*, purgantibus addendum ſemper *Sal. Tartari*, quod eſt menſtruum extrahens purgantium virtutem.

Medicamenta in hoc morbo minus ingrata, ſunt vina parata cum dictis Simplicibus; hæc in Sacculo uniuntur, inciſa, ſi viridia, leniter pulverizata, ſi ſicca; alius pariter paratur nodulus cum purgantibus eodem modo præparatis, quibus ſemper addatur *Sal Tartari ad* ℥. *iii.* *&* ℨ. ß. & iſti noduli in vino infunduntur, quod in loco calido, vel ſupra cineres calidos per duos dies reponendum, & de hoc bibendum bis in die, & pro quantitate purgationis, vel minuenda, vel augenda quantitas vini, vel medicamentorum purgantium. Formulas nodulorum, vide in *Etmullero fol.* 161. *& fol.* 235. *inſtitut. medic. theſi.* 12. *& de Obſtructione partium Abdominis*.

Mineralia remedia ſunt ex *Marte*, ut iſtius *tinctura*, præcipuè cum ſucco pomorum præparata, *Crocus Martis aperitivus*, *Tartarum Chalybeatum*, *Syr. Chalybeatus*, *Oximel Chalybeatum*, & etiam *Chalybs* in ſubſtantia modo ſuperiùs deſcripto; vel cum aliis infundantur *limatura Chalybis* in nodulo ſeparato, ideò *pulvis Cachecticus Quercetani*, ſummæ eſt efficaciæ. *Antimonium*, *tinctura iſtius*, *& Diaphoreticum*, *& Nitrum ſtibiatum*, *& Tartarum*, ut tinctura ejus, ſed præcipuè *Sal tartari volatilizatum*. Hujuſmodi remedia miſceri poſſunt cum ſupradictis.

In horum remediorum uſu ſtolidus timor abjiciendus, quem caliditas illorum aliquibus Medicis incutit, qui obſervantes calorem in obſtructionibus vigere, calida rejiciunt remedia, ne calorem augeant, cùm calor in obſtructionibus non ſit conſiderandus, ut cauſa iſtarum, in quo caſu eſſent rationabiliter timenda remedia calida, ſed conſiderandus ut effectus obſtructionum, prout ſuperiùs dicebam, ideò calidis, ablata cauſa caloris, nempè obſtructionibus reſeratis, ceſſat neceſſariò calor, & in hoc verificatur doctrina *Hipp.* aliàs allata *de loc. in hom. Curationes morborum perfici*, *& contrariis*, *& ſimilibus*. In hoc caſu, in quo adeſt calor, ſed ab obſtructionibus, extinguitur remediis calidis, quæ reſerant obſtructiones cauſæ caloris.

Licet hìc animadvertere *Hipp. in cit. loco de loc. in hom. num.* 38. ubi verè agit de obſtructione carnium, & cutis, pro curatione ſudorem promovere, & nos docet in omni obſtructione ſudorem promovendum eſſe, cùm hic ſemper ſuccedat cum humorum attenuatione, & fuſione, & quæ ſudorem excitant, obſtructiones etiam tollunt.

Diœta debet eſſe optimi ſucci aromatibus mixtis, à quibus acidum infringitur vinum generoſum, licèt videatur acido contrarium, dum ex Hipp. *famen ſedat*, tamen quia auget ſymptomata hujus morbi, nempè calorem, & evaporationes ad caput, & ad cor, ab eo abſtinendum.

FINIS LIBRI TERTII.

LIBER QUARTUS.

IN LIBRUM

HIPPOCRATIS

DE VIRGINUN, ET NATURA MULIEBRI, ET MULIERUM MORBIS

ADNOTATIONES.

TRactaturus de Morbis Mulierum ſecundùm Hipp. ſententiam, hanc ſinceram, & puram invenire credidi in ipſis Libris, quos Hipp. nobis demandavit, de Virginum, de Natura Muliebri, & de Morbis Mulierum; ideò decrevi Adnotationes quaſdam in hos Libros colligere, quæ ad mentem Hipp. aperiendam ſufficerent. Per commentum enim dictorum Librorum ita excreſceret opus, ut faſtidio, & tædio Lectorem afficeret.

DE VIRGINUM MORBIS.

TEXT. I. *Principium ſit mihi compoſitionis eorum*, *&c.*

PRæmittit tamquam proœmium Hippocr. neceſſitatem cognoſcendi morborum naturam. *in diviſibili* (legit *Foeſius*, *in ſingulari*) per quam morbi ad invicem diſtinguuntur, cùm à particulari hac cognitione, ad univerſalem morborum naturam cognoſcendam perveniamus, & hoc modo ſcientiæ, & artes conſtituuntur à ſingularibus notionibus manifeſtis, ad univerſales, & prima principia ignota tranſeundo. Hac ratione diſtinctionem morborum deſignat, quorum cauſa eſt maximè occulta, ut *Morbi ſacri*, *Morbi attoniti*, & *Morbi cum timore*, & *terrore*; hos dilucidandos in Virginibus aſſumit Hippocr. ac ſi hoc ſolùm Virgines afficerentur; quod factum credo, quia in Virginibus magis frequens timor, & terror. Hæ in tempore, quo fit deſcenſus, ſeu eruptio menſium, qui communiter determinatur ab anno duodecimo, & tunc ſunt nubiles, ſi horum non contingat eruptio, ſanguis paratus ad fluxum, & à cibo, & potu continuo auctus, exitum non inveniens, à clauſis vaſorum orificii *reſilit*, ideſt reverſione ad ſuperiora fluens colligitur in vaſis *circa cor*, & *ſceptum tranſverſum*; proprium eſt enim fluidi ad ſuum principium, vel loca ei vicina recurrere vaſibus, per quæ à ſuo principio defluxit; ad idem retrocedendo viam præſtantibus., quando impeditur ab incepto motu, & cogitur revertere.

TEXT. II. *Cum ergo hæc repleta fuerint*, *Cor fatuum fit*, *&c.*

Hoc in loco deſcribit ſymptomata concomitantia paſſionem hyſtericam, quæ *eſt congeries ſymptomatum*, *à quibus actiones naturales*, *modo animales*, *ſæpius vitales læduntur ab uteri vitio*. *Cor fatuum fit*; fatuum debemus accipere in eo ſenſu, in quo accepit *Foeſius*, *pro tardo*, & *etiam inordinato*, & *inæquali*, cùm fatui ſint inordinati, & inæquales, cum errore in ſuis cogitatis, & factis. Talis eſt pulſus in paſſione hyſterica, tardus, parvus, obſcurus, & inæqualis. Non mirum, ſi corde valdè affecto, quale demonſtratur à pulſu, oriatur *totius torpedo*, & præcipuè capitis, cùm in paſſione cordis deficiant capiti, & nervis ſpiritus, & in deficientia *delirium* inſurgat, cùm deficiente ſpiritu, ſaltem reſpectu ſuæ actionis phantaſmata, & rerum imagines confundantur, rectore ſublato. Cauſam horum ſymptomatum agnoſcit Hipp. repletionem vaſorum cordis, & partium circa hoc. Ad confirmationem hujus cauſæ paritatem proponit *ſanguinis à longa ſeſſione in coxis depreſſi*, humiliati, & à neceſſario motu abſtracti, ob plenitudinem coacervatam in venis coxarum, & crurum, à compreſſione vaſorum, à ſeſſione impediente circulationem ſanguinis à partibus inferioribus ad ſuperiora; unde neceſſaria ſtagnatio ſanguinis cum plenitudine vaſorum, à qua deprimitur, & humiliatur ſpiritus animalis in dictis partibus exiſtens, & ejus actio, fluxus, & motus ſufflaminatur, *unde torpor*, & *impotentia motus in Cruribus*, & *Coxis*, *uſquequò ſanguis ad ſe ipſum*, nempè ad ſuum curſum, & ſpiritus ad expanſionem, & ad ſolitam actionem *revertatur*. Ita ſanguis replendo vaſa cordis, & partium circa hoc exiſtentium, torporem, & alia ſymptomata inducit. Hanc ſententiam Hippocr. ſecutus eſt *Higmorus*, qui paſſionem hyſtericam reducit ad ſanguinem copioſius irruentem ad pulmones cum plenitudine iſtorum. Ab hac plenitudine cauſam omnium accidentium paſſionis hyſtericæ deducit Hippocr. nam *præ acuta inflammatione*, nempè præ magna caliditate, ſeu phlogoſi, quæ inflammationis nomine quandoque deſignatur, ab effervescente in vaſis ſanguine, accenſa. *Inſanit*, turbante calore intenſo phantaſmata, ex quorum perverſione error in judicio. *Præ putredine clamat*; putredinem conſiderare debemus ſecundùm qualitatem, non ſecundùm ſubſtantiam, & dicitur putredo ſecundùm quid, vel putredo inchoativa, vel ſecundùm partem, conſiſtens in pravis qualitatibus acribus, quas ſanguis conculcatus, & depreſſus præ plenitudine contrahit, à quibus vellicatæ partes ſenſitivæ circa præcordia ad clamores edendos ſtimulatur æger. *Præ caliginoſitate timet*, *ac formidat*; in his verbis, cauſam timoris in ſpiritus animales caliginoſos refundit Hippocr. tales evadunt à tetris fumis, à ſtagnante ſanguine elevatis, & ſpiritibus mixtis; in hac caliginoſitate decurtatio animæ ſenſitivæ, quæ nil aliud eſt, quàm ſpiritus animalis concentratio in ſeipſum cum reſtrictione, quam cauſam timoris ſtatuit *Vvilliſius*, proficiſcitur. *Præ compreſſione verò circa Cor à plenitudine ſanguinis ſtrangulatio ſupervenit*; *præ ſanguinis autem malitia animus mœrens*, *ac anxius malum attrahit*; legit *Foeſius*: *ob ſanguinis autem vitium animus anxietudine*, & *impotentia conflictatur*, & *malum contrahit*. A corporis paſſionibus animum paſſione angi unuſquiſque experitur, & unio animæ cum corpore perſuader, per quam animæ paſſiones corpori, & iſtius paſſiones animæ fiunt communes. Paſſiones animi à vitio ſanguinis ſunt; anxietas, quæ *eſt inquietudo corporis frequens*, orta à ſtrangulatione, à paſſione cordis oppreſſi; à vellicatione partium ſpiritalium, & oris ventriculi ab anxietate mœror, ob apprehenſionem objecti triſtis perniciem minantis, & creſcit mœror, ſi apprehenſio ſit major, quàm ſit paſſio. *Sed & alium horribiliter compellat*, & *in puteos proſilire*, & *incidere*; legit *Foeſius*, *præcipitare jubet*; & *ſtrangulari*; rationem horum ſymptomatum reddit Hippoc. *quia tamquam meliora hæc*, & *omnem vitæ utilitatem excedentia cenſet*, in quo judicio delirium conſiſtit, ac ſi à ſpectris ſuggererentur prædicta mala ſtrangulationis, & præcipitationis in puteum eſſe meliora utilitate vitæ. Subjungit: *Aliquando verò ſine ſpectris*, & *phantaſmatibus voluptas quædam adeſt*, *ex qua mortem*, *velut bonum amatur*, & eſt magna mentis alienatio. Terminat Textum Hippoc. cum his verbis: *Poſtquam autem reſipivit homo*, *Mulieres*, *tum alia multa*, *tùm pretioſiſſimas muliebres veſtes Dianæ conſecrant à Vatibus id jubentibus deceptæ*, etiam Hippocr. tempore in uſu erat, quod noſtris temporibus uſitatiſſimum eſt.

Quamvis hæc Hippocr. ſententia ſuſtineri poſſit, mihi tamen probabilius videtur cum *Vvilliſio* determinare hyſtericam paſſionem eſſe motum convulſivum in nervis infimi, & medii ventris, ut experientia confirmat. Non ſentio verò cum eodem hujus motus cauſam eſſe aliquando in capite, niſi à cauſa externa accidentali, quæ moveat internam, quæ ſemper eſt in utero, & in iſtius vaſis. Suppreſſis enim menſibus ſanguinis plenitudo colligitur in utero, fermentante hoc ſanguine in dictis vaſis, & motu proprio ſuarum particularum, & motu inſpirato à fermento uteri ſpecifico, fumi malæ conditionis elevantur, à quibus laceſſiti nervi infimi, & medii Ventris, in motus convulſivos abeunt, à quibus explicantur omnia ſymptomata in hyſterica paſſione obvenientia, prout videre eſt in *Vvilliſio de motibus convulſivis cap. de hyſterica paſſione*.

TEXT. III. *Cæterum Curatio*, *ut hinc liberentur ſanguinis detractio*, *&c.*

Curationem proponit ſanguinis miſſione, quæ in caſu propoſito Virginis in principio menſtrui fluxus exiſtentis, in brachio eſt exercenda ad demendam plenitudinem, cum revulſione vaſorum uteri. Hoc remedium, niſi virium debilitas, rejicere potens eſt. Symptomate ſæviente ſanguinis miſſio etiam imperanda à brachio, prævenire tamen accidens melius eſt, ſanguinem apparentibus primis indiciis mittendo, cùm à pede miſſus copioſiorem fluxum ſanguinis ad uterum promoveat cum damno mulieris, pro hac operatione exercenda mulierum conſenſum difficile eſt obtinere, ſtante præjudicio univerſali iſtarum ſurſum trahi ſanguinem, hoc à brachii venis emiſſo, ob irrationabilem earum-

dem

dem contumaciam Medici aſſentiri coguntur. Pro præſervatione ab effectu jubet Hippoc. *Fœminam viro conjungi*, eò quia à coitu excalefactæ partes genitales Fœminæ, vaſa rareſiunt, & dilatantur, viam fluenti per ea ſanguini liberam concedendo apertis orificiis. Si ſanguinis miſſio non prodeſt, adhibenda remedia, quæ proponit *Hipp. lib. 1. de Morb. Mul. num.* 100. & alibi deſcribentur.

DE NATURA MULIEBRI.

TEXT. I. *De Muliebri Natura, ac Morbis hæc dico, &c.*

CAuſam Morborum in Mulieribus duplicem hic ſtatuit Hippocr. *Deum* primò, quia miranda in iſtis obſervantur humano ingenio obſcura, itaut ad Deum referenda eſſe videantur. Secundò *naturam muliebrem*, quam ſcrutatur à colore, à quo diverſitatem temperamenti colligi univerſa Medicorum Schola concludit, & temperamenti diverſitas, remediorum diverſitatem indicat; reliqua in Textu ſunt clara.

TEXT. II. *Si aqua intercus in Uteris oboriatur, &c.*

Signa hujus affectus primò proponit, qui eſt Hydrops Uteri, ideſt redundantia aquæ in utero, ab Hippocr. nomine *aquæ intercus* appellati. *Menſes deteriores fiunt* ſecundum colorem, & ſubſtantiam ſanguinis ob vitium principii ſanguificationis, *ſunt pauciores*, cum ab aqua in utero collecta comprimente, vaſa anguſta fiant; & niſi ſubtilior pars, & magis fluida exeat, & ex toto compreſſa à quantitate aquæ, per quam *Venter intumeſcit*, ut gravidam repræſentet, *deficiunt omninò*. *Mammæ ſiccæ fiunt*, laxæ, & demeſcentes, ac graciles, ſignum certiſſimum falſæ gravidationis ab uteri intumeſcentia demonſtratæ; in vera enim tument, & duræ ſunt, dum incaleſcente in hac utero ob concurſum copiæ ſanguinis, mammis, cum quibus uterus valdè conſentit, calor communicatur, à quo vaſa dilatantur; & copioſiorem ſanguinem recipiunt cum intumeſcentia, & à copioſò ſpiritu impletæ ſoliditatem, & duritiem accipiunt, quibus deficientibus graviditatem abeſſe determinandum. *Calor*, ideſt febris, *& aqua*, ideſt univerſalis redundantia ſeri *corripit* cum gracilitate oris Uteri, tangenti conſpicua, hæc gracilitas, ſeu tenuitas, vel macies, eſt à deficientia boni alimenti, quam aqua in utero contenta parit, & dolore circa enarratas partes, quæ in vera gravidatione non advertimus; nam in hac concurſus copioſi ſanguinis ad Uterum os iſtius craſſum reddit, & fœtus, dum augmento ſui ventrem tumefacit, & extendit dolorem non præbet; hujus præſentia corpus moleſtum, quale eſt aqua, prava qualitate acri donata, in utero contineri ſupponit, non fœtum, qui utero non eſt moleſtus, niſi cùm eſt maturus.

Cauſam dicit eſſe *abortum*, cujus ratio petenda eſt ab Anatomicis. Obſervatum eſt ab his tempore gravidationis incraſſari interiorem membranam uteri muſculoſam, fibroſam, & poroſam, itaut in fine gravidationis craſſities ad magnitudinem duorum digitorum tranſverſorum perveniat. Hujuſmodi craſſitiem acquirit membrana à copia ſanguinis ad hanc fluente, dictas fibras, poroſitates, & interſtitia implente, & ad turgentiam vaſa ſanguiflua, & præcipuè arterias tempore geſtationis elevante. Hæ dilatatæ, ut arterias emulgentes emulentur, dictam copiam ſanguinis effundunt, quam venæ totam abſorbere non poſſunt, obſervatione anatomica demonſtrante, paucas eſſe in utero venas reſpectu multitudinis arteriarum, ideòque illas eſſe inſufficientes ad recipiendum ſanguinem ab iſtis delatum, quando copia ſanguinis in arteriis redundat. Sanguis collectus in membrana fibroſa, uteri geſtationis tempore edito fœtu paulatim emittitur, & uterus hoc modo detumeſcit, naturalique magnitudini reſtituitur in lochiorum expurgatione. Expulſionem ſanguinis adjuvant fibræ dictæ membranæ extenſione, & contractione, ſicut adjuvant expulſionem fœtus. Quapropter in abortu cùm fibræ ſint maximè debiles, quia abortus fit à cauſa præternaturali, & violenta, à qua dictæ fibræ debilitantur, hinc deficit coadjuvans expulſionem ſanguinis, qui remanens in dictis fibris, poroſitatibus, interſtitiis, ſi fuerit ex ſui natura valdè ſeroſus hydropem conſtituit, qui non fit in partu naturali, in quo fibræ, ut plurimùm robuſtæ ſunt, ideò ab abortu, non partu hydropem uteri ſequi ſancivit Hippocr. quod ut plurimùm intelligendum eſt. *Ab aliis etiam cauſis fieri hydropem* dixit Hippocr. & ſunt omnes illæ, quæ humorem ſeroſum in copia colligere in dicta membrana fibroſa, in ſuis poroſitatibus, in ſuis fibrarum interſtitiis, vel in ipſis fibris, quia ſerum recipere poſſunt, ut ſunt tumores Uteri comprimentes Vaſa lymphatica, quibus abundat Uterus, & curſum liberum lymphæ impedientes: quapropter ſtagnans lympha in loco compreſſionis diſtenſione vaſis præcedente, ſubſequitur diſruptio, excurrente per apertum orificium lympha in dictam membranam. Hyatides, ſeu veſiculæ in Uterum erumpentes ex dilatatione Vaſorum lymphaticorum ruptæ hydropem faciunt. A liene Uterus ſerum ſuſcipere poteſt à Vaſis ſanguifluis hæmorrhoidalibus ab hoc viſcere derivatis, & ſecundùm aliquas ramificationes Utero implantatis, quæ conſenſum Uteri cum liene ſtabiliunt.

Curationem ultimò loco proponit, & primò *doloris ſedationem* imperat, antequam purgantia exerceat, ut alibi de doloris curatione docuit. Pro hoc *calidæ lavacrum adhibet, & tepefactoria*, ideſt fotus humidos cum herbis anodynis in aqua decoctis paratos, & calente decocto moderatè, pars dolens fovenda. *Sedato dolore purgandum*. Purgantia ſerum noſtra ætate magis uſitata in hoc caſu, relictis validis antiquorum ſunt *Syr. de Spina Cervina ſecundùm deſcriptionem Auguſtanam, vel tres, aut quatuor unciæ ſucci Ireos noſtratis, vel alia Hydragoga. Fomentum ex ſtercore bubulo* proponit poſt purgationem univerſalem, non ad dolorem ſedandum, ſed ad reſolvendam materiam in Utero, vel ad ejus expulſionem promovendam, quam dictum ſtercus perficere poteſt ſuis particulis ſalinis, & ſulphureis volatilibus; ideò poſt hoc fomentum ad eductionem aquæ ab utero per peſſaria ibi in textu deſcripta. Alia vide *apud Aetium tetrab. 4. ſerm. 4. cap. 79. Si hæc non ſufficiant, provocandi menſes*. In hunc finem jubet reiterari prædicta; ſed iſtis ſubſtitui poſſunt, quæ dicenda ſunt *de menſium ſuppreſſione*. Dictis remediis addit remedium paratum *è cortice Crethmii*, ideſt *Dragonteæ*, ſeu *Serpentariæ, Peoniæ granis nigris, & Sambuci fructibus*, ſeu *baccis* in vino aſſumendum; hæc enim omnia menſes movent, ſicut *& mercurialis*, quæ non ſolùm menſes promovet, ſed etiam alvum lubricam conſervat; ex quo conſilium habemus, alvum lubricam ſervandi. *Molle victum* proponit, quia facilis digeſtionis; hujus conditionis alimenta ſunt exhibenda. *Curatio erit tuta, ſi gravida remaneat*. Vide *lib. 2. de Morbis n. 59. 60.*

TEXT. III. *Si Uteri ad hepar acceſſerint, muta derepentè fit, &c.*

Alteram ſuffocationem Uteri, ſeu potiùs affectionem hyſtericam hìc proponit Hippocr. in qua vocis defectus obſervatur. Tamquam principale ſymptoma improviſo ſuperveniens, ſine ullo præcedente morbo, vel alio ſymptomate, cùm *ſana ſit mulier*, ut ait textus. Hujus cauſam dicit eſſe Uterum, cùm ad hepar acceſſerit. In hac ſententia cenſendum eſt Hippocr. non ſentire uterum quoad ſubſtantiam aſcendere ad hepar, cum ligamenta, quibus variis partibus firmiter alligatur, aſcenſui reſiſtant; ſed aſcendere quoad auram ab eo emanantem, modò ad unam, modò ad alteram partem. Ab harum affectione diverſa ſymptomata oriuntur. Aphonia in hoc caſu determinavit hepar ab aura maligna uterina læſum, eò quia obſervavit forſan aliquando læſo hepate difficultatem reſpirandi ſupervenire, ut patet in tumore, & inflammatione illius, ob conſenſum, quem ſervat cum Diaphragmate reſpirationis inſtrumento, & quæ reſpirationem lædunt, voci etiam læſionem inferunt; ſed ab Anatomia melio-

meliorem rationem accipimus , cùm hæc demonſtret principale vocis inſtrumentum eſſe nervum recurrentem, quo præciſo vox abolctur ; ideò cenſendum auram uterinam dictum nervum hunc motu ſpaſmodico afficiendo , vocem etiam ſupprimere . Cauſam talis aſcenſus demonſtrat in illis verbis: *Fit autem hujuſmodi aſcenſio in Virginibus maximè antiquis , & viduis , quæ juvenculæ ſunt , & pepererunt , ac viduæ manent* . Per Virgines antiquas intelligit eas termino defectus menſium proximas , & cum horum diminutione , quæ in tali termino ſemper obſervatur , in hac diminutione excrementa ſolita excerni cum ſanguine retinentur, retenta malas contrahunt qualitates ; hæc excrementa paulatim in fumos reſolvuntur , & dictis qualitatibus pravis dictos nervos afficiendo , hyſtericam affectionem cum aphonia pariunt , & paulatim in fumum reſolvuntur . In Viduis juvenibus ſeminalis materia conſueta per coitum in copia excerni retinetur, quæ putredine, vel alio modo depravata dictam parit affectionem, nervos recurrentes pravis fumis vellicando ; quapropter hæc ſuffocatio in Virginibus ab humore excrementitio ſanguinis , in Viduis à ſemine determinanda , *Dentes conſerit* , quia nervi clauſuræ oris inſervientes convulſione, ſeu contractura afficiuntur , ut niſi vi os aperiri poſſit , quia vi reſiſtentia contractionis nervorum ſuperatur . Dentium , & oris conſtrictio aphoniam facere poteſt , & etiam fovere . *Color in facie niger fit*; in aphonia fit , quod in ſuffocatione obſervamus, in qua ſanguinis copia in venis capitis ſtagnat, & per carnes diffunditur, à quo primò rubet facies, paulò poſt nigreſcit.

Curationem auſpicatur à *depulſione* Uteri , ſurſum aſcendentis ad inferiora, vel *manu* , vel *deligatione* , & *conſtrictione Ventris cum faſcia*. Hujuſmodi operatio videtur confirmare ſententiam de Utero ſecundùm ſuum corpus aſcendente, quam ſi veram exiſtimavit Hippocrat. deceptus eſt à globulo in affectione hyſterica ſenſibili in partibus Ventris , qui nòn eſt Uterus , ſed portio inteſtinorum , & partium iſtis unitarum , quæ per contractionem ſpaſmodicam nervorum contractæ in globum conglomerantur , uteri ſpeciem repræſentantes . Hujuſmodi contractio nervorum per compreſſionem manus , vel ligaturæ tollitur , cùm nervi ab hac cogantur ad extenſionem, evaneſcente contractione, & ab eadem compreſſione fumus à materia prava Uteri exhalans compreſſus figitur , condenſatur , & ejus motus ſupprimitur ; ideòque dicta compreſſio juvat, ac ſi Uteri corpus eadem eſſet deprimendus: *Vinum generoſum*, quia *odoratiſſimum* , exhibet ad diſſipandos fumos malignos , & ad roborandos ſpiritus . Hìc notandum , pro excitatione à paroxyſmo vinum eſſe optimum , pro præſervatione aquam meliorem , cùm ab hac prohibeatur illa fermentatio humoris, per quam malignam qualitatem contrahit , & à vino vires, & efficacia communicatur pro reſolutione evaporationum malignarum. *Suffitus & Utero* , & *Naribus* adhibet ad ſymptomatis ablationem . *Naribus fœtida Utero odora* applicat. Fœtida moleſta nervis, quia pungunt, hoc ad motum excitant ſuo motu ſpiritus, & ſanguinem quieſcentem excitant , & ad motum revocant cum excitatione à paroxyſmo , reſtitutus ſpiritus , & ſanguis ſuo vigori cauſam morbificam reſolvit. Aliqui putant fœtida vapores uterinos malignos , vel reſolvere, vel repellere . Odorata, quia utero ſpecificè grata , hunc recreant orificia vaſorum iſtius , & poroſitates aperiunt; his apertis exit humor putridus, & malignus, ut in praxi obſervatum eſt, cum hyſterici paroxyſmi extinctione . Uterus ab odoratis recreatus , materiam malignam, ſi non expellit, reſolvit, vel corrigit . Excitant à paroxyſmo *radix Petaſitidis exſiccata*, & *pulv. ad* ℈. *i. in vino exhibita*, & *grana Peoniæ vel nigra*, *vel rubra num. v. pul.* & *in vino exhibita* ; *Semen Paſtinacæ expertum eſt* , & *Semen Verbenæ ad* ℈. *i.* ß. *in vino* ; addi poteſt *pulvis ſpicæ Nardi* , *vel Cymini* Ꝗ.*i. Lapidis Agatæ* ℈. I. *in vino* , & *eſt arcanum*, etiam ſi in nares inſuffletur. *Pulvis Riverii ſummè valet* . *Filix decoquatur in aqua*, *vel vino* , & de eo fiat cataplaſma , & diſtendatur ſuper ventrem à ſtomacho, uſque ad pudenda, & eſt expertum ; idem facit *Abſinthium*, *vel Leviſticum*, *vel Hyſopus* . *Folia Tabaci in umbilico ponantur* , *ejuſdem fumus ore exceptus ſedat hyſtericam paſſionem* , ſi apparentibus ſignis invaſionis , ad uſum reducatur . Notandum , de ſanguinis miſſione verbum non facere Hippocr. & quidem in paroxyſmo non convenit, ob virium languorem , & ſpirituum defectum, ſeu potius depreſſionem, nec pro præſervatione , cùm proveniat ab humore excrementitio , ob pravam ejus , & malignam qualitatem , per quam ſemen in excrementum degerat, & ſua prava qualitate maſſam ſanguinis inficiendo , plurium excrementorum generationis in dicta maſſa eſt occaſio, à quibus purgatio indicatur ; ideò Hippocr. *poſtquam reſipuerit mulier*, purgationem præſcribit, quæ humoribus excrementitiis convenit, & præcipuè ſi vidua humoribus acribus abundaverit , qui ſemini cum ſanguine , à quo elaboratur mixti facilem reddunt iſtius corruptionem , & quia texturam ſeminis acrimonia pervertunt , & quia fermentationem corruptivam in eo inducunt. Talia excrementa ſunt purgationis indicativa , pro qua uti poſſumus *pilol. de Sagapeno* , *fœtidis*, & *extracto Brioniæ* , exhibendo *Lac Aſininum* poſt purgationem , ut qualitas prava acris reſidui humoris in utero corrupti attemperetur , & fermenti pravitas humorem corrumpens corrigatur à lacte . Reliqua per ſe nota ſunt ; & ſunt directa ad impediendam ſeminis corruptionem , quia omnia balſamica , quæ utero applicantur, quaſi noviſſet ſemen fœmineum dictum à lacunis Uteri effluere . Solùm adverto , pro *Bupreſti* accipiendam eſſe *herbam Coriandri* , in cujus defectu uti poſſumus ſemine , & pro *Netopon*, quod eſt Unguentum ex aromatibus conditum . Quod cum noſtris aromatibus parare poſſumus , & diſſolutum in aliqua aqua odorifera , in uterum injicere . Pro integra curatione Virginis *Conizam* , *ſeu Pulicariam cum Caſtoreo in Vino jejunæ Virgini exhibet* . Hæc remedia movent menſes, & fermentum Uteri corroborant , à cujus corroboratione fluentis ſanguinis , etiam naturaliter ceſſantibus menſibus , corruptio prohibetur ; ex quo arguimus ; non aliam habere intentionem Hippocr. niſi menſes movere purgatione prohibita , cùm ſuffocatio à ſolis menſibus diminutis procedat , ſine excrementorum redundantia ; nec ſanguinis miſſio eſt neceſſaria , quia ab hac non aufertur impedimentum menſes retinens , ſed ſolùm ab eis , quæ menſes movent , & fermentum uterinum corroborant ; loquitur enim de Virgine vetula proxima tempori , in quo menſes naturaliter deficiunt; & in quo minuitur copia ſanguinis , & fermentum uterinum principalis cauſa fluxus menſtrui debilitatur, ſanguini in pauca quantitate redundanti, non convenit ſanguinis miſſio , ſicut nec fermento debilitato convenit , ſed ſatis eſt fermentum uterinum corroborare , ut fermentatione neceſſaria parvam ſanguinis copiam diſponat ad exitum, & hujus depravationem prohibeat, quæ duo *Coniza* , & *Caſtoreum* promittunt , & *pilol. ex Myrrha* , *Aloe* , & *Croco* . Uteris admovere medicamenta prohibet , neque odorata , quæ menſes movent , quia illa vocando ſanguinem ad Uterum , plenitudinem in eo inducunt , à qua impedimentum exitui menſium reſiſtens magis contumax redditur . Odoramenta recuſat circa caput , & nates , quia minorem reddunt fluxum ſanguinis ad Uterum , cùm ab odoribus bonis ſanguinis copia ad caput vocetur , à qua paſſio hyſterica excitatur . Vide *lib.* 2. *numer.* 19.

TEXT. IV. *Si Uteri procіderint* , & *foras egreſſi fuerint* , &c.

De Uteri procidentia hìc agit Hippocr. ſed non de totali , verùm de partiali , cùm de illa agat ſequenti num. Textus eſt clarus , ut expoſitione non indigeat . Solùm adnoto, *Calorem habere pudenda* , & *ſedem* , quia Uterus deſcendens his adhæret , premendo dictas partes, quas ſuo calore Uterus calefacit, & preſſio ſanguinem ſiſtens in parte preſſa , plenitudinis iſtius cauſa caloris eſt etiam majoris effectrix . *Urina paulatim deſtillat*, & *mordet* , quia Uterus delapſus veſicam premit, & urinam niſi guttatim exire permittit , in exitu per anguſtum locum ſua ſalſedine rodit . & pungit partem, per quam tranſit, unde ardor urinæ dictus . Adnoto ſecundò, *Lotum* accipiendum eſſe *arboreum* , dum dicit *ramenta* eſſe *ſumenda* , ideſt *raſuram* , quæ ſolùm

lùm de lignis dicitur, non de herbis. Vide *Mattiolum de hac arbore*. Tertiò *Vomitum eſſe utilem*, quia à conatu partium inferiorum ad ſuperiora Uterus ad ſuum locum trahitur. Addo hunc pulverem:

℞. *Cornu Cervi*
Fol. Lauri } *a.* ʒ. *i.*
Myrtil.

Pul. & accipiat ægra in jure, vel vino aromatico, & ſtatim redibit Matrix ad ſuum locum. Exterius accipe *lanam ſuccidam, bulliat in vino generoſo, & lana ſuper umbillicum ponatur, Unguento Apoſtolico calido* ungatur Uterus ter, & quater, & remittetur. *Cortex Ovi, à quo pullus excluſus ſit, mixtus cum pice nigra*, appoſitus matrici facit eam redire ad ſuum locum. Reſtituta Matrice, ad uſum reducantur circuli, de quibus agit *Schenkius in obſervat. Folium Lapæ majoris ſupra caput poſitum, Uterum deſcendentem remittit*.

TEXT. V. *Si verò penitus ex pudendis exciderit, dependet velut ſcrotum, &c.*

De Uteri procidentia totali hìc agit Hippocr. in qua Uterus *tamquam ſcrotum* extra pendet. *Dolet imus venter*, quia in iſto eſt Uterus, qui ſolutionem continui patitur. *Dolent lumbi*, ob connexionem vaſorum, & nervorum Uteri cum illis lumborum. Textus eſt clarus. Solùm adverto, primò *Melli miſcendam eſſe Reſinam*, ideò Mel ſuperare debet Reſinam. *Reſina* eſt *Terebinthina, & Cypria*, quia perfectior eligenda, *infundenda eſt in Uterum* hæc mixtio, poſtquam repoſitum fuerit, calorem iſtius conſervat, & viſcoſitate detinet Uterum, ne decidat. Secundò per *oras Uteri* accipiendum eſſe pudendum muliebre externum, quod pilis tegitur. *Marinellus* ibi habet, *Cerato picato illinito*, *Foeſius* legit *ſimpliciter illinitis*, quæ lectio mihi tenenda videtur, cùm Uterus ſit intromittendus, ideò lubrica paranda via illinitione *Olei ſimplicis*, & ſi illinitio fieret *Cerato picato*, hoc eſt ex Pice compoſito, ad modum dropacis ſimplicis, hæc potiùs difficilem redderet repoſitionem. Vide *numer.* 37. 38. 39. *libr.* 2. *de Morbis Mulierum*, & 40. 41. 42.

TEXT. VI. *Si Uteri adglutinati fuerint, incumbunt, &c.*

De dislocatione Uteri in hoc textu agit Hipp. & de Utero adhærente, & conjuncto coxæ, ut advertit *Foeſius* in notis ad hunc librum *num.* 25. Inclinat Uterus ad coxam verſus inguen, vel quia à tendine, quo coxæ alligatur, humore turgido, & pleno decurtato trahitur verſus inguen, vel quia idem tendo ab irritante vellicatus contrahitur, vel quia antagoniſta in coxa adverſa laxatur. Uteri dislocatio manu ſentitur, nam compreſſo Ventre verſus inguen ad latus vergente, ubi eſt mollis Venter, durus tumor cum figura Uteri perſentitur. *Dolor corripit imum Ventrem*; in quo Uterus continetur, quia hic eſt, qui dolet, dum à tractione, nimis diſtenduntùr ejus membranæ, & ligamentum, vel punctum, vel irritatum, vel à plenitudine nimis dilatatum, triſti ſenſatione afficitur, ideòque dolor coxam moleſtat, itaut non poſſit extendi, & quia ab Utero dislocato diſtenditur tractione ligamentum, quo oſſi Ileon annectitur *circa lumbos*, *dolor* ad hos extenditur, & cùm Uterus conſenſum teneat cum renibus in regione lumborum, mediis arteriis emulgentibus, ideò affecto Utero, correſpondet lumbis affectio. Adhæſione, & conglutinatione *ſuppuratur Uterus*, eo modo quo pulmonibus conglutinatis coſtis, ſuppuratio, & inflammatio ſuccreſcit; in loco enim eorum conglutinationis circulanti ſanguini paratur impedimentum, & ex hujus ſtagnatione fit ſuppuratio, pro cujus curatione *linamentis*, ſeu turundis opus eſt, *& niſi uras, vel ſeces, fluore intereunt*, ita legit *Foeſius*.

Curationem aggreditur, à *pharmaco purgante*, ut educatur humor ille, à quo ligamenta laxantur, vel implentur, vel vellicantur; hydragoga ſunt magis propria, quia fluxioni magis apta. Poſt purgationem *multa calida*, ideſt valdè calida fovenda patiens circa locum doloris, & tumoris, ſi in aqua emollientia, & anodyna decoquantur, majoris utilitatis erit fomentum. *Cum recens lota, aut fota fuerit*, jubet, ut *admota manu cum digito os Uterorum abſtrahatur*, à coxa, & ad ſuum locum reducatur, quam operationem patiens efficere poteſt, vel opera Obſtetricis utatur; emolliro enim tumore, & Utero, & ligamentis mollioribus factis, valdè tractabilia fiunt; ideòque cum facilitate, & ſine dolore Uterus, & ligamenta ad ſuum locum adducentur. Ab his colligere licet, fomentum poſt purgationem exercere Hippocr. non ad ſedandum dolorem, ſed ad remittendum Uterum in ſuo ſitu, in quo, ut conſervetur, ſuffitu utitur ex *Myrrha calonia*, ideſt benè depurata, *roſaceo affuſa*: exſiccat enim, & corroborat Uterum Myrrha. Valet etiam *ſuffumigium paratum cum foliis Meſpillorum, Prunorum cum Cymino decoctis in aceto*, vel *cum Colophonia*, vel *Galbano, Caſtoreo, & aſſa fœtida ſuper carbones aſperſa*, vel *ſtercus Tauri cum foliis Ulmi, exſiccentur, & pulvere facto Carbonibus affuſo ſuffumigetur*. Sequens Ceratum valet ad retinendum Uterum remiſſum in ſuo ſitu:

℞. *Maſticis*
Thuris albi
Opoponacis
Terebinthinæ
Galbani } *a.* ʒ. *i.*
Seraphini
Reſinæ liquidæ
Styracis liquidi
Colophoniæ
Ceræ q. ſ. F. Ceratum,

apponatur ante, & retrò in ſitu Uteri, poſtea *accipe lanam in formam peſſarii redactam, & immerge in vinum infuſionis Acaciæ, & Sumach, & apponatur intus ad os Uteri, deinde aliam lanam infunde in aceto, & aqua, & ponatur ſuper vulvam, & mulier jaceat ſuper latus ſanum, & adunet crura ſua, & conſervet lanam, ne cadat, & ne amoveatur*. Poſt reductionem Uteri, & remedia ſupradicta, ad hunc confirmandum exhibet *grana nigra Peoniæ quinque cum Caſtoreo in Vino aromatico diſſoluto*, poſſumus exhibere in bolo, & poſtea vinum ſuperbibendum dare. *Unguentum Baccharim* eſt inuſitatum, de eo tamen vide *Matthiolum*. *Oleum album*, eſt *Oleum purum*, & dicitur *Oleum virgineum*, quod eſt magis ſpiritoſum, & activum. Conſiderando dictum remedium ex *Dioſcoride* eſſe aromaticum, & ſpaſmo conferre, corroborandi, & exſiccandi virtutem in eo cognoſcimus; unde poſſumus huic ſubſtituere *Ceratum Capitale Montagnanæ, Ceratum ex Maſtice, & Taccamacca*, addita *Nuce moſcata, Cinamomo, Spica Nardi, & Camædryos*, Coxæ ſanæ applicatur, quia hujus motum imperare præmeditatus eſt, ideò prius ejuſdem corroborationem præmiſit; corroboratum ligamentum Uteri in coxa ſana ad hoc trahitur Uterus in alteram coxam inclinans. Et ut hoc facilius exequatur, jubet *ægram ambulare, ſuper coxam ſanam ſuſtentaculo innixam*. *Allium crudum, & coctum plurimum edendum* conſulit, quia calefacit, ſiccat, & reſolvit, quæ omnia ſunt neceſſaria in hoc caſu, & in hujus Curatione. *Si ab hoc remedio abhorreat* ægra, ſimilia in qualitate ſubſtituenda, & ſunt omnia cephalica remedia, *& lignum Sanctum, Juniperinum, Lentiſci, Saſſafras*, parando ex iſtis decoctum, ex prioribus pulveres, & cum melle electuaria. Moneo tamen, ne ab Allio diſcedat, cùm in eo poſſit eſſe ſpecifica qualitas Hippocr. per experientiam nota hujus morbi curativa. Pro *ſucco* intelligerem ſuccum hordei, ſeu carnis, agit enim ibi de cibo, quare ſuccum ad ſpeciem cibi reducere debemus, niſi quis reducere vellet ad ſuccum Allii, cùm dicat, *edat Allium, & ſuccum ſorbeat*, ſed Allium edere, & ſuccum poſtea Allii bibere, non videtur rationi conſonum, ob nimiam Allii quantitatem. Cætera per ſe ſunt clara; ſolùm noto illa verba *Marinelli, Abduces euntem ſuper coxam ſanam*, *à Foeſio* legi in notis, *Ut in ſanam coxam ſemel innixæ, & abductæ fomentum ex Urina cum foliis Lauri infuſis* adhibeatur, *moveatur*, motum hunc imperat Hippocr. ut hujus vi trahatur Uterus à parte ægra ad ſanam, & ita ſuo loco reſtituatur. Poſt motum imperat. *A fomento Cyclaminum*, hoc eſt *unguento ex Cyclamine* parato utitur, Urina enim calefacit, reſolvit, exſicat, & dolorem lenit, ideò in hoc caſu, & præ-

cipuè cùm Uterus ad ſuum locum reſtitutus fuerit, ut in hoc firmetur convenit, quale eſt illud de *Arthanita major*, *& minor*, *& poſtero die*, ad calorem Uteri debilitatum à morbo, & ad magis exſiccandum, *hic ſuffumigetur aromatibus*. *Ex hoc morbo infœcundæ redduntur*, eſt Prognoſticum Hipp.

TEXT. VII. *Si complicatum fuerit os Uterorum*, *&c.*

Complicatus eſt Uterus, quando ejus orificium clauditur, ut digito perquiſitum non inveniatur, nec *Menſes* per illud *fluant*, *niſi pauci*, *& pravi*, à quibus colligimus depravatam temperiem, & fermentum Uteri, & etiam organizationem iſtius, poſſent enim obſtructo orificio interno Uteri fluere menſes per vaſa externa, eo modo quo fluunt in aliquibus gravidis, niſi vaſa aliquo impedimento depravarentur. Uteri vitium palam facit, in ipſo orificio, *dolor in coitu*, quem ſimplex confricatio orificii Uteri à membro virili in coitu parit; ex quo colligitur de ore interno Uteri, non de externo, & de clauſura facta ab humore viſcoſo, & craſſo, dicto orificio adhærenti loqui textum. Curatio etiam propoſita id probat, cum abſterſivis remediis conficiatur, nempè *Urinæ fomento* ad Uterum, & ablutione, ſeu *lavacro*, *cum decocto Lentium*, *& Unguento ægyptiaco*. An Unguentum ægyptiacum ſit noſtrum uſitatum, non eſt facilè decidere; certum eſt, unguentum de quo textus, eſſe odoroſum, tale eſt noſtrum ægyptiacum, cùm huic miſceatur thus; ſed magis probabile eſt, Unguentum Ægyptiacum eſſe illud unguentum *album oleoſum*, compoſitum ex *Liliis*, *& aromatibus*, quod paratur ex *foliis Liliorum*, eo modo quo paratur unguentum roſatum à dictis aromatibus, nempè *Maſtice*, *Thorace*, *Myrrha*, *Styrace*, *Nuce moſc. Caryophilis*, & ſimilibus q. ſ. ut reſultet unguentum oleoſum odoratum. *Hoc unguento poſt fotum*, *ſeu lavacrum cum decocto Lentium foveatur Uterus*, hoc eſt illiniatur, vel diſſolvatur in aliqua aqua, vel decocto uterino calefaciente, & in Uterum injiciatur. *Si odor unguenti ad nares aſcenderit*, *ſpes eſt ipſam ſanam fore* prædicit Hipp. *Itura dormitum* imperat *ſubdititium*, ſeu peſſarium *ex lana oleo ægyptio imbutum*, quo *Uterus foveatur* Oleum ægyptium, juxta ea, quæ dicta ſunt de unguento ægyptio debet dici *Ol. Liliorum*, ſed Aromaticum; ſit tale, ſi foliis Liliorum, dum Oleum iſtorum paratur *Spica Nardi* miſceatur. His remediis aromaticis vitium Uteri, & ſui fermenti corrigitur, cùm illius vitium in frigiditate conſiſtat, vitium fermenti in debilitate. Humoris viſcoſitas ab aromaticis attenuatur, & ad exitum diſponitur humor. Ab emollientibus, qualia ſunt Lilia, viſcoſus humor ſit mollior, & ad faciliorem excretionem, & reſolutionem diſponitur. Orificium Uteri induratum per emollientia molleſcit acquirentibus ejus fibris facilitatem ad extenſionem, & contractionem, quibus motibus liberis facilè humorem ei adhærentem expellit. His addi poſſunt *radix Ebuli* elixata, & fomentata, & intus, & extra. *Axungia anſeris*, *& ſuccus Porri*, miſceantur, & ungatur collum Matricis per tres dies. *Decoctio Althea*, *Malva*, *rad. Liliorum alborum in oleo*, *addito vino*, in Uterum injiciatur ſæpe, & etiam cum lana Uteri orificio applicetur. Suaveolentibus foveatur Uterus cum ſuffumigiis ex *Nuce moſcata*, *Cinamomo*, *ſpica Nardi*, & ſimilibus, ori etiam pudendi applicentur *Zibetum*, *Moſchum*. *Subdititia* ſunt peſſaria inungenda eis, quæ Uterum ſine mordacitate purgent, & poſſunt componi cum ſucco *Mercurialis*, *Braſſicæ*, *ſem. Nigellæ*, *Myrrha*, *rad. Aſari*, *Cyclaminis*, *ablato peſſario*, *abluendus Uterus cum injectione aquæ*, *& aceti in pari quantitate*. Si in hoc remediorum uſu menſes appareant, *ſuffumigetur cum aromatibus*, à quibus copioſior ſperanda menſium expurgatio. *Suffumigata virum adeat*. Incaleſcente enim à coitu Utero robur acquirit pro expulſione valida humoris noxii. *Illota coeat*, lotio enim debilitat, ideòque majorem facit debilitatem, quæ coitum ſequitur. *Jejuna pariter coeat*, nam in hoc ſtatu, in quo peractæ ſunt omnes concoctiones corporis nullum detrimentum à coitu percipitur. *Ex hoc morbo ſteriles evadunt*, eſt Prognoſticum Hippocr. hujus affectus.

TEXT. VIII. *Si Uteri ad Coxam decurrerint*: Legit *Foeſius*: *Si Uteri ad Coxendicem emineant*, *&c.*

A lectura Foeſii patet, hunc affectum differre ab eo deſcripto *num. 6.* & magis confirmatur à verſione *Foeſii* illorum verborum, *ſi digito contigeris*, *os deprehendes in coxa*, dum vertit. *Cum digito contigeris*, *os in Coxendice deprehendes*, ideſt Uterum declinare ad regionem oſſis Coxexendicis; & ſentitur depreſſione forti facta Ventris circa regionem coxendici correſpondentem. Signa hujus affectus ſunt deſcripta. Cauſa eſt contractio ligamenti oſſi Ileo infixi, à qua Uterus diſtorquetur verſus coxendicem, & talis diſtorſio eſt cum dolore Uteri, ſicut contractio cum dolore ligamenti, & impingendo Uterus in partes ſolidiores circa Coxendicem ſecundum orificium vaſa iſtius comprimuntur, unde *menſium impeditus fluxus*.

Curationem proponit cum *lavacro aquæ calidæ* circa partes dolentes, ut attenuetur materia in ligamento coacervata, & hoc contractum laxetur. *Allia* exhibet ad majorem attenuationem, & ad aliqualem reſolutionem, & quia ſpecificum putat Utero, cùm frequenter in iſtius affectibus hoc utatur. *Lac ovillum* imperat, qua indicatione, difficile eſt comprehendere; cùm hoc exhibeat ante purgationem, ſuſpicandum eſt Lavacrum, Allium, & Lac exhibere tamquam præparantia humorem purgandum, & etiam prout ſedativa doloris, cujus ſedationem ſuperius amavit, antequam purgaret. In his ergo tandiù inſiſtendum, donec dolor ceſſet, vel mitigetur. Lac ovillum eligit, quia minùs flatuoſum, & etiam quia magis pingue, & ad dolorem ſedandum magis idoneum. Impermixtum proponit, ut ejus virtus anodyna non alteretur, & ut advertat non exhibendum cum Allio, ſed hoc uſurpandum poſt multas horas ab Allio. Poſtea purgatio molienda, huic propriæ erunt *Pil. de Sagapeno*, *& Fœtidæ*; *Hydragoga*, etiam optima erunt, cùm humores ſubtiles, & ſeroſi ſint cauſa læſionis ligamentorum. Ante purgationem more ſolito præmittit fomentum ventris faciendum, vel cum *aqua ſimplici calida*, vel *cum decocto emolliente*, *ſpongias hoc imbutas ventri applicando*, huic ſuccedat locale Utero, cùm proviſum ſit toti purgatione. Locale eſt fomentum ex *Fœniculo*, *& Abſinthio*, fumus hujus decoctionis excipiendus in Uterum, & herbæ calidæ regioni Uteri in Emplaſtri formam applicandæ, quamvis fomentum accipiendum ſit ſolùm pro remedio extrinſecus applicato. *Artemiſia*, *Matricaria*, *Roſmarinum*, *Pulegium*, *Rubia tinctorum*, eumdem ſortientur effectum, corroborandi Uterum, & materiam in eo contentam exſiccandi, vel ad exitum diſponendi, quem in propoſitis remediis perquirit. *A fomento repoſitionem Uteri cum digito experiatur; hoc obtento*, *Scillam admoveto Utero*, valdè efficacem ad materiam incidendam, attenuandam, & purgandam, apponitur autem cum peſſario in illius ſucco immerſo, ut colligitur à lectione *Foeſii*, *poſtea ſcillam in ſubdititio apponito*, cui ſubſtitui poſſunt, quæ dicta ſunt ſuperiùs. *Die interpoſito*, medicamentum, quod præparatur *cum Narciſſino* adhibet; credo eſſe *Oleum Narciſſinum ab Aetio deſcriptum tetrabil.* I. *ſer.* I. Hæc omnia ad purgandum Uterum videntur deſtinata, dum ſubjungit, *ſi verò purgata viſa fuerit eſſe*, ideſt ſi ab iſtis moderata humoris copia extracta fuerit, *Netopon apponito*, quod ſuperiùs dixi eſſe unguentum odoroſum, quod cùm ſit nobis ignotum, loco iſtius uti licet *Balſamo apopletico*, *Oleo Nucis moſcatæ*, *cum quinta eſſentia Citri*, *balſamo Peruviano*, *& Orientali*, os Uteri inungendo, vel diſſolutum in *aqua Artemiſiæ*, vel *Pulegi*, vel *Meliſſæ* in Uterum injicendo, & poteſt bis in die unctio reiterari; *poſtero verò die cum unguento roſaceo*, quod odore ſuavi Uterum recreat, & calorem præmiſſi medicamenti temperat. *Apparentibus tempore purgationis menſibus ab omni medicamento ſuperſedendum*, *& reaſſumenda ubi ceſſerint*; ſi verò fluxus ſanguinis menſtrui non correſpondeat quantitati conſuetæ, medicamentum in Textu deſcriptum pro menſium excitatione exhibendum, quod ſi ſuſpectum ſit pro *Cantaridibus*, exhibendum aliquod infrà ſuo loco proponendum; prævidit Hippocrates incommodum à Cantha-

ridi-

ridibus, nempè *dolorem*, *& Urinæ ſtillicidium*, dum his ſymptomatibus ſupervenientibus in ſeſſionem *in aqua calida* proponit, *& aquam mulſam aquoſam imperat; & ſi menſes non fluunt, & per hos non purgetur, iterum repetendum remedium*, conſulit, uſquequo menſes fluant ritè, ex quo diximus menſes omni conatu eſſe provocandos, antequam purgatio per alia medicamenta reaſſumatur. Reliqua ſunt clara. Vide *lib. 2. de Morb. Mul. num.* 31. *&* 32. 29. *ad Veſicam, & ſedem allabuntur, ut in hoc lib. num.* 50. *& lib.* 2. *de Morb. Mul. n.* 33. *&* 34.

TEXT. IX. *Si ex partu non fuerit purgata, &c.*

Cachexiam videtur deſcribere Hipp. vel ſaltem iſtius principium ex retento puerperio ortam. Pro intelligentia hujus morbi cum ſua cauſa, ſupponendum eſt ex anatomicis demonſtrationibus in Utero eſſe acetabula, ſeu Cotylidones dicti, qui aliud non ſunt, quàm vaſa ſanguifera Uteri, quæ extimam illius ſuperficiem perforantia per anfractuoſos velut canales, & Tubulos in eminentias quaſdam in intima parte deſinunt, & in ſuperficie cavitatem Uteri reſpiciente orificia vaſorum ſuæ divaricationis terminum inveniunt; per hæc orificia menſtruus ſanguis ſtatuto tempore in cavitatem deſcendit Uteri, & ab hac extra pudenda. In prædictis canalibus, & tubulis per anfractus divaricatis, ab arteriarum numeroſa ramificatione colligitur ſanguis quantitate excedens in mulieribus, cùmque ad turgentiam intumuerit à ſpiritu in ſanguine exiſtente, & impetum faciente, orificia aperiuntur, & exitum ſibi parat, & pro tempore, quo turgentia vaſorum advenit, menſium fluxus renovatur; hac de cauſa in aliquibus anticipat, & in aliis poſtponit. Aliæ arteriæ ad collum, & Vaginam Uteri deſcendunt, per quarum orificia purgatur ſanguis menſtruus tempore gravidationis. Hanc quantitatem ſanguinis voluit natura in Fœminis pro nutritione Fœtus ſine Matris detrimento, ut quantitas, quæ, gravida non exiſtente fœmina, excedit, excernatur, gravida facta in alimoniam Fœtus conſumetur. Colligitur hæc quantitas ſanguinis in Mulieribus ob vaſorum anguſtiam, quam in iſtis voluit natura, à qua non poteſt ſine detrimento contineri tota illa quantitas ſanguinis, quæ in uno menſe ſuperexcedit vaſorum capacitatem. Secundò, ob inſenſibilem tranſpirationem, quæ in Fœminis eſt diminuta, ob calorem imbecillem. Tertiò, ob vitam ſedentariam. Hanc quantitatem colligi, & cumulari in vaſis prædictis Uteri teſtantur obſervationes in Cadaveribus Fœminarum factæ, cùm in iſtis defunctis tempore inſtantium menſium reperta fuerint vaſa prædicta ſanguine turgida, & valdè dilatata; ſicut etiam talia, & multò majora ſunt tempore gravidationis, in quo hepar uterinum dictis eminentiis, quibus orificia vaſorum inſeruntur, annectitur, hac via, & vaſis umbilicalibus Fœtus ſanguine Matris pro nutrimento gaudet. In partu, hepate uterino, ſeu ſecundina evulſa, orificia vaſorum aperiuntur, & per ea ſanguis, quo turgent, effunditur in Uterum, donec ad ſuum ſtatum naturalem reducantur, & dicitur hæc effuſio Puerperium; & ſi orificia claudantur ab humore craſſo, vel à ſanguine concreto, Puerperium deficit, *Venter*, ut ait Hipp. *tumet*, cùm retentus ſanguis fermentet in vaſis à vapore elevato, per fermentationem diſtenditur Uterus cum tumore, *& Coxæ tument*, dum fermentatio ſanguinis in vaſis, ſeu arteriis Uteri fit communis arteriæ crurali, cujus aliquæ illarum ſunt ramificationes, & eadem ratione tument Coxæ, & cum iſtis etiam Crura. Ab eadem fermentatione exaltatæ partes ſalinæ vellicando membranas Uteri, & circumſtantium partium rigorem, & dolorem pariunt, & animi defectum, ſi os ventriculi afficiant. *In progreſſu morbi rubent cavæ*, ideſt convexæ partes faciei, quæ ſunt genæ ſervientes parti cavæ oris, niſi quis velit per partes cavas faciei oculos, & nares intelligere, parum tamen hoc intereſt, dummodo nobis conſtet ex rubore fermentationem, & effervefcentiam ſanguinis in Utero adeò auctam fuiſſe, ut ſanguinem in vaſis capitis effervefcere faciat. Ab hac retentione, & fermentatione ſanguinis maſſa iſtius pravas contrahit qualitates, & cum iſtis diſpoſitionem ad cachexiam. Curationem fomentis incipit, quæ parari poſſunt ex decoctione *Sabinæ, Salviæ, Artemiſiæ, Matricariæ, Veronicæ, Pulegii, Cyclaminum*, eſt medicamentum ex cyclamine paratum, & unguentum *de Arthanita*, quod exterius facto fomento poteſt apponi regioni Uteri; poteſt etiam interius apponi, ſi diſſolvatur cum decocto prædicto, & in Uterum injiciatur. *Succus etiam Cyclaminis injectus cum aqua hordei*, ſummè valet ad auferendum impedimentum in orificiis vaſorum Uteri exiſtens. Horum remediorum externorum virtutem corroborare nititur Hipp. interno medicamento, nempè cum *tæda* præparato. Tæda dicitur ramus arboris reſinoſæ, qualis eſt *Pinus ſylveſtris, & Abies*, cujus rami antiquis loco facum ſerviebant, quibus etiam in Nuptiis utebantur ex cortice, & ſummitatibus iſtarum arborum parantur decocta, eſſentiæ, & aquæ, præcipuè ex ſummitatibus collectis tempore Veris, in quo humores arborum turgent; in iſtis enim eſt efficax virtus attenuandi, incidendi, volatilizandi, & acidum coagulans extinguendi, ideò ſunt ſpecifica in Scorbuto. Huic remedio ſubſtituere poſſumus *pulverem dictum Dominarum*, alium factum *ex Myrrha, Aloe, Croco, & Borace minerali a.* ℈. *i. cum decocto Sabinæ, & Ariſtolochiæ rot. in vino*, hic non eſt exhibendus, niſi tranſacto tempore puerperii quia purgat; omnia *chalybeata* conveniunt, *Succi Boraginis, Petroſelini, Pomorum ad* ℥. *i.* cum vino ſunt mirabiles, ſicut *radix Peoniæ ad* ℥. *i.* Ori Uteri apponit deſcriptum medicamentum, nempè *pinguedinem Anatis, Myrrham, & Reſinam tepidam*. Poteſt fieri ſuffumigium ex *Bdellio, Myrrha, Succino, & Colocynthide*; hujus uſus eſt egregius in hoc ſymptomate; reliqua patent. Omnia cum cibo propoſita menſes promovent. Dulcia prohibentur, quia hæc aquam, & pituitam faciunt, quæ cauſam hujus morbi fovere poſſunt; dulcia talia eſſe docuit *Hipp. lib. de affectionibus*. Ab his monemur in puerperii defectu unicum remedium eſſe ſanguinem ad fluxum promovere.

TEXT. X. *Si Uteri pituita impleti fuerint, &c.*

Uteri implentur pituita, quando hæc in ſanguine redundat, prout *menſes albi*, hoc eſt diluti coloris, demonſtrant, *& pelliculæ*, in eodem ſanguine inſpiciuntur, quæ non ſunt niſi pituita in formam membranæ extenſa, & indurata, à ſanguine hujus conditionis nutritioni inepto fit tenuis ægra, ideſt emaciatur; *& pavida*, ob ſpirituum languorem à tali ſanguine per arterias, modo ſuperiùs explicato, ad Uterum defertur, nec niſi per iſtas à capite, vel inferiore Ventre ad Uterum duci poteſt, & in cavitatem Uteri effunditur, & ita ab hoc humore humectatur, & conſpurcatur, ut pudore potiùs, quàm alio motivo, *cum Viro coire non velit*. Interrogatio poſita ab Hipp. non eſt omittenda in quolibet fluxu, non quia noſcamus, an à capite, vel ventriculo fluxio procedat, ſed ut eliciamus indicationem moderandi acrimoniam, & exſiccandi, vel ſolùm exſiccandi deficiente acrimonia. Curatio diffuſiùs exponetur cum Hipp. ſequenti libro *de Morb. Mul.* & ſequenti *num.* 15. notandum hic *groſſorum ſuccum* eſſe illorum fructuum, qui ſunt velut flores in arbore, ut ſunt primi ficus, per acerba, adſtringentia veniunt, & monemur, hæc in fluxu albo non eſſe adminiſtranda, niſi ultimo loco.

TEXT. XI. *Si Uteri inflammati fuerint, menſes omninò prodeunt*. Legit *Foeſius, menſes prorſus non eunt, &c.*

De vera inflammatione non loqui Hipp. in hoc Textu; manifeſtum fit ab abſentia Febris, quæ eſt inſeparabilis veræ inflammationis comes, quam expreſſit *lib.* 2. *de Morb. Mul. num.* 54. ubi de vera Uteri inflammatione loquitur. Quapropter cum *Martiano* aſſerendum, per inflammationem intelligendum eſſe intumeſcentiam Uteri, cùm mos ſit Hipp. hanc inflammationis nomine deſignare. Hujus intumeſcentiæ cauſa ſunt menſes ſuppreſſi, & tali depravatione affecti, qualis ſuccedit in Gravidis, quæ *& jejunæ, & cibo plenæ vomunt in principio gravidationis*, ob portionem ſanguinis è nutritione Fœtus ſuperfluam cum aliqua depravatione, à qua fermentum ventriculi depravatur, vel vapore, vel concurſu dicti humoris depravati ad eum media circulatione. Hanc depravationem oſten-

dunt *menſes pravi*, ſicut ſuppreſſionem pauci manifeſtant. Hæc gravidarum ſymptomata ſequuntur, *dolor imi ventris*, *& lumborum*, *& deliquia animi*, quæ gravidis etiam propria, cùm eadem ſit cauſa vellicans tam partes ſenſitivas Uteri, quàm oris ventriculi, cum deliquio. Suppreſſi menſes ſtagnant in vaſis Uteri, & motu ſuarum particularum fermentant, & fermentando fumum, ſeu exhalationum copiam emittunt, quam in fermentantibus corporibus obſervamus; ab hac dilatatur, & extenditur Uterus, adeòut puretur Fœminam gravidam eſſe; *Venter tumidus*, *aliquando durus*, *aliquando mollis*, prout exhalationes augentur, vel minuuntur, & prout earum vis; & energia valet, vel languet. Has exhalationes deſignavit Hipp. in illo verbo, *inflatur*, quod vertit *Foeſius*, *flatu diſtenditur*. *Si contigeris*, *ſeu contrectaveris hunc ventris tumorem manu*, ut legit *Foeſius*, *evaneſcit*, ut plenitudo vacua evadat: à compreſſione enim virtus energetica exhalationum diſſolvitur; unde tumor evaneſcit. Hoc ſigno veram à falſa gravidatione diſtinguimus, cùm in illa qualibet contractione numquam cedat tumor. Progrediente tempore ſuppreſſionis magis augetur quantitas ſanguinis, & tumor creſcit, ut amplitudinem gravidæ emuletur. *Ubi verò decem menſes præterierint*, *Venter aqua impletur*, *& umbillicus eminet*, dum efferveſcit, & fermenteſcit ſanguis ſtagnans in Utero, hujuſmodi motu rareſcit, & in ſerum reſolvitur: eadem fermentatione lympha in vaſis turget Uteri, & turgentia rumpuntur, & Uterus aqua impletur; exhalationes ab eodem ſanguine evolantes ad partes ſupernas fermenta chyli corrumpunt, ut alimenta in ſeroſam cruditatem abeant, ſanguinis maſſa ab eiſdem depravata, vel malè alterando chylum, vel ſerum copiosè ab aliarum particularum conſortio diſgregans, hujus copiam conſpicuam facit, quam ad Uterum dimittendo natura, hunc aquarum redundantia turgidum reddit. *Hinc* alimentis in excrementa tranſeuntibus, & ſanguine malè affecto *ſupervenit macies in colli*, *& claviculatum attenuatione* manifeſtata, *& pedes* etiam à ſeri redundantia *intumeſcunt*. Curationem colligit in purgatione totius, cum ſolvente Alvum, & ſpeciale erit aquam purgans. Pro purgatione Uteri remedia ad hanc ſpecifica habemus in hoc *lib. numer.* 107. *&* in *Aetio tetrab.* 1. *ſerm.* 4. *cap.* 153. eligenda, quæ acrimonia carent, & ex eis poſſunt parari injectiones, ſuffumigia, linimenta ad peſſaria inungenda, vel ad illiniendum Uterum. Videatur idem *Aetius tetrab.* 4. *ſerm.* 4. *cap.* 55. ubi proponit peſſaria menſes educentia, & purgantia etiam Uterum; *Mercuriali* utitur etiam in cibo, quia Uterum ſpecificè purgat. Addo, purgationem hanc in principio eſſe peragendam, ſi certi ſimus de falſa gravidatione, ſi non, in decimo menſe; & quia habemus depravationem fermenti ventriculi, & maſſæ ſanguineæ, utrumque corroborantibus aromaticis remittendum, & cùm menſes deficiant, hi provocandi. Curationem ex integro proponit Hippoc. *lib.* 2. *de Morb. Mul. num.* 20. *num.* 27. *&* 28. Prognoſticum edit dicendo, *Morbus eſt periculoſus*.

TEXT. XII. *Si ignis ſacer*, *Eriſipelas dictus*, *in Uteris oboriatur*, *&c.*

Hic agit de alio tumore Uteri, ſed cum calore conjuncto, ut patet *à febre*, & inferiùs enumerat *puſtulas Corporis*, *ruborem faciei*, *ſitim magnam*, *& fauces ſiccas*; quæ ſunt caloris indicia: ab hoc calore tumor Eriſipelas nominat, qui eſt *tumor cum calore*, *rubore*, *& febre*; ex quo colligere licet, hunc tumorem eſſe à ſero biliofo in vaſis redundante, & hujus indicium habemus à præcedenti *intumeſcentiam pedum*, *crurum*, *& coxarum*, cùm materiam tumoris harum partium à toto, non ab Utero provenire credendum ſit; cum impletæ fuerint hæ partes illæ Ventris, & Uteri præcipuè, ſtante humoris ſeroſi abundantia, implentur ſecundùm poroſitates, & vaſa capillaria. Hunc curſum humoris à pedibus in Ventrem frequenter in hydrope obſervamus. Quapropter non eſt difficile credere à coxis ad Uterum humorem poſſe transferri: fixato ſero biliofo in Utero fit rigor, ut fieri ſolet in principio eriſipelatis, & febris accenditur, ut ſolet in inflammatione; & quia calor, & materia, in qua fundatur, eſt acris vellicatione, roſione dolorem parit, ob iſtius vehementiam jactat ſeipſam, & quieſcere non poteſt. Adeſſe abundantiam ſeri ſanguinei biliofi, demonſtrant puſtulæ in corpore, & rubor faciei. Cum hoc tumore conjungitur hyſterica paſſio, cujus ſigna ſunt *dolor ad præcordia*, *pectora*, *& caput*: ab imo ventre ad has partes aſcendens, aſcendit autem per nervos, ut dictum eſt de ſuffocationis hyſtericæ cauſa; *& torpor in manibus*, per remiſſionem doloris relictus nervoſas partes affectas oſtendit, cum torpor ſit diminutio ſenſus, & motus, quæ ſunt actiones nervorum; & quia torpor eſt magis ſenſibilis in manibus, in quibus eſt magnus concurſus nervoſarum partium, de torpore ſolùm manuum conqueritur patiens. Clarius ſuffocationem expreſſit Hipp. in illis verbis: *& ſtrangulatio remiſerit*, & ſuperiùs *livida ſit*. Curationem dirigit pro gravida, & non gravida; in prima Diœtam ſolùm proponit, & ſi Venter non emittat fœces, clyſtere educit. Hoc exemplo monemur, gravidas non eſſe purgandas: & verba ſuperiùs allata, *Ventrem turbare*, vel ſunt referenda ad Curationem in genere, in qua continetur illa differentia morbi in non gravidis; poſita verò differentia morbi hujus in gravida, non eſt purgandum, vel per *turbare* debemus intelligere leniter alvum movere lenienti medicamento, cum ea minori doſi, qua alvum movere poſſit. Sed melius dicendum eſt textum alvi turbationem inſinuare, quando dolor affligit patientem, pro auferenda cauſa doloris ſolùm antecedente, & doloris ablatione, à quo abortus fieri poteſt. Diœta in gravida ſit plenior, ob fœtus conſervationem. Si dolore affligatur patiens, *frigefactoria* imperat, à quibus & calor acris, & acrimonia ſeri biliofi moderatur, quapropter *ſucci*, *aquæ deſtillatæ*, *decocta herbarum refrigerantium* eligenda. Si gravida non ſit mulier, medicamentum purgans exhibet, quo lene eſſe debet, quia ſymptomata prædicta in vigore exiſtentia magnam purgationem non permittunt, ideò ſubjungit: *Poſtquam calor*, *& ſtrangulatio remiſerit*, *& tumor non fuerit ſedatus*, *medicamentum fortius infra purgans*, *poſtea bibendum dato*. A tumore ventris permanente, humoris fermentati exiſtentiam colligit, à quo purgatio indicatur à remiſſione caloris, & ſuffocationis concoctionem ejuſdem humoris deducit, quæ duo complent verum indicans purgationem. Alterantia frigida, ratione cauſæ exhibenda, cùm ſit calida, & cùm talis ſit etiam cauſa doloris, iſta etiam conveniunt frigida. Vide *lib.* 2. *de Morb. Mul. num.* 58. Prognoſticum de gravida protulit Hippocr. in illis verbis: *hic morbus ſi prægnanti fiat*, *moritur*, *ſin minus curata ſanatur*. De non gravida dicit: *morbum autem hunc pauca effugiunt*.

TEXT. XIII. *Si Uteri præternaturam hient*, *&c.*

Uteri hiant, quando iſtorum orificium dilatatur præternaturam, & contingit, quando ejus orificii figura in longum ducta, & parum dilatata ad inſtar orificii penis, in figuram orbicularem tranſit; hancque conſervat, licèt hujus orificii ſubſtantia in plicaturas conformata, ſit extenſibilis, & contrahibilis. Signa hujus affectus ſunt menſium abundantia, dilatatis cum orificio vaſis ſanguifluis, & debilitata vi, qua oſcula illorum conſtringuntur, exitus ſeminis in Uterum ejaculati, cum ob amplitudinem orificii non poſſit hoc conſtringi pro retentione illius, ut decet, fracta virtute ſe conſtringendi, à figura ſphærica perfecta conſtrictionem interdicente; ideò in dilatatione oris Uteri ſemper adeſt ſterilitas. A paucis conſideratur hæc cauſa, licèt magis frequens, quam illa intemperiei, & præcipuè in eis, quæ pepererunt, *digito hæc dilatatio ſit ſenſibilis*. Cauſam hujus affectus aſſignat primò Hipp. in illis verbis, *menſes viſcoſiores*; craſſities enim ſanguinis eſt cauſa remota, à qua ſit ſuppreſſio. Secundò proximam declarat; *fluxum*, nempe ſanguinis, ſuccedentem *poſt longam menſium ſuppreſſionem*, derepentè factum. Ob dictam ſuppreſſionem copioſus evenit fluxus ſanguinis, dum per hunc exit ſanguis, qui per plures menſes exire debebat, *derepentè*, non ſolùm inexpectatum fluxum connotat, ſed etiam violentiam exitus deſignat, à qua oris Uteri fibræ ita afficiuntur, ut virtutem elaſticam ſe remittendi ad integram occluſionem amittant. Dilatationem prædictam,

& ſan-

& ſanguinis fluxum concomitantur *dolor imi Ventris*, *& lumborum*, *Febris*, *& rigor*, & inſeparabiliter cum fluxu ſanguinis per Uterum conjungi dolorem imi Ventris, & lumborum, quotidiana probat experientia, & febris ferè in omni fluxu ſanguinis accenditur, ob fermentationem inordinatam ſanguinis, quam patitur in dicto fluxu. Curationem diſtinguit in plura capita. Primò durante dolore Uteri, & lumborum in præſentia fluxus ſanguinis, illum eradicare contendit Hipp. *tepefactoriis;* ait enim: *cùm maximè habuerit*, *tepefactoria apponito* (ait *Foeſius*, *tepefactoria in ſubdititiis apponito*.) Tepefactoria ſunt, quæ inter calida, & frigida medium tenent; talia ſunt anodyna. *Subdititia* ſunt peſſaria, quibus non video, quo fructu uti poſſimus; præſente fluxu potius fomenta anodyna regioni Uteri appoſita, quæ & imperat Hipp. videntur propria. His inſervire poſſunt *Malva*, *Althea*, *Melilotum*, *Parietaria*, *Branca Urſina*, *Fœnugræco*, horum ſimplicium decoctione fovendo regionem Uteri, fugiendo quæ mordent, & ſunt calida, & acria; ideò etiam fugienda fomenta nimis calida, quia rationem acris induunt. Olea anodyna erunt forſan meliora, ſicut *omenta animalium*. Ratio hujus remedii eſt, quia dolor ſanguinem in copia vocat ad partem dolentem cum conſervatione fluxus. Hoc conſilium ſummè rationabile, & utile nullos noſtris temporibus invenit ſequaces; in fluxu hoc ſanguinis negligit Hipp. ſectionem venæ, tamquam revulſivum remedium, quia talis fluxus eſt à retentis menſibus, & per aliquot menſes, quapropter talis excretio, etiam ſi copioſa correſpondet retentioni ſanguinis plurium menſium, & eſt evacuatio naturalis, cui non debetur venæ ſectio, potius hæc conveniret in ſuppreſſione menſium antecedenti. Si verò quantitas fluentis ſanguinis excedat quantitatem ſanguinis, quæ fluere debet tempore ſuppreſſionis, tunc cogitandum eſt de remedio revulſivo. Nec ratione doloris convenit venæ ſectio ad inflammationem præcavendam, dum ſanguis profluit extrà vaſa, & intrà corpus non retinetur, nec ſtagnat à dolore tractus. Secundò *poſt remiſſionem doloris Uteros foveto*, quibus remediis non explicat, crederem convenire abſterſiva, ut orificia vaſorum à ſanguine concreſcente mundarentur, nempè cum *decocto Mercurialis*, *hyſopi*, *hordei*, *addito melle*, & etiam exſtrinſecus cum eis, qui calorem Uteri à copioſa evacuatione debilitatum remittere poſſint, & ſint temperatè calida uterina. A fomento purgationem imperat, ut removeatur cauſa ſuppreſſionis menſium. Hæc eſt pituita craſſa, per quam ſanguis fit craſſus, ut notat in principio Textus, & etiam quia purgatio poteſt fungi revulſionis officio; & etiam ad purgandos humores acres in fluxu exaltatos, & diſgregatos, ne eorum acrimonia fluxum foveant. Poſt purgationem conſulit *ſubdititia*, peſſos, vel ſuffumigia cum eis, quæ non mordent, ſed corroborant. Cùm menſes ſuppreſſi ſint cauſa hujus affectus, hi ſtatutis temporibus excitandi, & in hoc conſiſtit præſervatio: *& poſteà acerbis*, ideſt adſtringentibus *os Uteri abluendum*, ſed non multùm, ne ſuppreſſio menſium contumax valdè fiat. *Cibis ſicciſſimis utatur*, ut exſiccatione os Uteri reſtringatur, & orificia vaſorum corroborentur. Tertiò, *ſi ab his non ſanetur*, *medicamentum vomitivum*, *& purgativum exhibeto*, ut purgetur totum ab humoribus, qui ſuppreſſionem menſium pariunt, & fluxum ſanguinis fovent. *Hic morbus lethalis eſt*, quia in hydropem tranſit, vel ulcera Uteri inducit, vel in fluxum continuum tranſit. Vide *num.* 52. 53. *lib.* 2. *de Morb. Mulier.*

TEXT. XIV. *Si Uteri ad medium lumborum proceſſerint &c.*

De alio deſcenſu Uteri hic agit ad medios lumbos; hunc deſcenſum aperit, quando exponit difficultatem in excernendis fœcibus alvi, & in urinæ ſtillicidio, nam ex iſtis colligimus Uterum deſcendere deorſum, & ſphincterem ani, & veſicæ comprimere, à qua compreſſione dicta difficultas, & ſtillicidium eodem tempore comprimit capita muſculorum ab oſſe ſacro, vel oſſe pubis derivata, & ad coxas, & crura deſcendentia cum contractione harum partium. Curationem auſpicatur ab intruſione aeris in Uterum, cum fiſtula veſicæ alicujus animalis alligatæ priùs inflatæ, & poſteà compreſſæ; ab aeris enim frigiditate ſive poſitiva, ſive reſpectiva vellicatur Uteri membrana interior, à vellicatione contractio, à contractione ſurſum trahitur Uterus. *Lenticulæ* decocto præparat ægrum ad vomitum, quem laudat ob rationem ſuperiùs dictam. Medicamentum ex lauro invenies in ſerie medicamentorum deſcriptorum in hoc *libr.* poſt *numer.* 28. pro crure læſo. Vide *libr.* 1. *de Morbis Mulier. numer.* 116. *&* 22. *libr.* 2. Reliqua patent ex dictis.

TEXT. XV. *Cùm Fluxus albus obortus fuerit*, *&c.*

De Fluxu albo mulierum hic agit Hipp. nempè de illo fluxu, qui fit per Uterum materia ab iſto continuò ſtillante colore alba, ex quo fluxus albi nomen accepit. Hujus cauſam refundit Hipp. in naturam pituitoſam, ideſt in redundantiam humoris pituitoſi, & ſeroſi in corpore, cui ſi febris ſuperveniat, & *bilis in eo commota fuerit*, *& non purgata*, ſed ſero, & pituitæ commixta maneat, hos acrimonia naturali à febrili calore aucta, acres reddit, qui, ſi ad Ventris vaſa, ſeu glandulas inteſtinorum diſgregatione facta, delati fuerint, Ventris fluxum promovebunt, ſi verò ad Uteri vaſa ſive interna, ſive externa, vel lacunas, de quibus egit *Regnerus Graaf in ſuo tractatu de Organis Mulier.* generationi ſervientibus, fluxum Uteri album excitabunt; ex quo habemus, Hipp. velle fluxus albi cauſam eſſe redundantiam humoris ſeroſi, ſeu pituitoſi cum acrimonia, qua naturam irritat pro expulſione, & copia fluxum ferè continuum perennat. Ab hac cauſa deducitur ratio explicans omnia ſigna in hoc Textu ab Hipp. relata: *Urina Aſinina* apparet, hoc eſt alba, & craſſa, quia huic exeunti miſcetur materia illa alba fluxus Uteri. Hanc diximus eſſe acrem; ideòque in Utero collecta hujus membranas vellicando, aliqualem excitat dolorem in imo Ventre, ubi Uterus reſidet, qui correſpondendo lumbis cum Utero conſentientibus ratione vaſorum, etiam in iſtis fit ſenſibilis, & per hoc ſignum muliebris fluxus à Gonorrhæa diſtinguitur, in qua non adeſt lumborum dolor. *Tument crura*, *& manus*, *& cavitas ſub oculis elevatur*, *& oculi humidi fiunt* ob abundantiam dictæ ſeroſitatis, ſeu pituitæ, quæ ad dictas partes fluit, & in earumdem poroſitatibus remoratur ob ſuam viſcoſitatem; unde in tumorem elevantur ſine fluctuatione, & per vaſa lymphatica oculorum portio exit. *Color fit arcuatus*, ideſt flavus, & albus, ob admixtionem bilis cum pituita, vel ſero, à quibus color flavus dilutus proficiſcitur. *Cùm iter facit*, *anhelat*, eò quia à motu rarefacta pituita, & ſerum vaſa pulmonum implent, eorumque ſubſtantiam opprimendo, difficilem illorum motum reddunt; unde reſpirandi difficultas.

Curationem hujus affectus molitur Hipp. cùm *corticibus papaveris rubri*, *& albi*, nempè cum corticibus capitum iſtorum, etiam cum cortice *granatorum torrefactorum ſub cineribus*, & hæc exhibet cum *polenta*; unde deducimus indicationem eſſe incraſſandi magis hunc humorem, cùm ex incraſſatione ejus acrimonia etiam retundatur, ut adnotavit in *libr. de natura hum.* agendo de fluxione acri ad oculos, & vaſa adſtringendi, quæ in fluxu copioſo ſunt valdè dilatata, nec ceſſabit fluxus ad ea, niſi adſtringentibus dilatatio rollatur; ideò videntur convenire *decoctio Plantaginis*, *Conſolidæ*, *& Tormentillæ*, *& Nux moſcata aſſata*, *& diviſa*, *ſi una pars manè*, *altera ſerò ſumatur per aliquot dies*. *Emulſio ex ſemine Lactucæ*, *& Rumicis acuti* facta cum *acqua chalybeata* valet, ſicut *membrana rubra interior caſtanearum ad* ℥. *ii. cum totidem raſuræ Eboris in vino auſtero*, *& cortex ovi incubati poſt exitum pulli pulver.* & exhibitus *in aqua ferrata*. *Sem. Ameos ad* ℥. *i. & Peoniæ gr. xv. in vino auſtero exhibita* valent, *ſicut & acini uvæ pul.* Fluxu moderato *pharmacum vomitivum* exhibet, & poſtea *Lac Aſininum*, ut per inferiora purget. Hic perpendendum eſt Hipp. artificium in curatione hujus affectus; nam primò vult minorationem fluxus materiæ ad Uterum per adſtringentia, & incraſſantia, deinde materiam ſolitam ad dictam partem fluere, ab hac divertit vomitu; tutior enim eſt vomitus, quàm alvi motus, ſeu purgatio, quia ille revellit ab Utero, hic ad proximas Utero partes ducit; ad hujus imitationem

Gal.

Gal. ad vias Urinæ ducit, ſed neutrum aſſequi poſſemus, niſi vaſa Uteri adſtricta fuerint; quod aliqui etiam non inconſultò cum peſſariis adſtringentibus, & ſuffumigationibus eorumdem adſtrictionem tentant. Ultimò ad attemperandam acrimoniam humoris ad novi, & melioris ſanguinis generationem, *Lac bubulum per quadraginta dies* exhibet. Hac regula *Lac Meracum*, hoc eſt purum, & ſincerum, ſumit, & *ſub dio exponito per noctem*, *& quartam partem aquæ admiſceto*, *& vinum*, ex lectione *Foeſii*, *ad quartam partem aquæ* addit. Quantitatem Lactis non determinat, quia hujus determinatio pendet à natura ægrotantis, à conditione ventriculi; ideò ſubjungit Hipp. *ſi poterit*. Quantitati ergo Lactis à Medico determinatæ additur quarta pars aquæ, & vini quarta pars reſpectu quantitatis aquæ; fuit enim apud Antiquos conſuetum vinum in morbis pituitoſis Lacti addere ad correctionem ipſius lactis, tantum abeſt, quod vinum aciditate Lac corrumpat, maximè ſi ſit generoſum, prout vulgus Medicorum ſentit, quin potiùs corrigit. Adeò frigidum Lac amavit Hipp. quale eſt illud aeri frigido noctis expoſitum, ut bilem valdè calidam moderaretur; ideò etiam ſuperiùs cibos frigidos commendavit, & etiam quia à frigore copia partis butyroſæ colligitur, à qua acrimonia humorum edulcoratur, & incraſſatione miteſcit. *In cœna Alicam ſorbendam* præbet: eſt autem Alica factitium quid ex farinis, de quo vide *Plinium lib.* 28. *Hiſtoriæ naturalis*, *cap.* 11. *&* 17. Cùm cœnam tantummodo imperet Hipp. argumentum eſt magnam quantitatem lactis exhibere, ut ſerviat pro prandio. *Poſt decem dies* aſſumpti lactis hoc modo parati, *Lactis*, *& aquæ decimam partem ſubtrahito*, *& ejus loco addito lactis recenter mulcti parem quantitatem*, *& die ſequenti duabus partibus lactis refrigerati detractis*, *alias duas recentis* ſubſtituit, hocque modo *per quatuor dies lac potandum* eſſe jubet, quibus elapſis ſingulo die, decima parte lactis alterati detracta, & tantum dicitur recenti addita procedit, quouſque una tantummodo ſit alterati portio, & novem recentis. *Poſtquam verò per dies quatuordecim*, à prædictis quatuor diebus enumerando; *Lac* modo prædicto *potaverit* ægra, *tertiam aquæ partem lacti* addendo *per alios decem dies bibendum* exhibet. Hic modus lac exhibendi reſpicit primò alterationem humoris; ſecundò lac recenter mulctum alterationem moderatam, & nutritionem, & generationem optimi ſanguinis. Quæ de norma victus hic tradit Hipp. explicatione non indigent.

TEXT. XVI. *Cùm conceperit*, *& Uterum ut partus geſtarit*, *ea quæ natura ſterilis eſt*. Legit *Martianus* cum Baſilienſi Codice: *Quum partus luſerit eam*, *&c.*

Lecto hoc modo Textu patet ejus ſenſus, alioquin valde obſcurus. Patet loqui Hipp. de muliere, quæ credit gravidam eſſe ex menſium defectu, & ab aliis ſignis enumeratis in Textu; *poſtea derepentè multi ſiunt* menſes, *& puri*, *& fortes*, ideſt copioſi, & cum vehementia, ab hoc fluxu mulier abortum paſſam eſſe credit: hoc pacto partum luſiſſe, dicitur, cùm crederet ſe gravidam eſſe, & non eſſet: quaptopter hic fluxus habetur pro ſigno falſæ gravidationis: limitationem tamen addit; nam ſi hic fluxus ſemel fiat, & per ſe ſiſtatur, poſſumus cum ratione ſuſpicari de vera gravidatione, & præcipuè ſi ſuccedat in primis menſibus, in quibus Uteri vaſa copioſo ſanguine redundant, cùm tota quantitas fluxa ad Uterum in primis menſibus non conſumatur à fœtu parvo, iſta quantitate impetum faciente oſcula vaſorum per partem externam colli Uteri divaricatorum, & quæ ſunt ramificationes vaſorum ad internam partem tendentium reſerat, & exit quandoque ſine abortu ſanguis; ſi verò compareat fluxus, & iterum atque iterum in menſe redeat, & ſine externo auxilio deſinat cum pallore, & macie patientis, ſignum infallibile falſæ gravidationis exiſtit. Hujus cauſam non reddit Hipp. facillimè tamen invenitur in communi cauſa ſuppreſſionis menſium, quæ eſt vel vaſorum anguſtia naturalis, vel præternaturalis ab humore obſtruente inducta, vel ſanguinis craſſities. Prima excluditur à fluxu ſanguinis copioſo, & vehementi ſuperveniente, & ſecunda magis rationi conſona videtur, & ut clarè demonſtretur, recolenda eſt cauſa fluxus menſtrui naturalis ſuperiùs expoſita, nempè collectio ſanguinis ſuperflui in vaſis Uteri, cum ejuſdem effervescentia, à quantitate collecta pendente, & ab Uteri calore, qui ſi fuerit validus, cita erit fermentatio, ſi debilis, tarda. Si ſanguis ſit talis conditionis, ut non effterveſcat in Uteri vaſis poſt collectionem quantitatis duorum, vel trium menſium, hujuſmodi quantitas in vaſis retinetur per dictum tempus, & effterveſcentia deinde concepta, reſerando vaſorum orificia, cum impetu exit. Talem conditionem ſtagnantis ſanguinis in vaſis largiuntur ei particulæ ſanguinis craſſæ redundantes, à quibus particulæ mobiles, & activæ ſpirituum ligantur, & opprimuntur, ut efferveſcentia, & fermentatio neceſſaria pro impetu concipiendo, & pro vaſorum reſeratione impediatur, in uno menſe, ſed ad hanc ſubeundam duo vel tres menſes requirantur, in quibus particulæ craſſæ attenuentur, & libertas, & motus ad efferveſcentiam requiſitus ſpiritibus, particuliſque activis conceditur; & ſi calor Uteri fuerit debilis, fermentatio retardatur; ſicut ſi acidum præternaturale in Utero dominabitur. Hinc rectè pro curatione hujus materiæ craſſæ evacuationem medicamento ſuprà, & infrà movente molitur Hipp. & uſu *Lactis*, & *Seri* fluiditatem ſanguini conciliare ſatagit; qua ratione utitur *Aſinino lacte* maximè fluido, & concurrente etiam Uteri mala diſpoſitione hujus purgationem jure deſiderat, & corroborationem caloris cum ſuffitu aromatum. *Cyceon* eſt mixtura, cum *vino*, *farinis*, *melle*, & quandoque *caſeo compoſita*.

TEXT. XVII. *Si acetabula pituita plena fuerint*, *&c.*

In hoc Textu proponit Abortum à redundantia pituitæ in Utero, & præcipuè in acetabulis. Sunt autem hæc orificia vaſorum hiantium in cavitatem Uteri, & per quæ menſes fluunt. Dicuntur etiam acetabula eminentiæ illæ, de quibus diximus ſuperiùs, placentam Uterinam in principio gravidationis uniri. Si ergo pituita ad iſtas eminentias per vaſa, quæ in eis reperiuntur, & per quæ connectuntur, cum placenta in copia deferatur, quia in ſanguine redundat, vinculum illud quod placentam Utero unit, ab humido pituitæ laxatur, & à pondere fœtus in placenta exiſtentis ex toto ſolvitur, ideò etiam abortus non ſequitur, niſi fœtu fortiori facto, & illius pondere vincente reſiſtentiam ligamenti, placenta ab Utero divulſa, & ligamenta ſoluta, neceſſitatem abortus inferunt; quapropter conſtat, eos errare exiſtimantes Abortum à laxatis Uteri ligamentis ſuperioribus procedere. Hujus cauſæ ſigna expoſuit Hipp. in defluxu humiditatis mucoſæ, & viſcoſæ ab Utero, qui fluxus abortum præcedit, & etiam gravida non exiſtente muliere poſt purgationem menſtruam *per duos*, *ac tres dies* dicta *materia mucoſa exit*. Pro Curatione præſervativa, quam incipiendam eſſe in fine temporis puerperii jubet, mihi videtur determinatur à ſubſequentibus verbis Hipp. & primò vult *ablutionem cum ſucco Groſſorum*: ſunt autem Groſſi primæ Ficus tamquam flores à planta erumpentes, & de iſtarum ſucco loquitur hic Hipp. & cùm non ſemper virides habeantur ficus, dictis primitiis exſiccatis uti poſſumus in decoctione. Dicit Hipp. *hanc eluito*; unde dubium emergit, an corpus totum hoc ſucco ſit abluendum, an Uterus tantùm tamquam pars affecta, & hoc mihi videtur valdè rationabile, & tale etiam confirmatur à virtute, & facultate Ficus uterina, cùm iſtarum eſus ad partum facilitandum valdè conferat; ideò ſi ejus ſucco, vel decoctione Uterum per injectionem abluamus, extranea in eo exiſtentia educemus, ab omnique immunditie Uteri cavitas abſtergetur. Secundò *acerbis collutionem* parat, & *ter* reiterat. Per acerba intelligenda ſunt exſiccantia. In hoc ſenſu ſteriles dicuntur acerbæ, ideſt ſiccæ, & Cerebrum acerbum, ideſt ſiccum, & adſtrictum. Tertiò jubet apponi *id*, *à quo pituita purgatur*; & hoc eſt peſſarium ſubdendum, à quo pituita Uteri purgetur, & hæc invenietis in ſequentibus Hipp. medicamentis hoc *lib.* deſcriptis. Cùm peſſario mollia fomenta Uteri regioni adhibet, ut iſtorum beneficio diſponatur materia Uteri ad exitum facilem, & copioſum. Quartò, poſt peſſarium Uterum abluit pari quantitate *aquæ*, & *aceti*, ad hoc ut reli-

quiæ

quiæ mucoſitatis abſtergantur, & vaſa etiam à purgante aperta, occludantur. Quintò in menſibus, ideſt quando fluunt, *ſuffumigationem cum aromatis* jubet, ad hoc, ut ab iſtis attenuata pituita ad Uterum concurrens in menſtruali purgatione attenuetur, & attenuata exeat cum ſanguine. Duo remanent dilucidanda; primum eſt, cur ſiccantia Uteri purgationi præponat: ſecundum, quare totum negligat à pituita purgare. Quoad primum, cùm dixerit, hanc purgationem præſervativam incipiendam eſſe termino tranſacto puerperii, in quo oſcula venarum Uteri ſunt adhuc laxa à medicamento Uterum purgante, ita poſſunt dilatari, ut fluxus periculoſus excitari poſſit, à quo præſervat præmiſſa corroboratio per ſiccantia. Quoad ſecundum, vel ſupponit Hipp. purgationi totius ſatisfactum fuiſſe cum evacuatione abortum ſemper ſequente, vel cum illa puerperii: ideò purgationem totius negligit, vel ſupponit Uterum eſſe primario affectum, & ſuo temperamento, vel fermento depravato ſerum alibile in mucoſam materiam reducere, vel ſanguinis partes craſſiuſculas præcipitare, & retinere, & videmus fluxum eſſe magis frequentem in mulieribus, quæ frigidam, & humidam Intemperiem Uteri ſortitæ ſunt, quàm in aliis. Si tamen cognoſcamus has mucoſitates à toto pendere, ob vitium manifeſtum chylificationis, vel ſanguificationis, tunc toti providendum eſt purgatione humoris pituitoſi, craſſi, & correctione vitii partis, à quo pendet ejus generatio.

TEXT. XVIII. *Cùm menſes occultati fuerint, &c.*

Suffocationem Uterinam in hoc Textu proponere Hipp. demonſtratur à verbis illis, *cùm verò ad præcordia elapſi fuerint, Uteri ſuffocant;* cauſam exprimit, quando dicit, *cùm menſes occultati fuerint*, ideſt non apparuerint; quod non apparet, latet. Quomodo retenta menſtrua ſuffocationem pariant, videtur Hipp. explicaſſe in illis verbis, *& ubi frequenter acida evomit, ad modicum tempus melius habet*. Si expulſio acidi juvat, ergo acidum eſt, quod nocet. Aciditas in ſanguine præternaturalis cùm coagulet, eſt cauſa ſuppreſſionis menſium, hi ſuppreſſi fermentant in loco ſtagnationis, & per fermentationem particulæ ſubtiliſſimæ, quibus inhæret acidum, ſurſum elatæ vellicando nervos, & plexus meſſenterii, & ventriculi, cardiacos, pulmonares, & plexum glangiformem, hyſtericam paſſionem inducunt, pungendo membranas Cerebri, & nervos Colli, vel iſtorum principia, iſtas partes triſti ſenſatione afficiunt. Curationem primò orditur à ſedatione affectus hyſterici per ea ſuperiùs dicta; alia habet Hipp. in hoc *libr. num.* 58. *&* 81. *& lib.* 2. *de Morbis Mul. num.* 16. 17. 18. Secundò ſedato inſultu, purgat, & Lac exhibet, bibendum, meo judicio, poſt medicamentum purgans loco juris, quo nos utimur, & paulò poſt medicamentum lac exhibet, ut illius virtus augeatur. Exhibetur medicamentum ſedata paſſione hyſterica, quia hæc à medicamenti purgantis actione in furorem adigente acidum agitatione, & motione vehementi ſuſciperet incrementum. Tertiò poſt purgationem vomitum movet ſucco; qualis ſit hic ſuccus, non explicat, ſed parum intereſt remedii determinatio, ſufficit, quòd ſit vomitivum, quod valde efficax eſt in exſtirpandis reliquiis ſuffocationis, dum conatu vomitus pars craſſior, quæ neglexit potentiam purgantis, educitur, etiam ſi in remotioribus finibus ſit abſcondita. A ſuppreſſione menſium acidi humoris copia congregatur in vaſis, quæ per vomitum extirpatur. Major difficultas eſt in hoc, quod naribus idem medicamentum apponendum jubet, nec alia crederem ratione, niſi quia Cerebrum ſecundum nervoſum genus in hoc affectu patitur, & ſuccus nerveus labem contrahit; Cerebri affectionem etiam dolor capitis oſtendit; unde purgatio capitis non incongrua, & præcipuè ſi dolor capitis poſt accidens perduret, & eò magis conveniret in ſententia *Vvilliſii*, qua determinat dictos affectus hyſtericos quandoque à vitio ſucci nervoſi procedere, in quo caſu non ſolùm optima ſed neceſſaria eſt capitis purgatio. Ab hac praxi Hipp monentur Medici leſione capitis poſt hyſtericam paſſionem perſeverante Errhynis purgandum caput, & poſtea corroborandum cum medicamentis ex *Charabe*, *Caſtoreo*, *Cinabri nativa*, & aliis cæphalicis paratis. Reliquum Curationis conſiſtit in promovendis menſibus, pro quo adverto primò pro medicamento, cum *Lauro* apud nos valere *emplaſtrum de baccis Lauri*. Secundò pro movendis menſibus Hipp. non ſolùm exteriùs, ſed interiùs etiam uſum fuiſſe *Cantaridibus:* quod remedium valdè ſuſpectum eſt, ob facultatem corroſivam, qua pollent Cantarides: aliqui tamen tutò exhiberi poſſe in vino acido aſſerunt, cùm ab aciditate dicta virtus mortificetur, eo modo quo ab acidis virtus purgantium mortificatur. Tutiora medicamenta menſes promoventia inferiùs deſcribentur.

TEXT. XIX. *Cùm in Ventre habens fœtum, menſtruum, aut bimenſtruum corruperit, &c.*

In hoc Textu tres caſus proponit Hipp. & indicationes ad Curationem iſtorum neceſſarias demonſtrat. Primus eſt, quando Mulier in primo, vel ſecundo menſe abortit, cujus cauſam in Uteri ſubſtantiæ tenuitatem, & debilitatem refundit, ut patet ex illis verbis, *non enim prius fœtum perferre poterit, quàm Uteri ipſius craſſi fiant, & robuſti evadant*. Uteri tenuitas ſequitur tenuitatem totius corporis, quam in principio Textus notat Hipp. in quo notandum eſt dicere *tenuem præternaturam*, ſupponendo cauſam præternaturalem, à qua corpus præternaturaliter attenuetur, & emacietur. Hinc elicit indicationem Uterum purgandi, cùm in hoc reperiantur humores ſimiles illis, per quos totum corpus emaciatur, & videtur Hipp. determinare medicamenta purgantia per os aſſumpta non ſufficere ad purgandos humores in Utero exiſtentes, ſed purgandos eſſe per medicamenta Utero appoſita, & multa deſcribit in hoc *lib.* poſt numerum 28. Hæc purgatio ſufficiet etiam pro purgatione totius, quia hoc per Uterum optimè purgatur ob conſenſum, quem cum toto, & præcipuè ſi totius extenuatio radicem habeat in Utero. Secundò dicit, *Corpus pinguefaciendum* eſſe; nam hoc pinguefacto Uteri ſubſtantia craſſior evadet, & robuſtior, & tacitè innuit auferendam eſſe cauſam præternaturalem maciem totius efficientem, cujus cauſa cognita contrariis oppugnanda. Alter caſus eſt, in quo mulier valdè pinguis ſit, & pinguedine moles Omenti ita excreſcit, ut premendo orificium Uteri, cui ſupponitur, illud claudat, & ſemini virili ejaculato ingreſſum interdicat. Curationem totam ponit in attenuatione corporis, & pinguedinis reſolutione, cui indicationi ſatisfacit præcipuè Diœta cum alimentis ſiccis, parvi ſucci, conditis acido, vel cum eis, quæ alvum ſubducunt. Attenuationem etiam perquirit medicamento purgante totum corpus, & medicamento Uterum pariter purgante. Omnia medicamenta pro pinguedine tollenda ab Authoribus propoſita, huic indicationi ſatisfaciunt. Tertius caſus eſt, in quo *Os Uteri durum ſit*, ideſt quando tumor aliquis occupat orificium Uteri, *quem digito intromiſſo cognoſces*. Hujus cauſa eſt communis omnibus tumoribus, nempè extravaſatio humoris in aliqua parte, & in hac collectio, & ſtagnatio. In hoc caſu nihil acre adhibendum eſſe conſulit pro tumoris diſſolutione, nam ab acri exulceratur tumor, ab exulceratione inflammatur, ſeu ita incaleſcit Uterus, ut ſterilis fiat, ſed monet ea apponenda eſſe Utero, quæ non mordent, ſed purgant, de quibus pariter agit in citato loco. Remedia pro fœtu mortuo expellendo habet *libr.* ſequenti, *numer.* 109. *&* 110.

TEXT. XX. *Si mulierem parere non potentem, &c.*

Per *Mulierem parere non potentem*, intelligit Mulierem ſterilem, quam fœcundam reddere contendit medicamentis; ideò primò monet diſtinguendum eſſe temperamentum mulieris, ſi ſit bilioſum, & pituitoſum, modum ibi docet; alia verò ſigna habemus à *Galeno in arte medic.* & pro ratione temperamenti purganda, medicamento humori redundanti ſpecifico, cujuſcumque generis ſit; exemplo enim bilis, & pituitæ demonſtrat, quid operandum ſit in qualibet differentia humoris peccantis. In Muliere ſterili purgandus etiam Uterus cum ſubdititiis, ſeu peſſariis, de quibus in hoc libro cit. loco agit. Sed non ſatis eſt, humores tollere oportet, & cauſam iſtos generantem eradicare, niſi ab errore externo cauſam habuerint. Secundò aliam cauſam proponit ſterilitatis, nempè menſium ſuppreſſionem

nem à dolore circà Uterum pendentem, cùm ab hoc contractæ fibræ vaſorum ſanguinem non effundant. Tertiò ablationem hujus cauſæ molitur primò purgatione, ſecundò cum ſuppoſitoriis ſanguinem ab Utero educentibus. Hìc notandum melius Hippocrati apparere ſanguinem ab Utero educere, quàm à venis pedis, neceſſitatem tamen ſanguinis educendi agnoſcit. Ultimò laudat uſum *Corticis Crethmi pulver. in vino*, quæ valdè potens eſt pro menſibus educendis, vulgò dicitur, *Finocchio di Marc*, poſſunt alia remedia pro hoc effectu præſcribi, inferiùs proponenda.

TEXT. XXI. *Si humidius fuerit os Uteri, &c.*

Humidum dicimus os Uteri, quando eſt laxum, & ab eo humiditas ſtillat, & præ humiditate conſtringi non poteſt etiam ſemine in eo ejaculato, unde ſterilitas, & in hoc conſiſtit eſſe humidius, quàm oportet. Curatio conſiſtit in *inflammando*, ideſt calefaciendo, & tumefaciendo Utero medicamentis *mordacibus*, *& acribus*, *ut durus fiat*, & per eadem acria ſaniem, ſeu humorem tumoris diffundere, ſeu educere. Acria, & mordacia, ubi pungunt, ibi humores vocant, ut patet in punctura apis, pulicis. Pungendo ſuperficiem Uteri, ad hanc humores in ejus ſubſtantia contentos vocant, à quibus induratur, & ab eiſdem acribus dilatati pori ſuperficiei Uteri exit vocatus humor. Ab hac Curatione colligere licet, loqui Hipp. de humida intemperie Uteri independente à toto; nam ſi ab hoc concurreret, humorem ad Uterum tranſmittendo, divertendus eſſet ad partes alias excretorias, non trahendus eſſet ad Uterum acribus, & mordentibus, quæ augerent, non curarent morbum. Humidum verò redundans in Utero vitio iſtius, per dicta remedia in unum locum totum colligitur, & evacuatur, hoc evacuato laxitas Uteri corrigitur, & humidi ſtillicidium tollitur, & eiſdem remediis calore, & ſiccitate præditis intemperies tollitur, & fibræ per humidum laxæ, conſtrictionique Uteri non ſufficientes, exſiccatæ, contractioni idoneæ factæ, clauſuræ optimè ſerviunt. Mihi tamen videtur exſiccantibus ſolis, nempe *lignis*, & cæphalicis ſuffumigatis correctionem hujus intemperiei poſſe haberi.

TEXT. XXII. *Si puerperæ Uteri in coxam incubuerit, &c.*

In Puerperiis facilis eſt dimotio Uteri à ſuo loco ob dolores, & ob fluxum materiæ continuum. Textus ex dictis ſuperiùs de hoc affectu clarus eſt.

TEXT. XXIII. *Si verò Puerperæ inflammati fuerint Uteri, &c.*

Non de inflammatione propria in puerpera intelligendus eſt hic Textus, cùm non addatur febris; & licèt utatur voce, *ardet*, febri conveniens, cùm tamen aliud ſymptoma febri connexum non adjungatur, prout conſuetum eſt Hipp. cenſendum loqui hic de tumore Uteri calido, & huic Textui applicanda omnia ſuperiùs dicta de Eriſipelate Uteri, & pendet à copia materiæ puerperii in vaſis Uteri collecta, & à dolore valido, & continuo ſequente Puerperium, & vocante ſanguinem copioſum ad Uterum. Huic affectui conjungitur *ſuffocatio*. *Muſcus Marinus*, eſt *Alga*, cui ſubſtitui poteſt *Muſcus arboreus capillaris*, *& terreſtris*; *Cinis ſarmentitius*, eſt cinis ſarmentorum vitis. Huic affectui conveniunt omnia, quæ Uterum refrigerant, & paſſim ab Auctoribus proponuntur de Uteri Intemperiebus.

TEXT. XXIV. *Si verò fixi fuerint Uteri, &c.*

Legit *Foeſius*: *ſi compacti fuerint Uteri*. Per Uteros compactos intelligendos eſſe à ſuo ſitu expulſos, non conjunctos, prout etiam ſignificat illud verbum *compacti*, docet Curatio, quæ directa eſt ad remittendum Uterum in ſuo ſitu per ſuffitum graveolentium, à quo pariter docemur, motionem Uteri eſſe ad inferiora; qua de cauſa vaporem decocti *Lentis*, & *multæ menthæ* odorem jubet *in os*, *naribus admotis attrahi*, ut legit *Foeſius*. In hoc caſu conveniunt etiam omnia remedia ſuperiùs dicta de Utèri deſcenſu. Interim non contemnendum Hipp. monitum de dolore præveniendo quam celerrimè, ne inſurgat, prout contingit ferè ſemper in Uteri præcipitatione, cujus Curationem dolor vel difficilem, vel fruſtraneam reddit. Duæ poſſunt eſſe cauſæ doloris, prima Uteri præcipitatio, dum ſuo pondere ligamenta magis diſtrahit præcipitatus Uterus, quod ſine triſti ligamentorum ſenſatione fieri non poteſt. Secunda eſt aliquod irritativum humorale in ſubſtantia Uteri latens, quod excitatum vellicando, vel pungendo dolorem parit. Prima cauſa doloris prævenitur remittendo Uterum ad ſuum locum ſtatim peſſariis introductis, vel circulis Utero admotis, de quibus agit *Schenkius in ſuis obſervationibus*, *& Hildanus* pariter *in ſuis obſervationibus*, & remediis ſupradictis. Secunda cauſa prævenitur remediis deſcribendis inferiùs *de Uteri dolore*. *Clyſter incaleſcente Ventre*, ex Hipp. decreto imponendus; cùm argumentum ſit efferveſcentis in vaſis Inteſtinorum ſanguinis, ob aliquem humorem fermentativa qualitate donatum cum ſanguine mixtum, vel ob vapores à fœcibus elevatos, & tam humoris, quàm fœcum evacuatio perquirenda eſt Clyſtere *Lactis*, vel *aquæ hordei*, cum *Mel. Viol. ſolutivo*, *aquæ*, vel *decocta refrigerantia* exhibenda.

TEXT. XXV. *Si ex partu inflammati fuerint Uteri, &c.*

Neque hic agit Hipp. de vera inflammatione, ſed ſolùm de aucta caliditate in partu, quam accendit dolor intenſus in pariendo cum labore, & difficultate pariendi conjunctus; ideò dicit, *ſi ex partu inflammati fuerint Uteri*. ad differentiam illius inflammationis, quam paulò antè deſignavit in Puerpera, quæ ex puerperii vitio, non ex partu cauſam habet. A conditione ſupradicti partus oritur incaleſcentia Uteri, quia conatus in difficultate partus humoris ſubtilioris, utpotè magis facilè mobilis, copiam ad Uteri vaſa impellit, à quo tota Uteri ſubſtantia incaleſcit. Per dolorem excandeſcunt ſpiritus in copia collecti pro expulſione objecti dolorifici, & excandeſcentiam Utero communicant. Medicamenta refrigerantia ibi proponit: Pro *Rhamno*, non eſt ſumenda ſpecies illa Rhamni, quæ dicitur ſpina infectoria, ſed aliæ ſpecies, & folia iſtarum, de quibus vide *Matthiolum*, *Dioſcoridem*. *Ceruſa*, cùm fiat ex plumbo, & aceto, eſt valdè refrigerans, & exſiccans. Subjungit, *ſi horruerit*, *tolle*, ideſt Ceruſam; nam horror eſt inflammationis veræ Uteri prodromus. Hoc conſilium puto tenendum eſſe etiam in uſu refrigerantium, quæ cum cautela ſunt exercenda, nempè ut Uterus refrigeretur, puerperia verò non ſupprimantur. Refrigerantia uterina ſeligantur.

TEXT. XXVI. *Si Mulier ab Utero debilis ſit, &c.*

De ſuffocatione Uteri à bile redundante, vel exaltata loquitur hìc Hipp. conjungendo huic Uteri debilitatem, per quam puto intelligendam eſſe inclinationem ad ſuſcipiendam quamlibet etiam levem alterationem, per quam humores in eo contenti ebulliant, & ferveant cum magna effumatione ad plexus nerveos inteſtinorum, & partium ſpiritalium. Praxis enim oſtendit frequenter Mulieres aliquas à levi cauſa iraſcendi in ſuffocationes uterinas incidere, quæ præcipuè in Mulieribus bilioſis contingunt; ubi verò ſimiles ſuffocationes curandas acceperit Medicus, neceſſe eſt, ut diligenter ponderet, an opus ſit bilem purgare leviter, & cognoſcat à vehementia ſuffocativi paroxyſmi, qui exceſſum quantitatis bilis, & hujus intenſam activitatem ſua violentia demonſtrabit; & uterque ſufficiet ad firmandam indicationem purgationis bilis, quam leviter faciendam monet Hipp. & cum cautela ſuperiùs propoſita, nempè in remiſſione paroxyſmi, ne à vehementia medicamenti agitata cum bile tota maſſa humorum, & eorum, qui in Utero exiſtunt, paroxyſmus hyſtericus fortior inſurgat: hac ratione *Peucedani ſuccum* eligit, à quo blandè bilis purgatur ad quantitatem *trium cyatorum*. Quilibet iſtorum ex communi ſenſu de ponderibus ſcribentium continet ℥. i. ß. eſt enim inter illos maxima difficultas de vero pondere Cyati. Rixant Medici, in ſuffocatione Uteri non ſemper mittendum eſſe ſanguinem, ſed quandoque purgandum, ſaltem pro præſervatione, ut in caſu propoſito, in quo Hipp. decidit purgandum eſſe aliquando, ſi bilis maximè peccet, quia hæc eſt humor excrementitius, cui convenit purgatio.

TEXT. XXVII. *Si in lumbis, aut lateris mollitudine fuerint Uteri, &c.*

Qua-

Qualis ſit ſitus lumborum, & quid pro laterum mollitudine intelligendum ſit, dictum eſt ſuperiùs. Ad transmovendum Uterum in his partibus translatum proponit remedium Hipp. nempè ſuppoſitorium ex *ſulphure*, *bitumine*, *& melle* paratum, in anum immittendum, cui cùm correſpondeat Uterus inter rectum inteſtinum, & veſicam poſitus, virtus remedii poteſt huic communicari, & motus, quo inditur ſuppoſitorium, Uterum movere. Idem remedium *in Uteris ſiccis*, ideſt nulla humiditate ſcatentibus, & forſan nec menſtruali pro peſſario inſervire afferit Hipp. Legit enim *Foeſius*, *Si Uteri ſicci evaſerint*, *hæc quam celerrimè in ſubdititio*, ideſt peſſario *apponito*.

TEXT. XXVIII. *Mulieri ſi Uteri ſicci* (legit *Foeſius*, *duri*) *fiant*, *&c.*

Cancrum Uteri hic proponit Hipp. cujus ſigna ſunt durities Uteri ſenſibilis cum prominentia tumorem repræſentante, & ardor pudendorum, hic enim ſignum eſt tumorem Uteri durum ad Cancrum manifeſtum diſponi. Tumor eſt ab humore ſtagnante in vaſis, in poroſitatibus Uteri, durities ab humore exſiccato, in quo copia ſalis acris continetur ob humiditatem moderatricem diſſipatam; calor, & ardor eſt ab hujus ſalis exaltatione, per quam ſopita ejus virtus corroſiva reſurgit, & in apertum exit cum corroſione; unde Cancer manifeſtus, cujus ſigna vide in *libr. 2. de Morb. Mul. num.* 24. Remedium ex *Cucumere ſylveſtri* habet *Marinellus*; *Foeſius* verò ex *Cucurbita*, & huic adhærendum eſſe cenſeo, cùm omnia acria, prout eſt Cucumer ſylveſtris, in diſpoſitione ad Cancrum ſint evitanda, & lenientia, ardoremque mitigantia, prout eſt Cucurbita, magis conveniant; & ſi hoc medicamentum ad purgandum proponit, ideòque hoc utitur pro clyſtere, & pro hoc fine facit magis Cucumer ſylveſtris, quàm Cucurbita; nihilominus hac utendum eſt, cùm ad leniter purgandum ſufficiat cum *aqua favo mellis affuſa*, prout habet idem *Foeſius*. Huic affectui convenit *Cathaplaſma è Caricis*, *Meliloto*, ac *Ruta* paratum, vel aliud ex *Papaveris Capitibus tritis*, *cum Poligoni ſucco compoſitum*, *aut Solani folia tenera*, *cum lacte muliebri impoſita*. *Cancri fluviales ſub prunis exuruntur*, *& cum oleo Cyprino triti miſcentur*, & hoc pars illinitur. Remedium ad Cancrum lege in *citat. numer.* 24. *libr.* 2. *de Morb. Mulier.*

Catalogum remediorum *Hippocrat. ad Morbos Mulier. ſub numer.* 29. habemus. Interna remedia ſunt *Cinabris Antimon. tinctura Antimonii*, *cum aqua Malvarum; Lac crudum*, *& coctum*, quia maximè dulcificativum, primas partes habet in hoc morbo.

TEXT. XXX. *Si aqua in Uteris gignatur*, *menſes pauciores fiunt*, *& deteriores*, *&c.*

In hoc Textu de Hydrope Uteri in Muliere gravida agit Hipp. & duas hujus affectus ſtatuit differentias. Prima eſt Hydrops ſuperveniens antequam fœtus in Utero moveatur hoc tempore abortu ſequente: cujus affectus ſignum eſt antecedens gravidationem depravatio menſium per aliquod tempus, nempè per tres, vel quatuor menſes. Depravationem hanc determinat Hipp. in paucitate menſium, & reſpicit quantitatem diminutam, remanente in vaſis pro majori parte illorum materia, quæ paulatim in liquamentum abit, & in prava qualitate, per quam fiunt menſes deteriores, & præcipuè in colore, qui eſt diſſimilis omninò à colore ſanguinis boni, & qui erat naturalis ſanguini aliàs in hac muliere per menſes exeunti & ſolet eſſe niger, vel loturæ carnis ſimilis, fit etiam deterior ſanguis, quando eſt nimis fluidus, vel nimis craſſus, & excrementa diverſi generis in eo ſenſibiliter diſtinguuntur, & quando valdè fœtet. Sanguis hujus conditionis retentus, & fermentationem diſſolutivam concipiens, prout facilè contingit humori ſtagnanti, facilè in aquam, & liquamentum ſanguineum abit. Cùm his ſignis, & cum ſignis gravidationis ſuſpicandum eſt de Hydrope Uteri, & abortum eſſe paſſuram in primo, vel ſecundo menſe; eò quia *multa aqua in ipſa gignitur*, ut ait Hipp. & in Uteri vaſis, ſeu acetabilis, de quibus ſupradictum eſt, copia aquæ colligitur, à qua ſolvitur vinculum illud, quo placenta Utero nectitur, & copia aquæ nutritioni minimè aptæ continuò diſtillans in cavitatem membranæ internæ placentæ fœtum ambientis, adeò excreſcit, ut in hac fœtus ſuffocetur, & utroque modo ſequitur abortus, quem provocat etiam qualitas acris dicti humoris aquei, dum Uterum determinat ad multos conatus expulſivos irritantis materiæ, per quos expellitur etiam fœtus. Hanc aquæ copiam excrementitiam etiam depravatio maſſæ ſanguineæ à dictis ſuperiùs ſignis demonſtrata congregat, & occaſione gravidationis ad Uterum defertur. Signa hydropis à contactu cum digito habemus. Nam *oſculum Uteri* eſt *gracile*, *& obſcuratum*, legit *Foeſius*, *evaneſcens præ humoris copia*, ideſt ſub digito labens, & fugiens, prout faciunt corpora valdè humida, & compreſſa. In hoc ſtatum cum his ſignis pro curatione Hipp. mulieri exhibet *Lac*, & *Peplum Mecona dictum*. Hoc remedium eſt ſuccus ex capitibus *Papaverum* extractus, & condenſatus. Exhibet primò Lac ad purgandum; ideò ad aliquas libras aſſumendum, & quidem hoc leniter ſubducens alvum, in periculo abortus convenit, cùm validum purgans abortum pariat etiam, ubi nullum hujus eſt periculum. Hinc monemur in abortus periculo quodcumque purgans non interdici, ſed lene poſſe exhiberi, idcòque cum ratione poterit Medicus loco Lactis, alio leni medicamento uti, fugiendo ea, quæ tormina excitant: monemur pariter, non ſemper ſanguinis miſſione præcaveri abortum, ſed quandoque etiam purgatione, ſi humor excrementitius redundaverit, ut in propoſito caſu & poterit etiam Lac reiterari, ſi præcedentem purgationem toleraverit ægra ſine incommodo, & multò magis ſi aliquam contraxerit utilitatem. Alterum remedium eſt *Mecona*, & eſt *narcoticum*, & abortum prohibet, quia fluxum humoris ad Uterum ſiſtit, illud impetum faciens exiſtens in aqua reprimit, irritamentum ab hac factum tam ratione quantitatis, quàm qualitatis acris in acetabulis, in membranis Uteri, in membranis placentæ extinguit. Hac de cauſa in abortu præcavendo convenit *Laudanum liquidum cidoniatum*, *Phylonium perſicum*, *Emulſio ex ſeminibus Papaveris albi*, addita aliqua portione *ſeminum Juſquiami*. Hæc remedia exhibenda antequam abortus ſequatur, & uſque ad tempus, in quo fœtus incipit moveri, ex quo deducitur, hæc remedia exhiberi, tamquam præſervativa abortus, & movente ſe fœtu minui ſuſpicionem abortus, ſi non ex toto tollitur. Altera differentia Hydropis uteri eſt poſt abortum, & colligitur ex verbis Textus, *non circa initia*, *ſed dum jam movetur*, *Fœtus corrumpatur*, *ac ſuffocetur*. Unde Curatio, quam proponit, non eſt in ſtatu geſtationis fœtus, ſed poſtquam fœtus jam incœpit moveri, & fœtus corruptus eſt, aut ſuffocatus remanentibus ſignis Hydropis poſt abortum. Hæc ſigna enumerat Hipp. dum ait, *& Venter imus intumeſcit*, *& ad contactum dolet*, *velut ulcere præſente*, *& Febris ipſam*, *ac dentium premitus corripit*, *& dolorem habet acutum*, *& vehementem circa pudenda*, *& imum ventrem*, *& lumbos*, *& laterum mollitudinem*, *ac coxendices*. Magnam difficultatem proponit hic Textus; nam ſi hydrops Uteri, & collectio aquarum eſt in eo, videtur impoſſibilis retentio aquarum in Utero expulſo fœtu, cùm non minus tunc ſit aperta huic, quam illi via ad exitum. Hæc difficultas concludit, quando collectio aquarum eſt in cavitate Uteri, ſecus verò quando eſt in ſubſtantia Uteri. Dixi ſuperiùs, tempore geſtationis fœtus Uterum extendi, & valdè incraſſari ob ſanguinis copiam concurrentem ad implenda vaſa, & poroſitates ſubſtantiæ non dilatatas; quapropter ſicuti in ſanis, & vaſa, & poroſitates dilatatæ implentur ſanguine, ita in ægris copia ſeri refertis implentur ſero; quod ſi craſſum evaſerit, ut per apertas ab abortu vias exitus non concedatur, vel viæ dictæ, ſeu vaſa dictis viis correſpondentia ſint obſtructa, tunc ſerum non purgatur cum puerperio abortus, ſed in Utero remanens, tumorem, & hydropem in Utero relinquit. Ab hac cauſa deſumuntur rationes illuſtrantes cauſam deſcriptorum ſymptomatum. Hujus affectus curationem incipit à *lavacro* totius corporis cum aqua multùm calida, ut calore aquæ attenuati humores ad facilem exitum

exitum diſponantur. Dolenti parti *tepefactoria* admovet: ſunt autem tepefactoria, ea omnia, quæ temperatum calorem imprimere valent. Talis eſt *Aqua* ſimplex tepida, *Oleum* tepidum, vel *commune*, vel *Amygdalarum dulcium*, *Omenta* animalium ſtatim extracta, & applicata, vel in aliquo oleo tepefacta. *Placentæ* in ſartagine paratæ cum *Oleo Amygdalarum dulcium*, *Liliorum alborum*, & *Camomillæ*, vel *fomenta* cum herbis anodynis, ut ſunt *Malva*, *Althea*, *Parietaria*, *Branca Urſina*, *Melilotum*, *ſemina Lini*, *Fœnugræci*, *Pſilii*. Monet Hipp. varia eſſe hujuſmodi genera medicamentorum experienda, & in eo, quod magis confert, poſtea inſiſtendum. His præmiſſis, doloreque ſedato, purgans medicamentum exhibet, quod à peccante ſeroſitate *hydragogum* indicatur. Poſt purgationem totius, ad purgationem Uteri tranſit, fomento huic præmiſſo: purgat autem cum *Cyclamine* ſecundùm aliquam parvam portionem *panno inditam*, & *ligatam*, *melleque ſubactam*, hoc eſt panno cum cyclamine melli immerſo ad os Uteri apponit; vel *Cupreſſi ramentis* aqua maceratis utitur eodem modo ſuppoſitis ad os Uteri: & hæc remedia Utero applicata relinquit, donec *mordeant*, & *ulcerent*, ſeu vellicent Uterum; tunc enim medicamentum auferendum, ne ulcus perfectum efformetur. *Peſſariis* etiam uti poſſumus deſcriptis ab *Aetio tetrab.* 4. *ſer.* 4. *cap.* 79. ubi habet etiam clotiones, & ſuffitus ad hunc finem. His monentur Practici, poſt purgationem univerſalem ſeri à toto, molliendam eſſe purgationem ab Utero ab Antiquis valdè uſitatam, noſtris temporibus contemptam. Ad introducenda medicamenta in Uterum utitur Hipp. *ſpecillo ſtamneo*, & *digito* ad aperiendum os Uteri in quod immittit *Cyclamen* modo ſupradicto paratum. Per *potiones* intelligendæ ſunt, quæ movent menſes, & Uterum purgant, & propoſuit Hipp. *num.* ſuperiori 29. & illæ ſunt potiones eligendæ, quæ magis gratæ, jucundæ, & ſine moleſtia à patiente ſumuntur. *Opportunum tempus dormiendi cum Viro* eſt illud poſt purgationes menſtruas, & etiam illud antè, cùm imminent.

TEXT. XXXI. *Si indurati fuerint Uteri*, &c.

De Scyrrho Uteri intelligendus eſt præſens Textus, qui non eſt niſi *Tumor durus indolens* Uteri. Hic tumor occupat etiam os Uteri, ideò hoc fit *aſperum*, ideſt inequale, & tale digito intus immiſſo, & contrectato ore uteri apparet. Hæc inæqualitas fit à materia inæqualiter in uno loco parva, in alio multa, fixata, & indurata. Ab hoc tumore *occultantur*, ideſt ſupprimuntur *Menſes*, quia à materia indurata comprimente vaſa fit obſtructio, à qua fluxus ſanguinis, ſi non impeditur, retardatur, ideò menſium ſuppreſſio non eſt permanens, ſed *aliquando apparent velut arena*, eò quia ſanguis eſt craſſus, & tartaro multo redundans: hujus conſortio induratur ſanguis in Utero, in quo eſt Scyrrhus, quod contingit etiam in aliis partibus, in quibus Scyrrhi enaſcuntur, cum duritie non diſſimili ab illa lapidis. Hic tartarus eſt ille idem, qui in urina obſervatur; & cum ſero urinoſo à ſanguinis maſſa ſegregatur, ſi redundet in hoc hujuſmodi tartarum, & non ſecernatur, arenoſum facit ſanguinem, cujus portiones magis tartareæ congregatæ, & ſtagnantes in aliqua parte tumorem durum, & indolentem efficiunt, & *genitura*, hoc eſt conceptio hoc tempore non fit, huic repugnante ſanguine dictæ conditionis, & Utero dicto tumore affecto. Curatio Hippocratica ex dictis, & à remediis Uterum purgantibus ab eodem ſuperiùs deſcriptis fit manifeſta. Pro Diœta proponit *Mercurialem*, & *Braſſicam*, quia Uterum purgant, & etiam emolliunt, & conditionem victus in his duobus deſignat Scyrrho Uteri congruam. Per ſuccum mercurialis, & braſſicæ accipiendum, ut decoctum iſtarum à coctura reſiduum. Hæc eſt una Scyrrhi Uteri differentia ab Hipp. in hoc textu relata, in quo alteram recenſet, & conſiſtit in Uteri Scyrrho, in quo ſuppreſſio menſium eſt continua, eò quia os Uteri *connivet*, ideſt omninò clauditur, prout à digito explorante judicatur, ad differentiam ſuperioris differentiæ, in qua à tumore comprimente vaſa totaliter non obſtruuntur, nec os Uteri integrè clauditur; ideò menſes aliquando fluunt; in hac verò non fluunt, quia vaſa integrè à compreſſione obſtruuntur, & à tumore os Uteri totum clauditur, ideò menſes ſupprimuntur. Aliquando fit hæc Scyrrhi differentia *à Fœtu in Utero corrupto*, & *tunc adeſt febris*, & *dentium fremitus*, *dolor imi ventris*, *laterum*, & *lumborum*, quæ omnia à putreſcente fœtu dependent, cujus evaporationes fœtidæ, & irritativæ nervos maxillarum vellicantes motus ſpaſmodicos excitant, à quibus dentium fremitus. Dictæ evaporationes ad os tendunt, ob conſenſum Uteri cum hoc ab Hipp. demonſtratum in ſuffumigio Utero facto, cujus odor in ore perſentitur, & putridi vapores fermentationem inordinatam in maſſa ſanguinis excitant, unde febris; & eiſdem vellicantibus partes, quibus Uterus, lumbis, & lateribus connectitur, dolores in iſtis efficiuntur. Quæ hic habet pro curatione, commento non indigent. Vide alia ſequenti *numer.* 103. Pro reliquis Curationem imperat ſimilem illi antecedentis differentiæ. Varia, & efficacia remedia habebis apud *Aetium cit. loco capit.* 84. ut plurimum verò eſt morbus incurabilis. Diligentia Medici verſari debet in prohibenda exulceratione tumoris, in qua conſiſtit natura Cancri. Vide *numer.* 45. *libr.* 2. *de Morb. Mul.* & *numer.* 46. 47. & 48.

TEXT. XXXII. *Si Uteri ad latus allapſi fuerint*, &c.

De uteri aſcenſu agit Hipp. in hoc Textu, & ut apparet ſecundùm ſuam ſententiam, nempè de aſcenſu ſecundùm Uteri ſubſtantiam ad latera, ideſt ad hypochondria circa latera ventris. Huic Uteri aſcenſui reſiſtunt Recentiores, & validis rationibus, prout innui ſuperiùs, & quæ videndæ ſunt in *Vvilliſio in Tractatione de Morb. Convul. cap. de hyſter. paſſione*; & *in Tract. de Nervorum deſcriptione*, & *uſu*, ubi agit *de plexibus Meſentericis*; dictis enim rationibus evincitur affectionem hyſtericam non eſſe diſſimilem ab affectione hypochondriaca, niſi in hoc, quòd cauſa illius eſt ab Utero, per quem afficiuntur nervi hypochondriorum, & aliarum partium. In hac cauſa eſt in hypochondriis, quod ſuperiùs etiam demonſtravi. Ab hac nervorum affectione, & motu ſpaſmodico explicantur omnia ſymptomata ab Hipp. enumerata. Hic animadvertendum per *Peripneumoniam* accipere difficultatem reſpirandi, quæ ſuccedit in affectu hyſterico per *Motus convulſivos* nervorum diaphragmatis, pulmonis, & intercoſtalium, ſi verò dicti motus in nervos vertebrarum introducantur, *Gibboſitas* provenit. Cauſa hujus affectus deſignatur ab Hipp. in illis verbis, & *menſes omninò non apparent*: *quibuſdam verò priùs conſpecti evaneſcunt*, *tunc autem comparentes debiles ſunt*, *ac pauci*, *aut deteriores*, *quàm anteà*; ſuppreſſio enim menſium, & eorumdem depravatio multitudinem excrementorum congregat, contrahente ſanguine ſuppreſſo, & ſtagnante cum fermentatione præternaturali, vitia in qualitatibus primis, & ſecundis, ob exaltationem ſalium diverſi generis in eo exiſtentium ope dictæ fermentationis; unde nervi à qualitatibus pravis hujus ſanguinis depravati laceſciti in ſpaſmodicos, & convulſivos motus abeunt. A vitio ſanguinis præternaturaliter retenti tota maſſa ſanguinis inficitur, ut nutritioni impar evadat, & hac deficiente contabeſcentia corporis conſurgit; hanc majorem facit ſuccus nerveus depravatus à ſanguinis vitio prædicto, & ab iſtius depravatione gibboſitas etiam ſupradicta originem trahit. Sanguinis, & ſucci nervei vitium excedens valdè hunc morbum lethalem facit, ſecundùm Hipp. preſagium in fine hujus Textus. Curationem iſtius morbi perficit Hipp. purgatione, miſſione ſanguinis, emolientibus, & dolorem ſedantibus fomentis. Purgationem præmittit, quia adeſt Cachochimia, ſeu redundantia excrementorum, ſeu humorum qualitate peccantium, quorum eductionem primò intendit, quia determinavit ſanguinem à parte affecta, nempè ab Utero educere, ut colligitur à textu, & ne venæ exinanitæ humore excrementitio impleantur, hujus purgationem primò molitur. Hoc præceptum ſervandum ſaltem in miſſione ſanguinis à parte affecta, in qua etiam humores excrementitii, vel in partibus proximis colliguntur. Purgantis vim acuit. *aqua valdè calida*, corpus lavando ſtatim ab epoto medicamento, namque à calore aquæ particulæ catarticæ ad liberum motum provocantur; &

& ab aliis aculea ſua retundentibus vindicantur, & ad partes etiam extimas deducuntur: quapropter vis purgantis corroboratur, & ab eodem calore humores magis attenuantur, & fluxiles redduntur, & ad motum provocantur, per quem ſine reſiſtentia motum à medicamento imperatum ſequuntur; advertendum tamen, ne à lotione ſudor promoveatur. Sanguinem ab Utero elicit per ſuppoſitum medicamentum, de quo locutus eſt ſuperiori *num.* 29. Hunc modum mittendi ſanguinem quamvis proficuum deſervit medicina, ob mulierum reſiſtentiam, & ejus loco ſubſtituit miſſionem ſanguinis à pede, licèt minor utilitas habeatur ab hac. Cætera emollientia, dolorem ſedantia, clara ſunt ex dictis. Solùm adverto, *Lac multum ad quadraginta dies exhibere*, tam ut purget humorem excrementitium cacochimiam parientem, quàm ut qualitates acres maſſæ ſanguineæ moderentur, & nutritio reſtituatur: cui intentioni ſatisfacere poſſumus purgatione epicratica cum aliquo ſyrupo magiſtrali, lenibus purgantibus, & alterantibus pravas qualitates humorum compoſito, & poſtea optima victus ratione optimam nutritionem totius promovere. Verùm cùm cauſa iſtius morbi ſit menſium ſuppreſſio, facta purgatione, & ſanguinis miſſione, ad hanc auferendam conatus ſunt dirigendi medicamentis ſuo loco dicendis. Vide *n.* 73. *hujus lib.*

TEXT. XXXIII. *Si os Uterorum concludatur*, *&c.*

Os Uteri clauſum proponit Hippocr. itaut nec ſemen recipere poſſit, nec exitum fluentibus menſibus relinquere. Tactui fit manifeſtus hic morbus, cùm digitus immiſſus ab Uteri ingreſſu excludatur. Hujus cauſam ex Hippocr. verbis colligimus eſſe humores tumorem in ipſo orificio Uteri efficientes, cùm dicat *tactu os eſſe durum*, & durities tumorem connotat, & in curatione emollientibus etiam utitur, ex quo deducimus fluxum eſſe humorem ad os Uteri in tanta copia, ut ſuperficies interna ipſius oris intumeſcat, itaut ſuperficies unius lateris tangat ſuperficiem alterius; *genituram*, hoc eſt ſemen *non ſuſpicit Uterus*. Dolor eſt in imo ventre, in quo ſitum eſt orificium Uteri; quod dolet, quia ejus membranæ à tumore violenter diſtrahuntur, & dolor correſpondet lumbis ob rationes alibi dictas. Curationem inſtituit purgatione, quia cùm ſit tumor ſine febre, potiùs ab excrementis, quàm à ſanguine pendere credendum eſt, & hac ratione purgatio, non ſanguinis miſſio convenit. Emollientia ori Uteri apponit, quæ deſcribit in citato *num.* 29. *hujus libri*. Emollito orificio, hoc dilatare ſtudet *ſpecillo immiſſo*, vel *digito*. Alii utuntur peſſario ex ſpongia, quod omni die majus efficiunt. *Emollito*, *& dilatato orificio*, *ea*, *quæ ſanguinem purgant in hoc immittito*, & habetur altera ratio, per quam priùs ſanguinem non eduxit, quia licèt ab hac miſſione provocarentur menſes ad exitum, ob orificii clauſuram exire non poſſent, & retenti tumorem augerent, & clauſuram contumaciorem redderent. Reliqua ſunt manifeſta. Vide *numer.* 125. *hujus libri*, *&* *numer.* 49. 50. *libri* 2. *de Morbis Mul.*

TEXT. XXXIV. *Si Uteri obliqui fiant*, *&c.*

Obliquum fit Uteri os, quando Uterus per tranſverſum ponitur, ut legit *Foeſius*, & ab obliquitate curſus ſanguinis vel impeditur, vel retardatur, ut menſes occultentur, ſupprimantur, & apparentes citò evaneſcant, cum ſubtiliori ſolùm ſanguini concedatur exitus per obliquum orificium. Retentio menſium hos ad putredinem diſponit, & hæc diſpoſitio deteriores illos facit in ſubſtantia, & colore. Uterus pendens in unam partem ligamentum coxæ appoſitæ ſecum trahit, à tractione dolor, & coxæ attractio. Reliqua non indigent dilucidatione. Vide *numer.* 35. 36. *ſecundi libri de Morb. Mul.*

TEXT. XXXV. *Si inflati fuerint Uteri*, *&c.*

Inflatur Uterus à flatu in iſtius cavitate, vel interſtitiis ſuæ ſubſtantiæ concluſo, & retento in tali copia, ut diſtendatur Uterus eo modo, quo in Uteri geſtatione diſtenditur. Generatio flatus in Utero eadem eſt cum illa aliarum partium, quæ à flatu moleſtantur, nempè materia mucoſa, & etiam ſeroſa in Utero exiſtens cum calore debili ejuſdem. Talis cauſa apparet in propoſito caſu, in quo *pedes intumeſcunt*, *& cavæ partes faciei*, *& color fit parvus*, à quibus omnibus redundantia pituitæ, vel ſeri demonſtratur. A magna Uteri diſtenſione diſtenduntur etiam muſculi abdominis, ut parùm laxati poſſint pro libera reſpiratione, cui inſerviunt, & ab iſtorum vitio in conſenſum trahuntur diaphragma, & muſculi intercoſtale, cum omnes iſtæ partes unitim concurrant ad reſpirationem, & una læſa, omnes de læſione participant. Hac de cauſa in motu difficilior redditur reſpiratio, dum hic exigit liberiorem motum muſculorum, qui impeditus in hoc caſu neceſſitatem recta cervice ſpirandi inducit. A cibo moleſtiam ſentit majorem, quàm antè cibum, à cibo calor aliquo modo intenditur in partibus internis; ab hoc flatus in Utero magis rareſiunt, & augentur ſymptomata ab hujus inflatione pendentia. Ulterius hic morbus à redundantia ſeri, & pituitæ ſupponit aliquam indiſpoſitionem ventriculi, vel ſit cauſa dictæ redundantiæ, vel effectus iſtius, Ventriculus malè diſpoſitus à cibo gravatur, & atteritur cum aliqua anxietate, & moleſtia, flatus etiam ab hac indiſpoſitione erumpunt; à quibus diſtenſus Ventriculus depreſſionem diaphragmatis impedit, cum incremento difficultatis ſpirandi. Curationem incipit à medicamento purgante, ſumpta indicatione à redundantia pituitæ, & ſeroſitatis. *Lavacrum*, *& fomentum* proponit, ob ſupra reiteratam ſæpè rationem. Interpoſitis aliquibus diebus purgationem Uteri aggreditur, juxtà univerſale axioma, poſt univerſalem totius purgationem adeundum eſſe ad illam partis affectæ: Hanc promovet cum medicamentis ſuperiùs *numer.* 29. deſcriptis; & cum illis, quæ *non mordent*. Mundato enim per hanc purgationem Utero à materia, à quo flatus elevantur, iſti neceſſariò obliterantur. *Fomentum totius corporis* imperat, & humores ſeroſi, à quibus tumor dictarum partium, & malus color proficiſcitur, rareſcant, & vaſa ingrediendo circulationis motum reaſſumant, & facilè fluant cum ſanguine circulante ad Uterum, ut in iſtius menſtrua purgatione evacuentur. Purgato toto, & parte, flatuum reliquiæ extirpandæ, & cauſa illorum efficiens, quæ eſt calor debilis Uteri, ſeu intemperies humida, & frigida iſtius ſuperanda: ideò Hipp. *ſuffumigia cum odoratis in Uterum recipienda* imperat; ab iſtorum enim caliditate, & virtute diſſolutiva, & calor debilis augetur, & flatus reſolvuntur. Conveniunt etiam *inſeſſiones in decocto Rutæ*, *Pulegii*, *Calamintæ*, *Marrubii*, *Thymi*, *Artemiſiæ*, & poſt inſeſſiones, *Cataplaſma* regioni Uteri applicetur *ex Caricis*, *Hyſopo*, *Ruta*, *ac Nitro* compactum, vel Cataplaſma *ex baccis Lauri*. *Collutio* etiam *pudendorum cum decocto baccarum Lauri*, *& ſem. & granorum Cymini*, ſicut *& injectio dictæ decoctionis in Uterum* valdè proderit. Hoc peracto menſes, qui non fluunt ob obſtructionem vaſorum factam à flatibus orificia iſtorum comprimentibus, & à materia craſſa circa eadem collecta promovendi, ſi ſponte non exeant, in hunc finem proponit Hippocr. potiones, quæ *Uteros purgant*; purgantur autem Uteri menſium fluxu. Utitur etiam eis, quæ Uterum *ad ſuum locum compellunt*; nam ſi detumeſcat Uterus, facile eſt, ut ad ſuum ſtatum redeundo à ſuo loco decidat, ideò quæ ad ſuum locum remittunt, medicamenta imperat, de quibus ſuprà. Vide *num.* 60. *hujus libri*, *& n.* 44. *lib.* 2. *de Morb. Mul. &* 61.

TEXT. XXXVI. *Si grumi ſanguinis in Utero coiverint*, *&c.*

Non de legitima ſanguinis coagulatione in Utero putandum eſt loqui hoc in loco Hippocr. cum nulla recenſeat ſigna, quæ ſunt propria dictæ coagulationis, à qua lethalia procedunt ſymptomata, nempè *oppreſſio cordis*, *palpitatio*, *pulſus diminutio*, *frigiditas extremorum*, *& totius*, *vertigo*, *turbatio ſpirituum animalium*, *oris ventriculi morſus*, *anxietas*, *& alia*; ſed potiùs cenſendum eſt loqui de puſtulis in ore Uteri erumpentibus; & quæ à ſanguine ſtagnante proficiſcuntur. Ita affirmare videntur illa verba, *Os ipſorum velut eruo plenum fit*, *& ſi attingis*, *ita habere depreh endes*; & illa ultima verba, *& veſicæ pellicula*, *ſive cuticula digitis obvoluta os Uterorum deradito*. Hujus affectus cauſa eſt ſanguis in orificiis capillarum venarum ſtagnans,

gnans, vel in poroſitatibus ſubſtantiæ oris Uteri effuſus, & condenſatus. Curationem proponit Hippocr. quæ per ſe manifeſta eſt, & remedia multa proponit *citato numer. 29. hujus libr.* Vide *numer.* 51. *libr.* 2. *de Morb. Mul.*

TEXT. XXXVII. *Si obtorti fuerint Uteri*, *&c.*

Obtortus dicitur Uterus, quando ſecundùm orificium incurvatur verſus latera, itaut *exploratum cum digito*, *orificium non inveniatur*, ut notat Hippocr. in hoc Textu, & habemus differentiam hujus affectus ab eo deſcripto *numer.* 34. in quo digito immiſſo habemus, os Uteri corrigi, & quia violenta eſt iſta incurvatio, ſequitur etiam violenta contractio fibrarum contrariarum, per quam fit triſtis ſenſatio, quæ ob conſenſum Uteri per vaſa, & ligamenta *cum laterum mollitudine*, *& cum lumbis* iſtis partibus fit communis. *Menſes ſupprimuntur*, dum cum curvatura Uteri vaſa etiam incurvantur, & horum incurvatio ſanguinis motum vel tollit, vel valdè diminuit. Hujus affectus cauſa eſt humorum excrementitiorum redundantia implens fibras colli Uteri, & plenitudine diſtorquens iſtas, eo modo quo nervi in convulſione à plenitudine variè diſtorquentur. Hanc cauſam demonſtravit Hippocr. in curatione, in qua vomitum, & alvum movet. Pro curatione medicamentum purgans per ſeceſſum, & per vomitum exhibet, ut à conatu vomitus, concuſſus Uterus, & ejus fibræ extendantur, & ad ſuum locum reducatur Uterus. Purgationem eligit etiam, ut humores ſeroſi in corpore redundantes, & implentes fibras vel internas, vel externas ſubſtantiæ Uteri, & alicujus lateris ejusdem, itaut ad magnam contractionem deducantur cum curvitate ejuſdem orificii, purgentur, & à plenitudine liberentur fibræ. Hinc fomenta exercet, quæ debent eſſe emollientia, & reſolventia, ut humor implens fibras reſolvatur, & contractæ fibræ emollitæ extendantur. Potiones ſint illæ, quæ Uteros purgant, & menſes movent.

TEXT. XXXVIII. *Si Uteri commoti in loco non manſerint*, *&c.*

Hic Textus dilucidatur à dictis *in Textu* 4. *&* 5. Videatur *num.* 25. *libr.* 2. *de Morb. Mul. & num.* 43. Remedia hic habet, *& num.* 54. *libr.* 1. *de Morb. Mul. & num.* 71.

TEXT. XXXIX. *Si hiaverit Os Uterum magis*, *quàm ſolet*, *&c.*

De immoderato fluxu menſium hic loquitur Hipp. qui ſuccedere non poteſt, niſi quando cum dilatatione orificii Uteri dilatantur etiam orificia vaſorum, quæ per hoc diſſeminantur, quibus dilatatis ſanguis in magna copia exit. Hæc dilatatio fit per *Anaſtomoſim*, ideſt aperitionem orificiorum vaſorum. Hoc modo ſuccedit fluxus menſtruus naturalis, & eodem modo præternaturalem evenire probabile eſt, & ſola differentia eſt in tempore reſerationis vaſorum: in fluxu naturali reſerantur, & excreta quantitate ſuperflua ſanguinis impetum faciente, occluduntur: in fluxu præternaturali excreta ſuperflua quantitate, adhuc aperta manent orificia, ideò fluit ſanguis, licèt quantitate non excedat. Hoc vitium aperitionis præternaturalis vaſorum, & impeditæ occluſionis eorumdem pendet vel à vitio ſanguinis, vel vaſorum; vitio ſanguinis quando qui colligitur in Utero acrimoniam vel habet, vel ibi acquirit, qua irritando orificia vaſorum ad aperitionem determinat, & videtur Hippocr. hanc cauſam innuiſſe in illis verbis, *ſi quid in ipſis fuſum fuerit*, *& corruptum computruerit*; à corruptione enim, & putredine acrimoniam acquirunt, quæ putreſcunt, vel quando impetum facit in orificia vaſorum, ut in effervefcentiis inordinatis contingit. Vitium vaſorum eſt, quando hæc laxantur à nimio humido perfuſa, vel à violenta cauſa aperta cum impreſſione impotentiæ ad occluſionem. Hanc cauſam expreſſit Hippocr. in illis verbis, *accidit etiam ex partu*, *& aliis alio modo*. Hiante ore Uteri ſemen in hunc ejaculatum exit, & quandoque etiam ad Uterum non pervenit, ſi ejaculatum in via exeunti ſanguini miſceatur, dum viam ſanguinis exeuntis tenet, quod intelligit Hippocr. quando dixit, *neque genitura eam attingit*. Hunc affectum ſequitur *Febris*, *rigor*, *& dolor Uteri*, *lumborum*, quorum cauſa data eſt ſuperiùs. Curationem incipit à vomitivo. Hujuſmodi remedium videtur contrà commune axioma ab omnibus receptum, ſanguini in motu peccanti, prout peccat in fluxu, deberi revulſionem, factam per ſectionem venæ in parte contraria ei, à qua immoderatè fluit ſanguis. Verùm hoc axioma puto non habere locum in fluxu ſanguinis ab aperitione vaſorum, prout in caſu propoſito, in quo ſupponit Hippocr. primò os Uteri hiare, & cum hoc etiam orificia ſuorum vaſorum, & cum miſſione ſanguinis non claudantur vaſa, hac exercita non tollitur fluxus ſanguinis, cùm hic ſemper fluat ad vas apertum, ideò etiam fluxus non ſupprimitur, non impediente ſanguinis miſſione fluxum ad vas apertum, niſi in copia majori; omnimodum verò fluxum non tollit, ſicuti tollit, quando ſanguinis fluxus eſt ab iſtius impetu, qui per extractionem vel minuitur, vel tollitur; quapropter in hoc caſu aperitionis vaſorum curatio aggredienda eſt ab ablatione cauſæ, à qua judicatum eſt vaſa aperiri; cùm autem determinatum ſit ab Hippocr. Mulierem pati hunc affectum, quia aliquid in Utero fuerit corruptum, vel putrefactum, habemus cauſam aperitionis vaſorum non eſſe à ſanguine, ſed ab humore putrido, & corrupto, vel alterato, cui convenit purgatio, non ſanguinis miſſio. Per vomitum purgationem molitur, quia à conatu vomitus, ſanguis etiam vaſorum ad ſuperiora vocatur cum revulſione à partibus inferioribus. Poſtea contendit, dolorem lenire, & ſiccantibus, ideſt adſtringentibus ſive in potu, ſive cum ſuffitu vaſa reſtringere, prout facit in præcedenti *num. & in* 2. *lib. de Morb. Mul.* proponentur remedia.

TEXT. XXXX. *Si levigati fuerint Uteri*, *&c.*

Levigatus dicitur Uterus, quando rugæ membranæ interioris iſtius circà collum exiſtentes obliterantur, ablata omni inæqualitate, & aſperitate, & introducta æqualitate, & levigatione. Cùm iſta levigatione, ſeu æqualitate, quæ tactu fit ſenſibilis digito in os Uteri immiſſo conjungitur aliquando inordinatus, & frequens menſium fluxus, cujus cauſa eſt eadem cum cauſa levigationis. Nam humiditas, quæ hanc parit, laxat etiam orificia vaſorum Uteri, & laxata aperiuntur, vel ita debilitantur, ut à præmente ſolùm ſanguine aperiantur; & hæc eſt differentia diſtinguens quoad cauſam hunc fluxum à præcedenti deſcripto. Vel dicendum eſt, id, *quod corrumpitur*, *& putreſcit*, ut ait Hippocr. aliquando dilatare os Uteri, aliquando levigare: illud in primo caſu, hoc in ſecundo propoſito contingit: in utroque verò eſt fluxus ſanguinis, & diſtinctivum harum cauſarum non poteſt eſſe, niſi ſenſus tactus, quo in utroque caſu utitur Hipp. ut patet ab utroque Textu. Curatio eſt eadem cum ſuperiori.

TEXT. XXXXI. *Si Uteri ad ventrem nutaverint*, *&c.*

Legit *Foeſius*: *ſi Uteri ad ventrem vergant*; hoc eſt ad imum ventrem deſcendant. Adſunt ſigna in Textu enumerata; quæ pro curatione proponuntur, ſunt valdè clara. Solùm advertendum eſt in nocte pro Cœna exhibere *Lac*, *melle*, *& aqua mixtum*, ut moneat ægram Diœta tenui eſſe tractandam. De cauſa hujus affectus nullum præbet argumentum Hippocr. ideò referenda ad eam, quam ſuperiùs de deſcenſu Uteri dilucidavimus.

TEXT. XXXXII. *Si Uteri ad Caput vertant*, *&c.*

Uterus non petit, nec vertitur ad caput, niſi modo dicto *de ſuffocatione uterina*. Qualia ſint ſymptomata parta à fumis ab Utero ad caput elevatis, non aperit Hippocr. quia ferè omnes morbi, qui à capite per eſſentiam affecto germinant, ab Utero per conſenſum provenire poſſunt. Modum cognoſcendi, an ab Utero ſint, demonſtrat in illis verbis, *Naſi venas*, *& ſub oculis dolore exiſtimat*. Cùm Naſo, & Utero commercium quoddam intercedere experientia unuſquiſque novit, cùm ab odoribus diverſæ excitentur in Utero affectiones; unde ex dolore venarum naſi deducimus aliquod inditium affecti Uteri: ſicut etiam ex dolore venarum ſub oculis, quæ communionem habent cum venis naſi. Præterquamquòd pars ſub oculis videtur idem commercium cum Utero conſervare;

ſervare; dum alterato Utero in fluxu menſtruali, alteratur etiam color iſtius partis, qui etiam ſi ſit albus, lucidus naturaliter liveſcit, & ita dolor venarum ſub oculis affectionem Uteri demonſtrare poteſt, & maximè ſi concipiamus non venas ſimpliciter dolere, ſed partes etiam circa venas exiſtentes. Remedia conveniunt ſuffocationi Uteri ſpecifica; hæc habet *Hipp. lib.* 2. *de Morb. Mul.*

TEXT. XLIII. *Si ad crura, & pedes converſi fuerint, &c.*

Huic Textui applicanda ſunt omnia, quæ de deſcenſu Uteri dicta ſunt ſuperiùs.

TEXT. XLIV. *Si Mulier Cibum averſans Uteros doleat, &c.*

Hìc dolorem Uteri cum ciborum faſtidio proponit Hipp. cui conjungitur *Febris*; hæc ſymptomata dilucidanda, & primò de dolore agendum, poſtea de febre. Cauſam doloris prætcrit Hipp. cùm notum ſit ab objecto violenter agente in organum tactus pendere dolorem, ideò notum etiam erit Uteri doloris cauſam eſſe aliquod ſenſibile violenter agens in membranas ſenſitivas Uteri, has vel pungendo, vel rodendo, vel ſecando, vel diſtendendo. Cauſa poſſet etiam deduci à vitio ventriculi, dum ſupponit cibi faſtidium præcedere dolorem, & illud, ut plurimum, facit bilis, acidum ventriculi mortificando; unde bilis prædominans, & excrementa acida in ventriculo præparata ob exaltationem ſalis acidi illorum ad Uterum delata, cum ſanguine poſſunt eſſe cauſa doloris, quia irritativa. Dolorem eſſe vehementem, febris excitata probat, dolorem eſſe cauſam febris, colligimus à remedio propoſito, quod eſt contra dolorem, non contra febrem. A dolore febris excitatur, quando ab iſtius vehementia ſpiritus partis dolentis, & etiam totius violenter agitati excandeſcunt, & calorem præternaturalem in maſſa ſanguinis accendunt, vel quando à dolore copia ſanguinis ad partem dolentem vocata, ibi ebullit, & efferveſcit, itaut ſanguinem per eam, & partes vicinas circulantem ebullire faciat; ex quo poſtea in corde calor febrilis accenditur. Remedium ad dolorem deſcribit, in quo *Peplum album* nominat, ideſt *Papaver album*, & nos monet *Opiata* mitiora in dolore Uteri conferre, etiam in principio doloris; & quoad uſum Papaveris albi monet non ad paucas drachmas exhibendum; nam exhibet quintam partem *Chænicis*. *Chænix* continet *libras duas menſurales, dimidia libram unam quinta pars libræ* excedit *uncias duas*. Alia vide *nu.* 74. ſequentis *lib.* & 47. *& lib.* 2. *de Morb. Mul. n.* 57. 89. 88. 87. & ſi conjungatur urinæ ſtillicidium, remedia habet *n.* 88.

TEXT. XLV. *Si ex partu fluxus corripiat, &c.*

Per Fluxum intelligere oportet Fluxum ventris, & videtur hoc declarari à ſubſequentibus verbis, *& cibi in ventre non maneant*; & videtur exprimere vel Lienteriam, vel Diarrhæam, quæ ſupponit apparatum excrementorum in gravidatione, hæc in partu commota, & agitata impetu concepto erumpunt. Vel à partu adeò ventriculus debilitatur, ut Lienteria efficiatur: pro cujus curatione unicum proponit remedium, cum alibi de curatione iſtius Fluxus methodicè egerit. *Caſeum caprinum* huic miſcet, quia adſtringendi virtute pollet.

TEXT. XLVI. *Si ex partu ſanguinem vomat, &c.*

Hujus vomitus ſanguinis cauſam dicit eſſe *hepatis fiſtulam ſauciatam*. Per fiſtulam intelligit Hippocr. abſceſſum, ut colligitur ab eodem in *lib. Prognoſt. Coac. Prænot. & lib. de Fiſtulis*, & *Fiſtula* dicitur *ſauciata*, quando abſceſſus eſt ruptus. Hunc abſceſſum vult eſſe in hepate, & rumpi à conatu in expulſione Fœtus concepto. Hujus ſigna colligit *à dolore ad viſcera procedente, & à Cordis convulſione*. At ab anatomicis demonſtrationibus non conſtat, quomodo abſceſſus hepatis per vomitum purgari poſſit. Certum tamen eſt, omnem vomitum ſanguinis pendere à vaſis ſanguinem deferentibus ad ventriculum, ſi ruptionem patiantur, vel ſi ſanguis in aliqua parte abſceſſum congregetur, cujus vaſa communionem habeant cum illis ventriculi, rupto abſceſſu, ſanguis exiens per vaſa communia ventriculo ad hunc defertur, & per vomitum excernitur. Curam hujus affectus ſolo Lactis uſu perficit, & clarè patet ex textu modus Lac exhibendi. *Semen Seſami* exhibet, quia eſt mitigans dolorem; de quo locutus eſt in ſignis: eſt etiam incraſſans, ideòque in fluxu ſanguinis opportunum. Et habemus præceptum in fluxu ſanguinis, hunc incraſſandum eſſe.

TEXT. XLVII. *Si Mulier diù non concepit, &c.*

Proponit in hoc Textu Hippoc. remedium ad conceptionem in Muliere, quæ diù non concepit, ſivè aliquando conceperit, poſtea per aliquot annos ſterilis fuerit, ſivè numquam conceperit, remedium clarè exponitur. Solùm adnoto, à natura remedii adſtringente, & exſiccante, prout eſt *Alumen*, connotari, ſterilitatem provenire à laxitate, & humiditate Uteri, quæ cognoſcitur à ſeminis virilis exitu ab Utero. Per unguentum *Oleum* intelligit. *Fel Bovis*, eſt lapis in Cyſti fellis Bovis, vel ventriculi inventus, ideò dicit, *radito*. Adverto etiam Remedium à *Marinello* ſub n. 48. qui incipit *ad Uterorum morbum ſedandum Lini ſciſſi, &c. Foeſium* conjungere cum remedio ad conceptionem deſcripto, & non legere illa verba *ad Uterorum morbum*, quæ verba difficile eſt uni determinato morbo applicare. Alia remedia vide *lib.* 1. *de Morb. Mul. n.* 101. *& lib.* 2. *n.* 124. Reliqui Textus hujus libri continent remedia ſimpliciter, ideò ab horum interpretatione deſiſto, cùm per ſe ſint valdè manifeſti.

IN LIBRUM PRIMUM
DE MORBIS MULIERUM.

TEXT. I. *De Muliebribus ſic ſentio. Mulierem, quæ non peperit graviùs, & ſicciùs è menſibus ægrotare, quàm eam, quæ peperit, &c.*

De ſenſu hujus Textus controverſiam movet *Martianus* in hujus Commento, an è menſibus ægrotare intelligendum ſit de ſuppreſſione menſium, vel de afflictione, & moleſtia præternaturali eveniente in eorum eruptione, prout cenſuit *Cordæus*, contra quem arguit *Martianus*; pro *Cordæo* verò facit *Textus Hipp.* & primò illa verba, *Cùm enim peperit, venulæ fluidiores ſunt ad menſes*, quæ verba apertè demonſtrant de fluxu menſium, non de ſuppreſſione Hippocr. loqui; ſecundò ab illis verbis, *diſciſſo corpore neceſſe eſt venas magis aperiri, & ampliores, ac fluidiores ad menſes fiunt*; & demonſtrat dilatationem vaſorum, à qua fluxus facilior ſanguinis, non anguſtiam ab impedimento, vel ab alia cauſa fluxum impediente. Tertiò, & concludenter, *cùm hæc ſic ſe habeant, mulier purgationem à partu experta minùs laborioſè menſibus decurrentibus purgatur*. Ergo Mulier purgationem à partu non experta, magis laborioſè menſibus decurrentibus purgatur. Quartò in fine Textus clarè fatetur à Muliere, *quæ non peperit*, menſes *laborioſè* prodire, & affectiones plures accidere, & hanc difficultatem purgationis menſtruæ poſſe eſſe cauſam ſuppreſſionis menſium, teſtatur in fine Textus. Sed totus Textus eſt in demonſtrando labore, & moleſtia purgationis menſtruæ in eis, quæ non pepererunt, & facilitate in eis, quæ pepererunt, à quibus poſtea deducitur menſes ſupprimi poſſe in eis, in quibus laborioſa, & doloroſa eſt purgatio; nam in iſtis venæ ſunt anguſtæ, & à minima cauſa anguſtia poteſt augeri, ut ſanguini tranſitus impediatur cum ſuppreſſione menſium: ſenſus ergo hujus Textus eſt demonſtrare cauſam facilitatis, & difficultatis menſium. Ubi vaſa ſunt magis dilatata, eſt facilitas purgationis, quia ſanguis liberiùs, & copioſiùs fluit, & copia preſſione ſua in antecedentem ſangui-

nem impetum faciendo fluxum accelerat, & impedimenta ſuperat. At in eis, quæ pepererunt, vaſa ſunt magis dilatata, ut probat in hoc Textu per illa verba, *fluidas autem ipſas facit purgatio illa, quæ fit à partu, & ubi hæc erumpit, vicinæ maximè ventri, ac mammis corporis partes diſcinduntur*, hoc eſt dilatantur, legit *Foeſius*, *effunduntur*: effuſio eſt quædam dilatatio ſaltem continentis effuſibilis, ideò à partu venas mammarum ſanguine turgidas obſervamus, eò quia ſunt dilatatæ. Vaſa ſeminalia ante ſeminis copioſa valdè anguſta, ab effuſione ſeminis copioſa valdè dilatantur; non abſimili modo vaſa Uteri per purgationem à partu copioſam dilatari debent, & ſua dilatatione facilem reddere purgationem menſtruam. E contra deducendum eſt ab anguſtia vaſorum Uteri difficiliorem, & laborioſam purgationem menſtruam reddi, eò quia ſanguis ad hæc vaſa impulſus per motum cordis non poteſt per eorum anguſtiam fluere, niſi cum vi latera vaſorum diſtendendo; unde dolor, & labor. Ab hoc deduco difficultatem auferendi per remedia moleſtiam illam, quam aliquæ Mulieres etiam partui aſſuetæ in menſtrua purgatione experiuntur, cùm vaſa à partu non ſatis fuerint dilatata, ut commodam, & facilem præbeant purgationem, & nullum habeat Medicina remedium, à quo vaſa dilatari poſſint. Ab his cognoſcimus, textum loqui de laborioſo fluxu menſtruo, non de ſuppreſſione. Verum tamen eſt ab iſto facilè procedere ſuppreſſionem, ſi fiat laborioſus fluxus ab anguſtia vaſorum, quia facilè eſt anguſta vaſa obſtrui. Pro curatione hujus affectus, diſtinguo duplicem anguſtiam vaſorum, unam abſolutam, alteram reſpectivam. Abſoluta eſt illa, quæ propria eſt vaſis, & ſpatium illud, quod à cavitate formatur, eſt valdè anguſtum, & pro hac anguſtia curanda faciunt ea, quæ dicta ſunt paulò ante. Reſpectiva eſt illa vaſorum anguſtia conſiderata reſpectu fluidi decurrentis, cujus craſſitiei improportionata eſt capacitas vaſis, itaut hæc reſpectu craſſitiei anguſta ſit dicenda; hæc anguſtia curationem admittit faciendam per attenuantia, & fundentia ſanguinem, & diſcoagulantia, inter quæ externè proſunt *fomentatio cum decocto Pulegii, Origani, Artemiſiæ, Matricariæ, Seminis Lini, Fœnu-græci, florum Camomillæ, Cheiri. Inunctiones* adjungendæ *cum oleo Cheirino, Liliorum, Rutæ, de Vitellis ovorum. Emplaſtrum factum ex farina ſeminis lini, & medulla panis triticei, omnia in lacte cocta ad conſiſtentiam Cataplaſmatis. Peſſarium ex lana, Theriaca* inunctum valet. Internè prodeſt *Theriaca ad ℨ. i. cum aqua Meliſſæ* in ingreſſu lecti. *Specificum* eſt *coagulum Leporis*, & in iſtius defectu *Vituli ad ℨ. i. cum aqua Liliorum Cæruleorum, Sperma-Cœti ad ℨ. i.* prodeſt cum dictis aquis. Omnia pariter ſanguinem diſcoagulantia, & præcipuè *pulvis ex floribus Bellidis* ſunt ſpecifica.

TEXT. II. *Dico Mulierem rariore carne præditam, & teneriorem eſſe, quàm virum, &c.*

In hoc Textu intendit demonſtrare Hippocr. ex retentione menſtruorum neceſſitatem ægrotandi in Mulieere, & hoc deducit ex hoc, quòd caro Mulieris ſit rarior, quàm illa Viri, & quia rarior, à ventre, hoc eſt à partibus præparantibus, & conficientibus ſanguinem majorem iſtius quantitatem intra carnes raras recipere, quàm caro viri, quæ eſt denſa. Hoc probat exemplo *lanæ, & veſtis denſæ contextæ cum æqualitate ponderis lanæ, & veſtis, quæ ſi per dies duas, & noctes in loco humido, vel ſuper aquam ſuſpendantur, & poſteà exploratur iſtarum pondus, magis ponderabit lana, quàm veſtis, eò quia majorem quantitatem aqueæ humiditatis lana, quia rarior attrahit, ſeu potiùs imbibit, veſtis verò minorem, quia denſior*. A ſimili deducit carnem Mulieris, quia rariorem, majorem quantitatem ſanguinis à fonte iſtius trahere, quàm caro Viri, cùm hæc ſit denſior, & ubi carnes Mulieris ſanguine impletæ fuerint, ſi non ſecedat aliqua portio iſtius, hoc eſt niſi per aliquam viam purgetur copia ſanguinis, qua carnes implentur, carnes calefiunt, & dolore corripiuntur, hoc eſt ægrotant; & rationem reddit, eò quia *ſanguis Mulieris eſt calidior, quàm Viri*. Ardua difficultas emergit ab hac ſententia, eò quia aliis in locis Fœminas frigidiores Viris ſancivit, & ratio, & experientia id confirmat, & ſenſus communis Medicorum Antiquorum, & Recentiorum comprobat, Fœminas eſſe Viris frigidiores. Pro hac difficultate enodanda conſidero Hippocr. dicere ſanguinem fœminæ calidiorem in ſtatu, in quo corpus iſtius ſanguine repletum fuerit, & in quo nihil ſanguinis ſecedit à carnibus impletis, & virum conſiderare in ſtatu, in quo non ſit plenitudo, ut patet ex textu, & conſiderata fœmina, & Viro in hoc ſtatu, verùm eſt, quòd Fœmina eſt viro calidior, ſed in ſtatu præternaturali, ſeu in diſpoſitione præternaturali ad Morbum, non in ſtatu naturali; nam plenitudo talis in Muliere cum calore eſt cauſa morbi, cùm per hanc, ut ait Hippocr. *incaleſcat*, ideſt febricitet, *& doleat*, & hæc duo eſſentiam morbi continent; conſequenter clarum fit Hippoc. comparare Fœminam in ſtatu præternaturali, plenitudinis morbificæ, cum Viro in ſtatu naturali, & ſine plenitudine. Hìc advertere debeo, ab hoc ſtatu Hipp. confirmari ſententiam de cauſa fluxus menſtrualis præcedenti *lib.* deſcriptam, nempè quantitatem ſanguinis, quam hìc apertè Hippocr. admittit, ingredi cauſam menſtrualis fluxus, cùm hac quantitate per excretionem diminuta in fluxu menſtruali benè ſe habeat Fœmina, at verò retenta ægrotet.

TEXT. III. *Poſtquam igitur Mulieri, quæ non peperit, occultati fuerint menſes, &c.*

Cauſam ſuppreſſionis menſium hìc declarat Hippoc. in eis, quæ non pepererunt, ideſt quæ Virum non ſunt expertæ. Hanc cauſam reducit ad *occluſionem* oris Uteri ad *diſtorſionem* ejuſdem, & ad *contractionem* alicujus partis pudendi; legit *Foeſius*, *inverſionem*; pudendum enim aliquando in Muliere invertitur, ut illius ſpatium occludatur, ab his enim cauſis exitus menſium impeditur, ut in præcedenti *lib. de contorſione Uteri* demonſtravit, nec exeunt menſes, niſi ad ſuum ſtatum redeat Uterus. Has affectiones Uteri dicit contingere Mulieribus, *quibus anguſti ſunt Uteri, aut iſtius Cervix ultra pudendum ſita eſt*. Contorquetur Uterus duplici de cauſa; primò ſi Mulier non coeat; ſecundò, quando alvus eſt nimis lubrica. Non coeunte Muliere Uterus non humectatur, & conſequenter exſiccatur, & minor fit; à coitu enim incaleſcentibus partibus genitalibus, vaſa, & porroſitates valdè dilatantur, & replentur humorum affluxu, à quo Uteri ſubſtantia copioſè humectatur; hinc eſt, quòd deficiente coitu Uterus non humectatur, & non humectato, exſiccatur. In alvo lubrica, concidentibus, quia depletis inteſtinis, & exſiccatis amplum ſpatium relinquitur, per quod volutari poſſit Uterus, & à qualibet motione corporis modò in unam partem, modò in alteram dicti ſpatii inclinando facilis eſt contorſio; Contorto Utero, etiam os illius contorquetur, humido verò exiſtente Utero, & alvo ſicca, contorſio Uteri non ſuccedit, quia in alvo ſicca inteſtina turgida ſunt fœcibus. Uterus humidus amplitudinem propter humorum quantitatem acquirit; ab inteſtinis turgidis, & ab Uteri amplitudine non relinquitur ſpatium, per quod volvi poſſit Uterus, ſed ab utroque in eodem loco ſtabilis firmatur, ideò diſtorqueri non poteſt. Quapropter omnia, quæ exſiccant Uterum, & quæ ſpatium illi ampliant, poſſunt eſſe cauſa diſtorſionis illius; à ſiccitate enim fibræ componentes contrahuntur, inclinando potiùs in unam, quàm in aliam partem, ut obſervamus in lignis; & in aliis ſubſtantiis fibroſis exſiccatis.

TEXT. IV. *Hæc igitur Cauſa eſt, &c.*

Concludit cauſam ſuppreſſionis menſium eſſe abſtinentiam à Venere in Muliere, cujus ratio patet ex dictis *lib. ſuperiori de uſu Veneris dilatante vaſa*. Si ſuppreſſi menſes tertio menſe erumpant, nullum morbum efficiunt; ſi verò non erumpant, *ſuffocatio* Uterina per intervalla Mulierem *apprehendit*, ſicut etiam *febris aliàs, atque aliàs corripit*; *horror, lumborum dolor* fit frequens. *Hæc patietur in tertio menſe*: ex quo colligitur, menſium ſuppreſſionem non eſſe cauſam morbi, niſi quando quantitas ſanguinis retenti ad talem exceſſum pervenerit, ut à natura nec regi, nec tolerari poſſit, & quando per quantitatem, vel inordinatè fermenteſcit, vel putredinem concipit, vel aliam malam qualitatem, à quibus maſſa ſanguinis vel inficitur, vel pars aliqua determinata læditur. Quantitas noxia ſan-

ſanguinis ab Hippocr. determinatur illa trium menſium, & omni menſe alibi determinavit exire *heminam*, vel *duas* ſanguinis: hemina ponderat uncias novem. In quarto menſe ſi prodierit ſanguis retentus, à ſymptomatibus tertii menſis liberabitur, ſi verò non prodierit, fortiora exſurgent; nam cauſa per additionem novæ quantitatis ſanguinis intenſiùs operabitur, & maximè tempore menſium, in quo, ut dixi ſuperiùs de cauſa iſtorum, ſanguinem vaſorum Uteri fermenteſcere, & ab hac fermentatione elevantur fumi acres, quos cauſam diximus ſuffocationis Uteri; cauſa morboſa in aliqua parte quieſcens à fermentatione in vaſis Uteri tranſeunte in totam maſſam ſanguinis, excitatur ad motum cum ſenſibili operationum læſione, & ſi curabitur in quarto menſe, cauſam ſuppreſſionis auferendo, integræ ſanitati reſtituetur. In quarto menſe ſi menſes non eruperint cum ea quantitate ſanguinis, quæ correſpondeat quantitati quatuor menſium, adhuc libera manebit à dictis ſymptomatibus: ſi verò menſes non appareant, potiùs deſævient, ob rationem paulò ante dictam de augmento cauſæ. Præter augmentum dictorum ſymptomatum *aliàs*, *atque aliàs urinam craſſam reddet* conante natura materiam craſſam in maſſa ſanguinis exiſtentem, ex menſium retentione per vias urinæ dimittere: *Venter durus erit*, vel à materia ſanguinis vaſa implente, & diſtendente, vel à vaporum copia, vel à fermenteſcente ſanguine circa Uterum ita diſtenduntur vaſa, membranæ Uteri, & partium adjacentium, ut tactui, & preſſioni reſiſtant, eo modo quo follis ab aere diſtenſus ſummè durus evadit; unde *durities Ventris*; *dentibus fremit*, quia fumi elevantur, & ſpaſmodicos motus in nervis maxillarum inducunt, à quibus dentium fremitus, qui non eſt, niſi motus ſpaſmodicus dictarum partium. *Cibum averſabitur*, quia depravata maſſa ſanguinis à retentis excrementis, hæc pro fermento ventriculi famis excitativo, puro, & ſincero reparando, aptam non ſubminiſtrabit materiam, imò pravam, à qua pravum fermentum depravativum, vel extinctivum appetitus naturalis cum averſione cibi reſultabit; *Vigilabit*, quia fumi ad caput elevati, à quibus diximus ſuffocationem uterinam fieri, ſpiritus animales in continuo motu detinent, à quo impelluntur ad organa ſenſuum externorum continuo fluxu, qui continuam parit vigiliam. Et adhuc in hoc menſe curationem admittit menſium ſuppreſſio. In quinto menſe, niſi appareant menſes copioſi, ſymptomata vires accipient. In ſexto augmentum erit pariter ſymptomatum, & incurabilis erit ſuppreſſio. Ratio eſt, quia ad menſtruam purgationem naturaliter perficiendam requiritur, ut dixi præcedenti *lib.* efferveſcentia, & fermentatio ſanguinis in vaſis Uteri, quæ cùm non poſſit excitari in ſanguine per ſex menſes retento, eò quia particulæ mobiles iſtius, quæ ſunt principalis cauſa fermentationis, vel evolarunt, vel cum particulis craſſis adeò unitæ ſunt, ut moveri non poſſint; ideò etiam ſex menſium ſuppreſſa evacuatio menſtrua videtur à Natura incurabilis, quia à natura dicta fermentatio non poteſt excitari: ab arte verò adjuta natura poteſt promoveri, ſi ars medicamenta particulas ſuas mobiles, & activas ſanguini ſtagnanti addentia, vel ligatas ſolventia præſcribat, & quæ ſint ſpecifica Utero. In hoc ſexto menſe ſymptomata ſuperiùs enumerata, non ſolùm validiora evadunt, ſed alia addit Hippocrat. de novo ſupervenientia; dum ait, *anxia erit*, *& aliàs*, *atque aliàs ſe ipſam jactabit*. Anxietas oritur à leni eroſione, vel punctura nervorum ventriculi, quæ adeò moleſta eſt, ut niſi brevem quietem in uno ſitu permittat, facta ab acribus exhalationibus Uteri ad dictam partem tranſmiſſis: poteſt etiam fieri talis anxietas à laſſitudine ulceroſa totius introducta à pravitate humorum in ambitu corporis deliteſcentium, & contracta à vitio ſtagnantis ſanguinis in utero. A ventriculi paſſione facilis eſt tranſitus ad deliquium animi. *Vomitus pituitæ* ſuccedit, ob iſtius redundantiam in Ventriculo, cujus depravatum eſt fermentum cum vomitu expulſa humiditate ventriculi orificium irrigante, *non mirum*, *ſi ſitis affligat*, vel ſecundùm Hipp. humiditate ventriculi exſiccata à calore accenſo in ſanguine, Uteri vaſa implente. *Venter dolet* maximè *circa pectinem*, ubi eſt ſitus Uteri, quia partes ſentientes hujus regionis, vel à diſtenſione, vel à qualitate acri illi communicata ab Utero, triſtem ſenſationem experiuntur. *Murmurat Venter*, vel à ſanguinis motu, ut vult Hipp. vel à flatu hùc illùc diſcurrente, *& Venter conſueto modo non ſecedit*, vel quia debilitatus ſit motus periſtalticus inteſtinorum à vitio ſanguinis, & ſpirituum animalium, vel à ſtimulo bilis enervato, vel à nimia viſcoſitate, vel ſiccitate fæcum.

TEXT. V. *Neque veſica Urinam excolabit*, *&c.*

In hoc Textu alia ſymptomata ſuppreſſionem ſex menſium concomitantia enumerat, quæ explicationem accipiunt à dictis mox, & etiam in ſuperiori *libro*. Adverto per ſtomachum intelligere veſicam, quæ ſi ab Utero comprimatur, urinam, vel nullo modo, vel guttatim ſolùm reddit. Per ſtomachum enim apud Antiquos accipiebatur quodcumque habens cavitatem, terminantem in collum anguſtum, & hoc patet ex eodem *Hippocrate in lib. de aere*, *locis*, *& aquis*. Adverto etiam lethales pronunciare ſuppreſſiones ſex menſium Hippocratis, eò quia à menſibus retentis, & depravatis tota maſſa ſanguinis cum ſucco nerveo pervertitur, quo fundamento etiam redditur ratio ſymptomatum in hoc Textu deſcriptorum.

TEXT. VI. *Quibuſdam Mulieribus menſes bimeſtres*, *&c.*

Sequitur Hippocr. enumerare ſymptomata à ſuppreſſione bimeſtri evenientia, & primò ſputum ſanguinis è pulmonibus, dum ille, qui per Uterum excerni deberet, ad pulmones tranſmiſſus, ibique efferveſcens ob indiſpoſitionem fervidam illorum, impetu concepto, vim facit vaſis illorum hæc aperiendo, vel rumpendo, unde tuſſis, & cum tuſſi ſputum ſanguinis, & tabes cum morte patientis. Secundò *menſes ſuppurantur* circa regionem Uteri, & in pus convertuntur, ut patet ex pure cum ſanguine mixto exeunte cum fœtore per octo, vel novem dies. Hujus ſuppurationis cauſa ſtatuitur ab Hipp. febris, à qua ſuppreſſi menſes comburuntur, ſeu à febrili calore ita alterantur, ut in pus convertantur, eo modo quo ſanguis in Apoſtemate collectus incaleſcit per inordinatam fermentationem, atque febrem accendit, & tandem nova mixtione, & diſpoſitione partium ſuſcepta in pus vertitur. *Signa* hujus *ſuppurationis ſunt dolores circa pectinem*, *pulſationes fortes*, *& contactum non ſuſtinere* in partibus dolentibus. Ab hoc Textu colligimus veras eſſe obſervationes ab aliquibus allatas de menſibus purulentis, qui ſi ulcus non relinquant, non adeò mali ſunt; facilè enim eſt pus ſua acrimonia partem, in qua generatur, vel per quam tranſit rodendo ulcerare, quod ſi contingat ulteriotem, *& ampliorem curationem* requirere monet Hipp.

TEXT. VII. *Sterilis autem evadet*, *etiam ſi meliùs habebit*, *&c.*

Aliam affectionem pendentem à menſibus purulentis in hoc Textu deſcribit, & eſt, quando menſes, ſupra Ingueo facto abſceſſu, ruptoque per apertum orificium exeunt purulenti, & contingit, quando os Uteri inclinat *ad partes ſupra inguina*, & circa has ſanguinem deponit, qui in pus converſus facta ruptura exit; ex quo affectu *Mulier non ſuperſtes manet*, eò quia ulcus difficilis curationis in partibus exæſis gignitur, & quandoque inteſtina, vel veſica corroditur; *& ſi ſuperſtes manet*, *ſemper ſterilis erit*; nam præter contorſionem Uteri, ſterilitatem inducentem, temperies, & fermentum ejuſdem à pure collecto vitiatur. Addit Hippocr. per orificium apertum, à quo exit pus tempore menſium iſtos fluere, cùm os Uteri in dictum orificium inſeratur.

TEXT. VIII. *Quibuſdam ubi bimeſtres*, *aut trimeſtres*, *&c.*

Menſibus per duos, tres menſes, & etiam plures ſuppreſſis *apparet circa Inguen tuberculum ſine capite*, hoc eſt prominentia diſtincta ab aliis partibus tumori, cùm ſit dictus tumor æqualis ſecundùm omnes ſuas partes. Hic tumor eſt *magnus*, *ruber*. Fit hic tumor, quando menſes retenti ſuppurati non fuerint, ſed *ab oſculo Uteri adjacente lateris mollitudini* circa locum tumefactum ſanguis effunditur in carnem

contiguam, quæ effuſo *ſanguine fruitur*, hoc eſt in ſuam ſubſtantiam vertit, vel vaſa propria, fibras, & poroſitates dicto ſanguine implet, & tali copia, ut in tumorem attollatur, à quo Medici decipiuntur, exiſtimantes prædictum tumorem eſſe ſubſtantiam Uteri inguini adhærentem, & aliquando ſectione tumoris Patientem in magnum periculum adduxerunt. Signa diſtinguendi hunc tumorem factum ab Utero ſolùm, vel à ſanguine collecto, colligit Hipp. à magnitudine tumoris, magnitudinem Uteri excedente, & à rubedine, cùm hæc duo ſigna non inveniantur, ubi Uterus ſolus tumorem facit.

TEXT. IX. *Et aliquando ſi tranſmotum fuerit os Uterorum, &c.*

Connexionem habet hic Textus cum præcedenti, in quo locutus eſt de Utero ad lateris mollitudinem inclinante, & de menſibus effuſis in carnibus dicti lateris. In hoc verò dicit, *ſi Uterus ad inguen converſus, commotus fuerit verſus pudendum* relicta lateris mollitudine, *menſes per vias conſuetas eunt, tumor, qui circa lateris mollitudinem eminuit, ſedatur*, & evaneſcit, ſanguis enim non per vaſa diſtribuitur in partibus lateris, ſed in Uteros. *Si verò converſum non fuerit os Uteri ad pudendum*, ea eveniunt, quæ in ſuperiori num. dicta ſunt. In hoc caſu Uteri *ad lateris mollitudinem, & inguina converſi*, vertuntur menſes aliquando ad ventriculum, & in excrementitiam naturam converſi, vel ſanguinis natura, & textura conſervata, excernuntur *per vomitum, vel ad ſedem* feruntur, ideſt ad hæmorrhoidas, quod ſæpè in praxi obſervatur evacuationi ſanguinis menſtruali ſuppleri per fluxum hæmorrhoidalem ſupervenientem tempore menſium. Hic caſus contingit *minus in mulieribus*, hoc eſt in conjugatis, *quàm in Virginibus*, eò quia in illis vaſa Uteri ſunt ampliora, & eorum orificia laxiora; in iſtis verò vaſa Uteri anguſtiora, quàm illa vaſorum ſuperiorum; unde facilis eſt congregatio ſanguinis in iſtis cum refluxu, ideò etiam partes ſuperiores ex retentione menſium magis affliguntur, ut monuit *Hippocrates in lib. de Virginibus.*

TEXT. X. *Cùm menſes fuerint occultati, dolor habebit imum ventrem, &c.*

De menſium ſuppreſſione in hoc Textu agit Hipp. pendente ab humorum vitio, ut colligitur ab illis verbis, *ſi verò omninò non procedunt, præ morbo autem craſſi, aut viſcoſi, aut glutinoſi fiunt*, & cùm tales conditiones fortiti fuerint, per vaſorum anguſtias tranſitum non inveniunt, cùm vaſorum ſpatium non ſit proportionatum craſſitiei ſanguinis; imò ſanguis ipſe cum dictis conditionibus ſuo fluxui impedimentum ponit, cùm ſua viſcoſitate ſuperficiei internæ vaſis immobilis adhæreat, ulteriori fluxui, ſibi, & advenienti ſanguini obſtaculum ponendo: quapropter ex vitio ſupradicto ſanguinis oritur vitium organi, nempè obſtructio. Signa hujus affectus ſunt *dolor imi ventris, & ſenſus ponderis in hoc, lumbi, & laterum mollitudines dolent.* Curationem auſpicatur Hipp. à purgatione *per vomitum, & per ſeceſſum.* Ab hujus remedii natura colligimus Hipp. ſentire craſſitiem, viſciditatem ſanguinis procedere ab humoribus craſſis excrementitiis pituitoſis, & acidis ei mixtis, horum eliminationem, purgatione, & vomitu quærit, & certè in hac cauſa magnam partem habet mala ventriculi diſpoſitio, alimenta ad generandos humores craſſos diſponens. Purgato corpore, purgationem Uteri proponit; nam Uteri vaſa ſanguine retento plena evacuationem exigunt, ratione ipſius plenitudinis, & etiam ne plenitudo actionem remedii menſes moventis irritam faciat, & major etiam evadat ducta majori copia ſanguinis per dicta remedia ad vaſa Uteri. Ut omnia hæc incommoda evitentur, cum ratione conſuluit Hippocr. purgationem Uteri. Remedia varia in hunc finem proponit in ſuperiori *lib. de Natura Mul. numer.* 29. 55. 58. 73. 106. in fine hujus *lib. in lib. de ſterilibus, in lib. de Fœtus formatione.* Multa invenietis in *Aetio in loco cit. in cap. de curat. retent. menſium.* Hoc conſilium Hipp. valdè utile in curatione ſuppreſſionis menſium cenſeo, irritaſque multas evadere curationes, quia Uterus non purgatur, & utilior eſt hujuſmodi purgatio, quæ immediatè plenitudinem Uteri tollit, quàm miſſio ſanguinis. Purgato corpore, & Utero, *pharmacum, à quo ſanguis prodeat*; hoc eſt à quo menſes moventur, exhibet. De his potionibus locutus eſt *lib. ſuperiori de Natura muliebri num.* 29. huic addit, *bibat etiam Chrethmon in vino tedaceo.* Eſt autem Chrethmon fœniculus marinus. Vinum tedaceum fit *ex infuſione ramorum Abietis*, vel *Pini*, quibus Ruſtici in Regionibus, in quibus hæ arbores naſcuntur, pro candelis utuntur. Addo decoctionem *Thymi* factam in vino, quæ valet etiam ad expellendum Fœtum mortuum. *Decoctio Anſerinæ, Hæderæ terreſtris*, vel *Menthæ græcæ*, vel *Calendulæ, cum floribus iſtius exſiccatis fiat pulvis*, qui *ad ℥. ij.* exhibetur cum vino, vel *decoct. Dictamni Cretenſis*, vel *Origani, & Pulegii. Præſtat miranda in ciendis menſibus.*

Vel

℞. *Caſtor.*
Acori
Aniſi
Sem. Apii } *a. ℥. i.*

Tere, & cribra: da in potu, & expertum eſt. Omnia chalybeata conveniunt, & præcipuè *Electuarium de Chalybe Caleſtani. Pulvis radicis Gentianæ ad ℥. ij. in vino per aliquot dies. Pulvis* dictus *Dominarum deſcriptus à Foreſto, Vinca pervinca ab aliquibus laudatur*, licèt inter adſtringentia numeretur. *Medicamentum ex Aloe, Myrrha, Croco, & Borace minerali a. ℈. i.* magnam habet vim ad provocandos menſes. Et ſi contingat ab his remediis menſes non promoveri, Utero geſtare putat Mulier, & eò magis omnia patiatur ſymptomata, quæ in vera gravidatione apparent, ut patet ex Textu, poſt duos verò, vel tres menſes in magna quantitate menſes erumpunt, quantitate ſanguinis viam ad exitum parante, & quæ exeunt velut fruſtra carnis ſunt ſanguis coagulatus, qualis in fœtu mortuo exit, & nigri coloris, quia ſine ſpiritu, & ad corruptionem tendens, & ab hoc falſa gravidatio apparet, & monemur illis ſignis gravidationis non eſſe fidendum, ſaltem per duos, vel tres menſes.

TEXT. XI. *Quibuſdam etiam Ulcera fiunt in Uteris, &c.*

In hoc Textu alia ſymptomata enumerat à ſuppreſſione menſium emanantia, & per ſe ſunt ſatis clara.

TEXT. XII. *Si verò non eruperint menſes, ſex menſibus intus concluſi, &c.*

Legit Foeſius: *Quod ſi menſes ſuperiori inguinis parte ei non erumpant, ſex menſibus coerciti.*

A commento *Foeſii* colligitur Hippocrat. loqui de ſuppreſſione menſium per ſpatium ſex menſium ſine eruptione illorum per inguina, eo modo quo ſuperiùs erumpere dixit: In hoc caſu, ait, evenire ea omnia ſymptomata, quæ ſuperiùs dixit evenire in retentione menſtrui eis, quæ non pepererunt, ob anguſtiam vaſorum, quæ ſi non ſit naturalis, prout in eis, quæ non pepererunt, eſt præternaturalis anguſtia, etiam ſi pepererit Mulier, reſpectu ſanguinis menſtrui, qui ob vitium proprium, vel inſtrumenti per cavitatem vaſorum fluere non poteſt; unde oritur anguſtia præternaturalis, & reſpectiva, cum idem ſequatur effectus, qui ſequitur anguſtiam vaſorum naturalem. *Mulier hoc modo affecta ſi curata fuerit*, ideſt menſes per remedia provocati fuerint, *ſanitati reſtituitur*: ſi verò menſes *neque per remedia exitum inveniant, moritur, ſi perduraverit* ſuppreſſio *per octavum menſem.* Hoc prognoſticum verificatur ſolùm in illis Mulieribus ſanguinis plenitudine affectis, & copioſo fluxu menſtruo gaudentibus, ſi præter ſanguinis quantitatem particulæ activæ, & valdè mobiles in maſſa ſanguinis redundent; impoſſibile enim eſt talis conditionis ſanguinem, qui in tanta copia circa vaſa Uteri congregatur, violentas, & immanes efferveſcentias, & tumultus non concipere, à quibus morbi lethales generantur; vel non concipere acrimoniam intenſam, à qua vel dolores, vel exulcerationes malignæ proveniunt.

TEXT. XIII. *Si verò menſes Mulieri prodeant* qui-

quidem, *verùm pauciores*, *quàm convenit*, *&c.*

Cùm egerit Hipp. de menſium ſuppreſſione in ſuperioribus, in præſenti Textu de menſium diminutione ſermonem habet. Duplicem hujus diminutionis cauſam aſſignat; una eſt *oſculum Uteri paululum à pudendo emotum*, ſeu paululum declinans ad latera: quomodo verò oſculum Uteri ad latera declinans menſes diminuat, colligitur ex dictis ſuperiùs de ſuppreſſione menſium ob Uteri oſculum diſtortum. Altera cauſa eſt idem *oſculum nuper concluſum*. Legit *Foeſius*, *oſculo ſenſim ad ipſum concidente;* & ſenſus eſt ſuperficiem internam laterum oſculi Uteri ad mutuum contactum accedere, in quo caſu ſi non clauditur oſculum, ſpatium ſit anguſtum, per quod ſaltem craſſiori parti ſanguinis ad Uterum deſcendentis exitus interdicitur, & ſubtiliori ſolùm parte ſanguinis exeunte, fluxus menſtruus diminuitur; hæc ratio mihi videtur meliùs applicari orificiis vaſorum in cavitate Uteri hiantibus, quàm ipſi oſculo Uteri, ſi admittatur in iſtis obſtructio non plena, ſed ſemiplena. Diminuto fluxu menſtruo neceſſe eſt, ut portio ſanguinis ad exitum determinata, ſed retenta in vaſis Uteri, vel in ejus ſubſtantia congregetur, quæ ſi in alio termino menſtrualis periodi à ſanguine ad Uterum deſcendente non expellatur, ſed iſtius portio etiam retineatur, paulatim gravatur Mulier in primis duobus, aut tribus menſibus non multum, in ſubſequentibus verò menſibus magis ſemper affligitur, quia ſemper magis quantitas ſanguinis retenti creſcit, & à diuturna retentione vitium contrahit, à quo morbi; & præcipuè *Febris* tempore menſium, in quo ſanguis maſſa fermenteſcit, & cùm fermentatio à ſanguinis exitu non minoretur, quia impeditur, in fermentationem febrilem tranſit. Manente hac ſtagnatione ſanguinis, eoque vitiato Mulier non concipit vitio ſanguinis Uteri craſim, ſeu potiùs ovorum in ovario exiſtentium optimam indolem pervertente; vel ſeminis in Uterum ejaculati efficaciam, & energiam ad conceptionem perneceſſariam corrumpente. Cauſa aliorum ſymptomatum patet ex dictis ſuperioribus in locis. Dolores ſuccedunt in variis partibus corporis, prout *ſanguis diſcretus*, ideſt ad expulſionem deſtinatus, & in Uteris eſſe non potens, ob plenitudinem vaſorum factam à retento ſanguine, modò in hanc partem, modò in aliam incubuerit; Dolor modò in una, modò in alia parte excitatur, quandoque cum tumore partis affectæ, & aliquando cum convulſione forti articulorum corporis, dum à ſanguine, vel nervi, vel tendines impleti, vel potiùs ab illius ſero contrahuntur, cum convulſione, vel ab eodem ſero vitiato, & acrimonia infecto vellicantur cum dolore, vel cum motibus convulſivis. *Hæc* Mulier *ſiquidem juxta debitum modum curata fuerit;* ideſt ſi menſes remediorum virtute diopiosè fluxerint, *ſana evadit*. *Si verò diminunio ſeptimum menſem exceſſerit*, *& diuturnior facta fuerit*, *lethalis eſt*, ob rationem ſuperiori numero traditam. Quandoque *clauda fit*, vel impotens ſecundùm aliquam partem ad motum, cujus cauſam reddit Hipp. in his verbis ſecundùm Commentum *Foeſii*, *ſi ſanguis præ rigore*, *& cibi faſtidio quemcumque in locum irruperit circa nervos concretionem habuerit*; ab hac enim concretione, vel contrahitur nervus, ſi contingat in cruribus, vel coxis, & claudicatio ſuccedit; vel impeditur fluxus ſpirituum animalium ad nervum alicujus partis, & hoc fluxu impedito pars omni motu privatur. Rigorem, & cibi faſtidium non ponit Hippocr. tamquam cauſam efficientem, ſed ſolùm tamquam ſignum fluxus ſanguinis, vel ferri ad aliquam partem cum impetu; cauſa enim claudicationis, & impotentiæ partis eſt concretio ſupradicta. De hoc vide *Martianum* in explicatione hujus Textus. Reliqua per ſe ſunt manifeſta, & dilucidantur ab eis, quæ dicta ſunt de anguſtiis vaſorum in eis, quæ virum non ſunt expertæ, & non pepererunt, & de dilatatione vaſorum eis, quæ pepererunt.

TEXT. XIV. *Si verò menſes plures*, *quàm oporteat prodeant*, *& craſſiores*, *&c.*

Menſium fluxum immoderatum delineat in hoc Textu Hipp. in quo, & quantitate excedit, & craſſitie peccat ſanguis expulſus. Hujus cauſam refundit in corpus natura fluidum: eſt autem tale, quando humores redundant, & vaſa ſunt ampla; cum his enim circumſtantiis fluxus humorum in corpore eſt facilis, & copioſus; ideò in Muliere, quæ ſanguine redundet, & vaſa ampla ſortita ſit, non mirum, ſi fluxus inordinatus menſium ei eveniat. Alteram cauſam adjungit: nempè ſitum oſculi Uteri *propè pudendum*, & exprimit deſcenſum Uteri, qui cùm ſemper ſit cum aliqua moleſtia, ab hac ſanguis in copia vocatur ad vaſa Uteri, & eorumdem orificia aperiuntur, ſerviente dicta moleſtia pro irritamento. Cauſas externas addit, nempè frequentem coitum, à quo, & Uterus, & pudendum incaleſcit, & ab incaleſcentia copia ſanguinis ad vaſa iſtarum partium vocatur: incaleſcunt verò, & Uterus, & pudendum, eò quia in actu venereo turget, & effervefcit ſanguis, & ſpiritus in hoc exiſtens, & violento impetu agitatur, à quibus incaleſcentia prodit; Hinc à frequenti coitu vaſa Uteri magis dilatantur, & majorem ſanguinis copiam accipiunt, *& convivare*, ideſt liberali convivio frequenter uti, prout contingit, quando cum ſociis cibum capimus, à copioſo alimento copia ſanguinis ſuppeditatur immoderatum menſium fluxum fovens. Modum, quo fit hic fluxus immoderatus explicat Hipp. dum ait, *ſemel aliquando multi deſcendentes*, nempè menſes, *cumulati*, hoc eſt in copia, *& cum impetu* à copia communicato *exeant os Uterorum*, & ejus vaſa *magis dilatantur*. A dilatato, & hiante Uteri, & vaſorum orificio immoderatè menſes prodeunt, ut in *lib. ſuperiori de Nat. Mul.* docuit Hippoc. & ſi ab hoc fluxu ſanguinis vaſorum evacuatio circa Uterum exiſtentium non incidat, ſed rurſus multus acceſſerit calor, à copia ſanguinis in locum expulſi ſuccedentis, tunc os Uteri magis dilatatur à dicta copia cum impetu exeunte. *Marinellus* habet, *& corpus amplum fieri* (meliorem tamen puto Textum *Foeſii*, qui hæc verba non habet) & rationem reddit, dum ait *convivante*, *& voluptatem*, *ac conſuetudinem viri conſectante Muliere*, *facili fluxu etiam ad Uteros calor*, ideſt ſanguis calidus *defertur*, & hujus ratio fundata eſt in jam dictis de incaleſcentia in coitu. Varia ſymptomata fluxum immoderatum comitantia deſcribit; *decolor fit*, *quamdiu ſic habuerit Mulier*, eò quia ab immoderato hoc fluxu ſangninis quantitas neceſſaria in corpore multùm minuitur, ſpiritus iſtius languet, & color purpureus ei naturalis ad album declinat, ab hac ſanguinis depravatione color corporis depravatur; *& ſi aliquis morbus Mulierem affligat*, & Uterus dicto modo diſpoſitus fuerit, immoderatiores fiunt menſes; cum occaſione morbi, ſanguinis fluxus ad Uterum acceleretur, *Febris* accenditur, eò quia ſanguis depravatus à copioſo fluxu varia colligit in ſe excrementa, quæ ubi fermenti naturam acquiſierint, ſanguinis maſſam febrili fermentatione turbant, & ab eodem ſanguine depravato fermentum ventriculi deficit; unde *ciborum averſio*, & dum nutritio non conſervatur ob ſanguinis boni deficientiam, *tenuis fit*, ideſt ægra emaciatur, & quia ſpiritus in ſanguine conſumuntur, debilis, à debilitate *anxietas* etiam procedit, & maximè in operationibus corporis. *Lumbi dolent*, prout ſolitum eſt in omni fluxu Uteri, ob conſenſum intercedentem inter Uterum, & lumbos, & progreſſu temporis *omnia in deterius abeunt*, eò quia natura ſemper magis deficit; unde etiam *ſterilitas* provenit; *& ſi alius morbus coincidat*, *moritur*, quia natura facilè tunc ſuccumbit. Hujus morbi curationem habet in *lib.* 2. ideò hanc ibi proponam.

TEXT. XV. *Moderati verò ſunt menſes*, *&c.*

In hoc textu de quantitate, & duratione fluxus menſtrui in ſana Muliere agit Hipp. ex quo poſtea deducit etiam quantitatem, & durationem præternaturalem. Textus eſt clarus.

TEXT. XVI. *Si ſuffocatio derepentè acceſſerit*, *&c.*

De Hyſterica paſſione derepentè corripiente, ideſt nullis præcedentibus ſignis, & non prævidente ægra loquitur in hoc Textu Hippoc. ideòque hanc ſuffocationem herculeo morbo, ideſt comitiali comparat, qui derepentè modo ſupradicto invadit. Hujus ſuffocationis cauſam primariam ſtatuit *Converſionem Uteri ad hepar*, & hanc converſionem dicit pendere ab inanitione vaſorum, & à labore, à quibus Uterus exſiccatur,

ſiccatur, exſiccatus minorem acquirit extenſionem, & in ſpatio ſe ipſo majori continetur, unde etiam contorqueri, & moveri poteſt, de qua cauſa actum eſt in ſuperioribus. Nec ſuſtineri poteſt admiſſa anatomica obſervatione de Utero, & partibus ejuſdem Hippocr. ſolùm obſcurè nota, & convincente Uterum ad hepar aſcendere non poſſe. *Seniores* hujuſmodi ſuffocatione *facilius, quàm juniores corripi* aſſeverat, addit *iſtis, quæ viri conſuetudine minimè fruuntur*, & rationem reddit, quia *iſtarum*, nempè ſeniorum, *Uteri* ſunt *leviores*, Magna difficultas eſt in hac cauſa, dum ait *eſſe leviores*, & eſſe *exſiccatos*; nam quomodo Uteri ſunt leviores, ſi ſunt exſiccati, & ab exſiccatione aſperitas, & inæqualitas levitati contraria oritur. Difficultas tamen tollitur, dicendo Hippocrat. conſiderare in hoc Textu ſiccitatem privativam in vaſis Uteri, hoc eſt deficientiam fluidi in vaſis, quæ eſt ſiccitas privativa iſtorum; ait enim pro explicando ſubjecto hujus ſiccitatis, *ubi Mulieri vaſa evacuata fuerint*, quapropter ſiccitatem in vaſis conſiderat privativam, quæ eſt deficientia humidi, & fluidi, non omnimodam, ſed tantam, ut ſit præternaturalis, & per hanc vaſorum exſiccationem Uterus molem acquirit minorem, & dicitur exſiccari quoad vaſa, non quoad ſubſtantiam, quæ humorem in ſuis poroſitatibus contentum, & à parvo illo fluido in vaſis contento ſubminiſtratum conſervat ad aliquod tempus: quapropter conſervatur etiam levitas Uteri, quæ fit ab humido irrigante internam ſuperficiem illius, & omnem aſperitatem, atque inæqualitatem auferendo, ſivè laxando fibras, quæ contractæ eminentias producunt, cum rugoſitate, ſivè implendo interſtitia, quæ inter unam, & alteram rugam intercedunt. Ab hoc humido levitatem inducente fit ſuffocatio, quando pravam qualitatem contrahit, & corrumpitur, vaporeſque pravos ad partes membranoſas, nervos, & præcipuè plexus meſſentericos tranſmittit, quibus vellicatis à prava qualitate humorum, ſuffocationes hyſtericæ prodeunt: & quia talis humiditas magis redundat in Mulieribus viri congreſſu non utentibus, & in ſenioribus, ideò etiam in iſtis faciliùs ſuccedit ſuffocatio. In ſenioribus redundat hoc humidum, quia ætas iſtarum multa colligit excrementa ſeroſa, & pituitoſa, quæ ad Uterum, tamquam ad univerſale emunctorium tranſmiſſa, & non evacuata, ut conſuetum eſt in ſenioribus, & levitatem, & ſuffocationem pariunt; In eis verò viri congreſſum non admittentibus colligitur talis humiditas in Utero, quia cùm in Utero ſint lacunæ, quæ ſunt fontes materiæ illius à Muliere in coitu excretæ, ut notat *Graaf. in tract. de partibus generat. inſervientibus in Muliere*, ſequitur etiam, ut in abſtinentia à coitu maximè humidus fiat Uterus, à materia lacunarum tranſudante in Uteri ſuperficiem, ob redundantiam, quæ à coitu non minuitur. Accedit etiam à coitu Uterum incaleſcere, & à calore conſumi humiditatem; ubi verò per coitum non incaleſcit Uterus, ſemper magis humectatur. Altera difficultas eſt in explicando, quomodo ab exinanitione vaſorum, & evacuatione, & labore, quæ adducuntur tamquam cauſæ ſuffocationis ab Hippocrat. ſuffocatio uterina contingat, ſi Uterus non movetur, ut dicit Hippocrat. Quoad exinanitionem vaſorum parvam copiam ſanguinis continentium, vel admittentium, puto ab hac fieri ſuffocationem eo modo, quo à fluxu ſanguinis immoderato febris ſæpiſſimè generatur, dum, cum quantitate ſanguinis deficit etiam ſpiritus, à quo non ſolùm craſis, ſed modus mixtionis particularum ſanguinis conſervatur, & congregatio particularum ſanguinem conſtituentium in ſuo ſtatu naturali confirmatur; deficiente hoc moderante, ſequitur *diſgregatio*, ut cum Hippoc. loquar, particularum prævalentium in quantitate, & qualitate, quæ motu inordinato, quia libertati donatæ cæteras particulas ſanguinis exagitant, & ab hoc motu fermentatio febrilis. Non abſimili modo exinanitis vaſis Uteri à pauca quantitate iſtius, in eis remanente cum pauco ſpiritu, ſequitur dicta diſgregatio, quæ ſi fuerit excrementorum, vel ſanguinis à pravis qualitatibus depravati, ſine moderatione humoris benigni, in Utero, vel ejus vaſis putreſcunt cum augmento pravarum qualitatum, & ſuis vaporibus partes nervoſas afficiendo modo ſupradicto ſuffocationem excitant. Dicta portio ſanguinis, vel excrementi cum pauco ſpiritu diſponitur ad putredinem, cùm per dictam diſgregationem exaltentur ſalia, quæ acrimoniam irritantem in ſe continent, modo præternaturali, ideò ab iſtis irritamentum nervoſis partibus ſuppeditatur, cum motibus ſpaſmodicis ſuffocationem conſtituentibus. A labore fit ſuffocatio uterina, quia ab hac ſanguis ſpiritu depauperatur, & Uterus incaleſcit, à calore iſtius, & à paupertate ſpirituum extranea ſalia, quæ à ſpiritu ſolùm balſamico moderationem in motu, & qualitate accipiunt, efferè exaltantur, qui modo prædicto ſuffocationi occaſionem præbent, & præcipuè ſi excrementa acria cum ſanguine ſint mixta. Reliqua, quæ in Textu continentur, ſunt clara, vel ex dictis clareſcunt, vel cum falſo fundamento anatomico innitantur, non ſunt conſideranda. Curationem habet *lib.* 2. *numer.* 78. 79. 82.

TEXT. XVII. *Ubi verò apud hepar, &c.*

In hoc Textu enumerat ſymptomata, quæ ſequuntur ex ſuffocatione pendente ab Utero, ad hepar aſcendente, quæ ſequuntur etiam poſita ſuffocatione uterina ab irritamento, cum motibus ſpaſmodicis, quæ faciliùs explicantur per dictum irritamentum, quàm per aſcenſum, vel deſcenſum Uteri. Strangulatio explicata eſt ſuperiùs; hæc ſi ſit violenta, livore faciem, & corpus tingit extravaſato, & ſtagnante ſanguine à ſtrangulatione vaſa ſanguiflua comprimente in ambitu corporis albæ oculorum partes pervertuntur, dum oculorum muſculi ſpaſmodicos motus patiuntur, ſicut patiuntur nervi vaſa ſanguiflua circumligantes, & muſculi dictis vaſis vicini cum impedimento circulationis ſanguinis, à quo fit ſtrangulatio. Remedia deſcribit numero ſequenti *num.* 19.

TEXT. XVIII. *Si Mulier corpore malè habuerit, &c.*

Cùm in ſuperioribus Hippocrat. egerit de menſium ſuppreſſione, diminutione, & immoderato fluxu, in tribus ſequentibus textibus de menſium mala qualitate, & primò in hoc Textu agit de menſibus melancholica qualitate affectis, & licèt menſes bilioſos dicat, mos Hippocr. eſt melancholiam nomine bilis denotare; & talem eſſe intentionem Hippocr. in hoc textu, colligimus à conditionibus enumeratis ſanguinis; ait enim, *nigri ſunt valdè, quandoque verò nigri*, ideſt parum nigri, *& ſplendidi*, nempè nigri cum aliqua luciditate, ad differentiam nigri fuſci, *& citò coagulantur*. Nigredo eſt color proprius melancholiæ, ſicut coagulatio ob acidum naturaliter melancholiæ inſitum, quod eſt coagulativum. Has conditiones ſanguinis non conſiderat tamquam evenientes fortuitò, nec una vice apparentes, quia tunc non poſſunt dici menſes melancholici morboſi, cùm ab errore externo provenire poſſint. Sed conſiderat tales menſes frequenter, & ſemper cum talibus conditionibus fluentes, & conſiderat quatenus ab interna, & ſtabili morboſa indiſpoſitione generantur; ideò dixit, *ſi Mulier corpore malè habuerit*. A conditione ſanguinis exeuntis colligitur qualis ſit indiſpoſitio, per quam corpus Mulieris malè ſe habeat; cùm ſanguis ſit melancholicus, indiſpoſitio erit in partibus præparantibus, & conficientibus ſanguinem, & erit talis naturæ, ut ſanguinem, melancholicum è chylo conficere valeat, & talis indiſpoſitio erit cauſa cacochimiæ melancholicæ; quapropter non aſſentior illis, qui credunt Hipp. loqui de atrabile, non de melancholia. Nam hæc intenſiora inducit ſymptomata, neque ſanguinem coagulat, ſed potiùs diſſolvit. Signa hujus affectus, præter conditiones ſanguinis relatas ab Hipp. in Textu enumerantur, in deſcriptis ſymptomatibus, quæ magis deſæviunt, dum menſes appropinquant, eò quia tunc temporis fermenteſcit, & efferveſcit ſanguis in vaſis Uteri; & talis fermentatio fit communis maſſæ ſanguineæ, & per hanc acidum ſanguinis axaltatur, & vires acquirendo, partes malè afficit, magis moleſtat, per menſium fluxum etiam parvum meliùs habet, dolores verò ſentit; melius habet, quia fermentatio ſanguinis, quam augmenti doloris cauſam diximus ceſſat, perdurat dolor, quia cauſa explicata perdurat. Ab hujuſmodi acido *ſemen virile, & fœmineum evaneſcit*, ideſt ejus fœcunditas, & vis prolifica corrumpitur; acidum enim à ſanguine ſpirans ſeminales ſpiritus, & fermentum ſeminale

ad

ad generationem neceſſarium; quia fermentativum maſſæ in ovo Muliebri contentæ conpenſando, coagulando corrumpit, ex quo ſterilitas; *Incipiente morbo purgatur diebus, quibus ſolita fuit*, quia acidum fixans tunc eſt debile, cùm cauſæ morbificæ in principiis morborum ſint imbecilliores, progreſſu verò temporis acidum valdè activum factum ſanguinem incraſſat, vaſa anguſta reddit; ideò cum difficultate menſes exeunt, & eorum exitus ad plures dies extenduntur, & ſunt pauciores, craſſiori parti ſanguinis exitu non conceſſo. Hac portione ſanguinis retenta, & ſtagnatione in vaſis Uteri firmata, quandoque fermentationem concipit præternaturalem, *& febrem facit erroneam*, quia ſanguinis fermentatio inordinatè ſuccedit: & quamvis acidum melancholicum in hoc caſu redundet, *cibi faſtidio aliàs, atque aliàs detinetur*, eò quia acidum eſt præternaturale, & cum vitio à quo acidum ventriculi potiùs corrumpitur, quàm conſervetur. *Si curatur ſana fit*; *ſi vero curatur, omnia ſymptomata augentur*; & rationem reddit Hipp. *quia purgatione ſurſum aſcendunt*, ideſt menſes in ſuperioribus vaſis detinentur, cùm per inferiora vaſa diminutè expellantur, & plenitudo vaſorum incipiens in vaſis Uteri, addita quantitate retenti ſanguinis omni menſe vaſa ſuperiora occupat. Curatio iſtius affectus conficietur *à chalybeatis, & aromaticis* ſimul mixtis; ab ambobus enim fortiter expugnatur acidum. In hoc genere ſummè valet *Electuarium ad obſtructiones Caleſtani*.

TEXT. XIX. *Si enim corpus malè habuerit, &c.*

In ſuperiori egit de menſibus cum qualitate melancholica, in præſenti Textu agit de menſibus cum qualitate biliofa, ut patet *ex vomitu, & alvi fluxu, & profluvio uterino bilioſo* in hoc Textu commemoratis, *& ab exulceratione Uteri*. Dicuntur menſe bilioſi, quando bilis ſanguini menſtruo miſcetur, & in corpore redundat, quia in hoc eſt indiſpoſitio ſtabilis generans bilem, per quam corpus dicitur malè ſe habere. Signa hujus affectus ſunt deſcripta, & propria bilis peccantis. Solus timor ab Hipp. recenſitus, non eſt proprius bilis, ſed melancholiæ huic contrariæ; nihilominus cùm timor ſit fœminis familiaris, & naturalis, in iſtis facilè etiam eſt à moleſtia deſcriptorum ſymptomatum timere, cùm hujuſmodi paſſio ab objecto triſti cum apprehenſione periculi oriatur, quapropter timor eſt ab apprehenſione objecti triſtis actu affligentis, non ab humore, & hoc modo timor eſt ubi peccat, & redundat bilis. Si curata non fuerit, ſymptomata majora ſemper acquirunt incrementa. Curationem nobis oſtendit, dum ait, *à vomitu, & alvi fluxu bilioſo moderato ſanam fieri*: Tales motus naturæ ſalutares monent Medicum pro curatione, prædictos motus excitare blandis medicamentis, cum dicto Hipp. *ſi quid ex his*, nempè vomitu, & fluxu alvi, *inciderit in corpus afflictum, periclitabitur*. Sit ergo purgatio per vomitum *decocto* ſolum *Flor. Camomillæ, & Corticis rad. Raphani*, & quod melius eſt, poſt multum cibum, cum aqua tepida, & acetoſo ſimplici, & ſemel in hebdomada, vomitum exciter Medicus; per alvum purgatio fiat *cum Caſſia, Electuario lenitivo, Diacatholicon, pil. de Tribus cum Rhaub.* ſemel in hebdomada, vel etiam omni die, cum parva doſi dictorum medicamentorum. *Si verò nec à natura, nec ab arte auxilium accipiat Mulier, mortem* prædicit Hippocr. & hanc minantur deſcripta ſymptomata, inſignem Cerebri, & ſpirituum animalium indiſpoſitionem connotantia, his auctis niſi mors eſt expectanda. Huic affectui conjungitur profluvium Uteri bilioſum, conante natura bilis redundantiam per vias Uteri minuere, quod licèt in principio fit moderatum, progreſſu temporis augetur, *& ferè ſemper gravis morbus fit*; ita enim legit *Foeſius, pro acuto morbo*, ut habet *Marinellus*; fit enim profluvium Uteri contumax, à quo vel Hydrops, vel Macies, vel Febris Hectica provenit, & à continuo fluxu ab acrimonia bilis aperiuntur ulcera.

TEXT. XX. *Si verò Uteri ab Ulceribus fuerint inflammati, &c.*

Hic Textus eſt continuatio præcedentis, in quo dixit, à profluvio Uteri bilioſo ulcera in hoc aperiri; in præſenti verò ait, *ſi ab his ulceribus inflammatus fuerit Uterus*, Signa Ulceris erunt *in exitu purulentæ fœtidæ materiæ, & ſanguinis loturæ carnis ſimilis*, dum à materia in ſubſtantia Uteri exiſtente parvæ venulæ eroduntur, à quibus ſanguis effluens mixtus cum ſeroſa profluvii materia, mixturam loturæ carnis ſimilem in colore componit; etiamſi ab hoc affectu, qui mortem minatur, Mulier curetur; *ſterilis evadit*, eò quia, & Temperies, & fermentum Uteri à profluvio à materia putrida pervertitur. Vide *lib. 2. num. 126.*

TEXT. XXI. *Si Mulier corpore malè habuerit, & menſes pituitoſi prodierint, &c.*

De menſibus pituitoſis in hoc Textu agit Hippoc. Hujus fluxus ſigna air eſſe *menſes pelliculoſos*, quia in iſtis pelliculæ telis aranearum ſimiles inſpiciuntur. Cauſa eſt mala diſpoſitio corporis pituitoſa, per quam corpus Mulieris malè ſe habet, & quantitas pituitæ generatur, quæ cùm *neque per nares, neque per os, neque per urinam, neque per alvum expurgetur* in ſanguine retenta, cùm hoc per vaſa Uteri effluit. Talis purgatio *per duos, aut tres menſes nihil ægrotat*, ideſt nullum infert incommodum: *progreſſu verò temporis* morbis, & ſymptomatibus deſcriptis occaſionem præbet, eò quia pituitæ redundantia ſemper creſcit, ſtabili ſua cauſa permanente, & præcipuè imminente menſium tempore, ob rationem ſuperiùs allatam; *remittuntur* verò *à fluxu menſium etiam per modicum tempus* durante, quia materia per fluxum minuitur, *aucta poſtea*, ceſſante fluxu, *materia ad idem relabitur*. *Si verò non curetur, fit profluvium album pituitoſum*, juxta dicta in ſuperiori numero, cui ſuccedunt etiam *ulcera*, quod videri poſſet irrationabile, cùm pituita non ſit corroſiva; tamen talis evadit, cum aliis humoribus acribus miſcetur, cum putreſcit, vel fermentatione præternaturali depravatur, aciditatem intenſam acquirendo, cujus efficacia terram rodit. Cœtera patent ex dictis, & Curatio deſcribetur in *lib. 2.*

TEXT. XXII. *Quæcumque Viro cohabitantes in Ventre habere non poſſunt, &c.*

Curationem ſterilitatis iſtiuſque modum traditurus Hipp. in primis cauſas iſtius attingere ſtudet, *interrogando, an Menſes* Mulieri *prodeant, aut non, an purulenti ſint, aut frigidi*, & his duobus conditionibus monet, explorandas eſſe omnes qualitates exeuntium menſium, in his enim latitat cauſa ſterilitatis, & tota curatio dirigenda ad corrigendos menſes. Habita notitia de menſium conditione, & natura, interrogat Mulierem, *an ſtatim poſt coitum exeat genitura, an poſtera die, aut tertia, aut ſexta, aut ſeptima. Si dixerit ſtatim exire, ubi coivit*, inferendum eſt, *oſculum Uteri rectum non eſſe, ſed diſtortum; ideòque genituram non recipere*; dum Uterus ſecundùm ſuum orificium non correſpondeat rectitudini viæ, quam ejaculatum ſemen tenet, & cùm in Uterum diſtortum ingredi non poſſit à ſua fluiditate ad exitum determinatur: *Si verò dixerit, ſemen poſtera die exire, aut tertia, Uterus perhumectus eſt, & eluitur*; legit *Foeſius, Uterus nimio humore madet, quo genitura diluitur*, dilura diſſolvitur, ejuſque ſpiritus cum humore diluente commixtus, efficaciam prolificæ actionis amittit, & per apertum orificium à nimia humiditate Uteri laxatum exit, & hæc eſt ratio, per quam ſemen per duos, vel tres dies retentum in Utero, ovum in ovario exiſtens non fœcundat, nec ad deſcenſum ad Uterum diſponit. Nam ſpiritus ſeminalis, cujus opera ſunt fœcundare, & ad deſcenſum diſponere, dum à calore Uteri diſſolvitur à partibus craſſis ab humiditate in Utero exiſtente ſtatim excipitur, ejuſque aſcenſus ad Ovarium impeditur, propter quod ſemen ad plures dies retentum opus generationis non perficit; *Si verò ſexta, aut ſeptima exeat ſemen*, ſignum eſt *computreſcere, putrefactumque exire*. Non poreſt retineri ſemen per dictum tempus, niſi Uterus ſit optimè conſtitutus circa ea, quæ retentioni ſeminis inſerviunt, & ejus receptioni, nempè os Uteri eſſe rectum, & apertum, & poſt ſuſceptionem ſeminis claudi: quapropter ſi exeat ſemen ſeptimo die à receptione illius oportet eſſe determinativum aperitionis orificii Uteri, & cùm non exeat niſi ſemen, hoc cenſendum eſt eſſe determinativum; at non poteſt ſemen determinare aperitionem, niſi

niſi irritando, at cum conditionem irritantis à ſua conſtitutione non habeat, hanc in Utero acquiſiſſe cenſendum eſt. Hac conditione acquiſita ſemen dicitur putridum, corruptum, cùm per hanc auferatur ille modus, quo ſuæ particulæ componentes à mixtione primarum particularum ſpecificè componuntur, & modus, quo dictæ particulæ componentes ſibi cohærent, & correſpondent, quibus ablatis ſemen naturam ſeminis amittit, ideòque corruptum dicitur. Hanc corruptionem experitur, vel quia humor pravus diſſolutus in Utero exiſtens ei miſcetur, vel quia ab intemperie Uteri valdè calida diſſolvente ſpiritus ſeminales diſſipantur, vel à materia acri in Utero exiſtente ſubſtantia ſeminis corrumpitur, vel ab intemperie frigida Uteri ſpirituum ſeminalium energia reſolvitur; hac corruptione fœcundatio ovi interdicitur. His cauſis detectis indicationes elicit Hipp. *& ſi ab initio non ſuſcipiat ſemen* Mulier ob os Uteri diſtortum, hoc *curandum eſt, ut rectum ſit, ſi verò exeat* ſemen *poſterà, aut tertia die, Uterus, & caput purgandum eſt*. Caput purgandum, quia ex Hippocr. omnis fluxio materiæ pituitoſæ à capite originem trahit: ſi verò computreſcat, & Uterus, & corpus univerſum curandum eſt, eò quia humor acris, à quo ſemen corrumpi diximus, à toto, nempè à venoſo genere provenit, & intemperies valdè calida Uteri à ſanguine nimis fervido fovetur. Pro remediis vide *lib. 2. de Morb. Mul. num. 63.*

TEXT. XXIII. *Quali verò purgatione opus habeat, hoc modo cognoſcit, cum menſes prodeunt, &c.*

Totus hic Textus continet ſigna, per quæ cauſas ſterilitatis diſtinguere valeamus, & primò ſigna deducit à ſanguine menſtruo exeunte, qui, ut ſincerius appareat qualis ſit, ſuadet, ut benè exſiccentur priùs lintea, quibus utuntur Mulieres ad excipiendum ſanguinem menſtruum defluentem; pro exſiccatione extendit lintea *ſuper cinerem tenuiſſimum*, ut ab hoc abſorbeatur humiditas lintei, à qua ſanguis exceptus poſſet alterari, & immutari, & ita apparere poſſit qualis verè eſt, & iſtis linteis excipiendus eſt ſanguis menſtruus more à fœminis conſueto. *Duobus* utitur *linteis, uno in die, altero in nocte*, in qua ob ſomnum, & quietem circulationem in ſanguinis tardiorem efficientem, & fluxiones omnes præter ſudorem remorantem, ſanguis aliquam alterationem, & differentiam à ſanguine in die exeunte ſuſcipit. Reliqua conſideranda in his linteis, ſunt clara in Textu. Secundò ſigna deducit à toto corpore, & ab indigentia purgationis iſtius, & monere vult conſiderandum eſſe, an in Muliere ſit cacochimia, ideſt redundantia pravorum humorum, & cujus conditionis ſint humores redundantes, an bilioſi, an pituitoſi, an melancholici; à colore corporis quærit cognitionem humoris peccantis; ubi enim flavus eſt, bilis, ubi niger, melancholia, ubi albus, pituita redundat; *ab ætate*; nam in juvenili, bilis, in provecta, pituita, & melancholia viget. *A robore virium* bilis diſtinguitur, quia ſpiritus valdè mobiles, & activos facit, robur viribus addere videtur. Pituita, quia ſpiritus torpidos, & inertes reddit, *à virium languore, & torpore*, & torpore cognoſcitur. Melancholia, quia frigida, & ſicca, & magis craſſa vitium fonti, qui eſt calidum, & humidum innatum, adverſatur, & ſua craſſitie ſpirituum generationem impedit, & generatos opprimit, & impotentes ad actionem efficit, & ita virium robur maximè debilitat, & ab iſtarum debilitate cognoſcitur redundantia. *Ab anni tempore* redundantia humoris deducitur, cùm in Æſtate dominetur bilis, in Autumno pituita, in Hyeme melancholia. *Diæta* præcedens quales ſint humores præſentes indicat, cùm humores ſequantur naturam alimenti, à quo extracti fuerunt: ideò alimenta bilioſa, bilem, pituitoſa, pituitam, melancholica, melancholiam congregant. Hæc omnia ſigna ſunt attentè conſideranda in quolibet morbo, cùm hæc ſola naturam humoris peccantis à priori nobis demonſtrent.

TEXT. XXIV. *Curatio verò hæc totius corporis eſt, &c.*

Quid agendum ſit pro Curatione ſterilitatis, in hoc num. demonſtrat Hippoc. & totum reducitur ad tollendas cauſas ſupradictas ſterilitatis, contraria iſtis opponendo, & quicquid in menſibus mali ineſt auferendo per contraria, nempè ſi ſint pituitoſi, pituita minoranda, & corrigenda per ea, quæ pituitæ cauſam auferunt, & hoc faciendum in bile, & melancholia redundante.

TEXT. XXV. *Quibuſcumque igitur menſes pituitoſi, ac pelliculoſi ſunt, &c.*

Curationem ſterilitatis à pituita deſcribit in hoc Textu Hippocr. & varia ſigna proponit, pro diſtinguenda pituita dominante, & ait *carnoſas* eſſe *Mulieres* pituitoſas, intelligendo de carne flacida cum colore ad pallidum declinante. Caro fit ab humido, quod facilè adhæret, & apponitur partibus, & in quo nulla ſit acrimonia, à qua exaſperentur, & rodantur partes, quibus apponendum eſt humidum: pituita eſt talis conditionis, ideò in iſtius redundantia caro excreſcit, ſed flacida, quia in redundantia pituitæ calor eſt debilis, nec valet ita appoſitum humorem exſiccare, ut caro ex appoſitione reſultans exſiccetur, quantum requirit ſoliditas, & firmitas perfectæ carnis; ideò mollis, & flacida remanet, quia multo humido referta. *Os humectum eſt, & ſaliva in ore redundat, & eſt viſcoſa*. Saliva analogiam cum pituita habet, cùm eadem ſit utrique communis materia, ideò redundantiam ſalivæ, redundantiam pituitæ in corpore deſignat. Mulier pituitoſa, *ſi aliquid acidum deguſtabit, ſalivam in copia effundit*, eò quia ab irritamento acidi vellicati ductus ſalivales in ore exiſtentes determinantur ad copioſam ſalivæ effuſionem, quia copia humoris in dictis vaſis, & glandulis exiſtentis, ſi non conſervaretur, deficeret. *Liquida ſaliva, & inſulſa* fit, eò quia per irritamentum in glandulis non commoratur, in quibus, & craſſitiem, & aliqualem ſuſcipit ſaporem, ſed ſeroſitatem glandulæ ſalivales eo modo; quo recipiunt ab arteriis valdè fluidam in os ab acido irritatæ effundunt. Mulier pituitoſa à quolibet cibo, & potu *turbationem ſentit*, dum *venter attollitur nauſea ſupervenit cum anxietate, & jactatione multa*, quæ omnia pendent à ventriculo debili, à laxitate fibrarum iſtius, à redundantia humoris pituitoſi in eo, à flatuum copia, quæ elevatur à debili calore in pituitam, & alimentum agente. Venter ſupprimitur, eò quia fœces à multitudine muci inteſtinis adhærente media viſcoſitate iſtius detinentur, earumque motus retardatur. Cùm pituita in vaſis redundat, *à capite fluunt humores* ad partes inferiores in copia, juxta ſententiam Hipp. cui aſſenſum non eſſe præſtandum, convincunt demonſtrationes anatomicæ, quæ omnes vias à capite ad partes inferiores humoribus negant, præter eas, quæ circulationi ſanguinis ſerviunt; ſed omnes partes non recipiunt humores, niſi ab arteriis, & nervis. *Omnia obducit* humor fluens à capite, ideſt omnia inficit pituita redundans tam ſanguinis maſſam, quàm fermenta omnium partium. *Partes ſub oculis lividæ ſunt, & inflatæ*; livor eſt à ſanguine effuſo in poroſitatibus partium, & ſtagnante, ſtagnat ſanguis, quia à copia ſeri extravaſati inflatæ dictæ partes intercludunt viam circulanti ſanguini, qui ſtagnando nigreſcit, & lividam carnem facit. Totam Curationem unica indicatione dirigit, nempè exſiccando. Hac intentione *vomitum* imperat, poſt cibum, & *ſtomacho jejuno*, non ſolùm ad evacuandas humiditates in ventriculo contentas, ſed etiam in toto redundantes; cenſuit enim Hippocr. & cum ratione, vomitu totum corpus purgari. Vomitiva ſint blanda, quia Mulierum corpus eſt facilè reſolubile, ideò vomitus poſt cibum, quia facilior magis etiam convenit. Purgatione etiam utitur per alvum lenibus medicamentis, ob rationem dictam de vomitu. Purgantia ſint *hydragoga*, & *flegmagoga*, talia enim deſignavit Hipp. in illis verbis, *quæ minimè bilem ducunt*. Diœtam omninò exſiccantem præſcribit; non exſiccat verò Diœta, niſi ſit longa, vel tenuiſſima, ut patet à *Textu*, & alvum lubricam cum tali Diœta ſervandam conſulit, & cum hac curationem perfici poſſe cenſet, dum ſubdit, *VerùmUteros, ſi ad hanc Diœtam non paruerint*, ideſt ſanati non fuerint, *pharmacis ſubdititiis non mordacibus purgare oportet*. Non conferente ergo Diœta exſiccante, vomitu, & purgatione, Uteri purgationem aggreditur, cum ſubdititiis Uterum purgantibus non mordacibus, quæ recenſuit in

citatis

citatis locis, & non unica vice debemus eſſe contenti uſu ſubdititiorum, ſed per aliquot dies reiteranda, præmiſſo ſemper priùs *fomento*, ſaltem per horam ex *fœniculo*, cujus parandi modum deſcripſit ſuperiori *lib. num.* 103. Animadvertit Hippoc. fomenta, & ſubdititia imminentium menſium tempore exercenda eſſe; ſuccedentibus enim poſteà menſibus purgatio Uteri perfecta ſuccedit, *ſi puri, & ſinceri menſes exeant, ad Virum accedere Mulierem* monet *his incipientibus*, optimum autem judicat deſinentibus, & circa finem fluentibus menſibus Mulierem ad virum accedere, eò quia in tali tempore Uterus eſt magis purgatus, quàm in principio menſium, & idem etiam cum menſium fluxu calore afficitur, & appetitu venereo, retentioni ſeminis neceſſario.

TEXT. XXVI. *Cum autem ad Virum itura eſt, &c.*

Mulieri purgatæ juxta præcepta in ſuperiori Textu tradita, monita præbet Hippoc. ſervanda in congreſſu cum Viro. Textus eſt clarus, ut explicationem non admittat. Diæta in Textu propoſita rigorosè obſervanda. Aliqua ſolùm addam remedia, Uterum humidum exſiccantia eis adjungenda, quæ ab Hipp. in ſuperiori num. fuerunt deſcripta, & alia à proprietate conceptionem juvantia. Exſiccant Uterum *Decoctum Lentiſci, Myrthi, & Roſarum*, item *Decoctum tenerorum virgultorum Rubi, & Polygoni fœminæ, Myrthi baccæ tritæ, & in Vino exhibitæ*, ſicut *Malicorium Granati dulcis exſiccatum, & pulverizatum*, & *Avellanæ nuces uſtæ*, & *pulverizatæ cum Vino exhibeantur*. Doſis iſtorum *ad* ℨ. *ii.* A proprietate conceptionem juvant *Teſticuli Verris in umbra exſiccati, & pulverizati ad* ℨ. *i.* item *pulvis ex raſura Eboris, Seſeleos, Matricis Leporis, & coaguli Leporis exſiccati in æquali portione ad* ℨ. *i.* ß. *in jure, ciceris, aut Vino albo exhibeatur*; *Chelidonia in umbra exſiccata, & pulverizata, exhibita in Vino ad* ℨ. *ii.* ejuſdem *ſuccus exhibitus ad* ℨ. *ii.* idem valet. *Coagulum leporis ad* ℨ. *ii. in decocto Calendulæ exhibeatur*, vel *Trifera magna ſine Opio ad* ℨ. *i. cum Vino decoctionis Mandragoræ*; item *vulvam Leporis aſſam tere, & da cum Vino Mulieri bibendam*. *Decoctum Cicutæ manè exhibitum Mulierem fœcundat*. Externam etiam *ſuffumigia* adhiberi poſſunt in Uterum recipienda *per Embotum, ut Trifera magna ſine Opio ſuper carbones poſita. Laudanum ſuffumigatum, Nepita pulverizata, & ſuffumigata*; Item *ſuffumigium ex ligno Aloes. Peſſaria* etiam adhibentur ad conceptionem juvandam, quæ vide *in Aetio Tetrabil.*4. *ſerm.*4. *cap.*32.

TEXT. XXVII. *Si verò non concipiat, Uteri verò ſani ſint, &c.*

Contingit aliquando in Muliere Uterum eſſe ſanum, & tamen non concipere, cùm ab affectione aliqua corporis alimenti penuria Uterus laborat, ut vertit *Foeſius, & ab alimenti penuria Uterus imbecillis fit, & macilentus*, ideſt exſiccatus, quomodo talis fit quandoque à medicamentis, & fomento multo, ſeu frequenti exſiccante; ex quibus patet Hippoc. loqui de Utero ſecundùm ſuam naturalem conſtitutionem ſano, præternaturaliter morboſo facto ob ſiccitatem introductam, vel ab affectione mala corporis, vel à cauſa externa exſiccante, & vi iſtius ſiccitatis Mulier non concipit, eò quia *ſemen virile ferre non poſſunt priuſquam aſſueti fiant, & convaleſcant Uteri*. Ad hoc ut Uterus ſemen virile retineat, oportet, ut aſſuetus ſit ſemen retinere, ideſt habere omnes conditiones pro retentione ſeminis neceſſarias, inter quas primarium locum retinet robur Uteri, & ſuarum fibrarum firmitas à valido, & copioſo ſpiritu roborata. Robur verò deficit in propoſito caſu, in quo Uterus *debilis macilentus eſt*, per *Hippoc.* ideſt ad contabeſcentiam tedactus ſine ſpiritu, & fibrarum firmitate, à qua derivatur impotentia retinendi ſemen, & ad iſtius retentionem non aſſueſcet Uterus, niſi convaleſcat, ideſt niſi robur acquirat, & ſpirituum copia fecundetur. Signum hujus affectionis eſt, quando *ſecunda, aut tertia die, aut adhuc priùs exeunt ab Utero craſſa, & compacta, ſicut mucus*. Exitus ſanguinis ab Utero ad inſtar muci nullam alterationem ſemen in Utero contraxiſſe demonſtrat, cum naturali craſſitie, & viſcoſitate ſemen mucum repræſentet, quas qualitates cùm in exitu retineat, nullam alterationem ſuſcepiſſe indicat, & ab hoc arguimus Uteri debilitatem; & cùm ſemen ſincerum exeat, credendum in Utero alterius humoris conſortium non admiſiſſe, à quo craſſitiem, & viſcoſitatem alterari certum eſt; à defectu humoris contabeſcentiam Uteri, quæ defectum fluidorum ſupponit; arguimus. Monet Hippoc. ut attentè perpendamus, an in Utero aliquod vitium ſit, per quod materia mucoſa ab eo exeat. De abſentia hujus vitii, certi erimus, quando hæc materia mucoſa, niſi poſt coitum, & receptum ſemen exeat; & pariter attendamus, an aliquod in Utero ſit vitium, per quod ſemen exeat, & non retineatur, nempè ſi Uterus ſit maximè apertus, ſi nimia humiditate ſcateat, ſi procidentia laboret; nam excluſis aliis morbis, per quos ſemen retineri non poſſit in Utero, concludendum eſt à contabeſcentia Uteri in hoc caſu exitum ſeminis eſſe. Curationem aggreditur non ab Uteri correctione, ſed à correctione totius; cùm enim poſuerit Uterum debilem, & macilentum fieri ab affectione totius, ob alimenti penuriam, ut legit *Foeſius*, oportet etiam concludere, corpus eſſe emaciatum; ideò curatione indigere, & quidem primariò; ideò dicit corpus ad bonum habitum eſſe reducendum ad hoc, ut contractum ſit, legit *Foeſius, compactum*, & juſtam molem acquiſierit, pro quo exequendo debet Medicus juxta præceptum *Hipp. num.* 32. ſequenti cauſam maciei corporis perquirere, huicque contraria opponere. *Paucorum Balneorum uſum, & plurimùm levium laborum* commendat, quæ duo inſerviunt ad refectionem Uteri, & ad contabeſcentiam iſtius auferendam; per laborem enim, & exercitium parvum, & moderatum incaleſcit corpus, & etiam Uterus, & ſanguis uberiori quantitate ad partes tranſmittitur. Hinc ex corroborato calore, & à quantitate ſanguinis in Utero hic reficitur. Balnea frequentia, & per longum tempus non admittit, eò quia ſanguinem ad partes externas evocando, internas, & Uterum neceſſaria privat alimonia, nec contabeſcentiæ medentur. *Alimenta acria, & ſalſa* prohibet, quia ſanguinem ad nutritionem inhabilem faciunt, & contabeſcentiam potiùs fovent, quàm auferant. *Vomitu antè paucos dies imminentium menſium* utitur, vel ut Uteri deſcenſum prohibeat, quem plenitudo refecti Uteri coadjuvare poteſt, vel ut excrementa in refectione corporis congregata eliminentur, ne in vaſis contenta, vel ad ea fluentia menſium fluxum interrumpant. Subjungit, *fame maceretur*; quæ verba maximam proponunt difficultatem; ad quid maceranda Mulier illa, cujus refectio, & renutritio tanto ſtudio quæſita fuit? Morbus fuit maceratio corporis, & Uteri; ſi iterum maceremus, morbum, non ſalutem perquirimus. Hujuſmodi reſolutionem à Textu accipimus, in quo ait *Hipp. maceratam eſſe mulierem per aliquot dies ante menſes*. Primò, ut excrementa cavitatum, & vaſorum, quæ menſium fluxum depravare, & turbare poſſent, per vomitum evacuentur, & per Diœtam reſolvantur. Secundò, quia ubi minor eſt copia ſanguinis, minus facilius, & cum minori incommodo fluunt. Tertiò, quia cum minori copia ſanguinis minor efferveſcentia in Utero, & incaleſcentia, quæ ſiccitatem non auget.

TEXT. XXVIII. *Quibus autem ſtatim, &c.*

In hoc Textu agit de illa imperfectione Uteri, per quam acceptum ſemen à Muliere ſtatim emittitur; occluſionem, nempè Oris Uteri, quæ eſt una ex cauſis exitus ſeminis, proponit, & remedia deſcribit; alias cauſas, quas ſuperiùs propoſuit, non recenſet, & remedia has auferentia univerſali præcepto comprehendit, nempè ut applicentur Utero, quæ ſunt cauſæ contraria, ut ſi Uterus ſit diſtortus, ad ſuum locum reducatur, ſi os Uteri ſit nimis apertum, conſtringatur, ſi nimis humidum, exſiccetur; de his poſtea loquetur.

TEXT. XXIX. *Quibus verò Os diſtortum eſt, &c.*

De Orificii Uteri diſtorſione, per quam ſemen non ſuſcipit Uterus, agit in hoc Textu Hippoc. Hujus affectus cauſa in ſuperioribus tradita eſt. Curationem ſatis clarè ibi proponit Hipp. & varia remedia in ſuperioribus etiam deſcripta fuerunt.

TEXT. XXX. *Cùm, autem magis, quàm oportet aperti ſint Uteri, &c.*

Cùm in *lib. de Natura Mul.* cauſam aperitionis Uteri declaraverit Hipp. in hoc Textu curationem proponit,

nit, & primò *purgatione* opus eſſe dicit, cùm ab humorum redundantia laxante nimis Uteri orificium, proveniat. Poſt purgationem *collutiones, & ſuffitus* exſiccantes, & adſtringentes adhibet; hujuſmodi enim conveniunt, ubi minùs aperitur Uterus. *Si Uterus propior fuerit orificio pudendi*, ideſt deſcenſum Uterus patiatur, & ex hoc impedimentum habeat ſemen recipiendi, tunc vomitu retractio Uteri ad ſuperiora tentanda eſt, & fomento fœtido inferioribus applicato, in quo caſu conveniunt omnia deſcripta ſuperiùs de Uteri deſcenſu. *Si verò os Uteri ſemen non recipiat, eò quia fuerit pingue, & craſſum*, ideſt vel tumefactum, & adeſt habitus pinguis, vel nimis carnoſum, & habitus Mulieris eſt carnoſus, vel multa pituita craſſa involutum, & apparet pituitæ redundantia in Muliere. In his cauſis, exſiccantia intùs, & extrà præſcribit Hipp. Intus exhibet *Synapim coctam jejuno ſtomaco*, ſuperbibendo *Meracum*, ideſt vinum purum; ex quo habemus calida acria in hoc affectu convenire; exteriùs *Nitrum rubrum Cyminum, ac Reſinam. Optimum autem fuerit Nitro Vino admiſcere*, hoc eſt vino ſolvere, & cum *Reſina, Cyminò unguento albo* componendum. linimentum; ex quo inungendum Peſſarium immittendum. *Cornu Cervi uſto, & farina hordacea cruda cum Vino Emplaſtrum* parat, eo modo adhibendum, quibus non conferentibus, *inſeſſum in decocto Pori* imperat, *aut phagum*, ideſt glandem *contritam in ſubdititio apponito*, prout legit *Foeſius*, & *vomitum* imperat *cum Allio comeſto, & mulſa ſuperbibita*. Vomitum convenire poſſe non video, niſi in caſu ventriculi malè affecti, materiam craſſam, & pituitoſam Utero ſubminiſtrantis, à qua os Uteri craſſum fiat.

TEXT. XXXI. *Quibus porrò intus manet Viri ſemen, & computreſcit, & turbationem facit, &c.*

Cùm inter cauſas non retenti ſeminis in Utero enumeraverit Hipp. ejuſdem ſeminis corruptionem, modum curationis huic cauſæ convenientem in hoc Textu demonſtrat, ſi turbationem, vel moleſtiam à ſemine corrupto ſentiat Mulier, prout contingere ſolet aliquibus, antequam ſemen jam receptum excernant, dum dolorem, vel moleſtiam, vel puncturas, & quandoque ſpeciem ſuffocationis experiantur. *Atriplicis, Agreſtis ſemen*, vel *ſuccum cum Melle, & Cymino delingendum* dat; dolor enim ab hoc ſedatur, & monet Hipp. ſedationem doloris eſſe principale indicans. *Cùm autem ſemen virile* ejaculatum in Uterum *fœtens fuerit*, ut in aliquibus obſervatum eſt, *Mulier non concipit*, ob malam qualitatem ſeminis virilis à fœtore demonſtratam, per quam inepta eſt ea præſtare in Utero, & Ovario fœmineo, quæ ſunt neceſſaria ad conceptionem. In hoc caſu *Portulacam, & adipem anſerinum miſceto, & apponito per ſubdititium*. In hoc caſu Curatio eſſe potiùs dirigenda ad tollendam malam diſpoſitionem viri, per quam fœtidum ſemen generatur, quàm ad curationem Mulieris; Hanc verò prædicto remedio curare cenſendum eſt; ne à mala qualitate ſeminis inficiatur Uterus, vel ut à virtute propoſiti remedii diſpoſitio in ſemine ad putredinem, cujus fœtor eſt indicium, corrigatur, per hoc tamen non tollitur curandum non eſſe vitium ob dictam indiſpoſitionem. *Si verò ſemen virile poſt ſextum, vel ſeptimum diem exeat putrefactum*, id contingit, quia *bilis, vel humor ſalſus ſemini* in Utero *immiſcetur*, ejus prolificam virtutem deſtruendo, texturam corrumpendo, & acrimoniam communicando, qua irritando viam ſibi parat ad exitum ab Utero. In hoc caſu pro curatione Hippocrat. purgationem primò molitur totius corporis, ſecundò purgationem Uteri inſtituit; tertiò vomitoriis utitur, & horum remediorum normam dedit *Hipp. in cit. locis*, præter ea, quæ in hoc Textu proponit, quæ ſunt valdè clara.

TEXT. XXXII. *Diœtam verò reſpectu ad totum hominis corpus facto conſtituere oportet, ſive ſiccior, ſive carnoſior Mulier eſſe videatur, &c.*

In hoc Textu Diœtam convenientem Mulieri ad hoc ut concipiat, proponit Hipp. & ea, quæ ad Diœtam reducuntur, ut motus, & balneum; Diœtam dirigit reſpectu habito ad temperamentum, & habitum totius corporis naturalem, qui ſi fuerit *ſiccior*, humectantibus utendum, quæ proponuntur in Textu, ubi adnotandum *Vino aquoſo* uti, quia non ſolùm humectat, ſed etiam quia caloris activitatem, à qua ſiccitas corporis afficitur, moderando cauſam ſiccitatis, & ariditatis, tollit. *Pinguia, & dulcia* concedit pro humectatione, & incraſſatione, & rationem reddit, *quia humiditatem tum reliquo corpori, tum Uteris conciliant*; & per humiditatem accipit humiditatem nutritivam; omnia enim pinguia, & dulcia, oleoſa conſtant ſubſtantia, in qua dulcedo principaliter fundatur, & talis ſubſtantia eſt maximè idonea ad partes emaciatas renutriendas. *Sin verò humidior fuerit habitus corporis, & talis fuerit etiam Uteri temperies*, prædicta victus ratione non eſt tractanda Mulier, eò quia humiditas in ea cum exceſſu augeretur. *Neque frictiones, neque lotiones, neque ſuffitus* admittit, & rationem reddit, quia *hæc periculum inducere ſolent*; nam in corpore, & Utero moderatè humido, ea, quæ exſiccant, ut motus, & ſuffitus, introducunt ſiccitatem morboſam; ideò iſta in corpore moderatè humido ſunt periculoſa, & magna circumſpectione tractanda; ex quo mihi videtur deduci poſſe temperamentum Uteri humidum moderatè potiùs eſſe ſimilibus conſervandum, quàm contrariis oppugnandum: *& ſi humidiores fuerint Uteri, & Corpus, quàm eorum natura*, & integritati, & ſaluti *conveniet ſiccare*, non ſolùm alterantibus, ſed etiam purgantibus oportet, habito ſemper reſpectu ad majorem, vel minorem redundantiam humidi, & ſuffitum admovere conveniens eſt, eò quia humiditas eſt cum exceſſu, & morboſa eſt. *Si verò in ipſos*, ideſt Uteros, *confluat bilioſa, medicamentum* quidem *purgans* exhibere oportet, non ſolùm pro depuranda maſſa ſanguinis à bile redundante, ſed etiam pro derivando, & revellendo fluxu bilis ab Utero ad inteſtina, ne iſtius miſcella in Utero ſemen corrumpatur, & purgatione facta bilis generatio prohibenda, non ſolùm cauſam iſtius tollendo juxta præceptum Hipp. in ſequenti numero deſcriptum, ſed etiam ſpecificis ſuperiùs propoſitis. *Si verò ſalſuginoſum fuerit*, quod ſemini in Utero miſcetur, *Lac* imperat Hippocr. à quo ob pinguedinem, & aquoſitatem lactis humoris ſalſi acrimonia retunditur. *Vinum* etiam concedit, ſed *oligoforum*; quia ſalſedinem copia aquæ moderatur; hac curatione videtur Hipp. ſolùm ſalſedinis curationem admittere. Alia præſidia non reſpuit; talia verò ſint, quæ ſalſedinem moderentur, & ſunt omnia Epiceraſtica, & aquea. Signa bilis redundantis elicimus, à temperamento bilioſo, & ab erratis bilem cumulantibus. Humorem ſalſum demonſtrat ſaliva ſalſa, & errat in rebus ſalſis. In ultima parte Textus univerſalem methodum curandi morbos reſtringit Hipp. dum ait, *morborum vires in Curatione eſſe conſiderandas, & cauſas eorumdem exquirendas*; nam ablata cauſa aufertur morbus, & cauſa non poteſt auferri, niſi cognoſcatur, nec alia eſt methodus rationalis curandi morbos, quàm ablatio cauſæ, & ſi cauſa in aliquo loco, ſeu parte particulariter reſideat. Talis locus particulariter eſt curandus, ſed ſemper cum reſpectu ad cauſam tali loco affixam. Hoc fundamento Mulieres, ob cauſam oſculorum Uteri nimis patentium à conceptu prohibentur curandæ ſunt, ut *oſcula Uteri, probè ſint deducta*, ſeu *explicata* (ita legit *Foeſius*) ideſt ut ad ſtatum naturalem Uterus ſecundum orificia reducatur. *Cùm verò nimia humiditatis copia prohibuerit* (intellige conceptionem) *in hanc intentum eſſe oportet, ut ne impediat*, ita vertit *Foeſius* verba hujus Textus, in quibus monet Hippoc. minuendam eſſe humiditatem exſiccantibus, ſi hæc ſit cauſa impeditæ conceptionis. Monet tamen in cauſa tollenda morborum Mulierum omnia diligenter expendenda eſſe, *ſive quid ex toto corpore, ſive quid ab Uteris, vel ab utriſque* ſit cauſa morbi in Muliere, & huic occurrendum, & quia à Lue gallica conceptio prohibetur, hæc tollenda, ſi adſit. Hoc monitum exactè obſervandum in curatione omnium morborum, nempè an ab affectione alicujus partis, vel ab indiſpoſitione totius corporis oriantur.

TEXT. XXXIII. *Uteros autem ſic curare oportet, ut neque humidi ſint, neque valdè ſicci, &c.*

Ex præmiſſis in ſuperioribus Textibus, quomodo curandi ſint Uteri, ut concipiant, concludit neque valdè humectandos, neque exſiccandos valdè remediis, & videtur docere conceptionem impediri potiſſimùm per humiditatis, & ſiccitatis exceſſum; illa exceſſu reten-

retentionem ſeminis impedit, & iſtius vim prolificam mixtione alieni humoris, vel obruit, vel extinguit; Iſta vaſa Vteri ſiccitate ita anguſta reddit, ut eam ſanguinis copiam Utero non ſuppeditent, qualem exigit ovi in Vtero illapſi conſervatio, & augmentatio. Acetabula etiam exſiccata adhæſionem placentæ uterinæ non admittunt, ſine qua conceptio non fit; ſed verius dici poteſt à nimia humiditate, & ſiccitate Uteri, & partium huic annexarum ovorum in ovario exiſtentium conſtitutionem lædi, & diſpoſitionem ad fœcunditatem auferri. Quapropter *ſicciores* Vteri *eò copioſiorem ſuccum habeant*, ut legit *Foeſius*, *neceſſe eſt*; quo aridiores exiſtunt, ut per ejuſmodi humorem pingues potiùs; quàm macilenti evadant, hoc præſtat humidum alimentale, ideò monet Hippocrat. humectandum eſſe Uterum per alimenta, quæ ſuo ſucco *pinguem* valeant *reddere Uterum*; inter quæ Lac primum locum tenet; & ea, quæ huic magis proxima, & homogenea ſunt, ut lac artificiale ex *Amygdalis*, *& Pineis*. Si verò fuerint *Uteri* magis *humidi*, ita *exſiccare oportet*, ut relinquatur quo humidi ſint; ne auferendo humiditatem, ſiccitatem, quæ eſt altera cauſa impeditæ conceptionis, introducamus: *exceſſus enim in utraque eſt vitandus*, *niſi horum aliquid ex priſca natura inſit*: ideſt ex primordiis generationis, nec cum exceſſu; nam hoc deficiente aliqualis exceſſus ſiccitati, & humiditatis à principiis generationis non videtur ſufficiens ad impediendam conceptionem. Hic moneo, perpendendum eſſe, an ſiccitas à calore, vel ab alia cauſa exſiccante: & humiditas à frigiditate, vel ab alia cauſa proficiſcatur, & huic dependenter à præcepto ſupradicto reſpiciente cauſam morbi occurrere remediis. Poſt curationem hanc conficiendam ultimo loco cum remediis ſupradictis, conceptionem juvantibus, *commercium cum Viro* Mulieri *ſuadet Hippoc. incipientibus*, *vel deſinentibus menſibus*; cùm tali tempore apertum ſit Uteri orificium ad receptionem ſeminis generationi valdè neceſſariam. Cùm tali tempore etiam incaleſcit Uterus, & Ovarium ab incaleſcentia Uteri ſeminis particulæ ſpiritoſæ prolificæ à craſſioribus ſolvuntur, ut ad Ovarium liberè tendant, & ab incaleſcentia Ovarii dictorum ſpirituum activitas in ovum diſpoſitum ad exitum corroboratur, ut pro deſcenſu ultima diſpoſitio ei imprimatur. Optimum verò cenſet viri commercium, terminatis menſibus, eò quia tunc temporis apertum eſt Uteri orificium, & Uterus ab omnibus excrementis, quæ ſeminis virtutem impedire poſſent, purgatus. *Et ſi Mulier non conceperit*, viri congreſſum laudat *in ſubſequentibus temporibus*. *Hæc enim exercitatio propenſiores quodammodo* (nempè ad conceptionem) *eas facit*, ut legit *Foeſius*; ab hujuſmodi enim congreſſu incaleſcit valdè Uterus, & vaſa ejus dilatantur, & dilatata ſanguine implentur, quæ duo facilem reddunt conceptionem. Subjungit cauſam conceptionis, quam refundit in mixtionem ſeminis virilis cum humore à Muliere in coitu effuſo, quæ ſententia non ſubſiſtit, admiſſis eis, quæ à Recentioribus dicuntur de generatione ex ovo. De hac vide *Graaf*. Diæta hucuſque dicta conceptionem impeditam ab intemperie Uteri reſpicit.

TEXT. XXXIV. *Si verò humidius fuerit os Uterorum*, *Genituram attrahere non poſſunt*, *&c.*

Cauſam, per quam Uteri humidi valdè non concipiunt, reddit hic Hippoc. dum ait, *non attrahere genituram*, ſed intelligendus eſt non retinere genituram, quia hæc non attrahitur ab Utero, ſed in Uterum ejaculatur. Per humidum os Vteri, puto intelligendum eſſe laxum, & flacidum, ideòque inhabile ad retinendum. Hic ſenſus concordat cum eis, quæ in fine Textus addit, *ſi verò in callum indurati fuerint*; hic de duritie Uteri agit, in ſuperioribus de flacciditate huic contraria locutum eſſe credendum eſt. Pro curatione adhibet medicamenta *ſubdititia acria*, eòquia ab ipſis commorſus Uterus, & inflammatus: hoc eſt excalefactus, ob concurſum ſanguinis ab acrimonia medicamenti ad Uteri venas vocati, eo modo quo incaleſcunt partes, & ſanguine implentur ad urticæ puncturis. Reliqua in Textu ſunt clara, ad curam calli, ſeu duritiei Uteri ſpectantia.

TEXT. XXXV. *Quòd ſi diu non concipiat*, *menſibus non apparentibus*, *&c.*

Curationem impeditæ conceptionis diuturnæ ob ſuppreſſionem menſium pertractat in hoc Textu Hippoc. & ſubditiciis, ſeu ſuppoſitoriis hanc conficit, juxta præceptum in ſuperiori *num.* 32. traditum, nempè curanda eſſe loca, in quibus morbus reſidet, iſtis remedia applicando. Remedia ſunt manifeſta in Textu; *Alumine* primò utitur, pro irritamento ad excretionem menſium eo modo, quo utimur pro ſuppoſitorio, pro excernendis fœcibus alvi; modum utendi his ſuppoſitoriis docet Hipp. nempè *cùm tertia*, *aut quarta dies aderit*, intellige ante tempus conſuetum menſium, & Alumen eſt irritans; melius eſt hoc uti ante tempus; quàm in tempore menſium; hujuſmodi ſuppoſitoria poſſunt videri in *Aetio cit. loc.* Addo non fore inutile remedia interna ſuperiùs deſcripta pro ciendis menſibus exhibere.

TEXT. XXXVI. *Si genituram non ſuſcipiat Mulier menſibus ſecundum naturam prodeuntibus*, *&c.*

Curationem in hoc Textu proponit illius indiſpoſitionis inductæ à *membrana præpoſita*, ſeu occludente os Uteri, per quam ab eo non recipitur ſemen, licèt menſes naturaliter fluant. Hinc oritur difficultas, quomodo fluant menſes per os Uteri, per quod exire ſentit Hippocr. & per idem os non ingrediatur ſemen. Tollitur difficultas, ſi dicamus in membrana occludente orificium Uteri adeſſe exile foramen, per quod ſanguis ſemine tenujor exire poſſit; ſemen verò craſſius ingredi non valeat, & huic caſui applicanda ſunt ea omnia, quæ ab Auctoribus dicuntur de menſium fluxu in Virginibus membrana hymen dicta in iſtis admiſſa. Cauſa iſtius membranæ fluxum menſium impedientis, vel eſt hymen induratum, vel eſt humor pituitoſus in formam membranæ expanſus, & exſiccatus, vel eſt propago membranarum Uteri præternaturaliter expanſarum. Hujus membranæ ſignum ab explorante *digito obicem* in Uteri orificio inveniente habemus. Remedia pro curatione ſatis clarè deſcribuntur, & omnia, quæ leniter corrodunt, prædictam membranam auferunt.

TEXT. XXXVII. *Sunt autem Mulieres*, *quæ facilè quidem in ventre concipiunt*, *&c.*

Sermo eſt in hoc Textu de Mulieribus, quæ concipiunt, *ſed in tertio*, *aut quarto menſe abortiunt*, & de iſtis inſtituit agere, cùm in præcedentibus egerit de eis, quæ non concipiunt. Tres cauſas aſſignat abortus prædicti; prima eſt, *quando Uteri fœtui augmentum dimiſerint* (legit *Foeſius*, *ſubduxerint*) ideſt quando Uterus ad augmentum fœtus non diſtenditur, ſed membranæ iſtius in ſe compactæ vi expanſivæ fœtus aucti reſiſtunt, & tota reflectitur in os Uteri, quod cedendo dictæ virtuti dilatatur cum exitu fœtus, & abortus; hac de cauſa in primiparis fit abortus, dum membranæ Uteri, & ejus ſubſtantia expanſioni non ſunt aſſuetæ. Secunda cauſa eſt *turbatio* Ventris, ſeu fluxus alvi, & præcipuè ſi dolores, tormina, & premitus, ut frequenter accipit, cum iſto conjungantur, commovetur enim, & turbatur Uterus in prædictis ſymptomatibus, & in ea agitatione, & commotione placenta Uteri ab acetabulis iſtius, quibus adhæret, evellitur, & fœtus proprio pondere, unà cum illo dictæ placentæ vim faciendo ori Uteri, hoc aperit, & exit. A fluxu alvi ſubtrahitur alimentum fœtus, vaſa Uteri flaceſcunt, vinculum nectens membranas involventes fœtum cum Utero laxatur, emaciatur, deficiente cum alimento ſpiritu, à quo corroborabatur; laxatum, & debilitatum hoc vinculum pondus fœtus, agitatio iſtius ab indigentia alimenti naturali inſtinctu excitata ſolvit, ac rumpit cum abortu. Fluxus fit à fermento ventriculi in concoctione depravato, ab excrementis retentis ob conceptionem diſgregationem patientibus in maſſa ſanguinea, & ad ventriculum tranſmiſſis. Tertia cauſa eſt, *quando continentes ipſum fœtum pelliculæ*, ſeu membranæ *minus quàm orportet*, Utero *hærent*; nam tunc facilè membranæ ab Utero evelluntur ſuccedente abortu, ut dictum eſt de ſecunda cauſa. Parum adhærent pelliculæ Utero, quando hi *leves ſunt*, levitas eſt æqualitas ſuperficiei; levitas Uteri erit æqualitas ſuperficiei iſtius, cum nulla, vel parva protuberantia acetabulorum, quibus dictæ membranæ alligantur, & quo major eſt talis protuberantia in magnam portionem membranarum ſe inſinuans vinculum membranas cum fœtu ſuſtinens, magno robore ſuſtinet; ubi verò dicta protuberantia fuerit

rit minor, vinculum cum minori robore ſuſtinebit, & membranas, & fœtum, & facilè iſta ab Utero ſeparabuntur. Hanc levitatem inducunt *Ulcera* corrodentia acetabula, inducit etiam humor parum craſſus, & tenax, quo dictæ membranæ cum acetabulis uniuntur. Humor parum craſſus, & viſcoſus debilem parit unionem, quæ facili negotio à pondere fœtus ſolvitur, & hæc eſt præcipua cauſa cujuslibet abortus, qui ſequitur ſemper à ſeparatione membranarum fœtum involventium ab Utero, non à laxitate ligamentorum Uteri, ut vulgo decantatur. Primam cauſam cognoſcimus in primiparis, ſi nulla præceſſerit evidens cauſa abortus. Secunda per ſe patet in excretis per alvum. Tertia cognoſcitur à præcedentia ulcerum, à fluxu humiditatis per Uterum; & ſi mulier ſolita fœtum geſtare ad conſuetum terminum ſine cauſa manifeſta abortiat, ab hac abortum provenire cenſendum eſt. *Si curentur, partum felicem* promittit Hipp. Primam cauſam tollit frequentia partus, ex qua Uterus expanſioni aſſueſcit. Balnea emollientia huic multùm conferre poſſunt, ut & fomenta ejuſdem rationis regioni Uteri applicata, inunctiones ex oleis emollientibus. Secundam, alvum adſtringentia, & ſtomachum corroborantia, quæ in alvi fluxibus præſcribuntur à Practicis. Tertiam cauſam tolluntur ea omnia uterinis fluxibus convenientia.

TEXT. XXXVIII. *Si Mulierem Puerperam facere velis, aliàs concipere nequeuntem, &c.*

De impedita conceptione à menſium vitio agit in hoc Textu Hipp. Ad percipiendum hoc vitium proponit experimentum, à quo *bilioſi, vel pituitoſi menſes* manifeſtantur. Hoc cognito, purgationem bilis, & pituitæ pro curatione molitur *per ſuperiora, vel inferiora*, prout opus videbitur Medico; nam ſi facilis ſit in ægrota vomitus, & tempus ſit æſtivum, purgatio per ſuperiora magis utilis eſt. Si verò difficilis ſit vomitus, & tempus hyemale, per inferiora purgandum, & cauſa bilem, & pituitam generans per contraria oppugnanda. Purgato corpore, & cauſa dictorum humorum ablata, vel diminuta, purgationi Uteri incumbit more ſolito; purgantia Uterum *vide lib. 2. num. 118. 119. ad 123.* quo peracto medicamenta conceptionem adjuvantia proponit. Notandum eſt, hæc exhibere ceſſantibus menſibus, eò quia purgato Utero remediorum virtus huic magis imprimitur cum fructu, quæ ſubjungit de fœmine ſemine, de genitura virili attracta, de mixtione ſeminum jam ſuperiùs declarata ſunt. Hìc adnoto præcipuam rationem, per quam menſes bilioſi, & pituitoſi conceptionem impediunt refundendam eſſe in alterationem, quam ova muliebria ſuſcipiunt à ſanguine talis conditionis, à quo liquor in ovis contentus depravatur, ideòque infœcundum evadit. Non negandum tamen eſt, à copia bilis, vel pituitæ Uterum in ſua craſi præternaturalem alterationem contrahere, ejuſque fermentum præternaturaliter perverti, ideòque in eo deficere conditiones neceſſarias ad conceptionem, quam impediunt etiam excrementa billioſa, & pituitoſa in vaſis, & poroſitatibus Uteri relicta.

TEXT. XXXIX. *Si verò genitura jugi curſu defluat, Mulier viro miſceri non cupit, & ſi miſceatur, non concipit, &c.*

Quid genituræ nomine intelligat Hipp. in hoc Textu, eſt valdè difficere determinare; nam certum eſt, pro genitura non accipere ſemen virile; nam hoc *jugi*, ideſt continuo curſu defluere non poteſt, nec præ plenitudine, quæ duo reperiuntur in hoc Textu; in alio ergo ſenſu accipienda eſt genitura. Hunc ſenſum habemus in *Lexicon Caſtello Brunoniano*, in quo authoritate aliquorum Scriptorum habemus, genituram accipi pro partibus genitalibus tam maſculi, quàm fœminæ; quapropter ſenſus Textus erit, ſi pudenda Mulieris continuo curſu defluant; ideſt pudenda Mulieris continuo fluxu humorum madeant, & idem eſt, ac Mulierem albo fluxu menſium laborare, per quem viro miſceri non cupit, eò quia Veneris incitamentum extinguitur à dicto fluxu calorem Uteri debilitante, & à deficientia illius liquoris à Muliere in coitu cum delectatione excreti, cùm materia, quæ exit, non ſit niſi liquor ille in lacunis, ut ait *Graaf*, Uteri exiſtens, & ſi Venereus appetitus à copia hujus liquoris fermentante, & irritante muliebria pudenda excitatur, hoc deficiente neceſſe eſt, appetitum venereum deficere, & fœminam viri commercium fugere. Duas cauſas hujus fluxus aſſignat Hipp. Una eſt plenitudo, & redundantia dicti liquoris; Altera eſt laxitas Uteri, ſeu lacunarum dictum liquorem continentium. Plenitudo cognoſcitur ab habitu plethorico, carnoſo, & à virium robore in tali fluxu perſeverante, vel ab habitu pituitoſo, & ſeroſo humore redundante, qui in vaſis Uteri ſtagnans, & fermentationem concipiens, febrem lentam efficit, quia talis humor, ob parvitatem ſpirituum, & particularum activarum lentè efferveſcit, ab eodem humore facilè laxantur Uteri vincula; unde iſtius deſcenſus à moleſtia Uteri ab hoc humore affecta lumbi cùm hoc conſentientes dolent. Laxitas diſtinguitur à pravo habitu mulieris, & à virium languore, & dolore lumborum. Huic fluxui ſæpè conjungitur Uteri deſcenſus, ob rationem ſuperiùs traditam de hoc deſcenſu. Cura Hippoc. eſt, ſi à plenitudine fiat, ſibi, & naturæ relinquendus hic fluxus; ſi verò à laxitate, remediis curandus de albo fluxu dicendis. Diœtam incraſſantem proponit, ut patet ex Textu.

TEXT. XL. *Nunc porro dicam de morbis earum, quæ in Ventre habent, &c.*

Cùm hucuſque egerit Hippoc. de morbis conceptionem impedientibus, & abortum coadjuvantibus; nunc incipit agere de morbis gravidarum; & primò proponit menſium fluxus tempore geſtationis in Utero ſingulis menſibus, non tamen ea quantitate, quæ expurgatur extra tempus gravidationis, ideò ait, *ſed & pauci prodeunt. In hujuſmodi fluxu Mulier fit tenuis*, ſeu gracilis, *& debilis*, cùm ſanguis, qui tranſire deberet in nutrimentum, & in refectionem ſpirituum vitalium, & animalium, evacuetur; *quandoque etiam in tempore fluxus Febris apprehendit* Mulierem; cùm enim ad menſium fluxum concurrat fermentatio, & efferveſcentia ſanguinis, non ſolùm in vaſis Uteri, ſed etiam totius, ut dictum eſt in ſuperioribus, ſi ſanguis in fœmina ſit ita diſpoſitus ob contractum vitium, ut à cauſa naturali efferveſcentiam, & fermentationem neceſſariam inducente præternaturaliter efferveſcat, & fermenteſcat, Febris oritur, quæ ceſſat, ceſſante cauſa dictæ fermentationis, *dum prodeunt, & poſtquam prodierint menſes*; *pallida fit*, quia à dicto fluxu vigor ſubſtantiæ ſanguinis, & ſpirituum enervatur, ut exterioribus partibus colorem, & vigorem tribuere non valeat. Cauſam hujus ſymptomatis dixit eſſe *Uterum hiantem*, ſeu valdè apertum, ſed quomodo Uterus valdè aperiatur, & fœtus non exeat, non eſt probabile; ideò credendum eſt, Hippoc. per Uteri aperitionem intelligere aperitionem vaſorum in collo Uteri exiſtentium; per hoc decurrunt arteriæ à Cruralibus arteriis derivatæ, quæ immediatè ab aorta deſcendente proficiſcuntur, & cùm tempore geſtationis in Utero, ut dictum fuit ſuperiùs, non ſolùm vaſa Uteri, ſed iſtius ſubſtantia ſanguine multo turgeat, à cujus copia, quia ſtagnat, fit preſſio totius illius copiæ uſque ad conculcationem ab adveniente à ſuperioribus arteriis novo ſanguine compreſſa, & conculcata in ſe ipſam illa copia ſanguinis non ſolùm circulanti ſanguini reſiſtit, ſed etiam vi concepta in tempore menſium à fermentante validè, tunc temporis ſanguine via hac menſium fluxus deſtinata, obturata à dicta vi fermentantis tempore menſium ſanguinis orificia arteriarum in collo Uteri exiſtentium aperiuntur cum fluxu ſanguinis, & cum eo exit alimentum fœtus; unde hic, qui in Utero exiſtit, tenuis, ac debilis fit, & experientia oſtendit fœtus omnes, quorum mater tempore geſtationis menſtruas habuit purgationes omnes debile temperamentum obtinuiſſe. *Si curetur Mulier, melior & fœtus, & Mulier evadit.* Curationem hujus ſymptomatis prætermiſit Hippocr. poſſe tamen confici cenſeo cum miſſione ſanguinis à brachio per duos, vel tres dies ante tempus menſium, & cum remediis externis Utero, vel ejus regioni applicitis, & dicendis de immoderato fluxu menſium. Neceſſariam eſſe curationem, & conſequenter revulſionem ſanguinis ab utero imminentibus menſibus demonſtrat Hippoc. dum ait, *ſi non curetur Mulier, fœtus corrumpitur*, ideſt moritur, *ſed & ipſa Mulier periclitatur, ne diuturnum habeat morbum*; periculum enim eſt, ne cachexia, vel Hydrops, vel alii morbi longi largas ſanguinis effuſiones ſequentes, ſuper-

ſupervenianr: periculum etiam eſt, ne in partu fiat magna ſanguinis effuſio cum vitæ diſcrimine, ob nimis aperta vaſa.

TEXT. XLI. *Si verò Mulier in Utero habenti caput pituitoſum fuerit, & pituita acris in ventrem deſcenderit, &c.*

In hoc Textu duo enumerat ſymptomata Hippocrat. primum eſt alvi fluxus, & colligitur ab illis verbis, *& pituita acris à capite in Ventrem perrumpitur*, & ab aliis inferiùs, *utpotè ventre fluido exiſtente*. Alterum ſymptomata ſunt *palpitationes debiles*, *ſubexolutæ*, *augeſcentes*, *acutæ*; legit *Foeſius*, *palpitationes*, *quæ aliquantulum exolvuntur*, ideſt, quæ animi deliquium inducunt; ubi increſcunt graves ſunt. Hæc ultima verba demonſtrant palpitationes eſſe cordis, quia illæ partes alias infeſtantes, non ſunt graves. His duobus ſymptomatibus tertium addit, *febrem debilem*. Horum ſymptomatum cauſam unicam colligimus à textu, nempè redundantiam pituitæ in capite, & deſcenſum iſtius juxta ſua principia ad ventrem medium, in quo ſunt partes ſpiritales, & ad ventrem inferiorem; ideò ventrem *fluido* repetit Hipp. Stantibus autem Recentiorum principiis ab anatomica demonſtratione confirmatis, quæ ſuperiùs innui; pituita à capite deſcendens non poteſt eſſe horum ſymptomatum cauſa, ſed refundenda eſt in ſuperfluum ſanguinem à nutritione fetus; ideò in primis menſibus, in quibus parum ſanguinis à fœtu conſumitur, & major eſt copia, quæ relinquitur intacta, ſolent hæc obſervari ſymptomata; nam ſi retenti ſanguinis portio multis etiam excrementis redundans, quæ ſemper ſibi unit ſanguis menſtrualis, vel ſtagnans leves arterias ingrediatur, curſumque ſanguinis per aliquod tempus impediat, fit palpitatio cordis, ut rectè determinavit *Vvilliſius in ſua practica rationali de palpitatione cordis*; & ſi obſtructio contumacior fuerit ultrà animi defectum, lypothimiam, & longa animi deliquia inducit. Si verò hujus conditionis excrementa in quantitate etiam cumulata, diſgregata fuerint à maſſa ſanguinis, & per orificia vaſorum, & glandulas inteſtinorum in horum cavitatem fluxerint, fluxu alvi ſuboritur; & ſi hujuſmodi excrementa fermenti naturam, ſed debilem contraxerint, fermentationem febrilem in ſanginem inducunt, ſed diminutam; unde febris debilis. His ſymptomatibus, ſi adjungantur *Cibi faſtidium*, *impotentia ad motum*, quæ eamdem camſam habent defluentibus dictis excrementis ad ventriculum, & nervos, periculum eſt, ne *fœtus corrumpatur*, *& ipſa Mulier in periculum adducatur*, *niſi curetur*. Curationem aggreditur, poſtquam ſedata fuerint ſymptomata palpitationis, animi defectus, & deliquii; iſtis enim vigentibus, ſola corroborantia cardiaca, aromatica, & ſpiritoſa ad praxim vocanda. Et efficaces ſunt mixturæ à *Sylvio Le-Boe* propoſitæ *in ſua praxi cap. de palpit. cordis*, ideò dixit, *ubi verò effungerint*, nempè dicta ſymptomata, ait (& tota curatio concluditur in his verbis) *utpotè ventre fluido exiſtente*, *ſtatim concludere*, *ac conſtringere oportet*; hæc verba alvi adſtrictionem tantummodo commendant, & cum ratione ducta à neceſſitate matrem, & fœtum ſervandi; utroſque enim perdet alvi fluxus, vires debilitando, ſpiritus diſſipando, alimentum fœtui ſubtrahendo; medicamenta alvum ſiſtentia petenda ſunt ab Auctoribus *de Curat. Diarrheæ*, & à dictis ex mente *Hippocrat. de Curat. Diarrheæ*. Alias cauſas Abortus in relinquo Textu patefacit Hipp. quæ omnes tendunt ad ſolvenda ligamenta placentam uterinam Utero colligantia modo ſuperiùs dicto. Aliam cauſam abortus reducit ad naturam Uteri, ut ſi ſit natura *flatuoſa*; à flatu enim dicta ligamenta poſſunt ſolvi impetum faciente in ea. *Uterus denſus* extenſionem non patiens abortum coadjuvat, ob rationem in præcedentibus dictam, quæ valet pro *parvo* Utero. *Magnus Uterus* ad abortum conducit, eò quia in magno ſpatio fœtus liberè, & cum vi ſe volutat, & ab hac vi pluries repetita dicta ligamenta ſolvuntur.

TEXT. XLII. *Si Mulier in Utero habens ventrem, aut lumbos doleat, &c.*

Signa futuri abortus proponit Hippoc. ventris, & lumborum dolorem. Omnis abortus ſuccedit cum ruptura membranarum fœtum involventium, ſine qua fœtus extra Uterum non expellitur. Membranæ non rumpuntur, niſi à violenta diſtractione, vel à violento impulſu, vel à violenta ponderis compreſſione. Hæ omnes cauſæ cùm agant in corpus ſenſibile, nempè in membranas, triſtem ſenſationem in iſtis pariunt, quæ eſt dolor, & quia dictæ cauſæ non in primo ſuæ actionis exercitio, ſed poſt multiplicatos, & iteratos actus ſuæ actionis, dictas membranas ſcindere valent, ideò dolor membranarum protrahitur; & quia Uterus ſitus eſt in regione ventris ultima, ideò hunc dolorem vocat Hippoc. dolorem ventris, & cùm iſtæ membranæ ſint Utero connexæ, & Uterus conſenſum habeat cum lumbis per ſua ligamenta, & vaſa, & cum partibus circa lumbos exiſtentibus, dolor fit etiam iſtis communis; quapropter dolor ventris, & lumborum in Muliere gravida ſigna ſunt abortus; ſicut ſunt ſigna partus in Muliere nonum menſem gravidationis complente. In reliquo Textu cauſas abortus etiam leves enumerat, quæ abortum provocant, irritando, ut ſunt res acres comeſtæ; vel quia fœtui parvulo accidat quid præter conſuetudinem, ut quantitas cibi, & potus. Tenellum enim corpus à contingentibus, præter conſuetudinem valdè alteratur, ſicut alteratur corpus firmum vittus debilis corporis tenelli deficit ſub actione contingentis, præter conſuetudinem, & moritur. Unde concludit mirandum non eſſe, ſi Mulieres, etiam invitæ abortiant, dum à talibus cauſis abortus provocatur; hinc concludit magna cuſtodia, & ſcientia opus eſſe in dirigendis gravidis, & nos deducere poſſumus, in principio doloris Uteri, & lumborum gravidæ conſiderandam eſſe cauſam, à qua poſſit imminere abortus, eique ſtatim occurrere.

TEXT. XLIII. *Si verò Mulier in ventre habens, &c.*

Duos caſus proponit Hipp. in hoc Textu, unus eſt de Muliere gravida, in qua ſit bilis redundantia cognitu facilis per deſcripta ſymptomata in Textu, cui ſuperveniant menſtruæ purgationes bilioſæ. Ab hac purgatione ait, *fœtum fore debilem*, *& ſi in hoc ſtatu alvi fluxus bilioſus ſuccedat Mulier quoad febrem*, *& alia ſymptomata deſcripta*, *videtur melius ſe habere*; ex quo colligere licet, in hoc caſu utiliorem eſſe purgationem bilis per alvum, quàm per Uterum, quia purgatio per Uterum abortum acceleraret. Alter eſt caſus de puerpera, ſive de eadem gravida mox dicta cum fluxu menſtruo bilioſo, quæ partum ederit, & in puerperio conſtituta ſit, cum purgationibus per Uterum valdè bilioſis, vel nigris cum pinguedine. Quid nomine pinguedinis intelligat Hippoc. valdè obſcurùm eſt; nam in Utero, nec in via, per quam tranſit purgatio uterina nulla eſt pinguedo, Oleoſitatem ſanguinis per pinguedinem non poteſt deſignare, cùm in ſanguine bilioſo, & atro, ſeu atrabilario ſit parva quantitas oleoſitatis, nec conſpicua; ideòque bilioſi, & atrabilares ſunt emaciati, & graciles; quapropter opinor mucum viſcoſum pinguedini ſimilem intelligere. Solet enim mucus in evacuationibus ultimo loco purgari, cùm ſit parùm fluidus, & in motu tardus, quia ſua viſcoſitate adhæret parti, per quam fluit, ideòque nimis tardè movetur, ob longiores morulas à viſcoſitate in motu ei conceſſas; ideò dicit *Hipp. pinguedo ut plurimum ſuccedit*, à quibus verbis colligitur, pinguedinem exire, poſtquam exierit ſanguis, & ſi eſſet vera pinguedo, vel oleoſitas, exiret cum ſanguine. Præterquamquòd cùm dicat in hoc caſu *Hippoc. Uterum exulcerari*, ſæpè in principio ab ulceribus internis obſervamus mucoſitatem exire, ut in ulceribus veſicæ, & inteſtinorum, quæ ſi fuerit acris, magis potens eſt exulcerare, quàm bilis fluida. Sanguis exiens non congelatur citò, & hæc eſt proprietas ſanguinis, in quo redundat bilis, vel aliquod aliud acre, & corrodens, ut adnotavit *Vvilliſius in ſua Pharmaceutica rationali*; quare ſi paulatim ſanguis exit, id potiùs tribuendum organo, vel motui ſanguinis per Uterum lentè nimis ſuccedenti, & quia talis motus ſemper minuitur, & organum vitiatur, ideò etiam procedente tempore deficiunt in quantitate purgamenta, & pejus ſe habet, quàm in eo tempore, in quo paulatim decidebant, ſed in majori copia; retenta enim materia ſymptomata auget; nec mirum in partu vitioſa fieri puerperia, ubi corpus malè ſe habuerit quoad humores; tales enim ſunt humores in puerperio, quales erant in præcedenti tempore, in hoc deteriores erant, quia

ſuppo-

ſupponitur mulierem malè corpore habere, conſequenter etiam in hoc tempore puerperii humores debent eſſe deteriores. Hæc omnia dicta eſſe de ſanguine nigro atrabilari, probant verba ſubſequentia *Hippoc. Patietur autem, & hæc omnia etiamſi menſes prodeant biliosi, verùm breviori tempore ægrotabit*; omnes enim morbi à bile citiùs terminantur ſive ad ſalutem, ſive mortem, & omnia ſuccedent, quæ eveniunt in puerperiis nigris, nempè vomitus bilioſus, purgatio per ventrem. Uteri exulceratio, quæ omnia connotant Hippoc. primò loqui de atrabile, à qua enarrata eveniunt ſymptomata, quæ poſſunt etiam effici, ſi menſes prodeant biliosi, ob magnam bilis, vel atræbilis redundantiam in maſſa ſanguinis, & cum iſtis ſymptomatibus, *ſi non moritur, ſterilis tamen evadit*, non ſolùm à ſanguine talis conditionis ova fœcunditatem non accipiunt, ſed etiam quia temperies, & Uteri fermentum præternaturaliter diſponitur: *Si verò nihil horum fiat*, hoc eſt non ſuccedant vomitus, nec purgationes per alvum materiæ bilioſæ, vel atrabilaris, *& Uteri purgamenta ceſſent, in triginta, & una die, ut plurimùm moritur*; hujuſmodi enim humore pravi in maſſa ſanguinea retenti ad corruptionem paulatim hanc diſponunt, vel alios morbos inducunt lethales. Curationem aggreditur purgantibus, vel per urinam, vel ſudorem moventia. De purgantibus videtur magna difficultas tempore puerperii, cùm motus naturalis humorum ad Uterum à purgatione interrumpatur, & alio avertatur, contra receptum axioma, motus naturales non eſſe interrumpendos, ſed adjuvandos, ſi opus ſit. In hoc tamen caſu, in quo imminet Uteri exulceratio, limitationem habet hoc axioma. Præterquamquòd adjuvandus eſt motus ſanguinis per Uterum, non humorum excrementitiorum, prout in caſu noſtro, & præcipuè ſi redundaverint. Via enim Uteri primario à natura determinata eſt pro minuenda quantitate ſanguinis redundante in Muliere extra tempus gravidationis, non pro purgatione excrementorum, quibus natura deſtinavit vias per alvum, per renes, & veſicam, & per ambitum corporis, quæ confirmantur ex eo, quod fluentibus excrementis per Uterum, huic fluxui occurrendum eſſe diverſione, & revulſione docet Medicina. Ab hoc Textu univerſale axioma valdè neceſſarium, & utile illuceſcit in morbis Uteri ab excrementis, purgationem *per alvum, per urinam, per ſudores* opportunam eſſe. Alvum lubricam ſemper deſiderat; ideò ſi ſit inobediens, *Elutione* iſtius utitur, *cum ſucco ptiſanæ, ovis, & decoctione malvæ*.

TEXT. XLIV. *Quibus in ventre habentibus circa ſeptimum, aut octavum menſem, &c.*

In hoc Textu dat ſigna mortui fœtus in Utero, & ſunt *mammarum, & ventris tumor depreſſus, ubera gracilia, & lac exſitcatum*, & omnia ſi in ſeptimo, & octavo menſe appareant, ſigna ſunt mortui fœtus in Utero, vel ejus valdè debilis. Uterus magnum conſenſum habet cum mammis, ut alio loco dictum fuit. Talis conſenſus fundatur in fermento uterino tempore gravidationis magis exaltato, quod ſua actione mammas afficiens, fermentationem in humoribus in glandulis iſtarum partium exiſtentibus inducit cum augmento caloris, ab hoc, & à fermentatione dilatantur, & expanduntur glandulæ, quæ factæ capaces ſecundùm ſua vaſa, & poroſitates majoris copiæ humoris ad eas fluere ſoliti, hanc copiam ſuſcipiunt, cum continuus ſit fluxus humoris ad eas per arterias, & dilatatis dictis glandulis cum ſuis vaſis aperitur ingreſſus chylo per ramificationem ductus Thoracici. Ab hac copia humoris glandulæ turgent, & imolentur lacte. Tumore mammarum depreſſo, & lacte deficiente, ſignum habemus reſolutæ virtutis fermenti uterini, cujus reſolutio uteri, & fetus infirmitatem, vel mortem connotat. Aliud ſignum abortus imminentis eſt fluxus menſium tempore geſtationis fœtus, cujus rationem ſuperiùs reddidimus.

TEXT. XLV. *Si Muliere in ventre habens pituitoſa fuerit, &c.*

In hoc Textu agit de Muliere pituitoſa, ideſt pituita redundante, cui menſes extra tempus gravidationis ſunt pituitoſi, & tales etiam apparent poſt partum. Quæ continentur in hoc Textu, dilucidantur à dictis in ſuperiori *num.* 43. ſolùm curatio conſideranda eſt. Tota curatio conſiſtit in purgatione pituitæ, quam primò molitur Hipp. *Lacte caprino cocto, cum melle mixto*: pro quo advertendum, Lac exhibendum eſſe in quantitate, ad hoc ut purget, ad quatuor, & quinque libras. *Si verò ſæpè non obediat*; ideſt ſi parùm purget, ad alia remedia, quæ pituitam purgent deſcendendum eſt; inter quæ recenſet Hipp. *medicamentum ex ſale compoſitum*, cui ſubſtituere poſſumus *Aquam Tetutii*. Diuretica, & diaphoretica remedia non admittit Hipp. in hac curatione, eò quia pituita, utpotè craſſa per anguſta renum, & ambitus corporis vaſa tranſire non poteſt; ideò huic alia non competit via, quam inteſtinorum. Signum curationis, & ſanitatis ait eſſe *inflationem corporis*, quia ab inflatione deducimus calorem, qui priùs oppreſſus erat à multitudine materiæ corroboratum eſſe, & incipere pugnam cum materia, & huic prævalere cum ſpe victoriæ. Liceat huic curationi addere pro præſervatione tollendam eſſe cauſam, à qua copia pituitæ generatur, & ut plurimùm eſt debilitas ventriculi in concoquendis alimentis, & inertia bilis in attenuando Chylo per inteſtinum duodenum tranſeunte, vel exuberans ſucci pancreatici aciditas, Chyli particulas incraſſans, & fixans; hæc omnia calida, aromatica, præcipuè acria, & volatilia debellant. Quod dico de pituita redundante in menſium fluxu, dicendum eſt de bile, de qua facta eſt mentio in ſuperiori *num.* 43. Pro præſervatione enim à fluxu valdè bilioſo corrigenda eſt cauſa generans bilem, poſtquam hæc purgata fuerit. Corrigunt autem omnia frigida, & acida. Hæc eſt cura, quæ competit menſibus bilioſis, & pituitoſis, de quibus egit Hippoc in principio hujus libri.

TEXT. XLVI. *Si verò Mulier in Utero habens lienoſa ſit, à relatis affectionibus, &c.*

Cùm in præcedenti Textu de menſibus pituitoſis egerit Hipp. in præſenti ait, ſi cum dictis menſibus conjungatur affectus lienis, & præcipuè tumor, & obſtructio hujus viſceris, menſes aquoſos fieri, & loturæ carnis ſimiles; tales enim affectus lienioſi, aquam multam in corpore, & maſſa ſanguinis congregant, qua ratione dicebat Hipp. *Lienem eſſe ſedem aquæ*. In liene fermentum adeſt volatilixans, & ſpiritualizans maſſam ſanguinis per illius ſubſtantiam circulantis, hac actione fermenti tota maſſa ſanguinis ad magnam tenuitatem reducitur, per quam excremeta dictæ maſſæ in Emunctoriis ſuis facilè ſeparantur, quibus ſeparatis actio ſanguinis efficacia acquirit, ablato impedimento, à quo ſanguinis actio infirmatur. Tale fermentum ab humore obſtruente, & tumorem pariente opprimitur ſublatis dictis omnibus beneficiis, & præcipuè debilitata actione ſanguinis, à qua chylus receptus cum vitio conficitur, & major pars iſtius in aquam degenerat, & accedente temporis curſu ferè totus in ſanguineum ſerum degenerat; unde non mirum, ſi menſes ſint aquoſi, nec coagulentur, cùm tota maſſa ſanguinis ſit talis conditionis, per quam coagulationem non admittit, ſerum enim coagulatur, imò à ſanguine coagulato non ſegregatur; *& ſi menſes ſupprimantur, convertuntur ad Ventrem*, & Hydrops inſurgit, *ad Crura* deſcendit ſerum, & intumeſcunt; *ad pectus* tendit, & fit difficultas reſpirandi, & Hydrops pulmonum. Reliqua in Textu contenta, ex dictis illuſtrantur. Adnotandum eſt, hæc omnia ſuccedere poſſe in antecedentibus dictis affectionibus, ſi lien dicto modo fuerit affectum, quòd videtur etiam animadvertiſſe Hipp. in principio textus in illis verbis, *lienoſa ſit à relatis affectionibus*, legit *Foeſius*, *ſub commemoratis affectionibus*.

TEXT. XLVII. Remedium proponit ad intumeſcentiam Prægnantis.

TEXT. XLVIII. Alterum remedium deſcribit pro bile *Prægnantem vexante*.

TEXT. XLIX. *Si ſuffocatio derepentè acidat Prægnanti, &c.*

De vera ſuffocatione uterina Prægnantis ſermonem habere Hipp. in hoc Textu; colligitur ab illis verbis Textus; *& reliqua patitur omnia, quæ relata ſunt; ſi Mulier non prægnans, ab Utero ſuffocetur*. Duas hujus ſuffocationis cauſas recenſet Hipp. dum ait: *fit autem hoc maximè, ubi Mulier laborarit, & cibum faſtidierit* (legit *Foeſius*, *& inedia confecta fuerit*) à quibus verbis colligitur laborem, & inediam eſſe cauſam ſuffocationis. Modum, quo ab his cauſis fit prædicta ſuffocatio, expli-

explicat Hipp. principio ſuo ſtabilito. nempè per aſcenſum Uteri ad hepar, quod cum ſuperiùs rejecerimus, explicandus talis modus juxtà Recentiorum principia ſuperiùs explicata. A labore incaleſcit maſſa ſanguinis, & corpus; ab inedia humores acres fiunt tam illi in vaſis corporis, quàm Uteri exiſtentes, à calore concepto agitantur humores in vaſis Uteri, qui ſi acrimoniam poſſederint, ab agitatione vapores acres elevantur, ab his plexus nervei meſſenterici vellicantur, roduntur, & ad motus ſpaſmodicos determinantur, cum ſuffocatione hyſterica. Inedia acrimoniam bilis, & ſucci pancreatici in inteſtinis auget, conſumpta per inediam parte humida, & balſamica dictorum humorum. Hi humores cum ſuis particulis, vel vaporibus dictos plexus petendo dictam affectionem pariunt. Reliqua in Textu ſunt clara per ſe, & ex dictis. Solùm adnotandum eſt curationem hujus ſuffocationis exequendam eſſe non ſolùm per hyſterica remedia ſuperiùs propoſita, ſed etiam per refrigerantia, & moderantia acrimoniam humorum, quæ cùm ſit ab inedia, non melius, quàm ab humido balſamico optimi alimenti moderationem ſuſcipit.

TEXT. L. *Si verò mulieri in ventre habenti, &c.*

Difficultatem Partus ex mala poſitione fœtus demonſtrat in hoc Textu Hipp. Huic difficultati remedium non eſt, niſi illud, quod manus Obſtetricis dare poteſt.

TEXT. LI. *Cùm Mulier in Ventre habuerit tota fit cum virore pallida, &c.*

Reddit cauſam in hoc Textu Hipp. aliquorum ſymptomatum, quæ contingunt in gravidis, & ſpectant ad colorem, habitum corporis, & virium robur, & dictorum rationes, & cauſæ ſunt ſatis claræ.

TEXT. LII. uſque *ad* LVII. ubi de Ulcere ſuperficiario, de quo *num.* 127. *lib. hujus, & num.* 56. *de Natura Mulier.*

Sunt Textus, qui continent remedia aliquarum affectionum Uteri in prægnantibus, & ſunt Textus valdè clari.

TEXT. LVIII. *Nunc verò dicam de Puerperii purgamentis, &c.*

A morbis gravidas affligentibus, tranſit Hippoc. ad morbos ſupervenientes partui, ratione puerperii, & primò incipit à ſuppreſſa evacuatione ſanguinis poſt partum, ubi *Uterus fit durus*, & alia ſequuntur ſymptomata deſcripta; ſanguis enim retentus omnia iſta producit, & etiam *Febres acutas*, ratione, & modo aliàs explicato. Curationem incipit à Balneo ad mitigationem doloris, ſi Febris non adſit, & etiam quia à Balnei calore attenuantur humores, motus à calore etiam illis major imprimitur; attenuatio, & motus diſponit ſanguinem retentum ad exitum; ab humido balnei vaſa dilatantur, & ab iſtis omnibus retento ſanguini paratur exitus. Febre acùta affligente intermittit balneum, à cujus calore febrilis efferveſcentia ſanguinis valdè aucta majus augmentum ſuſcipiet. *Caput oleo anethino fovet*. Cauſa non patet, dum nullum capitis ſymptoma in hoc Textu commemorat; unde aliquod ſuperveniens timet, ut ſolitum eſt affecto Utero, cui maximè conſentit caput, & menſes retenti, & purgamenta puerperii deficientia capiti noxam inferre ſolent; ideò ad prævenienda capitis ſymptomata in hujuſmodi caſu oleo anethino utitur, quo Archeum ſedari in doloribus protulit *Hoffmanus in Clavi Schroderiana, & Schroderus* Anetho tribuit vim ſoporoſam, & ſedativam dolorum capitis. In hoc monet nos Hippoc. laborante aliqua parte ſpecialem conſenſum cum alia conſervante, hanc remediis præmuniendam eſſe, ut imminentes ictus præcaveantur. *Inſeſſus* etiam doloris ventris, & lumborum mitigativos imperat, & præceptum relinquit, poſt fomenta alicui parti adhibita, hanc oleo illinire. Oleum fit ſpecificum ægritudini partis, vel contrarium cauſæ, per quam pars ægrotat. Ratio hujus moniti eſt, quia per oleum fomenti virtus in parte conſervatur, & à fomento olei virtuti via ad oppugnandam cauſam morbificam dilatatur, & diſſipatæ virtuti fomenti ſubſtituitur illa inunctionis. Si Febris adſit, balnea rejicit. *Fomenta, & tepefactoria* ſuſtituit, quæ dolorem ventris, Uteri, & lumborum ſedent. Per os exhibet *Pharmaca Uterina*, ideſt remedia, quæ puerperia, & menſes movent. Remedia hoc præſtantia recenſet *Hipp. in lib. de Natura Mulieb. num.* 29. *& lib. de Morb. Mul.* & aliqua habet in hoc *Textu*, inter quæ *ova Sepiæ*, quæ mirabiliter movent menſes, & puerperia, & Hippoc. in frequenti uſu erant.

TEXT. LIX. *Si verò Mulieri cum Puero in partu non prodierit humor, &c.*

Acturus Hipp. in ſequentibus Textibus de morbis à vitiato puerperio pendentibus, in hoc Textu incipit à vitio eorum humorum, qui ſolent exire ab Utero ante partum, & in ipſo partu; ante partum exit aqua, in partu exit ſanguis, & ſupponit ante partum, & in partu Mulierem dolore capitis affici à cauſa externa, nempè à calore caput valdè calefaciente cum concurſu ad hoc humorum, qui in membranis Cerebri collecti, & fixi, vel extravaſati triſtem in eo faciant ſenſationem, vel qualitate prava, vel magna quantitate. Vexante hoc dolore, ſi ſerum, vel aqua, quæ ante partum, & ſanguis, qui in partu excernitur in parva quantitate exeant, vel affatim ſupprimantur, timendum eſt, ne à dolore capitis ſurſum rapiatur exituri humoris quantitas, cum maximo periculo ſævioris morbi; & quia ſolet humor collectus in capite ad inteſtina, vel ad Uterum deſcendere, quæ ſunt conſideranda in hoc caſu proponit Hippoc. & reſpiciunt curationem hujus ſymptomatis. *Si hic humor in capite* collectus *ad inteſtina deſcenderit, Fluxum alvi parit* poſt partum, cui ſtatim occurrendum eſſe monet Hippoc. ut in ſuperioribus. *Si verò ad Uterum melius ſe habebit*, fluentibus puerperiis, & melius ſe habebit ceſſante dolore capitis, & turbatione Uteri. *Si verò plus moderato* puerperium fluxerit, ſuccurrendum revulſoriis, & fluxum, & impetum ſanguinis moderantibus. *Si verò* ante partum dictus humor *ad ventrem* ſeu potiùs ad Uterum deſcenderit, *faciliorem reddet Partum*, quia ſuo impetu conatui fœtus exitum quærentis vires adjunget, & ſua humiditate vias laxando, & lubricando, viam ad exitum cum facilitate præparabit. *Si verò purgatio modica Mulieri prodierit, dolor fortis corripit lumbos*, ſunt verba Hipp. quibus deſignat diminutionem puerperii, non ex raptu humoris ad caput, ſed ab impedimento in Utero exiſtente, vel quia ſanguis fit craſſus, vel per aperta orificia à partu, & exitu ſecundinæ fluere non poſſit, vel quia ſanguis ob inclinationem vitioſam ad coagulationem in orificiis apertorum vaſorum coaguletur, eſcheram velut in eis efformando, à qua fluxus ſanguinis impeditur, vel quia acetabula, ſeu orificia vaſorum, quibus nectitur ſecundina, cum Utero tempore partus imminentis occluſa fuerint vel ab humore craſſo, vel à ſanguine, quaſi in carunculam abeunte, quæ evulſa placenta, ſeu ſecundina à dictis acetabulis, ſi adhuc remaneat, & totum orificium vaſis occupaverit, ſuppreſſio evenit puerperii. Puerperium enim ſequitur ex hoc, quòd vaſa ſanguiflua Uteri, quæ ſecondinæ anectuntur, in iſtius exitu aperta manent ſecundùm ſua orificia, per quæ ſanguis in vaſis turgidis, ob iſtius copiam collectam, & ſanguis in Uteri poroſitatibus paulatim percolat, cum detumeſcentia vaſorum, & cum detumeſcentia ſubſtantiæ Uteri. A retento puerperio, & ad varias partes refluente, deſcripta in Textu ſymptomata ſuccedunt.

TEXT. LX. *Cùm Mulieri Puerperæ purgatio facilè non procedit, &c.*

De Puerperio liberè non prodeunte Hippocr. in hoc Textu ſermonem habet, cujus cauſam ait eſſe quaſi *inflammationem* (legit *Foeſius*, *exeſtuationem*) vel occluſio oris Uteri, vel iſtius contorſionem, ſeu dislocationem, quæ ſolet contingere fœtu egreſſo, & multoties eſt cauſa ſterilitatis; facilis enim eſt in conatu partus Uteri dimotio à ſuo ſitu, dimoto orificio Uteri, & impingente ad latera in corpus ſolidum obturatur, ſicut obturatur ab æſtuatione; quam concurſus ſanguinis ad os Uteri parit, à copia ſanguinis tumor, ab hoc occluſio, obturatur etiam ab humore craſſo dictum orificium implente. Hìc adnoto, per ſtomachum Uteri intelligere Hipp. orificium Uteri. Totus Textus clarus fit ex dictis de retentione menſium. Solùm adnoto, ſi purgatio puerperii non appareat, deſcripta in Textu ſymptomata excitari, prout materia retenta in Utero fermenteſcit, & prout maſſam ſanguineam fermentare facit, & fermentatione maſſam ſanguinis turbat, unde laſſitudo ulceroſa in toto corpore, *dolor ſtomaci, & lumborum*, dum à dicta turbatione particulæ ſanguinis ſalſæ exaltantur, quæ partes pun-

pungendo dolorem pariunt. Curationem deſignat in illis verbis ; *Si verò purgatio ipſi eruperit curata ſaneſcit*. Medicamenta ergo, quæ Puerperia, & menſes movent tam interna, quàm externa, alibi enarrata exhibenda ſunt. Hìc animadvertere licet, an purgantia conveniant, cùm à Textu habeamus, *ſi eruperit videtur ſibi melius habere, & curata ſana fit*, juvat fluxus alvi à natura excitatus; ergo videtur à Medico Naturæ miniſtro alvum movendam in hoc caſu, & eò magis licebit, cùm à Textu habeamus: *Si alvus non turbetur, neque purgatio puerperii ſponte procedat, periclitabitur*, & alia evenient mala enumerata in Textu, quæ ut declinentur videtur neceſſaria purgatio.

TEXT. LXI. *Fiunt autem & Ulcera in Uteris,&c.* Hujus Ulceris cauſam ſtatuit Hippoc. eſſe Puerperii purgamenta putrefacta, putredinem concipiunt, quando retinentur. Per putredinem acrimoniam contrahunt, quæ corrodendo, ulcus aperit. Signa Ulceris ſunt deſcripta in Textu. Maximam curam hujus Ulceris, *ne putredinoſum fiat*, habendam eſſe inſinuat Hipp. *cùm periculum ſit, ne Mulier moriatur*, ob ſymptomatum varietatem, & ſævitiem ab ulcere pullulantium, quæ Hipp. enumerat, & finem, ſeu exitum hujus ulceris appellat. Curatio à Chirurgis petenda.

TEXT. LXII. *Si verò purgatio Puerperii primis tribus, aut quatuor diebus proceſſerit, &c.*

De Puerperii purgamento per tres, vel quatuor dies emanante, & poſtea ſuppreſſo agit in hoc Textu Hippocr. Cauſam non manifeſtat, refundenda tamen eſt in unam ex dictis de totali ſuppreſſione, vel in clauſuram orificiorum vaſorum, factam propria virtute, eo modo quo poſt immoderatum fluxum ſanguinis orificia vaſorum ſine ullo remedii uſu propria virtute reſtringuntur, & clauduntur. In hoc caſu omnia patitur Mulier, quæ dicta ſunt de totali ſuppreſſione, ſed cum minori vehementia ; *& ſi tranſmutetur morbus* ; ideſt ex hac ſuppreſſione alii morbi emergant, iidem emergent, qui enumerati ſunt *num.* 60. cum hac tamen differentia, quòd *diuturni magis erunt, ſed leviores*. Pars enim ſanguinis magis activa, & valdè mobilis, ſpiritoſa, & volatilis in primis diebus effluxit, quapropter remanet ſolùm craſſa portio, quæ diuturniorem poteſt facere morbum, cùm difficilioris ſit reſolutionis, leviorem verò, deficiente parte illa valdè activa, quæ ſanguinem ad orgaſmum, & tumultus, & ad magnas, & inordinatas effervescentias incitat, à quibus morbi acuti, periculi pleni, & breves proficiſcuntur. Curandus morbus Puerperii motione, prout dictum eſt ſuperiùs, & in iſtius eruptione totam ſpem ſalutis reponit Hipp. Huic caſui videndum, an ſit applicabilis doctrina ibidem dicta.

TEXT. LXIII. *Si verò ex partu non fuerit purgata, &c.*

Varios morbos, & ſymptomata à retento puerperii purgamento prodeuntia recenſet in hoc Textu Hipp. Prodeunt autem, prout humor retentus modò in unam, modò in alteram partem decumbit, & prout totam maſſam ſanguinis depravat, & ad febrilem fermentationem deducit, & hæc eſt cauſa febris, cui conjungitur *refrigeratio totius*, quia ſanguis in deſcriptis partibus ſtagnans non permittit tranſitum, & circulationem alterius portionis ſanguinis ad partes exteriores in ea copia, quæ ſatis ſit ad eas calefaciendas, & deficiente calore, frigiditas in dictis partibus fit ſenſibilis: *Pulſus ſunt debiles*, quia ſpiritus in ſanguine exiſtentes à copia ſanguinis retenti oppreſſi, pauci remanent, & in operatione inertes, & ab iſtis ſpiritus animales tales evadunt, quapropter motus cordis debilis, & debili etiam pulſus ab eo ſequens ; cum pauco ſpiritu ſanguinis, parvus etiam ſuccedat impetus, quo in exitu à corde arteriam attollit, & cùm elevatio iſtius debilior fiat, debilis etiam eſt Pulſus. *Quandoque verò fit acutus*, ideſt celer, apud Medicos enim verbum *acutus* dicitur de eis, quæ celerem motum habent vel ad ſalutem, vel ad mortem. *Aliàs attollitur* pulſus, *aliàs deficit*, ob inæqualitatem ſanguinis per cor excurrentis, & ejecti; portio enim optima ſanguinis, & ſpiritu plena, poſtquam præparata fuerit in ventriculo cordis ſiniſtro, impetum ob ſpirituum copiam acquirit, quo arteriam magnam in exitu multùm attollit, & tunc fit pulſus elatus. Fit deficiens, quando portio materiæ cum pauco ſpiritu in corde rareſcit, & cùm parvo impetu in arteriam extruditur, qui cùm minor fuerit, ſemper magis deficiens erit Pulſus. Subjungit *Hippoc. Temporis progreſſu cavæ partes faciei rubeſcunt*, ideſt genæ rubeſcunt, quod quandoque contingit vel à ſanguine in capite tardè circulante, vel in eodem nimis effervescente, prout contingere poteſt in propoſito caſu à vaporibus ab affectis partibus, & à ſtagnante ſanguine ſurſum elatis, & ſua mixtione effervescentiam ſanguinis ibi collecti inordinatam promoventibus. His ita ſe habentibus, curationem aggreditur à Diœta, *& leves cibos* exhibet, non potiones, non ſorbitiones, ſed ſolidos cibos, leves tamen, & videtur reſpicere ad imminentem diſſolutionem ſanguinis, quam avertere intendit craſſiori ſucco alimentorum, à quo ſanguis craſſior generetur, diſſolutioni magis reſiſtens, & quia in hoc morbo virium debilitatem ab oppreſſione agnoſcit, ideò leves cibos, qui ſint facilis concoctionis proponit. Poſt Diœtam proponit purgationem, & utitur verbo, *ſi turgeat*, ſupponendo in hoc affectu eſſe copiam humorum excrementitiorum, de quibus propriè turgentia prædicatur, qui motu irrequieto agitati, hùc illùc feruntur, nec ullibi ſedem figunt ; poſſunt nihilominus in aliqua parte etiam nobili, quietem invenire. Hinc duæ difficultates non parvi momenti emergunt. Prima eſt, quomodo poſſit dici eſſe redundantia excrementorum, ſi ſanguis eſt qui retinetur. Secunda eſt, quomodo poſſint dici humores turgere, & irrequieto motu agitari, ſi ſtagnant. Ad primam fateor ſanguinem retineri in Utero, ſed qui diſpoſitionem habet ad mutationem in excrementa, eò quia ſanguis, qui retinetur in Utero tempore gravidationis, & quo iſtius vaſa, & ſubſtantia Uteri, uti dictum eſt, turgent, eſt imperfectus, eſt fœx ſanguinis, & cum excrementis alienæ naturæ mixtus, perfecto, & puro in nutritionem fœtus, dirigente natura conſumpto. Imperfectionem auget mora iſtius ſanguinis in Utero, & magis augetur à mora poſt partum, per quam vel nimis incaleſcit, vel aceſcit, vel acrimoniam ſalſam, & amaram, vel atrabilarem contrahit, vel à propriis fuliginibus in ſui ſubſtantiam reflexis, quia exitus iſtis impeditus, talis inducitur fermentatio, à qua ſitus, ordo, connexio particularum componentium mutatur ; introducto ſitu, ordine, connexione particularum propria humoris excrementitii, cum his pravis conditionibus ſanguis puerperii retentus in excrementum degenerat, & ejus actio præternaturalis efficaciam in agendo acquirit, quia fundatur in exceſſu qualitatum: hac actione efficaci, & prava circulans in proximis vaſis, ſanguis pravis, & malignis vaporibus alteratur, coinquinatur, & in excrementa, mutato ordine, ſitu, & connexione particularum, commutatur, vel excrementa in ſanguine exiſtentia ſub jugo, & dominio bonorum poſita, ideòque innoxia diſgregatione à dicta actione perfecta, ſui juris facta, à dicto dominio ſubtracta, & ſupra potentiam bonorum evecta, quantitatem excrementorum in maſſa ſanguinea augent ; qua de cauſa excrementa in ſanguine redundant, & evidenter à Textu colligitur hujuſmodi redundantia, dum in hoc *Ventris*, *ſplenis*, *crurum intumeſcentia*, *Febris*, *rigor* deſcribitur, quæ omnia ſupponunt redundantiam humorum excrementitiorum. Ad ſecundam difficultatem, ex dictis patet reſponſio ; nam humores per vaſa circulantes dicto modo diſgregati non poſſunt dici ſtagnantes, imò turgentiam acquirere poſſunt. ſi valida fermetatio turgentiæ æquivalens in maſſa ſanguinis ab eis inducatur, ſtagnare dicuntur, quæ tumores dictarum partium efficiunt. Ab his manifeſta fit ratio, per quam in ſuppreſſo puerperii purgamento purgatione utitur ; reſpicit enim excrementa in toto redundantia, & à ſanguine diſgregata, vel generata, quibus verè non competit, niſi purgatio, quæ non eſt exercenda, niſi in magna redundantia excrementorum non ſolùm in partu collectorum, ſed etiam à temperamento naturali pravo congregata, ideò ſubjungit *Hipp. ſi bilioſa fuerit, quæ bilem purgant, ſi pituitoſa, quæ pituitam educunt, exhibenda*. Purgatione peracta, Uteri purgationem aggreditur medicamentis illi appoſitis, & in Textu deſcriptis, qua ſanguinem in vaſis Uteri contentum educere contendit, & colligimus, Hippoc. in ſuppreſſione puerperii non reſpuere ſanguinis eductionem, ſed hanc admittere ab Utero immediatè, non per venæ ſectionem,

& re

& re rectè penſata; hoc Hipp. præceptum eſt magis rationi conſentaneum, & majoris utilitatis, quàm ſectio venæ in parte externa. Varia proponit in hoc Textu Uterum purgantia. Alia vide *in hoc lib. n.* 105. Riliquum curationis clarum eſt *in Textu*. Solùm addo, pro *Netopon* intelligere *Unguentum odoratum*; hujus compoſitionem vide apud *Aetium Tetrab.* 4. *ſerm.* 4. *cap.* 113. *& cap.* 122.

TEXT. LXIV. *Si verò paulò pauciora, quam oportet, &c.*

De Puerperii purgamento, non ſuppreſſo ex toto, ſed diminuto ob anguſtiam, vel diſtorſionem oris Uteri, vel ob inflammatam aliquam pudendi partem, ſeu tumefactam, verba habet in hoc Textu Hipp. Poſſe à dictis cauſis impediri perfectam purgationem Puerperii, manifeſtum eſt, nam ſi dictæ cauſæ poſſunt totalem ſuppreſſionem, ut ſuperiùs demonſtratum eſt, poſſunt etiam partialem facere; impedita perfecta, & totali purgatione puerperii, qui relinquitur in vaſis ſanguis, per venas retrocedere poſſe ad vaſa ſuperiora, non eſt dubitandum; in quo caſu vaſa plenitudine moleſta afficiuntur, quam ſuperare contendunt depoſitione humoris fluidioris, & tenuioris, utpotè facilioris diſgregationis in aliquam partem; *& ſi evenerit in articulis manuum, & crurum, in ſpina, & in muſculis colli, & lumborum* eſſe diſpoſitionem ad ſegregatum humorem recipiendum, & retinendum, in iſtas partes decumbit, *doloreque has cruciat, & quandoque etiam ad motum impotentes reddit, & ſi non curetur Mulier, clauda fit*. Hic humor retentus fermentationem in maſſa ſanguinea inducens inordinatam, febrem accendit, in ventriculum delatus dolorem, & vomitum excitat. Curationem non proponit Hipp. ſed ab expoſitis cauſis manifeſta fit, os Uteri anguſtum dilatandum, diſtortum ad proprium ſitum reducendum, tumor reſolvendus, & de his omnibus remedia propoſuit alibi.

TEXT. LXV. *Si quidem ulcerati fuerint Uteri, &c.*

A Puerperio diminuto quandoque ulcus fieri in Utero, determinat Hipp. in hoc Textu; facile enim eſt tale purgamentum à retentione acrimoniam contrahere, & hac exulcerare. Cautiones in curatione obſervandas, & rationes cautionum proponit Hipp.

TEXT. LXVI. *Si verò Uteri anguſti oris ipſis fuerint, &c.*

Alia ſymptomata, quæ retentio puerperii ob anguſtiam orificii Uteri producit, recenſet Hipp. in hoc Textu, & primò ait *inflammari Uterum*; retentus enim ſanguis vel in extremitatibus capillarium, vel in poroſitatibus ſubſtantiæ Uteri, putredinem concipiendo, inflammationem parit, quæ *ſi non curetur citò, afflictionem* ſemper *auget cum periculo*. Hujus inflammationis ſignum eſt *pravus odor materiæ ſtillantis ab Utero, & tumor, exitus*, ideſt tumor pudendi, vel extremæ partis Uteri, quæ dicitur exitus, eò quia exitum præbet materiæ ab Utero advenienti. Secundò, *ſi inflammatio non ſuccedit, exeunt*, poſt aliquod tempus, *purgamenta puerperii ſponte, ſed ſub forma materiæ graveolentis, lividæ, aut nigræ, & grummoſæ*, quæ ſunt ſigna putrefactis ſanguinis ad exitum deſtinati, & hæc materia dicitur ab Hipp. *malum*, ideſt morbus, & ſumitur morbus pro cauſa. Tertiò, *quandoque non exeunt Uteri purgamenta*, neque inflammatur Uterus, ſed retinentur, *& in hoc caſu mortis periculum imminet Mulieri*, ut colligitur ex verbis Hipp. *niſi citò vena ſecetur, aut venter emolliatur*. Inquirendum hic eſt motivum, quo perſuaſus fuerit Hipp. in hoc caſu ſuppreſſionis puerperii venam ſecare, cum in aliis ſuperioribus ſuppreſſionibus, & etiam in aliis caſibus, in quibus ſanguis in Utero retinebatur, excepto caſu ſuppreſſionis menſium in Virginibus, deſcripto in *lib. de Virginibus*, molitus fuerit eductionem ſanguinis ab Utero peſſariis, ſuffumigiis, & aliis extrinſecis; in hoc verò caſu, in quo ſanguinem puerperii in Utero contineri, certum eſt, eiſdem extrinſecis prætermiſſis, venæ ſectionem exerceat. Motivum eſt rationabilis ſuſpicio recurſus ſanguinis ad ſuperiora, & ad partes ſpiritales cum iiſdem ſymptomatibus deſcriptis *in lib. de Virginibus*, & ſicuti ibi pro curatione uſus eſt ſectione venæ, ita in hoc caſu neceſſariam eſſe cenſuit, ſuſpicionem talis recurſus, eſt rationabilis, quia retentio puerperii non facit inflammationem, nihil ſtillat ab Utero graveolens, nullum ſymptoma obſervatur in regione Uteri, prout obſervatum fuit in aliis ſuppreſſionibus puerperii, & ſi ſanguis puerperii in Utero collectus remaneret, unum ſaltem ex his eſſet conſpicuum: cùm verò nullum fiat conſpicuum, prout apparet ex Textu, concludendum eſt ſanguinem puerperii in Utero non ſtagnare, ſed ad alias partes, & præcipuè ſuperiores curſum atripuiſſe, quod eſt motivum ſufficiens pro deliberanda ſectione venæ ad hoc, ut ſanguis à partibus ſuperioribus revellatur & ſi venæ ſectio ratione revulſionis eſt exercenda, utique apparet locum venæ ſectionis eligendum eſſe in partibus inferioribus; Medici ergo munus ſit diligenti ſpeculatione perpendere, an ſanguis retentus in Utero remanſerit, an ad ſuperiores partes curſum ſuſceperit. Purgationem etiam proponit in hoc caſu, non ratione cacochimiæ exiſtentis, à qua motus fuit Hipp. in præcedentibus caſibus in ſuppreſſione puerperii, & menſium ad imperandam purgationem; nam de Cacochimia hic nullam facit mentionem, nec de purgante bilem, vel pituitam, ut aliis in locis ſuperioribus, ſed genericè ait, *aut ventrem emolliat*; Nam per purgationem etiam ab emollienti medicamento motus ad inferiora humoribus imprimitur, & ad talem motum determinatur etiam ſanguis, curſum arripiens ad ſuperiora; qua ratione, *præſtat etiam Clyſterem adhibere. Si verò ad vomitum facilis fuerit, etiam vomitum inducere* non reprobatur. Facilitatem ad vomitum requirit Hipp. quæ ſupponit nullum, vel parvum conatum in actu vomitus, & conſequenter nulla, vel parva attractio ſanguinis ad partes ſuperiores, cùm in magnis conatibus copioſus ſit fluxus ad eas. Per vomitum, certum eſt educi humores in vaſis exiſtentes, itaut purgatio totius ſuccedat, ex Hipp. multis in locis, & humores educi magis à vaſis ſuperioribus, quàm ab inferioribus certum eſt; cum ventriculus ab arteriis ſuperioribus ſanguinem recipiat, ſi vomitus fuerit copioſus, copioſa etiam erit eductio humoris à dictis vaſis. Ab hac copioſa eductione deplentur, & quaſi exinaniuntur vaſa, relinquendo ſpatium amplum recurrenti ſanguini, per quod liberè moveri poſſit ſine plenitudine vaſorum, ſine perturbatione, & agitatione ſanguinis in eis exiſtentis, & in hoc fundatur ratio eorum, qui cenſent loco miſſioni ſanguinis in Plethora ſubſtitui poſſe purgationem; quapropter nulla contingunt ſymptomata, quæ eveniunt, ubi ſanguis recurrens vaſa ad turgentiam impleverit, & ſuo impetu agitaverit, & perturbaverit ſanguinem præexiſtentem, ex quo eveniunt ſymptomata deſcripta *in citat. lib. de Virginibus*. At licèt à vomitu hoc beneficium haberi poſſit, tutior tamen eſt venæ ſectio. Inter remedia huic ſuppreſſioni puerperii convenientia, meliora, & efficaciora cenſet *diuretica, & diaphoretica*. Primò, quia per copioſam urinam, & ſudorem univerſalis plenitudo vaſorum demitur, & recurſus ſanguinis ad ſuperiora eſt periculoſus, quia vaſa dictarum partium ad turgentiam implet, & cùm per evacuationem ſudoris, & urinæ copioſam, iſta plenitudo prohibeatur, omne periculum etiam tollitur. Secundò non ſimplex plenitudo ſanguinis in vaſis ſuperioribus periculum minatur, ſed plenitudo ſanguinis cum copia particularum activarum, & valdè mobilium, à quibus copia ſanguinis impetum, & ferociam acipit. Cùm verò per urinam copioſam ſalia volatilia, quæ ſunt valdè activa, in copia excernantur, & per ſudorem copioſæ exhalationes valdè activæ evacuentur, & copioſi ſpiritus valdè energetici, & validum impetum facientes diſſipentur, maſſa ſanguinis ab iſtis deſtituta, impetum, & ferociam, & turgentiam amittit, & viribus deſtituta, quieta, & otioſa manet, nihil moliendo contra commodum animalis. Tertiò à diureticis, & diaphoreticis non ſolùm ſanguis attenuatur, ſed impedimenta ejus fluxum per Uterum interdicentia auferuntur, quapropter ſanguis tenuis ſine impedimento vias à natura paratas ingreditur per Uterum exeundo. Notandum eſt Hipp. ſubjungere, *Verùm in his occaſio optima eſt, cùm opus his fuerit*; legit *Foeſius, atque horum, cùm res poſtularit, occaſio optima eſt*. Per hæc verba monet Hipp. attendendam eſſe occaſionem in uſu remedii diaphoretici, vel diuretici. Occaſio eſt, quando Medicus obſervaverit inclinationem naturæ ad urinæ, vel ſudoris evacuationem, vel naturalem inclinationem Patientis ad has evacuationes.

TEXT. LXVII. *Si verò ex partu purgata Mulier fuerit paulò plura, quàm oporteat, &c.*

Copioſum Puerperii fluxum deſcribit Hipp. in hoc Textu, & duas proponit cauſas, una *dilatatio* vaſorum, altera *ruptio* eorumdem, ut ex Textu colligitur, qui clarus eſt; ſolùm adnoto, in copioſo fluxu ſanguinis non concoqui ea, quæ aſſumuntur alimenta, quia à fluxu prædicto calor, & fermentum ventriculi debilitatur. *Quibuſdam in hoc affectu alvus, & veſica erumpit*, ideſt fluxus alvi, & copia urinæ ſupervenit, dum in depravata alimentorum digeſtione excrementa craſſa, & aquoſa congregantur, illa per alvum, hæc per urinam excernuntur, & ab iſtis per membranam carnoſam fluentibus fit horror. Curationem præterit, quia eſt eadem cum tradita, & tradenda inferiùs de copioſo menſium fluxu.

TEXT. LXVIII. *Si verò Puerperæ aliqua pudendi pars obturata fuerit, &c.*

De obturatione orificii pudendi facta à coalitione labiorum ipſius, ob ulcus in iſtis excitatum, loqui Hipp. hoc in loco, ſatis clarè demonſtrant verba Textus. Cauſam coalitus labiorum refundit in purgationem, ſeu in ſanguinem puerperii, qui craſſeſcit in carnem flacidam, & ſpungoſam, per quam disjuncta orificii pudendi labia coaleſcunt. Altera cauſa demonſtratur in illis verbis, *ſed & frigus fit;* legit *Foeſius*, *fit autem refrigeratio*, *& ambo labia connivent*; & videtur inſinuare frigus externum ambientis eſſe cauſam ſupradictæ obſtructionis, ut experientia demonſtrat in puerperiis frigori ſe exponentibus, ſive hoc conſideretur tamquam abſolutum, ſive tamquam reſpectivum, facta comparatione caloris ambientis, qui ſit minoris activitatis cum calore interno, & ſanguinis, & pudendi, qui ſit magis intenſus, & eſſe cauſam coagulationis ſanguinis in ulcere ſuperficiario labiorum pudendi, & ab hujuſmodi coagulatione in flacidam carnem commutari cum obſtructione orificii, & etiam conſtrictionis, & adhæſionis labiorum, cùm frigus coagulet, & conſtipet. Curationem dirigendam eſſe more ulcerum in aliis partibus, monet Hipp.

TEXT. LXIX. *Si verò proceſſerit in Muliere puerperii purgatio ad caput, Thoracemque, ac Pulmonem, fit enim & hoc: moriuntur ſæpe ſtatim ſi detineatur, ac firmetur, &c.*

Quandoque puerperii purgamenta poſt partum non exeunt, ſed ſupprimuntur cum magno puerperæ detrimento, itaut ſtatim moriatur, eò quia ad partes principales vitæ ſervientes dictum purgamentum cum impetu, & copia fertur, principium effectivum, operativum in illis ſuffocat, & quia tale principium eſt vitæ neceſſarium, ideò hoc extincto, vita extinguitur. Ad hoc, ut ſuccedat talis raptus ſanguinis puerperii ad aliquam partem, neceſſe eſt, ut aperta vaſorum orificia in interna parte Uteri claudantur, & ſanguis in vaſis contentus per venas cum impetu, & raptu circulationis motum aggrediatur, & in aliqua parte quieſcat. Sic aliquando ad caput, Thoracem, & Pulmonem ferri docet Hipp. in hoc Textu. *Si Sanguis* ad dictas partes *feratur*, *& per os*, *vel nares probè*, ideſt totus, qui per puerperia purgari deberet, expurgetur, *ſana fit Mulier*; & ſi morbus à raptu puerperii ad dictas partes diuturnior evadat, eò quia ſanguis raptus pro magna parte per os, & nares non fuerit purgatus, Mulierem apprehendunt *omnia ſymptomata deſcripta in libr. de Virginibus*, *ob ſuppreſſionem menſium;* & ſicuti iſta tolluntur venæ ſectione, & purgatione ſanguinis per Uterum ablatis impedimentis, excretionem iſtius impedientibus, ita in hoc caſu opportuna videntur hæc remedia; tempore verò excretionis ſanguinis per os, nares, & alias partes ſuſpendenda omnis operatio medica, & chirurgica, quia talis fluxus pro critico eſt habendus, & ſi ceſſante fluxu, ceſſaverint omnia ſymptomata, ab omni remedio deſiſtendum, prout in criſi perfecta, ſi verò perdurent diminuta, remediis utendum, prout in criſi imperfecta. Duo hìc adnotanda veniunt. Primum eſt pulmones in hoc caſu purulentos fieri ex dicto Hipp. quia ſanguis ſtagnans in pulmone putreſcit, & in pus vertitur. Hac de cauſa non quieſcat Medicus à motione menſium cum ſpecificis, & etiam revellentibus ſanguinem à pulmonibus, donec non videat & tuſſim, & difficultatem reſpirandi, & alia ſymptomata pulmones affectos concomitantia, ſedata. Secundum eſt Mulierem Puerperam minùs lædi, quàm Virginem; hujus ratio eſt, in puerpera ſanguinem eſſe minori efficacia, & energia præditum, ob præcedentem alimoniam fœtui præſtitam per novem menſes, ob dolores, & labores partus, & ob magnam ſanguinis effuſionem in partu, à quibus ſpiritus ſanguinis valdè debilitantur ob diſſipationem iſtorum, & conſequenter etiam ſanguinis actio, efficacia, & energia, quibus debilitatis, morbi etiam à vitio ſanguinis provenientes ſunt mitiores, cum Chronici evadant, & quia in Virginibus actio, & energia ſanguinis eſt vegetior, cauſis prædictis deficientibus, ideò etiam morbi à ſuppreſſo ſanguine provenientes in iſtis ſunt deteriores. *Si verò puerperii purgatio ad ſuperiores partes rapta*, *per os*, *& nares non exierit*, *neceſſe eſt*, *ut in partibus ſuperioribus occultetur*, & præcipuè in pulmonibus, qui ſanguine prædicto implentur quoad capacitatem ſuorum vaſorum; *hinc Tuſſis*, irritatis bronchiis, & veſiculis tam à copia ſanguinis gravante, quàm à vaporibus acribus, à ſtagnante, & incaleſcente nimis ſanguine elevatis, ideò etiam tuſſis *ſicca eſt*, *& ſi aliquid per tuſſim rejicitur*, *eſt ſpumoſum*, quia materia illa ad bronchia pulmonum per arterias delata à calore ſtagnantis ſanguinis ebullit, & fervet, & in ſpumam attollitur: *temporis autem progreſſu ſputum ſubnigrum*, *& turbidum apparet;* dum enim ſanguis in pulmonibus ſtagnans corrumpitur pravas qualitates à corruptione profluentes humori in bronchiis Pulmonum exiſtenti communicat, à quibus ſubniger, & turbatus color. His conjungitur *lateris*, *& dorſi dolor*, ob affectionem Pleuræ ab affectis pulmonibus impreſſam, tam virtute caloris præternaturalis in pectore ſenſibilis magis, quàm in reliquo corpore, triſtem ſenſationem in dicta membrana inducentis, quam à vaporibus acribus, ab æſtuante, & putreſcente ſanguine illi impreſſis. Ab hoc calore, & putredine non mirum, *ſi febricitet Mulier*, *alimenta abominetur*, *& alvus ſit ſicca*.

TEXT. LXX. *Si verò purgatio ſurſum progreſſa*, *&c.*

Aliquando ſuppreſſa puerperii purgatio ſurſum rapta, *& per os non excreta ad faciem convertitur*, ideſt ad caput; & non ſolùm ad partes iſtius externas, *ruborem* in iſtis intenſum *inducendo*, & venas oculorum implendo ad talem turgentiam, ut ſanguis tenuis ab iſtis fluat, ſed etiam ad partes internas auditum minuendo, & delirium cum furore, & mentis alienationem efficiendo; ſanguinis enim copia æſtuans in vaſis Cerebri ſpiritus, & phantaſmata calore, & copia halituum perturbando, delirium provocat, ſerum excrementitium in copia cum ſucco nerveo in hoc caſu commiſcetur, & ſua redundantia nervos auditorios obſtruendo auditum minuit, & ſuis particulis ſalinis irritantibus convulſionem in nervis opticis inducendo, oculorum diſtorſionem parit cum ferocia obtutus, dum particulæ ſulphureæ ſanguinis accenſæ humoribus oculorum mixtæ, velet flammam ardentem in iſtis repræſentant. Ab hac plenitudine ſanguinis tam interna, quàm externa gravatur caput, & moveri non poteſt ſine dolore, cùm à motu agitata plenitudo partes ſentientes capitis magis aggravet, & vellicet. Cum capite conſentit Ventriculus, & Pulmo mediis nervis, quos hæ partes à Cerebro accipiunt, quapropter ea ſuperveniunt ſymptomata in ſuperiori Textu, affecto pulmone, deſcripta, excepta Tuſſi, & ſputo, & dorſi dolore, cùm dicta ſymptomata non à materia in bronchiis, & ſubſtantia pulmonum contenta procedant, ſed à ſucco nerveo acri reddito, & acrimonia ſpaſmodicos motus in nervis pulmonum inducente. Pari affectione læſis nervis ventriculi dolor hunc corripit. Quibuſdam ita affectis ſanguis è naribus manat, & ab hac emanatione diuturnior fit morbus, ſi ab hac non depleantur vaſa cum intera evacuatione ſanguinis ad caput rapti. Fluente enim ſolùm parte ſubtili, & craſſa ſanguinis remanente, ut diuturnior evadat morbus oportet. Si curetur, ſanitatem promittit Hipp. ſed cum timore de vita ægrotantis. Curationis modum non docet, ſed ab explicata cauſa deducitur, nempè ſanguinem à capite revellendum eſſe verſus ſuum principium, à quo diſceſſit, ideſt uterum; promovenda itaque ſunt puerperii purgamenta, & ſi opus erit, minuenda pleni-

tudo

tudo vaſorum capitis per ſectionem venæ in fronte, vel in Jugulo, vel in naribus cum hyrundinibus, & non obſtante curatione, ſurditas, aut cœcitas omninò ipſi accedit, ob fixationem, & condenſationem materiæ obſtruentis nervos opticos, vel auditorios.

TEXT. LXXI. *Si ex partu Fluxus corripiat, &c.*

Fluxum alvi poſt partum proponit Hipp. à quo materia puerperii minuitur, vel iſta retrocedens, & corrupta per alvum expurgatur cum ſuppreſſione puerperii. Curationem iſtius fluxus peragit cum *Uva paſſa, & acinis mali punici dulcis, cum caſeo caprino, & polenta mixtis.* Hæc mixtura continet alvum lubricantia, adſtringentia, ut acini mali punici, incraſſantia, ut caſeus caprinus, & polenta, & hæ ſunt indicationes in omni alvi fluxu obſervandæ. Duo hìc veniunt adnotanda; unum eſt, in fluxu alvi lenientibus ſolùm eſſe utendum, & præcipuè fluente puerperio; alterum, cum lenientibus miſcenda eſſe adſtringentia. Alia vide *n.* 112.

TEXT. LXXII. *Si ex partu ſanguinem vomat, hepatis fiſtula ſauciata eſt, & dolor ad viſcera procedit, & cor convellitur, &c.*

A puerperio retento vomitus ſanguinis aliquando ſuccedit, de quo agit *Hippocr. in hoc Textu*. Cauſam ita eſſe *fiſtulam hepatis*, ideſt venam portam *ſauciatam*: verùm ſitu hepatis, & venæ portæ conſiderato, non invenitur via, per quam ſanguis à rupta vena porta exiens poſſit per vomitum excerni; nam ſanguis exiens à dicta vena, vel extrà inteſtina colligitur, vel ſi in cavitatem inteſtinorum deſcendit, rupta ramificatione aliqua dictæ venæ per inteſtina repente facilior eſt exitus iſtius per ſeceſſum, quàm per vomitum; quapropter probabilius eſt ſanguinem puerperii ſuppreſſum plenitudinem in vaſis efficere, & acrimoniam contrahere, & hiſce duabus conditionibus orificia vaſorum in ventriculo cum impetu aperire, & per hæc rapido fluxu in cavitatem ventriculi erumpere, unde vomitus. Curationem ibi proponit, quæ conſiſtit primò in lavacro *cum aqua calida, & tepefactoriis*, ideſt fotibus humidis, quæ cùm deſtinata ſint ad tenuem revulſionem à partibus ſuperioribus, à quibus exit ſanguis, inferioribus partibus ſunt applicanda; ſecundò in *Lacte aſinino*, & poſtea *in Lacte Vaccæ nigræ*, quæ cùm ſit temperamenti melancholici, ejus Lac etiam ad humorem tardum in motu, & craſſum generandum erit aptum, & à tali nutrimento impetus ſanguinis obtunditur, & fluxus etiam ab impetu pendens curatur. In hoc præceptum habemus licere in fluxu puerperii per partem inſolitam alterantibus impetum ſanguinis, & moderantibus uti, ſi non adſtringentibus, & revellentibus etiam calidis, qualia ſunt fomenta. *Ad quadraginta dies* extendit uſum lactis *ſive alio cibo uſque ad veſperam*, ſeu ad cœnam, & hujus intentio reducitur ad minorandam maſſam ſanguinis pauco alimento, & ad eamdem debilitandam uſque ad impetus morboſi extinctionem, alimento non valdè ſpiritoſo, & facile reſolubili; ad hoc verò, ut poſſit ſuſtineri corpus uſque ad Cœnam, oportet Lac in quantitate exhibere manè, nempè ad duas, tres, & quatuor libras, prout conſuevit *Hippocr. Ad veſperam Seſamum*, ſeu iſtius ſemen tritum *bibendum* exhibet; incraſſat enim humores, & incraſſando motum illorum minuit, & cùm ſit emplaſticum rupturæ vaſorum, & eorumdem aperitioni medetur, conſequenter fluxus ſedatur. Nulla alia alimenta proponit Hippocr. & Medico reliquiſſe horum determinationem cenſeo, cùm ſolo Lacte manè accepto, & ſolo ſemine Seſami in ſerò non valeat ægra ſuſtineri cum virium robore; alia ergo exhibenda alimenta, ſed in quantitate moderata, & ſecundum qualitates, Seſami qualitatibus correſpondentia. Vide *num.* 113. *hujus lib.*

TEXT. LXXIII. *Si lac fuerit extinctum, &c.*

In hoc Textu remedia pro remittendo Lacte in mammis deficiente deſcribit Hippocr. quæ nulla indigent explicatione.

TEXT. LXXIV. *Cùm Mulier peperit, & à ſecunda liberata non fuerit, &c.*

Remedia pro expulſione ſecundinæ proponit ſatis claré *lib. de Nat. Mul. n.* 52. *&* 82.

TEXT. LXXV. *Si verò puerperii purgamenta, &c.*

De Puerperio *in grummos coacto* fluente ſermonem habet hoc in loco Hippocr. à quo non contemnenda imminent paricula; manifeſtum enim facit puerperium coagulatum acidum intenſum in maſſa ſanguinis redundare, vel in Utero dominari, à quo ſanguis coagulatur. Præter inclinationem, quam habet ſanguis extrà vaſa concreſcendi, hæc coagulatio ad talem ſtatum progredi poteſt, ut exitus ejus impediatur: commorando in Utero, putredinem concipit, non diſſimilem in effectu à venenis, ideò huic acido occurrendum cum diſcoagulantibus, à quibus perfectè mortificatur. Remediis ab Hippocr. propoſitis in Textu addo *Sperma Ceti, Myrrham, Mumiam, Flores Bellidis*, vel in pulvere, vel in decoctione, *Ariſtolochiam rotundam.*

TEXT. LXXVI. *Cùm ſecunda non ſtatim exierit poſt partum, &c.*

Iterum de ſecundina non exeunte agit Hippocr. & ſymptomata, quæ ab hac retenta excitantur, recenſet, & quomodo ruptis vaſis umbilicalibus, vel ab Obſtetrice inadvertenter ſectis, exitus ſecundinæ prohibeatur, explicat. Sectio vaſorum umbilicalium eſt una cauſa retentionis ſecundinæ: his enim leniter diſtractis ab Obſtetrice evellitur ab Utero ſecundina, iſtis ruptis auxilium ad eductionem ſecundinæ deficit, ideò retinetur. Aliæ ſunt cauſæ, nempè ſi ſit nimis craſſa, & tenax, lateribuſque Uteri ſtrictè adhæreat, vel ſi ob diuturnum partus laborem multum intumeſcat. Remedia pro iſtius expulſione proponit in *hoc libr. numer.* 106. *&* 108. 122. *& in libr. de Nat. Mul. numer.* 52. *&* 82. Iſtis addo *Decoctum Cherefolii, & Sempervivi majoris, vel pulverem ex iſtis ad* ℥. *ii. Teſtes equini præparati*, eo modo quo dixi de dolore colico, *ad* ℥. *i. cum aqua Liliorum Cœleſtium. Herbæ Traumaticæ*, ſeu *Vulnerariæ dictæ*. Et præcipuè *Sanicula, Vinca pervinca, Pyrola, Virga aurea, Alchimilla, Artemiſia. Vas*, ſeu chorda *umbilicalis cum Uraco in clibano exſicantur, & pulverizantur, ad* ℥. *ii. exhibentur, vel addito Cinamomo, & Pipere ad* ℥. *ß. & Croco* ℈. *ß. cum ſucco Sabinæ fiant throciſci, & exhibentur ad* ℥. *ii. cum decocto Ariſtolochiæ rotundæ, Sulphur vivum pulver.* ad fabæ magnitudinem in vino exhibitum. ſecundinam expellit. Hic pulvis laudatur:

℞. *Rad. Conſol. majoris* ℥. *i.*
Nucleor. Perſicor. } *a* ℈. *ii.*
Nucis moſcatæ }
Ambræ griſæ ℈. *ß.*

Doſis ℥. *i. vino*, ſi non adeſt febris, in jure, ſi adeſt.

TEXT. LXXVII. *Cùm in ventre habens fœtum corruperit menſtruum, &c.*

De ſecundina relicta poſt abortum fœtus unius, vel duorum menſium verba facit hìc Hipp. & duos proponit caſus; in uno agit de Muliere, quæ ſit *tenuis*, ideſt gracilis, & emaciata, in quo caſu ſupponendum eſt, ob debilitatem virium, ſecundinam expellere non poſſe, ideò purgandam eſſe determinat, ut humores excrementitii, à quibus maſſa ſanguinis depravatur cum prohibitione nutritionis foras expellantur, & ſanguis depuratus nutritioni ſerviat, & robur Utero debilitato addat; ideò ſubjungit, *poſt purgationem* oportere Mulierem *pinguefacere*; non enim priùs exeunt fœtus putrefacti, *niſi fortes fuerint Uteri, & probè compacti*; verùm cùm Mulier non poſſit pinguis fieri in ſeptem, vel octo diebus, quo temporis ſpatio ſecundina putrefacta exit, non video tale remedium cum fructu exerceri poſſe, niſi per *pinguefacere* intelligamus corroborare, ſpiritus deficientes in Muliere augere, languidos corroborare, eiſque torpidis impetum inſpirare; hujuſmodi enim auxilio refocillatus Uterus, modum ſecundinam ejiciendi invenit. Alter caſus eſt retentio ſecundinæ, & purgationis puerperii ob adſtrictionem orificii Uteri. Ab his duobus retentis ſymptomata deſcripta emergunt, quorum ratio à dictis ſuperius petenda, ſicut & curatio.

TEXT. LXXVIII. *Si ex partu Uterus ulceratus fuerit, &c.*

Curam ulcerati Uteri à conatu in partu, vel à fœtu cum impetu exeunte, vel alia de cauſa proponit hìc Hipp. & remedia pro curatione deſcribit, addendo etiam ea, quæ inflammationem ab ulcere excitatam tollunt.

TEXT. LXXIX. *Si ex partu Uteri fuerint inflammati, &c,*

Inflammatio Uteri à partu fit, quando ſanguis in aliqua parte Uteri ſtagnat, quieſcit, & partem, in qua ſtagnat, in tumorem attollit, ibi efferveſcit, & putreſcit. Ex quo patet cauſam inflammationis in Utero, ſicut & in omnibus partibus eſſe impedimentum interdicens ſanguini motum: Hoc impedimentum eſt in ſanguine, vel in parte; eſt in ſanguine, quando in ſe continet principium coagulationis; eſt in parte, quando viæ, per quas moveri debet ſanguis, vel pro circulatione, vel pro expulſione ſunt clauſæ. Stagnante ergo ſanguine in aliqua parte Uteri, ibi efferveſcente, & putreſcente, inflammatur Uterus. Hujus ſigna in Textu deſcribuntur. *Febris* eſt *levis*, quia inflammatio in parte à corde longinqua, & eſt in principio, nam aucta efferveſcentia, & fermentatione ſtagnantis ſanguinis, augetur Febris, ut notat Hipp. in Textu. *Caligo* in oculis *adeſt*, vel quia à vaporibus inflammatæ partis Uteri ſpiritus animales in nervis opticis obfuſcantur, vel quia ob conſenſum Uteri cum Cerebro mediis nervis, nervi optici etiam ſpirituum quantitatem non recipiunt, quam clara viſio requirit, ſed in parva quantitate irradiantur, à qua viſus caliginoſus proficiſcitur. *Numquam deficit calor in ventre*, quia ibi eſt ſedes inflammationis. *Venter intumeſcit*, ob efferveſcentiam, & fermentationem in parte inflammata, & in partibus vicinis. *Alvus turbatur*, dum ſanguinis portiones à calore febrili à vaporibus putridis inflammati ſanguinis, à purgamento puerperii retento corrumpuntur, & per alvum excernuntur. Talis corruptionis ſignum eſt fœtor excretorum. *Et ventris ſtomachus;* legit *Foeſius*, *ventriculi ſtomachus*; *non poteſt trahere cibos, ac potus, & concoquere nequit.* Stomachus ventriculi dicitur orificium ſuperiùs iſtius. Hoc non attrahit, ideſt non ſuſcipit cibos, & potus quando averſio eſt ægri ad cibum, ut in caſu noſtro, & quos recipit, non concoquit. Ab his verbis videtur poſſe deduci Hipp. ſentire, concoctionem eſſe munus orificii ventriculi, quam ſententiam libenter amplexuri eſſent, qui ſuſtinent, concoctionem in ventriculo perfici actione ſpiritus animalis; verùm cùm cibi, & potus non commorentur in orificio ventriculi, ſed in cavitate, non poteſt dici propriè ſtomachum ventriculi concoquere, & ſi Hipp. hoc dixit, reſpexit ad cauſam averſionis cibi, quæ ſuam ſedem habet in ipſo orificio, in quo eſt ſedes appetitus cibi, & potus, & quia ubi adeſt inappetentia, adeſt etiam mala ciborum concoctio; nam cauſa, quæ depravat, vel tollit appetitum, depravat etiam, vel tollit principium concoctionis alimentorum. Ab hac inflammatione aliquando ſtatim interire ægrotantem pronunciat Hipp. & ſubjungit, *Venter autem eſt in cauſa*; venter autem non poteſt eſſe cauſa tam præcipitis mortis, niſi eo modo quo eſt cauſa in doloribus colicis, in ſuffocatione hypochondriaca, & hyſterica, nempè ob affectionem nervorum in ventre, qui communionem habent cum nervis cardiacis, & pneumonicis, & diaphragmatis. Pro hac cauſa vide *Vvilliſium in ſua Nervologia*. Cauſæ aliorum ſymptomatum, à ſæpiùs repetitis dilucidantur. Curationem delineat Hipp. & tria ſolùm in hac diſcutienda propono. Duo ſunt ab Hipp. in Textu propoſita; *Venter ſiſtatur, & caput curetur.* Fluxus ventris eſt ſiſtendus, quia eſt ſymptomaticus, & ſolùm virium proſtrationi ſervit. Cùm eis, quæ fluxum ſiſtunt, admiſcenda ſunt, quæ putredini, & corruptioni reſiſtunt, & ſunt cordialia, aromatica; caput corroborandum, quia in hoc affectu multùm afficitur, ut patet in caligantibus oculis, & in dolore ſyncipitis, quam partem Utero maximè conſentire docet experientia; Corroborandum eſt cephalicis, ſpiritoſis, & præcipuè *oleo de Carabe, & iſtius ſale volatili*, vel *ſpiritu volatili ſanguinis humani*. Tertium eſt, an conveniat ſanguinis miſſio, quam ſuſtinere non poſſe ægrotantem, demonſtrat purgatio per alvum ſymptomatica, & præcedens virium languor à partu; quapropter, niſi vires ſint valdè robuſtæ, à ſanguinis miſſione deſiſtendum, & omnis opera, ad fluxum alvi cohibendum dirigenda. Cohibito verò fluxu, & viribus ſtantibus, miſſio ſanguinis poterit exerceri, ſi aderit indicatio, quæ, meo judicio, numquam adeſt, quando materia inflammationis incipit concoqui, & ſuppurari, cùm à ſanguinis miſſione concoctio impediatur. *Præcordiis verò, & Uterorum loco cataplaſmata adhibeto:* præcordiis epitemata, quæ ſpiritus vitales ſuſtineant; Uteri loco emplaſtra inflammationibus convenientia, primò refrigerantia, poſteà ſuppurantia. *Vide num.* 115. *hujus libr.* & 117.

TEXT. LXXX. *Cùm doluerit ſedem ano, & Utero, &c.*

Remedia, quæ ſatis manifeſta ſunt pro dolore diverſarum partium, ventris, Uteri, & ſedis in Muliere proponit Hippocr. quæ ſunt ſatis clara. Addo pro dolore Uteri à partu, *ſemina Dauci pulverizata ad* ℥. *i. in vino albo*, & etiam *pulverem ex Nuce muſcata, Aniſo, & Cinamomo, nuclei Dactylorum, & Perſicorum, cum Nuce moſcata, & Cinamomo pulverizato, & in vino exhibita. Jus Galli veteris exhibitum mox à partu per tres dies jejuno ſtomacho cum Cinamomo, & Croco, & uſus decocti Artemiſiæ cum Cinam.* pro potu, dolores Uteri à partu ſedat.

TEXT. LXXXI. *Si verò à partu Uteri doluerint, &c.*

Non de ſimplici dolore Uteri poteſt partum in hoc Textu agit Hippocr. cùm dolori adjuncta ſint *febris debilis*; *& calor in ventre ardens, cum tumore* ejuſdem *verſus coxendicem, & fluxus bilioſus*. Hujus doloris cauſam, & aliorum ſymptomatum eſſe ardentem Uteri calorem, colligere poſſumus ex Textu, cum frigefactoria ad accenſum calorem in Utero extinguendum applicet, & etiam extrinſecus cum hac cautela, *ne perhorreſcat*, ideſt uſquequò rigores à frigidorum applicatione ſuperveniant: hiſce verò ſupervenientibus, à frigidis deſiſtendum; rigor enim ſuperveniens ab uſu frigidorum, inflammationem initia capere demonſtrat; ex quo ſuſpicor hic Hippocr. non loqui de inflammatione Uteri, ſed ſolùm de intenſa intemperie calida Uteri, quæ poteſt eſſe cauſa inflammationis, & hujus intemperiei cauſa fuit labor in partu; ubi enim *Marinellus* legit, *ſi verò ex partu Uteri doluerint*, legit *Foeſius*, *ſi verò Uteri ex partu laboraverint*; in labore enim incaleſcunt partes laborem ſuſtinentes, & ſanguis in copia ad eas fluit, & earum textura aliquam læſionem patitur, quæ omnia poſſunt eſſe cauſa, & doloris, & caloris. Reliqua explicata manent à dictis, *num.* 79.

TEXT. LXXXII. *Si inflammati fuerint Puerperæ Uteri, &c.*

De altera inflammatione in Puerpera cum præcordiorum ſuffocatione, & ſine ſymptomatibus in aliis inflammationibus recenſitis agit Hippocr. in hac prima parte Text. & omnia clara fiunt à dictis ſuperiùs in explicatione aliarum inflammationum, & de ſuffocatione hyſterica. In altera parte Textus videtur agere de inflammatione Uteri in Puerpera ob frigus externum, ut colligitur ab illis verbis, *ubi condenſati fuerint à frigore; his ſiquidem perfrigerentur calefacere conducit, ſi verò inflammati fuerint, & frigus diſceſſerit*. A frigore ergo externo puerperii purgamenta intùs manent; proprium enim eſt frigoris coagulare, & condenſare; quapropter condenſatus, & coagulatus ſanguis puerperii, ad motum, & fluxum impotentiam acquirit, & ſtagnans ſanguis inflammationem parit modo ſuprà explicato, vel potiùs incaleſcentiam, cùm nulla fiat mentio de febre, quæ ſemper inflammationem ſequitur. Retento ſanguine puerperii, *occultè diſtenditur Uterus*, ideſt Uterus à retenta ſanguinis copia diſtenditur, eo modo quo reliquæ partes corporis ſanguine impletæ diſtenduntur: occultè tamen dicitur diſtendi, quando diſtenſio viſu non percipitur, tactui tamen manifeſta fit. Curationem hoc modo dirigit: ſi frigus, quod eſt ſenſibile, non ſolùm in externis partibus, ſed etiam in internis circa regionem Uteri perduret, *calefacienda Puerpera uſque ad frigoris ablationem; ſi verò frigus diſceſſerit, ſubdititium medicamentum inflammationi contrarium apponit*, & pharmaca exhibet, quæ in fine libri deſcribit. Aliqua in hoc Textu apponit, quæ ſunt clara.

TEXT. LXXXIII. *Si Uteri pituitâ fuerint impleti, &c.*

De

De albo fluxu ſermonem habet Hippocr. ut oſtendunt illa verba, *menſes procedunt pauciores albi, pituitoſi*, & illa, *præ humiditate cum viro commiſceri non vult, neque libidine ad hoc faciendum concitatur, & tenuis fit*. Omnia iſta ſunt propria, & ſpecificativa albi fluxus, cujus cauſa eſt pituita implens Uterum, ideſt pituita, & ſerum in copia fluens ad Uterum à toto, vel in Utero, vitio iſtius, congregata, vel per ſegregationem, vel per corruptionem boni ſanguinis operatam à vitio alicujus intemperiei Uteri, vel à vitio fermenti Utero impreſſi. Poteſt etiam contingere talis fluxus à lacunis Uteri à *Graaf* deſcriptis, quæ adeo ſint malè conformatæ, ut ſeroſi humoris copiam eis præternaturalem recipiant, quam cùm retinere non poſſint, paulatim emittunt, & præcipuè ſi ſeroſus, vel pituitoſus humor acrimonia fuerit infectus: hinc patet cauſa, per quam menſes ſunt albi, & pituitoſi, quia pituita, & ſerum eſt menſium materia; *quandoque etiam ſanguis, tenuis, & ſincerus, & pelliculis plenus exit*. Sanguis tenuis fit, ob admixtionem copiæ ſeri, pelliculæ, ideſt portiones pituitæ craſſæ illi miſcentur, pelliculas repræſentantes. *Quibuſdam etiam conturbatur ordo menſtrui fluxus; ideoque ter in menſe apparet*, hac potiſſima ratione, quòd ſanguis concurrens ad vaſa Uteri pro menſtruo fluxu, quando in tali parva quantitate colligitur, & ora vaſorum ſunt valdè laxa, iſta facilè aperit, & exit, non expectando integram, & plenam vaſorum repletionem, quæ menſis ſpatio perficitur. In hoc fluxu Mulier non ſentit ſtimulos Veneris, ideòque Viri commercium non amat, non ſolùm quia à continuo fluxu dictæ materiæ Uterus refrigeratus œſtro venereo inflammari non poteſt, ſed etiam quia cum dicto fluxu exit humiditas illa, quæ in coitu à Muliere excernitur, & quæ ſuis in receptaculis retenta, copia, & acrimonia venereum excitat appetitum; unde non mirum, ſi hac excreta uſque ad inanitionem ſuorum receptaculorum, venerei ſtimuli ſint inſenſibiles. Reliqua ſymptomata alio in loco ſuperiùs ſunt explicata. Humor fluens, ſi acris fuerit, exulcerat partes per quas tranſit, & ſi oſculi Uteri circumferentiam ſummam exulceret, fluxionem diuturnam futuram ſignificat, eò quia ab ulcere continuo materia fluxui apta per putredinem generatur. Curationem ſic aggreditur Hipp. primò vomitum excitat *Lenticulæ decocto cum Veratro*, hoc eſt Helleboro albo, nos mitioribus uti poſſumus: Hoc remedio videtur cenſere in fluxu albo ventriculum magnam habere partem; ideò etiam ad originem mordi auferendam, curationem auſpicatur à vomitu, præterquamquòd à quacumque parte proveniat hic morbus, vomitu ab humorum collectione hæc pars mundatur, cùm per vomitum totum corpus ſatis abundè purgetur, & eſt univerſale præceptum in morbis ab humoribus pendentibus, & vitio alicujus partis congregatis, hos priùs purgare, deinde vitium oppugnare. Secundò idem decoctum Lenticulæ cum Helleboro *in nares infundito*, ideſt jubet per nares attrahi: quapropter omnia errhyna per nares purgantia poſſunt adhiberi. Talem purgationem per nares certum eſt ſervire purgationi capitis, per quam humorem in capite exiſtentem evacuamus, vel humorem ad aliquam partem fluentem per nares divertimus, ſi attendimus ſententiam Hipp. Caput eſſe principium omnium fluxionum, in fluxu albo aliquam habere partem credere poſſumus, ideò humores in capite exiſtentes purgandi. Cùm verò fluxui albo conveniat etiam derivatio humoris ad Uterum fluentis per aliam partem, in quo conveniunt omnes Medici, ideoque diuretica approbbant, tamquam divertentia humorem hujus fluxus per urinam, & talis diverſio obtineri poteſt per nares, & forſan meliori cum fructu, cùm certi ſimus per uſum Errhynorum de purgatione per nares, & certi non ſimus de purgatione per urinam à diureticis, cùm quandoque, & etiam ſæpè ab uſu iſtorum major copia ſeri congregetur in vaſis, dum ſanguinem diuretica fundunt, & fuſum humorem ſeroſum non expellunt. Hinc accipimus præceptum à diureticis abſtinendi, ſi urinam non promoveant. Tertiò poſt purgationem per nares purgat *per alvum*, pro integra emundatione maſſæ ſanguineæ ab excrementis: licèt enim ventriculus, & caput poſſint eſſe cauſa originalis fluxus albi, materiam pro hoc præparando, & congregando, non valet hæc materia ad Uterum pervenire, niſi arterias ingrediatur, & per iſtas ad Uterum feratur, loquendo de fluxu à toto. Ab arteriis excepta hæc materia ſanguini miſcetur, & ſuis pravis qualitatibus hunc inficit, & per purgationem per alvum, quæ remanſit à purgatione per vomitum, & per nares, educitur, Quartò *cibos acres* prohibet, ne ab iſtis acrimoniam accipiat materia fluxus pejora mala acrimonia paritura. *Si verò gravetur, & frigeat, & torpedo habeat*, ideſt ſi fluxio excedat cum virium debilitate, & frigiditate totius, hoc eſt caloris naturalis languore. Quintò Lac exhibet *cum vino aromatico*. Duo ab hujus remedii propoſitione emergunt conſideranda: Primum, an uſum Lactis præcedere debeant dictæ purgationes; Secundum, an vinum lacti ſit immiſcendum, vel ſeorſim exhibendum. Quò ad primum ſuppoſito ſuperiùs Hipp. delineaſſe curam fluxus albi in parva quantitate exeuntis, ut patet ab illis verbis, *ſi multa non fuerit fluxio*, præceptoris munus erat, ut alteri parti diviſionis à prima præſuppoſitæ ſatisfaceret, nempè agere de curatione fluxus albi in magna copia prodeuntis, prout rationabile eſt, in hac parte ſub citatis verbis contenta agere, cùm de hac in Textu nulla ſit mentio, præter quàm in citatis verbis. In hoc caſu convenire purgationem ſuprà traditam, perſuadere videtur excrementorum redundantia, cui ſecundùm axioma univerſale, convenit purgatio, & ſi hæc exercetur in parva quantitate humoris excrementitii, fortiori motivo exercenda eſt, ubi major eſt quantitas dicti humoris. Hujuſmodi ratiocinium convincit habito reſpectu ad indicans, nempè ad redundantiam humoris excrementitii; ſi verò permittens purgationem, nempe virium robur non concurrat cum indicante, prout in caſu noſtro, in quo torpor, frigiditas, ſeu languor caloris naturalis virium debilitatem indicat, ruit ratiocinium, & purgatio ſupradicta deficiente permittente prætereunda, licèt indicata ab humoris excrementitii redundantia. Præterquamquòd cum hæc quantitatem boni ſanguinis in hoc caſu ſuperet, niſi cum magno virium detrimento poteſt educi, imò cum tolerantia educere eſt impoſſibile, quare alia via eſt incedendum in curatione hujus fluxus albi, & per eam progrediendum, quæ tendit ad renovationem maſſæ ſanguinis, loco excrementorum bonum ſanguinem remittendo, quod aptum ſit ad hoc, oportet ut habeat rationem nutrimenti, & ut ſit facilis digeſtionis, & diſtributionis ob omnium facultatum proſtrationem, virium debilitatem comitantem. Has omnes conditiones in ſe colligit Lac, & ulterius omnes qualitates pravas humoris redundantis attemperat, prohibendo, ne ab iſtis bonus ſanguis depravetur, & eumdem pravum humorem diſponit ad exitum per alvum, vel per urinam, quapropter Lac eſt unicum, & ſingulare remedium in hoc caſu. In Lactis uſu, hic ſervetur modus, à paucis unciis incipiendum, & paucis unciis paulatim, & interpollatè augenda quantitas, & ubi perventum fuerit ad duas libras, in iſtis ſiſtendum. Optimum tamen cenſerem in hoc caſu uti Diœta lactea, ſecundum modum à *Morthone* traditum. Quò ad ſecundùm in hoc caſu, non ſolùm habemus neceſſitatem maſſam ſanguineam renovandi, ſed etiam calorem naturalem iſtius augendi; in hunc finem addit Hippocr. lacti vinum, ex quo apparet neceſſitas vinum lacti uniendi, & ne aliquis, ut evenit ſæpe, coagulationem lactis ab acido vini timeat, vinum aromaticum laudat addendum, cùm ab aromaticis coagulatio impediatur. Alia remedia proponit Hippocr. in Textu, quæ exercenda puto poſt uſum lactis. Medicamentum *ex flore argenti*, eſt medicamentum ex lytargirio.

TEXT. LXXXIV. *Si verò acetabula pituita plena fuerint, &c.*

Cauſam ſuppreſſionis menſium, & abortus, in hoc Textu proponit Hippocr. & eſt pituita implens acetabula, ideſt orificia vaſorum in Uteri ſuperficiem internam terminantium. Pituita in iſtis commorans plenum fluxum, & exitum ſanguini menſtruo prohibet, cùm à commorante pituita in dictis vaſis, anguſta nimis evadat via; ideòque *pauciores fiunt menſes*. Eadem vaſa, quia pituita plena ſunt cauſa abortus in gravida, *ubi*

fœtus fortior, ideſt grandior *factus fuerit*, *quia non corroboratur*, *ſed diffluit*, ideſt extenuatur, & emaciatur; cujus ratio petenda eſt à ſuperiùs dictis de acetabulis; diximus enim iſta unire integumenta fœtus cum Utero, ſanguinemque pro alimonia fœtus ſubminiſtrare, ideò ſequitur, quòd ſi acetabula parum ſanguinis deferant, quia pituita anguſtam faciat viam, fœtum parùm nutrimenti ſuſcipere, quòd ſi ei ſufficiat, quando exiguus eſt, non ſufficit, quando major, & grandis factus eſt, & hoc deficiente, oportet, ut attenuetur, & emacietur. Robur etiam unionis placentæ cum Utero extenuatur, & facilis eſt ejus ſeparatio, & ab his duobus habetur cauſa corruptionis, & mortis fœtus, & etiam abortus. Signa ſunt clara in Textu, & à pituita in Utero redundante procedunt, & *febris*, quæ ſuppreſſionem menſium ſequitur, eſt *lenta*, & eſt febris illa, quæ dicitur alba, & in Virginibus præcipuè à dicta menſium ſuppreſſione obſervatur; nam retentus ſanguis pravam aliquam contrahit qualitatem non valdè in actione vehementem, per quam nec vehementem, ſed lentam in ſanguine inducit præternaturalem effervefcentiam, in qua febris conſiſtit; Talis enim qualitas habet rationem fermenti, ideò communicata maſſæ ſanguineæ vel per vapores, vel per effluvia, vel per portionem humoris putridi fermentationem febrilem in eam inducit. Curatio deſcripta in Textu, eſt ſatis clara. Remanet ſolùm explicare, quare *oleo crura illiniat*, *& hæc tegumentis circumdet*; nec alia ratione cenſeo Hippocr. hæc imperare, niſi ut laxentur, & dilatentur vaſa, & poroſitates crurum, itaut ab iſtis pituita in corpore redundans poſſit commodè excipi, cum magna utilitate acetabulorum Uteri, derivata magna quantite pituitæ ad crura; obſervamus enim aliquos morbos à pituita pendentes cruribus intumeſcentibus declinare. Poſſunt etiam in hoc caſu præſcribi ea remedia, quæ deſcripta fuerunt pro ciendis menſibus.

TEXT. LXXXV. *Si aqua intercus in Uteris naſcatur*, *&c.*

Uteri Hydropem deſcribit Hippocr. in hoc Textu, & eſt collectio aquarum in ſubſtantia Uteri, & vaſis, non in cavitate Uteri. Nam aquæ ad cavitatem Uteri fluentes curſu extrà Uterum elabuntur, ut ſanguis in fluxu menſtruo. Hujus hydropis incipientis ſigna ſunt *menſes pauciores*, *pravi & antè tempus* conſuetæ durationis *deficientes*. Menſes ſunt pauciores, non ſolùm quia redundante ſero in ſanguine ſanguinis quantitas diminuta eſt, ſed etiam quia occupata via à copioſo ſero, per quam ſanguis tranſire debet, parvæ hujus quantitati ſolum tranſitus conceditur, ſed per hoc principaliter ſunt parvi, quia in abundantia ſeri deficit virtus fermenti uterini, per quam debilis, & parva ſuccedit fermentatio in ſanguine in vaſis Uteri collecto, & ideò prava efficitur excretio ſanguinis, & ob hanc cauſam deficiunt etiam antè tempus conſuetæ durationis menſtrualis: nempè eorum duratio eſt per unum diem. Sunt pravi, ideſt mali coloris, tam ob admixtionem aquæ cum ſanguine, quàm ob ſpiritus in eo deficientes per indiſpoſitionem contractam, à qua Hydrops efficitur. Hæc ſigna occultum, & imminentem hydropem nobis indicant, qui magis fit manifeſtus *ab intumeſcentia ventris*, à multitudine aquarum in ſubſtantia Uteri, & ſuis vaſis collecta, *à mammis mollibus*, *& flacidis anteà ſolidis*, *& duris*; magnus enim eſt conſenſus Uteri cum mammis, ut alibi dictum eſt; ideò in Hydrope Uteri depravato fermento, & etiam extincto à multitudine, & qualitate aquarum, mammæ, quæ ab actione iſtius ſoliditatem, & duritiem accipiebant, hoc deficiente flaceſcunt; hoc patet in mulieribus imminentibus menſibus, dum tunc temporis mammæ inflantur, & indurantur à fermentatione in ſanguine tunc temporis inducta, & humoribus in mammis exiſtentibus communicata; ceſſantibus menſtruis mammæ flaceſcunt, quia ceſſat actio fermenti Uteri, à qua fermentatio in maſſa ſanguinis, & humoribus excitata fuit: humor etiam ad mammas fluere ſolitus à præternaturali affectione Uteri ad hanc partem vocatur, & mammæ ſolito humore deſtitutæ flaceſcunt. *Lac eſt malum*, ideſt valdè aquoſum, nimis dilutum, & coloris potiùs aquei, quàm albi. Hoc ſignum demonſtrat Hydropem poſt abortum, de quo loquitur hìc Hipp. lac enim ſolùm vel in gravidatione, vel poſt partum apparet; poteſt tamen hoc ſignum valere in eis, quæ ex menſium ſuppreſſione lac in mammis colligunt. Ab his ſignis, & præcipuè ab intumeſcentia ventris, quæ paulatim augetur, dum paulatim aquæ adduntur, *Mulier Utero gerere putat*, & in hoc caſu Hipp. Medico demonſtrat aliud ſignum, quo poſſit diſtinguere, an Mulier ſit gravida, nec ne, & accipitur hoc ſignum *à contactu oris Uteri*, *quod ſi gracile*, *& humidum appareat tactui*, Mulier *non eſt gravida*, ſed hydropica, & maximè *ſi rigor*, *ac febris corripiat*, in vera enim gravidatione numquam rigor, ac febris apparet, & hujus præſentia præternaturalem cauſam febrilem in Utero exiſtere connotat, niſi aliam præceſſiſſe cognoſcamus, à febris oriri poſſit, cùm multæ ſint gravidæ, quæ à febre moleſtantur; *quantò verò magis tempus proceſſerit*; *tantò magis dolor habet imum ventrem*, *& lumbos*, *& laterum mollitudinem*, *& Inguina*. Hæc ſymptomata ſi fuerint magna, & vehementia cum aliis ſuperiùs dictis unita, veram gravidationem certò excludunt; vehementia enim doloris in dictis partibus cauſam præternaturalem indicat, cùm à geſtatione fœtus oriri non poſſit. Cauſam Hydropis Uteri principalem, quia primò diſtinctam dicit eſſe abortum, qui duplici modo poteſt concurrere ad hydropem, vel cum adeò copioſus eſt in eo fluxus ſanguinis, ut tota maſſa iſtius ſpiritu depauperetur cum depauperatione ſuæ potentiæ, ſeu facultatis. Hac actione chylum in ſimilem ſui ſubſtantiam diſponit, & in ſeroſum humorem commutat. Hinc redundantia aquarum, quæ ad Uterum tendens, tamquam ad excretorium, ibique congregata in poroſitatibus, & vaſis hydropem facit, vel relinquendo in Utero illam diſpoſitionem, per quam crura, v. g. in aliquibus valdè intumeſcunt, & quæ non poteſt melius explicari, quàm ſuppoſitis in omnibus partibus noſtri corporis canaliculis extremitatibus arteriarum, & venarum correſpondentibus, quibus regularis circulatio ſanguinis conſervatur ſine venarum, & arteriarum anaſtomoſi. Si Canaliculi iſti, vel dilatentur, vel eorum margines, & latera vel laxentur, vel concidant, vel rodantur, humor magis fluidus, ut ſerum, & aqua diffunditur per ſubſtantiam partis, ibique ſtagnat, & ex aquæ abundantia collecta intumeſcit pars. Si ab abortu vi doloris, vel difficultatis canaliculi prædicti deſcriptas paſſi fuerint affectiones, accidet effuſio ſeri per ejus ſubſtantiam, eo modo quo accidit in intumeſcentia crurum. Fit etiam hydrops Uteri, eo modo quo fit hydrops pulmonis, quando hyatides, ſeu veſiculæ, quæ non ſunt niſi vaſa lymphatica dilatata, elevantur in ſubſtantiam Uteri, vel ſubtus ſuperficialem membranam internam, quæ ſi rumpantur, aquam effundunt, & hydropem efficiunt. Veſiculæ prædictæ elevantur à copia lymphatici, ſeu ſeroſi humoris valdè diſtendentis vaſa lymphatica. Elevantur etiam ſi ſint vaſa iſta obſtructa, & curſum lymphæ impediant, & à continuo fluxu ejuſdem valdè impleta in loco obſtructionis, neceſſe eſt, ut diſtendantur, & ab eadem diſtenſione magis aucta rumpantur. In abortu, in quo eſt magnus confluxus humorum ad Uterum, ab hoc vaſa lymphatica poſſunt impleri, & obſtrui, & hoc modo cauſam hydropis in Utero ſuſcitare. Ab aliis cauſis ait Hipp. hunc Hydropem pendere, quæ omnes talem morbum efficiunt modo prædicto. Curationem à ſedatione doloris in regione Uteri auſpicatur. Nunquam enim ceſſabit fluxus materiæ ad Uterum permanente dolore, cujus moderationem perquirit *lavacro aquæ calidæ*, *& tepefactoriis*, quibus ſupplent decocta ex anodynis ſimplicibus parata, nempè *Malva*, *Althea*, *Camomilla*, *Meliloto*, *Fœnugræco*, *Anetho*, *Semine lini*, & ſimilibus. Sedato dolore, vel valdè diminuto, purgationem per alvum imperat, nec alio medicamento uti credendum eſt, quàm ſerum purgante, prout exigit morbi natura; poſteà adhibet purgantia Uterum per *ſubdititia*, præmiſſis fomentis, & etiam ſuffitibus Utero, pro præparatione humorum in Utero exiſtentium; in his reperiuntur omnes indicationes ab hoc morbo demonſtratæ. Reliqua pro curatione tradita, ſunt clara, quibus addi poſſunt, quę de curatione hydropis

dropis Uteri tradit *Aetius Tetrab.* 4. *ſer.*4. *cap.* 77. nullus enim magis imitatus eſt Hipp. in curandis morbis Mulierum, quàm *Aetius*.

TEXT. LXXXVI. *Si Hydrops in Uteri fiat, menſes pauciores fiunt, ac deteriores, &c.*

De altera Hydropis differentia loquitur Hipp. in hoc Textu, & eſt de Hydrope cum geſtatione fœtus in Utero, & duplicem proponit caſum; primus, in quo ſuccedit abortus poſt paucos dies à conceptione; ſecundus poſt duos menſes. In hoc Textu aliqua ſunt dilucidanda. Ut obſcuritas iſtius dilucidetur, primò an Hipp. ſupponat Hydropem poſt conceptionem, vel ante conceptionem, cùm videatur impoſſibilis conceptio Hydrope exiſtente ob depravationem temperamenti, & fermenti Uterini à redundantia aquæ, quæ potiùs ſunt corruptiva virtutis ſeminalis virilis, & muliebris, quàm coadjuvativa; ex verbis tamen Textus contrarium colligimus; nam Hippocr. ponit priùs ſigna hydropis Uteri, & ponit eadem, quæ deſcripſit in ſuperiori Textu; ex quibus colligimus, per hæc ſupponere hydropem in hoc Textu, ſicut per eadem demonſtravit hydropem in præcedenti; & confirmatur à ſubſequentibus verbis, *ubi verò multum temporis proceſſerit*, ideſt ubi poſt multum temporis paſſa fuerit deſcripta ſymptomata pro ſignis hydropis tradita. Hæc ſigna per multum tempus perſeverantia hydropem exiſtentem indicant, & poſt hæc addit, *& in ventre habuerit*, quæ verba deſignant conceptionem poſt hydropem; nec impoſſibilis eſt hujuſmodi conceptio; poſita ſententia *Graaf*, quæ inter Recentiores eſt communis de generatione fœtus ex ovo; nam aquæ redundantia hydropem conſtituens non eſt in cavitate Uteri, ut dixi ſuperiùs; ideò non poteſt impedire deſcenſum ovi Muliebris ab ovario in Uterum, nec virtutem ſeminalem iſtius in cavo Uteri exiſtentis alterare, & depravare, & maximè ſi fuerit robuſta, cùm aqua non ſit ad contactum ovo applicata, qua ratione neque poteſt alterare, nec depravare virtutem ſeminis virilis, quæ cùm conſiſtat in particulis ſpiritoſis volatilibus valdè activis, & mobilibus, ſtatim ac à leni calore Uteri rareſcit ſubſtantia ſeminis, avolant ad ovarium, in quo deſtinata exercent munera, & cùm talis rarefactio breviſſimo tempore ſuccedat, tali ſpatio temporis non poteſt aqua diſtans à ſeminis ſubſtanria virtutem ſeminalem iſtius corrumpere; quibus rationibus demonſtratur impoſſibilem non eſſe conceptionem fœtus Utero hydrope affecto. Secundò difficultas eſt circà illa verba, *hæc autem patitur nihilo magis ex labore, quàm aliter*, à quibus verbis *Martianus in Com.* hujus Textus occaſionem accepit dubitandi, an labores ab Hipp. ponantur tamquam cauſa abortus, vel tamquam cauſa Hydropis, & determinat pro prima parte dubii contrà *Cornarum*; illius ſententia eſſet amplectenda, ſi labores non valerent Hydropem excitare, ſed ſi demonſtratum fuerit, labores valere hydropem promovere, de inſubſiſtentia *Martiani* ſententiæ perſuaſi erimus. Labores calorem corporis augere per excitationem particularum calidarum in maſſa ſanguinis in magna quantitate, certum eſt, ſicut certum eſt à dicto calore humorum maſſam fundi, & fuſione conſpicuam fieri magnam copiam feroſitatis, ſeu in fuſione magnam ſeroſitatis copiam à maſſa humorum ſegregari: hæc ſi per vaſa ſanguiflua ad Uterum tendentia præcipiti, & pleno fluxu in ejus ſubſtantiam effundatur, cum conditionibus deſcriptis in deſcriptione modi, quo fit Hydrops, hujus generatio erit neceſſaria, & hanc coadjuvabit dilatatio poroſitatum, & vaſorum Uteri facta ab incaleſcentia totius corporis à labore; hac ratione coactus, ſentio Hipp. voluiſſe in citat. verbis exprimere cauſam hydropis; non nego tamen, laborem poſſe eſſe cauſam abortus, quo ſtante poſſumus aſſerere Hipp. velle & hydropem à labore procedere, cùm dicat, *hæc autem patitur*, hæc ſunt verba in plurali, quæ poſſunt extendi ad hydropem, & ad abortum. Tertiò magna ambiguitas in ſecunda parte hujus Textus obſervatur, ubi habet hæc verba, *ſed jam bimeſtris* (nempè fœtus) *corrumpitur, ac ſuffocatur*, & de exitu fœtus corrupti, & ſuffocati nullam mentionem facit, prout facit in prima parte hujus Textus, dicendum eſt per illa verba *corrumpitur, & ſuffocatur*, exitum etiam fœtus Hipp. notaſſe, tamquam quid neceſſariò conſequens ad exitum fœtus; ubi enim hic corrumpitur in Utero, ſemper etiam ab Utero exit; nam ſi non exit ſtatim, ac extinctus eſt, exit dum retentus putreſcit, cum ab acri qualitate putridi liquaminis à corrupto corpore ſtillantis irritatur Uterus, & ab irritamento aperitur ejus orificium, & exit fœtus. His dilucidatis, clarus fit Textus Hipp. Aliqua ſolùm remanent adnotanda; primò circà illa verba in principio Textus, *menſes per longius tempus*, & circa illa *aut paulò plures*; per hæc verba inter ſigna hydropis ponit menſes per longius tempus, quàm deceat naturaliter fluentes; hoc enim ſignum eſt ſanguinis aquoſi, qui nimia humiditate aquea, orificia vaſorum laxat; quapropter ſanguis, qui in Uteri vaſis coacervari deberet uſque ad horum plenitudinem, & poſteà pleno fluxu paucis diebus expurgari in principio collectionis, ob laxitatem vaſorum ſtillatim exire incipit, & hoc modo exiens, longius tempus requirit ad expurgandam totam illam maſſam ad exitum deſtinatam; & ideò ſunt pauciores, quia paulatim ſtillant, & per longum tempus perdurant eadem de cauſa; nam longius tempus requirit ad exitum eadem portio ſanguinis, quæ ſtillatim exit, quàm eadem pleniore curſu profluens. Paulò plures etiam exeunt menſes ob orificii vaſorum laxitatem, quæ à vi pauci ſanguinis collecti ſupra quantitatem præcedentem ſuperata aperit vaſorum orificia, nec dicta orificia clauduntur, niſi dicta vis ceſſerit, & ſuper hanc ſuperior evadat orificiorum virtus elaſtica debilis; quòd cùm non contingat niſi diminuta valdè quantitate ſanguinis in vaſis, & talis diminutio exigat majus tempus illo determinato ad purgationem naturalis fluxus menſtrui; ideò & per longius tempus, & ſecundum majorem quantitatem perdurat fluxus. Secundò adnoto cauſam, per quam Mulier moritur in abortu, eſſe copioſum fluxum aquæ, & ſanguinis, ſicut copioſus fluxus aquæ in hydropico ſecto mortem infert, & paucitas ſpirituum, quæ ſemper redundanti ſeroſitati conjungitur, & facilè diſſipantur in dicta copioſa evacuatione, unde mors. Tertiò rationem, per quam *Lac* exhibet, *& Peplum*, ideſt medicamentum ex ſucco Papaveris compoſitum, & dedimus in *Com. numer.* 30. *de Natura Mulieb.* Et reſpicit lenem purgationem, & attemperationem acrimoniæ humorum, à quibus dolores enarrati. Ultimò adnoto, omnia illa ſymptomata, quæ recenſet in abortu bimeſtri expoſito in ultima parte hujus Textus, provenire vel à putridis vaporibus à corrupto fœtu exhalantibus, vel à putrido liquamine, in quod putreſcens fœtus paulatim diſſolvitur, vel à fermentatione humorum in vaſis circa Uterum exiſtentium inducta à vapore putrido fermenti naturam redolente illis mixto. Ab hoc fermento febris etiam accenditur. Curatio per remedia deſcripta, dilucidatione non indiget.

TEXT. LXXXVII. *Si mulier aqua intercute laborarit, ſplene ipſi magno, & aquoſo exiſtente, &c.*

De Hydrope ventris vitio ſplenis, cui ſuccedit hydrops Uteri, in hoc Textu agit Hippocr. ad cujus intelligentiam in plures partes diviſum Textum conſiderabo. In prima parte demonſtrat, quomodo ſplen aquoſus fiat, & quomodo à ſplene aquoſo fiat hydrops, & verba Textus hoc demonſtrantia ſatis ſunt clara. Solùm advertere licet, quando dixit *Hippocr. ſplenem attrahere*, non eſſe intelligendum de propria, & vera tractione, quæ in nulla parte corporis reperitur, ſed ſolùm de fluxu humoris ſeroſi, & aquei ad ſplenem in copia, & de ejuſdem retentione; nam ſi fluxum humorem non retineret, non intumeſceret, & ſi intumeſcit, ut retineat, oportet; retinet autem ob aliquod impedimentum circulationi humoris in ſplene reſiſtens; quomodo verò ex aquoſo humore copioſo in liene exiſtente fiat hydrops, per Hippocr. verba Textus apertè demonſtrant; melius tamen mihi videtur explicari per rupturam vaſorum lymphaticorum, quorum numeroſa ſeries per ſuperficiem lienis ſpargitur, quæ vaſa cùm non fuerint Hippocr. nota, explicavit modum hydropis per communionem, & connexionem eorum vaſorum, quæ illi cognita fuerunt; rumpuntur verò vaſa lymphatica, vel à tumore lienis ea comprimente, vel à copia limphæ ea nimis dilatante. Cauſam aquoſi ſplenis refun-

refundit in copiam aquæ exauſtam vigente calore febrili, vel æſtuante ventre ſine febre, ſed cum magna ſiti in utroque caſu, aqua non per ſudorem, nec per urinam exeunte, ſed intùs remanente in ſplene, ratione ſupradicti impedimenti ſtagnante, lienem aquoſum facit. Hìc monentur Medici, in copioſis aquæ potibus ægro exhibitis, ut advertant, an aqua per aliquam viam exitum habuerit, nec ne; nam ſi exitum non habuerit, ſuſpendenda copioſæ aquæ exhibitio: ſignum enim eſt in aliqua parte impedimentum eſſe exitum illius prohibens, & ab iſtius retentione timendus eſt hydrops, qui ſine potu aquæ ſuccedit, quando in maſſa ſanguinis colligitur copia ſeri, vitio alicujus partis, quæ poſtea ſegregata in liene congregatur, ratione impedimenti. Habemus etiam inditium, per quod diſtinguimus tumorem aquoſum lienis ab aliis tumoribus ejuſdem, nam tumor ſplenis ab aqua eſt mollis, ut acervus plumæ, vel lanæ in ſacculo incluſæ. In ſecunda parte Mulierem ab aquoſo ſplene hydropicam deſcribit, & ſigna hujus hydropis à menſium fluxu, & qualitate, prout in ſuperioribus deſumit, & ſymptomata etiam enarrat, quæ tempore imminentis, & fluentis menſtrui Mulierem hydropicam moleſtant, quorum cauſæ ſunt ſatis manifeſtæ. *Si curetur* hæc Mulier hydropica, *velut convenit*, *ſanam evadere* pronunciat Hipp. *ſi verò non curetur*, *& fluxus menſtruus continuò*, *& per omne tempus ſemper fluat*, *paulatim velut ſeroſa ſanies ampliori curatione opus habere* dicit, cum continuus fluxus per vaſa Uteri ſanguineæ ſeroſitatis iſtius excedentem copiam, & cauſam iſtius robuſtam, & contumacem connotet; ideòque curatione *ampliori*, ideſt efficaciori, & longiori indiget ægra. In tertia parte deſcribit Mulierem hydrope ventris priùs laborantem, & poſtea incidentem in hydropem Uteri. Quomodo ſuccedat hic hydrops ventris, explicat Hipp. in illis verbis, *ſi verò fluxus non ſuccedat* (nempè prædictus fluxus, velut ſeroſæ ſaniei ſupradictus) *ſed Uteri à prioribus menſes non laxarint*, *tunc & venter ipſe magnus erit*, *& gravitas intus erit*, *velut in ventre habenti*, *& velut Puer in ventre ipſius moveri videbitur*: legit Foeſius, *ſi verò fluor non ſuccedat*, *ſed Uteri per hæc*, *quæ priùs inerant*, *menſes non relaxarint*, *& venter ei magnus reddetur*. Per hæc verba clarè oſtenditur modus, ſecundùm quem fit hydrops Uteri in præſenti caſu in hoc conſiſtere, quod fluxus ille tamquam ſeroſæ ſaniei exiens per Uterum Mulieris hydropicæ ſecundùm ventrem ſupprimatur, & retineatur in ſubſtantia, & poroſitatibus iſtius; hoc enim retento ſuccedit collectio magna aquæ in Utero, cum Uteri intumeſcentia velut in gravida, modo in ſuperioribus deſcripto; nam illa ſeroſa ſanies à toto venoſo genere proveniebat, & provenit continuò ob redundantiam ſeri depravati redundantis in maſſa ſanguinea, & modo cum tota colligatur in Uteri ſubſtantia, non eſt mirum, ſi ab iſtius copia Uterus intumeſcat, & ea ſequantur in Textu deſcripta, quorum rationes ex ſuperioribus dictis deducuntur. Solùm adverto, *Claviculas*, *Thoracem*, *oculos*, *attenuari*, ideſt emaciari, ob rationem dictam in ſuperioribus Textibus. *Mammæ attolluntur*, legit *Foeſius*, *& papillæ attolluntur*; ſuperiùs enim dixit Hipp. in Hydrope *mammas flaceſcere*, & quando attolluntur, augentur, & craſſeſcunt: papillæ verò mammarum iſtis flaceſcentibus, & emaciatis elongantur. Nam dum mammæ dilatantur, & augentur, ad ſe trahunt fibras papillarum, & papillæ decurtantur: ubi verò mammæ emaciantur, fibræ papillarum à nulla virtute tractæ elongantur, & cum iſtis etiam papillæ. Fibræ iſtarum unà cum mammis emaciantur, & exſiccantur, itaut rectè diſtendantur cum quadam elevatione, per quam dicuntur papillæ attolli. Notandum eſt, quòd ſubjungit Hippocr. *quibuſdam verò*, *& venter*, *& crura aqua implentur*, *quibuſdam verò alterum horum*, & tamen dicitur ab Hipp. hydrops, ſive crura, ſive venter impleantur, dum reſpicit redundantiam aquæ, & collectionem iſtius in aliquo loco præternaturaliter, & in hoc fundatur eſſentia hydropis, non in loco ſimpliciter, in quo colligitur aquarum redundantia; nam ſicuti collectio aquarum in ventre facit hydropem ventris, ita collectio aquarum in cruribus facit Hydropem crurum. Ab intumeſcentia crurum, & ventris prognoſticum decerpit Hipp. & ait, *ſi crura*, *& venter intumuerit aquis*, *nullam ſpem* eſſe *ſalutis*, *ſi verò alterum horum*, *modica ſpes eſt*; in primo enim caſu magna eſt aquarum redundantia, à qua magnam indiſpoſitionem in viſceribus arguimus, unde non poſſumus non deducere impoſſibilem curationem. In ſecundo verò caſu minor copia aquæ minorem demonſtrat indiſpoſitionem, ideò etiam aliquam præbet ſpem, ſi curatio adhibeatur, ut ait Hippocr. Attamen eſt ſpes valdè debilis, eò quia etiam ſi ſit parva aquæ redundantia ſanguinis pravam conſtitutionem, & craſim talem oſtendit, ut cum difficultate auferri poſſit, licèt ejus ablatio non ſit impoſſibilis. *Succedit* hic morbus *magis in eis*, *quæ non pepererunt*, *quàm in eis*, *quæ pepererunt*, eò quia in primis eſt facilis excrementorum retentio in Uteris, & debiliores ſunt etiam menſtruæ purgationes, & faciliùs ſupprimuntur ob vaſorum anguſtiam, de qua in ſuperioribus dictum fuit. Contrarium verò ſuccedit in fecundis. In fine Textus relinquit nobis Hipp. ſalutare conſilium circa interrogationem à Medico faciendam ægro, ut ab his cauſa morborum præcipuè dilucidetur; quod conſilium attentè legat, & perpendat Lector.

TEXT. LXXXVIII. *Si Uteri fuerint ulcerati*, *ſanguis*, *& pus purgatur*, *&c.*

De ulcere Uteri curando verba habet in hoc Textu Hippocr. & primò proponit ſigna ulceris, præcipuum verò, & patognonomicum eſt ſanguinis, & puris à pudendis exitus; ubi enim eſt ulcus, neceſſe eſt, ut ſit pus, & quia in ulcere vaſa ſanguinis corroduntur, ſanguis etiam exit, ſaltem in principio: fœtor eſt puris proprietas, ſicuti ulceris dolor, qui non ſolùm in partibus ventris, in quibus eſt Uterus, ſenſibilis evadit, ſed etiam in ſuperioribus, cum quibus conſentit Uterus, ſive ratione membranarum, ſive ratione nervorum, ſive ratione vaſorum. *Caput dolet* ratione conſenſus, & à dolore ſpiritus animales vitiante, & phantaſmata confundente, delirio paratur ortus. Ulcere inveterato *debilis fit* Mulier, cùm ab ulcere febris continua ſuccreſcat à putridis vaporibus fermentativis illius excitatus, ab eiſdem, & à febre ſanguis etiam depravatur, optimæ nutritioni minimè ſufficiens, cùm defectu caloris, ab his fit debilis ægra, & intumeſcentia partium fit, ob depravatam nutritionem, ut in Anaſarca, & in convaleſcentibus à longo morbo, quibus ferè ſemper *pedes*, *& crura intumeſcunt*, ob caloris debilitatem ſanguinem crudum generantem. Secundò duas enumerat cauſas hujus ulceris: una eſt retentio putridi liquaminis in Utero retenti putreſcente fœtu; altera eſt fluxus per Uterum materiæ acris, & bilioſæ continuus. Ab his enim duobus corroditur Uterus ratione acrimoniæ, quæ non minus in bile, & acri humore, quàm in putrido liquamine dicto viget. Tertiò curationem deſcribit, quam incipit à mitigatione doloris fomentis, ſi dolor fuerit in determinata parte, & balneis, ſi fuerit in toto. Mitigato dolore, purgans medicamentum exhibet viribus patientis adæquatum, pro diminutione excrementorum, & pro diverſione iſtorum à parte affecta. Poſt purgationem, *ſerum coctum* præbet *per dies quinque*, cum his conditionibus: Prima, *ut tempus anni fuerit*, hoc eſt ubi tempus anni opportunum proexhibitione ſeri extiterit; tale autem eſt Ver, Autumnus, & Hyems, prout probat *Martianus in libr. de ratione vict. in acut. ſect.* 4. *ſub verſ.* 10. Æſtivum tempus non eſt opportunum, eò quia in tali tempore acrimoniam quandam ab exaltatis ſuis particulis nitroſis acquirit. Ab hac *Martiani* reflexione videant Medici, quid expectare poſſunt ab uſu ſeri in Æſtate exhibito, pro demulcenda humorum acrimonia. Secunda conditio eſt, *ſi id facere poterit*, legit Foeſius, *ſi ferre poſſit*. Sunt enim Ventriculi, qui ſerum ſine moleſtia tolerare non poſſunt. *Si verò non fuerit ſerum*, *Lac aſininum coctum propinat*. Per illa verba, *ſi non fuerit ſerum*, intelligere debemus, ſi ſerum ferre non poterit Patiens; nam ſi erit Lac aſininum imperatum, erit etiam ſerum; ideò non poteſt Hipp. dicere, ſi ſerum non fuerit, intelligendo de ſero non exiſtente, nec parabili. Tempus exhibendi Lac, & ſerum, manifeſtum facit in Textu. Quantitatem ſilentio præterit; ſi conſideramus ſequentia verba, quæ ſunt, *poſt lactis autem potum*

cum aquis reficito, *& cum cibis commodis*, & cum tempore lactis, & ſeri mentionem non faciat de cibo, nec de potu, licet conjectari per expreſſos dies in Textu bene patientem nutriri ſolo ſero, vel lacte coctis; judicio tamen Medici relinquenda eſt determinatio quantitatis Lactis. Poſt hoc ſuadet, ægram reficiendam eſſe deſcriptis cibis, & aqua, quæ ubi adeſt humorum acrimonia, ut in præſenti caſu, magis convenit, quàm alius potus. Reliqua curationis propoſitæ ſunt clara. In hac ſolùm adnoto, *per fœcem vini* vel intelligimus illam vini partem craſſiorem in fundo dolii remanentem, quæ aliquam habet auſteritatem, vel poſſumus intelligere etiam tartarum vini. Per *argenti florem* venit Lytargirium Argenti; *Spina ægyptia* eſt *Cardus Sylveſtris albus*. Illa verò verba, *Alumen verò*, *& Gallam*, *& Crocum una omnium portione ſumito*, legenda ſunt ſecundùm *Foeſium*, *Alumen*, *Galla*, *& Crocus omnium portionem æquant*. Adnotandum in præparatione hujus remedii, & pro unione componentium, Hipp. uti *Vino albo dulci*, *& ad mellis craſſitudinem* decocto, rejecto omni oleo, unguento, & adipe; uterque enim ulceribus non convenit, & pro iſtorum curatione vide *num.* 111. *hujus lib. & Aetium cit. loc. cap.* 88.

TEXT. LXXXIX. *Si Uteri ulcerati fuerint*, *&c.*

Aliud ulcus ab alia cauſa curandum proponit Hipp. in hoc Textu. Cauſa eſt laceratio, vel excoriatio alicujus partis Uteri à partu, vel ab abortu, & ſuccedit, quando ſecundina ab Utero, cui adhæret, cum conatu ab Obſtetrice, vel à natura disjungitur, & in disjunctione partem membranæ, & ſubſtantiæ Uteri ſecum rapit; quapropter hujus læſionis Uteri ſignum erit difficultas in ſeparatione ſecundinæ, & dolor valdè ſenſibilis in ejus exitu, vel extractione. Signa hujus ulceris exiſtentis in Utero, ſunt in Textu deſcripta, nec differunt à ſuperioribus, & ſymptomatum, quæ pro ſignis ſerviunt. Cauſæ ſunt eædem relatæ ſuperiùs. Curationem, ſicut in præcedenti aggreditur, dolorem mitigando *tepefactoriis*, *& mollitoriis*, *& lavacris cum aqua calida*, abſterſionem pudendorum, *cum aqua calida ſpongia accepta*, maximè curat, à lavacro, & ab abſterſione ulceris exhibet medicamentum compoſitum *ex ſemine lini*, *& baccis Sambuci contuſis*, *& Melle compoſitum*, quia uterina ſunt, & poſtea cum eadem ſpongia pudenda irrigat, & fovet *Vino meraceo*, ad abſterſionem puris, & ut calorem partis foveat. & eſt ſummum præceptum in omnibus ulceribus pus abſtergere, calorem partis conſervare, nam ulcerum curationes in longum protrahuntur, non alia de cauſa, niſi quia calor partis debilitatur, & ex debilitate alimentum conſignatum corrumpitur, cum aſſidua puris generatione; & quia Vinum eſt balſamicum, aliud præceptum accipimus balſamicis utendum in ulcerum curatione, prout Recentiores faciunt cum ſumma ægrorum utilitate, & hi ſunt ſectandi. Poſt fotum vini, & medicamentum *ex ſemine Lini*, *& baccis Sambuci* Utero ſpecificum, primum enim dolorem Uteri lenit, & fœtum etiam expellit, qua virtute ſordes etiam Uteri expellere poteſt; baccæ Sambuci ſunt hyſtericæ, ideò Uterum corroborant; poſt hæc inquam Hipp. ait, *& poſtea pharmaco hoc inunge*. Hoc pharmacum quale ſit, reticet, ideò cenſet *Cordæus* Hipp. innuere medicamentum in ſuperiori Textu deſcriptum pro ulceris conſolidatione. Ego vero cenſeo Hipp. loqui de medicamento, quod ſtatim deſcribit, facto ex *Reſina*, *& Adipe Suillo*, cùm dicat, *hoc pharmaco inungito*, & ſtatim ſupradictum pharmacum deſcribit. Nos poſſumus uti *decoctis vulnerariis* per os ſumptis, & in Uterum injectis unà cùm balſamicis. Reliqua ſpectant ad victus rationem, & doloris mitigationem, compoſitio facta *cum ſemine Lini torrefacto*, & aliis; *Peplum eſt ſemen album Papaveris; polenta eſt farina hordei, vel tritici*. *Caſeum Caprinum* ita præparat, ut ſalſedo ab eo auferatur, hæc compoſitio dolorem mitigat ratione ſeminum lini, & Papaveris incraſſat humores, ratione farinæ, & caſei, & incraſſatione fluxio ad Uterum minuitur, & acrimonia modificatur; & hoc facilius habetur per alimentum quotidianum, quàm medicamentum. Per *Cyceonem craſſum* intelligimus *mixturam ex farina*, *vino*, *& melle*. Ab hoc alimento deducimus, Hipp. indicationem ſupradictam percepiſſe, quam & nos ſequi debemus ſimili victu, & remediis. Poſt hæc medicamentum purgans exhibet, nec unico videtur eſſe contentus Hipp. cùm ait, *pharmaca bibenda dato*, non pharmacum, unde rationabiliter deducitur reiteratio purgationis. Poſt purgationem repetit fomenta. Si dolor perduraverit, fomenta ſint hunc mitigantia, ſi ceſſerit, deveniendum ad ulcus conſolidantia, & exſiccantia. Ultimò ſubjungit, *Morbus autem eſt lenior*, legit Foeſius, *lentior*, *& lethalis*, *& pauca hunc effugiunt;* poteſt enim morbus eſſe lentior, & lethalis, difficilè verò lenior, & lethalis; ideò legit *Martianus gravior* in Com. hujus Textus.

TEXT. XC. *Si verò vehementer exulcerati fuerint*, *&c.*

Novam ſpeciem ulceris non proponit in hoc Textu Hipp. ſed de ſuperiori ulcere ſummè aucto tractat, ideò dicit, *ſi vehementer exulcerati fuerint*. Hanc ſummam exulcerationem diſtinguit à malo odore materiæ exeuntis, qui à *Foeſio gravis* dicitur; ubi enim *Marinellus* legit, *dolor ſit gravis*, legit *Foeſius*, *& odor gravis adeſt*. Gravis odor, & fœtor, eſt ulceris in pejus ruentis ſignum. Alterum ſignum eſt, *dolor veluti in partu*, contingens eo tempore, quo materia exit; ab hoc arguit inſignem acrimoniam iſtius, & magnam ulcerationem partis. In curatione hujus antecedentem ſervat methodum mitigandi primò dolorem, lavando, & calefaciendo *aqua calida*, *acribus*, *ac mollibus*, *& acerbis*, *& aquæ*, *& vino* pudenda abſtergit, pro diverſitate materiæ exeuntis, quæ enim eſt viſcoſa, & tenax, acria exigit, quæ verò fluida, molliora. Vinum verò ſemper adhibendum, ob rationem ſuperiùs dictam. Medicamentum parat ex *Polycarpo*, ideſt *Burſa paſtoris*, *& Polienemone*; eſt enim ſimplex ad vulnera, & ulcera ſananda maximè efficax. Secundùm *Dioſcoridem*, ex relatione *Matthioli*, in Italia non germinat; ideò alia vulneraria ſubſtituenda. Hæc ſimplicia cum *melle* concoquit, *& linimentum parat* pro pudendis illiniendis. Vulnerarias herbas eodem modo concoquere poſſumus, & ulceratas partes illinire. Aliud remedium proponit *lib. de Nat. Mul. num.* 51. Ad hoc valent etiam decocta, & aquæ vulnerariæ, à *Quercetano*, *& Schrodero* deſcriptæ. Valent etiam aquæ balſamicæ, à *Magato*, *Sennerto*, *Barbetta exaratæ*. Poſt illinitionem cum dicto linimento, alio in Textu deſcripto utitur. Rationem victus deſcribit, & tota conſiſtit in incraſſandis humoribus, & etiam in exſiccando, ob tenuitatem Diœtæ. Talem ſervare debet Medicus in ulcerum Uteri curatione. *Melle* utitur in cibo veſpertino, & crederem ad lubricandum corpus, & etiam ad aliquem calorem corpori ſubminiſtrandum, ne langueat, ſed in minori gradu, quàm faciat vinum, quo utitur in cibo matutino, ne calor augmentum præternaturale capiat. Hæc Cura continuanda, donec ſanguis purgetur, & dolores diminuti fuerint; hoc eveniente, purgationem per inferiora imperat. Hìc notandum, purgationem in præcedentibus duobus caſibus ulcerum Uteri, differre ad ſanationem ulcerum. In *num.* verò 88. purgationem in principio ulceris inſtituere; nam in hoc caſu ulcus provenit à toto, nempè à fluxu humoris acris ad Uterum, vel à corrupto fœtu, à cujus corruptione maſſa ſanguinis etiam depravatur, & ſua depravatione ulcus fovet. Ad purgandum ergo maſſam ſanguinis ab excrementis, & ad minuendum humorum fluxum ad partem ulceratam purgatione utitur, & magna cum ratione. In his verò duobus caſibus ultimis ulcus non eſt à toto, ſed à lacerato Utero cum ulcere, & ab augmento iſtius ulceris ſine totius conſenſu, ſed ob vitium temperamenti, vel fermenti ejuſdem, contractum à laceratione; ideò purgatio in principio non convenit; in fine verò videtur convenire; eo quia ſymptomata ulceri conjuncta, & putridi vapores ulceris ſanguini mixti colligendis, & generandis excrementis occaſionem dederunt, & hæc purgationem indicant. Quare *à ſanato ulcere ſterilis evadat Mulier*, alibi declaravimus.

TEXT. XCI. *Quæcumque ulcerationes in Uteris fiunt*, *&c.*

In hoc Textu curationem in genere ulcerum Uteri à quacumque cauſa, colligit Hipp. & primò ait, *ulcera curanda* eſſe *habito reſpectu ad corpus*. Talis reſpectus reſpi-

reſpicit temperamentum corporis, & errata in ſex rebus non naturalibus. A temperamento, redundantis excrementitii humoris naturam colligimus, an ſit bilis, vel pituita, vel ſerum, vel melancholia, an humor acidus, auſterus, ſalſus, amarus; vel corroſivus, qui redundat humor; ab eodem temperamento cognoſcimus inclinationem naturalem ad generandam bilem, vel pituitam, vel ſerum, & alios humores in qualitate ſecunda acres; ab erratis pariter peccantem humorem diſcernimus, quotieſcumque certi ſumus de aptitudine eorum ad generationem unius determinati humoris. A cognitione prædicta deducimus electionem remedii contrarii qualitatibus vitioſis temperamenti humores excrementitios congregantibus, vel inclinationi ejuſdem temperamenti, per quam excrementa generari poſſunt. Secundò diſtinguit ulcus Uteri à vitio iſtius, & à vitio totius. Tertiò ſigna patefacit vitium Uteri, & totius demonſtrantia; in ulcere à vitio Uteri excretum per pudendum eſt purulentum, & compactum; quia quod exit eſt ſanguis à vitio partis ulceratæ corruptus, & in pus degenerans, quod cùm per aliquod tempus in ea detineatur, craſſatur à calore, licèt depravato partis ejuſdem, à vitio totius excretum eſt tenue, & ſanioſum, quia in omnibus fluxionibus ſerum ſemper ſuperabundat; utpotè magis permeabile, & aliorum humorum vehiculum, hoc ratione ſuæ tenuitatis, & fluxibilitatis cum parva mora per partem ulceratam fluir, & dum miſcetur puri à ſanguine facto vitio partis ulceratæ, hoc maximè fluidum reddit, & ſecum rapit ſeroſam ſaniem componendo. Quartò curationem diſponit, ſi materia fluens ſit tenuis, & à toto corpore proveniat, vomitum primò molitur, & poſtea purgationem per alvum, hoc enim modo totum purgatur; & ſi ab hac fluxus materiæ ſit minor, & facilior, intermiſſis aliquibus diebus ad virium corroborationem, reiteranda purgatio prædicta. Quintò ad exſiccandum corpus procedit, & duplici medio, primò vomitum omni tertio, aut quarto provocando, fovendo priùs totum corpus, ſcilicet aqua calida cum ſpongia totum corpus lavando; ab hoc fotu enim humores liquantur, fluidiores fiunt, & in majori quantitate, & cum majori facilitate per vomitum excernuntur. Poſt vomitum, quem aliquoties reiterandum puto, ſi per hunc exſiccandum ſit corpus; Diœtam valdè *tenuem* imperat, *ex illuvie*, hoc eſt abſtinentia à balneo, cum potu aquæ; panis ſit cibus, cum vino nigro *Meraco*, ſine ullo obſonio, & ſine ullo olere. Aqua utitur ad moderandum humorum acrimoniam, & ad humores ducendos per viam urinæ. Utitur vino meraco, ideſt puro, & generoſo, non ſolùm ut calorem ſuſtineat, ſed ut calore vini humores exſiccet. Ut hoc obtineamus, vinum non debet eſſe multum; nam fluxiones excitat liquando, & ſolvendo humores, ſed moderatum, & ſex vel octo unciæ ſufficiunt, & panis in eo intingendus, nam diutiùs à pane ventriculo retentus vires magis reficit. Nimis auſtera eſt hæc Diœta; eſt remedium tamen magis tutum, ut inferiùs teſtatur Hipp. ideòque purgationi, & vomitioni præfert; poteſt tamen augeri, habito reſpectu ad ætatem, ad virium robur, ad anni tempus, ad temperamentum, ad conſuetudinem, & præcipuè ad ventriculi conſtitutionem: ſunt enim aliqui, qui à Diœta citò reſolvuntur, & atteruntur. Quæ facienda ſint ante vomitum, à quibus ad hunc præparatur ventriculus, ſubjungit Hipp. Ad hujus imitationem ſui Sequaces ad uſum revocarunt exſiccantia decocta *ex ligno ſancto*, *Salſa*, *Sandalis*, *Lentiſco*, *radice Chinæ*, *& Cannæ Montanæ*, quæ tamen irrita ſunt, niſi rigoroſa Diœta exerceatur, & cum cibis exſiccantibus. Addit Hipp. remedia externa Utero applicanda, poſt quæ advertit, *ſi fluxiones non diſcedant*, *pauciores tamen fiant*, *& vehementer mordeant*, *& ea*, *quæ effluunt*, *ſi bilis fuerit*, *ac ſalſugo*, ideſt mucus ſalſus, *Diœtam tranſmutandam* eſſe determinat, & vice Diœtæ exſiccantis valdè humectanti utendum cum relatis in Textu. Inter alia *Lac vino dulci* miſcet, ut à vino quantitas, & qualitas lactis corrigatur, & ſerviat pro vehiculo ad deferendum lac per omnes partes humectationis gratia. Hæc omnia dicta ſunt ab Hipp. pro curatione ulceris Uteri à totius vitio pendentis. Pro curatione verò ulceris vitio Uteri hæc habet: *Cùm verò purulenta*, *& compacta exierint*, *harum quidem*, ideſt Mulierum, *totum corpus non movere oportet*; hoc eſt nulla purgatione, aut vomitu uti; *verùm colluere*, *& per collutiones totam curationem facere*, & ratio eſt evidens: totum non concurrit ad hujuſmodi ulcus, ergo irrationabiliter totum movetur vomitu, & purgatione, & ſine conferentia, eò quia non purgatur talis, qualis, hoc eſt, quod peccat, imò non talis, non qualis, ideſt, quod non peccat, & quando purgatur, quod non peccat, purgatio non confert. Exitus materiæ purulentæ, & compactæ oſtendit naturam materiam puris rectè concoquere, hancque non eſſe multam, ideòque locum non eſſe purgationi; & ſi purgatio ſit inſtituenda ob aliquam cauſam per vomitum, fiat, ut inſinuat Hipp. in illis verbis, *melius tamen eſt*, *utraſque* (ideſt à toto, & ab Utero) *pharmacis cures*, *& vomitum procures*, & rationem reddit, ut *ſurſum trahas*; quo enim minor copia ſanguinis ad Uterum fluet, minor erit copia puris. Hac ratione purgatio per alvum, quia humores in copia ad partes inferiores ducit, interdicitur. Deſiderandum eſt, Medicos hoc conſilium apprehendere, ut ægrotantes non defatigent ſine conferentia vomitu, & purgatione; imò deſiderandum, ut apprehendant diſtinctionem inter ulcera Uteri vitio totius, & vitio ipſius Uteri. Reliqua in Textu ſunt clara.

TEXT. XCII. *Si vero Mulier ex abortu vulnus accipiat*, *&c.*

Hic Textus eſt de ſoluta unitate Uteri à recenſitis cauſis in eo, quæ ſatis ſunt manifeſtæ ex dictis. Aliqua ſolùm adnoto ad clariorem Textus intelligentiam; ulcera putredinoſa dici, quæ ſordida ſunt. Sanguis, qui eſt in fœtu dicitur emitti, quando ſanguis, qui cuti, & ſuperficiei externæ ejus adhæret, cum eo exit, & ſanguis fœtus dicitur ille, qui cum fœtu exit; conſideratur enim tamquam unum, dum unitim exeunt fœtus, & ſanguis. Vinum prohibet in hoc caſu, quod conceſſit in aliis ulceribus, quia adeſt inflammatio, & convulſio Uteri.

TEXT. XCIII. *Quicumque abortus facti diſcedere non poſſunt*, *&c.*

Abortus dicitur factus, quando placenta ab Utero, ſeu ab iſtius acetabulis eſt divulſa, & quando membrana, in qua fœtus continetur, eſt rupta. Cauſam impediti exitus fœtus in prædicto ſtatu exiſtentis, clara eſt in Textu, ſicut & curatio. Remedia ad expellendum fœtum, & partum accelerantia proponit *num.* 102. *& num.* 128.

TEXT. XCIV. *Quicumque verò duplicati*, *&c.*

De depravato ſitu fœtus ad exitum parati cum duplicatione corporis, nempè cum natibus orificium Uteri occupantibus loquitur Hippoc. & modum educendi manus operatione docet.

TEXT. XCV. *Quicumque verò fœtus vivi*, *&c.*

De altera differentia præternaturalis ſitus fœtus in exitu verba habet Hipp. in hoc Textu, & eſt, quando fœtus vivus manum, vel crus foras præmittit; naturalis enim ſitus eſt, quando ita diſponitur fœtus, ut caput primò exeat. Ibi etiam proponit caſum, quando fœtus complicatus in lateris cavitatem, & ad coxam devolvitur, & modum, quo auxilium fœtui præſtandum ſit, docet; in ſecundo caſu poſtquam ad rectum ſitum redactus fuerit fœtus, ut capite cavitatem pudendi occupet; ſi ſit difficultas in exitu, proponit Mulieri *inſeſſum in aqua calida*, *donec Mulier refocilletur*, non quò ad vires, ſed quò ad facilitatem expellendi fœtum, cum ab aqua calida pudendi partes humectatæ dilatentur valdè, & à calore aquæ fœtus vellicatus ſe agitet, & à motu iſtius, & à dilatata via facilis paratur ei exitus.

TEXT. XCVI. *Quicumque verò fœtus mortui*, *&c.*

Cùm in præcedenti docuerit modum extrahendi fœtus vivos, manum, aut crus in exitu præmittentes; in hoc docet modum extrahendi fœtus mortuos in prædicto ſtatu conſtitutos. Operatio ſatis clarè demonſtratur ab Hipp. & majorem claritatem accipiet Lector ab *Aquapendente*, *Pareo*, *Hildano*, & aliis Chirurgiæ Doctoribus.

TEXT.

TEXT. XCVII. *Cæterum molæ conceptus hæc cauſa eſt, &c.*

Molæ caſum proponit Hipp. in hoc Textu. *Mola eſt maſſa carnea, informis, venis, & arteriis perfuſa, ſine oſſibus, & viſceribus, ſed fibris muſculoſis, & vaſis contexta, in Utero concepta ex imperfectione ſeminis, vel virilis, vel fœminei, vel utriuſque*. Cauſam hujus falſi conceptus dedit Hipp. in illis verbis, *cùm multi menſes modicum, & morboſum ſemen conceperint*. Duo continent hæc verba cauſam molæ integrantia; ſemen morboſum, & multitudinem menſium. Relictis ſententiis tam Hipp. quàm *Galeni*, quàm aliorum Medicorum de entitate, & individuatione ſeminis, in illam Recentiorum, tamquam mihi magis probabilem, convenio, nempè ovum muliebre ſemine virili fœcundatum eſſe verum ſemen humanum, & in hoc totius corporis humani lineamenta reperiri, ut demonſtrat *ſapientiſſimus Malpighius* in ſuo *Tractatu de Ovo incubato*, in quo lineamenta Pulli nomine Carenæ deſignavit. Tale lineamentum ex tenuiſſimis conſtat fibrulis ita circumductis, & diſpoſitis, ut reſultet figura ſimilis figuræ fœtus generandi. Hujuſmodi lineamentum obſervamus in ſeminibus vegetabilium, & evidenter apparet in grano Fabæ, quo per medium ſciſſo ſecundùm longitudinem in utraque parte plantam fabæ delineatam obſervamus. Ad hoc, ut animalis generatio perfectè ſuccedat, oportet, ut particulæ dictum lineamentum conſtituentes à particulis craſſioribus materiæ ad ovum fluxæ pro ſui augmento, & alterius generis, quibus involvuntur, ſeparentur, ad motum excitentur, ſervata ſemper ſua figura, ſuo ordine, & ſitu, & motu, quo dictæ particulæ ſuæ potentiæ actus exercent. Hoc totum exigit ratio generationis, & augmenti fœtus, & lineamenti in ovo exiſtentis, ut in hoc ſit talis motus, quo per hunc particulæ advenientes homogeneæ illis, quæ principium dederunt lineamento diſponantur, juxta figuram, ordinem, & ſitum lineamenti, ſeu iſtius primi principii fœtus in ovo exiſtentis; hoc modo creſcit lineamentum in ovo, & fœtus à lineamento prodiens, cum in hoc ſemper conſervetur ratio illa motus præexiſtentis in lineamento. Hinc evenit, quòd ſi particulæ dictum lineamentum conſtituentes non diſgregentur à partibus craſſioribus ovi, quibus involvuntur, cum illis confusè remanent, & à confuſione unum chaos inſurgit cum imperfecta, & vitioſa generatione. Hæc diſgregatio particularum ſeminalium ordinatarum impeditur vel à particulis craſſis in ovo exiſtentibus à Fœmina ſuppeditatis arctè vincientibus particulas ſeminales, ut ab illis extricari non poſſint. Hoc idem præſtat acidum præternaturale in ovi materia dominans particulas ſeminales activas figens, vel à debilitate motus, & actionis particularum ſeminalium, quæ reſiſtentiam materiæ, à qua involvuntur ſuperare non valent, etiam ſi reſiſtentia ſit debilis, & hanc debilitatem ſuſceperunt à depravata materia Fœminæ, à qua deciſæ fuerunt, & à languido ſpiritu cum eis commixto, vel à fermento debili, quo indigent particulæ ſeminales ovi ad hoc, ut perfectè à craſſioribus, & heterogeneis ſeparentur, & ut in actionem validam à motu fermenti motæ erumpant. Hujuſmodi fermentum recipit ovum Muliebre ab aura ſeminali à corpore virilis ſeminis exeunte, & ovo Muliebri communicata; quapropter ſi hoc fermentum fuerit debile, ſeparatio particularum ſeminalium ab heterogeneis, & earumdem actio deficiet, ratione imperfectionis virilis ſeminis. Pariter actionem particularum ſeminalium delet quicquid figuram, ordinem, & ſitum earum, ſeu lineamenti immutare poteſt, cum his mutatis pereat omnis actio dictarum particularum directa ad generationem fœtus, remanente ſubſtantia ovi ſub forma maſſæ carneæ informis. Ab his cauſis perfecta animalis generatio impeditur; quomodo verò ab iſtis efficiatur mola, dilucidandum. Suppoſito in ovo animalis fœcundato animam ſenſitivam reperiri, & in ovo etiam Muliebri, quæ licèt non tendat in generationem perfecti animalis, ob materiæ indiſpoſitionem à prædictis cauſis reſultantem, tendit tamen in eas operationes; quas tunc temporis exercere poteſt dependenter ab hac materia, quæ ad dictas operationes eſt diſpoſita; & quia in illo Chaos materiæ ſeminalis, & heterogeneæ formatæ ſunt arteriæ, venæ, & ſanguis per eas excurrit, cum iſta materia, & dictis inſtrumentis anima ſenſitiva exercere poteſt potentiam nutritivam, & augmentativam, & quia in dicta materia adſunt fibræ, cùm hæ ſint generationis partium prima ſtamina, & principia ad nutritionem iſtarum, & augmentationem potentia nutritiva, & augmentativa animæ ſenſitivæ ſe extendit, maſſam carneam rudem, & informem efformando, cùm caro non ſit niſi fibrarum acervus, inter quarum ſpatia, & poroſitates ſanguis concreſcit; hoc modo molæ generatio, & augmentatio ſuccedit; Quòd ſi non placeret animam ſenſitivam in mola admittere, quia in virili ſemine, nec ovo admitti non poſſit, poſſumus dicere materiam illam carneam informem, in quam mutatum eſt ovum muliebre, augeri per juxta poſitionem à ſanguine in vaſis illius maſſæ carneæ exiſtentis, quam recipiunt vaſa prædicta, eo modo quo in ovo perfecto recipiunt; hæc enim vaſa ſunt, quæ primò in ovo incubato apparent unà cum ſanguine. Hujus molæ cauſam dicit Hipp. eſſe *multitudinem menſium, & ſemen morboſum ab illa*, nempè à multitudine ſanguinis menſtrui, oppreſſione, & pondere lineamenti ſupradicti configuratio rumpitur, & diſſolvitur, ab iſto, nempè à ſemine morboſo diſgregatio particularum ſeminalium activarum à parte craſſiori prohibetur, fermenti vis neceſſaria deficit; unde niſi imperfecti conceptus expectanda generatio; & quamvis Hipp. niſi has duas cauſas propoſuerit, ſub iſtis tamen comprehenduntur omnes aliæ cauſæ, quæ poſſunt eumdem effectum, qualem iſtæ efficiunt, producere. Hinc patet, molam non fieri niſi in fœminis viro utentibus, quia fit ex ovo, quod non diſponitur ad deſcenſum in Uterum, niſi per efficaciam ſeminis virilis, ut adnotavit *Graaf in citato lib.* Tria proponit ſigna exiſtentem molam in Utero manifeſtantia: Primum *nullus motus à Muliere in ventre ſentitur*, prout ſolitum eſt *in tertio menſe* gravidationis percipi, *ſi fœtus eſt maſculus; in quarto ſi fœmina*; quapropter hoc tranſacto, & nullo motu facto in Utero intumeſcente ventre, & mammis cum ſignis gravidationis, judicandum eſt conceptum non eſſe naturalem, ſed præternaturalem, ideòque molam. Secundum *Mammæ turgidæ ſunt*, prout evenit in omni ſuppreſſione menſium, & in ſtatu geſtationis in Utero. Tertium eſt *Lac non generari*. Turgentia mammarum plenitudinem humoris in iſtis indicat, & cum plenitudine Lac generandum eſſet. Hanc difficultatem ſolvemus in *Com. Text. 99.* In prognoſtico inquiſitione dignum eſt, quare dicat Hipp. *ſi una caro eſt, ſeu fiat, Mulier perit*. Pro una carne intelligit unam molam, quæ ſi *permaneat in Utero per duos annos*, ut pronunciat *Hipp. in Textu*, ad talem pervenit magnitudinem, ut exire non poſſit, etiam per aperta, & dilatata pudenda: interdicto exitu putreſcit, & à putredine mors, cùm ab iſta, & Cerebrum, & cor, & pulmones afficiantur, & Uterus ipſe putreſcat: ubi verò multæ ſunt molæ, hoc periculum ceſſat; nam quælibet exitum invenit pro ſua magnitudine diminuta. Reliqua ſunt clara. Quò ad curationem, *Clyſtere ſanguinem ducente per anum* utitur hoc fine, ut quod compactum eſt, & in Utero exiſtit, commoveatur ob conſenſum Uteri cum inteſtinis, & commoto Utero diſponatur mola ad exitum, concurrente calefactione Uteri à medicamento, & à motu prædicto, à qua robur, & vim accipiunt fibræ Uteri pro expulſione. Secundò *collutiones*, *& ſubdititia*, ſeu ſuppoſitoria ſanguinem ab Utero ducentia imperat, & horum remediorum formam in fine hujus libri deſcribit; addit etiam hìc remedia per os aſſumenda, quæ ſanguinem movent: *&* ultimò *lateris mollitudini in parte poſteriori proxima lumbis, & renibus Cucurbitulam affigit ſcarificatam*, & tantam *quantitatem ſanguinis educit*, quantam renum conſervatio, & virium manutentio exigit. Colligimus ab his totam curationem hujus morbi ab Hipp. confici per eductionem ſanguinis à partibus Utero proximis, & ab eodem Utero, ut molæ nutrimentum ſubtrahatur, & Uterus à ſanguinis miſſione copioſa debilitatus exiſtat, & à laxitate orificium ejus aperiatur, & mola exeat. Pro præſervatione verò diſtinguendum priùs, an vitio ſeminis virilis, vel muliebris mola proveniat, ut curetur ille, à cujus ſemine morboſo mola gignitur. Signa hujus nobis dabunt Temperamentum maris,

ris, & fœminæ, morbi, quibus frequenter ſunt obnoxii, indiſpoſitiones alicujus partis, & errata in ſex rebus non naturalibus; poſtea indagandum, an à materia craſſa, an ab acido, an à debilitate ſpirituum, an à fermenti inertia, an à copia ſanguinis cauſa molæ proveniat, & huic contrariis, & ſpecificis occurrendum. Ad hanc cognitionem nos conducunt ex, quæ mox diximus de temperamento erratis, & aliis. Vide *lib.* 2. *num.* 62.

TEXT. XCVIII. *Prodeunt autem puerperii purgamenta, &c.*

Textus verba ſunt ſatis clara, ideòque expoſitione non indigent.

TEXT. XCIX. *At verò Lac quomodo fiat, &c.*

De Lactis generatione acturus Hipp. in hoc Textu, Lectorem remittit ad ea, quæ dixit in *lib. de Natur. Pueri num.* 21. *&* 22. Ibi materiam Lactis ſtatuit eſſe illud *pinguiſſimum à cibo, & potu extractum*, quod non eſt niſi chylus; idcircò Recentiores Hipp. Præceptorem ſecuti ſunt, ſentiendo materiam Lactis eſſe chylum. Rationes, & experimenta hanc ſententiam comprobantia vide apud *Martianum in Comm. hujus Textus, &* apud *Diemebroek in ſua Anatome lib.* 2. *cap.* 2. Quomodo chylus ad mammas feratur, demonſtravit Hipp. in illis verbis *Text.* 21. *in lib. de Natura Pueri: Cùm verò Uteri tumidi præ puero ſunt ventrem Mulieris comprimunt;* poſtea ſubjungit: *Quemadmodum ſi quis chorium illiniat multo oleo, & imbibere permittat, & ubi imbibit chorium ipſum premat oleum utique exiliet foras ex chorio compreſſo. Sic etiam ſi venter pinguitudinem in ſe habeat à cibis, & potibus, proſilit in omentum, ac carnem*, & in mammas exprimi inferiùs aſſerit mediis venis, quæ in mammas, & Uterum tendunt. Melius tamen Recentiores ab inventione lacteorum vaſorum, & ductus Thoracici valdè illuminati modum tranſitus chyli ad mammas explicarunt per lactea vaſa ad mammas tendentia diramata à vaſis lacteis per Meſenterium diſperſis, & per ramos ductus Thoracici ab hoc diſcedentes, antequam ſubclavias ingrediatur, & qui ad mammas tendunt, à quibus colligitur communicatio vaſorum chyli mammis: compreſſo ventre à fœtu in Utero exiſtente, comprimuntur lactea vaſa, & glandula magna, à qua exit ductus Thoracicus, & ita chylus per ramificationem iſtius ad mammas exprimitur, à preſſione glandulæ chylus in ea exiſtens in ductum Thoracicum impellitur, & ab hoc ad mammas tranſit. De iſtis vaſis vide *citat. Diameb. & Pequetum in Tractatu de ductu Thoracico.* Aliam cauſam addit Hipp. nempè *caliditatem, quæ ab Uteris acceſſit mammis.* Uterum incaleſcere, dum fœtum continet, manifeſtum eſt, dum magna copia ſanguinis in eo colligitur, & calor fœtus ei communicatur. Calor Uteri mammis, ob conſenſum inter has partes intercedentem, communicatur. A calore dilatantur vaſa mammarum, & capacitatem acquirunt ad ſuſcipiendam majorem quantitatem chyli, quod exemplificat *Gal.* exemplo vaſorum ſpermaticorum, quæ à frequenti coitu dilatantur. Hac de cauſa aliquando ex ſuppreſſione menſium ſine gravidatione Lac generatur incaleſcentibus mammis à quantitate ſanguinis aucta. Hujus caloris efficaciam Recentiores explicant per vim, & energiam fermenti Uteri, quæ in gravidatione exaltatur, & fermentum glandularum mammarum quieſcens ad ſuum exercitium revocat, ea præſtando, quæ calorem in mammis præſtare diximus. Chylus hoc modo ad mammas delatus à glandulis ipſarum in lac præparatur, & quia in generatione lactis conſumitur illud, quod in nutritione totius corporis impendendum eſſet, *ideò totum corpus magis evacuatur, & minùs plenum ſanguine fit*, ut ait Hipp. in præſenti Textu, *& quando carnes ſunt denſæ, ac ſolidæ*, ut ait Hipocr. minus lactis generatur, quia in hoc caſu vaſa mammarum ſunt minus extenſibilia, & minoris quantitatis chyli capacia, ideò minus lactis in mammis colligitur. In lactantibus verò deficiunt menſes, cum parva portio chyli ex cibo, & potu facti ad maſſam ſanguinis feratur refectioni partium debili, & diminutæ ſervienti, & conſequenter impeditur exceſſus quantitatis ſanguinis in vaſis, à quo tamquam à principali cauſa fluxus menſtruus pendet, quapropter hoc deficiente, neceſſe eſt, ut ille deficiat. Ab his accipimus cauſam, per quam in mola lac non generatur, & primò quia vaſa lactea non comprimuntur ab Utero molam geſtante, ſicut comprimuntur, quando fœtum gerit. Secundò, quia in mola Uterus non adeò incaleſcit, ſicut in vera gravidatione, tam ratione molæ, quæ non habet calorem, quem habet fœtus, quàm ratione ſanguinis, qui in mola ob craſſitiem, ob aciditatem parum caloris continet, à quo mammæ non incaleſcunt, quantùm ſufficit ad dilatationem vaſorum, ſed ſolùm quantùm ſatis eſt ad excitandam lenem efferveſcentiam in illarum humoribus, per quam turgent.

Reliqui Textus hujus libri continent remedia pro variis morbis Mulierum, quæ non indigent explicatione.

IN LIBRUM SECUNDUM
DE MORBIS MULIERUM.

TEXT. I. *Fluxus albus in ſenioribus Mulieribus magis fit, quàm in junioribus, &c.*

De Uteri fluxibus acturus Hipp. in principio hujus libri univerſalia quædam ſcitu neceſſaria pro horum cognitione proponit; nempè quales differentiæ fluxus ſint magis communes differentiis ætatum; & determinat fluxum album in ſenioribus eſſe conſuetum, quia in hac ætate decreſcente calore naturali, & actione fermentorum præparationi, & coctioni alimentorum, & ſanguinis elaborationi præſidentium humores excrementitii crudi, aquoſi, pituitoſi in majori copia colliguntur, concurrente etiam ad hanc collectionem diminuta tranſpiratione, caloris diminutionis comite; horum evacuationi intenta natura per viam Uteri tranſmittit; unde fluxus albus, cùm humores prædicti ſint talis coloris. In Junioribus verò, quia calor, actio fermentorum, & tranſpiratio totius maximè viget, rari eveniunt tales fluxus. *In utriſque*, nempè ſenioribus, & junioribns, *fulvi fluxus* obſervantur, & maximè in eis, quæ temperamenti ſunt bilioſi, cùm in iſtis etiam ætate provecta ſit bilis dominium, quæ facilè cum ſero miſcetur, & diſſolvitur ob particulas ſalinas, quibus talis humor abundat. *Fluxus ruber Juniores* corripit, quia ſanguine florido abundant, hujus fluxus cauſas, & curationem exponit in hoc Textu. Cauſa aliquando eſt febris etiam in eis, quæ ob Temperamenti pituito, vel melancholici conſtitutionem obſcuro, & ſubrubro, dilutoque ſanguine ſcatent. *Fit fluxus ruber in Febre*, vel criticè à natura, vel ſymptomaticè ab effervescentia inordinata ſanguinis, vel ab acrimonia caloris excedentis, vel humoris acris irritante vaſorum orificia. *In abortu* eſt *magis* frequens fluxus hic, quàm in febre; violentia enim cauſæ, per quam abortus excitatur, ut ſancivit *Hipp. ſuperiori lib. num.* 28. impetum addit ſanguini, à quo in majori copia, quam conveniat, expellitur. Cauſa eſt etiam *menſium* diuturna *ſuppreſſio derepentè poſtea apparentium*, cum immoderato fluxu ſanguinis correſpondente quantitati ſanguinis per longum tempus retenti. *Fit etiam ex partu, & febribus*, & ſi ſanguis

guis valdè redundet, *exit etiam à naribus*, *ab ore*, *vel à gingivis*, quibus dentes inſeruntur, & in hoc caſu arguenda eſt magna plenitudo univerſalis, impetum faciens non ſolùm contra orificia vaſorum Uteri, ſed etiam adverſus ea naſi, & gingivarum. Proponitur fluxus à plenitudine ſanguinis, ob quantitatem ratione abundantiæ iſtius, & ob effervefcentiam febrilem, quam in Textu, auctam vocat, à bile *meraca* ſanguinem attenuante, & valdè fluidum reddente. Dolores ſupervenientes huic fluxui, & quæ deſcribuntur in Textu, ſunt ab initio convulſionis, quæ poſtea ex integro apprehendit, ut in fine Textus; hæc convulſio eſt ab inanitione, cùm fluxum inordinatum ſanguinis ſequatur, & quamvis ab inanitione, eſt moleſta, quia dum contrahitur nervus verſus ſuam originem unà cum tendine, extrema pars iſtius parti ſolidæ fixa violenter diſtrahitur, & violenta diſtractio, cui ſuccedit ſolutio continui, eſt dolorifica. Præterquamquod in copioſo fluxu ſanguinis exeunt primò partes magis ſubtiles ſpiritoſæ, & balſamicæ, & magis fluxibiles, & remanet in vaſis fœx ſanguinis, quæ auſteritatem quandam, vel acrimoniam à ſalibus fixis, quibus abundat, contrahit; non aliter, ac vinum in fundo dolii remanens auſteritatem, vel aciditatem contrahit à fœce ibi remanente. Ab hiſce qualitatibus ſanguinis ad partes fluentis irritatæ, & morſæ partes deſcriptæ dolent. Febris à bile meraca, ideſt pura accenditur, quandoque in hac larga ſanguinis effuſione, in qua bilioſæ particulæ, ſi in maſſa ſanguinis fuerint copioſæ, & cum violentia exaltentur, eò quia maſſa ſanguinis laxatur, & illis additus aer in locum expulſi ſanguinis ad exaltationem promovet. Iſtis exaltatis, febris accenditur. Pruriginoſæ ſunt iſtæ febres, quia bilis vapores, vel ſerum bilioſum ſanguinis ad cutim delatum vellicatione, & morſu pruritum parit, & ab eadem cauſa etiam rigores, & ſudores; ab irritamento enim materiæ acris fit rigor; vellicatis papillis cutis, vaſa lymphatica in iſtis terminantia determinantur ad aperienda ſua orificia cum effuſione humoris lymphatici contenti, & ab hac effuſione ſudor. Curationem incipit *num.* 2. à Diœta in principio fluxus, & utitur verbo *prædicere*, à Foeſio legitur *pronunciare*, & refertur ad Diœtam pronunciandam, ſeu imperandam. Poſſumus etiam legere cum *Marinello*, *prædicere oportet*, nempè periculum ſatis manifeſtum vitæ, & poſtea Diœtam inſtituere. Primo loco proponit *pharmacum ad fluxiones*, quod dicit eſſe deſcripturum, prout deſcribit *num.* 69. *hujus libri*, quibus addo *Coriandrum tritum ad* ℥. *i.* & *Maſticis* ℥. *i. fiat pulvis*, & *exhibeatur in decoctione Sanguinariæ*, *Lanceolatæ*, *Thuris* ℥. *ii. coquantur in vino*, & *exhibeantur omnia*, & eſt magnum remedium. *Pulvis Concharum marinarum*, & *ex Teſtis ovi*, à quo expulſus fuit Pullus, *Ovi etiam recentis cortex*; *dempta interiori pellicula*, *valet cum decoctione Biſtortæ*, *Tormentillæ*, & *Conſolidæ*, *vel cum ſucco Burſæ paſtoris*, *vel Urticæ*; *Pervinca in vino infuſa*, *vel in aqua decocta*, *ſummè eſt efficax*. Alia vide in *Aetio cit. loc. cap.* 64. hujuſmodi medicamenta reiterare, & quater conſulit. Hæc remedia ſtatim exhibet, nullo alio præmiſſo præparante remedio, quia ſupponit fluxum à partu, vel ab abortu, vel à ſanguinis menſtrui retenti coacervatione, à quibus orificia vaſorum nimis dilatantur, & nulla indigent præparatione ad hoc, ut conſtringantur reſpectu cauſæ, ſed ſimplicem conſtrictionem indicant; nec ſi febris fuerit cauſa fluxus alia præparatione eſt opus, cùm ipſa adſtringentia fervorem ſanguinis moderentur, & impetum retundant, particulas valdè activas, & impetum facientes ad unionem ſtrictam cum particulis craſſioribus cogendo. Diœtam his remediis conjungit, cum hac reflexione, *ſi Febris adſit*, *ſorbitione*, ideſt alimentis contuſis, atque diſſolutis utitur, quia minùs aggravant, & facilioris ſunt digeſtionis; *ſi non adſit Febris*, *cibis* ſolidis. Diœta incraſſans ſit, ut colligitur ab eis, quæ in Textu ab Hipp. imperantur, & in Textu deſcribuntur. *Ab omnibus*, *quæ humectant*, *abſtinendum*. Talia ſunt Balneum, olera, fructus. Diœtæ chirurgica addit remedia, & primò ligaturas proponit, non revulſionis gratia, ſed cum intentione ſiſtendi fluxum ſanguinis, vel minorandi, quam modus ligaturæ patefacit. *Manus ligantur*; per manum intelligimus illud membrum, quod cubitum, & manus unita componunt, ut habetur *ex Lexicon Caſtello Brunoniano*. *Modus ligandi*, *ſecundùm Marinellum* conſiſtit *in ſuperpoſitione lanæ ſordidæ*, ſeu ſuccidæ *ſupra cubitum*, & *ſupra hanc vinculum imponere*, & *hoc cubitum cum lana ſtringere*, & *tali ſtrictura*, *ut curſus ſanguinis impediatur*, *eademque ligatura poplites ſupra genua ſtringere*. Secundùm Foeſium verò ligamentum paratur ex Lana ſuccida, & hoc dictæ partes ſtringuntur. Finis hujus ligaturæ eſt doloris excitationem ab omni ligatura arcta peractam impedire, ne in dolore vires per fluxum debilitatæ reſolvantur, & ligatura ſupra lanam ſuccidam, ſeu cum vinculo ex hac parato non eſt dolorifica; quapropter ab iſta vires nihil detrimenti recipiunt; ſanguis verò immobilis circa partes ligatas ſtagnans minorem facit quantitatem ſanguinis in vaſis non ligatis. Minor copia ſanguinis velocitatem iſtius, & impetum minuit, hiſque diminutis orificia vaſorum conſtringuntur, diminuta vi agentis, nempè velocitatis, & impetus, à qua aperta fuerunt, tanta virtutis in orificiis vaſorum remanente, quantam exigit reſiſtentia virtuti dicti agentis, & quanta ſatis eſt ad ſui clauſuram. Hac ratione fluxus ſanguinis naturaliter ſiſtuntur, nempè à præcedenti fluxu ſanguinis, debilitata velocitate, & impetu remanentis, facilis fit orificii vaſorum conſtrictio. Hoc præceptum Hipp. æſtiment Medici, obliteratum ad uſum reducant. Præter ligaturas, *Cucurbitas ſub mammis applicat*, *modò uni*, *modò alteri*; ſi verò ſpirandi difficultatem pariant, abſtinendum ab applicatione illarum; nam in virium languore, qualis eſt in copioſo fluxu ſanguinis, reſpiratio difficilis valdè noxia, & lethalis eſſe poteſt. Hujuſmodi remedium eſt revulſorium, quia ſanguinem ad Uterum fluentem, ad mammas trahit ob conſenſum inter iſtas partes intercedentem. Sanguinis detractionem prohibet, quàm promiſit, imò imperat in *lib. de ſterilibus num.* 34. fluente ſanguine copioſo ab Utero. Pro hac contradictione tollenda notanda verba *citat. text. de ſteril.* quæ ſunt, & *ſi vires ſufficiant*, *ante hæc omnia venam in manu ſiniſtra ſecato*, & habemus virium conſtantiam pro ſectione venæ in fluxu ſanguinis Hippocr. requirere, quæ cùm non ſupponatur in caſu propoſito in hoc Textu ratione copioſi, & violenti fluxus ſanguinis à partu, & à febre, quæ ſupponuntur cauſæ hujus fluxus, & ratione ſymptomatum in Textu deſcriptorum, à quibus vires proſternuntur, ſanguinis miſſio prohibetur, & monemur, venam ſecandam in principio fluxus ſanguinei, cùm tunc vires conſtent, ubi verò protractus fuerit, à venæ ſectione ſuperſedendum, quia vires non conſtant, nec niſi parvam miſſionem ſanguinis ſuſtinent, quæ non ſufficit ad integram revulſionem, prout patet ex doctrina circulationis ſanguinis. Cùm verò in Partu copioſa ſanguinis effuſio ſuccedat, à qua vires debilitantur, & incerti ſimus de ſuperventuro fluxu non poſſumus in principio poſt partum venam cum ratione ſecare. Hic etiam valet ratio petita à fluxu pendente à redundantia ſanguinis, & à fluxu pendente à laceratione vaſorum, & à febre. In primo caſu convenit venæ ſectio minuens redundantiam; in ſecundo non convenit, quia venæ ſectio non unit vaſa lacerata, & niſi ſuperveniat ſuſpicio inflammationis in parte ob nimium concurſum, & ſtagnationem ſanguinis in ea, non convenit miſſio ſanguinis; febrem rariſſimè ſanguinis miſſio in principio minuit, & præcipuè eam, quam parit bilis meraca, imò hanc auget. Ultimò curam complet cum ſubditiis ſanguinem ſiſtentibus, aperta vaſa uniendo, & ſciſſuram glutinando; hæc ab Hipp. proponuntur *in fine hujus lib. num.* 69.

TEXT. III. *Et ſi quidem ex fluxionibus Mulier evaſerit*, &c.

A copioſo fluxu ſanguinis multas emanare calamitates natura proſtrata, fermentis omnibus digeſtioni alimentorum, mutationi in ſanguinem chyli, & excrementorum ſegregationi præſidentibus alteratis, atque depravatis, quotidiana demonſtrat experientia. De Cachexia pituitoſa, ſeu ſeroſa ab immoderato fluxu ſanguinis prodeunte, agit Hippoc. in hoc Textu, ut oſtendunt ſymptomata deſcripta; *Uteri præter rationem*

ſemper

ſemper hyant, ideſt orificia vaſorum in illum terminantia ſunt aperta, humiditatem, & ſerum in eorum cavitatem effundendo, per quod ſemper humidi ſunt, & aditus patet etiam ſanguini, qui ſero mixtus excretionem ſimilem ſucco carnis crudæ exhibet. Orificia vaſorum aperiuntur non ab impetu, non à plenitudine, non à ruptura, vel ab eroſione, ſed à relaxatione fibrarum orificium dictorum vaſorum conſtituentium, ab humido dictas fibras irrigante continuo peracta, cum extinctione virtutis elaſticæ, impotentiam contractionis, & occluſionis orificiorum inducente; unde perpetua apertura illorum. Curationem proponit primò cum *vomitu*, non valido medicamento excitato, ſed moderato, quale eſt *radix Aſari*, *Sal album vitrioli*, *Decoctum corticis Rafani*, *& florum Camomillæ*, & colligitur ex eo, quod nihil proficientibus propoſitis remediis & vomitu, *Veratrum* exhibet, validum vomitivum, conſequenter in principio validiori non eſt uſus. Vomitus imperatur, ob evacuationem ſeroſi, & pituitoſi humoris redundantis, qui à toto etiam per vomitum purgatur, ut alibi demonſtratum eſt; ad hanc purgationem requiritur robur virium, quod ſæpè deficit in dicta excrementorum redundantia quale verò fuerit hoc robur, tale medicamentum vel debile, vel validum in magna, vel parva quantitate correſpondeat dicto robori neceſſe eſt. *Jejuno ſtomacho* propinandum vomitivum, ne à cibo virtus irritativa illius fine fructu retundatur; *poſt vomitivum cibus exhibendus*, ut ventriculus recreetur, & ne magis deficiat in ſuis actionibus, cùm ſit debilis ab alteratione remedii. *Modicus ſit cibus*, & ſemel in die, & exſiccans. Potus ſit *vinum meracum*, à quo corroboretur calor nativus in fluxu debilitatus, & ab eodem exſiccetur portio ſuperabundantis ſeri. Addit ad exſiccandum *deambulationes*; quapropter apparet totam curationem conſiſtere in purgatione redundantis humoris, quæ ſi valida, & unica vice non permittatur à viribus, per epicraſim molienda cum *pil. melanagogis*, *vel Tartareis*, *vel de Ammoniaco Querc.* omni die acceptis *ad* ℈. *i.* per decem dies; & poſtea non ſolùm Diœta, ſed etiam remediis exſiccandæ reliquiæ humoris, & calor debilis remitendus. Hæc omnia præſtant decocta ex *Saſſafras*, *Lentiſco*, *Junipero*, *Ligno ſancto*, *China*, *cum herbis cæphalicis*. Abſtinendum à balneo calido, quia fundendo humores, ſeroſitatem auget; utendum frigido, ob rationem quam dedit Hipp. in *lib.* 2. *de Diœta num.* 20. *Si hiſce non curetur morbus ad veratrum validum* vomitivum *confugit*, & ad purgationem capitis. Ratio hujus purgationis eſt debilitas cerebri contracta ab effuſione immoderata ſanguinis, per quam non ſolùm retinet copiam ſeri redundantis in eo, cùm non valeat per emunctoria ſua expellere, ſed etiam bonum ſanguinem ſecundùm qualitates primas, & ſecundas alterare valet, cum continua generatione humoris pravi, à quo impletur, ut patet à tumore faciei, & oculorum, ideò purgandum caput. Purgatio facienda Errhynis. *Martianus in Com. lib. de affect. verſ.* 21. vult fieri purgantibus electivè, & ex his compoſitis errhynis. *Succus Cyclaminis* valdè præſtat in educendo quocumque humore à capite per nares attractus, in morbi contumacia imperat uſum eorum; quæ ſcripſit pro ſterilibus, & teſte etiam *Martiano* ſunt ea, quæ continentur in *lib.* 1. *de Morbis Mulierum num.* 25.

TEXT. IV. *Conſiderare porrò oportet etiam naturas Mulierum*, *& colores*, *& ætates*, *& tempora*, *& locos*, *& ventos &c.*

In hoc Textu pro coronide præcedentis curationis, & omnium morborum Mulierum ſanatione proponit circumſtantias valdè neceſſarias ad curationes dictas rectè peragendas. Circumſtantias proponit in Textu. Hìc adnoto vini colorem eſſe ſubfuſcum rubrum. Uſus iſtarum circumſtantiarum in hoc conſiſtit, ſi v. g. Mulier ſit temperamenti valdè humidi, & morbus Uteri ab humiditate procedat, exſiccantia contraria validiora adhibenda in curatione; ſi verò temperamenti fuerit ſicci, & morbo humido laboret, mitiora exſiccantia eligenda. Eadem animadverſione conſiderandi ſunt loci, & venti, quatenus per hos corpus ſit vel humidum, vel calidum, vel frigidum, vel ſiccum; nam ſi in temperamento humido, & morbo humido locus regionis ſit ſiccus, & venti aquilonares exſiccantes regnent, exſiccantia mitiora præſcribenda; è contra ſi locus humidus, & venti humectantes, efficaciora, & aer à loco, vel vento alteratus, extrinſecis deducendus eſt ad naturam remedii requiſiti à morbo ægrotantis.

TEXT. V. *Si fluxus in Uteris obortus fuerit*, *&c.*

Fluxum ſanguinis vitio Uteri hìc proponit Hippocr. ut patet à cauſa ibi aſſignata, nempè *abortus*, *& menſes* per multum tempus *ſuppreſſi*, *& cum impetu* poſtea *erumpentes*, utraque cauſa Uteri vitium præſupponit. Abortus cùm ſit præternaturalis, cauſam præternatulem in Utero requirit, & cùm in hoc violenter ſeparetur placenta cum fœtu ab Utero, cum aliqua ruptura vaſorum, hæc vitium in Utero ponit, & copioſi fluxus in abortu ſemper ſunt, cum magna vaſorum aperitione, vel ruptura. Retentio diuturna menſtruorum vitium in Utero, à quo menſes detinentur, ſatis clare manifeſtat; patet etiam à ſymptomatibus in Textu deſcriptis, nempè *à duritie ventris*, *& à dolore ejusdem per contactum*, quæ Uterum affectum eſſe indicant. In utraque cauſa fit fluxus ſanguinis, quia à qualibet earum nimis dilatantur, vel rumpuntur vaſa Uteri; Ita quælibet ex his duabus cauſis in Utero præternaturaliter exiſtens dictæ aperitionis, vel rupturæ vaſorum effectiva, erit cauſa fluxus ſanguinis vitio Uteri. *Febris acuta* ab abortu præcisè excitari non poteſt, ſed ſolùm ratione diſpoſitionis pravæ in ſanguine exiſtentis, vel in aliqua parte aptæ febrem acutam excitare. Nam abortus, niſi ratione doloris eum eo conjuncti, Febrem acutam excitare valet, & dolor non valet efficere febrem acutam, niſi ſit mala diſpoſitio in ſanguine, vel in parte, & dolor tunc eſt cauſa excitativa, non effectiva. Diſpoſitio ſanguinis prava eſt redundantia excrementorum in eo naturam fermenti præternaturalis tetinentium, quæ à turbatione in maſſa ſanguinea inducta ſolvuntur, & diſgregantur à particulis, quibus uniebantur, & quæ illarum motum, & actionem reprimebant; unde ſoluta dicta fermenta hanc exercent cum fermentatione valida maſſæ ſanguineæ febris acutæ excitativæ. Vel diſpoſitio prava eſt in parte latens, & ſopita, quæ à dolore ad actum reducitur cum febre acuta. Nec fluxus ſanguinis præcisè valet febrem acutam excitare, licèt turbationem in motu particularum ſanguinis inducat, ſed non talem, qualem exigit febris acuta, ſed ſolùm talem, qualem requirit pulſus alteratio, non inordinata, ſed paulò frequentiorem pulſum reſpectu ſui naturalis motus efficiens. Quapropter ſi ab abortu febris acuta excitetur, hujus cauſa non eſt abortui tribuenda, ſed diſpoſitioni pravæ in maſſa ſanguini, vel in parte exiſtenti. Sanguis menſtruus diu retentus, exitum cum impetu à fermentatione in locis obſtructis concepto ſibi parans, eodem impetu totam maſſam ſanguinis exagitare, & fermentare valet cum febris acutæ ſuſcitatione, ſi particulæ activæ mobiles, fermentativæ ſanguinis in vaſis Uteri exiſtentes, quibus maxima vis ineſt per evaporationem toti maſſæ ſanguinis communicentur. *Tumor ventris* non poteſt aliam cauſam habere, niſi fermentationem ſanguinis in Utero, à qua *venæ etiam duræ*, *& renitentes fiunt*, dum ſanguis à fermentatione tumet, & intumeſcentia venas implet, & duras, & renitentes reddit. Cætera ſymptomata explicantur per ea, quæ dicta ſunt ſuperiùs, & ex dictis in hoc Textu. Curationem incipit ab Utero, quia pars primò affecta; & *groſſum*, ideſt Ficum primò ab arbore erumpentem, & flos ficus dicitur, Utero apponit, hanc cribratam expoſcit, quare exſiccanda, & contundenda, ut cribrari poſſit. *Poſtea refrigerantia Uteri regioni apponit*, ut ſedetur fermentatio humorum in iſto, & cùm hac tumor, & durities auferatur, *cavendo*, *ne horreat* à frigiditate, quia horror eſt nuncius imminentis inflammationis; poſtea adſtringentia intus, & extra applicat, & cibis in eumdem finem ſicciſſimis utitur pro Diœta. *Si intumuerit*, *poſt ſedatum fluxum*, purgat per inferiora, per quam partem Uterus principalis pars affecta faciliùs ab excrementis contentis mundatur; *poſtea ſuffitu exſiccetur os*; & modum utendi habes *num.* 74. *hujus libri.*

TEXT.

TEXT. VI. *Ruber fluxus fluit talis, qualis ſanguis victimæ recens mactatæ, & grumi pellucentes, &c.*

Alteram differentiam fluxus rubri proponit Hipp. in hoc Textu, & reſultat à calore ſanguinis, qui eſt rutilans, & ſplendidus, qualis à victima exit; talis color eſt adeò intenſus, & perfectus, ut in grumis ejuſdem, qui nigreſcere ſolent ſemper conſervetur. Hujuſmodi color eſt proprius ſanguinis valdè bilioſi, ideſt ſummè calidi, & ſpiritu fœcundi; à calore enim, & ſpiritu talis color producitur cum ſubſtantiæ textura huic colori congrua, & neceſſaria eumdem colorem habet ſanguis arterioſus. Quapropter cenſendum hunc fluxum ſuccedere, vel in temperamento bilioſo, vel à ſanguine arterioſo, in quo ſemper eſt hujuſmodi color. Alterum fundamentum hujus differentiæ deducitur à cauſa hujus fluxus aſſignata in hoc Textu, in illis verbis, *Morbus hic ex partu maximè corripit, ſi quid in ipſa* (parturiente) *aliquid dilaniatum non prodierit, ſed intus computruerit, & fœtus exaſperatus fuerit*, per quæ ſupponit ad exitum in partu deſtinatum aliquid non exiiſſe, ſed in Utero remanſiſſe, & putredine acre factum irritare orificia vaſorum, & arteriarum, ut aperta maneant, ſanguinemque rutilum, & ſplendentem profundant, dilaniari non poteſt, niſi ſecundina ſecundùm aliquam partem illius, ut ſæpe contingit, & in Utero remanens ibi putreſcat. Poteſt etiam in ſeparatione ſecundinæ ab Utero hic dilaniari in aliqua parte, ſecundum ſuperficiem, & portio dilaniata remanere in Utero, & putreſcere non ſolùm quod dilaniatum eſt, ſed etiam locus dilaniatus cum arteriarum dilaceratione in ſeparatione prædicta, vel exeſione per putredinem loci dilaniati, à quibus, arteriis dilaceratis, ſuccedere profuſionem deſcripti ſanguinis neceſſe eſt. Quid intelligendum ſit pro Fœtu exaſperato, valdè obſcurum eſt, niſi metaphoricè accipiatur, prout accipitur in Irato, qui dicitur etiam exaſperatus? & ſicuti Iratus membra inordinatè, incompoſitè, & violenter movet; ita fœtus, ſi hoc modo moveatur, in exitu poteſt dici exaſperatus, & in hoc motu poteſt dilaniari portio integumentorum, quibus tegitur, & etiam cum violentia motus, facta ſeparatione ſecundinæ ab Utero, aliqua portio tenuis iſtius diſcindi poteſt cum ruptione arteriæ, & effuſione ſanguinis valdè floridi. Cauſæ deſcriptorum ſymptomatum patent ex dictis, & reliqua in Textu ſunt clara. Curationem aggreditur, primò *ſpongiam humidam* dolenti parti admovet ad removendum dolorem, ut ipſe fatetur, in quo humido ſpongiam humectet, non explicat; modus tamen loquendi indefinitè demonſtrat loqui de humido generico, quale eſt *aqua*, & non calida, qua uſus eſt ſemper in ſedandis doloribus, quia hæc fluxum ſanguinis majorem efficeret, ſed *frigida*, quæ ad ſiſtendum ſanguinem multùm valet; talem eſſe Hipp. intentum, declarant ſubſequentia verba, *aut linteum tenue, molle, raſum aqua frigida madefactum*, hoc haber vim alternandi, ideò poſtpoſitum hoc adverbium ſpongiæ, & additum linteo aqua frigida madefacto, exprimit uſum vel ſpongiæ, vel lintei, & ſi hoc aqua frigida humectat, idem dicendum de ſpongia humectata aqua frigida. Ad ſedandos dolores aqua frigida uſum eſſe Hipp. ex variis locis colligimus, & præcipuè in doloribus à fluxione partium externarum, quia fluxiones ſiſtit, quæ ſunt in motu, & quæ in parte hoſpitantur incraſſat, & incraſſatæ minus affligunt, dum aculei ſuarum particularum obtunduntur. Præterquamquòd ſenſus partis à frigido mortificatur, unde cauſa dolorifica minus ſenſibilis eſt organo tactus. Adnoto, hoc remedium non eſſe exercendum in principio, ſi ſit ab abortu, ſed tolerandus exitus ſanguinis in ea quantitate, quæ in abortu ſolet effundi. Secundò menſes moventia exhibet. Præter rationem videtur menſes moventia exhibere, ubi fluxus eſt ſanguinis ab Utero; nihilominus habito reſpectu ad ea, quæ ſuperiùs dixit Hipp. eſt omninò rationabile; ait enim, *hujus fluxus cauſam eſſe quid dilaniatum non prodiens, ad hoc, ut prodeat, menſes moventia exhibeantur*. Tertiò incraſſantia proponit maximè convenientia, ubi ſanguis cum nimia fluiditate, & motu, prout in caſu præſenti peccat, miſcet verò *Origanum*, *& Pulegium*, *& Rutam*, quæ attenuant, & calefaciunt, ut calorem à fluxu debilitatum ſuſtineat, & augeat, ne ab incraſſante materia exhibita ſuffocetur, & ut duobus ſymptomatibus timendis occurrat, impotentiæ nimirum motus, & puſillanimitatis. Impotentia provenit à ſpirituum paucitate; hos multiplicant prædicta remedia. Puſillanimitas, quæ non eſt niſi languor, ſive frigus ſpirituum, quod obſtat, ne anima in ea exequenda tendat, quæ perageret, ſi iſto frigore deſtitueretur. Hoc frigus tollit Origanum, & alia dicta. Ab his præceptum deducimus, ubi ſymptomata ſunt valida, non ſolùm morbo, ſed etiam iſtis eſſe occurrendum, & remedia eſſe miſcenda, ubi remedia, quæ morbum oppugnant, ſunt ſymptomatibus contraria, ut in caſu noſtro, in quo pro curatione fluxus conveniunt incraſſantia, quæ ſpiritus inviſcando opprimunt, & impotentiam, & puſillanimitatem augent, tunc huic damno obviandum, cum Hipp. corrigendo leniter virtutem remedii ſymptomatibus minimè convenientem, & in caſu noſtro pro fluxu conveniunt incraſſantia, hæc nocent languori, & puſillanimitati, corrigatur incraſſans aliquo modo attenuantibus, ut *Pulegio*, *Origano*, *Ruta*. Hæc, & alia deſcripta adhibenda, donec fluxus, & dolor intermiſerit. Poſſunt etiam remedia ſanguinem ſiſtentia ſuprà deſcripta præberi, cum cephalicis calidis mixta, ita tamen ut adſtrigentium vis ſit ſuperior. Quartò *diminuto verò fluxu, & dolore, ea, quæ ſurſum, vel deorſum movent, & purgant, exhibenda*, ob rationem dictam ſuperiùs de Cachexia ab immoderato fluxu ſanguinis; ſint verò levia ob virium debilitatem. Quintò *Lac coctum, vel crudum bubulum* propinat, non ſolùm ad ſanguinem incraſſandum, ſed etiam ad ejus calorem nimium, & acrimoniam moderandam, quam ſanguinem floridum ſemper habere ſupra diximus, cùm bilis ſaltem naturalis in eo redundet, *prout opportunum eſſe viſum fuerit*, ideſt ubi multum incraſſandum, Lac coctum, ubi minus, crudum; ubi major acrimonia, & calor, crudum, ubi minor, coctum. Pro quantitate determinanda conſulendum robur ventriculi; Cùm verò ut plurimum ſit languidum, tutior via eſt à parva quantitate incipere, & hanc paulatim augere, donec ad libram unam, & duas perveniamus. *Hic morbus* dicitur ab Hipp. *debilis*, quia longus, *& eſt lethalis, & paucæ ex ipſo effugiunt*.

TEXT. VII. *Cum Mulieri ſanguis ab articulis fluxerit, &c.*

Difficilis proponitur Textus, dum in hoc deſcribit Hippocr. fluxum ſanguineum Uteri per ſanguinem ab articulis provenientem, *à lumbis, & coxendice*, & certò nobis conſtat ſanguinem ad partes non deferri alio inſtrumento, quàm arteriis, quæ in Utero multæ conſpiciuntur, numerum venarum valdè excedentes, & nulla arteria ab articulis, & coxendice diramatur ad Uterum, neque à lumbis propriè loquendo deſcendit arteria ad Uterum, nam quæ ſuperiorem uteri partem inveſtiunt arteriæ à vaſis ſeminalibus, antequam præparantia vaſa efforment, diſcedunt, & per has nullum obtinet conſenſum Uterus cum regione lumbali, vel renum, cùm prædicta vaſa præparantia ab arteriæ Trunco deſcendentis, à quo etiam arteriæ emulgentes procedunt, diramentur; nulla verò arteria à renibus ad vaſa præparantia ſemen, vel ad Teſtes, nec ad Uterum protenditur; ſicut nec à regione lumbali; quapropter nec à lumbis materia Utero ſubminiſtrari poteſt. Et ſi cum lumbis, & renibus, & Utero videatur mutuus eſſe conſenſus, hic poteſt provenire à proximitate arteriæ emulgentis, & arteriæ ſeminalis, quarum origo à Trunco magnæ arteriæ proximæ habetur, non ab eo, quod vaſa ſint connexa, ut à renibus per hæc, & à lumbis Uterus materiam ſuſcipere valeat. Quibus ſtantibus, non poteſt afferi cum Hippocr. dari *fluxum ſanguinem Uteri ab articulis, coxendice, & lumbis provenientem*. Pro hac difficultate enodanda conſideranda qualitas fluxus ab Hippocr. deſcripta, & etiam materia familiaris articulorum. Sanguis exiens in hoc fluxu eſt mixtus cum glutinoſo humore, ait enim Hipp. *glutinoſam eſt ſimul cum ſanguine*, ſanguis non eſt glutinoſus, ſed glutinoſum eſt cum ſanguine mixtum, ſpeciem referens illius humoris glutinoſi, mucilaginoſi, pellucidi, ſpermati ſimilis in ligamentis, & oſſium articulationibus exiſtentis, & qui ſynovia à *Paracelſo*, *& El-*

& Elmontio nuncupatur, & ab harum partium vulneribus, ſicut etiam ab illis magnorum nervorum extillare Chirurgi obſervant, & à præciſis pedibus vituli recenter mactati profluere à Tybiis, docet experientia; ob ſimilitudinem humoris glutinoſi ab Utero cum ſanguine fluentis cum ſynovia, ſeu humore articulorum Hipp. hunc fluxum ab articulis vocat. Hunc fluxum ſanguinis cum glutinoſo humore mixtum aliqui Medici exiſtimant eſſe fluxum ſanguineum ab Utero, cùm hic nullam habeat partem in hoc fluxu, ut probat Hippoc. ſubſequentibus verbis, *Illud verò, quod ab Uteris, & cavis venis fluxit ſanguis purus eſt*, cum hic purus non ſit, ab Utero non procedit. Unde proveniat hic fluxus, clarè decidit Hipp. in illis verbis, *Cum Mulieri ſanguis ab articulis fluxerit*, cum verò hic fluxus ab articulis ob rationes ſupradictas evenire non poſſit, inquirenda alia cauſa, & origo, quam mihi videtur demonſtrare Hipp. in illis verbis, *Quum Mulieri ſanguis ab articulis fluxerit à partu, aut à labore corruptæ*, ideſt vitiatæ, & contaminatæ; quo vitio? Illo, quo glutinoſum in ſanguine colligitur, & eſt indiſpoſitio ſanguinis, per quam ſerum iſtius ex ſui natura concreſcibile concreſcit, & in glutinoſum quoddam corpus tranſit, quod cum ſanguine per Uterum exit. Cauſa concreſcentiæ ſeri eſt calor, & experientia hoc docet, cùm ſerum ſanguinis non urinoſum moderato igne alteratum, tamquam albumen ovi concreſcat; à partu, à labore incaleſcit ſanguis, ut demonſtrat alteratio pulſus in frequentia, & turgentia in utroque caſu ab hujuſmodi calore ſerum ſanguinis pro diſpoſitione naturali ad concretionem aucta concreſcit citò. De hoc ſero concreſcibili videantur Recentiores. Hæc eſt cauſa glutinoſi in ſanguine exiſtentis; & quia hoc glutinoſum eſt à materia ſeroſa, quæ naturaliter fluit ad articulos, fluxus ſanguinis cum hac materia dicitur ab articulis, non ratione partis, ſed ratione materiæ. Cauſa fluxus eſt eadem, nempè calor in partu, & labor; ab his enim orificia vaſorum Uteri dilatantur, & magis à conatu partus; per hanc dilatationem fluxus ſuccedit, quem faciliorem reddit impetus ſanguini communicatus à calore partus, & à labore. Curationem *ſuffitu* incipit, eò quia intendit Hipp. indiſpoſitionem Uteri in dilatatione vaſorum conſiſtentem primò tollere, cùm hac permanente nullus ſit fluxui finis. Suffitus deſcribitur unà cum modo executionis. Solùm adnoto, *Zeam* eſſe Speltam. *Semodium*, legit *Foeſius*, *ſemiſextarium*, pendet *uncias decem*, & ſecundùm *Rhodium uncias ſex cum dimidio*. *Semen ſerpentis*, apud aliquos eſt *Semen ſanctum*, dictum forſan ſemen Serpentis, eò quia *vermes enecat*, & nomen Serpentis. Antiqui omni reptili adaptabant; propriè tamen accipitur pro *Canabel*, quod nil aliud eſt, quàm terra quædam arenoſa ab aere cadens tempore pluviæ, quæ vermes enecat, & qua feruminantur vaſa fictilia rupta: ita habet *Matthiolus in Tractatu de Semine ſancto*. Ultimo loco *Semen Eryſimi torrefactum exhibet*, *ſi ſatis habuerit ægra*; legit Foeſius, *quòd ſi ſatis eſſe videatur*, ideſt pro reſtrictione fluxus ad corrigendum viſcoſum mentem convertit Hipp. ſemine eryſimi, à quo attenuatur humor glutinoſus, torrefacit hoc ſemen, ut aliqualem adſtrictionem acquirat, quo fine *Rhaubarbarum* torrefit pro alvi fluxu, & habemus præceptum miſcendi attenuantia, cum adſtringentibus in hoc, & ſimilibus caſibus. Reliqua in Textu ſunt clara.

TEXT. VIII. *Fluxus fulvus fluit, velut ex ovo vitioſo, &c.*

Explicatis fluxibus ſanguinis per Uterum ad fluxus diverſi coloris explicationem tranſit, & primò ad *Fulvum*, quem diſtinguit in incipientem, & in perſeverantem. In incipiente dicit, *colorem* illius *eſſe ſimilem colori ovi vitioſi*, in quo prædictus color obſervatur, & talem in ovo vitioſo, ſeu corrupto inſpicimus.

Dubitari poteſt, an à putredine in Utero vitio iſtius concepta hujuſmodi colore tingi poſſint humores in eo corrupti, vel cum tali colore à venoſo genere accipiat Uterus. Dubium enodabit conſideratio temperamenti ægrotantis, quòd ſi non fuerit bilioſum, nec calidum, & Uteri vitiati ſigna extiterint, vel aliquod infortunium ei contigerit, ab Uteri vitio hunc fluxum pendere decidendum. Si temperamentum fuerit bilioſum, nullo apparente ſigno vitiati Uteri à toto credendum, & in hoc caſu graveolentiam ab Utero ſuſcipiunt, vel ob moram, vel ob vitium iſtius; nam ſi putredinem in maſſa ſanguinis contraheret, febrem excitaret, de qua nullam mentionem facit Hipp. in hac prima parte; quapropter in hoc fluxu ſemper eſt vitium Uteri, quotieſcumque adeſt graveolentia in materia fluente ſine febre, etiam ſi ad fluxum concurrat vitium totius; *Uterum inflammari* dicit, hoc eſt incaleſcere. Nam apud Hipp. Inflammatio ſine febre incaleſcentiam ſignificat. Hæc incaleſcentia non eſt accipienda tamquam cauſa fluxus, ſed tamquam effectus, eò quia Textus priùs ſupponit fluxum, quàm incaleſcentiam. Dolores in prædictis partibus ſuccedunt dependenter à connexione cum variis partibus; nam collum Uteri ſecundum partem anteriorem mediante Perithonæo, veſicæ, & pubis oſſibus, poſteriùs inteſtino recto, & oſſi ſacro connectitur, ac circa pudendum cum ano coaleſcit, à lateribus Perithonæo cohæret, & Ilio oſſi per ligamenta unitur, & Utero affecto omnibus iſtis partibus affectio fit communis. *Multa prodeunt*, ideſt fluxus eſt copioſus ob quantitatem materiæ ad Uterum fluentis, ob debilitatem partis recipientis, dum ob hanc tarda ſuccedit in ſuis vaſis circulatio, & ob moram contenti humoris corruptio in majori quantitate contingit, quam ſi circulatio celeri motu perageretur, & ex perſeverantia fluxus *celeriter* fluit materia, ideſt cum frequentia, itaut fluxus continuus evadat; à continuo fluxu via iſtius magis ſemper dilatatur. Perſeverante hoc fluxu, putredo major incaleſcit, ut ſuccedit in omni putredine, ob tritum axioma, *Putridum tangens non putridum, facit putridum*. Hoc putredinis augmentum indicat Hipp. in illis verbis, *Quæ reſtant putrefacit, quam maximè id fieri poteſt*. Hic ſtatus fluxus cum magna putredine diſtinguitur à rigore, quem parit humor vellicans, partes membranoſas, quas habet Uterus, *quod fluit eſt ſimile ſucco à carnibus aſſatis* ſtillanti, & incipientem vaſorum corroſionem indicat, à qua fluens ſanguis guttatim, & mixtus humori excrementitio dictum colorem imprimit, & eſt principium ulceris, & hoc innuit Hipp. quando in curatione dixit; *Si verò ex hac Diæta ab inflammatione, & ulceratione liberentur*. Febris cum iſtis ſymptomatibus conjungitur; ubi enim adeſt inſignis putredo cum principio eroſionis alicujus partis, febris accenditur. Cauſam non indicat apertè Hippoc. hujus fluxus, ſed à putredine, à calore, & acrimonia propria bilis in humore putrido colligimus eſſe calorem Uteri putrefactivum, qui ſemper magis augetur à putredine, ut videatur proprius inflammationis; hæc eſt cauſa efficiens; materialis non poteſt eſſe, niſi ſerum multa bile ſaturatum, quod ſupponit Hipp. purgando totum vomitu, & purgatione. Prognoſticum hujus morbi, patet à Textu. Curationem incipit, *ſi abſit Febris à vomitivo valido*; nos contenti erimus moderato aliis in locis deſcripto, poſtea intermiſſis aliquibus diebus purgans per alvum exhibet, ut cacochimia in ſuperioribus, & inferioribus vaſis exiſtens minuatur. Secundò Diœtam conſtituit, à qua *fluxiones aquoſæ, & tenues fiant*, ut cum his conditionibus materia in Utero exiſtens citiùs purgetur; purgatio enim Uteri præparanda eſt, ut humores fluidos faciamus, ut de alvi purgatione ſancivit Hipp. Talis Diœta nobis regula debet eſſe pro determinandis medicamentis, quæ valdè fluxiles reddunt humores, & ſunt, quæ moderatè attenuant, decoctio iſtorum exhibeatur, ab aqua, vel jure, in quo decoquuntur fluxibilitatem majorem accipiunt humores. Tertiò humore fluxibili, & aqueo reddito medicamentum aliquod ex deſcriptis ad fluxum Uteri in fine hujus libri à *num. 69.* uſque *ad 77.* exhibet *manè jejuno ſtomacho*, & talia medicamenta ſunt adſtringentia, & fluxum gumorum cohibentia, & cum iſtis medicamentis aliam Diœtam imperat à priori differentem; debet enim hæc convenire cum medicamentis adſtringentibus, & incraſſantibus. Quartò Utero providet, quatenus eſt inflammatus, vel concluſum ejus orificium, cùm hæc ſint impedimenta curationis, & de his actum eſt ſuperiùs. Quintò his remediis non cedente fluxu caput purgat, ob rationem alibi dictam, & hæc purgatio *errhynis, & maſticatoriis* promovenda, ut alibi pariter determinatum eſt. Reliqua in Textu ſunt clara. Solùm adno-

to, ſi

to, ſi curetur Mulier, & Uteri humidi remaneant, hoc eſt ab eis extillet aliqua humiditas, ſine moleſtia exſiccandus eſt Uterus, ſed ſolùm ſuffitu, cujus normam dedit Hippoc. in fine hujus *lib. num.* 74. & adnoto, Diœtam exſiccantem proponi ab Hippoc. in illis verbis, *frequenter jejuna vomat; & poſteà parum prandeat*. De curatione fluxus cum febre, quam aliquando conjungi cum hoc aſſeruit in Textu, non agit Hippoc. vel quia deſperet de curatione, vel quia ſit curandus eo modo, quo ulcera Uteri curantur, quo modo verè eſt curandus, & talem curationem ſuperiùs expoſuit.

TEXT. IX. *Fluxus albus fluit, velut alba aſini urina, & in facie ſunt Tumoris albi, &c.*

Fluxum album hìc deſcribit Hippoc. cujus cauſam deducimus à Textu per illa verba, *aut etiam vomuerint velut acidam aquam*. Acidum ſuperabundare hic vomitus indicat, non ſolùm in ventriculo, ſed in univerſa maſſa ſanguinis, & præcipuè in iſtius ſero, quod ob vitium ſanguinis, vel ventriculi redundat magis, quàm ſtatus naturalis ſanguinis requirat, ut demonſtrant accidentia in Textu deſcripta. Serum acidum hoc habet proprium, ut in vaſis nullam patiatur coagulationem ſenſibilem, ſed unà cum reliqua maſſa in minimas particulas diviſum fluit; ubi verò ab arteriis in poroſitates partium, vel canaliculos in iſtis excavato effunditur, ob diſpoſitionem, quam habet ab acido ad concretionem, ſeu incraſſationem, in iſtis ſi diù moretur fixatur, & remanet cum tumore partium recipientium, & quæ in Textu enumerantur ſymptomata ſuperveniunt; in aliquibus craſſitiei ſigna obſervantur; nam *ſi præſſeris digito, notæ*, ſeu veſtigia preſſionis parti preſſæ *imprimuntur velut in fermento*, cùm in particulis humoris ſeroſi coagulati non adſit virtus elaſtica, per quam particulis compreſſis, ablato opprimente, ad priſtinum ſitum reductio permittitur. Hujuſmodi ſerum cum ſanguine ad Uteri vaſa delatum continuo curſu ſua acidita te irritando ſibi exitum parat frequenti fluxu extra pudenda: Copia hujus in Utero colligitur, quia eſt via expurgationi deſtinata, & tanta eſt, ut gravitas, & dolor in eo perſentiatur, cum ob quantitatem exitus materiæ fluxæ retardetur, & conſequenter ut in copia congregetur in vaſis Uteri neceſſe eſt, non obſtante aciditate irritante, & copia ejuſdem ſeri delata ad glandulas, à quibus ductus ſalivales oriuntur; *Os ſaliva implet*, & ab acido ſalivæ vel manifeſto, vel occulto *ulcera in ore fiunt*, & ab eodem in ventriculum per glandulas tunicæ villoſæ effuſo mordentur illius membranæ, & præcipuè ſi jejuna ſit; nam tunc deficiente acidi moderatore, qui eſt cibus, majorem in ſua actione vim obtinet. *Aſcenſus per acclivem locum difficilem inducit reſpirationem*; nam ratione hujus motus copia ſanguinis ad pulmones tendit, qui cùm ob ſpirituum inopiam tardè circuletur, hæc in pulmonibus ſtagnat, ejus vaſa implendo, & oppreſſione motum liberum, & expeditum eorum prohibendo difficilem facit reſpirationem. Ab eadem copia ſeri implente vaſa, & poroſitates partium inferiorum cum tumore oppreſſi muſculi, & nervi illarum motus impotentia corripit, quam majorem facit ſpiritus animalis penuria, & inertia, & impeditus eorumdem influxus ob impeditam ab opprimente nervos humore viam. Deficientia ſpiritus vitalis in humore ſtagnante, quia ſeroſus partim, & etiam terreſtris non ita calefacit partes extremas, ut frigori aeris ambientis non ſit ſuperior; ideò ab hoc refrigerantur. *Puſtulæ in maxillis rubentes, parvæ, aquoſæ, & malignæ*. Difficile eſt concipere, quomodo in redundantia ſeri, & in ſanguine ſpiritu depauperato poſſint reperiri puſtulæ rubentes in maxillis, quando faciei *tumor* eſt *albus*, *& partes ambæ ſub oculis tument*, *& hydropiformes* ſunt, *& color totius corporis eſt exalbidus*. Nihilominus cùm in tali habitu corporis ab Hipp. deſcripto tales puſtulæ ſenſibus appareant, de exiſtentia iſtarum non eſt dubitandum, quomodo dubitandum eſt de cauſa, quam elicio à natura maſſæ ſanguineæ in hoc habitu, in quo ſerum craſſum, quia facilè coagulabile redundat, & ſanguis pro majori parte etiam craſſus, quia ſpiritu vitali depauperatus; undè remanet ſolùm aliqua portio ſanguinis tenuis, & ſpiritoſi, à quo actiones vitales, licèt debiliter, conſervantur. Hic ſanguis ſuum habet ſerum, non adeò craſſum, & cum per circulationem deponatur portio ſanguinis hujus in poroſitatibus partium ab humore craſſo, aliquæ particulæ iſtius detinentur in ſuperficie cutis, quæ effervefcendo, & fermentando ob impeditum motum puſtulas rubras efficiunt, quæ rumpuntur, aquam effundunt, dum ſerum cum ſanguine mixtum per eas exit; & dicuntur etiam malignæ non ratione humoris, ſed ratione malæ conditionis corporis, in quo calor naturalis eſt debilis, & ulcera, ubi calor eſt debilis, facilè malignitatem contrahunt. In maxillis apparent hæ puſtulæ, eò quia ſanguis tenuior faciliùs per motum cordis ad ſuperiora impellitur, quàm craſſior, qui ſua gravitate vim impulſus ſurſum vincendo ad inferiora tendit, & cum cutis in facie ſit maximè tenuis, puſtulæ etiam ibi faciliùs elevantur. Curationem proponit Hippoc. primò cnm medicamentis purgantibus ſerum, & pituitam, prout indicat in illis verbis, *quæ bilem flavam non purgant*; purgatio reiteranda epicraticè, prout demonſtratur ab illis verbis, *exhaurire oportet, quum redundarint per Pharmaca*. Redundantia humoris, ut in Cachexia, non poteſt tolli unica purgatione, quapropter reiteranda, & epicraticè exercenda cum maximo commodo, quia talis evacuatio vires non debilitat. Diminuta redundantia humoris diuretica præbenda, ſunt autem illa ſale volatili prædita, quæ ſanguinem fundunt, & calefaciunt; & urinam movent; inter quæ *Naſturtium aquaticum*, *Piperites*, *Semen Dauci*, *Saxifragiæ*. Caput purgat, ut etiam per hanc viam à natura humorum eductioni apertam ſerum, & pituita educatur, eduxit per ſeceſſum, per urinam, educatur etiam per nares, & os, cùm per has partes ſit commoda evacuatio; & ita totum corpus à colluvie ſeroſa, & pituitoſa purgabitur, & caput à multis morbis, quos colluvies prædicta in eo collecta parere poteſt, præſervabimus. *Illuvies* prohibetur, ideſt balneum, quia humectat, & exſiccatione morbi curatio indiget. Humorem ſeroſum, qui continuò ab indiſpoſitione malâ viſcerum generatur, decoctione *Epthymi* evacuat, ne redundantia iſtius de novo contingat; ideò laudantur frequentes, ſed blandæ purgationes. *Deambulationes* ſuadet, à quibus humor ſeroſus paulatim reſolvitur, vel ad emunctoria, ducitur, & calor naturalis excitatur, & roboratur, quod faciendum eſt etiam medicamentis, & præcipuè aromaticis, poſt cibnm. Plura vide de Cacochimia pituitoſa in Practica Medicina Hippocratis.

TEXT. X. *Fluxus albi alterius Curatio. Purgatur album ſubulteum, &c.*

Luteus color in humoribus eſt color bilis vitellinæ, ſimilis colori lutei ovi; *Subluteus*, eſt color luteus dilutus minùs intenſus; diluitur color luteus, & fit minus intenſus ad album vergens, ideò dicit, *purgatur album ſubluteum*, ab admixtione ſeroſi humoris, eo modo quo aqua omnes colores diluuntur, & remittuntur. Color ſubluteus in hoc caſu non eſt ſignum remiſſionis acrimoniæ bilis vitellinæ, eò quia ab hac ulceratur Uterus; qua de cauſa cenſendum ſerum, quod ſui miſcella diluit colorem luteum bilis vitellinæ, non eſſe aqueum ſimpliciter ſine nulla acrimonia, quia demulceret illam bilis, & ulcerandi, corrodendique potentiam frangeret, eo modo quo ab aqua ſimplici quælibet acrimonia frangitur. Serum ergo, à quo bilis vitellina diluitur, in propoſito caſu non eſt aqueum ſimpliciter, ſed acre; acrimoniam accipit à particulis ſalinis maſſæ ſangnineæ in eo diſſolutis, & quæ redundant in dicta maſſa bilem vitellinam congregante, ab eiſdem ſerum urinoſum acre redditur, & in exitu per veſicam *mordet*, *& lancinationes infert*; hic humor *ad Uterum delatus ulcerat*, ab ulcere *febris*, à febre *ſitis*, *vigiliæ*, *& mentis emotiones*; in ſanguine bilioſo, fermentum febrile etiam debile, tumultus vehementes ſuſcitat, ob facilitatem ſanguinis bilioſi ad immoderatas effervefcentias. *Reſpiratio difficilis* apprehendit, *quando feſtinanter aliquid egerit*. Hoc accidens ſupponit debilitatem, languorem ſpirituum animalium, & præcipuè muſculorum reſpirationi inſervientium. Actio cum feſtinatione exercita promptitudinem, & copiam, & agilitatem requirit ſpirituum, etiam illorum, qui reſpirationi unà cum muſculis propriis ſerviunt, cùm dicta actio, ſi totius corporis motum exigat, reſpirationem augeat; quam cùm ſpiritus muſculorum prædictorum ſuſtinere, & regere non poſſint, ob eo-

ob eorum languorem, ſequitur, ut niſi cum conatu,& difficultate reſpiratio exerceatur. Hoc apertè patet in convaleſcentibus lànguidis, dum à levi motu, & parvo difficulter reſpirant; niſi ob languorem ſpirituum, per quem cum difficultate movent dictos muſculos, cùm nulla alia obſervetur leſio in partibus reſpirationi præſidentibus. Ob eamdem cauſam, nempè ſpirituum languorem, partes in exercitio operationum cum aliqua feſtinatione *exolvuntur*, ideſt multùm debilitantur. In curatione hujus morbi purgationem omnem prætermittit, ob mox demonſtratam virium debilitatem, & ſpirituum languorem, & ſolis demulcentibus acrimoniam humoris, & adſtringentibus utitur; in primo genere eſt *Mecona*, ſeu *Peplum album*, ideſt *ſemen Papaveris albi*, & monemur Opiata locum habere in hujuſmodi affectu, quia acrimoniam validè contemperant, motum humorum effrenem ad uterum cohibent, eorum ſubſtantiam incraſſant, & fluxus minoratur, & demulcetur; ideò *Laudanum liquidum cydoniatum* etiam convenit, *Nepenthes*, *Philoniumper ſicum*, *& pil. de Cynogloſſa*, addit *ſemini Papaveris Urticæ ſemen*, quod cùm diureticum ſit, materiam per urinam ab utero divertit; ad ulcera dicitur etiam valere dictum ſemen. In genere adſtringentium eſt *radix Granati dulcis*, *& folia*, *Galla*, *ac Rhoem*, ideſt *granum tinctorum*, quæ exhibenda modo, quo in Textu; *flores albi Urticæ mortuæ* habentur pro ſpecifico, ſicuti *flores purpurei* alterius differentiæ *Urticæ mortuæ*, ſunt ſpecificum in Dyſenteria. Advertendum tamen ad adſtringentia deveniendum ſolùm moderata humoris acrimonia, quam moderationem, ut cito aſſequatur Hippoc. *ſorbitiones ex amygdalis*, *& ſexamo* imperat. Reliqua ſunt clara.

TEXT. XI. *Alius fluxus defluit multum*, *velut urina ovilla*, *&c.*

Alteram differentiam fluxus albi ſeroſi proponit Hippoc. in hoc Textu, in qua differentia materia exiens eſt ſimilis urinæ ovillæ; ideſt materia eſt tenuis, aquoſa, & clara, ſine ullo inditio qualitatis vitioſæ, prout licet colligere à propoſito caſu, in quo nulla enumerantur ſigna acrimoniam acidam, vel ſalſam indicantia, ſed ſolùm materiam quantitate peccantem demonſtrantia per illa verba *multum fuit*, & his conditionibus diſtinguitur hic fluxus ab eo propoſito ſub *num. 9.* cujus materia eſt ſimilis urinæ aſini, ideſt craſſiuſcula, & vitioſa qualitate infecta, prout demonſtratum fuit *in Com. cit. Textus.* Cauſæ ſignorum, quæ recenſentur explicatæ manent à dictis in Textu nono; *Serum*, licèt tenue, & aquoſum, *collectum in cruribus*, *& pedibus*, *tumorem* iſtarum partium *efficit*, *& ſi comprimatur digito*, *foveam retinet*, eò quia ſtagnando craſſitiem acquiſivit, quomodo aqua ſtagnatione craſſitiem contrahit. *Impleri à parvo cibo* inditium eſt languidi fermenti acidi ventriculi, quod à parvo cibo moderatur, & ideò fames à parvo cibo ſatiatur, vel debilitatis fibrarum ventriculi, quæ niſi leve pondus parvi alimenti ſuſtinere poſſunt, vel debilitatis caloris ejuſdem ventriculi, copiam flatuum generantis, qui à parvo cibo etiam agitati dilatantur extendendo membranas ventriculi, eo modo quo diſtenduntur, quando illius appetitus à magna cibi quantitate ſatiatur. Ab hoc parvo cibo *inflammatur* Patiens, ideſt incaleſcit; ob dictas enim cauſas malæ conſtitutionis, & debilitatis ventriculi, huic cibus etiam vel parvus eſt moleſtus, & ſicuti à qualibet moleſtia totius, partis obſervamus totum, vel partem incaleſcere, & etiam à ſola apprehenſione moleſti; ideò à cibo moleſto incaleſcit ventriculus, & cum ventriculo caput; unde dicitur inflammari. Cauſam incaleſcentiæ à moleſtia, puto non poſſe refundi, niſi in agitationem ſpirituum in parte affecta exiſtentium, & in concurſum aliorum ſpirituum, quos moleſtia partis ad ſe vocat; ab agitatione enim actio eorumdem augetur, ut obſervare licet in igne à vento exagitato, quem ſi non extinguit, auget, & à concurſu aliorum ſpirituum majus augmentum ſuſcipit calor, ut obſervare licet, ubi ſpiritus ſunt magis debiles à qualibet moleſtia magis incaleſcere, quàm ubi ſunt robuſti, eò quia iſti vi moleſtiæ reſiſtunt, illis cedunt, & exagitantur. *Ubi iter fecerit*, *& opus aliquod obierit*, *anhelatio*, *& dolor ipſam corripit*, cujus cauſa explicata fuit ſuperiùs *num. 9.* & quia in omni exercitio, & labore partes ob debilitatem, & inopiam ſpirituum valdè defatigantur, ideò etiam dolent, ſicuti dolent partes robuſtæ defatigatæ à labore excedente ſuum robur. Cauſam hujus Cacochimiæ ſeroſæ in hac mala ventriculi conſtitutione invenimus, à qua alimenta imperfectè digeruntur, & in maſſam chyloſam, ſed valdè ſeroſam abeunt, & talis indiſpoſitio ventriculi poteſt contingere in temperamento bilioſo, & pituitoſo, ideò etiam dicit Hippoc. in curatione, *ſi Mulier fuerit temperamenti bilioſi*, *vel pituitoſi*, demonſtrans talem affectum utrique temperamento advenire poſſe; à maſſa ſanguinis etiam indiſpoſita, & alterata quotieſcumque alteratio ad ſeroſam colluviem colligendam ſit efficax contingit in temperamento pituitoſo ſanguine nimis refrigerato, & bilioſo ſanguine nimis attenuato, & in ſeri copiam reſoluto. Curationem hujus affectus incipit *à purgatione per vomitivum*, *quod etiam per alvum purget*, ſumpta indicatione à redundantia humoris ſeroſi, qui per ambas has vias purgatur in magna quantitate, & ita etiam valdè minuitur dicti humoris redundantia. Verùm admonet, tale remedium non eſſe commune omnibus individuis ſimili morbo affectis, ſed ſolùm *Juvenculis*, & viribus, conſtantibus; quapropter in ſenioribus, & viribus languidis ab hoc remedio abſtinendum, & alia mitiora *hydragoga* propinanda. Poſt hanc purgationem *caput purgat*, ob rationem paulò ſuperiùs traditam, & purgat per medicamenta, quæ vel bilem, vel pituitam educant, prout temperamentum fuerit vel bilioſum, vel pituitoſum, ut clarè patet ex Textu, & hujus rationem expoſuimus ſuperiùs in alio loco. Secundò, minorata ſeroſi humoris plenitudine, reliquias iſtius expurgare, & collectionem novam ejuſdem prohibere tentat, quæ eſt altera intentio à natura hujus morbi deducta. *Serum* in magna quantitate *exhibeto*, & ut magis purget, & ne ſtomacho moleſtum ſit, *coctum* exhibet, & hac ratione ventriculo, cujus debilitati non convenire ſerum videtur, opitulatur, *& per multum tempus* in exhibitione ſeri perſeverat. Ad hujus uſum duo requirit Hippoc. *anni tempus*, cujus ratio ſuperiùs demonſtrata fuit, & *ne lienoſa ſit Mulier*; multis enim in locis in lienis affectibus ſerum reprobat Hipp. & forſan quia eſt aquoſum, & lienem aquæ ſed determinavit; hinc monemur per Hipp. in affectibus lienis abſtinendum à ſero. Huic Hipp. indicationi verè rationabili ſupplere poſſumus medicamentis *hydragogis* blandis per repetitas vices exhibitis, vel etiam omni die cum ſyrupis magiſtralibus. Apozematibus ſerum blandè educentibus, quibus addi poſſunt, quæ ventriculum corroborent; Talia enim medicamenta non habebat Hipp. ætas excepto ſero, ideò hoc utebatur. Mirandum in hoc Textu Hipp. ſerum exhibere in tali quantitate, ut pro cibo ſerviat, dum hunc omninò interdicit, ut patet *ex Text.* cùm *ad veſperam* ſolùm *Vinum dulce equoſum*, *ſi opus habuerit*, concedat; & apertiùs in ſubſequentibus verbis, *cibum verò ne contingat*. *Si verò debilis fuerit*, *ſorbitionis modicæ* uſum permittit. Ceſſabit admiratio, ſi conſiderabimus Hipp. intentum eſſe in hoc caſu valdè exſiccare, ut patet ex illis verbis, *ubi verò his factis ſiccior eſſe viſa fuerit*, & eſt tertia indicatio à natura redundantis ſeroſitatis, & à cauſa iſtius deducta, cui ſatisfacit purgatione, & Diœta rigoroſa, quæ duo continentur in ſola, ſed larga exhibitione ſeri cocti; coctum exhibet ſerum, quia magis nutrit, & licèt ut purgans exhibeatur, portio tamen illius cedit in nutrimentum; Diœta enim rigoroſa ex Hipp. multis in locis eſt potus aqueus. Hujus Diœtæ conſilium eſt omninò obſervandum, quia maximè proficuum in curando hoc affectu, & omnibus aliis à copioſa ſeroſitate pendentibus, & ſi in hac Diętæ ſeveritate æger conſiſtere non poſſit, ab hac paulò recedendum. Tempus conſiſtendi in dicta curatione exſiccante, non eſt determinatum, ſed hoc determinabit Medici prudentia; ideò ait Hipp. *Poſtquam autem tempeſtivum tibi eſſe videtur*, *à potu ceſſet*, *& cibis utatur*, quos determinabit virium ſtatus; & ſi ad extremam æger devenerit debilitatem, à dicta Diœta recedendum, & ſolidis cibis nutrienda Patiens, qui tamen non valdè nutriant, & deſcribuntur in Textu. Hujuſmodi indicationem ante oculos habeant Medici, qui decoctis exſiccantibus, & Diœta pariter exſiccante talem fluorem curant. Ubi corpus fuerit exſiccatum

tum Uterus à copioſo fluxu humorum valdè humectatus, & debilitatus cum magna vaſorum dilatatione, exſiccandus modo deſcripto ab Hipp. in Textu. Abſtergentia ſint primò in uſu; talis eſt *fœx vini*, *poſteà acerba*, ideſt adſtringentia. Exſiccata muliere, à remediis quieſcendum, & optimo victu nutrienda, à quo ſi ſiccitas non auferatur, & non renutriatur, *Lac bubulum bibat per quadraginta dies calidum de Vacca*; per hæc ultima verba indicat ſpeciem lactis, nempè Vaccæ, quod maximè nutrit, & qualitatem illius, nempè caliditatem connotat, quæ ſit ipſius animalis, non externi agentis, per illam enim eſt Lac aptum magis nutrire, & eſt documentum ſervandum in exhibitione Lactis pro nutritionis finè; quantitatem Lactis, & modum ſumendi determinat in Textu Hipp. exhibendum Lac prædicto modo per quadraginta dies, nempè primo die *duæ heminæ, omni die unam addendo, uſque ad ſex heminas, & poſtea decreſcendo uſque ad duas, & iterum redeundo ad ſex, & ſic uſque ad complementum quadraginta dierum*. Monet Hipp. Mulierem pituitoſam in tempore uſus Lactis cibis pauciſſimis eſſe nutriendam, quia cùm minùs caloris ſit in hoc temperamento, quàm in bilioſo, minori etiam indiget cibo. *Lactis potu ad finem* quadraginta dierum perducto, *Adiantum* exhibet, quod exſiccare, & attenuare ſcribit *Schroderus, & Offmanus in Clavi Schroder.* & per urinam etiam ducit. Hinc docemur, poſt Lactis uſum exſiccantia adhibenda; *decoctum Santalorum, & Roſmarini* in hoc præſtando, ſummè valent. Hunc morbum curatum reviviſcere monet Hipp. ideò recidivæ curationem proponit. Satis clarè prognoſticum addit, putredinem Uteri minando in ſenioribus, ab humido enim copioſè affluente laxatur textura Uteri, à laxitate putredo cum diſſolutione fibrarum in ſua componentia.

TEXT. XII. *Alius fluxus, Purgatur velut ex ovo crudo, luteum ſubalbidum, & ulcerat pudendum, &c.*

Hic Textus primò intuitu videtur repetitio Textus decimi; utroque tamen attentè conſiderato, differentiam cognoſcimus; ibi enim locutum eſſe de bile vitellina cum ſero commixta, demonſtravimus; hic verò loqui de bile tantummodo flava cum pituita commixta, ex multis colligi poteſt; & primò quia ait, *Seniores præcipuè hunc morbum corripere*, in ſenioribus verò bilis vitellina non redundat, deficiente calore illo intenſo in iſtis, qui eſt neceſſarius ad generationem bilis vitellinæ. Secundò febris, quæ conjungitur cum hoc fluxu, non habet illa accidentia deſcripta in Textu decimo. Tertiò, pro curatione medicamenta exhibet bilem, & pituitam purgantia. Cauſa hujus fluxus ergo ſtatuenda eſt bilis flava cum ſero, ſeu pituita commixta, quæ in maſſa ſanguinis redundat, & per Uterum continuo fluxu purgatur. Pituitam, ſeu ſerum commixtum demonſtrat *tumor pedum, & Tibiæ. & oculorum, & lacrymæ* ab oculis *prodeuntes involuntariè*, duorum accidentium cauſæ deducuntur à dictis in ſuperioribus Textibus. Ulcus Uteri à complexu bilis, & pituitæ ſuccedit, per admixtionem enim bilis pituita fit corrodens, & exulcerans. Pro curatione obſervat Hipp. tumorem partium, & corporis. *Si tumor fuerit vehemens*, ideſt excedens, purgationem per alvum molitur; ſi verò fuerit minor, per vomitum, & ſeceſſum purgat. In priori caſu timet concurſum majorem humoris ad partes tumentes à conatu valido tendente à partibus internis ad externas; & quia multoties in magnis intumeſcentiis à quantitate humoris calor naturalis ſuffocatur cum ſphacelo, ad evitandum hoc periculum vomitum prohibet, & pro purgatione humoris redundantis purgantibus ſolùm utitur. In ſecundo verò caſu, quia tumor parvus eſt, vomitu, & purgatione movet; hoc præcepto uſus eſt in ſuperiori *num.* in quo vomitu purgavit, & erat tumor totius, ſed non exprimitur vehemens, prout exprimitur in hoc Textu. Secundò epicraticè purgat cùm *Sero*, ut ſuperiori *num.* docuit, & quia pituita craſſa fortè redundat, addit *Sal*, ut reſiſtentia pituitæ craſſæ ſeri ſimplicis actionem, & virtutem contemnens abſterſiva, & irritativa ſalis efficacia vincatur, nec alia ratione admiſceri poteſt Sal, quòd ratione humoris acris corrodentis Uterum, non videtur convenire, niſi pro purgatione; Si ſerum pro purgandis humoribus exhibetur, manifeſtum eſt exhibendum in magna quantitate, & quouſque Medico conſtet de magna diminutione humoris peccantis, ideò nec quantitatem, nec tempus hujus remedii determinavit, ſed judicio Medici reliquit. Tempore ſeri *Mentham* edendam præbet, ut ventriculus in redundantia pituitæ ſemper debilis corroboretur, & indiſpoſitio hujus humoris cauſa, quacumque in parte exiſtat, tollatur, & ut adverſus ſeri virtutem aliquibus ſtomacis moleſtiam corrigat. In defectu ſeri *Lac aſininum coctum per quatuor dies* exhibet; unde magis confirmatur Serum exhiberi, ratione purgationis. Animadvertit, *Lac, & Serum lienoſæ Mulieri non eſſe exhibendum*, prout pluribus aliis in locis animadvertit, & alibi etiam rationem demonſtravi; *Nec flatuoſæ, nec exangui, ſed vice lactis, & ſeri laudat medicamenta purgantia in parva quantitate*, & per aliquod tempus hxhibita pro purgatione epicratica. *Aquam Tetutii* maximè convenire video, quapropter in Seri defectu uſurpanda. Tertiò exſiccationi totius per Diœtam incumbit, ut paulatim ſuccedat, ſine humoris ſalſi exacerbatione, quæ ſolet contingere à validis exſiccantibus humiditatem, ſiccitatem moderantem nimis citò reſolventibus; ideò alimentum differt, uſque ad veſperam tempore uſus lactis, vel ſeri. Pro alimento *ſorbitionem* tantummodo exhibet, quæ conſiſtit in aliquo alimento ſolido ad formam liquidam redacto, & *paucum Vinum dulce, & hoc ſi opus habuerit*, nempè ſi vires fuerint debiles. *Ad veſperam* exhibitionem alimenti differt, *ſi febris non invadat nocte*; nam ſi invadat, etiam ſorbitionem prohibet, quod intelligendum eſt de tempore invaſionis febrilis proximo tempori cibationis; nam eligendum eſt illud, quod multum diſtat à tempore invaſionis febrilis, & tale, ut cibus exhibitus poſſit eſſe concoctus in tempore intermedio inter aſſumptionem cibi, & invaſionem febris, & hanc regulam cibandi tantum exiſtimat Hipporat. in febribus, ut nec ſorbitionem audeat exhibere in tempore febrili acceſſioni proximo. Poſt dictas purgationes ſubjungit: *Et ubi tibi tempeſtivum viſum fuerit, Uteros colluito*. Tempeſtivum videtur Uterum colluere, quando materia per illum exiens in parva copia fluit; nam tempore copioſi fluxus exercita collutio majorem copiam humoris ad Uterum vocat. Collutiones convenientes in præſenti caſu deſcribit Hippoc. animadvertendo, *ſi poſt collutiones prodeat aliquod cruentum, velut ab ulcere per acerba* (ideſt adſtringentia) *poſteà colluito*. Adſtringenda enim ſunt vaſorum orificia, ne fluxus ſanguinis per collutiones antecedentes ſuperveniat, Quid agendum ſit tempore collutionis, & in eo dictas collutiones intermediante, clarè exponit Hipp. *Si conceperit Mulier*, ab hoc morbo *liberatur*; ſignum eſt enim nativum robur Utero reſtitutum eſſe, & excrementa in Utero defeciſſe, cum multa excrementa in integumentorum fœtus elaboratione conſumantur. *Si revertitur fluxus poſtquam primò ceſſaverit, perit Mulier*, eò quia hujus morbi cauſa talis eſt activitatis, & tales habet radices, ut extirpari non poſſit. In ſenioribus Uterus computreſcit, eò quia in iſtis Uterus magis debilis, ejus textura minùs conſtans, excrementorum major congregatio, calor languidus, & ex iſtis cauſis confluente excrementorum copia ad Uterum, neceſſe eſt, ut putreſcat.

TEXT. XIII. *Fluxus alius. Fluit ſubluteum velut ex ovo, & viſcoſum, & venter imus intumeſcit, ac durus fit, &c.*

Differentia Fluxus in hoc Textu propoſita non differt à præcedenti, niſi ratione qualitatis materiæ; in illa peccat bilis, & pituita, ſicut in hac, ſed in illa prima differentia bilis cum pituita miſcetur in tali quantitate, & cum tali qualitate acri, ut corrodat. Pituita etiam eſt tenuis, & fluida; in hac eſt craſſa, viſcoſa, & albumini ovi in viſcoſitate ſimilis; color eſt *ſubluteus*, ideſt ſubflavus à parva mixtione bilis, per quam corrodere non poteſt, & ex his reſultat differentia, ratione qualitatis materiæ pituitoſæ, quæ eſt valdè craſſa, ratione qualitatis bilis, quæ eſt magis moderata, & hæc moderatio poteſt etiam reduci ad minorem quantitatem bilis cum pituita mixtæ. Poteſt etiam aſſignari alia differentia hujus fluxus à præcedenti, & colligitur à Textu, in quo apparet hunc fluxum procedere immediatè ab Utero vitiato, & hujus vitii ſigna ſunt *imi ventris intumeſcen-*

meſcentia, *durities*, *dolor ad contactum*, *dolor ad pubem*, *& ad pudenda*, *& ad lumbos irruens*; quæ omnia, ratione ſitus, & connexionis, Uterum malè affectum oſtendunt, ſicut *& animi deliquium*, *anxietates*, *perfrigerationes*, *& ſudor multus*, *& pulſus ad manum accelerantes debiles deficientes*, *& ſtatim pereuntes*. Hujuſmodi accidentia ab imo ventre malè affecto pendent, & cùm demonſtrent ventriculum, & cor affici, & Uterus conſenſum cum his partibus conſervet: conſtat etiam Uterum principaliter in deſcripto morbo eſſe vitiatum. A cauſa in Textu allegata hoc confirmatur; ait enim Hipp. *Hic autem morbus fit maximè*, *ſi in ipſis* (ideſt Uteris) *aliquid dilaniatum fuerit*, *aut intùs computruerit in partu*, quæ duo inflammationem pariunt in Utero, & hanc ſigna deſcripta manifeſtam faciunt, & præcipuè febris, & pulſus delineati in Textu. Cauſa ergo hujus fluxus eſt in Utero inflammato, vel ratione partus ob conditiones allegatas, vel dilacerationis, vel putredinis ſecundinæ, vel earum extremitatum Uteri, quibus hic cum ſecundina unitur. Poteſt fieri inflammatio à concurſu humorum copioſo in vaſis Uteri cum ſtagnatione, & putredine, & hæc erit cauſa hujus fluxus in Senioribus, & in eis, quibus accidit poſt partum. Curationem prætermittit Hippoc. nam ſi fluxus eſt ab inflammatione, curandus eſt ſecundum methodum, quam in ſuperioribus expoſuit Hippoc. agendo de inflammatione Uteri, & præcipuè *lib. ſuperiori num. 79.*

TEXT. XIV. *Alius Fluxus. Purgatur velut à carnibus aſſatis*, *&c.*

Si à carnibus aſſatis exit fluidum ſanguinolentum, & hic fluxus eſt ſimilis, fatendum eſt eſſe ſanguinolentum. Tale evadit, vel quia ſerum eſt ſanguini mixtum, & eſt ſerum ſanguineum, dum ſanguis fibris deſtitutus & condenſationis, & coagulationis incapax, ſero tamquam magis ſuæ conditioni ſimili faciliùs unitur, quàm cœteris partibus maſſæ ſanguineæ. Hoc mixtum ex ſanguine, & ſero eſt corrodens, quia exulcerat partes Uteri, & alias, per quas pertranſit, ut loquitur Textus, vel quia ab ulcerata parte cum corroſione vaſorum exit ſanguis humori ſeroſo mixtus, quocumque ex his modis contingat hic fluxus, ſemper acrimonia adeſt in humore. Cauſam hujus acrimoniæ dedit Hipp. in illis verbis: *Poſtquam ſanguis exhauſtus* (legit Fueſius, *exturbatus*) *ſubbilioſus factus fuerit*, *& non fuerit purgatus*. Bilis ergo in ſanguine congregata, & ſero ſanguineo mixta, vel in hoc ſal acre bilis, & corroſivum diſſolutum eſt. Cauſa ergo principalis acrimoniæ dicti ſeri ſanguinei ex Hippoc. eſt bilis. Hanc vult congregari in ſanguine exhauſto, ideſt valdè diminuto, vel exturbato, ideſt commoto, & agitato; Recentiores dicunt, quòd efferveſcente cum violentia utroq; modo ſanguine bilis in hoc exiſtens exaltatur, & inordinatos tumultus excitat, & magis deſævit. Diminuto ſanguine in vaſi iſtorum, ſpatium internum maximè dilatatur; hinc effervefcentia ſanguinis augetur, cùm ſpatium amplum effervefcentiæ majori rei fermentibilis ſerviat, ut patet in flamma, & in vino dolio incluſo. In effervefcentia aucta bilis exaltatur, acrimonia iſtius augetur, & ſine aliis particulis ſanguinis bilem moderantibus magis effervefcit. Hæc ſententia vera eſt in temperamento bilioſo, non in pituitoſo, & melancholico, vel in redundantia bilis ab aliqua cauſa externa, ideò addit Hipp. hunc fluxum contingere, ſi bilis collecta in ſanguine, ſeu ſanguis factus bilioſus purgatus non fuerit à bile exaltata; purgatur verò quando in hepate ſecernitur, vel ſero mixta, & hujus ſale in eo diſſoluto per urinam ſecernitur, hoc non ſuccedente ſerum ſanguineum cum bile ei commixta ad vaſa Uteri expurgationi ſanguinis deſtinata defertur, ut expurgetur, dum per hanc partem expurgatur ſua acrimonia ulcerat. Cum bile exaltata conjungitur etiam pituita, ſeu ſerum craſſiuſculum, ut patet à tumore *infra umbilicum*, *crurum*, *& totius corporis*; & à curatione, in qua utitur purgatione bilis, & pituitæ, ſumpta indicatione ab iſtorum redundantia, hujuſmodi ſerum craſſiuſculum impedit ſegregationem bilis in hepate, quapropter retinetur in maſſa ſanguinis, tingendo cutem colore *arcuato*, ideſt colore in Ictericis apparente, ſeu flavo. Pituitæ, & Seri generatio proficiſcitur à bile in ſanguine exaltata ſuis pravis qualitatibus, ſeu actione illas ſanguinis depravante, & particulas iſtius ita diſponente, ut mali humoris ſeroſi, vel pituitoſi naturam ſuſcipiat. Eadem prava actione bilis, fermentum ventriculi, & Pancreatis ſuccus depravatur, & vitiatur, cum læſione chylificationis, & diſgregationis fœcum à chylo in inteſtinis, & cum nimia diſſolutione chyli ob bilis acrimoniam; quapropter in excrementum ſeroſum magna portio chyli abit. Ab hac ſeri, vel pituitæ fluidæ redundantia tumor in deſcriptis partibus, dum in extima corporis ſuperficie ſtagnat, poroſitates implendo, & in tumorem dictas partes elevando, à quo advenienti ſero circulationis motus adimitur, & cum præcedenti ſtagnare cogitur cum majori tumoris augmento. A bile exaltata in maſſa ſanguinis, etiam à calore inflammationis ſupracitatæ, *Febris acuta denſa* (legit Foeſius, *crebra magna*) oritur ob magnam effervefcentiam ſanguinis hunc diſponentem ad totalem diſſolutionem, à qua Pulſus, & reſpiratio crebra fit. *Horror* eſt à bile vellicante partes membranoſas Uteri, & etiam cutaneas, & internas inteſtinorum, & ventriculi. Curationem more ſolito auſpicatur à purgatione, *& ſi* Mulier *fuerit robuſta*, cum valido medicamento *per vomitum*, & ſeceſſum purgante; *ſi debilis*, *mitiori*, quale eſt *elaterium*, *& radix Raphani ſylveſtris*, quæ, teſte *Plinio*, purgat per inferiora, vel ſuperiora; hac purgatione non contentus, *Lacte aſinino* iterum purgat, aut pharmaco deorſum purgante bilem, & pituitam; Lac aſininum in tanta quantitate exhibendum, ut alvum copioſè moveat. Omnes iſtæ purgationes ad minuendam Cacochimiam ſeroſam, & pituitoſam tendunt, & ab ea indicantur, ſine ulla præcedente præparatione humoris dicti, quia eſt diſgregatus ab aliis humoribus præ ſui copia; loco dictorum purgantium noſtris mitioribus bilem, pituitam, ſerum purgantibus uti poſſumus, habito ſemper cum Hipp. reſpectu ad robur, vel ad languorem patientis. Poſt purgationes prædictas collutionibus attemperantibus humoris acrimoniam, nempè *Braſſicæ decocto* Utero provider, & aliis ejuſdem virtutis uti poſſumus, & internè exhibet *Salviam*, *Hypericum*, *Apii ſemen pulverizatum in Vino nigro auſtero jejunè*. Hujuſmodi remedium reſpicit Cacochimiam ſeroſam, vel pituitoſam, hancque per urinam divertendo, maximè affecto Utero proſunt. Alia remedia videantur in Tractatu de hujuſmodi Cacochimia, deſcripta ſuperiùs. Hic duo conſideranda veniunt: Primum eſt, quare Hipp. curationem incipiat à purgatione, & non ab attemperatione humoris, à quo Uterus exulceratur, quia perſiſtente humore cum ſua acrimonia ulcus magis ſemper dilatabitur. Secundum eſt, quare in humorum acrimonia exulcerante Uterum calida exhibeat remedia, prout eſt *Salvia*, *Hypericon*, *& ſemen Apii*, à quibus acrimonia acuitur. Quo ad primum, exulcerationi Uteri in humorum redundantia, prout in caſu noſtro, utiliùs occurritur purgatione, quàm attemperatione, dum purgando humores acres, cauſam ulceris ſtatim minuimus, & ſtatim attemperantibus humores acres in quantitate redundantes dulcificare non valemus, & attemperantia citiùs ſuum finem aſſequuntur, ubi minor eſt copia humoris attemperandi, quàm ubi copia excedit: utiliùs ergo erit primò minuere copiam, & poſteà attemperare, & hac ratione purgatio attemperationem præcedere debet, ubi humor acris non ſolùm in qualitate, ſed etiam in quantitate peccat. Addo, ulcere imminente, vel actu in parte exiſtente neceſſariam eſſe humoris corrodentis ab hac derivationem, & hanc præcedere debere attemperationem, at purgatio per vomitum, & per ſeceſſum humores corrodentes ab Utero divertit, conſequenter purgatio præponenda attemperationi: & ſi cauſa morbi eſt primò tollenda, & humor acris eſt cauſa ulceris Uteri; humor acris primò tollatur, & licèt ablata acrimonia ab humore attemperantium virtute, auferatur cauſa morbi, nihilominus cùm hujuſmodi attemperatio pro ſui finis conſecutione diuturno temporis ſpatio indigeat, & maximè ubi copia humoris excedit, in hoc temporis ſpatio diuturno acrimoniæ humoris actio vigebit, & ulcus dilatabitur, quapropter ſatius eſt, ſubjectum acrimoniæ eliminare purgatione, & copiam humoris minuere, cùm hac diminuta, minuatur etiam acrimonia, cùm verum ſit agentis actionem debilitari diminuta quantitate iſtius. Sit ergo univerſale præceptum in humoris acris quantitate etiam excedentis purgationem attemperationi præponendam eſſe, & præcipuè ſi humor ſit ſeroſus, quia hic non indiget præparatione. Quoad ſecundum,

plura ſunt in hoc conſideranda : Primò languorem, & debilitatem corporis ; Secundò Cacochimiam ſeroſam à facultatum naturalium, ut diximus, proſtratione. Tertiò neceſſitatem divertendi ſerum redundans ab Utero . Quartò attemperandam eſſe acrimoniam humoris. Videndum ergo, an dimittenda ſint tria priora, & ultimo ſolùm ſit incumbendum. Attemperamus humores, vel refrigerantibus, vel epicerauſticis, ſeu emplaſticis, vel acidis in acrimonia biliosa, ſecundùm communem Medicorum ſententiam. Aquea caloris nativi vim enervando vires debilitant, & debiles frangunt, facultates naturales declinantes præcipitant. Cacochimiam ſeroſam augent, humorum diverſioni non ſufficiunt, & ſi aliquando urinam movent, id non operantur, quia diuretica facultate polleant, ſed quia urinoſum ſerum augent ; ſed ubi ſerum excedit, ut in caſu noſtro, & urinæ non ſunt copioſæ, temerarium eſt ſerum augere . Epicerauſtica ſerum Cacochimiam producens incraſſando contumaciorem illam reddent. Hujuſmodi remedia ſpiritus ſanguinis viſcoſitate irretiendo, & motum prohibendo, calorem in eo minuunt, cum maximo detrimento, quia debilis. Acida , ubi acrimonia eſt excedens, & corroſiva, hanc augent ; nam ſi acidum melancholiæ uniatur ſali acri valdè, bilis atra reſultat ſummè corroſiva, ut docent omnes Medici. A propoſito remedio calefaciente calor nativus corroboratur, & cum hoc vires reſurgunt, facultates naturales remittuntur, Cacochimia feroſa corrigitur, & iſtius portio per renes virtutes diuretica in remedio exiſtente ducitur ad veſicam cum urina. Comparentur ergo hujus remedii effectus, & virtutes valdè utiles pro curatione morbi cum effectibus attemperantium jam deſcriptis, & conſtabit evidenter majorem utilitatem Patienti acceſſuram eſſe à remedio calido, quàm ab attemperante, conſequenter huic illud eſt præponendum. Et ſi curato morbo aliqua caloris impreſſio relinquatur, quàm noxiam futuram eſſe putamus, tunc refrigerantibus facilè tollitur. Hoc ſit immutabile conſilium, quotieſcumque in curatione morborum contraindicantia inveniunt remedio contrario ab iſtis indicato; illud eligendum, à quo majores utilitates ſperamus, & illud dimittendum, à quo minores, vel aliqua incommoda prævidemus. *Si verò ulceratum fuerit pudendum*, remedia, quæ deſcribit Hipp. apponenda, & Diæta imperata ſervanda, *nec timendum Vinum vetus odoratum*, ob rationes ſupradictas de medicamento calido; natura enim ſuſtinenda eſt; *ne cadat*; ſi hiſce remediis non cedat fluxus, nec cachexia, ad alia tranſit remedia Hipp. totum corpus fovendo, hoc eſt ſpongiis aqua calida imbutis totum corpus lavando leniter, eas ſurſum, & deorſum ducendo. *Altero die* pharmacum *vomitivum* exhibet, & paucis interpoſitis diebus purgans per alvum, ut utraque purgatione materia fluxus eradicetur ; quod ut faciliùs ſuccedat, fomento prædicto humores fluidos reddente totum corpus fovet, & ſi à purgatione per vomitum, & ſeceſſum contumax perſiſtat fluxus, *Serum coctum, & Lac* exhibet, ut in præcedenti *num.* Hìc conſideranda ſunt verba Hipp. de Lactis virtute; ait enim, *Optimum enim hoc eſt; nam & purgatur, & nutritur, & fluxus obtunditur* ab hujuſmodi remedio, & hæ virtutes adimplent omnes indicationes ab hoc fluxu exhibitas, & quando obſervamus à Lacte accepto alvum moveri, non deſiſtendum ab hujus uſu, ut omnes ferè Medici faciunt, ea inani ratione, quod Lac in ventriculo corrumpatur: Lac non corrumpitur, ſicut non corrumpitur medicamentum purgans, quia alvum movet, ſed Lac purgat humores præcipuè in primis viis exiſtentes. Advertendum eſt etiam in uſu Lactis, hoc exhibendum eſſe in tanta quantitate, ut poſſit ſupplere pro prandio, vel ut pro hoc pauca cibi quantitas ſufficiat, & & cibus ad cenam reſervandus. Reliqua Textus ſunt clara

TEXT. XV. *Diuturna porrò eſt ſanioſi fluxus curatio, &c.*

Si reſpiciamus colorem hujus fluxus, non differt à præcedenti, cùm in colore ſit *ſimilis* liquori ab *aſſatis carnibus* ſtillanti. Si verò conſideretur materia, & cauſa; materia in præcedenti eſt ſerum ſanguineum, ſecundùm dicta ibi, in hoc eſt ſanies, ſeu pus inconcoctum, & crudum, ſanguineum, ſeu potius ichor putredinoſus, & talis confirmatur à cauſa ab Hipp. data; ait enim, *Hic morbus contingit, ubi quid de fœtu dilaniatum fuerit aut in abortu, aut in partu,* hoc dilaniatum ſive ſit ſecundina, ſive aliud, putreſcit, & in putridum liquamen diſſolvitur valdè acre, juxta naturam putridorum, ab hoc acri irritata orificia vaſorum effundunt ſerum acre ſanguini mixtum, à quibus fluxus deſcriptus *velut muria, eſt exulcerans.* In omni enim putreſcente, ſicuti particulæ componentes diſſolvuntur, & ad invicem ſecedunt, ita particulæ ſalinæ in eo exiſtentes ſolutæ ab aliarum diverſi generis conſortio invicem coeunt, & cum libertate majorem acquirunt activitatem, qua totum corpus putreſcens ad ſalinam videatur tranſiſſe naturam. Hinc totum illud putreſcens acre, & corroſivum, cuicumque alteri corpori uniatur, hoc in putredinem diſſolvet, juxta axioma, *Putridum tangens non putridum, facit putridum;* & cum putredine acrimoniam modo prædicto acquirit, unde totum illud mixtum acre, & corrodens evadet, & hoc modo humor mixtus putreſcenti humori in Utero exiſtenti acrimoniam acquirit, & fit velut muria, & corrodens, *& ab hoc ulcera Uteri, & pudendi.* Hoc putridum liquamen, & humor ei mixtus, & putreſcens, non ſolùm acrimoniam contrahit, qua exulcerat, ſed etiam irritat, vellicat, & pungit partes membranoſas Uteri cum dolore, qui fit omnibus aliis partibus communis cum Utero connexis, & ſunt in Textu deſcriptæ, & virtute fermentativa, qua pollent particulæ ſalinæ volatiles fermentationem præternaturalem in humoribus circa Uteri vaſa contentis inducunt, cum tali turgentia, ut Uterus intumeſcat, & durus evadat, eadem fermentatio maſſam ſanguinis aggrediens depravat, & excrementitios humores in ea exiſtentes diſgregando, totam incoinquinat, cum *coloris mutatione, & intumeſcentia partium ſub oculis, pedum, crurum, & coxarum.* Ab eadem fermentatione maſſæ ſanguineæ febris accenditur, quæ minor, vel major erit pro natura ſanguinis capacis majoris, vel minoris fermentationis. In curatione purgationem prætermittit, eò quia hic fluxus, ut apparet ex dictis, non eſt à vitio humorum, ſed à corpore extraneo in Utero retento, & putrefacto, cui purgatio inconveniens eſt. Quando verò mutatus eſt color corporis, morbo progrediente, & partes intumeſcunt, apparente ex his humorum depravatione, tunc ait, *& alia exhibere, & vomere, ſi opus fuerit*; tunc autem opus eſt, quando inſignis obſervatio depravatio maſſæ ſanguineæ, & vomitu utitur, quia magis idoneus ad purganda corporis excrementa, & ad divertendam fluentem materiam, ratione doloris ab Utero. Si verò non ſit in Patiente diſpoſitio ad vomitum, tunc purgatione licet uti, quia adeſt indicatio corpus purgandi, & licèt ſit aptior purgatio per vomitum, non excluditur purgatio per ſeceſſum. *Fomentis, & ſuffitibus* dolorem ſedare molitur, quod eſt valdè neceſſarium pro frenando curſu humorum ad Uterum, ad quem dolor ſtimulat. Fomenti, & ſuffitus normam in fine hujus libri accipiemus, & etiam in *lib.* 1. præcedenti *n.* 29. ſedato, vel remiſſo dolore, quæ ſanguinem ſiſtunt, exhibet, & horum formulas in *cit. locis* deſcribit. Nec eſt inconveniens ſanguinis cohibitio, ubi eſt humor acris, prout eſt deſcriptus; nam medicamenta, quæ valent ſiſtere ſanguinem, non valent ſiſtere humorem acrem à putredine corporis extranei in cavitate Uteri exiſtentis profluentem. Nimis enim aperta eſt via iſti per collum Uteri, cujus orificium à remediis orificia vaſorum, per quæ fluit ſanguis, claudentibus, non poteſt ita reſtringi, ut putridum liquamen in cavitate illius exiſtens non exeat ; imò talia remedia rationabiliter conveniunt, cùm reſtrictis vaſorum Uteri orificii deficiat materia fluxum fovens, & perennans ; quapropter fluxus brevi tempore permanebit, cùm brevi tempore corpus extraneum in liquamen abjens ab Utero diſceſſurum ſit. *Lac aſininum* proponit pro mittiganda fermentatione maſſæ ſanguineæ, pro corrigenda Cacochimia introducta, cui convenire in tractatu de Cacochimia demonſtravi, & etiam pro moderanda acrimonia, & dolore ulcerum. Ultimo loco adnotat, *fomemta ſicca magis, quàm humida,* pro ſedando dolore, convenire, *ſi febris abſit, vel ſi ſit parva.* Fomenta ſicca ſunt ea, quæ cum corporibus ſiccis excalefactis ſine humido parantur, de quibus locutus eſt *Hipp. in lib. de rat. victus in acut. circa finem,* & ſolitus eſt parare *ex Hordeo, ſem. Erui, Milio, Sale.* Ratio, per quam abſente febre, vel hac parva exiſtente fomentis ſiccis utatur, petenda eſt à conditione caloris in humido, qui eſt minus activus, ideò in febre magna fomentum humidum, exiſtente neceſſitate, magis convenit, ſiccum verò non,

cùm calor in hoc, ratione ſiccitatis, magis ſit activus, & cum intenſione calefacit, & febrilem calorem augere potens eſt.

De remediis convenientibus deſcriptis Fluxibus, egit *Hipp. in hoc. lib. à n.69. uſque ad* 77. hos enim Textu attentè legere poterit Lector, dum adnotationes in alios ſequar.

TEXT. XVI. *Quum ad caput converſi fuerint Uteri*, *&c.*

Ad caput Uterus non convertitur, quia iſtius corpus ad illud feratur: cùm hoc ſit impoſſibile, ut cuicumque in arte, & anatomia perito patere poteſt; ſed Uterus ad caput dicitur converti, quando vapores malignos ſpiritus, & ſanguinem in eo contentum depravantes, & à ſua bona indole divertentes, ad illud tranſmittit, & hyſtericam affectionem parit. Hujus affectus ſigna colligit Hipp. ab eis, quæ apparent poſtquam ſedata eſt ſuffocatio. Ait enim: *& hac parte ſuffocatio deſinit*. Per quæ verba manifeſtè apparet Hipp. loqui de ſuffocatione prægreſſa, Signa, quæ relinquuntur poſt ſuffocationem, dicit eſſe gravitas capitis, quæ proficiſcitur à copia ſanguinis in actu ſuffocationis fluxi ad caput, tanquam ad partem malè affectam, cujus quantitas poſt paroxyſmum remanens in ſubſtantia cerebri *caput gravat*, ut loquitur Hipp. Efferveſcentia, & fermentatio inordinata ſanguinis, quæ fit in paroxyſmo ſuffocationis à vaporibus malignis ab Utero ad caput elevatis, arterias, & venas ſummè diſtendendo, has capaces reddit ad recipiendam majorem quantitatem ſanguinis, quàm illi conveniat in ſtatu naturali, & ſano, & hanc quantitatem recipiunt, dum ſanguis ſuo motu circulari per has movetur. Hujus fluxus copioſi ſanguinis ad caput ſignum habemus in magno rubore faciei, qui quandoque in hyſtericis apparet, & poteſt etiam colligi à verbis Hipp. qui ſubjungit: *Signum autem hoc eſt*: *Venas in naſo*, *& partes ſub oculis dolere dicunt*. Venæ enim non dolent, niſi quando ſanguine turgent ob magnam diſtenſionem dolorificam, quam patiuntur à plenitudine ſanguinis, eas violenter diſtendente. Hanc plenitudinem, & turgentiam venarum omnes aliæ partes, in quibus ſuffocatio deſinit experiuntur; quod ſentit Hipp. dum ait: *Verum aliis alicubi aliàs finis habetur*. Duo alia ſigna affecti capitis in ſuffocatione hyſterica addit Hipp. & ſunt, *Sopor*, *& ſpuma ab ore exiens*, *cùm levius ſe habet*. Sopor, vel indicat ſpirituum animalium magnam diminutionem factam ab efferveſcentia inordinata ſanguinis in cerebro, perdurante ſuffocationis paroxyſmo: obſervamus enim à violentis laboribus defatigatos cum magna ſpirituum animalium deperditione, in ſomnum eſſe valdè propenſos: vel impeditam viam ſpiritibus animalibus ad organa ſenſuum externorum demonſtrant. Hanc viam impedit plenitudo vaſorum, quæ gravando ſubſtantiam cerebri comprimunt, & à compreſſione via ſpirituum animalium ad organa ſenſuum externorum impeditur. Spumeſcit ægra, cùm levius ſe habet: In hoc enim ſtatu natura vires reaſſumpſit, quibus humorem ſeroſum ad caput delatum, & in hoc ſtagnantem expellit per ſalivam; viam vel occultam, vel manifeſtam in hac expulſione ſalivæ tenendo. Pro curatione proponit Hippoc. ægram *multa calida lavare*, ut copiam humorum in capite exiſtentem ad partes inferiores evocet: A lavacro enim multùm calido dilatantur poroſitates, & vaſa partium, quæ lavantur, & circularis motus ſanguinis per iſtas acceleratur; dum vaſa partium infernarum dilatantur majorem copiam ſanguinis in ſe recipiunt, nec poſſunt recipere, niſi ex aliqua parte exinaniantur vaſa capitis; circularis motus ſanguinis acceleratus concurrit ad implenda vaſa dilatata partium externarum, quæ ſunt diſpoſita ad recipiendum ſanguinem in copia. Lavacro calido pro revellenda copia ſanguinis à capite ad partes inferiores externas, poſſumus uti frictionibus calidis, cucurbitulis ſiccis dorſo, & coxis applicatis. Si mulier renuvat uſum lavacri calidi, prout proponit Hippoc. uſum aquæ frigidæ capiti applicatum concedit, parando *Decoctum ex Lauro*, *& Myrtho*, quod frigefactum circa caput apponit, nempè fronti, & temporibus. Dictum decoctum frigidum applicat, primò ad moderationem caloris valdè acuti à copia ſanguinis fluxi ad illud in paroxyſmo ſuffocationis: Secundò ut ſpiritus in cerebro exiſtentes à dicto paroxyſmo turbati, & diſperſi à frigore dicti decocti uniantur, & unione vim, & energiam acquirant pro expellendo ſanguine ſuperfluo in vaſis cerebri exiſtente, & pro exercendis rectè operationibus, quibus hæc pars præeſt, cui confert *Myrthus*, *& Laurus*, ideſt folia Lauri, hæc partes nervoſas corroborant, quapropter omnibus ſimplicibus, quæ hac virtute donata ſunt, uti poſſumus pro hoc decocto, additis aliquibus adſtringentibus æquales in adſtrictione Myrtho. Neceſſaria enim ſunt adſtringentia in hoc caſu, tam pro uniendis, & roborandis ſpiritibus, quàm pro conſtringendis poroſitatibus cerebri dilatatis in paſſione ſuffocationis, & vaſis ampliatis à copia ſanguinis concurſi. *Unguentum roſaceum* maximè confert pro uniendis, & corroborandis ſpiritibus. *Odorata ſubtus ſuffumigentur*; pro remedio ſuffocationis. *Braſſicam* edendam præbet: quia ſicuti hæc arcet à capite vapores vini, & ebrietatem impedit; ita poteſt arcere à capite vapores malignos Uteri, qui poſſunt fovere gravitatem capitis, & inclinationem ad ſomnum. Poſtea exhibet ſuccum Braſſicæ. Pro ſucco puto Hipp. intelligere decoctum ipſius Braſſicæ. credendum eſt enim Braſſicam coctam edendam præbere; & decoctum iſtius exhibere ad alvum moliendam. Loco Braſſicæ poſſumus exhibere omnia anthyſterica, à quibus non ſolùm prohibetur aſcenſus vaporum ab Utero ad caput, ſed etiam diſſipantur, in quorum genere ſunt *Tinctura Granorum Actes Quercetani*, *Elixir hyſtericum* deſcriptum *in Clavi Scrhod. Offmani*. *Pulvis granorum exſiccatorum Sambuci ad drachmam unam*, *cum pulvere ſeminum Paſtinacæ ſylveſtris*; quæ exhibenda in aliqua aqua, vel decocto anthyſterico, & etiam in vino.

Si verò ad cor progreſſi Uteri ſuffocent. Aliam differentiam ſuffocationis Uteri proponit Hipp. in his verbis, in qua cor principaliter læditur. Signa hujus affectionis ſunt difficultas reſpirationis, quam Hipp. deſignat in illis verbis, *& aer impeditus atrahitur violenter*, *anxia eſt*, *& vomit*, hæc duo ſigna ventriculi paſſionem indicant: quapropter mihi videntur benè ſentire illi, qui volunt Hipp. per cor intelligere orificium ſuperiùs ventriculi, prout multoties accepit. Contingit hæc ſuffocatio, quando vapores Uteri maligni plexum nerveum, dicto orificio implatatum, feriunt, & ad motus ſpaſmodicos dictum plexum impellunt, & anxietatem inducunt, quæ non eſt niſi paſſio ventriculi, per quam patiens neſcit loco ſtare, ſed hùc, & illùc volvitur, & revolvitur. Nervi orificii ſuperioris ventriculi, modo dicto affecti in paſſionem ſpaſmodicam trahunt nervos diaphragmatis; & pulmonum, cum quibus conſenſum habent, hi ad ſpaſmum tracti reſpirationem, cui ſerviunt, difficilem reddunt. Si cum ſpaſmo plexus nervei orificii ſuperioris ventriculi conjungatur irritamentum membranæ muſculoſæ mediæ ejuſdem ventriculi, productum vel à vaporibus malignis Uteri, vel ab humoribus acribus in illius cavitate contentis, fit vomitus, qui aliquando etiam ſuccedit, quando à violenta contractione nervorum partis ſuperioris ventriculi, ejus fundus verſus orificium ſuperiùs violenter trahitur, & quidquid in ventriculo continetur, tunc per vomitum ejicitur. *Et quibuſdam ſtatim tractus deorſum cedit*. His verbis docet Hipp. brevem aliquando eſſe hujus ſuffocationis paroxyſmum, qui ſtatim ac Uterus mediis ſuis vaporibus ad os ventriculi aſcenderit, cedit: quia vapores uterini, vel diſſipantur, vel cum flatibus exeunt, ut notat Hipp. in verbis, *& flatus exit*. Exeunt verò & per viam inteſtinorum, & per viam Uteri, & cum iſtorum exitu ſuffocatio ceſſat, & Uterus dicitur cadere. In hoc verò caſu puto flatus exire per os, & per ructum: ab hoc enim ſæpiſſimè ſuffocationes ſedantur. Flatus in ventriculo exiſtens, dum exitum quærit materiam in iſtius cavitate exiſtentem inordinatè agitat. Hæc ita commota moleſtiam facit ventriculo, à qua ad vomitum ejusdem materiæ determinatur, & hoc modo fit vomitus: dum flatus per os exeunt, vomitus eſt ſpumoſæ materiæ: ab inordinata enim agſtatione iſtius in ventriculo facta à flatibus ſpumeſcit, & tamquam ſpuma evomitur. Ceſſat aliquando ſuffocatio ſine exitu flatus, vel ructus; ſed huic ſuccedit tranquilla quies, & ſedatio paroxyſmi ſuffocativi, quod animadvertit Hipp. in illis verbis: *alicui verò quies contingit*; quia vapores uterini vel à calore partium oppreſſarum reſol-

reſolvuntur, vel per inſenſibilem tranſpirationem diſſipantur, & aliquando per ſimplicem oſcitationem expelluntur.

Si non cedat ſuffocatio adhibitis ſupradictis remediis, proponit Hipp. *Semen Porri. & Peplum trita*, & videtur velle hæc duo remedia ſimul miſceri. Peplum eſt idem ac *Meconium*, quod ex ſucco Papaveris ſpinoſi condenſato paratur, & eſt opiatum debilioris virtutis, quàm opium: quapropter docemur ab Hipp. non cedente ſuffocatione uterina remediis ordinariis, ad opiata deveniendum. Propoſitis ergo in ſuperiori Textu remediis liquidis adjungendum *Laudanum liquidum ad gutt. octo, vel decem*, ſic *grana duo, vel tria Opii præparati*, quæ exhibenda ſunt cum aliqua aqua *anthyſterica*, vel *cum aqua Artemiſiæ. vel cum decocto iſtius, vel dictami Cretenſi* ad imitationem Hipp. qui ſemen Porri, & Peplum exhibet cum tribus cyathis aquæ. Addit etiam Hipp. potum unius *cyathi aceti albi*, nec ſine ratione; nam cum ſupponatur vapores uterinos conjunctam habere malignitatem, acetum malignitati reſiſtit, & contrariatur etiam malignitati peſtilentiali, & animalium venenatorum. Acetum figit, & figendo vapores uterinos malignos iſtis motum adimit, & motu adempto virtutem noxiam, & malignam, ſi non amittunt diminutam ſentiunt. Vapores uterinos reſolventia etiam in uſum revocat, non cedente ſuffocatione, & ſunt *grana Juniperi*, & *Salvia*, quæ exhibet *cum Vino*, aut *cum aceto*. In hunc finem poſſumus uti omnibus ſimplicibus uterinis calidis, & reſolventibus, à quibus ſuffocata calefit, & cum expanſione caloris ad exteriora, vapores uterini ſuffocationis cauſa tranſpirant cum ſedatione ſuffocationis, cum hac intentione exhibet *adipem anſerinum*, qui calorem inducit, præcipuè ſi ſit adeps Anatis ſylveſtris: hunc liquefactum exhibet: quia ait, *ſummatur*. Ultimo loco *peſſarium* proponit non inutile in ſuffocatione. Alia remedia Hippoc. pro curatione hujus ſymptomatis, vide in fine hujus Libri, & in fine Libri primi.

TEXT. XVII. *Quum autem ad præcordia allapſi ſtrangularint, &c.*

In hoc Textu agit Hippoc. de ſtrangulatione, in qua hypochondria magis afficiuntur. Hæc enim cum nomine, *præcordia*, ſæpiſſimè deſignat. Diſtinguitur talis ſtrangulatio ab aliis, ex eo quod in hypochondriis permanentia affectionis, & moleſtiæ obſervatur, & ita fixa in iſtis hæret, ut ab Hipp. affectionis ſoliditas nuncupetur. Hæc affectio conſiſtit in intumeſcentia ventris, dolore ejuſdem ventriculi paſſione, cordis palpitatione, quæ vomitus materiæ acris concomitatur, & alia ſigna ſtrangulationis, & ſuffocationis adſunt. Pars affecta principaliter in hypochondriis ſunt plexus nervei meſenterii valdè irritati à vaporibus malignis ab Utero illis impreſſis, ut acutiſſimè ratiocinando firmavit *Vvilliſius in tractatu de melancholia hypochondriaca*. Irritamentum dictis plexibus impreſſum communicatur membranis, & nervis cerebri, & etiam colli; unde dolor iſtatum partium. Modum communicationis perdoctè dictus *Vvilliſius* in citato loco dilucidat. *Modico tempore mitior fit* hæc affectio, dum à motu frequenti, & valido nervorum dictorum plexum materia vaporoſa irritans fortiter excutitur, & expellitur. In curatione monet Hippoc. obſervandum, *an patiens ſurſum ſtrangularit*, ideſt ſenſum ſtrangulationis, & difficilis reſpirationis perſenſerit, quæ ſi adfuerit primo loco iſtius progreſſum impedire contendit *tepefactoria* adhibendo, ſed partem, cui applicanda ſint non nominat: probabile tamen eſt parti affectæ, nempè hypochondriis eſſe applicanda, cum in iſtis adſit affectionis ſoliditas, & in iſtis firmata ſit cauſa, per quam patiens ſtrangulatur: A dictis enim tepefactoriis, vel vapores aſcendentes ad inferiora revocantur, vel in hypochondriis reſolvuntur. Hæc tepefactoria non ſunt niſi balneum particulare hypochondriis factum, vel cum ſpongia, vel cum linteolis aqua tepida imbutis, & hypochondriis applicatis. Panni linei ſolùm tepefacti poſſunt etiam applicari, & *Oleo Cheirino, Camomillæ, Lumbricorum* totum ventrem inungere, & linteolum tepefactum ſuperponere. Cum Hipp. tepefactoriis non calidis multùm utatur, non alia ratione ductum eſſe puto, niſi quia in hypochondriis multi excrementorum fontes inveniuntur, conſequenter in eiſdem multitudo excrementorum colligitur, & reperiri in dicta parte certum ſit, quando affectio, & moleſtia in hac firmatur, & ſolidatur, ab hoc dolore hypochondriorum, à motu ſpaſmodico plexuum nervorum iſtius partis commoventur, & agitantur humores excrementitii ſupradicti, qui ſuis pravis, & moleſtis qualitatibus moleſtiam, & dolorem affectæ partis amplificant. Ad repellendos vapores à capite, & à gutture, utitur ſolitis remediis, nempè ſuffitu graveolentium ad nares, & beneolentium ad Uterum: Notat verò Hipp. *ſuffitum graveolentium ad nares non eſſe acervatim faciendum*, ſed interpollatè, & rationem reddit: quia *ſi Uteri acervatim infra decedunt*, hoc eſt ſi vapores ab Utero ad partes ſuperiores elevati infra acervatim deſcendant repulſione *turba oboritur*, intellige in partibus inferioribus, & præcipuè in ea, in qua firmatur morboſa affectio: augetur enim cauſa iſtius à vaporibus repulſis ad ſuam originem. *Conyza* eſt hydropiper in qualitate calidus, & flatuum, & vaporum reſolutivus. *Caſtoreum* nervoſas partes corroborat, & in hyſtericis affectibus pro ſpecifico habetur. Ab hoc remedio colligimus indicationem ab Hipp. elicitam pro curatione ſuffocationis, ab hypochondriis eſſe flatus reſolvendi, nervoſum genus, nempè plexus nerveos meſſenterii corroborandi, ut materiam, à qua moleſtantur citò vel expellere, vel reſolvere valeant. Tertiò ſpecificis malignam qualitatem vaporum extinguendi; ideò remediis deſcriptæ conditionis in hoc affectu Medici, ſi utantur, non errabunt, quia ab iſtis adimplentur omnes indicationes, quæ à morbo, & à morbi cauſa, & à parte affecta ſuppeditantur. Remedia, quæ flatus reſolvunt, ſunt nota, ſicut etiam quæ nervoſum genus corroborant, ſpecifica hyſterica deſcripta ſunt in ſuperiori Textu: Hæc remedia exhibenda cum Hippoc. in vino, poſſumus etiam exhibere cum aliqua aqua ſtillatitia anthyſterica, vel cum decocto aliquarum herbarum, quæ ſunt appropriatæ ſuffocationi uterinæ. *Cùm verò deorſum tracti fuerint*: hoc eſt cùm vapores à ſuperiori parte ad ſuam originem, nempè ad Uterum deſcenderint, imperat *Hipp. graveolentia ſubtus ſuffumigare: beneolentia verò naribus applicare. Si verò dolores quieverint*, ideſt cùm ſedatus fuerit ſuffocationis paroxyſmus, *Medicamentum purgans* imperat Hipp. ad expulſionem excrementorum in hypochondriis exiſtentium, prout dictum eſt ſuperiùs. *A Barbete in ſua praxi medica* laudatur ſequens pulvis poſt paroxyſmum ſuffocationis:

℞. *Reſinæ Jalapæ*
Diagryd. } *a. gr. iv.*
Mercurii dulcis gr. iij.
Tartari vitriolati
Salis armoniaci } *a. gr. vj. m. f. p.*

cui adde *Olei Macis, vel Nucis moſc. gutt. ij.*

Poſt purgationem exhibet Hipp. *Lac*, vel *Serum* ad attemperandas qualitates acres excrementorum in hypochondriis exiſtentium, & etiam ad moderandum calorem. Hujus exceſſus eſt ſemper ſaltem cauſa occaſionalis horum ſymptomatum.

In exhibitione Lactis plures notat Hipp. circumſtantias, in quibus non licer Lac exhibere. Prima eſt, ut *Mulier non ſit lienoſa à nativitate*, hoc eſt ſi à nativitate non contraxerit tumorem, vel duritiem lienis; nam ſi à nativitate contraxerit vitium lienis, Lac non eſt exhibendum, cujus ratio petenda eſt à natura acidi in liene naturaliter prædominantis, & à natura Lactis ad aceſcendum valdè inclinata. Tumor, & durities lieni ſuperveniens à nativitate, nos docet acidum lienis à nativitate factum eſſe auſterum, vel valde potens in ſua actione coagulativa: quapropter Lac ob inclinationem ad aceſcendum facillimè coagulari poteſt ab acido prædicto lienis, ſymptomata majora inducere, & tumorem, & duritiem augere: ideò in lienoſis à nativitate Lac non exhibendum. In lienoſis verò ob cauſas internas, vel externas poſt nativitatem advenientes, exhiberi poteſt Lac: quia acidum lienis non eſt adeò potens, ſicuti eſt à nativitate, quando in hoc tempore tumor, & durities ſupervenit, & etiam quia tumor, & durities lienis poſt nativitatem ſuperveniens fit ab humoribus craſſis, & viſcoſis in vaſibus, & porroſitatibus lienis fixatis, à quibus potiùs acidum lienis debilitatur, quàm augeatur, & in

acido debilitato, vel oppreſso Lac tutò exhiberi poteſt, dum non tam facilè aceſcere poteſt ab acido enervato. *Secunda* circumſtantia prohibens uſum Lactis eſt, *Si Mulier ſit exanguis*, idest ſi ſanguinem ſpiritu vitali depauperatum in vaſis ſanguifluis contineat, quia à lacte refrigerante ſpiritus vitales majorem patientur languorem, & eorum actio minor reddetur etiam uſq; ad interitum. Tertia eſt, *Si Mulier ſit decolor*. Ratio hujus eſt eadem cum dicta jamdudum. Quarta eſt *aurium ſonitus*. Lac ex ſui natura eſt valdè vaporoſum, ideòque aſſumptum copioſas evaporationes ad caput tranſmittit, à quibus morbi capitis augmentum ſuſcipiunt: qua de cauſa Hippoc. caput dolentibus prohibuit: pari pacto Lac aurium ſonitum, vel iſtius cauſam augere poteſt, ideòque Hippocr. prohibet. Ultimo loco ait: *Velut hæ, quibus propter cognationem morbi à juventute ſunt familiares*. In his verbis judico Hippoc. addere circumſtantiam, per quam Medicus poſſit certò noſcere, quando pallor, vel defectus ſanguinis, vel ſonitus aurium, Lactis uſum prohibeat, & determinat certò prohibere, quando prædicta ſymptomata in juventute patientis facta ſunt familiaria: quia ſi ab aliqua cauſa externa, & de recenti dicta ſymptomata ſupervenerint, nil valent ad prohibitionem Lactis; ſi verò facta fuerint permanentia, tunc prohibere valent. Vomitum in hoc affectu prohibet Hippoc. ob periculum futuræ cæcitatis. Hoc periculum timuit Hippoc. conſiderando Capitis, & colli dolorem, quorum cauſa non poteſt eſſe niſi concurſus humorum ad dictas partes, & ſtatio illorum in eiſdem. Conatus, quo vomitus perficitur, copiam ſanguinis ad caput vel impellit, vel ejus motum circularem impedit; itaut vaſa capitis impleantur. Hoc colligimus à venarum capitis oculorum turgentia, & à rubore intenſo faciei in conatu vomendi, in quo etiam obſervamus lacrymas involuntariè exeuntes, etiam ſedato conatu: quapropter certi ſumus in conatu vomendi multum ſerum ad oculos concurrere, & quidem in magna quantitate, cùm per involuntarias lacrymas èxeat. Ab hac quantitate ſeri facillimè poſſunt oculorum humores infici alieno colore, & eorum textura mutari, vel retina ita alterari, ut ſpecies viſivas non ſentiat, vel non retineat. Nervi etiam optici à copia humoris poſſunt obſtrui, & fluxum ſpirituum animalium ad oculos prohibere. Hæc omnia ſimul unita, vel diviſa cæcitatem inducere valent. Ab eodem concurſu humorum ad caput poſſunt fieri *turbationes circa fauces*, ut ait Hippoc. nempè difficultas deglutiendi, reſpirandi, inflammatio muſculorum laringis, ſi dicti humores in muſculis Laringis fixati fuerint, vel glandulas faucium impleverint. Statim ſubjungit Hippoc. *ſuccum ptiſanæ dato*, ac ſi dicere vellet, ſi Lacte uti non poteſt ægra ob dicta ſuperiùs prohibentia, loco Lactis ptiſanæ ſucco utatur, quia ab iſto haberi poſſunt omnes illi effectus, & bona, quæ à lacte deſiderantur. *Si verò ſit facilis ad vomitum*, hunc permittit Hippoc. quia ob facilitatem vomendi non ſunt timenda ea ſymptomata, de quibus jam dictum eſt. Videtur etiam convenire vomitus; quia in morbis hypochondriacis adeſt ferè ſemper aliqua indiſpoſitio ventriculi, per quam multa congregat excrementa, & eadem variis partibus communicat. Videtur etiam convenire, quia natura in principio hujus ſuffocationis movet vomitum, ut ait Hipp. in principio Textus, & vomitum conferre huic ſymptomati probant ſubſequentia verba Hippoc. & *modico tempore mitior ſit*, ac ſi diminutio ſymptomatis à vomitu penderet. Ultimo loco proponit *collutionem*, & *ſubdititium*, quæ poſſunt videri in fine hujus Libri, & ad imitationem Hippoc. alias collutiones, & ſubdititia præparare cum aliis remediis, ſed ejuſdem virtutis, cum illis, quibus utitur Hippoc.

TEXT. XVIII. *Quum Uteri apud præcordia conſtiterint*, &c.

Si per præcordia intelligit Hippoc. hypochondria, ut in ſuperiori Textu firmatum eſt, cogimur aſſerere in præſenti alteram differentiam ſuffocationis hypochondriacæ delineari, ſed præcedenti graviorem; nam prima citò miteſcit; hæc per longum tempus perdurat. Illa fit moleſta ſolùm partibus in hypochondriis exiſtentibus; hæc partibus ſpiritalibus, & præcipuè pulmonibus eſt valdè moleſta: Cogitur enim ægra recta cervice reſpirare, & patitur ea omnia ſymptomata, & afflictiones, quas ſolet Helleborus albus per os aſsumptus parere. Quapropter præſens ſuffocatio differt ſolùm per majorem extenſionem ad partes ſpiritales: eò quia cauſæ iſtius, quæ ſunt vapores maligni ab Utero elevati ad partes ſpiritales ſe extendunt, vel ob ſui copiam, vel ob ſuam activitatem intenſam, vel ob ſuum motum magis acceleratum perveniens ad nervos pulmonares, & cardiacos: qui irritati à dictis vaporibus malignis contractiones ſpaſmodicas patiuntur tam graves, ut difficilem reddant reſpirationem, itaut niſi recta cervice exequi poſſit. Si dicti vapores immediatè non ferantur ad nervos pulmonares, & cardiacos, poteſt ſuccedere hæc ſuffocatio vellicatis ſolùm plexibus nerveis meſſenterii, ſi contingat vellicatio ramificationibus nervi ſexti paris, quæ ad hos plexus conficiendos cum aliis nervis concurrunt. His enim vellicatis valido, & valdè activo irritamento in ſuas contractiones ſpaſmodicas, quas ab hoc irritamento patiuntur, trahunt ramificationes dicti nervi ſexti paris, quæ per partes ſpiritales pulmones, & cor ſparguntur: unde difficilis reſpiratio per conſenſum à plexibus nerveis meſſenterii valdè irritatis, & vellicatis, ut ingenioſiſſimè citatus *Vvilliſius* citato loco explicat. Eodem modo vellicatis plexibus meſſenterii vellicatio ad nervos ventriculi per conſenſum transfertur. Ab eadem vellicatione vomitus promovetur. Notandum eſt Hippoc. aſſerere vomitum conſiſtere aliquando in expulſione materiæ acidæ, quam puto eſſe cauſam hujus ſuffocationis, & ab acido hoc plexus nerveos vellicari, & ſi quis aſſerere vellet hujus ſymptomatis cauſam conſiſtere in aucta præternaturam ſucci pancreatici aciditate, non renuerem. Ab eadem vellicatione ventriculi procedit *copia aquæ, qua os repletur*, ut ait Hippoc. irritatis enim fibris œſophagi motus iſtarum periſtalticus verſus ſuperiora cum violentia peragitur, & cum hoc motu ſecum trahunt ſeroſum humorem in cavitate ventriculi exiſtentem, à quo os impletur, vel materia irritans vervos ventriculi aſcendit ad glandulas, & vaſa ſalivalia faucibus implantata continuo irritamento materiam ſalivalem in faucium cavitatem fluere determinant. *Crura* in hoc affectu *perfrigerantur*, dum ſanguis ad affectas partes ſuperiores, quaſi in ſubſidium ſuæ moleſtiæ, & afflictionis totus fertur derelictis partibus inferioribus; & extremis, quæ ob ſanguinis defectum refrigerantur. A copia affluxi ſanguinis ad partes ſuperiores, ſed præcipuè ad fauces, & caput ita opprimuntur unà cum ſpiritu animali, *ut vix loqui poſſit*. Loquelæ defectus poteſt etiam provenire ob ſpaſmodica contractiones nervi recurrentis. *Torporis linguæ*, & *partium capitis* cauſa eſt dicta copia ſanguinis ad dictas partes translata. Quo ad curationem video Hipp. totum intentum ad excitandam ægram à paroxyſmo per externa, cùm non ſit in ſtatu curationis per interna remedia. Et cùm nihil dicat de remediis ſedato paroxyſmo convenientibus, prout fecit in ſuperiori, ſilendo videtur approbare ea remedia, quæ ibi propoſuit adhibenda eſſe poſt paroxyſmum.

TEXT. XIX. *Si verò ad Hepar converſi fuerint Uteri*, &c.

Alteram differentiam ſuffocationis in hoc Textu deſcribit Hippoc. quæ ſuccedit, quando Uterus ad hepar fertur, & videtur Hipp. in hoc Textu admittere aſcenſum ad hepar ſubſtantiæ Uteri, ut demonſtrant verba illa poſita in curatione hujus affectus: *Quum ſic habuerit tumorem ab hepate cum manu infrà leniter detrudito, & præcordia cum faſcia deligato*. Hæc verba nobis repræſentant tumorem in regione hepatis fieri ab aliquo corpore, quod ad regionem prædictam aſcenderit, & manibus poſſe deorſum repelli, & cum faſcia in inferiori loco ita poſſe firmari, ut ampliùs non aſcendat. Verùm quia impoſſibilis videtur aſcenſus Uteri ad hepar, itaut ab eo manu poſſit repelli, per extenſionem ſuæ ſubſtantiæ poteſt quidem Uterus ad hepar pervenire, ut in gravidis, non verò per motum ſuæ ſubſtantiæ, ſive extenſione, & amplificatione, dum ejus ligamenta non poſſunt ita extendi, ſeu contrahi ſurſum, ut Uteri ſubſtantiam ad hepar trahant. Puto verò Hipp. decep-

ptum fuiſſe à tumore, qui aliquando in hyſtericis in aliqua parte ventris apparet, & fit quando pars aliqua ſpaſmodicis motibus vexata ita contrahitur, & in contractione firmatur, ut in ſpeciem tumoris elevetur, quod ſentit *Vvilliſius* in tractatu de hyſtericis paſſionibus, ubi perdoctè modum, quo fit hic tumor delineat, ideò videndus. Hujuſmodi tumor apparuit Hipp. & Uterum exiſtimavit; eſt verò Uteri mali affecti effectus. Vapores ergo maligni ab Utero elevati, non Uterus ad hepar aſcendit, ſed potiùs ad ligamentum iſtius, quo diaphragmati unitur. Hoc ligamentum à vaporibus malignis Uteri irritatum, ac vellicatum validè contrahitur, impediendo motum diaphragmatis ſurſum; unde vox deficit, ob reſpirationem ad voces articulandas neceſſariam valdè læſam. *Dentes conſerti ſunt*, quia nervi maxillarum contractionem ſpaſmodicam ſuſceperunt, vel per conſenſum à diaphragmate læſo, vel à vaporibus ab Utero illuc aſcendentibus. *Color fit lividus*, ob ſtrangulationem, vel ſuffocationem ab impedito motu diaphragmatis.

De hoc affectu vide, quæ dicta ſunt in expoſitione *Textus tertii de natura Muliebri*.

TEXT. XX. *Si verò Uteri inflammati fuerint*, *&c.*

Ultimam differentiam ſuffocationis exhibet nobis Hippoc. in hoc Textu, in quo animadvertere licet per ly *inflammati* intelligendum eſſe tumefacti, ut animadvertit *Martianus* in commento hujus Textus, & videtur confirmari à ſigno ab Hippoc. poſito pro diſtinguenda hac ſuffocationis differentia ab aliis ſupradictis, & continetur in illis verbis, *circa latus*, *ſi contigeris*, *dum apparet*: Durities eſt proprietas tumoris in ſuo principio. Hic tumor in principio videtur eſſe ad latera Uteri, & tunc non adeſt ſuffocatio, ſed ſolùm tunc quando *Uterus allapſus fuerit ad præcordia*, ideſt ad hypochondria, & ſunt verba Hipp. ex quibus colligere poſſumus tumorem ſenſibilem in regione Uteri durum, non eſſe niſi Uterum, qui incipit ſe diſponere ad ſuffocationis uterinæ productionem. Talis autem diſpoſitio, meo judicio, eſt fermentatio inordinatà humorum in Utero, vel in ejus vaſis exiſtentium facta à fermento uterino, vel ab excremento aliquo fermentativo in dictis humoribus introducto. Per hanc fermentationem inordinatam humores prædicti valdè rarefiunt, turgent, & cum iſtis etiam humor in poroſitatibus Uteri exiſtens, & ab hac turgentia dictorum humorum ſubſtantia Uteri diſtenditur ad ſummam plenitudinem partim, à dictis humoribus rarefactis, partim à ſpiritibus, & à vaporibus à fermentantibus humoribus exeuntibus, & hoc modo fit *tumor durus*, & uſquequò hic tumor in parte inferna conſtiterit, nulla adeſt ſuffocatio, quia vapores, & exalationes malignæ omnes in Utero retinentur: ſed quando hæc facto impetu ab Utero eruperint, & ad hypochondria aſcenderint, tunc fit ſtrangulatio, ſecundum hanc explicationem accipienda verba illa Hipp. *cum fuerint allapſi ad præcordia*. Allabitur Uterus ad præcordia, non ſecundùm ſuam ſubſtantiam, ſed ſecundùm vapores ab eo promanantes. De modo, quo fiat tumor in hypochondriis, & ſuffocatio hyſterica dictum eſt in ſuperiori. Cauſam hujus affectus videtur aſſignare Hipp. in illis verbis, *& vomit pituitam acidam*, *& dentes ſtupeſcunt*, quia acidum valdè intenſum, cum vomitum rejectum dentes ſtupefacit; hujuſmodi acidum in ventriculo collectum maſſæ ſanguineæ cum chylo facilè imprimitur, à maſſa ſanguinea facillimè Utero communicatur, & factum volatile, dum cum ſanguine circulatur in Utero poſtea receptum, eſt adæquata cauſa ſupradictæ fermentationis, & deducere poſſumus hujus aſſerti veritatem à ſubſequentibus verbis, *& ubi vomuerit melius habere videtur*. Si melius ſe habeo à vomitu, quia cauſa ſymptomatis à vomitu minuitur, ſed minuitur ſolùm acidum, conſequenter hoc acidum pro cauſa habendum eſt. *Cum* tumor in hypochondriis factus; *deorſum deſcenderit*, hoc eſt, quando vapores Uterini, qui ſuperiùs, aſcenderunt ad ſuam originem inferiùs revertuntur, & diſperguntur ad alias partes infernas ventris, *ad laterum* nempè *mollitudinem*, ubi dolores, & tormina ſuis pravis, & acribus qualitatibus pungendo, & rodendo inteſtina, vel peritoneum afficiunt. *Aliquando ad veſicam* feruntur, ſtranguriam efficiendo, *& ad inteſtinum rectum*, in quo paſſionem ſimilem Teneſmo pariunt: aliquando verò iſta duo ultima ſymptomata fiunt ab Utero procidente uſque ad inteſtinum rectum, & ad collum veſicæ: Primum comprimendo Teneſmum ſupradictum: Secundum veſicæ collum comprimendo, ſtranguriam facit. Hac de cauſa Hipp. in ſuperiori *Textu* 18. cùm Uterus à ſuperioribus ad inferiora deſcenderit, maleolentia partibus inferioribus apponit, quæ dum Uterus adhorret, & ab iſtis ſe retrahit, ejus motus deorſum ita moderatur, ut præcipitationem impediat. In hoc tumultu facto in Utero à fermentatione ſupradicta, à retroceſſione vaporum in maſſa humorum in Utero exiſtentium, ſolitus curſus menſium alteratur, quia ſi à dictis cauſis ſanguis magis fluidior; & activior per rarefactionem evadat, menſtruus curſus anticipat: Si verò à dictis cauſis viæ ſanguinis in aliqua parte Uteri impediantur, itaut fluxum retardare poſſit, tunc menſtruus curſus poſtponit. Curatio eſt ferè eadem cum propoſita in Textu ſuperiori. Licet animadvertere Hipp. laudare urinam cientia, quando poſt paroxyſmum ſuffocationis dolores, & moleſtiæ in inferioribus ſentiuntur, & perdurant: Supponit enim Hipp. hos dolores, & moleſtias durationem recipere à fluxu materiæ feroſæ, & acris, & acidæ ad Uterum, vel ad partes circumſtantes, ob rationem ſuperiùs dictam. Hanc materiam alio divertere cogitat, ut Uterum à prædictis moleſtiis vindicet; divertit autem, exhibendo medicamenta, quæ urinam promovent. Ab hoc monitum univerſale deduco, in morbis Uteri ab humorum fluxu optimum eſſe diureticis uti.

Animadvertat Lector in omnibus iſtis ſtrangulationibus Uteri, Hipp. pro curatione iſtarum nullam mentionem facere de ſanguinis miſſione, quæ adeò frequenter, & copiosè iſtis noſtris temporibus exercetur, ſed ſolùm purgationem, & vomitum proponere ad imitationem naturæ, quæ quandoque in ſtrangulatione vomitu iſtius accidentia, ſymptomata, & ſævitiem moderatur. Non enim ſtrangulatio oritur à ſanguine menſtruo tantummodo retento, qui adhuc ſuas bonas, & benignas qualitates retinet, ſed à ſanguine menſtruo retento quidem, ſed per pravas qualitates in retentione conceptas in excrementa commutato, à quibus fit ſtrangulatio. His animadverſis conſideret Lector, an miſſio ſanguinis vel vomitus, vel purgatio in ſtrangulatione conveniat.

TEXT. XXI. *Si Uteri ad latera allapſi fuerit tuſſis obtinet*, *&c.*

De Utero ad coſtas allapſo in regione pulmonum, non poteſt in hoc Textu loqui Hipp. cùm Uteri ſubſtantia non poſſit aſcendere uſque ad hanc regionem, nec ratione ſuorum ligamentorum, quæ non poſſunt extendi uſque ad cavitatem thoracis, nec ratione diaphragmatis, à quo talis aſcenſus impeditur; Quapropter credendum eſt, ut explicavimus in ſuperioribus Textibus, Uterum ſolùm per vapores ad pulmones aſcendere poſſe. Læſionem pulmonum habemus à Textu, cum adſit *tuſſis*, *& dolor ad latus*, ut legit *Foeſius*, *& creditur peripneumonia laborare*; hæc omnia pulmonis, & thoracis malè affecti ſigna ſunt. Uterus malè etiam ſe habet; habemus enim à Textu hæc verba: *Uterus velut durus pila*, *& ad contactum dolet*, *velut ab ulcere*, *& contabeſcit*. Adeſt etiam alteratio menſtrualis fluxus, hæc omnia Uterum laborantem oſtendunt, & cùm probabile ſit pulmonis affectus per conſenſum pendere ab Utero, & Uterus non poſſit ad pulmones elevari ſecundùm ſuam ſubſtantiam, concludendum eſt pulmones non poſſe pati vitio Uteri, niſi per vapores ab iſto ad pulmones tranſmiſſo, quod videtur confirmari ab illis verbis Textus, *ac à latere detrudito*, *& latus faſcia lata deligato*; à quibus colligitur, Uterum extra ſuum naturalem locum exiiſſe, & ad latera fixatum eſſe cum magna ſui moleſtia, à qua agitati, & commoti humores in eo contenti multas exhalationes, & evaporationes ad partes ſuperiores, & ad pulmones tranſmittunt. Hæc omnia non poſſunt exequi, ſi Uterus ſecundùm ſubſtantiam aſcenderet ad pulmones. Uterus ergo ſuis vaporibus malignis pulmones malè afficit. Qualis ſit iſta mala affectio, & quomodo eveniat ab allatis in Textu, difficile eſt colligere. Ex eo quod credant aliqui peri-

peripneumoniam eſſe, deduco affectionem pulmonum eſſe, ſaltem ſimilem peripneumoniæ, & valdè incaleſcere pulmones, prout incaleſcunt in peripneumonia, & ſi non ob inflammationem; in qua conſiſtit peripneumonia, ſaltem ob magnum æſtum, & inordinatam efferveſcentiam ſanguinis in pulmonibus ſine inflammatione; hoc admiſſo contingit tuſſis à vellicatis, & irritatis bronchiis pulmonum à calore acri, quia intenſo ſanguinis. *Contrahitur*, quia exſiccatur ab intenſo, & acri calore totius maſſæ ſanguineæ à pulmonibus intensè calefactis acquiſito; *Contabeſcit*, quia ab intenſo calore carnes liquantur, quia alimentum partium deficit, cùm ab intenſo calore maſſa ſanguinis ad nutritionem inepta reddatur. *Gibboſa fit*, quia ligamenta vertebrarum humeri in parte interna iſtarum ob ſiccitatem ita contrahuntur, ut vertebras circa humerum, & collum trahant ad anteriorem partem: itaut gibboſitas in poſterioribus partibus maneat. Hic calor accenſus fuit in pulmonibus à vaporibus malignis ab Utero communicatis: quapropter rationabile eſt credere hos vapores inducere ſolùm inordinatam efferveſcentiam in ſanguine, vaſa pulmonum irrigante, & fermentum, ſeu temperamentum pulmonum à dictis vaporibus ita alterari, ut effervеſcentiam ſanguinis non ſolùm fovere, ſed etiam augere valeat. Hoc modo cauſa morboſi pulmonis rectè explicata manet. Uteri malè affecti ſigna ſunt ſequentia in Textu deſcripta: *Uterus durus inſidet, velut pila, & ad contactum dolet, velut ab ulcere*. Hæc abundantiam humorum in Utero, iſtorum acrimoniam, & eroſionem demonſtrant, & de ulcere, vel cancro Uteri per hæc ſigna timendum eſt. Non mirum, ſi ab hac indiſpoſitione Uteri fiat Menſium variatio in tempore curſus menſtrui in quantitate, dum quandoque ſupprimuntur, & etiam in colore, cùm ſanguis quandoque exiens ſit imbecillis, hoc eſt coloris valdè diminuti. Ab his indiſpoſitionibus Uteri læditur genitura, quia prohibent fœcunditatem. Prognoſticum non indiget explicatione. Curationem incipit Hippocrat. à purgatione, quæ ſupponit humorum excrementitiorum abundantiam in propoſito caſu, & demonſtratur à contractura, à gibboſitate, & à contabeſcentia corporis hoc morbo affecti, & de quibus in Textu, hæc ſymptomata redundantiam humoris excrementitii indicant, ideò purgatio convenit, quæ blandis remediis eſt exequenda, ne cum magna humorum agitatione, qualem valida excitant purgantia major copia humorum ad Uterum dolentem feratur. Sanguinis diminutionem, præmiſſa purgatione, laudat Hippocrat. in illis verbis: *à quibus ſanguis purgatur ea apponito*, per quæ verba manifeſtè apparet, non velle Hippocr. venæ ſectionem, ſed eductionem ſanguinis à venis Uteri per *Peſſaria*, quæ apponuntur, itaut ad Uterum perveniant. De his Peſſariis locutus eſt *Hippocrat. in lib. 1. de Morbis Mulierum circa finem*, & etiam in hoc libro: quare iſtorum deſcriptio videnda, & ad iſtius regulam alia, & nova paranda. Ab hoc remedio colligimus, Hippocr. ſanguinis diminutionem pro revulſione ab Utero non quærere, ſed pro derivatione ſanguinis in parte affecta; nempè in Utero exiſtentis, dum aperitionem venarum Uteri per ſuppoſitoria molitur. Revulſionem negligit, ſanguinem à parte ab Utero diſtante mittendo; quia non eſt amplius locus revulſioni in morbis Uteri, quando inſidet Uterus durus, velut pila, & ad contactum dolet, velut ab ulcere: quia poſitis his conditionibus, humor non eſt in motu ad Uterum, ſed jam fluxit, & fixatus eſt in Utero; & his conditionibus morbus Uteri revulſionem non exigit, ſed ſolùm derivationem. Remedia præſcribit emollientia dolorem lenientia, quæ conveniunt in duritie, & in dolore Uteri. Talia ſunt *Semina Lini, & Peplium*. Ex potibus, quæcumque admiſerit æger, exhibet: quapropter *Vinum* non excludit, & videtur etiam convenire in materia jam fixata in Utero, quæ concoctione, & attenuatione indiget ad hoc ut expellatur, vel ad meliorem naturam redigatur: Hæc vinum, non aqua operatur. Repoſitionem Uteri operatione chirurgica peragendam proponit Hippocr. nam Uterus ſuo loco reſtitutus minùs dolebit, & natura in quiete poſita cum majori robore contra morboſam materiam pugnabit. Ultimo loco proponit *Lac bubulum ad quadraginta dies*. Hoc remedio humorum caliditas, & acrimonia attemperatur; Tabes impeditur, & humorum reliquiæ etiam evacuantur.

TEXT. XXII. *Si verò in lumbis fuerint Uteri, & in lateris mollitudine, &c.*

Duos caſus in Textu proponit Hippocrat. Primus eſt caſus Uteri aſcendentis ad lumbos in parte proxima diaphragmati, itaut hoc patiatur ob Uteri aſcenſum, modo ſuperiùs explicato; hoc colligitur à ſymptomatibus in Textu deſcriptis, quæ difficilem faciunt reſpirationem cum ſenſu ſuffocationis, & in lumborum affectu, ſeu potiùs dolore, quem in hoc caſu ſupponere debemus difficilem addi reſpirationem potiùs ex læſione diaphragmatis, quod lumbis arctè colligatur, quàm ex vitio pulmonum credendum eſt. Viciatur verò diaphragma, & lumbi à vaporibus ab Utero aſcendentibus, & nervos lumbales ad partem præcipuè nervoſam diaphragmatis rodentibus, & pungentibus, modo pluries explicato, à læſione diaphragmatis oritur illa difficilis reſpiratio in Textu explicata. A curatione tamen ab Hippocr. propoſita, in ſola glande conſiſtente, ſuſpicari poſſumus Hippocr. crediddiſſe humores exiſtentes in Inteſtinis, & eorum vaſis partem aliquam habere in hujus ſymptomatis excitatione, dum alvum cum glande movere tentat; niſi dicere vellemus pro ſedando uterino ſymptomate hac glande uti, cum hæc remediis Uterum ſpecificè reſpicientibus, & ſuffocationi uterinæ convenientibus paratur, & facilis ſit iſtorum virtutis communicatio Utero, mediante ſphinctere ani. Quicquid ſit de hac cura Hippocrat. hoc ſymptoma curandum eſt eis remediis, quibus curatur ſuffocatio uterina. Alter caſus eſt deſcriptus in illis verbis: *Si Uteri devolverint ſe ipſos ad intermediam lumborum, ac coxarum partem*. Dicitur Uterus devolvi, quando è ſua ſede naturali dimovetur, & ad partes inferiores præternaturaliter deſcendit, ob ligamenta, quæ illum in ſuo ſitu naturali continent relaxata, his enim per relaxationem elongatis neceſſe eſt, ut Uterus deſcendat. Deſcenſus iſtius eſt magnus, vel parvus, prout magna, vel parva eſt elongatio ligamentorum inferiorum ejuſdem. Neque ex hoc, quod Uterus deſcendat per relaxationem debemus inferre per contractionem ligamentorum ſuperiorum Uteri poſſe aſcendere ad hepar, Lienem, & ventriculum cum tota ſua ſubſtantia. Cùm dicta ligamenta non poſſint ita contrahi, ut Uterum ad dictas partes cum mutuo contactu trahant, ut patet ex anatome Uteri, & ſuorum ligamentorum, & hoc in ſuperioribus fuit negatum; non omnimoda contractio verſus ſuperiora. Hujus deſcenſus cauſa eſt humor ſeroſus præcipuè laxans inferiora ligamenta Uteri æqualiter, itaut ſubſtantia Uteri ad inferiora æqualiter deſcendat, nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram pendendo. Poteſt etiam fieri deſcenſus Uteri, ſi ligamenta iſtius inferiora, coxæ contrahantur: per contractionem enim abbreviata dicta ligamenta Uterum cum violentia deorſum trahunt, unde procidentia iſtius, & in hoc caſu dolores, & ſymptomata ſunt graviora, quàm in deſcenſu Uteri à laxitate ligamentorum. *Dolor eſt acutus*, quia fit ab irritante, vel pungente, vel erodente ligamenta, quæ cùm ſint exquiſiti ſenſus, non poſſunt non pati dolorem intenſum, & quia iſta ligamenta cum partibus muſculoſis, & ſenſitivis coxarum connexionem, & communionem habent, dicti doloris participes fiunt. Hoc fundamento redditur cauſa omnium ſymptomatum, quæ deſcribuntur in Textu. *Crura contrahuntur, & juncturas coxarum, &c.* Si æqualiter dicta ligamenta contrahantur, æqualiter etiam Uterus deſcendit cum æquilibrio, & ſi quieverit in parte poſteriori circa anum, & muſculum ſphincterem, tunc *dolet imus venter unà cum ſede*, ut ait Hippocr. in Textu, & alia ſigna hujus deſcenſus ad poſteriora habet. *Aetius Tetrab. 4. ſerm. 4. capite 77.* addit: *Si verò retrò, aut infra inclinat, torpor, ac difficilis utriuſque cruris motus ſequitur, ſæpè etiam motus penitus intercipitur, & ingens vexat dolor. Alvus etiam ſupprimitur, neque clyſterem admittit, flatus item retinentur* (quia ab Utero deſcenſo ita rectum

ctum inteſtinum comprimitur, ut flatus exire, & clyſter admitti nequeant.) Addit idem Aetius, *& dolores inter ſedendum acuuntur* (quia ſedendo unà cum recto inteſtino valdè comprimitur Uterus iſti adhærens, & ex compreſſione dolor.) *Si verò Uterus non ad poſteriora, ſed ad anteriora, & ad pubem deſcenderit, urina ſupprimitur* (quia Uterus præcipitatus veſicæ collum comprimendo obſtruit, ut urina egredi non poſſit; & adnotavit priùs Hipp. in præſenti Textu, quando dixit: *& urina deſtillat*. *Puſillanimitas dicta ſymptomata concomitatur*. Hæc eſt paſſio Animæ audaciæ contraria, quia de omnibus timet, ardua fugit, in omnibus pericula videt, & perhorreſcit: hæc omnia ſpirituum debilitatem, languorem, & tarditatem indicant, ubi in audacia ſpiritus valdè robuſti, activi, ad motum prompti imperturbabiles in conſpectu cujuſcumque objecti triſtis, & horridi. Dolor continuus diverſi generis jam deſcriptus ſpiritus tam animales, quàm vitales conſumit, debiles efficit, ad perturbationem, & confuſionem faciles reddit; unde fermenta omnium partium enervat, præcipuè ſanguinis, & bilis, à quibus collectio excrementorum, unde ſpiritus cum prædictis imperfectionibus elaboratur, & puſillanimitas animum opprimit. Curationem hujus affectus incipit Hipp. primò à *ſedatione doloris* cum *Anodynis*, *& Emollientibus*, niſi enim ſedetur dolor, numquam impedietur fluxus materiæ à dolore ad partem affectam vocatæ, & perdurante fluxu materiæ à dolore quietem non inveniet. Hinc error Medicorum, qui in hoc caſu, & ſanguinis miſſionem, & purgationem aliis remediis præponunt, manifeſtus fit. Ad ſedandum dolorem, primum locum habent *Opiata*, ut *Trifera magna cum Opio*: *Nepenthes Quercetani* cum aliquo decocto emollienti: *Laudanus liquidus*, *ſedativum majus*, *& minus Kenefolii*. Sedato dolore *Medicamentum purgans per vomitum* imperat Hipp. in conatu enim vomitus Uterus præcipitatus ad ſuperiora retrahitur, & materia purganda à parte diſtante ab Utero trahitur, & expellitur; unde ceſſat periculum fluxus materiæ ad Uterum, quod non ceſſat, ſi purgatio per alvum inſtituatur. Repoſito Utero in ſuo naturali ſtatu, & in hoc confirmato, medicamentum purgans per alvum exhibet Hipp. quia Utero in ſuo loco exiſtente, & confirmato nullum imminet periculum, nec novi fluxus materiæ, nec novæ præcipitationis Uteri, ſi medicamento leni purgatio inſtituatur. Ab hac purgatione per vomitum, & per alvum ab Hipp. imperata, rationabile eſt exiſtimare Præceptorem noſtrum cognoviſſe redundantiam humoris excrementitii eſſe cauſam hujus præcipitationis Uteri, ideòque per duplicem viam hujus humoris purgationem moliri. Ab his infero, ſi præcipitatio Uteri poteſt eſſe à redundantia humoris excrementitii, poteſt etiam eſſe à plenitudine ſanguinis, in quo caſu illius diminutio per venæ ſectionem conveniet, etiam in principio, dummodò à venis ſuperioribus, & ab Utero diſtantibus ſanguis mittatur. Poſt purgationem *Lac aſininum* exhibet; hoc refrigerat, & attemperat humorum acrimoniam, quæ duo requiruntur ad curationem hujus ſymptomatis ab excrementitiis humoribus producti. Adeſt dolor magnus, conſequenter adeſt objectum ſenſibile improportionatum organo tactus ſua acrimonia, & eroſione, adeſt contractio partis facta ab irritamento, in quo pariter adeſt acrimonia, quæ ut plurimùm à calore præternaturali humoribus impartitur, ex quo oritur indicatio refrigerii: cùm verò Lac, & refrigeret, & attemperet humorum acrimoniam, ideò in hoc caſu eſt valdè conveniens. Alia remedia refrigerantia, & emollientia, cum ſimplicibus tali facultate præditis, de quibus multoties dictum eſt. Ultimo loco eductionem ſanguinis ab Utero immediatè proponit, ut ab hac parte ſanguis ad vaſa Uteri fluxus, & in his quieſcens, & tumorem efficiens extrahatur in omni Uteri procidentia. Iſtius tumor, & vaſa turgida obſervantur, pro hac operatione utitur *Peſſario* facto *ex Lauro*, & alia Peſſaria pro hoc fine habet *Hipp. in fine lib. primi de Morbis Mulierum*. Medicos monet Hipp. ut peſſaria acria fugiant, quia irritamentum iſtorum novos humores trahit, & Uteri præcipitationem renovabit. His adhibitis, & ſymptomate ſuperato, reliquum eſt, ut Uterus corroboretur, quod facit Hippocrates cum ſuffitu ex aromatibus, prout ſunt *Nux Moſchata*, *Myrrha*, *Aſſa fœtida*, *Galbanum*, & ſimilia. In fine addit prognoſticum Hipp. dicendo: *Verùm pleræque ſteriles fiunt*, quia fermentum uterinum, & temperies ejuſdem ab humoribus excrementitiis ad præternaturalem ſtatum reducuntur, itaut ad naturalem ſtatum reduci non poſſint, unde ſterilitas. *Et multa cruribus mutilata fiunt*; quia contractiones crurum in principio ſymptomatis parvæ à copioſo fluxu humorum auctæ, & à fixatione ejuſdem humoris firmatæ, & reſiſtentes factæ uſum dictarum partium rectum prohibent; unde claudicatio, vel mutilatio crurum, quæ connotat impotentiam ad motum dictarum partium, ac ſi eſſent mutilatæ.

TEXT. XXIII. *Quibuſcumque oſculum alio inclinatur, & ad coxam allabitur, &c.*

In duas partes dividitur præſens Textus. In prima agit de oſculo Uteri à ſua ſede commoto, reliquo Uteri corpore in ſuo loco permanente. Suum naturalem locum relinquit oſculum Uteri, quando ad coxam inclinat, itaut dictum oſculum coxæ totum adhæreat, & in iſta velut fixum appareat. In hoc ſtatu oſculi Uteri *Menſtrua deficiunt*, ſive hæc profluant à vanis in cavitate Uteri exiſtentibus, & exeant per oſculum Uteri, ſive exeant à venis exterioribus ipſius Uteri, in exitu non ſerviente ejuſdem oſculo; nam oſculum uteri coxæ infixum ſanguini ab eo provenienti exitum prohibet: idem efficit coxa oſculo Uteri fortiter adhærens comprimendo venas, quæ in parte poſteriori ejuſdem oſculi exiſtunt, dum à compreſſione oſcula dictarum venarum ita conſtringuntur, ac ſi obſtructa eſſent; unde ſanguinis exitus per hæc vaſa non conceditur: *Genituram*, ideſt ſemen *non recipit* oſculum uteri ſecundùm lineam obliquam coxæ inflictum, dum ſemen per lineam rectam ejaculatur. Non ſuſcipiente oſculo Uteri ſemen Mulier ſterilis fit. Cauſa hujus inclinationis oſculi Uteri in Textu non legitur, & quia tota ferè curatio hujus inclinationis ab Hipp. ponitur in operatione manuali, qua Uteri collum ſuo naturali ſitui reſtituitur, credendum eſt dictam inclinationem eſſe à contractione ſpaſmodica ipſius colli, & contractione non eſſe à copia materiæ, ſed potiùs ab irritamento dicto oſculo infixo. *Suffitum* ex aromatibus primò imperat Hipp. quia videtur Uterus à ſuavibus odoribus moveri, & ad iſtos converti: ſic ad trahendum Uterum præcipitatum ad ſuam ſedem utimur ſuavibus odoribus per nares attractis, quia dum Uterus ſequitur ſuaves odores ſurſum aſcendit, & ita in loco ſuo naturali reponitur. Poſt ſuffitus ad operationem manualem tranſit Hipp. quæ claè in Textu exponitur. Poſtquam oſculum Uteri ad ſuum ſtatum naturalem redactum fuerit, Uterum purgat *ſubdititiis*, ideſt Peſſariis mollibus, ideſt omni acrimonia carentibus: acria enim, quæ irritant, ab hac curatione ableganda, valent enim iterum dictum oſculum à ſuo loco dimoveri. Hanc purgationem Uteri Hipp. imperat, non quia ſanguis redundans in iſto ſit cauſa hujus dimorionis, & inclinationis, cùm potiùs inclinatio dicta ſit cauſa repletionis Uteri, ut patet ex dictis in principio Textus, ſed hanc purgationem eligit ad auferendam illam plenitudinem, cujus cauſa fuit dicta inclinatio oſculi ad coxam: remanente enim iſta plenitudine in vaſis Uteri, poſſet ab iſta oſculum illius in coxam de novo impelli, vel alia ſymptomata, quæ à plenitudine ſanguinis in Utero fieri ſolent, produci: unde ad hæc evitanda, purgatione ſanguinis per Uterum utitur. Poſt purgationem Uteri videntur convenire ea, quæ Uterum corroborant, & ſunt ſuffitus aromatum, & ſuaveolentium, & collutiones, quas inveniet Lector *in fine hujus libri*.

Altera pars Textus continetur in illis verbis: *Quibuſcumque Uteri ad coxam collabuntur, ſi non brevi diſcedant, & rurſus in locum ſuum redeant ad coxam reſiccantur, &c.*

Alia accidentia in hac ſecunda parte deſcribit Hipp. ab inclinatione colli Uteri in coxam provenientia, & primò eſt reſiccatio colli Uteri in ea enim parte, ſecundùm quam dictum collum adhæret firmiter coxæ, venæ, & arteriæ ita comprimuntur, ut ſanguinem non recipiant, nec revehant, cùm à compreſſione ſpatium internum dictorum vaſorum obliteretur, dum una ſuperficies cavitatis internæ dictorum vaſorum à compreſſione alteri

alteri ſuperficiei quaſi uniatur, itaut nullum remaneat ſpatium pro itu, & reditu ſanguinis, pars ſanguine, & alimento deſtituta neceſſe eſt, ut reſiccetur. Alterum ſymptoma eſt averſio oſculi Uteri. Ait enim Hipp. *Neceſſarium eſt autem oſculum averſum eſſe*, legit *Foeſius*, *os autem obverſum eſſe*. Obverſum dicitur collum Uteri, quando rectitudinem amittit, & ejus extremitas retrovertitur, & ſe extendit ſupra poſteriorem partem conjunctam illius principio, angulos faciendo amiſſa rectitudine. In hac obverſione os Uteri ſuperiora reſpicit; hoc expreſſit Hipp. in illis verbis, *& in ſuperius detineri*, legit *Foeſius*, *& in ſuperioribus detineri*: ex violentia enim, qua collum Uteri impingit in coxam, cùm non poſſit hanc penetrare, à reſiſtentia retrò pellitur extremitas dicti colli, & in repulſione verſus ſuperiora elevatur. Ab hac retroverſione os Uteri concluditur, ſeu reſtringitur, quia, ut dictum eſt ſuperiùs, reſiccatur, & ab exſiccatione cavitas illius, vel tollitur, vel valdè reſtringitur. Ab hac retroverſione, & concluſione Uterus fit durus, quia ab illis motus circularis ſanguinis impeditur, & quidquid iſtius ad illum defertur ibidem ſtagnat: quapropter citò vaſa per Uterum diſſeminata, & ejuſdem poroſitates ad turgentiam implentur; unde durities, & ab hac quantitate ſanguinis læditur Uterus in ſua temperie, & etiam organizatione. *Foeſius* pro verbo *mutilatum* interpretatur *læſum*; ideò dicta quantitate læditur Uterus, non mutilatur. Alterum ſymptoma exponit Hipp. in illis verbis: *Ubi verò Uteri concluſi fuerint menſes ſurſum ad mammas delegare, & ad pectus aſcendere facit*. Hoc ſymptoma eſt falſa gravidatio: in hoc enim apparent omnia ſigna, quæ in vera gravidatione obſervantur, & præcipuè ventris intumeſcentia, paulatim per dies excreſcens. Mammæ turgent, & indureſcunt cum lactis præparatione. Horum accidentium cauſa eſt ſanguinis redundantia in utero collecta, ut jamdudum diximus. Sanguis ſine mala qualitate ſtagnans in Utero paulatim efferveſcit, & incaleſcit, & dum hæc patitur fermentum uterinum exaltatur. Ab hoc fermento ab efferveſcentia, & incaleſcentia ſanguinis vaſa mammarum cum Utero conſentientia rarefiunt, & dilatantur, & citò à ſuppreſſo ſanguine in menſium deficientia implentur: hinc mammarum turgentia, & lactis præparatio. Venter intumeſcit, dum calor, & efferveſcentia ſupradicta ſanguinis in Utero ſtagnantis paulatim, & precipuè calor, univerſo ſanguini in vaſis ventris exiſtenti communicatur. Ab hoc tota maſſa ſanguinis efferveſcit, & efferveſcendo venter intumeſcit, quod efferveſcit dilatatur, & valdè rarefit, itaut majori ſpatio indigeat, ut in eo contineatur, quod videmus accidere in muſto efferveſcente, & in paſta fermentante, ita ab efferveſcente ſanguine in ventre vaſa dilatantur; hæ partes, cui connectuntur, ad ſuperiora detrudunt, & hæ alias, & ſic de cœteris, unde tumor, & elevatio ventris faciliùs ſuccedit, ſi ab eodem calore ſanguis in ſuperficie etiam ventris exiſtens incaleſcat, efferveſcat, ubi vel vapores à ſanguine incaleſcente, & efferveſcente elevati ſua energia partes ad ſuperiora impellendo, & porroſitates iſtarum implendo ad dictum tumorem efficaciter concurrunt. Per rationem contrariam detumeſcit venter, quando ſanguis in Utero detentus, nec efferveſcit, nec incaleſcit ampliùs, & cum hoc cedit efferveſcentia, & incaleſcentia ſanguinis in vaſis ventris, cedente dicto calore, & efferveſcentia ſanguinis in dictis partibus, omnes illæ paſſiones hoc ſymptoma concomitantes, quæ ſunt propriæ etiam gravidarum evaneſcunt, & ſi poſt ſe relinquant tumores parvos in mammis ſuppurationem non patientes, in cancros degenerant.

TEXT. XXIV. *Quum Cancri futuri ſunt, priùs ora amareſcunt, &c.*

Hic Textus cùm ſit valdè diffuſus, & conſequenter facilè intelligibilis, ab ejus explicatione ſuperſedeo; & quia tales ſunt Textus 25. 26. 27. & 28. in quibus agit de inflammatione Uteri, hos Lectori remitto, & tranſeo ad explicationem.

TEXT. XXIX. *Si uteri coxam contingant, &c.*

Adnotationes reliquorum Textuum habebimus ſecundùm interpretationem Foeſii. Primum ergo in hoc proponit Hipp. deſcenſum Uteri ad Coxam. Deſcendit autem, tum quia ligamentum Uteri, quod Coxæ inſeritur ſit contractum, & per contractionem deorſum trahat Uterum, quia per contractionem abbreviatur, tum quia ligamentum quo Uterus Ilco alligatur ſit nimis laxum, & facilè à ligamento Coxæ valido deorſum trahatur, cum deſcenſu Uteri ad Coxam. In hoc Textu puto Hipp. loqui de contractione ligamenti Coxæ infixi, quod contractionem, & abbreviationem patiatur, quia ſit humoribus plenum, & quia per plenitudinem dilatatur ad latera ſecundùm longitudinem, neceſſariò abbreviatur. Hoc deduco à cura quam inſtituit Hipp. Primo loco purgans Medicamentum exhibet, ut redundantia excrementorum minuatur, & ligamenti plenitudo minoretur. In dicta contractione ligamenti *dolor occupat Coxam*, quia, & contractura, & plenitudo hujus ligamenti eſt naturæ moleſta. *Coxa* evadit *dura*, quia præ dolore fibræ muſculorum propinquorum contrahuntur, & per contractionem indurantur, quia tangenti valdè reſiſtunt. *Dolor ad imum ventrem* pertingit, quia Uterus trahitur deorſum, & cum violentia, quæ non poteſt niſi eſſe Utero dolorifica; dolet etiam imus venter, quia muſculi coxæ contracti trahunt muſculos Ventris infimi deorſum, cum ſenſatione triſti iſtorum, unde dolor. Talis dolor extenditur *ad lateris inanitatem, & ad Lumbos*. Ad lateris inanitatem, quæ eſt circa Os Ilei ob tractionem ligamenti Uteri, quod huic inſeritur, quæ eſt dolorifica, & communicatur lumbis cum quibus connexionem habent, & ligamentum, & Os Ilei. *Crura dolent*, eò quia Muſculi Coxæ contracti muſculos etiam cruris ſurſum trahunt cum dolore. In hoc caſu facilè eſt Pus colligi, quia dum Uterus fixus manet Coxæ, ſanguini fluxus impeditur, & in Utero remanet, & in partibus quibus fixus eſt Uterus ſtagnat, & in Pus vertitur; à qua parte verò exeat pus, ab Utero nempè, vel à Coxa, reſolvere neſcio. Certum eſt ab aliqua parte viſibili exire. Per Hipp. *cum linimentis, & concerptis*, quæ ſunt linimenti ſpecies utatur in curanda parte, à qua exit Pus. Et eò magis cenſeo eſſe in parte viſibili, cui applicari poſſunt remedia, cum *uſtionem, & ſectionem* in parte, à qua exit pus proponat Hipp.

Ubi ſic habuerit, medicamentum deorſum purgans propinandum, & copioſa calida lavandum, & Uteris fomentum adhibendum, urinaque vetus infundenda, & ferveſacienda, & ſupra Pelvis cavitatem Mulier vectibus, ut neque exhalet collocanda. Ubi autem urina refrixerit Maſſæ ignitæ in urinam injicienda, & fomentum adhibendum, quoad ſe obtuſè cernere, & animo deficere dicat. Calida autem lavandum poſteaque digito immiſſo contactum oſculum in ſanam Coxam attrahendum; Huſque hæc explicatione non indigent, *& noctu emollientia ſubter apponenda* (fiant Peſſaria, cum unguentis emollientibus illiniantur, vel cum lana in Peſſarium redacta, & in oleis emollientibus immerſa noctu applicentur; hæc ſerviunt pro emolliendo Utero, & collo iſtius indurato.) *Ubi autem directum eſſe dixit ſuffitu, & odoratis priùs adhibito rurſus emollientia quædam ſupponito.*) Suffitu ex aromaticis utitur, ut quod emollitum fuit per emollientia, per aromata diſſolvatur, & ut calor Uteri valdè diminutus in perpeſſis doloribus eo roboretur: poſt ſuffitum aromatum emollientia repetit, ut materia reſidua duritiem conſervans ab his emolliatur. Quomodo verò ad actum ſint reducendi iſti ſuffitus, an unus poſt alium immediatè, & interpoſito aliquo temporis intervallo, non determinat Hippocrates. Ego cenſerem exercendos hoc ſuffitus interpoſito aliquo temporis intervallo à primo ad ſecundum, & tale intervallum debere eſſe, ut in hoc ſupponatur perfecta actio primi, itaut actio in ſecundi non valeat interrumpere actionem primi. (*Quin etiam per tres dies peſſulos plumbeos quotidiè unum, poſt quos Bryoniam albam, aut Scillam per tres dies.*) Cùm priùs juſſerit Hipp. repoſitionem Uteri in coxam incumbentis ad ſuum naturalem ſitum opere digiti, ad hoc ut collum Uteri in ſuo loco conſervetur, jubet Plumbeos peſſulos in Uterum imponi per tres dies, mutato peſſulo ſingulo die, à pondere enim iſtius peſſuli impeditur, ne collum Uteri jam in ſuo ſitu repoſitum, ad unam, vel alteram partem declinet.

Poſt Peſſulos plumbeos proponit Bryoniam in Utero immittendam, quod non poteſt exequi, niſi factus fuerit peſſulus cum radice iſtius, & crederem omni die mutandum, eo modo quo plumbeus. Per hunc peſſulum

purgatur ſeroſitas in Utero fixata, & à qua etiam ligamentum ſupradictum repletum fuit cum contractione ejuſdem. Præterquamquòd Bryonia calefacit, & exſiccat, & hæc duo ſunt contraria tumori Uteri, & colli ejus; ideò proficua cenſenda. (*Deinde verò adhibitis inconſiderationem menſibus perpendendum biliofi ſint, num verò pituitoſi, num etiam ſanguis corruptus ſit. Quod ſi ſanguis ei purgandus ſit quodcumque maximè tibi opus eſſe videbitur ſupponendum, poſteàque cum his colluendum.*) Ab adhibitis remediis Hipp. fluxum menſtruum eſſe provocatum cenſet; ideò monet exeuntem ſanguinem eſſe conſiderandum, an ſit bilioſus, vel pituitoſus, an corruptus. Poteſt etiam conſiderari ejus quantitas, an diminuta, an excedens, & ſi à conſideratione hac prædicta cognoverit ægram Medicus indigere ſanguinis miſſione, hanc elicere debet per ea, quæ ſupponuntur, nempè per Peſſaria, quæ ſanguinem ab Utero evacuant, & de quibus locutus eſt in fine libri primi. Poſt ſanguinis miſſionem collutionibus abluendus Uterus, cum eis in Textu recenſitis, tum aliis uterinis ejuſdem virtutis. *Subdititia autem apponenda, quoad purus ſanguis educatur, eaque triduo peragenda* (docet modum utendi his ſubdititiis, & quamdiù his utendum ſit. Per tres dies uſus debet continuari, & uſquequò purus ſanguis exeat.) *Cervinum autem adipem liquatum molli Lana eo imbuta in ſubdititio apponat, deinde Pulegium per diem poſt adhibitum ex odoratis ſuffitum, ſic virum adeat.* Hæc non indigent explicatione.

TEXT. XXX. *Quod ſi ex partu morbus contingat, &c.*

Aliam cauſam Uteri ad coxam decumbentis innuit Hipp. in hac parte; nempè partus, qui ſi fuerit laborioſus, poteſt ſuccedere mutatio ſitus Uteri. Pro curatione, & ablatione iſtius cauſæ probat Hipp. Primò ſuffitum ex urina propoſitum in ſuperiori caſu, unà cum ſuffitu odoratorum ibi propoſitorum, cum unctione coxæ facta: ex *Oleo Aegyptio ad ſanam coxendicem apponat*, crederem pro corroboranda virtute ligamenti Uteri in hac infixi, qua poſſit trahi cum vigore ligamentum oppoſitum contractum coxæ ægrotantis, & ita reduci Uterum ad ſuum ſitum. Si hæc remedia non ſufficiant, *grana quinque nigra Peoniæ pulverizata cum vino odorato* exhibeantur; cùm Peonia ſit ſpecifica in motibus convulſivis, & Epilepticis, & in uterinis affectibus, docet nos Hipp. remediis, quæ prædictis facultatibus pollens, poſſe nos uti pro hoc affectu. Præſcribit etiam in cibo *Allia cruda, aſſata, & cocta*; Allium calefacit, & ſiccat, Utero familiaris eſt, ex hoc monentur Medici ab Hipp. poſſe exhiberi in cibo, & in iſtorum condimentis ea, quæ calefaciunt, & ſiccant, & uterina ſint. *Si his remediis non convaleſcat*, purgatio inſtituenda modo dicto in ſuperiori caſu. *Si menſes non contingant*, ideſt non fluant, *& ægra ſit ſine febre, vomitum* imperat. Maximum in hoc Hipp. continetur documentum, quo inſtruit Medicos, non ſemper in menſium retentione mittendum eſſe ſanguinem, ſed eſſe purgandum etiam per vomitum, & per ſeceſſum. Hoc documentum firmiter eſt tenendum, & ſequendum, ſi ægra, quæ menſium retentionem patitur, ſit Cacochimia vel multis redundet excrementis, vomitu, & purgatione per alvum ab excrementorum ſarcina, quibus gravatur, & quæ ſunt cauſa retenti fluxus Menſtrui ſublevata multa cedent ſymptomata, quæ talem retentionem ſequuntur; miſſo verò ſanguine, à quo ſpiritus iſtius enervantur, & debilitantur, cauſa excrementa colligens roboratur, unde excrementorum redundantia augetur; *Si Mulier* fuerit *debilis*, relicto vomitivo, *purgante* medicamento *per alvum* utatur. Major enim virtus requiritur ad ſuſtinendam Medicamenti vomitivi vehementiam, quàm ad tolerandam purgationem per Alvum.

TEXT. XXXI. *Si Uteri ad coxendicem decurrant; Menſes, cùm craſſi ſint, non eunt, dolor ad imum ventrem permeat, & ad lateris inanitatem, morſumque percipit, &c.*

In hoc Textu agit de Utero coxendici incumbente, vel circa iſtius regionem, & videtur cauſam iſtius decubitus refundere in menſes craſſos, qui cum præ craſſitudine exire è vaſis non valeant, in vaſis ſtagnant, & in ligamentis etiam Uteri, unde & vaſorum plenitudo, & ligamentorum intumeſcentia. Per hanc decurtantur modo ſuperiùs dicto in *Tex.* 29. Uterumque ad ſuperiora trahendo, quia decurtantur Coxendici incumbunt ſecundùm orificium ipſius Uteri, quia hic ad ſuperiora attractus, & humoribus plenus ſuo pondere verſus Coxendicem movetur, & cum ſuo orificio huic adhæret. *Dolor in imo ventre* percipitur, quia dum per ligamentum decurtatum Uterus ad ſuperiora trahitur, neceſſe eſt, ut ligamentum inferiùs diſtrahatur cum dolore, qui durationem habet per diſtractionis durationem. Per lateris inanitatem intelligimus hypochondria, quæ ſunt inter Ileon, & Coſtas. Uterus ſurſum attractus ad hanc cavitatem, ſeu inanitatem pervenit, & ſecundùm os ſuum Coxendici approximatur. Os Uteri infixum in parte dura patitur, vel preſſionem violentam, vel diſtractionem, & ab his duobus veluti morſum perſentit. *Cùm ſic habuerit, copioſa, & calida lavanda.* Lavacrum proponit ad augendam corporis, & præcipuè ventris tranſpirationem, ſicuti fecit in Tex. 29. Lac exhibet ad ſanguinem craſſum, quem dixit eſſe cauſam hujus affectus, fluidum reddendum, ut fluiditate accepta valeat è vaſe exire, & forſan etiam ad aliquam purgationem promovendam, & ad partes internas emolliendas, cum Medicamenta emollitoria iſtis applicet. Reliqua explicata manent à dictis in ſuperiori cit. Textu, & in hoc per ſe clara ſunt. *Ubi tibi videbitur, Netopum in lana ſupponat.* Prohibendo in hoc Tex. Hipp. à poſitione *Netopi* uſum advenientibus menſibus nobis demonſtrat illius uſum eſſe directum ad promovendos menſes, & ſimul nos docet in hoc caſu menſes eſſe excitandos. Ipſe utitur Cantharidibus, ſed cùm noſtra ætas eximiora, & tutiora habeat remedia pro menſibus educendis, Cantharidibus relictis, his utendum. *Et ſi dolor adfuerit, ſtranguriaque detinuerit.* Si dolor fuerit in imo ventre, & in Utero, & urina guttatim cum ardore excernatur. Hæc ſupponunt humores acres in Utero, & in veſica à ſuppreſſis menſibus congregatos; à menſibus ſuppreſſis, & à quacumque cauſa id fiat inſeſſus in aqua calida pro utroque valet. *Si menſes non prodeant, rurſus bibat medicamentum in vino*, hoc eſt *Cantharides: ſi menſes prodeant, virum adeat, ut meliùs, & copioſiùs prodeant.* Et ſi adhuc non prodeant, imperat Hipp. ut detur, *quod detrahat*; per hoc *quod detrahat*, puto intelligere *Peſſarium*, quod immiſſum ſanguinem detrahit, & purgat; de hoc Peſſario locutus eſt Hipp. *in lib.* 1. *de morb. Mulier.* ubi multa deſcribit remedia in Mulierum Morbis convenientia. *Mercurialis* uſum imperat, ſi multa, & copioſa menſtrua purgatio illi juvet, & ſententia Hippoc. eſt, ſi menſes accedant, ſed non copioſè, & copioſa evacuatio menſium ſolita infirmæ prodeſſe, tunc cum æſu mercurialis promovenda eſt, & ad majorem copiam vocanda. Pluribus enim in locis teſtatur Hipp. *Mercurialem* menſes promovere; reliqua per ſe patent. *Si puerperæ ad coxendicem, aut ad lateris inanitatem adhæſerint, ad alteram coxendicem Oleum Aegyptium album, aut roſaceum apponendum.* A dictis in duobus præcedentibus Textibus clarè pars hujus Textus explicatur.

TEXT. XXXII. *At quicumque ab Uteris morbi contingunt, hoc eſt cùm Uteri loco moti fuerint, ſi alias aliò irruunt, &c.*

Uterum ad varias partes moveri poſſe docet Hippoc. *in hoc Textu*, & in quamcumque partem moveatur ſemper dolorem excitat, ſi ad veſicam tendat, & hanc premat urinæ deſcenſum in veſicæ cavitatem prohibet, ſi fundum veſicæ prematur, ſi verò collum veſicæ preſſerit acceptam à veſica urinam exire prohibet, & tumefacta veſica ad ſolum tactum dolet, nec Uteri genituram accipiunt, quia uterus non eſt in ſuo ſitu apto ad excipiendam genituram. In locis verò, in quibus uterus decumbit ſuppurat, ſi ſanguinis exitus interdicatur, quia ubi decumbit ſanguinem à vaſis recipit uterus, ſi exitum non inveniat, à copia ſanguinis intumeſcit, ſanguis ſtagnans fermentando in pus vertitur, & hoc contingit *in laterum inanitatibus, in inguine, & in pectine*, quia in iſtis partibus facilè os uteri ipſi parti, in quam decumbit figitur, & obturatur, ut ſanguis exire non valeat. *Sic autem per initia, cum dolor detinuerit, curare oportet, & tepefacientia admovere, &c.* Hunc affectum curat Hipp. primò *inſeſſu in aqua calida imbutis ventri, & parti dolenti* applicitis. Hoc enim emollien-te credit impedire fixationem orificii uteri in parte, in quam

quam decumbit. Quòd ſi non ſuccedat, medicamenta convenientia utero, qualia ſunt hyſterica, robur utero addere tentat, quo valeat à parte ſeparari. *Quòd ſi his non ſolvatur, medicamentum deorſum, aut ſurſum purgans, ſi opus fuerit utro tandem indigere contigerit exhibendum, &c.* Occurrit Hipp. indiſpoſitionibus purgatione, & vomitu. Vomitum præſcribit, quando *Uterus in veſicam inguina, pectinem impegerit*, nec ſine ratione, quia in conatu vomitus partes inferiores, verſus ſuperiores trahuntur; in hoc tractu, & conatu uterus à dictis partibus divelli poteſt, & ad ſuam ſedem remitti. *Si verò ad lateris inanitates, & præcordia* pervenerit uterus aſcendendo, purgatione utendum, quæ movendo ad partes inferiores uterum in ſuperioribus exiſtentem ad inferiora detrudi poteſt. Hic morbus ſenioribus poteſt accidere, ſed illis potiùs, quibus licèt menſes defecerint, tamen ob ſanguinem temperamenti ratione redundantem talis portio ad uterum adhuc fertur, quæ non valet fluxum menſium excitare, ſed valet venas implere, & illius ſubſtantiam tumidiorem facere, & ab his duobus dimotio uteri poteſt ſuccedere. Hæc duo facilè eveniunt in Viduis, quæ ſint pletoricæ, ob ſeminis, ſeu illius humoris, qui dicitur ſemen, & etiam ſanguinis redundantiam, qui in vaſis uteri valdè fermentando plenitudinem, ſecundùm quid in his congregat, à quibus habetur dimotio Uteri.

TEXT. XXXIII. *Quod ſi ad ſedem Uteri vertant alvi dejectiones prohibentur, & dolores lumbos, & imum ventrem, ac rectum inteſtinum detinent, &c.*

Si Uterus ad rectum inteſtinum, & ad ſphincterem ani deſcenderit, impeditur alvi dejectio, non concedente Utero exitum fœcibus; iſtarum retentio, & per flatus ab illis elevatos, & per ſuas qualitates ſalino-ſulfureas, dolorem in imo ventre excitat, & etiam in lumbis, cum quibus magnum conſenſum habere videtur Uterus. *Cùm ſic habuerit, ipſa lavari calida debet, & lumbis fomentum admoveri, poſteàque ſubter ſuffitus ex graveolentibus adhiberi. In ſubdititio, quæ Uteros pellunt, & purgant apponenda, & ex jis quæ conducunt, quæ potiſſimùm admiſerit propinanda.* Pro curatione lavacrum adhibet cum aqua calida, ab iſtius enim calore poteſt deſcendenti Utero talis imprimi motus, ut excitetur ad aſcenſum, & ad ſuum ſitum occupandum, eo modo, quo videmus per calida lintea fœcum exitum promoveri: eadem ratione fovet lumbos, qui cum Utero conſentiunt. Graveolentia præſcribit, & quidem à partibus inferioribus excipienda, ab his enim fugit Uterus, & cum movetur, ut fugiat, gravem odorem in ſuum locum reſtituitur. Uteri purgationem aggreditur per peſſaria, quæ proponit *in cit. lib. 1. de Morb. Mul.* quia ſi per propoſita remedia non aſcendat Uterus, judicat Hipp. Ejus deſcenſum eſſe ab humoribus in ſubſtantia iſtius, & ligamentorum coacervatis, & pro horum eductione peſſarium purgans proponit: Si inter præſcripta remedia aliquid videatur conducere, in hujus uſu inſiſtendum eſſe monet Hippocrat. arguendo eos Medicos, qui quotidiè nova medicamenta ægris præſcribunt. Medicamenta, quæ poſſunt conducere, & ſint bibenda non nominat Hippoc. hæc tamen videre poteſt Lector in *Aetio*, qui de hoc affectu loquitur *in Tract. de Morb. Mul. in cap. de Motione Uteri à ſuo ſitu.*

TEXT. XXXIV. *At ſi ad inguina, & urinæ vias decumbant, dolores vehementes contingunt, crura torpeſcunt, & urinæ via obſtruitur, neque urinam emittit, &c.*

Aliquando Uterus ad inguina, & ad veſicam deſcendit, & dolores vehementes in inguine, & in veſica ægra perſentit. In veſica fit dolor, quia hæc valdè diſtenditur ab urina retenta cum dolore magno; detinetur autem urina, quia ab incumbente Utero veſicæ via clauditur ad exitum urinæ. Dolor acerbus eſt in inguine ab Utero premente muſculos coxæ, & præcipuè muſculum pſoas à regione lumborum deſcendentem, ab iſtius dolore crura torpeſcunt, eo modo, quo torpeſcunt in dolore nephritico. Dolor in inguine augetur à dolore Uteri, qui undequaque premitur à partibus proximis inguini, & dolet, quia extra ſuum ſitum eſt; dolor Uteri auget dolorem inguinis, ideò dolor eſt vehemens. *Ad hunc autem modum curanda eſt, naribus quidem beneolentia, & unguenta adhibenda, graveolentia autem ad Uteros in ſuffitu admovenda. Quælibet autem occaſio ad Uteros ſatis eſt, ſi quid vitii habeant, &c.* Pro curatione graveolentium ſuffitum ſubtus proponit, ob rationem dictam ſuperiùs; ſuaveolentia naribus apponit, ad hæc Uterus naturali inſtinctu accedit, ideò quia graveolentia fugit, quæ ſubtus apponuntur, ad ſuaveolentia accedit, quæ naribus apponuntur, valdè movetur à duobus ſtimulis laceſſitus, nempè à fuga per graveolentia, & attractione ſuaveolentium, à quibus non poteſt non moveri Uterus, & in ſuum ſtatum reſtitui, cùm quælibet occaſio ad promovendos Uteros ſatis ſit, quando aliquid vitii habent in ſitu. Licèt tamen ex Hipp. deducere majorem difficultatem inveniri in curatione iſtius affectus, quàm in curatione præcedentis, in iſto uſus eſt ſolùm ſuffitu graveolentium ſubtus, in hoc verò, & ſuffitum, & ſuaveolentia naribus apponit. *Id enim, vel ex pedum, & lumborum frigore contingit.* In hac parte cauſas, per quas Uterus vitiatur, enumerat. *Hæc igitur ſpectanda ſunt ad totum corpus proſpiciendo, &c.* Notat in his verbis Hipp. in Morbis Uteri conſiderandum eſſe ſtatum corporis, nempè temperamentum, & organizationem iſtius. Et hanc conſiderationem eſſe faciendam, vitium Uteri cùm non fuerit ſolutum, ut ex tali conſideratione poſſimus colligere modum curandi, ſi de novo ſupervenerit, vel præſervandi ab hoc vitio, pro quo etiam maximè conducit cognitio humorum in corpore, cum tali vitio redundantium, & illorum qualitates excedentes, vel deficientes, ut poſſint corrigi, & impediri, ne tale vitium ampliùs revertatur. Quotieſcumque enim vitiati corporis, & humorum ſigna præluxerint cum aliquo ſymptomate, præcipuè afficiente Uterum, vel partes circumſtantes tunc vitia Uteri ſuperveniunt, & ex applicatione remediorum tunc temporis poteſt vitium impediri. *Crurum perfrictiones*, legit *Cornarus, perfrigerationes, & torpores, quæ in morbis Uterorum contingunt Uteros in altum ſublevant.* Hic loquitur Hippocr. de Uteri procidentia, quæ à frigore crurum ſanatur: ab hoc enim ad Uterum proveniente contrahitur Uterus, corrugatur, & contractus, & corruptus in altum attollitur. Ubi verò Uteri *elapſi fuerint*, hoc eſt extra pudenda ſecundùm aliquam portionem exierint, *calidam ad Uteros, & ambientia loca affundere, ac crura excalefacere oportet*, à calore enim acuto aquæ calidæ irritati muſculi coxarum, & partium circumſtantium in Uteri regione contrahuntur, & contractæ Uterum retrahunt ad ſuum ſitum.

TEXT. XXXV. *Si ex partu Uteri in dextera obverſi fuerint, &c.*

Hic Textus ex dictis ſuperiùs de Utero emoto variis in Textibus declaratur; ſicut & cura ejuſdem.

TEXT. XXXVI. *Si Uteri tranſverſi, & obliquati fuerint, &c.*

A dictis ſuperiùs hujus Textus doctrina declaratur.

TEXT. XXXVII. *Quod ſi Uteri proximè accedant crebro vomendum, &c.*

Per ſe clarus eſt hic Textus, nec indiget explicatione, ſi ea, quæ ſcripta ſunt ſuperiùs, ad memoriam reducantur.

TEXT. XXXVIII. *Si Uteri prorſus extra pudenda procidant, &c.*

Hic Textus ad Chirurgos pertinet.

TEXT. XXXIX. *At ſi Uterorum os extra pudenda procidat, cum nimirum Uterorum cervice propè pudenda ſita, & ampla ſit, quod magis infœcundis contingit, &c.*

Sunt infœcundæ, quia cervix Uteri ſita eſt ad orificium pudendi, non quia per ſe ſit infœcunda.

Præcipuèque ex defatigatione, ubi plurimùm laborarit Mulier, &c.

Hæc eſt cauſa allapſus cervicis Uteri ad orificium pudendi.

Et Uteri calefacti exſudarint, ipſorum Os per cervicem evertitur, quod nimirum loco magis humido lubrico, & calido, quàm antea exiſtat.

Dum Uterus ex nimio labore incaleſcit non eſt mirum humiditatem ab ipſo per ſuas poroſitates exire, eo modo quo è corpore calefacto exit ſudor à poroſitatibus cutis. Per ſudorem Uteri humectantur partes proximæ cervici Uteri, ex labore Uterus intumeſcit, quia humores dum incaleſcunt in magna copia ad eum fluunt. Ab Utero tumefacto pondus iſtius augetur, à pondere, & ab humectata via ad exitum cervix uteri extra pudendum

dum exit. *Quod cum contingat, Uteri extra recta ad frigus feruntur* quia Uteri ſunt calefacti, & ſunt in loco lubrico, exeunt ad frigus, vel tamquam ad remedium ſui caloris, vel ob rationem ſuperiùs dictam de pondere. *Eorumque Os inverſum exit*, quia ab humido emollita cervice in exitu facilè everti poteſt.

Siquidem brevi curata fuerit, convaleſcit, ſed penitùs infœcunda remanet, ſin minùs, os ei durum ſemper extra erit, (hoc eſt prognoſticum. Omnes morbi in principio facili negotio curantur. Infœcunda remanet, quia ſemen non recipit eo modo, quo recipiendum eſt pro fœcunditate. Os Uteri fit durum, quia ab aere exſiccatur, & per exſiccationem induratur, & quia continuò ab aere afficitur, ſemper augmentum ſuſcipiet ſiccitas, quæ poteſt cervicem valdè exſiccatam extra pudendum conſervare) *indèque ſubindè ſanies glutinoſa, & graveolens fluet* (ſanies in cervice exſiccata non poteſt fieri; niſi quia ſanguis fluens ad cervicem, ubi pervenerit ad exſiccata vaſa ulteriùs progredi non poteſt, ſed circa hæc ſtagnat, ſtagnatione putredinem concipit, & inſaniem vertitur, quæ corrodendo partem, in qua ſtagnat, exit cum fœtore) *Quod ſi menſes prodeant, & adhuc ea ætate ſit lecto decumbendum* (ne major copia humoris ad locum affectum fluat in augmentum ſaniei, & in prohibitionem ulceris imminentis.) *Hujuſmodi autem morbus temporis progreſſu incurabilis redditur, & foras pendulis Uteris ad ſenectutem perveniunt.*

TEXT. XL. *At ſi Uteri extra promineant, &c.*

Hic Textus clarus per ſe apparet.

TEXT. XLI. *Si Uteri exulcerati fuerint, &c.*

Ad reponendum uterum utitur miniſterio chirurgico, nec alio modo reponi poteſt, cum unctione facilis redditur uteri repoſitio. *Myrrham* exhibet, & alia adjuncta pro ulceris curatione, pro qua valent etiam *Aquæ Balſamicæ* intus aſſumptæ, & etiam in uterum injectæ, & *Decocta vulneraria. Si pudenda in anguſtum coarctata fuerint, ſubdititium imponito, &c.* Anguſtum factum orificium pudendi dilatat Hipp. cum peſſario, cui mixtum ſit *ſemen Apii, & Aniſi tritum*, quibus videtur exſiccationem dictæ partis deſiderare, quia ab affluxu humorum tumefacta intumuerit, cum anguſtia ſuæ capacitatis. Quapropter exſiccantia tam interna, quàm externa conveniunt. *Si ſuo loco non maneant uteri, &c.* De hac procidentia, quo ad Theoriam, & curationem, actum eſt ſuperiùs, & ad hunc locum Hipp. ipſe remittit.

TEXT. XLII. *Si uteri loco ſuo excidant, &c.*

Pinguia excludit Hipp. in hoc morbo, quia magis laxant, & deſcenſum coadjuvant. Remedium ab Hipp. propoſitum conſtat ex calidis, & ſiccis, ut eſt *Salvia, Aniſum*, ex adſtringentibus, ut *Ciperum*, ex incraſſantibus, ut *Papaver album, purgamentum hordei, & triticum.* Remedia iſtius facultatis facilè poſſunt inveniri, & exhiberi æquè. *Si ad crura, & pedes ſe vertat* (per vapores, quos tranſmittit Uterus partibus nervoſis, & tendinoſis crurum, & pedum, vel ſi aliquam partem nervoſam ſibi proximam, quæ conſenſum habeat cum cruribus, & pedibus, dictis vaporibus pungat, & mordeat, partes nervoſæ crurum, & pedum dolorem, & contractionem dictam experiuntur) *ſic noſces. Pedum magni digiti ſub unguibus convelluntur, & dolor crura, & femora detinet, & in femoris nervos incumbit, & premit* (hæc ſunt ſigna Uteri converſi ad crura, & pedes, & per nervos malè affectos hoc ſymptoma oriri fatetur Hipp.) *Cùm ſic habuerit, copioſa calida crebrò lavanda, &c.* In hac parte Textus ſuffocationem hyſtericam epilepſiæ ſimilem delineat; Curationem aggredi debemus cum remediis ſuffocationi hyſtericæ convenientibus: *copioſa frigida cruribus apponi* conſulit Hipp. quia à frigida vapores, quos diximus ad partes nervoſas partium infernarum emitti, à frigiditate aquæ condenſantur, ut moveri non poſſint, & eorum virtus irritativa velut congelatur, & ab aqua frigida motus deſcriptus convulſivus tollitur eo modo, quo *tetanus*, qui conſiſtit in convulſione nervorum, colli per affuſionem aquæ frigidæ tollitur ex Hippoc. *in aphoriſmis*. Reliqua per ſe patent.

TEXT. XLIII. *Si commoti Uteri in aliquam partem irrumpant, &c.*

Uterus commotus ad aliquam partem ſemper dolorem excitat in Utero, quia à ſuo ſitu violenter diſtrahitur in parte, ad quam motus tendit, & in ea fixatur, quia hæc premitur, & à preſſione dolet. Poteſt etiam dici emotus Uterus, quando ſuos vapores ad aliquam partem tranſmittit, à quorum mala qualitate pars dicta recipiens cum dolore affligitur. Præter remedium ab Hipp. propoſitum, omnia hyſterica remedia alibi deſcripta juvant. *Ubi verò Mulier ſtatim à partu onus viribus majus ſuſtulerit, &c.* Omnes cauſæ recenſitæ in Textu Uterum ad inferiora propellunt, vel iſtius ligamenta debilitant, vel laxant, ideò in Muliere poſt partum ſi levi ligamenta ejus in hoc valdè debilitata à dictis cauſis laxantur facillimè, cum Uteri procidentia. *Uteros aqua tepida proluere oportet, &c.* Ex dictis aliis locis ſuperiùs facilè eſt intelligere hujus curationis rationem.

TEXT. XLIV. *Si Uteri inflati fuerint, venter inflatur, attollitur, reſonat, &c.*

Uteros inflari à flatu in præſenti caſu eſt certum. Magnam eſſe inflationem ventris tenſio, & ſonitus, hoc percuſſo demonſtrat. Multitudo flatuum cacochimiam cum caloris naturalis debilitate indicat, ab hac *pedum* intumeſcentia, *& faciei cavitatum intumeſcentia, & coloris faciei deformitas.* Ab Uteri tumore vaſa Uteri premuntur, *& menſes exire non poſſunt*, & cacochimia fluxum eorumdem impedit, cùm ſanguinem craſſum reddat, & ſpirituum inopiam cauſet, quæ motum humorum retardat. *Genitura non ſuſcipitur*, quia illud quod impedit ne flatus in Utero exiſtentes exeant, geniture ſuſceptionem impedit. Uterus ad ſuperiora extenſus diaphragmatis deſcenſum cum difficili reſpiratione prohibet, quod experiuntur etiam gravidæ in 8. & 9. menſe. *Quia anxia eſt, ſpumat;* per anxietatem frequens eſt attractio aeris in os, ab aere multo agitata ſaliva ſpumeſcit. Cùm *in ſomno tarda* ſit reſpiratio, quia tarda circulatio ſanguinis per pulmones ab iſtius tarditate vaſa iſtorum implentur, & à plenitudine iſtorum *reſpiratio difficilis* habetur, *& talis, ut niſi erecta cervice perficiatur.* A cibo, & potu diſtenſo ad ſuperiora ventriculo motum diaphragmatis cum ſenſu ſuffocationis diminuit, à ſuffocatione gemitus, & animi abjectio. Facilis eſt *nervorum contractio*, & præcipuè illorum, qui conſenſum conſervant cum plexibus meſſenterii ab Utero preſſis. Ab hac cauſa *uteri, & veſicæ dolent.* Ob nervorum contractionem *manus contactum non admittunt*, ideſt ex contactu ſenſationem non admittit, & ab eadem nervorum contractione *urinam non profundunt*, quia nervi ſphincteris veſicæ non laxantur, ut urina emitti poſſit, & os Uteri, vel à veſica tumefacta clauditur, unde *genituram non admittit.*

Cùm ſic habuerit, medicamentum deorſum purgans propinare oportet (hoc cacochimia indicat) *calida lavare, crebròque toto corpore inſidere, interdumque ad umbilicum uſque fomentum admovere* (lavacrum cum aqua calida, inſeſſum in eadem cum toto corpore, & fomentum ad umbilicum proponit Hippocr. ut ſanguis univerſi corporis attenuetur, majorem acquirat fluiditatem, & copioſam tranſpirationem conſequatur, & per hoc remedium nervi contracti laxentur) *intermiſſione verò facta ea, à quibus repurgetur, neque mordeatur in ſubdititio apponere* (facta evacuatione univerſali ad particularem partis affectæ, nempè ad Uteri purgationem, tranſit cum ſubdititio, quo purgentur humores in Utero exiſtentes ſine morſu, idem cum blandis remediis, pro quibus vide *lib. 1. de Morb. Mul.*) *Suffitus ex odoratis pudendis adhibeatur, naribus verò ex graveolentibus* (ſuffitus ex odoratis Uterum recreat, ejuſdem calorem auget, flatus diſcutit, humores attenuat, ab his omnibus poteſt diſponi Uterus ad aliquam evacuationem. Graveolentia naribus apponit, ut vapores ab Utero ad ſuperiora elevati, vel repellantur, vel diſſipentur.) *Potiones exhibeto, quæ uteros purgant, eoſque in locum ſuum pellunt.* (Potiones, quæ purgant Uterum, in hoc caſu cenſeo eſſe illas, quæ ſerum evacuant, hoc enim facillimè in flatus attenuatur, de quibus actum eſt ſuperiùs) *Mercurialem comedat* (quia eſt amicus Uteri; & menſes movet.) *Lac bibat*, (ad generationem optimi ſanguinis, & ad cacochimiæ emendationem.) Vide Aetium.

TEXT. XLV. *Si in callum induruerint Uteri, &c.*

Tumorem Uteri Calli duritiem æmulantem exprimit

Hipp.

Hipp. quando dicit: *Si in callum induruerint Uteri*. Tumor in Utero fit à redundantia humoris craſſi in eo collecti, & exſiccati, & quia exſiccatio inæqualiter fit, aſperitas in Tumore Uteri ſentitur. *Menſes deliteſcunt*, quia à Tumore detinentur. *Si profluunt veluti arena aſperi ſunt*. Ab his colligimus, os Uteri non ſemper claudi à Tumore, ob admixtionem cum ſanguine arenæ, vel tartari, quod per urinam ſolet excerni, externè ſanguis fit aſper, & Tumor quocumque tempore, ſivè exeant, ſivè non exeant, ſemper ſentitur, quia ob ſui duritiem, & firmam adhæſionem ori uteri eſt immobilis, nec à fluxu menſium, vel alterius humoris emollitur. *Cùm ſic habuerit, cyclaminum tritum*, *&c.* Pro curatione utitur *Cyclamine*, *& glandes* componit immittendas in orificio Uteri ad exſiccandam, vel incidendam materiam Tumoris, eamque abſtergendam. Alia remedia in virtute ſimilia adhiberi poſſunt. Collutio expurgantibus facta materiam Tumoris evacuare poteſt. Irritantia tamen purgantia fugienda, ne ab horum irritamento Tumor in cancrum degeneret. *Braſſicam Mercurialem*, *& Porrum* exhibet. Hæc omnia calefaciunt, & exſiccant, unde videtur Hipp. intentionem eſſe Tumorem deſtruendi per exſiccantia. *Si Uteri in callum intureſcant*, *&c.* Secunda differentia Tumoris Uteri ab Hipp. hìc relata differt à prima, quia hic Tumor eſt æqualis, in hoc *orificium Uteri*, eſt *omninò clauſum*, *&* magis *durum*, *dolores* in hac *Uteri*, *imi Ventris*, *& Lumborum* adſunt. Cauſam dicit Hippoc. eſſe *Menſes retentos*, *corruptos*, *& putrefactos*, excludendo cauſam horum ſymptomatum à Tumore, qui cùm ſit valdè durus, putredinem non admittit; aliquando verò dicta ſymptomata dolores Uteri, & alia proveniunt *ex Partu*, *ex Frigore*, *& prava victus ratione in* Puerpera. *Medicamentum igitur propinandum*, *multaque calida lavandum*, *&c.* Pro curatione hujus Tumoris ſtudet Hippocrat. os Uteri clauſum aperire *Penicillo*, quod eſt maximè neceſſarium, ut via pateat humoribus, & excrementis Uteri. Curationem peragit, modo in ſuperiori differentia dicto.

TEXT. XLVI. *At ſi Uteri tumore duro obduruerint*, *eorum os durum redditur*, *&c.*

Tertiam differentiam Tumoris Uteri declarat Hipp. in qua adeſt Tumor durus Uteri comprehendens orificium iſtius, quod pariter fit durum, *& concluſum*. Differt hic Tumor ab aliis duobus, quia in hoc ſemper adſunt *Menſes*, *ſed pauciores*, *& deteriores*, & quando dicit *Menſes non eunt*, intelligendus eſt Hipp. de menſibus in quantitate ſubſtantia, qualitate naturaliter exeuntibus. Cœtera declarantur in ſupradicto Textu. *Cùm ſic habuerit*, *copioſa calida lavato*, *&c.* Curatio in hoc Textu contenta, quia diffuſè explicata ſatis clara reſultat.

TEXT. XLVII. *At ſi Uterorum os genituram minimè ſuſcipiat*, *ſed ſterile fuerit*, *& clauſum*, *&c.*

Quinta differentia Tumoris Uteri proponitur in hoc Textu, quæ conſiſtit in ſolo orificio Uteri tumore, per quem uterus *genituram non ſuſcipit*, & per hoc differt ab aliis differentiis. Tota curatio conſiſtit in Tumoris ablatione, & in orificii Uteri aperitione, illa per extenſum ab Hipp. traditur ſatis clarè.

TEXT. XLVIII. *Mulieri cùm Uteri duri extiterint*, *& ad pudenda proceſſerint*, *inguina indureſcunt*, *&c.*

Hæc eſt ſexta differentia Tumoris, in qua duritiem Uteri ſolùm Hipp. nominat *duritiem*, quæ poteſt intelligi, etiam ſine tumore, ſivè durus ſine tumore Uterus, ſivè cum tumore, ſi decubuerit *ad pudenda* modo in ſuperioribus explicato. *Inguina indureſcunt*, dum ab Utero duro comprimuntur. *In Pudendis ardor eſt*, quia illorum exhalationes foras exhalare ab Utero prohibentur, & quia iſtorum Calor compreſſus magis unitur, & acutior cum ardore evadit; ab hoc materia in eis conſiſtens, & indurata effervefcit, fermentatur, ulcerat, & *ad Cancrum tranſit Uterus*, quæ deindè pro curatione proponuntur ab Hipp. manifeſta ſunt.

TEXT. XLIX. *Cùm autem duri fuerint Uteri*, *eaque parte dolor adfuerit in ſubdititio apponito*, *&c.*

Hæc eſt ultima differentia tumoris Uteri, quam *Martianus* à plenitudine vocat, eò quia purgatione frequenti hanc tollere ſtudet Hipp. Textus continet ferè ea omnia, quæ ſuperiùs ſunt explicata, ideò ſuperſedeo à reiteratione eorum, quæ dicta fuerunt. Lector adeat *Aetium*, qui caput integrum de Tumore Uteri, in quo multa remedia pro curatione iſtius colligit.

TEXT. L. *At ſi uterorum os conniveat*, *durum velut caprificus evadit*, *&c.*

Hæc omnia in Textu deſcripta multis in locis ſuperiùs ſunt explicata; ideòque ab ejus expoſitione, & curatione ſuperſedeo.

TEXT. LI. *Si in Uteris ſanguinis grumi fuerint*, *&c.*

Grumoſus fit Uterus, quando in ipſius orificio colligitur ſanguis in parvulos globulos veluti *Orobi ſemina* diſtinctus, & in tali quantitate, & cum tali Uteri ejus intumeſcentia, ut *menſes exitum non inveniat*, *nec genitura ingreſſum* inveniat, quod impedimentum etiam digitis tangentibus manifeſtum fit. Quapropter oportet ſanguinem non ſolùm eſſe valdè coagulatum, ſed etiam firmiter adhærere ſuperficiei dicti orificii ſecundùm omnem differentiam ſpatii ejuſdem orificii. *Cyclaminum cortice detracto alia*, *&c.* Acria glandi miſcet, ut viſcoſitas ſanguinis debilitetur, & ita facilis diſponatur ad egreſſum, & ita *ſuppoſitoria* ex acribus compoſita, quod præſtare poſſunt. Potiones, quæ Uterum purgant: aliquas deſcribit *Hipp. cit. lib.* 1. *Si præternaturam Uteri dehiſcant*, *menſes copioſi*, *glutinoſi*, *& crebri feruntur*, *&c.* Hæc pars Textus ſupradicti deſcribit dilatationem Uteri, vel orificii iſtius cum *fluxu copioſo ſanguinis*, & videtur Hippoc. cenſere ſanguinem menſtruum à cavitate Uteri provenire, quapropter dilatato orificio iſtius cùm laxitate ſuæ ſubſtantiæ neceſſe eſt, ut copioſus fiat fluxus, qui poteſt etiam ſuccedere in ſententia eorum exiſtimantium ſanguinem menſtruum fluere à venis externis colli Uteri; eum enim hoc diſtrahatur, ut amplior ejus cavitas evadat, orificia vaſorum huic annexa diſtrahuntur, & aperiuntur cum copioſo fluxu ſanguinis *Genitura non manet*, quia via ibi ad retentionem non clauditur. *Febris*, & alia ſymptomata prehendunt ægram, & cauſam aſſignat Hippocr. in illis verbis: *contingit etiam*, *ubi menſes ſuppreſſi derepentè affatim irruperint*: ſicuti enim in hoc caſu fit febris ob validam, & præternaturalem ſanguinis fermentationem, cujus impetu fit ſubita menſium eruptio; ita cùm in copioſo ſanguinis fluxu fiat præternaturalis fermentatio ſanguinis, ob inordinatum ejus motum, ita in hoc caſu febris, licet parva, accenditur. *Curatio autem per ſubdititia inſtituenda*, *&c.* Purgantia, & emollientia videntur neceſſaria in fluxu ſanguinis, ut evacuentur excrementa valdè irritantia, quæ hunc fluxum efficiunt, quæ ſi remaneant cum acrimonia, quia fluxus aliquantulum duret, emollientibus acrimonia corrigatur. Alia remedia ſunt adſtringentia, & externa, quibus poteſt adjungi *Aqua ſtiptica*. Hic animadverſione dignum cenſeo Hipp. ſolis externis fluxum ſanguinis ab utero curare neglectis internis, & ſuſpicari licet Hippocr. dubitaſſe virtutem adſtrictivam remediorum internorum integram, & operativam ad Uterum pervenire, ſicuti ad hunc pervenit virtus adſtrictiva remediorum externorum.

TEXT. LII. *Si uterorum os plus quàm in menſibus conſuevit dehiſcat* (ſivè potiùs venæ circa orificium Uteti) *hoc modo menſes omnes copioſiores*, *& deteriores*, *liquidiores*, *& diutiùs eunt*, *&c.*

Apertis orificiis cum impotentia ad reſtrictionem, neceſſe eſt, ut fluxus fiat copioſior, etiam ſi venarum orificia ob ſimplicem laxitatem fuerint aperta; ſi verò in ſanguine acrimonia extiterit, à qua vaſa in orificio irritata ad aperitionem iſtius cogantur, major copia ſanguinis exibit, ſtante impetu, & celeritate, quibus in hoc caſu exit. *Neque genituram attingit*, *neque manet*, *&c.* Per hunc fluxum *imbecillitas* virium Uterum occupat, quod experiuntur omnes fluxu ſanguinis à qualibet parte laborantes. Ab hac provenit abolita retentio genituræ, & ſi intus maneat, os Uteri deductum vel diſparatum invenit, unde exitum à quacumque cauſa reperiet. *Vires autem exſolvuntur*, *&c.* Enumerat in hac parte Textus Hippocr. multa ſymptomata, quæ procedunt à prædicto fluxu. Horum cauſam exponit in illis verbis, *ſi quid in ea corruptum computruerit*, *& condenſatum fuerit*. Quod putridum eſt putredine febrem accendit, & quod coagulatum eſt veneni natu-

ram induit; Febris cauſa poteſt etiam aſſignari illa in ſuperiori Textu deſcripta. Partes deſcriptæ ab Hippocr. compatiuntur ob toties repetitum conſenſum Uteri cum illis. *Quædam etiam ex partu aſſiciuntur, aliæ etiam alio modo*. Ex partu ſine vitio ſanguinis, & laxitatis orificii vaſorum Uteri poteſt oriri fluxus prædictus, ſi vaſa Uteri vel rumpantur, vel ita dilatentur, ut virtutem elaſticam ſe contrahendi, & orificia prædicta claudendi amiſerint, ut niſi cum difficultate ad eam redire poſſint. *Cùm igitur ſic habuerit, medicamentum potui exhibere oportet, &c.* Per potionem, certum eſt Hipp. non intelligere potionem purgantem, cum ægram maximè eſſe debilem teſtatus ſit, & debilitas virium purgationem non permittat. Sed potiùs per potionem cenſerem intelligendam eſſe potionem ex adſtringentibus paratam, ſola enim hæc fluxum ſanguinis *judicatione ſolvere poteſt*. *Frigida lavat*; ab hac enim poteſt ſiſti fluxus ſanguinis, & etiam dolor, ſi per tepefactoria non ceſſerit, à frigiditate enim corrugatæ partes, vel ad ſuum ſitum redeunt, vel laxatæ contrahuntur, vel corrugatæ, & concuſſæ irritans dolorificum expellunt cum ſedatione doloris. *Quæ ſiccant in ſuſſitu* adhibet Hipp. A ſiccatione enim orificium Uteri dilatatum reducitur ad ſuum naturalem ſtatum, per ſiccitatem vaſorum orificia dilatata conſtringuntur, & corrugantur, & fluxus omninò tollitur.

TEXT. LIII. *Quod ſi leves, ac lubrici fuerint menſes copioſiores, &c.*

Præſens caput loquitur de levitate Uteri, quæ conſiſtit in continua irrigatione colli iſtius à ſanguine continuò per hoc fluente, prout innuit verbum, *menſes*, quod ſine addito ſanguinem menſtruum connotat; Poteſt etiam à menſibus albis hæc levitas generari; curationem iſtius affectus peragit, modo ſupradicto.

TEXT. LIV. *Si Uteri inflammatione laborarint, menſes occultantur, &c.*

In inflammatione adeſt plenitudo partis. Plenitudo impedit fluxum ſanguinis à parte inflammata *& cervix tenibus veluti aranearum telis implicatur*, legit *Vander Linden*, *& cervix multis tenuibus venulis ad telarum aranearum ſimilitudinem variegatur*. His verbis explicatur modus, quo fit etiam in cervice Uteri inflammatio, nempè per parvas venulas ſanguine impletas, & telarum aranearum inſtar per cervicem extenſas. Venulæ in ſtatu naturali cervicis non ſunt conſpicuæ in inflammatione, cum plenitudine apparent eo modo, quo apparent in oculo ophtalmia affecto. Ab hoc habemus argumentum afferendi Hipp. hic loqui de inflammatione cervicis Uteri. *Febris acuta eſt, & mentem tentans, menſes ei pauci, &c.* Signa in inflammatione Uteri apparentia, & læſionem tot partium demonſtrantia, in Textu deſcripta, pendent à conſenſu, quem habet Uterus cum dictis partibus, mediante ramificatione nervi ſexti paris, quò ad partes ſuperiores, quò ad inferiores media ramificatione à nervis oſſis ſacri. Febris eſt ſemper inflammationis comes. *Totum corpus friget*; in inflammationibus enim internis, ferè ſemper interiora uruntur, exteriora frigent. *Menſes cum ſonitu prodeunt*, ex quo dicuntur ſtridere, exeunt *pauci*, quia pars ſubtilior ſolùm ſanguinis in Utero ſtagnantis exit. Sunt *pravi*, quia ſanguis in utero ſtagnans diſpoſitus eſt ad putredinem. *Cùm ſic habuerit, medicamentum deorſum purgans propinandum, &c. In libro de victus ratione in acutis* medicamentum purgans in inflammationibus prohibet Hipp. In hac inflammatione uteri primum remedium, quod præſcribit, eſt medicamentum purgans, unde videtur ſententiam de victu in acutis non ſectari, & ratio, quam affert ibi, eſt validiſſima pro excludenda purgatione, quia materia inflammationis in principio non eſt concocta, ideòque purgatio non convenit.. Conſideratis omnibus circumſtantiis præſentis caſus, utraque ſententia Hipp. eſt vera. In illa *de ratione victus in acutis*, agit de curatione ipſius inflammationis, in qua verè in principio non eſt purgandum; in hoc verò pro indicante purgationis duo habet: unum eſt redundantia excrementorum in imo ventre, demonſtrata in illis verbis, *venter aqua impletur, & umbilicus prominet*; adſunt excrementa in ventriculo, & in magna quantitate, & colligitur ex illis verbis, *jejunæ ei vomitus advenit*, & hic vomitus non eſt cibi, quia ſubjungit, *cùm autem comederit, ea evomit*, unde in priori vomitu excrementa ſola exire credendum eſt. Demonſtrantur etiam in corpore ab intumeſcentia plantæ pedum. In hac redundantia excrementorum in principio apparente cum periculo defluxus iſtorum ad partem inflammatam, habemus verum indicans purgationis in principio inflammationis, non in inflammatione, non pro curatione iſtius, ſed pro purgatione humoris excrementitii redundantis, à quo poteſt augeri inflammatio, & ſic Hipp. intentum in purgationis inſtitutione non eſt pro curatione inflammationis, ſed pro prohibitione augmenti iſtius. Nec repugnat in inflammationibus internis pro evacuatione cauſæ antecedentis. Alterum indicans ſunt ſymptomata imi ventris, quæ ab iſtis humoribus magna poſſunt ſuſcipere incrementa, & mortis cauſa fieri, ad hæc pericula declinanda non eſt aliud remedium, quam purgatio. Hæc verò debet eſſe cum medicamentis, blandis, & lenibus. *Subdititia, & grati odoris fomenta Utero admovenda*, ut per hæc calor Uteri corroboretur pro materiæ inflammationis concoctione, & eadem etiam attenuetur, ut faciliùs agenti naturæ obtemperet. *Per diem peſſuli plumbei ſupponendi, &c.* Utitur *peſſo plumbeo*, ut os Uteri apertum maneat pro excernenda materia, quæ ab inflammatione in cavitatem Uteri depluere poteſt; & hac ratione puto peſſum plumbeum eſſe parandum cavum. *Cneſter* eſt Timælea validiſſimum purgans. In hoc docemur collutionibus, & infuſionibus in Uterum injiciendis admiſcenda eſſe purgantia, quæ ſua fermentatione valeant materiam ad faciliorem concoctionem præparare, & aliquam portionem materiæ etiam expellere eodem motu fermentationis. *Poſt hæc tribus diebus intermiſſis, &c.* Hæc pars Textus eſt ſatis clara, cùm regulam Diœtæ contineat; ſolùm remanent conſideranda illa verba: *quod ſi perſeveret medicamenta ex quibus aqua ex Uteris purgetur, potui exhibenda*. Ab hujus remedii exhibitione cenſendum eſt Hipp. in hac inflammatione cognoſcere redundantiam ſeri, alioquin ſuperflua, & ſine ratione eſſet exhibito talis remedii. Et quia ſerum pro purgatione eſt ſemper præparatum, ideò audet Hipp. medicamentum purgans ſeroſitatem etiam in augmento inflammationis exhibere, quod aliis humoribus peccantibus piaculum eſſet, à quibus confirmata manent ea, quæ in principio Text. de purgatione diximus.

TEXT. LV. *Si ex Uteri inflammatione non concipiant, menſes occultantur, &c.*

Alteram differentiam inflammationis deſcribit in hoc Textu Hippocr. Diſtinguitur à præcedenti, per hoc, quod in illa adeſt cervicis Uteri inflammatio, in hac verò non. Quapropter cenſeo non eſſe veram inflammationem hanc, ſed inflammationem ſpuriam, in qua tantummodò adeſt exceſſus caloris, qualis in prægnantibus ſolet eſſe. *Menſes occultantur* ab obſtructione vaſorum, per quæ fluere debent. Menſes retenti intra vaſa ad iſtorum intumeſcentiam turgent, & per ſtagnationem in varia abeunt excrementa. Hæc unita ſimul fermentationem ſuſcipiunt, à qua multi vapores elevantur; & ab his venter diſtenditur, itaut Utero gerere videatur. Depreſſis vaporibus, vel ſecundùm magnam partem diſſipatis, *venter detumeſcit, ſed numquam ſuo tumori naturali reſtituitur*, quapropter Mulierem gravidam eſſe putat. Unde tota ratio intumeſcentiæ quærenda eſt in ſanguine retento in excrementis ab iſto genitis, & à fermentatione iſtorum temporis tractu detumeſcit venter ſine expulſione, vel aquæ, vel ſanguinis, vel molæ, vel fœtus, argumentum certum dictum tumorem ventris eſſe à ſola fermentatione humorum, qua ſedata, tumor ex toto evaneſcit. Notat Hippocr. hunc tumorem eſſe *levem*, ideòque *ſimilem utri pleno*, & poteſt nobis ſervire pro ſigno diſtinguente tumorem ventris in vera gravidatione, & tumorem ejuſdem in falſa, in illa tumor eſt reſiſtens, in hac eſt mollis, & levis. *Poſt cibum* adeſt *dolor in imo ventre*, quia ab hoc augetur fermentatio prædictorum humorum, & vapores præexiſtentes cum majori impetu moventur, & cum diſtractione diſtrahuntur uſque ad doloris excitationem. Cùm hic tumor ſit à ſanguine, & ab excrementis in imo ventre contentis, iſtorum purgationem per al-

vum molitur Hipp. ſanguinis verò recenti fluxum per ſua loca conſueta ſubdititio impoſito tentat, cujus formam, & compoſitionem deſcribit Hipp. in his duobus lib. ubi agit de remediis, & nobis reliquit documentum in ſimili caſu movendi menſes, quod documentum ſervit in quocumque morbo, in quo ſuppreſſio menſium reperitur.

TEXT. LVI. *Si inflammationem ſenſerit Uterus, contrahitur, &c.*

Contrahitur Uterus in inflammatione, quia ſecundùm latitudinem ob concurſum humorum valdè dilatatur, unde neceſſe eſt, ut ſecundùm longitudinem abbrevietur, & contrahatur. *Si quid* humoris affluxi valdè fermentetur, vel *putreſcat, & corrumpatur febres fiunt*, eo modo, quo aliæ febres à fermentatione, & putredine humorum generantur. Ex his patet, hanc tertiam differentiam eſſe veram inflammationem Uteri, quia in hac adeſt tumor partis, & febris. *Partes circa pudenda duræ ſunt ſtupendum in modum afficitur, &c.* Dureſcunt partes circa pudenda ob affluxum copioſum humorum ad has, eo modo quo dureſcunt partes proximæ parti externæ inflammatæ. Uterus inflammatus *mordetur* ab acrimonia caloris præternaturalis inflammationis. Uterus dolore, & calore afflictus, hùc illùc movetur, vel potiùs iſtius ligamenta ab acrimonia caloris, & vaporum à putreſcente humore elevatis afflicta, hùc illùc Uterum cum impetu trahunt, & talis eſt ſtatus Uteri inflammati, ut à quacumque cauſa etiam levi intensè doleat, dum à ſolo digito immiſſo cum leni tactu intenſior excitetur dolor. Reliqua ſunt ſigna inflammatum Uterum demonſtrantia, quorum cauſæ ſuperiùs ſunt explicatæ. *Quod ſi dolores ſummam debilitatem inducant velut ſpongiis calidis, ex aqua, & oleo expreſſis fotus adhibendi, &c.* Quod magis notatione dignum eſt in hoc Textu, obſervamus Hipp. nec purgationem, nec venæ ſectionem pro curatione hujus inflammationis præſcribere. Purgationem in inflammationibus damnavit *in lib. de victus Ratione in Acut.* Miſſionem ſanguinis, vel comprehendit in illo generali præcepto *in citato lib.* deſcripto, vel miſſionem ſanguinis inutilem cenſuit in inflammatione Uteri cum ſignis ibidem deſcriptis. Hæc enim ſtatum inflammationis oſtendunt, in quo non licet ſanguinem mittere.

TEXT. LVII. *Hoc ad uterorum dolores infunditur. Si dolor ſolùm urgens, & violentus fuerit, caligo quædam in Uteris ineſt, neque ſpiritus exit, ſed illic vitium manet, &c.*

Quia ſpiritus, & flatus in Uteri cavitate exiſtens cum doloris magni excitatione *caligo* dicitur in Utero eſſe. Flatus, ſeu vapor excitat dolorem, ſi in Utero manere cogatur, quia hunc violenter diſtendit. Omnis autem violenta diſtenſio eſt cum dolore, hic augetur, ſi vapores, & flatus qualitatem acrem contraxerint à materia, à qua elevati fuerunt. Sequens remedium valdè efficax dicitur ab Hipp. ſi ſolùm flatus, ſeu vapores cauſa fuerint doloris, unde ſi cum his conjungatur alia cauſa, tali remedio non eſt utendum. *Ad hunc igitur modum curare oportet. Attriplicis agreſtis ſemen, &c.* Pro curatione primò infundit in Uterum decoctum flatus reſolvens. Quapropter quæcumque flatus reſolvunt, ſive ſint decocta, ſive olea poſſunt in Uterum injici ad doloris eradicationem. Secundò fomentum applicat regioni Uteri ex vino, & aliis compoſitum; ubi enim *Foeſius* dicit *admoveto*, *Vander Linden* legit *foveto*; & pari pacto omnia fomenta, quæ poſſunt flatus reſolvere, poſſunt applicari. Tertiò os Uteri clauſum aperire intendit *cum ſubdititio ex Scilla facto*, à quo, *ſi puſtulæ circa orificium Uteri elevatæ fuerint*, his occurrit cum medicamento *ex carne parato*. *Omnia ſubdititia, & peſſaria* cenſeo poſſe os Uteri aperire, & præcipuè *ſi oleo Camomillæ, Anethi*, & aliis flatus diſcutientibus *illiniantur*.

TEXT. LVIII. *Si Eriſipelas uteros occupet, pedes, mammæ, & corpus intumeſcunt, &c.*

Sicut mammæ ex cognatione cum Utero intumeſcunt, ita cæteræ partes, quæ conſenſum cum Utero conſervant, & deſcriptæ ſunt in Textu, moleſtiam in Utero affecto ſentiunt. *A livore in inguinibus, & poplitibus*, juxta *Vander Linden*, *meliùs ſe habere videtur*, quia livor eſt inditium caloris interni remiſſi, à quo omnia alia ſymptomata remiſſionem accipere debent. Alia ſigna enumerata ſunt propria febris ardentis, qualis eſt illa, quæ in Eriſipelate ſemper invenitur. Omnia, quæ ſequuntur, vel per ſe ſunt clara, vel patent ex dictis. Purgationem vel cum ſolo lacte molitur. Purgantia alia ſi adhibet redundantiam humorum, & præcipuè bilis in patiente cognoſcit, quam è corpore expellere intendit, ne ad partem affectam irruat. Præterquamquod purgatio in Eriſipelate partium externarum non convenit, in eriſipelate verò internarum partium neceſſaria eſt, quia in hoc non trahitur bilis à partibus externis ad internas, ſed ab internis tracta per internas evacuatur.

TEXT. LIX. *Aqua intercus ſi in Uteris oriatur, menſes cum anxietate, &c.*

Quò ad generationem hydropis, in primo libro aliqua diximus, quæ poſſunt huic Text. applicari. Curatio hujus in Textu eſt ſatis clara.

TEXT. LX. *Eſt, & alia ſimilis Uterorum Aqua intercus, &c.*

Quò ad hunc ſentio cum *Martiano* deſcriptum affectum non eſſe dicendum hydropem ſpectata iſtius eſſentia, quæ continet tumorem partis factum à redundantia aquæ. In hoc affectu non eſt tumor ventris, non redundat aqua, quia quod exit eſt *ſanguis*, *& ſanies*, & ideò non poteſt referri ad hydropem, niſi quò ad excretionem, cùm multoties in hydrope Uteri quantitas aquæ profluat à pudendis; in hoc verò caſu profluit ſanguis. Quapropter etiam niſi per ſimilitudinem poteſt dici hydrops, dum ſicut in hydrope verò profluit aqua, in hoc profluit ſanguis, & ſanies, & verè hic affectus potiùs ad fluxus uterinos referendus, quàm ad hydropem, quod nobis ſignificavit Hipp. quando in curatione eligit illam, quam præſcripſit in curatione fluxus albi. Quapropter pro curatione iſtius indiſpoſitionis videnda ſunt ea, quæ diximus ſuperiùs *de fluxu Uteri albo, & de aliis*.

TEXT. LXI. *Si ventus intra Uteros fuerit, flatus exit cum ſtridore, tota intumeſcit, & febris, ardorque detinet, &c.*

Præſens Textus applicatur flatibus ab Utero exeuntibus cum ſtridore, & propria etiam videtur applicatio prædicta, cùm omnia enumerata in Textu ſymptomata à flatibus proveniant, quatenus partes cum Utero conſentientes vel premunt, vel vellicant, vel diſtrahunt. Cauſa flatuum, ſi loquamur de materiali, ſunt excrementa in hoc affectu exiſtentia, & præcipuè bilis, quæ redundans in ſanguine, ſeparatur etiam in copia in glandulis ſalivalibus, unde oris amaror, & ab ejuſdem copia in ſanguine accenditur febris; acida etiam reperiri *acidorum vomitus* comprobat. Horum collectionem pendere puto à laxitate fibrarum ventriculi, quæ diuturnam faciunt moram partium craſſarum chyli, & ex mora continuata fermentatione dictæ fœces aceſcunt. Dicta ſymptomata ab excrementis iſtis pendere, colligere poſſumus ab illis verbis *Hipp. & meliùs habet*. Si evacuatis excrementis iſtis meliùs ſe habet, ergo per hæc excrementa malè ſe habebat. Idem dicendum eſt etiam de flatibus; cum iſtis expulſis, melius pariter ſe habeat: ait enim *Hipp. Frequenter eructat, & meliùs habet*. Hæc eſt cauſa immediata dictorum ſymptomatum, prima eſt materialis. De cauſa efficiente flatuum multa dixi *in tract. de Morbis ventriculi cap. de ructu*. *Uterum igitur aqua mulſa, aceto mulſo, &c.* Præter remedia ab Hipp. in Textu recenſita, poſſumus etiam remediis de ructu propoſitis in hoc caſu uti, & hæc miſcere cum Anthyſtericis in ſupradictis ſuffocationibus expreſſis.

Reliqui Textus continent remedia, quibus uti poterit Medicus in curatione morborum, pro qua Hipp. propoſuit.

APPEN-

APPENDIX
DE FEBRIBUS IN PARTICULARI,
Et de earum Curatione, juxta Hippocratis Sententiam.

CUm multa ad Febrium theoriam ſpectantia ab Hippocr. nobis demandata in mea Iride febrili congeſſerim, ab eorum repetitione ſuperſedeo, & Tractatum de Febribus in particulari, & de earum curatione juxta mentem Hippoc. aſſumo, & præmitto.

CAP. I.

In quo examinatur Sententia Hipp. Plurimæ febres à Bile fiunt.

HIpp. *in lib. de Natura humana num.* 27. ait: *Plurimæ febres à bile fiunt.* In hac ſententia conſiderando verbum illud, *plurimæ*, quod connotat in rigoroſo ſenſu acceptum, non omnes febres à bile pendere, ſed ſolùm aliquas. Conſidero etiam ſubſequentia citati Textus verba, quæ nomina ipſarum ſunt, *Continens*, *Quotidiana*, *Tertiana*, *& Quartana*, & non reperiendo dari alias febrium differentias, præter *Hecticam*, *& ſymptomaticas* ab aliis morbis pendentes, conſtanter concludo Hipp. per illud verbum, *plurimæ*, intelligere omnes febres à bile fieri, excepta *Hectica*, *& ſymptomatica*, & in hujus confirmationem faciunt verba ejuſdem Textus: *Species earum quatuor ſunt, præter eas, quæ ab occultis doloribus generantur;* Quatuor ſpecies febrium ſunt illæ ſuperiùs dictæ; & aliæ, quæ à doloribus occultis generantur, aliam ſpeciem febrium per Hipp. conſtituunt; hujuſmodi verò febres ſunt febres ſymptomaticæ, quia à doloribus pendent, tamquam illorum ſymptoma eos ſequens, tamquam umbra corpus. Hectica febris videtur aliam ſpeciem febris, præter dictas, conſtituere, cum nec Typum Tertianæ, Quartanæ, Quotidianæ ſervet, multò minùs continentis in rigoroſo ſenſu acceptæ ſpectata cauſa, & ejus ſubjecto, niſi per continentem accipiamus febrem continuam omnimoda acceſſione carentem. Ephemeram non conſideravit Hippoc. quia nullius curationis indigens eſt, vel quia ad continentem reduci poteſt. Et ſi aliæ dantur febres, ad eaſdem ſpecies ſunt reducibiles, vel ab eiſdem unitis componuntur.

Cauſam dictarum ſpecierum febris Hipp. dicit *Bilem eſſe*. Non poteſt negari in Bile colligi omnia requiſita ad efficiendam febrem, cùm ſit humor calidus, & igneus ſanguinis inflammativus; nihilominus quia obſervamus febres ſine ſignis peccantis Bilis, & ſine exceſſu caloris Bili conceſſo, idcircò neque videtur affirmari poſſe, omnes febres univerſaliter à Bile generari.

Pro hujus dubitationis enodatione ponderandum quid nomine Bilis intelligat Hipp. ſub hoc enim nomine poteſt intelligi ſanguis bilioſus, hoc eſt pars calidior, activior, & maximè accenſibilis maſſæ ſanguineæ, & Bilis excrementitia in Hepate à ſanguine ſegregata, & in Ciſti felis collecta, & pro Bile poſſumus etiam accipere humorem ad modum Bilis agentem, eo quia in actione ſit Bili ſimilis. Hæc febrem accendit, non ob ſuum calorem ſimpliciter, ſed magis ob ſuam acrimoniam, amaritiem, ſeu ſalſedinem, juxta dictata Hipp. *in lib. de veteri Medicina*, *nempè acidum*, *amarum*, *& ſalſum plus valere in alterandis corporibus*, *quàm calidum*, *& frigidum*. In eadem Bile conſideratur fermenti conditio, quæ manifeſtatur in depuratione maſſæ chyloſæ, cui miſcetur in inteſtino duodeno, facta ob ſuam virtutem fermentativam, quæ adjuvatur à mixtione ſucci pancreatici, & per hanc fermentationem fœces *inutiles Chili* à partibus utilibus diſgregantur, & præcipitantur ad inteſtina inferiora, in quibus congregantur, & uniuntur. Similis etiam Bili evadit alius humor à Bilis natura differens, ſed putredine ſecundùm quid, ſeu ſecundùm partem alteratus, & depravatus, cùm ob dictas putredines calorem præternaturalem, acrimoniam, & vim fermentativam aquirat. Poteſt etiam dici omnes febres à Bile fieri, admittendo Bilem, vel ſe ipſa ſolùm efferveſcentiam præternaturalem ſanguini tribuere, igneumque calorem in eo accendere, vel requiri, tamquam conditionem ad accendendos humores ad febris generationem diſpoſitos, ſine qua non accenderentur, & ſit veluti funiculus nitratus, cujus medio pulvis pirius in cuniculis concluſus accenditur.

Si accipiamus Bilem pro parte ſanguinis calidiori, certè quod non licet cum ratione aſſerere omnes febres ab hac parte ſanguinis generari, neque à Bile in Ciſti felis reſervata ob rationem ſuperiùs allatam, & etiam quia omnes febres eſſent ejuſdem rationis in antecedentibus, concomitantibus, & conſequentibus, cùm eſſent ab eodem humore, tamquam ab indiviſibili principio; ſi verò pro Bile accipiatur humor in actione Bili ſimilis, nempè potens maſſam ſanguinis præternaturaliter fermentare, efferveſcentia inordinata agitare, & calorem igneum in eo ſuſcitare, poſſumus probabiliter huic propoſitioni aſſentiri, omnes febre oriuntur à Bile, quia iſtarum cauſa principalis eſt putredo, vel ſecundùm totum, vel ſecundùm partem, & quilibet humor qualibet putredine affectus habet eam vim ad febrem accendendam, tam ratione caloris in putredine concepti, quàm ratione virtutis fermentativæ ab eadem contractæ, qualem habet Bilis, ideò per dictas putredines humores fiunt in actione ſimiles Bili, & ſi talis ſimilitudo in omni febre æqualiter non appareat, rationem hujus videbimus cum Hipp. in explicatione ſupradictarum differentiarum febris. Pariter ſi conſideremus Bilem, tamquam humorem incendiarium, qui aliis humoribus ignem injicit, & combuſtione damnat, dicta propoſitio, omnes febres à Bile oriuntur ſuſtineri poteſt, & ex Anatome Bilis facta *à Sylvio Le-Boe* id conſtat, cum illius compoſitionem ingrediantur partes igneæ ſulphureæ, & oleoſæ facilè inflammabiles, quod de nullo alio humore dicitur, & per quas facilè flammam concipit, & alios humores inflammare valet, & ante *Sylvium*, *Hipp. in lib.* 4. *de Morbis n.* 23. hanc Bilis naturam deſcripſit in illis verbis, *caleſcente ſanguine exhalat maximè per hunc humor aquoſus*, *qui febri eſt infeſtiſſimus*, *remanet pinguis*, *ac levis*, *qui eſt bilioſus*, *& febris maximè nutrimentum*. Accepta Bile in hac duplici ſignificatione, vera eſt ſententia Hipp. aſſerens Bilem eſſe cauſam omnium febrium, prout ſuperiùs explicavimus.

Nec ab explicata ſententia diſceſſit *Hipp. in libr. de veteri Medicina num.* 30. ubi quærit, quare febricitantes à frigidorum uſu non ſubleventur, nec calor febrilis moderetur à frigidis, quæ ſunt calori contraria, & reſpondit, per hoc exiſtimare febrem non in ſolo calore conſiſtere, ſed cauſam febris eſſe, ut ait, *amarum*, *ac calidum*, ideſt *& calidum*, *ac acidum*, *& ſalſum*, *ac calidum*, *& alia infinita*, *& rurſus frigidum cum aliis facultatibus conjunctum* (idem cum amaro acido ſalſo) *hæc itaque ſunt*, *quæ lædunt*. In hac ſententia apertè patet Hipp. velle acidum cum calido conjunctum eſſe cauſam febris, at acidum communiter à fautoribus Sectæ acidi, & alkali eſt contrarium amaro, & conſequenter Bili ex Hipp. febris ſit etiam ab humore Bili contrario, unde ſequitur omnes febres non eſſe à Bile.

Hæc omnia ex Hipp. mente allata vera ſunt, ſi præcisè ea conſideremus ſecundùm rationem amari, & acidi, quæ omninò ſunt inter ſe diverſæ, & contrariæ; ſi

verò & amarum, & acidum ſecundùm actionem febrium generativam, in hac ſunt omninò ſimilia, cùm & ab amaro, & ab acido febris cauſetur, quia inordinata effervéſcentia cum calore præternaturali in maſſa ſanguinea excitatur, & quia Bilis ad hæc eſt magis potens, & efficax, ideò principalis cauſa in febribus ſtatuitur, & etiam quia omnes aliæ qualitates, per quas humores agunt actionem Bilis in generanda febre imitantur, ideò omnes febres à Bile dicuntur. Ulterius dico, acidum generare febrem Bili mixtum juxta ſuppoſitionem ſuperiùs allatam de Bile incendiaris, ad quem ſenſum poteſt reduci illud calidum, & acidum Hippoc. ſed clariùs, ex mente hujus, in ſequentibus patebit; quapropter cùm in omni cauſa febris Bilis reperiatur, vel actio iſtius actioni ſimilis, ſumma cum ratione aſſerimus, omnem febrem eſſe à Bile.

CAP. II.

De Febre Continente.

Hujus febris naturam, ac ideam graphicè ſuo more deſcribit Hipp. *in cit. Text.* 27. *de natura humana*, & pro febre continente intelligere *Synocum*, colligitur ab ipſo verbo *continenti;* ſignificat enim apud Medicos febrem ad multos dies extenſam ſine ulla acceſſione, & ſub hac ſignificatione continentem febrem accipere Hipp. colligimus à verbis ipſius Textus, quæ ſunt: *Corpus enim nullo tempore perfrigeratum, citò colliqueſcit, nimirum à multa caliditate calefactum;* à quibus verbis determinatur, febrem continentem numquam remittere, quia corpus numquam perfrigeratur, & ſemper etiam perdurare cum magna caliditate, cùm per hanc citò colliqueſcat, febremque hoc modo deſcriptam eſſe febrem continuam, magnam, ſine acceſſione, & intermiſſione, ad modum febris Synochi, non eſt dubitandum, & magis confirmatur ab ultimis verbis citati Textus, in quibus reddendo cauſam, per quam febris quotidiana longior ſit continente, ait, *& propterea quod requiem habet in ipſa* (hoc eſt in quotidiana) *corpus; in continente verò non quieſcit ullo tempore*, hoc eſt nullo tempore nec remittere, nec intermittere febrem continentem, quod eſt proprium febris Synochæ, ita dictæ. Unde definiri poteſt, ſecundùm Hipp. doctrinam; *Febris ad aliquos dies extenſa, ſine ulla exacerbatione, & remiſſione univerſali excepta, cum magno calore, & effervéſcentia ſanguinis inordinata.* Ex eo quod ſit febris *ſine exacerbatione*, differt ab eis febribus, quæ ſunt continuæ, vehementes, ſed novas habent exacerbationes, & ex eo quod numquam remittat ab illis febribus, quæ quotidianam habent remiſſionem, & intermiſſionem. Eſt *ſine remiſſione, & exacerbatione*, quia cauſa hanc efficiens febrem eſt in maſſa ſanguinea, & ſemper in actu operandi, & eodem modo operandi, ideò febris eſt continua, & ad multos dies extenſa, & in vehementia, & magnitudine ſemper æqualis univerſali declinatione excepta; nam ſicuti febris Periodica fit, quia vel nova materia ſanguini ad effervéſcendum, & incaleſcendum præternaturam ab aliqua parte demandatur, vel hæc quieſcens in maſſa ſanguinea, libertate donatur, & actione ſua præternaturali ſanguinem ad inordinatè, & morboſè effervéſcendum, & incaleſcendum in corde diſponit; remittit febris, quando hujuſmodi materia minuitur, & cum ea præternaturalis effervéſcentia, & incaleſcentia ſanguinis intermittit, quando materia febris cauſa vel tranſpiravit, vel diſſipata evanuit, ita dicendum eſt febrem eſſe ſine exacerbatione, quia nova materia ad hanc neceſſaria ſanguini aliunde non ſuppeditatur, & ſi aliqua à ſanguinis maſſa ſegregatur, hæc conſervationi febrilis incendii non novæ acceſſionis generationi ſervit.

Cauſam hujus febris aſſignat Hipp. in citati Textus verbis; *à plurima, ac meraciſſima Bile provenit*, hoc eſt à Bile puriſſima, ſine admixtione alterius humoris, & in quantitate abundanti; Non reperitur in maſſa ſanguinis humor magis aptus ad febrile incendium in maſſa ſanguinea excitandum, cum violentia, & vehementia ebullitionis, & caloris, quàm Bilis ob efficaciam ſuæ actionis, ob acrimoniam ſui ſalis, ob calorem ſui ſulphuri, quæ omnia cùm in puriſſima Bile ſint ſummæ activitatis pro maſſa ſanguinea alteranda cum violentia ſuprà omnes alios humores, Bilis etiam ſola febrem continentem cauſare poteſt. Ab his duabus conditionibus Bilis accipimus modum generationis hujus febris; Bilis copia excedens puritate maximè activa cum ab alieni humoris admixtione ejus actio non retundatur, facilè diſgregatur ab aliis particulis ſanguinis ratione qualitatis, & quantitatis modo explicato ab Hipp. ubi agit de diſgregatione humoris in maſſa ſanguinea. Bilis diſgregata maſſæ ſanguineæ dominatur, ſua actione, & inflammabilitate accendit, agitat, turbat, itaut per cor circulando per partem, poſt partem contritione motu cordis conſtrictivo ſuſcepta particulis igneis, & ſulphureis libertati aditum aperit, quæ ad invicem congregatæ, & in copia tamquam flamma per maſſam ſanguinis in vaſis exiſtentem, tamquàm per tubum diſcurrunt cum præternaturali fermentatione, igneoque, & vehementi calore illius, & quia particulis prædictis ſolutis, à craſſitie vaſorum dictarum particularum expiratio diminuta ſuccedit, ideò diù, & per aliquos dies in ea commorantur febrem cum eadem vehementia, & caliditate conſervando. Et ſi aliquæ expirant in alium locum, ſubſtituuntur aliæ de novo ab effervéſcentia ſanguinis excitatæ, & ſolutæ, per quas febris in eodem gradu vehementiæ, & caloris perſeverat. Ubi verò dictæ particulæ igneæ per paulatinam, ſed diù protractam expirationem diminutæ fuerint, tunc febris remittit cum univerſali declinatione; Nec alia ratione explicari poteſt modus generationis febris continentis à copia Bilis puriſſimæ, juxta allatam Hipp. ſententiam; & quamvis admittam cum Præceptore febrem continentem à Bile, non dubito tamen etiam ſine hac febrem continentem deſcriptæ conditionis poſſe generari, ſi ſanguis particulis calidis ſit refertus, & ob earum quantitatem à cæteris diſgregentur, ſolæ eos pariunt in ſanguine tumultus; quos ſuperiùs de bile dixi, nec particulis prædictis in quantitate redundantibus, & qualitate valdè activis ea deneganda eſt diſgregatio à cæteris partibus ſanguinis, quam concedimus humori copia, & qualitate valdè monito, prout docuit Hipp. qua de cauſa obſervamus febres continentes, nec in temperamento, nec in ætate frigida, ſed in corporibus ſanguineis, & pletoricis accendi. Poſſumus tamen hanc febrem reducere ad illam ab Hipp. deſcriptam, ſi per copiam particularum ignearum, & calidarum, quæ diſgregatione ſimul unionem contraxerunt, intelligamus particulas bilioſas, quia ſuis qualitatibus, Bilis qualitates æmulantur.

Cauſæ externæ erunt omnes illæ, quæ Bilem vel generare, vel ſummè agitare valent, ut temperamentum valdè bilioſum, anni tempus, & regio fervida, alimenta calida, vel calidis condita, ira frequens, & immoderata, potus vini generoſi, & vigiliæ excedentes.

Signa patognonomica ſunt calor acutus, & mordax, & acceſſionis carentia, ſitis inextinguibilis, lingua arida, ſicca, & quandoque nigricans, Urinæ rubræ, Inquietudo moleſta, Vigiliæ continuæ.

Differentiæ communiter tres aſſignantur. Prima, in qua febris ſemper augetur, & *Animaſtica* dicitur. Secunda, quæ ſemper in eodem ſtatu perſeverat, & *Peranimaſtica* nominatur. Tertia, quæ ſemper decreſcit, & *Onotoma* nuncupatur; quas differentias inutiles exiſtimo, cùm febres continentes ſua habeant tempora, nempè principium, augmentum, & ſtatum, conſequenter omnes iſtæ differentiæ initium habent, augentur, in ſtatu quieſcunt, & remittunt, conſequenter non poteſt dici admiſſis his temporibus, quod ſemper augeatur, quod ſemper decreſcat, & ſemper in eodem ſtatu permaneat.

Variæ differentiæ hujus febris petendæ ſunt à Bile, prout eſt magis, vel minus activa in quantitate, vel magna, vel parva, vel moderata. Bilis enim valdè activa, & in quantitate excedens magnam febrem excitabit, ſicut minus activa, & in minori quantitate mitiorem. Bilis vel eſt ſincera ſine admixtione alterius humoris, & febris ab hac erit vehemens, ſymptomata hanc concomitantia ſæviſſima, ſi verò aliis humoribus erit permixta, qui valeant Bilem attemperare, & febris, & ſymptomata erunt clementiora, à naturæ maſſæ ſanguineæ. Majores enim tumultus Bilis, & majus incendium ſuſcitabit in maſſa ſanguinea

raræ texturæ, & particulis calidis referta , quàm non excitabit in maſſa ſanguinea minus calida denſioris texturæ, & aliis humoribus effervefcentiæ, & incendio reſiſtentibus redundante.

Signa Prognoſtica habemus ab Hipp. & primò *in Coacis prænotionibus num.* 1. *de rigoribus* , ubi habet : *Quicumque in febre continua* (hoc eſt continenti, quam nomine continuæ ſolitus eſt nominare, ut patet *in lib.* 1. *de morbis popularibus ſect.* 3. ubi febres aliquas continuas, quaſdam interdiù accedentes , noctu intermittentes , vel è contrà , recenſet , ubi apparet febrem continuam, intelligere illam, quæ numquam intermittit, nec remittit, qualis eſt continens) *voce deſtituti jacentes oculis conniventes nictant , hi ſi poſtquam ſanguis ipſis ex naribus fluxit, & ubi vomuerunt loquantur, & ad ſe ipſos redeant ſervantur , ſi verò hæc non fiant difficulter ſpirantes facti , brevi moriuntur* . Vocis privatio denotat in febre continente, præter ſanguinis effervefcentiam immoderatam, vel cerebrum, vel partes ſpiritales læſionem contraxiſſe à materia in iſtis ſtagnante, oculorum nictatio, cùm ſit occluſio, & apertio oculorum motus convulſivos, ſaltem in Palpebris ſupponit, & conſequenter ſuccum nerveum eſſe malè affectum, hinc eſt , quod ſanguis fluxus è naribus ſtagnanti materiæ motum præbens , & exiens , cum eo ſymptomata prædicta tollit, & etiam febrem, tranſpirante cum ſanguine fluxo fermento bilioſo febres cauſante , & per evacuationem ſanguinis ſedata illius effervefcentia inordinata, beneficia à ſanguinis fluxu per nares collata integrè perficit. Vomitus quandoque perficit ſuperveniens , à quo tota maſſa ſanguinis purgatur, ut alibi demonſtravi ex mente Hipp. & etiam caput, quod demonſtravit Hipp. dum in capitis affectibus vomitivo utitur; ſi verò nec vomitus , nec fluxus ſanguinis per nares ſuccedant, & difficilis reſpiratio ſuperveniat, moriuntur , ex eo quod materia in majori copia fluit ad partes ſpiritales , vel ſpiritus animalis , vel diſſipatus à febre , vel ab ejus cauſa in pauca copia fluit ad nervos organis reſpirationis ſervientes, unde reſpiratio difficilis, lethalis , quia morbum naturæ ſuperiorem oſtendit.

Secundò in citato loco habet Hipp. *quibus in febribus continuis puſtulæ per totum corpus erumpunt , lethale, ſi non purulentus abſceſſus fiat, maximè autem circa aurem his fieri ſolet;* per Puſtulas non intelligit Hipp. tubercula, cum pure, prout propriè ſignificat puſtula, ſed tubercula ſine pure, ſeu potius maculas , per cutem diſperſas ſanguineas, quales ſunt Peticulæ à nobis dictæ, & forſan ab Hipp. Puſtulæ appellatæ , quæ in febribus acutis, & continentibus lethales; naturæ enim debilitatem portendunt evacuationem humoris peccantis molientis, ſed non perficientis, & ſolùm paucam, & ſubtiliorem illius partem excernentis per locum etiam improprium criticæ , & univerſali evacuationi . Huic autem excretioni ſupplet abſceſſus poſt aures emergens , & Parotidem dicimus , ad quem materia craſſa, & in pus convertenda cum continua, & ſalutari evacuatione fluit, ex quo colligitur Hipp. per Puſtulas accipere tubercula ſine pure , quià ſi hujuſmodi generis tubercula erumperent ad cutem non eſſent lethalia, cum materia purganda per abſceſſum, per hæc tubercula purgaretur.

Tertiò *in libro de judicationibus num.* 9. habet: *in febre continua, ſi quis quarta die , & ſeptima affligatur , & undecima non judicatus fuerit , plerumque perit* , & ratio eſt, quia afflictio in quarta , quæ eſt dies indicatoria naturam aggredi corruptionem materiæ in ſeptima excernendæ tamquam in die judicatorio, & decretorio oſtendit , & afflictio in ſeptima reſurgens naturam perſeverare in pugna cum materia morbifica declarat , & ſi non ſequetur expulſio iſtius in undecima, quæ eſt ſeptima à quarta, & quarta à ſeptima, id debilitati naturæ tribuendum eſt, & virium defectui, idcircò expectanda eſt oppreſſio naturæ à morbo iſtius conatui duplicato reſiſtenti.

Quartò, *ſi rigor incidat, febre non deficiente , ægro jam debili , lethale eſt* , quia rigor eſt ſignum Criſis à natura molitæ , & conantis materiam febrilem ad exteriores partes expellere, quæ qualitate irritativa membranam carnoſam, vel cutem vellicando rigorem parit, ideò rigor apparens eſt malum ſignum, ſi febris non deficiat, quia oſtendit naturam incipere expulſionem materiæ , ſed non perficere , & eò magis ſignum eſt malum , ſi æger ſit debilis, quia deficit omnis ſpes futuræ expulſionis, & Criſis; hoc ſignum habet *Hipp. in lib.* 4. *Aph.* 46.

Quintò, *citato lib. Aphor.* 47. habet *Hipp. excretiones in febribus non intermittentibus lividæ, cruentæ, fœtidæ, & bilioſæ , omnes malæ* (quia inſignem putredinem , & ſanguinis diſſolutionem præſagiunt) *& ſi bene exeunt* (hoc eſt ſi non ſint cum prædictis conditionibus) *ſive per alvi excretionem, ſive per urinas, bonæ; ſi verò non aliquid eorum, quæ juvant, per hæc loca excernitur, malum* , eò quia certi ſumus, naturam non laborare circa materiæ morbificæ concoctionem , & expulſionem, dum nihil iſtius neque per alvum, neque per urinam in tempore opportuno , & morbo in ſtatu firmato excernitur. Unde etiam arguitur, morbum futurum eſſe naturæ ſuperiorem, & mortem ægro allaturum.

Sextò, *Aph.* 48. *ejuſdem libri* ſcripſit Hipp. *In febribus non intermittentibus ſi præſentes exteriores frigidæ interiores urantur, & ſitim habeat, lethale eſt*; hæc enim proveniunt à magna inflammatione interna , cujus calor non expanditur ad exteriora , imò ipſa inflammatio eſt impedimentum interdicens motum ſanguinis ad exteriora , & expanſionem caloris ejuſdem per partes externas, ex eo quod major pars ſanguinis circa partem internam inflammatam, & circa vaſa partium circumſtantium colligatur, cum deficientia ſanguinis in partibus externis , & frigore earumdem.

Septimò, & *Aph.* 49. *ejuſdem libri . In febre non intermittente, ſi labium, vel oculus , vel naſus , vel ſupercilium pervertatur , vel non videat, vel non audiat, jam debili exiſtente corpore , quidquid horum evenerit , mors proxima eſt ;* membrorum enim perverſio convulſionem , ſenſuum interdictus uſus ſpirituum deficientiam, ægro debili exiſtente indicat, & utraque lethalis.

Octavò , & *Aphor.* 50. *Ubi in febre non intermittente difficultas ſpirandi, & delirium acciderit , lethale* , à difficultate reſpirationis habemus indicium materiæ ſtagnantis in partibus ſpiritalibus , à delirio magnæ cerebri læſionis , & ab his duobus ſymptomatibus irreparabile, imminet periculum, ſi ſimul uniantur , difficultas in ſalute recuperanda , ſi ſeparentur . Hæc prognoſtica convenire febri continenti deducitur ex hoc , quod Hipp. applicat febri continuæ, quæ in ſeptima , & undecimæ terminatur.

Hujus febris curationem deſcribit *Hipp. in lib.* 2 *de morbis num.* 36. circa finem, & ait, *ſi verò febris neque interdiù remittat, & ad contactum ſupernas partes habeat calidas, venter autem, & pedes frigidi ſunt , & lingua aſpera, huic mendicamentum ne dederis*; hoc eſt à purgatione abſtinendum. Rationem hujus præcepti habemus *in lib. de veteri Medicinæ num.* 34. ubi habet , *Quanto autem tempore eadem elevata fuerint , & cruda, & meraca , ac intemperata* (& loquitur de humoribus) *nulla arte , neque dolores , neque febres ſedare poſſis*, cum verò humores ſint talis conditionis in principio febris continuæ, purgatio eis non convenit ob humorum cruditatem qua vigente, ſemper purgationem interdixit Hipp. *num.* 44. ubi curationem febris acutæ, in quibus Urinæ ſunt tenues, exponit dicendo, *quibus verò in principio urinæ tenues, tales ne purgato , ſed ſi viſum fuerit infuſum per Clyſterem adhibeto;* Urinæ enim tenues materiæ cruditatem oſtendunt . Altera ratio eſt deſumpta à *citato Text.* 2. *de morbis* ab illis verbis , *hic ſiquidem ſeptima die exſudarit , & febris ipſum dimiſerit, bene eſt*, à quibus colligitur ſolutionem febris numquam remittentis fieri per ſudorem , & à frequenti experientia Hipp. hoc percepiſſe, credendum eſt , & nos etiam obſervamus febres continentes ſæpiſſimè per ſudorem deſinere. At medicamentum purgans ſudorem prohibet , ut habet Hipp. in *cit. lib. de victus ratione citato numero*, ubi habet, *nempè ſi ventrem moveris , Urina non maturabitur , febriſque citra tum ſudorem , tum judicationem in longum protrahetur tempus* . Derelicto purgante medicamento Clyſtere ſolo utendum ad alvum aperiendam, monet Hippocr. & omni tertio die poteſt reiterari.

Pro alterantibus unicam tantùm habet indicationem Hipp. refrigerandi, tam ratione caloris febrilis, quàm ratio-

ratione cauſæ febris, quæ eſt Bilis, ideò *Ptiſanæ ſuccum* bis ſolùm in die exhibet, & pro cibo, & pro alterante, & admonet nos de uſu rigoroſæ Diœtæ in his febribus cum cibo, qui habeat rationem medicamenti, & ſuccus quidem Ptiſanæ eſt maximè congruus huic febri, quia præter hoc, quod refrigerat, & calori febris, & Bilis adverſatur, Bilem ipſam incraſſat, & craſſitie actionem illius minuit; frigidum exhibet ſuccum Ptiſanæ, ut frigiditate apta refrigerium paretur ægro intenſum: Hinc habemus maximum documentum in Diœta tenui, & in Diœta medicamentoſa pro febrium continentium curatione, qua ratione poſſumus ægris exhibere herbas refrigerantes, *Cicoream*, *Lactucam*, *Endiviam*, *Portulacam*, quæ maximè Bili reſiſtunt, & craſſitie, & aciditate, coctas cum jure, vel aqua, interdictis omnibus aliis cibis; Hinc dolendum de tranſgreſſione horum præceptorum Hipp. cùm talis Diœta à medicina abierit, & in hiſce febribus ova, contuſa carnium, pulmenta ex optimo, & ſucculento jure concedantur, à quibus Bilis vires majores accipit; Poſt ſorbitiones *Vinum aquoſum* concedit Hipp. quod minimè videtur convenire attenta febris natura, & ejus cauſa; Duplici tamen de cauſa puto motum eſſe Hipp. ad vini conceſſionem. Primò ad ſuſtinendos ſpiritus in ſanguine, & ad vires refocillandas debilitatas à morbo, & à Diœtæ tenuitate. Secundò ut diſponat humores ad ſudorem, quo ſæpiſſimè ſolvi ſolent hujuſmodi febres; eſt enim vinum maximè corroborativum, & diaphoreticum, & cum aqua temperatum nocendi facultatem amittit; vinum hoc modo exhibendum poſt cibum; reliquo verò tempore morbi *aquam frigidiſſimam* ægro permittit indeterminatè; Aqua frigidiſſima eſt illa nive refrigerata, qua in morbis uti poſſe ſine ægri detrimento ab hac Hipp. ſententia deducimus. Ad imitationem Hippoc. licitum erit aquas ſtillaticias ex herbis refrigerantibus paratas ægro propinare, nive etiam refrigeratas; videtur enim conveniens vaſtum incendium in maſſa ſanguinis accenſum maximo refrigerio extinguere, quale eſt aqua nive refrigerata, & ponderata hac Hipp. doctrina, hucuſque explicata, laudandus eſt uſus *Opii* correcti in iſtis febribus; ſupplet enim indicationibus ab Hipp. deſumptis, nempè Bilis activitatem frenandi, & ſudorem promovendi, & utrique ſatisfacit Opium, à quo magnæ effervefcentiæ ſedantur, etiam ſudor promovetur, ut experientia edocti teſtantur Recentiores, & *Laudanum liquidum Cidoniatum* omnibus præferendum eſt in hiſce febribus hoc exhibendo cum aquis refrigerantibus, ut ſupra. Tempus exhibendi eſt præcipuè in principio ſtatus, in quo ſanguis ad vehementem effervefcentiam eductus totali diſſolutioni exponitur, & æger periclitatur. Hoc prohiberi poteſt opiatis efficacibus, & cum majori fructu exhibentur tempore ſomni, hoc enim ſi fruatur æger, vires refocillantur, & robur ad reſiſtendum morbo acquirunt, & ſudor in ſomno facilius promovetur.

De ſanguinis miſſione verba non facit Hipp. in hac curatione febris à Bile, & forſan, quia ubi febris à Bile pendet, ſanguinis miſſio ſæviorem reddit Bilem, eò quia magis exaltatur, & minuitur ſui moderatore, qui eſt ſanguis, ſeu maſſa illa ſanguinis, quæ non continet in ſe bilem, & Avicennas ob hanc rationem ſanguinis miſſionem in Bilioſis febribus reprobat, nihilominus dico mittendum eſſe ſanguinem, ſtante univerſali præcepto Hippoc. deſcripto *in lib. de Victus ratione in acutis num.* 35. ubi habet, *Verùm in acutis morbis venam ſecabis, ſi vehemens appareat morbus, & qui ipſum habeant in vigoris ætate fuerint, & robur ipſis adfuerit*; at prædicta febris eſt morbus acutus, & vehemens, conſequenter in hoc univerſali præcepto comprehenditur, verum quidem eſt, timendam eſſe Bilis ebullitionem in parva ſanguinis quantitate, in copioſa verò non ſuccedet tranſpirantibus cum ſanguine copioſis particulis Bilis, quæ ferociam ei impertiuntur, unde mitior evadit Bilis, eo modo quo vinum in dolio clauſo ebulliens, aperto foramine, & fluente aliqua portione Vini ab ebullitione deſiſtit, expirantibus per foramen ſpiritoſis, & activis particulis, à quibus immoderata ebullitio fovebatur; frenabitur etiam ebullitio Bilis poſt ſanguinis miſſionem, etiam moderatam, largo potu aquæ hauſto, obſervantibus nobis aquam in Lebete ebullitione turgidam à ſupereffuſione aquæ frigidæ detumeſcere. Potus aquæ ſit *Nocera*, *Boraginis*, *Endiviæ*, *Sonchi ad libram unam*, *& ſemis*, & etiam nive refrigeretur, ſi æger aſſuetus ſit potui nive refrigerato, ſi ſtomaci ſit robuſti, & à ſanguinis miſſione animi deliquium, vel iſtius ſigna, & initia non appareant.

Alteram febrem ab hac non valdè diſſimilem exponit *Hipp. num.* 37. *cit. lib.* 2. *de morbis*, ut colligitur ab illis verbis, *Foris ad contactum febris debilis eſt*, *intus ardet*, *& lingua ipſius aſpera eſt*, *& per nares*, *& per os ſpirat calidum*, quæ omnia calorem internum excedentem oſtendunt, & ſine intermiſſione, & remiſſione eſſe, deducimus ab illis verbis Prognoſtici, *Si in ſeptima non exſudarit*, *mori in ſeptima*, *vel in nona;* febris enim intermittens non poteſt occidere, neque tam citò occidere. Bilis exceſſum in hac febre demonſtrant color ægri ictero ſimilis, urina craſſa, & bilioſa.

Curationem auſpicatur à quotidiano aquæ calidæ lavacro, quo utitur ad ſudorem promovendum, ut docuit *in lib. de locis in homine num.* 38. his verbis, *Cùm laſſitudo occuparit*, *& febris*, *ac repletio lavare multa aqua oportet*, *& oleo illinire*, *& maximè calefacere*, *ut caliditas aperto corpore præ ſudore egrediatur*, in quem finem exhibet etiam *Aquam mulſam*, quam in morbis acutis laudat *in lib. de victus ratione in acutis;* attenuando enim humores, ſudorem, & urinam movet. Ptiſanæ ſuccum, bis in die pro cibo exhibet, ſicut in ſupradicto caſu, frigidum, non frigidiſſimum, ob duritiem præcordiorum, quam in quinta ſupervenire ſuperiùs dixit, & nos monet de abſtinentia à potu frigidiſſimo, ubi ſunt tumores, durities, & obſtructiones in hypochondriis, & ubi adeſt ſuſpitio inflammationis, qualis eſt in hac febre, in qua præcordia ſunt dura cum dolore; Vinum concedit, ob rationem ſuperiùs dictam, & ſolo Clyſtere, vel glande utitur, ſi alvus ſit adſtricta, nec cibum exhibet. hoc eſt, alimentum ſolidum, ut Panis, & Caro, & Ova, niſi remittente febre, ut oſtendat Diætam rigoroſam eſſe faciendam in ſimilibus febribus, cùm in omnibus hac ſemper utatur, & ſedata febre medicamentum purgans exhibet, miſſa purgatione in principio, ſicut in ſuperiori Text. fecit, ob rationes ibi allatas. Purgat in hac febre, ob materiam in præcordiis, ſeu in hypochondriis (hæc enim quandoque præcordia appellat Hippocr. ut colligitur *ex lib. Prognoſticorum commento primo part.* 27.) *hac enim relicta imminent recidiva*, unde dixit, *revertitur enim quandoque morbus*, *ſi impurgatus permanſerit*, *& ampliùs morbus hic rurſus corripit*, *ſi ſanguis nimium bilioſus factus fuerit*, & eſt præceptum, & notatione dignum, in ſolutione febrium conſiderare, an humor in corpore ſanato redundet, & ex ejus redundantia purgationem determinare.

CAP. III.

De Febre Quotidiana.

Quotidiana Febris dicitur, eò quia quotidie per novas acceſſiones reddit, & per hoc diſtinguitur à febre continente, cui nullæ ſunt acceſſiones, & à tertiana, & quartana, in illa enim omni tertio die, in hac omni quarto redeunt acceſſiones; Hujuſmodi febrem delineavit Hipp. *in lib.* 2. *de Morbis num.* 36. ubi habet, *ſi Bile infeſtatur homo*, *febris ipſum corripit quotidie*, *ac remittit*, ubi manifeſtum fit Hipp. admiſiſſe febrem quotidie habentem exacerbationes, unà cum remiſſione, vel intermiſſione.

Cauſam hujus febris aperuit Hipp. *in libro de natura humana*, ubi ſcribit, *Quotidiana verò poſt continentem à plurima Bile generatur;* Bilis ergo, per Hipp. erit cauſa quotidianæ, & confirmatur à *citato Text.* 2. *de Morbis numer.* 36. in quo dicit, *hominem à bilè infeſtatum*, ideſt bile abundantem, & mala qualitate præternaturali infecta, *quotidie febre corripi*, quod idem eſt, ac ſi diceret, febris quotidie accendentis cauſa eſt Bilis infeſtans, quam dixit eſſe cauſam febris continenti, ideò ad hoc, ut cognoſcatur differentia in ratione cauſæ inter febrem continentem, & inter quotidianam, *in*

lib.

lib. citato de natura humana dixit , *verùm longior eſt continente*, *quanto à pauciore bile provenit*, unde Quotidiana haber pro cauſa minorem bilis quantitatem , & continens majorem, quod deducit Hipp. ex eo quod quotidiana ſit longior continente ; omnes enim illi morbi à bile pendentes longiorem, vel tardiorem habent judicationem dependenter à copia majori , vel minori bilis , & qui majorem copiam iſtius pro cauſa habent , citiorem etiam ſortiuntur judicationem , cùm bilis valdè activa, & valdè ſubtilis morbos faciat magnos ratione ſuæ intenſæ activitatis , & etiam breves, ratione ſuæ ſubtilitatis, per quam citò reſolvitur, & expirat , niſi vehementi activitate ſpiritus diſſipaverit, & facultates expugnaverit . Bilis verò in minori quantitate exiſtens , longiores parit morbos , quia ejus activitas , & expiratio retardatur ab aliis humoribus, quibus confunditur; quapropter cùm continens febris à bile proficiſcatur , & quotidiana ſit longior continente, aſſerendum eſt, in hac minorem bilis quantitatem peccare.

Bilis quotidianos facit acceſſus, quia putreſcit , cum illis conditionibus deſcriptis , ubi actum eſt de cauſis periodicationis febrium, & quia quotidie parva portio Bilis putreſcit , & in foco putredinis multùm durat miaſma Hipp. quod eſt fermentum Recentiorum, per quod diù etiam quotidiana bilis putredo efficitur, ideò rectè dictum eſt ab Hipp. quotidianam fieri à minori bile, ea, quæ in continente exardeſcit, cum copia iſtius ſanguini mixta in primo inſultu accendatur , & ejus accenſio ad multos dies differatur.

Signa hujus febris deſcribit Hippoc. *in citato loco* . Invaſio quotidiana , *& hæc circa meridiem* (ſecutus forſan eſt Hipp. illorum ſententiam, exiſtimantium humores moveri ſecundùm horas diei, & Bilem moveri circa meridiem, ſicut pituita movetur noctu) *os amarum eſt* à Bile in ventriculo exiſtente, & ab eadem efferveſcente, in maſſa ſanguinea , & amarore inficiente ſerum ab arteriis ad glandulas ſalivales deportatum, unde ſaliva amara, *& ſi ſine cibo manet*, *offendit hoc ipſum*, & offenſio eſt in dolore ſtomaci , aliquando in cardialgiam deſinens, dum Bilis in ventriculo exiſtens à nullo alio humore, quia ab inedia conſumpto temperata agendo cum tota ſua activitate vellicat, & rodit membranas , & plexum nerveum ventriculi , *ubi verò aderit*, *ſtrangulatur* , *& à modicis quibuſdam cibis impletur*, *& abominatur* , *& vomitiones ipſum invadunt*, *& ad Lumbos*, *ad crura gravitas incumbit*, *& multùm dormit* , & omnia iſta ſunt bilis effectus . A modicis cibis ſatiatur, quia fames non adeſt, & etiam impletur, dum ſumptum alimentum à calore febrili in vapores attenuatur , à quibus ventriculus diſpergitur , & impletur; ab alimento ventriculum ingrediente mota bilis triſtem vellicationem infert , ob quam cibos abominatur, tamquam illius cauſam, & ab eadem irritante vomitus excitatur, vel vomendi cupiditas, Lumborum gravitas, ac crurum laſſitudo gravativa demonſtratur ab humorum copia ſtagnante in poroſitatibus carnium, & interſtitiis earumdem, vel membranæ carnoſæ . Propenſio in ſomnum valida , ſeu potiùs ſomnus multus communiter non cenſentur poſſe conjungi cum redundantia bilis , à qua vigilias ſomno contrarias excitari caliditate , & acrimonia exiſtimatum eſt univerſali ferè conſenſu . Verùm in Bile corrupta vim narcoticam latitare probavit , *Sylvius Le-Boe lib. 2. prax. Medicinæ cap. 27. num. 20.* & ſequentibus in confirmatione Hipp. ſententiæ, *Si ſudor multus*, *& frigidus poſt febrem*, ideſt in declinatione ultima, vel in intermiſſione febris apparuerit febre non ceſſante; *hanc diuturnam ſentiet* æger , quia frigiditas in ſudore deficientiam ſpiritus, & caloris in humoribus prædicit , à quibus niſi longo tempore cauſa febris ſuperatur . Sudoris copia potiùs à ſeri redundantia , quàm à natura expulſionem moliri ſignificat , unde expulſio potiùs ſymptomatica, quàm critica cenſenda . *Si vero non ſudarit*, *citius judicatur*, quia ſpiritus à quotidiano ſudore diſſipati retinentur, unde eorum actio validior ad criſim promovendam , & retenta pariter ſudoris materia hujus copia augetur, & fermentatio major iſtius, & in maſſa ſanguinis ſuccreſcit, & ab hac criſis perfectior, & celerior.

Prognoſticum habemus in illis verbis ejuſdem Textus: hic *ſi poſt febrem exſudarit frigidum* , *ac multum ſudorem*, *& febre non liberetur*, *morbum diuturnum ſentiet*, *ſi verò non ſudarit*, *citius judicatur*. Sudorem frigidum eſſe ſignum longitudinis febrium, manifeſtum eſt in illis febribus, in quibus humores craſſi, & caloris imbecillitas reperiuntur; at in febre à Bile , quomodo poſſit emanare ſudor frigidus , facilem non habet explicationem, cùm materia ſit tenuis, ſerum à calore febrili magno valdè attenuetur, & calor ſit intenſus, quia à Bile pendens . Illa verba Hippocr. *Quotidiè invadit*, *& dimittit*, oſtendunt loqui de febre tertiana intermittente , & intermittentia ſignum eſt diminutæ copiæ peccantis Bilis ; & diminutæ activitatis ob commixtionem humoris alterius naturæ activitatem Bilis contemperantis, & talis conditionis eſt ſerum, & Pituita ; & ſudor frigidus eſt à tranſudatione ſeri redundantis in maſſa ſanguinea, non illius, quod in foco febrili putreſcit, & cum Bile conjungitur, ideò febris non ſolvitur , quia cauſa illius non præſcinditur, & ſudor adeſt frigidus , quia ſerum diu moratum eſt in Papillis cutis, & in mora expiravit ſpiritus calidus, unde in exitu frigidus perſentitur , & quia cum tali ſudore febris non cedit, ſignum etiam eſt cauſam ejus eſſe reſiſtentem , & contumacem , & ideò etiam forè longioris durationis . *Si verò non ſudarit* , *citius judicatur* , quia ſudore non eveniente materia tota ad morbum fovendum diſpoſita in unam maſſam colligitur, & concoctione accepta vim addit naturæ ad ſui expulſionem.

Curationem Hipp. proponit in his verbis , *cùm ſic habuerit*, *& nonum diem devenerit*, *Pharmacum dato :* purgationem in hac febre cum quotidiana exacerbatione, & intermiſſione, non inſtituit Hipp. niſi tranſacta nona, & rationem reddit ; *Nam ſi ſtatim à febris initio dederis*, *poſtquam purgatus eſt* , *febris repetit* , *& rurſus medicamento opus habet*. Non exhibet medicamentum purgans in principio, quia hoc exhibito febris non cedit, ſed novas repetit exacerbationes, conſequenter ſuperfluum eſt medicamentum , & quod ab hoc in initio febris exhibito purgatur, non eſt illud, in quo calor febrilis accenditur, vel quod ſit cauſa accenſionis febrilis, cum hoc purgato utique febris vel cederet , vel minueretur, conſequenter medicamentum purgans in initio febrium, per paroxyſmos redeuntium non eſt exhibendum; ex quo poſſet etiam inferri neque minorativum convenire, cùm ſit par ratio, & obſervemus à minorativo in initio talium febrium numquam minorari , & ſi altius ſpeculemur, rationem adinveniemus magis perſuaſivam prohibitionis purgantis, & minorantis in febrium initio; nam omnis febris per periodos rediens ſuas radices habet in aliqua parte obſtructa, in qua humor putreſcit , vel ſecundùm totum, vel ſecundùm partem ob actionem depravatam partis obſtructæ , & niſi auferatur obſtructio iſtius partis, ejuſque qualitates morboſæ actioni depravatæ, & præternaturali inſervientes auferantur, febris non eradicabitur quacumque purgatione ſanguinis maſſa torqueatur; ex quo evidenter apparet ſuperfluam eſſe purgationem in hiſce febribus in initio earum , & hæc ratio perſuadet etiam inutilia medicamenta lenientia , quia nec de cauſa febris conjuncta, nec de antecedenti nihil auferunt, cùm educant ſolum bilem in Ciſti felis collectam , vel humorem Pancreaticum à Pancreate elaboratum , vel humorem in glandulis inteſtinorum exiſtentem , vel horum mucum , vel aliquas cruditates in ventriculo exiſtentes , & conſequenter neque in ſanguinis maſſam penetrare poſſunt . Prædicti humores non ſunt nec cauſa antecedens , nec conjuncta febrium , quia à maſſa ſanguinis ſecreti , nec ad partem obſtructam, de qua ſuperius dictum eſt, deferri poſſunt, unde inutilis, & ſuperflua quælibet purgatio in initio febrium. Addit Hipp. *& rurſus medicamento opus habet*, quia, ut ait Hippoc. *febris repetit* à medicamento non ſoluta , idcircò medicamentum etiam eſt inutile. Limitationem tamen huic ſententiæ ponit Hippocr. *Nam ſi in imo ventre* febricitans *tormen ſenſerit medicamentum purgans deorſum dato* . Exhibet in initio indicante tormine materiam humoralem in inteſtinis , & eorum vaſis exiſtentem , cui debetur purgatio, ſi verò tormina eſſent in ventriculo, potiùs vomitivo, quam purgante materia torminis educenda ; quod ſignificare voluit

voluit Hipp. in illis verbis, *ſi os non afficiatur*, hoc eſt, ſi in ore ventriculi non ſit paſſio. Poſt purgationem *Lac aſininum*, *aut ſerum*, *aut aliquem alium ſuccum* dat, & poſt purgationem ſumere debemus diem ſequentem à purgatione, quo modo ſæpius uſus eſt Hipp. hac ratione, ut Reliquiæ excrementorum à medicamento purgante motæ, & non ejectæ, à lacte, à ſero ejiciantur, ex quo notandum eſt, eam Lactis, & ſeri quantitatem præbendam eſſe, à qua alvus moveatur. Huic Hipp. præcepto correſpondent Medici illi, qui altera die poſt purgationem Chlyſterem imponunt. Si verò tormina in ventre adfuerint, & æger ſit debilis, purgationem per Chlyſterem imperat Hippocr. & huic aliqua purgantia admiſcenda, ut præter fœcum humorum, etiam habeatur aliqualis evacuatio. Ante medicamenti potionem, *mulſam* præſcribit ad attenuandum humorem educendum, & ad viam aperiendam eductioni iſtius; attenuat enim, & aperit mulſa, cujus loco noſtri Prædeceſſores uſi fuerunt *Oximelite*, *&* *Acetoſo ſimplici* in eumdem finem. Aquoſam eligit mulſam, ne bilis à mele, vel augeatur, vel ejus actio intendatur, vel motus celerior, & perturbatior efficiatur; *in febre aquam frigidam quantum bibere volet dabis*, non adeò ſcrupuloſus erat Hippocr. in hoc aquæ frigidæ potu, ſicut aliqui ex noſtris Medicis, & Hipp. ſequuntur qui ægro in potu aquæ frigidæ ſatisfaciunt, his paucis remediis febrem quotidianam intermittentem à bile curat Hipp. quid verò intelligendum ſit, pro illis verbis, *altera autem die*, *qua febris detinet*, quibus videtur denotare tertianam, tradit. *Martianus in Commento* hujus Textus. *Remittente febre Ptiſanæ ſuccum*, *aut Millium ſorbendum* præbet, *cum vino albo odorato aquoſo*, ex quo modo Diœtam inſtituendi in remiſſione febris, colligere licet qualis Diœta conveniat in augmento, & vigore hujus febris, & etiam vinum in declinatione univerſali febrium intermittentium, etiam à bile pendentium eſſe propinandum, ultra enim quod vires naturæ addit quibus Criſim molitur, humores etiam pro hac diſponit.

CAP. IV.

De Febre Ardente.

Quotidianæ febres ſunt quandoque ardentes, ita dictæ ob acutiem, ſeu magnitudinem illarum, & ob intenſionem caloris febrilis viſcera, quandoque ſolùm, & quandoque internas, & externas partes urentis; utramque delineavit Hipp. Primam *in lib. de affect. n.* 11. ubi habet: *Febris ardens*, *ſeu Cauſos cum detinuerit febris adeſt ſitis fortis*, *&* *lingua aſpera*, *ac nigra fit*, *&c.*

Hanc febrem Cauſon appellat, & in hac ait: *æger extrinſecus quidem frigidus ſit*, *intrinſecus verò valdè calidus*, & indicat non cum eo ſentire Medicos Cauſos appellantes ſolùm eas febres, in quibus, & externa, & interna ab excedenti calore febrili uruntur, nec eas febres, in quibus externa frigent, interna uruntur eſſe verè malignas, ſed ardentes propriè nuncupari. Hujus febris cauſam brevibus verbis denotat Hipp. dicendo: *Hic morbus fit à bile cum materia intra corpus firmata fuerit*, & ſupponit motum bilis primò in corpore, ſeu maſſa ſanguinea, & conſiſtit in exaltatione, & diſgregatione humoris, & ſanguinis bilioſi, & poſt motum fixationem, & quietem ejuſdem humoris moti in aliqua parte, quæ eſt initium peripneumoniæ, ſeu inflammationis pulmonum, prout adnotavit Hipp. inferiùs in illis verbis, *ſolet enim in peripneumoniam tranſire*, omnis inflammatio incipit à ſanguine quieſcente, ſtagnante. Ab eiſdem verbis colligimus ſedem hujus febris eſſe in partibus circa pulmones, & cor, & mediaſtinum, cùm pulmonis inflammatio ab ea proficiſci poſſit. Dum incipit quieſcere, & ſtagnare ſanguis in dicto loco, duo contingunt: primum effervefcentia, & ebullitio ſanguinis inordinata cum calore interno, velut urente, & exſiccante, ab eodem *ſitis fortis*, *&* *lingua aſpera*, *&* *nigra:* Hanc cauſam indicavit Hippocr. dum dicit à ſpiritus caliditate linguam nigram, & aſperam fieri, & ſitim oriri, ab his accidentibus, quæ ſolent ab excalefactis præternaturaliter multum pulmonibus, vel partibus circumſtantibus oriri, confirmatur febrem hanc ſuam ſedem in locis ſupradictis fixiſſe, & per ſanguinem ſtagnantem, & quieſcentem motum circulationis maſſæ ſanguineæ depravare, & retardare, prout ſolitum eſt in omni ſtagnatione, & ita depravare, & retardare, ut major pars ſanguinis in vaſis magnis remoretur, cum plenitudine iſtorum, à qua calor internus augetur, & pauca iſtius ad partes externas deferatur, unde frigus iſtarum, & ardor illarum. Omnes enim partes calorem à ſanguine mutuantur, & hic pro majori, vel minori copia, & pro majori, vel minori caliditate magis, vel minus calidas reddit, & ad frigiditatem diſponit, quapropter frigiditas externarum partium, ubi internæ ardent, ab alio non poteſt pendere, niſi à paucitate ſanguinis ad eas fluentis, cum reſpectu caliditatis; hæc adeò eſt excedens, ut partes internas urat. Fluxus diminutus ſanguinis ad partes externas indicat impedimentum in internis partibus, à quo in iſtis remoretur cum abundantia in iſtis, unde ardor, & penuria in illis, unde frigus. Hoc totum confirmatur à pulſu exili, & parvo, ubi interna urantur, & externa frigeant, cujus nulla alia eſt ratio, quàm ſanguinis parva copia à corde in arteriam impulſi. His de cauſis ſemper cenſui in febre cum ardore interno, & frigore externo, pulſu exili, & parvo conjunctum eſſe principium inflammationis, vel inflammationem perfectam. Curationem hujus febris frigidis alterantibus conficit extrinſecis, quæ applicat ventri, & corpori, cavendo ne inhorreſcat, quia horror inflammationis erumpentis ſignum, & ab horrore ſanguis ad locos magis calidos recurrit, ut advertit Hipp. *lib. de flat. num.* 11. & ab iſtius recurſu ad loca ſanguinis ſtagnantis augetur morbus, febris, & calor & inflammatio ſtatim prodit; at ſi corpus friget congrua potius calida videntur, ad evocandum calorem ab internis ad externas partes, in præſenti verò caſu hoc axioma in aliquibus circumſtantiis locum non habet, cùm in hoc caſu ſit impedimentum prohibens fluxum copioſum ſanguinis ad partes externas, quod per calefacientia externa non poteſt tolli cito, ut morbi acuties exigit, & iſta calorem internum urentem augere apta ſunt. Refrigerantia, præter tutelam partium internarum ab inſidiis caloris urentis, quam promittunt, eumdem calorem moderantur, & effervelcentiam inordinatam in loco impedito minuunt, quæ ſunt duo maximè neceſſaria pro curatione hujus febris, niſi enim dictus calor moderatione corrigatur, tota maſſa ſanguinis vel diſſolvetur, vel aduretur, vel extinguetur calor naturalis, ut in magnis inflammationibus externis obſervamus, quæ ſæpe in gangrenam degenerant. Hanc Hipp. ſententiam ſuſtinet *Zacutus de Medic. Princip. Hiſt. lib.* 2. *num.* 34. *Averroes lib.* 7. *Collig. cap.* 8. Nec timenda à refrigerantibus retroceſſio caloris ab externis ad internas partes cum iſtius augmento, cùm in caſu propoſito calor internus per externas partes non tranſpiret, cùm ſint frigidæ. Refrigerantia ſint decocta ex herbis refrigerantibus parata, vel aquæ ab eiſdem deſtillatæ, vel *aqua Noceræ*, *vel Hordei*. Potiones refrigerantes varias proponit Hipp. *lib.* 3. *de morb. num.* 29. & ad ſatietatem exhibet idem *Zacutus cit. loc.* Hipp. potiones, & ſorbitiones frequentes, & paulatim frigidiſſimas exhibere conſulit, quia omnes *repentinæ*, *&* *violentæ mutationes naturam opprimunt*, ex Hipp. at magnus potus ad ſatietatem, & frigidus in calore adurente repentinam, & violentam parit mutationem, conſequenter opprimet naturam, tutius ergo erit, & magis utile parvum, & frequentem potum refrigerantem exhibere, & etiam cibum, quia ab excedenti calore fermenta digeſtiva alimenti debilitata quantitatem magnam illorum ritè non diſponent. Refrigerantia externa applicanda partibus, in quibus ſenſibilis eſt calor, & ſunt venter, & thorax, & ſint eadem, quæ intus aſſumenda propoſuimus. De ſanguinis miſſione nec de purgatione verba habet; primam omiſit, quia à generali præcepto contento *in lib. de Vict. rat. n.* 35. admittitur, ait enim, *verùm in acutis morbis venam ſecabis*, *ſi vehemens appareat morbus*. Hic morbus eſt acutus, & vehemens, conſequenter ei convenit miſſio ſanguinis, ſi concurrant requiſita in dicto Textu deſcripta, quæ vim habent permittentis.

Secun-

Secundam, nempè purgationem, reticuit apertis verbis *num.* 14. *lib. de affect.* ubi habet: *Si verò externæ partes non valdè fervidæ fuerint, verum internæ linguæ nigra, & aſpera huic pharmacum ne dederis*, quia impedimentum, quo ſanguis à circulatione ad partes externas prohibetur, & quo plenitudo colligitur in vaſis cordi proximis purgatione non tollitur, ut manifeſtè demonſtratur in impedimento in qualibet inflammatione exiſtente, quod purgante medicamento numquam aufertur, quapropter ratio, per quam interdicit purgationem in inflammatione *libr. de vict. rat. num.* 36. valeant in præſenti caſu. Purgationi ſubſtituit *Clyſteres, & quotidiè, aut alternis diebus, his frigidiſſimis* utitur. Prognoſticum eſt clarum. In hoc habetur hanc febrem quandoque in peripneumoniam tranſire; hujus tranſitus ſignum deſcripſit *libr.* 2. *de morb. num.* 61. ubi ait *febre ardente in peripneumoniam tranſeunte*, & eſt *delirium huic febri ſuperveniens*, ait enim, *ſæpe etiam tranſmutatur velut ad peripneumoniam, & delirat*, ex qua cognoveris, quod peripneumonia ſit. Modùm quo ſit hic tranſitus, non eſt invenire difficile, poſitis principiis ſupradictis de impedimento ſanguini occurrente, & de ſede febris, nam ſi impedimentum remorans ſanguinem aliquibus ſit in vaſis parvis pulmonum, per paucos dies hujus remoræ vaſa magna pulmonum implentur, & turgent ſanguine, qui ſi effervеſcentiam, & fermentationem tantummodo ſuſcipiat, velut peripnumonia afficitur pulmo, ſi verò putreſcat, peripneumonia exquiſita ægrotat, & quotieſcumque hic tranſitus in peripneumoniam ſuccedit cenſendum impedimentum in venis pulmonum adeſſe. Poteſt tamen contingere, quod ſanguis retardatus in parte proxima pulmoni, ob calorem excandeſcens, ſanguinem in pulmonibus contentum ebullire faciat cum turgentia vaſorum, & accenſione, à quibus excitatur peripneumonia notha: excandeſcente hoc modo ſanguine calor cerebri membranis, & ſpiritibus cum perturbatione communicatur, à quibus delirium fit modo explicato de phrenitide. Curatio hujus affectus clarè exponitur in Textu.

Duas alias differentias febris ardentis adjunxit Hipp. huic *lib. de rat. vict. in morb. acut. num.* 34. & 35. In prima modum, quo fit febris hæc ardens explicat, dicendo *cùm reſiccatæ venulæ hora æſtiva acres, bilioſos ſeroſos humores in ſe ipſas attraxerint, & febris multa* (ideſt vehemens) *detinet*, per hæc verba ſupponit hanc febrem æſtatis tempore fieri, in quo bilis copia generatur, hancque in vaſis ſanguinis congregatam, ibique collectam, & diſgregatam, ſeu commotam maſſæ ſanguineæ febrilem fermentationem inſpirare. Quod expreſſit Hipp. *lib.* 1. *de morb. num.* 28. his verbis: *cum bilis commota fuerit ad venas, & ad ſanguinem ingreſſa fuerit; ſanguinem ex conſueta compage, ac motione dimovet, ac ſeroſum facit, & calefacit; calefactus autem etiam reliquum totum corpus percalefacit*, quæ verba fermentationem, & diſgregationem connotant, ut oſtenſum fuit *in Iride febrili cap. de cauſa febrium*, & vi verborum relatorum, *attrahere* per ingredi, licitum eſt interpretari, cùm hoc in loco dicat, *cùm bilis ingreſſa fuerit venas* (& loquitur de modo quo fit febris) & multa, quia bilis diſgregata inſitam activitatem, quæ eſt valdè efficax exerendo in maſſam ſanguinis, immoderata effervеſcentia hanc cruciat. Ab hac calor multus, & intenſus, tam exterius, quàm interius, unde multa febris, & diſtinguitur per calorem prædictum à ſupradicta differentia febris ardentis, in qua externa frigent, interna uruntur. Huic addit alia ſigna diſtinctiva, nempe *corpus velut ex oſſium laſſitudine detentum*, dum à calore febrili colliquatur maſſa humorum, & etiam carnes, & colliquamentum acrimoniam à bile ſuperabundante commixta habet, & delatum ad ligamenta, articulos oſſium, perioſtium, & nervos partium proximarum laſſitudinem ulceroſam in his parit, quam dicunt oſſeam ab oſſe affecto, & quæ eſt ſimilis illi laſſitudini circa oſſa contingenti poſt violentum laborem, & exercitium, ideò dixit laſſitudinem velut oſſeam. Ultimum ſignum eſt *dolor ventris cum fluxu*, ille à materia mordaci, hic à colliquatione ſanguinis, & carnium. Curatio non eſt diſſimilis à præcedenti, niſi in hoc, quòd ſi os amarum ſit, vomitivum leve exhibet, & tale eligendum, à quo bilis ſolùm in ventriculo exiſtens, & amaritiem ori communicans, evacuetur, rejecto valido, ob agitationem, & turbationem, quam in maſſa ſanguinis inducere poteſt cum magna evacuatione, quæ nullius eſſet utilitatis, ſed magni detrimenti, tam ratione morbi, qui exaſperaretur, quàm ratione virium, quæ ſummè debilitarentur. Bilis purgationem molitur, quia eſt ab aliis humoribus ſegregata, & multa incommoda ferre poſſet ventriculo, ob acrimoniam, & aliis partibus, cùm adſit dolor ventris, & fluxus, quæ augeri poſſunt à dicta bile: *Clyſtere* etiam utitur ad eductionem hujus humoris per inteſtina, & ſi hic non correſpondeat intento, *Lac Aſininum* præbet *coctum* pro purgatione innoxia, cùm blandè ſine turbatione, & moleſtia ventriculum, & primas vias purget, uſus clyſteris, & lactis, ſit quando per vomitum non ceſſerit oris amarities. Et conſilium habemus non purgandi in febribus acutis fluente alvo, niſi os amarum fuerit ob rationem mox allatam. Modum ſolutionis hujus morbi indicat Hipp. cum *fluxu ſanguinis è naribus, & ſudore, & ſine iſtis recidiva expectanda, vel abſceſſus, dolor coxæ, aut crurum* æquivalens abſceſſui, cùm proveniant à tranſmiſſione materiæ morbificæ ad has partes. Et monemur diaphoretica convenire in curatione hujus, unita opiatis ad moderandam magnam ſanguinis effervеſcentiam à cauſa febrili factam, & illam quam excitare poteſt diaphoreticum.

Altera differentia in *num.* 35. *lib. de rat. vict. in acut.* quæ eſt ſimilis primæ in extremorum frigiditate, in ſiti, lingua ſicca, aſpera, vigiliis; diſſimilis in alvi fluxu, urinæ interceptione; cauſa fluxus dicta ſuperiùs, cauſa interceptionis urinæ poteſt reduci ad violentam ſanguinis effervеſcentiam, quæ non permittit ſeperationem ſeri in renibus, corpora enim liquida diverſi generis mixta, ſi agitentur cum impetu, & ferveant, numquam ſeparantur ad invicem, ſed ſolùm fervore, & agitatione remiſſa, in motu enim agitationis illorum motus gravitatis, vel levitatis, per quem ſeparantur, impeditur, ſicut etiam impeditur ingreſſus in parvas poroſitates, & anguſtos canales ſegregationi ſervientes. Excalefactis etiam renibus in febre ardenti ſanguis in eorum vaſis contentus valde fervet, & à dilatato ſanguine per fervorem implentur à plenitudine, & motus ſanguinis, & ſeri ſeparatio impeditur, & ab his omnibus urinæ interceptio, quia ſeroſi humoris interdicta ſegregatio. Modum ſolutionis hujus febris à natura poſterius proponit per *fluxum ſanguinis ex naribus, aut abſceſſus circa collum*; in hoc enim abſceſſus ſunt faciliores ob copiam glandularum, à quibus materia morbifica facilè excipitur, ſicut in cruribus, & coxis eſt facilis abſceſſus ob materiæ gravitatem ad infernas partes ſemper tendentem. Per *ſputa craſſa* ſolvitur febris, ſed *ſi alvus ſuppreſſa fuerit*, ſicut enim fluente alvo, ſi ſputa adſunt minorantur, vel ſupprimuntur, ita alvo ſuppreſſa apparent, & maximè in febre ardente, quæ in peripneumoniam ſolet tranſire. Hac de cauſa *livor pudendi*, qui eſt ſpecies abſceſſus, judicat hanc febrem ob conſenſum hujus partis, & teſtium cum pulmonibus, in quibus latet cauſa hujus febris, vel in partibus iſtis proximis, cujus reſpectu dicebat *Hipp. teſtibus dolentibus, ſi tuſſis ſuperveniat, bonum*, è contrà deducimus pulmone affecto teſtes dolere eſſe bonum, quapropter in hoc Textu pronuntiat in hac febre, in qua pulmones vel mediatè per partes proximas, vel immediatè laborant, *teſtem intenſum*, hoc eſt durum, & in intumeſcentem, *eſſe ſignum judicatorium*, quia eſt ſignum materiam in pulmonibus, vel in partibus proximis ad teſtes deferri cum illorum deoneratione. Pro curatione nil aliud agit, niſi *potiones attractorias dato*. In explicandis his potionibus, & in earum ſenſu explicando varii, & diſcordes ſunt Commentatores, prout videre eſt in *Mercuriali, & Martiano* in Commento hujus Textus. Probabilius cenſeo Hippocr. per *potiones attractorias* intelligere eas, quæ attrahunt, ſeu potiùs expellunt materiam morbificam ad eas partes, ab quas natura judicando hanc febrem tranſmittit, & ſunt partes externæ, collum, coxæ crura, teſtes,

ſtes, pudendum. Ex his patet remedia hujus febris eſſe *diaphoretica*, etiam *diuretica*, cùm diaphoretica impelleant materiam morbificam ad partes externas, in quibus dictum eſt fieri abſceſſus natura judicante. Diuretica verò ducant dictam materiam morbificam ad proximas teſtibus, & pudendis, in quibus pariter judicando natura ſolet humores deponere.

Alteram differentiam proponit *lib. de loc. in hom. num.* 39. ibi agere de febre ardente, demonſtrant illa verba: *Quum verò gracilem exiſtentem febris urat*: uti calorem valdè intenſum, qualem obſervamus in febre ardente connotat, & ab eiſdem verbis colligimus differentiam propoſitæ febris ardentis ab aliis deſcriptis, & conſiſtit in macie corporis, quod febris apprehendit, ideò dicit *manifeſtum eſt non propter corporis tumorem*, ideſt non propter humorum redundantiam *febrem accendi*, quia accidit corpori emaciato. Quomodo verò in corpore emaciato, & ſine humorum redundantia febris ardens excitari poſſit, habebimus à cauſa maciei accidentis ſine morbo præcedente, ſed à cauſa inſenſibili in humorum maſſa exiſtente. Macies enim poteſt provenire ab indigentia alimenti, ut quantum de hoc ſumitur non ſufficiat ad arcendam maciem, ſed ad hanc vocandam ſatis eſt temporis tractu, & poteſt provenire ab humoribus excrementitiis ob malas, & pravas qualitates nutritioni non congruis. In primo caſu accenditur febris à ſimplici exaltatione partium ſulphurearum, & ſalinarum, ſanguinis, quæ in macie non babent moderatorem humidum, & ſua exaltatione unà cum ſuis qualitatibus activis per exaltationem auctis ita maſſam ſanguinis turbant, & exagitant, ut ad accenſionem perducant cum intenſo calore ſimili eo, qui in febre ardenti obſervatur. Dicta exaltatio particularum ſulphurearum, & ſalinarum, ſi non moderetur à liquido balſamico alimentorum, & chyli, creſcit eo modo, quo febris hectica poſt cibum augetur; ideò dubitandum, ne hæc febris in hecticam tranſeat. Hanc alterationem ſanguinis ab inedia indicaſſe videtur *Hipp. in libr. de vet. Medic. num.* 20. loquendo de eo, qui ſolitus prandere, non prandit, & majora expectanda incommoda ob inediam, à qua corpus gracile fit: non poteſt enim negari alteratio maſſæ ſanguineæ ab inedia etiam inſignis, & hujuſmodi alteratio febrem accendere potens eſt. In ſecundo caſu, quantum valet acidum ſalſum amarum, quæ ſunt nutritioni inepta, febrem accendere docuit *Hipp. libr. de vet. Medic. num.* 24. *& numer.* 34. magis clarè de febribus. Curationem primò perficit cum alimentis, quibus gracilitas tollatur, & tumor corporis inducatur, ideſt cum copia humorum, & bonæ conditionis, prout requirit bona nutritio, qua renovata cedit gracilitas, & febris, derelicta omni purgatione, quia ut ait *Hipp. Manifeſtum eſt, quod non propter corporis tumorem febris occupet*, hoc eſt, febris non propter humoris redundantiam accenſa eſt, ideòque purgatio humorum non convenit, imò noxia cenſenda, quia maciem augebit, & vires proſtrabit, evacuando quod non peccat. Ex his patet alimenta boni ſucci eligenda eſſe, & facilis digeſtionis. Si verò cum alimentis prædictis non cedat febris, abſtinendum eſt à cibo optimi, & copioſi ſucci, & ab ejuſdem quantitate à reparatione nutritionis exigita, & rationem reddit, quia *palam eſt, quod non oportuerit febrem inducere*, quia ſi febris in corpore gracili, & emaciato non remittit, ſignum eſt febrem non pendere à gracilitate, & hanc à copia alimenti, & ab optimo iſtius ſucco exacerbari, & cùm non oporteat inducere febrem majorem, à tali cibo deſiſtendum. Non febre cedente in gracili corpore, ab alimentorum exhibitione apta gracilitatem tollere, ſignum habemus demonſtrans illam non à gracilitate pendere, quia à cibis gracilitatem auferentibus extingueretur, ſed ab excrementis ſuis pravis qualitatibus ſanguinis fermentationem præternaturalem efficientibus, quibus debetur purgatio, quàm Hippocr. imperat, ſed cum hac animadverſione, quòd ſi inditium ſit ſedem febris eſſe in partibus ſuperioribus, per vomitum purgetur patiens, ſi in inferioribus, per ſeceſſum, & ſi æger ſit debilis, prout ſolet eſſe in gracilitate, & macie corporis, nihilominus fortia medicamenta exhibet, dum ait, *oportet etiam debiles fortia medicamenta potare*, ſed reſtrictionem adjungit in illis verbis, *ſimiliter aut ſolum ſic*, ubi adnoto, *ſimiliter* per propoſitionem, aut ſubſequentem, idem ſonare, *ac ſolum ſic*, & ſenſum eſſe, fortibus medicamentum forte exhibendum, fortè ſecundùm ſpeciem, & ſecundùm quantitatem, ſeu doſim exhibendum eſſe, debilibus forte ſecundùm ſpeciem, debile ſecundùm doſim. Omne remedium electivè purgans dicitur remedium forte, & tale eſt ſecundùm doſim, poteſt evadere debile, ſi hæc ſit parva, & æquare operationem blandi lenientis; tale purgans convenit in hac febre ægro debili exiſtente. Poſt purgationem frigefactoriis potionibus febrem exſolvere tentat, ſicut ardores febriles, & iſtis addit ſorbitiones, prout ſunt *emulſiones ſeminum Melonum*, *& ſuccum hordei*. Pro reſolutione febris utitur *Cammaro*, ideſt *Cancris* noſtratibus, qui mirabiliter refrigerant, & humectant æſtum humorum ſedant, & ferocientes ſpiritus figunt, ideò in febre ardenti principaliter conveniunt, maximè ubi macies. *Exhibetur iſtorum ſuccus, & etiam contuſum ſimplex, deſtillatur aqua ab iſtis per diem maceratis in aqua, vel ſucco Sempervivi. Succus è cortice interiori radicis Sambuci expreſſus, & ad ignem moderatum deſpumatus ad* ℥. *i. cum aqua florum Papaveris erratici*, valdè prodeſt ad febrem ardentem extinguendam. *Decoctio fructus Berberis*, vel iſtorum *ſuccus*, calorem ardentem remittit. Omnia *Opiata*, ſed præcipuè *Laudanum cydoniatum liquidum* conveniunt. *Si frigefactoria nauſeam moveant, ad calida confugiendum eſſe* monet, quia habemus à nauſea debilitatem ventriculi. A frigefactoriis idcircò abſtinendum, & calidis roborandus ventriculus, nempè aromaticis à quibus inſignem ventriculus ſuſcipit corroborationem, ita tamen moderetur iſtorum uſus, ut febrilis calor non augeatur; & documentum reliquit deſiſtendum eſſe à remedio à morbo indicato, quando ab hoc læditur pars principalis, qualis eſt ventriculus in propoſito caſu, ſed corrigenda partis principalis læſio, & poſtea redeundum ad remedium à morbo indicatum, prout facit Hipp. dum poſt calida ventriculum corroborantia perdurante febre ad frigefactoria redit.

Aliam differentiam febris ardentis proponit *libr.* 2. *de morb. numer.* 65. ſub titulo, *febris interficientis*. Eſſe propoſitam febrem ardentem colligitur manifeſtè ex hoc, quod ſit acuta; demonſtrat etiam prognoſticum in Text. deſcriptum, *hic ſeptima die, & etiam prius moritur*, & eſſe à bile ſuperabundante, & valdè effervescente commonet bilis vomitus, & ejuſdem fluxus aliquando per alvum, dolor cervicis, ſaliva calida, delirium effervescentiam bilis indicat, à cujus calore, & motu perturbatis ſpiritibus, & phantaſmatibus rationis uſus tollitur; adeſt etiam oculorum intumeſcentia, ut loci illorum non ſufficiant pro eis continendis ob turgentes humores ab effervescentia, & ſpiritus ab eadem magis expanſos, at febris acuta à bile valdè effervescente, & accenſa eſt febris ardens, conſequenter febris deſcripta eſt febris acùta, & inter deſcriptas differentias magis pernicioſa, & maximè lethalis. Hujus inditium habemus ab illis verbis Textus, *& affectis viribus eſt*, legit Foeſius, *infirmis eſt viribus*, & virium infirmitas in principio morbi hujus vehementiam, & malitiam aperit. Dolor cervicis, ſeu colli, & inguinum certè eſt à materia mordente, & rodente partes ſentientes in dictis locis exiſtentes, talis non poteſt eſſe, niſi bilis redundans, & prædominans fluens ad glandulas colli, & inguinum, quæ ſunt emunctoria naturæ, cujus fluxus ſi à natura rectè agente moderabitur, abſceſſum in dictis partibus efformabit cum morbi ſolutione, ut explicatum eſt ſuperiùs, & è contrà, ſi à ſolo materiæ irritamento fluxus pendeat ſymptomatica depoſitio, erit lethalis. Sedes hujus affectus febrilis varia poteſt eſſe, cùm variis in locis bilis exuberare, & depravari poſſit; primò in maſſa univerſali ſanguinis, quando non ſegregatur; ſecundò vitio ſanguinis nimis craſſi, vel vitio glandularum hepatis, per quod bilem non recipiunt, & contingit, quando ſunt obſtructæ, vel obſtructa ſunt vaſa excretoria bilem ſegregatam ad cyſtim deficientia, quare bilis ſtagnat in dictis vaſis, ibi effervescit, & incendium in ſanguinem transfert, & hoc voluerunt aliqui Commentatores hujus Textus, quando

ſtabi-

ſtabilierunt febrem ardentem deſcriptam à phlogoſi hepatis provenire aliquando. Tertiò ſedes hujus febris cenſenda in vaſis, ſeu ramificationibus venæ portæ, ſi admittatur cum *Bonello tom. 2. de motu Animal.* bilem motu circulationis tranſire ab hepate ad inteſtina, ab his ad lacteas, ab his ad venas portæ, & ab his ad hepar redire, nam ſi ramificationes portæ obſtruantur, & in iſtis quieſcat, bilis accenditur, & febrem ardentem parit. Prognoſticum patet ex Textu. Curationem clarè proponit in Textu, & conſiſtit in refrigerantibus, quæ deſcribuntur, & convenient etiam, quæ proponit in fine *lib.* 3. Convenient etenim refrigerantia paulò ſuperiùs deſcripta, & in Diœta rigoroſa, quæ excludit, & cibum ſolidum, & ſorbitionem, quæ conficitur ex ſolidis in liquidam formam redactis, & admittit ſolùm potum, quem parat cum decoctione hordei torrefacti cum pala, qua mulſam conficit aquoſam, addendo mel in parva quantitate: Si vires ſint debiles, ab hujuſmodi Diœta rigoroſa diſcedit, ſed parùm, dum ſuccum ptiſanæ tenuem, hoc eſt valdè dilutum, & frigidum exhibet bis in die. Ratione debilitatis virium videntur convenire cordialia omnia, quæ malignitati reſiſtunt, ſpiritus vitales renovant, & recreant, quæ deſcripta ſunt in mea Iride febrili. Hic diœtandi modus adeo in curatione morborum utilis à medicina receſſit ob concepta præjudicia ægrorum, & aſſidentium de virium conſervatione in morbis à larga victus ratione, per quam tantum abeſt, ut conſerventur quin potius debilitantur, cùm talis victus ratio morbos nutriat & augeat, & hujus augmentum vires debilitet, & proſternat. Poſt ſeptimam cibum auget, quia morbus eſt in declinatione, in qua vires à cibo reſtaurantur, cum natura ſuperior morbo illum optimè præparet, & prout à ſeptima, qui ſolet eſſe finis morbi recedit, cibum auget. Alterum maximè conſiderandum eſt purgatio terminato morbo. In principio, & progreſſu iſtius ſolis clyſteribus utitur purgantibus prætermiſſis, & etiam lenientibus, cum his utatur in fine morbi, in quo purgantia conveniunt, ut patet ex Textu, dum molli pharmaco, & caput, & alvum purgat; & molle pharmacum eſt leniens, & ratio perſuadet hanc Hipp. doctrinam, quia debiles dixit eſſe in hac febre vires, & hæ non admittunt purgans remedium validum, & hac de cauſa non ſtatim ſoluta febre leniens propinat, ſed poſtquam refecerit vires poſt ſolutionem febris, & hoc monitum eſt obſervandum, ubi vires à morbo debilitatæ fuerint, niſi his refectis exhibendum leniens. Caput purgat ob antecedens delirium, & dolorem cervicis, ut materiam in capite forſan remanentem extra moveat. Lac exhibet aſininum, ut attemperetur calor ſanguinis, & acrimonia ejuſdem, quæ ſolent ab ardentibus febribus illi communicari. Acrimoniam corridit ab exaltatione ſalium à febrili facta fermentatione. A febrili incendio in hac febre, ſicut in omni ardente membra emaciantur, & his omnibus lac opitulatur.

Alteram differentiam habet *lib.* 2. *de morb. numer.* 37. Hæc *febris eſt ad contactum debilis, intrinſecus autem ardet.* Differentiam habemus hujus febris ab aliis, de quibus dictum eſt, externa frigere, interna uri, dum hæc febris ad contactum eſt debilis, ideſt ad contactum calor eſt parvus mitis, & calori naturali carnium ſimilis; Dicitur enim ſecundùm Medicos febris debilis parva, quando calor eſt parvus, & mitis exiſtente febre; nam ſi febris ex Hippocr. *eſt calor*, vel febri ſemper hic eſt conjunctus eſſentialiter febrem dicemus parvam, vel magnam à magnitudine, vel parvitate caloris. Eſt ergo in hac febre calor debilis, parvus in partibus externis, per quem febris debilis apparet, & per hujuſmodi calorem debilem diſtinguitur ab illis febribus, in quibus externæ partes frigent, intrinſecus verò ardet æger, & cum illis convenit, cùm ab Hippocr. dictum fuerit *interna viſcera uri* locis ſupra deſcriptis; & tali incendio uruntur partes internæ, ut *calor magnus per nares, & os expiret, & lingua fit aſpera*, à calore intenſo viſcerum exſiccante, aſperitati ſemper vehemens ſitis conjungitur. Febrem malignam communiter dictam mihi videtur hoc in loco repræſentare Hippocrat. Talis enim dicitur, quia more maligni hominis aliud habet in ore, aliud in corde, nempè febris maligna per ſigna externa lenitatem, & benignitatem exprimit, intus verò vehementiam, & ſævitiam fovet, ita hæc febris extrinſecum calorem mitem oſtendit, per quem ejus lenitatem colligimus, in interna incendio vehementiam, & malignitatem continet. *In quinta die præcordia dura ſunt, & dolor ineſt in iſtis*, præcordia dicuntur aliquando de partibus in medio ventre comprehenſis unà cum Diaphragmate, aliquando cum *Celſo* de Hypochondriis dicuntur, & in hoc ſenſu hic accipienda præcordia, cum in partibus ſolùm hypochondriorum durities iveſtigari poſſit tactu, in partibus verò medii ventris ſit inperceptibilis. Hæc durities apparet in quinta, ideò antecedenter non erat, & præſupponit tumorem durum in parte hypochondriorum, & tam brevi tempore quale eſt illud quatuor dierum non eſt efformatus, tumor prædictus, nec illa durities à materia partibus hypochondriorum infixa, & incraſſata, & exſiccata, ut partes tumidæ durities à copia humorum facta exigit, poteſt tam brevi tempore efformari, quapropter probabiliùs eſt partes in hypochondriis duras fieri, eo modo, quo indurantur, & tument in ſuffocatione hyſterica, & hypochondriaca, nempè ab efferveſcentia humorum in dictis partibus, quæ ſemper eſt conjuncta cum turgentia, & duritie illarum, & à motu ſpaſmodico, ſeu contractivo nervorum dictarum partium, & præcipuè plexuum meſenterii, à quo contracti nervi decurtantur unà cum partibus, & dum decurtantur ſecundùm longitudinem, ſecundùm altitudinem creſcunt, & hoc modo fit elevatio; ventris durities fit dum nervi vehementer contracti preſſioni validæ reſiſtunt, & elevatas partes deprimi compreſſione non permittunt, & in hac reſiſtentia compreſſioni conſiſtit durities à contractione violenta nervorum, & partium dolor fit à particulis huomorum acribus ab efferveſcentia ſeparatis, partibusque cum vellicatione, & corroſione impreſſis. Confirmatur hæc doctrina à ſolutione hujus febris, & tumoris per ſudorem, quæ non ſuccenderet, ſi tumor eſſet à materia craſſa, & indurata. Dictus motus convulſivus occupat nervos cyſtis felleæ, & annulum muſculoſum in principio ductus cholidici poſitum, & impedit excretionem bilis, quæ remanet in glandulis hepatis, & earum vaſis excretoriis, ut locus non ſit in iſtis pro nova bile ſegreganda, ſed quæ ſegregationi eſſet apta in ſanguinis maſſa remanet, unde *calor qualis in morbo Regio eſt urinæ biliosæ*, bile in ſanguine remanente ad cutem, & ad renes expulſa. Cauſam hujus febris declaravit Hipp. cum illis verbis Textus: *Corripit autem maximè hic morbus, ſi non annus ſqualidus fuerit*; annus ſqualidus eſt valdè ſiccus, non ſqualidus erit annus valdè humidus, & quamvis ab humido cum calido temperamentum humanum valdè perfectum componatur, exceſſus illius valdè pervertit, & depravat: ab humido enim aeris inſpirati, & pulmonum beneficio, & poroſitatum corporis in ſanguinem delato compages ſanguinis laxatur eo modo, quo ab humido compages, & textura corporum laxitatis capacium laxatur, & per laxitatem ad putredinem diſponitur ſanguis, ſicut omnia corpora prædicta, ideò humiditas mater, & principium putredinis dicitur, dum à laxitate prædicta principia conſtitutiva, & activa in particulas diviſa ab invicem diſcedunt, & ſuo motu intrinſeco, vel extrinſeco aeris, vel ætheris ſeparantur cum diſſolutione totali, quæ eſt putredo, præcedente efferveſcentia, & fermentatione totius mixti in motu dictarum particularum, cùm fermentatio non ſit niſi *motus particularum componentium mixtum*. A fermentatione acceleratur diſſolutio, vel ſaltem mixtionis particularum naturalis alteratio, & in alteram ab optimi ſanguinis natura alienam mutatio. Spiritus vitalis in ſanguine reſidentis actio, & energia, qua mixtionem particularum conſervat, debilitatur, prout experientia notum fit à calore per additionem humidi remiſſo, debilitato mixtionis moderatore, paulatim iſta diſſolvitur. Spiritus animales pari pacto retunduntur cum ſanguinis etiam detrimento, dum in Liene per ſpiritum animalem volatilizatur ſanguis, & per eum quem recipit à lympha in glandulis præparata cum concurſu copioſi ſpiritus animalis per nervos ad glandulas prædictas delati. Hæc eſt cauſa externa diſponens ſanguinem ad hujus febris generationem, & talis erit quæ-

cum-

cumque alia compagem ſanguinis laxans, & ad integram diſſolutionem diſponens cum ſpirituum reſolutione, vel diſſipatione, vel tranſpiratione copioſa, prout contingit in putreſcentibus corporibus, quo fundamento determinarunt Antiqui febrem malignam ab excedenti putredine oriri. Cauſa interna, & immediata eſt ſtagnatio portionis ſanguinis hoc modo depravati in parte aliqua imi ventris effervescentis. Prædictos effectus pariens, & præcipuè calorem illum internum urentem; ſtagnans enim humor effervescens incaleſcit multùm, ſerpente incaleſcentia ad proximas partes cum vaporibus, & exhalationibus ferventibus, unde ardor iſtarum partium, ſed non in tali copia, quæ poſſit diffundi ad partes externas, & has calefacere intensè, ſed major pars particularum ignearum coercetur in loco ſtagnationis, ideòque ibi eſt calor intenſus, neque ſanguini communicatur, niſi parva portio, per quam calor ſanguinis parum mutatur, & debilis, ſeu mitis apparet cum motu pulſus non valdè alterato; vel etiam ſi exhalationes in copia ei communicentur non habet diſpoſitionem ad ſuſcipiendam magnam effervescentiam, conſequenter nec magnam incaleſcentiam; Deficit hæc diſpoſitio, quia ſpiritus, & particulæ calidæ, quæ in copia ſegregantur ab effervescentia ſunt illæ, quæ calorem ſanguini impertiuntur magnum ratione quantitatis magnæ ſegregatæ, at quia ab humido prædicto laxata compage ſanguinis plurimæ avolarunt, & quæ remanent non ſunt tantæ, ut calorem intenſum efficere poſſint etiam ſegregatæ, ideo calor in ſanguine eſt ſemper debilis, & mitis, etiam ſi in febrilem tranſeat. Hiſce principiis poteſt explicari natura febrium malignarum, & earum ſymptomatum ratio reddit. Hic duo ſolùm adverto, ubi ardor eſt internus cum calore moderato partium externarum ſemper eſſe ſtagnationem ſanguinis in aliqua parte æquivalentem inflammationi. Secundò pulſum per parvum debilem, parvum frequentem à febre maligna ferè ſemper inſeparabilem pendere à vitio ſanguinis in ſubſtantia. Pulſus eſt parvus debilis, quia fibræ ſpirales, & ſemicirculares ultimum terminum ſuæ conſtrictionis non attingunt, ut ſanguinem valida compreſſione conterrere, & comminuere non valeant, ſed ſuperficialiter ſolùm comprimant impellendo parvam quantitatem ſanguinis in arteriam magnam, & cum parvo, & debili impetu, quia parva, & debilis conſtrictio cum hoc debili impetu arteria parum elevatur, & cum parvo vigore, ideò pulſus parvus, & debilis; eſt frequens, quia cum conſtrictio fibrarum ſit decurtata, & ut ita dicam ſemiconſtrictio momento quaſi temporis perdurans huic ſuccedit ſtatim ex lege motus conſtrictionis, & dilatationis extenſio, ſeu dilatatio, qua eadem brevitate temporis terminante ſuccedit ſtatim conſtrictio, quæ cum breviori tempore, quàm deceat revertitur, & pulſum frequentem facit. Hoc vitium fibrarum in dilatatione, & conſtrictione dimidiata provenit à laxitate, & mollitie illarum introducta ab humido in ſanguine redundante ſupra indicato, per quàm non poſſunt validè ſe conſtringere concurrente etiam energia ſpiritus vitalis, & animalis enervata modo ſupradicto, à qua in ſuo vigore conſiſtente fibræ replentur unà cum quantitate eorum indurantur, & vim acquirunt ad validam, & integram conſtrictionem. Addo à ſpiritu animali, & vitali modo ſupradicto vitiato non ſuccedere illam effervescentiam inter eos enervatos, & in ſanguine ob humidum ſuperfluum effervescentiæ reſiſtentem, quam in motu muſculorum Recentiores volunt, ideoque neque vigorem, neque impulſionem, nec energiam ad contractionem, & dilatationem fibras ſuſcipere pro dictis operationibus exercendis neceſſariam. Quò ad curationem purgationem differt uſque ad febris integram ſolutionem, ut patet ab illis verbis, *Ubi verò ſedata fuerit pharmacum deorſum purgans bibat*, ratio fundatur in deſcripta ſanguinis conſtitutione, cujus compagem laxatam medicamenti purgantis agitatio, & fermentatio magis laxare poteſt cum periculo diſſolutionis integræ; adde vires in hujuſmodi ſtatu laxatæ compaginis, & ſpirituum vitalium, & animalium jam deſcripto, ſemper eſſe debiles, nec minimam ſuſtinere poſſe purgationem, quam incæptam cohibere non valemus, & quæ in ſtatu laxatæ compaginis ſemper copioſior ſuccedit, quam à virtute medicamenti promittatur, praxis oſtendit à leniente in his febribus purgationes effici excedentes, & quas non attenderemus à valido electivè purgante. Sanguinis miſſio ob has rationes excludenda pariter, quia, & compagem ſanguinis magis laxat, & vires debilitat. Prætermiſſa purgatione, & ſanguinis miſſione, curationem ad quatuor reſtringit. Primò ad Diætam tenuem cum ſola ſorbitione, eſt enim maximè acutus, quia in ſeptima, vel nona terminatur, cui convenit talis victus ratio. Secundò ad refrigerationem cum ptiſanam frigidam bis in die exhibeat, *& aquam mulſam aquoſam multam propinet;* A mulſa ſpiritus reficiuntur, qui ab aqua ſimplici deprimuntur, & horum languor refectionem exigit, quam in exhibitione *vini albi aquoſi poſt ſorbitionem* intendit. Tertiò colligi poteſt diſponere materiam morbi per vias urinæ cum *multa mulſa*, quam urinam ciere docuit *libr. de rat. vict. in acut. num.* 26. & etiam ratio ſuadet diſponendum eſſe ægrum ad ſudorem, cum per hunc in ſeptima accedente cum rigore præcedente febrem criticè ſolvi pronuntiet: quapropter non malè ſe geret Medicus, ſi ad ſudorem ægrum præparabit. In his duabus præparationibus ad urinam, vel ſudorem conſideranda ægri inclinatio, & facilitas ad ſudorem, vel urinam in ſtatu ſanitatis, & juxtà hanc inclinationem materiam diſponere. Diſponunt ad urinam *decoctum Alchechengi*, *ſeminum Dauci*, *Parietatariæ*, *Liquiritiæ*, & alia in tractatu *de morbis renum* deſcripta. Diſponunt ad ſudorem *decoctum cornu Cervi*, *decoctum milii*, vel *Contrayervæ*, vel *decoctum radicis Tormentillæ*, *& Biſtortæ*, vel *ſcordii*, vel *angelicæ*, & hæc exhibenda in febris remiſſione, ſeu in eo tempore; in quo minùs affligit; & hac de cauſa puto Hipp. imperaſſe *lavandum ægrum quotidie calida*, ut & tranſpiratio copioſior ſuccedat, & ſudor promoveatur, cui forſan plus fidebat, quàm excretioni per urinam. Quartò non prætermittendam purgationem fortiter inſinuat propoſito periculo *recidivæ*, *ſi impurgatus permanſerit*, cum materia febrilis retenta recrudeſcat cum renovatione febrilis accenſionis. Idem periculum ait etiam imminere, *ſi ſanguis nimium bilioſus factus fuerit*. Ideſt ſi ſanguis etiam tranſacta febre incaleſcentiam non febrilem ſed majorem, quam ſuæ naturali temperiei conveniat, & cum hac etiam tenuitatem, & facilitatem ad effervescendum immoderatè contraxerit; ſunt enim prædictæ conditiones propriæ ſanguinis bilioſi dicti, & quibus adeptis à ſanguine facilè in febriles excandeſcentias præcipitatur, ad quas præcavendas refrigerantia, & incraſſantia ſunt opportuna.

CAP. V.

De Febre Tertiana.

TErtiana febris dicitur *illa, quæ per circuitus, & acceſſiones de tertio in tertium renovatur cum variis ſymptomatibus frigoris, in principio acceſſionis, caloris intenſi, & mordacis in augmento, & vigore, & ſiti magna, & quandoque cum vomitu in principio frigoris, quandoque cedente frigore, adveniente calore.* Talem febrem proponit *Hipp. lib. de Affect. num.* 18. & hujus cauſam proponit *num.* ſuperiori 17. ubi reddit cauſam morborum in æſtate contingentium, & febres tertianas hoc tempore contingere aſſerit, & determinat cauſam morborum in dicto tempore. Reducit ad calorem Solis, à quo excalefactum corpus humectatur; humectatur corpus à calore, quando ab hoc liqueſcunt nimis humores, & carnes, & ab hujuſmodi ſolutione ſeroſitiates redundant, à quibus valdè corpus humectatur, dum ſuas partes copioſè irrigant. Ab eodem calore bilis, vel in copia generatur, dum particulæ ſalinæ, & ſulphureæ aduruntur, & in bilem degenerant, vel à calore rarefacto valdè ſanguine, & effervescente, bilis in ejus maſſa exiſtens diſgregatur, & ſeparatur in copia, ſi temperamentum ejus ad hanc copiam concurrerit. Copia bilis cum copia ſeri, quod Hipp. pituitam appellat, in ſanguine prædominans, in eoque ſtationem figens mixtioni illius inſidias parit, craſim alterat, & pervertit ſanguificationis opus, lædit fermenta omnium partium, quorum conſervationi materiam præparat, & ſubminiſtrat, & hoc

hoc modo totum corpus ægrotat, vel ſolùm aliqua pars, ſi bilis, & pituita dicto modo congregata, & diſgregata in aliquam partem incubuerint, vel temperiem nimis augendo, vel fermentum depravando, vel texturam ſolvendo. Febrem tertianam fieri à dictis cauſis in proprio *num.* 18. aſſeruit Hipp. dum ait: *Sed febres tertianæ, & quartanæ ex talibus* (nempè ab explicatis cauſis in ſuperiori *num.* 17.) *fieri ſolent.* Ab humore ad ventriculum translato, fixato, & depravato, & præcipuè ad glandulas tunicæ villoſæ illius fieri febrem tertianam intermittentem eſt probabile, ut teſtatur vomitus in principio acceſſionum, & rigor, quem ſæpè à materia valdè ventriculum irritante oriri obſervamus in nobis, & etiam in glandulis menſenterii, & pancreatis ventriculo proximis, & cum eo conſentientibus. Glandulas eſſe poſſe ſedem docuit *Hipp. lib. de Glandul. num.* 1. An tertiana fieri poſſit ab humore in maſſa ſanguinis permanente, videtur refelli à frigore, rigore, vomitu, nauſea, quæ ſymptomata non poſſunt pendere à materia in maſſa ſanguinis permanente, & in ea fermentationem præternaturalem efficiente, nihilominus *Hipp. in Coacis prænot.* mentionem facit de febribus ardentibus, quæ tertio quoque die, & etiam quarto exacerbationes habent, nec alia poſſet reddi ratio, niſi quia à calore febrili unius, vel duorum dierum portio ſanguinis depravatur in fermenti naturam elaboratur, & exaltatur, ut febrilem paroxyſmum inducere valeat. Curationem tertianæ incipit à purgatione quarta die facta: hujus præcepti ſenſum obſcurum, quia poſſumus intelligere quartam diem ab acceſſione prima, & quartam acceſſionem, aperit in *lib.* 2. *de morb. num.* 38. ubi pariter agit de tertiana, & ſcribit, *Si tertiana febris tenuerit, ſiquidem non omiſſis tribus invaſionibus, quarta corripiat pharmacum deorſum purgans bibendum dato*, quibus verbis declarat per quartam intelligendam eſſe quartam aceſſionem, & medicamentum purgans non eſt exhibendum vigente acceſſione, ſed in ejus fine, vel quod tutius eſt in die intermiſſionis. Non eſſe dandum purgans in acceſſione, docuit *Hipp. libr. de Medic. Purg. num.* 4. ubi habet: *Quicumque igitur à febribus fortibus corripiuntur, medicamenta purgatoria dare non oportet.* Quod dicitur de febre forti univerſaliter ſumpta, debet dici etiam de acceſſione forti febris, qualis eſt illa tertianæ, & ratio allata in Textu, per quam prohibetur in febribus fortibus purgans, probat etiam in acceſſione tertianæ, eſt enim proportio à febre forti ad fortem acceſſionem febris. Rationem, per quam differt Hipp. purgationem tranſacta quarta acceſſione, videtur demonſtraſſe *libr. de loc. in hom. num.* 38. ubi agendo de febre cum laſſitudine, & repletione per tres, vel quatuor dies utitur *lavacro*, & *illinitione olei* poſtea purgat, & rationem dilatæ purgationis reddit, dicendo, *Medicamentum tamen donec corpus floridum eſt ne propinato, non enim vacuantur niſi parum, utpotè corpore turgente, cum gracile fuerit, ac macilentum, tunc bibendum exhibe, & evacuabitur.* Turgentia in humoribus motum irrequietum iſtorum, & acrimoniam eorumdem ſecundùm Medicos ſignificat, & etiam prædictorum inordinatam fermentationem in aliquo loco, vel in toto, per quam vaſa continentia à fermentante humore, & per fermentationem rarefacto implentur cum valida extenſione, & turgentia. In hoc ſecundo ſenſu verbum *turgere* accipit Hipp. quia ſicut in primo ſenſu facilis eſt purgatio ob motum, & ſtimulum humorum, ita in ſecundo eſt difficilis, nam purgatio non ſuccedit, niſi ſegregato humore excrementitio ab alimentali, ubi effervefcit valida fermentatione, non poteſt fieri iſta ſegregatio, dum per ebullitionem, & fermentationem ſemper fit confuſio, & mixtio imperfecta boni cum malo, & conſequenter purgatio non poteſt obtineri, ſic in liquoribus diverſæ gravitatis ebullientibus numquam expectanda ſeparatio, niſi remittente, & quieſcente ebullitione. Ulterius ad purgationem non ſolùm requiritur virtus purgantis, ſed etiam vaſorum, in quibus purgandus humor continetur conſtrictio pro expulſione (cùm inſubſiſtens ſit ſententia ſuſtinens purgantia magnetice humores attrahere) ubi verò vaſa ſunt nimis diſtenſa, & cum turgentia à fermentante humore in eis non valet ſe conſtringere reſiſtente humore implente dicta vaſa, & vi qua fermentatur, & impedita conſtrictione impeditur, & expulſio, & purgatio. In tertiana humor in minera febrili, vel circa eam exiſtens, vel in vaſis cùm aliis contentus ferocius fermentationem patitur in primis tribus, & quatuor acceſſionibus, ut praxis oſtendit quàm in ſubſequentibus, ideò in illis difficilior eſt purgatio, quàm in ſubſequentibus, quapropter cum ratione Hipp. purgationem non inſtituit, niſi tranſacta quarta acceſſione. Neque ſemper purgatione utendum in tertiana nos monet Hipp. dum ait: *Siquidem videbitur tibi non purgatum eſſe, pharmacum dato*, ergo ſi videbitur purgatus pharmacum non eſt dandum, quod monitum confirmat in *cit. lib.* 2. *de morb. numer.* 38. Videtur purgatus, quando non eſt redundantia bilis excedens quantitatem naturalem iſtius, nec præceſſerunt cauſæ huic redundantiæ conferentes, ſed patiens parco cibo, nec mali ſucci, parco potu nec inflammante uſus fuit, & talis caſus ſuccedit, vel in aliquo ſyderum influxu, per quæ febres tertianæ graſſantur, vel ab ira cum excandeſcentia, bilis ſine redundantia, & in his, & aliis caſibus ſimilibus, in quibus bilis excrementitiæ redundantis nullum habemus inditium, ſed ſolius incaleſcentiæ, & fermentationis quantitatis naturalis bilis, ſuperflua imò noxia eſt omnis purgatio, & ad ea deveniendum remedia ſtatim, quæ ab Hipp. proponuntur, & ſunt illa, per quæ tertiana *tranſmutatur*, *vel deficit*, ut loquitur Hipp. Dicitur traſmutari morbus, quando morbus præſens in alium morbum tranſit, quando morbus v. g. Acutus deſinit eſſe talis, & in Cronicum tranſit, vel quando Cronicus fit Acutus, iſti morbi dicuntur tranſmutari. Hoc fundamento innixi aliqui Medici in morbis acutis venæ ſectionem ſæpè reiterant, donec per multiplicatam ſanguinis effuſionem ſpiritus impetum faciens minuatur, & debilitetur cum diminutione motus turbationis efferveſcentiæ, & fermentationis totius maſſæ ſanguineæ, cum ſymptomatum, quæ ſunt propria morbi acuti diminutione; itaut ſymptomata, quæ erant morbi acuti propria ſymptomata morbi Cronici evadant, & morbus, qui ante miſſionem ſanguinis erat acutus poſt iteratam, & multiplicatam venæ ſectionem cum copioſa ſanguinis amiſſione in Cronicum abit; Morbus enim acutus exſurgit, quando corpus ægrotans copioſo ſpiritu vitali ditatur; ideò dicebat Hipp. *Senes morbis acutis rarò corripiuntur* (quia in ſenibus ſpiritus vitalis parvus eſt, & debilis) *ſi verò corripiantur intereunt*; qua propter per copioſam ſanguinis miſſionem in morbo acuto debilitato à ſpiritu vitali, & ad parvitatem redacto morbus deſinit eſſe acutus, & in Cronicum tranſmutatur. Morbus Cronicus ab humore craſſo lento cum parvitate ſpiritus vitalis proficiſcitur, ſi dictus humor, vel maſſa ſanguinea dictæ conditionis cum aromaticis, & volatilibus remediis attenuetur, volatilizetur, & ſpiritus, qui à craſſitie dicti humoris opprimebatur, & ab eadem tamquam à Compede, ita ligabatur cum impedito proprii motus exercitio, per volatilizationem dicti humoris à vinculis ſupradictis ſolvitur, ad motum quidem validum revocatur; cum hoc motu ſpiritus vitalis cum attenuatione, & volatilizatione ſupradicta humoris, vel maſſæ ſanguineæ, cauſa morbi acuti evadit, & Morbus Cronicus in acutum tranſmutari dicitur: Hujus exemplum habemus in Galeno, qui febrem Quartanam cum Theriaca curabat. In hoc loco, *tranſmutari*, non poteſt in hoc ſenſu accipi, quia tertiana non poteſt tranſmutari, nec in morbum tutiorem, nec breviorem. Quapropter cenſeo per *tranſmutari* hìc intelligendum eſſe criſim promovere, quæ in ſe eſſentialiter includit mutationem, cùm definiatur *per mutationem repentinam ad ſalutem, vel mortem*, ideò morbus ad criſim ductus, dicitur mutationem accepiſſe. Hanc ſententiam confirmat Hipp. in Textu, dum non cedente tertiana remediis ſpecificis propoſitis, lotione *cum aqua calida*; & *trifolio*, & *ſilphii ſucco in vino pari aqua admixto in potu exhibito* ſudorem provocare contendit in ægro, pro quo *in lecto inclinato veſtimentis multis*, hunc tegit provocato ſudore, & per hujus expulſionem diminuita febre dicitur hæc in criſim

ſim tranſmutata ſaltem imperfectam, per quam febris minor redditur, & ita febris, quæ erat valida *in minorem dicitur tranſmutata*. Hæc doctrina valet in omnibus morbis magnis, ſi tranſmutentur in minores, & neceſſe eſt aliquando hanc tranſmutationem molliri. Hinc monentur Medici in tertiana, diaphoretica convenire, ut ſunt *radix lappæ majoris ad* ʒ. *ii. in decoctione, cardui benedicti, vel in vino decoctio petaſitidis, & ſeminum aquilegiæ, vel pulvis iſtorum. Mixtura ſimplex* dicta, *à Rolfintio deſcripta in ſua Chymia* ad formam artis redacta, ſicut & mixtura compoſita; ex *Roob baccarum Sambuci, & pulvere florum ejuſdem mixto* fit tutum, & nobile diaphoreticum *ad* ʒ. *i. & duas exhibitum in vino generoſo* ſicut, *ex Theriaca, Caſtoreo, Aſſafœtida ad* ℈. *i.* Utrique addi poteſt *Laudani liquidi gutt. viii.* & majorem acquirit efficaciam. Medicamenta, per quæ deſinit febris ſunt febrifuga ſpecifica, per quæ febris ſine alio deficit remedio, & ſine ulla evacuatione extinguendo febrile miaſma, ſeu fermentum ad differentiam eorum, quæ ſudorem cum ſpecie criſis promovent. Inter hujuſmodi remedia recenſet *lib. 2. de morb. num.* 38. *radices quinquefolii*. Nos habemus. *Cinam Cinam ad* ʒ. *ii. in vino infuſam per duodecim horas*, qua incipiente acceſſione, aſſumpta per tres vices febris ceſſat. Tutior modus eſt ille à *D. Tablot Anglo* ad uſum redactus, & conſiſtit in infuſione *Cinæ Cinæ in vino*, quod ſolum ſine pulvere ſumitur *ad* ʒ. *iiii.* in acceſſione, & febre extincta ad quadraginta dies continuatur aſſumendo quatuor uncias dictæ infuſionis ante cibum per quatuor horas, & poſt cibum per quatuor horas totidem. *Nux cupreſſi pulverizata ad* ʒ. *ii.* infuſa in vino, & in acceſſione exhibita idem præſtat. *Cortex radicis Arboris Alni* ſub terra per palmum excavatæ eoſdem parit effectus, ac cortex *Cinæ*. Sequens pulvis eſt magnæ efficaciæ:

℞. *Aluminis crudi* } *a.* ʒ. *i.*
Nucis moſcatæ
Rad. gentianæ debito tempore collectæ ʒ. *ii.*
Olibani ℈. *i.*
Piperis nigri grana vii.
Cariophil. n. vi. M. & ſ. p.
Doſis ʒ. *i. in aqua Centaureæ, & aceti Bezoart. vel ſimpl. a.* ʒ. *i.* ß. *ante paroxyſmum per tres vices exhibetur.*

Radix gentianæ idem præſtat exhibita modo quo exhibetur *Cina Cina*. Hic notandum contra multos Medicos Hipp. uti medicamentis ſpecificis febrifugis, per quæ febris deficiat ſtatim exhibito medicamento purgante, & etiam nullo præcedente medicamento, ſi æger opus non habeat iſto nec expectare materiæ morboſæ diminutionem per calorem febrilem, ut illi falſo, & irrationabiliter contendunt, nam materia morboſa, ex qua fiunt omnes acceſſiones in univerſo curſu febris non tota eſt ſimul in vaſis, vel parte aliqua cum pravis diſpoſitionibus ad excitandam febrem neceſſariis, ſed materia unius acceſſionis tota conſumitur in febre intermittente, & alia præparatur à mala diſpoſitione, quæ in ſanguine, vel parte determinata permanet ad febrem excitandam. Hæc diſpoſitio ab Hipp. miaſma febrile dicitur eo modo, quo in tumore ſuppurato tota materia puris ab eo ad ſanationem uſque exiens non tota colligebatur in eo in principio ſuppurationis, ſed novum pus de die in diem generatur à vitio partis depravante ſanguinem fluentem ad partem pro ſui nutritione, ita nova materia depravatur à miaſmate febrili pro nova acceſſione febrili, & ſicuti ceſſante mala diſpoſitione in tumore, à qua pus fit, hoc non generatur amplius, & pars à tumore ſanatur, ita ablata diſpoſitione prava partis, vel ſanguinis, à qua præparatur materia pro nova acceſſione ceſſat febrilis acceſſio. Hoc modo agunt febrifuga miaſma febrile, ſeu pravam diſpoſitionem in parte, vel in ſanguine exiſtentem, per quam præparatur materia pro febrili acceſſione quotidiana, vel de tertio in tertium, vel de quarto in quartum extinguendo, & confirmatur ex eo, quod iſta febrifuga alteratione ſimplici, non evacuatione febrem profligant. Hoc fundamento modi agendi febrifugorum conſilium Hipp. de exhibendo febrifugo etiam ſine purgante, quotieſcumque opus non eſt rationi cohærens, demonſtratur, ideoque verum ſicut inane falſum illud contradicentium aſſertum ſupracitatum. Victus rationem ſic dirigit in acceſſione; ideſt in decurſu paroxyſmi febrilis uſque ad declinationem exhibenda pro cibo *ſorbitio;* ideſt cibus ſolidus fluidus redditus, ut ſunt *ſuccus ptiſanæ jure diſſolutus, panis tritus, carnes etiam contuſæ, & jure diſſolutæ in parva quantitate, & valde fluidæ factæ, & percolatæ, & potus aqueus* ratione bilis peccantis, cui ſi addatur *acidum limonum*, vel *aurantiorum*, vel *ſpiritus vitrioli*, optimus, & rectè præparatus, erit valdè proficuus, cum ab hujuſmodi acidis bilis mortificetur; interpoſito vero die, ideſt in die intermiſſionis cibos concedit ideſt ſolida alimenta, & in hoc monemur æquali diæta non eſſe tractandos tertianarios: advertit verò cibos eſſe talis conditionis, ut per alvum facile ſecedant, & horum mentionem fecit in *lib. de Diæt.* duo enim commoda hæc præſtant, alvum lubricam ſervant, & parum nutriendo materiam febrilem non augent. Febris tertiana ſi fiat duplex, & numquam intermittat facit quotidianam continuam, quæ eodem modo curanda eſt, ac tertiana ſimplex. Prognoſticum eſt clarum in Textu. Mutatur tertiana in quartanam, quando materia in febrili minera, niſi quarta die diſponitur à miaſmate febrili ad accenſionem febrilem ſanguinis, & hoc evenit, vel ratione actionis miaſmatis prædicti enervati, vel ratione materiæ incraſſatæ, & minus activæ redditæ ab antecedentibus tertianæ paroxyſmis.

CAP. VI.

De Quartana.

Quartana Febris eſt, *quæ de quarta in quartam diem ſuas renovat acceſſiones*: Hujus cauſam proponit in Textu ſub illis verbis, *& fit tùm tertiana, tùm quartana à bile, & pituita*. Bilem quartanæ cauſam eſſe confirmavit *lib. de nat. hum. num.* 28. dum ait *Quartanæ diuturniores ſunt quanto pauciore bilis parte participant*, & quia obſervavit in quartana corpus plus perfrigeſcere, *& frigus ægre depelli* deduxit ad quartanam neceſſariam eſſe mixtionem humoris frigidi, & craſſi, cum bile à qua penderet diuturnitas frigoris, & febris, & ideò ſubjunxit *atra enim bilis inter omnes corporis humores viſcoſiſſima eſt, & diuturniſſimas ſedes habet*, quapropter manifeſtè apparet per atram bilem intelligere humorem frigidum, & craſſum, & talis eſt pituita craſſa, & acida, quam pro humore melancholico etiam recentiores agnoſcunt cenſentes ſedem humoris melancholici lienem eſſe; ab hac pituita deducitur cauſa frigoris, & rigoris, & diuturnitas febris pro quo videatur. *Le-Boe de febre quartana*. Curaturus quartanam primò *caput purgat* ea ductus ratione, qua perſuaſus erat caput eſſe fontem pituitæ. Secundò *Medicamentum ſurſum purgans* exhibet, quale eſt *antimonium*, ſeu ex eo parata remedia, ut *Crocus metallorum, Tartarus emeticus, ſappa antimonialis*, vel *poculum antimoniale* exhibet; in ipſa apprehenſione, ſeu acceſſione, in qua cum humores, & præcipuè in primis viis exiſtentes, in quibus quartanæ eſt ſedes ſint in motu à medicamento vomitivo facilius purgantur, & eo magis cum in his febribus quartanis frequens ſit in acceſſione vomitus. Hac auctoritate Hipp. ſuffulti Medici multi determinarunt in febribus omnibus longis proficuam eſſe purgationem in acceſſione, quæ ut ſuccedat per duas horas ante acceſſionem exhibent. Tertiò *poſt aliquot dies purgationem per alvum* reiterat, evacuata enim per vomitum materia craſſa in capite, & in ventriculo exiſtente, quæ niſi cum magno irritamento ad expulſionem determinatur, aperiuntur viæ ad eductionem tenuioris humoris. Quartò ſi non cedat febris, his reiteratis purgationibus, interpoſitis aliquibus diebus *lavat corpus aqua calida*, ſeu balneo utitur, & ſubjungit, *& pharmaca, quæ ſcripta ſunt dato*. Videntur hæc verba referri ad *num. 39. lib. 2. de morbis*, in quo proponit remedium

medium ad quartanam compoſitum *ex ſemine hyoſciami*, quod in magnitudine eſt ſimile *grano milii*, ut notat *Martianus in com.* hujus Textus, *ex ſucco ſilphii*, *& trifolio in vino meraco*, ut hoc medicamento ſudor provocetur præparatus à balneo poros cutis dilatante, & humores fundente. Loco iſtius ſubſtitui poſſunt *diaphoretica* ſuperius propoſita. Hic adnotandum miſcellam opiati cum diaphoreticis, & febrifugis non eſſe Recentiorum inventum, ſed Hipp. Rationem, per quam divinus Senex opiata febrifugis admiſcet, nobis dedit *in lib. de affect. num.* 34. ubi habet, *quæ verò ſomnum faciunt ea quietem ſanguini exhibere oportet*, ſi opiata quietem exhibent ſanguini, hanc etiam miaſmati, ſeu fermento febrili, & ſanguini inordinatè fermentanti conciliare poterunt cum febris ſedatione, quæ in fermenti activitate, & ſanguine fermentante conſiſtit. Quintò Diœtam præſcribit ſicut in tertiana. Conveniunt etiam remedia huic determinata ſuperius, & febrifuga dicta, quæ innuit Hipp. in ultimis verbis Textus. Vim porrò habent medicamenta in his febribus, ut corpus in loco ſit pacis in conſueta caliditate, & frigiditate, & neque præter naturam calefiat, nec frigeſiat; Nullum medicamentum corpus febre affectum ponit in hoc ſtatu brevi tempore, niſi febrifugum ab Hipp. valdè æſtimatum pro curatione tertianæ, & quartanæ contra ſententiam aliquorum noſtræ ætatis uſum febrifugi reſpuentes. Tempus exhibendi febrifuga determinat *lib. 2. de morbis num.* 39. nempè *poſt duas invaſiones à purgatione per alvum*.

Quartanam ex alio morbo ſupervenientem proponit *Hipp. lib. 2. de morb. cit. num.* 39. & ſuccedit, quando à morbo præcedente ponuntur omnes illæ diſpoſitiones, quas concurrere diximus ad periodicationem febrium *in Iride febrili*. In curatione prætermittit purgationem per vomitum, quam in præcedenti caſu determinavit, quia non abundat tanta copia humorum in corpore à quartana affecto ex alio morbo, quia ab hoc conſumpti, ſicut in corpore à quartana primò aggreſſu, & etiam quia ab antecedenti morbo debilitatæ vires violentiam vomitivi ſuſtinere non valent. Poſt purgationem medicamentum ſpecificum cum ſtupefacientibus exhibet ob rationem ſuperiùs allatam, cui ſubſtituenda illa ſupra recenſita.

Aliam quartanam in eodem Textu proponit, ſine præcedente morbo, ſed ſanum, & robuſtum corripientem à laſſitudine, vel itinere effectam, cum præexiſtentibus diſpoſitionibus ad quartanam hæc ultimam manum dederint ſe ſolis non valentibus diſpoſitionibus febrem quartanam accendere. Curationem primò molitur diſponendo ægrum ad vomitum fomentis, quibus fluiditas, & tenuitas humoribus conciliatur. *Allio melle intincto*, à quo humores inciduntur, & aciditas humoris quartanam efficientis moderatur. Secundò *vomitivum* exhibet lene, nempè *lenticulæ decoctum* in magna quantitate, *ut repleatur;* repletio enim ventriculi gravando vomitum promovet. Tertiò poſt vomitum *ſudorem* ſuperveniente altera acceſſione promovere tentat balneo præmiſſo, & poſtea in lecto ſtatim decumbente ægro hunc veſtimentis plurimis tegendo, adjuvando ſudoris eruptionem diaphoretico remedio, quale eſt propoſitum in Textu, cui ſubſtitui poſſunt deſcripta de tertiana. Diaphoretico adjungit *radices Ellebori albi*, nam ut alibi adnotavi *cum Martiano in com.* hujus Textus purgantia in ea quantitate exhibita, vel in ſubſtantia, vel in decocto, per quam purgationem non moveant, attenuant humores, obſtructiones reſerant cum magna efficacia. Ultimò monitum relinquit in ultimis illis verbis: *Quum verò exacerbatio ipſum invaſerit jejunus medicamentum ne bibat*, legit *Foeſius*, *ne jejunus medicamentum bibat*, quæ lectio eſt magis rationi conſona, nempe ſi medicamentum vomitivum ſit exhibendum in acceſſione non exhibeatur jejuno ſtomacho, ſed hoc cibo munito, ab hoc enim dolores à purgante medicamento irritante, & pungente proventuri ſedantur, & conatus moleſti vomitum antecedentes, vel concomitantes moderantur, & materia expellenda cibo mixta faciliorem invenit viam, & acrimonia ejus cum maximo vomentis beneficio retunditur. Reliqua in Textu ſunt clara non diſſimilis debet eſſe cura in tertiana, & quartana duplici.

CAP. VII.

De aliis Febrium differentiis, à cauſis, & ſymptomatibus ab Hippocrate deductis.

Alias præter dictas Febrium differentias agnovit Hipp. quæ ad prædictas reduci poſſunt, cum ratione ſolum ſymptomatum, vel cauſæ differant. Has deſcribit *in lib. de Inter. Affec.* ſub nomine *Typhos*, *& morbi craſſi*.

Typhos ſpeciem febris ardentis deſignare notat *Foeſius in ſua OEconomia*, & hoc nomen eſſe deductum à verbo *Typho*, ideſt incendio, fumum emitto idem aſſerit *Martianus in com. num.* 42. *libr. de Inter. Affec.* ſignificat etiam ſecundum *Foeſium morbum attonitum*, & in prima differentia declarat Hippocr. per *Typhos* intelligere *morbum attonitum*, quapropter ſit manifeſtum primam differentiam, quæ febrem ardentem, & morbum attonitum comprehendit ſub nomine Typhos, à quo uterque deſignatur. Sed aliud ſignificare opinor, cum aliæ differentiæ Typhos relatæ, nec febrem ardentem, nec morbum attonitum comprehendant, ut patebit.

Hanc primam differentiam deſcribit *citat. numer.* 42. *libr. de Inter. Affec.* eſſe febrem acutam, & ardentem probant illa verba: *Statim igitur ipſum febres fortes tenent*, *& calor acutus*, cauſa aſſignata hujus, quæ *eſt bilis commota tempore æſtatis*, *cum ſydus canis oritur*, & bilis in dicto tempore commota febres parit ardentes. Judicium præſentis morbi confirmat contingens *in ſeptima*, *& decimaquarta*, in his diebus morbi acuti *judicantur*. Cauſa hujus febris, prout dictum eſt, pendet à bile *commota*, ideſt exaltata in maſſa ſanguinis; quomodo verò bilis exaltata faciat febrem, deducitur à dictis de cauſis febrium in Iride febrili.

Præter febrem morbus attonitus adeſt; hic dicitur de Apoplexia, quæ ob deficientiam ſenſus, & motus morbus attonitus dicitur ad inſtar eorum, qui ad aſpectum rei admirandæ, vel terribilis ſine motu, & ſenſu per aliquod breve tempus remanent: tale nomen conceſſum fuit illis morbis, in quibus facultas ſenſitiva interna, & externa, & motiva à ſuo opere ſuſpenditur, etiam ſi non ſit apoplexia, ſed morbus, in quo motus, & aliquis ſenſus velut ſuſpenditur, ut in attonitis. Hac ratione morbus deſcriptus in hoc Textu ab Hipp. morbus attonitus nuncupatur, quia ut loquitur Textus, *& crurum*, *& manuum impotentia maximè enim inutilia fiunt ipſi hæc membra*, & inferius ſubjungit, *ſi quis ipſum erigere velit erigi non poteſt*, *neque oculis videre poteſt præ calore*. Cauſa læſionis harum facultatum non eſt in impedito concurſu ſpirituum animalium per nervos ſicut in Apoplexia, ſed in organo motus, & ſenſus malè diſpoſito. Malè diſponitur organum motus in hoc affectu, quando à calore febrili acuto humidum fibrarum muſculorum, & nervorum, ita rarefactione emollitur, ut laxitatem, & mollitiem contrahant cum deperditione illius duritiei, ſoliditatis, & conſiſtentiæ neceſſariæ ad contractionem, & extenſionem neceſſariam ad motum, eo modo, quo mollities, & laxitas fibrarum in pueris impotentiam ad motum inducit, & eò magis in hoc caſu ſi à calore acuto ſuccedat colliquatio humorum, & carnium, & colliquamento iſto imbibantur fibræ prædictæ; à calore enim febrili cum humido prædicti colliquamenti mollities, & laxitas excedens fibris imprimitur eo modo, quo imprimitur fibris carneis in aqua actione ignis elixatis. Adeſſe colliquationem probant turbatio ventris, & graveolentia excretorum. Eo modo quo deperditur motus vitio organi in hoc caſu eodem modo vitio organi viſus læditur. Cauſam hujus vitii declarat Hipp. dum ait, *neque videre poteſt præ calore*. Calor ergo eſt cauſa læſæ viſionis, dum ab eo membrana retina, quæ eſt organum viſus laxatur, & viſibilium actiones in concepta laxitate deperduntur, & per eamdem ad ſenſus communis ſedem

non

non producuntur; à pari affectione membranas humorum alterante configuratio iſtorum neceſſaria ad viſum tollitur. Adde à calore inordinato motu turbante ſpiritus animales, & à vaporibus, à calore elevatis dictiſque ſpiritibus commixtis cum obſuſcatione eorumdem tolli actum viſionis, eo modo quo tollitur in ebriis à calore, & vapore vini. *Moriturus acutiùs videt*, quia calor febrilis ad minimam actionem redactus eſt, vapores deficiunt, unde ſpiritus ſuæ claritati humores majori tranquillitati, membranæ ſuæ tenſioni, & conſiſtentiæ reſtituuntur, & cum his facultas viſiva proſtrata reſurgit. *Moriturus etiam loquitur conſidenter*, legit *Foeſius*, *audacter*, ob caloris pariter diminutionem cum iſtius exceſſus cum acrimonia muſculos intercoſtales, & pleuram, & pulmones vellicando, & pungendo loqui non permitteret, niſi cum dolore magno, à parvo motu muſculorum intercoſtalium in reſpiratione, & loquela exacerbato. Diminuto verò calore, & muſculis Thoracis à moleſtia liberis loquendi actus conceditur. *Appetit cibum*, *& potum* in hoc ſtatu, quia acidum eſurinum ventriculi, quod à calore febrili excedenti mortificabatur illo diminuto in ſtatu proximæ mortis paululum reſurgit, & famem excitat, *& ſi ei quis det*, *quod edat brevi etiam animam emittit*, legit *Foeſius*, *animo linquitur*, *ſi non evomuerit*, quia nervis ventriculi à calore febrili debilitatis moleſtus eſt cibus ſolidus, qui editur, & iſtorum moleſtia pulmonum, & cordis nervis, cum quibus illi ventriculi conſentiunt communicata animi defectum inducit, niſi cibus per vomitum expellatur. Prognoſticum hujus morbi eſt manifeſtum. Curationem aggredidur, primò cum *inunctione totius corporis facta ex oleo*, *& vino tepido*, ut horum virtute balſamica muſculorum enervata facultas corroboretur. Secundò prohibet *cibos ſolidos*, *& ſorbitiones tenues*, *& frigidas*, quæ ſunt proprium, & conveniens alimentum in acutis, & calidis morbis concedit *cum vino nigro auſtero*, *ſi conducat*, conducit autem quando vires ſunt debiles, & ventriculi facultas proſtrata, & quando ventriculus intensè appetit vinum, & non adſit magnus æſtus in ventriculo, & in hoc ultimo caſu ſubſtituit *vinum album* (quia magis tenue, quàm rubrum, & ejus particulæ calidæ ratione tenuitatis citius tranſpirant, quàm illæ vini rubri magis craſſæ) *aquoſum*, *auſterum*, & docet totam utilitatem à conceſſione vini ſperare ab auſteritate, per quam vinum exſiccare ſenſit in *lib.* 2. *de Diæta num.* 13. & muſculorum deſcripta infirmitas ſicuti aquam humectantem nimis reſpuit, ita vinum exſiccans quale auſterum expoſcit in ea tamen quantitate exhibendum, ſecundùm quam facultati motivæ prodeſſe poſſit ſine damno vitalis; ſeu citra majorem accenſionem maſſæ ſanguineæ. Vini beneficium, & damnum in hoc caſu diſtinguere Medici valdè exercitatæ prudentiæ munus eſt, & fundamentum diſtinctionis ſuppeditabit caloris augmentum, vel permanentia in incepta accenſione, & muſculorum languor diminutus. Tertiò urgente ſiti ob intenſum calorem potum *acervatim* exhibet, ideſt in magna quantitate, & non interrupto potu, ſed continuo potus non debet eſſe, niſi aqua, cum propinetur ad caloris extinctionem, à quo ſitis fortis. *Poſt hunc potum aquæ copioſum evomere jubeto*. Hujus remedii tres ſunt rationes, prima portio bilis, & pituitæ, quæ ſunt cauſæ morbi purgentur innoxio medicamento, & licèt determinaverit dictos humores eſſe hujus morbi cauſam, nullam purgationem medicamento molitur, niſi vomitum poſt repletionem cum aqua, quia præter hanc omnia alia medicamenta vomitiva ſuſpecta, & ut purgatio ſuccedat in quantitate humoris utili *per tres vices* vomitum cum aqua reiterat, abſtinendo ab alio medicamento ob fractas vires totius. Secunda ratio eſt, quia calorem aqua moderatur, dum aſſumitur, & uſquequò à calore interno non calefiat, quando verò eſt calefacta calorem auget, niſi per urinam, vel ſudorem exeat, & quo major eſt quantitas aquæ, eò major evadit intenſio, ne ergo huic periculo intenſionis caloris valdè excedentis ſubjaceat æger expulſionem aquæ per vomitum molitur. Tertia ratio eſt, quia quantitas illa aquæ, niſi expellatur ad vaſa ſanguinis deferetur, & per hæc ad muſculos malè affectos decurret cum exacerbatione præxiſtentis malæ affectionis. *Externa* etiam *refrigerantia* applicat parti à calore magis affectæ, nec ab iſtis *deſiſtendum niſi apparente horrore*, cùm hic ſit inflammationis ſignum in uſu refrigerantium externorum in febribus. Ex his apparet totam curationem reſtringi ad refrigerationem tam per interna, quàm per externa cùm cauſa ſit exceſſus caloris tam reſpectu cauſæ, quàm ſymptomatum. Si ſymptomatibus enarratis *adjungatur dolor periclitabitur*, *ne ex* hujuſmodi *dolore derepentè animam emittat*; qualis ſit hic dolor, & in qua parte, non explicatur in textu, ex ſubſequentibus verò verbis, in quibus monet curandum eſſe ſicuti pleuriticos non prætermiſſa venæ ſectione etiam in principio, cùm febris ſit ardens, cum magna efferveſcentia manifeſtum fit dictum dolorem eſſe in muſculis intercoſtalibus pleura, & pulmonibus cum difficultate reſpirationis, quæ ſi valdè ſtringat anima derepentè exhalatur. Pleuriticorum remedia videnda in *tractatu de Pleuritide*. Ultimò quid agendum ſit cedente morbo, docet ſatis clarè.

Alium morbum *Typhos num.* 43. deſcribit incipientem cum febre tertiana, aut quartana, quam in continuam mutari cenſendum eſt, alioquin non poſſet dici morbus acutus, nec Hipp. dixiſſet *tertiana aut quartana in principio oboriens*, ſi per totum morbi decurſum talis perſeveraſſet. Deſcriptum morbum eſſe acutum patet, quia *quandoque æger in ſeptima vel decimaquarta animam emittit*, & hic eſt terminus acutorum, longiſſimus terminus ſunt vigintiquatuor dies, & in his continetur terminus acutorum morborum non exactè; eſſe verò acutum non ratione febris, ſed ſymptomatum connexorum demonſtrant carentia illorum accidentium febrem acutam ſequentium, qualia fuerunt deſcripta in antecedenti caſu, & mors quæ præ dolore premente, & reſpiratione recta cervice in ſeptima accedit non ratione febris acutiei. Cauſam hujus morbi dicit eſſe *copioſam humiditatem*, ſeu ſerum, *à cibis humidis*, *& potu in magna quantitate* aſſumptis *cumulatam*, *per quam carnes imbibuntur*, *& fluidæ fiunt*, ideſt valdè laxantur. Hujuſmodi cauſa eſt externa, ideò etiam morbus erit ex genere eorum à cauſa externa tantummodo pendentium, & ratione hujus cauſæ dicitur ab Hipp. hunc morbum, *in quolibet anni tempore corripere*, cùm in omni tempore anni error in multo cibo humido, & potu poſſit fieri ad differentiam antecedentis caſus, qui cùm pendeat à bile redundante in copia, & exaltatæ tempore æſtivo ſolùm pullulat. Quomodo à redundante ſero producantur deſcripti humores explicatum fuit in tractatu *de Chachexia pituitoſa*, *& ſeroſa*, ſicut in tractatu *de Aſthmate*, *& Tuſſi* explicatum fuit quomodo à ſero ſuccedat difficilis reſpiratio, & tuſſis denotata in illis verbis, *& ſalivam*, legit. *Foeſius*, *ſputum copioſum*, *& ſpumoſum expuit*. Quo modo febris per ſeri redundantiam accendatur explicandum eſt per ſecretionem, ſeu diſgregationem, quam operatur ipſa quantitas, prout docuit ex mente Hipp. *Martianus in com. lib. de veter. Medic.* & diſgregationem conſtituere humores in ſtatu nocendi, & arma contra naturam iſtis præbere monuit *Hippocrat. in cit. libr.* cùm ſua diſgregatione tumultus in maſſa ſanguinea excitet, à quibus febrilis effervеſcentia. Nec deeſt qualitas prava redundanti ſero, quam accipit à ſalium diverſitate in maſſa ſanguinea exiſtentium, dum ea diſſolvit, & ſibi unit, & per eorum qualitates fermenti naturam adipiſcitur, qua febriles fermentationes producit. His addere poſſumus modum quo *Sylvius Le-Boe* febres à lympha explicat. Redundantia ſeri ſpiritus igneos ſanguinis mortificans, & calorem remittens febrem in ardentem tranſire non permittit, cùm aqua de cujus natura ſerum participat, ſit contraria febri, ut docuit Hipp. in *ſupracit. lib....* Sed febris lentarum more procedit. Prognoſticum dedit Hipp. in fine dicendo: *Morbus autem eſt gravis*, *& pauci effugiunt*, *ſi verò vigeſimamquartam pertranſierit morbus non ita valdè moritur*, *ſed de ſanitate ſperandum*. Curationem incipit à Diæta tenui, nempè cum *ſorbitionibus*, & exhibet *farinam coctam*, *liquidam*, qualem exigit ſorbitio, cui parum *mellis* adjungit, præter rationem enim alimenti tenuis, & lubricantis virtute

tute

tute mellis habet etiam illam facilitandi ſputum à pulmonibus *Dioſcoride* teſte, & monitum accipimus victum tenuem, & alvum lubricantem in hoc morbo eſſe præſcribendum. *Vinum* concedit, quia in ſeri redundantia aquea ſeroſitatem augendo nocent, vinum ſeri qualitates corrigit, cauſam generantem ſuo calore debilitat, generatum per urinam ducit, & facultates omnes à ſeri frigiditate, & humiditate enervatas calore reficit, *nigrum* exhibet, quia magis craſſum, quam album, ideò magis nutrit ſpiritus, eoſque firmiores conſtantioreſque reddit contra ſeri qualitatem frigidam, & humidam, *temperatum* eligit, ne ſuo calore ſerum magis fundat, impetuque magno moveat ad turgentiam, & ne calor febrilis augeatur, paulatim propinat. An in menſa, an extra menſam vinum exhibendum ſit dubium manet. Verba illa Textus, *& ſalivam ſpumoſam multam expuit, & in faucibus detineri videtur, & exaſperat ipſas* me movent ad credendum paulatim extra menſam exhibendum ad liberandas fauces à dicta mareria, quæ retenta inflammationem in faucibus quandoque parit, ut Textus loquitur, & hæc eſt altera utilitas à vino donata in hoc morbo. Cibum ſolidum ſuſpendit uſque ad vigeſimam quartam ſeu *torpolypos vino coctos* his addit *raphanidas*, ſeu raphanum ſylveſtrem, cujus facultas eſt calefaciendi, & exſiccandi, & urinam movendi; hac ſerum minuitur, illa cauſa copioſi ſeri tollitur, quapropter omnia diuretica ſpiritu volatili donata convenient, & *Naſturtii ſemen* ejuſdem facultatis cum vino potandum priùs torrefactum, & in pulvere redactum. *Polentam tenuem manè jejuno ſtomacho* exhibet, hæc ſi ex hordeo toſto paretur, exſiccat teſte *Aetio tetrab.* 1. *ſerm.* 1. *de Hordeo*. *A balneo abſtineat donec dicti dies præterierint*, ne tumor corporis augeatur fluente majori copia ſeri ad poros partium externarum à calore balnei dilatatos. Loco balnei *illinitionem* totius parat *cum vino, & oleo* tepefactis, & poſtea abſterſis, ut humor in cute, vel circa cutem fixatus, & tumorem pariens reſolvatur, & pori etiam magis dilatentur, ut tranſpirare poſſit per illinitionem *grana decem ſeminis pæoniæ in vino decocta propinat, & ſucco rapi probè percocti*. Utrumque eſt diureticum, & per iſtorum virtutem ſerum in vaſis contentum per renes purgatur, & illud in partibus externis exiſtens per illinitionem, quapropter omnia diuretica, ut dicebam conveniunt quorum ſylvam habebis *in tractatu de morbis renum*. Purgationem in hoc affectu videtur relinquere arbitrio Medici; neceſſariam tamen cenſeo pro diminutione copiæ ſeri, quod nulla præparatione indiget pro purgatione, & ſua copia diureticorum effectum quandoque impedit. Pro hac peragenda medicamenta *Hidragoga* ſeligenda, & præcipuè *Syrupo de ſpina Cervina* per tres, vel quatuor dies ſucceſſivos exhibendum. *In numer.* 44. ejuſdem libri alteram differentiam *Typhos* delineat omninò ſimilem morbo articulari, imò quæ eſt morbus articularis, & ab hoc probatur *Typhos* non præcisè ſignificare febrem ardentem morbum attonitum, & febrem lentam, ſed aliquod aliud præter hæc, quia in hoc Textu nulla fit mentio febris, ſed ſolùm doloris in articulis. Hoc clarè demonſtrat cauſa allata hujus morbi contenta in his verbis; *Cùm bilis putrefacta ammixta fuerit ſanguini per venas, & articulos, cùm ſanguis ſteterit, conſiſtit quidem maximè in articulis. Incumbit etiam quandoque in reliquum totum corpus, & dolores exhibet acutos, & multi hujuſmodi morbo claudi fiunt, cum bilis in articulis concluſa in tofum calleſcit* (legit *Foeſius obduruerit*) ſolos articulos affectos hæc cauſa oſtendit. Ut explicemus modum ſecundùm quem fit hic morbus, qui eſt valdè difficilis explicatu, & ducit ad cognitionem modi, quo fit podagra, conſiderare oportet cauſam materialem, quæ eſt bilis ſanguini permixta, & quia non omnis bilis ſanguini permixta, eſt cauſa materialis hujus morbi, cùm ſemper ſit bilis permixta ſanguini, & tamen ſemper non eſt apta articularem affectum facere, quid requiratur ad hoc, ut ſit cauſa materialis actualis explicat in hoc Textu, dicendò, cum bilis putrefacta, & *in lib. de affect. numer.* 31. ubi agit de morbo articulari ait *hunc morbum fieri à bile, & pituita*, quod confirmat in *numer.* 32. ubi agit *de podagra*. Bilis ergo putrefacta, & pituita erit cauſa materialis hujus morbi. Bilis dicitur putrefacta quando ſecundùm ſuas qualitates eſt valdè alterata in ſua acrimonia, & in abundantia ſalis, acrimonia apparet in doloris acutie, ſalis abundantia in concretione humoris in articulis; quæ enim ſale abundant facilè concreſcunt, & indurantur. Pituita, quæ concurrit ad morbum particularem, & podagram non eſt illa, quæ communiter dicitur exiſtere in ventriculo, cerebro, & in maſſa ſanguinea ſub ſpecie humoris craſſi, ſed pro pituita accipiendus humor ille, qui ſpecie mucilaginis pellucidæ ſpermati ſimilis, qualis vitulo mactato amputatis pedibus, & tibiis exſtillat in articulis oſſium, & ligamentorum capſulis reperitur, & eſt nutrimentum, & humectativum iſtorum pituitæ ſpeciem referens, *& Sinoviſſa ab Elmontio* dicitur, quæ ſi putrefacta fuerit, ideſt acido vitioſo alterata erit, & bilis, & ſynovia cauſa materialis morbi articularis erunt, & eædem conſtituent cauſam efficientem, quando ſimul unientur in articulis, tunc enim facultate inſita acidum ſynoviæ, & alkali bilis efferveſcent, & explicata in efferveſcentia utraque acrimonia pungendo partes ſenſitivas ligantes articulos, & illis connexas dolorem acutum exhibent, & in fine efferveſcentiæ ſimul coeuntes in unam maſſam duram tophum dictum coagulantur, eo modo, quo ſpiritus vitrioli, & oleum tartari per efferveſcentiam in unam maſſam ſolidam reſiſtentem coagulantur, nec aliter poteſt explicari tophi generatio, niſi admiſſo concurſu materiæ in cavitate articulorum, ad quam non poteſt concurrere niſi ſit fluida, nec poteſt in tophum degenerare, niſi concreſcat. Tophi initia ſunt parva, addita verò in omni acceſſione doloris nova materia concreta excreſcit, ut præ mole cutem diſrumpat, deficiente bile cum dicta acrimonia in Eunuchis à podagra non corripiuntur teſte *Hippocrate lib. 6. aphor.* 29. deficit verò ob temperamentum refrigeratum. Fœminæ verò non corripiuntur, quia per menſes bilis purgatur. In ipſa efferveſcentia prædicta valdè incaleſcunt humores, & partes vicinæ illos continentes, & ab eadem vocati humores in magna quantitate vaſa partium proximarum articulis in parte interna implent, itaut à plenitudine iſtorum capillares ramificationes obſtruantur ſtationem ſanguini circulanti imponendo. Hanc ſtationem demonſtravit Hippocrates in illis verbis *cùm ſanguis ſteterit*, & à ſtatione ſanguinis in vaſis internis tument partes internæ, & dolor augetur à calore, & ſtatione ſanguinis inflammatio quædam oritur, quam admiſit *Hippocrates lib. 6. aphor.* 46. vim porro faciente ſanguine in orificia vaſorum capillarium partium internarum hæc aperit, & ad vaſa externa deducitur cum tumore externarum, & rubore, & tunc dolor minuitur. Modus curationis eſt clarus in Textu. Adnotare tamen licet aliqua. Primò in doloris vehementia, ſeu ut ait *Hippocrates dolore prævalente* hujus ſedationi operam dare loca dolentia *oleo priùs illinienda, deindè tepefactoria* ſuperponendo, utrumque ex anodynis parandum; *in lib.* verò *de Affect. numer.* 31. *frigefactoria* adhibet, quod conſulit etiam *lib.* 5. *aphor.* 25. & rationem ibi dat; nam *modicus torpor dolorem ſolvit*, & talis torpor ab aqua frigida inducitur. Hanc contradictionem tollimus, frigida adhibeamus in principio doloris, ad cujus ſedationem parvus ſtupor ſufficit, non verò ſufficit dolore prævalente, in quo illinitiones, & tepefactoria ſolùm juvant. Secundò *remittente dolore veratrum* exhibet; in loco verò citato *de Affect.* ait *purgans exhibendum cùm dolor intus fuerit*; at quando intus eſt, ideſt in profundo partis, tunc eſt vehementior conſequenter manifeſta eſt contradictio. Hanc tollit contradictionem *Foeſius* legendo pro intus fuerit, *ſi adfuerit*, & cum Hippocrat. in omnibus doloribus etiam inteſtinorum numquam purgans exhibeat, niſi remiſſo dolore, habemus fundamentum interpretandi, ſi dolor fuerit remiſſus. Tertiò *ſi tumor ſit in genu, & non rumpatur cucurbitulam applicato, & ſanguinem detrahito, & pungito acu triangulari*; in aliis verò articulis tumorem non tangit, quia abſceſſus, quos natura in genu, & partibus infernis efficit efficaciùs morbum ſolvunt, quàm ſi in ſuperioribus partibus eleventur, ideò Medicus tutiùs in illis, quàm in iſtis partibus abſceſſum promovet. Et

etiam quia *articulus genu eſt minùs gibbus quam articuli ſuperiorum partium*, ut teſtatur Hipp. *lib. de artic. num.* 93. ideòque materia à genu cum magna facilitate exit, nec periculum eſt, ut retineatur materia fluens, in aliis verò articulis ob gibboſitatem hoc periculum imminet. Quartò *Serum*, *&* *lac* pro tempore exhibet, *&* etiam *lac aſininum coctum* pro curatione, quæ cum principaliter verſetur circa correctionem acidi ſynoviæ articulorum, & ſalſi alkalici bilis, hanc lac perfectè conficit. *Lac pro tempore*, ſemper propinat pro tempore, ideſt in tempore opportuno, cum verò ex *Hipp. lib. 6. aph.* 55. *podagra, ut plurimùm Vere, & Autumno* moveatur, tale tempus erit opportunum pro uſu lactis, & ſeri, & etiam in fine Hyemis, & Æſtatis, cum magis participet de Vere, & Autumno, quam de Hyeme, & Æſtate. Semper poteſt intelligi, & pro toto tempore Veris, & Autumni, vel pro majori parte horum temporum, & poteſt intelligi pro excluſione cujuſcumque cibi, ut ſolo lacte veſcatur in his temporibus, vel ſaltem manè quinque, vel ſex libras lactis accipiat, quæ pro prandio ſervient, veſperi cibis utatur. *Vinum* non prohibet Hipp. imò concedit *album*, quia facilè tranſit per urinam, *& etiam nigrum, ſi album non conducat*. Cenſerem tamen tenue eſſe eligendum, & in moderata quantitate potandum.

Alia differentia *Typhos* deſcribitur *num.* 52. ſatis clarè, ut commento non indigeat, & altera allata ſub *n.* 53. explicata fuit *de Cachexia*.

Alias febrium differentias cum ſymptomatibus inſolitis, & moleſtis unitas recenſet *Hipp. cit. lib. de Intern. Affect. à n.* 50. uſque *ad* 53. ſub nomine *morbi craſſi*. Hoc nomen communiter exiſtimatum eſt morbum longum connotare, qui ſenſus eſt rejiciendus auctoritate Hipp. qui ſecundam, & tertiam differentiam deſcribendo in prognoſtico ait *judicari in ſeptima, vel decima quarta, & in trigeſima*, ideò potiùs cenſeo per morbum craſſum accipiendum eſſe febrem, vel morbum alium à multorum ſymptomatum inſolitorum concurſu impinguatum.

Prima differentia deſcribitur ſub *num.* 50. cum febre, quæ cum rigore corripit, quam concomitantur multa, & rara in febribus ſymptomata, quorum cauſæ obſcuritatem profundam dilucidant illa verba Textus, *& quum dolor circa viſcera conſtiterit, ſuffocationem inducit*. Hæc ſuffocatio non poteſt eſſe, niſi hypochondriaca ab affectis malè partibus in hypochondriis exiſtentibus cum affectu hypochondriaco, adeòut putem Hipp. deſcribere febrem cum affectione hypochondriaca conjunctam, & cum cachexia. Cauſam aſſignat bilem, & pituitam mixtam ad invicem in corpore, ideſt in venis ſanguiferis, & in cavitate inteſtinorum, & cum in his congregata fuerit depluente pituita, à glandulis ventriculi, & inteſtinorum, & cum *Sylvio Le-Boe* ſaliva ab ore ad dictas cavitates, & bile à ductu colidoco, ibique ſiſtente utroque humore, & bile attenuante pituitam flatus multi generantur, qui *ſurſum deorſumque percurrentes* borboriſmos efficiunt, undam aquæ in utre incluſæ, & agitatæ imitantes, quapropter Textus intelligendus de humore in flatus attenuato non in ſubſtantia ſua fluxibili permanente, cùm motus talis humoris concedi non poſſit. Dicti humores in vapores non attolluntur, niſi effervèſcant, & fermentetur ad invicem, eo modo quo deſcribitur à dicto *Le-Boe in tract. de febribus*, & à dicta effervèſcentia febris accenditur præcedente rigore ob irritationem, & vellicationem partium membranoſarum ventriculi, & inteſtinorum factam ab acri bilis, & acido pituitæ ſimul effervèſcentium, quorum humorum exiſtentia probat *vomitus acidæ pituitæ, & quandoque ſalſæ, & os amarum* ob bilem, & hi humores ſunt, qui conſtituunt Cachexiam. Effervèſcentes humores fumos emittunt, qui caput attingentes, membranaſque internas feriendo, & pungendo dolorem in iſtis excitant, & ſi contingat ab eiſdem rodi, & vellicari plexus magnos meſſenterii, itaut dolor in ventre *conſiſtat*, ideſt fixus permaneat, ſi ſuffocatio hypochondriaca, eo modo quo explicat *Vvilliſius in ſuo tract. de morb. convulſ. cap. de Melancholia hypochondriaca*, & eodem explicavimus ſuffocationem uterinam *de morb. Mulier.* Hujuſmodi convulſionem patiuntur nervi à vertebris dorſi prodeuntes, à qua incurvi, ſeu valdè curvi fiunt ægrotantes, vel quia ab eiſdem fumis acribus roduntur, vel quia conſenſum cum plexibus nerveis meſenterii conſervant. Ab hac nervorum affectione, & convulſione pendet *teſtium retractio, cribratio, & palpitatio carnium cum dolore*, velut ab ulcere, cum nervorum cutaneorum actio ſenſitiva ab objecto improportionato valdè irritante actuetur. Eadem cauſa eſt doloris *laterum colli, & dorſi*. Cum ſupradicta effervèſcenria humorum in cavitate ventris, vel in vaſis iſtius conjungitur calor prout moris eſt effervèſcentiæ humoralis inordinatæ, hic occupat partes proximas ventri nempè latera, & regionem coſtarum, & ſanguinem cutaneum in iſtis locis exiſtentem rarefaciendo, calefaciendo, & ebullitione agitando ruborem in iſtis excitat inæqualem pro inæquali diſpoſitione ſanguinis ad calefaciendum, & ad rarefaciendum. Si calor ad partes infernas ſe extendat veſica, & inteſtinum rectum valdè incaleſcunt, & cum dolore, ſi calor fuerit intenſus, vel cum particulis calidis ſalinæ mordaces conjunctæ fuerint. Cauſam internam poſuit *pituitam, & bilem*. Cauſam externam addit *Solem, & aquæ potum* ſub Sole, à quo corpus, & humores incaleſcunt, comprehenduntur omnes cauſæ calefacientes, ſicut ſub aqua omnes humidi redundantiam congregantes, ideò ſubjungit inferiùs *hunc morbum contingere tempore Autumni, & ob eſum fructuum, pomorumque*. Ab his enim ſerum, & pituita augetur cum diſpoſitione ad validam fermentationem, quam in fructibus, & præcipuè pomis contuſis obſervamus, non diſſimilem ab ea uvarum, cum, & à pomis vinum eliciatur pomaceum, ideò quæ humidum congregant pituitæ augmento, quæ calefaciunt bili inſerviunt. *Hic morbus quandoque urget, quandoque remittit*, prout remittit, vel urget effervèſcentia humorum in dictis locis, quieti enim manent per aliquod tempus poſt exhalationem ſuarum particularum activarum in concepta effervèſcentia, omne enim effervèſcens effervèſcendo jacturam particularum activarum patitur, & per novum humorem advenientem tamquam per auxiliares copias corroboratum vires accipit, quæ non exeunt in apertum, niſi quando per fermentationem particulæ activæ humoris ſolutæ fuerint à craſſioribus liberatæ, & ad actum ultimum agendi vocatæ, & prout hoc tardè, vel citò contingit, ita magis, vel minus remittit, vel quieſcit morbus. Prognoſticum eſt *uſque ad ſex annos* pati perſeverat talia æger, quod evenit ob materiæ morboſæ contumaciam, & reſiſtentiam, ſine magna vi in agendo, & ob virium naturæ languorem; nam ſi actio materiæ, & naturæ eſſet valida morbus, vel ad ſalutem, vel ad mortem citò terminaretur, longus eſt quia virtus utriuſque eſt debilis ob naturæ languorem. *Semen ſæpè noctu effunditur in coitu ſubcruentum, & ſublividum eſt*, quia à naturali facultate languida non elaboratur ſanguis ad perfectionem ſeminis. *Ex capite capilli cadunt* ob defectum nutrimenti proportionati, *& pedes ſemper frigidi*, quia in ſanguine calor minuitur. *Cutis craſſa eſt, & rubicunda* in hac cacochimia contra iſtius naturam, cum omnem colorem bonum, & vividum deleat. Attamen perpendendo dolorem in capite conſiſtere, prout dixit Hippocrat. in principio Textus, oportet fateri, ab eo copioſum fluxum humorum ad caput, & iſtius partes cutaneas vocari ob rationem alibi dictam, & craſſiorem, & viſcoſiorem in poris, & interſtitiis cutis fixari, & cumulari, & detineri, tenuiorem verò ſubtiliorem, & puriorem in venis capillaribus cutis retineri cum illarum dilatatione ibique fluctuare colore rubro illam tingendo. Curationem inſtituit ſicut in Hydrope ſeroſo, ideò quæ dicta ſunt in tractatu *de Hydrope* ex mente Hipp. videnda.

Alter morbus craſſus deſcribitur *ſub numer.* 51. *cit. lib.* repræſentando *febrem acutam*, quæ *in quatuordecim diebus judicatur* horrendis ſtipatam ſymptomatibus, ut ex lectura Textus colligitur horum omnium cauſam dicit eſſe *bilis influxum in hepar, & caput*, primum deſignat intumeſcentiam hepatis uſque ad ſeptum tranſverſum expanſam. Secundum deliria, inſomnia terra, & fera viſus obfuſcatio demonſtrant. Cau-

ſam

ſam externam determinat *peregrinationem*, *iter per deſertum ſuccedente timore ex ſpectro*. Ab his duabus cauſis oritur prædictus morbus cum omnibus enarratis ſymptomatibus, dum à peregrinatione per motum incaleſcit ſanguis, & ab acuto calore particulæ ſanguinis in copia ſulphuteæ, & ſalinæ aduruntur, quæ bilis augmento ſerviunt, & ab eodem calore aucta fermentatione ſanguinis fit ſegregatio copiæ bilis in vaſis hepatis, à qua dum implentur, curſus iſtius liber ad cyſtim impeditur, quia in collectione copioſa humoris in vaſis iſtius particulæ ſe invicem prementes motum etiam adinvicem ſibi interdicunt, eo modo, quo multitudo hominum in oſtio exiſtentium exitum, & motum preſſione ſibi invicem prohibent. Prohibito motu libero bilis in vaſis hepatis ſtagnat in iſtis, & fermentatione præternaturali concepta more fermentantium intumeſcit cum parte continente, & calore in fermentatione concepto proximum diaphragma præternaturam calefacit, ſicut tumore hæpar premit, ex calefacto, & preſſo diaphragmate ſtatim, ut loquitur *Hipp. dolor in caput irruit*, ex quo colligere licet, hunc dolorem eſſe per conſenſum affecto diaphragmate; quod ratione nervorum maximum conſervat cum cerebro, & ejus partibus nervoſis, & membranoſis conſenſum, quapropter judicandum eſt, quando Hipp. dixit bilem in capite conſiſtere, locutum fuiſſe per conſenſum, & effectum *bilis in capite conſiſtere*, intellexiſſe, non bilis ſubſtantiam, & confirmavit Hipp. quando dixit *cum autem delirare ceſſavit*, *ſtatim*, *è veſtigio reſipiſcit*, & hoc eſt ſignum delirii per conſenſum; Effectus bilis eſt calor, & acrimonia ſui ſalis, uterque cerebro per diaphragma communicatur, ab acrimonia dolor, qui progrediente morbo augetur, quia ſemper magis fumi bilioſi colliguntur in membranis cerebri, qui corrodendo dolorem efficiunt à calore ſpiritus viſivi agitantur, & turbantur, ut viſum impediant maximè vaporibus cum ſpiritibus à calore elevatis commixtis; objecta extranea oculis offeruntur, vel quia à dictis fumis fiunt in retina impreſſiones repræſentantes dicta objecta, vel ob vitium imaginationis depravatæ, prout apparet in delirio, quod ſequitur incaleſcentiam, & inflammationem diaphragmatis modo explicato *de Phrenitide*, à quo explicantur omnia ſymptomata in Textu deſcripta; & bilem eſſe cauſam multorum prædictorum ſymptomatum colligere poſſumus *ab Hipp. lib. de Inſomniis num.* 27. Curationem dirigit primò ad evacuationem humoris peccantis valido primo medicamento non expectata concoctione, prout alibi præcepit, & febre acuta vigente, quæ non admittit purgationem validam niſi concocta materia, quia materia eſt diſgregata à tota maſſa ſanguinis per fluxum in hepar, & collecta in ramificationibus porri biliarii, & cyſtisfelleæ; harum irritamento à medicamento purgante præſtito purgari poteſt, & fœliciter ſuccedet purgatio, cum bilis ſit in vaſis & inflammationem non pariar. Utitur etiam *clyſtere acri*. Cùm morbus ſit acutus diœta etiam ſit tenuis cum ſorbitionibus, *ſucco ptiſanæ*, *& melle*; *potus* ſit *aqua*, *acetum*, *& mel mixta*, & docet convenire *aquea acida*, & quæ alvum movent leniter, ut *mel* ad hoc, ut paulatim bilis educatur, & illa, quæ eſt ad exitum cum fœcibus alvinis diſpoſita, quapropter hujus generis remediis aqueis, & acidis uti poterit Medicus. Ita paucis remediis dictæ conditionis curationem complet Hipp. ægro ſanitati reſtituto; diœtam imperat convenientem ad recidivam præcavendam, quæ cùm ſit ſatis clara non indiget commento.

Morbus craſſus ſub *n.* 52. deſcriptus in tractatu *de Cachexia* explicatus fuit, & explicatio morbi craſſi ſub *n.* 53. ab Hipp. deſcripti patet ex dictis in tractatu *de Hydrope*.

Alias febrium differentias deſcripſit Hipp. quæ emergunt, vel à tempore, quo invadit febris, ut ſunt nocturnæ, & quæ conjunctum habent aliquod pernicioſum, ſymptoma, ut ſunt ſingultuoſæ. In primis verò variatur curatio à tempore invaſionis, in ſecundis curandum ſymptoma, & de his differentiis videatur *Silvius Le-Boe* in tractatu *de Febribus*.

F I N I S.

INDEX RERUM, ET VERBORUM.

A

ABortus in Mulieribus facilè concipientibus triplici de cauſa ſuccedit; & quibus remediis præcaveri poſſit. Pag. 315. Col. 2. & ſeq.
Abortus futuri ſigna, p. 317. c. 1. & 2.
Abortus dicitur factus, quando Placenta ab Utero, ſeu ab ejus Acetabulis eſt divulſa. p. 330. c. 2.
Abortus à pituitæ redundantia in Utero, & ejus Acetabulis. p. 298. c. 2.
Abortus à laxatis Uteri ſuperioribus ligamentis procedere non poteſt contra falſam aliquorum Medicorum opinionem. ibid. c. 2.
Abortus Utero non purgato ejus Hydropem producit, p. 291. c. 1.
Abſterſiva, quæ à nobis incipiente purgantis medicamenti operatione exhibentur, ab Hipp. in fine propinantur, & qua de cauſa. p. 138. c. 1.
Acetabula, & Cotyledones Uteri quid ſint. p. 295. c. 1.
Acidum Ventriculi quomodo immoderatum evadat. p. 179. c. 1.
Acidum Ventriculi immoderatum maſſam ſanguinis ſua aciditate illicò inficit, ſicuti vice verſa inficitur ab excedenti ſanguinis aciditate. p. 46. c. 1.
Acidum Ventriculi fixum famem non excitat. p. 177. c. 1. & 2.
Acidum eſt cauſa Eryſipelatis, & quomodo. p. 244. c. 1.
Acidum Ulceribus inimicum. p. 217. c. 1.
Aciditas in ſanguine Scorbutico ſe habet ſicut in fructibus immaturis. p. 259. c. 2.
Aciditas Scorbutica eſt aciditas ab acri ſale. ib.
Acidulæ minerales in Ulceribus renum ab omnibus commendantur. p. 234. c. 1.
Admirationis effectus quomodo exciterur. p. 73. c. 1.
Admiratio conſervat in eo ſtatu virtutem elaſticam ſpirituum animalium, in quo erat, cùm fuit oborta, ibid.
Aeris humida conſtitutio ſanguinem diſponit ad putredinem malignam. p. 365. c. 2.
Alimentum quid ſit. p. 176. c. 2.
Alimenta non ſunt jucùnda niſi prout talia à Phantaſia determinatur. ib.
Alimenta jucunda ſunt, quæ blandam titillationem in organo guſtus, & in orificio Ventriculi excitant; Injucunda à contrario. p. 177. c. 2.
Alimenta ſunt contraria fami, quia ſunt ejus remedium ex Hippocrate. p. 282. c. 1.
Alimentorum concoctio quid ſit. p. 187. c. 1.
Alimentorum concoctio quomodo fiat. p. 185. c. 2.
Alimenta ſolida concoqui nequeunt, & in chyloſam maſſam reduci, niſi priùs fluida fiant. p. 207. c. 1.
Alimenta fluida fieri neceſſe eſt, ut poſſint ingredi vaſa, & ſanguinem reſtaurare. p. 186. c. 1.
Alimenta liquida citiùs excoquuntur quam ſolida, p. 207. c. 1.
Alimenta pinguiora, oleoſa, & dulcia acidum occultum continent. p. 46. c. 2.
Alimenta pinguia, caſeoſa, mellita, & ex Seſamo parata ructus acidos maximè faciunt. p. 189. c. 1.
Alimenta quædam cur flatuoſa ſint. p. 199. c. 2.
Alimentorum concoctio quotupliciter læditur, p. 185. c. 2.
Alimentorum concoctionis diminutæ ratio. p. 187. c. 1.
Alimentorum concoctionis depravatæ Signa, Prognoſtica. & Curatio. ib. c. 2.
Alica eſt quid factitium ex farinis. p. 298. c. 1.
Alkali eſt materia communis; & contraria Acido contrarietate, quæ in amicitiam tranſit. p. 186. c. 2.
Alkali patitur, & non agit. ibid.
Allium calorem, & flatum circa thoracem facit. p. 199. c. 2.
Allium ſudorem, & urinam movet. p. 277. c. 2.
Allium crudum, & coctum æſum à Muliere Uterum coxæ adhærentem habenti, ſuo loco reſtituit. pag. 293. c. 2.
Amantis ſanguis in corde, & toto æſtuat per vehemens amati objecti deſiderium. p. 56. c. 2.
Amans ad amatæ præſentiam ex improviſo advenientis cur rubore tingatur? ib.
Amans cur frequentia edat ſuſpiria? p. 57. c. 1. & 2.
Amans cur timeat, & palleſcat? ib.
Amans cur admiſſus ad conſpectum Amatæ tremulam edat vocem! p. 57. c. 1.
Amans cur certioratus de reciproco amore lætitia perfundatur, & ad riſum ſit facilis. ib.
Amantes à mœrore aliquando tabidi fiunt, ib. c. 2.
Amans ſubita morte perempta, p. 56. c. 2.
Amatoria quædam vis ineſt oculis, & qualiter. ib.
Amor eſt complacentia appetibilis, à qua oritur deſiderium unionis. ibid.
Amor dicitur Heros, quia Heroes elaborat. p. 55. c. 2.
Amor quatuor involuit, nempè objecti complacentiam appetitum, deſiderium, & ſpem ejuſdem fruendi, ibid.
Amor inſanus Iſchion ab Avicenna dictus, & quare? ibid.
Amor inſanus eſt delirium modò cum furore, modò cum mœrore conjunctum dependens ab irrationalis amoris paſſione. p. 57. c. 1.
Amoris inſani Cauſæ, Signa, & Curatio. p. 55. c. 2.
Amorem quæ medicamina concilient! p. 59. c. 2.
Anaſarca quid ſit; & ejus deſcriptio contra Petrum Salium. p. 275. c. 2.
Anaſarcæ cauſa ſerum concreſcibile redundans in toto. p. 276. c. 1.
Anaſarcæ curatio. ib. c. 2.
Anaſarca laborantes niſi poſt dies triginta purgandi ſunt. p. 277. c. 2.
Anaſarcæ, quando conveniant cucurbitulæ, & venarum Scroti ſecatio. ibid.
Anaſarca affectis partes cum tument, & materia eſt fluxilis ſunt intrepidè ſcalpello aperiendæ; nec timenda in viris Gangrena, quam non timuit Hippocrates in Pueris. p. 277. c. 1.
Aneuriſma in imo Ventre ab obſtructione arteriarum capillarium Meſenterii. p. 287. c. 1.
Anginæ Æthimologia, Eſſentia, & Subjectum. p. 107. c. 1.
Anginæ cauſæ internæ. p. 108. c. 1.
Anginæ cauſæ externæ. ib. c. 2.
Anginæ Signa, & Differentiæ. ibid.
Anginæ Signa Prognoſtica. p. 109. c. 1.
Anginæ Curatio. p. 110. c. 1.
Angina vera per quid diſtinguatur ab aliis inflammationibus Faucium. p. 107. c. 1. & 2.
Angina affecti aliquando fluida difficiliùs, quam ſolida deglutiunt, aliquando è contra, & qua de cauſa. ib.
Angina quomodo evadat cauſa Peripneumoniæ. ib.
Angina correptis multus ſanguis mittendus eſt ex Hipp. & à quibus partibus, & qua ratione. p. 110. c. 1.
Anginæ ex Hippocrate purgatio non convenit. ibidem c. 1.
Angina affectis rubores partium externarum, Colli, Cervicis, & Pectoris non ſunt ſemper mali ominis. p. 109. c. 2.

Angi-

Angina laborantibus præcordii dolor cum impotentia, & torpore oboriens mortem occultè minatur. ib.
Anguis in Ventriculo Cordis repertus. p. 169. c. 2.
Animal habet principium ſentiendi diſtinctum ob organis, & inſtrumentis ſenſus. p. 1. c. 1.
Animali principium hoc denegare irrationale videtur. p. 1. c. 2.
Animalibus debetur principium quod moveat, & à motu ceſſet determinativo ceſſante. p. 76. c. 1. & 2.
Animalia pulmonis expertia ſitim neſciunt. pag. 116. c. 1.
Anxietas Præcordiorum idem eſt ac Anguſtia. p. 38. c. 2.
Aphoniæ ab Utero deſcriptio. p. 291. c. 2.
Aphoniæ ab Utero Cauſæ, & Curatio. p. 292. c. 1.
Apoplexia, & ejus varia nomina. p. 78. c. 1.
Apoplexia eſt abolitio repentina motus, & ſenſus ſola remanente reſpiratione. ib. c. 2.
Apoplexiæ ſedes Cerebrum, & Pulmo, & quomodo. ib.
Apoplexiæ cauſa ſanguinis ſtatio, quam ſubſequitur nervorum obſtructio. p. 79. c. 1.
Apoplexiæ Differentiæ, Signa Diagnoſtica, & Curatio. p. 80. c. 1.
Apoplecticis ex Hippocrate remedium eſt Balneum excalefaciens ſanguinem. p. 81. c. 2.
Apoplecticis quare Hippocrates adhibeat fomenta ante venæ ſectionem. ib.
Apoplecticos miſſio ſanguinis, ſi non ſanat, ex Celſo interimit. p. 82. c. 1.
Apoplexiam arcet exactum vitæ regimen, purgans quoque menſe aſſumptum, & ſanguinis miſſio Vere, & Autumno. p. 84. c. 1.
Appetitus eſt vis animi, qua in aliquod bonum ſenſibile impellimur, & quomodo actuetur. p. 53. c. 1.
Appetitus Venereus excitatur à ſemine in copia collecto, & effervescente. p. 54. c. 2.
Aqua frigida ſedandis doloribus plurimùm confert, ex Hippocrate, & qua ratione. p. 335. c. 2.
Aqua bilioſæ naturæ bilioſa eſt per Hippocratem, & quomodo. p. 284. c. 1.
Aqua pluvialis ſtagnans in carne febrim, & Anaſarcam parit. p. 271. c. 1.
Aquæ Pluvialis indoles. ib.
Arteria in cubito pulſans hominem inſanum, & iracundum denotat, quieſcens ſtupidum. p. 12. c. 1.
Articularis Morbus. Vide Typhos.
Articulis emoti valentiores ſunt in Veneris uſu. p. 55. c. 1.
Aſthmatis eſſentia, & quomodo producatur. p. 144. c. 2.
Aſthmatis quotuplex. p. 145. c. 1.
Aſthmatis differentiarum Signa, & Curatio. ib.
Aſthmati aliquando ſputum ſanguinis ſuccedit, & quare. p. 150. c. 2.
Atræ bilis duplex eſt materia ex Hippocrate. p. 40. c. 1. & 2.
Atræ bilis nomine aliquando ab Hippocrate intelligitur Melancholia frigida, & ſicca. p. 243. c. 1.
Atra bilis cùm in venas confluxerit, quæ ad Renes tendunt, hos exulcerat. p. 233. c. 1.
Audacia in quo conſiſtat, & quinam animi affectus ſit. p. 50. c. 1.
Audacia quomodo in Maniaco excitetur ab objecto terrifico. p. 51. c. 1.
Audaciæ cauſæ. p. 52. c. 1.

B

Balneum, & exercitium humores pravos conſumunt. p. 136. c. 1.
Balneum calidum moderatum mollit, & auget corpus; ideò emaciatis convenit. ib. c. 2.
Balneum aquæ calidæ toti, corpori excepto, capite adminiſtratum Teneſmo affectis prodeſt. pag. 219. c. 2.
Balneum aquæ calidæ Iliaco dolore vexatis confert. p. 225. c. 1.
Balneum aquæ calidæ ſedat dolorem in Ulcere Renum. p. 234. c. 1.
Balneum aquæ calidæ in curatione Anaſarcæ ab Hippocrate vituperatur; quod intelligendum eſt, ſi ſudorem non excitet. p. 276. c. 2.
Balneum aquæ dulcis in Diabete eſt præcipuum remedium. p. 285. c. 2.
Balneum calidum in debilibus fundendo humores ſeroſitatem auget. p. 334. c. 1.
Balneum frigidum corroborat. ib.
Balneum olei communis, & Balneum ex herbarum emollientium decoctione Calculi excretionem facilem reddunt. p. 230. c. 2.
Beta ex Hippocrate aqua immerſa Anginæ extra converſæ prodeſt; & qua ratione. p. 111. c. 1.
Bilis in Hæpate ope fermenti Lyenaris ſeparatur. p. 339. c. 1. & 2.
Bilis ſuo ſale alkalico eſt Acido contraria. ib. c. 2.
Bilis appetitum famis dejicit. p. 177. c. 1.
Bilis mixta Acido Ventriculi illud acre, & corroſivum efficit. p. 179. c. 1.
Bilis eſt cauſa flatuum, & quomodo. p. 200. c. 1.
Bilis iners ad congrediendum cum ſucco Pancreatis maſſam chyloſam non defœcatam à fœcibus relinquit. p. 209. c. 1.
Bilis inertiam ſpecificè tollunt Marubium, Calendula, & Chelidonia major. ib.
Bilis ſale facilè in lapidem concreſcente abbundat. p. 229. c. 2.
Bilis flava per admixtionem Acidi prævalentis corrumpitur, & in nigram tranſit. p. 354. c. 1.
Bilis redundans in maſſa ſanguinea, ſi fertur ad Cyſtim felleam, & per Choledocon copiosè depluat in Inteſtina, Diarrhæam bilioſam efficit. p. 211. c. 1.
Bilis cum Pituita in venis collecta in copia cum qualitate moleſta Dyſenteriam cauſat. p. 214. c. 2.
Bilis in ſanguine menſtruo redundans profluvium Uteri contumax producit, à quo Hydros, vel Macies, vel febris Hectica. p. 314. c. 1. & 2.
Bilis eſt cauſa omnium febrium. p. 357. c. 1.
Bilis habet omnia requiſita ad febrem efficiendam. ib.
Bilis nomine quid intelligat Hippocrates. ib.
Bilis eſt humor incendiarius, qui aliis humoribus ignem injicit; ſola enim inter alios humores partes igneas, ſulphureas, & inflammabiles habet. pag. 357. c. 2.
Bilis plurima, & meraciſſima eſt cauſa febris continentis. p. 358. c. 2.
Bilis dicitur putrefacta, quando ſecundùm ſuas qualitates eſt valdè alterata in ſua acrimonia, in abundantia ſalis. p. 371. c. 2.
Bilis quotidianos facit febris acceſſus, & quomodo. p. 361. c. 1.
Bilioſi ſunt maxime ad Venerem inclinati, & qua de cauſa. p. 139. c. 2.
Bulimus quid? ejus cauſa, & Curatio. p. 179. c. 2.

C

Cachexia eſt univerſi corporis tumida mollities cum caloris depravatione. p. 256. c. 1.
Cachexia tempore Hippocratis Volvulus nuncupabatur. ib.
Cachexiæ deſcriptio, & ejus ſymptomatum. ib. c. 2.
Cachexiæ Signa, Prognoſtica, & Curatio. pag. 257. c. 1.
Cachexia bilioſa. Ejus cauſæ. Signa, & Curatio. p. 259. c. 1.
Cachexia Scorbutica, & ejus indoles. pag. 259. c. 1. & 2.
Cachexia Scorbutica importat humores craſſos, viſcidos, & difficilè fluxiles. ib. c. 2.
Cachexia Scorbutica non ſolùm producit vitium ſanguinis, ſed etiam Succi Nervei. p. 261. c. 2.
Cachexiæ Scorbuticæ cauſæ, Signa, Prognoſtica, & Curatio. ib.
Cachexiæ Scorbuticæ in principio purgationes validas non convenire Medici Septentrionales experientia noverunt. ib.
Cachexia à pravo ſero in corpore turgente. p. 262. c. 1.
Cachexia ſeroſa trigeſima die judicatur. ib. c. 2.

Cachexia ſeroſa Hydropem minatur. p. 263. c. 1.
Cachexiæ ſeroſæ remedia. p. 262. c. 2.
Cachexia Melancholica, & ejus ſigna. p. 263. c. 2.
Cachexia Melancholica differt ab aliis, quia aliis eſt redundantia humoris excrementitii cum nutritione tamen licèt prava; in hac humor qualitate peccat, & macies adeſt. p. 264. c. 1.
Cachexiæ à nimio ſanguinis ex partu per Uterum fluxu Curatio. p. 334. c. 1.
Cachecticis poſt purgationem per inferiora convenit vomitio. p. 257. c. 2.
Cachectici purgari debent per Epicraſim. ibid.
Cacochimia pituitoſa appetitum extinguit, non depravat. p. 281. c. 1. & 2.
Cacochimia melancholica quomodo alteret fermentum glandularum ventriculi. ibid.
Cacochimia melancholica quomodo immutet ſenſationem Ventriculi, Guſtum, & Odoratum, ut evenit in Pica affectis. ibid.
Cacochimiæ Gallicæ origo, & ejus varia nomina. p. 223. c. 1.
Cacochimia à Lue Gallica quomodo in ſanguinem inducatur. p. 267. c. 2.
Cacochimia à Lue Gallica Signa, Prognoſtica, & Curatio. p. 268. c. 1.
Cacochimia Gallica. Vide Gallica Lues.
Calculi non ſunt niſi terra cum humido viſcoſo exſiccatione indurata. p. 229. c. 2.
Calculi quomodo generentur. ibid. c. 1.
Calculi materia ineſt ſanguini. Quomodo? & qualis nam ſit? ibid.
Calculorum affectio hæreditaria eſt ab organizatione vitioſa. ibid. c. 2.
Calculo Prægnantes afflictæ moriuntur. p. 230. c. 2.
Calculus in veſica urinam præpedit. p. 283. c. 1.
Calculus in corde genitus cauſa palpitationis ejuſdem. p. 169. c. 2.
Calculus. Vide Nephritis.
Calor Ventriculi, & partium adjacentium non ſufficit ad alimenta concoquenda. p. 286. c. 1.
Calor excedens ab effervеſcentia ciborum in Ventriculo per calorem aeris in febrilem intendi poteſt. p. 197. c. 2.
Calor debilis Ventriculi non actuando fermentum coctionem debilitat. p. 187. c. 1.
Calor, qui flatus elevat eſt debilis, vel ratione ſui, vel reſiſtentiæ materiæ. p. 199. c. 2.
Capræ inter cætera animalia Morbo Comitiali frequenter tentantur, & quare. p. 93. c. 1.
Cardialgia eſt triſtis ſenſatio oris ſuperioris Ventriculi facta ab objecto ſenſibili tangibili violenter agente in illud. p. 194. c. 2.
Cardialgiam licèt omnes qualitates tangibiles excitare valeant, ſecundæ tamen dictæ; ut aciditas, ſalſedo, amarities, & acrimonia hoc fortius poſſunt, & quare? p. 195. c. 1.
Cardialgia febribus ſuperveniens malum. ibid.
Cardialgiæ ſigna, & per quid diſtinguatur à cœteris Ventriculi doloribus. ibid.
Cardialgiæ Prognoſtica, & Curatio. p. 94. c. 2. & 95. c. 1.
Cardialgiacis ſanguis aliquando mittendus, & quando. p. 95. c. 1.
Cardialgiacis purgantia conveniunt Opiatis admixta. p. 196. c. 1.
Cardialgiaci, qui remediis morbi cauſam evacuantibus, ac corrigentibus non levantur, Opiatis ſunt curandi. ib.
Carus eſt ſomnus profundus cum motus, & ſenſus, & principium facultatum læſione ob impeditum motuum ſpirituum animalium integra manente reſpiratione. p. 74. c. 2.
Carus habet pro ſuo ſubjecto ſubſtantiam medullarem cerebri, pro cauſa obſtructionem à vapore. pag. 75. c. 1.
Caro frequenter corripiuntur Sabei ab odore, & fragrantia florum, & fructuum apud eos naſcentium. ibid.
Cari ſigna, & per quid diſtinguatur ab Apoplexia, Syncope, & Catalepſi. ib. c. 2.
Caro correptis cur non impediatur reſpiratio! p. 74. c. 2.
Cari Prognoſtica, & Curatio. p. 75. c. 1.
Caro ab Ebrietate affecti, ſi febri ſtatim corripiantur, ſani fiunt, ſi verò redeant, & bilem evomant, inſaniunt, & moriuntur.
Caſeum Caprinum vi pollet adſtrictoria. p. 305. c. 2.
Catalepſis, & ejus varia nomina. p. 71. c. 2.
Catalepſis gradus triplex. p. 72. c. 1.
Catalepſis conſtitutivum eſt rigiditas, & immobilitas corporis, non tamen reſiſtens vi externæ, ut in Convulſione. ib.
Catalepſis exquiſita parum differt ab Apoplexia. ib.
Catalepſis cauſam Antiqui in humorem melancholicum refunderunt. p. 73. c. 2.
Catalepſis non pendet à ſpirituum coagulatione, ſed ab eorum torpedine, & craſſitie permanentium in virtute elaſtica præconcepta ad actionem tempore, quo æger corripitur. p. 72. c. 2.
Catalepticis cur eadem ſervetur corporis configuratio, quæ adeſt, cum paroxyſmo afficiuntur. p. 72. c. 1.
Catalepticis cujuſcumque gradus potentia electiva aufertur, licet ſenſitiva ſervetur, & quia. p. 73. c. 1.
Catalepſis Signa, Prognoſis, & Curatio. p. 74. c. 1.
Cataleptici nonnulli ſanguinis hæmorolgia curati. p. 73. c. 2.
Catarrhus eſt ſeminarium multorum morborum. p. 153. c. 1.
Catarrhus eſt depoſitio humoris aquoſis in aliqua parte cum læſione operationis illius. ib.
Catarrhi origo, materia, & ſedes. p. 154. c. 2.
Catarrho interdum conjungitur qualitas ſecunda morboſa. ib.
Catarrhi redundantis cauſæ. ib.
Catarrhi fluxio à frigiditate fit per expreſſionem. p. 155. c. 1.
Catarrhi fluxio à calore fit humore redito fluxibiliori. ib.
Catarrhi fluxio à plenitudine fit vaſe impotenti effecto ad ejus retentionem. p. 155. c. 2.
Catarrhi fluxio fit à repentinis mutationibus, & quomodo. ib.
Catarrhi fluxiones à capite per Hippocratem, quomodo fiant. ib.
Catarrhi Signa, Prognoſtica, & Curatio. p. 156. c. 2. & ſeq.
Catarrhus vulgo dictus ſuffocativus quomodo differat à quocumque Aſthmate. p. 160. c. 1.
Catarrhus ſuffocativus eſt impedita reſpiratio cum ſuffocatione, aliquando cum tuſſi, & ſputo ſpumoſo. ib.
Catarrhi ſuffocativi ſubjectum ſunt Pulmones. ibid. c. 2.
Catarrhi ſuffocativi cauſa eſt ſanguis in vaſis Pulmonum ſtagnans, eiſque motum interdicens. ib.
Catarrhus ſuffocativus fit etiam ex affectione Laryngis ratione Epiglotidis, cujus irritatio, & ab hac pertinax ſtrictura ſequens, omnem ferè aeri ingreſſum interdicit, & ſuffocationem inducit. ib.
Catarrhi ſuffocativi Signa, Prognoſis, & Curatio. p. 161. c. 1. & ſeq.
Cauſon. Vide Febris ardens.
Cerebrum, & Cerebellum non eſt improbabile eſſe ſpinalis, & oblongatæ Medullæ appendices. pag. 76. c. 2.
Cerebrum circa ſedem ſenſus communis, & Medullæ oblongatæ habere quædam ſpirituum animalium emporia, ac conſervatoria ratione oſtenditur. p. 23. c. 2.
Cerebrum non ſentit, ſed tantùm eſt ſenſuum ſenſibile. p. 5. c. 2.
Cerebri ſubſtantia poteſt inflammari, cum per eam ſanguis fluat. p. 5. c. 1. & ſeq.
Cerebrum in paſſionibus hyſtericis ſecundùm nervoſum genus valdè patitur. p. 299. c. 1.
Cephalalgia eſt dolor totius capitis vehemens, & inveteratus. p. 5. c. 2.
Cephalea eſt dolor totius capitis vehemens, & inveteratus. ib.
Cephalalgia, & Cephalea. Vide Dolor capitis.
Chænix continet libras duas menſurabiles. p. 305. c. 1.

Cholera quid ſit, & ejus cauſæ. pag. 203. c. 1.
Cholera quomodo producatur. ibid. c. 2.
Cholera duplex, alia ab acidis humoribus in Ventriculo corruptis ſine læſione maſſæ ſanguinis, alia à vitio maſſæ ſanguineæ. ibid. & ſeq.
Choleræ, Signa, & Prognoſis. pag. 204. c. 2.
Choleræ Curatio. pag. 205. c. 1.
Cholera ſicca malè deſcribitur à Neotericis. ibid.
Cholera ſicca ex Hippocrate eſt Ventris inflatio, cum ſtrepitu laterum, ac lumborum dolore alvo adſtricta manente. pag. 204. c. 2.
Choleræ ſiccæ ſigna, & Curatio. ibid.
Chretmon eſt fœniculo marinus. pag. 308. c. 2.
Chretmon eſt valdè potens pro menſibus educendi. pag. 300. c. 1.
Cimicum incredibilis copia in Cerebro Matronæ defunctæ inventa, quæ diuturno, & vehementiſſimo capitis dolore fuerat antea afflicta. pag. 7. c. 1.
Cyatus eſt menſura continens unciam unam, & ſemis. pag. 300. c. 2.
Cyceon calefacit, nutrit, & ſiſtit alvum, ſi cum vino paretur. pag. 136. c. 2.
Cyceon eſt mixtura ex farina, vino, & melle. pag. 329. c. 2.
Cneorus duplex, albus unus, niger alter, virtutem uterque purgativam habet contra Matthiolum. pag. 257. c. 1.
Cneori nomine intelligendæ ſunt Chamælea, & Thymelea, quæ violenter bilem, & Pituitam purgant. ibid.
Cognoſcere intuitivè quid importet. pag. 31. c. 2.
Colicus dolor Hippocrati cognitus contra Scribonium Largium. pag. 226. c. 2.
Colici doloris eſſentia. ibid.
Colici doloris cauſæ. pag. 226. c. 1.
Colici doloris præcipuæ differentiæ. ibid. c. 2.
Colicus dolor quomodo diſtinguatur ab aliis doloribus. ibid.
Colici doloris Prognoſis, & Curatio. pag. 227. c. 1.
Colicum dolorem Cucurbitula magna Ventri appoſita ſedat. pag. 329. c. 1.
Colico dolore perſeverante cum periculo inflammationis ſanguis mittendus eſt. pag. 228. c. 1.
Colliquatio humorum fit ab acri errodente pag. 284. c. 2.
Colliquationi ſuccedit aquæ in corpore augmentum. ibid.
Coma ſomnolentum quid ſit. pag. 17. c. 2.
Comatis ſomnolenti cauſæ. ibid. & ſeq.
Comatis ſomnolenti Differentiæ, Signa, & Prognoſis. pag. 19. c. 1.
Comatis ſomnolenti Curatio. ibid. & ſeq.
Comatis Vigilis eſſentia, & cauſæ. pag. 19. & ſeq.
Comatis Vigilis differentia ab aliis affectibus ſuporiferis. pag. 21. c. 1.
Comatis Vigilis Prognoſis, & Curatio. ibid. & ſeq.
Conatus in Dyſuria pendent à mucoſitate obſtruente meatum urinarium. pag. 282. c. 1.
Conchiliæ calcinatæ cum ſuco Tabaci, & in bolos redactæ, ac ore detentæ famem ſedant. pag. 180. c. 1. & 2.
Concoctio alimentorum eſt actio Ventriculi. pag. 85. c. 2.
Concoctio alimentorum eſt eorum mutatio in unam maſſam fluxilem ſenſu homogeneam ope fermentationis propriæ ciborum, & fermenti ſtomachi, & caloris peracta. ibid.
Concoctio ciborum putredo nuncupatur, & per quid differat à putredine communiter accepta. pag. 207. c. 1.
Concoctio alimentorum texturam immutat in minutas particulas illa comminuendo, non eorum formas corrumpendo. pag. 185. c. 1.
Concoctio diminuta eſt tarda, & debilis alimentorum digeſtio, in qua vel alimenta ſemicruda relinquuntur, vel niſi longo tempore concoquntur. pag. 186. c. 2.
Concoctionis alimenti diminutæ Cauſæ. ibid.
Concoctionis diminutæ Signa, Prognoſis, & Curatio. pag. 187. c. 2.
Concoctio depravata. Vide Diſpepſia.
Coniza eſt Hydropiper qualitate calidus, & flatuum, ac vaporum reſſolutivus. pag. 343. c. 2.
Coniza, ſeu Plicaria cum Caſtoreo in vino Virgini ſuppreſſæ jejuno ſtomaco exhibita ſuppreſſionem tollit. pag. 292. c. 2.
Conycis virtus eſt attenuativa, calefactiva, & deobſtruens. pag. 258. c. 1.
Conſuetudo in cibandis ægri eſt attendenda. p. 116. c. 2.
Contractura, in quo conſiſtat. pag. 99. c. 2.
Contractura quomodo fiat. pag. 98. c. 1.
Contractura in facto eſſe non involvit motum contra Sylvium. pag. 99. c. 1.
Contracturæ Cauſæ. ibid. c. 2.
Contracturæ cauſæ à Vvilliſio, & Sylvio aſſertæ non ſubſiſtunt. pag. 100. c. 2.
Contracturæ Differentiæ tres ex Hippocrate. ibid.
Contracturæ Signa, Prognoſis, & Curatio. pag. 101. c. 1. & ſeq.
Contraſiſſura in capitis percuſſione quomodo contingat. pag. 100. c. 2.
Convulſio, & Contractio per Hippocratem non ſunt idem. pag. 89. c. 2. & 97. c. 2.
Convulſionis cauſa immediata eſt irritans, remota inanitio, & repletio. pag. 89. c. 2.
Convulſionis Differentiæ. pag. 90. c. 2.
Convulſioni venæ ſectio convenit, dummodo non adſit, febris, & caput non doleat. pag. 91. c. 2.
Convulſio partis oppoſitæ à vulnere quomodo ſuccedat. pag. 100. c. 2.
Convulſio. Vide Motus convulſivi.
Cor eſt organum motus, cùm ſit muſculus. p. 164. c. 1.
Cordis motus principium eſt anima mediante ſpiritu animali, & ſanguine. ibid.
Cordis motus quomodo fiat. pag. 164. c. 2.
Cor eſt fons caloris tantùm inſtrumentaliter, & excitativè. pag. 165. c. 1.
Cor non ſanguificat, ſed ſanguinem perficit. pag. 165. c. 2. & ſeq.
Cor, & Præcordia maximè ſentiunt, minimè ſapientiam participant. pag. 168. c. 2.
Cor fieri fatuum quid ſignificet apud Hippocratem. pag. 290. c. 1.
Cordis palpitatio eſt motus ejuſdem convulſivus cum impetu, aliquando cum moderatione pendens ab irritamento. pag. 168. c. 2.
Cordis palpitationis Cauſæ. ibid.
Cordis palpitationis Differentiæ. pag. 169. c. 2.
Cordis palpitationis Signa, Prognoſis, & Curatio. ibid. & ſeq.
Cordis palpitatio à flatu. pag. 169. c. 2.
Cordis palpitationis à flatu Curatio. pag. 171. c. 1.
Cordis motus in palpitatione quomodo differat ab ejuſdem motu in febre. pag. 168. c. 2.
Cordis vehemens palpitatio aliquando coſtas fregit. ibid.
Cordis tremor eſt motus trepidationis fibrarum ejuſdem, quo fibræ motrices celerrimè, & tantum ſemicontractè ſemiextenſè ejus dilatationem, & conſtrictionem efficiunt cum pulſus parvo, debili, diminuto, & celeri. pag. 171. c. 1.
Cordis tremor per quid diſtinguatur à palpitatione. pag. 171. c. 1.
Cordis tremor agnoſcit pro cauſa ſanguinis multitudinem in ejus fibris, & papillis collectam, & ſtagnantem. ibid.
Cordis tremor quomodo excitetur à multitudine ſanguinis ſtagnantis in ejus fibris. ibid.
Cordis tremoris Signa. Prognoſis, & Curatio. p. 172. c. 1.
Crampe eſt Convulſio à dolore. p. 99. c. 2.
Crampe quomodo fiat. pag. 98. c. 1.
Cruditas nidoroſa, & Cruditas acida in Ventriculo quid ſint, & quomodo generentur, pag. 188. c. 1.
Cruditatis nidoroſæ Signa. ibid. c. 2.
Cruditatis acidæ Signa. pag. 189. c. 2.
Cruditas acida an pendeat à calore, an à frigiditate? pag. 188. c. 2.
Cruditatis ſanguinis cauſæ. pag. 260. c. 1.
Cucurbita non eſt flatuoſa, licèt ſit frigida, & quare? pag. 301. c. 1.

D

DElirantium Phantaſia eſt vera; nam error eſt in Phantaſmate depravato. pag. 28. c. 2.
Delirium neque poteſt eſſe ſymptoma imaginationis, neque Phantaſiæ. pag. 29. c. 1.
Delirium eſt alienatio mentis. pag. 33. c. 2.
Delirium involuit duo, primò, vel compoſitionum Phantaſmatum evidentem repugnantiam continentium, vel diviſionem eorumdem neceſſariam unitatem importantium. Secundò contumaciam invincibilem in aſſenſu, & diſſenſu, & quomodo hæc eveniant in delirante. pag. 34. c. 2. & ſeq.
Delirii cauſa immediata quænam? ibid.
Delirium fit per confuſionem, & alterationem ſpirituum animalium. pag. 36. c. 2. & ſeq.
Delirium aliquando fit vitio Septi tranſverſi. pag. 39. c. 1.
Delirium non ſolùm cum riſu, ſed etiam cum timore fit à Diaphragmate; & qua ratione. ibid. c. 2.
Delirium in Comate ſomnolento per accidens adeſt. pag. 9. c. 2.
Delirium inhoneſtum quomodo Furori uterino conjungatur. pag. 54. c. 2.
Diabetes duplex, exquiſitus, & nothus, & eorum eſſentiæ. pag. 283. c. 1.
Diabetis Exempla varia ab Auctoribus relata. ibid. & c. 2.
Diabetis nothi Cauſa ex Hippocrate. ibid. c. 2. & ſeq.
Diabetem Symptomata concomitantia. pag. 285. c. 1.
Diabetis Signa Diagnoſtica, Prognoſtica, & Curatio. ibid. & ſeq.
Diabete affectis cujus naturæ Diuretica conveniant. ibid. c. 2.
Diabetes verus ſolis adſtringentibus curari poteſt. ibid. c. 2.
Diarrhæa eſt immoderata per alvum excretio, frequens diuturna, ſine dolore vehementi, ſine ſanguine, & premitu. pag. 269. c. 2.
Diarrhææ Cauſæ. pag. 210. c. 1. & 2.
Diarrhæa differt à Lienteria, quia in hac Pituita laxat fibras Ventriculi, in illa laxat orificia ductus Colidoci, Pancreatici, & glandularum inteſtinalium. ibid.
Diarrhæa à depravata alimentorum digeſtione non excernit pluſquàm ab Animali aſſumitur, & ideò non eſt vera Diarrhæa. ibid.
Diarrhæa diu perſeverante Ventriculus vitiatur, & quomodo. pag. 211. c. 1.
Diarrhæa ſemper eſt à toto. ibid.
Diarrhæa quare aliquando dicatur eſſe à parte, & nomen recipiat ab illa. ibid. c. 2.
Diarrhæa inter fluxiones eſt recenſenda. pagin. 213. c. 1.
Diarrhææ Differentiæ habentur ab humoris qualitate, & quantitate in excretis excedente. pag. 212. c. 1.
Diarrhææ Signa, Prognoſis, & Curatio. ibid.
Diarrhæa ab humoribus corroſivis qua ratione inteſtina non exulceret eo modo, quo contingit in Dyſenteria. pag. 214. c. 2.
Diarrhæa vexatis Opiata, & Adſtringentia non priùs ſunt adminiſtranda, quàm humores ſint in ſuis vitioſis qualitatibus correcti. pag. 313. c. 2.
Diarrhæa, in qua, quoties ipſa ſupprimebatur, pediculi multi in ægri capite naſcebantur, & quoties renovabatur, evaneſcebant. pag. 210. c. 1. & ſeqq.
Diarrhæa à febris malignitate quibus ſignis dignoſcatur. pag. 214. c. 1.
Diarrhæa ex partu, & ejus Curatio. pag. 219. c. 2.
Diœta pro Curatione Morborum eſt magni facienda; nam juxtà naturam alimentorum ſanguis generatur. pag. 201. c. 1.
Diœtas varianda eſt juxta varias morborum cauſas. pag. 203. c. 1.
Diœta medicamentoſa multùm in Morbis, & febribus prodeſt, ac maximè continentibus. p. 360. c. 1.
Diœta adſtringens. pag. 194. c. 2.
Diœta attemperans acidum acre. pag. 180. c. 2.
Diœta calefaciens. pag. 71. c. 2.
Diœta exſiccans catarrhos. pag. 160. c. 1.
Diœta exſiccans ſe ſola curat Epilepſiam ex Hippocrate. pag. 97. c. 2.
Diœta frigefaciens debetur omnibus morbis à bile. ibid. c. 2.
Diœta facilis digeſtionis, & ſeceſſus. pag. 75. c. 2.
Diœta lactea Tabeſcentibus optimum remedium, & quomodo inſtituenda. pag. 97. c. 2.
Diœta maturans in Inteſtinorum tumorum curatione ex Hippocrate. pag. 251. c. 1.
Diœta tenuis ex ſolo potu, & ſorbitione omnibus inflammationibus conveniens. p. 249. c. 2.
Diœta tenuis, & infrigidans Venerem extinguit. pag. 55. c. 1.
Diœta tenuis exſiccat. pag. 213. c. 2.
Dyſenteriæ ex Hippocrate Deſcriptio. p. 214. c. 1.
Dyſenteria contradiſtinguitur ab omni alio Ventri fluxu per hoc, quod in ipſa exit ſanguis, & exit ab ulcere. pag. 214. c. 1. & 2.
Dyſenteria per quid conveniat cum cœteris alvi fluxibus, & quomodo intelligendus ſit Hippoc. cùm dixit Lienteriam, Dyſenteriam, & Diarrhæam fieri ab iiſdem cauſis, & eſſe eodem modo curandas. p. 215. c. 1. & 1.
Dyſenteriæ Cauſæ. ibid. & ſeq.
Dyſenteriæ Differentiæ, & Signa. p. 215. c. 1.
Dyſenteriæ Prognoſis, & Curatio. pag. 216. c. 1. & 2.
Dyſenteriæ intempeſtiva Curatio graves internos parit morbos. p. 217. c. 2.
Dyſuria eſt mictio, cum ardoris, & doloris ſenſu, & quandoque cum labore, ſed continua, & non interrupta. p. 281. c. 2.
Dyſuriæ duplex cauſa, una in urinæ acrimonia, altera in via malè affecta. ibid.
Dyſuriæ Signa, Prognoſis, & Curatio. pagin. 282. c. 1. & 2.
Dyſpepſia eſt ciborum in pravam qualitatem mutatio vitio illorum depravatæ fermentationis. pag. 188. c. 1.
Dyſpepſiæ cauſæ. ibid.
Dyſpepſiæ Signa, & Curatio. p. 189. c. 1.
Doloris eſſentia, & cauſæ. p. 4. c. 1.
Doloris organum. ibid. c. 2.
Dolor eſt ſymptoma potentiæ ſenſitivæ. ibid. c. 2.
Dolor Capitis eſt triſtis ejuſdem ſenſatio à tangibilibus qualitatibus in ſenſorium ejus agentibus cum ſolutione continui. ibid. c. 2.
Dolor Capitis qua in ejus parte fiat. p. 5. c. 2.
Doloris Capitis Differentiæ ratione locis ex Galeno. ibid.
Doloris Capitis Differentiæ ratione qualitatis ex Hippocrate. ibid.
Doloris Capitis Cauſæ. p. 5. c. 2. & 6. c. 1.
Doloris Capitis cauſarum diverſarum Signa. pagin. 5. c. 2.
Doloris Capitis Signa Prognoſtica. p. 7. c. 2.
Doloris Capitis Medelæ. p. 9. c. 2.
Dolor Capitis potens eſt vigilias, deliria, Phrenitides, Epilepſias, & Apoplexias inducere. p. 16. c. 2.
Dolor Capitis contumaciſſimus à ſanguine fervidiori, & flatulento in arteriis contento cum earum vehementi pulſatione Arteriotimia curatur. p. 9. c. 1.
Dolor Capitis ſuperveniens convaleſcentibus à morbis partium inferiorum, niſi præceſſerit aliqua manifeſta excretio, abſceſſum in Cerebro futurum ſignificat. ibid.
Dolor Cervicis, ſeu Colli, & Inguinum in febri ardenti, ſi illius materia à natura moderetur, abſceſſum in dictis partibus prædicit cum morbi ſolutione, ſin autem non, futuram mortem. p. 374. c. 2.
Dolor Colicus non raro tranſit in Volvulum. pag. 223. c. 2.
Dolor Colicus, ex quo Paralyſis, recipit ſuam cauſam à cerebro. p. 89. c. 1.
Dolor Colicus. Vide Colicus dolor.
Dolor Coxendicis ab humore craſſo. Ejus Signa, & Curatio. p. 158. c. 1.
Dolore Coxendicis affecti, materia priùs ad fluxibilitatem redacta, violenter ſunt purgandi ex Hippocrate. ibid. c. 2.

Dolor

Dolor Coxendicis à bile. Et ejus Curatio. pag. 159. c. 1.
Dolor Coxendicis à ſanguine quomodo fiat; & ejus Curatio. ibid. c. 2.
Dolor in Hæmorrhoidibus à ſanguine ſtagnante, infammante, & putreſcente. p. 221. c. 1. & 2.
Dolor in ea parte, in qua eſt, calorem evocat. p. 243. c. 2.
Dolor ab Antiqui aliquando pro morbo accipitur. p. 271. c. 2.
Duræ matris menbranæ cerebrum circumveſtientis Anatomica deſcriptio. p. 94. c. 1.

E

EMpiema quid ſit, & ejus Cauſæ. p. 128. c. 1.
Empiematis, Signa Diagnoſtica, & Curatio. p. 129. c. 2.
Empiematis perforatio qua arte inſtituenda. p. 131. c. 1.
Empiematis pus in ſiniſtro latere optabile magis, quàm in dextero, & quare ibid.
Empoſtotonos. Vide Contractura.
Epilepſia pendet ab humido excremento in generatione in cerebro collecto, & retento. p. 92. c. 2.
Epilepſia poſt vigeſimum annum niſi paucos invadit, & quare? p. 93. c. 2.
Epilepticis urinæ multæ, & crudæ præter morem, & ſine repletione ſupervenientes morbi imminentem ſignificant acceſſum. ibid.
Epilepſiam duo efficiunt ex Hippocrate, Sanguinis refrigeratio, ac coagulatio; & impeditus ſpirituum animalium in nervos ingreſſus. ibid. c. 2.
Epilepſia frequentiùs corripit affectos in conſtitutionibus Auſtrinis, quam alio tempore; & qua de cauſa. p. 93. c. 2.
Epilepſiæ Cauſa, & Sedes. p. 94. c. 2.
Epilepticis ſanguis refrigeratur in ventriculis cerebri, & quomodo. p. 95. c. 1.
Epilepſiæ cerebri frigefactio effectus eſt, & non cauſa. p. 96. c. 1.
Epilepſiæ motus convulſivi ſunt inſeparabiles, & quomodo excitentur. ibid.
Epilepſia ſenes æſtate non corripiuntur, & quare? ibid. c. 2.
Epilepſia alia per eſſentiam, alia per conſenſum. ibid.
Epilepſiæ imminentis, & præſentis Signa, & Prognoſis ibid.
Epilepſiæ Remedia. p. 97. c. 1.
Epilepſiam ſola Dicæta rectè curari ſancivit Hippocrates, & quali. ibid. c. 2.
Ephæmeram febrim non conſideravit Hippocrates, quia nullius curationis indigens eſt. p. 357. c. 1.
Eriſipelas quid ſit. p. 120. c. 1.
Eriſipelas in Pulmonibus per ſimilitudinem ad verum ſic dictum, quomodo per Hippocratem gignatur. ibid.
Eriſipelatis Pulmonum nothi eſſentia. ibid. c. 2.
Eriſipelatis nothi Pulmonum Prognoſis. p. 123. c. 2.
Eriſipelatis nothi Pulmonum Curatio. p. 124. c. 1.
Eriſipelas Pulmonum alterum, quod eſt impropriè eorum inflammatio, & ejus deſcriptio. p. 121. c. 1.
Eriſipelatis hujuſce Prognoſticum. p. 123. c. 1.
Eriſipelatis ejuſdem Curatio. p. 124. c. 2.
Eriſipelas Pulmonum legitimum; & ejus natura. p. 121. c. 2.
Eriſipelatis legitimi Pulmonum Prognoſis. pagin. 123. c. 2.
Eriſipelatis legitimi Pulmonum Curatio. p. 126. c. 2.
Eriſipelas Pulmonum à cauſa externa, & quo modo inducatur. p. 122. c. 1.
Eriſipelatis hujus Prognoſis. p. 123. c. 2.
Eriſipelatis ejuſdem Curatio. p. 127. c. 2.
Evidentia duplex ex Gaſſendo. p. 32. c. 1.
Excrementa redundantia in Cacochimia juxta proprium colorem ſanguinis colorem alterant. p. 255. c. 1.
Excrementa ad ſanguinem vel tranſmiſſa, vel in eo retenta, cùm habeant diſpoſitionem ad accipiendam naturam fermenti purgantis, evadunt in cauſam Diarrhææ. p. 211. c. 1.

F

FAcultas Locomotiva quid ſit. p. 76. c. 1.
Facultas Locomotiva eſt conjuncta cum potentia electiva animalis, vel ſaltem omninò illi ſubordinata. ibid. c. 2.
Facultas Locomotiva conceſſa eſt tantùm determinatis partibus. ibid. c. 2.
Facultatis Locomotivæ inſtrumenta. Vide Motus.
Fames, ut eſt paſſio Ventriculi, quid ſit. pagin. 175. c. 1.
Fames ab indigentia alimenti non fit per ſuctionem, aut tractionem partium propinquarum à Ventriculo. ibid.
Fames naturalis non eſt deficientia alimenti in toto, ſed ſolùm in Ventriculo. p. 176. c. 2.
Famis naturalis indoles. ibid.
Fames animalis per quid differat à naturali. ibid:
Fames animalis inſurgit ex ſenſu moleſtiæ quæ, in Ventriculo excitatur. ibid.
Fames deficit bile commota. ibid.
Fames ab Acido, & quomodo juxta Antiquos, & Recentiores. ibid.
Fames quomodo per alimentum ſedetur. ibid. c. 2.
Fames quibus de cauſis deficiat. p. 177. c. 1.
Fames Canina quid ſit? p. 178. c. 2.
Fames præternaturalis fit ab acido immoderato in quantitate, & qualitate. p. 179. c. 1.
Fames Canina non fit à ſola bile. ibid.
Fames Canina quare numquam ſedetur. ibid.
Fames Canina quare citò augeatur, & evadat moleſta. ibid.
Famem Caninam quare ſemper comitentur vomitus, Diarrhæa, & Macies. ibid.
Famis Caninæ cauſæ. ibid. c. 2.
Famis Caninæ Signa, Prognoſis, & Curatio. ibid. c. 2.
Faſcinatio triplex Poetica, Phyſica, & Magica. p. 59. c. 1.
Faſcinatio poetica contra Zacutum Luſitanum non dari oſtenditur. ibid. c. 2.
Faſcinatio puerorum per fixum Vetularum intuitum eſt
Faſcinatio Phyſica à vaporibus venenatis ex earum oculis emiſſis, & qua ratione ſuccedat. ibid. c. 2.
Faſcinatio Phyſica eſt quæ fit per cauſas neutrales, & impropriè dicitur Faſcinatio. ibid.
Faſcinatio Magica, ſeu Dæmoniaca datur, & quomodo. p. 60. c. 2.
Faſcinationis amatoriæ Signa, Curatio. pagin. 61. c. 1.
Febris omnis fit à bile; & quomodo hoc intelligendum. p. 357. c. 1.
Febris Continens eſt Febris continua magna ſine acceſſione, & remiſſione, & per quid differat à febribus continuis vehementibus. p. 357. c. 1.
Febris continentis Cauſa eſt in maſſa ſanguinea, & ſemper eſt in actu operandi, & eodem modo operandi. ibid.
Febris Continens quomodo generetur. pagin. 357. c. 2.
Febris Continentis Signa, & Differentiæ. ibid. c. 2.
Febris Continentis Signa Prognoſtica. p. 358. c. 1. & 2.
Febris Continentis Curatio. p. 359. c. 1.
Febris Continens ſæpiſſimè per ſudorem definit. ibid.
Febri Continente laborantibus cur vinum aquoſum concedat Hippocrates. ibid.
Febris continentis ſpecies altera, & ejus Curatio. pag. 360. c. 2.
Febris Quotidianæ Cauſa eſt bilis infeſtans, ſed in minori copia, quam in continente. ibid. c. 2.
Febris continuæ Signa, & Prognoſtica. p. 361 c. 1. & 2.
Febris Continuæ Curatio. ibid. c. 2.
Febribus in principio inutilis, & ſuperflua eſt quælibet purgatio. ibid. c. 2.
Febris Quotidianæ ardentis deſcriptio. ibid.
Febres, in quibus externa frigent, & interna uruntur non ſunt verè malignæ, ſed ardentes. p. 362. c. 1. & 2.
Febris ardentis ſedes in partibus eſt circa Pulmones, Cor, & Mediaſtinum. p. 363. c. 2.

Febres ardentes cum ardore interno, & frigore externo, pulſu exili, & parvo habent ſecum conjunctam inflammationem. p. 364. c. 1.
Febris ardentis Curatio, ibid.
Febris ardens aliquando poteſt tranſire in Peripneumonia, & quomodo. p. 363. c. 1.
Febris ardentis variæ ſpecies, earum Signa, & Curationes. ibid. & ſeq.
Febris ardentes qua ratione in corpore emaciato ſine humorum redundantia accendi poſſit. p. 363. c. 2.
Febris ardens in corpore emaciato facilè poteſt in Hecticam tranſire. ibid. c. 2.
Febre non cedente in gracili corpore apta inſtituta cibatione, ſignum habetur illam non à gracilitate pendere, ſed ab humoribus pravis, quibus debetur purgatio. p. 364. c. 1. & 2.
Febris ardens quomodo aliquando à Phlogoſi Hepatis proveniat. ibid. c. 2.
Febris ardens ſub nomine Typhos, & morbi craſſi ab Hippocrate deſcripta in libro de intern. affect. pag. 369. c. 2.
Febris ardens Typhos diſtinguitur ab aliis ardentibus; quia huic conjungitur manuum, & crurum ad motum, & oculorum ad viſum impotentia, unde etiam dicitur Morbus attonitus. ibid.
Febris ardentis Typhos, & ejus ſymptomatum Cauſæ. ibid. c. 2.
Febre ardentis Typhos correpti cur morituri videant, & acutiùs, ac audacter loquantur. ibid.
Febris ardenti Typhos Curatio. ibid. c. 2.
Febri ardenti Typhos laborantibus viribus debilibus vinum nigrum auſterum non exiſtente magno æſtu in Ventriculo concedit Hippocrates, magno verò æſtu exiſtente vinum album ſubſtituit. ibid.
Febris ardentis Typhos ſpecies altera à Tertiana, aut Quartana oborta. Ejus Cauſæ, & Remedia. ibid. c. 2.
Febris malignæ Deſcriptio. p. 366. c. 2.
Febris vera maligna per Signa exerna lenitatem, & benignitatem exprimit, intus verò vehementiam, & ſævitiam fovet. ibid.
Febris malignæ Cauſæ, & Signa, ibid. & ſeq.
Febris maligna cur calorem exhibeat blandum, & pulſum faciat parvum, & debilem. ibid. c. 2.
Febris Malignæ Curatio. ibid. c. 2.
Febris Tertianæ eſſentia, & ejus Signa Pathognomica. ibid. c. 2.
Febris Tertianæ Cauſæ tùm internæ, tùm externæ. ibid. & ſeq.
Febrim Tertianam fieri ab humore ad Ventriculum translato fixato, & depravato præcipuè ad glandulas Tunicæ villoſæ, probabile videtur. p. 367. c. 1.
Febres aliquæ intermittentes ab humore in maſſa ſanguinea permanente ab Hippocrate recenſentur. ibid.
Febris Tertianæ Curatio. ibid. c. 2. & ſeq.
Febris Tertiana quando mutetur in Quartanam. p. 368. c. 2.
Febris quartanæ Indoles, Cauſæ, & Curatio. ibid. c. 2.
Febri quartanæ ex alio morbo advenienti non conveniunt vomitoria, & qua de cauſa. p. 369. c. 2.
Febris quomodo naſcatur ab humore in aliqua parte excitante dolorem. p. 243. c. 1.
Febris quomodo per Seri redundantiam accendatur. p. 370. c. 2.
Febris cum Hippocondriaca ſuffocatione Natura, Signa, Cauſæ, & Curatio. p. 372. c. 2.
Febris acutæ horrendis ſtipatæ ſymptomatibus, quæ quatuordecim diebus judicatur, Deſcriptio, Cauſæ, & Curatio. p. 372. c. 2. ſeq.
Febribus magnis cum æſtu, & fervore maſſæ ſanguineæ poſt purgantia exhibenda ſunt refrigerantia. p. 237. c. 2.
Febris in Lyenis inflammatione primum aucta progrediente morbo remittit, calore tamen perſeverante in ipſa parte affecta, & quare. p. 236. c. 2.
Febribus omnibus longis convenit purgatio in acceſſione. p. 368. c. 1.
Febrifuga ſunt uſurpanda in principio præmiſſo ſolùm purgante, ſi opus ſit, & quia. p. 368. c. 1.
Fermentatio eſt motus inteſtinus particularum componentium mixtum. p. 185. c. 2.
Fermentum Ventriculo à natura conceſſum aſſumpta diſſolvit. ibid.
Fermentum Ventriculi acido ſalinum neceſſarium ad alimenti coctionem. ibid. c. 2.
Fermentum Ventriculi in omni animalium ſpecie eſt ſpecificè diverſum. p. 186. c. 2.
Fermentum digeſtivum alimentorum non eſt illis ſimile. ibid. c. 2.
Fermentum Ventriculi à ſua deficiens volatilitate alimentorum vitiat coctionem. p. 187. c. 1.
Fermentum acidum Ventriculi longo antiſcorbuticorum uſu enervatur. p. 261. c. 1.
Fermentum contagioſum, & virulentum neceſſe eſt, ut ſit volatile, ut agat; nam corpora, quibus communicatur, non poteſt in ſui naturam convertere, niſi particulas habeat ſummè mobiles, & volatiles. p. 266. c. 2.
Fibræ tendinoſæ origo differt ab origine Nervi p. 78. c. 1.
Flatus nomine quid intelligendum? p. 199. c. 1.
Flatus quomodo generetur? ibid.
Fluxio quæque importat partem mandantem, & partem recipientem. p. 156. c. 1.
Fluxiones, & alii morbi ab humoris feroſi ſegregatione per ſanguinis coagulationem gignuntur. p. 96. c. 1.
Fluxiones, ſeu deſtillationes à capite ab Opiatis moderantur. p. 157. c. 1.
Fluxus Hæmorrhoidum eſt copioſa, & præternaturalis ejectio ſanguinis per venas Hæmorrhoidales. p. 220. c. 1.
Fluxus Hæmorrhoidalis non eſt præternaturalis in quacumque copia. ibid.
Fluxus Hæmorrhoidalis præcipua cauſa eſt incaleſcentia ſanguinis cum plenitudine in venis recti Inteſtini. ibid. c. 2.
Fluxum Hæmorrhoidum actu excitat fecum exeuntium compreſſio. ibid. c. 2.
Fluxus Hæmorrhoidalis ut plurimùm contingit Lyenoſis, & Hypocondriacis, & quare. p. 221. c. 1.
Fluxus Hæmorrhoidalis Cauſæ. ibid.
Fluxus Hæmorrhoidalis Prognoſis, & Curatio. ibid. c. 2.
Fluxus Hæmorrhoidalis immoderatus ſanguinis miſſionem indicat à partibus ſuperioribus. pagin. 222. c. 1.
Fluxus Menſium Muliebris poſt ſuppreſſam ejus excretionem per aliquos menſes, etiamſi copioſus ſit, dummodo correſpondeat quantitati ſanguinis retenti anteactis menſibus, eſt evacuatio naturalis, ideòque non impedienda. p. 297. c. 1.
Fluxus Menſium ab Utero Mulieris immoderati Cauſæ, & Symptomata. p. 309. c. 1.
Fluxus Menſium immoderatus quibus præſidiis curandus. p. 303. c. 2.
Fluxus Menſium albus in Muliere à duplici cauſa oriri poteſt. p. 316. c. 2.
Fluxus Menſium albus libidinem in Muliere extinguit. ibid.
Fluxus Muliebris albi Deſcriptio, & Curatio. p. 325. c. 1.
Fluxus Muliebris albus ægra debili exiſtente ſolo Lactis uſu curandus eſt. ibid. c. 2.
Fluxus Muliebris albus faciliùs accidit Senioribus, quàm Junioribus. p. 332. c. 1.
Fluxus Muliebris albi ex Uturi Vitio, Symptomata, & Curatio. p. 333. c. 1.
Fluxus Muliebris albus quomodo diſtinguatur à Gonorrhæa. p. 297. c. 2.
Fluxus Muliebris albi à toto Cauſæ, Signa, & Curatio. ibid.
Fluxus Muliebris albus feroſus ad modum urinæ ovillæ eſt à Cacochimia feroſa. p. 338. c. 1.
Fluxus Muliebris albi feroſi Symptomata, & Curatio. ibid. c. 2.
Fluxus Muliebris flavi Symptomata, & Curatio. pag. 336. c. 2.
Fluxus Muliebris flavus, ſi temperamentum ægræ fuerit

rit bilioſum, & nullum appareat ſignum Uteri vitiati, à toto derivat, aliter ab Uteri vitio dependet. ibid.
Fluxus Muliebris ſubluteus à bile vitellina, & ſero originem trahit. p. 337. c. 2.
Fluxus Muliebris ſublutei Symptomata, & Curatio. ibid. c. 2.
Fluxus Muliebris luteus per quid diſtinguatur à ſubluteo. p. 339. c. 1.
Fluxus Muliebris lutei Cauſæ, & Curatio, ibid. & ſeq.
Fluxus Muliebris ferè albi velut à carnibus aſſatis Cauſæ, & Curatio. ibid. c. 2.
Fluxus Muliebris ſanioſus, ubi quid de fœtu dilaniatum fuit, aut in abortu, aut in partu. p. 341. c. 1.
Fluxus Muliebris ſanioſi Cauſæ, Symptomata, & Curatio. ibid. c. 2.
Fluxus ſanguinis ab Utero Muliebribus juvenibus ut plurimùm accidit. p. 332. c. 1.
Fluxus ſanguinis ab Utero ligatura impeditur, & qua arte ſit hæc facienda. p. 333. c. 2.
Fluxus ſanguinis, ſeu ferè ſub forma ſanguinis ex Utero in Mulieribus à partu Symptomata, Cauſæ, & Curatio. ibid.
Fluxus ſanguinis nimius per Uterum à partu Cachexiam inducit. ibid. c. 2.
Fluxus ſanguinis vitio Uteri à partu Signa, Cauſæ, & Curatio, p. 334. c. 2.
Fluxus ſanguinis rutilantis, & ſummè calidi in Mulieribus à partu Cauſæ, Signa, & Curatio. pag. 335. c. 1.
Fluxus ſanguinis ab articulis per Uterum ex partu ab Hippocrate relatus quomodo ſuccedat. ibid. c. 2.
Fluxus ſanguinis ab articulis per Uterum fieri dicitur non ratione partis, ſed ratione materiæ. ibid.
Fluxus ſanguinis ab articuli per Uterum Cauſæ, & Curatio. ibid.
Fœtus exeuntis vitioſa ſituatio, & quomodo arte corrigenda. p. 330. c. 1.
Fœtus mortui Signa. ibid. c. 2.
Fœtus mortui extrahendi modus. ibid. c. 2.
Frigida externa valent ad moderandam internam caloris intenſionem abſque noxa, ſi ritè applicentur. p. 126. c. 2.
Frigus Ulceribus inimicum. p. 149. c. 1.
Frigus nervos, & nervoſas partes graviter lædit. p. 159. c. 1.
Fructus horarii facilimè choleram pariunt. p. 204. c. 1.
Furor eamdem habet Cauſam, quam habet ira. p. 52. c. 1.
Furor Uterinus quid ſit. p. 53. c. 1.
Furoris Uterini Sedes, & Cauſæ. p. 54. c. 2.
Furoris Uterini Signa, Prognoſis, & Curatio. p. 55. c. 1.

G

Gallica Lues, & ejus varia nomina. p. 265. c. 2.
Gallica Lues ab Antiquis Scabies craſſa appellata fuit. p. 266. c. 1.
Gallica Lues à pleriſque Antiquis ignota creditur, ibid.
Gallicæ Luis Deſcriptio. ibid. c. 2.
Gallicæ Luis Sedes. ibid.
Gallicæ Luis fermentum acidum coagulativum, mox corroſivum unitur. ibid.
Gallica Lue quare raro Meretrices inficiantur etſi cum viris infectis rem habuerint. p. 267. c. 1.
Gallicæ Luis fermentum dicitur virulentum, quia veneni inſtar à pudendis primò infectis occultè ſerpit per omnem fluidorum ſubſtantiam, deinde per partes ſolidas, & omnia inficit. p. 266. c. 2.
Gallica Lues viris à Mulieribus, & Mulieribus à viris per contactum in actu venereo communicatur, & quomodo. ibid.
Gallica Lues etiam citra coitum per oſcula, per mammarum ſuctionem, per earumdem veſtium, & ejuſdem Cyathi, & ſimilium uſum ab uno ad alium diffunditur, quapropter verè contagioſa eſt. ibid.
Gallicæ Luis fermentum licèt acidum, & volatile, ſi cum alkalicis volatilibus ſanguinis particulis uniatur, coagulatur, & craſſum, & lentum efficit ſanguinem, quo pacto ſpiritus vini, & urinæ ambo volatiles mixti in unam offam concreſcunt. ibid.
Gallicæ Luis fermentum acidum differt valdè à natura aliorum acidorum, cùm à remediis, quibus alia acida perimuntur, non enervetur, ſed tantùm à ſpecificis. p. 267. c. 2.
Gallica Lues cur per multos annos aliquando lateat. ibid. c. 2. & ſeq.
Gallica Lue affectis purgantia non conveniunt, niſi apparente Cacochimia. ibid.
Gallicæ Luis præcipuum Remedium Mercurius, & ex eo parata medicamenta. ibid.
Genitura aliquando accipitur pro partibus genitalibus tàm maſculi, quàm fœminæ. p. 316. c. 1.
Glaciata corpora frigida immerſa, mox radio ſolari expoſita naturalem texturam conſervant, non ita ſi igni primùm exponantur, & quare. p. 13. c. 2.
Glandulæ aliæ donantur vaſe excretorio lymphatico, aliæ orificio tantùm excretorio. p. 154. c. 1.
Glandulæ excretorio vaſe deferente carentes, & orificio ſolùm donatæ Catarrhi ſunt origo. ibid.
Glandulæ ſunt Sedes, & origo lymphæ. ibid.
Glandula Pituitaria communicationem habet cum vena jugulari, & quomodo. p. 153. c. 2.
Gonorrhææ Gallicæ Curatio. p. 268. c. 2.
Honorrhæa affecti cur dum mingunt, urinæ ardore tententur. p. 282. c. 1.
Granum Cnidium eſt ſemen Tymeleæ. p. 127. c. 1.
Gravidarum Symptomata, & horum ratio. p. 319. c. 1.
Gravidarum Symptomata, ac eorum ſedatio. p. 317. c. 2.
Groſſi ſunt primæ Ficus tamquam flores à planta erumpentes. p. 298. c. 2.

H

Hemicrania eſt dolor medietatis Capitis juxta diviſionem factam à ſutura ſagittali, vel à falce Cerebrum dividente. p. 5. c. 2.
Hemina menſura ponderans uncias novem. p. 306. c. 2.
Hemilplagia quid ſit. p. 86. c. 2.
Hæmorrhois quid ſignificet. p. 149. c. 2.
Hæmorrhoidales venæ datæ à Natura Animali, ut per has excretio ſanguinis, vel ſuperflui, vel vitioſi perficiatur. p. 220. c. 1.
Hæmorrhoidales venæ in nimio ſanguinis fluxu dehiſcentes ſunt curandæ una tantùm aperta relicta ex Hippocrate, & quomodo ſit conſilium hoc intelligendum. p. 221. c. 2.
Hæmorrhoidum fluxu laborantibus purgatio, non convenit. p. 222. c. 1.
Hæmorrhoides. Vide Fluxus Hæmorroidum.
Hæpatis Abſceſſus quomodo per vomitum purgari poteſt. p. 305. c. 2.
Hepatis Calor non incraſſat humores in vaſis Hypocondriorum contra Antiquos. p. 245. c. 1.
Hepatis dolor à bile acri copioſa in ipſo collecta. p. 246. c. 2.
Hepatis doloris Symptomata, & ratio eorum productionis. ibid.
Hepatis doloris Prognoſis, & Curatio. ibid.
Hepatis doloris Curationem cur exordiatur Hippocrates à Diæta, poſtmodum tranſeat ad purgationem. p. 244. c. 2.
Hepatis dolori contumaci ſanguinis miſſio convenit, & qua de cauſa. p. 248. c. 1.
Hepatis Inflammatio in parte ſuperiori, qua connectitur Diaphragmati per ſua Signa deſcribitur, & ejus Curatio inſtituitur. p. 248. c. 2.
Hepatis Inflammatio; ejus Signa, & Cauſæ. p. 244. c. 1.
Hepatis inflammatio ſit ab atra bile. ibid.
Hepatis Inflammatio aliquando ab incautis Medicis pro Pleuritide accipitur. ibid.
Hepate inflammato unde dolor acutus, cum Hepar ſit obtuſi ſenſus. ibid.
Hippochais eſt herba purgans bilem, & pituitam. pag. 257. c. 1.
Hippocrates cognovit humorem à ſanguinis maſſa ad Ventriculum deferi, & ibi alimenta concoquere. p. 286. c. 1.

Hip.

Hippocrates fermentum ciborum in Ventriculo expreſsè admiſſit. ibid. c. 2.
Hyatides, ſeu Veſſiculæ in Uterum erumpentes ex dilatatione Vaſorum lymphaticorum diſruptæ Hydropem Uteri faciunt, p. 291. c. 2.
Hyatides in Meſſenterio non diſruptæ Tympanitem, ruptæ Anaſarcam pariunt, p. 279. c. 1.
Hydrophobia. Vide Rabies.
Hydrops idem eſt ac latinis Aqua intercus. p. 264. c. 2.
Hydrops triplex. ibid.
Hydrops Hyatidibus, ſeu Tuberculis quomodo fiat. p. 270. c. 1.
Hydrops Aſcites à colliquatione quomodo producatur. Ejus Cauſæ, & Signa. p. 269. c. 2.
Hydropis Aſcitis Signa. p. 270. c. 2.
Hydropis Aſcitis Cauſæ. ibid.
Hydropis Acitis Prognoſtica. p. 272. c. 1.
Hydropis Aſcitis Curatio. ibid. c. 2.
Hydropicorum Aquæ cauſa Chylus eſt, & qua ratione. p. 271. c. 1.
Hydrops Aſcites duplex, unus in quo corpus ægri extenuatur ventre excepto, alter in quo corpus totum intumeſcit, & horum diverſa ratio. ibid. c. 2.
Hydropicis aliquibus cur cibi videantur odorem reſſere Cucumeris agreſtis. ibid.
Hydrops Acites incipiens à pedum tumore à qua cauſa ortum nanciſcatur. p. 272. c. 2.
Hydropi Aſciti à Colliquatione bis in die partita convenit purgatio, & quare. p. 273. c. 1.
Hydrops Aſcites à Lymphaticorum ruptura ſolo Granatorum eſu, & eorumdem vini potu curatus, & qua de cauſa. ibid. c. 2.
Hydropi Aſciti Vulneraria diurectica conveniunt. ibid.
Hydrope Aſcite laborantibus numquam ſanguis mittendus, niſi difficulter ſpiraverint in tempore æſtivo. ibid.
Hydropis Pulmonum Eſſentia, Cauſæ, & Signa. p. 142. c. 2.
Hydrops Pulmonum alvi fluxu ſublevata deterior redit. p. 143. c. 1.
Hydropis Pulmonum Prognoſis, & Curatio, ibid.
Hydropis Uteri in prægnantibus Signa, Cauſæ, & Curatio. p. 301. c. 1.
Hydrops Uteri poſt Abortum quomodo generetur, & quibus remediis curari debeat. ibid. c. 2.
Hydropis Uteri deſcriptiones aliæ, & Curationes. p. 328. c. 1.
Hydrophobia. Vide Rabies.
Hypocondriaci qua de cauſa in vigilias incidant. p. 16. c. 2.
Hypocondriacæ Melancholiæ ex Hippocrare deſcriptio. p. 38. c. 2.
Hypocondriaca Melancolia affecti cur tenebras ament. ibid.
Hypocondrica Melancolia quid ſit. p. 40. c. 1.
Hypocondriacæ Melancoliæ Cauſæ immediatæ ex Hippocrate. ibid.
Hypocondriacæ Melancoliæ Symptomata; & quomodo producantur. p. 41. c. 1.
Hypocondriacæ Melancoliæ Cauſæ remotæ, & externæ. p. 42. c. 1.
Hypocondriacæ Melancoliæ Signa, Prognoſis, & Curatio. p. 42. c. 2.
Hypocondriaca Melancolia afflicti non mediocriter purgandi, ſed vel leniter, vel fortiter, & qua de cauſa. p. 43. c. 1.
Hypocondriaca Melancolia afflicti purgandi per vomitum, & quare. ibid.
Hypocondriacus Affectus per quid diſtet à Melancolia Hypocondriaca. p. 44. c. 2.
Hypocondriaci Affectus Sedes eſt Ventriculus; Cauſa verò Acidum acre fermenteſcens. ibid.
Hypocondriaci Affectus Prognoſis, & Curatio. p. 46. c. 1.
Hypocondriacis Caput purgandum, & quia. ibid. c. 2.
Hypocondtiacus Affectus alius à Bile, pagin. 47. c. 1.
Hypocondriaci Affectus à Bile Symptomata. ibid. c. 2.
Hypocondriaci Affectus à Bile Diagnoſis, & Curatio. p. 48. c. 1. & 2.
Hypocondriaci omnes non eodem modo curandi. p. 49. c. 1.
Hypocondriacus Affectus alius ab alterata conſuetudine cibum capiendi; & ejus Medela. ibid. c. 2.
Hyſtericæ Paſſionis, & ejus Symptomatum Delineatio. p. 290. c. 1. & 2.
Hyſtericæ Paſſionis Cauſa Sanguis copioſius ad Pulmones irruens. ibid.
Hyſtericæ Paſſiones cum Villi ſunt motus convulſivi in nervis infimi ventris, & medii excitati à pravis vaporibus ab Utero elevatis cauſa ſanguinis in ea à nimium redundantis, ac efferveſcentis. ibid. c. 2.
Hyſtericæ Paſſionis Curatio. ibid.
Hyſterica Paſſio à bile purgationem indicat. p. 300. c. 2.
Hyſterica Paſſio per quid diſconveniat, & conveniat cum Affectione Hypocondriaca. p. 302. c. 2.
Hyſterica Paſſio nullis præcedentibus Signis corripiens Seniores faciliùs, quàm Juniores aggreditur, & qua de cauſa. p. 309. c. 2.
Hyſterica Paſſio quomodo aliquando producatur ab exinanitione vaſorum Uteri, à longa totius evacuatione, & labore. ibid. c. 2.
Hyſterica Paſſio quomodo ſuccedat. p. 310. c. 1. & 2.
Hyſterica Paſſio in Prægnentibus eſt ut plurimùm ab inædia, & labore. p. 318. c. 2. & ſeq.
Hyſtericæ Paſſionis caput præcipuè lædentis Signa, & Curatio. p. 342. c. 1.
Hyſtericæ Paſſionis Cor principaliter afficientis Signa Cauſæ, & Curatio. ibid.
Hyſtericæ Paſſionis Hypocondria quam maximè affligentis Signa, Cauſæ, & Curatio. p. 343. c. 2.
Hyſtericæ Paſſionis Pulmones, & partes ſpirirales primario opprimentis Symptomata, Cauſæ, & Curatio. p. 344. c. 1.
Hyſtericæ Paſſionis Hepar graviter vexantis Symptomata, Cauſæ, & Curatio. ibid.
Hyſtericæ Paſſionis ab Uteri tumore Signa & tumoris cauſæ; & quid ab Hippocrate per tumorem Uteri in hac affectione intelligatur; ac denique ejus Curatio. ibid. & ſeq.
Hyſtericas Paſſiones curat Hippocrates purgatione, & vomitu, non ſanguinis miſſione, quæ adeò frequenter, & abundanter à Medicis noſtris temporis uſurpatur. Et qua ratione. p. 345. c. 2.
Hyſterica Paſſione Affectis plerumque Hippocrates ſanguinem educit ab Utero, non, ut præſentium Medicorum mos eſt, à pede, aut brachio; & quia. p. 346. c. 1.
Humores à Diaphragmate quomodo per tuſſim expurgentur. p. 69. c. 1.
Humores acres, vel craſſi copioſius in capite cumulati, aut aliunde ad ipſum irruentes Apoplexiam pariunt. p. 79. c. 1.
Humores aliquam ſedem occupare eſt idem, ac in aliqua parte figi, & coagulari. p. 112. c. 1.
Humores ad aliquam partem confluentes evacuandi ſunt tantùm ſedata fluxione; & quomodo hoc intelligendum ſit. p. 157. c. 1.
Humores in partes defluxi, ſi condenſentur, illius motum quidem impedire, dolorem verò nequeunt excitare, niſi qualitatem irritantem conjunctam habeant. p. 157. c. 1.
Humores acres Pylorum vellicando Lienteriam pariunt. p. 208. c. 1.
Humores in Hepate contentos diſrumpi, & delirium parere ex Hippocrate, quomodo ſit intelligendum. p. 248. c. 2.
Humores ad modum bilis agentes dicuntur bilis eò, quia in actione ſunt bili ſimiles. p. 357. c. 1.
Humores acres quantitate excedentes, & præcipuè ſeroſi potiùs purgandi, quàm attemperandi ſunt. p. 168. c. 2.
Humorum coagulationes ſunt ferè naturales in Scroto. p. 256. c. 2.

Icterus

I

ICterus eſt decoloratio præternaturalis totius corporis in flavum fuſcum, ſeu nigrum, & pallidum. p. 249. c. 2
Icterus triplex; & ejus Cauſæ. ibid.
Ictero laborantes cur fœces cum pallore albicantes excernant. p. 250. c. 1.
Icterus ut plurimùm eſt ab obſtructione Ductus Cholidoci. ibid.
Ictero febris acuta ſuperveniens minatur mortem intra quatuordecim dies, & qua ratione. p. 250. c. 2.
Ictericorum fœces malè olentes ſignum lethale. ibid.
Icteri Prognoſis, & Curatio. ibid. & ſeq.
Icteri ab impedita perfecta bilis ſeparatione à ſanguine Deſcriptio, Cauſæ, & Curatio. p. 251. c. 2. & ſeq.
Icterus niger eſt à ſanguine melancolico in cute coagulato. p. 253. c. 1.
Icterum nigrum efficientis humoris origo, & Sedes, ac ejuſdem nigredinis, ac coagulationis cauſa. ibid. c. 1. & 2.
Icteri flavi, & nigri per aliquos eadem eſt Cauſa, nempè obſtructio Ductus Cholidoci, non eadem tamen materies, quia Icterus flavus eſt à bile ſincera, niger verò à bile acido exuberanti denigrata. p. 254. c. 1.
Icterus albus ſub alia morbi cathegoria reponitur à pleriſque Medicis. p. 255. c. 1.
Icterus albus fit à Pituita, & per quid diſtinguatur ab aliis morbis, in quibus color albus invenitur. ibid.
Icteri albi, Signa, Prognoſis, & Curatio. ibid. c. 2.
Icterum omnem eſſe à vitio Lyenis à pluribus affirmatur, & quo fundamento. p. 239. c. 1.
Iliacus dolor eſt inflammatio Inteſtini Ilei. pag. 223. col. 1.
Iliaco dolore affectis venter ſuperior caleſcit, & inferior frigeſcit. ibid.
Iliaci doloris Cauſæ. ibid. c. 2.
Iliacus dolor numquam eſt verè talis, niſi febris adveniat. ibid.
Iliaci doloris Sedes eſt extremitas Ilei circà Cæcum inteſtinum in principio Coli. ibid.
Iliaco dolore afflictis motus inteſtinorum periſtalticus invertitur, & quia. p. 224. c. 1.
Iliaci doloris Signa, & Prognoſis. ibid. c. 2.
Iliaci doloris Curatio. ibid. c. 2.
Iliaco dolore vexati primùm ex Hippocrate purgandi ſunt, & quare. ibid.
Iliaco dolore urgente mittendus eſt ſanguis à capite, & Cubitis in copia, & qua ratione. ibid.
Imaginatio quid ſit ex Ariſtotele. p. 27. c. 2.
Imaginationis exercitium duplex eſt. ibid.
Imaginationis definitio ex Ariſtotele convenit cum definitione Recentiorum, & probatur. ibid. c. 2.
Imaginatio, & Phantaſia conſiderant ſolùm Phantaſmata tamquam imagines rerum, quarum ipſis fit repræſentatio, ex qua ſimplex objecti oritur Apprehenſio. p. 28. c. 2.
Imaginatio, & Phantaſia non ſunt erroris capaces; neque nos unquam decipiunt, & quare. ibidem col. 2.
Inappetentia ciborum. p. 177. c. 1.
Inappetentiæ variæ Differentiæ. ibid. c. 2.
Inappetentiæ Cauſæ, Signa, & Curatio. pag. 178. col. 2.
Incontinentia urinæ eſt involuntaria urinæ emiſſio. p. 286. c. 1.
Incontinentia urinæ fit veſicæ Sphinctere reſoluto. ibidem c. 1.
Incontinentiæ urinæ Prognoſis, & Curatio. ibidem col. 2.
Incubus morbus ortus primò, ut creditur, tempore Tiberii Imperatoris quid ſit. pagina 162. collumna 1.
Incubi Subjectum, & Cauſa. ibid. c. 2.
Incubi Signa, Prognoſis, & Curatio. pagina 163. col. 1.
Incubo correpti cur motum amittant; ibid.
Incubo affecti quomodo per ſomnium putent ab incubente homine premi. ibid.
Indigentia cibi in Vegetabilibus eſt eorum fames. pag. 175. c. 1.
Inflammatio fit quando ſanguis in aliqua parte ſtagnat, & circulationis motum amittit. pagina 66. col. 2.
Inflammatione facta repellentia non ſunt uſurpanda. p. 111. c. 1.
Inflammatio ex omnium conſenſu triplicis tantùm eſt generis. ibid. c. 1.
Inflammationis Hepatis Symptomata, & quomodo accidant. p. 224. c. 1.
Inflammationis Hepatis Signa, Prognoſis, & Curatio. p. 245. c. 1.
Inflammatio Hepatis, & Pleuritis per quid diſtinguantur. ibid.
Inflammationi Hepatis miſſio ſanguinis convenit. ibid. c. 2. & ſeq.
Inflammatio Hepatis. Vide Hepar.
Inflammatio Veſicæ urinam ſupprimit, pag. 282. columna 2.
Inſomnium depravatum non eſt ſemper ſignum infallibile Cerebri affecti. p. 163. c. 1.
Inſomnia quomodo juxtà motus etiam naturales depravata excitentur. ibid.
Intellectus quid ſit. p. 31. c. 1.
Intellectus non eſt quid diſtinctum realiter ab anima. ibid.
Intellectus per quid differat ab Imaginatione, & Phantaſia. ibid.
Intellectus objectum quodnam, & quomodo circa illud verſetur. ibid. c. 2.
Intellectus duplex. ibid.
Intellectio eſt actus intellectus, & duo involvit. pag. 32. c. 2.
Intellectus Phantaſmata ſpeculatur, & quomodo. ibid. col. 2.
Intellectus tres habet tantùm operationes. ibid.
Intellectus errantis Cauſa eſt inadvertentia. p. 33. c. 1.
Intellectus per diſcurſum obtinet alias cognitiones ab illis, quæ pendent à ſenſibus. ibid. c. 2.
Inteſtinorum motus periſtalticus naturalis incipit à ſuperiori parte, & tendit ad inferiora. p. 223. c. 1.
Inteſtinorum Contorſio, & Circumvolutio in Volvulo habetur pro fabuloſa. ibid.
Inteſtini Coli Situatio. p. 225. c. 2.
Inteſtina quomodo ſuam virtutem elaſticam amittant in contractione ſpaſmodica. pagina 278. collumna 2.
Iſcuriæ Deſcriptio, & per quid diſtinguatur à ſuppreſſione, quæ fit vitio Renum. pagina 282. columna 2.
Iſcuriæ Cauſæ. p. 282. c. 1.
Iſcuriæ Signa Diagnoſtica, & Curatio. pag. 283. col. 2.

L

LAbor nimius poteſt Hydropem cauſare. p. 327. c. 1.
Lac quomodo generetur. p. 332. c. 1.
Lac eſt inſigne dulcificativum, & modificativum cujuſlibet acris. p. 43. c. 2.
Lac Aſininum magis purgat, quàm aliud Lac. pag. 137. col. 2.
Lac Aſininum ad purgandum erudum ſtomaco robuſto, coctum debili convenit. p. 206. c. 2.
Lac Aſininum Hypocondriacis utile ex Hippocrate, & quomodo. p. 43. c. 2.
Lac Bubulum ſanguini tribuit conſiſtentiam, & moderatam viſciditatem. p. 140. c. 1.
Lac coctum magis purgat, quàm crudum. pag. 138. col. 1.
Lac tempore Veris magis ſolvit alvum, quàm nutriat; Æſtate verò, & Autumno magis nutrit, & minus alvum ſubducit. pagina 138. collumna 1.
Lac coagulatur mixtione fruſtulorum Lyenis, non aliter, ac ab acido. p. 239. c. 2.

Lac Hypocondriacis non ad æſtum attemperandum, ſed ad correctionem acidi fermenti propinatur. p. 46. c. 2.
Lac, & Serum exhibenda Hypocondriacis Vere, & Autumno per duos Menſes. ibid.
Lac in Cacochimia ſeroſa eſt per utile. pag. 108. col. 1.
Lac in humorum redundantia communiter noxium cenſetur. p. 134. c. 1.
Lac, quibus magna ſanguinis facta eſt egeſtio, non ſtatim adminiſtrandum, & quare. p. 152. c. 2.
Lac Scorbuticis quomodo exhibendum. pagina 261. col. 1.
Lac Mulieribus ſuffocationibus Hypocondriaco Hyſtericis ſubjectis convenit, dummodo non ſint lyenoſæ à nativitate, non ſint exangues, & decolores, ac morbos non habeant à juventute familiares. Et quare. p. 344. c. 1.
Lacte alvum non amplius movente, minuendæ ejus copia, quia tunc, ut alimentum exhibetur. pagina 138. c. 2.
Lacte utentes non priùs cibandi, quàm Lac, vel in alimentum tranſierit, vel per purgationem ſeceſſerit. p. 263. c. 1.
Lactis exhibendi regulæ. p. 138. c. 1.
Lapides in Cerebro geniti, & membranis ejus adhærentes, atque ſua aſperitate maximum Capitis dolorem efficientes. p. 344. c. 1.
Lateris dolor aſcendens, & deſcendens qua arte curandus. p. 119. c. 1.
Letargus, & ejus eſſentia. p. 69. c. 1.
Letargus eſt Cerebri paſſio; & fit cum Cerebrum frigidis humoribus repletum eſt. ibid. c. 2.
Lethargus febrim habet conjunctam, & quomodo. ibid. c. 2.
Lethargus per conſenſum à Pulmonibus fit materia in ipſis exiſtente, & putreſcente, non à Cerebro in ipſos ſenſim delata. ibid. c. 2.
Lethargi Cauſæ. ibid.
Lethargi Signa, Prognoſis, & Curatio. pagina 71. col. 1.
Lethargo auferendo tutior eſt purgatio, quam ſanguinis miſſio. ibid. c. 2.
Leucoflegmatica. Vide Anaſarca.
Ligaturæ quomodo ſanguinis fluxum coerceant, & qua arte faciendæ. p. 333. c. 2.
Lyen fermentum acidum volatile inſitum habet. pag. 239. c. 1.
Lyen, & vitio venarum ſanguinem revehentium, & nervorum, poteſt ſanguine nimis repleri, & tumore affici. p. 240. c. 2.
Lyen à bile inflationem, & duritiem quomodo contrahere valeat, & quomodo ejus vitio in ſanguine bilis redundet, unde toti corpori color flavus Malicorio ſimilis oboritur. p. 239. c. 1.
Lyenis uſus. p. 236. c. 2.
Lyenis inflammati deſcriptio, & quomodo inflammetur. ibid.
Lyenis inflammati Cauſæ. ibid. c. 2.
Lyenis inflammati Signa, & Prognoſis. pag. 237. col. 1.
Lyenis inflammati Curatio. p. 238. c. 1.
Lyen inflammatus cur eadem die modò augeatur, modò minuatur. p. 350. c. 1.
Lyenis inflammatio non curata in morbum tranſit diuturnum. ibid.
Lyene inflammato prævalente Cacochimia inſtituenda purgatio, poſteà ſanguinis miſſio; prævalente verò plenitudine è contrà. pag. 238. coll. 1.
Lyenis à ſanguine tumoris Signa, Cauſæ, Prognoſis, & Curatio. p. 241. c. 1.
Lyenis tumoris à Pituita Diagnoſis, & Curatio. pag. 242. c. 1.
Lyenis tumores ab humore melancolico non ſunt admodum magni, ſunt quidem multum duri, & quare. p. 143. c. 1.
Lyenis à melancolia tumoris Cauſæ, Signa, Prognoſis, & Curatio. ibid. c. 2.
Lyenteria eſt celer alimentorum excretio ſub ea forma, qua aſſumpta ſunt. p. 207. c. 1.
Lyenteria per quid differat ab aliis Inteſtinorum fluxibus. ibid. c. 2.
Lyenteriæ, Sedes, & Cauſæ, ibid. & ſeq.
Lyenteriæ Signa, Prognoſis, & Curatio. pag. 208. col. 1.
Lyenteria, Diſenteria, & Diarrhæa ſunt morbi conſimiles ex Hippocrate, & in quibus conveniant. pag. 215. c. 2.
Lympha eſt ſerum ſanguinis concreſcibile, & eſt Antiquorum pituita. p. 154. c. 1.
Lympha eſt humor in glandulis præparatus. ibid.
Lymphaticum vas nullum reperitur, quod non oriatur à glandula, aut in glandulam inſeratur, ibid.
Lypothimia, & Syncopes differunt tantùm ſecundùm magis, & minus. p. 166. c. 1.
Lypothimia, & Syncopes per quid differant ab Epilepſia. ibid. c. 2.
Lypothimia, & Syncopes per quid differant ab Apoplexia. p. 167. c. 2.
Lypothimia, & Syncopes important lapſum non tàm virtutis vitalis, quàm ſenſitivæ, & motivæ. ibidem. c. 2.
Lypothimiæ, & Syncopis Differentiæ. ibid.
Lypothimiam, & Syncopem præcedere ſolent Ventriculi turbationes, nauſea, dolores, & vertigines in capite. ibid.
Lympothimia. Vide Syncopes.
Lupi, & Porci animalibus reliquis voraciores, & quare. p. 176. c. 2.

M

Macies humores reddit acriores. p. 151. c. 2.
Malaciæ Eſſentia, Cauſæ, Signa, & Curatio. pag. 183. c. 1.
Mania eſt delirium cum furore, & audacia, ſine febre. p. 50. c. 1.
Mania per quid differat à Phrænitide ibid. c. 2.
Maniæ Subjectum. p. 51. c. 2.
Maniæ Cauſæ. p. 51. c. 1.
Maniæ Differentiæ. p. 52. c. 1.
Maniæ Curatio. ibid.
Maza eſt mixtura ex farina, oleo, & aqua; vel ex farina, aqua, & mele. p. 136. c. 2.
Medicamenta Adſtringentia. p. 194. c. 2.
Medicamenta Adſtringentia ventrem. p. 213. col. 1. & 2.
Medicamenta Acidum auſterum corrigentia. pag. 87. col. 2.
Medicamenta Acidum infringentia. p. 180. c. 1.
Medicamenta Acidum reſtaurantia. p. 178. c. 1.
Medicamenta Amatoria, ſeu ad amorem conciliandum. p. 58. c. 1.
Medicamenta Antiepileptica. p. 97. c. 1.
Medicamenta Anthyſterica. p. 342. c. 2.
Medicamenta Antipleuritica. p. 117. c. 2.
Medicamenta Antiſcorbutica. p. 126. c. 1. & p. 260. col. 2.
Medicamenta Antivenerea. p. 268, c. 1.
Medicamenta Aromatica. p. 178. c. 2.
Medicamenta Cephalica. p. 163. c. 2.
Medicamenta Chalybeata. p. 238. c. 2. & 289. c. 2.
Medicamenta Deobſtruentia. p. 174. c. 2. & p. 288. c. 2. & ſeq.
Medicamenta Diſcutientia. p. 170. c. 2. & p. 196. c. 1.
Medicamenta Diuretica. p. 64. c. 1. p. 92. c. 1. p. 101. c. 1. p. 247. c. 1. p. 273. c. 2. p. 279. c. 2. p. 366. c. 1. & 2. p. 371. c. 1. & 2.
Medicamenta Diuretica ſimul & Balſamica. p. 234. col. 1.
Medicamenta dolores ſedantia. p. 228. c. 1.
Medicamenta dolorem Colicum ſedantia. ibid.
Medicamenta dolores Puerperarum ſedantia. p. 324. c. 1. & 2.
Medicamenta Emollientia. p. 102. c. 1.
Medicamenta Epicerauſtica. p. 161. c. 1. & p. 223. col. 2.
Medicamenta Errhina. p. 255. c. 1.
Medicamenta Expellentia ſecundinas, & fœtum mortuum. p. 323. c. 2.

Medica-

Medicamenta Exſiccantia. p. 174. c. 2.
Medicamenta Eſiccantia Uterum, p. 313. c. 1.
Medicamenta Febrifuga. p. 543. c. 2.
Medicamenta Hæmorrhoidalia. p. 222. c. 2.
Medicamenta Lyntrotriptica. p. 163. c. 2.
Medicamenta Menſes moventia interna, & externa appoſita, p. 295. c. 2.
Medicamenta Narcotica. p. 343. c. 1.
Medicamenta Nervina. p. 88. c. 1.
Medicamenta Purgantia melancoliam. p. 258. c. 1.
Medicamenta Purgantia Serum. p. 291. c. 2.
Medicamenta purgantia Uterum ſine mordacitate. p. 294. c. 1.
Medicamenta Refrigerantia. p. 197. c. 1. & 2.
Medicamenta Reſſolventia. p. 102. c. 2.
Medicamenta Sanguinem extravaſatum diſcoagulantia. p. 232. c. 1.
Medicamenta Specifica pro Memoria. p. 106. c. 1.
Medicamenta Specifica contra Phyltra. p. 61. c. 1.
Medicamenta Specifica contra Picam. pag. 282. collumna 2.
Medicamenta ſpecifica contrà Rabiem. pag. 64. collumna 1.
Medicamenta Spiritus animalis generationem promoventia. p. 13. c. 1.
Medicamenta Spiritus vitales reparantia, & excitantia. p. 87. c. 2.
Medicamenta Splenica. p. 238. c. 2.
Medicamenta Sternutatoria. p. 102. c. 2.
Medicamenta Sudorifica. p. 63. c. 1. p. 92. c. 1. p. 74. c. 1. p. 127. c. 1. & 2. p. 273. c. 2. p. 366. & ſeq.
Medicamenta Vomitoria. p. 368. c. 2. p. 196. c. 1. p. 101. c. 1.
Medicamenta omnia ellectivè purgantia ſunt fortia remedia; debilia verò fiunt per doſis imminutionem. p. 228. c. 2.
Medicamenta ellectivè purgantia ægro debili in febribus, & præcipuè acutis debent tantùm in doſi diminuta exhiberi. ibid.
Medicamenta purgantia in febribus intermittentibus non exhibentur, niſi poſt quartam acceſſionem ab Hippocrate, & qua ratione. p. 367. c. 1.
Medicamenta purgantia per os aſſumpta non valent ad purgandos humores in Utero degentes. p. 299. c. 1. & 2.
Medici, qui in omni Coxendicis dolore mittunt ſanguinem, à recta medendi methodo declinant. pag. 160. col. 1.
Medici, qui in vomitu primis diebus adſtringentibus, & coroborantibus utuntur, graviter errant. pag. 293. c. 1.
Medici, qui ad productum magis, quàm ad producens reſpiciunt, ubi calor adeſt, aut febris, & etiamſi cauſa indicet remedia calida, refrigerantibus utuntur, morbum incurabilem reddunt. p. 238. c. 1. & 2.
Medici eas ſolùm febres appellantes Cauſos, in quibus, & externa, & interna ab excedenti febrili calore uruntur, non conſentiunt Hippocrati. p. 226. col. 2.
Medici in Melancolia Hypocondriaca non audentes ad lactis uſum devenire, niſi poſt reiteratas purgationes duorum, aut trium menſium, non immitantur Hippocratem. p. 43. c. 2.
Medici victum lacteum adminiſtrantes ægrotantibus, etſi primis diebus adſint tormina, & alvi fluxus, non ideò deſiſtere debent ab ejus adminiſtratione. p. 140. c. 1. & 2.
Medulla Spinalis quomodo in magna ſeminis effuſione patiatur. p. 138. c. 2.
Melancolia Morbus quid. p. 33. c. 2.
Melancoliæ ſedes eſt in Cerebro. p. 34. c. 2.
Melancoliæ Cauſæ, & cur obſtinatæ. pag. 34. col. 1. & ſeq.
Melancolia præternaturalis à triplici fonte errumpit. p. 40. c. 2.
Melancolia Hyponcondriaca. Vide Hypocondriacus affectus.
Melancolici humorum vitio, & ſanguinis fiunt deliri ex Hippocrate, & quomodo. pag. 35. col. 2. & ſeq.
Melancolici vitio humorum, quod eſt curabile, cur ſint incurabiles. p. 36. c. 2.
Melancolicorum deliria per quid differant à deliriis febricitantium. ibid.
Melancoliæ Differentiæ, Signa, Prognoſis, & Curatio. p. 36. c. 2.
Melancolia laborantibus Vini uſus non eſt interdicendus. p. 23. c. 2.
Melancolia humor ſæpè ab Hippocrate nomine Bilis denotatur. p. 244. c. 1.
Melancolia non facit inflammationem licèt acidum in inflammationibus, ut plurimùm dominetur, quia multa humano in corpore ſunt acida, quorum natura differt à Melancolia. pag. 243. col. 2. & ſeq.
Melancolia laborantibus Cauterium inurendum ſuprà ſuturam coronalem, itaut os capitis uſtionem patiatur, & diù remaneat. p. 38. c. 2.
Memoria, & ejus quiditas. p. 89. c. 1.
Memoria quomodo agat. pag. 2. c. 2. pag. 89. c. 2.
Memoriæ deperditæ ratio. p. 105. c. 1.
Memoriæ deperditæ Cauſæ. ibid.
Memoriæ deperditæ Signa, Prognoſis, & Curatio. p. 106. c. 2.
Membrana Pituitaria ex Schenchero quænam ſit. pag. 154. c. 2.
Menſes in fœminis communiter errumpere incipiunt ab anno duodecimo. p. 290. c. 1.
Menſium diminutionis Cauſæ. p. 308. c. 2.
Menſibus diminutis morbi exoriuntur, & præcipuè febris. p. 309. c. 2.
Menſes ſupprimi facilè poſſunt in eis, in quibus, laborioſa, & doloroſa eſt eorum purgatio, & quia. p. 306. c. 1.
Menſe ſuppreſſi Mulieribus multorum malorum Cauſæ ſunt. ibid. c. 2.
Menſes ſuppreſſi ſi tertio menſe errumpant, nullum morbum efficiunt. ibid. c. 2.
Menſium ſuppreſſionis ſymptomata. pagina 307. col. 1.
Menſium ſuppreſſio, ſi duret ad ſex menſes, à natura ſola curari non poteſt; & quare. ibid.
Menſium ſuppreſſionis ſanguinis, & humorum craſſitiæ, Signa, & Curatio. p. 308. c. 1.
Menſes retenti aliquando ſuppurantur, & eorum ſuppurationis Signa. p. 305. c. 1.
Menſes ſuppurati, & per tumorem diſruptum ſuprà Inguem purgati, mortem Mulieri minantur, etſi evadit, ſterilis remanet. pagina 306. collumna 1. & 2.
Menſes purgati per vomitum ſanguinis. ibid.
Menſes purgati per venas hæmorroidales. ibid.
Menſes cum ſono prodeuntes inflammationem Uteri ſignificant. p. 353. c. 2.
Menſes per longius tempus, & parvo plures fluentes Hydropem minantur. p. 327. c. 1.
Menſes immodici. Vide Fluxus ſanguinis ab Utero.
Menſes nigri, & parùm ſplendidi, à quibus pendeant cauſis, & eorum ſymptomata, & Curatio. p. 310. col. 2.
Menſes pituitoſi qua ratione fiant, & eorum cauſæ ac. Curatio. pagina 318. col. 1. pagina 311. collumna 2.
Menſes pituitoſi in prægnantibus, ſi illis conjungatur affectus Lyenis, & præcipuè tumor, fiunt aquoſi; & loturæ carnis ſimiles, etſi ſupprimantur Hydropem efficiunt. ibid. c. 2.
Menſes bilioſi quibus ſignis dignoſcantur, & quomodo corrigendi. p. 311. c. 2.
Menſes bilioſi & pituitoſi conceptionem impediunt, quoniam alterant ova muliebria, unde liquor in ipſis contentus depravatur. pagina 316. collumna 2.
Menſes in prægnantibus quibus à vaſis prodeant; & cum eas debiles reddant, quomodo curandi. ibidem collumna 2.
Menſes promoventia cur fluxu ſanguinis à partu laboranti mulieri præſcribat Hippocrates. pag. 331. col. 1.
Mercurii dulcis in aqua Plantaginis diſſoluti longus

uſus Renum Ulcera ſanare creditur. pag. 233. c. 2. & ſeq.
Mœror pendet à timore, & quomodo. pag. 34. collumna 1.
Mola quid ſit, & ejus Cauſæ. pagina 331. collumna 1.
Molæ Signa, & Curatio. p. ibid. c. 2.
Mola in Utero exiſtente cur Lac non generetur. p. 332. c. 2.
Morborum principium, origo, & natura neceſſariò primùm à Medico conſideranda ſunt. pag. 219. c. 1. & 2.
Morbus acutus exſurgit, quando ægrotans cum materia morbifica plurimum habet ſpiritum vitalem conjunctum; Chronicus verò, quando cum redundantia craſſorum humorum parvam obtinet ſpirituum vitalium copiam. p. 232. c. 1.
Morbus acutus ab humoribus excrementitiis non turgentibus nec purgationem, nec ſanguinis miſſionem admittit, ſed tantùm attemperationem ex Hippocrate. p. 223. c. 2.
Morbus dicitur tranſmutari, quando tranſit in alium. p. 368. c. 1.
Morbus à prava Diœta excitatus purgatione, Vomitu, & Diœta contraria curatur. p. 125. c. 1.
Morbus confirmatus non eodem modo curatur ac incipiens. p. 126. c. 2.
Morbo indicante, & errumpentibus contraindicantibus ſeligendum remedium, à quo major utilitas, & minor noxa, ægro advenire poteſt. pag. 206. col. 2.
Morbi Philtro compoſito ex ægrotantis urina, & farina, ſi à Cane comedatur, tranſeunt in Canem. p. 55. c. 2.
Morbus Regius. Vide Icterus.
Moroſis. Vide Stupiditas.
Moſcovitæ, & Lituani in defectu vini utuntur potione ex aqua, & melle. p. 206. c. 2.
Motus in animali non provenit a principio extrinſeco. p. 76. c. 1. & 2.
Motus eſt ab alio, quia quidquid movetur, movetur ab alio. Quomodo, & quando verificetur. ibid.
Motus organum adæquatum eſt Muſculus, inadæquatum, ſed principale eſt nervus, & fibra tendinoſa. ibid. c. 2.
Motus, & talis motus determinativum eſt imperium voluntatis, determinativum verò voluntatis eſt objectum appetibile. p. 78. c. 1.
Motus, & ſenſus in aliquibus partibus non ab eodem pendent principio. p. 86. c. 2.
Motus, qui ab appetitu ſenſitivo per ſpiritus tranſmiſſos in partem aliquam, ut in Cor, Ventriculum, & partes genitales excitantur, dicuntur paſſiones. p. 54. c. 1.
Motus Convulſivi quid ſint. p. 89. c. 1.
Motus Convulſivi per quid differant à Convulſione. ibid.
Motus Convulſivi quomodo excitentur. pag. ibid. col. 2.
Motus Convulſivi quibus ſignis diſtinguantur; & eorum præſagia. p. 91. c. 1.
Motus Convulſivi quibus præſidiis ſint curandi. pag. ibid. c. 2.
Mucus nimius inteſtinorum obſtruit orificia vaſorum lacteorum, & Cæliacam parit. pag. 209. c. 1.
Mucus exiens in Teneſmo non eſt effectus Teneſmi, ſed Cauſa. p. 218. c. 2. & ſeq.
Mulier cum purgatur ritè omni menſe heminam unam, vel duas ſanguinis effundit. pag. 306. col. 2.
Mulier, quæ peperit, facilius purgatur, quàm illa, quæ non peperit, & quare. pag. 305. collumna 2.
Mulier carnem habet rariorem, quam vir. ibidem col. 1.
Mulier aliquando habet ſanguinem calidiorem ſanguine viri, & quando. ibid.
Mulier ob menſium retentionem aliquando clauda fit, vel impotens ſecundùm aliquam partem ad motum, & qua de cauſa. p. 309. c. 1.
Mulier ſenior, & uſum viri non habens humidiorem Uterum aquirit. p. 310. c. 2.
Mulier parvæ ſtaturæ, aut clauda, aut giba indulgentior libidini cæteris eſt, & cur. p. 55. c. 1.
Mulier fluxum album patiens primò indiget adſtringentibus, & incraſſantibus, poſtea vomitoriis, quibus materia à parte revocetur. pag. 297. collona 2.
Mulier pituitoſa tempore, quo lac aſſumit, cibis pauciſſimis nutrienda eſt, & qua de cauſa. pag. 339. c. 1.
Mulier ſterilis à pituitæ redundantia, poſtquam fuerit purgata, quomodo debeat ſe continere in congreſſu cum viro. p. 313. c. 2.
Mulier macilenta, & ferè tabeſcens, & ideò non concipiens, nullatenus fame maceranda eſt per aliquot dies ante menſes, ut conceptui apta reddatur, & qua ratione. p. 313. c. 2.
Mulier ab Hippocrate, ut concipiat, ſuadetur habere comercium cum viro vel incipientibus, vel deſinentibus menſibus. p. 315. c. 1.
Mulier Utero diſtracto infœcunda efficitur. pag. 294. col. 1.
Mulier, quæ Uteri Ulceribus laboravit, & ſicurata fuerit, ſterilis evadit. p. 311. c. 1. & 2.
Mulier ſterilis ab Hippocrate dicitur acerba, & quare. p. 298. c. 2.
Mulieribus non concipientibus varias ob cauſas varia Diœta inſtituenda eſt, & quænam cuique cauſæ. p. 314. c. 2.
Muliebrium morborum Cauſa eſt Deus, & earum natura. p. 291. c. 1.
Mulieres ſteriles. Vide Sterilitas.
Mulſa facultate exterſoria donatur. p. 206. c. 1.
Mulſa eſt activior vino in reſolvendis flatibus. ibid.
Mulſa ad reſolvendos flatus debet componi ex ea majori mellis portione, quam poteſt aqua ſuſtinere. ibid.
Muria quid ſit, & ejus facultates. p. 241. c. 2.
Muſculus, & ejus ſtructura. p. 78. c. 1.
Muſculus quomodo inflectut. ibid.
Muſculus perficere non poteſt motus, ad quos deſtinatur, niſi contractione, & extenſione. pag. 84. col. 2.
Muſculus quilibet habet ſuum antegoniſtam. pag. 103. col. 1.
Muſculi motus aliquando ceſſat nervo malè in parte affecto abſque ulla Cerebri, & nervorum læſione in capite. p. 84. c. 2.
Muſculorum fibræ habent naturalem inclinationem ad ſe contrahendum verſus ſuum tendinem. ibid.
Muſcus marinus eſt Alga, cui ſubſtitui poteſt Muſcus arboreus capillaris, & terreſtris. p. 300. c. 1.

N

NArcotica quomodo ſomnum inducant. p. 17. c. 2.
Narcotici humores generantur aliquando in corpore humano. p. 18. c. 2.
Narcotica. Vide Opiata.
Narium Mucus à glandulis excernitur per vaſa lymphatica propria, non à Cerebro deſcendit. pag. 154. col. 1.
Nephritis ex ſui ſignificatione inflammationem exprimit. p. 229. c. 1.
Nephritis eſt triſtis ſenſatio partis ſenſitivæ Renum facta à Calculo. ibid.
Nephritici doloris Cauſa. ibid. c. 2.
Nephritici doloris Signa Diagnoſtica. ibid.
Naphriticorum vomitiones in actu doloris multam pituitam viſcidam in ipſis abundare oſtendunt. p. 230. c. 1.
Nephritici doloris Prognoſis, & Curatio. ibidem col. 2.
Nephriticus dolor quibus præcautionibus arceri poſſit. p. 231. c. 2.
Nephriticus dolor à ſanguinis copia Renum vaſa diſtendente, ac diſrumpente. ibid.

Nephri-

Nephritici doloris à ſanguinis copia Signa, & Curatio. p.332. c.1.
Nervorum Deſcriptio, ſtructura, & origo. pag. 76. c. 2.
Nervi ſunt præcipuum motus inſtrumentum. ib.
Nervi integram rationem organi non adipiſcuntur, niſi ſpiritu animali turgeant. ib. c. 2.
Nervi per totum corpus ſparguntur, & multiplicatis ramificationibus fibrillarum inſtar partibus inſeruntur. ibid.
Nervi in multas fibras diramati, & per muſculos ſparſi inoſculantur fibris tendinoſis eorumdem. p. 78. c. 1.
Nervi à Cerebro derivati ſunt inſtrumenta motus voluntarii, qui verò à Cerebello proveniunt ſunt inſtrumenta motus naturalis. p.74. c. 2.
Nervi amittunt naturalem inclinationem ad contractionem vitio ſuæ texturæ, & organizationis, non ſpirituum animalium. p. 85. c. 1. & 2.
Nervi nimia humiditate, & ſiccitate ſecundùm ſuam texturam vitiantur. ibid.
Nervi indurati ſunt cauſa ſenſus diminuti. pag. 12. c. 1.
Netopon eſt Vnguentum odoroſum. pag. 294. col. 2.
Noctambuli quinam ſint. p. 29. c. 1.
Noctambulorum affectus pertinet ad Phantaſiam. ibidem.
Noctambulorum motus ſunt ſpontanei. ib. c.2.
Noctambulorum motus quomodo fiant. ib.
Noctambulorum affectus non pendet ab humore melancholico. p. 30. c. 2.
Noctambulorum affectus à quibus pendeat cauſis. ibidem.
Noctambulorum affectus Prognoſis, & Curatio. ibidem.
Numi aurei, & argentei deglutiti, & per alvum ejecti pondere diminuti inventi ſunt. p. 119. c. 1.

O

OEdomatodes eſt inflammatio à pituita. pag. 243. c.2.
Obſonium eſt illud alimentum, quod cum pane comeditur. p. 136. c. 1.
Obſtinatio criminoſa in exhibitione remediorum eſt vitanda. p. 150. c. 2.
Obſtructio quid ſit. p. 286. c. 2.
Obſtructionum Meſenterii Deſcriptio. ib.
Obſtructionum Meſenterii Cauſa. ib. c. 2.
Obſtructionum in Meſenterio principale ſubjectum ſunt ejus glandulæ cum vaſis appenſis. ib.
Obſtructionum Meſenterii generatio exponitur. p.287. c. 1. & 2.
Obſtructiones ſemper oriuntur à Ventriculi, & ſanguinis morboſa indiſpoſitione. p. 288. c. 1.
Obſtructionum Meſenterii Signa. ib. c. 2.
Obſtructionum Prognoſis, & Curatio. p. ibidem, & ſeq.
Oleum Ægiptium quomodo paretur. pag. 294. col. 1.
Oleum Amygdalarum dulcium eſt univerſale ſedativum dolorum. p. 196. c. 1.
Omentum deficiens, vel corruptum Ventriculi concoctionem depravat. p. 187. c. 2.
Opiata in omnibus doloribus acutis conveniunt ex Hippocrate. p. 228. c. 1.
Opiata ſunt unicum remedium ad profligandum coma vigil. p. 14. c. 2.
Opiata, ſicuti adſtringentia in Diarrhæa non uſurpanda, niſi attemperata humorum acrimonia. p. 213. c. 2.
Opiata aliqua ſemper miſcenda purgantibus in Curatione Singultus. p. 201. c. 1.
Opiata Diaphoreticis miſcere non eſt Recentiorum inventum, ſed Hippocratis, & qua utilitate. p. 369. c. 1.
Opiata ritè correcta in febribus continentibus, & ardentibus cum laude uſurpantur; & quare. p. 360. c. 1.
Opiata non curant, ſed ſopiunt tantùm humorem peccantem, qui exhalata narcotica virtute, fortiùs dein urget. p. 180. c. 1. & 2.
Opiata ſuſpecta habenda ſunt in virium proſtratione. p. 167. c. 2.
Opiſtotonos. Vide Contracturæ Differentiæ.
Origanum Pulmonum tumoribus medetur. pag. 149. c. 1.
Origanum extinguit Acidum, & craſſitiem humorum tollit. p. 245. c. 2.
Orthopnæa. Vide Aſthma.
Oſſa, & partes ipſis adjacentes per eaſdem vias, per quas alimentum, per eaſdem Cauſam morbificam in defluxionibus recipiunt. p. 226. c. 1. & 2.
Oſſa præter naturam cordi innata palpitationem excitant. p. 169. c. 1.
Ova Sepiæ mirabiliter movent Menſes. p. 319. c. 1. & 2.

P

PAncreatis Acidum excedens Hypochondriaci affectus eſt Cauſa. p. 42. c. 2.
Pancreatis Acidum fit acre per bilis valdè mordacis mixtionem in Inteſtino duodeno. ib.
Panis purus quinam ſit. p. 277. c. 1.
Panis calidus exſiccat. p. 246. c. 2.
Paralyſis quid ſit. p. 84. c. 2.
Paralyſis per quid differat ab Apoplexia. ib.
Paralyſis ſubjectum ſunt Nervi. ib.
Paralyſis Cauſæ immediatæ Deficientia ſpirituum, & nervorum ad motum impotentia. ib.
Paralyſis à vaporibus frigidis, & Carnium inflatione ex Hippocrate. p. 85. c. 1.
Paralyſis à vitio organi alicujus partis. p. 86. c. 1.
Paralyſis à dolore Colico, quomodo contingat. p. 89. c. 2.
Paralyſis Signa, Prognoſis, & Curatio. pag. 86. col. 2.
Paralyſi affectis conveniunt fortia purgantia etiam in principio contra Avicennam. ib.
Paraplegia quid ſit. ib.
Partus difficultas ex mala fœtus ſituatione omne remedium expectat à manu obſtetricantis. p. 319. c. 1.
Penis quomodo erigatur. p. 53. c. 2.
Penis erectus tanto vigore, ut ſuſtinuerit ultra horæ dimidium Cantharum Cereviſiæ. ibid.
Peplum Mecona dictum. p. 301. c. 2.
Peripneumonia eſt inflammatio Pulmonum cum febre acuta, ſpirandi difficultate, & tuſſi. pagin. 111. c. 2.
Peripneumoniæ Cauſæ, & Signa. pag. 111. c. 2. & ſeq.
Peripneumoniæ Differentiæ, & Curatio. ibid. c. 2.
Peripneumonia ex Pleuritide tranſmutata ſecurior eſt ea, quæ ab initio talis fit. ibid.
Peripneumonicis à qua parte ſanguis mittendus ſit. ibid.
Peripneumonicis non convenit purgatio, niſi dolore, & febre remittentibus. p. 113. c. 1.
Peripneumonicis quando nam vomitus ſit excitandus. p. 114. c. 1.
Peripneumonicis in vigore Morbi ſanguis non eſt mittendus, & quare. p. 114. c. 2.
Peripneumonicis, & Pleuriticis Alvi profluvium ſuperveniens malum. p. 112. c. 2.
Phantaſia eſt motus, quo anima movetur à ſenſu in actu ſecundùm Ariſtotelem. p. 27. c. 2.
Phantaſiæ variæ actiones. p. 28. c. 2.
Phantaſma eſt ſimilitudo ſenſibilium differens à ſenſibilibus, quia eſt ſine materia ſenſibili. p. 26. c. 2.
Phantaſmatis medio res eſt objectivè in Imaginatione. ibid.
Phantaſma objecto ſenſibili, quod repræſentat, eſt ſimile ſimilitudine actionis motus. ibid.
Phantaſma ſuam ſedem habent circa plexum Choroidem,

roidem, vel circa Medullam oblongatam, ibid.
Phantaſma ſemper excitatur à motu ſpirituum animalium, cur, & quomodo. p. 27. c. 1. & ſeq.
Phantaſma, quo validius movetur in ſenſum communem, eò clariorem efficit objecti repræſentationem. ibid.
Phantaſmata movet animam ad conſiderandum objectum, quod illi repræſentat. p. 27. c. 2.
Phantaſmatis depravati Cauſa eſt Cerebri intemperies, & humorum, ac ſpirituum vitium. pag. 35. c. 2.
Phlegmonodes eſt inflammatio à ſanguine. pag. 244. c. 1.
Philtra quid ſint. p. 59. c. 2.
Philtra amatoria contra Helmontium ſunt vana, & quare. ibid. c. 2.
Philtra amatoria poſſunt quidem alterare faſcinatum uſque ad dementiam, non verò ad amorem, & cur. p. 60. c. 1. & 2.
Philtra Demoniaca ſunt perniciosæ qualitates Dæmonum arte excitatæ ob tacitum, vel expreſſum hominis pactum cum illo. ibid. c. 2.
Philtro amatorio propinato quomodo Dæmon moveat ad amorem faſcinatum. p. 61. c. 1.
Phrenitis eſt delirium perpetuum cum febre continua, p. 64. c. 2.
Phrenitidis variæ ſunt ſedes, præcipuè verò Cerebrum, & Diaphragma. p. 65. c. 1.
Phrenitis ab inflammatione ſanguinis, & ſpirituum animalium. ibid.
Phrenitis ab inflammatione Diaphragmatis, aut Cerebri. p. 66. c 2.
Phrenitis quomodo ab inflammatione inducatur. ibid. c. 2.
Phrenitidis variæ Cauſæ, varia Signa, Prognoſtica, & Curatio. p. 67. c. 2.
Phreneticis in principio quando, & qualis conveniat purgatio, & quas ob cauſas. p. 67. c. 2. & ſeq.
Phrenetici ab inflammatione Diaphragmatis ſurſum purgandi ſunt per ſputum. p 68. c. 2.
Pica eſt appetitus depravatus alimenti præternaturalis, p. 180. c. 1. & 2.
Pica per quid differat à Malacia. ibid.
Pica laborantes non habent vitium in Phantaſia, ſed in ſenſu guſtus, & odoratus. ibid. & ſeq.
Picæ Cauſæ internæ. p. 181. c. 1. & 2.
Picæ Cauſæ externæ, Signa, Prognoſis, & Curatio. p. 282. c. 1. & ſeq.
Piſces habent caput, & caudam Medullæ oblongatæ in ſignis magnitudinis, Cerebrum verò parvæ, & quare. p. 76. c. 2.
Pituita etiam dicitur Serum. p. 210. c. 2.
Pituita quomodo ab aliis partibus tranſmittatur ad thoracis cavitatem, & Pulmones. p. 128. c. 1.
Pituita qua ratione in Ventriculum irruens alimentorum coctionem impediat, & cauſa evadat Lienteriæ. pag. 207. c. 1.
Pituita in Ventriculo, quomodo alimentorum dejectionem ſolicitet. ibid. c. 1.
Pituita à capite ad imum defluens, ſi afficiat Ventriculum, Lienteriam, ſi Inteſtina, Diarrhæam parit, p. 210. c. 2.
Pituita, ſi nequeat à maſſa ſanguinea ſeparari, & tranſire ad ſua receptacula, & Emunctoria. Icterum album producit. p. 255. c. 1.
Pituita, quæ concurrit ad morbum articularem eſt Sinoviſſa Helmontii. p. 335. c. 2.
Pituita in acetabulis Uteri redundans, cùm ſoleat abortum inducere, quomodo, & quando tollenda ſit. p. 299. c. 2.
Pituita, & Serum in Mulieribus fluxu albo affecti redundantia cur in earum maxillis rubentes puſtulas excitent. p. 337. c. 1. & 2.
Pleuritis quid ſit, quomodo producatur, ejus ſubjectum, & Cauſæ. p. 114. c. 2.
Pleuritidis Signa, & Differentiæ. p. 115. c. 2.
Pleuritidis Prognoſis, & Curatio. p. 116. c. 1.
Pleuritis ab intenſa ſanguinis incaleſcentia in vaſis magnis circa lumbos ſolis diureticis curatur. p. 115. c. 1. & ſeq.
Pleuritis ubi ad claviculam pertingat flebothomiam exigit. p. 117. c. 1.
Pleuritis cum Cacochimia bilioſa purgationem admittit. ibid.
Pleuritici, quibus præcordia dolent, attenuantibus, & diſcoagulantibus remediis ſunt curandi, & quam ob cauſam. p. 118. c. 1.
Pleuritici, cum tuſſis eos fortiter invaſerit, plurimùm debent bibere, ut faciliùs excernant. ibid. c. 2.
Pleuriticos dolore aſcendente ſanguinis miſſione, deſcendente verò purgatione eſſe curandos, quomodo ſit intelligendum. ibid.
Polypus in Corde efficit ejuſdem palpitationem. p. 169. c. 1.
Polypus Cordis quid ſit. p. 173. c. 2.
Polypus quomodo generetur. ibid.
Polypi Cauſæ, Signa, Prognoſis, & Curatio. ibid. & ſeq.
Polypi texturam, ac generationem nemo melius dilucidavit, quàm Malphigius. p. 173. c. 1.
Porrus in affectibus Pulmonum, & in Phtiſi laudatur à Dioſcoride. p. 136. c. 1.
Procidentia Cartilaginis Enſiformis debilis alimentorum concoctionis Cauſa eſt. p. 187. c. 2.
Prægnantes non ſunt purgandæ, pagin. 246. collum. 2.
Prægnantes ultimis menſibus urinæ incontinentia tentantur Utero comprimente veſicam, & ejus orificium ſtimulante. p. 286. c. 1.
Profluvium in tabidis eſt læthale. p. 74. c. 2.
Ptiſana adminiſtrata poſt Medicamenti purgantis aſſumptionem, illius vim irritativam moderatur, ut non purget, ſed leniat. p. 119. c. 2.
Ptiſana cauſat flatus, & dolores quibus cibus intùs concluſus eſt, & nulla deorſum facta eſt dejectio. p. 201. c. 1.
Pudendum in puerperis quomodo coaleſcat. pag. 322. c. 1.
Puellæ immaturæ viro copulatæ vitam degunt incontinentiorem; & quare. p. 55. c. 1.
Puerperii naturalis purgatio quomodo ſuccedat. pagin. 291. c. 1. & 2.
Puerperii retenti Curatio. p. 319. c. 1.
Puerperii retenti, & ad varias partes refluentis Symptomata. ibid. c. 2.
Puerperii retenti, & ad varias partes refluentis Curatio. p. 320. c. 2. ibid. p. 323. c. 1.
Puerperii diminuti effectus. p. 321. c. 1.
Puerperio retento, mors puerperæ imminet. ibid. c. 2.
Puerperium ſi ad alias partes feratur, ſanguinis miſſione utendum eſt. ibid.
Puerperia bilioſa, vel nigra cum pinguedine quomodo curanda. p. 317. c. 2.
Puerperiorum pinguium bilioſorum, aut nigrorum nomine quid intelligendum ſit. ibid.
Puerperium immodicum curatur, ut curatur immodicus Menſium fluxus. p. 322. c. 1.
Puerperium grummoſum periculoſum eſt. pagin. 323. c. 1.
Puerperii grummoſi Curatio. ibid.
Puerperis alvi fluxu correptis lenientia adſtringentibus mixta adhibenda ſunt. ibid.
Pulmonum acticuli apud Hippocratem Mediaſtinum eſt. p. 91. c. 1.
Pulmonum Eriſipelas. Vide Eriſipelas Pulmonum.
Pulmonum calor ſitim excitat vehementem. p. 283. c. 2.
Pulmonum affectio à materiæ redundantia abſente reſpirationis difficultate Vomitoria requirit, nuſquam per inferiora purgationem, & quare. p. 125. c. 1. & ſeq.
Pulmonum varii affectus ab Utero ſe malè habentis Deſcriptio, & Curatio. p. 245. c. 2.
Pulmonibus affectis teſtes dolere bonum ſignum eſt. p. 363. c. 2.
Pulſus Natura, & Modus. p. 165. c. 2.
Pulſus cur in Cordis tremore ſit parvus, & debilis. p. 172. c. 1. & 2.

Pus exitum non habens eſt Cauſa doloris. p. 194. c. 2.
Putridum tangens non putridum illud efficit putridum. p. 341. c. 2.

Q

Qualitatis nomine quid intelligatur. p. 3. c. 2.
Qualitates tangibiles ſecundæ ſunt magis potentes ad excitandum dolorem, quàm primæ. p. 194. c. 2.

R

Rabies eſt delirium cum furore à venenato Canis rabidi morſu excitatum cum averſione fluidorum, & potiſſimùm aquæ. p. 61. c. 2.
Rabies per quid diſtinguatur ab aliis deliriis. pag. 62. c. 1.
Rabies accedit ad naturam Maniæ. ibid.
Rabies totum temperamentum immutat. ibid. c. 2.
Rabie correpti aliquando latrant, & incedunt, ut Canes. ibid.
Rabie infecti qua de cauſa abhorreant ab aqua. ibid. c. 2.
Rabiei imminentis, & confirmatæ Signa. pagin. 63. c. 1.
Rabiei Prognoſis, & Curatio. ibid. c. 2.
Rabie ſanati ex contactu Corni, vel Sanguinariæ, & ſomno capto ſub umbra Sorbi recidivant. ibid. c. 2.
Rabidi non fiunt omnes, qui à Cane rabido mordentur, ſed qui morſi diſpoſitionem habent ad Rabiem ſuſcipiendam. p. 63. c. 2.
Rabidis nec ſanguinis miſſio, nec purgatio convenit, ibid.
Ranciditas quibus adveniat ſubſtantiis, & quomodo. p. 188. c. 2.
Raparum decoctum eſt ſpecificum in Stranguria. pag. 281. c. 2.
Refrigerantia poſt purgationes in febribus magnis cum magnis æſtibus, & fervore in maſſa ſanguinea exhibenda ſunt ex Hippocrate. p. 238. c. 1.
Remedium ad conceptionem pro Muliere, quæ diù non concepit. p. 305. c. 2.
Remedium pro bile prægnantem Mulierem vexante. p. 318. c. 2.
Reminiſcentia per quid diſtinguatur à memoria. p. 105. c. 1.
Reſpiratio in cachecticis fit difficilis, & quare. p. 256. c. 2. & ſeq.
Rigor fit à materia acri per partes ſentientes difuſa, & has vellicante. ibid. c. 1.
Rigor antecedens urinæ ſuppreſſionem inflammationem in viſica prædicit, ſubſequens verò ſignificat materiam ſeroſam aliò diverti. p. 283. c. 2.
Ructus morboſus qualisnam ſit. p. 199. c. 1.
Ructuatione affectis cibus non exhibendos, niſi cùm dolor remiſerit. p. 200. c. 1.
Ructuatione ceſſante purgatio inſtituenda hiis, qui ipſa tentantur. ibid. c. 2.

S

Sal cur, & quomodo exſiccet. p. 184. c. 1.
Sal non uſurpantes cum cibis in multos incidunt morbos. p. 241. c. 2.
Sal Gemmæ, & Salnitrum dicuntur mirè fœces diſſolvere. p. 225. c. 1.
Saliva unde in palatum, & fauces erumpat, & ad quos fines. p. 283. c. 1.
Salſamenti nomine penè Hippocratem quid intelligendum. p. 136. c. 1.
Sambucus alvum ſolvit, & Diaphoram movet. p. 258. c. 1.
Sanguis propriè eſt minera, & fons caloris. p. 165. c. 1.
Sanguinis calor dimminui nequit, niſi minuatur motus cordis. p. 198. c. 1.
Sanguis ſanguificat. ibid. c. 2.
Sanguis prout eſt variè coloratus variè cutim colorat. p. 265. c. 2. & ſeq.
Sanguis cur in majori copia colligatur in Mulieribus, quàm in viris. p. 295. c. 1.
Sanguis quando dicatur crudus, & quando maturus. p. 259. c. 2.
Sanguis variè movetur ad cor pro diverſitate affectionum animi. p. 169. c. 2.
Sanguis perfrigeratus prudentiam permutat. p. 93. c. 2.
Sanguis fixus, & aduſtus melancoliam producit, & quomodo. p. 41. c. 1.
Sanguis non poteſt in parte ſtagnare niſi triplici de cauſa. p. 66. c. 2.
Sanguis ſtagnans & ad fervorem redactus, inflammationes parit. p. 67. c. 1.
Sanguis non poteſt fluere à capite per tracheam ad Pulmones, dein per tuſſim expelli. p. 149. c. 2.
Sanguis maximè effervescens in vaſis Pulmonum febrim cum rigore, & illorum rupturam promovet. p. 151. c. 1.
Sanguis coagulatus in Rene, ſi ſuppuretur, & in pus degeneret, tumorem elevat in parte externa reſpondentes regioni Renis affecti. p. 232. c. 2.
Sangnis in Rene ſuppuratus quomodo ad externam partem dilabatur abſque corroſione, aut perforatione ejuſdem. ibid.
Sanguinis fluxus per nares, & ſanguinis vomitus cauſantur à nimio ejuſdem fervore. p. 193. c. 2.
Sanguinis redundantia in Virginibus exitum non invenientis per loca, & ideò reſilientis, ac ad ſuperiora revertentis, multorum morborum eſt in cauſa. p. 290. c. 1.
Sanguinis miſſio in cordis palpitatione ſemper convenit. p. 169. c. 2.
Sanguinis miſſio in Hyſtericis paſſionibus melius celebratur à brachiali vena, quàm à pede, & qua ratione. ibid.
Sanguinis miſſio non convenit in omni urinæ ſtillicidio, & in quonam conveniat. p. 281. c. 2.
Sanguinis miſſio, ubi febris pendet à multa bile ſæviorem ipſam reddit. p. 360. c. 1.
Sanguinis miſſio quando in febribus continentibus ſit uſurpanda. ibid.
Sanguinis mictio periodica ad modum menſtrui fluxus. p. 231. c. 2.
Sanguinis ſputum ſi facilè exeat ſine tuſſi, & in parva quantitate vas ruptum in ſitu laryngis ſignificat; ſi in parva quantitate difficulter, & per vices cum tuſſi frequenti vas ruptum in fundo Pulmonum denotat; ſi in magna quantitate, ac impetu erumpat vas majus in medio Pulmonum ruptum manifeſtat. p. 150. c. 2.
Sanguinis ſputum paucum ab arteria divulſa in Pulmonibus periculoſum magis, quàm copioſum à vaſis ruptura, & quare. p. 153. c. 1.
Sanguinis ſputum à Pulmonibus quomodo ſuccedat. pag. 149. c. 1.
Sanguinis ſputum quænam ſymptomata comitentur; & ejus ſedes. ibid.
Sanguinis ſputum quænam Cauſæ efficientes. p. 149. c. 2.
Sanguinis ſputum quid prænunciet, & quomodo curandum ſit. p. 151. c. 1.
Sanguinis ſputum, & Tabes qua ratione oriantur ex menſium ſuppreſſione. p. 308. c. 1.
Sanguis Veſpertilionum Hypocondriis appoſitum Iliacæ paſſioni medetur. p. 225. c. 1.
Sapientia eſt in anima; Medium ad ſapientiam eſt in Cerebro. p. 77. c. 2.
Scorbuto frequens accedit Colica. p. 326. c. 2.
Scorbutum. Vide Cachexia ſcorbutica.
Scorpiones in capite geniti aſſiduo Baſiliconis odoratu diuturnos, & vehementes dolores excitantes. pag. 6. c. 2.
Semen maris cur feri non poſſit ad Uterum muliebrem membrana impediente, dum menſes ab Utero per vaginam prodire poſſunt. p. 315. c. 1. & 2.
Seminis profluvium involuntarium quibus à cauſis proveniat. p. 139. c. 2.
Seminis profluvii involuntarii Curatio. ibid.
Semen Serpentis apud aliquos eſt ſemen ſanctum. p. 336. c. 1.
Semodium, ſeù ſemiſextarium ponderat uncias decem, & ſecundùm aliquos uncias ſex cum dimidio. ibid.
Senes cur multùm vigilent, licèt in eis non ſit copia ſpirituum animalium. p. 15. c. 1.

Sen-

Senſus quid ſit. pag. 2. col. 1.
Senſus perfectus habetur quando potentia ſenſitiva percipit affectum ſenſus externi. ibid.
Senſus in actu eſt ſenſus communis operans. p. 3. c. 1.
Senſus non eſt fallax. p. 32. c. 1.
Senſus, & motus in aliquibus corporis partibus non ab eodem pendent principio. p. 86. c. 1.
Senſus Tactus Eſſentia. p. 1. c. 1.
Senſus Tactus objectum quale. ibid. c. 2.
Senſus Tactus quodnam ſit organum. ibid.
Senſus Tactus jucunditas, & moleſtia ex quibus oriatur. p. 3. c. 2. & ſeq.
Senſus viſus fit in Rethina. p. 86. c. 2.
Senſitiva potentia pro diverſitate functionum, quas efficit, diverſa nomina ſortitur. p. 26. c. 1.
Serum nutritium ſpiritu turgidum à maſſa chyloſa confectum per arterias ad Cerebrum fertur pro generatione ſpirituum animalium. p. 117. c. 1.
Serum cumulatum in capite, cum per vaſa propria excretoria non purgatur, varios capitis dolores producit juxta diverſam ejus indolem. p. 6. c. 1.
Serum flaveſcens bilem abundantem denotat. ibid.
Serum acrimoniam aquirit ſalia in ſanguine exiſtentia diſſolvendo, & ſibi uniendo. ibid. c. 2.
Serum acidum in arteriis redundans, & ab eis ad carnes in ſuperficie corporis translatum, ibique concreſcens Anaſarcam parit. p. 276. c. 1. & 2.
Serum in Pericardio nimis redundans, vel acre cordis palpitationem inducit. p. 169. c. 1.
Seri in Pericardio redundantis, aut acris exiſtentis Signa, & Curatio. p. 170. c. 2.
Serpentum exuviæ in oleo decoctæ laudatiſſimum exhibent linimentum pro dolore Iliaco. p. 224. c. 2.
Seſami ſemen dolores mitigat. p. 305. c. 2.
Silfum eſſe verum Belzoin nonnulli opinantur. p. 125. c. 2.
Singultus eſt motus convulſivus Ventriculi. p. 201. c. 1.
Singultus ſed Ventriculus, & aliquando Diaphragma. ib. c. 2.
Singultus Cauſæ, Signa Diagnoſtica, Prognoſis, & Curatio. p. 202. c. 1. & ſeq.
Singultus pendens à plenitudine venarum Diaphragmatis, & ſtomaci, vel ab eorum inflammatione miſſionem ſanguinis exigit. ibid. c. 2.
Singultus remedium eſt aliquando ſternutatio, & quando. p. 201. c. 2.
Sitis non fit à bile vellicante; & à quibus producatur. p. 183. c. 1. & 2.
Sitis aucta in quo conſiſtat; ubi ſedem ſuam habeat, & quas cauſas ſortiatur. p. 244. c. 1.
Sitis auctæ Differentiæ, Signa, Prognoſis, & Curatio. ib. c. 2.
Symptomata, ubi ſunt valida, auxilium exigunt, ut morbus. p. 335. c. 1.
Syncopis Differentiæ à Cauſis. p. 166. c. 2.
Syncopis Signa, & dum imminet, & dum adeſt. p. 167. c. 2.
Syncopis Prognoſis, & Curatio. ibid. & ſeq.
Syncopes. Vide Lypothimia.
Synochus. Vide Febris continens.
Synovia humor eſt articulorum. p. 336. c. 1.
Synovia, ſeu Sinoviſſa eſt humor ſub ſpecie mucilaginis pellucidæ ſpermati ſimilis in articulis oſſium, & capſulis ligamentorum manens. p. 371. c. 1. & 2.
Synovia, ſeu Sinoviſſa dicitur putrefacta cum acido vitioſo alterata eſt. ibid.
Solatrum furioſum ad drachmam unam cum vino aſſumptum delirium excitat, epotum ad drachmas duas dementiam formalem inducit cum furore, ſi ad tres, perpetuam. p. 36. c. 2.
Somniorum indoles, & diverſitas. p. 40. c. 1.
Somnus cur animali ſit neceſſarius. p. 16. c. 2.
Somni Eſſentia, & quomodo producatur. p. 17. c. 1.
Somni præternaturalis cauſa non differt à Cauſa Somni naturalis, niſi per exceſſum. p. 18. c. 1.
Somnus dolores, & Convulſionem moderatur. p. 102. c. 1.
Spaſmus Cynicus quid ſit. p. 103. c. 1.
Species ſenſibiles dantur, & in quo conſiſtant oſtenditur. p. 2. c. 1.
Species aliæ ſunt impreſſæ, & aliæ ſunt expreſſæ. p. 3. c. 1.
Spina Ægiptia eſt Cardus Sylveſtris albus. p. 329. c. 1.
Spiritus animalis quomodo generetur. p. 77. c. 1.
Spiritus animalis à Recentioribus ſub forma humoris delineatur. ibid.
Spiritus animalis in ſui generatione exigit aeris, ſeu Ætheris concurſum ex Hippocrate. p. 35. c. 2.
Spiritus animalis per nervos fluit pro motus, & ſenſus exercitio contra Fabrum. p. 77. c. 1.
Spiritus animalis fluens per membranam nervi inſervit ſenſui, per medullam verò motui. p. 86. c. 2.
Spiritus animalis eſt ſapientiæ, prudentiæ, & intelligentiæ non levis cauſa. p. 35. c. 2.
Spiritus animalis copioſus, ſubtilis, lucidus, & activus homines ingenio perſpicaces; paucus verò, craſſus, obtuſus, ac fixus ſtupidos efficit. p. 73. c. 2.
Spiritus animalis habet vim elaſticam, in qua in admirationis affectu, & conſimilibus, conſervatur. ibid.
Spiritus animalis fit impurus vel vitio ſanguinis, vel fermenti. p. 13. c. 1.
Spiritus animalis quomodo dicatur irritari, licèt ſit ſenſus expers. p. 89. c. 2.
Spiritus nonnulli volatiles, ſi uniantur, unà fixantur, ac coagulantur, & quando. p. 267. c. 1.
Sterilitas à quibus cauſis exoriatur, & hiis quomodo occurrendum. p. 311. c. 2. & ſeq.
Sterilitas ab aliis cauſis, & ejus remedia. pag. 299. c. 2. & ſeq.
Sterilitas à nimia pinguedine, & ejus Curatio. pag. 299. c. 1.
Sterilitas ab exceſſu pituitæ, & ejus Signa, ac Curatio. p. 312. c. 1. & 2.
Sterilitas à ſeminis, etſi retenti, putrefactione, & ejus Curatio. p. 313. c. 2. & ſeq.
Sterilitas à membrana ſeminis ingreſſum impediente, & ejus amotio. p. 315. c. 1. & 2.
Sterilitate affectis quibus conveniat purgatio. p. 312. c. 1.
Sterilis quomodo cognoſci poſſit à qualitatibus, & modo excretionis menſtruæ. ibid.
Stomaci nomine apud Antiquos accipiebatur quodcumque habens cavitatem terminantem in collum anguſtum. p. 302. c. 1. & 2.
Stranguriæ Eſſentia, & ejus Cauſæ. p. 280. c. 1. & ſeq.
Stranguriæ Signa, Prognoſis, & Curatio. p. 281. c. 1.
Stranguria eſt Teneſmus Veſicæ. p. 280. c. 1.
Stranguriam tollit copioſus potus. p. 281. c. 1.
Stupiditas ex memoriæ defectu, & viceverſa defectus memoriæ ex ſtupiditate oboritur. p. 106. c. 1. & 2.
Stupiditas in quo conſiſtat. ibid.
Stupiditas nec oritur vitio ſenſuum externorum, nec ex ſpirituum animalium debilitate, ſed à reſiſtentia fibrarum Cerebri. ibid.
Stupiditas à febre enata. ibid.
Stupiditatis Cauſæ, differentiæ, ſigna, & Curatio. p. 107. c. 1. & 2.
Stuporis Eſſentia. p. 11. c. 2.
Stuporis Cauſæ immediatæ, & mediatæ. p. 12. c. 1.
Stupor eſt via ad Paralyſim, & Apoplexiam. p. 13. c. 2.
Stupore cur faciliùs corripiantur partes externæ, quàm internæ. ibid.
Stupor cur in longa ſeſſione excitetur. ibid.
Stuporis quænam ſint Indicationes curativæ. ibid.
Subdititia idem ſunt, ac Peſſaria. p. 296. c. 2. & ſeq.
Succus Nerveus eſt purior Seri nutritii ſubſtantia per glandulas corticis Medullæ Cerebri percolata, ſpirituum animalium vinculum, & vehiculum. p. 78. c. 2.
Sudor excitatus in inflammationibus plurimùm prodeſt. p. 246. c. 1.
Sudor valet ad promovendum vomitum, non vomitus ad promovendum ſudorem. ibid.
Suillæ carnes robur quidem magis, quàm caprinæ corpori inducunt. p. 235. c. 2.

T

Tabes latè, & ſtrictè conſideratur. p. 131. c. 2.
Tabes triplex ſpecie ex Hippocrate. ibid.
Tabes vitio Pulmonum contracto à ſeroſa colluvie. ibid.
Tabis Pulmonum vitio à ſeroſa colluie Deſcriptio, & Cauſæ. p. 132. c. 1.
Tabis Pulmonum vitio à ſeroſa colluvie Prognoſis, & Curatio. p. 132. c. 2.
Tabes à labore. p. 133. c. 2.

Tabis à labore Cauſæ, Prognoſis, & Curatio. p. 134. c. 1. & 2. & ſeq.
Tabes à læſione ſpinalis Medullæ. ibid.
Tabis à læſione ſpinalis Medullæ Cauſæ. ibid. & ſeq.
Tabis à læſione ſpinalis Medullæ Prognoſis, & Curatio, p. 135. c. 2.
Tabes Dorſalis à nimio Veneris uſu, & ejus Curatio. p. 138. c. 2. & ſeq.
Tabes ab Ulcere aſperæ Arteriæ. p. 141. c. 1.
Tabis ab Ulcere Signa. ibid. c. 2.
Tabis ab Ulcere Prognoſis, & Curatio. ibid. c. 2.
Tabis ab Ulcere Caput non movendum. ibid. c. 2.
Tarantiſmus quid ſit, & ejus Curatio. p. 92. c. 1.
Tarantula eſt animal de genere Aranearum. ibid.
Tarantulæ venenum ſpiritus animales, & ſucum nerveum inficit, & qualiter. ibid. c. 2.
Teneſmus eſt inevitabilis voluntas egerendi. p. 218. c. 1.
Teneſmi, & Diſenteriæ eadem eſt cauſa, debilior tamen in Teneſmo, fortior verò in Diſenteria. ibid. c. 2.
Teneſmi Cauſa profluit à glandulis recti Inteſtini, vel ab ejus arteriis. p. 219. c. 1.
Teneſmi Prognoſis, & Curatio. ibid. & ſeq.
Teneſmo afflicti cur ex Hippocrate niſi in fine purgandi ſint. ibid. c. 2.
Teneſmo affectis pinguia per anum injecta conveniunt, & quare. ibid.
Tethanus. Vide Contracturæ, Differentiæ.
Tetrapharmacum medicamentum eſt ex quatuor ſimplicibus compoſitum. p. 259. c. 1.
Thymi decoctio facta in vino valet ad expellendum fœtum mortuum. p. 308. c. 2.
Thophi quomodo in articulis generentur. p. 303. c. 2.
Timentes cur penem erigere non valeant. p. 54. c. 1.
Timoris ex Ariſtotele Eſſentia. p. 33. c. 2.
Timor excitatur à cognitione mali corruptivi. ibid.
Timor eſt à frigiditate, & ſanguinem frigefacit. p. 35. c. 2.
Timor fit etiam præ caliginoſitate ſanguinis ad ſæptum tranſverſum reſilientis. p. 39. c. 2.
Tymelæa, & Chamelæa bilem, & pituitam violenter purgant. p. 257. c. 1.
Tympanites eſt impropriè Hydrops, & dicitur Hydrops ſiccus. p. 278. c. 1. & 2.
Tympanites non fit à flatu, ut communiter ſentiunt Medici. ibid.
Tympanites cauſatur à contractione ſpaſmodica cum virtute elaſtica Inteſtinorum deperdita. ibid. c. 2.
Tympanites cur ſit impoſſibilis curationis. ibid. c. 2.
Tympanites, quibus à cauſis producatur. ibid.
Tympaniticis quæ remedia poſſint applicari. p. 279. c. 1. & ſeq.
Typhos non conotat morbum longum, ut pleriſque viſum eſt, ſed ſignificat vel febrem, vel morbum alium à multorum ſymptomatum inſolitorum concurſu impinguatum. p. 372. c. 1.
Typhos morbum articularem repræſentans; & ejus Cauſæ. p. 371. c. 1.
Typhos articularis Curatio. p. 372. c. 1. & ſeq.
Tremor, & ejus Eſſentia. p. 103. c. 1.
Tremorem conſtituit motus voluntarius interruptus à motu contrario ſine imperio voluntatis. ibid.
Tremoris Cauſæ, Signa, & Curatio. ibid. c. 2.
Tubercula Pulmonum ſunt tumores parvi, ſeu calli à materia in eis condenſata. p. 145. c. 1.
Tubercula in Pulmonibus numquam enaſcuntur niſi præcedente vitio eorumdem. ibid. c. 2.
Tubercula Pulmonum cruda ſunt, cùm diſponuntur ad putredinem, matura verò, cum actu putrida. ibid.
Tuberculi crudi, & maturi Signa. ibid. & ſeq.
Tuberculi Pulmonum Prognoſis. p. 146. c. 2.
Tuberculum ſuppuratum non deſinente tuſſi, & perdurante materiæ excretione mors tandem ſequitur. ibid. c. 2.
Tuberculum Pulmonum nec natura, nec arte ſuppuratum ceſſantibus dolore, tuſſi, inedia, & febri omnem ammittit ſalutis ſpem. ibid.
Tuberculorum Pulmonum Curatio. ibid. c. 2.
Tubercula lateris quomodo, & quibus de cauſis producantur. ibid. & ſeq.
Tubercula lateris per quid diſtinguantur ab aliis morbis pectoris. ibid.
Tuberculorum lateris Signa, & Curatio. ibid. & ſeq.
Tubercula lateris ſuppurantur maximè quadraginta diebus, aut paulò priùs. p. 148. c. 1.
Tuberculi lateris ſuppurari incipientis Signa. ibid.
Tuberculo lateris affectis arcenda eſt ſitis, & quare. ibid. c. 2.
Tuberculi lateris in parte externa ſuppurati Signa. ibid.
Tumores glandularum Proſtratarum colli veſicæ, interiori parti reſpondentium inducunt urinæ ſuppreſſionem. p. 282. c. 2.
Tuſſis quomodo fiat. p. 143. c. 1.
Tuſſis cum affectione Pulmonum per quid diſtinguatur à Tuſſi proveniente ab irritamento capitis tantùm aſperæ Arteriæ. ibid. c. 2.
Tuſſis Cauſæ, & ejus Curatio. ibid. c. 2.
Tuſſes vitio Ventriculi, Hepatis, Diaphragmatis, & ſimilium partium ſunt ſiccæ. p. 149. c. 2.

V

Vena non dolet niſi quando à ſanguine nimio diſtenditur. p. 442. c. 1.
Vena poteſt à dolore convelli in ſimilitudinem nervorum. p. 195. c. 2.
Vena rupta tenacius coaleſcit in corpore ſicco. p. 130. c. 2.
Venæ jugularis ſectio ſterilitatem inducit ex Hippocrate. p. 9. c. 1.
Venæ Hæmorrhoidales internæ non habent ſocias arterias. p. 220. c. 2.
Venæ Uteri, & Hæmorrhoidales externæ habent inter ſe conſenſum. p. 220. c. 1.
Venenum in quo conſiſtat. p. 61. c. 2.
Venenum Canis rabidi per morſum, aut contactum homini impreſſum non ſolùm per dies, verùm aliquando per annos latitat; & qua de cauſa. p. 62. c. 2.
Venereus appetitus quomodo in fœmina excitetur. p. 54. c. 1.
Venereus appetitus quomodo, & quando inexplebilis evadat. ibid.
Venereus appetitus inexplebilis delirium excitat, & quare. p. 54. c. 1. & 2.
Venereus uſus propenſiores facit mulieres ad concipiendum. p. 315. c. 1.
Venereus Morbus. Vide Gallica Lues.
Ventris infimi ſuppuratio per ſimilitudinem Empiema nuncupatur. p. 131. c. 1. & 2.
Ventris ſuppurati Signa, & Curatio, ibid.
Ventriculus terræ ab Hippocrate comparatur. p. 162. c. 1.
Ventriculus quibus fungatur muneribus. ibid.
Ventriculus omnibus dat, & ab omnibus recipit. p. 212. c. 1. & 2.
Ventriculus eſt principium plerumque morboſæ aciditatis in ſanguinem introductæ vel per ſe, vel per accidens. p. 42. c. 1.
Ventriculi nervoſo plexu reſoluto fames non excitatur. p. 167. c. 2.
Ventriculi Adſtrictio, & ejus Eſſentia. p. 196. c. 2.
Ventriculi Adſtrictio fit ex oppoſito, ac Lienteria. ibid. c. 1.
Ventriculi Adſtrictionis Cauſæ. ibid.
Ventriculi Adſtrictionis Signa, Prognoſis, & Curatio. p. 197. c. 1. & 2.
Ventriculi Ardor, & ejus Cauſæ. ibid. c. 2.
Ventriculi Ardoris Remedia. p. 148. c. 1.
Ventriculi Atritio quid ſit, & per quid differat à Cardialgia. ibid.
Ventriculi Attritionis Cauſæ, Signa, Prognoſis, & Curatio. ibid. c. 2.
Ventriculo nulla pars eſt in Diarrhæa. p. 210. c. 1. & 2.
Vermes corporibus ineſſe quomodo cognoſcantur, & eorum Curatio. p. 170. c. 2.
Vermes per ſe eſſe cauſæ famis præternaturalis non poſſunt contra Trallianum, Zacutum, & Schencherum. p. 179. c. 2.
Vermes in capite geniti acutiſſimi ejuſdem doloris Cauſæ. p. 6. c. 2.
Vermes morſu, & alitu pravo palpitationem Cordis inducunt. p. 169. c. 2.
Vermes inſpirant, & expirant medio poroſitatum ſui corporis. p. 286. c. 2.

Ver-

Vertigo eſt affectus, in quo objecta circumrotari videntur. p. 22. c. 1.
Vertigo vitio ſpirituum animalium efficitur. ibid. c. 2.
Vertigo non eſt ſymptoma facultatis motricis, licèt caput vacillet. ibid. c. 2.
Vertiginis cauſæ internæ, & externæ. p. 24. c. 1.
Vertiginis Differentiæ. ibid. c. 2.
Vertiginis Prognoſis, & Curatio. ibid. & ſeq.
Vertigines antecedere ſolent animi deliquia, & cur. ibid.
Vertigines diuturnæ periculoſæ ſunt, quia proximam minantur Apoplexiam. p. 25. c. 2.
Veſica Urinaria quomodo dicatur ſicca p. 280. c. 2.
Veſica Urinaria quando dicatur evacuata. ibid.
Veſſicantia in Phrenitide ab inflammatione Cerebri non videntur convenire. p. 68. c. 2.
Vigilia eſt propria potentiæ ſenſitivæ. p. 13. c. 2.
Vigilia eſt neceſſaria animali pro ſui conſervatione. ibid.
Vigilia debet eſſe moderata. ibid.
Vigiliæ continuæ Cauſa immediata. p. 14. c. 2.
Vigiliæ continuæ Cauſa mediata. p. 15. c. 1.
Vigiliæ continuæ Prognoſis, & Curatio. ibid. & ſeq.
Vigiliæ diſponunt humorem in aliquam partem fluxum & ſtagnantem ad celeriorem maturationem. p. 148. c. 2.
Vinum album diureticum eſt, & bilem per urinam educere potens. p. 251. c. 2.
Vinum album molle alvum movet. p. 137. c. 2.
Vinum album aquoſum eſt maximè tenue, & humectans. p. 258. c. 1.
Vinum aromaticum lac non coagulat. p. 325. c. 2.
Vinum auſterum, hoc eſt forte, & robuſtum, durum, atque ingratum ad robur, & ſiccitatem, quàm maximè commodum eſt. p. 239. c. 1.
Vinum generoſum odoroſiſſimum vapores malignos diſcutit, & ſpiritus roborat. p. 292. c. 1.
Vinum generoſum tenue, & vetus vires reficit, & flatus diſcutit. p. 206. c. 2.
Vinum generoſum fumoſum, quia colliquativum, eſt fluxionum excitativum, & parens pituitæ. p. 163. c. 2.
Vinum nigrum, & dulce jucundum plurimum nutrit. p. 137. c. 1.
Vinum nigrum auſterum vetuſtiſſimum, & jucundiſſimum adſtringit, exſiccat, & Balſamicum eſt, ac ideò convenit in internis Ulceribus. p. 151. c. 1.
Vinum Tedaceum fit ex infuſione Ramorum Abietis, vel Pini. p. 308. c. 2.
Vinum vetus alvum movet, & obſtructiones aperit, & qua ratione. p. 137. c. 1.
Vinum vinoſum ſuo ſpiritu exſiccat. p. 277. c. 1. & 2.
Vinum epotum famem ſedat. p. 177. c. 1.
Vinum convulſivis, ſeu contractis permittit Hippocrates tamquam cauſæ reſolvendæ aptiſſimum. p. 103. c. 1.
Vinum mente motis nocet. p. 69. c. 1.
Vinum eſt multum efficax ad ſubminiſtrandum materiam pro calculi generatione ratione ſui tartari. p. 230. c. 1.
Virgines antiquæ illæ ſunt, quibus jam menſes deficere cauſa ætatis incipiunt. p. 292. c. 1.
Ulcus Pulmonum ex ruptura vaſis quomodo cognoſcatur. p. 151. c. 1.
Ulcus Renum exigit purgationem, ſed blandam. p. 233. c. 2.
Ulcus Renum poſtulat primò Lac Aſininum, quia magis abſterſivum eſt, poſtea Vaccinum, quod conſolidativum magis eſt. p. 234. c. 1.
Ulcus tenuium inteſtinorum quas conditiones habeat, ut curari nequeat. p. 215. c. 1.
Ulcus, & Ulcera Tibiarum, quibus remediis curentur. p. 240. c. 2.
Ulcus Uteri quibus ſignis dignoſcatur, & ejus Curatio, p. 328. c. 1. & ſeq.
Ulcus Uteri, aliud vitio ipſius, aliud vitio totius producitur, & quomodo debeat Medicus ſe gerere in utriuſque Curatione. p. 323. c. 2. & ſeq.
Ulcerum omnium Uteri Curatio. p. 329. c. 2.
Unguentum Baccharim, & ejus compoſitio penes Matthiolum. p. 292. c. 2.
Vomitoria quomodo ad conſervandum Ventriculi tonum adminiſtrari debeant ex Hippocrate. p. 124. c. 2.
Vomitoria in Diarrhæa, Dyſenteria, & alvi fluxu derivant, & intercipiunt materiam ad inteſtina fluentem, ideò anteponenda ſunt purgantibus. p. 212. c. 1. & 2. p. 216. c. 1. & 2.
Vomitoria valida in difficultate reſpirationis cum ſuffocatione ſunt ableganda. p. 246. c. 2.
Vomitoria in ſuffocatione Hypocondriaco Hyſterica ob periculum futuræ cæcitatis non conveniunt, niſi illis, quæ facillimè vomunt. p. 344. c. 1.
Vomitoria magnum locum obtinent in Curatione Quartanæ. p. 368. c. 2.
Vomitoria in ipſa Quartanæ acceſſione ſunt uſurpanda, & qua de cauſa. ibid.
Vomitoria in acceſſionibus febrium longarum non debent exhiberi ſtomacho jejuno, & quare. p. 369. c. 2.
Vomitus eſt motus depravatus Ventriculi, & eſt convulſivus. p. 190. c. 2. & ſeq.
Vomitus qua in parte excitetur, & quomodo. p. 190. c. 2.
Vomitus omnis non eſt præternaturalis, ſed ille tantùm, qui utile, & noxium excernit alimentum. p. 216. c. 2.
Vomitus per quid differat à Nauſea. p. 190. c. 2. & ſeq.
Vomitus Cauſæ, Differentiæ, Signa, Prognoſis, & Curatio. ibid. & ſeq.
Vomitus ab atra bile; ejus Signa, & Curatio. ibid. c. 2.
Vomitus à bile flava. p. 292. c. 2.
Vomitus bilioſus frequens, aut continuus in Dyſenteria malus eſt, & quare. p. 216. c. 2.
Vomitus tollit cauſam ſuffocationis in Hepate radicatam, & quare. p. 246. c. 1.
Vomitus in Ulceribus Renum videtur ſuſpectus, & cur, p. 233. c. 2.
Vomitus Utero deſcendente eſt perutilis. p. 292. c. 2.
Vomitus ſanguinis à cauſa irritante quomodo contingat, p. 194. c. 1.
Vomitus ſanguinis Cauſæ, Signa, Prognoſis, & Curatio. ibid. c. 2.
Vomitus ſanguinis ex fiſtula ſauciata per Hippocratem idem eſt, ac à vaſe diſrupto. p. 305. c. 2.
Vomitus ſanguinis in Muliere à partu Curatio. p. 323. c. 1.
Voluntas eſt appetitus rationalis, qui ab intellectu veritatem boni repreſentati requirit. p. 53. c. 2.
Voluntas quotieſcumque non inquirit an objectum repreſentatum ſit tale, ſæpe malum ſub ſpecie boni amplectitur. ibid.
Volvulus. Vide Iliacus dolor.
Volvulus Arcuatus. Vide Cachexia bilioſa.
Volvulus Hæmatites. Vide Cachexia Scorbutica.
Urina quomodo naturaliter excernatur. p. 280. c. 1.
Urina in Renibus impedita partium inferiorum frigus inducit, & quare. p. 234. c. 1.
Urina ſi in Renum Pelvi aliquantulum moretur, deponit particulas innati tartari, quæ humido viſcoſo adjuncto, & calore Renum exſiccato in calculos evadunt. p. 229. c. 2.
Urina craſſa, quæ ſtatim refrigerata, tota in tophum friabilem condenſabatur. ibid.
Urina craſſa, ne in Ureteres à Renibus deſcendat, ſua craſſitie impeditur. p. 235. c. 1.
Urina craſſa ſui cauſa in Renibus retenta abſceſſum aliquando parit in muſculis lumborum. ibid.
Urinæ craſſæ in Renibus retentæ ob ſuam craſſitiem Signa, Cauſæ, & Curatio. ibid. c. 2. & ſeq.
Urinæ craſſæ, & ad mictum difficilis ſola Diœta ex Hippocrate Curatio. ibid. c. 2.
Urinæ purulentæ, & ſanguinulentæ mictio. p. 232. c. 1. & 2.
Urinæ purulentæ, ac ſanguinolentæ Cauſæ. p. 233. c. 2.
Urinæ purulentæ, & ſanguinolentæ Prognoſis, & Curatio. ibid. c. 2. & ſeq.
Urinæ purulentæ mictio ſine Ulcere. p. 231. c. 2.
Urinæ ſuppreſſio. Vide Iſcuria.
Urinæ ſuppreſſio ob diuturnam moram in aqua. p. 282. c. 2.
Urinæ tenues in principio febris materiæ cruditatem oſtendunt. p. 359. c. 2.
Urinæ turbatæ, & Jumentorum urinis ſimiles qua ratione capitis dolorem ſignificent. p. 8. c. 2.
Urinæ turbatæ, & pure infectæ à Renibus deſcendente cur dolorem pariant. p. 282. c. 1.
Uterus ad aliquam partem ferri in affectibus Hyſtericis, quomodo dicatur. p. 291. c. 2.
Uteri aſcenſus ſymptomata, & Curatio. p. 302. c. 2. p. 304. c. 2. & ſeq.
Uterum aſcendere quomodo intelligendum ſit. p. 302. c. 2.

Uteri ardor quibus remediis curetur. p. 300. c. 2.
Uteri Cancri Signa, & Curatio. p. 301. c. 1.
Uteri clauſi, ſeu complicati Signa, Cauſæ, & Curatio. p. 293. c. 2. & ſeq.
Uteri clauſi Signa, Cauſæ, & Curatio. p. 303. c. 1.
Uteri conceptioni aptiſſimi ſunt, qui neque valdè humidi ſunt, neque valdè ſicci; & quid agendum, ut tales efficiantur. p. 314. c. 2.
Uteri conceptioni inhabiles à nimia humiditate efficiuntur, & quibus præſidiis hæc auferenda ſit. p. 315. c. 1. & 2.
Uteri contorſio, ipſa humida, & alvo ſicca non poteſt ſuccedere, & quare. p. 293. c. 1. & 2.
Uteri convulſionem ad ſuperiora plerumque levant fœtida naribus, & odora ipſi Utero applicata, p. 292. c. 1.
Uteri dehiſcentis Curatio. p. 313. c. 2. & ſeq. p. 352. c. 2. & ſeq.
Uturi deſcenſus ſymptomata, Cauſæ, & Curatio. p. 349. c. 1.
Uteri deſcenſus ad Coxam ex partu Curatio. ibid.
Uteri dimoti, & ad regionem oſſis coxendicis declinantis Cauſæ, Signa, & Curatio. p. 294. c. 1. & 2.
Uteri dimoti ad Coxam inclinantis verſus Inguen quomodo cognoſcatur, & curetur. p. 293. c. 1. & 2.
Uteri dimoti ad Coxam lapſus qua ratione ſuccedat. p. 348. c. 1.
Uteri dimoti, & ad Coxam dilapſi ſymptomata. ibid. c. 2.
Uteri dimoti, & ad Coxam dilapſi Remedia. ibid.
Uteri dimoti, & ad Coxam ſiniſtram dilapſi reſtituuntur ex Hippocrate ad ſuum naturalem ſitum medicamentis corroborantibus applicatis parti dexteræ oppoſitæ, & quia. p. 293. c. 2.
Uteri dimoti, & ad medios lumbos decumbentis Deſcriptio, & Curatio. p. 296. c. 2. & ſeq.
Uteri dimoti, & ad Inguina decumbentis Signa ſunt magni in illis partibus dolores, crurum torpor, & urinæ ſuppreſſio. p. 350. c. 1.
Uteri dimoti, ac ad Inteſtinum rectum decumbentis Signum eſt fœcum ejectio impedita. ibid.
Uteri dimoti, & ad Veſicam urinariam decumbentis ſupra ejus fundum indicium eſt deſcenſus urinæ in ejus cavitatem impeditus, & miſſio ſuppreſſa. pag. 349. c. 2. & ſeq.
Uteri dimotiones ferè omnes à labore proficiſcuntur & quomodo labor has efficiat. p. 350. c. 2. & ſeq.
Uteri dimoti Curatio. ibid. c. 2. & ſeq.
Uteri doloris duplex Cauſa, & duplex Curatio. p. 300. c. 2.
Uteri dolor cum ciborum faſtidio, & febri. p. 304. c. 2.
Uteri flatus continentis deſcriptio. p. 354. c. 2.
Uteri grummoſi auxilia. p. 352. c. 1.
Uteri Hydropis Signa, Cauſæ, & Curatio. p. 291. c. 1. & ſeq.
Uteri inflati gravidationem ſimulantis Cauſæ, Signa, & Curatio. p. 295. c. 2. & ſeq.
Uteri inflati ex menſibus retentis prægnantiam ſimulantis expoſitio. p. 298. c. 1.
Uteri inflammationis horror eſt verè prodromus. p. 300. c. 2.
Uteri inflammati Curatio. p. 552. c. 2. & ſeq.
Uteri inflammati à partu Signa, & Curatio. p. 323. c. 2.
Uteri inflammati cauſa frigoris externi Curatio. pag. 324. c. 2.
Uterus inflammatus contrahitur. p. 354. c. 2.
Uteri lævigati à nimio fluore deſcripto. p. 304. c. 2.
Uteri lævigati, ac lubrici Curatio. p. 352. c. 2.
Uteri læviores ſimul, & exſiccati qua ratione ſint in Mulieribus ſenioribus. p. 309. c. 2. & ſeq.
Uteri macilenti, & contabeſcentes ab alimenti penuria nequeunt concipere, & quomodo curandi. p. 313. c. 2.
Uteri magni facilè aboriuntur; & quare. p. 317. c. 1.
Uteri Mulieribus non coeuntibus non humectantur. p. 308. c. 1.
Uteri obdureſcentis Signa, & Remedia. p. 352. c. 1.
Uteri obliqui Signa, & Curatio. p. 303. c. 1.
Uteri obtorti Signa, & Medicamina. ibid. col. 2. & ſeq.
Uteri obtorti dicuntur, quando ſecundùm orificium incurvantur verſus latera. ibid.
Uteri oſculum ſitum propè pudendum ſanguinis copiam evocat, unde menſes fiunt copioſiores. p. 309. c. 1. & 2.
Uteri os, ſi gracile, & humidum apparet tactui, Mulier non eſt gravida; & ſi ventrem tumidum habeat, eſt Hydropica; maximè ſi rigor, & febris corripiat. p. 326. c. 1. & 2.
Uteri pituita referti Deſcriptio. p. 295. c. 2. & ſeq.
Uteri procidentiæ partialis Signa, & Curatio. p. 292. c. 2.
Uteri procidentiæ totalis Signa, & Curatio. p. 304. c. 2. & ſeq. p. 293. c. 1.
Uteri puſtularum Signa, & Curatio. p. 303. c. 2. & ſeq.
Uteri purgandi per medicamenta ipſis appoſita. pag. 299. c. 1.
Uteri tenuitas ſecundùm ſuam ſubſtantiam abortus bimeſtris cauſa eſt; & quomodo tollenda ſit. p. 299. c. 2.
Uteri tumidi à flatu Signa, & Curatio. p. 303. c. 2. & ſeq.
Uteri tumoris calloſi Signa, & Curatio. p. 351. c. 2. & ſeq.
Uteri tumoris Eriſipelatoſi Cauſæ, Signa, & Curatio. p. 296. c. 2.
Uteri tumoris flatuoſi cum ejus dimotione ſymptomata, & Curatio. p. 351. c. 2. & ſeq.
Uteri tumoris ſcyrhoſi Signa, Cauſæ, & Curatio. p. 300. c. 2. & ſeqq.
Uteri vaſorum anguſtiæ Curatio. p. 292. c. 1. & 2.
Uteri vaſa cum vaſis mammarum commercium habent. p. 318. c. 1.
Uteri vaſa, & coxarum communicare ratione ſuadetur. p. 296. c. 2.
Uteri vaſa externa ſanguinem menſtruum effundere poſſunt ejus orificio clauſo. p. 293. c. 2. & ſeq.
Uteri Ulcerati Signa. p. 311. c. 1.
Uterina ſuffocatio. Vide Hyſterica paſſio.
Uterino furore affectis aptiſſimum remedium eſt validiſſimo viro nubere. p. 55. c. 2.
Vulnera capitis, & dolores ejus quare vomitum faciant. p. 190. c. 1.

F I N I S.